Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS PRIMA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
M. D. LXV.

PSALMI PRIMÆ
Decadis.

1. *Beatus vir qui non abijt,&c.*
2. *Quare fremuerunt gentes.*
3. *Domine quid multiplicati ſunt.*
4. *Cum inuocarem,exaudiuit.*
5. *Verba mea auribus percipe.*
6. *Domine ne in furore tuo arguas me.*
7. *Domine Deus meus in te ſperaui.*
8. *Domine, Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum.*
9. *Confiteor tibi Domine.*
10. *Vt quid Domine receßiſti.*

IOHANNES BRENTIVS
pio Lectori S. D.

MVlti, quum varias & diſsimiles ſacræ Scripturæ, ac præſertim Pſalterij Dauidis, quod omnium ferè manibus teritur, & in quo illuſtrando non pauci elaborarunt, explicationes vident, teneri nõ poſſunt, quin exclament, Quid? An non ſacra Scriptura eſt obſcura, dubia, incerta, flexiloqua, & indiget hominum traditionibus, vt aliquid certi ex ea definiatur? Sed iniquiſsimum eſt, de cœleſtibus oraculis, ex hominum ſententia pronunciare, & iudicium de ſplendore ſolis, noctuæ ſubijcere. De qua re alias copioſe dictum eſt. Nos igitur, hoc argumento ſuis locis & ſcriptis relicto, perſequemur, quod inſtituimus. Viſum enim eſt, hanc breuem Pſalterij explicationem in lucem dare, non quòd in aliorum vel veterum, vel recentiorum interpretum reprehenſionem, noua cudamus, & ſentiamus pias aliorum inſignium virorum cogitationes, quibus Pſalterium, in eccleſia filij Dei, ſingulari induſtria exponere conati ſunt, damnandas & reijciendas, ſed quòd huius noſtri inſtituti longè aliã habeamus occaſionẽ, quàm fortaſsis alijs hactenus exhibita fuit. Quod dum commemorauero,

pius Lector, quæso, æquum se & beneuolum præbeat. In Ducatu Wirtenbergensi, præter multa præclara decora, & ornamenta, quibus eum Deus, pro summa sua clementia, præ multis alijs Germaniæ regionibus insigniuit, illud inter prçcipua merito numerandum est, quòd iam inde à septingentis annis, excitata fuerint in eo illustria & frequentia κοινόβια, quæ Monasteria vocant. Non mihi iam sermo est, de mendicantium, vt vocarunt, conuentibus, de syluestrium fraterculorum, quos Hieronymus vocat Remoboth mandris, de nobilium & ingenuarum puellarum septis, & de Monialium, quas dixerunt Beguttas, lustris, quæ vbiq; in singulis ferè saltibus, oppidis, & pagis obuia fuerũt: sed de illis loquor Monasterijs, quæ & pietatis specie, & opum affluentia, & dignitatis excellentia præstabãt. Etsi autem non est obscurum, quòd Maiores, in ijs instituendis delectu, vt illa erant tempora, errarint, tamen affectus eorum non est temerè damnandus. Et extant certa adhuc vestigia, quibus haud obscurè notatur, fuisse ibi à prima sua origine, magna piæ doctrinæ studia. Certè exercitium sacrarum literarum fuit assiduum: ac si quis recens in contubernia illa receptus esset, necesse habuit primo anno, quem vocarunt, probationis, vniuersum Psalterium Dauidis memoriter edisce re; nõ hoc tantũ consilio,

vt

vt priuatas ſuas preculas expeditius abſoluerẽt ſed vt acceſſuri ad docendam eccleſiam, (ex hoc enim choro, eccleſiarum Paſtores petebantur) haberent in Pſalterio totius Propheticæ & Apoſtolicę Scripturę epitomen. Nec dubito, quin eodem conſilio, Leo Pontifex, (quo tẽpore Romanus Epiſcopatus nondũ erat cathedra peſtilentiæ) nulli manum impoſuerit, qui eſſet Pſalterij ignarus. Hoc autem inſtitutum, etſi videtur initio eccleſijs eorum temporum non inutile, tamen in quantam ſuperſtitionem imò impietatem, ſub regno Pontificio degenerauerit, notius eſt: cẽ vt me hoc loco oporteat, & triſtius, quàm vt libeat commemorare. Quare, cum illuſtriſsimus Princeps ac Dominus, D. Chriſtophorus, Dux Vvirtenbergenſis ac Theccenſis, & Comes Montbeliardenſis &c. Dominus meus clementiſsimus, adiret auitam & paternam ſuam hæreditatem, ac ſuſciperet gubernacula eius, primam omnium curam, pro pij Principis officio, in eo collocauit, non ſolùm, vt eccleſiæ in præſentia haberẽt Paſtores, qui ipſas in verè pia doctrina erudirent, verumetiam, vt eſſet ſeminarium, quo poſteritati conſuleretur. Itacę ordinauit, vt in ſingulis Monaſterijs, (quæ vulgo Abbatiæ aut Prę̨laturæ vocabantur,) ſingulæ inſtituerentur Scholæ, in quibus adoleſcentes bonæ ſpei in bonis & ſacris literis diſcendis, ad fun-

ctionem ecclesiastici Ministerij, à teneris, vt aiunt, vnguibus, prępararentur, id est, vt Monasteria illa ad verum & legitimum vsum, quo ad eius fieri posset, & deberet, reuocarentur. Et quia plurimùm refert, quibus magistris, &, vt epistola ad Hebræos vocat, ἡγουμένοις, seu, vt hactenus dicti sunt, Abbatibus, hoc est, Patribus, adolescentia, præsertim ad ecclesiam accessura, ab ineunte ætate vtatur, diligenter curat Illustriss. Princeps, vt ijs, viri ætate venerabiles, autoritate graues, eruditione excellentes, & pietate insignes præficiantur, qui ita præsint, vt quantum humanitus prouideri potest, adolescentibus nihil desit, quod vel ad vitæ alimenta, vel ad institutionem honestorum morum, vel ad eruditionem piæ doctrinæ necessarium videatur. Ac vt hoc institutum inuiolatum conseruaretur, & progrederetur, curauit etiam Celsitudo eius, vt in ijs Scholis annuæ fierent studiorum inspectiones, quibus non solùm profectus adolescentum exploraretur & cognosceretur, verumetiam adolescentes intelligerent, quantæ curæ studia ipsorum Illustrissimo Principi, atq; adeò ecclesiæ ipsi essent, quo officio ad afferendam meliorem frugem excitarentur. Nec vanum fuit consilium, quippe quòd hisce etiam temporibus, aliquot in illis Scholis educati, ecclesiam, diuino beneficio, vtiliter administrant. Cum igitur

igitur ego vnà cum reuerendo & clariſsimo viro D. Doctore Iacobo Andreæ, Prçpoſito eccleſiæ, & Cancellario Scholç Tubingẽſis, collega in Chriſto amiciſs. ad hanc inſpectionẽ, autoritate & mandato Illuſtriſs. Principis vocarer, ſuſcepi in ſingulis illis Monaſticis Scholis ſingulos Pſalmos, pro mea tenuitate, explicandos, quibus nouum hoc inſtitutũ, quaſi cõſecrarem, & eccleſiæ cõgratularer, ac cœleſtem opem implorarem, vt quod Illuſtriſs. Principi, optimo conſilio, & officio, Chriſto ipſi Filio Dei, gratiſsimo, inſtituere viſum eſt, hoc diuina clementia, ad poſteritatẽ ſacroſanctũ & inuiolatũ tranſmitteretur, & cõſeruaretur. Quod enim aliud vel conſecrationis vel congratulationis, vel precationis officium Deo prçſtarem, quàm quod Spiritus ipſe ſanctus prçſcripſit? Laudabo inquiens, nomẽ Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellũ, cornua producentem & vngulas. Nec poteſt adoleſcentibus, miniſterio eccleſiæ deſtinatis quicq̃ vtilius, in hoc quidem doctrinæ genere, tradi, q̃ vt habeant Pſalmos non ſolùm cõmendatiſsimos, ſed etiam maximè omniũ familiares. Linguam, fateor, diſcent è lectione & vſu aliorũ ſcriptorũ formare, iuxta humanæ carnis ſapientiam, elegantius: quæ pars ſtudij, ne ipſa quidem, in ſuo gradu, præſertim ijs à quib. exigitur, vt fiãt διδακτικοὶ, negligenda eſt.

Sed

Sed vt lingua hominum, ad docendos homines, vtiliter loquaris, linguam prius Spiritus ſancti cognoſcas, neceſſe eſt, qua & Deus tecum è cœlo, & tu viciſsim cum Deo è terra, imò ex ipſo inferni hiatu, colloqui poſsis. Hoc tibi liber Pſalmorum inſigniter præſtabit. Continentur enim in eo partim conciones, quas DOMINVS Deus noſter è cœleſti diuinæ Maieſtatis ſuæ throno ad humanum genus, de ſua voluntate, habet, & nunc, quid à nobis exigat, nunc, quid nobis in vnigenito filio ſuo præſtare velit, dilucide exponit: partim precationes & obſecrationes, quibus nos viciſsim exponimus Deo omnes noſtros affectus, & pericula, in quibus verſamur, & ope eius indigemus: vt liber Pſalmorum nihil aliud ſit, quàm mutuum colloquium, quod Spiritus Sanctus inter Deum & homines inſtituit. Etſi autem adoleſcentia, nec ætate, nec rerum vſu eò progreſſa eſt, vt in animo ſuo afficiatur maximis illis & atrociſsimis tempeſtatibus, quæ ex agnitione peccati, è ſenſu iræ diuinæ, ac ex obiectu mortis & dolorum inferni oriri ſolent, & quarum cœleſtia omnis generis remedia in Pſalmis, tanquam in pharmacopolio proponuntur: tamen quia illi, qui quaſi publica eccleſiæ electione in his Scholis erudiuntur, eò deſtinati ſunt, vt veram pietatem, tam ipſi diſcant, quàm eccleſiam ſuo tempore doceant, neceſſarium eſt, vt

parent

parent sibi hac tenera sua ætate promptuarium, quale est Psalmorum liber, è quo, cùm res postulat, quæ ad sedandas cùm suas priuatas tum publicas ecclesiæ tempestates conducunt, proferre queant. Ac antè quidem, quàm publicus esset Psalmorum vsus, videbatur doctrina pietatis, in sacrificijs tantùm, & in pauculis Leuitarum sermonibus, ac in tabernaculo contineri, & quasi condita ac sepulta iacere. Postquàm autem ea doctrina collata est, singulari Spiritus sancti consilio, in Psalmos, (hoc est) in formulas publicarũ & priuatarum cantionum, educta est tam è sacrificijs, quàm è tabernaculo, & introducta ad vsum hominum, in ciuitates, in fora, in vicos, in domos, in officinas, in cubicula, in agros, in eremos, imò & in carceres, & in penetralia quæq;. Hoc enim illud est, quod Paulus ad Ephesios scribens: Impleamini, inquit, Spiritu. Sed quo modo, aut quo organo? Loquentes, inquit, vobis met ipsis, per Psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales: canentes & psallentes in corde vestro, DOMINO, Gratias agẽtes semper de omnibus, in nomine DOMINI nostri Iesu Christi. Nullum potest encomiũ de Psalmorũ seu recitatione, seu meditatione illustrius dici, q̃ quòd sint organa, quibus impleamur cœlesti Spiritu, non quia recitentur, aut cogitentur, sed quia rectè intelligantur. Quare, vt ediscantur, & commemo-

rentur, (quod in his monasticis Scholis ab adolescentibus tam ex veteri, quàm ex nouo instituto exigitur) vtiliter percurrí eos breui & aperta explicatione. Ac in præsentia quidẽ viginti priores trado, daturos etiam alias, DOMINO volente, & vitam concedente, reliquos. Oro autem & obtestor Dominos Abbates, vt quod faciũt, diligenter facere pergant, ac meminerint, se tot ecclesias, filio Dei honestas & pudicas sponsas adducere, quot adolescentes ad ministerium ecclesiasticum accessuros, in sana pietatis doctrina, erudiendos suscipiunt. Deus pater DOMINI nostri Iesu Christi, det cœleste incrementum, vt hoc institutum per Spiritum sanctum fœlicissimè promoueat.

Primus

Primus Psalmus,

Beatus vir qui non abijt, &c.

In Monasterio Diui Georgij in Hercinia Sylua,
Anno 1556. die 10. Iunij,
explicatus.

ANtequàm ad primum Psalmum, quem instituimus in præsentia explicare, accedamus, visum est initio cõmendationem vniuersi Psalterij Dauidis paucis percurrere. Etsi enim nonnulli existimant, de præclaris rebus melius esse silere q̃ pauca dicere, tamen cum multitudo verborum sæpe obscuritatem pariat, & multa breuibus comprehendi possint, habet breuitas suam quoq; laudem & vtilitatem. Quare dicamus quędã de Psalterij autoritate, vt intelligamus, ipsum in prima commendatione ponendum esse. Ac initio si de autore Psalterij dicendum est, etsi non est dubium, quin Dauid Propheta & rex Israelis, ac nonnulli alij, quorum nomina in Psalmorum inscriptionibus extant, tradiderint Ecclesiæ Dei hos Psalmos tractandos, tamen præcipuus eorum autor est Spiritus ipse sanctus, qui eos Dauidi & alijs in Ecclesia vulgãdos dictauit. Spiritus DOMINI (inquit Dauid) locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Sed ne quis existimet Dauidem sui ipsius tibicinem esse, 2. Reg. 23

Mat.22. Christus Filius Dei apud Matthæum affirmat, Dauidem non humano sed diuino spiritu, Psalmos composuisse. Quomodo (inquiens) Dauid vocat eum Do-
Mar. 12. minum in Spiritu. Et apud Marcum: Ipse Dauid dixit afflatus Spiritu sancto: Dixit dominus domino meo.
Act. 1. Sede à dextris meis. Et Petrus in Actis Apostolicis: Oportuit, inquit, impleri scripturam, hanc, quam prædixit Spiritus sanctus, per os Dauid. Sed nihil opus est in re manifesta colligere multum testimoniorum.

Inspiciamus Psalmos ipsos, & cognoscamus, quòd sicut vniuersa pia doctrina collata est, in tria breuia compendia, in Decalogum videlicet & Symbolum Apostolicum, & Orationem dominicam: ita summa totius sacræ Scripturæ collata sit in Psalmos, vt Psalterium recte & congruenter vocaueris sacrorum Bibliorum epitomen.

Porro quanti Christus & Apostoli eius, Psalmos fecerint, vel ex hoc perspicuum est, quòd ex Psalmis insignes conciones texuerint, & eas autoritate Psal-
Luc. vlt. morum confirmauerint. Necesse fuit (inquit Christus) impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me. Et Petrus in prima sua concione, quam accepto Spiritu sancto Hierosolymis in die Pentecostes habuit, probat è Psalmis resurrectionem Christi à mortuis. Paulus tanta frequentia vtitur Psalmorum testimonijs, vt videatur haud obscurè significare, se librum Psalmorum omnibus reliquis veteris testamenti scriptis anteferre. Sequamur igitur autoritatem Apostolorum, adeoq; Christi filij Dei: & versemus Psalteriũ diurna nocturnaq; manu, vt ex eo vera Spiritus sancti oracula cognoscamus.

Non

Non est autem sentiendum, quòd nostro officio simus defuncti, si Psalmos lectione, aut cantione percurramus. Danda enim est opera, vt quæ legimus aut cãtamus, rectè quoq; intelligamus: Volo, inquit Paulus, in Ecclesia quinq; verba mente mea loqui, vt & alios instituam, potius quàm decem millia verborum lingua. Et iterum: Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Ac rursus: Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad doctrinã, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Quomodo autem potest sacra Scriptura, cuius precipua pars sunt Psalmi, nos erudire, ædificare, consolari, docere, corrigere, & instituere, si sermonem, quem legimus, non intelligimus? Quare in hoc studium nobis incumbendum est, vt rectam & veram Psalmorum sententiam cognoscamus. Sed accedamus nunc ad primum Psalmum. *1. Cor. 14.* *Rom. 15.* *2. Thi. 3.*

Etsi autem hic Psalmus aut non computatur in numero reliquorum Psalmorum, aut cum sequenti, Quare fremuerũt gentes, &c̃. pro vno habetur, quia Paulus in ea concione, quam habuit in synagoga Antiochiæ Pysidiæ, allegat illud dictum secundi Psalmi: Filius meus es tu, ego hodie genui te, & dicit, hoc scriptum esse in primo Psalmo: tamen habet ex hoc suam authoritatem, quòd sit velut præfatio Psalterij, & cohortatio ad studium verbi Dei, quod in Psalmis nobis commendatur. Constat autem sex versiculis: & continet duas partes, exhortationem ad pietatem, & de- *Act. 13.*

hortationem ab impietate. Ac profectò, si argumentum eius diligenter expenderimus, voluit Spiritus sanctus in hoc breue carmen conferre duo illa capita, de benedictione piorum, & maledictione impiorum, quorum alterum extat in Leuitico cap. 26. alterum in Deuteronomio cap. 28. Si audieris vocẽ DOMINI Dei tui, vt facias atq; custodias omnia mandata eius &cẽ. Nam quod hîc canitur: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &cẽ. hoc apud Mosen dicitur: Si audieris vocem DOMINI Dei tui, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, &cẽ. Prior ergo pars huius Psalmi constat tribus versiculis, quibus admonemur, vt sequamur veram doctrinam pietatis, & fugiamus tam doctrinam quàm mores & studia impiorum.

1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sedit.*

Vtitur pro more Hebræorum verbis præteriti temporis pro præsenti, abijt, stetit, sedit: pro abit, stat & sedet. Vtitur etiam phrasi ac modo loquendi Hebræo. Nam cum dicitur, Non abijt in consilio impiorum, non stetit in via peccatorum, non sedit in cathedra pestilentiæ, verba quidem Latina sunt, phrasis autem est Hebræa. Latinus diceret: Qui non sequitur impia facta seu decreta malorum, qui non adhæresçit iniustitiæ, & qui non commoratur in contubernio pestiferorum ciuium: Cathedra enim pestilentiæ est consessus seu conuictus sceleratorum hominum, qui prauis suis moribus & colloquijs quosuis conuictores quasi contagione inficiant. Vbi est in vulgata versione,

ne, In cathedra Peſtilentiæ non ſedit, ibi Hebræus, pro peſtilentia habet לְצִים Lezim, à verbo לוּץ Loz, quod ſignificat, deridere, illudere, nugari. Appareret autem ſeptuaginta interpretes legiſſe לְזוֹם Lezom, & tranſtuliſſe λιμῶν (hoc eſt) famis ſeu ieiuniorum: Scribas autem vertiſſe λοιμῶν, in λοιμῶν, quod ſignificat, peſtilentiarum. Quod autem in Hebræo habetur לְצִים Lezim, conuenit ferè cum teutonico vocabulo, Ein Leut / hoc eſt, vnnützig / vnnütz Spötter. Et quod in hoc primo verſiculo dicitur, Qui non abiit in conſilio impiorum, &c. hoc Teutonicus pro ſua loquendi phraſi, ita diceret: der nicht in der böſen rath gangen iſt / vnd nicht in dem läſter ligt / vnd an keiner loſen Geſellſchafft hangt. Diſcamus ergo ex hoc verſiculo, nihil eſſe pernitioſius conuictu hominum eorum, qui vel impia docent, vel turpem & nefariam vitam ducunt. Cum enim natura ſimus corrupti, fieri non poteſt, quin ſi acceſſerit impia doctrina, aut ſceleratum exemplum, corruptiores & ſceleratiores fiamus. Hinc ſunt dicta illa ſacræ Scripturæ & aliorum ſcriptorum: Cauete à fermento Phariſçorum, quod eſt hypocryſis. Et ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Et: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Ac. Calias orrumpunt bonos mores colloquia praua. Et ſi iuxta claudum habitaueris, diſces & ipſe claudicare.

2. *Sed in lege* DOMINI *voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

Sicut

Sicut in primo verſiculo vſus eſt Pſalmus præteriti tempore pro præſenti, ita nunc vtitur futuro pro præſenti, meditabitur pro meditatur. Voluntatem autem habere in lege DOMINI, & meditari in lege eius, non eſt ſimpliciter in corde cogitare, ſed toto mentis affectu ferri in obſeruantiam verbi Dei, & ſeſe noctu diuq; exercere, vt diuinæ legi obſequium præſtetur. Quod aliàs dicitur. Facias & cuſtodias omnia mandata, quæ ego tibi præcipio. Et iterum: Diliges DOMINVM Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni fortitudine tua. Admonemur ergo ex hoc verſiculo, vt in colendo Deo & præſtando ei obſequio, non ſectemur commenta humanæ rationis, nec exempla prauorum hominum, ſed præſcriptum verbi Dei. Non reſpiciamus ad conſilia impiorum, ad viam peccatorum, & ad doctrinam & exempla ſceleratorum, qui ſolent verbum Dei irridere: ſed ad legem DOMINI. Hæc ſit cogitatio, hæc meditatio, hoc exercitium noſtrum, hæ ſint delitiæ noſtræ.

Quid ergo fiet nobis, ſi non ſectati fuerimus doctrinam impiorum & exempla ſceleratorum, ſed legem ac verbum DOMINI? Sequitur.

3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt iuxta riuos aquarum, & dat fructum ſuum, tempore ſuo, ac folium eius non marceſcit, & quæcunq; facit, proſpera erunt.*

Lignum more Hebræo ſignificat arborem, iuxta illud Gen. 1. Germinet terra lignum pomiferum, hoc eſt, arborem pomiferam, & Gen. 2. Ex omni ligno Paradiſi

radiſi comede, hoc eſt, ex omni arbore. Et Lucæ 23. Si hoc faciunt in ligno viridi, hoc eſt, in arbore viridi & fertili. Quod igitur beneficium conſequatur pius, qui pendet è ſolo verbo Dei, hic tertius verſiculus ſimilitudine exponit. Sicut enim arbor viridis, & fertilis, quæ plantata eſt in loco irriguo, non ſic arefcit ante tempus, vt foliis deſtituatur, ſed profert ſuo tempore copioſum fructum: ita homo pius, qui comparat vitam ſuam è ſolo verbi Dei præſcripto, teneri nõ poteſt, quin quauis occaſione inſignes quaſcũ virtutes autore Spiritu ſancto præſtet. Nunc enim promiſsioni ſeu Euangelio Dei tam conſtantem adhibet fidem, vt nullis aduerſis patiatur ſe ab ea diuelli. Nunc ex fide inuocat Deum ardentiſsimis votis. Nunc patienter ſuffert afflictiones. Nunc magna charitate complectitur, non amicum tantùm, ſed etiam inimicum. Nunc proſequitur hominem proximũ quoquo officiorum genere poteſt. Denicq; eò tantùm ſpectat, eò tendit, vt nihil, niſi quod rectum & honeſtum, & cum virtute eſt, faciat. Hic eſt huius bonæ arboris fructus. Porro autem hic fructus non tantùm in hoc conſiſtit, quòd pius piam & honeſtam ducat vitam, ſed etiam quòd habeat fœlicem rerum ſuarum ſucceſſum, omnia, inquit, quæcunq; faciat, proſperabuntur. Hoc prorſus illud eſt, quod Moſes dicit. Si audieris vocem DOMINI Dei tui, atq; cuſtodias omnia mandata eius, benedictus eris in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, &c̃. Sed cur pijs accidant etiam maledictiones & afflictiones, alias erit expendendum. Nunc in hoc Pſalmo pergemus. Et hactenus abſoluta eſt prior pars Pſalmi.

POSTERIOR PARS.

Constat & hæc pars tribus versiculis, quibus Spiritus sanctus dehortatur nos à sectanda impietate. Sicut autem antea cohortatus est nos ad sectandam pietatem, argumento ab vtilitate ducto, ita nunc dehortatur nos ab impietate, argumento ducto ab aduersis, & supplicijs, quæ sectatores impietatis manent.

4. *Non sic impij, sed sunt sicut palea, quam proijcit ventus.*

Pij habent prosperum rerum suarum euentum, & sunt benedicti. Impij autem non sic prosperabuntur nec benedicentur. Quid autem de ipsis futurum sit, explicat similitudine. Sicut enim magnus cumulus puluueris, aut palearum, & quisquiliarum, videtur quidem quasi constans quispiam & firmus monticulus, qui non possit loco suo dimoueri: sed si adoriatur eum ventus, ita disijcitur, vt nescias, quò vel minimus puluisculus peruenerit: ita se habet res impiorum. Videntur quidem aliquandiu florere, videntur fœlices esse. Sed postquàm Deus patefacit aduersus ipsos iram suam, & insufflauerit in eos vento seueritatis suæ, tanto turbine involuuntur, vt conijciantur in perpetuum exitium. Porrò quo certius nobis interitus impiorum ob oculos ponatur, solenne est Spiritui sancto, infœlicem impiorum euentum comparationibus, & similitudinibus adumbrare. Iob. 21. Erunt (impij) sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Et Psal. 36. Tanquam fœnum velociter arescent (facientes iniquitatem) & quemadmodum olera herbarum citò decident. Psal. 67. Sicut deficit fumus, deficiant

ficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Pſal. 128. Fiant (peccatores) ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit, de quo non implebit manum ſuam, qui metet. Eſa. 29. Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquàm fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt. Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerit contra montem Zion. His autem & id genus alijs ſimilitudinibus, Spiritus ſanctus idcirco vtitur, vt eo efficacius à ſectandis impiorum exemplis deterreamur, & in officio pietatis contineamur.

5. *Ideo non reſurgent impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum.*

Quid igitur dicemus? Num ſoli pij reſurgent in nouiſſimo iudicio, à morte, nõ autem impij? Certè & pij & impij reſurgent. Veniet hora, inquit Chriſtus, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij hominis: & prodibunt, qui bona fecerũt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis. *Ioan. 5.* Et iterum: Cum venerit filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli eius cum eo, tum ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. *Mat. 25.* Quid ergo eſt, quod hic verſiculus dicit, Non reſurgent impij in iudicio? Rectius iuxta Hebræam veritatem ſic legitur. Non conſiſtent impij in iudicio. Etſi enim impij reſurgent à morte, tamen non conſiſtent erecti,

non constabunt coram seuero tribunali Dei, nec manebunt in concilio, seu cœtu & congregatione iustorum, sed separabuntur ab eis ac deficientur, & audient: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Sic & alias. Psal. 5. Non habitabit iuxta te malignus, neq; permanebũt iniusti ante oculos tuos. Iob. 11. Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ. Et cap. 18. Vndiq; terrebunt eum (impium) formidines, & inuoluent pedes eius. 2. Thessa. 1. Qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi, pœnam luent, interitum æternum à facie domini, & à gloria fortitudinis illius, &c.

6. *Quoniam nouit* DOMINVS *viam iustorum, via autem impiorum perit.*

Breuis epilogus vtriusq; partis, hoc enim vult dicere. Quid pluribus opus est? Meditandum est in lege DOMINI, & sectanda iustitia. Quamobrem? Quia DOMINVS nouit viam iustorum: & non est ambulandum in impietate. Quamobrẽ? quia iter impiorũ peribit. Nosse autem viam iustorum hoc loco non est simpliciter scire, sed curare, conseruare & tueri. Et via seu iter significat conatum, studia, consilia, actiones & vitam. Cum igitur dicitur, DOMINVM nosse viam iustorum, significat, DOMINO curæ esse omnia studia piorum, & DOMINVM tueri eos in omnibus periculis & aduersis: impios autem quia non habent Deum tutorem, & protectorem, vnà cum studijs, & consilijs suis perire.

Vsus

VSVS HVIVS PSALMI.

Habes breuem huius Psalmi primi explicationem. Sicut autem nondum satisfecimus nostro officio, si Psalmum lectione percurramus, sed etiam exigitur, vt sententiam eius recte intelligamus: ita non sufficit, vt recte eum intelligamus, nisi etiam in nostrum vsum transferamus, & ex ipso verum Dei cultum discamus. In hoc enim sumus nati, in hoc sumus renati, vt verum Deum agnoscamus & colamus. Præcipui autem cultus Dei sunt, timere Deum, agnoscere iram Dei, agnoscere misericordiam Dei, per Christum filium eius, inuocare Deum in nomine Christi, bene de clementia Dei sperare, in aduersis Deo patienter obsequi, item proximum diligere, & eum siue amicum siue inimicum officijs nostris iuuare. Hi sunt cultus, hæc sunt sacra quæ Deo placent. Et vt ad hæc facienda & præstanda excitemur, Psalmus tum legitur tum explicatur. Nam si quis sentit, se ad singulare quoddam genus sceleris procliuem, & non admodum requirere aut curare grauitatem iræ Dei, is legat hunc Psalmum, & sententiam eius diligenter consideret, vt Spiritus sanctus habeat organon, quo excitet in ipso timorem Dei, & compescat furorem peccati. Audit enim impios, & sceleratos proijci à domino, quemadmodum ventus disijcit paleas, audit sceleratos non posse coram Deo constare, sed necesse habere perire: timeat igitur DOMINVM, & fugiat scelera atq; impietatem. Si alius quispiã grauibus aduersis ita tentatur, vt deliberet de deserenda sua vocatione, & officio pietatis, legat hunc Psalmum, & inspiciat sententiam eius, vt Spiritus sanctus habeat organon, quo

mentem ipſius ad conſtantiam inflammet, & in officio contineat. Audit enim DOMINVM tueri iuſtos, hoc eſt, ambulantes in lege DOMINI, & perſeuerantes in vocatione Dei. Audit Deum dare proſperum euentum iis, quorum eſt voluntas in lege eius, & qui meditantur in verbo eius diu noctuq;. Expectet igitur DOMINVM, & pergat conſtanter, aduerſis nihil deterritus, in ſua vocatione.

Alius quiſpiam videt impios, & ſceleratos homines ducere fœlicem, & iucundam vitam, & ſollicitatur exempla ipſorum, deſerta pietate, ſectari, quò ſe vertat, vt malis exemplis non ſeducatur? Sumat in manus hunc Pſalmum, legat & intelligat eum. Et cum audit illum eſſe beatum, & habiturum fœlicem rerum ſuarum ſucceſſum, non qui ſequitur exempla impiorum & ſectatur peccata ſceleratorum, ſed qui delectatur lege DOMINI, & exercet ſe in obſequio verbi Dei: tunc Spiritus ſanctus habet organon, quo moueat cor eius, vt nihil offenſus malis aliorum exemplis, pergat in ſtudio veræ pietatis. Hic eſt verus vſus Pſalmorum, ad quem & lectio & cantio & interpretatio eorum omnis eſt referenda.

Pſalmus

Psalmus secundus,

Quare fremuerunt gentes, &c.

Hirsaugiæ die 19. Iulij, Anno 1556. explicatus.

TSi non est in ordinem Psalmorum curiosè inquirendum, sunt enim vel ab Esdra, vel ab alio quodam, vt fortè in manum venerunt, collecti, & in vnum librum collati: tamen hic Psalmus priori cõmodè statim subiungitur. In priori enim fit mentio iustorũ, & impiorũ: ac illis quidẽ promittitur beatitudo, & rerum prosperitas, hi vero deijciuntur & pereunt. Nullus autem hominũ verè est coram Deo iustus: Non iustificatur (inquit) in conspectu tuo omnis viuens. Quare si quis in priori Psalmo legerit de iustis, quòd omnia quæcunq; faciunt, prosperentur, & nouit DOMINVS viam iustorum, sentiat autem se nondum verè esse in suo carne iustũ, existimabit fortasis has iustorum fœlicitates, & benedictiones, ad se nihil pertinere. Recte igitur & oportunè additur hic secundus Psalmus, qui est concio de Christo: vt cognoscamus, quæ sit nostra coram Deo iustitia, & vnde ea sit petenda,

Primum omnium non est dubium, quin hic Psalmus concionetur de Christo filio Dei vnico nostro

serua-

ſerua autore. Quanquã enim Hebræi interpretes, qui poſt aduentũ Chriſti ſcripſerunt in Pſalmos, torquent eum ad Dauidem, tamen alij Hebræi manifeſtè interpretantur eum de vero Meſsia. Et habemus certiora, & firmiora teſtimonia, quòd hic Pſalmus nõ ſit, niſi de Chriſto DOMINO noſtro intelligendus. Apoſtoli enim qui Spiritu ſancto in hunc vſum donati ſunt, vt cœleſtem doctrinam in orbe terrarum diuulgarent, & veras ſententias Prophetarum Eccleſiæ traderent, exponunt hunc Pſalmum perſpicuè de Ieſu Chriſto, filio Dei, ſeruatore noſtro. Act. 4. orant Apoſtoli & texunt precationem ſuam ex hoc Pſalmo. DOMINE, inquiunt, Tu es Deus, qui feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt. Qui per os Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, &c. Et mox. Conuenerunt enim verè aduerſus ſanctum filium tuum Ieſum, quem vnxeras, Herodes ſimul & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, &c.

Acto. 13. Paulus concionatur in Antiochia Piſidię: Deus, inquiens, adimpleuit filijs eorum, nimirum nobis reſuſcitato Ieſu, ſicut & in Pſalmo primo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Heb. 1. Cui dixit vnquam Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et cap. 5. Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt fieret Pontifex, ſed is qui dixerat illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Cum igitur habeamus Apoſtolica teſtimonia, quæ ſunt fundamentum Eccleſiæ, quòd hic Pſalmus intelligendus ſit, de Chriſto filio Dei, ne angelus quidem, nedum impius Rabinus, qui diuerſum doceat, audiendus erit.

Conſtat

Constat autem hic Psalmus 12. versiculis. Et summa eius hæc est. Etsi Reges, Principes & vulgus persequuntur Christum & Euangelion eius, tamen Deus tuebitur Christum suum, & propagabit Euangelion eius in vniuersum orbem terræ, ac opprimet impios persequutores: quare Principes & Reges in hoc studium incumbant, vt & ipsi Christum & Euangelion eius agnoscant, & veram salutem consequantur.

1. *Quare tumultuantur gentes, & populi meditantur euaginationem?*
2. *Conueniunt Reges terræ, & Principes conferunt inter se consilia, aduersus* DOMINVM, *& aduersus Messiam eius.*
3. *Dirumpamus vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*

Initium huius Psalmi figuratum est interrogatione: occasio igitur eius perspicua est. Dauid enim Spiritu sancto excitatus, cogitauit de regno Christi, & de Euangelio eius propagando in orbem terræ: & intellígit, quanta beneficia Christus afferat, per Euangelium suum vniuerso mundo. Interea videt etiam, demonstrante Spiritu sancto, quanto odio, quanto furore, grassaturi sint in Christum & Euangelium eius, non tantùm homines infimæ sortis, sed etiam Principes & Reges. Cum igitur talibus cogitationibus aliquandiu occuparetur secum, erumpit tandem in hanc manifestam vocem. Cùm tanta (inquiens) sint beneficia Christi, cùm tanta sit eius maiestas, quid obsecro est, quòd tam virulento odio inuehantur in eum gen-

tes, Populi, Principes & Reges: cur tam ardenti desiderio cupiunt eum vnà cum Euangelio eius extinctum? Indicunt magno tumultu comicia, instituunt concilia & synodos, consociantur inter se, iungunt fœdera, profitentur se collaturos omnes suas facultates, vires, sanguinem & vitam, vt doctrinam Euangelij radicitus extirpent: palàm affirmant, se nec velle, nec posse Christi & Apostolorum eius vincula, iuga, doctrinam, leges, excommunicationes, & condemnationes ferre. Hoc, inquiunt, noui isti concionatores quærunt, vt nobis è nostra dominatione proturbatis, ipsi rerum gubernacula arripiant. Dirumpamus igitur vincula eorum, quibus nos coërcere volũt, & proijciamus à nobis iugum, quod nobis imponere conantur.

Hîc vides, quæ sit fortuna regni Christi, & Euangelij eius in hoc seculo. Solent ei obsistere & exitium eius moliri, non vnus tantùm & alter homo, sed totæ nationes & gentes: & inter gentes non infimi tantùm homines, sed etiam Principes & Reges. Ac impij à Sathana excitati, persequuti quidem sunt Christum & Euangelium eius in sanctis Patriarchis & Prophetis, ab initio orbis terræ. Postquam autem Christus ipse venit in hanc terram, & emisit Apostolos suos in mundum, Satan effundit omne virus suum, per populos & Principes eorum, in Christum & Ecclesiam eius. Notæ sunt persecutiones Principum Iudaicorum aduersus Christum ipsum: nota est crudelitas gentium aduersus Apostolos, & Euangelion eorum. In actis
Act. 28. Apostolicis Iudæi dicunt ad Paulum de Euangelio: De secta ista notum est nobis, quòd vbiq; ei contradicitur.

eſtur. Et in Iconio fit impetus gentium pariter, & Iu- Act. 14.
dæorum, vnà cum Principibus ſuis, vt lapidarent Paulum & Barnabam.

Notæ ſunt & hiſtoriæ, quæ teſtantur, quanta immanitate Ethnici, & Arriani ſæuierint aduerſus Euangelion Chriſti. Nota ſunt etiam exempla horum temporum, quæ conſilia, quæ comicia, quæ ſynedria, quæ bella, ad extinguendam veram lucem piæ doctrinæ ſuſcepta ſint. De quibus idcirco admonemur, vt non offendamur perſecutionibus, ſed vt in fide Euangelij, & officio pietatis contineamur. Hæc (inquit Ioan. 16.
Chriſtus) locutus ſum vobis, vt non offendamini: alienos à ſynagogis facient vos. Et veniet tempus, vt quiſquis interficiat vos, videatur cultum præſtare Deo, &c.

Deinde conſidera, quàm peruerſè iudicent impij de vera doctrina Euangelij. Hæc enim doctrina eò ſpectat, vt liberet homines, à vinculis peccati, & Satanæ, & à iugo mortis ac inferni. Impij autem, & hoſtes Euangelij, vocant ipſum vinculum, & iugum: ſicut & hoc tempore piam doctrinam vocant hæreſim, & autorem omnis ſeditionis, & rerum perturbationis. Quis igitur erit iudex de doctrina, inter pios & impios? num quia impij hoſtes & perſecutores conſtant ex gentibus, populis, Regibus, & Principibus, & ſuperant pios magnitudine, multitudine, ſapientia, potentia, & autoritate, idcirco Chriſtus deturbabitur è ſuo regno, & Euangelion eius extirpabitur, & Eccleſia eius opprimetur? De hac re audiamus verſiculos, qui ſequuntur.

4. *Qui habitat in cœlis, irridet eos*, & DOMINVS *subsannat eos.*

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.*

Mirandum spectaculum. Gentes fremunt, populi meditantur euaginationem, seu arma exerta, Reges ineunt societatem & fœdera, Principes celebrant comicia, & concilia, vt Christum DOMINI opprimant, & Euangelion eius aboleãt. Interea autem DOMINVS qui habitat in cœlis, irridet conatus & studia eorum, & illudit consilijs atq; fœderibus illorum. Nec hoc tantum loco, sed & aliàs Spiritus sanctus docet, Deum ridere consilia & minas impiorum.

Psal. 36. Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. DOMINVS autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniet dies eius.

Psal. 82. Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Et mox: Pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.

Esa. 8. Confortamini & vincemini, accingite vos, & superabimini, inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum & non fiet, quia nobiscum Deus. Sed quomodo risus Dei in tanta impiorum sæuitia, & crudelitate percipi potest? Petrus & Ioannes, cum in Actis Apostolicis cap. 4. conijcerentur in carceres, quòd adnuntiarent Christum, non viderunt nisi horrores carceris, & minas Pontificum: nec potuerũt sibi

sibi aliquod mitius supplicium à Pontificum ira polliceri, quàm quòd Christo DOMINO erat illatum. Quomodo tunc percipi potuit ab eis, quòd Deus irrideat impiorum consilia? Non potuit percipi sensu carnali, sed FIDE & EXPECTATIONE spirituali. In sæuitia enim & immanitate impiorum, primùm intuendum est FIDE in promissionem Verbi Dei: & considerandum est, non quid aut effutiant aut efficiant impij, sed quid loquatur, quid polliceatur Verbum Dei. Hoc autem affirmat, quòd Deus derideat consilia impiorum, quòd Deus præstò adsit in tribulationibus, inuocantium ipsum in veritate: quòd etsi multæ sint tribulationes piorum, Deus tamen eripiat eos, ex omnibus aduersis, & multa id genus alia. Postquàm enim Deus recõciliatus est nobiscum, per Christum filium suum, teneri non potest, quin afflictum inuocantem ipsum in nomine Christi, summo fauore complectatur, & ipsum in aduersis conseruet. Quare cum Deus non possit esse mendax, & Christus filius Dei non fallat, dubitari non debet, quin sæuitia impiorum non queat vllum veræ salutis incommodum afferre. Deinde non est præscribendum Deo tempus, aut modus liberationis, sed patiẽter EXPECTANDVM, vnde & in alio Psalmo: Expecta DOMINVM, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine DOMINVM. Et apud Esaiam. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Fieri enim non potest, vt spes & expectatio piorum pudefiat, quippe quòd fundata sit in certitudine Verbi Dei. Hoc est quod versiculus huius Psalmi ait. Tunc (videlicet cum DOMINVS reuelaturus est derisum & iudicium suum) loquetur ad impios persequu-

Psal. 26.

Esa. 30.

tores: in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Porrò autem, quò certius cognoſcamus, ſæuitiam impiorũ aduerſus DOMINVM, & aduerſus Chriſtum eius, eſſe vanam, & deriſu potius quàm metu dignam, introducit Spiritus ſanctus, Deum ipſum Patrem, de regno filij ſui, & filium de mandato patris ſui loquentes. Sic enim ſequitur.

6. *Ego autem conſtitui regem meum, ſuper Zion montem ſanctum meum.*
7. *Prædicabo præceptum:* DOMINVS *dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.*
8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ.*
9. *Conteres eos virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringes eos.*

Quod dicitur: Ego autem conſtitui regem meum, &c. Vox Dei patris eſt, concionantis de certitudine, & ſtabilitate regni Chriſti filij ſui. Fremunt quidem gentes, tumultuantur populi, iungunt Reges & Principes fœdera aduerſus Chriſtum meum, & Euangelion eius, nihil autem conatu ſuo promouebunt. Non enim homo quiſpiam, ſiue Patriarcha, ſiue monarcha, non angelus quiſpiam, ſiue Gabriel, ſiue Raphael, ſed EGO, EGO, inquàm, ipſe conſtitui, ordinaui, & conſecraui meum filium Chriſtum, vt eſſet rex ſuper Zion montem ſanctum meum. Ego ipſe decreui, vt Chriſtus filius meus regnum ſuum ſuſcipiat, concionibus, & miraculis adminiſtrandum in vrbe Hyeruſalem, & in monte Zion, & ex eo loco diuulgetur in vni-

vniuersum mundū. Quis autem poterit meam constitutionem, meam ordinationem, & meum decretum abolere? DOMINVS exercituum (inquit Esaias) decreuit: & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta: & quis auertet eam? Et iterum: Consilium MEVM stabit, & omnis voluntas MEA fiet. *Esa. 14.* *Esa. 46.*

Hîc, de Zione & ratione regni Christi, aliquid dicendum est. Nam Zion collis fuit in vrbe Hyerusalem, in quo ædificata fuit arx Dauidis, quemadmodū scriptum est. 2. Reg. 5. & postea extructū est templum. Vnde et mons sanctus vocatur. Dicitur ergo Christus ordinatus à Deo, in Regem super montem sanctum Zion, non quòd dominaturus esset eo loco, pro more mundani regis: Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo: sed quòd in eo loco cōcionaturus esset Euangelion suum, & confirmaturus multis miraculis: Futurum quoq; erat, vt ibi absolueret passionem & resurrectionem suam, qua humanum genus redimeretur à peccatis, tyrannide mortis, & satanæ, ac reconciliaretur cum Deo, & vt in eo etiam loco mitteret Spiritum sanctum discipulis, ac diuulgaret per eos Euangelion suum in vniuersum orbem terræ. Vnde in alio Psalmo dicitur. Virgam virtutis tuæ emittet DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et Esaias: De Zion exibit lex, & verbum DOMINI de Hyerusalem. Cum igitur Euangelion Christi sparsum sit, primùm omnium ex Zion, in omnem orbem, & per Euangelium illud collectæ atq; constitutæ sint Ecclesiæ gentium, manifestum est, quòd non Roma, sed mons Zion seu vrbs Hierusalem dicēda sit mater Ecclesiarum. *Psal. 109.* *Esa. 2.* *Mater Ecclesiæ. non Roma sed*

Quod

Quod autem dicitur: Prædicabo præceptum: DOMINVS dixit ad me, &c. vox Christi filij Dei est, recipientis, se obsecuturum vocationi, & ordinationi Dei Patris. Tu, o sancte Pater, præcipis mihi, vt sim Rex ille Messias, qui in monte Zion, in vrbe Hyerusalem, absoluam expiationem peccatorum, & redemptionem humani generis, ecce igitur tibi obsequentem Filium, adnunciabo hoc tuum præceptum, prædicabo hanc tuam ordinationem inter homines, dicam me non elegisse me ipsum, vt sim tuus filius, & verus Messias, sed teipsum hoc constituisse, & dixisse ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc autem non sic intelligendum est, quòd Christus tum primùm sit genitus filius Dei, cum suscepit in his terris hominem: sed quòd ab æterno sit à Deo Patre suo verus Deus genitus (hodie, enim in hac locutione significat æternitatem, quippe quòd coram Deo æterno, non sit nec præteritum, nec futurum, sed omnia sint hodie, hoc est, præsentia) & quòd suo tempore assumpserit hominem ex virgine, ac declaratus sit publicè, se verum esse Messiam seu Christum, qui humanum genus cum Deo patre reconciliaret, & impetraret hominibus ius adoptionis filiorum Dei. Quod ergo in hoc Psalmi versiculo recitatur, hoc postea cum Christus baptisaretur, & in monte transfiguraretur, Deus pa-
Math.3. ter, de ipso palàm concionatus est: Hic est inquiens,
filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est:
Mat:17. Hunc audite. Et Christus: MEA, inquit, doctrina non
Ioan.7. est mea, sed eius qui misit me. Et iterum: Sermo quem
loquutus sum, iudicabit eum in extremo die, quia ego
ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater,

ipse

ipſe mihi mandatum dedit: quid dicam, & quid loquar, &c. Ac rurſus: Sermo quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius, qui miſit me, Patris. Prædicaui me eſſe æternum filium Dei, prædicaui me eſſe verum illum Meſsiam, qui ſit redempturus humanum genus. Hoc autem non ex meipſo finxi, nec mihi temerè vſurpaui, ſed iam antè hoc mihi mandatum fuit à patre meo datum, in ſecundo Pſalmo, vt prædicarem, me eſſe diuinitus in regem Zionis conſtitutum, & eſſe vnigenitum filium Dei ab æterno. Ioan. 14.

Habes in his duobus verſiculis, tria epitheta Chriſti. Vnum, quòd ſit verus ab æterno filius Dei. Alterum, quòd ſit Rex ſancti montis Zion, hoc eſt, Eccleſiæ Dei. Tertium, quòd ſit prædicator, ſeu concionator, hoc eſt, ſacerdos. Sacerdotis enim eſt concionari, & docere. In filio Dei agnoſcenda eſt omnipotentia, in Rege agnoſcenda eſt gubernatio & defenſio, in ſacerdote agnoſcenda eſt placatio & expiatio peccatorum, atq; reconciliatio cum Deo. Quare ſi credimus in Chriſtum, habemus omnipotentem gubernatorem, & defenſorem, ac propitiatorem, vt iam nihil nobis metuendum ſit, etiamſi fractus illabatur orbis. Quod vero amplius additur: Poſtula à me, & dabo tibi gentes, &c. iterum vox patris eſt, excipientis vocem filij, & promittentis ei pro obedientia eius regnum omnium gentium. Cum enim filius Dei receperit ſe in præcedenti verſiculo obſecuturum præcepto Dei patris ſui, & ſuſcepturum officium prædicandi Euangelij, & redimendi humani generis, teneri non poteſt pater, quin viciſsim compenſet ei hanc obedientiam. Sicut ergo quondam, cùm Abrahamum ſuſciperet, ab obſe-

quendum vocationi Dei, filium ſuum mactandum. Deus tanta obedientia delectatus exclamat: Per memetipſum iurauí, quia feciſti hanc rem, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes: ita & in hoc loco, poſtq̃ audit tam promptam filij ſui obedientiam, cõtinuò effundit in ipſum beneficia ſua, plenis manib. & promittit ei hæreditatem omnium gentiũ. Poſtula inquiens, à me, & dabo tibi pro hac inſigni tua obedientia, hæreditario iure regnũ omnium gentiũ. Dominare à
Pſal. 71. mari (vt alius Pſal. dicit) vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Quod ſi gentes fuerint tibi inobedientes, nec agnoſcent te verum ipſarum dominum, iubeo, opprimas, & conteras eas ferreo ſceptro: & ſicut lutea vaſa, à figulis facta, pedibus conculcari, & facilè confringi ſolent, ita tu rebelles
Eſa. 60. gentes confringes. Gens enim & regnum (vt Eſaias poſtea ait) quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes (tibi repugnantes) ſolitudine vaſtabũtur. Hæc ita recitãtur, perinde ac ſi Chriſtus dominaturus eſſet inter gentes, mundano more, & oppreſſurus inobedientes, corporalibus armis, & externo bello. Sic & in alio
Pſ. 109. Pſalmo, de victoria Chriſti dicitur: DOMINVS à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit in terra capita multorum. De torrente in via bibet, hoc eſt, tantum ſanguinis hoſtium effundet, vt ex eo fiat torrens, ex quo bibere poſſes. Ideo exaltabit caput tanquàm
Iſa. 63. victor & triumphator. Et apud Eſaiam: Saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi, & conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem

tutem eorum. Quid hęc aliud crepare videntur, quàm externa bella & cædes? Sed Chriſtus interpretatur cum dicit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Sicut ergo Chriſtus rex quidem eſt, non eſt autem mundanus, ita accipit dominationem gentiũ hæreditario iure, non mundano ſed cœleſti modo: & bellum gerit contra aduerſarias gentes, non corporalibus, ſed ſpiritualibus armis. Tunc enim accepit hereditatem gentium, & tunc geſsit bellum contra gentes, cum miſit Apoſtolos ſuos in orbem terræ, & collegit Eccleſiam ſuam, per Euangelion, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Euangelion enim de Chriſto, ſceptrum illud ferreum, & gladius eſt, quo Chriſtus gentes ita debellauit, & expugnauit, vt nullum regnum in terris fuerit, ex quo non reportauerit ſua ſpolia. Euangelion (inquit Paulus) prædicatum eſt apud vniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt. *Coloſ.1.* Et paulò antè: Euangelion fructificat in toto mundo. Hoc certè eſt in regno Chriſti, capere gentes, & terminos terræ in hæreditatem, & conterere hoſtes, videlicet prædicare Euangelion inter gentes, & colligere ex eis Eccleſiam Chriſti; vt quotquot crediderint in Chriſtum, ſalutem cõſequantur: qui verò non crediderint, pereant. Sic Petrus & alij Apoſtoli, cõmiſerunt in die Pentecoſtes magnum prælium, cum collegerunt ad Eccleſiam Chriſti circiter ter mille homines. Sic Paulus magnum fecit prælium in vrbe Corinthiorum, cum in ea Euangelion Chriſti ita prędicaret, vt multi agnoſcerent Chriſtum per fidem, & ditarentur per eum omni genere cœleſtium donorum. Quare cum Prophetæ concionantur, de bellis per Chriſtum gerendis, intelligamus ea

gerenda, non gladio corporali sed spirituali, qui est Verbum DOMINI: & gentes in hæreditatem accipiendas, non armis corporalibus, sed cœlestibus, quæ sunt Euangelion de DOMINO nostro Iesu Christo. Cum autem talis ac tantus sit Christus filius Dei, sicut nunc Spiritus sanctus commemorauit, quid faciant Reges, Principes, & gentes, ne & ipsi conterantur, & tanquàm vasa figulina confringantur? Sequitur.

10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini iudices terræ.*
11. *Seruite* DOMINO *in timore, & exultate in tremore.*
12. *Osculamini filium, ne quando irascatur, & pereatis subitò: quia exardescet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt eo.*

Apostrophe, ad Reges & Principes, qua admonentur, vt non insaniant aduersus Christum, & Euangelium eius: sed vt sapiant, & discant Christum filium Dei recte cognoscere. Seruite, inquit, DOMINO in timore, & exultate ei in tremore. Hoc versiculo nonnulli abutuntur, ad stabiliendam dubitationem de gratia, & fauore Dei erga credentes in ipsum. Existimant enim ita seruiendum esse Deo, vt interea timeamus, & dubitemus de voluntate eius erga nos. Timere autem & tremere, hoc loco non est dubitare, sed est colere, reuereri, & obedire. vnde Gen. 31. vocat Iacob Deum timorem Isaac, hoc est, Deum quem Isaac colit, & reueretur. Et Psal. 29. Timent me mandato hominum, hoc est, colunt & reuerentur. Et cap. 11. dicit, Christum repleri Spiritu timoris DOMINI. Nunquid vt Christus dubitet de fauore patris erga se? Nihil minus.

nus, ſed vt colat patrem, & obediat vocationi eius ſumma reuerentia. Quare cum Pſalmus hortatur Reges & Principes, vt ſeruiant DOMINO in timore, & exultent ei cum tremore, exigit, vt colant DOMINVM prompta obedientia, & venerentur eum magna animi reuerentia. Nam quemadmodum pius filius parentem ita veneratur, vt non dubitet quidem de paterno erga ſe affectu: interea autem magno ſtudio curat, vt non offendat animum parentis, inobedientia aut ſceleribus, hoc enim eſt timere parentẽ, & ad ſermones eius tremere, non ſeruili, ſed filiali affectu: ita ſpiritus ſanctus exigit à Regibus & Principibus, imò ab omnibus hominibus, vt concipiant certiſsimam fiduciam de miſericordia Dei propter Chriſtum, & accedant ad thronũ gratiæ, alacri animo, & hilari mente: ſed ita, vt timeant, & tremant, hoc eſt, non vt dubitent de clementia Dei, ſed obediant vocationi Dei, magna cura & reuerentia: ne ignauia & inobedientia ſua tam clementem Deum, & indulgentem patrem ad iracundiam prouocent. Reges autem & Principes tunc dicuntur Deo ſeruire in timore, & exultare ei cum tremore, primùm cum ipſi Chriſtum, & Euangelion eius agnoſcunt. Deinde cum aperiunt portas ſuarum regionum prædicationi Euangelij: & curant, vt Eccleſia rectè doceatur: ac ſummam operam dent, ne vel ipſi, vel ſubditi eorum aduerſus Deum peccent. Et additur: Oſculamini filium, ſic enim legi debet, pro eo quod vetus translatio habet: Apprænhendite diſciplinam. Oſculari autem hoc loco ſignificat, approbare, fauere, & grato animo excipere. Oſculetur me (inquit canticum Salomonis) oſculo oris ſui, hoc

est, approbet regnum meum, & faueat ei. Sic & hoc loco cum spiritus iubet Reges & Principes osculari filium, iubet eos agnoscere Christum filium Dei, & fauore suo prosequi Euangelium eius, ac omnem suam operam eo conferre, vt gloria Dei promoueat, & Ecclesia Christi salutem consequatur. Etsi enim Ecclesia conseruatur diuinitus, nec sustentatur humana ope, tamen Spiritus sanctus vult, vt & Principes populorum, conferant studium suum, ad conseruandam Ecclesiæ salutem, ne audiant, quod Mardochæus Regi-
Est.4. næ Esther recitat: Si nunc siluueris, liberabuntur Iudæi per aliam occasionem. Tu autem & domus patris tui peribitis: Non enim dubito, quin ad hunc vsum ad regnum veneris, &c.

N. Vides aũt ex his versiculis, nõ tantũ Episcoporũ, verumetiã regũ & Principũ officiũ esse, vt cognoscãt de vera doctrina in ecclesia Christi: & curẽt, vt nõ tantũ priuatim ipsi pietatem sectentur, sed etiam vt populus Deũ recte colat, & summa eum reuerentia veneretur.

Porrò quod additur: Ne pereatis subitò, quia exardescet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt eo: plane illud ipsum est, quod Christus ipse postea, cũ in hunc mundum venisset, exposuit. Non misit, inquiens, Deus filium suũ in mundũ, vt condemnet mundũ, sed vt mundus seruetur per eum. Qui credit in eum, habet vitam æternã, qui non credit, iam condemnatus
Ioan.3. est. Et Ioannes Baptista: Qui credit Filio, habet æternam vitam, qui non credit, ira Dei manet super eum. Et Paulus Rom.10. Qui confidit in eum, nõ pudefiet.

VSVS PSALMI.

Etsi suus singulorum penè versiculorum vsus iam aliquo modo ostensus est, tamen addamus etiam generalem

ralem Psalmi huius vsum. Cõcionatur autem Psalmus de persecutionibus aduersus Christũ, & Euangelion eius: ac docet, regnum Christi constare, etiam in medio inimicorum eius. Vtamur igitur hoc Psalmo.

1. Aduersus offendiculum, quo perturbamur, cum audimus, Iudęos horrendis blasphemijs insectari Christum, & cupere nomen eius extinctum. Quid enim est, quòd Deus tolerat in Iudæis tantas blasphemias? Non tolerat, quòd approbet, sed tolerat, quòd scriptũ sit. Gentes & populos sæuituros aduersus Christum, donec veniat nouissimus dies.

2. Contra offendiculum, quo imbecilles sollicitantur approbare impietatem Mahumeticam seu Turcicam, propterea quòd Turca reportet multas insignes victorias à Christianis, & insultet victis. Vbi est, inquiens, Christus tuus? cur te non adiuuat? Cogitant igitur imbecilles fide, quòd si religio Mahumetica non esset verè pia, professores eius non essent tam fortunati. Sed huic offendiculo medetur hic Psalmus. Sic enim iam olim à Spiritu sancto definitum est, fore, vt Christus & Euangelion eius cõculcentur à gentibus, populis, Regibus & Principibus.

3. Contra offendiculum, quo abiecti homines excitantur, vt existiment, Euangelion Christi, non esse verum Euangelion, propterea quòd vident Pontifices, & magnum numerum principum, non solum, non agnoscere, verumetiam persequi Euangelion: & magnam partem Christianorum non tantum contemnere, sed etiam abominari piam Euangelij doctrinam, & turpissimam vitam ducere.

Et omnino generaliter prodest hic Psalmus, aduersus omnia offendicula, quæ oriri solent ex cruce, passione

sione & aduersis, quæ acciderint in hoc seculo, tam Christo ipsi, quàm Ecclesiæ eius. Sic enim iam olim dictum & definitum est, quòd oporteat, & Christum, & ecclesiam eius pati. Sed quemadmodum Christus est victor omnium passionum, ita & vera eius Ecclesia erit victrix. Quare feramus passiones obedienter, & perduremus in officio pietatis, vt vnà cum Christo triumphemus.

Psalmus tertius,

DOMINE quid multiplicati sunt, &c.

In Monasterio ad blauum fontem, die 29. Augusti, Anno 1556. explicatus.

VAria sunt Psalmorum argumenta. Alius est doctrina Decalogi, alius doctrina Euangelij, alius exhortatio vel ad fidem, vel ad aliud genus virtutis, alius gratiarum actio, alius precatio, alius querela. Hic autem Psalmus tertius est confessio fidei constantis in afflictionibus: & precatio pro defensione aduersus hostes, siue corporales, siue spirituales. Quanquàm enim inscriptio significat, Dauidem tum primùm ad hanc precationem excitatum esse, cùm à filio suo Absolone

ſolone è regno eijceretur, & in exilium proficiſceretur, quæ hiſtoria ſcripta eſt 2. Reg. 15. tamen res ipſa teſtatur, quòd Dauid non diſsimilia precatus ſit, cum circumdatus eſt, vel à ſatellitibus Saulis, vel à Philiſtinis, aut alijs hoſtibus: & quòd ſit precatio vniuerſæ eccleſiæ, tam publicè quàm priuatim, qua petitur defenſio contra omnes hoſtes pietatis, ſiue illos externos & mundanos, ſiue rectores tenebrarum, & ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Summa enim huius Pſalmi hæc eſt. Multi quidem impij hoſtes affligunt me, multi aduerſarij adoriuntur me crudeliter, & minantur mihi, non ſolùm temporarium, ſed etiam perpetuum exitiũ. Ego vero nihil mihi metuo ab eis, etiamſi eſſent multæ myriades. Quid ita?

1. Quia DOMINVS Deus ſcutum meum eſt.
2. Gloria mea eſt.
3. Exaltat caput meum.
4. Exaudit me cum inuoco eum.
5. Suſtentat me, ſiue eam cubitum, & dormiam, ſiue iterum ſurgam: ſiue viuam, ſiue moriar.
6. Percutit in maxilla omnes aduerſarios meos, & conterit dentes eorum.

Quare non dubito, quin DOMINVS ſit me in medio omnium inimicorum meorum conſeruaturus.

1. DOMINE *quàm multi ſunt, qui affligunt me? quàm multi inſurgunt aduerſum me?*
2. *Quàm multi dicunt animæ meæ: Non eſt ei ſalus in Deo.*

Deſcriptio grauiſsimæ tentationis. Primùm enim perſequuntur me, nõ vnus aut alter tantùm, ſed MVL-

TI. Et cum ter faciat mentionem MVLTORVM, ſignificat ſe affligi, non à decem tantùm aut viginti aduerſarijs, ſed à multis myriadibus q. d. Perſequuntur me non vnum tantùm genus hominum, ſed comitia Principum, Synodi ſeu concilia Pontificum, cœtus populorum, adeoq; ſupremi & infimi. Deinde non ſimpliciter dicit: Multi habent me odio, ſed affligunt me, & inſurgunt aduerſum me. Si eſſent homines abiectæ ſortis, & proſequerentur me ira, & odio, poſſem fortaſsis contemnere: cogitarem enim vanam eſſe ſine viribus iram, & negligerem caniculæ latratum, aut muſcæ infeſtationem. Nunc autem qui me odio habent, tanta ſunt potentia, vt quod animo inſtituunt, rebus perficere queant. Sic enim me odio habent, vt etiam me perſequãtur, & affligant: Eiſciunt me in exilium, armati quærunt me ad necem: nec dubium eſt, quin ſi me caperent, diſſecarent. Poſtremò rebus per ſe aſperis addunt verba aſperiora, & grauiora. Dicunt animæ meæ: Non eſt ei ſalus in Deo. Non ſolùm enim proſcribunt me, vt nuſquàm habeam tutum locum in terris, verùm etiam condemnant me publicis decretis, tanquàm hæreticum, & affirmant, me abiectum eſſe à Deo: ac non homines tantùm, verùm etiam Deum ipſum ita me odiſſe, vt non pateat mihi aditus in regnum cœleſte. Hæc aduerſariorum meorum vox & ſententia, non ſonat mihi tantùm in auribus corporis, ſed etiam in auribus animæ. Hæc ita dicunt, vt penetrent intimos receſſus, & latebras cordis. Sic enim triſtis animus affectus eſt, vt ſi ei interdicitur terra, exiſtimet ſibi etiam cœlo interdictum: & quod homines potentes ſapientes, docti & ſancti aſſeuerant, putet

tet esse oraculum Spiritus sancti, & à Deo ipso pronunciatum.

Quod autem Dauid in his duobus versiculis conqueritur, hoc etiam potuit conqueri dominus noster Iesus Christus, qui vt est caput ecclesiæ, ita expertus est omnia genera hostium: hoc possunt conqueri omnes credentes in Christum. Habes tentationem seu afflictionem. Audiamus nunc fiduciam, & consolationem.

3. *Sed tu* DOMINE, *scutum meum, gloria mea, & exaltator capitis mei.*
4. *Voce mea ad* DOMINVM *clamo, & exaudit me de monte sancto suo.*
5. *Ego eo cubitum, & dormio, & surgo, quia* DOMINVS *sustentat me.*
6. *Non timeo myriades populorum, qui vndiq; me circundãt.*

Quas tentationes, & afflictiones, in superioribus versiculis commemorauit Psalmus, sunt ignita iacula Satanæ. Inspiciamus igitur, quo scuto, quo clypeo hæc iacula excipiat. Tu DOMINE, inquit, scutum meum. Non in hoc tantùm loco, sed etiam aliàs sæpe tribuit DOMINO Deo nostro cognomẽ scuti seu clypei, vt 2. Reg. 22. DOMINVS scutũ meũ, & cornu salutis meæ. Et iterũ: Scutũ est omniũ sperantiũ in se. Et Psal. 27. DOMINVS adiutor meus, & protector meus. Pro (protector) Hebræus habet, scutum. Sicut & Psal. 143. Misericordia mea, & refugiũ meũ, susceptor meus, &c. hoc est, scutum meũ. Sciamus igit, quòd DOMINVS Deus noster dicatur scutum, non solùm

hoc nomine, quia ſuſcipit credentes & ſperantes in ipſum, tuendos & protegendos, verùm etiam, quia tuente, & protegente, eo, nihil eſt nec in cœlis, nec in terris, nec in inferis, quod nocere, & veræ ſalutis incommodum afferre poſsit. Si Deus (inquit Paulus) pro nobis (hoc eſt) ſi Deus eſt ſcutum noſtrum, quis contra nos. Contorqueat in nos Satan tela, vel paupertatis, vel infirmitatis, vel mortis, vel etiam perpetuæ condemnationis, Deus eſt ſcutum noſtrum: quia Deus eſt qui ditat, qui ſanitati reſtituit, qui viuificat, qui & perpetuò ſaluat. Quare cũ obijcimur aduerſis, aſſumendum eſt hoc ſcutum per fidem, vt poſsimus, ſicut Paulus loquitur, omnia ignita tela nequiſsimi extinguere.

Rom. 8.

Epheſ. 6.

Deinde vocat Deum gloriam ſuam. Gloria alias dicit vel honor, quo benemeritus afficitur: vel fama, quæ de homine virtutibus ornato, & benemerito ſpargitur. In hoc autem loco gloria pro virtutibus ipſis glorioſis ſumitur. Dicit ergo Deum eſſe gloriam ſuam, propterea quòd quas Deus habet virtutes, eas omnes in vſum, & ſalutem piorum ita conferat, vt ipſis confidere, & de ipſis gloriari, queant. Magna virtus Dei eſt clementia, & miſericordia: hæc virtus pijs ita expoſita eſt, vt poſsint gloriari, ſe habere Deũ miſericordem & clementem. Inſignis Dei virtus eſt omnipotentia: hæc virtus eſt gloria piorum, quia Deus hac ita vtitur, vt pij in omnibus ſuis aduerſis, mirabiliter ſeruentur, & glorioſe liberentur. Egregia virtus Dei eſt iuſtitia: ſed hæc virtus non eſt tantum gloria Dei, verùm etiam gloria piorum, quòd Deus reputet etiam ipſos iuſtos. Denique Deus eſt omne bonum, vnde

de & nomen τοῦ ἀγαθοῦ sortitus est: quæ etsi propria est gloria Dei (nemo enim bonus, nisi solus Deus) tamen hanc gloriam cum pijs ita communicat, vt possint & debeant sibi de bonitate Dei, bona quæuis polliceri & sperare, eoq; nomine gloriari. Gott *corrupta dictio ab* ἀγαθοῦ.

Præterea Dauid vocat Deum exaltatorem capitis sui. Fuerat enim Dauid fratrum suorum minimus (hoc est) abiectus, & quasi capite diminutus: & tamẽ Deus exaltauit caput eius, ac prętulit eum omnibus fratribus suis. Agebat pastorem ouium, quòd videbatur officium vilissimum. Deus autem abduxit eum ab ouium caula, ad regis aulam. In aula citharam pulsabat, sed Deus deducit eum à plectro ad sceptrum. Vagabatur in exilio, incertis sedibus: sed Deus reuocat eum ad thronum Regium. Hoc verè est deiectũ caput exaltare. Nam, hoc est, ingenium Dei, quòd deijciat superbos, & exaltet humiles, ac deiectos. Quare cum Dauid antea sæpè reipsa expertus sit, Deum esse exaltatorem deiectorum, sperat se in præsenti quoq; afflictione, qua vel à suo ipsius filio è regno eijciebatur, vel alio calamitatis genere opprimebatur, diuinitus liberandum & exaltandum. Talis exaltator est Deus erga filium suum DOMINVM nostrũ Iesum Christum, similiter omnium credentium in Christum.

Deinde sperat etiam hoc nomine salutem in medio inimicorum suorum, quòd habeat Deum tam propicium, vt quoties eum inuocat, exaudiat eum de monte sancto suo. Montem sanctum vocat, vel cœlum, in quo Deus habitare dicitur, iuxta illud. 2. paral. 6. Tu exaudies de cœlo, firmissimo habitaculo tuo. Et Psal. 56. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefe-

cit mihi. Misit de cœlo & liberauit me, &c. Vel montem Zion, in quo arca propitiatorij à Dauide collocata, & postea templum à Salomone excitatũ fuit. Arca enim propitiatorij erat in populo Israël diuinitus instituta, quemadmodum scriptum est Exod. 25. vt & DOMINVS ex eo oracula daret, & publica sacrificia in eo loco, in quo erat arca posita, celebrarentur, & Israëlitæ Deum publicè inuocaturi, ad eum locum in exilio respicerent, 3. Reg. 8. Adumbrauit autem DOMINVM nostrum Iesum Christum, sicut Paulus Ro. 3. exponit. Quare cum dicitur, precaturos Deum, debere inuocare eum Deum, qui habitat in monte sancto Zion, & Deum precantes exaudire in monte sancto, vbi erat arca propitiatorij, significat, Deum inuocandum esse in nomine Iesu Christi, & Deum exaudire inuocantes propter Christum: adeoq; plane illud est, quod Ioannis 16. dicit Christus ipse: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Ioan. 16.

Adhæc Dauid consolatur se in medio inimicorum suorum ex eo, quòd habeat DOMINVM sustentantem, & conseruantem ipsum, siue eat cubitum, & dormiat, siue euigilet & cubitu surgat: siue viuat, siue moriatur, hoc est, in omnibus vijs & actionibus suis, in omnibus prosperis, et aduersis. Pij enim DOMINO Deo ita curæ sunt, vt etiã capilli capitis eorũ, sint corã eo numerati, & sicut passer nõ cadit super terrã sine Deo patre, ita Deus omnia, quæ pijs accidere solent, gubernat. Siue viuimus, inquit Paulus, siue morimur, DOMINI sumus. Quare etsi Dauid tenetur compræhensus in medio inimicorum suorum, tamen cum DOMINVS sit, scutum

Rom. 14.

scutũ & gloria eius, & exaltator capitis eius, atq; exaudiat ipsum cũ inuocat eum, tueaturq; eum in omnibus actionibus eius, verè exclamat, quod additur & sequitur: Non timeo myriades populorum, qui vndiquaq; me adoriũtur, & in me grassantur. Sed quomodo potuit (inquiet quispiam) Dauid sic de Deo gloriari, & in medio inimicorum confidere, cum fuerit peccator, qua fronte audet sibi polliceri de Deo, quòd sit scutum, & gloria sua, cum sciat, se odium inimicorum, exilia, & alias calamitates, propter peccata sua meritum? exulat ab aula Regis Saulis, & quæritur ad necem. Etsi autem non designauerat aduersus Saulem tantum malum, cur exularet & occideretur, tamen fatetur ipse: Non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Et: si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Eiicitur è regno à suo ipsius filio, & nouit, se hoc supplicium propter adulterium & homicidium esse meritum. Quomodo ergo potest confidere in medio inimicorum suorum, quòd DOMINVS sit protector, exauditor & sustentator eius? Etsi in hoc studium semper cuiq; incumbendũ est, ne patiatur, vt homicida aut fur, aut maledicus, aut ἀλλοτριοπίσκοπος, quemadmodum Petrus loquitur, tamen siue quis innocens coram hominibus, siue nocens patiatur, non est in inuocatione Dei confidendum humana iustitia, & innocentia, sed tantùm iustitia DOMINI nostri Iesu Christi, qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Quare Dauid, etsi conceptus est in peccato, & meritus est sceleribus suis supplicia, tamen quia resipiscit, agnoscit peccata, & reiicit expiationem eorum in semen Abrahæ, & in filium sibi promissum,

1. Pet. 4.

1. Cor. 1.

missum, hoc est, in Christum, idcirco inuocat Deum, vt Scutum, vt protectorem, vt sustentatorem suum, alacri & plena fiducia. Accedit ad Deum non inebriatus opinione suæ ipsius iustitiæ, qui sunt mores Hypocritarum, sed fide iustitiæ Christi, qui ex posteritate sua venturus erat: & confidit Deum patrem cœlestem esse scutum, gloriam, exaltatorem, exauditorem, & sustentatorem suum, nõ propter vlla sua ipsius merita, sed tantùm propter Christum, quem solum agnoscit suam expiationem, & propitiationem, de quo in alio Psalmo dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

7. *Exurge* DOMINE, *Serua me Deus meus, quoniã percutis omnes inimicos meos, in maxilla dentes impiorum conteris.*

In hoc versiculo. Vbi nos vertimus: Percutis omnes inimicos meos in maxilla, pro (in maxilla) vetus trãslatio habet (sine causa). Existimo autem interpretem, pro לֶחִי Lehi, quod significat maxillam, legisse לָרִיק Leriq. quod significat in uanum, aut frustra, seu sine causa. Ac fortasis interpres putauit, se virgulam supra Iod videre, quæ significet deesse literam quff: & Heth nõ habere appendicem, sed esse literam Res, hoc videlicet modo לרי.

Querelam ergo, & confessionem fidei sequitur precatio. Non potest enim precatio ad thronũ gratiæ peruenire, nisi ex fide. Fidẽ aũt confirmant promissiones, quas subijciunt, & in memoriã reuocant epitheta, scuti, exaltatoris, exauditoris, sustentatoris, & alia, quæ in supe-

in ſuperioribus, verſiculis de Deo ſunt recitata. Et vt precator fidem ſuam amplius confirmet, addit: Quoniam percutis, omnes inimicos meos in maxilla, & dentes impiorum conteris. Intelligit autem nomine maxillæ & dentium, potentiam, & crudelitatem, & immanitatem ſuorum aduerſariorum. Sicut enim fæuiæ, & iratæ beſtiæ, Leo (exempli gratia) aut Vrſus, aut Lupus, graſſantur, præſertim famelici, aperto rictu, diductis maxillis, & exertis dentibus in obuios ſeu homines ſeu beſtias, vt eas crudeliter dilanient: ita hoſtes piorum expediunt omnem ſuam potentiam, & immanitatem ad opprimendos pios.

Pſal. 21. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens.

Et iterum: Salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Promiſit autem Deus, ſe fore tutorem piorum in omnibus aduerſis, & contra omnes ipſorum hoſtes.

Deut. 20. DOMINVS Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.

Deut. 28. Dabit DOMINVS inimicos tuos, qui conſurgent aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo.

Leuit. 26. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſq; eritis populus meus.

Quare cum Dauid addit precationi ſuæ, quòd DOMINVS percutiat inimicos ſuos in maxilla, & conterat impiorum dentes, commonefacit ſe harum promiſſionum, vt maiori animi fiducia Deum inuocet. Concipit autem fiduciam non tantùm ex promiſſionibus

Dei, verùm etiam ab exemplis, quæ Deus in ipso clementer hactenus ediderat. In 1. Reg. 17. dicit: DOMINVS, qui eripuit me de manu Leonis, & de manu Vrsi, ipse me liberabit de manu Philistæi huius. Et 2. Reg. 7. ait DOMINVS ad Dauid: Fui tecum in omnibus, vbicunq; ambulasti: & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua, &c. Sic & Paulus 2. Cor. 1. concipit fiduciam de futura liberatione, ab exemplis priorum liberationum: Deus est, inquiens, qui ex tanta morte eripuit nos, et eripit, in quo spem fixam habemus, quòd & posthac erepturus sit.

Cæterum cum dicitur DOMINVS percutere maxillas hostium, & conterere dentes impiorum, non sic intelligendum est, quòd impij in quauis persecutione, qua fæuiant in pios, conterantur, & opprimantur semper diuinitus, externo, mundano, aut etiam coram mundo admirando modo, sicut perijt Pharao cũ exercitu in mari rubro, & conciderũt muri Iericho, & oppressus est Goliath à Dauide: aut sicut manus regis Ieroboam exaruit, cum extenderet eam, & iuberet Prophetam DOMINI comprehendere: aut sicut descendit ignis de cœlo, & deuorauit quinquagenarios, qui instituerant capere Prophetam Eliam. Etsi enim Deus solet aliquoties mirando modo pios è manibus impiorum in hoc seculo liberare, & impios horribiliter punire, tamen solet & hoc euenire, quod Hieronymus admiratur: Via, inquiens, impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt. Et Abacuc: Quare, inquiens, respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Non est igitur sentiendum, quòd Deus dentes impiorum semper ita conterat,

conterat, vt pij reportent externam, & visibilem seu mundanam victoriam: sed quòd pij semper spirituali, & cœlesti modo in medijs aduersis liberentur: vt etiamsi impij opprimant ipsos externa crudelitate, & adimãt eis hanc corporalem vitam, tamen pij in morte ipsa, ad veram & æternam vitam seruentur, & impij perpetuò intereãt. Sic Abel seruatus est, cum trucidaretur à fratre suo Cain. Sic seruati sunt Prophetæ, & Apostoli, cum occiderentur ab impijs suis persecutoribus. De hac re Christus dicit: Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam verò occidere non possunt.

8. DOMINI est *salus, & super populum tuum benedictio tua.*

Epiphonema, quo Dauid accommodat priuatum suum exemplum vniuersæ ecclesiæ Dei. Sententia enim eius hæc est. Ego hactenus professus sum, quòd Deus sit scutum meum, gloria mea, exaltator capitis mei, exauditor precum mearum, & sustentator ac defensor meus, Non est autem sentiendũ, quòd Deus sit tantùm erga me talis, tamq; liberalis seruator, sed est etiam talis erga vniuersum populum suum. DOMINI enim siue apud DOMINVM est salus, apud DOMINVM est benedictio. Nec est ita apud DOMINVM, vt eam sibi tantùm retineat, aut cũ paucis tantùm communicet: sed communicat salutem, & benedictionem suam cum vniuerso populo suo. Primùm ergo nomine Benedictionis hoc loco intelligas nõ tantùm bonam optionem, quæ verbis fieri solet, sed maximè omnium

eam benedictionem, de qua extat promissio ad Abrahamũ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hîc per benedictionem intelligenda sunt omnia cœlestia bona, quæ Christus nobis impetrauit, videlicet Deus propitius, remissio peccatorum, iustitia, liberatio ex omnibus periculis, conseruatio in morte, & hęreditas cœlestis regni.

Deinde cum dicitur, apud DOMINVM esse salutem & benedictionem, admonemur, vt non quæramus salutem, & benedictionem nostram, vel apud homines in his terris, vel apud sanctos in cœlis: sed tantùm apud DOMINVM Deum nostrum, in nomine Christi filij sui.

Postremò cùm additur, super populum suum, significat, salutem & benedictionem Dei, non ad vnum tantùm & alterum hominem, sed ad vniuersam ecclesiam Dei pertinere. Quare in hoc vnum studium incumbendum est, vt simus membra veræ ecclesiæ Dei, per fidem in Christum filium Dei. Sic enim fiet, vt & Deus nobis faueat propter Christum, & audeamus firma fiducia, atq; alacri mente, inuocatione nostra ad thronum gratiæ eius accedere, & certam ab ipso salutem, & benedictionem expectare.

VSVS PSALMI TERTII.

Hic Psalmus vtilis est ad consolandum imbecillem animum in omnibus aduersis, & afflictionibus. Sunt enim varia genera hostium, quibus affligimur. Vnum genus est externorum hostium, ac eorum hominum, qui insidiantur non fortunis tantùm nostris, sed etiam vitæ nostræ. Si quis ergo hoc genere hostium affligi-

tur,

tur, properet ad hunc Psalmum, & inueniet in eo consolationem.

Alterum genus est externarum calamitatum, vt morborum, egestatis, direptionis facultatum, incendiorum, & aliarum id genus ærumnarum. Quisquis ergo his aduersis perturbatur, sumat hunc Psalmum in manus, & recitet eum ex fide, vt perturbationi animi sui medeatur.

Tertium genus est spiritualium hostium, videlicet peccati, Satanæ, mortis, & dolorum inferni. Hæc est afflictio longè omnium grauissima. Quare si quis tentatur in conscientia sua, quòd peccata sua sint maiora, quàm quæ à Deo remittantur, quòd propter peccata sua tradendus sit potestati Satanæ, vt æterna morte pereat, & in ignem inferni cõijciatur, is suscipiat hunc Psalmum orandum, vt Spiritus sanctus habeat organon, quo fidem eius confirmet, & eum in officio pietatis conseruet.

Psalmus quartus,

Cum inuocarem exaudiuit, &c.

In Monasterio Bebenhusen, die 8. Nouemb. Anno 1556. explicatus.



Hic Psalmus habet autoritatem, non solùm hoc nomine, quòd contineatur in Scriptis Propheticis, & inscribatur Dauidi, verum etiam quòd mentio eius fiat in Scriptis Apostolicis. Paulus enim hortaturus Ephesios, vt non laxent frena cupiditati iracundiæ, vtitur testimonio, & versiculo huius Psalmi: Irascimini, & nolite peccare. *Ephes.4.*

Inchoatur autem & concluditur precatione: sed interea reprehendit Epicureos, qui omnes vitæ suæ rationes eò dirigunt, vt ducant in bonis, sicut Iob loquitur, dies suos, & fruantur mundana fœlicitate: ac si quid aduersi inciderit, non quærunt inuocatione sua diuinam opem, nec expectant auxilium cœleste, sed erumpunt in execrationes, properant in paupertate aut negotiatione ad impostu*ras, & ad periuria: in morbis ad magiã & incantationẽ: in repulsa ad amarulentiam, & virulentiam: in malorum affectione ad priuatam vindictam, deniq; vel ad Satanam ipsum potius, si modò spes aliqua liberationis ab ipso affulgeat, quàm ad DOMINVM Deum confugiunt. Reprehendit igitur

Iob.21.

Flectere si nequeo, superos Acheronta mouebo.

igitur Psalmus hanc Epicureicã impietatem: & commemorat, quæ officia in aduersis sint præstanda, vt veram habeamus tranquillitatem.

1. *Cum inuoco, exaudi me Deus iustitia mea, in angustia dilata me, miserere mei, & exaudi orationem meam.*

Precationes Psalmorum non sunt tam oscitanter inspiciendæ, vt existimemus, eas esse tantùm personales, & pertinere duntaxat ad Dauidem, vel alium vnum & alterum Psalmi autorem: sed sentiamus, singulas precationes esse singulas promissiones Dei, & cohortationes, quibus Spiritus sanctus instituit etiam nos excitare, vt confidamus clementia Dei in aduersis, & inuocemus nomen Dei. Sic enim Psal. 49. dicitur: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Et apud Ioëlem cap. 2. Omnis qui inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Et Christus Math. 7. Quisquis petit, accipit: & quicunq; quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Quare cum initio huius Psalmi Dauid dicit: Cum inuoco, exaudi me, &c. idem est, ac si diceret: Deus exaudit inuocantem, dilatat angustum, miseretur miseri, & exaudit orantem.

Deinde precator vocat Deum iustitiam suam. Sciamus igitur Deum esse nostram iustitiã, primùm quòd iustificat, hoc est, absoluit nos à nostra iniustitia, propter Christum filium suum, si in eum credimus, & tuetur nos propter ipsum iuste ac probè in omnibus aduersis, atq; exaudit propter eum preces nostras. Promisit enim, se in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicturum omnes gentes: quo dicto promisit, se omnes

se omnes eos, qui credunt in Christum, summo fauore prosecuturum: vt & remittat eis peccata, & exaudiat eorũ preces, ac defendat ipsos in omnibus afflictionib. propter Christũ. Iusti autem & probi est, seruare quod promisit. Quare Deus recte dicit nostra iustitia, quòd quæ in Christo promisit, fideliter & constanter impleat. Deinde dicitur etiam nostra iustitia, quòd cum credimus in Christum, donat nos Spiritu sancto, vt pugnemus cum peccato, & obediamus iustitiæ. Etsi enim non possumus in hac mortali vita perfectam in operibus nostris iustitiam præstare, tamen grata est Deo obedientia nostra propter Christum, in quem credimus, & in quo habemus non tantùm condonationem imperfectionis nostræ, verùm etiam abundantiam omnis iustitiæ coram Deo. De plenitudine eius, inquit Ioannes, nos omnes accepimus. Et 1. Cor. 1. Christus factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.

Ioan. 1.

Præterea cum dicitur. In angustia dilata me, sumpta est metaphora ab externis locis. Sicut enim qui sit captiuus, cõstringitur vinculis, & conijcitur in angustum locum, si verò è captiuitate liberatur, deducitur ex angusto loco, in loca spacioſa & latè patentia. Ita qui in animo suo affligitur, dicit esse animo angusto, hoc est, exiguo & contracto: cum autem accipit consolationem, & afficitur gaudio, tunc animus dicitur dilatari, & quasi ex angusto carcere in latum, & liberum campum deduci. Latini dicunt, in tristitia cõtrahi frontem, in lætitia autem exporrigi frontem. Phrasis autem sacræ Scripturæ, vtitur verbo dilatandi, & latitudinis, pro lætari, & lætitia. Esa. 60. Dilatabitur,

bitur, hoc eſt, lætabitur cor tuum, quando fuerit ad te conuerſa multitudo maris. Et Pſal. 17. Eduxit me in latitudinem, hoc eſt, lætitiam.

Sed nec hoc oſcitanter conſiderandum eſt, quòd additur in hac precatione: Miſerere mei. Quoties enim Pſalmi appellãt miſericordiam Dei, ſentiendum eſt, quòd abiiciant omnia hominum merita, & celebrent gratuitam tantum clementiam Dei. Itaq; mentione miſericordiæ diuinæ in precibus, ſemper ſubintelligendum eſt illud apud Danielem cap. 9. Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.

2. *Filij hominum quouſq; gloria mea erit opprobrio? Diligetis vanitatem? Quæretis mendacium.*

Pro (filij hominum) Hebræus habet, filij viri, ſeu filij Principum, vt filij hominum ſint homines vulgares: filij autem viri ſint Principes populi, iuxta Pſal. 48. Quiq; terrigenæ, & filij hominum. Pro quo in Hebræo habetur, ſiue filij hominum, ſiue filij viri, hoc eſt, ſiue vulgares homines, ſiue Principes. Eſt & hæc Hebræa phraſis, filij hominum pro hominibus: filius mortis, pro morti deſtinato: filius iniquitatis, pro homine iniquo. Cum autem Chriſtus dominus noſter vocatur filius hominis, mutuatum eſt è Daniele cap. 7. Ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, &c.

Vbi nos tranſtulimus: Quouſq; gloria mea erit opprobrio, ibi vetus ęditio habet: Vſq; quò graui corde, vt quid diligitis, &c̃. Hæc autem lectionis varietas venit ex eo, quòd pro כְּבֹדִי לִכְלִמָּה Cebodi Lichlimma,

limma, quod significat, gloria mea ad ignominiam, vetus interpres diuisit vocabulum לִכְלִמָּה Lichlimma in duas dictiones, & pro לְכ legit לֵב Leb, quod significat cor. Nam כָּבוֹד Cabod, significat tam gloriã, quàm grauitatem, & postea לָמָּה Lamma, significat quare. Itaq; pro quousq; gloria mea ad ignominiam, translatum est, vsq; quo graui (vel graues) corde quare diligitis, &c.

Facit autem Psalmus in hoc secundo versiculo Apostrophen, à precatione ad exprobrationem impietatis Epicureorum. Hi enim vt non agunt gratias Deo, in rebus prosperis, ita non inuocant Deum in aduersis: sed contemnunt Deum, & loquuutur contumelioſe de Verbo Dei, siue voce annuntietur, siue Psalmis recitetur, siue Psalterijs, aut alijs instrumentis Musicis cantetur. Interea autem si prospera acciderint, confidunt sua potentia, sapientia, opulentia, sanitate, amicitia, & societate: quæ etsi sunt dona Dei, nobis in legitimum vsum concessa, tamen si quis ijs confidat, non sunt nisi vanitas, & mendacium, quæ non possunt hominem è periculis liberare. Si verò aduersa contigerint, confugiunt vel ad humana auxilia, vel ad illegitima ac Satanica sacra, quæ & ipsa sunt vanitas, & mendacium, quippe quòd tantùm absit, vt hominem in aduersis iuuent, vt potius eum in grauiora aduersa, adeoq; in perp[illegible]tuum exitium conijciant. Reprehendit ergo Psalmus impietatem eorum, & damnat studia ipsorum. Filij hominum, (inquiens) hoc est, vos Principes populi, quousq; gloria mea erit vobis opprobrio? Gloriam suam vocat, vel Deum ipsum, si-

cut

cut in ſuperiori Pſalmo: TV DOMINE, ſcutum meum es, & gloria mea: vel verbum Dei, quod Deus magna gloria, & multis miraculis in populo Iſraël patefecit: vel etiam Pſalterium, quo Dauid Pſalmos ad gloriam Dei, & eruditionem atq; conſolationem afflictorum cecinit. Sic Pſal. 29. Vt cantet tibi gloria mea, hoc eſt, Pſalterium meum. Et Pſal. 56. Exurge gloria mea, exurge Pſalteriũ, & cythara. Senſus igitur eſt: Quouſq; tandem vos Principes contumelioſe loquimini de Verbo Dei? Quouſq; faſtiditis, & deprauatis pia carmina, quę ex Verbo Dei ad doctrinam, & conſolationem hominum cantari ſolent? Et quis tandem erit aut finis aut modus veſtræ vanitatis ac mendacij? ſi quid aduerſi acciderit pijs, ridetis fiduciam eorum, quam habent in promiſsiones Dei: & applauditis veſtræ fœlicitati, perinde ac ſi Deus deſeruiſſet pios, & à parte tantùm veſtra ſtaret: ſi verò vobis aliquid aduerſi acciderit, non eſt ibi vlla vel fiducia, vel inuocatio nominis Dei, ſed ſollicita inueſtigatio aut humani aut diabolici auxilij. Hoc enim eſt diligere vanitatem, & quærere mendacium. Quid ergo faciant amatores vanitatis, & ſectatores mendacij? Sequitur.

3. *Agnoſcite, quòd mirabiliter gubernat* DOMINVS *piũm ſuum,* DOMINVS *exaudit me, cum clamo ad eum.*
4. *Iraſcimini & non peccetis: loquimini in cordibus veſtris, & ſuper cubilibus veſtris, & ſilete.*
5. *Sacrificate ſacrificia iuſta, & ſperate in* DOMINVM.

Reprehenſionem ſequitur doctrina. Reprehendere enim cuiuſuis eſt, & facillimùm: oſtendere au-

tem viam & rationem, qua quod est reprehensione dignum, emendetur, hoc demum est prudentis consultoris. Docet igitur Psalmus his tribus versiculis, & recitat officia, quæ amatores vanitatis, & sectatores mendacij præstare debent, vt faciant cultus Deo gratos, & probent Deo obsequium suum. Ac primùm in aduersis, & afflictionibus non est murmurandum aduersus Deum: sed est agnoscendum, quòd Deus mirabiliter gubernet pios, & exaudiat inuocantes ipsum ex fide. Hic enim est mos, hæc est consuetudo Dei, quòd conniueat quidem vt pij affligantur, conseruet autem eos mirando modo: ac videatur quidem preces eorum fastidire, exaudiat autem eos clementissimè. Etsi enim pij non statim sentiunt exauditionem, & salutem, pro sua ipsorum voluntate, tamen liberatio, & salus eorum reposita est apud Deum, & suo tempore ita patefiet, vt omnibus sit admirationi & stupori. Intuere exempla. An non Deus mirabiliter gubernauit ac seruauit Ioseph, Dauidem, Danielem, & Christum ipsum filium suum? Hic orat patrem suum: Pater, inquiens, venit hora, glorifica filium tuum, vt & filius tuus glorificet te. Sed mox post hanc orationem rapitur ad tribunalia Pontificum, & Pilati, atq; crucifigitur. Quis igitur diceret, orationem eius esse exauditam, & non potius à Deo spretam atq; contemptam: sed Deus conseruat eum pro more suo, mirabiliter, non tantùm in libertate, verùm etiam in captiuitate, in cruce, in morte. Resurgit enim tertia die, & effertur in tantam maiestatem, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium ac infernorum. Quare si quid aduersi inciderit, nõ sunt diligen-

da

da vana auxilia, nec sunt sectanda mendacia: sed agnoscendum est consilium Dei, quo solet aduersa immittere, videlicet non vt perdat, sed vt seruet, & glorificet: & inuocandum est nomen DOMINI, certa fiducia concepta, quòd, qui percussit, idem & sit sanaturus, quemadmodum Propheta loquitur. *Oseæ. 6.*

Deinde: Irascimini, inquit, & nolite peccare. Hoc est alterũ officium, quod afflicti præstare debent. Lex Dei exigit quidem, vt diligamus Deum, ex toto corde, & nihil sit in omnibus humanis viribus, quod pugnet cum voluntate Dei. Sed quia concipimur, & nascimur in peccato, & natura nostra corrupta est per peccatum originale, quod abluitur quidem per Baptismum REATV, manet autem ACTV, idcirco exigitur, vt affectui huius peccati non obsequamur. Sententia igitur huius quarti versiculi est, si in aduersis exurgunt in vobis praui affectus, vel incredulitatis, vel impatientiæ, vel blasphemiæ vel iracundiæ, & indignationis tam aduersus Deum, quàm aduersus homines, date operam, vt compescantur, & nõ indulgeatis cupiditatibus eorum. Non est quidem virulenter irascendum contra Deum, & homines: si autem caro suggerit iram aut virulentiam, non est peccandum, non est peccato obsequendum. Nec est in cordibus & in cubilibus noctu loquendum, seu murmurandum, & cogitandum de vindicta, de referenda iniuria, de sectanda vanitate & mendacio. Si verò hi peruersi motus exoriuntur in cordibus, non est eis respondendum, aut obsequendum, sed tacendum, & in silentio ac spe auxilium Dei expectandum. Vetus interpres pro (silete) habet compungimini. Vocabu-

lum enim יהוה Dom, vtrunq; significat. Sed eadem est sententia. Si aduersa excitauerint in vobis iratum, & virulentum animum, nolite ei locum dare, sed compungimini, hoc est, dolete de peccato, pœniteat vos peccati, & expectate tranquillo, ac quieto animo cœlestem opem. Ac planè idem vult hic versiculus, quod alias dicitur Gen. 4. Sub te sit appetitus eius (peccati) & tu domineris ei. Et Rom. 6. Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis cupiditatibus eius. Et cap. 8. Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Sed quid faciendum est, vt si irascimur, non peccemus, aut non obediamus cupiditati iræ? Hîc primum reuocandum est in mentem Euangelion Christi, videlicet quòd Christus reconciliauerit nos, sanguine suo, cum Deo Patre cœlesti, & impetrauerit nobis condonationem peccati, ac adoptauerit nos in cohæredes suos. Deinde inuocandus est Deus, vt donet nos Spiritu sancto suo, quo furorem peccati, quod nobis condonatum quidem est, adhuc autem hæret in carne nostra, compescamus. Interea quoq; cogitandum est, quanto periculo, quanto salutis nostræ dispendio, indulgeremus affectui iræ. Qui in carne sunt, inquit Paulus, Deo placere non possunt. In carne autem esse, est affectui carnis morem gerere. Et iterùm: Si secundum carnem, inquit, vixeritis, moriemini. Hæc & alia id genus si seriò cogitauerimus, exhibebimus Spiritui sancto suum organon, quo in nobis affectum iræ compescat. Sed de hac re concionatur etiam quintus huius Psalmi versiculus, qui sequitur.

Sacrificate

Sacrificate (inquit) ſacrificia iuſta, & ſperate in DOMINO.

Hoc enim eſt præcipuum officium, quod Deus in aduerſis à nobis exigit, videlicet vt ſacrificemus ſacrificia iuſta. Et quæ ſunt hæc ſacrificia? An non ea omnia, quæ lege DOMINI præſcribuntur, ſunt iuſta? An non holocauſta, & quæ vocant pacifica, fuerunt ſuis temporibus, quibus & hic Pſalmus initio ſcriptus eſt, Deo grata, ideoq; iuſta? Quod ad ipſorum quidem ordinationem attinet, fuerunt diuinitus inſtituta, non autem peragebantur à quibuſuis diuinè & iuſtè. De nonnullis enim Eſaias dicit: Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum. Et Hieremias: Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum. Quid ergo eſt, quod idem ſacrificium holocauſti, nunc ſit iuſtum, nunc iniuſtum? Diſcrimen huius rei exponit Paulus ad Rom. 9. Iſraël, inquiens: Qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ, non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquàm ex operibus legis. Sacrificia igitur legis tunc ſunt iuſta, cum fiunt ex fide. Iuſtus enim ex fide ſua viuit. Et tunc ſunt in nobis iniuſta, cum fiunt tanquàm ex operibus legis. Sacrificare aũt holocauſtum ex fide, eſt credere in Chriſtum, cuius vmbra fuit holocauſtũ: & cõfirmare hanc fidem externo ſacrificio holocauſti, & ſacrificare tanquàm ex operibus legis, eſt confidere merito huius operis, & polliceri ſibi benedictionem Dei, propter opus ſacrificij. Cum igitur Pſalmus iubet nos ſacrificare ſacrificia iuſta, iubet nos credere in Chriſtum, quem ſacrificia legis adumbra-

Eſa. 1.
Hier. 7.

runt,

runt,& confidere,quòd propter hunc Christum Deus pater cœlestis sit nobis propitius, & adoptet nos in hæredes regni sui. Vnde quod in hoc versiculo additur,est iusti sacrificij explicatio. Sperate,inquit,in DOMINO. Hoc est,sacrificate sacrificium iustum, videlicet credere in Christum DOMINVM nostrum, & confidere clementia eius, atq; ex hac fide, sperare & expectare in aduersis cœlestem opem.

6. *Multi dicunt,quis ostendet nobis bonum? leua super nos lumen vultus tui* DOMINE.
7. *Da lætitiam in corde meo,dum frumenti eorum,& mustum eorum multiplicantur.*
8. *In pace simul cubo & dormio,quia tu* DOMINE *solus in spe constituis me.*

Redit Psalmus ad Epicuræos seu contemptores Verbi Dei, & cõfert eos ἀντιθέσει, cum affectu piorum, vt exponat, vnde vera animi tranquillitas & fœlicitas veniat. Multi, inquit, dicunt. Non enim pauci sunt, qui contemnunt Deum & Verbum eius, sed multi, ijq; insignes, & in hoc mundo tam autoritate & doctrina, quàm sapientia, & potentia præstantes. Videtis, inquit Paulus, vocationem vestram, quòd non multi sapientes, &c̃. Et Christus: Introite per arctam portam, quoniã lata est porta, multiq; ingrediuntur per eam. Hi ergo multi, cum audiunt confidendum esse diuina clementia, in omnibus aduersis, & in Deo sperandum, Deum enim esse liberalissimum omnium bonorum datorem, continuò solent tales conciones reijcere. Quid? inquiunt, Quis est ille Deus, à quo

quo mihi esset bonum expectandum? Putas ne Deum in cœlis tam ociosum esse, vt curam tui habeat in terris? Existimas ne ab ore altissimi, sicut in Threnis Hieremiæ dicitur, egredi bona ac mala? Ego mallem, inquiunt, abundare frumento, & musto, quam multa gratia & fauore Dei tui. Det vitam, det opes, animum mihi æquum ipse parabo. Hæ & id genus aliæ sunt impiorum Epicureorum voces, qui contempto Deo, student tantùm externæ, & mundanæ tranquillitati. Sed nihil est magis impium. Non enim conditi sumus ad imaginem terrenorum bonorum, sed ad imaginem Dei, vt Deum cognoscamus, & cœlestibus bonis ornemur. Longè autem aliter affecti sunt pij. Hi enim non contemnunt Deum, sed inuocant eum: non inhiant terrenis, sed cœlestibus bonis: non quærunt tranquillitatem, & fœlicitatem suam in externis facultatibus, sed in gratia, & fauore Dei. Leua, inquiunt, super nos lumen vultus tui DOMINE. Illi Epicuræi quærunt frumentum & mustum, putant se fœlices, si his rebus in hoc seculo abundauerint. Nos autẽ quærimus fœlicitatem nostram tantùm in lumine vultus tui. Si tu respexeris nos benigno vultu, si tu faueas nobis, & fueris nobis propitius & misericors, nihil prorsus deerit nobis. Non quærimus lætitiam carnalem, qualem mundus sectatur, sed lætitiam conscientiæ. Lætentur illi propter suas diuitias, propter abundantiam frumenti, & vini sui. Da tu mihi lætitiam in corde meo, exhilara conscientiam meam tuo fauore, & sufficiet mihi gratia tua: Fieri enim nõ potest, quin in pace simul cubem & dormiam, parato & tranquillo sim animo, si tu tuo spiritu spem & fiduciam meam firmaueris. *Tren.3.*

Obserua igitur ex his versiculis. Primum, quale sit ingenium Epicureorum, quòd contemnant verum Deum, & sectentur ventrem suum pro Deo. Cum enim collocent omnem suam fœlicitatem in terrenis bonis, & ventri tantùm studeant, non sunt cultores veri Dei, etiamsi Deum ore profiteantur: sed sunt Idolatræ. Deinde obserua etiam piorum ingenium. Hi enim hoc præcipuè quærunt, vt habeant Deum propitium, & tranquillam conscientiam coram Deo. Non possumus autem habere Deum propitium, nisi propter Christum, per fidem. Quare hoc est studium piorum, vt cognoscant, & credant in Christum, & habeant propter Christum pacem erga DOMINVM Deum nostrum. Dubium autem non est, quin Paulus nonnulla ex his versiculis mutuatus sit, cum ad Ro. cap. 5. scriberet. Iustificati, inquiens, ex fide, PACEM habemus erga Deum per DOMINVM nostrum Iesum Christum. Et mox: Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Spes autem non pudefacit. Hoc enim illud est, quod Psalmus dicit: In pace dormiam, & requiescam, quia tu solus constituis me in spe, videlicet vt non pudefiam. Et aliàs: In te Domine speraui, nõ confundar in æternum.

VSVS PSALMI QVARTI.

Magnum est offendiculum, quòd in hoc seculo benè est impijs, & abundant frumento & vino: malè autem pijs, qui ne panem quidem quotidianum parare possunt. Cum igitur cor nostrum offensum impiorum fœlicitate, & nostra infœlicitate, irritatur ad amarulentiam, indignationem & conuitia, accipiamus hunc

Psalmum

Psalmum in manus, recitemus eum magna animi attentione, vt exhibeamus Spiritui sancto organon, quo turbulentos motus animi compescat, & nos in officio pietatis contineat.

Psalmus quintus,

Verba mea auribus percipe, &c.

In Monasterio Mulbrunen: in die Andreæ Apostoli Anno 1556. explicatus.

HIc Psalmus est precatio aduersus sycophantas, & calumniatores. Et quantum ex Psalmo ipso colligi potest, excitatus est Dauid ad istam precationem hac occasione.

Postquàm enim factus est ex pastore ouium aulicus apud Regem Saulem, ædidit insignia stratagemata, & consecutus est tantam nominis claritudinem, vt etiam fieret gener Saulis. Sed quia virtutem solet comitari inuidia, & Deus exercet pios varijs periculis, Rex ipse Saul inflammatus odio & inuidia, insidiatur vitæ Dauidis. Metuebat enim, ne se ejecto, Dauid rerum Israëliticarum potiretur. Quod cum sycophantæ aulici animaduerterent, addunt oleum camino, augent suspiciones Saulis, & calumniantur Dauidem tanquam re-

gni affectatorẽ. Quare Dauid necesse habuit salutem sibi fuga quærere, & in exilio aliquot annis magno vitæ suæ periculo incertis sedibus vagari. Itaq; cum varijs ærumnis exilij affligeretur, & meminisset calumniarum, quibus sycophantæ animum Regis Saulis, sua sponte ad suspicionem affectati regni procliuè inflammabant, suscipit hanc precationem coram Deo effundendam, qua petit, vt Deus ipsum ab impijs calumniatoribus tueatur.

Potest & huius Psalmi occasio orta esse ab eo exilio, in quod Dauid à suo ipsius filio Absolone eiectus est: & non solùm coràm audijt, vir sanguinum, & vir Belial, verùm etiam traducebatur à calumniatoribus, apud vniuersum Israëlem, quod esset cessator, & administrandæ iustitiæ neglector.

Constat autem hic Psalmus syllogismo, cuius propositio, quam Dialectici vocant Maiorem, recitatur in priori parte Psalmi, videlicet.

Deus non delectatur iniquitate: non commorantur apud Deum maligni: & odio habet omnes operantes iniquitatem: perdit omnes qui loquũtur mendacium: abominatur viros sanguinum & dolosos, sycophantas & calumniatores. Hæc est Maior propositio. Sequitur deinde in altera parte Psalmi Assumptio, quã vocant propositionem Minorem, videlicet.

Mei inimici sunt viri iniqui, sunt maligni, sunt mendaces, nõ est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, guttur eorum est sepulchrum patens, linguis suis dolosè agunt, hoc est, sunt sycophantæ, & calũniatores. Hæc est Assumptio seu propositio Minor, cui postremò additur complexio seu cõclusio syllogismi, videlicet. Ergo

Ergo iudicabis seu punies illos Deus, & abijcies eos secundum multitudinem impietatum eorum. Sed audiamus nunc Psalmum ipsum.

1. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige mussitationem meam.*
2. *Intende ad vocem clamoris mei, rex meus, & Deus meus, quoniam te oro.*
3. DOMINE *mane exaudi vocem meam, mane astо tibi, & respicio (ad te) vel expecto (à te auxilium.)*

His tribus versiculis non continetur nisi propositio precationis, quam sequitur postea syllogismus. Ac propositio precationis repetitur quater, alijs quidem verbis, sed eadem semper sententia. Satis enim fuisset, si dixisset: Verba mea auribus percipe DOMINE, sed addidit secundò: Intellige mussitationem seu murmur meum, hoc est, tacitas meas preces. Nec hac appendice contentus, addit tertiò: Intende ad vocem clamoris mei, rex meus, &c. Sed & quartò adijcit: DOMINE exaudi manè, hoc est, citò seu tempestiuè vocem meam. Non est autem ociosa repetitio, sed significatio ardentis desiderij, quo inuocatur Deus, vt exauditionem harum precum non reijciat in longum tempus, sed properet ad conferendam opem, aduersus virulentos calumniatores, & impios persequutores.

Porrò autem Psalmus non simpliciter inuocat Deum, vt preces suas exaudiat, verùm etiam addit rationes exaudit ionis. Magna enim est imbecillitas fidei nostræ, & cum respicimus peccata nostra, vix audemus oculos nostros ad Deum attollere. Quare in in-

uocatione considerandæ, & intuendæ sunt rationes, quibus fides nostra confirmetur, & Deus ad exaudiendas preces excitetur.

In hoc autem Psalmo recensentur duæ rationes exauditionis. Vna interseritur in propositione inuocationis. Quoniam te, inquit, oro, & tibi asto, atq; ad te respicio. Hæc est enim vna è præcipuis causis, cur Deus preces afflictorum exaudiat. Iussit enim, vt in aduersis non alium vel Deum vel hominem, sed ipsum verum DOMINVM Deum nostrum inuocemus. Non habebis, inquit, alienos Deos corã me. Et: DOMINVM Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Non ibitis post Deos alienos. Et: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Per quem autem & cuius nomine Deus velit inuocari, exposuit Christus filius Dei Ioan. 16. Amen dico vobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quare cum Deus mandauerit, se in nomine Christi filij sui, non alium, nec alio nomine inuocari, confirmatur fides, si in inuocatione admonuerimus nos ipsos huius mãdati, & expectemus certa fiducia opem ab eo, qui & sic inuocari voluit, & sic inuocanti auxilium promisit.

Deut. 6.

Sequuntur alij tres versiculi, in quibus altera exauditionis causa, & Maior propositio syllogismi continetur.

4. *Quoniam non es Deus, cui placeat impietas, nec commorabitur tecum malus.*

5. *Non consistunt iniusti ante oculos tuos: odio habes omnes facientes iniquitatem.*

Perdis

6. *Perdis loquentes mendacium: virum ſanguinũ, & doloſum abominatur* DOMINVS.

Hæc eſt altera cauſa, cur petat & ſperet exauditionem. Precor DOMINE, vt me citò exaudias, & aduerſus calumniatores, ac inſidiatores vitę meæ defendas. Quia mei calumniatores ſunt viri iniqui, maligni, iniuſti, mendaces, viri ſanguinum & doloſi, & non habent erga me iuſtam cauſam, ſed iniuſtam & iniquam: calumniantur me, & accuſant affectati regni, ſed faciunt mihi luculentam iniuriam. Deus autem non delectatur hominibus iniquis, non approbat, nec adiuuat iniuſtas cauſas impiorum aduerſus pios: non committit, vt mali habeant locum apud ipſum: non poteſt ferre, vt praui & peruerſi homines diu ob oculos ipſius verſentur. Magno enim odio perſequitur iniquos, & ſolet perdere, nõ iuuare mendaces ſycophantas, ac prorſus deteſtatur homines vafros, doloſos, virulentos, & ſanguinarios. Reliquum igitur eſt, quòd cum mei calumniatores ſint viri iniuſti, iniqui, mendaces, & ſanguinarij, nec habeãt aduerſum me iuſtam cauſam, certam ſpem concipiam, Deum non ipſos, ſed me adiuturum, & in periculis conſeruaturum.

Sunt autem hi tres verſiculi teſtimonium, quòd peccatum non ſit Deo imputandum. Deus enim non eſt, nec autor, nec approbator peccati, ſed diabolus, quemadmodum Chriſtus apud Ioannem, cap. 8. concionatur. Deinde obſerua ex hoc loco, quòd qui verſantur non in vocatione Dei, ſed in malis, & iniuſtis cauſis, non poſſint Deum inuocare: nec preces eorum exaudiuntur.

exaudiuntur, nisi resipiscant. Vnde Ioannis 9. dicitur, Deus non audit peccatores, videlicet impœnitentes, qui non ambulant in vocatione eius. Audit verò pœnitentes, qui periculis obruti, cõuertunt se ad Deum, & inuocant nomen eius, per Christum filium Dei.

7. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.*

8. DOMINE *deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos: dirige in conspectu meo viam tuam.*

Priusquàm Psalmus recitat Assumptionem, seu Minorem, repetit Propositionem precationis, in qua respondet tacitæ obiectioni. Dixit enim Deum non approbare iniquitatem, sed odisse homines iniquos, perdere mendaces, & malignos, Obijciet ergo quispiam. Quid ergo tu? An non & tu es iniquus, & malignus? An non & tu es peccator? Quid igitur facies? Num orabis, & inuocabis Deum fiducia tuæ ipsius iustitiæ, æquitatis, & bonitatis? Nihil certè minus. Sed introibo, inquit, in domum tuam secundum multitudinem misericordiæ tuæ, non iustitiæ aut bonitatis meæ. Et adorabo te, versa ad templum seu tabernaculum tuum facie, in timore tuo, hoc est, in agnitione peccati mei, & clementiæ tuæ. Deduc ergo me in iustitia tua, non mea. Et dirige coram me viam tuam, non meam, guberna, rege & tuere me, secudum iustitiã, bonitatem, probitatem, constantiam, & veritatem tuarum promissionum, & ostende mihi tuam viam, qua ambulem, & vocationem tuam sequi pergam.

Docent

Docent autem hi duo versiculi, quòd in optimis etiam causis non debeamus fidere bonitate causæ, nec ex fiducia eius Deũ inuocare, sed tantùm fidere bonitate & clementia Dei, & è sola misericordiæ eius fiducia orare. Etsi enim nihil nobis mali in nostra causa conscij sumus, tamen non sumus in hoc, sicut Paulus ait, iustificati. In libro Iudicum cap. 19. Israëlitæ habuerunt optimam causam aduersus Beniamitas: sed quia confidebant bonitate causæ, & suis viribus, infœliciter belligerati sunt. In Deut. cap. 9. Israëlitæ habent optimam causam aduersus gentes Cananæas, sed audiunt: Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me dominus, &c̃. Iob. 9. Si iustificare me voluero, ipse me condemnabit. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Huc etiam pertinent dicta illa Psalmorum: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, &c̃. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, &c̃. Et: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Hæc in quauis inuocatione habenda sunt ob oculos, vt discamus verum Dei timorem, videlicet, non vt dubitemus de misericordia, & clementia Dei erga nos, nam hac certò est confidendum, in hac sola omnis fiducia nostra est collocanda: sed vt non confidamus nostra vel iustitia, vel fortitudine.

9. *Quoniam non est in ore eorũ veritas, cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt.*

Hic nonus versiculus est Assumptio, seu Minor propositio Syllogismi. Inimici mei (inquit) sunt homi-

nes mendaces, vani, sycophantæ, calumniatores, qui loquuntur abominanda, detestanda, & dolosa. Hæc est imago & exemplar calumniatorum. Corde enim sunt vani, ore sunt mendaces, gutture sunt sepulchra patentia, hoc est, exhalantia fœtidos, abominabiles, & detestandos sermones, qui vel ipsum aërem, sicut sepulchrorum fœtor, inficere possent: lingua sua sunt veteratores, & impostores. Quid autem hac imagine horribilius? Alias in Psalmo 56. collocantur calumniatores in catalogo homicidarum. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Calumniatores igitur tanquàm homicidæ, & latrones, imò tanquam Satan ipse, qui à calumniando nomen διάβολος habet, fugiendi sunt.

10. *Iudica illos Deus, decidant à consilijs suis. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quia sunt tibi rebelles.*

Complexio seu Conclusio Syllogismi. Sed est iuxta Psalmorum rationem collata in formam precationis. Nam simpliciter ita diceretur. Cum Deus odio habeat impios, Mei aũt inimici sunt homines impij, Sequitur quòd Deus, cui sunt rebelles, sit ipsos iudicaturus seu condemnaturus, ac puniturus: & sicut multa est impietas eorum, ita etiam longè proijcientur à Deo in imum tartarum. Sed maluit Dauid hanc conclusionem efferre forma precandi, quàm simpliciter recitare. Quid ergo dicemus? An non hoc præceptum: Diliges proximum sicut teipsum, iubet diligere tam amicum, quàm inimicum? Inter opera autem dilectionis

nis

nis etiam illud continetur, vt benè precemur deuo-
uentibus nos, oremus pro ijs, qui lædunt & infectant
nos. Quid est igitur, quod Dauid non in hoc tantùm
Psalmo, verùm etiam in multis alijs Psalmis impreca-
tur inimicis suis quæuis dira? Erubescant (inquit in
sequenti Psalmo,) & conturbentur vehementer om-
nes inimici mei. Et Psal. 30. Erubescant impij, & de-
ducantur in infernum. Et Psal. 34. Auertantur retror-
sum, & confundantur, cogitantes mihi mala: Fiant
tanquàm puluis ante faciem venti, &c. Sed facilis est
responsio. Alia enim est maledictio seu execratio car-
nis, & illegitima, ac virulenta: alia execratio Spiritus
& legitima. Sicut enim in genere homicidij aliud est
legitimum, quòd fit à magistratu secundum leges, &
ordinationes diuinas: aliud est heroicum, vt homici-
dium, quo Moyses interfecit Ægyptium. Exod. 2. a-
liud est priuatum, illegitimum, & è sola carnis vindi-
cta, qualia sunt vulgaria priuatorum hominum homi-
cidia, quæ in hac lege: Non occidas, sunt prohibita. Ita
& in genere maledictionis seu execrationis, aliud est
legitimum, quod fit publicè, secundum legem diuinã,
quale est, quod Deut. 27. & 28. recensetur: aliud est he-
roicum, quod fit singulari quodam Spiritu Dei, qua-
lis est maledictio Elisæi, qua execratus est pueros il-
lusores. 4. Reg. 2. Aliud est illegitimum & priuatum,
quo homines priuatis, & carnalibus affectibus se in-
uicem execrantur. Et hoc est peccatum aduersus dile-
ctionem proximi. Execrationes autem Psalmorum
pertinent ad legitimum, & heroicum genus: & non
sunt execrationes carnis, sed Spiritus sancti. Volun-
tas enim, & ordinatio Dei est, vt impij puniantur, ne

nomen Dei malè audiat. Id quod & vetus versiculus docet, Θεῷ ὄνειδος τὰς κακὰς εὐδαιμονίας, Probrum est Deo, si res malis sint prosperæ. Quare non sunt trahendæ in generale exemplum: nec sunt imitandæ hominibus priuata temeritate, sed sunt habendæ pro cœlestibus vaticinijs, quibus excitamur ad timorem DOMINI, & ad obedientiam Deo præstandam.

11. *Lætentur autem omnes qui sperant in te, in æternum exultent, & protegas eos, atq; glorientur in te, qui diligunt nomen tuum.*

12. *Quoniam tu benedicis iusto* DOMINE, *sicut scuto bona voluntate coronas nos.*

Solenne est in Psalmis, quòd cum recitantur supplicia impiorum, adijciantur antitheti quadam beneficia piorum: vt illi quidem grauitate & magnitudine suppliciorum deterreantur ab impietate, hi autem promissione beneficiorum cœlestium in officio pietatis contineantur. Sicut ergo impij calumniatores iudicantur, puniuntur, & ejiciuntur à DOMINO ex æterna cœlestium bonorum hæreditate, ita pij, qui sperant in DOMINVM, & diligunt Verbum DOMINI, habent perpetuam lætitiam in conscientia sua, & defenduntur à DOMINO in omnibus aduersis: atq; gloriantur, non de sua iustitia, sed de iustitia filij Dei, gloriantur de certa & gratuita clementia Dei. Certũ enim est, quòd DOMINVS effundat benedictionem, hoc est, remissionem peccatorum, conseruationem in periculis, & omnia genera bonorum, super iustos, qui sunt credentes in Christum, & ambulantes in vocatione.

tione Dei: ac tueatur pios gratia & clementia ſua, in omnibus afflictionibus ad æternam vitam. Hoc enim eſt coronare pios bona voluntate, ſicut ſcuto. Vnde & Paulus dicit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Beneuolentia enim, & fauor Dei, eſt optimum ſcutum, quo tuti ſumus aduerſus omnia genera malorum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hoc Pſalmo licebit vti, primùm, aduerſus ſycophantas, & calumniatores politicos. Itaq; potuit tali forma precandi Achimelech, & reliqui ſacerdotes aduerſus Doeg Idumeum vti, qui calumniabatur ipſos apud Saulem, quòd conſpiraſſent cum Dauide aduerſus Saulem, & eſſent ſeditioſi, 1. Reg. 22. Potuit & hoc Pſalmo vti Hieremias aduerſus Hieriam, qui accuſabat ipſum defectionis ad Chaldæos, & coniectus eſt in carcerem. Hier. 37.

Deinde licebit eo vti aduerſus calumniatores Spirituales, videlicet eos, qui pios doctores accuſant impiæ doctrinæ, vt Apoſtoli contra Iudæos & Gentes, Athanaſius contra Arrianos, &c.

Psalmus sextus,

Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

Hirsaugiæ, die 18. Decemb. Anno, 1556. explicatus.

ETsi hic Psalmus vulgo videtur esse precatio pro remissione peccatorum, nec dubium est, quin ex peccatorum agnitione oriantur, non solum grauissimæ tentationes, verum etiam dolores mortis & inferni: tamen quia facit mentionem inimicorum suorum, ac si τὸ ἐντὸν inspicias, magis videtur loqui de externis suis persequutoribus, quàm de spiritualibus inimicis: Idcirco sentiamus, quòd iuxta literam sit precatio pro liberatione ex ijs ærumnis, & perturbationibus, quibus Dauid ab aulicis sycophantis, & ab alijs suis persecutoribus affligebatur. Nam cum Dauid in exiliũ eiectus esset à Saule, magnas ibi, & multas vidit miserias. Nunc ducitur captiuus ad Regem Palestinorum, & periclitatur de vita: nunc audit famam, quòd Saul interfecerit octoginta Sacerdotes, & desolauerit vrbem Nobe, propterea quòd Dauidi hospitium exhibuissent: nunc veniunt ad eum in exilium parentes & cognati eius, qui & ipsi propter eum necesse habebãt in exilium abire: nunc exercitu Saulis ita includitur, vt de liberatione animum despondeat.

deat. Ac breuiter, necesse habet singulis momentis in exilio de vita sua periclitari. Hæc cum veniunt ei in mentem, grauissimè perturbatur, & sollicitatur metuere, ne Deus tantam aduersus ipsum iram conceperit, vt non solùm conniueat ad externas, & corporales ærumnas ipsius, verùm etiam abijciat ipsum in æternos cruciatus. Quare instituit precationem huius Psalmi, & petit, vt cum sit miserrimus, Deus ipsum pro clementia sua erga miseros, tueatur.

Habet & hic Psalmus autoritatem suam, non ex eo tantùm, quòd continetur in corpore reliquorum Psalmorum Dauidis, sed etiam quòd Christus filius Dei vsus sit versiculo eius. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, in memorabili illa concione, quã apud Matthæum cap. 5. 6. & 7. habuit.

Diuidemus autem eum in duas partes. Prior constat quinq; versiculis, & est precatio: posterior constat similiter quinq; versiculis, & est consolatio.

1. DOMINE *ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.*
2. *Miserere mei* DOMINE, *quoniam infirmus sum. Sana me* DOMINE, *quoniam conturbata sunt ossa mea:*
3. *Et anima mea turbata est valdè. Sed tu* DOMINE *vsq; quò?*
4. *Verte te* DOMINE, *& eripe animam meam. Saluum me fac propter misericordiam tuam.*
5. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?*

In his quinq; versiculis continetur propositio precationis,

cationis, & interseruntur etiam rationes precandi. Repetitur autem propositio penè septies, alijs quidem verbis, sed eadem sententia. Ne arguas me in furore. Ne corripias me in ira. Miserere mei. Sana me, Verte te ad conferendam mihi opem. Eripe animam meam. Saluum me fac. Hæc autem nnon est ociosa ταυτολογία, seu βαττολογία, sed est testimonium animi valdè perturbati, & cupientis opem Dei seriò ac vehementissimo affectu.

Principiò igitur docet nos primus versiculus, qua modestia & obseruantia Deus sit inuocandus. Non enim simpliciter dicit: Peto DOMINE, vt nullo modo me arguas, aut corripias, sed arguas me, non autem in furore tuo. Postquàm enim peccatum intrauit in mundum, intrauerunt etiam vnà cum peccato omnia genera afflictionum. Ac firma est sententia Dei: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et: Terra germinabit tibi spinas & tribulos. Et Christus de Ecclesia quoq; sua dicit: In mundo habetis afflictionem. Ac rursus: Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Quare magna esset impudentia, si quis peteret à Deo, vt nullis prorsum aduersis, & afflictionibus in hoc seculo corriperetur: sed si quidem ea est hominis conditio, vt in hoc seculo varijs ærumnis obijciatur, petendum est, vt Deus tales ærumnas non immittat nobis ex ira & furore suo, ne in ijs in æternum pereamus, sed ex clementia, & misericordia sua, vt cedant nobis in salutem: sicut & Hieremias cap. 10. precatur. Corripe me DOMINE: veruntamen in iudicio (hoc est) visitato more, vt ferre queam, & nõ in furore tuo, ne fortè in nihilum redigas me

Deinde

Deinde consideranda sunt in his versiculis rationes precandi. Recensentur autem duæ. Vna est cum dicit: Infirmus sum, conturbata sunt ossa mea. Anima mea turbata est valdè, Et: Propter misericordiam tuam. Deus enim pollicitus est misericordiam, clementiam, & opem suam, ijs qui perturbato & afflicto sunt animo, & inuocant eum.

Iuxtà est DOMINVS (inquit Psal. 33.) his qui recto sunt corde, & humiles spiritu (hoc est) afflictos saluabit. Et aliàs: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Cum igitur Dauid sit contrito, & humiliato corde, Deus autem sua ope, & conseruatione propinquus sit humiliatis & afflictis, iustissima causa est, cur Dauid inuocet DOMINVM, & petat cœleste ac diuinum auxilium.

Altera precandi ratio. Quoniam, inquit, non est in morte, qui memor sit tui, &c. Deus enim condidit hominem, non vt ociosus in terris vagetur, sed vt DOMINVM agnoscat, & nomen DOMINI celebret. Creauit Deus (inquit) hominem ad imaginem, & similitudinem suam, videlicet in hunc vsum, vt cuius imaginem gestat, eius etiam gloriam illustret. Quid ergo, inquit precator, me argueres, & corriperes, vt perirem morte, & cõijcerer in infernum, seu sepulchrum, cum nullus amplius mei mortui, & sepulti esset vsus? Non enim mortui, nõ terra obruti laudant nomen DOMINI, sed qui hac præsenti vita fruuntur. Sic & Ezechias orat. Quia non infernus inquit (hoc est) sepultus in infimas partes terræ, confitebitur tibi, neq; mors (hoc est) mortuus laudabit te. Non expectabunt, qui de-

scendunt in lacum, veritatem tuam, viuens, viuens ipse confitebitur tibi, &c. Et Psal. 28. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Dicitur autem, quòd mortui & sepulti, ac in terra putrefacti, non laudent Dominum, nec celebrent nomen DOMINI, non quòd sancti qui sunt in cœlo, non laudent Deum, omnis enim spiritus laudat DOMINVM: sed quòd mortui nullam amplius conferant externis suis officijs vtilitatem in ecclesiam Dei, quę est in hoc mundo, nec prosint superstitibus in hac vita, vel prędicatione Verbi Dei, vel alijs operibus charitatis.

6. *Laborabam gemitu meo, lauabam per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabam.*
7. *Turbabatur à cruciatu oculus meus, canescebam inter omnes inimicos meos.*
8. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudit* DOMINVS *vocem fletus mei.*
9. *Exaudit* DOMINVS *deprecationem meam,* DOMINVS *orationem meam suscipit.*
10. *Erubescant, & cõturbentur vehementer omnes inimici mei, vertantur in fugam, & erubescant valde velociter.*

Precationem sequitur consolatio. Psalmi enim non sunt compositi in ipsis afflictionum paroxysmis: sed postquàm afflicti diuina adiuti clementia, victoriam ex afflictionibus reportarũt. Quare solent initiò describere, qualis fuerit affectus ipsorum in paroxysmis: deinde addere, quanta secuta sit consolatio. Sententia igitur

igitur horum quinq; verſiculorum, hæc eſt. Ego quidem in aduerſis meis tanto laborauí dolore, vt tempore paroxyſmi, ſingulis noctibus lectũ meum lacrymis perfunderem, ac ſtratum meum rigarem. Tanta quoq; animi ægritudine excruciatus ſum ab inimicis meis, vt & lumen oculorum meorum deficeret, & capilli mei caneſcerent. Sed benè habet. Etſi enim vos inimici mei, qui me iniquè perſequimini, ſæuitis in me crudeliter, & immaniter, tamen neceſſe habetis pudefacti diſcedere. Nihil vobis eſt in me iuris. Non poteſtis me opprimere. DOMINVS enim exaudit preces meas, DOMINVS agnoſcit orationem meã, & tuetur me aduerſus omnes hoſtes meos. Reliquum igitur eſt, quòd neceſſe habeant in conſilijs ſuis, aduerſum me pudefieri, & perturbari, ac ſeſe longè à me proripere, ac extremo pudore ſuffundi. Ex his quinq; verſiculis obſeruemus duos præcipuos locos. Alter eſt, ℣ quò grauior eſt afflictio, quò profundior eſt gemitus, quò ardentiores, & copioſiores ſunt lacrymæ eorum, qui Deum inuocant, eò propinquius, eò etiam illuſtrius eſt auxilium Dei. Deut. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego ſanabo, hoc eſt, cum Deus percutit, aut occidit, tunc meditatur ſanitatem, & vitam: & quo grauior eſt plaga, eò propior, & certior eſt ſanitas: Et, 1. Sam. 2. DOMINVS deducit ad inferos, & reducit, hoc eſt, Quò quis deiectior eſt, eò propinquior eſt exaltatio eius. Benè igitur ſperemus in aduerſis, quòd quò grauiora & moleſtiora ſunt, eo certior eſt liberatio. Alter locus eſt antitheſis piorum & impiorum, quæ in Pſalmis eſt vſitatiſsima. Pij exaudiuntur, & liberantur ex afflictionibus: impij au-

Cum duplicantur lateres, tunc venit Morſes.

rem etsi aliquandiu videantur fœlices, tamen vel tandem pudefient, & peribunt in æternum. Hæc autem antitheſis piorum, & impiorum eò ſpectat, vt & pij, qui videntur infœlices in hoc ſeculo, nõ offendantur fœlicitate impiorum, ſed contineantur in officio: impij autem terreantur, & reſipiſcant. Non enim vult Deus mortem impij, ſed magis, vt conuertatur & viuat.

VSVS HVIVS SEXTI PSALMI.

Sicut ſunt varia genera noſtrorum hoſtium, ita eſt & multus vſus huius Pſalmi. Alij enim ſunt hoſtes noſtri, homines. Etſi enim vulgo dici ſolet: Homo homini Deus, tamen tanta eſt corruptio humanæ naturæ, vt alter alterum hoſtiliter perſequi ſoleat. Quare vulgatum illud dictum ſic mutatur: Homo homini diabolus. In perſecutione igitur hominum licebit pio ex hoc Pſalmo petere formulam precandi, & inuocandi DOMINVM, vt & conſolationem, & liberationem aſſequatur. Sic potuit hoc Pſalmo vti, Ioſaphat in incurſione Moabitarum, & Ammonitarum. Et Ezechias in incurſione Sennacherib. Et Paulus in perſecutione Iudæorum.

Alij hoſtes noſtri ſunt afflictiones corporales, vt morbus, paupertas, fames, ignominia. Hæc & id genus alia, cum minantur nobis exitium, & excitant in nobis perturbationem animi, ſuſcipiendus eſt hic Pſalmus in manum, imò in mentem, vt ex eo petamus conſolationem.

Alij ſunt noſtri hoſtes, iſq; grauiſsimi, & pernitioſiſsimi, peccatum, & Satan. Hi enim hoſtes minantur nobis

nobis non solùm mortem, sed etiam infernum. Etsi autem τὸ ἐνεργὸν huius Psalmi loquitur de corporalibus hostibus, tamen Spiritus sanctus respicit etiam in spirituales. Quare si quis propter peccata sua perturbatur animo, & conijcitur in metum mortis, & inferni, sumat hunc Psalmum precandum, vt obfirmet animum suum aduersus omne genus inimicorum.

Psalmus septimus,

DOMINE, Deus meus in te speraui, &c.

In Alba Dominorum, die 6. Februarij. Anno 1556. explicatus.

OCcasio huius Psalmi, tam ex inscriptione, quàm ex narratione eius intelligi potest. Inscriptio enim habet, quòd Dauid cecinerit hunc Psalmum, excitatus verbis seu factis Chusi filij Iemini. Siue autem nomine Chus, quod aliàs Æthiopem significat, intelligatur Saul, qui in priori libro Samuelis cap. 9. vocatur filius Iemini: siue intelligatur Simei, qui & ipse in posteriori libro Samuelis cap. 16. vocatur filius Iemini, & incessit Dauidem in exilium proficiscentem grauissimis conuitijs: siue alius quispiam de cognatione Saulis, hoc nomine vocatus sit, Certè ipsa Psalmi

recitatio docet, hanc precationem instituta esse aduersus calumnias, & falsas criminationes. Postquàm enim Dauid factus est aulicus regis Saulis, & consecutus est illustrem famam nominis, propter stratagema, quod in Goliathe designauerat, metuit Rex Saul, ne se abiecto (quemadmodũ etiam in quinto Psalmo dictum est) Dauid rerum Israëliticarum potiretur. Quare, prosequitur Dauidem magna inuidia, & accusat eum affectati imperij. Quod cum animaduerterent sycophantæ, & adulatores regis, seruiunt affectui eius, addunt oleum camino, & interpretantur apud regem, omnia tam dicta quàm facta Dauidis in pessimam partem: vt necesse habuerit Dauid fuga sibi salutem quærere, & in exilium abire. In priori libro Samuelis cap. 22. accusat Doeg Idumæus Dauidem, quòd conspirauerit cum summo sacerdote Ahimelech, aduersus Saulem. Et: cap. 26. Dauid ipse cum Saule colloquens, significat se à sycophantis in exilium eiectum. Si filij hominum (inquit) incitant te aduersum me, maledicti sint in conspectu DOMINI, qui eiecerunt me hodie, &c̃. Et in posteriori libro Samuelis, cum Dauid ejiceretur è regno à filio suo Absolome, factus est ei obuius Simei de cognatione Saulis: ac exprobrauit ei affectationem regni, ac tyrannidem: Egredere, inquiens, vir sanguinum, & vir Belial. Reddit tibi DOMINVS vniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo, &c̃. His ergo & aliis id genus calumnijs excitatur Dauid: & quia non habet in terris, cui hanc iniuriam conquereretur, & à quo auxilium peteret, vertit se ad DOMINVM Deum nostrum, & inuocat eum hoc Psalmo, vt in tantis

ærumnis ab ipso cœlestem opem consequatur.

1. DOMINE *Deus meus in te spero, Saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*
2. *Ne quando rapiat vt Leo animam meam, dilaniet, nec sit qui eripiat.*

In his duobus primis versiculis, continetur propositio precationis, DOMINE saluum me fac, & libera me à persecutoribus & calumniatoribus meis. Hic est status huius Psalmi, ad quem statum omnes rationes, & argumenta petitionis, quæ sequuntur, referenda sunt. Sicut enim in supplicationibus, quæ fiunt erga homines, solent enumerari rationes, quibus homines permoueantur, vt voluntati, & petitioni nostræ morem gerant, ita & in precationibus, quæ fiunt erga Deum, cõmemorandæ sunt causæ, quibus Deus excitetur, vt nos exaudiat. Non est autem sentiendũ, quòd Deus permoueatur humana eloquentia: sed recitantur causæ precationis, propter nos, vt ex ijs fidem nostram confirmemus, & Deum maiori ac certiori spe inuocemus. In his duobus primis versiculis, in quibus continetur propositio, interseruntur etiam duæ rationes precationis, quibus precator animum suum ita confirmat, vt polliceatur sibi certam exauditionem.

Vna ratio est: In te spero. Precor te DOMINE, vt saluum me facias, vt liberes me à calumniatoribus. Quid ergo causæ affers, cur te exaudiam & seruem? Quia (inquit) in te spero. Non spero, non confido humana potentia, non carnali sapientia, nõ meritis meorum operum, sed tantùm in te spero. Non igitur dubito

bito de exauditione. Deus enim iussit fiduciam salutis in se tantùm, non in alienis Diis collocare, & recepit se seruaturum sperantes in ipsum. Non habeas, inquit, alienos Deos coram me. Et Psal. 16. Saluos facis sperantes in te. Et Psal. 83. Beatus homo, qui sperat in te. Et Psal. 90. Quoniam sperauit in me, liberabo eum. Et Psal. 146. Beneplacitum est DOMINO super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius

Altera ratio est. Ne sycophanta rapiat, seu mordicus apprehendat animam meam, sicut leones facere solent, & dilaniet eam, nec sit quisquàm, qui seruet me. Hæc est expositio magnitudinis periculorum, in quibus Dauid versatur. Non enim simpliciter, & leuiter affligitur, sed à calumniatoribus, & persequutoribus suis ita perturbatur, vt non aliter sit affectus, quàm si famelicus, & crudelis quispiam leo aperiat rictum suũ, vt apprehendat ipsum, & dilaniet, ac deuoret. Nec vllus hominum sit, qui opem ferre queat. Est autem hæc commodissima ratio, qua Deus ad ferendã opem excitatur, hoc est, qua fides nostra in inuocatione confirmatur. Deus enim promisit, se tum proximè affuturum, cùm pericula ad summum peruenerunt, & de reliquis omnibus auxilijs desperatũ est. Esa. 57. Habitat cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & cor contritorum. Sed de hoc loco suprà in Psalmo sexto.

3. DOMINE *Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*

4. *Si retribui malum ei qui mecum pacem habebat, & spoliaui aduersarium meum illegitimè.*

Persequatur

5. *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat (me) & conculcet ad terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.*

Tertia ratio precationis, Serua me DOMINE, & libera me à hoſtibus meis, quia faciunt mihi luculentam iniuriam. Saul & ſycophantæ eius, accuſant me affectati regni, ſpargunt publicè, me cõiuraſſe aduerſus regem: vt ego ipſo expulſo, aut occiſo, regnũ eius occupem. Dicunt me eſſe virum ſanguinum & tyrannum, qui conſecutus ſim regnum Iſraëliticum malis artibus. Sed ſi feci iſtud, quod inimici de me vociferantur, ſi quicquàm in regni occupatione iniquè aut illegitimè egi, ſi oppreſsi hoſtes aut aduerſarios meos iniuſtè, & contra officium atq; vocationem meam, non recuſo, quin tu DOMINE Deus meus, ſtes à parte aduerſariorum meorum, & des eis vt me capiant, & occidant, ac ſiue vitam, ſiue maieſtatem meam omnẽ deijciant, ac è medio tollant. Allegat ergo Dauid inuocentiã ſuam, coram Deo, contra aduerſarios ſuos. Et quia Deus promiſit innocentibus, & rectis corde liberationẽ, idcirco ſperat ſe certã ſalutem conſecuturum, ſicut & mox ſequitur: Adiutorium meum à DOMINO, qui ſaluos facit rectos corde, DOMINVS iudex iuſtus. Et Pſal. 33. Oculi DOMINI ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et Pſal. 36. Salus iuſtorum à DOMINO & protector eorum in tempore tribulationis. Et Pſal. 72. Quia bonus Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde. Sed quid eſt, quòd Dauid vociferetur ſe innocentem, & petat ſicut poſtea ſequitur, ſe iudicari à Deo ſecundum iuſtitiam ſuam: cum manifeſtum ſit, quòd non ſolùm in carne ſua gẽ ſtauerit peccatum originale

ginale, ex quo aliàs exclamat: Peccatum meum coram me est semper, Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? verùm etiam multa alia peccata, vt adulterium, & homicidium, designauerit. Sciamus igitur quòd aliud sit coram Deo, iuxta diuinam iustitiam, ex lege Dei iudicari, aliud coram Deo, iuxta humanam iustitiam contra aduersarios iudicari. Nam qui statuerit se ad tribunal Dei, iuxta seueritatem legis eius, fieri non potest, quin causa cadat, & iudicetur peccator: non enim iustificatur in conspectu Dei omnis viuens. Qui autem statuerit sese ad tribunal Dei, aduersus hostes & calumniatores suos, sæpe ac multum fieri solet, vt homines iustissimam habeant, etiam coram Deo causam. Sic Ioseph etsi coram Deo iuxta legem eius fuit peccator, tamen collatus cum muliere adultera & calumniatrice, fuit innocens, & potuit alacri conscientia ad Deum dicere: Iudica me, Domine, secundum iustitiã meam, & secundum innocentiam meam super me. Sic & Dauid collatus cum seueritate diuinæ legis fuit iniustus, & peccator: collatus autem in causa affectationis regni, & tyrannidis, cum hostibus suis, & sycophantis, fuit innocentissimus. Sic Paulus cõferens se, ad legem Dei: Video, inquit, aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati. Sed conferens se cum Israëlitis suis, qui insidiabantur vitæ ipsius, & cum Pseudoapostolis: Non versantes, inquit, per astutiam, neq; dolo tractantes Verbum Dei, sed manifestatione veritatis, commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam, in cõspectu Dei. Vnde & aliàs complectitur vtrunq;:

Nihil

Nihil (inquiens) mihi conscius sum: sed in hoc nō sum iustificatus.

6. *Exurge* DOMINE *in ira tua, exaltare contra furores inimicorum meorum, & expergiscere ad me iudicio quod mandasti.*

7. *Et cœtus populorum circumdabit te, & propter hunc in altum regredere.*

Vbi nos transtulimus, contra furores, ibi vetus translatio habet, In finibus. Dictio enim Hebræa. עַבְרָה Abar, significat vtrunq; videlicet, transitum seu finem, & iram ac furorem.

Repetit autem Psalmus hoc sexto versiculo precationem, vt hac occasione adijciat alia argumenta exorandi. Exurge, inquit, DOMINE, in ira tua. Videris tu nunc obdormijsse, & stertere, videris quasi è throno tuo deiectus, ac in humum prostratus esse. Inimici autem mei videntur non vigilare tantùm, verùm etiam suæ fœlicitati applaudere, & potenter dominari. Obsecro igitur te, ne pergas ad iniquitatem, & calumnias eorum conniuere: sed expergiscere tandem, declara iram tuam, qua sæpe ac multum significasti, sycophantas, & calumniatores tibi ex animo displicere. Compesce furorem eorum, quo in me grassantur. Regredere in altum. Nunc enim humilis, & in imū proiectus appares: sed quæso te, vt redeas in sublimem tuam maiestatem, & illustres gloriam nominis tui, vt palàm fiat, te iustū, & æquum illud iudicium tueri ac seruare, quòd iubes omnes Reges, & Principes colere, & vt ego ab hostibus meis seruatus possim tem-

plum tuum excitare, ac ecclesiam tuam mirificè nunc afflictam, & perturbatam, in vnum recolligere, atq; ad cultum nominis tui reuocare.

Habes iterum duas rationes persuadendi: Vna est, quòd Deus admonetur præcepti sui, quo exigit ab omnibus rerum gubernatoribus, vt iustum iudicium exerceant. Deut. 1. Audite illos, & quod iustũ est, iudicate: siue ciuis sit ille siue peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, sicut magnũ, nec accipietis cuiusq; personam, quia DEI IVDICIVM est. Et cap. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent, &c̃. Et Paulus officium Magistratus ita describit. Rom. 13. Dei minister est tibi in bonũ. Quod si feceris, id q; malũ est time. Cũ igitur Deus mandauerit hominibus, vt iustè inter partes litigantes iudicent, quomodo fieri posset, vt ipse non esset inter Dauidem, & calumniatores eius iustus iudex? Absit à te, inquit Abrahã, ad DOMINVM, *Gen. 18.* vt hanc rem facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius? Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.

Altera ratio est: Cœtus populorum circumdabit te. Dauid enim, postquàm designatus est diuinitus in Regem Israëlis, non cogitauit otiari, & genio suo indulgere, sed potius ecclesiam DOMINI, iam inde ab ingressu in terram Canaan varijs doctrinis, & impijs sacris corruptissimam, instaurare ac reformare. Et postquam publicè creatus est Rex, nihil prius habuit, quàm vt Hierosolymis templũ excitaret, in quo Arcam propitiatorij collocaret, & pia sacra iuxta legem restitueret.

restitueret. Vnde Psal. 131. dicitur. Sicut iurauit (Dauid) Domino, votum vouit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero, &c. Petit igitur diuinitus ab inimicis, & calumniatoribus suis defendi, si non propter causæ suæ iustitiam, & suam innocentiam, certè propter ecclesiam, vt quod de ipsa instauranda, & reformanda instituit, absoluere & perficere possit. Huc respexit etiam Paulus, Philip. 1. Coartor (inquiens) ex his duobus: desiderans dissolui, & esse cum Christo, multò longeq; melius est: Manere autem in carne, magis necessarium propter vos.

8. DOMINVS *iudicat populos, iudica me* DOMINE *secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam, quæ est in me.*

9. *Desinat quæso malitia impiorum, & dirige iustum, scrutans corda, & renes Deus iustus.*

10. *Adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.*

11. *Deus iudex iustus, & Deus detestans (iniquitatem) toto die.*

Alia precationis repetitio, qua quasi gradu quodam accedit ad commemorandum, quod in hac causa est præcipuum, & quo in precatione maxime omnium nititur. Recensuit enim suprà: ac nunc quoq; iterum commemorat, suam iustitiam, & innocentiam si conferatur cum aduersarijs, & calumniatoribus suis. Cum igitur sciat, se innocentem, calumniatores autem suos iniustos & impios, addit nunc, qua potissimũ fiducia Deum inuocet, & speret opem eius, videlicet, nõ sua ipsius iustitia, & innocentia, sed iustitia, & probitate,

& æquitate ſolius DOMINI Dei noſtri. Deus e
inquit, iudicat populos. Et Deus, qui eſt ſcrutator
dium & renum, eſt iuſtus iudex. Similiter Deus
uos facit rectos corde, Et deteſtatur iniquitatem
vna tantùm aut duabus horis, ſed omnibus die
perpetuò. Conferamus ergo ſententiam Pſalmi in
logiſmum, vt perſpicuè intelligamus, quo Dauid
cipuè in hac precatione reſpiciat.

Propoſitio cum ſua probatione.

Iuſti defenduntur à Deo, quia Deus eſt iuſtu
dex. Et quemadmodum pius Magiſtratus, laud
benè agentibus, & terrori malè agentibus, ita D
iuſtè iudicat, defendit innocentes, & punit noce
ſeruat rectos corde, & deteſtatur ac opprimit pra
ac iniquos.

Aſſumptio.

Dauid autem eſt iuſtus, & innocens, non qui
nec natura, nec operibus ſuis, ſi conferatur ad ſeu
tatem legis Dei: ſed collatione cum hoſtibus, &
lumniatoribus ſuis. Non enim fuit affectator re
nec geſsit iniuſta, & illegitima bella, ſicut aduer
calumniabantur eum.

Complexio.

Ergo Deus defendet Dauidem, & adiuuabit e
ne à calumniatoribus opprimatur.

Collocat igitur Dauid fiduciam ſuam non in ca
ſuæ iuſtitia, ac bonitate, ſed tantùm in bonitate, &
ſtitia Dei, videlicet, quòd Deus ſit iuſtus iudex,
teneri non poſsit, quin eos tueatur, qui iniquè op
mun

muntur, & eos puniat, qui iustos, & pios affligunt. Nec illud est oscitanter prætereundum, quòd Deus dicatur scrutator renum, & cordium. Hoc enim eò pertinet, vt sciamus, Deum posse vere iustum esse iudicem, propterea quòd non intueatur tantùm externa hominis, verùm etiam scrutetur latebras, & recessus cordium. Etsi autem inuenit etiam in Dauidis corde quod condemnet, ex corde enim egrediuntur cogitationes malæ, tamen cum confert causam eius, cum causa calumniatorum, & cum sententia cordis eorum, videt eos, non nisi mendacium, & internitionem aduersus Dauidem meditari. Quare videt Dauidem iustum & pium, calumniatores autē eius iniustos, & impios.

12. *Si non conuersus fuerit (sed) gladium suum vibrauerit, arcum suum tetenderit, & instruxerit eum:*
13. *Et parauerit sibi vasa mortis, ac sagittas suas flagrantibus (inuidia) fabricauerit:*
14. *Ecce parturiet iniustitiam, concipiet dolorem, & pariet mendacium.*
15. *Foueam fodiet, & perfodiet eam, & incidet in foueam quam fecit.*
16. *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

Precationi subijcitur, seu comminatio, seu vaticinium, de certissimo interitu eorum, qui non agunt pœnitentiam, sed pergunt in sua impietate, & calumnijs. Quod & ipsum idcirco recitatur, vt precator confirmet ex eo fidem suam, & patienter ferat persecutionem impiorum, ac calumnias sycophantarum.

Etsi

Etsi autem vulgo, inter hos versiculos, duo priores, exponi solent de Deo, quòd ipse vibret gladium, & tendat arcum suum, aduersus impios calumniatores, si non resipuerint, quæ sententia per se non est impia: tamen si ea quæ precedunt, & sequuntur, diligenter conferas, videntur illa ad impœnitentem potius, quàm ad Deum referenda, vt hæc sit sententia: Si calumniator, & persequutor meus, siue Saul, siue Doeg, siue Chus, siue Simei, siue alius quispiam ex aulicis, non conuersus fuerit ad DOMINVM, & non egerit pœnitentiam, sed perrexerit gladiũ suum aduersus me expolire, & arcum suum in me tendere, ac me conari sagittis suis confodere, hoc est, calumniari, & vitæ meæ nugis, & calumnijs insidiari, tunc certò sciat, quòd frustretur suo conatu, & iugulaturus se sit suo ipsius gladio.

Duo autem hîc obseruanda sunt. Alterum est descriptio calumniæ. Calumnia enim est velut gladius, qui vibratur in innocentem: & arcus, è quo emitti solent letifera iacula, quæ dicũtur vasa seu instrumenta mortis: & sagittæ, quibus alter alterum ad odium, & inuidiã inflammat, vnde & Psal. 56. dicitur. Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Quare calumniator ab homicida nihil differt, nisi quòd ille tanto nocentior est, quanto minus caueri potest, iuxta prouerbium: Aduersus sycophantæ (hoc est) calumniatoris morsum non est remedium. Alterum est supplicium calumniatoris. Quod enim alteri machinatur, hoc in suum ipsius caput recidere solet. Parturiet, inquit, iniquitatem, & concipiet laborem, hoc est, etiamsi iniqua cogitauerit

aduersus

aduersus proximum, & cupiat ei molestiam, laborem, iniuriam, & exitium inferre, tamen pariet mendaciũ, hoc est, nihil efficiet, nihil incommodi inferet ei, sed potius seipsum offendet, & cadet in eam foueã, quam alteri parauit. Exempla sunt Saul, Achitophel, Absolon, Aman, Satrapæ Persarum apud Danielem, cap. 6.

17. *Laudabo* DOMINVM *secundum iustitiam eius, & psallam nomini* DOMINI *altissimi.*

Hic vltimus versiculus est testificatio gratitudinis, quam precator recipit, se pro beneficijs Dei declaraturum. Et pertinet hæc quoq; inter rationes persuadendi, seu exorandi. Significatio enim grati animi excitat tam Deum quàm homines ad beneficentiam. Inter opera autem gratitudinis erga Deum, non postremum locum obtinet, celebratio nominis Dei, vt & alij ad fidem, & inuocationem Dei inuitentur.

Psal. 21. Salua me ex ore Leonis, & à cornibus Vnicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Psal. 68. Salus tua suscepit me, laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum.

VSVS HVIVS SEPTIMI PSALMI.

Nihil grauius posse honesto homini accidere, calumnia, testatur dictum illud Psalmi: Filij hominum, dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gla-

dius acutus. Adscribam autem huc exemplum, ex Hieronymo, quo cognoscamus, quantam afflictionem pariat calumnia in animo innocentis.

Hiero. ad Rusticum Monachum Tom. 1.

Græcus adolescens (inquit) erat in cœnobio, qui nulla cõtinentia, nulla operis magnitudine flammam carnis poterat extinguere. Hunc periclitantem pater Monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgijs atq; conuitijs insectaretur hominem, & post irrogatam iniuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium, Nullus alius credere veritati, Solus pater defensionem suam callidè opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? ita annus ductus est. Quo expleto interrogatus adolescens, super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret. Papæ (inquit) viuere mihi non licet, & fornicari libeat?

Ex hac historiola manifestum est, calumniam tantum afferre animo dolorem, vt non solùm excutiat alios affectus, verùm etiam inijciat mortis desiderium. Quare si senseris te peti calumnijs & mendacijs, non est vicissim calumniandum, conuitiandum, & contumelijs grassandũ, sed sumendus est hic Psalmus in manum, petendum est auxilium à Deo, vt ipse nos conseruet, & à morsibus sycophantarum tutos reddat.

Itaq; hoc Psalmo licuit vti Hieremiæ, cum accusaretur fugæ, & defectionis ad Chaldæos: & Apostolis

lis, cum accusarentur seditionis, & hæreseos: & discipulis eorũ, cum à gentibus accusarentur infanticidij, quemadmodum Tertullianus scribit in Apologetico, aduersus gentes cap. 7.

Psalmus octauus,

DOMINE DOMINVS noster, quàm admirabile est nomen tuum, &c.

In Monasterio Murrhardt, ad fluuium Murr, explicatus.

OCtauus Psalmus non est precatio, sed encomium, in quo collatis operibus creationis, & redemptionis, extollitur, & præfertur redemptio humani generis, quæ facta est per filium Dei, DOMINVM nostrum Iesum Christum. Etsi enim hic Psalmus vulgo exponi solet, de excellentia, & dominatione hominis, qua initio creatus est à Deo, vt præesset terræ, & dominaretur orbi, tamen extant in literis Noui Testamenti haud obscura testimonia, quòd intelligendus sit de regno Christi, & de gloria ac maiestate, qua Christus à Deo patre suo ornatus est. Apud Matth. cap. 21. cum pueri acclamarent Christo in templo: Osanna filio Dauid, & Pharisæi indignarentur,

ac iuberent eos prohiberi. Reſpondit Chriſtus ex hoc Pſalmo: Quid ni, inquiens. Nunquid legiſtis: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Et ad Heb. cap. 2. teſtatus eſt alicubi quidam dicens. Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quòd viſitas eum. Minuiſti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, &c̄. Et mox: Eum, qui puſillum quiddam diminutus fuerat infra angelos, cernimus Ieſum, propter cruciatum mortis, gloria & honore coronatum. Ex his teſtimonijs manifeſtum eſt, quòd hic Pſalmus ſit commendatio, nō humanæ naturæ in genere, ſed potius Chriſti DOMINI noſtri, qui paſſione, & morte ſua, non ipſe tantùm peruenit in ſummam maieſtatem, ſed ſecum etiam in cœleſtem gloriam euexit omnes homines, qui fiduciam ſalutis ſuæ in ipſo collocant.

1. DOMINE *Domine noſter, quàm admirabile eſt̄ nomen tuum in vniuerſa terra, & das laudem tuam uſq; ad cœlos.*

Primus verſiculus eſt propoſitio, quæ maioris vehementiæ gratia figuratur admiratione. Simpliciter enim ita diceretur. DOMINE Deus, fama nominis tui ſpargitur mirabiliter in vniuerſa terra, & laus tua pertingit vſq; ad cœlos. Manifeſtum autem eſt, quòd quo tempore Dauid hunc Pſalmum in literas contulit, gloria Euangelij Dei nondum fuerit in orbem terrarum diuulgata. Etſi enim prędicatio, de vero Deo, nunquàm defuit orbi terrarum, tamen perſpicua annunciatio de clementia Dei, per Chriſtum filium eius, tum

tum demum diuulgata est in terris, inter omnes gentes, cum Christus emisit Apostolos suos, vt prædicarent Euangelion omni creaturæ. Quare Spiritus sanctus in hoc versiculo respicit, maximè omnium in illud tempus, quo Apostoli circumtulerunt Euangelion Christi, inter omnes gentes, & annunciauerunt orbi terrarum, Deum esse placatum, per Christum filium suum, vt quotquot in ipsum credunt, recipiantur à Deo in gratiam, adoptentur in filios, & hæredes cœlestium bonorum. Itaq; Dauid hunc versiculum sic enunciat, perinde ac si coràm videret (quemadmodum & vidit, non quidem corpore sed Spiritu) Apostolos tam inter Iudæos, quàm inter Gentes circumire, & gloriã nominis Dei, per Christum patefactam, prædicatione sua illustrare.

2. *Ex ore infantium, & lactentium perfecis fortitudinem, propter aduersarios tuos, vt destruas inimicum, & vindictæ cupidum.*

Commendationes seu laudationes, vel Dei, vel hominum, solent duci à virtutibus, à potentia, industria, clementia, misericordia, iustitia, & id genus alijs. Cum igitur Psalmus affirmat in primo versiculo, admirandam esse in toto orbe terrarum gloriam nominis Dei, subijcit nunc rationes, quibus gloria Dei probatur. Vna continetur in hoc secundo versiculo, videlicet, quòd Deus per os, per sermonem infantium, lactentium, hominum abiectorum, indoctorum, & inelo-quentium perficiat, & stabiliat in vniuerso orbe magnifica, fortia, firma, & nunquàm uertenda. Quod er-

go hic versiculus commemorat, hoc impletum est, suo modo, in pueris Hierosolomytanis, qui apud Matth. cap. 21. tacentibus, imò indignantibus scribis & Pharisæis, agnoscunt, Iesum esse verum Christum, & acclamant ei: Osanna filio Dauidis. Hæc acclamatio, etsi videbatur puerilis, tamen erat à Spiritu sancto excitata, & veritas eius ita stabilita est, vt ne portæ quidem inferorum aduersus eam præualeant. Possumus etiam testimonio huius versiculi vti aduersus Anabaptistas, qui cùm falso existiment, Deum non esse efficacem in pueris, nec conferre in eos fidem, sentiunt, eos nõ esse in pueritia baptisandos. Deinde impletum est in Apostolis, qui & ipsi, si conferantur doctis, Philosophis ac oratoribus, dicuntur infantes, lactentes, rudes & balbi. Sed per hos infantes, & balbos, Deus tam fortia, tam firma, in toto orbe terrarũ perfecit, vt quam doctrinam Euangelij diuulgarunt, nulla sapientia, nulla potentia, nulla industria, nulla astutia, vel Satanæ, vel hominum euertere, ac delere queat: & ecclesia quæ prædicatione eorum fundata est, perpetuò cõseruetur. Vnde & apud Math. cap. 11. gratias agit Christus Deo patri, q̃ absconderit hæc à sapientibus, & prudentibus, ac reuelarit ea paruulis.

Sed quid causæ est, quod Deus maluerit tam magnifica & stabilia, per infantes & abiectos, quàm per eloquentes, doctos & potentes perficere. Additur: Propter aduersarios tuos, vt destruas inimicum, & virulentum. Hoc planè illud est, quod Paulus ad Corinthios scribens: Videtis, inquit, vocationem vestrã, quòd non multi sapientes iuxta carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, verum quæ

stulta

ſtulta erant ſecundum mundum, delegit Deus, vt pudefaceret ſapientes. Et quæ erant imbecillia in mundo, vt PVDEFACERET EA, QVÆ SVNT ROBVSTA, & quæ ignobilia erant in mundo, cõtemptaq́, delegit Deus, & ea quæ non erant, vt ea quę ſunt, obliteraret. VT NE GLORIARETVR VLLA CARO CORAM IPSO. Præcipui enim aduerſarij, inimici & hoſtes Dei ſunt, ſapientes, potentes, & honeſti iuxta hunc mundum: quales inter Iudæos erant Pontifices, Scribæ & Phariſæi, inter gentes Philoſophi, Reges, Principes & Sacrificuli Deorum. Viſum igitur eſt Deo, Euangelion filij ſui diuulgare, & ſibi æternam Eccleſiam, ex omnibus gentibus colligere, non per ſapientes, doctos, & potentes huius ſeculi, ſed per infantes, lactentes, indoctos, & abiectos homines, vt ſapientes aduerſarios ſuos, & potentes inimicos ſuos pudefaceret, & vt nulla caro, nulla carnis prærogatiua poſsit in conſpectu ſuo gloriari. Huc pertinet & illud, quod 2. Cor. 4. ſcribit Paulus: Habemus, inquiens, theſaurum hunc in vaſis teſtaceis, vt virtutis eminentia ſit Dei, & non ex nobis. Virtus enim Dei tunc illuſtratur, cum per imbecilles, magnifica, & ſtabilia perficit.

Ex hoc loco petenda eſt conſolatio iis, qui legitimè vocantur ad officia, quæ præ tenuitate, & imbecillitate ingenij ſui, non poſſe præſtare videntur. Si enim non potes in ſparta, vt vocant, quam nactus es, manere, ſed ad maiorem adminiſtrationem vocaris, obſequendum eſt voluntati Dei, confidendum eſt in DOMINVM, qui cum ſoleat ex ore infantiũ, & lactentium perficere grandia, dabit etiam incrementum, & euentum,

euentum, vt qui legitimè vocatus est, suo munere vtiliter defungatur.

3. *Video (quidem) cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & stellas, quæ præparasti.*
4. *Quid est (autem) homo ille, quòd memor sis eius, & filius ille hominis, quòd curas eum?*
5. *Minuisti eum pauco tempore à Deo, gloria & honore coronas eum.*
6. *Constituis eum super opera manuum tuarum, omnia subijcis sub pedibus eius.*
7. *Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi:*
8. *Volucrem cœli & pisces maris, & quod perambulat semitas maris.*

Pro (cœlos tuos) Hebræus habet שְׁמֶיךָ Schemecho, sed quia sequitur (Lunam & stellas, quæ præparasti) & non fit mentio Solis, qui tamen inter stellas cœli præcipuus est, idcirco aut per cœlos intelligendus est sol, aut pro שְׁמֶיךָ scriptum fuit ab initio שִׁמְשְׁךָ Schemescho, quod significat solem tuum: vt hic versiculus sic legatur: Video quidem solem tuum, opus digitorum tuorum, Lunam & stellas, &c̃.

Est autem in his versiculis altera ratio, propter quam gloriam nominis Dei illustratur in toto orbe terrarum. Et est collatio, qua opus redemptionis antefertur operi creationis: vt sit sententia. Cum aspicio cœlos, solem, lunam, & stellas, quæ tu, Deus meus, Verbo tuo creasti, agnosco quidem summam tuam potentiã, bonitatem, & maiestatem: sed cum intueor filium tuum hominem ex muliere factum, & legi obnoxium,

noxium, vt eos qui sub lege erant, redimeret, ac daret eis ius adoptionis filiorum Dei, ibi tum magnitudo tuæ industriæ, omnipotentiæ, clementiæ, & misericordiæ, excedit omnem humanum captum. Hoc humanæ redemptionis opus longissimè superat opus creationis. Consideret enim mihi quispiam, quanto studio, quanta cura cõplectaris hunc hominem, hunc filium hominis, quem ad redimendum humanum genus, in has terras misisti. Etsi enim visus fuit aliquanto tempore à Deo abiectus, & inglorius, ac ædidit quidem in his terris aliquot miracula, sed raptus ad tribunalia Pontificũ, & Pilati, & adactus in crucem, tanta aparuit imbecillitate, vt exclamaret, se à Deo desertum, ac moreretur etiam in cruce: tamen tantæ tibi curæ fuit, ò Deus, vt non solùm excitares eum à morte, verum etiam collocares eum ad dexteram tuam, ac subijceres ei omnia tam in cœlo quàm in terra. Habes paraphrasim horum versiculorum. Ac planè hoc ipsum est, quod Paulus Philip. 2. exposuit: Iesus Christus, inquiens, cum esset in forma Dei, nõ rapinã arbitratus est, vt esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta. Et mox: Humilem præbuit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: quapropter & Deus extulit illum in summã sublimitatem, &c̃. Et Ephes. 1. Cum suscitaret Deus Iesum à mortuis, sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum. Et mox: Omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ. Et Heb. 2. EVM, qui pusillum quiddam diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum, propter cruciatum mortis,

gloria & honore coronatum, &c. Ac breuiter: Chri-
ſtus ipſe cum reſurrexiſſet à mortuis, & aſcenſurus
eſſet in cœlum, ac emiſſurus Apoſtolos ſuos in or-
bem terræ, dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœ-
lo & in terra. Hanc Chriſti poteſtatem, & maieſtatem
intelligit Pſalmus, cum recenſet, Chriſtum conſtitu-
tum ſuper opera manuum Dei, & omnia ſubiecta ſub
pedibus eius: & commemorat oues, boues, pecora
campi, volucres cœli, piſces maris, & omnia quæ in
mari degunt. Regnum autem Chriſti, non eſſe mun-
danum, ſed cœleſte, copioſè alias explicatum eſt.

9. DOMINE, *Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen*
tuum in vniuerſa terra.

Hæc eſt Pſalmi concluſio, eadem, cum propoſitio-
ne. Cum enim Deus tanta ſit induſtria, vt perficiat in
terris grandia, magnifica, & ſtabilia per infantes, &
abiectos homines, ac non ſolùm creauerit Solem, Lu-
nam, & ſtellas, verùm etiam miſerit filium ſuum in
has terras, factum filium hominis, & reduxerit eum à
morte, collocaueritq; eum in throno ſummæ maieſta-
tis, ac dominationis, certè ex his ſtratagematis gloria
nominis Dei ita illuſtratur, vt admirabilis ſplendor
eius in vniuerſum orbem terrarum ſpargatur.

VSVS HVIVS PSALMI.

In hoc Pſalmo prædicatur Paſsio, Mors, Reſurre-
ctio Chriſti, & Seſsio eius ad dextram Dei patris, ac
diuulgatio Euangelij ipſius in orbem terræ. Idem er-
go

go vsus est huius Psalmi, qui est eorum articulorum nostræ religionis, quos nunc recensuimus. His enim Propheticis vaticinijs de regno Christi, non solùm confirmatur certitudo religionis nostræ, quæ est in Christum, verùm etiam confirmamur in conscientia, de vera, & æterna nostra salute: propterea quòd cum Christus mortem euaserit, & sedeat ad dextram Dei in cœlestibus, nos quoq; qui in Christum credimus, euademus mortem, & fruemur cum Christo, ea maiestate & fœlicitate, quam habet apud Deum patrem suum, æternam & nunquàm interituram.

Psalmus nonus,

Confitebor tibi DOMINE, &c.

Adelbergæ, die 6. Aprilis, Anno, 1557. explicatus.

AB hoc nono Psalmo, variant numeri Psalmorū apud Hebræos, & Latinos. Illi enim diuidunt hunc Psalmum in duos: nonum enim numerant vsq; ad hunc versiculum: Vt quid DOMINE, recessisti longè, &c. & ab hoc versiculo incipiunt Psalmum decimum. Latini autem hos duos Psalmos in vnum conferunt. Itaq; qui est apud Latinos decimus, is est apud Hebræos

bræos vndecimus, & sic deinceps, vsq; ad Psalmum 147. Laudate DOMINVM, quoniam bonus est Psalmus Deo nostro, &c. Hic enim Latini faciunt ex vno, duos Psalmos, vt tam apud Hebræos, quàm Latinos constet certus Psalmorum numerus, qui est. 150.

Continet autem nonus Psalmus duas partes. Prior est laudatio seu gratiarum actio, pro beneficio liberationis ab aduersarijs. Posterior est precatio, qua petit, vt Deus etiam deinceps tueatur, & defendat ipsum in omnibus suis aduersis, & afflictionibus.

1. *Laudabo* DOMINVM *toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*
2. *Lætabor & exultabo in te, Psallam nomini tuo, altissime.*

Hic est status prioris partis huius Psalmi. Recipit enim se laudaturum DOMINVM totis viribus, & commemoraturum admiranda beneficia, quæ DOMINVS in ipsum contulit. Affirmat autem se hoc facturum, non simplici affectione, sed magno animi gaudio, & lætitia: nec nudis tantùm verbis, sed Psalmo & carmine: Lætabor, inquit, & exultabo in te. Quid ergo est lætari, & exultare in DOMINO? Non est sibi applaudere, de suis meritis gloriari, & præ se contemnere alterum, propter diuina beneficia: sed est gaudere propter gratuitam Dei clementiam, quam Deus tam promissis, quàm beneficijs testificatur. Qui gloriatur, inquit Paulus, in DOMINO glorietur. Non ait, in donis DOMINI, sed in DOMINO ipso, hoc est, in gratuita eius clementia, & misericordia, qua nos immeritos complectitur. Et hanc Dei clementiam prædicare, de

hac

hac psallere & cantare, opus est secundi præcepti in Decalogo, & cultus Deo gratissimus, qui placet ipsi, vt Psal. 68. loquitur: Super vitulum nouellum, producentem cornua & vngulas. Placet autem Deo, non propter actionis meritum, aut dignitatem, sed vt illustrato nomine Dei, homines excitentur ad agnitionem Dei, ad fidem, ad spem, ad inuocationem, ad charitatem. Hi enim sunt præcipui cultus, quibus Deo officia, & obedientiam nostram probare debemus. Nunc manet, inquit Paulus, fides, spes, charitas, &c.

3. *Propterea, quòd conuertisti inimicos meos retrorsum, corruerunt, & perierunt à facie tua.*
4. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.*
5. *Increpasti gentes, perdidisti impium, nomen earum deleuisti in æternum, & perpetuò.*
6. *Frameæ inimici defecerunt in perpetuum, & ciuitates destruxisti: perijt memoria eorum vnâ cum ipsis.*
7. DOMINVS *autem in æternum sedet, parans ad iudicium thronum suum.*
8. *Et ipse iudicat orbem in iustitia, iudicat populos in rectitudine.*
9. DOMINVS *est refugium afflicto, refugium opportunis temporibus in tribulatione.*

Recepit Psalmus in primis duobus versiculis, se laudaturum, & commendaturum gloriam nominis Dei. Nunc igitur recenset laudes, hoc est, virtutes, & beneficia Dei, quæ faciunt nomen Dei laudabile. Ac primum commemorat victorias, quas diuino benefi-

cio, ab hostibus reportauit. Verisimile enim est, quòd Dauid excitatus sit ad hunc Psalmum scribendum, postquàm vnctus esset in regem Israëlis in Hébron, & Philistini incurrissent in regnum eius, vt eum statim ab initio opprimerent, quemadmodum scriptum est 2. Samuel. 5. ac postea Moabitæ quoq; & Syri, & Idumæi, grassarentur in ipsum, vt regnum eius delerent, sicut testat Scriptura 2. Samuel. 8. Sed DOMINVS contulit ei admirandas victorias aduersus omnes illos hostes: & seruauit (inquit Scriptura) DOMINVS Dauidem, in omnibus ad quęcunq; profectus est. Hoc igitur beneficium Dei commemorat Dauid, vt gloriam nominis eius, & clementiam eius, in vniuerso mundo illustret. Non facit autem mentionem eius vno tantùm & altero verbo, & quasi aliud agens, sed explicat atq; amplificat quatuor versiculis: Conuertisti (inquit) inimicos meos, Philistinos, Moabitas, Idumæos, Syros & alios, retrorsum: necesse habuerunt dare fugam, corruerunt, & perierunt. Tu enim DOMINE, qui iustè iudicas, sedisti super thronum, sedisti pro tribunali, & dijudicasti iudicium atq; causam meam, aduersus hostes meos. Ego enim electus & vnctus sum in Regem Israëlis, non mea priuata cupiditate, aut malis artibus, sed diuina vocatione, & ordinatione. Gentes autem finitimæ hostes mei, imò tui, cogitauerunt, hanc tuam ordinationem euertere, & me cum regno meo opprimere, Itaq; habui ego causam iustam, ipsi autem iniustam. Ego accepi regnum legitimè, ipsi acceperunt arma aduersus me, & regnum meum illegitimè. Quare tu DOMINE Deus noster, non existimasti amplius cessandum, sed sedisti pro tribunali, &

causam

causam nostram ita dijudicasti, vt ego tuo beneficio victoriam reportauerim, hostes autem perierint. Nec perierunt mea fortitudine, aut prudentia, sed tua ipsius potentia, industria, & increpatione. Sic enim dicebat oraculum Dei ad Dauidem: Cùm audieris sonitum clamoris, gradientis in cacumine pij eorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur DOMINVS ante faciem tuam, vt percutiat castra Philistinorum. Hæc est increpatio illa, cuius hoc loco facit mentionem, cum dicit: Increpasti gentes. Et additur: Perdidisti impium Philistinum, Moabitam, & alios hostes: deleuisti nomen eorum in æternum, & perpetuò. Hoc non est intelligendum, quòd nomen Philistinorum & aliorum hostium Dauidis ita extinctum sit, vt non amplius fiat mentio eius: sed quòd gloria, & maiestas eorum ita sit obscurata, vt nullam amplius honestam inter reliquas gentes famam habeant. Eodem sensu & illud, quod sequitur, accipiendũ est: Frameæ seu gladij inimici defecerunt in perpetuum. Ciuitates eorum destruxisti: periit memoria eorum, vnà cum ipsis. Etsi enim Moabitæ, Syri, & alij hostes, sæuierunt postea iterum in Regnum Israëlis, tamen nunquàm recuperarunt pristinam maiestatem: & necesse habuerunt vel tandem prorsus interire. Sciamus igitur ex his versiculis, victoriam non esse humanarum virium, sed donum Dei: Benedictus, inquit alias, DOMINVS Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Et nisi DOMINVS custodierit ciuitatem, &c. 2. Sam. 5.

Deinde DOMINVS Deus noster, non ob hanc tantùm causam commendatione dignus est, quòd contu-

lerit

lerit illustres victorias in Dauidem, quemadmodum iam aliquot versiculis commemoratum est, verùm etiam quòd perpetuò sibi similis, non vni tantùm Dauidi sit iustus iudex contra aduersarios eius, nec in vnum tantùm Dauidem cõferat sua beneficia: sed quòd in æternum sedeat (sicut habet septimus versiculus) & paret thronum suum ad iudiciũ, hoc est, Deus semper est iustus iudex, qui in vniuerso orbe iuste, & inter omnes populos rectè iudicet: atq; adeo sit refugiũ ac munimentum afflictorum, & oppressorum, quos etiam opportuno suo tempore, ex omnibus aduersis ac tribulationibus liberet.

Tribuuntur autem hîc DOMINO Deo nostro obseruanda epitheta, videlicet, quòd sit iustus iudex orbis, & quòd sit refugium atq; adiutor afflictorũ, tempore necessitatis. Cum aũt Deus prædicat esse iustus iudex, nõ intelligamus eum talem esse iudicẽ, qualem eum fingunt hypocritæ, videlicet, quòd respiciat tantùm humana merita, nec sit alia via placandæ iræ Dei, & placendi Deo, quàm si quis aut legi Dei perfectè satisfecerit, aut peccata aduersus legem Dei designata, operibus suis expiauerit. Hæc est Ethnica, & hypocritica, de iustitia Dei cogitatio. Deus enim idcirco vocatur iustus iudex, quòd sicut nõ respicit personas hominum, nec corrumpitur muneribus eorum, ita non respicit personarum merita, nec corrumpitur operibus earum: sed respicit tantùm causæ ipsius iustitiam, vel iniustitiam, quæ verbo eius est patefacta. Ac liquidem iudicat inter Cainum & Abelem, inter Iudæos & Hieremiam, inter Herodem & Ioannem Baptistã, inter Pharisæos & Christum, inter Scribas

&

& Stephanum, inter Gentes, & martyres. Etsi conniuet, vt hi trucidentur, illi aũt fœlicem consiliorũ suorũ euentum habeant, tamen est iustus iudex, quòd seruet innocentes & pios in media morte, nocentibus autem & impijs rependat suo tempore iniquitatem & impietatem, grauissimis supplicijs. Deinde cum iudicat inter Israëlitas & Cananæos, inter Dauidem & Goliathen, ac finitimas Gentes, inter Iosaphat & Moabitas, inter Ezechiam & Assyrios, iustus est iudex: quòd efficiat, vt illi reportent victoriam, quia habent iustam causam, hi autem pereant, quia habent causam iniustam. Quid ergo est, quòd non eodem modo seruat Abelem à Caino, & martyres à tyrannis, quo modo seruauit Dauidem à Goliathe, & Iosaphatum à Moabitis? Hîc considerandum est, quòd Deus promiserit quidem in afflictione salutem, quam & credentibus & inuocantibus ipsum præstat: modum autem, & viam seruandi, suæ sibi œconomiæ reseruauit. Ac alios quidem pios seruat, non tantùm spirituali, sed etiam corporali salute: alios autem spirituali tantùm & æterna. Quare cum Deus sit iustus iudex, benè in quauis afflictione sperandum est: quòd cum credimus, nihil certius sit salute, si nõ corporali, certè spirituali, hoc est, vera, cœlesti, & æterna. Quòd si autem Deus non iudicauerit de homine collato ad alios homines, sed inter hominem & seipsum, ac legem suam, ibi tum iterum iustus est iudex, propterea quòd ferat sententiam, iuxta sententiam legis suæ. Lex enim Dei ostendit quidem peccatum, & damnat peccatorem: non autem damnat eum, vt retineat eum in peccato & damnatione, sed vt remittat eum ad Christum fi-

lium Dei, qui peccatum expiauit, & damnationem sustulit.

Finis (inquit Paulus Rom. 10.) legis est Christus, ad iustificationem omni credenti. Et Gal. 3. Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare quisquis ad tribunal Dei vocatus, crediderit in Christum, absoluitur ab omni peccato, & damnatione propter Christum: quia Deus est iustus iudex, quòd iudicet iuxta veram sententiam legis, quæ nullam habet accusationem, aduersus eum, qui credit in Christum. Si autem vocatus ad iudicium Dei, nõ crediderit in Christum, meritò cõdemnatur, quia Deus iustus est iudex, quòd iudicet secundum sententiam legis suæ, quæ occidit, quotquot non credunt in Christum. Cum igitur dicitur, Deum esse iustum iudicem, non abijciamus fiduciam in aduersis, sed conuertamur ad Christum: vt cum in Christo consequimur remissionem peccatorum per fidem, certam expectemus liberationem, propterea quòd Deus sit iustus, & probus iudex, qui pronunciaturus sit sententiam suam de nobis, iuxta veritatem legis & Euangelij sui, qua hi qui credunt in Christum, absoluuntur à peccatis, & seruantur.

Deinde tribuitur Deo etiam illud epitheton, quòd sit refugium afflictorum, & liberator eorum, opportuno tempore. Admonet autem nos hoc epitheton, vt collocemus quidem in Deum omnem nostrã fiduciam in aduersis, nõ autem prescribamus Deo certum tempus, & modum liberationis: sed rejcianus in ipsius voluntatem & sapientiam. Non enim semper est opportunum tempus adiuuandi & liberandi, quando nobis,

nobis, sed quando DOMINO Deo nostro, qui est omnium rerum administrator sapientissimus, videtur. Quare certa quidem in quauis afflictione, fiducia salutis concipienda est. Sed quia Deus constituit, tam tempora & articulos temporum, quàm modum & viam conferendi auxilij sui, expectemus DOMINVM, & feramus interea crucem obedienter.

10. *Sperent igitur in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non deseris quærentes te* DOMINE.
11. *Psallite* DOMINO, *qui habitat in Zion, adnunciate inter gentes studia eius.*
12. *Quoniam requirent sanguinem eorum, recordatur, non obliuiscitur clamoris pauperum.*

Conclusio prioris partis, in qua conclusione, cohortatur Psalmus auditores suos ad spem, ad inuocationem, & gratiarum actionem. Sperent (inquit) in te, hoc est, inuocent te magna spe & fiducia, quotquot agnoscunt nomen tuum. Et: Psallite Deo, adnunciate inter gentes, beneuolentiam & promptitudinem Dei, in conferendo auxilio suo. Repetuntur & causæ cohortationis, Deus non deserit quærentes, hoc est, inuocantes ipsum: Deus non negligit iniuriam pijs & afflictis illatam, non obliuiscitur, sed recordatur gemituum, & clamoris eorum, ac requirit sanguinem ipsorum: non sinit inultum, quicquid vel iniuriæ vel contumeliæ, pijs ab impijs cõtigerit. Etsi sanguis piorum effusus est, & videtur à terra absorptus, tamen Deus requiret eum, & vindicabit, sicut de sanguine Abelis dicit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me

de terra, &c̃. Obseruanda sunt & hoc loco epitheta Dei, Deus non est desertor quærentium ipsum. Deus non est neglector aut contemptor precum. Deus requirit sanguinem suorum. Hæc epitheta vt sunt comprobata, tam promissis, quàm exemplis & miraculis, ita diligenter recitata & considerata, excitant fiduciam inuocandi Dei, in omnibus aduersis, & alunt spem liberationis.

13. *Miserere mei* DOMINE, *vide afflictionem meam (qua afficior) ab ijs, qui me odio habent, exalta me de portis mortis.*
14. *Idcirco adnunciabo omnes laudes tuas in portis filiæ Zion, exultabo in salute tua.*
15. *Demergantur gentes in foueam, quam faciunt in laqueo quem abscondunt, capiatur pes eorum.*
16. *Cognoscatur* DOMINVS, *iudicium faciens, in opere manuum suarum comprehendatur impius.*
17. *Conuertantur impij ad infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Dei.*
18. *Quoniam Deus non obliuiscetur pauperis in æternum, expectatio afflictorum non peribit perpetuò.*
19. *Exurge* DOMINE, *non præualeat homo, iudicentur gentes in conspectu tuo.*
20. *Constitue* DOMINE *doctorem super eos: discant gentes quòd sint homines.*

Hæc est posterior pars huius Psalmi. Constat autem precatione, qua petit, vt quemadmodum Deus antea liberauit ipsum mirando modo, ex omnibus prioribus afflictionibus, ita pergat deinceps ipsum seruare,

seruare, & aduersarios suos opprimere.

Respice obsecro DOMINE clementer ærumnas meas, in quas me inimici mei conijciunt: attolle me de portis mortis, serua me, ne tyrannide mortis opprimar: pro quo beneficio, referam quas possum gratias. Celebrabo enim nomen tuum, non in priuato angulo, sed in portis filiæ Zion, in publicis ecclesijs, in præcipuis ciuitatibus populi Dei, & prædicabo magna animi exultatione, salutem & opem, quam mihi exhibebis. Precor autem vt gentes, quæ in me sunt hostili animo, deijciantur in eam foueam, quam mihi instar venatorum parant: & capiantur in eo laqueo, quem mihi abscondunt, suo se iugulent gladio, suo, quod mihi intendunt, periculo intereant: ac peto, vt seueritas diuini iudicij in hostibus meis illustretur, ac palàm cognoscatur, DOMINVM esse iustum iudicem. Quã afflictionem impius in me cogitat, quod malum in me architectatur, hoc in caput eius recidat, vt suo ipsius dolo pereat. Hoc supplicium contingat, non illi tantùm impio, qui mihi malefacit, verùm etiam omnibus impijs gentibus, quæ non agnoscunt Deum, vel si agnouerint, deficiunt à Deo. Nec dubito quin hæc certissimè fiant. Scio enim Deum non obliuiscì semper miseriæ afflictorum, nec permittere, vt hi perpetuò spe sua frustrentur, ac in expectatione sua pudefiant, sed efficere vel tandem, vt mirando modo ab afflictionibus suis liberentur, & in æternum seruentur. Quare obsecro DOMINE, expergiscere, ac effice, ne impiorum hominum consilia promoueant, sed vt palàm supplicijs afficiantur: Et quæso te DOMINE, vt seueritate tua des documentum, quo impiæ gentes sci-

ant, se non esse quasi Deos, quales in persequendo populo tuo, videri volunt, sed esse miseros, fragiles, & abiectos homines. Hæc autem precatio non pugnat, sicut suprà ostendimus, cum lege diuina, qua nobis mandatur, vt diligamus proximum, benè precemur deuouentibus nos, benefaciamus iis, qui nos odio prosequuntur, oremus pro iis, qui nos lædunt & insectantur: in hoc enim præcepto prohibetur priuata, illegitima, & carnalis vindicta. Precatio autem huius Psalmi recitat ex Spiritu sancto, publicam & legitimam vindictam, quam lex ipsa Dei in impios pronunciat, vt sit tanquàm vaticinium de eo supplicio, quod in impios (nisi resipiscant) certò est venturum. Porro in his versiculis, præcipuè obseruandæ sunt illæ sententiæ: Impius incidit in foueam quam facit, Et: Deus non obliuiscitur afflicti. Et: Expectatio afflictorum non perit. Hæ enim sententiæ magnam afferunt consolationem, & certam spem liberationis, iis, qui in afflictione sua conuertuntur ad Deum, & inuocant eum ex fide in Christum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut duplex est argumentum Psalmi, gratiarum actio, & precatio, ita vtendum est eo, tam pro acceptis, quàm pro accipiendis à Deo beneficijs. Neq; enim commodior neq; certior est ratio impetrandorum beneficiorum à Deo, quàm si antè pro acceptis beneficijs gratum te exhibueris. Nam & hîc locum habet vulgatum prouerbium: Qui egent lucerna, infundunt oleum. Quo significatur, eos, qui cupiunt beneficia accipere, necesse habere pro beneficijs antea acceptis, gratitudinem suam testificari.

Psalmus

Psalmus decimus,

Vt quid DOMINE receſsiſti, &c.

Lorchæ, die 8. April. Anno 1557. explicatus.

TSi hic Psalmus generalis est precatio aduersus tyrannos & persecutores ecclesiæ Dei, tamen si circumferas oculos in ea tempora, quibus Saul in Israël regnauit, non est dubium, quin, cùm miserrima, tum & fœdissima fuerit facies ecclesiæ populi Dei, Dauid ea occasione excitatus sit diuinitus, ad meditandam & componendam huius Psalmi precationem. Postquàm enim Saul creatus est rex Israëlis, videbatur quidem initio veræ pietatis & honestatis studiosissimus: sed cum intelligeret regnum ad Dauidem transferendum, palàm impium suum & crudele, ac tyrannicum ingenium prodidit. Primùm enim nõ solum persecutus est Dauidem extremo furore, verùm etiam iussit ob leuem tantùm suspiciunculam, summum Sacerdotem Achimelech, vnà cum reliquis octoginta quinq; Sacerdotibus, crudeliter occidere, ac vniuersam ciuitatem eorum, vnà cum omnibus ciuibus, mulieribus, pueris, infantibus, bobus, asinis & ouibus, immaniter vastare, & contrucidare. Quæ autem potuit esse ecclesiæ Dei in tam fœda, & immani innocentum 1. Reg. 22

innocentum sacerdotum strage, tranquillitas & incolumitas? Deinde, etsi Samuel Propheta, qui Saulem in regem vnxerat, adhuc vitam in terris agebat, & non occidebatur à Saule, tamen versabatur in magnis vitæ suæ periculis: & necesse habebat ipse quoq; propter tyrannidem & impietatem Saulis quasi exulare. Et cum Saul non potuerit ignorare, Dauidem à Samuele in Regem designatum, non pepercisset ne Samueli quidem, nisi metu Israëlitici populi à cede eius retractus fuisset. Itaq; necesse habuit vniuersus tam Sacerdotum quàm Prophetarum (hoc est) studiosorum verbi Dei ordo, in maximo semper discrimine esse. Vnde & in priori libro παραλειπομένων, cap. 13. dicitur: Non requisiuimus Arcam DOMINI Dei nostri, in diebus Saul. Quæ res testimonium dicit, quòd ecclesia Dei temporibus Saulis, mirificè fuerit afflicta, & deformata. Cum igitur Dauid reputaret cum animo suo tantam ecclesiæ suorum temporũ fœditatem & vastitatem, excitatur & inflammatur rei indignitate, ac erumpit in hanc vocem.

1. *Vt quid* DOMINE *consistis à longè, occultas (te) in tempore tribulationis.*

Hæc quidem expostulatio videtur, non autem impia, sed pietatis plena. Quod enim dicit, hanc habet sententiam. Cum & ego & vniuersa ecclesia, videmur in maximis periculis, propter impietatẽ & tyrannidẽ Saulis versari, videtur quidem nobis, te à parte aduersarij nostri stare, ac à nobis faciem tuam abscondisse, nosq; deseruisse. Sed benè habet: quo longius videris

deris à nobis recessisse, eo nobis propinquior es. Quare non murmuro aduersus te: sed ad te confugio, te inuoco, vt nobis in tanta afflictione succurras. Itaq; Dauid formatpropositionem huius Psalmi, interrogatione, non quòd accusetDeum ignauiæ, aut desertionis, sed vt hac figura loquendi exprimat vehementiam affectus sui, quo petiturus est cœlestem opem. Nam & eodem consilio commemorat ingenium impiorum, sicut sequitur.

2. *Cum exaltatur impius, persecutionem patitur pauper, mordidicus tenent (impij) consilia, quæ excogitant (aduersus pios.)*

3. *Gloriatur impius de sua petulantia, & tyrannus applaudens (sibi) blasphemat* DOMINVM.

4. *Impius præ superbia iræ suæ non requirit (Deum,) omnes cogitationes ipsius (eò spectant) quòd non sit Deus.*

5. *Prosperum habent successum viæ eius, quouis tempore, longè sunt iudicia tua ab ipso, contra omnes inimicos suos inflatus est.*

6. *Dicit in corde suo. Non mouebor à generatione, in generationem, quia ero sine malo.*

7. *Os eius plenum est execratione, dolo & fraude: sub lingua eius labor & dolor.*

8. *Sedet insidiando in atrijs, in abscondito interficit innocentem, oculi eius in pauperem intenti sunt.*

9. *Insidiatur in abscondito, sicut Leo in spelunca, insidiatur vt rapiat pauperem, adeoq; rapit pauperem cum attrahit eum laqueo suo.*

10. *Percutit, humiliat, & deijcit violenter pauperes.*

11. *Dicit in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, ne videat vt perpetuò non videat.*

Memorabilis ὑποτύπωσις, qua exponit, & sub oculos subijcitur ingenium & mores impiorum. Siue enim Dauid intelligat Saulem, siue alios notet, certè his versiculis impij ita adumbrantur, vix vt aliàs imago eorum magis perspicua extet.

Primum enim, cum exaltatur, inquit, impius, persecutionem patitur pauper, impius eo est ingenio, vt si quando consequitur gloriam, sapientiam, potentiam, regnum & maiestatem, non conferat ea ad celebrandum nomen DOMINI, & ad iuuandam miseram atq; afflictam ecclesiam Dei, sed potius ad persequendam & opprimendam eam. Exempla sunt Saul, Hierobo-am, Iulianus, &c.

Deinde impij, si quæ consilia aduersus pios capiunt, nõ facile mutant, sed tenent ea mordicus, & exequuntur ea quoquo modo possunt. Sicut Cain non potuit ne diuina quidem admonitione à fratricidij sui instituto auerti: sicut Pharao nullis potuit miraculis cohiberi, quo minus opprimeret Israëlitas: sicut Saul non potuit vllis vel amicorum, vel etiam dilectissimi filij sui Ionathæ precibus permoueri, vt consilium occidendi Dauidis abijceret. Tanta enim est pertinacia impiorum, in persequendis pijs, vt malint ipsi quoq; perire, quam pios non perdere.

Adhæc impius tanta est impudentia & procacitate, vt etiamsi afficiat DOMINVM blasphemia, & prouocet eum manifesta sua tyrãnide ad iram, tamen applaudat sibi, ac glorietur se Deo gratissimum præsta-

re

re cultum. Sic Saul, contrucidatis sacerdotibus, & ciuibus in Nob, exultat, quasi re optimè gesta, quòd pro sua opinione, seditiosi, dignum factis supplicium recepissent. Sic Pharisæi & Pontifices applaudunt sibi, cum Christum crucifixissent, quòd cogitarent, se hominem longè omnium sceleratissimum de terra sustulisse. Et Christus ad Apostolos ait: Veniet tempus, vt quisquis interficiat vos, videatur cultum præstare Deo.

Præterea impij tanta sunt arrogantia, tanto animi tumore, vt in negotijs suis nullam prorsus habeant rationem Dei, aut verbi eius: sed contemnant Deum, vna cum verbo, præceptis & mandatis eius, adeoq; haud obscurè vniuersis suis consilijs, & institutis significent, quòd nõ credant Deum esse: tantum abest, vt Deum sibi ob oculos ponant & timeant. Ac profectò mirandum est impiorum ingenium, quòd etsi non verè credunt Deum esse, tamen semper habeant Deum in ore, glorientur de Deo, & iactent, se in actionibus suis, solam nominis Dei gloriam quærere. Dicit insipiens (inquit alius Psalmus) in corde suo, nõ est Deus. Et Paulus ad Titum: Deum, inquit, profitentur se scire, cæterùm factis negant: cum sint abominabiles, dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

Deinde impij sunt inflati, & omnium hominũ contemptores. Hoc autem inde accidit, quia habent in hoc seculo fœlicem rerum suarum euentũ. Iudicia Dei longè sunt ab eis (hoc est) nõ affliguntur à Deo, & vt alius Psalmus dicit, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Et Iob. cap. 21. Impij *Psal. 72.*

viuunt, ſubleuati ſunt, confortatiq́ diuitijs, ſemen eorum permanet coram eis. Ex mox: Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, non eſt virga Dei ſuper illos. Et Hier. 12. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt. Vnde & vulgo prouerbium iactatur. Quo peior homo, eo melior fortuna. Cum ergo impij ſint in hoc mundo fœlices, idcirco inflantur aduerſus omnes inimicos ſuos, & cõtemnunt præ ſe omnes homines. Sic Eccleſiaſti. cap. 8. Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.

Adhæc impij ſunt ſecuri: Pollicentur ſibi magnam & diuturnam fœlicitatem. Non mouebor, inquit, impius, à generatione in generationem, hoc eſt, nulla vnquàm accidet mihi calamitas, ſemper perdurabo in mea fœlicitate: nec eſt qui mihi eam adimere queat. Sic dicit impius apud Moſen. Deut. 29. Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et Eſa. 28. Dicunt impij: Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans, cum tranſierit, non veniet ſuper nos.

Inſuper. Quæ docent aut loquuntur impij, nõ ſunt niſi impia, execranda, fraudulenta, doloſa, & afferunt laborem ac dolorem, conijciunt homines in exitium & interitum. Non enim docent Verbum Dei, ſed humanas tantùm traditiones: & niſi quis eas approbauerit, ac ſequatur, deuouent eum diris execrationibus. Quod ſi vero eas fueris ſecutus, ducunt te in perpetuas ærumnas, vnde Eſa. cap. 59. de doctoribus humanarum traditionum ait, Conceperunt laborem, & pepe-

pepererunt iniquitatem, Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, &c.

Præterea impij inſidiantur alienæ fœlicitati, fortunis & vitæ. Ac præſertim in aulis principum, calumniantur innocentes, ac obſeruant ſicut Leones in ſpeluncis ſuis, omnes occaſiones, quibus miſeros homines capiant & opprimant. Exemplum, eſt Doeg 1. Reg. 22. Deinde impij ſunt crudeles, & viri ſanguinum. Exempla ſunt Cain, Saul, Achab, Caiaphas, Phariſæi, &c.

Ac breuiter impij ſunt Epicurei, hoc eſt, contemptores Dei: multa quidem concionantur de Deo, ſed in corde ſuo non agnoſcunt Deum: aut enim non credunt eſſe Deum, aut exiſtimant eum non curare humana. Sperant ſe impunè laturos, quicquid mali aduerſus pios deſignauerint, propterea quòd putent Deum non requirere, quid in terris inter homines fiat, aut obliuiſci ſcelerum. Iob. 22. Quid nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. Hier. Thre. 3. Ex ore altiſsimi non egrediuntur, nec bona, nec mala. Ezech. 8. & 9. Dicunt impij. Non videt DOMINVS nos, dereliquit DOMINVS terram.

Habes ingenium & mores impiorum: ſed quo conſilio, & in quem vſum recitat ea Dauid? Num vt exponat ea Deo ignoranti? Nihil minus, Deus enim eſt ſcrutator cordium, & patent coram eo, non homines tantùm ſiue pij, ſiue impij, verùm etiã vniuerſæ creaturæ:

turæ: sed recitat, vt seipsum admoneat periculorum, quæ sibi ab impijs impendent, & excitet in se maiorem precationis vehementiam & ardorem, vndè & sequitur.

12. *Exurge* DOMINE *Deus, exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.*
13. *Propter quid blasphemat impius Deum? Dicit in corde suo, quod non requiras.*
14. *Certè vides, quoniam tu laborem & dolorem aspicis, vt recipias in tuam manum, in te reijcitur pauper, Orphano tu es adiutor.*
15. *Contere brathium impij, inquire in malignum, tunc impietas eius non inuenietur.*
16. DOMINVS *regnat in æternum & perpetuò, pereunt gentes de terra sua.*
17. *Desiderium pauperum exaudis* DOMINE, *confirmas cor eorum, attendit auris tua.*
18. *Vt vindices pupillum & oppressum, ne deinceps committat homo de terra, vt conterat (eos.)*

Post descriptionem ingenij impiorũ, subijcit precationem, in qua non solùm petit defensionem, aduersus insidias & crudelitatem impiorum, verùm etiam refutat antithesi, Epicuræam opinionem eorum, qui sentiunt, Deum non curare humana, & non respicere miseros & afflictos homines. Cum ergo tanta sit impiorum superbia, tyrannis, crudelitas, securitas, & iniquitas, quanta nunc enumerauí, exurge quæso DOMINE, & illustra manum seu potentiam tuam: ac effice, ne impij nomen tuum impunè blasphement.

Ostende

Ostende reipsa, proba factis, quòd & corde impiè de te sentiant, & verbis pura puta mendacia, & execrandas blasphemias de te spargant. Dicunt te obliuiscì pauperum & afflictorum, tu autem non obliuiscēris. Dicunt te non requirere, nec videre, aut curare, quid orphano & pupillo in his terris accidat, tu autem requiris & vides, tu es ille qui verè nouit, & animaduertit, quantos labores, quantas ærumnas, quantos aduersariorum furores, & impetus sustineant pij homines, & vt alius Psalmus habet, tu passus fugæ eorum numeras, & lacrymas eorum in vtrem tuum colligis, ac gemitus ipsorum in registro tuo consignas. Dicūt, pios esse à te desertos, tu autem tunc maximè omnium, in manum, & tutelam tuam recipis eos, cum videntur esse abiectissimi. Dicunt miseros & orphanos non habere vllum adiutorem, Hi autem tunc maximè omnium à te respiciuntur, & conseruantur, cum nullum vspiam auxilium apparet. Dicunt sibi nullam vnquam posse calamitatem accidere, & pollicentur sibi perpetuā fœlicitatem. Quæso autem te DOMINE, vt quod potes, brachium seu potentiam eorum conteras, & in impietatem eorū inquiras, ac eam iudicandam, & puniendam suscipias. Sic enim fiet, vt reipsa cognoscatur, impiam eorum securitatem, & fœlicitatem non constare, nec perdurare. Dicunt regnum orbis terrarum ad se pertinere, & inflantur erga omnes homines, qui se ipsis opponunt. Ego autem dico, quòd DOMINVS regnet, idq; non vno tantùm, & altero anno, sed in æternum & perpetuò: & quod regnum impiarum gentium, necesse habeat, vel tandem perire. Dicunt Deum non respicere gemitus pauperum, nec curare

Psal. 55.

curare ægritudinem cordis eorum, nec arrigere aures
suas ad preces eorum, vt supplicium sumat de ijs, qui
ipsos violenter, & crudeliter opprimunt. Tu autem
DOMINE, tanto magis exaudis gemitus, & curas af-
flictiones cordis, atq; animaduertis preces eorum,
quanto crudelius ab impijs tractantur. Itaq; statues
in impios tam horribile exemplum, vt hoc alij homi-
nes admoniti, & exterriti, nihil deinceps mali aduer-
Pro.19. sus pios meditentur. Pestilente enim flagellato, stul-
tus sapientior erit.

Habes in hac posteriori parte huius Psalmi, refu-
tationem sententiæ impiorum Epicuræorum, qui ne-
gant Deum habere curam rerum humanarum, ac pre-
sertim miseræ, & afflictæ suæ ecclesiæ. Etsi autem
verba tantùm verbis simpliciter opponuntur, tamen
manifestum est testimonium eorum, quòd Psalmi non
sint somnia hominum, sed oracula Spiritus sancti.
Et extant etiam alia testimonia in libris Mosi, in Io-
be, in Iosua, in historijs Iudicum, in cantico Deboræ,
& in cantico Hannæ matris Samuelis, quæ scripta
extabant in ecclesia Dei, priusquàm Psalmi Dauidis
conscripti, & in vnum volumen collati fuerunt. Ex-
empla quoque & miracula, quibus sententiæ huius
Psalmi probantur, non erant illis temporibus igno-
ta.

Accedit & hoc, quòd Psalmi non sunt hoc consi-
lio scripti, vt essent prolixa commentaria, sed tan-
tùm indices, & compendia rerum gestarum, ac bre-
uia piæ doctrinæ capita. Quare non est mirandum,
quòd in hoc Psalmo nudæ tantum sententiæ Spiri-
tus sancti, nudis sententijs Epicuræorum opponan-
tur.

tur. In explicatione autem Psalmi conferenda sunt, quæ aliàs ad confirmandas has Spiritus sancti sententias, & ad confutandam Epicuræorũ impietatem extant. Genes. 12. Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi. Hæc promissio testificatur, Deum defendere pios, & opprimere aduersarios eorum. Exod. 15. Ego sum DOMINVS Deus, medicus tuus. In hac promissione recipit Deus se curaturum omnia aduersa piorum. Num. 9. Nubes per diem, & species ignis per noctem supra tabernaculum DOMINI, testabantur, DOMINVM populo suo ab omnibus deserto, præsentem esse, & tueri eum. Deut. 4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Hoc quid est? Nisi illud Psalmi. Desiderium pauperum exaudis DOMINE, &c̃. Et Deut. 10. DOMINVS Deus vester facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atq; vestitum. Iud. 5. Sic pereant omnes inimici tui DOMINE, Qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent. Huc etiam pertinent miracula, quæ in his libris, vnde & petenda sunt, recensentur, ac probant, Deum respicere afflictos, & punire impios, ac securos Dei contemptores.

R VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut Dauid hoc Psalmo vsus est, non solùm contra Regem Saulem, & Aulicos, qui erant impij Hypocritæ, & crudeles persecutores piorum, ac contemptores Dei, & verbi eius, verùm etiam aduersus finitimas gentes, quæ tam insidijs, quàm bellis populum Dei persequebantur, ita nobis eo vtendum est, primùm aduersus Turcas, qui sperant fœlicitatem suam, quam habent in opprimendis Christianis, perpetuam fore: & blasphemant Christum filium Dei, tanquàm imbecilliorem, quàm qui possit populum suum defendere. Tales enim sunt Turcæ ingenio & impietate, quales impij in hoc Psalmo describuntur.

Deinde vtendum est eo aduersus tyrannos & hypocritas, persecutores Euangelij, qui noctu diuq; consilia capiunt, quibus prædicationem Euangelij de medio tollant, & miseram Ecclesiam opprimant. Sic potuit eo vti Stephanus aduersus consilium Pontificum Act. 6. & 7. Et Petrus cum ab Herode captiuus tenebatur, Actor. 12.

Postremo licet eo vti in priuatis quibuscq; tentationibus, de cura Dei erga se in aduersis. Cum enim aduersa apparent nobis grauiora, quàm vt ferre queamus, sollicitatur animus, vt existimet Deum negligere preces nostras, & non curare afflictionem nostram, nosq; omni humano auxilio destitutos, etiam

à Deo

à Deo ipso desertos esse. Hîc ergo opportunum est, hunc Psalmum in manus sumere, & ex eo imbecillitati fidei, atq; ægritudini animi succurrere.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS SECVNDA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
M. D. LXV.

PSALMI SECVNDÆ Decadis.

11. *In* DOMINO *confido, quomodo dicitis, &c.*
12. *Saluum me fac* DOMINE.
13. *Vsq; quò* DOMINE.
14. *Dixit insipiens in corde suo.*
15. DOMINE *quis habitabit in tabernaculo tuo.*
16. *Conserua me* DOMINE.
17. *Exaudi* DOMINE *iustitiam meam.*
18. *Diligam te* DOMINE *fortitudo mea.*
19. *Cœli enarrant gloriam Dei.*
20. *Exaudiat te* DOMINVS *in die tribulationis.*

Psalmus vndecimus,

In DOMINO confido, quomodo dicitis, &c.

In Alperspach, die 27. Iunij, Anno, 1557. explicatus.



Ic Psalmus non est precatio, sed confessio fidei, aduersus calumniatores. Cum Dauid in exilium nunc quidem à Saule, nunc autem à filio suo Absolone pelleretur, incurrit, vt fieri solet, in varia hominũ iudicia. Alij enim iudicabant eum seditiosum, & virum sanguinum, ideoq; diuinitus ac iustè affligi. Alij sentiebant eum innocentem quidem esse, sed non posse è tot aduersariorum calumnijs eluctari, iuxta vulgatum dictum: Aduersus sycophantæ morsum nullum est remedium. Sunt quidem sua remedia aduersus omnia penè corporalium vulnerum genera inuenta: aduersus autem ictum calumniatoris, nullum videtur remedium. Qui ergo ita affecti sunt, vt existiment fieri non posse, quin opprimatur is, qui multorum, ac præcipuè potentum & sapientum calumnijs percellitur, reprehenduntur hoc Psalmo, & eruditur, quòd etsi nulla patet via liberationis à calumnijs sycophantarum apud homines, multa tamen & magna ac certa sit salus apud DOMINVM, Deum nostrum. Vbi enim desinit auxilium humanum, ibi inci-

pit diuinum. Itaq; ſententia Pſalmi, vt paraphraſi explicetur, hæc eſt. In tantis calumnijs, quibus me hoſtes mei præmunt, colloco omnem fiduciam meam in ſolo DOMINO Deo noſtro: nec ſinam me vnq; ab hac ſtatione depelli. Etſi enim impij mei aduerſarij excogitant, & aduerſus me varias calũnias, vt clam tanq; ſagittis, me ex inſidijs traijciãt & cõfodiãt, ac firmiſſima quæq; mea præſidia, ita ſubuertere videntur, vt nuſq; mihi euadendi via pateat, tamen DOMINVS, qui & in templo Hieroſolomitano colitur, & in cœlo habitat, omnia intuetur, ac rectè iudicat inter pios & impios. Fauet enim pio, etiamſi affligatur: odio autem habet impium, etiamſi proſperum habeat rerum ſuarum ſucceſſum. Et perdet tandem impium horribili genere ſupplicij: pium autem conſeruabit perpetuò. Quare pius optimè ſperet, & certò confidat, quòd etiamſi calumniæ ſycophantarum ad tempus obtineant, tamen DOMINVS tuebitur eum mirando modo.

1. *In* DOMINO *confido, quomodo dicitis animæ meæ, fuge montem veſtrum velociter.*

Vbi vetus tralatio habet: Sicut paſſer, ibi Hebræus habet צִפּוֹר Zipor, quod eſt generale nomen auiũ, ac ſignificat etiã, manè ſurgere. Nos igitur interpretati ſumus pro velociter ſeu citò. Solenne enim eſt Hebræis, vt non tantùm nominibus adiectiuis, verùm etiam ſubſtantiuis pro aduerbijs vtantur. Sic Pſalmo 2. Pereatis de uia, vbi pro (via) Hebræus habet דֶּרֶךְ Derech, quod ſignificat quidem viam, ſed ſumitur

mitur hoc loco aduerbialiter, pro subito, quod Germanicè dicitur, ſtracks Wegs.

Hic ergo verſiculus eſt propoſitio Pſalmi, & continet tam confeſsionem fidei, & reiectionem, ac reprehenſionem eorum, qui ad dubitationem aut incredulitatem, propter grauitatem & magnitudinem calumniarum ſollicitant. Et hæc eſt ſententia. Vos quidem ſiue amici, ſiue inimici mei, dicitis animæ meæ, vt fugiat montem veſtrum velociter, hoc eſt, vt abijciat omnem ſuam fiduciam, quam habet in verum Deum, qui in monte Zion colit. Vos exiſtimatis me è tot ac tantorũ hominum calumnijs nõ poſſe eluctari, ac me fruſtra ſperare cœleſtem opem. Ego vero haudquaq; committã, vt abijciam fiduciam meam in DOMINVM. Ego etiamſi fractus illaberetur orbis, in DOMINO tamen confido. Cæterum quòd in hoc verſiculo, per montem intelligatur DOMINVS Deus noſter, vſitatum eſt in Scriptura, partim, quòd qui in monte Zion colebatur, verus erat Deus: partim, quòd Chriſtus filius Dei, verus & æternus Deus, reuelandus erat prædicatione, miraculis, & miſsione Spiritus ſancti, in monte Zion, & in vrbe Hieruſalem. Pſal. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet mihi auxilium, hoc eſt, ad Deum, qui in montanis Zion colebatur. Eſa. 2. In nouiſsimis diebus erit præparatus mons, domus DOMINI in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles. Et fluent ad eum omnes gentes. Et cap. 31. Dixit DOMINVS, cuius ignis eſt in Zion, & caminus eius in Hieruſalem.

2. *Quoniam ecce impij intendunt arcum, parant ſagittas ſuas*

super neruum, vt sagittent in obscuro rectos corde.

3. *Quæ firma (videbantur) subuertunt. Iustus quid faceret.*

4. DOMINVS *in templo sancto suo*, DOMINVS *cuius sedes est in cælo, oculi eius aspiciunt, palpebræ eius explorant filios hominum.*

5. DOMINVS *explorat iustum, & impium. Sed anima eius odit illum, qui diligit iniquitatem.*

6. *Pluet super impios fauillas ignis & sulphur, ac spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

7. *Quoniam iustus* DOMINVS, *diligit iustitias, & vultus eius aspiciunt rectum.*

Hi sex versiculi sunt ratio propositionis, cuius sententiam paraphrasi percurremus. Confido, inquit, in DOMINO, nec sequar consilium eorum, qui me ad abijciendam fiduciam, propter magnitudinem calumniarum cohortantur. Quid ita? Quia etsi impij calumniatores in hoc solum studium incumbunt, vt venenata sua lingua, quæ est velut arcus & sagitta, me & alios pios, clam in extremum interitum conijciant, ac omnia, quæ nobis tutissima & firmissima præsidia videntur, suis calumnijs ita inuertant, vt nullum nobis effugium pateat, & palàm glorientur, iustos imbecilliores esse, quàm vt possint resistere, aut euadere. Hæc (inquam) etsi ita se habent, tamen Deus, qui in templo sancto suo, Hierosolymis colitur, & in cœlo habitat, hoc est, non commenticius Deus, quales Ethnici Deos colunt, sed verus & æternus Deus, non deserit pios, nec approbat causam impiorum sycophantarum: sed facit quod est æqui iudicis, Non accipit cuiusquàm
Deut. 1. personam, audit sicut magnum, ita & paruum, cognoscit

gnoſcit cauſam, tam piorum quàm impiorum: ac hos quidem odio habet ex animo, & deteſtatur eos. Nec committet, vt impietatem ſuam diu impunè ferant, ſed ſicut quondam pluit ignem & ſulphur, ſuper Zodomam, & Gomorrham, ita afficiet etiam impios calumniatores horribili ſupplicio. Quod enim accidit Zodomitis, hoc idem merentur ſycophantæ: & quam ſupplicij partem, quem pœnę calicē effudit DOMINVS ſuper Gomorrhitas, eundem effundet etiam ſuper calumniatores. Hæc eſt (inquit) pars calicis eorum, hoc eſt meritū ſupplicium, quod ipſis propter impietatem debeē: Sicut & aliàs calix more Hebræo pro ſua cuiq; aſsignata portione, ſiue fœlicitatis, ſiue infœlicitatis, accipitur. Pſal. 16. DOMINVS pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Hier. 49. Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent, &c̄. Matth. 20. Poteſtis ne calicem bibere, quem ego bibam, hoc eſt, ſuſcipere in vos ærumnas & afflictiones, quæ mihi accident? Sicut autem DOMINVS abominatur impios ſycophantas, & perdet eos horribiliter, ita amat ex animo pios, iuſtos & rectos corde, & complectitur eos tanta cura, vt ad interitum eorum haudquaquàm conniueat. Quare cum nos, in quos multæ & magnæ calumniæ, tanquàm iacula & ſagittæ conijciuntur, habeamus iuſtam cauſam, non eſt nobis de cœleſti ope dubitandum, ſed optimè de diuina clementia confidendum, quòd etſi nos quoq; ſumus coram Deo peccatores, tamen Deus tanta eſt bonitate, vt remittat nobis credentibus in Chriſtum peccata, & conſeruet nos in omnibus aduerſis, impœnitentes autem ſycophantas perdat.

Ex

Ex his initiò obseruandum est, in quod genus peccatorum referendi sint sycophantæ & calumniatores. Dicit enim Psalmus: Intendunt arcum, parant sagittas, vt clàm interimant rectos corde, Hoc autem est Sicariorum, & homicidarum. Calumniatores igitur non pertinent in catalogum leuium, sed grauissimorum scelerum, & reputantur in iudicio Dei pro homicidis. Psal. 57. Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ & lingua eorum gladius acutus. Prouerb. 25. laculum & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Vnde & Deut. 19. redditur falso testi, & calumniatori, sicut cogitauit fratri suo facere: Non misereberis (inquit) eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Memorabile est, quod Thearidas quidam Dux Lacædemonius de calumnia dixit, cum enim gladium cote acueret, rogatus à quodam, num esset satis acutus, respondit: Acutior calumnia. Significans, calumniam esse rem nocentissimam.

Acutior calumnia.

Deinde obseruanda est grauitas huius peccati, ex grauitate supplicij. Sicut enim quondam Zodomitæ perierunt igni & sulphure, ita Psalmus dicit, calumniatores simili supplicio dignos esse. Pluet (inquiens) super eos carbones ignis, & sulphur, &c. Hæc eo commemorantur, vt cognita magnitudine & grauitate huius peccati à mutuis calumnijs abstineamus.

Postremò, hi versiculi commendant Deum, à iustitia, æquitate & rectitudine iudicij sui, vt pij, qui ab impijs affliguntur, in aduersis bene confidant, nec sinant se à fiducia abduci. Etsi enim in præsentia non videtur

detur niſi interitus, & pñ ſua quoq; peccata habent, tamen Deus condonat ipſis peccata, propter Chriſtũ, in quem credunt, & patefacit vel tandem ſententiam iudicñ ſui aduerſus impios, vt pñ mirando modo ſeruentur. Vnde veteres dixerunt, Deum habere laneos pedes, quòd lentè ad vindictam procedere videatur. Sed quo tardius, eo grauius de ſceleratis ſupplicium ſumit.

Lanei pedes DEI.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus eſt διδακλικὸς. Docet igitur veram rationem, qua calumniam effugere, & ſuperare queamus. Alñ aliud aduerſus calumniam remedium quærunt. Hic execratur, & diris deuouet calumniatores, ac viciſsim excogitat calumnias: ſed hoc modo augetur malum, non tollitur, Ille nimis accurata & loquaci vtitur excuſatione: ſed quia veritatis ſimplex eſt oratio, in ſuſpicionem tanto maiorem incurris, quanto magis anxia & moroſa eſt excuſatio. Appelles pictor vltus eſt calumniam publica pictura. Sed non eſt melior ratio vltionis, quàm quæ nobis in hoc Pſalmo demonſtratur: videlicet, vt quò grauior eſt calumnia, eò maiorem fiduciam cõcipiamus, & ſperemus, quòd DOMINVS nos, ſicut in media morte, ita & in medijs calumnijs ſit ſeruaturus, & innocentiam noſtram tandem patefacturus. Poſtquàm enim Chriſtus filius Dei ſuſtinuit varia genera calumniæ, ita eam ſanctificauit, vt neceſſe habeat pijs credentibus in Chriſtum eſſe adiumento, ad gloriam nominis eorum: tantùm abeſt, vt ſit ipſis perpetuò ignominioſa & pernicioſa.

Psalmus duodecimus,

Saluum me fac DOMINE. &c.

Apud Diuum Georgium in Sylua Marciana, quam nunc vocant Harcyniam, die 29. Iunij Anno 1557. explicatus.

MVltæ sunt causæ, cur Deus conniueat, vt pij in hoc seculo affligantur. Inter eas autem causas, non est postrema, quòd objiciat pios varijs ęrumnis: vt postquam fuerint diuina clementia, & mirando modo conseruati ac liberati, prędicent gloriam nominis Dei, commendent gratuitam misericordiam eius, & excitent alios afflictos, ad fiduciam & inuocationem
2. Cor. 1. Dei. Deus pater misericordiarũ (inquit Paulus) consolans nos in omni afflictione nostra, in hoc, vt possimus consolari eos, qui sunt in quauis afflictione, per consolationem, qua nos ipsos consolatur Deus. Cum igitur Deus complecteretur Dauidem ingenti fauore & gratia, permisit, vt varijs calamitatibus exerceretur: non eo consilio, vt opprimeretur, & periret, sed vt mirabiliter conseruatus, alios exemplo suo ad spem & animi fortitudinem cohortaretur. Inter eas autem calamitates, quæ acciderunt Dauidi, non solùm numeranda est persecutio manifestorum hostium, verùm etiam

etiam pericula inter adulatores, fictos amicos, falsos fratres, Thrasones, & Pyrgopolinices, qui solent opem suam magnificis & prolixis verbis polliceri: sed tantum abest, vt in periculis aliquid opis misero conferant, vt potius eum calumnijs, proditionibus, & alijs malis artibus opprimere studeant. Quare Dauid instituit in hoc Psalmo querelam, quòd multi quidem videantur, si promissa eorum respicias, beneuoli, amici & fautores: sed si opera eorum consideraueris, omnia plena sunt mendacijs, simulatione, hypocrisi, & perfidia. Non solùm autem conqueritur in hoc Psalmo de paucitate verorum amicorum, & piorum hominum, verùm etiam addit consolationem, vt qui in periculis deseruntur ab amicis, sciant se diuinitus adiuuari, & tam inter manifestos inimicos, quàm inter hypocritas, & falsos amicos conseruari.

1. *Salua* DOMINE, *quoniam rarus est beneficus, & pauci sunt synceri inter filios hominum.*
2. *Vana loquuntur, cum proximo quisq; suo, labijs blandis, & alio atq; alio corde loquuntur.*

In his primis duobus versiculis continetur querela de paucitate eorum, qui sunt verè candidi, integri, & synceri amici. Nam quod initiò dicit: Salua DOMINE, non est propriè precatio, sed potius admiratio, pro quo Latinè dici solet: Bone Deus. Vel: O factum malè, Et Germanicè: Hilff Gott/ wol seindt so wenig frummer Leut/ vñ rechtgeschaffene Freündt auff erden reich. Rem mirandam & miserandam, quòd tam pauci sint veri, & integri amici: plenus autem sit orbis

terrarum eorum hominum, qui verbis quidem amicitiam præ se ferunt, sed in corde gestant inimicitiam: qui altera manu panem ostentant, altera lapidem ferunt: qui blanda loquuntur, sed hostilia meditantur: qui quæ dicunt, non simplici, sed duplici, hoc est, vano, vario, & inconstanti corde dicunt. Prouerb. 20. Multi homines misericordes, seu benefici vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? Queruntur etiã Ethnicorum literæ de perfidia amicorum.

Ouidius. Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur:
Vulgus amicitias vtilitate probat.

Et iterum.

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis.
Vt vera nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs, lacera naue, relinquor aquis.

Ac rursus.

Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Et Germanicus Rhytmus.

Freündt in der not/
Gehn fünffundzwentzig auff ein Lot/
Sols aber ein harteer Stande sein/
So gehn jr fünffzig auff ein Quintlein.

Hæc autem eo recitantur, vt agnito hominum ingenio, vtamur quidem amicorum opera, dum & quatenus licet; nõ collocemus autem fiduciam nostram in

vllo

vllo homine, quantumuis amico: sed tantùm in DOMINO Deo nostro.

3. *Succidat* DOMINVS, *omnia labia blandiloqua, linguam loquentem magnifica.*
4. *(Eorum) qui dicunt, quod verbis loquimur, confirmabimus rebus. Sermo noster in manu nostra est, quis est qui possit promissa nostra impedire?*

Postquàm Dauid commemorauit in primis versiculis paucitatem integrorum amicorum, & perfidiam hominum, excitatur indignitate rei, & inflammatur aduersus hypocriticos amicos, tãto spiritu, vt inueharatur in ipsos grauissima imprecatione: Vtinam, inquiens, DOMINVS excindat omniũ eorum labia, & linguas, qui in promittenda sua ope proijciunt ampullas, & sesquipedalia verba, ac sanctissimè recipiunt, se promissa sua certissimè seruaturos: quippe quòd tanta sint, & potentia, & autoritate, vt quod volunt, facere possint, & quod verbis pollicentur, factis præstare queant. Neminem enim tam potentem esse, qui dominationem in ipsos habeat, & voluntatem ipsorũ impedire possit. Et tamen cum res auxilium eorum serio postulauerit, non solùm non præstant, quod promiserunt, verùm etiam maiora dant damna, quàm hostes ipsi. Quid ergo? Licet ne pio homini, perfidis amicis imprecari, vt linguæ eorum excindantur? An non benè precandum est, etiam inimicis? De hac re sæpè in exponendis Psalmis admonemur. Alia enim est imprecatio spiritus, alia carnis. Ac imprecatio quidem carnis execranda est, & Deo abominanda,

quales ferè sunt vulgares hominum imprecationes. Imprecatio autem è Spiritu sancto excitata, qualis est hoc loco Dauidis, non est nisi annuntiatio, & explicatio seueritatis diuini iudicij erga impios: quæ adnuntiatio, cum in ijs, qui ad hoc munus à Spiritu sancto vocantur, sit officium, non est peccatum aduersus Deum, sed obsequium erga Deum. Cauendum autem est summo studio, ne nos ipsos decipiamus, & ne quod carnis est, spiritui imputemus.

5. *Propter desolationem pauperum, & propter gemitum inopum, nunc exurgam dicit* DOMINVS, *collocabo eum in salute, consolatio erit eis.*

6. *Eloquia* DOMINI, *eloquia pura (sicut) argentum, examinatum in vasculo testaceo, purgatum septies.*

Quid ergo fiet homini pio, sic tam turpiter ab amicis in medio inimicorum deserto? Nunquid quemadmodum deseritur ab hominibus, ita deseretur etiam à DOMINO Deo nostro? Nihil certè minus, sed quò magis destituitur humana ope, eò propinquius est ei cœleste ac diuinum auxilium. Nunc (dicit DOMINVS) exurgam. Antè quidem videbar dormitare, cum adhuc aliquid humanæ spei adesset. Nunc autem postquàm pauperes, inopes, & afflicti mei, ita sunt ab hominibus deserti, vastati & oppressi, vt nihil aliud præter gemitum eis sit relictum, expergiscar, & seruabo eos mirando modo, conferam in eos certissimam salutem, vt multò maiorem consolationē accipiant, quàm antea tristitiam habuerunt: & non tam falsi sint eloquio & promissione vanorum amicorum, quàm iuuabuntur

buntur & seruabuntur meo eloquio, & certitudine meæ promissionis. Longè enim alia est ratio eloquiorum ac promissionum Dei quàm hominum, etiam amicissimorum. Horum enim eloquia seu promissa solent esse vana, incerta, instabilia, & mendacia, nec constant in aduersis, & qui ijs confidit, pudefiat: necesse est. Eloquia autem seu promissa Dei, sunt verissima & certissima: atq; adeo sunt velut purum & probum argentum, quod cum sæpe ac multùm in igne, in vasis testaceis examinatum sit, semper tamen syncerum & probum inuentum est. Cum igitur ego DOMINVS Deus vester, promittam vobis meam opem, & dicam, me iam nunc exurgere, ad conferendam in vos miseros & afflictos, ac ab omnibus alijs desertos homines, cœlestẽ opem & salutem, optimè confidite, non fallet vos mea promissio, sicut humana fallere solet, sed constabit, sicut probum argentum in igne constat, & conseruabit vos in omnibus periculis.

Hæc est memorabilis antithesis, diuinarum & humanarum promissionum. Hæ enim fallunt, illæ autem fallere non possunt. Humanæ promissiones non constant in igne probationis, Diuinæ autem ita constant, vt etiamsi videantur aduersis excuti & absumi, tamen quemadmodum purum aurum seu probum argentum, quantò sæpius igni examinatur, tantò probatius redditur, ita diuinæ promissiones, quantò magis aduersis percelluntur, tantò firmiores & certiores probantur: vt quisquis ijs confidit, pudefieri non possit. Exempla sunt in promptu iam inde ab initio orbis terræ. Deus promisit Abrahæ multiplicationem posteritatis suæ, possessionem terræ Canaan, & benedi-

ctionem

ctionem in semine eius, quod est Christus. Etsi autem multa videbantur cum hac promissione pugnare, tamen veritas eius, rebus ipsis probata est, sicut puritas argenti in igne constat. Deus promisit Dauidi stabilitatem regni Christi filij eius: Suscitabo, inquit, semē tuum post te, Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Quanquàm autem Babylonij deuastarunt vrbem Hierusalem, & Antiochus oppressit familiam Dauidis, ac Pontifices & Pharisęi tradiderunt Christum filium Dauidis in mortem, tamen sicut probum argentum constat in igne, ita & promissio illa firmissima mansit, quia Christus excitatus à mortuis, perpetuò regnat in cœlo, & in terra. Sic & de alijs promissionibus Dei sentiendum est. Nam illas exempli tantùm gratia commemorauimus.

7. *Tu* DOMINE, *serues eos, & custodias nos, à generatione ista in æternum.*

8. *Impij vndiq; obambulant, cum exaltantur vani homines inter filios hominum.*

Concludit Psalmum precatione, qua petit, vt quod Deus miseris & afflictis promisit, hoc etiam, sicut pij fore non dubitant, reipsa impleat. Generationem autem vocat cœtum vanorum amicorum, qui opem suam prolixè pollicentur, sed fallunt. Quæso igitur te DOMINE, vt cōserues & custodias nos perpetuò, ne vanis amicorum promissis seducamur. Nam cum vani illi homines consequuntur potestatem & dominationem in humano genere, omnia fiunt plena impiorum adulatorum, hypocritarum, parasitorum, & falso-

& falsorum amicorum. Princeps (inquit Salomon) qui libenter audit verba mendacia, omnes ministros habet impios. Et vulgatus est versiculus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Vbi autem est multitudo impiorum & vanorum hominum, ibi necesse habent pij multa incommoda ferre, ac etiam opprimi. Psal. 10. Cum exaltatur impius, persecutionem patitur pauper. Quare diligenter orandum est, vt Deus pios in multitudine impiorum, & in medio prauæ nationis tueatur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut Dauid suos habuit fictos amicos, qui erant lingua strenua, opera autem ignaua, ita non solùm publicè vniuersa ecclesia, verùm etiam priuatim pius quisquis suos habet falsos fratres, qui studium suum prolixè quidem pollicentur, sed non satisfaciunt expectationi amicorum. Cauete, inquit Christus, à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Hi sunt, qui simulant se esse amicos ecclesiæ, & pollicentur hominibus, pro meritis suorum operum, non tantum mundanam, verùm etiam cœlestem fœlicitatem. Sed intus sunt lupi rapaces, quia quærunt aut gloriam nominis sui, aut opes, aut voluptatem, & interea cõficiunt vanis suis promissis, miseros homines in æternum exitium. In tali periculo properandum est ad hunc Psalmum, vt ex eo consolationem petas, & discas, te inter falsos fratres, & Pseudoprophetas Deo curæ esse, & conseruari.

Deinde memorabile extat encomium promissio-

num Dei, in hoc Psalmo: Eloquia DOMINI, eloquia pura, seu proba. Sicut argentum igni examinatum. Ex hoc encomio excitandi sumus in omnibus aduersis, ad firmam & stabilem fiduciam, vt cogitemus, certiorem esse veritatem diuinarum promissionum quàm comminationes omnium, quamuis grauissimarum afflictionum. Maior est, inquit Ioannes, qui in nobis est, videlicet, filius Dei per fidem, quæ adhibetur promissioni, seu Euangelio eius, quàm qui in mundo, hoc est, Satan, qui est Princeps huius mundi, & minatur nobis per afflictiones extremum interitum.

Psalmus decimustertius,

Vsq; quo DOMINE, &c.

Murrharti, die 25. Ianuarij. Anno 1558. explicatus

RECTÈ dixerũt veteres, nullum Dei cultum difficiliorem esse, quàm orare Deum. Etsi enim facile est verba orationis recitare, tamen illud demum difficillimum est, Deum ex fide orare, seu inuocare, & in oratione non defatigari. Nunc enim nostra indignitas, nunc summa Dei Maiestas, deterrent nos ab inuocatione, nunc afflictionum magnitudo, nunc earum diuturnitas

turnitas ſollicitant nos ad deferendum noſtrum officium, & ad abiiciendam omnem ſpem cœleſtis auxilij & ſalutis. Quare facilè quidem incipies verba inuocationis recitare: ſed vt in inuocatione perſeueres, & in grauibus ac diuturnis aduerſis opem Dei æquo animo expectes, ac officium non deſeras, non tam ſingularis eſt induſtriæ, quàm præcipuæ pietatis. Hinc ſunt illę frequentes cohortationes de expectanda cœleſti ope.

Pſal. 26. Expecta DOMINVM, viriliter age, & confortetur cor tuum & ſuſtine DOMINVM.

Et Pſal. 36. Expecta DOMINVM, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terrã. Quod igitur accidere ſolet ſanctis ferè omnibus, vt propter graues & diuturnas ærumnas defatigentur in precatione, hoc idem accidit Dauidi. Cum enim eiectus eſſet à Saule in exilium, & magna ferret incommoda aliquot annis in exilio, ſæpe reſpexit in cœlum, ſæpe conqueſtus eſt DOMINO Deo ærumnas ſuas, ſæpe implorauit auxilium eius, & liberationem. Sed tantùm abfuit vt liberaretur, vt grauioribus ſubinde vitæ ſuæ periculis obiiceretur. Quare defatigatus ferè orando & expectando, erumpit tandem in precationem huius decimitertij Pſalmi, ac petit, vt Deus non diutius differat auxilium ſuum, cum calamitas videatur ad ſummum peruenisſe.

Quanctꝫ autem breuis eſt Pſalmus, continet enim quinctꝫ tantùm verſiculos, tamen conſtat tribus partibus quot ferè partibus conſtare etiam ſolent Politicæ ſupplicationes. In his enim primo loco exponuntur vel ærumnæ & miſeriæ, vel iniuriæ ab aliis illatæ. Se-

cundo loco additur petitio auxilij. Postremò recipit supplex, se beneficiũ gratitudine pro virili compensaturum. Iisdem partibus constat & huius Psalmi supplicatio. Prima habet quærelam de diuturnitate exilij, & grauitate afflictionum. Secunda petit opem cœlestem & liberationem. Postrema continet gratiarum actionem.

1. *Vsq; quò* DOMINE *obliuiscéris mei perpetuò? vsq; quò abscondis faciem tuam à me?*
2. *Vsq; quò affligar cogitationibus in anima mea, dolore in corde meo indies? vsq; quò exaltabitur inimicus meus super me?*

Hi duo versiculi, sunt expositio diuturnitatis, & grauitatis afflictionum, & periculorum, quæ necesse habuit Dauid in exilio adire. Ego verso nũc aliquot annis in exilio, & obijcior varijs ac magnis periculis, vt aliquoties spem vitæ abijciam. Quare sæpe ac multum petiui hactenus precibus meis, vt tu DOMINE Deus meus, memineris mearum ærumnarum, & respicias me benignè ac liberaliter, ne hostes mei ita me superent, vt etiam me trucident. Sed quo diutius nomen tuum inuocaui, eo grauioribus periculis obiectus sum, vt videaris tam mei oblitus, quàm preces meas auersari. Itaq; fit vt animo meo grauissimè afflii-
1. Sam. 27. gar, & metuam de die in diem, ne vel tandem incidam in manum hostis mei, & occidar.

Obseruandum autem est, quòd cum Dauid conqueritur Deum obliuisci ipsius, & abscondere faciem suam, non sit veritas Spiritus sancti, sed imbecillitas humanæ

humanæ carnis. Cum enim afflictio est grauis, & diuturna, videtur carni, quòd Deus non curet nostra, nec respiciat miserias nostras, & quòd auersetur omnes preces nostras. Et hæc quidem est sententia humanæ imbecillitatis. Sed res ipsa longè aliter se habet. Quo enim grauior, & diuturnior est afflictio piorum, eo propinquior est DOMINVS Deus noster, vt seruet ac liberet.

Psal. 33. Iuxtà est DOMINVS ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Psal. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.

Esa. 57. In sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

Etsi autem hæc imbecillitas, qua existimamus, Deum nostri in nostris ærumnis obliuisci, & preces nostras auersari, non est in hominibus absq; peccato, tamen Christus filius Dei susceptt eam in se absque peccato, & clamauit in cruce: Deus meus, Deus meus, *Psal. 21.* vt quid me dereliquisti? Longè discedis à salute mea, & à verbis rugitus mei. Deus meus, clamo per diem, & non respondes, ac ne nocte quidem sileo. Quare Deus imbecillitatem nostram boni consulit propter Christum: & tantũ abest, vt pios propter tales querelas abijciat, vt potius ad ferendam opem, primo quoq; tempore excitetur.

3. *Respice, & audi me* DOMINE *Deus meus. Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.*

4. *Ne dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum, ne tribu-*

latores mei exultent, si oppressus fuero.

Secunda pars Psalmi, quæ continet precationem. Precatur enim vt cum hactenus Deus videatur auertisse ab ipso vultum, & auersatum esse preces eius, nunc tandem respiciat clementer, & exaudiat. Illumina, inquiens, oculos meos, ne obdormiam in morte. Tanta enim pericula mihi creantur, vt quouis momento mors sit expectanda. Peto igitur, vt cum mihi toties ingrediendum sit in pericula mortis, illustret oculos meos, vt tenebras mortis illæsus euadere queam. Certè horribiles sunt tenebræ mortis, nec quisquam eas illæsus euadet, nisi sit Lynceis oculis. Quomodo igitur tales oculos consequemur? Hi enim corporei oculi in his tenebris nihil nos iuuabunt. Spirituales autem oculos per peccatum ita amisimus, vt ne quidem per tenebras paupertatis aut morborum euadere possimus: tantum abest, vt per teterrimã caliginem mortis euadamus. Quò igitur nos vertemus? Sequamur exemplum Psalmi. Suspiciamus in cœlum, & dicamus: Illumina oculos meos, ne obdormiam, ne peream morte. Sed quomodo Deus illustrat oculos nostros? Proponit nobis Christum filium suum, vt hunc fide nostra intueamur. Quod cum factum fuerit, oculi nostri ita illustrantur, vt iam nulla mortis caligo ita impedire possit, vt non in veram & æternam vitam ingrediamur. Ego sum, inquit, resurrectio & vita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Ioan. 11.*

Addit autem precator causam, qua sperat, se petitionem

tionem impetraturum: Ne dicat, inquiens, inimicus, prævalui aduersus eum. (hoc est) Ego hactenus prædicaui clementiam Dei, & veritatem promissionum eius. Professus sum, Deum promisisse mihi opem suam in omnibus ęrumnis, contra omnes aduersarios meos. Dixi palàm, Deum tam seruantem esse suarũ promissionum, vt malit naturam rerum inuertere quàm promissiones suas irritas, & mendaces reddere. Si ergo tu DOMINE Deus meus, desereres me nunc, & obijceres me hostibus dilaniandum, multò magis periclitaretur gloria nominis tui, quàm salus mea. Impij enim hostes dicerent, Deum esse imbecilliorem, quàm vt posit sperantes in ipsum iuuare: & promissiones Dei esse vaniores, quàm vt ijs credentes seruentur. Quanta hæc esset contumelia nominis tui? Quare peto, vt si nõ meæ salutis, saltem gloriæ tuijpsius nominis rationem habeas, & me inter tot pericula, inter tot hostes tuearis. Hæc est efficacissima ratio impetrandæ coram Deo petitionis. Vtitur ea & Moses. Num. 14. Cum enim Deus de Israëlitis diceret: Feriam eos pestilentia, atq; consumam. Respondet Moses, vt audiant, inquiens, Ægyptij, & dicant. Non poterat introducere populum in terram pro qua iurauerat, &c̃.

Et Exod. 32. Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, &c̃.

Et Psal. 113. Non nobis DOMINE, non nobis: sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, & veritatem tuam, ne quando dicant gentes: Vbi est Deus eorum, &c̃.

5. EGO *autem in beneficentia tua spero, exultabit cor meum in salutari*

in ſalutari tuo, cantabo DOMINO, *quòd beneficijs m afficiat.*

Poſtrema pars Pſalmi continet promiſsionem gra titudinis, pro liberatione, & reliquis beneficijs. Petij, vt ad illuſtrandam gloriam nominis tui cõſerues me, inter hoſtes meos, & tuearis me, ne hoſtes ſint propter victoriam ſuam in nomen tuum contumelioſi. Spero igitur te adfuturum mihi clementer, & benignè, & exhilaraturum cor meum tua ſalute. Ego viciſsim re cipio me prædicatione, Pſalmis & carminibus no men DOMINI, miſericordiam, clementiam, & verita tem DOMINI, pro virili illuſtraturum, propterea quòd maiora in me beneficia conferat, quàm quæ re pendere queam.

Solenne autem eſt, quòd pij pro beneficijs in ſe col latis, recipiant ſe gratitudinem ſuam erga Deum de claraturos Pſalmis ſeu carminibus. Laudabo inquit Pſal. 68. nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude, & placebit Deo ſuper vitulum nouellum, pro ducentem cornua & vngulas. Sed de hoc genere gra titudinis dictum eſt alias copioſè.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hoc Pſalmo vti licebit in diuturno morbo, in dura & perpetua paupertate, in longo exilio. Apud Iohan nem cap. 5 tenetur quiſpiam morbo triginta & octo annos. Apud Lucam cap. 13, mulier habet ſpiritum in firmitatis, annis decem & octo. Et cap. 16. Lazarus af fligitur, tam morbis, quàm mendicitate, vſq; ad extre mum

mum vitæ ſuæ. Nec dubiũ eſt, quin hi in aduerſis ſuis habuerint tales cogitationes, quales hîc in primis verſiculis deſcribuntur. Petenda igitur eſt in grauibus & diuturnis afflictionibus, conſolatio, tam ex hoc Pſalmo, quam ex alijs locis Scripturæ, & promiſsionibus Dei, videlicet, quòd etſi Deus videtur noſtri oblitus, nec curare noſtra, tamen non cadit capillus de capite, ſine voluntate cœleſtis patris: & non ſtertit, nec dormitat, qui cuſtodit Iſraël. Et apud Eſaiam: Nunquid mulier poteſt obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Quòd autem auxilium in longinquũ tempus differatur, nõ fit irato, ſed propicio Deo: nec fit noſtro detrimento, ſed maximo noſtro commodo. Diligentibus enim Deum, vt Paulus ait, omnia adiumento ſunt in bonum. Et recenſentur aliàs cauſæ, cur Deus ſoleat populum ſuum grauibus, & diuturnis malis affligere: quæ ſi conſiderentur, afferunt ægro animo magnam conſolationem.

Psalmus decimusquartus,

Dixit insipiens in corde suo, &c.

In Alba Dominorum, die 11. Martij, Anno 1558. explicatus.

HIc Psalmus insignis est, nõ solùm repetitione, quòd postea Psalmo 53. paucis modò verbis mutatis, iterum recensetur, verùm etiam allegatione Apostoli Pauli, q cum Paulus ad Rom. cap. 3. suscipiperet docendum, omnes homines, tam Iudæos quàm Græcos, peccato obnoxios esse, vtatur huius Psalmi testimonio.

Continet autem duas partes. Prior inuoluit omnes homines peccato, & ostendit magnitudinem corruptionis humanæ naturæ. Posterior ponit discrimen inter pios & impios: vt sciamus, qui in tanta humani generis corruptione pereant, & qui seruentur. Etsi enim in Adamo omnes moriuntur, & vniuersum genus hominum vna quædam est peccati massa, tamen qui credunt in Christum, accipiunt remissionem peccatorum, & seruantur.

1. *Dicit insipiens in corde suo: Non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum.*

DOMI

2. DOMINVS *de cælo prospicit super filios hominum, vt videat, num sit intelligens, aut requirens Deum.*
3. *Omnes declinauerunt, simul fœtidi facti sunt, non est qui faciat bonum, ne vnus quidem.*

Per vnius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines, ad condemnationem. Describit ergo Psalmus his tribus versiculis, quod sit malum illud, quod propagatum est in omnes homines. Ac initio cum ait: Dicit insipiens, nomine insipientis, non vnus tantùm homo, nec vnum tantùm hominum genus, sed vniuersum humanum genus compræhendit: Omnes enim homines natura sua sunt insipientes. Ac siquidem de rebus mundanis sermo est, inuenias homines natura ad rerum huius seculi administrationem, sic satis sapientes, & industrios, vnde & Christus dicit: Filij huius seculi, prudentiores sunt filijs lucis, in sua natione. Nam quemadmodũ noctuæ acutè quidem in tenebris cernunt, interdiu autem & in luce cæcutiunt, ita & homines in mundanis, seu artibus, seu negotijs, multùm vident & prospiciunt: in rebus autem cœlestibus, in cognoscenda voluntate Dei, in consequenda vera iustitia, & beatitudine, extrema laborant cæcitate: cuius cæcitatis causa est peccatum, ab Adamo in posteritatem eius propagatum. Et quia hoc peccatum introijt, sicut Paulus loquitur, in mundum, hoc est, in omnes homines, idcirco nomine insipientis, hoc loco intelligendi sunt omnes homines, sicut natura sua corrupta nascuntur.

Gen. 8. Sensus & cogitatio humani cordis, malum sunt ab adolescentia sua.

Psal. 116. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

Et Psal. 143. Non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens.

Sed quid pluribus opus? Psalmus ipse in his versiculis interpretatur nomen insipientis, quòd non sit intelligendum, de vno tantùm homine, aut vno hominum genere, sed de vniuersis hominibus: Omnes, inquit, declinauerunt: simul fœtidi facti sunt, non est qui faciat bonum, ne vnus quidem. Deinde videndum est, quod sit insipientis, hoc est, vniuersi humani generis peccatum. Insipiens (inquit) dicit in corde suo: Nō est Deus. Sed quis (inquies) tanta est insipientia, & impietate, qui sentiat, nullum esse Deum? Non nego, quin inter Ethnicos fuerint, quorum alij dubitauerunt, num sit Deus, vt Protagoras: alij publicè profiteri non sunt veriti, nullum esse Deum, vt Diagoras, Melius, & Theodorus Cyrenaicus: vniuersum autem humanum genus accusare huius impietatis, durissimum videtur, præsertim cum homo natura sua habeat προλήψιν, hoc est, anticipationem quandā Dei, & Paulus dicat, Deum patefecisse gentibus, quod de Deo cognosci queat. Quid igitur sibi vult generalis illa omnium hominum accusatio? Non certè mentitur Psalmus: sed quod dicit, oraculum est Spiritus sancti. Etsi enim non facilè in populo Dei inuenias, qui palàm ore suo profiteantur, nullum esse Deum, tamen nihil certius est, quàm quòd omnes homines natura sua dicant, in corde suo, & sentiant in recessu animi sui, non esse Deum. Ac verè quidem Paulus affirmat: Inuisibilia Dei cognosci ex visibilibus, & informationem quandam

quandam Dei animo hominis diuinitus impressam esse. Hoc autem intelligendū est, nec de perfecta Dei notitia, nec de homine affectibus perturbato, sed de ea notitia, quam habet homo extra tentationes positus. Postquàm enim peccatum, in quo homo conceptus est & natus, incipit pro ingenio suo, conniuente Deo, & inflammante Satana, grassari, teneri non potest animus hominis, quin virus suum euomat, & dicat, nullum esse Deum. Sed quæ sit ἐνέργεια, quæ potentia, & qui sint fructus peccati, quod vocant originale, Psalmus disertè exponit. Homo enim nascitur ex carne, & caret natura Spiritu sancto. Vbi autem abest Spiritus sanctus, ibi dominatur in homine spiritus Satanæ, qui teneri non potest, quin inspiret mancipio suo peccatum. Hoc igitur peccatum, initio excitat hominem ad dubitationem de Deo: & si grauiores inciderint tentationes atq; afflictiones, excitat eum ad negationem, vt sentiat, sicut Psalmus dicit, non esse Deum. Deinde corrumpit omnes humanas vires, ac præsertim mentem, seu intellectum, & voluntatem: vt nec mens rectè intelligat diuina, ac cœlestia, nec voluntas legem Dei sequatur, hoc est, quod Psalmus dicit, corrupti sunt. Preterea, etsi post peccatum relictus est in homine, aliquis sensus honesti, vt possit externam pietatis speciem præstare, tamen peccatum etiam hunc honesti sensum ita corrumpit, vt quicquid boni facere videtur, non habeat vllam boni rationem coram Deo, sed iudicetur peccatū. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Et: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, &c. *Ro. 14.* *Esa. 40.*

Hîc dices mihi. Ecquæ est illa temeritas, omnes ho-

mines indiscriminatim peccato ita inuoluere, vt nullus eorum verè pius, & honestus dicatur? Aristides Athenienſis tanta fuisse iustitia legitur, vt etiam Iusti cognomen publicè reportauerit. Cimon, & ipse Athenienſis, tanta fuit pietate in ciues, ac præsertim pauperes, vt amotis vndique agrorum suorum septis, permiserit egenis ciuibus, & peregrinis, poma & fruges impunè sumere: & parauerit singulis diebus ingens conuiuium, ad quod pauperes liberè conuenirent, & eo fruerentur. Sed fortasis non est mirum, quòd Gentium honestas non habeat coram Deo rationem boni, cum non habeant veram Dei cognitionem. Quid autem dicemus de populo ipso Dei? An ne quidem inter hos inuenitur, qui non sit insipiens, & non sit corruptus, nec studia eius sint Deo abominabilia? Et quis inter hos est, qui non de Deo etiam glorietur, tantū abest, vt dicant non esse Deum? De hac re secundus & tertius versiculus respondēt. Multi quidem sunt, qui videntur coram hominibus, pij & honesti: sed in hoc Psalmo describitur, quale sit humanum genus coram Deo: DOMINVS (inquit) de cœlo prospicit super filios hominum. Si qui homines aspiciunt alios in hac terra, nonnullos inueniunt honestos & inculpatos: si autem DOMINVS Deus noster prospexerit super homines de cœlo, vt videat, cuius & mens sit sana, & voluntas perfectè bona, ibi tum inuenit omnes homines ita corruptos, & deprauatos, vt ne vnus quidem sit, qui verè benefaciat. OMNES, inquit, declinauerunt, simul fœtent coram Deo propter peccatum. Et ne quis existimet Synecdochen esse, qua aliquoties pars tantùm nomine totius comprahenditur

Plutar. in vita Cimonis.

henditur, additur aperta Synecdoches reiectio: Ne vnus quidem, inquiens. Deinde loquitur Psalmus in his versiculis, de omnibus hominibus, non quales reputantur coram Deo nonnulli, per fidem renati, propter Christum, sed quales sint omnes homines origine, & natura sua post peccatum, quales etiam in carne sua maneant vsq; ad mortem. Etsi enim peccatum non imputatur omnibus hominibus coram Deo, ijs nimirum, qui renascuntur in Christo per fidem, tamen caro eorum semper manet impia, donec in hac vita superstes fuerit. Affectus, inquit, carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Ac rursus: Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Et iterum: Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem. Quare cum aliud sit diuinũ, aliud sit humanum iudicium, & natura carnis per peccatum corruptæ, compescatur quidem in pijs, per Spiritum sanctum, non autem eradicetur prorsus in hac vita, reliquum est, quòd omnes homines, si carnem eorum respicias, sint coram Deo insipientes, & peccatores. Cæterùm, in vulgata æditione sequuntur tres versiculi, qui nec in Hebræo, nec in ea, quæ extat Græca translatione habentur. *Rom. 8.*

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis, dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos.

Sunt

Sunt autem hi tres versiculi in hunc Psalmum ex Paulo transpositi. Paulus enim cum ad Rom. cap. 3. probaret, omnes homines tam Gentes, quàm Iudæos esse peccatores, vsus est testimonijs, non tantùm huius Psalmi, verùm etiam aliorum locorum Scripturæ. Quare quod dicit: Non est iustus quisquàm, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne vnus quidem, sumptum est ex hoc & 53. Psalmo. Deinde quod addit: Sepulchrũ patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, sumptum est ex Psalmo. 5. Illud autem: Venenum aspidum sub labijs eorum, sumptum est ex Psalmo. 139. Cuius initium est: Eripe me DOMINE, ab homine malo. Et illud: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, sumptum est ex Psalmo 9. vel iuxta Hebræos, decimo. Et illud: Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinẽ. Contritio, & infœlicitas in vijs eorũ, viam pacis non cognouerunt, sumptum est ex Esa. cap. 59. Postremò illud: Non est timor Dei ante oculos eorum, sumptum est è Psalmo 35. Cuius initium est: Dixit iniustus, &c̃, Cum ergo Paulus collegerit testimonium suum ex varijs locis Scripturæ, visum est Latinis integrum Pauli textum, in hunc 14. Psalmũ transferre, vt quæ in eo de peccato totius humani generis dicuntur, hac additione magis perspicuè explicarentur. Sicut enim homines sunt natura impio corde, ita reliqua omnia in homine fiunt impia. Impuris omnia sunt impura. Guttur eorum est sepulchrum patens, hoc est, sordidum, & fœtidum. Ex abundantia cordis os loquitur, si cor est impium, quid è gutture pie-

tatis

tatis egredi posset? Si cor est mendax, quid non doli aut fraudis lingua conciinnaret? Si cor est virulentum, fieri non potest, quin & labia proferant sermonem venenatum, & os plenum sit amarulentia, & execratione. Si cor est crudele, ne pedes quidem teneri possunt, vt non properent ad effundendum innoxium sanguinem. Ac breuiter. Vbi cor est impium, & dicit, non esse Deum, ibi nulla est tranquillitas, nullus timor Dei, sed omnia hominis vasta sunt, & perturbata.

4. *Nonne manifestè cognoscit potest (quod) omnes scelerati deuorant populum meum, perinde ac si panem deuorarent,* DOMINVM *non inuocant.*
5. *Illic trepidant tremore. Sed* DOMINVS *est in generatione iusti.*
6. *Consilium egeni pudefacitis, sed* DOMINVS *est spes eius.*
7. *Quis dabit ex Zion salutem Israëli? cum conuerterit* DOMINVS *captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israël.*

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua recitatur discrimen inter impios & pios: & significatur, quòd ex Zion patefiet Euangelion DOMINI nostri Iesu Christi, quo adnunciatur liberatio ex peccato, & æterna salus propter Christum. Postquàm enim in priori parte Psalmi, omnes homines accusantur impietatis, ac dicitur, ne vnum quidem esse, qui verè benefaciat coram Deo, dubitabit quispiam, num in tanta hominum corruptione, sit etiam aliqua in terris ecclesia, quæ sit Deo grata, & quæ veram ac æternam salutem

consequatur? Respõdet igitur Psalmus, his postremis versiculis, & per antithesin docet, quòd etsi omnes homines sunt natura impij, & peccato corrupti, tamen alij assequuntur remissionem peccati, & fiunt populus seu ecclesia Dei: alij manent & moriuntur in peccato, & pereunt. Et in illorum quidem generatione hoc est, cœtu aut congregatione, aut vitæ duratione, est DOMINVS, illos tuetur & conseruat DOMINVS ab initio vitæ, vsq; ad mortem, vt per mortem ingrediãtur in æternam, ac beatam vitam. Illorum sola spes est DOMINVS Deus ipse: hi autem, qui manent in peccato, deuorant populum meum, velut escam, persequuntur ecclesiam meam omni genere crudelitatis, sicut lupi oues. Habent quidem frequenter nomen Dei in ore, sed Deum non inuocant. Verba inuocationis recitare sciunt, sed non inuocant Deum ex fide: quippe quòd in latebris cordis sui, sentiant non esse Deum. Trepidant tremore (& additur in Psal. 53. quod hoc loco omittitur) ubi non esset trepidandum, hoc est, non timent, non colunt Deum iuxta verbum suum, sed tantùm iuxta humanas traditiones. Cum non lauant manus, priusquàm cibum capiant, magno corripiuntur tremore, ne diuinitus affligantur. Cum autem dicunt in corde suo, non esse Deum, cum æstuant in animo, cupiditate vindictæ, non metuunt sibi vel à peccato, vel à supplicio peccati. Ad esum carnis in feria sexta, ita trepidant, perinde ac si terra dehisceret: ad virulentam autem inuidiam, & ad odium parricidiale, quo inflammati sunt, ne manum quidem verterent. Ac breuiter, tanto odio erga miserum, & afflictum populum Dei flagrant, vt omnia eorum consilia, omnes conatus, omnia studia confundenda, pu-

defacienda,

defacienda, & impedienda suscipiant. Habes discrimen hominum, quòd etsi omnes homines sunt natura sua vna peccati massa, tamen alij renascuntur per Euangelion in Christo, qui retinent quidem naturam carnis, donec in hac vita superstites fuerint, nō autem obediunt cupiditati carnis, sed affectui spiritus: & habent remissionem peccati, propter Christum per fidem. Alij autem non renascuntur, sed manent in peccato suo, & obsequuntur affectui eius: quare manet etiam super eos ira Dei, & intereunt perpetuò.

Postremò concluditur Psalmus optione. Nam cum Deus habeat in humano genere, quamuis per peccatum corruptissimo, suam ecclesiam, quæ renascitur per fidem in Christum, per quem promissa est salus, ab initio conditi orbis, optat Psalmus, vt hic Christus breui adueniat, & veram ac æternam salutem afferat. Quis dabit, inquiens, ex Zion, &c̄. Hæc particula: Quis dabit, optantis est, pro qua nos dicere solemus. Vtinam. Hæc est igitur sententia. Postquam Adam peccasset, & traxisset secum vniuersum genus humanum in ruinam, promisit Deus, se missurum Messiam, seu Christum filium suum: & subinde repetit hanc promissionem, donec etiam Spiritu sancto suo patefecerit, quòd Christus concionaturus sit Euangelion suum in Zion, & ex eo loco diuulgaturus illud in vniuersum orbem, vt omnis, qui crediderit, saluus fiat. Nam de Zione, inquit Psalmus 132. Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem sibi. Et Psal. 2. Ego constitui regem meum super Zion, montem sanctum meum. Vtinam igitur Christus breui veniat, & concionetur Euangelion suum in Zion, vt humanum genus

genus liberetur è captiuitate sua, & consequatur veram salutem. Captiuitas enim humani generis est, quòd propter peccatum ab Adamo propagatum, sit mancipium Satanæ, & obnoxium morti ac inferno. Hæc est horribilis captiuitas. Promissus autem est Christus, qui sit peccatum expiaturus, & captiuos mortis ac inferni liberos redditurus. Nihil ergo magis in votis habendum est, quàm vt aduenìat Christus, & absoluat quod in ipso promissum est. Quo beneficio, nihil potest ecclesiæ Dei, nec lætius, nec iucundius accidere.

VSVS HVIVS PSALMI.

Necessaria est nobis doctrina, de vera pœnitentia. Sunt autem duæ partes pœnitentiæ. Altera, agnitio peccati. Altera, agnitio Christi, qui est expiator peccati. Hic vero Psalmus recitat has partes pœnitentiæ. Initio concludit vniuersum humanum genus sub peccatum. Deinde ostendit Messiam seu Christum ex Zione, vt in ipsum credamus, & propter ipsum consequamur remissionem peccati. Quare hic Psalmus frequenter recitandus est, vt excitemur ad pœnitentiã, hoc est, ad veram peccati nostri agnitionem, & ad fidem in Christum, in quo solo constat salus, & liberatio ecclesiæ Dei, &c.

Psalmus

Psalmus decimusquintus,

DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo.

In Monasterio Hirsaugiæ, die 16. Iunij, Anno, 1558. explicatus.

PSalmus decimusquintus: DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo, &c̄. etsi habet speciem precationis, tamen propriè est doctrina de discrimine veræ, & fallæ ecclesiæ. Sunt enim hypocritæ, qui cum sacrificant, ieiunant, longas preces recitant, & alia opera, externa sua specie, honesta & pia faciunt, existimant, se propter suam ipsorum iustitiam, esse vera membra ecclesiæ: et tamen, quia non habent veram fidem in Deum, nec veram charitatem erga proximũ, alieni sunt ab ecclesia Dei. Alij fatentur quidem Deum verbis, & gloriantur de Deo, atque iactant fidem suam in Deum: negant autem Deum factis, & nõ agunt veram pœnitentiam, sed pergunt sceleratam vitam ducere. Etsi autem hi putant se præcipuos esse in ecclesia Dei, tamen Deus non agnoscit eos. Quare Dauid confert in carmen descriptionem veræ ecclesiæ, & recitat fructus, quos proferunt hi, qui sunt vera ecclesiæ membra.

1. DOMINE, *quis habitat in tabernaculo tuo, quis commoratur in monte sancto tuo?*

Habitaculum Dei, & mons sanctus Dei, est eccle-
sia, seu cœtus piorum. Sumantur autem hę appellatio-
nes à templo Hierosolimytano, quod ædificatum erat
in monte Zion, in quo Deus dicebat habitare, propte-
rea, quòd in eo loco verbum DOMINI adnunciabatur,
& legitima sacra peragebantur, atq; ecclesia seu cœtus
populi Dei conueniebat. Cum igitur multi essent, qui
iactabant, se esse cœtum illum, quem Deus respiceret,
& pro vera ecclesia agnosceret, non tamen placebant
Deo, propter impietatem, & impœnitentiam ipsorũ.
suscipit Psalmus explicandum, qui sint veri fructu-
Ecclesiastici cœtus. Hic autem primus versiculus, in-
terrogatione formatus, est propositio Psalmi, & respo-
cit tacitam antithesin, vt sit sententia. Homines affir-
mant habitare in tabernaculo Dei, & commorari in
monte sancto eius, hoc est, esse [illegible]era & viua membra
ecclesiæ, eos, qui multa faciunt sacrificia, & sunt in
precibus suis βαττολόγοι: etiamsi interea nec verè cre-
dunt Euangelio Dei, nec vera charitate complectun-
proximũ. Alij sentiũt, ad ecclesiã pertinere illos, qui,
etsi varijs scelerib. sunt sordidati, tamen multa & pre-
clara de Deo iactitant. Et qui sic de ecclesia sentiunt,
videntur esse viri prudentes, docti, & sancti, ac tanta
autoritate pręditi, vt animos imbecillium in senten-
tiam suam pertrahant, ac magno sint offendiculo.
Quare cum id non sit verisimile, quod hi homines
sentiunt aut docent, conuerto me ad te, DOMINE De-
us meus, vt tu me doceas, quis habitet in tuo taberna-
culo, & cõmoretur in monte sancto tuo, hoc est, quis
sit verum & viuum membrum tuæ ecclesiæ.

Qui

2. *Qui ambulat immaculatus, & facit iustitiam, os loquitur veritatem in corde suo.*

Respondet Spiritus sanctus interrogationi, & exponit quis verè sit membrum ecclesiæ. Ac iterum respicit in antithesin. Is nondum est verè membrum ecclesiæ, qui multa offert sacrificia, & honestè de Deo loquitur: sed qui est immaculatus, hoc est, qui non est vlla peccati labe sordidatus. At enim, quis est, qui nullum habeat peccatum? Quis potest dicere, mundum est cor meũ? Si dixerimus, inquit Ioannes, quòd peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Respondet igitur Psalmus ipse, & explicat, quis sit immaculatus. Sequit enim in hoc versiculo: Qui facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo. Etsi hoc semistichium, intelligi potest generaliter de obedientia totius legis, quæ exigit omnem iustitiam, ac præsertim veram & synceram Dei dilectionem ex toto corde, tamen quia non iustificatur vlla caro ex operibus legis, & lex est pædagogus ad Christum, idcirco exponenda erit hæc particula de Christo, & fide in Christum. Is enim verè coram Deo immaculatus, & nulla peccati labe sordidatus habet, qui facit iustitiã, & loquitur veritatem in corde suo, hoc est, qui agnoscit Christum, & verè in ipsum corde suo credit: Corde enim, vt Paulus ait, creditur ad iustitiam. Nam, cum Christus factus sit nobis à Deo IVSTICIA, & nobis, vna cum omnibus beneficijs eius à Deo donatus, perspicuum est, quòd qui credit in Christum, & possidet Christum per fidem, habeat Deum propicium, qui non imputet, sed condo-

Ro. 10. *1. Cor. 1.* *Rom. 8.*

net

net ei peccatum, atq; adoptet ipsum in filium suum, vt fruatur omnibus beneficijs Christi, & cum Paulo dicere possit: Viuo, non iam ego, viuit autem in me Christus: vt quam iustitiam Christus habet, ea mihi quoq; coram tribunali Dei, propter Christum imputetur.

3. *Qui non diffamat lingua sua, qui non malefacit proximo, nec conuicijs proscindit propinquum suum.*
4. *Qui abominatur hominem malignum, & magnificat eos, qui timent* DOMINVM. *Et qui iurat proximo, & non decipit (eum.)*

Fidem cordis sequuntur fructus eius, qui & proferunt se, tanquàm ramis, in omnibus membris piorum. Corde enim per fidem in Christum iustificato, & purificato, primùm purificatur, & emendatur lingua seu sermo, vt & Deus nulla hypocrisi, sed veritate inuocetur, & homo proximus, nullo sermonis dolo, nulla linguæ impostura decipiatur aut diffametur. Accedit & illud, quòd cuius cor est fide purificatum, huius lingua à Spiritu sancto ita gubernari solet, vt nullo contumelioso verbo, proximum offendat, aut conuicijs eum proscindat. Nõ solùm enim, homicida est, qui alterũ gladio temerè occidit, verùm etiã, qui calumnijs, mendacijs, cõuitijs, & cõtumelioſis dictis eum affligit, ac virulento sermone in ipsum grassatur. Deinde renatus in Christo, & purificatus corde per fidem, illud etiam officium præstat Deo, vt amplectatur magno animi candore pios quosq;, & timentes Dei, atq; amicitia & contubernio eorum delectetur, abomi-

netur

netur autem & deteſtetur omnes impios, & malignos, ac fugiat, quoquo modo fieri poteſt, omnia impiorum contubernia, ne & ipſe malorum ſocietate corrumpatur. Hoc enim illud eſt, quod vetus tralatio habet: Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus (hoc eſt) nihil reputatur coram pio malignus, & fugit pius ſocietatem eius. Nihil enim periculoſius eſt, præſertim adoleſcenti, quàm ſi ſe cum prauorum conſorcio coniungat. Vetus dictum eſt: Si iuxta claudum habitaueris, fies & ipſe claudus.

Eſt & aliùs veræ fidei, & charitatis in proximum fructus, videlicet, vt proximum non decipias falsò iuramento, hoc eſt, vt quæ vel pactis vel iuramentis promiſiſti, conſtanter ſerues. Qui enim fallit proximo fidem, non in vnum tantùm hominem peccat, ſed etiam in vniuerſam humanam ſocietatem, cuius vinculum eſt mutua fides, ac pactorum conſtantia. Nec homines tantùm lædit perfidia, ſed etiam Deum ipſum, cuius nomen vano iuramento, & fallacibus promiſsis contaminatur.

5. *Qui pecuniam ſuam non dat ad vſuram, & munus aduerſus innocentem non accipit. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.*

Aliud officium pij hominis, qui ſit verè membrum eccleſiæ. Negotiari cum proximo candidè, & iuuare eum pecunia, abſq; vſura. Scriptura ſæpe ac multum deteſtatur vſuram. Sed & Ethnici Scriptores affirmant, eam eſſe contra naturam. Non enim, ſicut vnum granum in agro gignit nunc trigecuplum, nunc ſexa-

gecuplum, nunc centuplum fructum, ita numus gignit numum. Sed quemadmodum definire, quæ herba sit salutaris ad depellendam febrim, non est proprie eorum, qui docent Euangelion Christi, sed medicorum: ita definire, quæ in politicis contractibus sit vsura illegitima, non est proprie Theologorum, sed Magistratus, & Iurisconsultorum, vt sentiamus, eas esse vsuras illegitimas & prohibitas, quæ pugnant cum publicis, & recta ratione constitutis legibus. Quos enim contractus hæ leges probant, ijs pius bona conscientia vti potest, propterea quòd publicæ leges iuxta rectam rationem constitutæ, sint ordinationes Dei: & Magistratus minister Dei est, bono in bonum.

Exigitur à pio & illud officium, ne accipiat munera aduersus innocentes. Maledictus (inquit Moses Deut. 27. qui accipit munera, vt effundat sanguinem innocentem. Hoc non pertinet tantùm publicè ad iudices, ne vel prece, vel precio, vel fauore, vel odio, vel alio prauo carnis affectu iniquè iudicent, & innocentes opprimant, verùm etiam priuatim, ad quos suis hominibus, ne quis acceptis muneribus, alios vel calumnijs, aut mendacijs in pericula vitæ, famæ & fortunæ conijciat, vel veneno aut gladio è medio tollat. Quæ continentur in his præceptis: Non occidas. Et: Non dicas falsum testimonium aduersus proximum tuum.

Possent quidem & aliæ species officiorum, quæ à pijs exiguntur, commemorari, ac totus Decalogus explicari, sed hæc in præsentia sufficiunt. Additur ergo conclusio: Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Qui

Qui hæc & ijs similia officia præstiterit, is habitat vere in tabernaculo Domini, & commoratur in monte sancto Dei, estq; verum & viuũ membrum ecclesiæ, ac in iudicio coram tribunali Dei, ita constat, vt in æternum non pereat. Non est autem intelligendum quòd constemus in iudicio Dei propter opera seu merita horum officiorum, quæ sunt commemorata. Etsi enim renati sumus in Christo, & donati Spiritu sancto, tamen manent in nobis reliquiæ carnis, præ quibus opera nostra sunt per se imperfecta, & sordida, ideoq; non habent vllam meriti rationem: nec possumus ijs coram Deo confidere, sed constamus tantùm propter Christum, per fidem, ex qua pius suum officium facit. Omnis enim, qui credit in Christum, quòd habeat propter ipsum peccatorum remissionem, & adoptetur in ius filiorum Dei, non perit, sed habet æternam vitam.

VSVS HVIVS PSALMI.

De vsu huius Psalmi iam dictũ est, videlicet, quòd proponitur nobis in ipso discrimen, veræ & falsæ ecclesiæ, & admonemur recitatione eius, ne nobis blandiamur operibus externarum cerimoniarum, sed studeamus veris fructibus fidei. Iuxta illud: Misericordiam volo, & non sacrificium. *Osea. 6.*

Et: Scientiam Dei pluspquàm holocaustum.

Psalmus decimusſextus,

Conſerua me DOMINE. &c.

Mulbrunnæ, die 7. Auguſti. Anno 1558. explicatus.

HIc Psalmus ſingulari ſtudio notandus eſt. Primùm enim vaticinatur, & deſcribit mortem ac reſurrectionem Chriſti, quæ ſunt ſumma veræ ac perpetuæ ſalutis noſtræ capita. Deinde, ex hoc Psalmo texuit Petrus primam ſuam concionem, quam, accepto iam in die Pentecoſtes, Spiritu ſancto, Hieroſolymis, aſtantibus vndecim collegis ſuis, & audiente maxima hominum multitudine, habuit. Act. 2. Probat, & Paulus teſtimonio huius Psalmi, reſurrectionem Chriſti à mortuis. Act. 13. Poſtremò, hic Psalmus non ſimpliciter narrat mortem & reſurrectionem Chriſti, ſed concludit eam in precationem, vt veriſimile ſit, quòd Chriſtus hunc Psalmum, in monte Olíueti orauerit, & Angelus DOMINI ex eo Chriſtum, in maxima & admirabili illa lucta, qua ſanguinem ſudauit, confirmauerit. Etſi enim Chriſtus eſt æternus, & omnipotens filius Dei, ac perfudit hominem in vnitatem perſonæ, aſſumptum, omni ſua Maieſtate, nec eget iuxtà Maieſtatem ſuam, vel humana, vel angelica conſolatione

tione: tamẽ quia in diebus corporalis vitæ suę, ac præsertim tempore suę passionis, exinaniuit se, & assumpsit formam serui, idcirco vsus est, & precibus, & consolationibus, quibus humana imbecillitas in afflictionibus, & horroribus mortis sustentari solet. Quare, cum hic Psalmus non solùm contineat vaticinium de morte & resurrectione Christi, verùm etiam attulerit Christo in grauissimis suis aduersis singulare solatium, debet nobis & notissimus & commendatissimus esse.

1. *Conserua me Deus, quoniam spero in te.*
2. *Dico* DOMINO, *tu es Dominus meus. Obedientia mea nõ indiges.*
3. *Sed sancti (indigent) qui in terra sunt, & Magnifici, ad quos tota voluntate propendeo.*

Non sentiamus hanc precationem filio Dei in ore natam, sed è toto pectore, & ex ipsis misericordiæ visceribus profectam esse. Intueamur filium Dei, iacentem in terra, prostratum ante conspectum Dei patris sui, & sustinentem peccata totius humani generis, ac sentientem grauitatem iræ Dei aduersus peccata, ideoq; perculsum doloribus mortis ac infirmi. Sicut enim peccatum, nõ est res iocularis in conspectu Dei, sed pugnat ex diametro cum Deo, qui est æterna iustitia, ita ira Dei aduersus peccata, non est ludicra, sed maximè omnium seria: quippe quòd Deus essentia sua, non sit nisi ipsa, aduersus peccatum, ira. Postquàm autem filius Dei suscepit peccatum, coram Deo patre suo expiandum, suscepit etiã iram Dei perferendam,

cuius tanta est grauitas, vt eam hau dquaquàm potuis set perferre, nisi præter illud, quòd est homo, verus e tiam Deus esset. Quare cum iam in faciem prostratus haberet in conspectu suo iram Dei, & concuteretur tota mente terroribus, mortis ac inferni, attollit ocu los suos ad Deum patrem, & exclamat. CONSERVA ME, inquiens. Quid ergo, quæso te, pateris? quæ pericula sustines, quòd tam miserè petas conseruationem? Quid, rogas, patiar? quid sustineam? Iaceo hîc, in conspectu quidem hominum adhuc viuus, sed horrores mortis & inferni, ita me obruerunt, vt non aliter affectus sim, quam si mihi perpetuò esset pereundum. Obsecro igitur te, vt in tantis periculis, & terroribus saluum me, & incolumem conserues.

Recensет autem duas causas, propter quas petit conseruari. Vna est, quia spero, inquit, in te, & dico. Tu es Deus meus (hoc est) te solū agnosco DOMINVM Deum meum. In te solo omnem fiduciam, & spem meam colloco. Sæpe autem in Sacris literis repetitur sententia ac promissio illa, q̄ qui sperant in DOMINVM, non pudefiant, sed exaudiantur, & seruentur. Psalmus 16. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te, Psal. 24. Non erubescam, quia speraui in te. Psal. 30. In te DOMINE speraui, non confundar in æternum. Psal. 83. Beatus homo, qui sperat in te. Psal. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum. 2. Samuel. 22. Scutum est omnium sperantium in se.

Altera causa est. Obedictia mea, (inquit) nō indiges, sed sancti indigent. Vbi nos transtulimus: Obedientia mea non indiges, &c. ibi Hebræus legit Bonitas mea non super te, sed super sanctos, &c. Nomine

autem

autem bonitatis intelligit filius Dei obedientiam suam, quam præstitit Deo patri vsq; ad mortem crucis, quæ obedientia est maxima bonitas. Sententia igitur hæc est: Ego obedio tibi Deo patri meo, vsq; ad mortem, & suffero grauissimos cruciatus mortis ac inferni, non quòd tu exigas hanc obedientiam à me ex ira aduersus me, aut propter meum aliquod in te peccatum, sed propter peccatum sanctorum, qui sunt in terra Israël, & Magnificorum, quos ego multùm amo. Pro magnificis Hebræus habet אַדִּירֵי Adire, significat autem Adar, excellere, eminere. Vnde Adirim excellentes, præcipui, Nobiles, quos & Germani solent vocare, den Adel. Iustum autem est, vt qui non suo merito aut peccato affligitur, conseruetur ac liberetur. Cum igitur ego sustineam non meum, sed alienum peccatum, quod ego ex summa animi beneuolentia erga sanctos expiandum suscepi, Quæso te, DOMINE Deus meus, conserua me, ne in hac extrema mea afflictione peream. Habes hîc initio testimoniũ innocentiæ filij Dei, quòd pater imposuerit ei crucem & mortem, nõ propter aliquod ipsius peccatum. Peccatum enim, inquit Esaias, non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Deinde recensetur vtilitas crucis, & mortis Christi, videlicet, quòd Christus susceperit passionem suam propter electam suam ecclesiam, quã vocat sanctos & Magnificos, seu nobiles, non q̃ pij, qui sunt ecclesia Dei, videantur coram mundo sancti, & Magnifici, aut præclari, & nobiles, in oculis enim huius mundi sunt abiectissimi, obscurissimi, & contemptissimi: sed quòd tales, hoc est, sancti & Nobiles, præclari ac insignes habeantur in conspectu Dei, non

quidem

quidem propter ipsorum merita, sed ex gratuita Dei beneuolentia, qua eos ex vniuerso humani generis corpore ad accipiendam cœlestem hæreditatem selegit. Vnde & ecclesia, Exod. 4. vocatur filius Dei primogenitus. Et Deut. 7. Te (inquit) elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrã. Hęc recitant, vt confirmemus fidem nostram in aduersis. Etsi enim sordemus coram hoc mundo, tamen Deus tanti nos fecit, vt propter nos miserit filium suum, & reputet nos corã se sanctos, & insignes Nobiles ac Heroas, propter Christum filium suum, in quem credimus, & cuius membra sumus per fidem.

Postremò additur causa, qua filius Dei excitatus est ad susciipiendam expiationẽ alieni peccati. Ad quos (inquit) tota voluntate propendeo. Non suscepi peccatum expiandum, propter aliquod meritum ecclesiæ, sed ex gratuita mea beneuolentia. 1. Ioannes 4. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse prior dilexit nos. Et Rom. 5. Christus, cum adhuc infirmi essemus, pro ratione temporis, pro impijs mortuus est.

4. *Multiplicant idola sua, postea properant, (ad ea colenda & exornanda) Non libabo libamina eorum de sanguinibus, & meminero nominum eorum labijs meis.*

Vbi nos transtulimus: Non libabo libamina eorũ, ibi vetus interpres habet: Non congregabo conuenticula eorum. Nam pro eo, quod est in Hebræo אסיך Asich, & venit à verbo נסך Nasach, quod significat libare

libare seu fundere, legit interpres אסף Asaph, quod significat congregare. Vaticinatur autem hic versiculus de abiectione Iudæorum propter idolomaniam. Cum enim in precedenti versiculo dixisset filius Dei, se obedire Deo patri suo, & suscipere crucem ac mortem propter sanctos, & magnificos in terra Israël, quęret quispiam: Quid igitur fiet de reliqua Israëlitarum multitudine, quæ videbatur innumerabilis? Respondet filius Dei. Maxima pars Israëlitarum sunt Idolatræ, multiplicant idola sua, & adorant ea summo studio. Etsi enim Israëlitæ, ijs tęporibus, quibus filius Dei vitam in terris egit, non coluerunt externa idola, tamen quia non solùm caruerunt vera cognitione Messiæ, verùm etiam persecuti sunt Euangelion eius maximo odio, tot idola adorauerunt, quot bona opera fecerunt, & quot sacra Dei instituerunt, vt eorum meritis expiarent coram Deo peccata sua, & consequerentur æternam vitam. Testatur etiam historia Euangelij, quòd Iudæi fuerint studiosissimi excogitandarum sacrarum, & humanarum traditionum, ad quas obseruandas, ex imo pectore anhelantes properabant. Vide Matth. 15. & 23. Et Mar. 7. Postquàm igitur Iudæi excogitant, abiecto Christo & Euangelio eius, multa noua sacra, ad quæ seruanda summo studio properant, vt meritis eorum consequantur cœlestia beneficia, ideoq; pro idolis habenda sunt, quòd omnem fiduciam salutis suæ, in ijs collocent: Non libabo (inquit) libamina eorum in sanguinibus, non sunt mihi grata cruenta eorum sacrificia, non sunt mihi accepti cultus eorum, nec recordabor nominis eorum, non confitebor eos coram patre meo, non patrocinabor eis

coran. Deo, sed abrogabo omnem politiam eorum, tam mundanam, quàm Ecclesiasticam, & abiiciam eos in extremas tenebras. Hæc est execratio, & exhæredatio Iudæorum, ex omnibus cœlestibus beneficijs. De qua abiectione multa tam in Propheticis, quàm Apostolicis scriptis. Ponitur autem nobis gentibus ob oculos, vt discamus timorem Dei, & exhibeamus nos gratos erga Deum, ne & nos abiiciamur. Nam si Deus (inquit Paulus) naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat.

Rom. 11.

5. DOMINVS *pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu sustentas sortem meam.*

6. *Funiculi ceciderunt mihi in iucundis (locis) adeoq; hæreditas decora mihi (contigit.)*

Si Iudæi abiiciantur, ne sint participes beneficiorum Messiæ, quam ergo habebit Messias ecclesiam? quem populũ in hæreditatem accipiet Messias? Respondent hi duo versiculi. Etiamsi Iudæi exhæredabuntur, ne sint amplius populus Dei, tamẽ DOMINVS ipse (inquit Messias) est mea hæreditas, & meus calix, hoc est, portio quæ mihi debetur. Nomine enim calicis, apud Hebræos, non tantùm intelligitur externum poculum, verùm etiam demensum, quod in rebus diuidendis cuiq; obuenit. Psal. 116. Calicem salutaris, hoc est, portionem salutis, quæ mihi offertur, accipiam. Et Hier. 49. Ecce, quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent, hoc est, hi de quibus nõ erat decretum, vt aliqua supplicij parte afficerentur, supplicium subibũt. Et Matth. 20. Calicem meum

meum bibetis, hoc est, affligemini pro vestra portione aduersis, quemadmodum ego affligar. Sumpta autem est metaphora à conuiuijs, in quibus suum cuique demensum potus in calicibus distribuitur. Dicit ergo filius Dei. Quamuis Iudæi ejcientur ex hæreditate cœlestium bonorum, non tamen carebo omni hæreditate. DOMINVS enim ipse Deus pater meus, mea est portio, mea hæreditas. Quid autem mihi deerit, si DOMINVM possideam? An non satis diues & locuples ero, si DOMINVS sese mihi totum tradiderit ac donauerit: Hic enim sortem meam ita tenebit, & dispensabit, vt obueniat mihi in hæreditatem pulcherrima & iucundissima portio terræ. Per funiculos enim hoc loco intelligendæ sunt perticæ mensoriæ, quibus termini agrorum definiri solent. Ios. 17. Ceciderunt funiculi Manasse decem. Psal. 105. Tibi dabo terram Canaan funiculum (hoc est, mensuram, partem seu portionem) hæreditatis uestræ. Esa. 54. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende ne parcas, longos fac funiculos (hoc est) perticas mensorias, &c.

Vaticinatur autem de vocatione gentium, ex quibus filius Dei collegit ecclesiam suam ministerio Apostolorum, in vniuersa terra. Vocatur vero ecclesia Gentium iucunda, & pulchra hereditas, non tam propter multitudinem ex omnibus terris collectam, quę aspectu iucundior est paucitate, quàm propter claritudinem Euangelij, qua Gentes ita sunt illustratæ, vt Paulus vocet eos, qui inter Gentes agnoscunt Euangelion Christi, luminaria mundi Philip. 2.

7. *Laudo* DOMINVM, *qui consulit mihi, adeoq; noctu etiam erudiunt me renes mei.*
8. *Pono* DOMINVM *coram me semper, quia est ad dexteram meam, ne commouear.*
9. *Ideo lætatur cor meum, & exultat gloria mea, adeoq; caro mea requiescet in spe.*
10. *Quia non deseres animam meam in inferno, nec permittes vt sanctus tuus videat corruptionem.*
11. *Ostendes mihi semitam vitæ, faciem tuam (quæ est) saturitas lætitiæ, iucunditates in dextera tua semper.*

Gratiarum actio, cum enumeratione beneficiorum quæ expectat à DOMINO. Laudo (inquit) DOMINVM, propterea quòd effundat in me omnia beneficiorum genera. Primùm enim, consulit mihi, & ducit me spiritu suo, non interdiu tantùm, verùm etiam noctu, in omnibus tã actionibus, ꝙ passionibus meis, ne renes, seu cogitationes meæ seducant me, sed rectà in omnibus vijs eis incedam. Deinde, quia pono eum mihi semper ob oculos, proximus mihi est, & apprehendit dexteram meam, vt me conseruet, ne peream. Præterea, efficit, vt caro mea requiescat in spe, hoc est, vt nõ peream in morte. sed habeam spem resurrectionis. Quare maxima animi lætitia perfundor, & celebro tantum beneficium gloria mea, hoc est, tam cantico linguæ, quàm Psalterio. Non cessò sermone meo magnitudinem huius beneficij in totum orbem diuulgare. Ad hæc: Non deserit animam seu vitam meam in inferno, seu perditione: nec permittit, vt corpus meum Deo dicatum putrefiat in sepulchro. Postremò, ostendit mihi semitam vitæ, hoc est, excitat me tertia

die

die à morte. Ostendit etiam mihi faciem suam, & collocat me ad dexteram suam, vt habeam cœleste gaudium, & perpetuam vitam, ac fœlicitatem.

VSVS HVIVS PSALMI.

Ex hoc Psalmo primùm petenda sunt testimonia mortis Christi, sepulturæ eius, descensus eius ad inferos, resurrectionis eius à morte, & sessionis eius ad dextram Dei patris eius, vt habes Act. 2. & 13. Deinde confirmanda est fides nostra in Iesum Christum, quòd cum ea, quæ hic Psalmus vaticinatur de Messia per Dauidem, impleta sunt in Iesu filio Mariæ, post mille, plus minus annos, q̃ à Dauide recitata fuerant, perspicuè intelligamus, hunc Iesum esse verum illum Messiam seu Christum, quem Prophetę venturum adnunciauerunt. Postremò recitandus est hic Psalmus, in summis afflictionibus nostris, & in doloribus mortis ac inferni. Non enim est dubium, quin Christus ipse accepit ex hoc Psalmo consolationem per angelum, in monte Oliueti, cum sanguinem sudaret, & in cruce, cùm Latroni Paradisum promitteret. Nos autem sumus membra Christi per fidem. Et Paulus ait: Si cõpatimur, etiam conregnabimus. Quare, cum affligimur terroribus mortis ac perpetuæ damnationis, petamus ex hoc Psalmo consolationem, vt quemadmodum Christus eluctatus est ex morte, & inferno, ita nos per Christum & in Christo vincamus omnia aduersa. *Rom. 8. 2. Timo. 2.*

Psalmus decimusseptimus,

Exaudi DOMINE iustitiam, &c.

Alperspachij, die 22. Maij, Anno 1559. explicatus.

Idetur quidem hic Psalmus, à Da uide, suo tantùm & ecclesiæ no mine recitatus: sed quia precator commemorat in eo, se sua ipsius iustitia coram tribunali Dei con stare, & legem Dei perfectè im plere, quod nulli quamuis sancto homini competit, idcirco precatio est solius filij Dei, DOMINI nostri Iesu Christi. Etsi enim nomen iusti competit etiam Sanctis, tamen hi non sunt iusti sua ipsorum, sed tantùm aliena iustitia, quæ est per fidem, propter Christum. Quare sentiamus hunc Psalmum esse precationem, qua Christus in summis suis afflictionibus, ac præsertim in monte Oliueti, cum sudaret guttas sanguineas, vsus est.

Implorat autem opem Dei, quatuor præcipuè argumentis.

Vnum est, quòd ipse sit innocens & iustus.

Alterum, quòd Deus soleat exaudire sperantes, & inuocantes ipsum.

Tertium, quòd hostes sint sæuissimi & crudelissimi.

Quartum, quòd Deus habeat manum & gladium,

hoc

hoc est, sit omnipotens, & possit oppressum è sæuitia hostium suorum liberare.

1. *Audi* DOMINE *iustitiam, attende ad clamorem meum, ausculta precationi meæ, quæ procedit ex eo ore, in quo nunquàm inuentus est dolus.*
2. *A conspectu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant, quæ recta sunt.*

Hi duo versiculi sunt propositio precationis. Christus enim, cum videret se à Iuda proditum, à reliquis discipulis suis desertum iri, & à Pontificibus, ac tam Iudæorum, quàm Ethnicorum cohorte iam capiendũ, ac immanissimè tractandum, cum tamen nullum vnquàm peccatum fecisset, nec inuentus esset dolus in ore suo, procidit in faciem suam coram Deo patre, & orauit: Pater mi, inquiens, si fieri potest, transeat à me calix iste. Non est autem sentiendum, quòd Christus hæc tantùm Euangelistarum verba in precatione sua dixerit, sed quòd Euangelistæ scripserint precationis Christi epitomen, quæ precatio antea in Psalmis copiosè recitata erat. Testatur enim Lucas, Christum correptum angore, prolixius orasse. Inuocat igitur Christus filius Dei patrem, vt in tanto discrimine, quod imminet, exaudiat iustas suas preces, respic iustam suam causam, reuocet in animum, quod nullum vnquàm peccatum fecerit, nec inuentus sit dolus in ore suo, iudicet seueriter aduersus hostes suos, & expendat, quæ iusta sint & recta, ne tam miserè ipsi in sua innocentia sit pereundum.

Probas

3. *Probas cor meum, visitas noctu, examinas me, non tamen inuenis (iniquitatem): Cogito, non tamen prævaricatum os meum.*

4. *In operibus quidem hominum (inuenis iniquitatem,) per legem tuam, ego autem seruaui semitas legis.*

Descriptio innocentiæ Christi, qua Christus perfectissimè, & absq; vllo vitio, diuinæ legi satisfecit. Primùm enim Deus coniecit Christum filium suum in varias & horribiles afflictiones, quæ nomine noctis significantur: & conniuit, vt non solùm esuriret, sitiret, & algeret, verùm etiam vt caperetur, alapis cederetur, flagellaretur, & tandem probrosissimæ morti crucis obijceretur. Idq; permisit illo consilio, vt probaret obedientiam eius, & exploraret latebras animi eius: ac quemadmodum faber argentarius examinat aurum igne, num sit probum, aut purum, ita Deus examinauit filium suum igni magnarum & multarum afflictionum, vt palam fieret, num perfectum obsequium præstaret. Sed nullam prorsus inuenit in ipso iniquitatem, nullamq; animi in aduersis suis amarulentiam. Etsi enim visus fuit cogitatione sua mortem, quę diuina voluntate subeunda erat, vsq; adeo abhorrere, vt & sanguineas guttas sudaret, & mortem deprecaretur: Si possibile est, inquiēs, transeat à me calix iste tamen ea cogitatione intantum non peccauit, vt ne verbo quidem voluntati Dei restiterit, sed continuo addiderit: Non quod ego volo, sed quod tu vis. Hoc enim illud est, quod in tertio versiculo dicitur. Cogito, hoc est, trepido quidem ad cogitationem mortis, sed non preuaricatur os meum, hoc est, tantum abest, vt

vt pugnem cum voluntate Dei, & sim ei inobediens, vt ne verbo quidem me ei opponam. Deinde Christus non solùm factus est Deo patri suo obediens, in malis perferendis, verùm etiam in bonis faciendis. Dilexit enim Deum patrem, ex toto corde, & proximum sicut seipsum. Nullum officium iustitiæ, nec coram Deo, nec coram hominibus intermisit, sed vniuersam legem Dei perfectissimè impleuit. Neq; enim de Christo iudicandum est, sicut de alijs hominibus. Manifestum quidem est, si carnem & sanguinem eius, iuxta corpoream substantiam, & humanas imbecillitates respexeris, quòd factus sit nobis similis, & tentatus per omnia, sicut nos: sed in hoc est discrimen, quòd ipse tentatus sit absq; peccato, & nulla vnquàm inuenta sit in eo iniquitas: Ego, inquit, seruaui semitas legis. In hominibus autem, & in operibus eorum, si ad legem Dei exigantur, omnia iniquitate plena sunt. Sicut & aliàs dicitur: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Solus igitur Christus filius Dei, verè iustus est, & perfectus legis impletor. Omnes autem homines sunt peccatores, & diuinæ legis præuaricatores. Iustificant autem, hoc est, cõsequuntur peccatorũ remissionem, propter solum Christum, per fidem. Cæterum, vbi vulgata tralatio legit: Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras, ibi nos, pro illis verbis (propter verba labiorum tuorum) reposuimus: Per legem tuam. Verba enim labiorum Dei hoc loco sunt lex seu Decalogus Dei, quem Deus ip-

se in monte Sinai promulgauit. Pro his autem verbis (vias duras) reposuimus, semitas legis: pro vocabulo enim (Duras) apud Hebræos est, פָּרִיץ Pariz, quod significat grassatorem, aut latronem. Quo nomine significatur lex Dei, quòd lex, vt Paulus ait, operetur iram, & occîdat. Verisimile enim est, quòd Paulus ex hoc huius Psal ii versiculo, & ex Psal. 142. collegerit suum illud dictum, quod est ad Rom. 3. & Galat. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, coram illo: per legem enim cognitio peccati. Et aliàs: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Et iterum: Lex occidit. Omnia enim hominum opera, cum ad legem Dei exiguntur, inueniuntur corrupta, sordidata & iniqua, ideoq; homines per legem, tanquàm per grassatorem, & latronem, occiduntur, & rei æternæ damnationis iudicantur. Solus autem Christus legem Dei perfectè impleuit, vt ea nullam in ipsum accusationem habeat, ideoq; non possit in eum grassari, & condemnare.

5. *Confirma gressus meos in semitis tuis, ne nutent vestigia mea.*
6. *Ego inuoco te, quia exaudis me Deus, inclina aurem tuam ad me, exaudi sermonem meum.*
7. *Ostende mihi mirificè beneficia tua, saluator sperantium, ab insurgentibus (aduersus me) dextera tua.*
8. *Custodi me, sicut pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum absconde me.*
9. *A facie impiorum qui deuastant me, ab inimicis meis, qui toto animi affectu circumuallant me.*

Conclusio cæptæ precationis, in qua conclusione, precatio

precatio non solùm repetitur, verùm etiam commutationibus variatur, & argumentis fidem precatoris confirmantibus amplificatur. Audi, inquit, iustas meas preces, iudica, quæ recta sunt, & libera me. Tu enim ipse scis, me esse innocentissimum, quippe qui me tanq̃ aurum in igne probaueris, nec vllam in me iniquitatem inueneris. Quare peto supplex, vt aut me hac cruce liberes, aut confirmes me robore animi, quo constanter in vocatione tua ambulẽ, & aduersa quæq̃ fortiter perferam. Hoc enim est, quod dicit: Confirma gressus meos in semitis seu vijs & mandatis tuis, ne nutent vestigia mea.

Sed vt fides inuocantis cõfirmetur, adduntur nonnulla dicta, ex quibus animus ad bonam spem excitatur.

Primùm: Inuoco te, quia exaudis me. Promisit enim Deus, se exaudire inuocantes ipsum in veritate. Inuoca me, (inquit) in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Cum igitur non ignorem, te esse veracem, & seruantem promissi, excitor ad inuocationem nominis tui: nec dubito, quin sis me exauditurus.

Deinde dicit: Saluator sperantiũ. Hoc est obseruabile epitheton Dei, quòd Deus multis miraculis, & magnis strategematis reportauit. Nec quicquàm certius est, quàm quòd Deus seruet sperantes in ipsum. Quare, cum hoc epitheton in precatione recensetur, solet fidem precatoris mirificè excitare, & inflammare.

Præterea petit, vt liberetur ab insurgentibus in ipsum, seu ab hostibus suis, idq̃ per dexteram Dei. Men-

tione autem dexteræ Dei admonetur de omnipotentia eius. Itaque iterum confirmatur fides precatoris, quòd Deus non tantùm habeat, cor & voluntatem iuuandi, id quod ex promissionibus & exemplis notum est, sed etiam habeat manum dexteram, (hoc est) omnipotentiam, qua possit inuocantes ipsum iuuare & seruare.

Adhæc, cum dicit: Custodi me, sicut pupillam oculi, &c. iterum confirmat fidem suam, mentione eius exempli, quo Israëlitæ in summis periculis seruati sunt diuinitus. Nam Deut. 32. ita dicitur: DOMINVS custodiuit populum suum, quasi pupillam oculi sui, sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, &c. Liberauit enim DOMINVS Israëlitas ex Ægypto, & summis periculis, & custodiuit eos, vt pupillam oculi sui, & sicut aquila pullos suos: non vt hoc exemplo beneficia sua absolueret, sed potius testificaretur, se omnes eos, qui in periculis suis inuocant ipsum ex fide, seruaturum, & liberaturum. Quid autem sit DOMINVM ex fide inuocare, & quomodo Deus seruare ac liberare soleat, aliàs explicatum est.

Postremò, confirmat & illud fidem in inuocatione, quòd commemoret aduersarios suos esse homines impios, & toto pectore in ipsum grassantes. Manifestum enim est, quòd Deus odio habeat impios, & virulentos. Quare dubium non est, quin exaudiat oppressum & innocentem, ac liberet eum de manibus impiorum.

10. *Adipem suum concludunt, ore suo loquuntur superbè.*

Item

11. *Itinera nostra nunc obsident, oculos suos intendunt, vt dejiciant (me) in terram.*

12. *Similitudo eius, sicut Leonis, qui inhiat prædæ, & sicut catuli leonis, qui insidiatur in latebris.*

In versiculis septimo, octauo & nono, fecit Christus in hac sua precatione simplicem mentionem suorum hostium, persecutorum, & impiorũ. Nunc autem in his tribus versiculis explicat, & amplificat crudelitatem & immanitatem eorum: Concludunt, inquit, adipem suum. Nomine adipis significantur opes, facultates, & præstantissima hominum possessio. Queritur ergo Christus, quòd habeat aduersarios haudquaquam abiectos, imbelles, & inter se dissidentes, sed omnibus suis viribus coniunctos, qui ad opprimendum ipsum iungant socias manus, & conferant omnes suas opes ac facultates, & quicquid habent excellentissimarum rerum, adeoq; sanguinem & vitam. Præterea crudelitatem instituti sui augent verbis arrogantissimis & atrocissimis. Spirant ingentes minas. Omnes gressus, omnia itinera non tam mea, quam meorum discipulorum obseruant, & in hoc solum propositum intenti sunt, vt me dejiciant in terram & opprimant. Quid plura? Non aliter erga me affecti sunt, quàm leo esuriens, quærens prædam, quam deuoret, & catulus Leonis, qui fame excitatus ad rapinam ex latebris suis properat.

Gůt vnd Blůt zů samen setzen.

Cum hoc conuenit, quod Christus in Psal. 22. dicit: Circumdederũt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut LEO rapiens & rugiens. Recitãtur & ista in precatione, vt

confirmetur fides precantis : quò immanior enim est crudelitas impiorum aduersus pios, eò propior est liberatio. Sicut habet vulgatũ dictum : Cum duplicantur lateres, tunc venit Moises, hoc est, cum summa est afflictio, in propinquo est salus.

13. *Surge* DOMINE, *anteuerte eum, deijce eum, salua gladio tuo animam meam ab impio.*

14. *A viris, manu tua* DOMINE, *à viris (inquam) seculi huius, quorum portio est in hac vita, & quorum ventrem imples de penu tuo, implentur & filij eorum, & relinquunt diuitias suas nepotibus suis.*

15. *Ego autem in iustitia, videbo faciem tuam, satiabor, cum surrexero, specie tua.*

Reuertitur filius Dei ad precationem, ac iterum expergefacit fidem suam mentione manus & gladij, hoc est, omnipotentiæ Dei. Habes DOMINE, manum, habes gladium, tua est omnis potestas in cœlo & in terra. Quæso igitur te, vt hac tua manu & gladio, anteuertas hostes & aduersarios meos, Pontifices, ac Pharisæos, irrita facias consilia eorum, ne in me perdendo voti sui compotes fiant. Deinde, facit antithesin inter se, & Pharisæos, adeoq; omnes suos hostes: Salua (inquit) me à viris huius seculi, qui omnem spem suæ salutis collocant in rebus mundanis. Hoc igitur decimoquarto versiculo describitur ingenium impiorum, qui oppugnant filium Dei, & Euangelion eius. Hi enim, etsi iactant aliquoties desiderium cœlestis regni, ac bonorum eius, tamen ardent sola rerum terrenarum cupiditate, ac putãt, se tum vere fœlices,

lices, cùm prospero rerum successu in hoc seculo fruuntur. Ac ferè fieri solet, vt impij, non quidem sua industria, sed diuino beneficio, inuitante ipsos ad pœnitentiam, maximam huius seculi fœlicitatem consequantur. Nec ipsi tantùm multis opibus abundant, & magna dignitate sunt illustres, verùm etiam propagant suam fœlicitatem ad posteros, ad liberos & nepotes. Sicut Psal. 72. dicit. Non est respectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum nō sunt, &c̄, Et Psal. 143. Quorum filij sicut nouellæ eorum compositæ, &c̄. Et Hiere. 12. Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui preuaricantur, &c̄. Quid plura? Etsi lex minatur omnibus impijs extremas maledictiones, tamen manifestum est, & res ipsa testificatur, quòd priusquàm iudicium Dei patefactum fuerit, impij fruantur in hoc seculo omni genere benedictionis & fœlicitatis. Habes vnam partem antithesis, de impijs, qui non spirant nisi terrenum regnum. Sequitur altera pars de filio Dei: Ego autem (inquit) videbo faciem tuam, in iustitia, satiabor, cum surrexero specie tua. Hoc prorsus illud est, quod Christus alias dicit. Regnum meum non est de hoc mundo, Impij pontifices, & hostes mei, non quærunt nisi mundana. Et quanquàm etiam ipsi Messiam expectant, & de eo gloriantur, tamen nō quærunt in eo vera & cœlestia bona, remissionem videlicet peccatorum, iustitiam, gaudium & pacem in Spiritu sancto, sed tantum quærunt mundana. Det vitam (inquiūt) det opes, reliqua mihi ipse parabo. Meum autem regnum (inquit Christus) non constat terrenis bonis: nec hoc ago, vt fiam externus monarcha huius seculi

Det vitam, det opes, animum mihi æquū

ipſe parabo.

ſeculi, ſed vt ſim iuſtus, & obſequar voluntati patris, qua mihi non tantùm humanæ imbecillitates, verùm etiã crux & mors ferenda ſunt. Quid igitur? Pereundum ne mihi erit? Nihil certè minus. Non contingent mihi terrena bona: contingent autem mihi cœleſtia. Non peribo in morte, ſed reſurgam à mortuis. Et poſtquam ſurrexero, intuebor faciem Dei, & ſatiabor ſpecie eius. Hæc eſt deſcriptio ſummæ fœlicitatis, Videre enim faciem Dei, & ſatiari conſpectu eius, eſt frui omnibus cœleſtibus ac diuinis bonis. Habes antitheſin impiorum, & Chriſti filij Dei. Illorum enim cupiditas eſt regnum mundanum, huius autem regnum non eſt mundanum, ſed cœleſte.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus eſt vaticinium mortis & reſurrectionis Chriſti. Et quanquàm precatio huius Pſalmi ſoli Chriſto competit, propterea quòd ſolus ipſe diuinæ legi ſatisfecit, & perfectam iuſtitiam præſtitit: tamen quia habet eam cum omnibus piijs, credentibus in ipſum, communem, idcirco excitemur ex hac precatione ad fiduciam inuocationis Dei in omnibus aduerſis: & certò ſperemus, quòd quemadmodum Deus pater cõſeruauit filium ſuum in omnibus afflictionibus, ac in morte ipſa, & collocauit eum in ſumma maieſtate, ita & nos ſit conſeruaturus propter Chriſtum, vt vnà cum Chriſto intueamur faciem Dei, & ſatiemur cœleſtibus ac æternis bonis. Sicut Paulus ait, 1. Cor. 13. Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem

autem cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et 1. Cor. 15. Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui illi subiecit omnia, vt DEVS sit OMNIA in OMNIBVS. Et Ioann. 3. Scimus, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.

Psalmus decimusoctauus,

Diligam te DOMINE fortitudo mea, &c.

In Præpositura Denckendorffij, explicatus.

HIc Psalmus vulgò de Dauide exponi solet. Inscriptio enim, quæ è priori libro Samuelis cap. 22. vsq; cum Psalmo in hunc Psalmorum librum translata est, sic habet. Locutus est Dauid DOMINO verba carminis huius, in die, qua liberauit eum DOMINVS de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. Non est igitur mirum, quòd interpretes exposuerint hunc Psalmum, iuxta τὸ ῥητὸν, de Dauide, non autem de Christo DOMINO nostro, nisi allegoricè, &, vt ipsi loquuntur, spiritualiter. Sed si intueamur eum pressius, & considerauerimus eum, iuxta Apostolicam interpretationem, τὸ ῥητὸν seu litera eius, non nisi in Chri-

ſtum DOMINVM noſtrum competit. Etſi enim dubiũ non eſt, quin Dauid multa & magna aduerſa ſit paſſus, è quibus DOMINVS ipſum clementiſſimè liberauerit, nec eſt negandum, quin Dauid iuxta inſcriptionem, quam commemorauimus, acceperit occaſionem, ex ijs miraculis, quibus omnia ſua pericula euaſit, & excitatus ſit à Spiritu ſancto, vt hunc Pſalmũ recitaret: tamen ☿ ע ſeu litera Pſalmi non reſpicit, niſi in DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Ac tum demum ad Dauidem, & omnes alios pios, in Chriſto renatos accommodari ſuo modo poteſt, cum fundamentum de Chriſto poſitum fuerit. In hoc enim Pſalmo dicitur: Retribuit mihi DOMINVS ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum reddidit mihi. Quia cuſtodiui vias DOMINI, nec impiè geſſi à Deo meo, &c̃. Hæc & his ſimilia quæ ſequuntur, non poſſunt propriè in Dauidem, qui alias dicit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, ſed in ſolum Chriſtum DOMINVM noſtrum referri. Etſi enim Dauid habuit magnam iuſtitiam, collatus ſuis controuerſijs cum hoſtibus ſuis, tamẽ collatus cum lege Dei, fuit & ipſe peccator. Deinde & illud: Conſtitues me in caput gentium. Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, conuenit propriè, nõ Dauidi, ſed Chriſto, qui ſolus eſt caput, & vt Eſaias ait, Lux & ſalus Gentium, & ad quem agnoſcendum vocatæ ſunt, reiectis Iudæis, Gentes. Poſtremò, Paulus ſcribens ad Romanos, cap. 15. recitat ex hoc Pſalmo teſtimonium de vocatione Gentium ad agnitionem Chriſti: Gentes, inquit, pro miſericordia, glorificent Deum, ſicut ſcriptum eſt; Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini

& nomini tuo Psalmum dicam. Hęc non sunt propriè Dauidis, sed Christi verba, quæ & testificantur vniuersum Psalmũ, recitatore quidem Dauide, dictatore autem Spiritu Dei, de Christo esse intelligendum. Quare, cum Paulus exponit eum de Christo, non est alia, ne Angeli quidem interpretatio, agnoscenda.

Continet autem hic Psalmus quinquaginta versiculos. Et est vaticinium de passione, doloribus mortis & inferni, quos pertulit Christus, nostro nomine. Item de resurrectione, qua liberatus est, ex omnibus suis aduersis, & de exaltatione eius in summam maiestatem, vt in nomine eius omne genu se flectat. Collatum est autem hoc vaticinium à Spiritu sancto in hũc Psalmum, & hanc tam precationis, quàm gratiarum actionis formulam, vt mors & resurrectio Christi non solùm sacrificijs adumbrarentur, verùm etiam publicis, & vulgaribus carminibus celebrarentur, & pij ad manum, in omnibus actionibus & passionibus, diu, noctuq; haberent, quo fidem suam confirmarent, & in Christo salutem consequerentur.

1. *Diligam te* DOMINE, *fortitudo mea.*
2. DOMINE, *petra mea & arx mea, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, in qua spero, scutum meum, & cornu salutis meæ, & exaltatio mea.*

Exordium Psalmi, in quo Christus ad captandam Dei patris sui beneuolentiam, & ad testificandam certissimam ac firmissimam promptitudinem eius in liberandis afflictis, commemorat dulcissima Dei patris sui epitheta. DILIGAM TE. Non est hoc loco vo-

cabulum actionem, sed affectum significans. Interiectionem vocant, precandi, seu blandiendi, Latinè, Amabo te, Germanicè, Ach lieber.

Fortitudo mea. In aduersis enim, in morte, in horroribus inferni, & in ira Dei, nihil est, quod afflictum fortius & validius conseruet, quàm Deus ipse. Meritò igitur reportat epitheton fortitudinis.

Petra mea. Vbi enim firmius & stabilius consistet afflictus, quàm in DOMINO Deo suo? Iustè igitur tribuitur ei cognomen petræ.

Arx mea, seu turris mea. Sic & Psal. 31. Fortitudo mea, & refugium, seu turris mea es tu. In afflictionibus enim non est asylum, ad quod tutius confugias, quàm ad DOMINVM Deum nostrum.

Liberator meus. Multi sunt liberatores, & seruatores in aduersis: sed mundani, in rebus mundanis: & corporales, in rebus corporalibus: & humani, in rebus humanis: & externi, in rebus externis: & temporales in rebus temporalibus. Solus autem DOMINVS Deus noster, verus est, & cœlestis ac perpetuus liberator, qui etiam non semel, & iterum, sed in sempiternum seruat sperantes in ipsum.

Deus meus. Non est hoc loco vocabulum יְהוָה Iehoua, sed אֵל El, quod propriè significat fortem, Heroem, admiratione dignum. Tribuitur ergo DOMINO Deo nostro epitheton Heroïs, quòd etsi omnia gubernat, nec cadit capillus absq; voluntate eius de capite nostro, tamen peculiariter seruat inuocantes ipsum, heroicè, & mirabiliter: cum iam, pro mundi huius ratione omnia videantur conclamata & perdita. Vnde

&

& Esa. cap. 9. Christus ipse vocatur El, gibbor, hoc est, Heros, fortis.

Rupes mea. Aliud vocabulum à priori, quod petram transtulimus. Significat autem rupes hoc loco, saxum vndiq; ita circumdatum, & munitum, vt expugnari aut viribus humanis deijci non queat. Vnde & qui ad eam confugiunt, & sperant ibi tutelam, spe sua non frustrantur. Talis rupes est DOMINVS Deus noster, in quem tutissimè sperare poteris, propterea quòd quisquis sperauerit in ipsum, non pudefiat.

Scutum meum. Qui enim hoc scuto, & hoc clypeo, qui est DOMINVS Deus, munitur, tutus est ab omnibus iaculis aduersarij.

Cornu salutis meæ. Cornu, more Hebræo, significat vel regnum, quòd Reges balsamo è cornu sumpto vngebantur: vel vires & potentiam, quòd animalia cornupeta grassentur cornibus suis, tanquàm armis. Vocat igitur Christus Deum, cornu salutis suæ, hoc est, regnum, seu potentiam suam salutarem, quòd conseruauerit ipsum regiè, heroicè seu potenter in omnibus aduersis, & contulerit in ipsum omnem salutem.

Exaltatio mea. Deus enim non simpliciter seruauit Christum filium suum in aduersis, ne periret, sed etiam exaltauit eum in summã sublimitatem, & dedit ei nomen super omne nomen. Rectè igitur tribuit ei Christus titulum exaltationis.

Hæc sunt epitheta, quæ Deus non solùm reportauit ex miranda illa filij sui liberatione, qua conseruauit eum in morte, in horroribus inferni, & in extrema ira Dei, propter peccata humani generis, quæ

Christus expianda susceperat, & extulit eum in summam maiestatem: verùm etiam conseruabit, & efferet in æternam fœlicitatem omnes, qui verè credunt in Christum. Sed de hac re postea.

3. *Laudans, inuocabo* DOMINVM, *& ab inimicis meis seruabor.*

Post exordium, in quo Christus commemoratione epithetorum Dei, non solùm captauit beneuolentiam apud Deum Patrem, verùm etiam excitauit spiritum suum ad precationem, & confirmauit certitudinem fiduciæ suæ. Sequitur propositio precationis. Etsi enim filius Dei, cum initiò assumeret filium hominis ex Maria virgine, in vnitatem personæ, ornauit eum omni sua maiestate, quam habuit ab externo à Deo Patre suo, vt potuisset ab omni assultu mortis & dolorum inferni, liberrimus esse, & corã toto mundo gloriam suam ostentare, tamen in diebus carnis suæ exinaniuit se, & assumpta abiectissimi serui forma, factus est obediens patri vsq; ad mortem crucis, vt peccata humani generis expiaret, & nos cum Deo Patre reconciliaret. In hac igitur serui forma, cùm iam morti vicinus esset, prosternit se coram Deo Patre suo in monte Oliueti, in horto Gethsemane, & ait: Ah DOMINE, petra mea, arx mea, cornu salutis meæ, in tantis meis angustijs & ærumnis, ad quem confugiam, nisi ad te Deum Patrem, seruatorem, & exaltatorem meum? TE igitur solum inuocabo, idq; non simpliciter, sed cũ summa nominis tui laude, ut qui ingenuè, & ex animo profitear, te tanta esse in promissis tuis veritate

veritate, & constantia (qua laude, quid potest excellentius dici?) vt quotquot te inuocauerint, ab inimicis suis, liberentur & seruentur. Non enim sentiamus Christum, cum in horto Gethsemane oraret, pauca illa tantùm verba, quæ Euangelistæ recitant, dixisse: Pater si possibile est, transeat à me calix iste, &c. Hæc quidem verba, epitome sunt, & summa precationis Christi: sed si rem probè expenderis, non est dubium, quin cum Euangelistæ testentur, Christum ἐκτενέστερον, adeoq; tantisper orasse, dum & Apostoli obdormiscerent, & ipse sanguinem sudaret, vsus sit ijs precationis formulis, quas Spiritus sanctus iam ante mille plus minus annis, per Dauidem atauum eius præscripserat, in quarum catalogo etiam hic Psalmus cõtinetur. Reponamus igitur hunc Psalmum inter eas precationes, & supplicationes, quas Christus in diebus carnis suæ, cum valido clamore & lacrymis, (quemadmodum epistola ad Hebræos loquitur) apud Deum Patrem, qui poterat ipsum à morte seruare obtulit, & pro reuerentia exauditus est. *Heb. 5.*

Cęterum, quòd facit in hac precationis propositione, mentionem suorum inimicorum: Seruabor (inquiens) ab inimicis meis, non est propriè intelligendum de externis & carnalibus inimicis, quales fuerunt Scribæ & Pharisæi. Etsi enim hi, & alij impij excitati fuerunt à Satana, vt persequerentur Christum virulentissimè, & crudelissimè, tamen quia nec regnum Christi est de hoc mundo, nec Christus venit in hunc mundum, vt externus bellator: inimici eius propriè intelligendi sunt, Satan, Mors, & Infernus, contra quos ita belligeratus est, vt victoriam longè omnium clarissi-

clarissimam, & nobis exoptatissimam reportauerit. Sed de hac re postea.

4. *Circumdant me dolores mortis, & torrentes perditionis conturbant me.*
5. *Dolores inferni circumdant me, occupant me laquei mortis.*
6. *In tribulatione mea inuoco* DOMINVM, *& ad Deum meum clamo. Exaudit è templo suo vocem meam, & clamor meus coram ipso, peruenit ad aures eius.*

Hęc est narratio, in qua cõmemorant inimici, è quorum faucibus petit se eripi & seruari. Et quid multis opus? Hoc ipsum est, quod Euangelistæ scribũt: Cepit Iesus expauescere & angi, ac dixit: Tristis est anima mea, vsq; ad mortem. Postquàm enim Christus suscepit peccata nostra expianda, & ea non possunt, nisi morte & inferno, seu extremo supplicio, & perditione (stipendium enim peccati mors est) expiari, reliquum erat, vt & mortem ac dolores inferni susciperet. Obijcitur ergo tentationibus, horroribus, ac doloribus mortis, non in infimo, non in mediocri, sed in supremo gradu. Multi fuerunt non inter homines tantùm pios, verùm etiam inter Ethnicos & impios, qui susceperunt mortem perferendam, aut tranquillo, aut etiam alacri animo. Christus autem filius Dei, ad conspectum mortis, ita expauescit, & terretur, vt non solùm toto corpore contremiscat, verùm etiam sanguinem sudet. Dolores, inquit, mortis, & inferni, seu extremæ perditionis, ita me inuadunt, ac occupant, vt sentiam me non aliter periturum, quàm si quis subito & impro-

Mat.26. *Mar.14.*

& improuiso aquarum torrente præter omnem expectationem obruatur, & submergatur, nec aliter afficiar, quàm si captiuus tenear laqueo, quo confestim suffocer. Obsecro igitur te, quid est, quòd Christus, qui est & filius Dei, & in forma Dei, longè imbecillior ad conspectum mortis apparet, quàm multi homines, qui visi sunt mortem fortiori animo pertulisse? Vna causa est, quòd debuit per omnia, iuxta epistolam ad Hebræos, fratribus similis fieri, & per omnia tentari, iuxta similitudinem, (sed absq; peccato) vt misericors esset, & fidelis Pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda. Magna autem hominum quamuis piorum pars tanta est imbecillitate, vt non aliter mortem horreant, quàm extremum interitum. Debuit igitur Christus hac in parte similis ipsis fieri, & mortem horrere, vt sic tentatis succurrere posset. Altera causa est, quòd cum peccatũ, quò est grauius & horribilius, eò grauioribus mortis & inferni terroribus, tanquàm supplicijs, dignum sit: Christus autem susceperit peccatum, non vnius tantùm hominis, sed etiam totius humani generis expiandum, congruentissimum fuit, vt susciperet etiam supplicium peccati, hoc est, horrores mortis & inferni, in summo gradu. Huc accedit, & illud, quòd Christus aggrediendo mortem non aspexit mortem, militum aut prędonum more, quibus cum homines minantur exitium, propter scelera, solent temerè respondere: Quid? Capitium carne plenum, hæc omnia expiabit: qua voce significant, sibi non admodum magnæ esse curæ, etiamsi capiantur, & dent pœnas morte: sed aspexit mortem, qualis est formata ex peccato. Peccatum autem pingit mortem,

Es ist vmb ein Kappen vol fleisch zůthůn.

non vt rem leuem & euanidam, ſed quæ non ſolum aufert homini omnia vitæ huius commoda, verùm etiam obiicit eum æternæ iræ Dei, & tradit ipſum perpetuis cruciatibus. Quare ſicut non eſt mirum, quòd Chriſtus in hoc Pſalmo conqueratur de torrentibus & laqueis mortis, ita mirum non eſt, quòd ad conſpectum mortis in monte Oliueti ita cohorruerit, vt & exclamauerit: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem, & paulò pòſt ſanguinem ſudauerit. Quid igitur Chriſtus in tantis terroribus faceret? Quid aliud, niſi quod Euangeliſtæ dicunt, progreſſus à diſcipulis, puſillum, procideret in faciem ſuam, & oraret. Et quod hoc loco Pſalmus recitat: In tribulatione mea inuoco DOMINVM, & clamo ad Deum meum, certiſſima fiducia & ſpe concepta, quòd vox clamoris mei ad eum perueniat, & exaudiat ipſam è templo ſuo, vel cœlo, quod eſt Thronus eius, vel tabernaculo, in quo ſe oraculis ſuis præſentem teſtificatus eſt.

7. *Commouetur, & contremiſcit terra, & fundamenta montium conturbantur, & concutiuntur, quoniam iraſcitur ei.*
8. *Aſcendit fumus in ira eius, ignis ex ore eius abſumens, carbones ſuccenduntur ab ipſo.*
9. *Inclinat cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.*
10. *Et vehitur ſuper Cherub, ac volat, adeoq; volat ſuper alas venti.*
11. *Ponit tenebras latibulum ſuum, circum circa tabernaculum ſuum tenebræ aquarum, caligines nubium.*
12. *Præ fulgore coram eo, caligines eius prætereunt, grando & carbones ignis.*

Et tonat

13. *Et tonat in cælo* DOMINVS, *& altiſſimus dat vocem ſuam, grandinem, & carbones ignis.*
14. *Mittit ſagittas ſuas, & confringit ipſos, fulgura multa, & perdit ipſos.*
15. *Apparent profunditates aquarum, & reuelantur fundamenta orbis, ab increpatione tua* DOMINE, *à flatu ſpiritus iræ tuæ.*

Filius Dei Chriſtus DOMINVS noſter expiaturus peccatum humani generis, non ſolùm obiectus eſt horroribus mortis, iuxta illud, quod dixit: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem, verùm etiam obiectus eſt grauitati iræ diuinæ. Etſi enim peccatum nō fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, tamen ſuſcepit in ſe expiandum peccatum totius humani generis, & voluit eſſe victima, non ſolùm pro noſtris, vt Ioannes inquit, verùm etiam pro totius mundi peccatis. Quam igitur iram Dei ſinguli homines, pro ſuo peccato meriti ſunt, hæc vniuerſa deriuatur & cōiſcitur in filium Dei. Ac ſenſum quidem huius grauiſſimæ iræ, Chriſtus in cruce laceratus, & clauis perfoſſus pendens, breuiſſimis exprimit, cum exclamat: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? in verſiculis autem huius Pſalmi, quos iam recitauimus, exponit eum enumeratione omnium penè ſignorum & argumentorum, quibus Deus inenarrabilem iræ ſuæ grauitatem aduerſus peccata hominum, in ſcriptis Propheticis teſtificatus eſt.

In Geneſi cap. 3. & 7. peccant homines in toto orbe terrarum, tyrannide & libidine. Iraſcitur igitur Deus tanta vehementia, vt ſtatuerit vniuerſum hu-

manum genus delere. Hanc autem iram patefacit a quarum inundatione. Rupti sunt, inquit Scriptura, o mnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super vniuersam terram qua draginta diebus, & quadraginta noctibus.

In Genesi cap. 19. peccant Zodomitæ & Gomorrhitæ horrendis sceleribus. Declaratur ergo ira Dei, cum DOMINVS pluit super Zodomam & Gomorrhã sulphur & ignem à DOMINO de cœlo.

In Exodo cap. 19. DOMINVS promulgaturus Decalogum, non simpliciter reuelat se de cœlo, & concionatur in monte Sinai. Sed quia Decalogus datus erat in hunc vsum, vt ostenderet peccatum, & operaretur iram, idcirco DOMINVS concionaturus descendit de cœlo tam stupendo spectaculo, vt cœperint audiri tonitrua, & micare fulgura: nubes item densissima operiebat montem, clangorq; buccinæ vehementius perstrepebat. Breuiter, totus mons Sinai fumabat, & ascendebat fumus ex eo, quasi de fornace, vt vndiq; esset terror, & plurima mortis imago. Hæc erant manifesta testimonia iræ Dei aduersus peccata, quæ Decalogo ostenduntur. Et qualis fuit externus tumultus in promulgatione Decalogi, talis solet etiam excitari in conscientia, cùm peccatum, & ira Dei reuelantur.

In Numeris cap. 16. peccant Core, Dathan & Abyron seditione aduersus Mosen & Aheronem, imò potius blasphemia aduersus legitimam ordinationem Dei, testificatur igitur DOMINVS iram suam, diruptione terræ sub pedibus eorum, vt terra aperuerit os suum, & deuorauerit illos cum tabernaculis suis, ac

vniuersa

vniuersa substantia eorum, ipsi autem descenderint viui in infernum.

In Iosua cap. 10. iracit Deus regibus Amorrhęorũ quòd essent hostes electi populi sui. Quare, vt declararet iram suam, mittit lapides magnos super ipsos de cœlo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos filij Israël gladio pecusserant.

In libro Iudicum cap. 4. iracitur Deus Sisaræ, duci exercitus regis Canaam, quòd extrema crudelitate opprimeret Israëlitas, qui erant ecclesia Dei. Testificatur igitur iram suã, aduersus Sisaram, primùm quidem immisso terrore in exercitum eius, deinde infixo clauo in cerebrum Sisaræ, per mulierem, vt Psalmus Deboræ dicat: De cœlo pugnauerunt stellæ, de gradibus suis pugnauerunt cum Sisara. *Iudi.5.*

1. Samuel. 7. Philistini, perpetui Israëlitarum hostes, belligerantur aduersus ecclesiam Dei. DOMINVS autem crudelitatem eorum exosus iram suam ita patefacit, vt tonet super Philistinos magno fragore, quo metu ita exterrentur, vt ab Israelitis fusi fugatiq; occumbant.

1. Samuel. 12. Iracitur Deus Israëlitis, quòd ex impietate Regem petijssent. Ostendit ergo iram suam repentino & improuiso tonitru & tempestate: Nunc state, inquit Samuel, & videte rem istam grandem, quam facturus est DOMINVS in conspectu vestro. Nunquid nõ messis tritici est hodie? Inuocabo DOMINVM, & dabit voces & pluuias: & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu DOMINI, petentes super vos Regem.

Apud Prophetam Ioëlem cap. 3. DOMINVS rugit

de Zion, & dat vocem suam de Hierusalem. Hæc est denuntiatio iræ Dei. Quid ergo fit? Mouentur cœli & terra.

Extant & alia in Prophetícis scriptis exempla, quibus Deus seueritatem iræ suæ aduersus peccata, testificatus est.

Cum igitur filius Dei susceperit peccata vniuersi humani generis expianda, debuit etiã sensum seueriſsimæ iræ Dei suscipere. Hic autem sensus, sicut est viribus humanæ carnis in hac vita intolerabilis, ita etiam humanis verbis inexplicabilis est. Sed vt aliquo saltem modo explicaretur, visum est filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo, in his versiculis commemorare illa argumenta, & signa, quibus Deus solet iram suam aduersus peccata patefacere & testificari.

Commouetur, inquiens, & contremiscit terra, & fundamenta montium conturbantur, & cõcutiuntur. Solet Deus ostendere & declarare iram suam terræ motibus, montium concussionibus, & id genus aliis argumentis, sicut quondam in promulgatione Decalogi factum esse apparet. Ego igitur cum nunc hic pendeam, horribiliter dilaceratus & confixus, non aliter afficior, quàm si terra tremeret, & mihi dehiscere t, ac omnia montium fundamenta quassarentur. Quid ita? Quoniam Deus (inquit) irascitur BI, vel humano generi, vel Christo filio suo, vt sit repentina mutatio personæ primæ in tertiam, quæ mutatio frequens est apud Hebræos, quemadmodum est & illud Psal. 3. DOMINI est salus, & super populum tuum, benedictio tua. Sententia igitur est: In his grauissimis meis calamitatibus, perinde afficior, ac si cœlum terræ misce-

ræ miſceretur. Sentio enim intra me tantam diuinæ iræ ſeueritatem, vt exiſtimem me plane à Deo eſſe deſertum. Non ignoro quidem Deum Patrem de me è cœlo clamaſſe: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ſicut & mox, verſu 19. dicetur. Sed qa ſtatui expiare peccata humani generis, video & ſentio in me etiam ſeueriſſimam iram, qua Deus in peccata excandeſcit, & qua maior ne cogitari quidem poteſt, deriuatam eſſe.

Aſcendit fumus in ira eius: inclinat cœlos, vehitur ſuper Cherub: ponit tenebras latibulum ſuum: præfulgore corã eo, nubes eius tranſeũt. Quondam enim, cum DOMINVS ad promulgandum Decalogum, præſentiam maieſtatis ſuæ patefaceret, (Hoc enim ſignificat DOMINVM inclinare cœlos, & è cœlo deſcendere) omnia videbantur plena caligine, fumo, igni, toniſtruis, & fulgetris, tanquàm accenſis vndiq; carbonibus ignitis. Et quia terribiles & tenebricoſæ ac denſiſſimæ nubes impetuoſiſſimis ventis hinc inde in cœlo ſeu aëre agitatæ, diſcurrebant, & minitabantur hominibus in terra horribilia mala, idcirco dicitur Deus iratus vehi & volare ſuper Cherubim, ſeu ventos, ſeu Angelos. (Cherub enim volucris dicitur, quo nomine ſignificatur, partim ventus, quòd quaſi volucris aliis ſuis, per aërem velociſſimè penetret, partim angelus, quòd forma eius alata, tanquàm volucris, conſtituatur, Exod. 25. & Ezech. 10.) Dicitur etiam in tenebris latere, & habere tabernaculum caligine ſeu nubibus vndiq; circum circa obtectum, ac fulgore ſuo, ſeu fulgetris caliginoſas nubes diſcutere, & quaſi cœlum aperire. Hiſce enim tam miraculis, quàm terroribus

bus testificatus est Deus quondam in Decalogi promulgatione, non solùm præsentiam suæ maiestatis, verùm etiam seueritatem iræ suæ. Sicut ergo, cum talia quondam agerentur, Israëlitæ tanto terrore & pauore concutiebantur, vt existimarent ceruicibus suis gladium iam immincre, & se ab irato Deo abiectos ac desertos, vnde & exclamant ad Mosen: Loquere tu nobis & audiemus. Non loquatur nobis DOMINVS, ne forte moriamur, Ita & ego, (inquit filius Dei) pendeo iam in cruce miserrimus & nouissimus virorum, non aliter afficior, quàm si iratus Deus me à facie sua in proiecisset, vt necesse habeam perpetuò interire, & omni fœlicitate priuari. Præterea quemadmodum Deus iratus, quondam Philistinis exterruit eos horrendis tonitruis & fulgetris, de cœlo, ita ira Dei multò magis in me grassatur quàm si omnia tonitrua, & fulgetra in me sæuire viderentur. Adhæc, sicut quondam Deus regibus Amorrhęorum iratus, misit in ipsos grandines & lapides, vt internitione perirẽt, ita Deus nunc grauitate iræ suæ multò seuerius in me animaduertit, quàm si omnia grandinum, & fulminum, (quæ sunt lapides & sagittæ Dei) genera in me conijcerentur. Postremò, quemadmodum vehementissimi venti, (qui sunt increpatio Dei, & flatus iræ eius) solent profunda, voragines & abyssus aquarum, (hæc enim dicuntur fundamenta orbis) ita discooperire, & denudare, vt qui in aquis nauigant, videantur sibi in medio inferno nauigare, & iam internitioni proximi esse. Adeoq; illud omnino fieri solet, quod Psalmus 107. commemorat: Qui descendũt, inquiens, in mare nauibus, faciẽtes negotiationes in aquis multis,

tis, ipsi vident opera DOMINI, & mirabilia eius in profundo. Dicit, & flare facit ventum procellosum, & exaltãtur fluctus eius. Ascendunt vsq; ad cœlum, descendunt vsq; ad abyssos, anima eorum in malis tabescit. Turbantur & nutant sicut ebrius, & omnis sapientia eorũ absorbetur. Ita & ego videor mihi nunc in profundo maris versari, & omnibus marinis fluctibus obrui, vt præ terroribus contabescam, & arbitrer, nullam mihi vspiam viam euadendi patere. Habes descriptionem seueritatis iræ Dei, cuius sensum Christus filius Dei, non coactus, sed sua sponte in se suscepit: non vt sua aliqua, quorum nulla habuit, sed nostra peccata expiaret. Cogitemus igitur, quanta sit magnitudo peccati nostri, vt ad expiandum illud, filius ipse Dei obiecerit sese iræ, pœnæ, & supplicio longè omnium grauissimo. Cogitemus etiam, quanta sit seueritas diuinæ iræ aduersus peccata, vt Deus ne filio quidem suo, qui peccata expianda suscepit, pepercerit, sed maluerit eum sensu seueríssimæ suæ iræ percelli, q̃ peccata impunita remittere. Quare abhorreamus à designandis peccatis, non aliter, quàm à faucibus ipsis inferni, & agamus Deo patri gratias, quod non sit dedignatus, vnigenitum filium suum in mortem & inferni dolores, propter nostram salutem, conjicere. Quid igitur dicemus? An non filius Dei assumpsit semen Abrahæ, seu filium hominis in eandem personam, & ornauit eum, iam inde ab initio conceptionis, omni forma & maiestate Dei? Quomodo ergo fieri potuit, vt sensu tantorum dolorum & calamitatum afficeretur? Certè diuinitas natura sua nihil patitur. Humanitas autem, etsi natura sua obnoxia est

passioni, tamen à filio Dei in eandem personam assumpta, facta est & ipsa particeps diuinæ maiestatis. Quomodo igitur tantis doloribus quassari potuit, vt non fictitia, sed verissima voce exclamaret: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti? Hîc audiendus est
Phili. 2. nobis Paulus, qui ad Philippenses scribens: Iesus Christus, inquit, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus vt homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediēs vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Potuisset enim Christus ab initio conceptionis suæ ostentare formam, seu maiestatem Dei, in qua iam ex assumptione, & vnione cum filio Dei collocatus erat. Sed quia visum est Deo patri, vt in diebus carnis suæ, ad expianda peccata humani generis, dissimularet, seu vt Paulus loquitur, exinaniret formam & maiestatem Dei, ac sumeret formam & abiectionem serui, idcirco obsecutus est voluntati patris, & factus est obediens, suscipiendo non solùm varias corporis imbecillitates & calamitates, verùm etiam dolores mortis & horrores inferni, adeoq; sensum extremæ iræ Dei. Quare, quod passus est Christus, non est passus necessitate, sicut nos alij homines patimur, sed spontanea voluntate: vt & Deo Patri obsicium obedientiæ suæ probaret, & nostra peccata expiaret. Quid ergo? Num Deus filium suum in tantis doloribus & afflictionibus deseruit? Nihil minus, sed potius extulit eum in summã sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestriũ,

ac

ac infernorum. Quod autem Paulus suis verbis exponit, audiamus nunc Psalmum nostrum, suis etiam verbis explicantem.

16. *Mittit de summo, apprehendit me, extrahit me de aquis multis.*
17. *Eripit me ab inimico meo forti, & ab ijs, qui me odio habent, quoniam robustiores me erant.*
18. *Præuertunt me, tempore calamitatis meæ,* DOMINVS *autem est sustentaculum meum.*
19. *Et educit me in latitudinem, eripit me, quoniam complacitum est ei in me.*

Etsi Deus pater obijcit Christum filium suum omnis generis calamitatibus, adeoq; morti ipsi crucis, & extremis horroribus inferni, tamen non abijcit, non deserit eum: Sed quò grauiores sunt ærumnæ eius, eò propius est auxilium Dei. Mittit enim (inquit) de summo, mittit de cœlo, mittit cœleste auxilium, & me iam penè submersum, & suffocatum apprehendit, quasi crinibus, vt extrahat me incolumem è profundis aquis, aut extremis ærumnis: aquæ enim ærumnas & afflictiones significãt. Et quanquam hostes mei, & qui me odio prosequuntur, videantur me robustiores, ac præualere mihi, meq; incautum, & nihil tale cogitantem præuerti, ac opprimere, tamen DOMINVS sustentaculum meum est, & seruat ac liberat me, & educit me in latitudinem, hoc est, educit me ex omnibus angustijs animi, & perfundit me omni lętitia, & gaudio, quo animus quasi dilatatur, & in locum spacioſum deducitur. Non enim is sum homo, de quo Deus dixit:

pœnitet me feciſſe hominẽ, ſed ille homo ſum, de qua pater è cœlo teſtificatus eſt: Hic eſt, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene eſt complacitum.

Quæ cum ita ſe habeant, videamus, qui ſint hoſtes & inimici, de quorum crudelitate conqueritur Chriſtus, & quomodo ſit ab ijs liberatus. Etſi enim Scribæ & Phariſæi fuerunt coniurati hoſtes Chriſti, & grauſati ſunt, poſt Pentecoſten, in diſcipulos Chriſti tam Iudæi quam gentes, omni genere crudelitatis, tamen hoc loco, non loquitur Chriſtus propriè de his hoſtibus, & inimicis, ſed quemadmodum Paulus ait: Non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus Spirituales aſtutias in cœleſtibus. Ita Chriſtus non ſuſcepit externum bellum, aduerſus externos hoſtes, mundano modo, ſed belligeratus eſt, cum ſpiritualibus hoſtibus, ſpirituali modo. Qualis enim eſt rex, talis etiã eſt bellator. Non eſt rex mundanus: Regnum meum, inquit, nõ eſt de hoc mundo, non igitur belligeratus mundano modo. Ecce enim hoſtis Chriſti eſt Satan, de quo ab initio dictum eſt: Tu inſidiaberis calcaneo eius. Et de quo Chriſtus ipſe dicit: Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquàm. Hoſtis etiam Chriſti eſt peccatum. Cum enim Chriſtus ſit iuſtitia, cui qua ex diametro pugnat peccatum, perſpicuum eſt, peccatum inter hoſtes Chriſti collocandum eſſe. Eſt & hoſtis Chriſti mors ipſa. Nouiſſimus (inquit Paulus) hoſtis aboletur mors. Habes præcipuos hoſtes & inimicos Chriſti, de quibus eſt, & in alio Pſalmo: Dixit DOMINVS Domino meo, ſede à dextris meis,

Eſaiæ 6.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et mox: Dominare in medio inimicorũ tuorum. Etsi enim etiam homines impij sunt inimici Christi, tamen non sunt inimici, nisi propter Satanam, & peccatum. Contra hos igitur principatus, rectores tenebrarum, & spirituales astutias in cœlestibus belli geratus est Christus: idq; non externa arma inferendo, sed multa mala patiendo.

Hactenus de hostibus & bello Christi. Videamus etiam modum liberationis, quo in bello est à Deo Patre seruatus, & liberatus. Cum enim in cruce penderet, virorũ nouissimus, & videretur tam à Deo, quàm ab hominibus desertus, ac maledictus, (maledictus enim à Deo omnis, qui pendet in ligno) Satan irridet eum virulentissimè, & per organa sua exclamat: Si filius Dei es, descende de cruce: alios seruauit, seipsum non potest seruare: si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Quid ergo factum est? Num descendit de cruce, iuxta externam maiestatem, & grassatus est in hostes ferreis armis? Potuisset quidem tam Satanam, q̃ omnes impios homines vno verbo, imò vno nutu perdere, & maiestatem suam coram mundo ostentare: sed quam obedientiam præstitit patri suo ab initio conceptionis suæ, eam retinuit vsq; ad mortem crucis. Seruatus igitur est à Deo Patre suo, mirando modo, non vt non moreretur, sed vt moriendo non periret, ac morte ipsa suã mortem vinceret, & tertia die à morte resurgeret, accepta à Deo tanta maiestate, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & inferorũ. Quid igitur est, quòd Deus Pater filium suum mirando modo in morte ser-

uauerit, & in ſummam ſublimitatem extulerit? Sequitur: Quoniam (inquit) complacitum eſt ei in me. Hæc eſt vox illa, quam poſtea Propheta Eſaias, cap. 42. aut potius Deus pater cœleſtis, per Eſaiam, de Chriſto filio ſuo vſurpat, & interpretatur: Ecce ſeruus meus, (inquiens) ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Eſt & illa vox, qua idem Deus Pater è cœlo, de filio ſuo coram Apoſtolis teſtificatus eſt, (quemadmodum paulò antè dicebamus,) Hic eſt (inquiens) filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Ipſum audite.

Matt. 13. 17.

2. *Pet.* 1.

20. *Retribuit mihi* DOMINVS *ſecundum iuſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum reddit mihi.*

21. *Quia cuſtodio vias* DOMINI, *& non impiè ago à Deo meo.*

22. *Quoniam omnia iuditia eius coram me, & ſtatuta eius non repello à me.*

23. *Et ſum perfectus cum eo, & ſeruo me ab iniquitate mea.*

24. *Et reddit* DOMINVS *mihi ſecundum iuſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum coram oculis eius.*

In proximis verſiculis profeſſus eſt Chriſtus filius Dei, ſe ab inimicis ſuis mirando modo liberatum, & in ſummam maieſtatem exaltatum, propterea quòd Deus Patri ipſo delectetur, & ſummo ipſum fauore proſequatur. In his autem, quos nunc enumerauimus, verſiculis, commemorat cauſam, cur Deus ipſo delectetur, & benefaciat ipſi. Quia cuſtodio, inquit, vias Domini,

DOMINI, nec vlla vnquàm impietate deficio à Deo meo. Omnia enim iuditia, omnia statuta, hoc est, vniuersam legem Dei perfectè impleo. Et vt postea Esaias de me concionatur, peccatum non facio, nec est dolus in ore meo. Ac tanta sum perfectione, & ab omni iniquitate tam alienus, vt possim in seueriſſimo Dei iuditio constare. Itaque qua Deus est æquitate, confert sua in me beneficia, iuxta meam iustitiam, & innocentiam in omnibus manuum mearum operibus. *Esa.53.*

Hæc gloriatio de perfecta innocentia & iustitia, coram Deo, non potest conuenire Dauidi. Etsi enim Dauid habuit iustissimam causam contra Saulem, nec affecit Saulem vlla iniuria, potuit etiam de iustitia, quam habuit in promisso Messia per fidem, gloriari, tamen habuit peccatum in carne, etiam in causa iustissima, & quam iustitiam habuit per fidem, non habuit in operibus suis, sed in Christo. Quare verè & piè alias exclamat: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, Domine quis sustinebit? Solus vnigenitus filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, ea est innocentia, puritate, perfectione & sanctitate, vt verè & alacriter coram Deo profiteri audeat, retribuere ipsi DOMINVM secundum iustitiam suam, & reddere ipsi secundum puritatem manuum suarum, quia omnia iuditia, & statuta eius, vniuersam videlicet legem eius, seruet ac perfectè impleat.

25. *Cum sancto, sanctus es, cum viro perfecto, perfectus es.*

Cum

26. *Cum mundo, mundus es, & cum aduerso, aduersus es.*

Hi duo versiculi vulgò vsurpari solent, de hominum inter se contubernio, vt qui consotiauerit se cum hominibus honestis & probis, fiat & ipse honestus ac probus: qui autem contubernium egerit cum improbis & sceleratis, fiat & ipse improbus ac sceleratus. Bona quidem & pia per se sententia. Verissimum enim est, quod de improborum societate Paulus dicit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et, quod prouerbio dici solet: si iuxta claudum habitaueris, fies & ipse claudus. Sed quid hæc sententia ad hos versiculos? aut quæ eius conuenientia cum præcedentibus & sequentibus? Psalmus igitur non loquitur hoc loco de hominum inter se, sed de Dei patris, cum Christo filio suo, societate. Exponit enim rationem, cur Deus pater rependat Christo filio suo iustitiam, & puritatem manuũ eius. Deus enim idcirco seruat filium suum in omnibus aduersis, & in morte ipsa, ac extollit eum in summam maiestatem, propterea quòd Deus talem se gerat erga hominem, qualem eum inuenit. Si homo est iustus, sanctus, innocens, purus, immaculatus & perfectus, talem etiam præstat se ei Deus, & exhibet se ipsi iustum, sanctum, innocentem, & perfectũ, ac benefacit benefacienti, reddit iusta iusto, & seruat perfectè perfectum. Cum igitur talem inuenerit vnigenitum filium suum, videlicet, perfectè iustum, purum, & immaculatum, meritò etiam exhibuit se ipsi perfectè iustum, & immaculatum. Econtra autem, Deus etiam est peruersis, peruersus. Hæc verba diuersa quidem videntur, quàm par est, vera autem sententia

tentia eius nihil habet incommodi. Significat enim, quòd quemadmodum Deus est bonus, & clemens remunerator bonorum, ita etiam est seuerus punitor malorum. Qui enim peruersè agit contra Deum, huic etiam fit Deus peruersus, hoc est, dicitur aduersus & contrarius. Iuxta illud Leuit. 26. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex ADVERSO mihi: ego quoq; contra vos ADVERSVS incedam. Deus quidem sua ipsius natura, non est nisi bonitas, & salus: sed sicut sol, cum natura non sit, nisi lux & splendor obscura illustrans, solet tamen imbecilles oculos nimio suo splendore cæcare, non quidem suo, sed imbecillium oculorum vitio: ita Deus sua propria natura non est, nisi viuificator, benefactor, & saluator: Viuo ego, inquiens, non volo mortem peccatoris. Et Paulus: Deus (inquit) vult omnes homines saluos fieri, & tamen mortificat, punit, & damnat impios, non quidem sua natura, sed vitio impiorum, qui præ impietate sua non possunt, immensum splendorem diuinæ salutis ferre. Ad eundem modum etiam Christus filius Dei de se dicit. In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et tamen natura sua vera est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quid igitur dicemus? si Deus est tantùm bonus & clemens bonis, peruersis autem peruersus, quis poterit coram eo constare? Omnes enim homines natura sua sunt peruersi. Omnes declinauerunt, & facti sunt inutiles. Quis ergo bonitate & clementia Dei fruetur? Nullus certè hominum, siquidem naturam eorum peruersam respexeris. Sed benedictus Deus in *Ioan. 9.*

ſecula, qui dedit nobis filium ſuum DOMINVM nostrum Ieſum Chriſtum, vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat æternam vitam.

27. *Quoniam tu populum afflictum ſeruas, & oculos ſuperborum humilias.*

Alia ratio, cur Deus Pater ſeruauerit Chriſtum, & oppreſſerit hoſtes eius. Deus enim reſpiçit afflictos & miſeros homines: Cor contritum, inquit alias, & humiliatum Deus non deſpicies. Et iterum: Iuxtà eſt DOMINVS ijs qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Ecõtra ſuperbis, elatis, arrogãtibus reſiſtit, & deiçit eos. Chriſtus autem inter miſeros & afflictos fuit miſerrimus & afflictiſſimus, quemadmodũ ſuprà commemoratum eſt. Satan autem, & quos ipſe aduerſus Chriſtum excitauit, Scribę, Phariſęi & Gentes, ſunt ſuperbiſſimi & arrogantiſſimi. Cum Chriſtus penderet in cruce miſerrimè, manus & pedes perfoſſus, ſecuriſſimè & ſuperbiſſimè inſultarunt ipſi tanquam iam victores. Sed quid factum eſt? Deus deiçit oculos ſuperborum, & pudefacit eos, Chriſtum autem afflictum extollit in ſummam ſublimitatem, & dat ei nomen ſuper omne nomen. In afflictione igitur benè ſperemus, etiã nos: & inuocemus nomen DOMINI, vt & in Chriſto & propter Chriſtum ſeruemur.

28. *Quoniam tu illuſtras lucernam meam,* DOMINVS *Deus meus illuminas tenebras meas.*

29. *Quoniam per te contero copias militares, & per Deum meum tranſilio murum.*

Deus

30. *Dei perfecta est via, eloquium* DOMINI *purgatum, clypeus est omnibus sperantibus in ipsum.*

31. *Quoniam quis Deus præter* DOMINVM. *& quæ petra præter Deum nostrum?*

32. *Deus accingit me fortitudine, & facit perfectã viam meã.*

33. *Ponit pedes meos, sicut ceruorum, & super excelsa mea constituit me.*

34. *Docet manus meas præliari, & conterere arcum æreum brachijs meis.*

35. *Das mihi scutum salutis tuæ, & dextra tua fulcit me, & cum humilias me, magnificas me.*

36. *Dilatas gressus meos subtus me, vt non vacillent tali mei.*

Generalem sententiam (quæ est: DOMINVS seruat afflictum) accommodat nunc filius Dei ad suam personam. Ac primùm: Tu, inquit, DOMINE Deus meus: illustras meam lucernam. Et quid hoc sit, mox explicat mutata secunda persona in tertiam pro more Hebræo: Deus, inquiens, illuminat tenebras meas. Tenebræ, si metaphoricãs accipias, significant afflictiones, & tribulationes. Deus ergo dicitur illuminare tenebras, cum seruat afflictum in afflictionibus, & liberat eum ex tribulationibus. Itaq; Deus tunc illustrauit lucernam Christi, & illuminauit tenebras eius, cùm seruauit eum in morte, et eduxit eum è sepulcro, & inferno, vt resurgeret, & sederet ad dexteram Dei Patris sui. Qua luce, qua gloria, quid potest esse illustrius? Deinde: per te, inquit, contero copias militares, & per Deum meum transilio murum, seu expugno ciuitates, & arces muris munitas. Hîc iterum consideremus, tales esse copias militares pugnantes

gnantes cum Christo, & muros hostium eius, qualis est rex, videlicet, non mundanus, sed spiritualis, non terrenus, sed cœlestis. Exercitus igitur, & copiæ militares, quæ Christo resistunt, ac muri hostium eius,
Eph.6. sunt rectores tenebrarum huius seculi, & spiritualia astutiæ in cœlestibus, adeoq; principatus & potestates illæ,
Eph.4. de quibus Psalmus & Dauid loquuntur. Captiuam duxit captiuitatem. Et Paulus iterum: Expoliatos principatus ac potestates ostentauit palam triumphans de illis per semetipsum, Satan enim tam potens est princeps in hoc seculo, vt etiam Deus huius seculi à Paulo dicatur. Peccatum tam latè dominatur, vt vniuersum humanum genus opprimat. Mors & infernus tantæ sunt virtutis, vt ne Monarchæ quidem huius terræ possint tyrannidem eorum euadere. Sed Christus filius Dei has omnes copias militares fudit & fugauit, & hos omnes muros, quamuis altissimos, transiliuit, & superauit. Per quem autem, & cuius virtute superauit Christus, has copias & muros? PER TE, inquit, PER DEVM MEVM. Satan enim victus est, peccatum expiatum est, & mors ac infernus expugnata sunt à Christo, non terrena, sed cœlesti, nõ humana, sed diuina virtute. Quomodo? Num sicut Petrus, Paulus, & reliqui pij, qui & ipsi vicerunt mortem, & euaserunt tenebras inferni? Nihil minus. Hi enim reportarunt victoriam non sua propria, sed aliena virtute, Christus autem reportauit eam sua propria virtute, hoc est, ea diuina maiestate, qua fuit iam inde ab initio conceptionis suæ ornatus. Non enim homo tantùm est, sicut Petrus & Paulus, sed est Deus & homo (hoc est) homo à filio Dei ita assumptus,

ptus, vt acceperit ab ipso omnem deitatis plenitudinem corporaliter. Quare, quòd vicerit Satanam & mortem, diuinitatis quidem opus est, sed eius, quæ est filio hominis, initio conceptionis suæ ab æterno filio Dei communicata. Postquàm enim Adam peccauit, & traxit secum in ruinam vniuersum humanum genus, Deus Pater miseratus hominum calamitates, in hunc mundum, statuit & promisit, se missurum filium suum vnigenitum, qui in plenitudine temporis assumeret semen Abrahæ, seu filium hominis ex virgine, & ornaret eum omni plenitudine suæ diuinæ maiestatis. Hęc promissio, nō est vanum hominis figmentū, sed vox Dei certissima, & firmissima. Vnde sequitur versiculus huius Psalmi tricesimus: Dei via est perfecta, eloquium Domini igne examinatum, clypeus est omnibus sperantibus in ipsum. Via Dei, est propositum, & institutum Dei. Et eloquium eius est promissio eius. Hoc igitur institutum Dei de filio suo, non est mutationi obnoxium, non est vllo vitio corruptum, sed perfectum, inuiolatū, fixum & stabile. Hæc promissio Dei de missione filij sui, nō est sicut lignum aut stipula, quæ ab igni arrepta, confestim absumuntur, sed est velut purum aurum, quod in ignem coniectum, tantum abest, vt absumatur, vt potius purgatius reddatur. Itaq; reliquum est, vt quotquot hac promissione excitati, concipiant certam spem de clementia DOMINI, propter filium suum, ijs DOMINVS vere sit clypeus, scutum, protectio & propugnaculū in omnibus periculis. Hęc est illa spes, de qua Paulus ait: Spes non pudefacit, adeoq; quod hîc dicit, illud prorsus est, quod Christus in Ioanne ait: Sic Deus dilexit mun-

dum, vt vnigenitum ſuum filium daret, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat æternam vitam. Nec mirum, quòd DOMINVS Deus ſit clypeus omnibus ſperantibus in ipſum, propter filium ſuum. Non enim eſt alius Deus præter hunc DOMINVM, nec
1. Cor. 8. eſt alia petra, alia certitudo, alia firmitas, & ſtabilitas, præter hunc Deum. Multi quidem ſunt inter Ethnicos, qui vocant dij, ſed ſunt vaniſſimi. Ac multa ſunt ſacra, & nomina, ppter quæ homines ſalutem ſperãt: ſed aut ſunt per ſe, aut fiunt propter vanam hominum fiduciam, mendaciſſima. Vnus autem ſolus eſt verus Deus ille, videlicet qui promiſit ſe filium ſuum miſſurum in hanc terram, è virgine, ſemine Aabrahæ, & poſteritate Dauidis. Et vnum eſt ſolum nomen, ac vnum tantùm ſacrum, in quo nobis ſalus contingit, videlicet Ieſus Chriſtus filius Dei, & fides, quæ eſt in ipſum. Sed pergit Chriſtus commemorare, quæ diuinitus in bello ſuo aduerſus hoſtes ſuos peragat. Deus, inquit, accingit me velut baltheo fortitudine, vt via mea ſit perfecta, vt inſtitutum meum contra hoſtes meos, Satanam, mortem & infernum, fœliciter promoueat, & proſperum ac perfectũ habeat ſucceſſum. Si properandum eſt ad excelſa ſeu arces, & munitiones meas, in quibus tutò conſiſtam, facit pedes meos velociores ceruis, & addit pedibus meis alas. Si præliandum eſt, aduerſus hoſtes, dirigit ipſe manus meas, vt dexterrim[illegible]ugnem, & brachijs meis arcus hoſtiũ, quamuis æreos, quamuis ahæneos, conteram. Si opus eſt mihi ſcuto, quo aduerſarij ictus repellam, tribuit ipſe mihi ſalutare ſuum ſcutum, & dextera ſua ita me fulcit, vt eoipſo, quo me humiliat, quo conniuet, vt

cruci

cruci affigar, & moriar, magnificet, & exaltet, ac iter meum tam latum & planum reddat, vt non nutent, tanquàm in lubrica via, vertebræ meæ, sed inoffenso pede libere & expedite victoriam consequar. Non est autem intelligendum de mundano bello, prælio, aut victoria, quemadmodũ antea admonebamus, sed de eo, quod regno Christi spirituali & cœlesti conueniat. Ac plane illud est, quod Paulus ait: Factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter extulit illum Deus in summam sublimitatem, & donauit illi nomen super omne nomen, &c.

37. *Persequor inimicos meos, & apprehendo eos, nec reuertor, donec absumam ipsos.*

38. *Transfigo eos, nec possunt surgere, cadunt subtus pedes meos.*

39. *Accingis me fortitudine ad bellum, incuruas insurgentes in me subtus me.*

40. *Et das mihi ceruicem inimicorum meorum, vt perdam odio habentes me.*

41. *Clamant, & non est, qui seruat, ad* DOMINVM *& non exaudit eos.*

42. *Comminuo eos, vt ventus puluerem, & sicut lutum platearum contero eos.*

Filius Dei adhuc perseuerat in commemoratione victoriæ, quam expiato humani generis peccato, à Satana, morte & inferno, diuina potentia reportauit. Et quemadmodum antè descripsit prælium, sumpta metaphora à mundanis bellis, ita in eadem metaphora pergit describere victoriam suam: Persequor, inquiens,

quiens, inimicos meos. Deus tantum roboris, tantum fœlicitatis mihi conceſſit, vt hoſtes mei vertantur in fugam. Perſequar igitur eos, tantiſper, dum apprehendero & cepero eos: nec prius deſiſtam, quam prorſus abſumpſero & perdidero ipſos. Sic enim transfigo, ſic conficio eos, vt non queant amplius ſeſe erigere, & priſtinas vires recuperare. Nam, cum tuipſe DOMINE Deus meus, accingas me bellica fortitudine, fieri non poteſt, quin hoſtes & oſores mei ita mihi ſubiiciantur, vt ceruicem eorum conteram, & diſperdam. Vociferantur quidem ad DOMINVM, ſed non eſt, qui ipſos exaudiat & ſeruet. Quid igitur dicemus? Oſtendimus antea, quòd hoſtes Chriſti ſint Satan, mors, & infernus: & quòd metaphora mundani prælij & victoriæ, deſcribatur hoc loco prælium, quod Chriſtus cum his ſuis hoſtibus iniit, ac victoriam reportauit. Quomodo autem competit in hos hoſtes, quod hîc dicitur. Clamant, ſed non eſt, qui ſeruet eos. Ad DOMINVM, & non exaudit eos. Num & Satan, & mors, & infernus inuocant Deum, in ſuis aduerſis? Num implorant opem Dei, in ſuis ærumnis? Nihil hîc geritur mundano, & humano more, ſed omnia fiunt metaphoricῶs. Nam quemadmodum homines ab hoſtibus ſuis ſuperati, & crudeliter tractati, quamuis alioqui impij, ſolent tamen caput & oculos ad cœlum attollere, & ſalutem à Deo petere ac expectare, imò & beſtiæ ipſæ magnis periculis obiectæ, videntur vociferationibus ſuis ſignificare, ſe in extremis calamitatibus verſari, nec ſe ſeruari poſſe, niſi ope de cœlo miſſa. Ita cum Satanæ, morti & inferno tribuitur inuocatio Dei metaphoricῶs, non ſignificatur in ipſis aliquid

aliquid esse pietatis erga Deum, sed significatur eos victoria Christi in tantam perditionem redactos, vt etiamsi aliquem humanum sensum haberent, & Deum inuocarent, non tamen possent ex interitu suo emergere, & vires suas recipere, Germanicè dicitur. Der kind ist also geschlagen/daß jm nach Gott weh seim möcht. (hoc est) hostis ita oppressus est, vt nulla sit ei spes salutis, nisi mirabiliter contingat, relicta. Dicit ergo Christus: Hostes meos Satanam, mortem & infernum ita dejicio & contundo, vt extrema internitione laborent, & de salute ipsorum prorsus sit conclamatum. Disjcio enim eos, sicut ventus solet quisquilias & puluerem terræ disjcere: & conculco eos, sicut lutum in plateis conculcari solet. Hæc omnia recitantur tam diligenter & copiosè, nostri causa, vt cognoscamus, quanta beneficia victoria Christi nobis impetrauerit. Quam enim victoriam Christus à Satana, morte & inferno reportauit, ea non solus ipse fruitur, verùm etiam fruendam proponit omnibus ijs, qui in ipsum credunt. Quare si agnoueris Christum, & credideris in ipsum, quem Satanam metues? ad quam mortem cohorresces? ad quos inferni horrores expaueſces? Habes enim hoc loco, illos Christi hostes, ita deuictos & superatos, vt etsi adhuc exitium minantur, tamen non possint amplius caput erigere.

43. *Eripis me à contentioso populo, constituis me in caput Gentium, populus, quem non agnoscebam, obedit mihi.*

44. *Auditu auris obtemperat mihi, filij extranei negant me.*

45. *Filij extranei contabescunt, & fremunt è vinculis suis.*

Inter beneficia, quæ filius Dei ex victoria sua consecutus est, illud inter præcipua non est postremum, quòd Deus eripuerit ipsum à populo contentioso, & a filijs extraneis, ac fecerit ipsum caput & principem earum gentium, quas antea non agnouerat. Sciamus igitur, qui sit populus ille contentiosus, & filij extranei, à quibus filius Dei se liberatũ esse gloriatur. Non est autem, vt ad hos inuestigandos diu oculos circumferamus. Ecce enim tibi, Moses, qui fuit dux Israëlitarum ex Ægypto, apertè profitetur, suum ipsius populum, esse contentiosum illum populum, & alienos seu spurios, ac illegitimos filios, de quibus hîc fit sermo. In Deuteronomio enim cap. 31. dicit: Ego scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra DOMINVM: quanto magis, cum mortuus fuero. Idem postea testificatur Stephanus in concione sua, quam habuit in Synodo Pontificum, Act. 7. Duri, inquiens, ceruice, & incircumcisi corde, & auribus: vos semper Spiritui sancto resistitis, vt Patres vestri, & uos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiauerunt de aduentu iusti illius, cuius vos nunc proditores & occisores fuistis. Qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Huc etiam pertinet parabola, quam filius Dei factus iam in plenitudinè temporis homo, apud Matth. cap. 21. de agricolis, quibus locata erat vinea Domini, recitat. Significat enim haud obscurè, Israëlitas fuisse populum illum contentiosum, qui ab initio semper restiterit, & pugnauerit cum Spiritu sancto. Sunt & ijdem, filij alieni

&

& extranei. In exitu enim ex Ægypto dictum est de Israële: Filius meus primogenitus Israël. Mox aũt declararunt se non esse veros sed adulterinos, non legitimos sed spurios, non domesticos, sed alienos & extraneos filios, quippe quod DOMINVS expectauerit ab ipsis officia, quæ liberi debeant parentibus. Sed mentiti sunt, & fefellerunt hanc expectationem. Dereliquit (inquit Moses in carmine suo) Deum factorem suum: & recessit à Deo salutari suo. Et mox: Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es DOMINI creatoris tui. Et apud Esaiam: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Ac iterum: Plantauit vineam electã. Expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Quid igit̃ fiet? aut quod supplicium inferetur eis? Contabescunt, inquit, & fremunt è vinculis suis. Auferetur enim ab ipsis hereditas cœlestium bonorũ, & dabit̃ genti hactenus à Deo alienæ. Quod, cum viderint, contabescent, & frement è captiuitate & infœlicitate ipsorum. Hoc prorsus illud est, quod Moses in carmine suo dicit: Ipse me prouocauerũt, in eo, qui nõ erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Et apud Esaiã cap. 8. Transibit per eam, & corruet: & esuriet, & cum esurierit, irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ, & dissolutio, & angustia, & caligo perlequens, & non poterit auolare de angustia sua. Et Christus apud Matthæum cap. 25. Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. Dices: Si ad istum modum habet causa

Deut. 32.
Esa. 1. 5.

Israelitarum cum Christo, quis ergo deinceps erit populus eius? Si Iudæi sunt excæcati & abiecti, ne sint amplius populus & ecclesia Dei, vbi ergo erit ecclesia? Respondet Christus ipse: Constituis, inquit, me in caput Gentium, populus, quem hactenus non agnoscebam pro populo seu ecclesia, me complectitur, & meo euangelio obsequitur. Hactenus coluerunt me Iudæi sacrificijs Leuiticis, interim autem nec vera fide me agnoscebant, nec verbo meo obedienter obtemperabant. Nunc autem voco Gentes incircumcisas ad participationem cœlestium bonorũ. Hæ colunt me auditu auris, hoc est audiunt Euangelion meum magno desiderio: & quia fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, idcirco Gentes amplexantur me vera fide, & proferunt ex ea fide, non Leuitica sacra, quæ tantùm fuerunt futurorum vmbra, sed proferunt veros fidei fructus, spem videlicet, caritatem, & omnia genera virtutum: de qua Paulus ex Prophetícis vaticinijs copiosè, in epistola ad Rom. cap. 11. & 15. Et Ephes. 2. Similiter Act. 13. dixerunt Paulus & Barnabas ad Iudæos: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei. Sed quia repellitis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis DOMINVS. Posui te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et Act. 28. Benè Spiritus sanctus locutus est, per patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & nõ intelligetis. Ac mox: Notum ergo sit vobis, quòd Gentibus missum est hoc salutare Dei, Et IPSI AVDIENT. Cum igitur filius Dei reuocat in mentem, Iudæos, gentem quondam in populum

Esa.49.

pulum & ecclesiam Dei electam, iam inde ab initio fuisse incuruiceruicos, impios, rebelles, morosos, & sibi idolomania, & inobedientia molestos, ac videt in ijs emendandis, & ad meliorem frugem reducendis operam & oleum perdita esse, cõgratulatur sibi, & maximi beneficij loco deputat, quòd sit onere huius populi ita liberatus, vt interim sit positus & electus in principem omnium Gentium, in toto orbe terrarum, & sicut antea collegit ecclesiam suam ex Iudæis, ita deinceps colligat eam ex omnibus nationibus, quæ sunt sub cœlo.

46. *Viuit* DOMINVS, *& benedictus sit, qui est petra mea, & exaltetur Deus salutis meæ.*
47. *Deus dat vltiones mihi, & ducit populos sub me.*
48. *Qui eripis me ab inimicis meis, & exaltas me ab ijs, qui in me insurgunt, ac liberas me à viro iniquo.*
49. *Quapropter laudote* DOMINE *inter Gentes, & nomen tuum celebro.*
50. *Qui magnam salutem exhibet Regi suo, & facit misericordiam Messiæ suo Dauidi, & semini eius perpetuò.*

Hactenus commemorauit filius Dei pugnam suam cum hostibus, & victoriam, quam ex hostibus reportauit, ac alia Dei beneficia, inter quæ præcipuum est, quòd Deus liberauerit ipsum ab impio & rebelli populo Iudaico, & posuerit ipsum in caput & principem Gentium. Nunc igitur agit DOMINO Deo suo pro tantis beneficijs, gratias, & recipit se, ad testificandam animi sui gratitudinem, diuulgaturum Euangelion suum inter omnes Gentes in toto orbe terrarum,

vt colligat ex his ecclesiam, quæ nomen DOMINI perpetuò celebret. Videntur autem hi versiculi mutuati, partim ex fine carminis Mosaici, Deut. 32. partim ex fine carminis Hannæ matris Samuelis, 1. Samuel. 2. & accommodati in hoc Psalmo ad Christum filium Dei. In carmine enim Mosi dicit DOMINVS, de Iudæorum abiectione: Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore. Et mox: Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam. Viuo ego in æternum, si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iuditium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam, &c. Quod igitur Christus in hoc Psalmo dicit, hãc habet sententiam. In carmine Mosi professus est quondam DOMINVS, se vlturum seuerissimè impietatem, & rebellionem populi Israëlitici, quod non solùm semper restiterint Spiritui sancto, verùm etiam occiderint tandem me, vnigenitũ filium suum, cum in terras ad expianda peccata humani generis missus essem: & iurat: Viuo ego, inquiens, reddam vltionem hostibus meis rebellibus, Israëlitis, & rependam ipsis omnia malefacta, quæ tam in Prophetas meos, quam in filium meum designarunt. Viuit igitur nunc DOMINVS, hoc est, qui quondam iurauit, viuo ego dicens, se pœnas ab impijs & sceleratis Iudæis sumpturum, is nunc implet iuramentum suum, & ostendit mihi manifestè vltionem & vindictam suam, in Iudæos, quia excæcat eos, & reijcit, ne sint amplius populus & ecclesia Dei. eligit autem Gentes incircumcisas, & subdit eas sub me, ac adducit ad me, vt me agnoscant, & Euangelio meo subijciantur. Benedico igitur, & laudo Deum, qui est petra, & fiducia mea, quòd

quòd eripiat me ab impijs Iudeis, capitalibus meis hostibus, & extollat me, vt euadam manus omnium iniquorum Iudeorum, qui aduersus me insurgunt. Ego vicissim ad declarandam gratitudinem meam mitto Apostolos meos in totum orbem terræ, inter omnes Gentes, vt laudent nomen tuum, & celebrent gloriã tuam in omnem æternitatem. Hic est versiculus ille, quem Paulus (quemadmodum ab initio admonebamus) ad Romanos scribens, de Christo, & vocatione Gentium interpretatur, & manifestè testificatur, Christum filium Dei non hunc tantùm versiculum, verùm etiam vniuersum Psalmum, suo ipsius, non Dauidis nomine recitare, non quòd inscriptio, quæ facit mentionem Dauidis & liberationis eius de manu omnium inimicorum eius, mentiatur: sed quòd Dauid, occasione à sua liberatione accepta, hunc Psalmum de Christo, & triumpho eius recitauerit. Firmissima enim fide tenendum est, quòd fundamenta articulorum religionis nostræ, inter quos articulos, etiam ille, qui est de abiectione Iudæorum, & vocatione Gentium, continetur, non tradantur à prophetica Scriptura allegorijs, sed maximè omnium propriis, & certissimis dictis, quæ iuxta πρόσωπον, seu literam, sunt intelligenda. Cum igitur Paulus hunc Psalmum, fundamenti loco, de Christo & vocatione Gentium commemoret, non sentiamus eum allegoria ludere, sed proprijssime interpretari. Etsi enim suus est allegorijs locus, postquàm fundamenta firmiter iacta fuerint, cuius rei exemplum habes in epistola ad Galatas cap. 4. tamen in ponendis fundamentis vtendum est propriis testimonijs.

Quemad-

Quemadmodũ autẽ hic 49. versiculus de Christo, ac proinde totus Psalmus de ipso intelligendus est, ita & vltimus versiculus iuxta literam, nõ ad Dauidem, sed ad Christum DOMINVM nostrũ referri debet. Negari quidem non potest, quin Deus magna & multa beneficia contulerit in Dauidem, & in semen seu posteritatem eius: sed hic versiculus proprie in Christum verum Regem & verum Dauidem, ac ecclesiam Christi respicit. Confiteor (inquit) DOMINVM, & laudo eum, quòd exhibuerit maximam salutem, & inenarrabilia beneficia Regi suo, qui est Messias seu Christus, Dauid, & semini eius quod est Ecclesia per Christum ex fide renata. Sicut & Hanna mater Samuelis suum carmen concludit: DOMINVS, inquiens, iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu seu potentiam Christi sui. Extollet enim eum in summam sublimitatem, & dabit ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & inferorum. Nec est inusitatum, quòd verus Messias, qui est DOMINVS noster, vocetur nomine Dauidis, è cuius posteritate natus est. In Osea cap. 3. dicitur: Post hæc reuertentur filij Israël, & quærent DOMINVM Deum suum, & Dauid Regem suum. Hic non est Dauid ille filius Isai, qui cum hæc ab Osea dicebantur, iamdudum mortem obierat: sed verus Dauid, DOMINVS noster Iesus Christus. Et in Ezechiele cap. 34. Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruũ meum Dauid. Ne hic quidem est Dauid filius Isai, sed Dauid Christus filius Dei, factus è posteritate Dauidis, homo. Non est igitur hic Psalmus, iuxta literam, de alio, quàm de Domino

DOMINO nostro Iesu Christo intelligendus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Postquàm fundamentum veræ sententiæ eius positum est, non tantùm licuit Dauidi, verùm etiam licebit omnibus pijs eo vti. Ac planè is est vsus eius, qui est & articulorũ illorum fidei nostræ de Christo: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris, &c. Admonemur igitur ex hoc Psalmo, de magnitudine & grauitate nostrorum peccatorum, & de seueritate diuinæ iræ in peccata. Nisi enim magna essent, non opus fuisset, vt ad expianda ea filius Dei grauissimos mortis & inferni dolores subijsset: & nisi ira Dei in peccata seueriſsima esset, certè peperciſſet filio suo, qui ea expianda susceperat. Admoneamur etiam de summa Dei erga humanũ genus clementia, & charitate, quòd maluerit filium suum in extremis mortis ac inferni horroribus videre, quàm ad interitum humani generis conniuere. Ponamus quoq; nobis ob oculos victoriam, quam Christus ex hostibus suis, Satanã, morte & inferno reportauit, & sciamus eam nostram quoq; fieri per fidem in Christum. Postremò discamus etiam ex abiectione Iudæorum (de qua hic Psalmus concionatur) timorem Dei, ne fidamus carnalibus prærogatiuis, quas habuerunt Iudæi, & tamen abiecti sunt à Deo. Discamus & ex vocatione Gentium, fiduciam de clementia Dei, quòd Gentes etiam si videbantur prorsus à Deo alienæ, tamen Deus re-

cepit eas in populum suum, cum ipsæ reciperent & agnoscerent Euangelion Christi filij sui, quemadmodum Paulus in epistola ad Romanos cap. 9. 10. & 11. docet.

Psalmus decimusnonus,

Cœli enarrant gloriam Dei, &c.

In Monasterio Regijfontis, ad fontes fluminis Brentij, explicatus.

Non est dubium, quin hic Psalmus sit expositio, qua commemoratur diuulgatio Euangelij, per Apostolos, in vniuersum orbem terrarum, & inter omnes hominum nationes & linguas, quæ sunt sub cœlo. Paulus enim, cum ad Romanos de vocatione Gentium scriberet, & doceret, nullum in terris hominem habere suæ incredulitatis & impietatis excusationē, citat in testimonium, quartum ex hoc Psalmo versiculum, & ait: Sed dico, an non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum: significans videlicet, Apostolos circumtulisse prędicatione sua Euangelion, in omnibus Gentium regionibus, vsq; ad terminos terræ: vt nullus possit suæ impietati pretexere, vocem Euangelij

Ro. 10.

Euangelij de Christo ad se non peruenisse. Manifestum igitur est, hoc Pauli testimonio, quòd hic Psalmus sit vel vaticinium vel historica narratio, de diuulgando Euangelio Christi inter omnes gentes in toto orbe terrarum. Continet autem quatuordecim versiculos, in quorum primis quatuor recensetur diuulgatio Euangelij in omnes linguas, & terras. In alijs, qui sequuntur, commendatur Euangelion, à summa, quam affert, vtilitate. In postremis additur precatio.

1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & firmamentum adnuntiat opus manuum eius.*
2. *Singulis diebus adnuntiatur verbum, & singulis noctibus explicatur scientia.*
3. *Non est loquela, non sunt sermones, vbi non audiatur vox eorum.*
4. *In omnem terram exit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum. Soli posuit tabernaculum in ipsis.*

Videntur quidem hæc dici, de ea enarratione & adnuntiatione, qua gloria & maiestas Dei patefit, & illustratur ex creaturis huius mundi, è cœlo, firmamento, sole, solis cursu, & alijs rebus à Deo conditis. Ac profecto res ipsa testificatur, quòd cœlum & terra, & omnia, quæ in ipsis sunt, vociferentur, & esse Deum, & esse ipsum omnipotentem rerum gubernatorem. Interroga, inquit, Iob, iumenta, & docebunt te, volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus DOMINI fecerit? Et *Iob.12.*

Rom.1. Paulus. Quæ ſunt, inquit, viſibilia Dei, ex creatione mundi, per opera intelliguntur & peruidentur, ipſa videlicet ęterna eius potentia ac diuinitas. Ac rurſus:

Act.14. Deus non ſinebat ſeipſum expertem teſtimonij, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra.

Vnde & nonnulli vocarunt cœlum & terram, librum naturæ, ex quo notitiam Dei diſcamus. Sed alio nos vocat autoritas Apoſtoli Pauli, qui cum diſertè teſtificetur hunc Pſalmum vaticinari, & loqui de diuulgatione Euangelij Chriſti in orbem terrarum, quemadmodum ſuprà oſtendimus, perſpicuè ſignificat, quòd in his verſiculis non fiat ſermo de Phyſica enarratione gloriæ & maieſtatis Dei, quæ fit per cœlum, firmamentum, ſolem, & alias res à Deo conditas: ſed de hyperphyſica & theologica enarratione, quæ fit per Apoſtolos inter omnes Gentes, quæ ſunt ſub cœlo, & firmamento, & quas hic ſol ſingulis diebus perluſtrare ſolet. Quæ enarratio eſt diuulgatio Euangelij de Chriſto in vniuerſum orbem terræ. In Euangelio enim de Chriſto, gloria & maieſtas DOMINI Dei noſtri ita illuſtratur, vt agnoſcamus eum non ſolùm extuliſſe Chriſtum filiũ ſuum in ſummã ſublimitatem, & dediſſe ei nomen ſuper omne nomẽ, vt in nomine eius omne genu ſe flectat, verùm etiam eum eſſe Deum veracem, omnipotentem, clementem, paterno erga homines animo ita affectum, vt quotquot credunt in Chriſtum, recipiat in ſuam gratiam, condonet ipſis omnia peccata propter Chriſtum, imputet ipſis iuſtitiam Chriſti, & adoptet ipſos in ſuos filios, ac hæredes ęternæ ſuæ ſalutis. Hæc eſt maxima omnium Dei

patris

Liber naturæ, Cœlum et terra.

patris gloria, de qua & Christus ipse in precatione sua loquitur. Ego te, inquiens, glorificaui super terram. Quod ergo dicit, illud est: Cœli, hoc est, Apostoli, cœlesti vocatione excitati, cœlesti spiritu donati, enarrat gloriã Dei, Euangelion videlicet de Christo, qua enarratione & prædicatione gloria ac maiestas Dei ita illustratur, vt nihil obscuritatis reliquum fiat. Et firmamentum, (pro quo Hebræus legit Expansionem seu Extensionem,) qui sunt ijdem illi Apostoli, quorum doctrina fundata & firmata est ecclesia, & extensa seu diuulgata in vniuersum orbem. Superstructi, (inquit Paulus) super fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Hoc (inquam) firmamentum, hi Apostoli adnuntiant opera manuum Dei, quia per Apostolicum Euangelium adnuntiatur redemptio humani generis à peccato, morte & inferno, per Christum filium Dei. Quod opus non minus miraculum est, quàm creatio cœli & terræ. Adnunciatur autem hoc redemptionis opus per Euangelion, non interdiu tantùm, sed diu noctuq;. Semel enim in die Pentecostes patefactum, & diuulgatum, nunquàm amplius silentio obruetur, sed prædicatur de die in diem, de nocte in noctem, vt nullum sit tempus vsq; ad extremum huius seculi diem, quo ex prædicatione Euangelij non colligatur ecclesia Christi, & non erudiatur scientia seu cognitione earum rerum, quæ ad consequendam æternam salutem cognitu necessaria sunt. Huc alludit etiam Esaias, cum de ecclesia Christi concionatur: Aperientur, inquiens, portę tuę iugiter, DIE AC NOCTE non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo, (seu *Eph. 2.* *Esa. 60.*

ingens multitudo) gentium, & reges earum adducantur.

Sed vbi nam gentium fit hæc adnuntiatio, & explicatio? Num in vna tantùm Iudæa? in vna tantùm vrbe Hierusalem? in vna tantùm lingua Hebræa? Nihil minus, inquit, Nulla erit lingua, nullus sermo, in quo nõ sonat vox Apostolorũ, & Euangelij, quod ipsi adnuntiant. In die Pentecostes, Apostoli repleti sunt omnes Spiritu sancto, & ceperunt loqui alijs linAct. 2. guis. Et confusa est multitudo, quòd audiret vnusquisq; sua lingua illos loquentes. Et postea egressi, circumtulerunt vocem Euangelij in vniuersò orbe, inter omnes Gentes, & in omnibus Gentium linguis. Vnde & additur, in omnem terram exit sonus, seu, vt Hebræus legit, amussis & regula eorum, Apostoli enim sono Euangelij sui ædificarunt & extruxerunt, tanquam amussi & perpendiculo, Ecclesiam in omnibus finibus terræ. Et quod hic Psalmus futurum vaticinatur, aut potius, vt rem seu gestam, seu quæ iam geritur, narrat, hoc Christus ipse hunc mundum, iuxta externam conuersationem, deserturus, Vos, inquit, eAct. 1. ritis testes mihi, non solùm Hierosolymis verùm etiã in vniuersa Iudæa, Samariaq;, denicq; vsq; ad extrema terræ. Et Paulus, ad Colos. cap. 1. Per sermonem Euangelij, quod peruenit ad vos, quemadmodum & in TOTO MVNDO fructificat. Et mox: Siquidem permanetis, inquit, in fide fundati ac stabiles, nec dimouemini à spe Euangelij, quod prædicatum est, apud vniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Vides igitur hunc Psalmum verius historiam, de rebus iam gestis, texere, quàm vaticinium de rebus adhuc gerendis commemorare,

morare, quòd diuulgationem Euangelij in totum orbem, mille antè annis ita recitet, perinde ac si eam coràm fieri, suis oculis vidisset.

Cæterùm, quod in quarto versiculo sequitur: Soli posuit tabernaculum in ipsis, quia sententia eius cohæret cum illis duobus versiculis, qui mox sequuntur, idcirco recitabimus eos, priusquàm appendicem illam explicemus.

5. *Et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo, exultat sicut gigas ad currendam viam.*
6. *Ab extremo cœlorum egressus eius, & ambitus eius vsq; ad extremum eorum, & non est, qui se abscondat à calore eius.*

Videntur & hæc de sole illo externo, & cursu eius in cœlo dici. Sed quemadmodum Psalmus ab initio intelligit nomine cœlorum Apostolos, & nomine enarrationis seu vocis, diuulgationem Euangelij, ita & hoc loco nomine Solis intelligit Christum, qui Euangelio Apostolico adnuntiatur. Soli, inquit, posuit tabernaculum in ipsis, videlicet Apostolis. Apostoli enim in hunc vsum diuinitus ordinati sunt, vt sint tabernaculum seu tentorium Solis, hoc est, in quorum Euangelio verus Sol, qui est Christus (qui & alias se ipse lucem mũdi vocat) cõmoretur, & per vniuersum orbem circumferatur. Quare sicut externus sol hæret in cœlo, tanquàm in suo tabernaculo, & manè oriens procedit ex inferiori hemisphærio, super terram, magno & illustri ornatu aurora quasi aurea, tanquàm sponsus de thalamo suo, & incedit ac progreditur ad perficien-

perficiendum cursum suum, ab extremo cœlorum usq; ad extremum, hoc est, ab oriente vsq; in occidentem: nec est vllus locus in terra, ad quem Sol non proiiciat radios, aut ad minus calorem seu virtutem suam. Incedit autem non vulgari & humili modo, nō pro more hominum captiuorum, sed magna, vt ita dicam, alacritate, & maiestate, tanquàm gigas, aut heros quispiam, cui nihil potest obsistere, quod ipsum à cursu suo impedire, & remorari queat. Quis enim rex, quis Monarcha tantarū est virium, qui possit solem à cursu suo auertere? Steterunt quidem sol & luna ad man-
Ios.10. datū Iosuæ, nec sunt aliquandiu progressi, donec Iosua sumeret vltionem de hostibus suis. hoc autem factum est, non vulgari sed mirando modo, non humana, sed diuina potentia. Si vero solennem rerum naturam consideraueris, nullus hominum, quamuis potentissimorum, est, qui queat cursum solis sua virtute cohibere. ita etiam de Christo, vero sole, sentiendum est. Circumfertur enim predicatione Apostolorum, per omnem orbem. Nec venit sordido & lacero vestitu, sed incedit, sicut sponsus, multis donis ornatus, quæ in ecclesiam suam liberaliter confert: nec commoratur in vno tantùm loco, sed discurrit per omnem terram, ab oriente in occidentem: nec est vlla gens, vlla natio, in qua Christus non sit predicatus. Et quanquàm tam Iudæi, quàm Ethnici contulerunt quicquid habuerunt virium, ad extirpandum nomen Christi, & opprimendū Euangelion eius, tamen ipse semper, inuitis etiam inferorum portis, pergit summa alacritate & potentia, tanquàm heros omnibus formidatus & inuictus, Euangelion suum propagare, & tueri. Cum igitur

igitur manifestè videamus re ipsa impletum esse, & adhuc impleri, quod hic Psalmus de diuulgatione Euangelij in omnem terram concionatur, agamus Deo gratias, agnoscamus Christum & Euangelion eius, vt etiam beneficijs eorum fruamur.

7. *Lex* DOMINI *perfecta, recreans animas, testimonium* DOMINI *fidele, sapientiam præstans paruulo.*
8. *Præcepta* DOMINI *recta, lætificantia cor, mandatum* DOMINI *purum, illuminans oculos.*
9. *Timor* DOMINI *mundus, permanens in æternum, iudicia* DOMINI *veritas, iusta sunt simul.*
10. *Desiderabilia magis quàm aurum, & quàm obrizum multum, ac dulciora melle & succu fauorum.*
11. *Etiam seruus tuus illustratur per ea in custodiendis illis, retributio multa.*

In superioribus versiculis descripta est diuulgatio Euangelij in vniuersum orbem. In his autem versiculis describitur, qualis sit doctrina illa Euangelij, quod est ab Apostolis diuulgatum, & quid efficiat. Nomine enim legis non est hoc loco intelligendus Decalogus, qui habet longè alios effectus, quàm hîc enumerantur: sed est intelligendum Euangelion de Christo. Sicut & Esa. 2. De Zion exibit lex, & verbum DOMINI de Hierusalem. Intelligitur & hîc in Esaia, nomine legis, Euangelion Christi. Lex enim, cum pro doctrina sumitur, habet duas partes, videlicet Decalogum, & Euangelion Christi. Et hæ quidem partes sunt inter se diuersissimæ: vtraq; autem nomine generis, hoc est, Legis appellatur. Nec id solùm, verùm etiam quibus

vocabulis lex seu decalogus, enunciatur, eadem etiam Euangelio tribuuntur. Itaq; per omnia illa nomina, quæ in his versiculis recensentur, videlicet, Lex, testimonium, præceptum, mandatum, timor, & iudiciũ, intelligenda est doctrina Euangelij de DOMINO nostro Iesu Christo. Audiamus igitur qualis sit illa doctrina, & quæ sit virtus ac potentia eius. Ac profecto, quod Paulus ad Romanos scribens, pauciſſimis verbis dicit: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti, hoc Psalmus pluribus exponit. Principio igitur, Lex DOMINI est perfecta seu integra. Doctrina enim Euãgelij de Christo, sicut est ab Apostolis diuulgata, & Apostolicis literis mandata, nihil habet vitij, nihil imperfectionis. Non opus habet perfici, & integra reddi humanis traditionibus, sed est perfecte ab Apostolis exposita, & quemadmodũ Spiritus sanctus duxit Apostolos in omnẽ veritatẽ, ac docuit eos omnia, quæcunq; Christus dixit eis, ita Apostoli diuulgarunt omnem hanc veritatem in toto orbe terrarum fidelissimè & perfectissimè, nec est alia doctrina quærenda, qua ad veram & æternam salutem perducamur, præterquàm Apostolicum Euangelion de Domino nostro Iesu Christo. Non subterfugi, inquit Paulus, quo minus adnunciarim vobis OMNE consilium Dei. Quare impiè errant, qui sentiunt, Euangelion Apostolicum humanis constitutionibus supplendum, & perficiendum esse.

Rom. 1.

Act. 20.

Deinde Lex DOMINI, inquit, conuertit seu recreat animas, quia per Euãgelion regeneramur ad capiendã cœlestem hæreditatẽ, & renouamur, vt Spiritu sancto excitati, in nouitate vitæ ambulemus, & in omnibus

omnibus aduersis refocillemur. Renati, inqt Petrus, non ex semine mortali, sed immortali, per verbum viuentis Dei, & manentis in æternum. Et mox: Hoc aũt est verbum, quod per Euangelion ad vos delatum est. Ad hæc, testimonium DOMINI fidele, seu firmum & stabile. Quod enim Euangelion de Christo nobis promittit, haudquaquàm nos fallit. Humana quidem promissa sæpenumero fallunt. Euangelion autem de Christo, quod est cœleste, & diuinum oraculum, tantum abest, vt agnoscentem, & confidentem eo fallat, vt citius rerum natura inuerteretur. Exiccatur fœnum, inquit Esaias, & decidit flos. Verbum autem DOMINI, hoc est, promissio Euangelij manet in æternum. 1. Pet. 1. Esa. 40.

Præterea, Testimonium DOMINI seu Euangelion de Christo, præstat sapientiam paruulo. Paruulus est, quisquis natura est rerum imperitus, nec intelligit, qua via sit ad veram salutem incedendum. Tales paruuli erant Apostoli, de quibus Christus dicit, Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, q̃ absconderis hæc à sapientibus, & reuelaris ea paruulis. Doctrina igitur Euangelij erudit paruulos, hoc est, rerum imperitos, & qui coram mundo habentur stulti, vt fiant sapientes, & intelligentes, quæ sit compendiaria via ad veram & æternam fœlicitatem. Hanc viam omnes huius seculi sapientes, quos vocarunt Philosophos, summo semper studio inquisierunt, sed nunquam humana sua ratione inuenire potuerũt. Soli autem paruuli eam inueniunt, quia hi agnoscunt Euangelion de Christo, & credunt non esse aliud nomen hominibus sub cœlo datũ, in quo oporteat ipsos

ſaluos fieri, præterquàm DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc eſt ſumma ſapientia, qua effugiamus non ſolùm afflictiones huius ſeculi, ſed etiam mortem, & infernum.

Deinde, præcepta Domini ſunt recta, & lætificant cor, quia non eſt alia doctrina, quæ rectà nos ducit ad veram lætitiam, ad pacem & tranquillitatem conſcientiæ, præter doctrinam Euangelij. Humanæ traditiones non ſunt rectæ, non dirigunt animos noſtros ad tranquillitatem, ſed magis perturbant eos. Euangelion autem conſcientiam ita tranquillam reddit, vt ne ad mortis quidem minas contremiſcat: quia oſtendit nobis Chriſtum victorem mortis, vt credamus in eum, & in ipſo etiam mortem vincamus.

Accedit & illud, quòd mandatum DOMINI ſit purum, illuſtrans oculos. Eſt & hoc per antitheſin ad humanas traditiones dictum. Hæ enim tanta ſunt immunditie & impunitate, vt non ſolùm ipſæ in ſe ſint ſordidæ, verùm etiam oculis ſectatorum ſuorum tenebras offundant, & excæcent eos. Vnde & Chriſtus ipſe, Phariſæos, qui traditionibus maiorum ſuorum
Matt.15. faſcinati erant, vocat cæcos: Omittite, inquiens, illos, duces ſunt, cæci cæcorum.

Doctrina autem Euangelij de Chriſto, & expiatione peccatorum per Chriſtum facta, tanta eſt munditie & puritate, vt etiam cæcos oculos illuſtret, & ad ambulandum in vera æternæ ſalutis via perducat.

Adhæc: Timor DOMINI mundus eſt, permanens in æternum. Timor DOMINI hoc loco eſt Euangelion de Chriſto, quòd credentes regenerentur per doctrinam

ctrinam Euangelij, & adoptentur in filios Dei, vt Deum non seruili, sed filiali affectu timeant, colant & venerentur. Et est iterum antithesis ad doctrinas hominum. Hæ enim, vt non possunt conseruare suos sectatores in aduersis, & coram tribunali Dei, ita nec perpetuò constant. Omnis plantatio, inquit Christus, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Doctrina autem Euangelij per Apostolos in totum orbem vulgati constat perpetuò, & conseruat, non in morte tantùm, verùm etiam coram tribunali Dei, quotquot eam fide excipiũt. Si quis, inquit Christus, diligit me, sermonem meum, (hic est sermo Euangelij) seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, ac mansionem apud eum faciemus. Vbi autem Deus Pater & filius habent mansionem, & hospitium, quid ibi fœlicitatis deesse posset? *Matt.15.* *Ioan.14.*

Præterea: Iudicia DOMINI sunt, veritas, adeoq; in vniuersum iusta. Est & hîc per iudicia DOMINI intelligenda prędicatio Euangelij, traditionibus hominum oppositа. Iudicium enim DOMINI est, quod summatim in illo Christi dicto continetur: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Hoc iudicium, hæc sententia est veritas ipsa, & tam perfectè & absolutè iusta, vt etiam credentem iustificet, hoc est, afferat ei remissionem omnis ipsius iniustitiæ, & donet eum iustitia Christi. Longè alia est ratio humanarum traditionũ. Hæ enim vt sunt mendacium, ab hominibus confictum, ita tantum abest vt sectatores suos reddant iustos, vt potius iniustitiam ipsorum augeant.

Additur & illud in descriptione & encomio Euangelij. Desiderabilia magis quàm aurum & obrizum multum, ac dulciora melle, & succu fauorum, Filij huius seculi amant argentum, aurum, idq; obrizum, defecatissimum, videlicet, & purgatissimum. Amant gemmas, vinum, mulieres, & quicquid est bonorum huius mundi. Et apparent quidem in his nonnulla desiderabilia, propter quę homines ea affectant, & summo studio consectantur. Arbitrantur enim se ex horum possessione in his terris esse fœlices. Sed fallunt longissimè. Quæ enim sunt huius seculi bona, nõ sunt vere bona, nec beant possessorem, imo conijciunt maximam hominum partem in perpetuũ exitium. Quomodo igitur possent esse vere desiderabilia? Euangelion autem de Christo, vere illud desiderabile, & delectabile bonum est, quod excellit omnes huius mundi thesauros, De quo & Christus apud Matthæum concionatur. Simile est, inquiens, regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo, abscondit, & præ gaudio, quod habet super eo, abit, & omnia, quęcunq; habet, vendit, ac mercatur agrum illum. Euangelion enim affert nobis remissionem peccatorum propter Christum. Vbi autem est remissio peccatorum, ibi est Deus propitius, adoptio in familiam Dei, & hęreditatẽ cœlestem, ibi est & iustitia, & victoria mortis, ac sempiterna fœlicitas. Quę cũ nobis per Euangelion Christi afferunt, quid thesauro Euangelij pretiosius? qd eo magis desiderabile, & delectabile? Careamus licet opibus & reliqs thesauris huius seculi, quid deerit nobis, si habuerimus ex Euangelio remissionem peccatorum, propter Christum? Possideamus

Matt. 13.

sideamus licet omnem huius mundi potentiam, affluentiam, dignitatem, & maiestatem, quid proderit, si Euangelion ignorauerimus, & remissione peccatorum propter Christum caruerimus? Postremo, Psaltes suo ipsius exemplo probat Euangelij seu promissionis de Christo doctrinam afferre talem fructum, seu effectum, qualem hactenus commemorauit. Dixi, Euangelion de Christo afferre sapientiam paruulis, & illustrare oculos cæcorum. Hoc in me ipse expertus sum. Nam & ego per Euãgelion ita illustratus sum, vt perspicuè cognoscam, qua sit ad veram & æternam fœlicitatem ambulandum. Ac breuiter, si quis custodierit Euangelion fide, multò maiorem retributionem, multò plura beneficia, non quidem suo ipsius merito, sed merito tantùm Christi per Euangelion patefacti, consequetur, quàm vel ego hactenus commemorauerim, vel humana lingua recitari queat. Proponit autem Dauid suum ipsius exemplũ, vt cum sit rex Israëlis, & in suis periculis non aliam consolationem & liberationem senserit, nisi ex promissione Messiæ, seu ex Euangelio Christi, non dedignemur ipsum imitari, ac in omnibus nostris casibus ad Euangelion Christi per fidem properare. Sic enim fiet, vt reipsa nos quoq; retributionem, seu beneficia eius experiamur.

12. *Delicta, quis intelligit? ab occultis munda me.*

13. *Etiam ab impudentijs custodi seruum tuum, ne dominentur mei. Tunc immaculatus & innocens ero à transgressione multa.*

14. *Placeant verba oris mei, & meditatio cordis mei coram*

te

te DOMINE, *petra mea, & redemptor meus.*

In fine Psalmi addit precationem, vt quem Euangelij fructum cepit in ipso Deus proferre, eum augere & perficere pergat. Euangelion enim de Christo, concionatur maximè omnium de expiatione, & remissione peccatorum, propter Christum. Hęc enim est summa Euangelij. Hoc etiam est summum beneficium, quod homini in hac vita contingere potest. Hoc beneficio consecuto, reliqua omnia adijcientur. Precatur igitur, vt Deus cõdonet ipsi peccata tam occulta, quam manifesta. Sunt enim duo peccatorum genera. Alterum est occultum, quod latet in nostra carne, & quod ne ab optimis quidem & pijssimis satis intelligi potest. Humana enim natura ita est per peccatum corrupta, & cæcata, vt non queat impietatem in recessu & latebris cordium latentem sufficienter agnoscere & deprehendere. Nostri vocant peccatum Originale. Gen. 6. Cũcta cogitatio cordis, mala est omni tempore. Et in Psalmo: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Hiere. 17. Prauum est cor hominis, & imperscrutabile. Quis cognoscet illud? Et Matth. 15. Ex corde exeunt cogitationes malæ, cędes, adulteria, stupra, furta, &c. Cum
2. *Samu.* Dauid occupatus esset cogitationibus de excitando
7. templo, in quo arca testamenti reponeretur, num existimas ipsum tum vidisse in corde suo adulterium & homicidium, quæ postea designauit? Nihil certè minus. Et tamen latebant in eo, & Deus videbat. Cum Petrus audiret à Christo: Omnes vos hac nocte offendiculum in me patiemini, num arbitraris ipsum vidisse aut

se aut sensisse in corde suo tam horribilem abnegationem, qualis paulo post secuta est: Imò, cum de ea admoneretur, toto pectore restitit. Et tamen in pectore hærebat, & Christus videbat. Precatur ergo Dauid, vt Deus non imputet sibi hæc occulta peccata, sed condonet: Delicta, inquiens, quis intelligit? hoc est, ea peccata, quæ inhærent carni natura, & quæ in recessu cordis ita latẽt, vt ne quidem à spiritualissimis omnino deprehendi queant. Quæso igitur te DOMINE Deus noster, vt non imputes mihi hæc occulta peccata, quorum cor plenum est, etiamsi ego in præsentia nec sentiam, nec intelligam: sed clementer mihi propter Christum Euangelio adnuntiatum remittas.

Alterum genus peccatorũ est manifestum, & conspicuum: & est fructus peccati originalis, quale est homicidium, adulterium, & vniuersa illa malorum lerna, quam Christus affirmat ex corde exire. Hæc peccata Dauid vocat hoc loco, זדים Zedim, hoc est, temeritates, petulantias, impudentias, insolentias, quòd ea designare, non sit nisi temeritas, petulantia, & impudentia. Homo enim, etsi è Spiritu sancto non renatus, tantarũ tamen est natura sua virium, vt queat se ab his abstinere. Negari quidem non potest, quin homo aliquoties à Satana ita occupetur, vt ex improuiso, & contra quàm cogitarat, in externa illa, & horrenda scelera ruat: generaliter autem homo ita conditus est, vt etiam post lapsum relictum ei sit tantillum virium, vt possit, iuxta externam speciem, honestam vitam ducere. Exempla passim, tam in Gentium historijs, quàm in Iudæorũ Pharisęis & hypocritis extant,

qui, quamuis nõ renati, cauerunt sibi à vitæ turpitudine. Quare, externa scelera haud iniuria dicuntur petulantiæ & impudentiæ. Sed quia caro valdè est imbecillis, idcirco Dauid rectè & necessariò precatur, vt in his cauendis, adiuuetur à spiritu. Custodi, inquiens, seruum tuum, non tantùm vt occulta peccata condones, verum etiam vt Spiritu sancto tuo gubernes me, ne externa & manifesta scelera dominentur mihi, & ne in corpore meo, ita regnent, vt ea petulanter & impudenter designem. Hoc enim, si impetrauero, ero coram te perfectè mundus & innocens, non quidem mea ipsius munditie & innocentia, sed condonatione meæ iniustitiæ, & imputatione iustitiæ Christi. Nec dubito, quin, si ope Spiritus sancti externa scelera nõ regnent in corpore meo, facilè cauere queam, ne in multa, varia, & horrenda flagitia ruam. Obsecro igitur te DOMINE, qui es petra mea, qua confido, & redemptor meus, vt hæc precatio mea, quam non ore tantum, sed ex fideli corde recito, placeat tibi, & sit tibi grata & accepta, quo beneficijs tuis, quæ Euangelio Christi, in totum orbem diuulgato adnunciantur, perpetuo fruar.

VSVS HVIVS PSALMI.

In tanta diuersissimarum religionum varietate, & in tanta vere piorum paucitate, multi dubitare solẽt, num adhuc reliquus sit in his terris populus, qui doctrinam initio nascentis ecclesiæ, per Apostolos vulgatam, amplectatur & sectetur. Etsi enim sunt, qui de professione huius doctrinæ gloriantur, tamen etiam hi, si

hi, si alijs conferantur pauciſſimi numerantur, & ipſi inter ſe ita diſſident, vt alij haud immerito offendi videantur. His cogitationibus & offendiculis obuiam eundum eſt hoc Pſalmo, in quo Spiritus ſanctus teſtificatur Euangelion de Chriſto, ſparſum eſſe in orbem terrarum, non temere, nec humano, ſed cœleſti & diuino conſilio, non vt ad tempus tantùm oſtentetur, & ſubitò euaneſcat, ſed vt colligat ſuam filio Dei eccleſiam ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, vſq; ad extremum huius ſeculi diem. Non vos me, inquit Chriſtus ad Apoſtolos, elegiſtis, ſed EGO vos elegi, & conſtitui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. FRVCTVS, inquit, veſter MANEAT. Non videtur quidem reliquus eſſe vllus Apoſtolicarum concionum fructus, in ijs nationibus, in quibus publicè obtinet Mahumetiſmus, & Papiſmus. Quod autem ad Eliam dictum eſt; Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal, hoc meminerimus etiam ad nos dici, vt etiamſi inter tot Gentes non prædicatur Chriſtus publicè, tamen quia ſonus Apoſtolorum peruenit ad maiores earum gentium, & fructus illorum non perit, dubitandum non eſt, quin doctrina Apoſtolica propagata ſit ad poſteritatem, & conſeruetur adhuc hodieq; vel in priuatis multorum familijs. Quare hic Pſalmus ſæpe recitandus eſt, vt nos aduerſus offendiculum, quod ex paucitate eccleſiæ Chriſti oriri ſolet, muniamus.

Deinde alij offenduntur humilitate, & contemptu prædicationis Euangelij. Sicut & Paulus ſcribit: Nos, inquiens, prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis offendiculum, Græcis ſtultitiam. In hoc autem Pſal- 1. Cor. 1.

mo commemoratur insigne encomiũ Euangelij Christi. Ponamus igitur nobis hoc Euangelij encomium ob oculos, vt excitemur ad amplectendam doctrinam eius, & fructum eius capiamus. Docemur in hoc Psalmo etiam illud, quòd etsi audimus in Euangelio afferri nobis omnium peccatorum tam occultorum, quàm externorum seu manifestorum, condonationem, gratis, propter Christum, per fidem, tamen addenda semper est pia & ardens precatio, seu inuocatio nominis Dei, vt fides, quæ remissionem peccatorum accipit, inuocatione crescat, inflammetur, & confirmetur.

Psalmus vicesimus,

Exaudiat te DOMINVS in die tribulationis, &c.

Anhusij ad flumen Brentium, explicatus

NVllum hominum genus videtur aliena ope minus indigere, q̃ Reges & Principes huius terræ. Et tamen non est, qui magis necesse habeat, cùm alijs rebus, tùm maximè piorum precibus coram Deo iuuari. In administranda enim republica, siue domi, siue militiæ, sua sunt pericula, quæ nisi Reges & Princi-

pes,

pes, cœlesti ope muniti fuerint, euadere, & conseruari non possunt. Proponit igitur Spiritus sanctus hunc vicesimum Psalmum, vt ecclesia populi Dei habeat formulam precandi, qua Regum, Principum & Magistratuũ suorum salutem DOMINO Deo nostro commendet. Habet autem hic Psalmus nouem versiculos, in quibus videntur sex aut septem petitiones contineri, sed quæ idem penè significant, ac eòdem respiciunt.

1. *Exaudiat te* DOMINVS *in die tribulationis, exaltet te nomen Dei Iacob.*
2. *Mittat auxilium tuum de sanctuario, & de Zion roboret te.*

Ponamus regem nostrum, exempli gratia, Dauidem, suscipere profectionem aduersus Ammonitas, aut alios hostes. Cum igitur nec obscura, nec parua sint pericula belli, & salus Regis ac Principum nostrorum, qui arma ad defendendam patriam sumunt, debeat nobis curæ esse, quippe quòd ex ipsorum incolumitate, etiam nostra, in hoc hominum contubernio, pendeat, obsecro te, præscribe nobis precandi formulam, qua institutum eorum Deo ita commendemus, vt omnia belli pericula, aut alias afflictiones euadant, & victoriam ab hostibus reportent.

Non est autem dubium, quin pij Reges & Principes adituri pericula, inuocent etiã ipsi nomen DOMINI, & petant auxilium nõ ab armis aut equis suis, sed è cœlo. Quare, si susceperimus eos, vt debemus, precibus nostris coram Deo iuuandos, procumbamus in

genua, & dicamus: Exaudiat te DOMINVS in die tribulationis. Videmus te, regē & principē nostrū, adire magna & grauia pericula. Videmus te obijci multis aduersis, ac sollicitè petere cœlestem opem. Obsecramus igitur & obtestamur DOMINVM Deum nostrum vt te exaudiat, te tueatur, te exaltet, & omnino faciat te voti tui compotem. Non autem inuocamus ficticium quendam Deum, quales multos somniant Ethnici, sed inuocamus nomen Dei Iacob, illum videlicet verū Deū, qui non solum promisit Patriarchæ Iacob, se ex posteritate eius missurū semen seu filium, in quo omnes Gentium familiæ benedictionem consequentur, verùm etiam qui Patriarchā ipsum Iacob, in multis & magnis periculis mirando modo conseruauit, ac eum in monamachia sua, quam cum ipso filius Dei inierat, ita tutatus est, & extulit, vt reportauerit nomen Israëlis, quod significat, si rectè interpreteris, Victorem Dei. Speramus igitur hunc verum Deum non minus in præsentia, ope sua affuturum, quàm quondam Patriarchæ Iacob affuit.

Gen.32.

Quid autem illud est, quod addunt: Mittat tibi auxilium de sanctuario, hoc est, de sancto loco, in quo erat arca propitiatorij, & roboret te de Zion, in quo monte ędificabatur templum? Cur non potius dicunt: Mittat tibi auxilium de cœlo. Sicut Salomon postea dicit: Tu exaudies in cœlo, in firmamento Solij tui? Num Deus magis commoratur in monte Zion, quàm in cœlo? Num mittit auxilium suum potius ex arca propitiatorij, quàm è throno suo cœlesti? Hic iterum obseruemus, quòd precatores idcirco sic loquantur, vt significent, se inuocare, nō Moabiticum quendam,

3.Reg.8.

aut

aut Ammoniticum, aut Delphicum Deum, qui oracula è tripode dare solet: Sed verum Deum Patriarcharum, qui vera, & cœlestia oracula dedit è propiciatorio, & q̃ sacris diuinitus institutis in sanctuario, & in Zione colitur. Sic Esa. 31. dicitur: Dixit DOMINVS, cuius ignis est in Zion, & caminus eius in Hierusalem. Hæc est descriptio veri Dei, qua seiungitur ab omnibus alijs dijs fictitijs. Verus enim Deus est, non quem Ethnici somniarunt, absq; verbo Dei: sed qui patefecit se verbo suo Patriarchis, & promisit, se è posteritate ipsorum missurum filium suum, redemptorem humani generis, ac interea adumbrauit eum donec veniret, sacrificijs, quæ in Zione, seu in templo suo, ad arcam propiciatorij, peragenda instituerat.

3. *Memor sit omnium oblationum tuarum, & Holocaustum tuum pingue fiat.*

Quod dicit: Pingue fiat, significat se precari, ut holocaustum Regis sit Deo gratum & acceptum. Conqueritur enim Deus apud Malachiam, quòd populus Israel non offerat sacrificia nisi cæca, clauda, languida, & macilenta, quæ abominetur: Sed requirat integra, sana & pinguia. Cum igitur precatores orant hoc loco, vt holocaustum Regis fiat pingue, orant, vt Deo placeat. Sed quid? Num precantur, ut Deus respiciat merita oblationum & holocaustorum Regis, ac tueatur eum propter illa, cœlesti sua ope? An non apud Esaiam dicitur: Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorũ, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, *Mala. 1.* *Esa. 1.*

meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Certè sacrificia & holocausta Israëlitarum malè in multis Prophetarum locis audiunt, nō quòd non fuerint diuinitus instituta, sed quòd Hypocritæ ijs ad impietatem & idolomaniam sint abusi. Blandiebantur enim sibi his sacris, & pollicebantur sibi meritis eorum omnem cœlestem benedictionem. Sed hæc est impietas. Non enim erant in hunc vsum instituta, vt expiarent suo opere peccata coram Deo, & mererentur æternam fœlicitatem: sed tantùm vt verum peccatorum expiatorem, qui est Christus Dominus noster, adumbrarent, & fidem in ipsum confirmarent. Quare, quod in hoc versiculo dicunt: Memor sit oblationum tuarum, &c. non precantur, vt Deus respiciat in rege, merita holocaustorum eius, sed potius vt respiciat merita DOMINI nostri Iesu Christi. Est enim phrasis Leuitica, qua id suo tempore intelligitur, quod po-
Ioan. 16. stea apud Ioannem Christus claris & apertis verbis dicit. Quæcunq; petieritis patrem in NOMINE MEO, dabit vobis. Oblationes enim & holocausta Leuitica, non expiant peccata, sed concionantur tantùm de vero peccatorum expiatore, Iesu Christo: & significant: Deum merita tantùm Christi filij sui, non merita illorum Leuiticorum holocaustorum respicere. Quare quod precatores in hoc versiculo dicunt, habet hanc sententiam.

Rex noster ingressurus in bellum, multa obtulit sacrificia & holocausta, non vt meritis eorum fauorem Dei mereatur, sed vt admoneat se fidei in Messiam, propter quem solum Deus fauet nobis, & conseruat tam regem, & principes, quàm nos in ipsum credentes

tes in omnibus aduersis. Petimus igitur DOMINE Deus noster, vt memor sis horum sacrificiorum, hoc est, vt confirmes fidem regis, & des ei fœlicem euentum belli, propter Messiam tuum, cuius ecclesiã Rex suscepit contra hostes nostros tuendam.

4. *Det tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum fortunet.*

5. *(Vt) exultemus in salute tua, & in nomine Dei nostri vexilla erigamus. Impleat* DOMINVS *omnes petitiones tuas.*

Pergunt orare: Tu rex noster cogitas nos ab hostibus defendere, constituis nos in tuto collocare, ne ab hostibus ex improuiso opprimamur. Oramus igitur Deum, vt his tuis cogitationibus satisfaciat, & consiliis tuis prosperum det euentum. Quo fine, & in quem vsum? Num, vt ex vltione hostium nostrorum carnalem capiamus voluptatem? Nihil minus. Orandum enim est, etiam pro persecutoribus nostris, tantum abest, vt de aduersis eorum nobis applaudamus. Sed vt exultemus, inquiunt, in tua salute, & statuamus trophæa in nomine Dei nostri, hoc est, vt cum tu reportaueris salutem & victoriam, nos beneficio per te parto fruamur, & gloriam nominis Dei, propter victoriam diuinitus concessam, celebremus. Hoc prorsus illud est, quod Paulus ad Timotheum scribens. Adhortor vos, inquit, vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, PRO REGIBVS, & omnibus in eminentia constitutis, vt placidã ac quie- 1. *Tim.* 2.

tam vitam degamus, cum OMNI PIETATE & honestate. Et Hiere. cap. 29. Quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & ORATE pro ea ad DOMINVM, quia IN PACE illius, erit PAX VOBIS. Reges enim & Magistratus constituti sunt diuinitus, vt publicam tueantur pacem & tranquillitatem, non propter seipsos, sed propter populum suum, ac maxime omnium propter ecclesiam Dei. Dei, (inquit Paulus de magistratu) minister est, TIBI in bonum. Tanto igitur diligentius & ardentius orandum est, pro salute Regum & magistratus, ac meritò precandum, quod hîc addunt: Impleat DOMINVS omnes petitiones tuas, (dum videlicet, Reges & Principes, suæ vocationi seruierint) quãto plura & maiora beneficia Dei, ministerio eorum in nos redundant.

Rom. 13.

6. *Nunc cognosco, quòd* DOMINVS *seruaturus sit Messiam suum, exaudiat eum de cœlo sancto suo, ac dextera eius saluet eum potentissimè.*
7. *(Quia) hi in curru & in equis (fiduciam suam collocant) nos autem nominis* DOMINI *Dei nostri recordamur.*
8. *Ipsi incuruabuntur, & cadent, nos autem exurgemus, & erecti stabimus.*

Etsi ecclesia Dei, quæ in superioribus versiculis orauit, non est sine fide precata, tamen quia fides orantis solet precibus inflammari, idcirco iam accensa exclamat: Nunc cognosco, nunc scio, nunc certa sum, nec amplius quicquàm in me dubitationis relictum est, quin Deus sit seruaturus nostrum, imò suum ipsius Regem, quem videlicet ipse instituit, & in regem vn-

gi

gi voluit (vnde & Reges, Messię, hoc est, vncti dicuntur) & sit exauditurus eum de cœlo sancto suo, (quod idcirco vocat sanctum, propterea quòd sit in thronum Dei, qui tamen cœlum & terram implet, sanctificatum seu deputatum) ac ex omnibus aduersis maxima dextræ suæ potentia liberaturus. Vnde ergo, quæso te, hoc nosti? vnde hanc certitudinem concepisti? Non certe concepi eam ex meo ipsius somnio, aut ex carnis meæ coniecturis, sed ex oraculo cœlesti, & ex verbo diuino. Video enim hostes nostros inflatos esse sua ipsorũ potentia, & gloriari de suis viribus, ac fiduciam suam, non nisi in curribus bellicis, & in magno equitatu collocare. Non iactant, non crepant, nisi arma, gladios, hastas, arcus, currus & equites, ex quibus pollicentur sibi certissimam victoriam. Nos vero nihil habemus, quod iactemus, & de quo gloriemur, nisi quòd reuocemus in memoriam summam Dei clementiam, quam nobis promissione sua aduersus hostes nostros manifestè testificatus est.

Extat enim cœleste oraculum, quo Deus recepit se vanam hostium fiduciam, quam collocant in suis curribus & equitatibus, pudefacturum. Deut. 20. Si exieris, inquit, ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non TIMEBIS eos, quia DOMINVS Deus tuus TECVM EST, qui eduxit te de terra Ægypti. Hæc est illa promissio, quæ excitat fidem nostram, vt non amplius de victoria regis nostri dubitemus.

Extat etiam, in priori libro Samuelis cap. 2. illud

dictum. Arcus fortium superatur, & infirmi accinguntur robore.

1. Samu. 17. Meminimus etiam illius sermonis, quem Dauid ad Goliathem dixit. Tu venis ad me, cum gladio, hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine DOMINI exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie.

His & id genus alijs cœlestiũ oraculorum dictis, ac piorũ exemplis ita confirmamur, vt certo futurũ cognoscamus, nec dubitemus, quin hostes nostri deijciãtur & opprimantur. Exercitus autem regis nostri superior euadat, & victoriam reportet. Quod cum ita se habeat, oramus magna fide & certissima fiducia, quod in postremo versiculo sequitur.

9. DOMINE *serua Regem. Exaudiat nos* (DOMINVS) *in die, qua inuocamus.*

Alij hunc versiculum, propter notam membri, sub verbo SERVA, (quam notam Hebræi vocant Athnatha,) sic legunt. DOMINE serua, Rex, (videlicet Christus) exaudiat nos, &c. Optima sententia, qua significatur Deum patrem inuocandum esse propter nomen Christi, qui est verus rex noster. Sed quia notæ distinctionum apud Hebræos facilè à scribis transponi possunt, idcirco sequimur in præsentia vulgatã tralationem. DOMINE saluum fac regem. Et, (mutata secunda persona in tertiam, quæ subita mutatio apud Hebræos vsitata est,) exaudiat nos, (videlicet DOMINVS) in die, qua inuocauerimus eum. Est autem conclusio totius precationis, qua significant, se tam firma

Nota distinctionis (quã vocant) Membrũ apud Hebræos semicirculus videlicet in modum iridis.

firma fiducia pro salute regis orare, vt sperent se non tantum in hac precatione, verùm etiam quocunq; tempore Deum inuocauerint, ab eo exaudiendos. Ec quomodo igitur hoc impetrari potest? facillima est responsio. TIME DOMINVM Et inuoca eum IN VERITATE. Inuocabis autem eum in veritate, si inuocaueris eum vere, in nomine DOMINI nostri Iesu Christi. Voluntatem inquit aliàs, TIMENTIVM se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Ac iterum: Prope est DOMINVS omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in Veritate. Et aliàs: Quæcunq; petieritis patrem in NOMINE MEO, dabit vobis.

VSVS HVIVS PSALMI.

Ostendimus hunc Psalmum esse à Spiritu sancto dictatum, & propositum, vt ecclesia populi Dei haberet certam formulam, qua salutem Regum & magistratuum suorum Deo commendaret. Testatur igitur hoc ipso Spiritus sanctus, quòd Reges & magistratus sint sibi curæ, & velit ipsos haberi sacrosanctos & inuiolatos. Quo monemur, ne simus aduersus eos seditiosi, sed legitimis ipsorum ordinationibus obediamus. Et quia nostra tranquillitas pendet diuina ordinatione ex ipsorum studio & cura, non cessemus ministerium eorum tam precibus, quàm alijs officijs iuuare. Deinde, docet nos Spiritus sanctus, quòd nulla inuocatio sit Deo grata, nisi quæ fit propter Christum Dominum nostrum. Quod enim dicitur: Memor sit omnium sacrificiorum eius, idem planè est, ac si diceretur, Memor sit passionis & mortis DOMINI nostri

Iesu Christi. Hæc enim sola est sacrificium & holocaustum illud, quod per Leuitica sacra est adumbratum, & quod peccata nostra in conspectu Dei expiauit. Discamus & illud, quòd sicut administratio reipublicæ non constet humana sapientia, ita nec victoria in bello constet humanis viribus, sed diuina tantùm clementia, & gratuita Dei bonitate. Quare militia tam togata, quàm armata suscipienda est, sola diuinæ vocationis, clementiæ & bonitatis fiducia.

ERRATA PRIMÆ DECADIS.

Pag. 7. vers. 5. pro daturos, lege daturus.
Pag. 109. vers. 6. pro pij eorum, lege pirorum.

ERRATA SECVNDÆ DECADIS.

Pag. 17. vers. 1. pro deferendum, lege deserendum.
Pag. 36. vers. 2. pro sumantur, lege sumuntur.
Pag. 37. vers. 15. pro semistichium, lege hemistichium.
Pag. 43. vers. 22. pro infirmi, lege inferni.
Pag. 47. vers. 20. pro excogitandarum sacrarum, lege excogitandorum sacrorum.
Pag. 61. vers. 10. & 11. omissa sunt ex Psalmo 143. sequentia verba: Plantationes in iuuentute sua, Filiæ, &c.
Pag. 68. vers. 14. pro externo, lege æterno.
Pag. 84. vers. 26. pro patri, lege pater.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS TERTIA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1565.

PSALMI TERTIÆ Decadis.

21. DOMINE *in virtute tua lætabitur rex, &c.*
22. *Deus meus, vt quid me dereliquisti?*
23. DOMINVS *regit me: & nihil mihi deerit.*
24. DOMINI *est terra, & plenitudo eius.*
25. *Ad te* DOMINE *leuaui animam meam.*
26. *Iudica me* DOMINE, *quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.*
27. DOMINVS *illuminatio mea, quem timebo?*
28. *Ad te* DOMINE *clamabo, Deus meus.*
29. *Afferte* DOMINO *filij Dei: afferte* DOMINO *filios arietum.*
30. *Exaltabo te* DOMINE, *quoniam suscepisti me.*

Psalmus 21.

DOMINE in virtute tua lætabitur Rex.

FAcilis est coniectura, cur interpretes hunc Psalmum de Dauide exposuerint. Cum enim is, qui proximè præcedit (Exaudiat te DOMINVS in die tribulationis.) ad Dauidem cōmodè referatur, arbitrati sunt, etiam hunc Psalmum rectè & aptè ad Dauidem accōmodari. Sed vera Psalmi sentētia magis ex Psalmo ipso, quàm ex ordine eius petenda est. In quarto enim versiculo dicitur: Vitam petijt à te, dedisti ei longitudinem dierum in seculum & seculum. Hoc propriè in Christum, & non in Dauidē competit. Et in versiculo sexto: Constituis eum, vt sit benedictio perpetua, pertinet & hoc propriè ad personam Christi. Quare hic Psalmus iuxta σκοπὸν de Christo & regno seu maiestate eius, non de Dauide intelligendus est.

Continet autē duas partes. Prior est expositio gloriæ & maiestatis Christi: posterior est expositio oppressionis & abiectionis Iudæorum: quibus etsi Christus erat promissus, tamen non fuerunt virulentiores Christi hostes & persecutores: quippe quòd ad illum tantùm exitum properarūt, vt maiestatem Christi ad inferos vsq; deprimerent & conculcarent.

1. DOMINE, *in tua fortitudine lætatur Rex, & in tua salutare exultat vehementer.*

Propoſitio Pſalmi, cuius ſententia illuſtrior fit, ſi per antitheſin ad Iudæos explicetur. Iudæi cogitarunt regem ſeu Chriſtum, vnà cum ſuo regno opprimere, ac prorſus è terra viuentium eradicare. Sed Chriſtus lætatur in fortitudine Dei, & exultat vehementer in ſalute eius. Tantum enim abeſt, vt potuerint ipſum opprimere, vt potius exaltatus ſit in ſummam ſublimitatem, & collocatus ad dexteram Dei, ſuper omnem principatum, & ſuper omne nomen, tàm in hoc, quàm in futuro ſeculo. Cum igitur ſeruatus ſit fortitudine Dei, & reportauerit inſignem victoriam ab omnibus hoſtibus ſuis, non habet cauſam, cur doleat, & triſtitia afficiatur, ſed potius lætetur, & præ gaudio geſtiat. Ac idem plane in hoc verſiculo paucis dicitur, quod Pſalm. 118. copioſius exponit: Impulſus ſum, inquit Chriſtus, vt caderem: & DOMINVS ſuſcepit me. Fortitudo mea, & laus mea DOMINVS: & factus eſt mihi in ſalutem. Ac mox: Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli.

2. *Deſiderium cordis eius tribuis ei, & voluntatem labiorum eius non negas.*

Propoſitionem ſequitur enumeratio beneficiorum, quæ Deus confert in Chriſtum, & propter quæ Chriſtus lætatur, & triumphum agit. Primùm enim Deus gratificatur Chriſto filio ſuo in omnibus votis ſuis. Quicquid Chriſtus vel corde deſiderat, vel ore rogat, ſeq; velle ſignificat, tantum abeſt, vt Deus recuſet aut neget, vt cumulatè impleat, ac ſatisfaciat. Vnde & a-
Ioan. 11. pud Ioannem ait: Ego ſciebam, quòd ſemper me au-
dis.

dis. Vociferabantur quidē Iudæi, cum pēderet in cruce, iuxta carnis aspectum, miserrimus: Cōfidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum: arbitrabantur enim eum à Deo prorsus desertum. Sed Spiritus sanctus in hoc versiculo affirmat, ipsum Deo ita acceptum, vt impleat omnes petitiones cordis eius. Et alias testatur Deus pater: Hic est, inquiens, filius meus dilectus, quo vnicè delector.

3. *Obuias eum benedictionibus voluntatis, ponis super caput eius coronam auream.*

Aliud beneficium, quod Deus pater confert in Christum filium suum: Obuias, inquit, eum benedictionibus bonitatis: afficis eum optimis quibusq; beneficijs: ornas eum omni genere bonorum, adeoq; imponis capiti eius coronam architectatā non de simplici, sed de optimo, & purissimo auro. Hoc planè illud est, quod apud Ioannem dicitur: Pater diligit filium, & dedit ei omnia in manus. Et iterū apud Mat- *Ioan.3.*
thæum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in *Matt.28*
terra. Ac rursus in Psalmo: Omnia subiecisti sub pe- *Psalm.8*
dibus eius. Vt interim non addam, quæ Paulus ad Ephes. cap. 1. & 4. & ad Philip. cap. 2. de maiestate Christi diserte scribit. quæ si huc contuleris, manifestè videbis, Christo impositam esse coronam, non regiam huius seculi, non angelicam, nec archangelicam, sed diuinam: vt in nomine eius omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum sese flectat.

4. *Vitam petijt à te: dedisti ei, longitudinem (videlicet) dierum perpetuò & in æternum.*

Aliud beneficium. Cum Christus perturbaretur aspectu mortis, in monte oliueti, & prosterneret se coram Deo patre, deprecatus est mortem, & petijt vitam: Pater mi, inquiens, si possibile est, transeat à me calix iste. Quid ergo factum est? Etsi Christus non retinuit hanc corporalem & mundanam vitam, debuit enim mortem ad expianda nostra peccata suscipere, Deus tamẽ pater dedit ei pro hac corporali vita, longitudinem dierum, in omnem æternitatem, & collocauit eum in throno diuinæ suæ maiestatis, vt omnia coràm gubernaret: idq; non quinquaginta aut cẽtum aut etiam mille annis, sed perpetuò & in sempiternum. Esa. 9. Multiplicabitur, inquit Esaias, eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, à modò & vsq; in sempiternum.

5. *Magna est gloria eius per salutem tuam, laude & decore exornas eum.*

Exclamatio, & admiratio. Cum tu, ô cœlestis pater, facias Christum filium tuũ compotem omnis voluntatis eius, ac afficias eum omni genere bonorum, & extollas eum in perpetuum regnum, quanta, obsecro, & quàm magna est maiestas eius, quam consecutus est ex eo, quod tu seruas & extollis eum: quanta est laus, quantum decus eius, quo tu ipsum, præ omnibus hominibus & angelis exornas? Hic versiculus cõuenit cum eo, qui est in Psalmo octauo: Visus quidem fuit aliquantisper deseri à Deo: sed gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

6. *Quoniam*

3. *Quoniam constituis eum, vt sit benedictio in perpetuum, lætificas eum gaudio vultus tui.*

Pergit commemorare beneficia, quæ collata sunt in Christum à Deo patre suo. Non est mirum, quòd magna sit maiestas Christi, & insignis sit laus eius. Cõstituis enim ipsum, vt sit benedictio in omnem æternitatem, & respicis eum vultu tuo tanta clementia, vt effundas in ipsum omnem tuã fœlicitatem. quo gaudio & lætitia, quid potest maius & excellentius dici? Hic versiculus sumptus est ex illa promissione, quæ dicta est de Christo ad Abrahamum, & extat in Gen. cap. 22. In semine tuo, (qui est Christus) benedicentur omnes gentes terræ. Non autem fit hic sermo de benedictione corporali & terrena, sed de spirituali & cœlesti, quæ est remissio peccatorum, adoptio in hæreditatem cœlestem, conseruatio in morte, & æterna fœlicitas. Hæ sunt benedictiones, hæc sunt beneficia, quæ credentib. contingunt propter Christum. Manifestum quidem est, quòd homines carnales non quærant, nisi benedictiones carnales, quæ sunt sanitas corporis, diuitiæ, longitudo vitæ corporalis, gloria mundana, & regnũ terrenum. Sed quid hæc aliud sunt, quàm somniũ vmbræ, aut si quid est hoc vanius? Illę autem spirituales benedictiones, vt solæ sunt verè salutares, ita sunt perpetuæ. Quare omni studio elaborandum est, vt eas in Christo consequamur.

7. *Quoniam rex sperat in* DOMINO, *& per beneficentiam altissimi non concutietur.*

Vociferabantur quidem Iudæi de Christo: Confidit

dit in Deo, & liberet eum nunc, si placet ei. Sed etsi Christus visus fuit aliquandiu à Deo desertus, tamen nunquam decidit de spe sua. Tu es, inquit, qui extraxisti me de vētre. Spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, &c. Quid ergo hac spe est assecutus? Beneficio, inquit, altissimi non concutietur. Gloriantur quidem Iudæi, se adegisse ipsum in crucem & mortem, ac arbitrati sunt gloriam eius prorsus esse cōculcatam. Sed ecce tibi, tātùm abest, vt fuerit è statu gloriæ suæ dimotus, excussus, & protritus, vt beneficio Dei patris sui collocatus sit in summa & perpetuò stabili maiestate. Habes priorem huius Psalmi partē, quę est expositio gloriæ Christi, & beneficiorū, quæ Deus in ipsum contulit. Accedamus nunc ad posteriorem eius partem.

8. *Inuenit manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniteos, qui te oderunt.*

Ab hoc versiculo incipit posterior pars huius Psalmi de abiectione & oppressione Iudæorum. Nam Iudæi cogitauerunt Christum opprimere, & radicitus euellere. Sed ipsi, saluo Christo, viciſsim ita sunt oppressi, & abiecti, vt non sint amplius populus seu ecclesia Dei, & necesse habeāt perpetuò interire. Dicit ergo: Manus tua inuenit inimicos tuos, qui sunt Iudæi, & dextera seu potentia tua, (quæ per dexteram significatur) inuenit osores tuos, qui & ipsi sunt Iudęi. Etsi enim persequendo Christum, & Apostolos eius, arbitrantur se præstare cultū Deo, & habent aliquandiu

diu felicem crudelitatis suæ progressum, tamen vel tandem inuenit aut apprehendit eos manus, seu potentia Dei, vt dent pœnas impietatis suæ. Detestatur quidem Deus omnem crudelitatem, & impietatem: non solet autem eam statim οἰ ἀυτοφώρῳ punire, sed lento gradu procedit, & tarditatẽ grauitate cõpensat.

9. *Ponis eos, vt clibanum ignis, tempore vultus tui,* DOMINVS *in ira sua deuorat eos, & absumit eos ignis.*

Pollicentur quidẽ sibi in hoc & futuro seculo summam felicitatẽ, propterea quòd sint semen Abrahæ, & videantur legem Dei, ac gloriam nominis eius magno zelo tueri. sed quia sunt iniurij, contumelioſi, & virulenti in Christum filium Dei, idcirco, quo tempore aspexeris eos iracũdo tuo vultu, & expedieris iram tuam, ita æstuabunt, perinde ac si coniecti essent in ardentem fornacem, & absumerentur ab igni. Nam quemadmodum Zodomitæ & Gomorrhitæ perierũt quondam pluuia sulphuris & ignis è cœlo demissa, vt non aliter absumerentur, quam si in ijs locis succensus esset clibanus, ita & Iudæi horribiliter, irato DOMINO, interibũt. Significat autem Spiritus sanctus hoc versiculo abiectionem quidem Iudaicæ gentis, ne sint amplius ecclesia Dei: in primis verò, etiam templi Hierosolymitani conflagrationem, quod etsi Imperator Titus in expugnatione vrbis Hierusalem, incolume conseruare voluit, tamen tanta erat ira Dei in Iudaicum populum, & in omnia sacra eius, effusa, vt templum, ne quidem Monarchæ autoritate, potuerit ab igni illæsum manere: quo casu cõcidit etiam omnis Iudaici populi incolumitas. *Vide Iosephũ, de bello Iudaico.*

10. *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum de filijs hominum.*

Fructus & semen Iudæorum sunt posteri eorum. Canit igitur Psalmus, quòd DOMINVS tanta ira sit aduersus Iudæos inflãmatus, vt non solùm illos ipsos, qui vociferati sunt, crucifige, crucifige, verùmetiam posteritatem eorũ sit oppressurus. sic enim voluerunt ipsi, cum clamarent: Sanguis, (hoc est) vltio sanguinis eius veniat super nos, & super filios nostros. Hanc pœnam adhuc hodieq; dant Iudæi. Etsi enim non videntur omnes ex his terris sublati, tamen qui adhuc sunt superstites, vagantur incertis sedibus, & non solùm eiecti sunt, ex auitis suis possessionibus in his terris, verumetiam excluſi sunt è cœlesti hęreditate. Hoc verè est è contubernio filiorum hominum eijci.

11. *Quoniam intenderunt in te malum, & cogitauerunt consilium, quod perficere non potuerunt.*

Quid ergo est, quòd Deus tãta ira inflammatus est in Iudæos? Quia intenderũt, inquit, in Christũ filium Dei, iniquitatem & malitiã: cogitauerunt eum è medio tollere, & omnem gloriam nominis eius conculcare. & tamen consilium eorum non succesit, quippe quòd ipsi potius omni malorum genere sunt obruti, quàm quòd Christum lędere potuerint. Huc pertinet parabola de patrefamilias, qui plãtauit vineam, apud Matthæum cap. 21. & apud Lucam cap. 20. Ibi enim coloni, cum antè seruos patrisfamilias, exigentes redditum vineæ, dimisissent, additis etiam plagis, inanes, & vidissent filium ad se accedere, cogitant intra se, dicentes:

dicentes: Hic est hæres: venite occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas, &c. Sed etsi consiliũ eorum hactenus promouet, vt occidant eum, tamen & ipse euadit mortem illustrissima resurrectione, & exaltatione ad dexteram Dei: illi autem horribiliter perierunt.

12. *Quoniam facis eos humerum, & neruis tuis tendis (sagittas) aduersus faciem ipsorum.*

Quod in Psalmo septimo de impio scribitur, hoc etiã in Iudęis impletur: Lacũ, inquit Psalmus, aperuit: & effodit eum, & incidit in foueã, quam fecit. Cõuertetur dolor in caput eius, & in verticẽ ipsius iniquitas eius descendet. Idẽ plane Iudæis accidit. Insidiati sunt Christo, cogitauerũt eum opprimere, effoderũt cisternã, vt caderet in eam, & suffocaretur. Sed ecce, incident ipsi in ea mala, quæ machinati sunt in Christum. Cõstituit enim eos humerũ, effecit vt fierẽt humerus. Humerus aptus est ad gestãda onera, & ad sustinẽdas plagas. vnde & apud Esaiam cap. 9. dicitur: Virgã humeri eius superasti, hoc est, abstulisti ab humero populi virgam seu plagas. Sic & hoc loco, cum dicitur, quòd Iudæi facti sint humerus, significatur, eos traditos plagis, & opprimi grauissimis oneribus, quibus nunquam liberabuntur. Nec id solùm, verùmetiã DOMINVS imposuit neruis arcus sui sagittas, quas aduersus faciem eorum eiaculetur: alia enim sagitta aliam trudit: vt etiamsi videatur ipsis aliquoties prosper rerum successus affulgere, sicut spem salutis, duce Barcochaba, & Imperatore Iuliano, conceperant, tamen tanta fuit vis diuinæ vltionis, vt post excæcationem & abiectionem ipsorum, quæ facta est ab ascensu

Vide Eusebium in eccles. hist. li. 4. ca. 6. & Sozomenũ li. 5. cap. 2.

Christi in cœlum, nunquam potuerint amplius emergere, & è malis suis eluctari, sed missa est in ipsos altera cœlestis vindictæ sagitta post alteram, donec redacti sunt in extremam, ac nunquam finiendam calamitatem. Quæres igitur, si tanta est diuinæ iræ semel inflammatæ seueritas, quis eam effugiet? Nemo certè effugiet, nisi si quis conuersus fuerit ad Christum. Hic enim, vt est placator diuinæ iræ, ita conseruabit omnes eos illæsos, qui vera fide ipsum amplectuntur: Cum exarserit, inquit secundus Psalmus, in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. Et Ioannes: Qui credit, inquit, filio, habet vitam æternam. Qui vero non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

13. *Exaltare* DOMINE *fortitudine tua, & cantabimus, ac psallemus potentiam tuam.*

Conclusio precationis. Cum tu DOMINE Deus noster tanta sis fortitudine & potentia, vt non solùm colloces Christum filium tuum ad dexteram tuam, & ornes eum omni maiestate tua, verumetiam deijcias inimicos & aduersarios eius, ac ponas eos scabellum pedum ipsius, petimus obedienter, vt hanc tuam fortitudinem patefacias, & misso filio tuo, in toto orbe diuulges, quo potentia & maiestas nominis tui, tàm sermonibus, quàm Psalmis & carminibus celebretur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hæc est, inquit Christus, vita æterna, vt cognoscat te

te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Cum igitur cognitio Christi necessaria sit ad consequendam æternam salutem, nec aliud nomen, præter Christum, datum sit inter homines sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, visum est Spiritui sancto, promissiones de Christo, & explicationes eius, nõ tantùm sacrificijs adumbrare, & sermonibus vulgare, verumetiam in vulgares & publicos Psalmos conferre, vt liceret ecclesiæ se de Christo, & beneficijs eius, tàm in tabernaculo & templo publicè, quàm in domibus, in agris, in omnibus denique locis, priuatim, cõmonefacere, ac fidem suam excitare & confirmare. Nã, quę beneficia Christus à Deo patre suo accepit, ea non sibi tantùm, sed etiã nobis accepit, vt ijs vnà cum ipso fruamur. Desiderium cordis eius, inquit Psal. tribuis ei, & voluntatẽ labiorũ eius nõ negas. Desiderauit autẽ Christus, & voluit, vt nõ tantũ Apostoli, verùmetiã omnes per Apostolicã prædicationẽ credẽtes in Christũ, seruarentur æterna salute: Non pro eis tãtùm rogo, inquit, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorũ in me. Rursus dicit Psalmus: Constituis eum, vt sit benedictio in ęternum. Christus autem non est in se tantùm benedictus, verumetiam effundit benedictionem suam, in omnia membra sua, qui sunt credentes in ipsum, iuxta illud: De plenitudine eius accepimus omnes. Quare, cum hunc Psalmum recitamus, admoneamur de beneficijs, quæ possidemus in Christo per fidẽ: vt quicquid aduersi, siue paupertas, siue fames, siue morbus, siue mors acciderit, in Christo acquiescamus. Deinde, hic Psalmus concionatur in posteriori parte de abiectione Iudæorum ex ecclesia

Ioan. 17. *Act. 4.* *Ioan. 17.*

Dei, & excæcatione eorum propter incredulitatem. Meminerimus ergo nos, qui sumus ex Gentibus, illud
Rom.11. Pauli ad Rom: Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne quà fiat, vt nec tibi parcat.

Psalmus 22.

Deus meus, Deus meus, vt quid me deseruisti?



Nihil est manifestius, nihil certius, quàm quòd hic Psalmus concionetur de passione, morte, resurrectione & regno Christi, nec sit de alio quàm de Christo ipso intelligendus. Extant enim de hac eius sententia, perspicua in Apostolicis scriptis testimonia. Christus ipse clamat in cruce ad Deum patrem suum, verbis primi in hoc Psalmo versiculi: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti? Et Matthæus: Postquam crucifixerunt eum,
Matt.27 inquit, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittētes: vt impleretur, quod dictum est per Prophetam: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. hic est decimus octauus huius Psalmi versiculus. Ac iterum: Principes, inquit, sacerdotum, illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios seruauit, seipsum seruare non potest: Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum. Hæc sunt verba illa,

illa, quæ in octauo huius Psalmi versiculo recitantur. Et Epistola ad Hebr. cap. 2. de Christo scribens: Non erubescit, inquit, fratres illos vocare, dicens: Annunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. Hic est vicesimus secundus in hoc Psalmo versiculus. Quare, etsi Rabini Iudæorum & asseclæ eorum fingunt aliam interpretationem, tamen Apostolica testimonia debẽt nobis esse certiora & firmiora, quam si angelus de cœlo, nedum vanus quispiam Rabinus, & excæcatus Iudęus nobis aliud somniaret.

Continet autẽ hic Psalmus quatuor præcipuè partes: Vna est querela, cum cõmemoratione grauissimarũ afflictionũ, quæ Christo in passione sua cõtigerunt. Altera est precatio pro liberatione ex ista passione. Tertia est gratiarũ actio. Quarta est vaticinium de amplitudine regni Christi, & de vocatione Gentium ad ecclesiam populi Dei.

1. *Deus meus, Deus meus, quare deseris me? vociferor quidem, sed longè abest à me salus.*
2. *Deus meus, inuoco interdiu, ac ne noctu quidem sileo.*
3. *Cum tamen tu sis sanctus, habitans inter laudes Israëlis.*

Inter omnia miracula & oracula, quæ diuinitusædita sunt, non est ferè insignius, quàm vaticinium Dauidis de passione & resurrectione Christi in hoc Psalmo. Dauid enim non solùm prædicit in genere, Christum suo tẽpore passurũ, & grauissimas afflictiones subiturũ, verùmetiam addit certas circumstantias, recitat verba ipsa Christi, Deũ patrẽ in extremis suis periculis inuocantem: cõmemorat expressè amarulenta cõuitia, quib. inimici insultaturi erãt ærũnis Christi:

Sperauit

Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, si vult eum. Recensetlusum & sortem militum de vestimentis eius, adeoq; genus ipsum mortis apertè designat: Foderunt, inquiens, manus meas, & pedes meos. idq; prædicit, ante mille, plus minus annos, quàm Christus nasceretur. Hoc certè nõ est hominis, quamuis prudentis, nec dæmonis, quamuis astuti: sed sancti Spiritus, hæc oracula ex ipsissimo Deitatis sinu depromentis. Quare magnificiamus hunc Psalmum, & reponamus eum inter ea κμιλια, quæ habemus non è terra, ex qua effodiuntur opes, malorum irritamẽta, sed è cœlo, ex quo sunt ęternorum bonorum thesauri.

Ac initio, Christus captus, ad mortem à Concilio damnatus, illusus, consputus, percussus, flagellis dilaceratus, spinis coronatus, crucifixus, manus & pedes confossus, virulentissimis cõuitijs ab omni hominum genere, adeoq; à latronibus quoq; proscissus, attollit caput ad Deum patrem suum, exclamat & conqueritur: Deus, inquiens, meus, Deus meus, quid est, quòd me in tantis, & tam horrendis afflictionibus deseris? Vbi est paternus tuus erga me affectus? vbi sunt antiquæ tuæ, & omnibus seculis decantatę misericordiæ? Ego quidem vociferor ad te toto corde, sed quo magis vociferor, eò longius videtur à me recedere salus. Ego hactenus te diu noctuq; inuocaui, & adhuc quo possum animi ardore inuoco: sed manifestam patior repulsam: cum tamen tu sis sanctus, & habites seu commoreris inter laudes Israëlis.

Hîc obserua primùm, quòd vbi nos transtulimus: Vociferor quidem, sed longè abest à me salus, ibi vetus interpres habet: longè à salute mea, verba delictorum

ctorum meorum. Hic ſermo non competit in Chriſtum: nulla enim habet Chriſtus delicta, peccatū non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Etſi autem defendi poſſet, è Pſal. 69. DOMINE, tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea non ſunt à te abſcondita, videlicet, quòd Chriſtus non habuerit delicta, quæ ipſe fecit, ſed habuerit aliena, quæ expianda ſuſcepit: tamen nihil opus eſt hac excuſatione, quia error veteris interpretis manifeſtus eſt. Cum enim pro (delictorum meorum, quibus verbis interpres vtitur) apud Hebræos habeatur, *Schaagathi*, quod ſignificat rugitum, ſeu vociferationem meam, interpres legit, *Schagathai*, quod ſignificat delicta mea. Sequamur igitur, non quod interpres ſomniauit, ſed quod Hebræa veritas habet.

Deinde quæritur, quid ſit, quod dicit: Tu es ſanctus, habitans inter laudes Iſraëlis. Ac alij quidem aliter interpretantur. Vera autem ſententia eius petenda eſt ex ijs locis ſcripturæ, in quibus Deus dicitur ſanctus Iſraëlis, qui ex omnibus gentibus elegerit Iſraëlem, in ſuam eccleſiam: & commendetur ſummis laudibus, quòd omnes preces Iſraëlis exaudiat. Apud Eſaiam cap. 43. Ego DOMINVS, (inquit) Deus tuus ſanctus Iſraëlis ſaluator tuus. Ex quo facilè intelligitur, Deum idcirco dici ſanctum Iſraëlis, quod poſthabitis reliquis Gentibus adiunxerit & addixerit ſeſe populo Iſraëlitico: & quemadmodum Deus ſanctificauit, & conſecrauit ſe huic populo, vt ſit Deus ſaluator ipſorum, & velit omnes preces eorum exaudire, ita viciſsim exigat, vt hic populus ſanctificet ſe ipſi vera præceptorum eius obedientia. Non eſt alia,

(inquit Moſes Deut. 4.) natio tàm grandis, quæ hã beat deos appropinquãtes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis deprecationibus noſtris. Et cap. 7. Populus ſanctus es DOMINO Deo tuo. Te elegit DOMINVS Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Ac rurſus cap. 10. En DOMINI Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli, terra & omnia quæ in ea ſunt. Et tamen patribus tuis CONGLVTINATVS eſt (hoc eſt eſſe ſanctum Iſraëlis) DOMINVS: & amauit eos, elegitq; ſemen eorum poſt eos, (hoc eſt) vos, de cunctis gentibus. Ac iterum cap. 14. Populus ſanctus es DOMINO Deo tuo: vt ſis ei in populum peculiarem, de cunctis gẽtibus, quæ ſunt ſuper terram. Huius igitur dicti: Tu autem ſanctus, habitãs inter laudes Iſraëlis. ſententia hæc eſt: Tu quidem, DOMINE Deus meus, ſanctificaſti & addixiſti te in Deum ſaluatorẽ Iſraëlitico populo: ac celebraris conſtinenter in hoc populo ſummis laudibus, quòd elegeris ipſos in tuam veram eccleſiã, & promiſeris te omnes preces ipſorum exauditurum: Inuoca me, inquis alias, in die tribulationis, exaudiã te, & honorificabis me. ego autem nihil prorſus talium rerum in me experior: clamo ad te, ſed non audis: inuoco te, diu noctuq;, ſed inuocationẽ meam ſurda aure tranſis. vbi ergo manet laus tuæ ſanctitatis? vbi fama promiſſionum tuarum veritatis? vbi gloria tuæ clementiæ, quę de te in vniuerſa eccleſia vbiuis prædicatur? Accedit illud grauamen, quòd patiar repulſam, non ſimpliciter, ſed ſine vllo maiorum noſtrorum exemplo. Sic enim ſequitur.

4. *In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.*

5. *Ad te clamauerunt, & seruati sunt, in te sperauerunt, & non sunt pudefacti.*

6. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & despectio plebis.*

Si haberem exemplum alicuius Patriarchæ, qui inuocasset Deum, & nõ fuisset exauditus, multo æquiori animo ferrẽ, quòd nec ego exaudirer: nonnihil enim solatij est miseris, habere miseriæ suæ socios. Nũc autem, ô extremam calamitatem, quocunq; circumfero oculos inter Patriarchas, non inuenio vllum, qui sic spe sua sit frustratus, & in precibus suis pudefactus, vt ego. Concluserat quondam Deus omnem matricem domus Abimelech, Regis Geraræ, propterea quòd rapuerat Patriarchę Abrahæ Saram vxorẽ: sed orante Patriarcha, Deus sanauit omnes mulieres regis, vt parerent. *Gen. 20.*

Laban socer Patriarchæ Iacobi persequitur generum, infesto animo. Esau frater Iacobi procedit fratri obuiam, cum quadringentis viris. quo metu Iacob ita contremiscit, vt arbitretur se & familiam ab irato fratre oppressum iri. Inuocauit igitur in aduersis suis DOMINVM: ac in tantum non est pudefactus, vt tàm soceri quàm fratris infesti animi, in summam, diuino beneficio, beneuolentiam mutarentur. *Genes. 31* *Genes. 32*

Ioseph conijcitur ex falsa adulteræ accusatione in carceres: in quibus, cum inuocaret DOMINVM, ita seruatus est, vt ex ipsis, maximo nominis sui honore, ad principatum Ægypti educeretur. *Gen. 39.*

Quoties, obsecro, Moses intercessit apud DOMINVM pro Pharaone, quamuis impio, ad tollendas plagas Ægyptijs diuinitus immissas, & factus est voti sui compos? An non, cum clamaret ad DOMINVM, in extremis illis periculis, quibus vnà cum populo suo, inter Ægyptios & mare rubrum, comprehendebatur, assecutus est tam mirãdam liberationem, vt potius rerum natura necesse habuerit inuerti, quàm vt vanæ essent preces eius?

Exod.7. & reliquis capitibus.

Exo.14.

Quid dicam de Iosua? Hic clamauit ad DOMINVM, in prælio aduersus Amorrhæos: & DOMINVS tacita promptitudine affuit clamori eius, vt solem & lunam tantisper à cursu suo cohiberet, dum hostes populi Dei vincerentur.

Ios.10.

In priori libro Samuelis, non cessat Samuel clamare ad DOMINVM pro Israëlitis, vt liberet ipsos de manu Philistinorum. Ecce igitur tibi stupenda: Samuel clamat ad cœlum, & DOMINVS confestim tonat de cœlo, ac hostes ita exterret, vt etsi conijciunt se in pedes, tamen non euadant.

1. Reg.7

Quid Dauid? Toties ad inuocationem nominis Dei seruatus est in extremis periculis, vt se etiam in exemplum proponat. Exquisiui, inquiẽs, DOMINVM, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

Psal. 33.

Longum esset, omnia Patriarcharũ exempla commemorare: quibus probatur, quòd cum sperassent & clamassent ad Deum in aduersis, mirando modo sint liberati.

liberati. Quid autem de me fit, inquit Christus? Tantũ abest, vt clamor meus exaudiatur, & spe mea fruar, vt Deus videatur minorẽ mei rationem habere, quàm abiectissimorum vermiculorum. Non reputor homo, sed vermis: non computor in aliquo hominũ numero, sed sum reliquorum hominum opprobrium, perispsema, catharma, despectio & excrementum. Ex hoc versiculo concionatur etiam Esaias de Christo: Non est ei, inquiens, species, neq; decor: vidimus eum, & non erat eo aspectu, vt desideraremus eum, sed erat despectus, virorum nouissimus, adeoq; vir dolorum, omni infelicitatis genere obrutus.

Sciamus igitur, quid Christo acciderit, quòd in suis aduersis tam miserabilem querelam instituat, vt etiam videatur cum Deo patre suo impatientissimè expostulare. An non est longè alia conditio Christi, quàm aliorum hominum? Christus enim non est filius tantùm hominis, sed etiam filius Dei. Ac siquidem consideraueris Christum filium Dei, iuxta æternam suam diuinitatem, qua vna est essentia cum Deo patre & Spiritu sancto, quomodo conuenit ei hic clamor: Deus meus, Deus meus, quare me deseris? cum iuxta hanc diuinitatẽ, omnia tàm in cœlo, quàm in terra impleat: nec vlla in creaturam, nedum Christum, deserat, quippe quòd quæ Deus sua essentia deserit, mox in nihilum redeant. Si autem consideraueris Christum, iuxta eam diuinitatem, quæ statim in assumptione & cõceptione humanitati eius ab æterno filio Dei communicata est, ne sic quidem dici potest, quòd Deus eum deseruerit. Etsi enim maiestas huius diuinitatis non fuit coram hominibus, ab initio con-

ceptionis eius manifesta, tamen nunquam ei defuit nec tum primùm factus est DOMINVS & Christus, Act. 2. sicut Petrus loquitur, cum ascendit visibili spectaculo in cœlum, & dicitur ad dextrã Dei consedisse: sed iam inde ab initio conceptionis, quo assumptus est à filio Dei in eandem personam, semper habuit maiestatem dominationis in cœlo & in terra: semperq; fuit verus Christus: nec vnquam desijt esse DOMINVS & Christus. Quomodo igitur nunc vociferatur, se à Deo desertum? Explicatio huius rei petẽda est ex Paulo, qui ad Ephes. cap. 4. scribens: Illud, inquit, ascendit, quid est, nisi quòd etiã descenderit prius in inferiores partes terræ? Et ad Philippenses cap. 2. Christus Iesus, quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo: sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus, vt homo, humilẽ prębuit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Et ad Hebr. cap. 2. Debuit per omnia fratribus similis reddi, vt misericors esset, & fidelis pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quod ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere. Ac mox cap. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum: sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem, absq; peccato. Hæc Apostolica testimonia proponunt nobis Christum, duplici ratione intuendum. Altera, quòd sit in forma Dei, hoc est, quod ab initio conceptionis suæ in virgine Maria assumptus sit, sicut Athanasius loquitur, in

Deum

Deũ, & ornatus sit omni diuina maiestate: vt esset omnipotens, & omnium rerum tàm in cœlo quàm in terra gubernator, quod est sedere ad dextram Dei patris sui. Hac maiestate Christus in humanitate sua nunq; caruit: sed semper eam retinuit, ac retinebit eam perpetuò. Altera, quòd inaniuerit seipsum, & sumpserit formam serui, quòd descenderit in inferiores partes terræ, quòd per omnia factus sit (absq; tamen peccato) fratribus similis: & susceperit in se omnes humanas imbecillitates, ac dolores: denicq; mortẽ ipsam, eamq; non simplicem, sed longè omnium probrosissimam. Quare cum vociferatur in cruce, se à Deo desertum, non loquitur iuxta formam Dei, & maiestatem diuinam, qua iam inde à conceptione in vtero virginis, ornatus fuit, ac nunquam ab ea desertus: sed iuxta formam serui, quam in diebus carnis suæ, dissimulata maiestate, assumpsit: iuxta quam serui formam, verè dicitur à Deo desertus, propterea quòd Deus nõ fuerit visus ipsum externo, & mirando modo in aduersis suis iuuare, sicut quõdam iuuerat Patriarchas, videlicet, Mosen, Aheronẽ, Iosuam, & Chalebum, quos iam ab Israëlitis lapidandos protexit DOMINVS gloriosa & admirabili apparitione sua super tectum tabernaculi. Similiter Prophetam, quem rex Hieroboam iubebat, extensa manu, appræhendi: sed manus regis, diuina vltione, continuò exaruit. Et Eliam, quem cum quinquagenarij, iuxta mandatum regis Achatiæ, capiendum susciperent, descendit ignis de cœlo, & deuorauit eos. Adhæc, Elizæum, quem Deus ita defendit, vt exercitus Syrorum, qui ad capiendum

Num. 14

3. Reg. 13

4. Reg. 1

4. Reg. 6

dum Prophetam missus erat, percuteretur cæcitate, nec agnoscerent Prophetam coram astantem, donec in Samariam, hoc est, in manus suorum hostium, adducti essent. Dies me deficeret, si vel paucis enumerare vellem omnia exempla Patriarcharũ, quos DOMINVS mirãdo modo, in summis suis periculis, seruauit. Non seruauit autẽ vllo tali miraculo Christum filiũ suum: conniuit enim vt caperetur vt flagellaretur, vt crucifigeretur, vt extremis conuitijs proscinderetur, vt morte quoq; ipsa afficeretur. quare verè dicitur, iuxta hanc serui formam à Deo desertus. Assumpsit autem hanc formam, non sua aliqua necessitate, sed spontanea voluntate: non simulatè, sed verè: non frigidè, sed summo, & humilitatis & doloris gradu. vt ex vna quidem parte peccata nostra hoc dolore & supplicio, coram Deo expiaret, & reconciliaret nos cum ipso: ex altera autem parte, vt ex hoc, quod ipsi contigit tentatum esse, possit & ijs, qui similiter tentãtur, succurrere. Quare cum in summis doloribus & afflictionibus clamamus ad Deum, & nõ videmus nos, exemplo Patriarcharum, mirandis modis liberari, sed potius morte ipsa obrui, non despondeamus animum, sed benẽ, etiam in morte confidamus, quòd Christus filius Dei in eodem luto, vt prouerbio dicitur, hæserit, & nobis in ipsum credentibus veram salutem impetrauerit.

7. *Omnes, qui me vident, derident me, deducunt labium, & mouent caput:*

8. *Deferat ad* DOMINVM, *seruet eum, liberet eum, si placet ipsi.*

Aliud

Aliud genus ærumnæ, alia forma ſerui. Chriſtus enim, non ſolùm non exauditur in precibus ſuis, ſicut Patriarchæ exauditi ſunt & liberati, verùmetiam tractatur ab omnibus ſpectatoribus contumelioſiſsimè, & habetur ſummo ludibrio: Omnes, inquit, qui me vident, derident me: ac diductione labiorum & motu capitis, palàm teſtificantur, ſe extremo contemptu me faſtidire & abominari. Ac ne quidē ſe à blaſphemis verbis abſtinent. Exprobrant enim mihi, non ſcelera aut flagitia, quorum ne vnum quidem in me inueniunt: ſed pietatem & benefacta. Dixi in concionibus meis, quòd pater diligat filium, & omnia demonſtret ei: dixi, quòd deſcenderim de cœlo, vt faciā, non quod ego volo, ſed quod vult is, qui miſit me: dixi, quòd ex meipſo faciam nihil, ſed ita, vt docuit me pater meus, hæc loquor, Ac iterum: Eſt pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe. Hæc certè ſumma eſt pietas, omnia ſua Deo patri accepta ferre, & ei ſoli confidere, ac ſolius nominis eius gloriam illuſtrare. Sed tanta eſt Pontificum & Phariſęorum impietas atq; crudelitas, vt etiam hanc pietatem mihi ſummi probri loco obijciant. dicunt enim: Gloriatus hactenus eſt, ſe habere Deum propicium, Deum eſſe ſuū patrem, Deum à parte ſua ſtare & defendere ipſum. Age igitur, ſi res ita ſe habet, quid eſt, quòd Deus non eripiat ipſum, quòd ipſum in tantis malis deſerat, quòd non efficiat, vt deſcēdat de cruce, & euadat è noſtris manibus? Hîc initiò obſeruemus, reipſa comprobari, quod Paulus in Antiochia Piſidiæ Act. 13. concionatur: Qui habitabant, inquiens, Hieroſolymis, & principes eorū, quum ignorarent illum, *Ioan. 5.* *Ioan. 6.* *Ioan. 8.*

& voces Prophetarum, quæ per omne ſabbathum legũtur, condemnato eo impleuerunt. nullaq; cauſa mortis inuenta, petierunt à Pilato, vt interficerẽt illũ. Rem miram, Pontifices & Phariſæi verſabant noctu diuq; prophetica ſcripta de Chriſto, ac imprimis hunc Pſalmum, in quo hæc verba extabãt: Sperauit in DOMINO, ſeu detulit ad DOMINVM (ſua omnia) eripiat
Mat.27. eum, ſaluum faciat eum, ſi vult ipſum: & tamen tanto fuerunt ſtupore, vt ignorantes, hoc vaticinium impleuerint, ac iiſdem penè verbis, quæ hîc recitantur, contumelioſi fuerint in Chriſtum: cum interim exiſtimauerint ſe Deum religioſiſsimè colere. Timeamus igitur DOMINVM, ne in tantam conſciamur cæcitatem, & mentis furorem, vt arbitremur ſummũ eſſe Dei cultum, quod Spiritus ſanctus in ſcriptura manifeſtè pronuntiat ſummam eſſe in Deum contumeliam & impietatem. Deindè conſideremus, quòd hæc conuitia nõ ſonuerint tantùm in auribus Chriſti, verùm etiam penetrauerint oſſa & medullas eius, nec aliter, imò longè vehementius fuerit affectus (ſed abſq; peccato) quàm Dauid, cum audiret à Simei, Vir ſanguinum, & vir Belial. Debuit enim, quemadmodũ paulò antè dicebamus, fratribus per omnia ſimilis reddi, vt & peccata populi expiaret, & ſimiliter tentatis ſuccurrere poſſet.

9. *Quoniam tu es, qui me extraxiſti de ventre, fiducia mea ab vberibus matris meæ.*

10. *In te proiectus ſum, ab vtero, à ventre matris meæ, tu es Deus meus.*

11. *Ne longè recedas à me, quoniam tribulatio proxima eſt: non eſt alius quiſpiam adiutor.*

Querelæ

Querelæ & cõmemorationi duarum afflictionum addit precationem. Quid enim? Primùm Deus non exaudit inuocationem Christi: ac ne talem quidẽ fauoris significationem ostendit, qualem Patriarchis exhibuit. Deinde conniuet ad virulentissima probra, & ludibria, quibus Pontifices & Pharisæi in Christum grassantur. Quid igitur faciat Christus? num despondeat animũ de clementia DOMINI? num abijciat omnẽ spem salutis suæ? Nihil minus: Tu es (inquit) qui extraxisti me de ventre, ab eo tempore, quo in vtero matris de Spiritu sancto homo conceptus, & ab æterno filio Dei in eandem personam assumptus sum: etsi tum confestim ornatus fui forma Dei, & collocatus in omni diuina maiestate, vt potuissem eam publicè coram vniuerso mundo ostentare, & e ventre matris mirando modo, ac gigantea statura exilire, dominationemq; cœli & terræ ineffabili virtute inuadere, tamen sumpsi mea sponte formam serui, in qua tu DOMINE Deus meus, me summa semper clementia defendisti & seruasti. Tantæ enim curæ tibi fui, vt me in ventre matris illæsum conseruaueris: in natiuitate sine vllo vel matris vel meo incommodo in hanc lucem eduxeris: angelos, qui meam natiuitatem pastoribus adnuntiarent, miseris: parentes vt me furori Herodis fuga subtraherent, per angelum admoueris: Magos ex oriente, vt me thesauris suis, ad sufferendum exilium donarent, excitaueris: & ex Ægypto, hortatu angeli, incolumem reduxeris: adeoque me semper singulari studio in infantia, pueritia, & adolescentia protexeris, & ex omnibus periculis liberaueris. Quibus argumentis palam testificatus es

quòd sis verè Deus meus, summo me fauore complectens. Quomodo igitur nunc, postquam ætate proceßi, & factus sum vir, nõ in te sperarem, non omnem meam fiduciam in te collocarem? præsertim, cùm hoc tempore proxima mihi sit summa afflictio, & obruar extremis periculis: nec sit alius quispiam vel in cœlo vel in terra, qui me possit iuuare, prꝛeter te DOMINVM Deum meum. Quare oro & obtestor, ne opem tuam longius à me subtrahas, sed eam mihi præsentissimam exhibeas. Tria hîc argumenta nobis subministrantur, quibus spes in aduersis est alenda, conseruãda & confirmanda atq; augenda. Vnum est, præteritorum beneficiorum recordatio. Nam, si Deo fuimus curæ, cum adhuc essemus in vtero matris, & ferremur quò libet, rerum omnium ignari, in infantia & pueritia, quomodo abiecisset curã nostri, in adolescentia, in virili ætate, & senectute? Fateor, fuimus sæpe ingrati in Deum benefactorem, & reiecimus clementiam eius, peccatis nostris: sed ipse propter nostram ingratitudinem, non reiecit perpetuam suam naturam & ingenium, quo non est nisi bonitas, philanthropia, & misericordia, quam præstabit omnibus ijs, qui agnoscunt Christum filium suum, & reuertuntur ad ipsum. Quare non est dubium, quin priora Dei beneficija confirment spem nostram de futuris beneficijs, si in Christo constiterimus, aut ad ipsum reuersi fuerimus.

Tria hic nota da.

1.

Huc facit, quod penè ijsdem verbis in Psalmo 71. dicitur: Deus meus eripe me de manu impij, de manu iniqui & tyranni. Quia tu es fiducia mea DOMINE, DOMINE spes mea à iuuentute mea. In te confisus sum, ab vtero matris meæ: tu extraxisti me de ventre matris

matris meę: te prędico ſemper. Ac ſtatim additur: Ne abijcias ergo me in tempore ſenectutis, cum defecerint vires meæ, ne derelinquas me. Et Pſal. 139. Confitebor, ſeu gratias ago tibi, quòd mirabiliter formatus ſum: mirabilia ſunt opera tua, id quod anima mea bene nouit. Non erant tibi occulta oſſa mea, quando in abſcondito formabar, quando fingebar infrà in terra. Adhuc cum eſſem informis maſſa, videbãt me oculi tui: & omnes dies mei, quorum nullus adhuc aderat, ſcripti erant in libro tuo, &c. Nec eſt Dauidi inuſitatum, ſpem de futuris Dei beneficijs, ex præteritis confirmare. Cum aggreſſurus eſſet Goliathem: Leonem, inquit, & Vrſum ego interfeci ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircunciſus, ſicut vnus ex eis. Ac mox: DOMINVS, qui eripuit me de manu Leonis & de manu Vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthęi huius. Dauidis exemplũ ſequitur etiã Paul. 2. Cor. 1. Sententiã mortis, inquiẽs, acceperamus ipſi, in nobis ipſis, ne cõfideremus in nobis ipſis: ſed in Deo, qui ad vitã ſuſcitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit: in quo ſpẽ fixam habemus, quòd etiam poſthac erepturus ſit, &c. Hinc eſt & illud ad Rom. ca. 15. Quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinã præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Alterum argumentũ eſt, quòd dicit: Tribulatio proxima eſt. Confirmat & hæc particula ſpem noſtram in aduerſis. Extant enim promiſſiones Dei, & exempla, quibus Deus teſtificatus eſt, ſe ope ſua eò propiorem eſſe & promptiorem, quò grauior & acerbior eſt afflictio. Vetus dictum eſt: Tunc venit Moyſes, cum duplicantur lateres, hoc eſt,

1. Reg. 17

2.

Prouerb.

Tunc venit Moyſes, cum duplicantur lateres.

liberatio in propinquo est, cum aduersa in summum peruenerunt. Et Psal.34. Iuxtà est DOMINVS ijs, qui tribulato sunt corde: & humiles Spiritu saluabit. Et apud Esa.cap.66. Ad quẽ, inquit DOMINVS, respiciã, nisi ad pauperculũ, & contritũ spiritu, & trementem sermones meos? Tantũ igitur absit, vt magnitudo afflictionum reddat spem nostrã imbecillem, vt potius eam confirmare debeat: quòd, quò maior est afflictio, eò propior sit salus DOMINI. Tertiũ est, quod addit: Non est alius quispiam adiutor. Tunc enim excitatur Deus ad ferẽdam opem, cum soli ipsi tribuitur gloria liberationis & redemptionis. Etenim tantisper solet Deus manum retrahere, dum aliũde nobis adhuc spes liberationis affulget. Postquam autẽ omne terrenum auxilium cessauerit, tum præstò adest cœleste: & si defierit humanum, incipit diuinum. Dauid queritur 1.Reg.27. à Saule ad mortẽ: & cingitur ab exercitu eius in modum coronæ, vt desperaret, se posse euadere. Sed ecce, diuinum auxilium, vbi non apparebat amplius humanum. Auocatur enim Saul à persecutione Dauidis repentino nũtio, quo retrahitur ad persequẽdos Philisthæos. Maria virgo versabatur in summo infamiæ periculo, cũ à sponso suo insimularetur adulterij: nec videbatur vlla humana defensio. ecce igitur tibi præsto adest angelus è cœlo, qui Iosepho rei gestæ veritatem exponat, & innocentem virginem suspicione stupri liberet. Sciamus igitur, cœleste auxilium tum in propinquo esse, cùm periculum eò peruenerit, vt vere & serìò agnoscamus & exclamemus: Non est alius adiutor, nisi tu DOMINE Deus noster.

.3.

12. Circundare

12. *Circundant me tauri multi, prævalidi (boues) ex Basan circumuallant me.*
13. *Aperiunt super me os suum (sicut) Leo rapiens & rugiens.*
14. *Sicut aqua effundor, dissoluuntur omnia ossa mea, cor meum liquefit, instar ceræ, in medio ventris mei.*
15. *Aresçit, tanquam testa, fortitudo mea, & lingua mea adhæret faucibus meis, ac in puluerẽ mortis reponis me.*
16. *Quoniam circundant me canes: congregatio prauorum obsident me: confodiunt manus meas & pedes meos.*
17. *Numerare (possem) omnia ossa mea, & ipsi aspiciunt, ac intuentur me.*
18. *Diuidunt vestimenta mea inter se, & de tunica mea sortiuntur.*

Redit à precatione ad cõmemorationem afflictionũ suarũ. Nec opus est sollicita horũ versiculorum interpretatione: quippe quòd historia passionis Christi, vt est ab Euãgelistis descripta, sit perspicuus eorum cõmentarius. Et quod Euãgelistæ simpliciter sine vlla sermonis amplitudine de Pontificũ & reliquorum Iudæorum furore ac sæuitia narrarunt, hoc isti versiculi grãdius exponunt: Qui me persequũtur, & ad opprimendũ me circũdant, habent quidẽ speciẽ hominũ: sed ferocia, furore, immanitate sunt tauri, ñçq; non vulgares, sed quales pascuntur in regione Basan, qui vt sunt alijs, propter pinguia pascua, saginatiores, ita sunt etiã ferotiores. Sunt & crudelitate Leones: nam quẽadmodũ Leo, cũ prędã cœperit, solet horribiliter rugire, ita persecutores mei, os suũ nõ aliter aduersus me aperiũt, quã si vno impetu me essent deuoraturi. Sunt etiã tam impudẽtia, q̃ rabie canes, quòd sicut canes, nulla sunt verecun-

verecundia, & circundantes feram, grassantur in eam crudelissimè, ita persecutores mei illud vnum agunt, vt me extremis conuitijs proscindant, & dentibus suis dilanient.

Nec sunt pauci, & homines idiotæ, abiecti, ac imbelles: sed sunt multi, magni, potentes, ac etiam specie sanctitatis & autoritatis venerabiles. sunt Pontifices, sunt Synedrion, hoc est, cætus ille, qui sunt successores illorum septuaginta seniorum, quibus Deus partitus est de spiritu Mosi: sunt concilium illud, quod repræsentat catholicam ecclesiam: vt quod ab his decretum fuerit, ex ore ipso Dei egressum videatur, nec alio habeatur loco, quàm Spiritus ipsius sancti oraculum. Ac sæuiunt, & grassantur in me, non simplici genere persecutionis, non verborum tantùm anathemate, sed adigunt me ad crucem, genus supplicij vt proprissimũ, ita etiam immanissimum. Fodiunt & affigunt cruci acutissimis clauis manus meas, & pedes meos. Ac breuiter, membra mea in cruce ita extendunt & distrahunt, vt liceret cuipiam omnia mea ossa dinumerare. Ipsi autem interea summa cum voluptate me intuentur, & doloribus meis delectantur. Et ne quid ærumnarum mihi desit, etiam vestimenta mea inter se partiuntur, & de tunica mea sortiuntur: vt mater & cognati mei ne vestibus quidem meis frui, & eas loco hæreditatis capere queãt. Hinc fit, vt omnibus meis viribus destituar. Et quemadmodum, si quis euertat vas plenum, effundit omnem aquã, quæ in eo continebatur: ita etiam horribilibus afflictionibus omnis virtus, omnis fortitudo mea exhauritur. Ac sicut cæra à calore solis aut ignis liquefit, & diffluit,

Num. 11.

fluit, vt tandem euaneſcat: ita & cor meum intra me colliqueſcit, & omnem vim ſuam amittit. Accedit & illud, quòd ſicut teſta ad calorẽ ſolis expoſita, tota exareſcere ſolet: ita his tantis & tam grauibus aduerſis omnis vitæ meæ ſuccus abſorbetur: vt & lingua mea palato adhæreat, & ſermo deficiat. Quid multis opus? Ita ſum affectus & afflictus, vt mihi non aliud expectandum ſit, quàm vt in puluerem mortis, hoc eſt, in ſepulchrum condar. Habes hypotipoſin, qua paſsio Chriſti ita deſcribitur, vt non narrari, ſed geri videatur. & tamen nulla ſunt humana verba, nullæ ſimilitudines aut comparationes, quibus magnitudo eius ſatis explicari poſsit. Lectione autem horum verſiculorum admoneamur primùm de authore Pſalmi. Cum enim clarè & perſpicuè deſcribat, mille plus minus annis, eas de Chriſto paſsiones, antequàm geſtæ fuerint, manifeſtum eſt, hanc deſcriptionem non eſſe humanum figmentum, ſed è Spiritu ſancto profecta ſit, neceſſe eſſe. Prophetæ, inquit Petrus, vaticinati ſunt de ventura in nos gratia: ſcrutãtes, ad quem aut cuiuſmodi temporis articulum ſignificaret, qui in illis erat ſpiritus Chriſti. qui, priuſquam acciderent, teſtabatur vẽturas in Chriſtum afflictiones, & quæ eſſent ſecuturæ, glorias. Admoneamur etiã de cauſa paſsionis Chriſti, videlicet, quòd Chriſtus ſuſceperit tã horribiles afflictiones, nõ ſua aliqua neceſsitate, ſed ſpõtanea voluntate: vt noſtra peccata corã Deo expiaret, & nos in gratiam Dei patris, è qua propter peccatum excideramus, reuocaret. Cõſideremus & illud, quòd voluerit tantam paſsionis grauitatem in ſeipſo verè experiri, vt poſsit & nobis ſic tentatis & afflictis ſuc-

1. Petr. 1

currere. Postremò excitemur meditatione magnitudinis afflictionum Christi, vt cohorrescamus ad omne genus peccati, & caueamus. Si enim tanta est peccati grauitas in conspectu Dei, vt non potuerit expiari, nisi tam diro filij Dei supplicio, quis est ille furor, in peccatum tanta facilitate, impudentia, & procacitate ruere?

19. *Tu ergo* DOMINE, *ne longè recedas, fortitudo mea, ad ferendam mihi opem, festina.*
20. *Erue à gladio animã meam, de manu Canis, vnicã meam.*
21. *Salua me ex ore Leonis, & à cornibus Vnicornium libera me.*

Ab enumeratione afflictionum, iterum reuertitur ad precationem. Afflictorum enim asylum est precatio. Nec est opportunius tempus vel inuocandi Dei, vel impetrandi beneficia eius, quàm tempus afflictionis. Deus enim affirmat se ijs propinquũ esse, qui tribulato sunt corde. Et Psal. 51. ait: Spiritũ contribulatum esse sacrificium Deo, ac Deum nõ despicere cor contritum & humiliatum. Dicit ergo Christus: Cum afflictiones meæ grauiores sint, quàm vt humanis viribus ferri queant, quæso te, DOMINE Deus pater, ne mẽ tua gratia deseras, ac recedas: sed cùm agnoscam te solum meam fortitudinem, meam potentiam, & salutem, ad opem mihi ferendam properes. Vides animam meam periclitari inter gladios, inter persecutiones hostiũ meorum. Vides vnicam meã (hoc est) vitam meam, omnium aliorũ auxilio destitutam, & è tua solius ope pendentẽ, rabiei Canũ, ferociæ Leonum, & crudelitati

crudelitati Vnicornium expositam esse. Peto igitur DOMINE Deus noster, vt me sine diuturna mora his tantis malis clementer liberes, & conserues. Dubitat autē nonnulli, quomodo hæc precatio cōueniat Christo, qui cum alias omnibus afflictis suam offerat opem: Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos, hoc loco alienam ipse opem imploret? Sed quemadmodum in principio huius Psalmi cōquestus est, se à Deo desertū, ex forma serui, & inanitione: ita & nunc ex eadē forma, petit se à Deo iuuari. Etsi enim fuit ab initio cōceptionis suæ in forma Dei, sicut suprà expositum est, nec indiguit alieno extra se auxilio, tamē, cum sumpserit formā serui, factus est nobis similis, vt & inuocauerit nomen DOMINI, & expectauerit opem eius. Deindè dubitāt, quomodo sit à Deo exauditus, cū hostes eius videātur reportasse victoriā, & occiderint ipsum in cruce. Sed meminerimus, quod Epistola ad Hebr. scribit: Cum Christus in diebus carnis suæ (inquiens) precationes & supplicationes apud illū, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore valido obtulisset, exauditus est, pro reuerētia. Etsi enim nō est exauditus iuxta sensum carnis, quo Pontifices & Pharisæi postulabant, vt descēderet de cruce, & receperāt se tum in ipsum credituros: tamē exauditus est iuxta sensum Spiritus sancti: vt moriēdo mortem vinceret, & euaderet. Noluit de cruce descēdere, sed voluit quod & gloriosius & illustrius est, de sepulchro resurgere, & in summam sublimitatem extolli. Hęc est vere cœlestis victoria, quam hac precatione impetrauit: & qua non solùm ipse fruitur, sed etiam nobis fruendam proposuit. *Hebr. 5*

22. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.*

23. *Qui timent DOMINVM, laudate eum, omne semen Iacob glorificate eum: reuereamini ipsum omne semen Israël.*

24. *Quoniam non sprevit, nec despexit afflictionem pauperis, & non abscondit faciem suam ab ipso: & dum clamaret ad eum, exaudiuit.*

25. *Te laudabo in ecclesia magna, vota mea reddam coram iis, qui timent te.*

A precatione, quam non dubitat exauditam esse, transit ad gratiarumactionem. Precatus sum, vt DOMINVS eruat me ab ore Leonis, à crudelitate hostium meorum. Etsi autem morior in cruce, condor in sepulchrũ, & descendo ad infernum: tamen DOMINVS non delerit animã meam, (sicut habet Psal. 16.) in inferno: nec sinit, vt sanctus eius videat corruptionem: sed ostẽdit mihi viam vitæ. quia excitat me tertia die, & collocat me ad dexteram suam, vt habeam omnem potestatem in cœlo & in terra. Quid ergo gratitudinis retribuam DOMINO, pro omnibus iis beneficiis? Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, & prædicabo te in vniuersa ecclesia. Memorabile dictum: Primum enim epistola ad Hebr. cap. 2. diligenter instruetur nomen FRATRVM, cum Christus dicit, se narraturum nomen Dei FRATRIBVS suis: Non erubescit, inquiens, vocare illos fratres. Et repetit idem nomen, cum apud Ioannem ad Mariam diceret: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum: sed vade ad fratres meos. Hoc est epitheton dulcissimum,

Ioan. 20.

mum, quod non tãtùm Apoſtolis, ſed etiam omnibus, qui per Apoſtolicum ſermonem in Chriſtum credũt, competit. Si enim efficimur per fidem fratres Chriſti, quid reliquum eſt, niſi vt eiuſdem cum ipſo hæreditatis in cœlo participes fiamus. Quòd ſi filij, (inquit Paulus,) & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Deinde, quod dicit, ſe nomen Dei narraturum fratribus, & DOMINVM in medio eccleſiæ, hoc eſt, in vniuerſa eccleſia laudaturum, ſignificat ſe Euangelium ſuum diuulgaturum per Apoſtolos in vniuerſum orbem terrarum, & inter omnes gentes. Et quod hîc futurũ dicit, hoc etiam reipſa præſtitit, cum apud Matthæum dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Euntes ergo, docete omnes gentes, &c. Et apud Marcum: Ite in vniuerſum mũdum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ, &c. Ac rurſus apud Lucam: Eritis mihi teſtes, nõ ſolùm Hieroſolymis, verùmetiam in vniuerſa Iudæa, Samariaq; deniq; vſq; ad extrema terræ. Hortor igitur vos omnes, qui timetis DOMINVM, ac imprimis vos poſteros Patriarchæ Iacob, qui dictus eſt Iſraël, vt laudetis, glorificetis, & reuereamini DOMINVM, hoc eſt, vt agnoſcatis Euangelium Chriſti, & excipiatis ipſum fide: qua laude, qua gloria, qua reuerentia non poteſt DOMINO Deo noſtro quicquam gratius, aut acceptius à nobis præſtari. Hoc planè illud eſt, quod Petrus in Actis Apoſtolicis concionatur Iſraëlitis: Vobis, inquiens, facta eſt repromiſsio, & filijs veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunq; aduocauerit DOMINVS Deus noſter. Et iterum: Vos eſtis filij Prophetarum, ac teſtamẽti, quod teſtatus eſt Deus ad pa-

Rom. 8.

Matt. 28

Mar. 16.

Act. 1.

Act. 2.

Act. 3.

tres nostros, dicens ad Abraam: In semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ. Vobis primùm Deus, cum suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem vobis, ita vt vnusquisq; vestrum conuerteret se ab iniquitatibus suis. Sed quid est, quòd laudandus & glorificandus sit Deus ab omni semine Iacob, ab omni posteritate Patriarcharum? sequitur: Quia non spreuit, nec despexit afflictionem pauperis, & non auertit faciem suam ab ipso: sed exaudiuit clamorem & precationem eius. Hic afflictus & pauper est Christus DOMINVS noster: qui sumpta serui forma factus est obediens patri vsque ad mortem crucis. Cum igitur in hac seruili forma, & in tanta afflictione inuocaret DOMINVM Deum nostrum, tantùm abest, vt Deus ipsum repulerit, vt potius extulerit eum in summam sublimitatem, & dederit ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, quemadmodum mox sequitur. Contulit autem Deus tantam maiestatem in Christum, non vt solus ipse ea fruatur, sed vt eius etiam participes fiant omnes gentes, siue Iudæi, siue Ethnici, quotquot in ipsum credunt. Christus enim non terminauit sacrificium laudis, & vota sua (quæ sunt prædicatio Euangelij) in vna tantùm Israelitarum ecclesia: sed vulgauit ea in magna ecclesia tàm Iudæorum, quàm Gentium: vt in omni gente, qui timet DOMINVM, & agnoscit Euangelium Christi, acceptus sit illi.

Vtitur autem nominibus Leuiticorũ sacrorũ, quibus tamen intelligit sacra seu cultus noui testamenti, inter quos præcipuus est diuulgatio Euangelij in totum

tum orbem terræ. In Leuitico enim cap. 7. describuntur ritus hostię pacificorum, aut potius sanctificatorū. Horum alia offeruntur pro gratiarumactione, alia voto aut sponte. carnes autē eorum nec totę igni absumebantur, sicut in holocaustis, nec solis sacrificulis cedebant: sed suæ erant partes offerentium, ex quibus publica instituebantur conuiuia. In summis festis, aut regijs sacrificijs accedebant buccinæ, tympana, cantica, psalteria, & id genus alia musica, quemadmodum describitur 2. Regum 6. & 1. Paralip. 13. Fit & horum mentio in Psal. 116. Tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen DOMINI prædicabo. Vota mea DOMINO reddam coram omni populo eius, &c. Hic autem Leuiticus cultus peragebatur tantum in tabernaculo, seu templo, in quo collocata fuerat arca testamenti. Cum igitur Christus hoc loco dicat, se in gratiarumactionem, laudaturum DOMINVM, in ecclesia magna, & redditurum vota sua coram ijs, qui timent DOMINVM, non sentit, se pro more Leuitico oblaturum hostias pacificas, quemadmodum Dauid & alij Reges, qui in angusto tabernaculo aut templo sua sacrificia obtulerunt, & Deum laudarunt: sed laudabo, inquit, te in ecclesia magna, hoc est, inter omnes gentes, in toto orbe terrarum: & reddam vota seu sacrificia mea ex voto, non tantùm coram vno populo Israël, sed coram omnibus, qui timent Deum, sine vllo personarum respectu, siue sint circuncisi, siue incircuncisi. Hæc autem omnia describunt diuulgationem Euangelij in vniuersum mundum: vt quotquot siue ex Iudæis, siue Gentibus Euangelio credunt, salui fiant. Quotquot autem

autem non credunt, condemnentur. De quo sacrificij genere concionatur DOMINVS etiã apud Malachiam cap. 1. Ab ortu, inquiens, solis vsq; ad occasum magnũ est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ est nomen meum in gentibus, dicit DOMINVS exercituum.

26. *Edent afflicti, & saturabuntur, laudabunt DOMINVM, qui requirunt ipsum, viuet cor vestrum in perpetuum.*

27. *Memores erunt, & conuertentur ad DOMINVM omnes fines terræ, adorabunt coram te, omnes familiæ gentium.*

28. *Quoniam DOMINI est regnum, & dominatur inter gentes.*

29. *Edent, & adorabunt omnes pingues terræ, incurvabunt genua ante ipsum omnes descendentes in puluerem, & qui animam suam non viuificat.*

30. *Semen seruiet ei, prædicabit de DOMINO apud posteros.*

31. *Venient & adnuntiabunt iustitiam eius populo, qui renascitur, quoniam ipse fecit.*

Hactenus perstrinximus tres partes huius Psalmi: quarum vna fuit querela Christi cum recitatione ingentium calamitatum, quas Christus ad expiãda peccata nostra perpessus est. Altera est precatio Christi ad DOMINVM, vt è tantis calamitatibus clementer liberetur. Tertia est gratiarum actio, qua Christus recipit se ad testificãdam animi sui gratitudinem, oblaturum

turum DOMINO hostiam laudis, & redditurum sacrificia ex voto suscepta, (hoc est) diuulgaturum Euangelion suum in vniuersum mundum: vt nomen DOMINI celebretur inter omnes gentes.

Nunc sequitur quarta pars, in qua regnum & maiestas Christi describitur. Consideremus igitur, quod quæ hactenus in hoc Psalmo recitauimus, verba sunt Christi, in forma, quam sua sponte sumpsit, serui, & in qua passionem suam ipse exposuit, & sustinuit. Postquam autem peruenit ad resurrectionem & reuelationem exaltationis suæ in summam maiestatem, ad dextram Dei patris sui omnipotētis, non iam amplius loquitur in forma serui: sed Spiritus sanctus excipit verba eius: & pergit commemorare diuinam gloriam & maiestatē eius, ad quam è forma serui, etiam in hoc seculo, suo quodam modo, est euectus. Quare, quicquid in his sex versiculis, quos iam recensuimus, de DOMINO Deo nostro dicitur, intelligendum est de DOMINO nostro Iesu Christo, qui est verus Deus, *Iehoua*, benedictus in secula. Repetit autem ex priori metaphora sacrificij laudis, seu ex voto suscepti verbum Edendi. Solent enim in tali sacrificio, publica, & gaudij plena conuiuia celebrare, in quibus suæ sacrificij partes conuiuis in cibum exhibebantur. Dicit ergo Spiritus sanctus: Ex hoc laudis & voti sacrificio, quod Christus DOMINVS pro gratiarumactione celebrabit: & quod est diuulgatio Euangelij in vniuersum mundum, edent: seu participes eius fient afflicti, ac saturabuntur: & quotquot requirunt DOMINVM, (hoc est) quotquot credunt in Christum, qui est verus DOMINVS Deus noster, summa laude celebrabunt

eum,& corda ipsorum viuent,seu perpetuũ gaudiũ,ac fœlicitatem (hoc enim est verè saturari & viuere) cõsequentur. Quotquot enim sunt afflicti vel agnitione peccatorum, vel magnitudine ærumnarum, vel horrore mortis & inferni, & esuriunt ac sitiunt iustitiam & liberationem, hi ex Euangelio Christi, si crediderint, ita satiantur, vt reportent sempiternam vitam ac salutem. Hoc planè illud est, quod alias Christus ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Et iterum: Patres vestri cõmederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille, de cœlo descendens, vt ex ipso edat aliquis & non moriatur. Et mox: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum.

Matt.11
Ioan. 6.

Sed quid? num soli afflicti in Israël fient horũ cœlestium ac æternorũ bonorum in Christo participes, & exatiabuntur? Nihil minus. sed omnes fines terræ, (sicut sequitur) & omnes familię Gentium, hoc est, ex vniuersis gẽtibus, quæ sunt vsq; ad fines terræ, erunt, qui prædicationem Euãgelij alta mente reponent, & conuertentur ad DOMINVM Iesum Christum: coram quo procumbent, ac vt verum DOMINVM Deum & seruatorem suum agnoscent & adorabunt. Ecclesia enim Christi non est in vnum Iudeæ angulũ concluſa: sed colligitur voce Euangelij, ex omni natione, quæ sub cœlo est. Nec mirum, quia DOMINI est regnum, & ipse dominatur inter gentes, (hoc est) Iesus Christus verus est DOMINVS Deus noster, cui ad dextram Dei patris collocato data est omnis potestas in cœlo & in terra: ideoq; data est etiam ei dominatio inter omnes gentes: vt ex ijs ecclesiam suã colligat, & æterna salute

Matt.28

na ſalute ſeruet. Quare edent, ſeu particeps fient beneficiorũ Euangelij, & adorabũt Chriſtũ DOMINVM Deum non vnus tantùm populus Iſraëliticus, ſed primùm, omnes pingues terræ, qui ſunt Reges & Principes. ex his enim omnib. multi agnoſcent Chriſtum, & adorabũt eum, de quibus Pſal. 72. ait: Reges Tharſis, & inſulæ munera afferent, reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabũt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruiẽt ei. Et Eſa. 49. dicitur: Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Et cap. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Ac mox: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & REGES eorũ miniſtrabũt tibi, &c. Deinde non tantùm adorabunt & incuruabunt ei genua pingues ſeu reges terræ, verùmetiam omnes deſcendentes in puluerem, & qui anima ſua non viuunt, (hoc eſt) vel qui mortui in puluere, aut ſepulchro iacent, & non viuunt amplius vita animali: vel qui oppreſsi iacent in ærumnis, & ducunt miſeram vitam, vt Chriſto ſubijciantur tàm reges & principes, in hoc ſeculo ſublimes, q̃ homines priuati, idiotæ, abiecti & miſeri: & tàm viuẽtes in hac terra, quàm mortui in ſepulchris. Omnino enim ex hoc loco Paulus ſumpſiſſe videtur, quòd ad Philippenſ. cap. 2. de Chriſto ſcribit, datum eſſe ipſi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtiũ, terreſtrium, & inferorum. Et ad Roman. cap. 14. In hoc (inquit) Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuẽtibus dominetur. Et apud Ioan. cap. 5. Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audiẽt vocẽ eius, & prodibunt, &c. Ceterũ, cũ dicitur,

omnes reges & gentes adoraturos Christum, & ipsum dominaturū tàm viuentibus quàm mortuis, non significatur, omnes reges & gētes credituros in Christum, & omnes viuos ac mortuos consecuturos ęternam salutem propter Christum: sed quòd inter reges & gentes, alij quidem amplectentur Christum fide, & consequentur in Christo verā fœlicitatem: alij autem, etiāsi videantur Christo resistere, tamen necesse habeant Christo subijci, & velint nolint permittere, vt Christus ecclesiam suam ex ipsorum terris colligat, adeoq; eo ipso, quo resistunt, regno Christi seruiant. Sanguis enim Christianorum, semen est ecclesiæ, & ecclesia, cùm premitur, exurgit. Sic & de mortuis sentiendum, quòd Christus dominetur quidē omnibus mortuis, & mortui omnes sint virtute Christi à mortuis resurrecturi: non autem omnes seruabuntur æterna salute: sed qui bona, inquit Christus ipse, fecerunt, prodibunt in resurrectionē vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.

Porrò, suprà dixit Christus, se narraturum nomen DOMINI fratribus suis, & vota sua redditurum in ecclesia magna, (hoc est) Euangelion suum diuulgaturum in toto orbe terrarum, inter omnes gentes: vt gentes edant, saturētur, & adorent DOMINVM Christum. Qui ergo sunt illi, per quos Christus sparget Euangelion suum in vniuerso mundo? De his concionatur Spiritus sanctus in duobus vltimis huius Psalmi versiculis: Semen, inquiens, seruiet ei, & prædicabit de Christo DOMINO omni posteritati. Semen autem illud est, de quo Esaias cap. 1. scribit: Nisi DOMINVS, (inquiens) exercituum reliquisset nobis semen,

men, quasi Zodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. De quo etiam semine dicit Psal. 45. Pro patribus nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Et Esaias iterum cap. 52. Quàm pulchri super montes pedes adnuntiantis, & prædicantis pacem, adnuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Zioni: Regnat Deus tuus. Cum enim Christus DOMINVS diuulgaturus esset Euangelion suum in orbe terrarũ, visum est ei ad hãc functionem emittere Apostolos, non ex Ethnicis electos, sed ex eo semine, ex quo ipse natus erat, è semine videlicet Abrahæ, de quibus alias dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & constitui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Hi sunt Apostoli, de quib. spiritus sanctus in his vltimis Psalmi versiculis concionatur, & qui seruiunt Christo in diuulgando Euangelio, & prædicant de Christo ad omnem generationem & posteritatem. Etsi enim non semper manserunt superstites in hac mortali vita: tamen doctrina eorum collata est in scripta Apostolica: & sonat semper vsq; ad nouissimũ huius seculi diem: Constitui, inquit, vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Cum quibus verbis Christi conuenit prorsus sententia nouissimi versiculi: Venient, videlicet, Apostoli, & adnuntiabunt iustitiam eius: nimirum illam iustitiam, de qua Paulus Romanis scribens: Iustitia, inquit, Dei patefit per Euangelion ex fide in fidem. Et iterum: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt. E quibus Pauli verbis habes etiã, qui sit populus ille, ad quem veniunt apostoli, & adnuntiant ei iustitiam

Ioan. 15.

Rom. 1. Cap. 3.

Dei. Non enim est populus qui circunciditur externa circuncisione: sed qui renascitur: siue sit circuncisus, siue incircũcisus. non enim est distinctio, quippe quòd omnes peccauerũt, ac destituuntur gloria Dei. iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Quod autem in fine additur: QVIA FECIT, hanc habet sententiam. Quæcunq; Apostoli in orbe terrarum per prædicationem Euangelij perfecerunt, non sunt facta humanis viribus: sed diuina virtute DOMINVS ipse Iesus Christus hæc omnia FACIT. Etsi enim vsus est ministerio Apostolorũ, tamẽ non defecit ecclesiã: sed potius, quia assumptus est in Deũ, & exaltatus ad dexteram Dei, ecclesiam suã ipse coràm, per Euangelion suum, colligit, gubernat, conseruat, & auget: vt vnà cum ipso æterna beatitudine fruatur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum hic Psalmus concionetur de passione, morte, resurrectione ac regno Christi, manifestum est, quòd eadem sit vtilitas eius, quam afferunt nobis narrationes Euangelistarum de Christo. Et ostendimus etiam sparsim vsum eius, cum versiculos eius explicatione perstringeremus. Sed illud habet eximium & insigne, quòd personam Christi disertissime describant, tàm humilitate, quàm maiestate sua. Nec dubito, quin Paulus hunc Psalmum ob oculos habuerit, & in epitomen contulerit, cum ad Philippenses cap. 2. scriberet: Is affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est,

vt

vt ſit æqualis Deo : ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta. Et mox : Deus extulit illum in ſummam ſublimitatem : ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, &c. Quod enim Paulus paucis verbis de Chriſto commemorat, hoc Pſalmus copioſè exponit. Tribuunt autẽ veteres vni Chriſto DOMINO noſtro duas formas. Alteram, formam Dei, ad quam, etſi in incarnatione, cum ab æterno filio Dei aſſumeretur in vnam perſonam, euectus eſt : tamen non voluit eam, contra vocationem Dei patris, tempore carnis ſuæ oſtentare, donec miniſterium, ad quod peragendum, in hanc terram miſſus erat, abſolueret. Alteram, formã ſerui, quam, tecta Dei forma, ſua ſponte ſumpſit. Hanc ſerui formam deſcribit Pſalmus, cum recitat Chriſtum clamaſſe : Deus meus, Deus meus, quare me deſeris ? Quid eſt, quòd preces meas non exaudias, ſicut preces Patriarcharum exaudiſti ? Vides me truculentis tauris, ferociſsimis Leonibus, rabidiſsimis canibus circundatum, qui in præſens meum exitium inhiant. Vides me virulentiſsimis conuitijs proſciſſum, veſtibus meis ſpoliatum, manus & pedes ita perfoſſum, & diſtentum, vt etiam oſſa mea numerari poſſent. Vides me ita viribus exhauſtum, vt non aliud mihi reliquum videatur, præter mortem & ſepulchrum. Et tamen tu taces, & ad hæc omnia conniues. Quò igitur me vertam ? quid ſperem ? Habes formam ſerui, ſimilitudinem, & ſchema hominis, quæ in hoc Pſalmo ferè clarius expreſſa ſunt, quam in ſcriptis ipſis Euangeliſtarum.

Formam autẽ Dei in Chriſto deſcribit, cum vocat eum

eum DOMINVM seu *Iehoua*, & affirmat, ipsius esse regnum, & ipsum dominari inter gentes, ac omnes fines terræ: & omnes familias gentium genua coram ipso flectere, & adorare. Nam hoc nomen *Iehoua*, nomen est super omne nomen. Dicitur vero Christus homo *Iehoua*, DOMINVS Deus, nõ quòd Deus impleat ipsum duntaxat, præsentia sua & essentia, ac potentia (sic enim implet omnes homines, imò omnes creaturas: & tamen nulla earu[illegible] vocatur Deus) sed quòd assumat ipsum in vnam personam: & collocet eum ad dextram suam super omnem principatum, & omne nomen in hoc & futuro seculo: ac transfundat in ipsum omnem diuinitatis suæ plenitudinem corporaliter, sicut Paulus loquitur. Hoc autem non est sic intelligendum, quòd tum primùm acceperit hanc diuinam maiestatem, cum à mortuis resurrexit, & ascendit externo spectaculo in cœlum, quemadmodum anteà admonebamus, & aliàs copiosè exposuimus: quo enim tempore assumptus est in vtero materno, à filio Dei in vnam personam, euectus est super omnes creaturas, & collocatus in æquali maiestate cum Deo. sed idcirco dicitur à resurrectione & ascẽsu ipsius in cœlum, intrasse in regnum suum, & consedisse ad dextram Dei patris sui, quòd tunc forma Dei, qua initio conceptionis suæ ornatus fuit, patefacta sit suo modo, & in toto orbe terrarum per Euangelion diuulgata: vt sciamus non esse alium verum Deum, nec in cœlo, nec in terra quærendum, præter Iesum Christum, natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, ac tertia die iterum à mortuis excitatum. In ipsa quidem diuinitate, sunt præter filium Dei aliæ duæ personæ,

sonæ: Pater videlicet, & Spiritus sanctus, in diuinitatis autem essentia, & maiestate non est alius Deus, nisi DOMINVS noster Iesus Christus.

Hæc cognitio de humilitate & maiestate Christi, quæ in hoc Psalmo explicatur, necessaria nobis est ad veram & æternam salutem. Postquam enim peccatum intrauit in mundum per vnum hominem, ea est hominis conditio, vt siue consideraueris, ipsum, secundum generalem creationem, siue secundum peculiarem regenerationem, obnoxius sit omnibus generibus maledictionis, tàm corporalis, quàm spiritualis, tàm mundanæ, quàm æternæ. Si intuearis hominem, iuxta veterē & generalem conditionem, sententia lata est: Terra proferet tibi spinas & tribulos: puluis es, & in puluerē reuertēris. &: Omnes sumus natura filij iræ. Si autem intuearis eum iuxta nouam & specialem regenerationem, tunc præter communes humani generis afflictiones, Satan etiam peculiares excogitat aduersus electos Dei. Stat enim sententia: Ecce mitto vos sicut oues in medio luporum: Propter te morti tradimur tota die: In mundo afflictionem habebitis. &: Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. In his verò tantis maledictionibus, miseriis & ærumnis, non habemus alium adiutorem & liberatorem, nisi DOMINVM nostrum Iesum Christum. Qui cum humiliauerit se obedientia sua vsq; ad mortem, & tradiderit manus & pedes suos perfodiendos, vt peccata nostra expiaret, palàm testatum fecit, se VELLE nos iuuare & seruare. Factus enim est fratribus, in perferendis calamitatibus, similis: vt misericors esset, & afficeretur sensu nostrarum infirmitatum. *Hebr. 2. & 4.*

tum. Cum autem elatus & euectus sit super omnem principatum, super omne nomen, siue in hoc, siue in altero seculo, testatum fecit, se non tantùm VELLE, sed etiam POSSE nos in omnibus aduersis, in morte denique ipsa, & inferni horroribus, seruare. Hæc quia hic Psalmus de Christo perspicuè concionatur, versemus eum diurna nocturnaq; manu, & ediscamus eum ad verbum: vt quoties tentamur de salutis desperatione propter magnitudinẽ & grauitatem ærumnarum, & propter horrores mortis ac inferni, habeamus promptuarium, è quo veram, præsentem & stabilem consolationem petamus.

Psalmus 23.

DOMINVS regit me, & nihil mihi deerit, &c.

QVæcunque fuerit occasio huius Psalmi componendi, certè appareret, Dauidem insignem aliquam reuelationem à Spiritu sancto, de regno & maiestate promissi Christi accepisse: ex qua re, fide sua de cura Christi filij sui erga se ita confirmatus fuerit, vt non dubitauerit, etiam morti ipsi medium, (quod aiunt) digitum ostendere. Dicit enim in quarto versiculo: Etiamsi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malum: quoniam tu mecum es. Excipiamus igitur hũc Psalmum tanquam breue

breue compendium, quo recitantur maxima & summa beneficia, que contingunt credenti, ex cognitione regni & maiestatis DOMINI nostri Iesu Christi.

1. *DOMINVS pastor meus, nihil mihi deerit.*

In primo libro Regum cap. 7. & in priori libro Paralip. cap. 17. promittitur Christus Dauidi, quòd sit è posteritate sua vēturus: Ego tuli te, inquit DOMINVS, filius Dei, (hic enim, quamuis nōdum incarnatus, cum Patriarchis collocutus est) cum in pascuis sequereris gregem, vt esses dux populi mei Israël. Et mox: Cum impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius: ipse ędificabit mihi domum: & firmabo solium eius vsq; in æternū, &c. Illud vult filius Dei dicere: Tu fuisti hactenus in adolescentia tua pastor ouium: ego autem feci ex te pastorē populi mei: sed nondū nec tu nec populus ex isto pastoritio munere veram felicitatem assecuti estis. Quare promitto, me ex posteritate tua alium pastorem missurum, qui te ita gubernet, vt nihil tibi vnquam ad veram felicitatem sit defuturum. Ego enim ipse assumam semen tuum in vnam personam, & dabo ei omnem potestatem in cœlo & in terra: vt defendat & te, & vniuersam ecclesiam populi mei in omnibus aduersis, in morte denique ipsa ad perpetuam beatitudinem. Hanc promissionem, vel initio dictam, vel postea renouatam & explicatam, Dauid audiens, & quantorum beneficiorum prægnans sit, intelligens, tanto spiritus gaudio, tanta mentis lætitia gestit, vt

teneri nō potuerit, quin maxima animi fiducia & celsitudine in hunc Psalmum eruperit, & vel admirandi vel gratias agendi causa, beneficia Christi commemorauerit: DOMINVS, inquiens, pastor meus: nihil mihi amplius defuturum est. Nō est dubium, quin quem hoc loco DOMINVM pastorem suum vocat, eum intelligat Christum filium Dei, sibi promissum. Nam & Prophetæ & Apostoli interpretantur Christum pastorem, & Christus ipse se pastorem vocat. Esaias cap. 40. Ecce Deus vester, ecce DOMINVS Deus, (hic est Christus) in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo cōgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Et Ezech. 34. Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas PASTOREM vnum, qui pascat eas, seruū meum Dauid. (hic est hoc loco Christus) ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Apud Ioannem cap 10. Christus ait: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Et
1. Petr. 5 Petrus: Pascite, inquit, qui in vobis est, gregem Dei, vt cum apparuerit ille pastorum princeps, reportetis immarcesibilem gloriæ coronam. Habes, quis sit verus pastor, de quo Dauid in hoc Psalmo loquitur, videlicet DOMINVS noster Iesus Christus. Videamus nunc, quæ beneficia hic pastor gregi suo afferat. Ac profecto Dauid vno verbo summatim exponit. Nihil mihi, inquiens, deerit. Quantum, obsecro, hoc est copiæ cornu? quantus bonorum thesaurus? DOMINVS pastor meus. Nihil ergo mihi amplius deest. Quis est

pastor

paſtor ille? & quid eſt: Nihil deeſt? Paſtor ille, quēad-
modum paulò ante dicebamus, eſt Chriſtus. Quid au-
tem eſt Chriſtus? Audi Prophetam: Vocatur (inquit) *Eſa. 9.*
nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pa-
ter futuri ſeculi, princeps pacis. Audi etiam Apoſto- *1. Cor. 1.*
lū: Vos, inquit, eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt no-
bis ſapiētia a Deo, iuſtitiaq; & ſanctificatio & redem-
ptio. Ac iterum: In illo complacitum eſt patri, vni- *Coloſ. 1.*
uerſam plenitudinem inhabitare. Et rurſus: In illo in- *Coloſ. 2.*
habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Vi-
des, quantus theſaurus ſit paſtor ille Chriſtus. Quid
autem & illud: Nihil deeſt? Quid? niſi quod idem
Apoſtolus ait: Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8.*
qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus
tradidit illum: quō fieri poteſt, vt non & cum eodem
nobis omnia donauerit? Ei igitur, cuius paſtor eſt
Chriſtus, nihil deeſſe, ſignificat, omnia ipſi abundare,
tam in hoc, quàm in futuro ſeculo, tam corporalia,
quàm cœleſtia & æterna bona. De corporalibus dicit
Paulus. Quaſi pauperes, multos tamen ditantes: vt *2. Cor. 6.*
nihil habentes, & tamen omnia poſsidentes. Et Chri-
ſtus ipſe: Quando miſi vos, inquit, ſine ſacculo & pe- *Luc. 22.*
ra & calceamentis, nunquid defuit vobis? At illi di-
xerunt: Nihil. Et iterum: Primùm quærite regnum *Matt. 6.*
Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.
De cœleſtibus autem & æternis ait Apoſtolus: Quis
intētabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt, qui
iuſtificat. Quis ille, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui *Rom. 8.*
mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui eſt etiam ad
dexterā Dei, qui & intercedit pro nobis, &c. Et quod
paulò ante recitauimus, Chriſtus factus eſt nobis ſa-

pientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Quare, ſi quis inſipientior eſt, quàm vt inueniat viã ad regnum cœleſte, habet paſtorem Chriſtũ, qui eſt ſapientia ipſa, & via quoq; ad cœlum. Si quis iniuſtior eſt & prophanior, quàm vt coram Deo apparere, & felicitatem ſperare audeat, habet paſtorem Chriſtum, qui eſt iuſtitia, & condonat iniuſtitiam, adeoq; imputat ei ſuam ipſius iuſtitiam. Si quis metu mortis & inferni ita tenetur, vt videatur de vita & beatitudine deſperare, habet paſtorem Chriſtum, qui eſt redemptio, & conſeruat in morte ac horroribus inferni in omnem & felicem æternitatem. Quid hoc paſtore præſtantius? quid eo excellentius? Sed quod Dauid ſummatim, & paucis dicit: Nihil mihi deerit, hoc in reliquis verſiculis, qui ſequũtur, diducit copioſius in ſuas ſpecies, & explicat.

2. *In amœnis pratis facit me accubare: ad aquas recreantis deducit me.*

Pergit in metaphora paſtoris. Et quia boni paſtoris eſt, oues ad amœna & viridia paſcua minare, & ad ſalubres aquas deducere, idem etiã facit ſummus ille paſtor, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Paſcua enim, quibus cibat oues ſuas, & aquę, quibus potat eas, ſunt Euangelion ſuum, quod & Dauidi adnuntiauit, & poſtquam homo natus eſſet, diuulgauit per Apoſtolos ſuos, in vniuerſum mundum. Qualia autem ſint hæc paſcua, quales aquæ, quid efficiant, Paulus breuibus exponit: Euangelion, inquiens, eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et ſupra, Pſal. 19.

Lex

Lex (hoc est, doctrina Euangelij) syncera, recreans animas, testimonium DOMINI verax, sapientiam præstans paruulis, &c. In prædicatione enim Euangelij de Christo inuenit famelicus cibum: siticulosus potum: iniustus iustitiam: afflictus lætitiã: tristis gaudium: moribundus vitam. quid plura? infœlix veram & æternam felicitatem.

3. *Animam meam réficit, deducit me in semitis iustitiæ, propter nomen suum.*

Quod Christus ipse, postquam iam hominẽ assumpsisset, dixit: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, ET EGO VITAM ÆTERNAM DO EIS, nec peribũt in æternum, neque rapiet quisquam eas è manu mea, hoc Dauid suo exemplo testificatur, & in hoc versiculo in se expertum, priusquam Christus in hunc mundum venisset, profitetur. Animam meam, inquiens, reficit, recreat, refocillat, exhilarat, & vt alij interpretantur, conuertit, videlicet, à tristitia in gaudium, ab iniustitia ad iustitiã, à morte ad vitam. quia per Euangelion suum offert mihi æternam vitam, & deducit me rectà, vel vt Psalmus sua phrasi loquitur, in semitis iustitiæ, (hoc est) in semitis iustis, planis, & rectis ad veram beatitudinem. Sicut aliàs petit: Ostende, inquiens, mihi, DOMINE, viam tuam, & dirige me in semita recta, propter inimicos meos. Ac iterum: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia. Additur autem hoc loco: Propter nomen suum.

Ioan. 10.

Psal. 27.

Psal. 119.

Quod

Quod enim beneficium filius Dei, verus pastor cõfert in Dauidem, aut alios homines, non confert in ipsos propter ipsorum nomen, aut meritum & iustitiam: sed tantùm propter suum ipsius nomen, propter seipsum, gratuita sua clementia & misericordia, vt solius Dei nomen seu gloria laudetur & celebretur: Non nobis DOMINE, inquit alias, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

4. *Etiamsi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malum: quia tu mecum es. Virga tua, & pedum tuum, ipsa me consolantur.*

Aliud beneficium, quod confertur Dauidi, & omnibus pijs, à pastore suo Domino nostro Iesu Christo. Etiamsi (inquit) ambulauero in valle vmbræ mortis, 1. Reg. 23 in media ipsa morte, etiamsi faucibus lupi cõprehensus, & iam dilaniandus ac deuorandus tenear, tamen non metuam interitum. Quid igitur est, quòd malum non metuas? Num tu fortiori & celsiori animo es, quàm filius ipse Dei, qui ad cõspectum mortis ita expauescit, vt etiã sanguinem sudet, & exclamet: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti? Non certè sum celsiori animo, quippe qui ex me sim puluis & vmbra, & si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? sed quam habeo animi fortitudinem in conspectu mortis, ipsius est beneficium, non meum meritum, non mea iustitia. Ipse enim idcirco suscepit in se metum & horrorem mortis, idq; in summo gradu, vt me & omnes in ipsum credentes, in tali metu iuuaret, conseruaret, & ad æternam vitam liberaret.

Quare

Quare etiamsi iam in faucibus ipsis mortis hærerem, tamen non metuo exitium. Quid ita? Quia TV, TV, inquam mecum es. Quis est ergo ille TV? Quod est nomen eius? Nomen eius est filius Dei, Iesus Christus, victor mortis, expugnator inferni, autor vitæ, & largitor cœlestis ac æternæ beatitudinis. Quòd si quis amplius requisierit, primùm est omnipotens rerum omnium creator, & gubernator: deinde est vigilantissimus & clementissimus omniũ ouium suarum, nimirum omnium credentium in ipsum, pastor & seruator. Quid? metuam ne assultum mortis, & minaces inferni fauces, præsente ac me tuente tãto mortis victore, tanto vitæ authore, & longè omnium potentissimo & clementissimo seruatore? Huc pertinet etiã vox Pauli: Quis separabit nos à dilectione Dei, (qua videlicet Deus nos complectitur propter Iesum Christum Dominũ nostrum) num afflictio? num angustia? num persecutio? num nuditas? num periculum? num gladius? Et Psal. 3. DOMINVS sustentat me, non timebo centum millia populi, qui in circuitu locauerunt se contra me. Ac Psal. 27. Etiamsi consistant aduersum me castra, non timet cor meum: & si exurgãt aduersum me bellum, ipse erit fiducia mea. Hęc non sunt eò intelligenda, quòd qui tenentur metu mortis, non sint Christi. Etsi enim fides in Christum nititur victoria Christi, tamen quoad sumus in carne, habet & caro suam infirmitatem: sed, quòd qui agnoscunt pastorem Christum, etiamsi metu mortis carne sua contremiscant, tamen per fidem tanta animi celsitudine conseruantur, vt omnia mortis pericula salui & incolumes euadant. *Rom. 8.*

Quid autem illud est, quo filius Dei verus pastor sustentat Dauidē, & reliquos pios in valle vmbræ mortis? Dicit enim Dauid, se idcirco non timere mortem, quia TV MECVM ES. An non ille TV implet cœlum & terram? An non est præsens cum omnibus hominibus? In ipso, inquit, sumus, viuimus, & mouemur. Rectè. Hic pastor noster, filius Dei, implet quidem omnia, sua essentia & præsentia, non autem habet, vel (vt rectius dicam,) non profert vbiq; virgam, & baculum suum. Notum est, quòd pastores soleant baculo quilcq; suo pastorali, quem pedum vocant, incedere, quo & ipsi innituntur, & oues, tanquam sceptro dirigunt, & gubernāt, quo etiā, cum opus fuerit, lupos ab ouili arcēt. Quæramus igitur, quæ sit virga, quis baculus, quod pedum, imò quod sceptrum pastorale, quo pastor noster Dauidem in ipsa etiam mortis valle dirigit, & consolatur. Dicit enim: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolantur. Ecce autem tibi, hæc est illa virga, hic ille baculus & sceptrum, de quo Psalmus 110. canit: Virgam, inquiens, virtutis, seu regni tui emittet DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorum eius. Postquam enim Christus filius Dei euectus est ad dextram Dei patris sui, misit ex Zion, seu Hierusalem, Apostolos suos in vniuersum mundum, vt prædicarent Euangelion suum apud omnem creaturam, vt qui Euangelio crederent, æternam salutē consequerentur. Euangelion igitur Christi est virga pastoralis, & baculus seu pedum, quo filius Dei oues suas ita ducit, regit, tuetur, consolatur & conseruat, vt in media morte consistant. Vnde & Dauid, cum audiret illud Euangelion de Christo, quod & su-

prà

prà commemorauimus: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis, & ſtabiliam regnum eius, accepit, tanquam porrectum à paſtore baculum: & tanta conſolatione perfuſus eſt, vt non ſolùm ſummo animi gaudio diceret: Quid vltrà addere poteſt Dauid, cum ita glorificaueris ſeruum tuum, & cognoueris eum? verùmetiam exclamaret, quod eſt in hoc Pſalmo: Etiamſi ambulauero in valle vmbrę mortis, non timebo malum, quia TV mecum es. Arripiamus & nos hoc pedum, quod paſtor noſter his temporibus clementer & luculenter nobis porrigit: vt eo innixi, capiamus conſolationem in omnibus aduerſis. *1. Paral. 17.*

5. Præparas coram me menſam aduerſus hoſtes meos: vngis oleo caput meum: & reples calicem meum.

Quod paſtoris beneficiũ expoſuit antea metaphora paſcuorum, & baculi paſtoralis, hoc idem exponit nunc alia metaphora, opipari videlicet conuiuij: Præparas, inquit, mẽſam coram me, aduerſus hoſtes meos. Multos habeo hoſtes, multos aduerſarios, tàm corporales, quàm ſpirituales: multa ſunt & magna aduerſa, quæ minãtur mihi famem, nunc corporalẽ, nunc ſpiritualem: & cupiunt me perditũ tàm corpore, q̃ animo. Sed tu DOMINE fili Dei, paras mihi aduerſus hæc omnia menſam lautiſsimã, & omni genere ferculorũ inſtructiſsimã. Vngis præterea me balſamo. Hoc enim ſolenne fuit in publicis conuiuijs apud Iſraëlitas, vt conuiuæ balſamo aſpergerẽtur, & flagrãti odore eius recrearẽtur, quemadmodũ Chriſtus ipſe apud Lucam, ad Phariſæum dicit: Intraui in domum tuam, oleo caput *Luc. 7.*

Ioan. 12. caput meum non vnxisti. Et apud Ioannem: Maria accepit in conuiuio libram vnguenti nardi pistícæ præciosæ, & vnxit pedes Iesu, vt & domus ex odore eius vnguenti sit impleta. Ad hæc, non solùm recreas me cibo & flagranti odore, verùmetiam potas me pleno semper calice: vt nihil mihi, quod vel ad necessitatem, vel ad voluptatem pertinet, in hoc cõuiuio desit. Quæ est ergo illa mensa, quod illud conuiuium? In Psal. 69. de Iudæis excæcatis dicitur: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, in retributionem, & in scandalum. Hîc, mensa sumitur pro sacra scriptura, & doctrina, quæ in ea continetur. Impij enim Iudæi ita sunt excæcati, vt sacra scriptura, è qua pollicentur sibi salutẽ, fiat ipsis in internitionem: propterea quòd Christum, qui est totius scripturæ scopus, reiecerint, & condemnauerint. In Exodo cap. 25. fit mensa in extructione tabernaculi, super qua ponũtur duodecim panes, quos propositionis vocãt. Adumbrat & hæc mensa scripturam Propheticam & Apostolicam: ac doctrinam, quæ in ea traditur: & quæ à duodecim Apostolis vulgata est in orbem terrarum. Quam igitur mensam, quod cõuiuium, quos calices, & quæ vnguenta Dauid sibi à pastore, filio Dei parata esse affirmat, scriptura est Prophetica, & doctrina Euãgelij, quæ in ipsa continetur: in qua proponitur nobis conuiuium illud, quod Esaias cap. 25. describit: Faciet, inquiens, DOMINVS exercituum omnibus populis, in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Hæc est prædicatio Euangelij de Christo, quod Apostoli adnuntiarũt in vniuerso mundo,

do, & ex quo peti possunt remedia aduersus omnẽ famem & sitim tam corporalẽ, q̃ spiritualem. Si in agnitione peccati eluris iustitiã, Euangelion medetur huic fami, & ostendit tibi Christum, per cuius fidem iustificamur. Si in morbis vel corporis vel animi, si in metu mortis & inferni sitieris liberationem & salutem, parata est tibi mensa, seu prædicatio Euangelij de Christo, ex qua licet sitim sedare: quia proponit Christum fide agnoscẽdum, quo nobis certa contingit salus & liberatio. Non enim est aliud nomen, præter Christi nomen, sub cœlo nobis datum, in quo nos saluos fieri oporteat. Summa igitur cura studendum est, vt ad hanc mensam, & conuiuium accedamus, quò & ferculis in eo propositis fruamur.

6. *Certè bonitas & misericordia subsequentur me, omnibus diebus vitæ meæ, & commorabor in domo DOMINI perpetuò.*

Conclusio Psalmi. Certè (inquit) vt breuiter & summatim dicam, sub hoc pastore, nihil vnquam mali mihi accidet: sed omnia bonitatis genera, omnia diuinæ clementiæ seu misericordiæ beneficia me omnibus diebus vitæ meę comitabuntur: & perpetuò commorabor in domo DOMINI, in vera Dei ecclesia, & in cœlesti regno. Hoc illud est, quod Christus apud Ioannem dicit: Nemo potest oues meas rapere de manu mea, & patris mei. Et Paulus: Persuasum, inquit, habeo, quòd neq; mors, neq; vita, neque angeli, neque principatus, neq; potestates, neq; instãtia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia *Rom. 8.*

poterit nos ſeparare à dilectione, quã Deus erga nos habet, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vnde autem, inquies, Dauid & Paulus certi fuerunt, ſe nunquam à DOMINO abijciendos, ſed perpetuò fore Deo dilectos, & in domo Dei, ſeu in cœleſti regno commoraturos? Non profectò certificati ſunt de hoc ex humana ratione, quæ citius nos ad dubitationem, quàm ad certitudinem, ſeu πληροφορίαν ſollicitat: non ex meritis noſtræ iuſtitiæ, quia noſtra iuſtitia plurimùm habet in ſe imperfectionis & vitij: ſed ex veritate Euãgelij Chriſti, & certitudine clementiæ, quam Deus, conſtantiſsimè ſeruat erga omnes eos, qui Chriſtum agnoſcũt, & fide ſua cum aplectuntur. Dona Dei, in-
Rom. 11. quit Paulus, & vocatio eius eiuſmodi ſunt, vt eorum
2. *Tim.* 2 illum pœnitere non poſsit. Et iterum: Si commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus: ſi negamus, (& in negatione perſeueraverimus) & ille negabit: ſi increduli ſumus, (& conuerti-
Rom. 3. mur ad fidẽ) ille fidelis manet, negare ſeipſum nõ poteſt. Et ſicut alias dicit: Incredulitas noſtra non facit fidem (ſeu veritatẽ) Dei irritã. Quare dum credimus & ſperamus, (id quod à nobis ſeueriſsimè & in omni noſtra ſeu actione ſeu paſsione exigitur,) ſumus etiam certi, nos eſſe in gratia Dei, & perpetuò in regno cœleſti commoraturos.

VSVS HVIVS PSALMI.

Recitauit hoc Pſalmo Dauid, quid vtilitatis ceperit è paſtore, filio Dei. Hortatur ergo nos omnes, vt ſuo exemplo hunc paſtorem agnoſcamus & oues eius ſiamus. Sic enim fiet, vt nihil nobis vnquam ſit defuturum:

rum: & vt mortem quoq; ipsam vincamus. Quo beneficio, quid potest nobis excellentius & magis salutare contingere? consideremus igitur, qua ratione fiat, vt oues Christi veri pastoris efficiamur, & beneficijs eius fruamur. Ecce autē tibi, docet Christus ipse, quid sit faciendum, vt simus oues eius. Oues meæ, inquit, *Ioan. 10.* vocem meā audiunt, & sequuntur: alienum vero non sequuntur, sed fugiunt ab eo. Quare si quis voluerit vera ouis Christi haberi & esse, vocem Christi audiat, & sequatur, necesse est. Vox autem Christi est: Sic *Ioan. 3.* Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam vitam. Vox Christi est: Ego sum re- *Ioan. 11.* surrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et: Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Vox Christi est: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Audiamus igitur hanc vocem, agamus pœnitentiam, fugiamus peccata, credamus Euangelio, quòd peccata sint nobis propter Christum remissa: sectemur vocationē Christi, in omni genere virtutum: & si quid aduersi inciderit, cogitemus seruum non esse maiorem Domino suo, (quæ & ipsa est vox Christi) & feramus obedienter ac patienter. Hæc si præstiterimus, licebit vnà cum Dauide tollere caput in cœlum, & ex animo dicere: DOMINVS pastor meus, NIHIL mihi deerit.

* * *

Psalmus 24.

Psalmus 24.

DOMINI est terra & plenitudo eius.

VIgò dici solet: Quot capita, tot sensus. Quod dictum non est è vano hominis somnio ortum: sed ipsa rerum experiẽtia ita cognitum & confirmatum est, vt nihil manifestius sit, quàm quòd homines, tam in rebus mũdanis, quàm in rebus spiritualibus & cœlestibus variè afficiantur. Ac res quidem mundanas suis locis relinquemus. In præsentia autem dicemus quædam de rebus spiritualibus. Inter homines enim tanta est varietas sentẽtiarum de Deo, vt alij quidem dicant in corde suo, (sicut Psalmus loquitur) Non est Deus. Alij autem, etsi sentiunt esse Deum, tamen arbitrantur, res humanas non esse ei curę, nec habeat in terris peculiarem populum, quem singulari fauore complectatur: sed sinat res pro suo cuiusq; arbitrio temerè ferri, ipse autem interea suo tantùm gaudio & fœlicitate fruatur. Alij, etiamsi sentiunt, Deum habere in his terris, inter homines, selectam ecclesiam, cui ita faueat, vt conseruet eam in omnibus aduersis, & donet eam tandem æterna salute: tamen solent elementiam Dei & ecclesiam eius in tantas angustias concludere, vt existimẽt, quòd præter externum illũ cœtum, qui habet titulum ecclesiæ Dei, non sit alius populus, quem Deus pro sua ecclesia agnoscat. Sic Iudæi arbitrãtur, Deum non agnoscere

alium

alium populum, præterquam gentem Israëliticam, seu externam posteritatem Abrahæ, ac illos, qui se cum hac per circuncisionẽ coniungunt. Sic Pontificij putãt, quòd Deus non agnoscat vllam aliam ecclesiam, prẽter eum cœtum, qui Romanum Pontificẽ, vt summum ecclesiæ caput in his terris adorant, & omnem salutis rationem è scrinio pectoris eius petunt.

Hæc autem sententiarum de Deo & ecclesia eius varietas, hinc adeo originem habet, quòd humanum genus sit originali peccato corruptum. Etsi enim naturali hominũ rationi diuinitus insculptum est, quòd sit Deus, quemadmodum Paulus Rom. 1. docet: tamen ea cognitio tam imbecillis facta est per peccatum originale, vt grauitate afflictionum, & magnitudine tentationum facillimè excutiatur: ac tantùm impiæ cogitationes reliquæ maneant.

Deus igitur misertus humanæ cæcitatis & interitus, patefecit cœlestem doctrinam verbi sui, ex qua verè ac certò cognoscere queamus, quid de ipso & ecclesia eius sit sentiendum. Hæc autem doctrina mandata est scriptis Propheticis & Apostolicis, & confirmata tanta cœlestium ac diuinorum miraculorum autoritate, vt nihil certius sit, quàm hanc doctrinam esse verè cœlestem, ac salutarem, contra quã ne vllius quidem angeli, nedum hominis concio sit audienda, id quod aliàs copiosius expositum est. Cum autem summa Dei clementia erga humanum genus, ac imprimis erga ecclesiam, quam sibi Deus pater ex toto humani generis corpore, per DOMINVM nostrũ Iesum Christum, Prophetica & Apostolica voce colligit, in multis scripturæ locis perspicuè traditur: tum præcipuè,

breuiter quidem, sed clarè admodum & iucundè, in hoc vicesimo quarto Psalmo describitur.

Initio enim commemorat hic Psalmus, ex quo populo filius Dei ecclesiam suam in his terris congreget. Deinde, quis sit verè populus, & ecclesia Dei, & quæ beneficia à Deo accipiat. Postremò, admonentur omnes huius seculi reges, principes, & patresfamilias, vt portas & fores regnorū, regionum, & domorum suarum filio Dei DOMINO nostro Iesu Christo patētissime aperiant, & dent ei locum, quo ex ipsis ecclesiam suam vocare & seligere queat.

1. *DOMINI est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & quæcunq; in eo commorantur.*
2. *Quia ipse ad maria fundauit eum, & ad flumina firmauit ipsum.*

Hi duo versiculi sunt prima pars huius Psalmi, quibus explicatur, è quibus terræ regionibus filius Dei Domini nostri Iesu Christi ecclesiā suā colligat. In hoc enim Psalmo nomine DOMINI, intelligēdus est Dominus Christus, vnigenitus filius Dei, verus Deus & verus homo. Nā in fine huius Psalmi mādatur, vt portæ, hoc est, regna & principatus huius seculi patenter aperiantur, quo rex gloriæ ingrediatur. Et additur, quòd rex ille gloriæ sit DOMINVS Zebaoth, fortis & potens. Nullus autē in vniuersa terra talis vnquam rex in regnum ingressus est, qui simul fuerit Deus & homo, præter DOMINVM nostrum Iesum Christum. Quare hic Psalmus de solo Christo & regno eius, quod est Ecclesia, intelligendus est. Nec est dubitandum,

dum, quin Paulus hoc Psalmo admonitus, vocet Christum, DOMINVM gloriæ: Si cognouissent, inquiēs, haudquaquā DOMINVM gloriæ crucifixissent. Agite dum igitur, audiamus, quam regionem in his terris Christus occupet, ex qua ecclesiam suā congreget: DOMINI, inquit Psalmus, est terra & plenitudo eius, orbis terrarū, & quęcunq; in eo habitant. Iudæus arbitratur, quod Messias, quem ipse somniat, circumlaturus quidem sit arma sua, per vniuersum orbem, & debellaturus omnes gentes: sed illos tantùm pro vero suo populo agniturus, & seruaturus, qui sint Iudęi circuncisi, & qui ex reliquis gentibus circuncisionem & legē Mosi accipiant. Et quod in Zacharia DOMINVS Zebaoth de ecclesia Christi dicit: Ecce ego saluabo populū meū de terra orientis, & de terra occasus solis: & adducā eos: & habitabunt in medio Hierusalē, &c. hoc Iudæus intelligit de externa congregatione & habitatione in vrbe Hierusalem. Itaq; alligat regnum & populū Messiæ sui ad certā & mundanā sedem. Pontificius alligat regnū Christi & ecclesiā eius ad Romā, & putat, nullū posse verum esse membrū Christi, nisi agnoscat Romanū Pontificē, (quemadmodum paulò antè dicebamus) summum in terris ecclesiæ caput, & habeat mādata ac traditiones eius pro oraculis Spiritus sancti. Sed hic Psalmus lōgè aliter docet. Etsi enim Deus elegit sibi Iudæos, seu posteritatem Abrahæ in peculiarē populū, vt prędicatio promissionis de Christo in ea, vsq; ad aduentū eius in carnē, conseruaretur, & Christus ex ea secundū carnē nasceretur: ac fortassis Petr. Apost. non Hierosolymis tantùm & Antiochię, verumetiā Romæ concionatus est Euāgelion Christi: tamen

Zach. 8.

tamen DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus nõ ſinit ſe alligari ad Hieruſalẽ, & in Iudaiſmum: nec ad Romam, & in regnum Pontificium: ſed peragrat vniuerſum orbem terrarum: & accipit in hæreditatem, (vt alius *Pſal.2.* Pſalmus dicit) gentes, & in poſſeſsionem omnes terminos terræ. Congregat enim eccleſiam ſuam, non ex vna tantùm natione aut gente, ſed ex omnibus nationibus & gentibus in toto orbe terrarum. Num Iudęorum *Rom.1.* Deus tantùm? (inquit Paulus) An non & Gentium? Certè & Gentium. Quandoquidẽ vnus Deus, qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præputiũ per *Rom.10* fidem. Ac iterum: Non eſt diſtinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes ſe. Quiſquis enim inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Quid pluribus opus? Chriſtus ipſe teſtificatur perſpicuis verbis, ſe nõ permiſſurum, vt in ſolam Iudæam concludatur, dicit enim ad Apo*Act.1.* ſtolos: Eritis mihi teſtes, non ſolùm Hieroſolymis, verùmetiam in vniuerſa Iudæa Samariaq; deniq; vſq; ad extrema terræ. Et alius Pſalmus de regno Chriſti *Pſal.72.* differens: Dominabitur (inquit) à mari vſq; ad mare, & à flumine (Euphrate) vſq; ad terminos orbis terrarum. Nec eſt mirum, quòd DOMINVS ſuſcipiat dominationem in toto orbe terrarũ, & inter omnes gentes, quia ipſe fundauit, inquit Pſal. orbem terrarũ ad mare, & ad flumina firmauit eum, (hoc eſt) DOMINVS Chriſtus creauit orbem terræ. Et quanquam initio conditionis, terra aquis ita operta fuerit, vt nec homines, nec iumenta potuerint in ea habitare, DOMINVS tamen eam ex aquis potenti ſua manu ita eleuauit & ſtabiliuit, vt non ſolùm ſuper aquis firma conſiſtat, verùm

verùmetiam hominibus commodam & vtilem habitationem præbeat: Omnia, inquit Ioannes, per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et in Iob dicit DOMINVS: Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Ac mox: Quis concluſit ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Cum ponerem nubem vestimẽtum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Vsq; huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Hactenus Iob. Ac profecto, inter maxima & præcipua miracula, illud non est postremũ, quòd terra, cùm natura sua locum in ipso maris medio habere, & vndiq; aquis immersa & contecta esse deberet, potenti tamen manu Dei ex aquis ita sit eleuata & conseruetur, vt homines in ea commorari, ambulare, magnificẽtissima ædificia excitare, adeoq; necessaria quæq; negocia conficere queant. Hîc reipsa comperimus, quòd manu Dei semper contineamur, & beneficio eius fruamur. Nam, si DOMINVS Deus noster abstraheret à terra, vel minimum suum, vt ita dicam, digitulum, fieri non posset, quin subitò aquis ita immergeretur, vt omnes homines suffocarentur, & omnia in terris perirent. Sed terra, quantacunq; sit grauitate, tamen necesse habet, ex aquis eleuata perdurare: & quantumcunq; impetuosi sint fluctus maris, tamen non possunt longius progredi, quàm termini eius positi sint; ne terræ quicquam incommodi afferant. *Ioan.1.* *Iob 38.*

Hoc miraculum alta mente reponendũ est, vt semper clementiã Dei agnoscamus, gratias ei agamus, &

gratitudinẽ obſequio noſtro teſtificemur. Deus enim non eſt ea illiberalitate, vt nobis vnum hoc & ſolum, & nudum miraculum intuendum proponat: ſed potius teſtari vult, quòd quemadmodũ poſuit mari terminos, vltra quos excurrere non poſsit, ita etiam poſuerit terminos, omnibus afflictionibus, imò etiã morti & Satanæ ipſi, ne poſsint in eccleſiam Chriſti, & vera membra eius amplius graſſari, quàm Chriſtus permiſerit, & piis in Chriſtũ credentibus vtile fuerit. Cum igitur Chriſtus condiderit orbem terrarum, & feruet eum potenti manu ſua, adeoq; ſit omnipotens Dominus, & gubernator omnium eorum, quæ in eo ſunt, nullus eſt vel in cœlo Archangelus, vel in his terris Monarcha, vel in inferno Beelzebub, qui aut vi, aut iure impedire poſsit, quò minus ipſe è toto terrarum orbe, & ex omnibus nationibus colligat populum, qui hæreditatem æternæ iuſtitiæ ac felicitatis poſsideat.

Sed hic verſiculus: DOMINI eſt terra, & plenitudo eius, &c. fœcundior eſt, quàm quẽ oſcitanter prætereamus. Etſi enim Pſalmus ille eò vtitur, vt doceat, quòd Chriſtus colligat eccleſiam ſuã ex omnibus gentibus, & nationibus: tamen vſus eius latius patet. Paulus intuetur eum magno ſpiritus acumine. Docet enim ex ipſo, quòd homo pius poſsit omni genere ciborum, bona conſcientia, cum gratiarum actione, coram Deo vti: Omne, inquiens, quod in macello venditur, edite: nihil interrogãtes, propter conſcientiam. DOMINI ſiquidẽ eſt terra, & plenitudo eius, (hoc eſt) Sicut Chriſtus liberrimus DOMINVS eſt omnium rerum in his terris, ita fecit etiam credentes in ipſum liberos

1. Cor. 10.

beros dominos, vt possint quouis genere ciborum, quos Deus in vsum hominum creauit, bona conscientia vti.

Pius quispiam spoliatur omnibus suis facultatibus, & ejcitur è patria sua in exilium. Hic potest ex isto versiculo cõsolationem petere. Postquam enim Christus est Dominus orbis terrarum, & omnium, quæ in eo sunt, cur exul sollicitus esset de terrenis suis facultatibus & patria? An non habet à parte sua diuitem Dominum Christum, quem, quòcunque peruenerit, domi inuenit? qui etiam tanta est beneuolentia, vt non deserat ipsum in vllis quantumuis magnis periculis: & tanta est liberalitate, vt pro vno ablato numo & patria, centum numos & patrias certè restituat.

Minatur magistratus quispiam, Euangelij persecutor, homini pio probrosam mortem, & ignominiosam sepulturam, videlicet ad patibulum in caluaria. Sed hic versiculus consolatur pium. Cum enim orbis terrarum, & omnia quæ in eo sunt, subiecta sint potestati & gubernationi DOMINI nostri Iesu Christi, homo pius nullam habet causam, cur animum despondeat: propterea quòd certò inueniat Christum Dominum & seruatorem suum in omnibus locis, atque adeo in morte ipsa, etiamsi trucidetur, & in caluaria proijciatur. Nullus nostrum, inquit Paulus, *Rom. 14.* sibijpsi viuit, & nullus sibijpsi moritur. Nam, siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue igitur viuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, ac reuixit, vt mortuis ac viuentibus

bus dominetur. Quare cum hi duo primi huius Psalmi versiculi tàm latè pateant, non committamus, vt ipsos oscitanter intueamur, sed vt veram eorum sententiam diligenter cognoscamus, & in suum vsum transferamus.

3. *Quis ascendet in montem DOMINI? & quis stabit in loco sancto eius?*
4. *Innocens manibus, & mundo corde: qui non assumit vanè animam suam, & non iurat dolosè.*
5. *Hic accipiet benedictionem à DOMINO, & iustitiam à Deo seruatore suo.*
6. *Hæc est generatio quærentium eum, inquirentium faciem tuam Iacob.*

Altera hæc est pars huius Psalmi, in qua Spiritus sanctus docet, quis verè sit populus Dei, & quæ sit vera Christi ecclesia, in terris. Postquã enim paulò antè dictũ est, quòd filius Dei sit Dominus orbis terræ, & colligat ecclesiã suã, ex omni natione, posset quispiam arbitrari, quòd omnes gentes indiscriminatim, in vniuersa terra, cuiuscunq; fuerint religionis, aut conuersationis vitæ, sint ecclesia Christi, & assequãtur æternam salutem. Sed res longè aliter se habet. Sicut enim plurimùm errat, qui sentit beneficia filij Dei tam angusta esse, vt non nisi in vnum populi genus cõferantur: ita non minus errat, qui existimat omnes gentes frui sine vllo discrimine, beneficijs eius. Tametsi enim verissimum est, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, & beneficia Christi diuulgentur & offerãtur prædicatione Euangelij, omnibus hominibus, non tamen

men omnes homines volũtati Dei morem gerunt: nec oblata beneficia propter incredulitatem ipsorũ agnoscũt, aut recipiunt. Quare, non omnes in his terris homines sunt verè populus Dei, & vera ecclesia Christi.

Age igitur, dicito, quæso, mihi, quis est, qui ascendit in montẽ DOMINI, & qui stat in loco sancto eius? (hoc est) quis sit verus populus Dei, & vbi inuenitur vera ecclesia Christi? Hîc vulgus in contraria scinditur. Iudæus affirmat, illum esse verum populũ Dei, qui est circuncisus carne, qui multa adducit ad templũ Dei sacrificia, qui nõ vescitur carne suilla aut sanguine, & si quod id genus aliud est sacrorum Iudaicorum. Pontificius dicit, illam esse veram ecclesiam Christi, quæ agnoscit Romanum Pontificem summum in his terris ecclesiæ caput: quæ confitetur singulis annis peccata sua proprio sacerdoti: quæ sumit sacramẽtum altaris (vt ipsi loquuntur) iuxta ritum à Pontifice ordinatum: quæ diligenter visitat & audit Missas, & redimit sibi Pontificias indulgentias, vt effugiat ignem purgatorium. Monachus affirmat illam esse veram Christi ecclesiam, quæ ducit vitam cœlibem, gestat cucullam, recitat multas preculas, continuat multorum dierum ieiunia, & sectatur χαμαιζηλίαν & ἀγρυπνίαν.

Spiritus sanctus autem describit in hoc Psalmo populum Dei & ecclesiam Christi longè aliter: Ille, inquiens, ascendit in montem DOMINI, & stat in loco sancto eius (hoc est) verum est & germanum membrum ecclesię Christi, qui sit innocens manibus, mundus corde, & non assumat animam seu nomen Dei in vanum, aut falso in nomine Dei iuret. Hîc tria exiguntur, quæ prestanda sunt, vt sis verũ ecclesiæ mem-

brum. Vnũ eſt, de corde, vt ſit purum & mundũ. Alterum, de ore, ſeu lingua, vt anima Dei, (ſic enim ſolet Deus per animam ſuã iurare. Hier. 51. & Amos 6.) ſeu nomine eius nõ abutaris vanè, nec iures per animã ſeu nomẽ Dei falsò aut dolosè. Tertiũ eſt de manibus, vt ſint innocentes, videlicet, ne quicquã mali opere deſignes, ſed bona quæuis opera facias. Deus enim per ſe non requirit, num quis ſit carne circunciſus. Inſtituit quidẽ externã circũciſionẽ, vt eſſet legitimũ ad ſuum vſq; tempus, ſacramentum: ipſa autẽ per ſe non reddit hominem mundum, ſed Deus exigit, vt cor circunciſatur, & ſit purũ ac mundum. Nec requirit, num multas preces ore cõmemores, ſed exigit, vt nomen eius verè confitearis, rectè de nomine eius concioneris, & caueas, ne quicquàm impietatis doceatur. Præterea non reſpicit manus, num ſint aqua lotæ, an illotæ: ſed ne quid ſcelerum opere cõmittatur. Tales homines, quocunq; loco, ſiue inter Iudæos, ſiue inter Gentes, ſiue inter Tartaros, ſiue inter Turcas inueniat, hos agnoſcit pro populo & vera eccleſia ſua.

Sed quis eſt ille, qui audeat gloriari ſe habere cor mundum? ſe ore aut lingua ſua nunquam eſſe præuaricatum, & nullum vnquam ſcelus opere ſuo deſignaſſe? Hoc nũc opus, hic labor eſt, vt cognoſcamus, quomodo cor mundum conſequamur: nec falsò per animam ſeu nomen Dei iuremus: & quomodo innocentes manus faciamus aut conſeruemus. Etſi enim in quarto huius Pſalmi verſiculo, in quo tres illæ conditiones veræ eccleſiæ Chriſti recitantur, nihil diſerte de Chriſto & de Euangelio eius, aut de fide in Chriſtum, per Euangelion eius, dicitur: tamen quia Pſal-

mus

mus vrget & exigit mundum cor, ſanctam linguam, & iuſta opera, idcirco non eſt dubium, quin pro vera legis ratione & fine vrgeat & reſpiciat, in Ieſum Chriſtum, & Euangelion eius, iuxta illud Pauli dictum: Lex Pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur. Et iterum: Finis legis, Chriſtus, ad iuſtificationem omni credenti. Quiſquis enim tenetur deſiderio habendi mundi cordis, neceſſe habet Euangelion de Chriſto audire, & per illud, in Ieſum Chriſtum, autore Spiritu ſancto credere, quòd Chriſtus reconciliauerit ipſum cum Deo patre, & impetrauerit ipſi condonationem omnium peccatorum ſuorũ, ac donet ipſi omnẽ ſuam probitatem & iuſtitiã, quam ſeuero iudicio Dei, coram tribunali eius opponat, & qua confidat, ac per quam æternam beatitudinem conſequatur. Vbi igitur Chriſtus tali fide ſeu fiducia accipitur, ibi eſt cor mundum, non quod reipſa tentias in corde perfectam mundiciem, quia immundicies peccati originalis hæret in corde hominis, vſq; ad mortem: ſed quòd Chriſtus, qui habet omnem munditiem, imò ipſa eſt mundities, habitet in corde per fidẽ, & cor reputetur coram Deo mundum & purum, propter Chriſtum, quemadmodum Petrus (Act. 15.) dicit: Purificauit corda eorum fide. *Galat. 3. Rom. 10*

Deinde, quiſquis noluerit nomine DOMINI abuti, & falsò per Deum iurare, neceſſe habet & ipſe Euangelion de Chriſto audire, & DOMINVM Chriſtum, vnigenitum filium Dei, ac vnicum noſtrum ſeruatorem fide ſua agnoſcere. Vbi enim vera eſt agnitio Chriſti in corde, ibi ſequitur etiam vera confeſsio oris, & verè glorificatur nomen Dei. Accedit

& illud, quod rectè docetur de Deo, nec falsò iuratur per nomen Dei. Credo, inquit alius Psalmus, propter
Psal. 116 quod & loquor. Omnes alij Doctores, qui non habẽt veram Christi cognitionem, falsò prædicant de Deo, & vanè ac dolosè iurant per animam seu nomen Dei. Illi autẽ soli rectè prædicant de Deo, qui DOMINVM nostrum Iesum Christum, per Euangelion suum rectè cognoscunt: Nemo, inquit Christus ipse, venit ad patrem, nisi per me.

Præterea, qui cupit manus habere innocentes, & bona opera, quæ Deo placent, facere, necesse habet & ipse Euãgelion Christi agnoscere, & credere in Christum, videlicet, quòd sit Deo acceptus propter Christum, ac donetur Spiritu sancto, quo cupiditates carnis compescantur, & honesta vita bonis operibus instituatur. Etsi enim bona nostra opera, suos semper habent defectus & vitia: tamen, quia homo est acceptus Deo per fidem propter Iesum Christum, idcirco accepta est etiam Deo obedientia hominis, (quamuis imperfecta) propter Christum.

Ex his facilè nunc intelligi potest, quis verè sit populus Dei, & quæ sit vera Dei ecclesia. Cum enim proprium sit ecclesiæ Christi, quòd sit mundo corde, quæ mundities est ex vera fide in Dominum nostrum Iesum Christum, certè sine vlla controuersia sequitur, quòd qui non verè credunt in Christum, seu non collocant veram fiduciam in solo Christo, non sint verè populus Dei, nec vera Christi ecclesia, etiamsi nomen ecclesiæ gestent.

Adhæc, cum proprium sit ecclesiæ Christi, quòd debeat DOMINVM suum Christum confiteri, rectè de ipso

ipso docere, & Euangelion eius synceriter adnuntiare, vt nomen DOMINI glorificetur, & celebretur, manifestè sequitur, quòd qui doctrinâ Christi fastidiunt, aut Euangelion eius corrumpunt, aut persequuntur, non sint vera Christi ecclesia: etiamsi, multitudine reliquos superent, & summam dignitatem in ecclesia in his terris obtineant.

Postremò, cum ecclesia Christi debeat habere innocentes manus, perspicuũ est, quòd qui iniquitatem sectantur, & sceleratã vitã ducant, non sint vera Christi ecclesia: etiamsi nomine Christianorum vocentur, aut supremum locum in ecclesia occupent. Quare nemo sibi ipsi externa specie aut nomine ecclesiæ Christi blandiatur: sed in hoc studium incumbat, vt habeat cor mundum, nomen DOMINI vera doctrina & confessione glorificet, & habeat innocentes manus, quæ è sola fide in DOMINVM nostrum Iesum Christum, sicut paulò antè dicebamus, peti possunt. Quisquis enim hoc assequitur, is est verũ Ecclesiæ Christi membrum, siue in Persico, siue in Romano imperio commoretur: siue sit potentia huius seculi ornatus: siue homo coram mundo abiectus: siue diues siue pauper: siue sit clarus siue obscurus: breuiter, siue viuat siue moriatur.

Cæterùm, cum nobis nunc sit manifestum, quæ sit vera ecclesia Christi, agedum, sciamus etiam, quæ beneficia à Deo accipiat, & quibus donis quoduis verum veræ ecclesiæ membrũ ornetur. Dicit ergo Psalmus in quinto versiculo: Hic accipiet benedictionem à DOMINO, & iustitiam à Deo saluatore suo. In hoc versiculo promittitur ecclesiæ benedictio Dei. Sunt autem (præter benedictiones, aut potius incãtationes

Magicas, de quibus hîc non sit sermo, & quæ omninò sunt detestandæ,) varia genera benedictionũ. Vnum enim genus est corporalis benedictionis, qua benedicitur corpus corporalibus bonis: quod genus est, sanitas corporis, diuitiæ, potestas, obedientes liberi, incrementa frumentorum, copia rerum, pax mundana, victoria super hostes, prosper successus in omnibus negotiationibus corporalibus. Etsi autem talis benedictio, donum Dei est, & confertur etiam à Deo in ecclesiam Christi, & in membra eius suo modo, & suo tempore: tamen ea non est illa cœlestis & æterna benedictio, quæ vel sit in hac terra stabilis, vel queat ecclesiam in suis periculis iuuare.

Est igitur aliud genus benedictionis spirituale & cœleste, quod & solum ecclesiæ Christi proprium est. Quæ autem sit illa benedictio, Psalmus ipse clarè exponit: Accipiet, inquiẽs, à Deo seruatore suo IVSTITIAM. Hîc habes nominatim veram illã, spiritualem & cœlestem benedictionem, videlicet, IVSTITIAM. Omnes aliæ benedictiones, aut sunt pernicioſæ, vt benedictiones Magicæ: aut sunt caducæ, vt sunt corporales. Sola autem hæc benedictio quæ vocatur iustitia à Deo salutis nostræ, est vera & cœlestis benedictio, quæ in tantum nec perdit, nec perit, vt etiam secum cœlum, & perpetuam vitam ac felicitatem afferat. Tametsi enim benedictus fueris corporali sanitate, aut mundanis diuitijs, caueris autem benedictione iustitiæ, tamen necesse habes vel tandem morte perire, & vna cum Satana, gehennæ mancipari. Si autem habueris benedictionem iustitiæ, etsi cares sanitate corporali & diuitijs mundanis, tamen consequêris vel tandem

tandem perpetuum gaudiũ, & cœleſte regnum, quod omnes regias & Cæſareas maieſtates & regna ſuperat, imò ne quidẽ cum his conferri debeat. Vbi enim eſt iuſtitia, ibi eſt & remiſsio iniuſtitiæ, & liberatio ab accuſatione mortis ac Satanæ, & victoria ſuper mortem: ibi deniq; eſt hæreditas omnium cœleſtium, diuinorum, & æternorum bonorum. Hæc & his ſimilia omnia vno iuſtitiæ nomine compræhenduntur.

Sed hoc opus, hic labor eſt, quomodo hanc benedictionem iuſtitiæ conſequamur, & conſeruemus. Quid autem pluribus opus? quandoquidem Pſalmus paulò antè dixit. Qui eſt innocens manibus, nec abutitur nomine Dei vanè, & eſt mundo corde, hic aſcendit in montem DOMINI, & ſtat in loco ſancto eius, (hoc eſt) verum eſt eccleſiæ membrum. Quod cum ſuprà interpretaremur, oſtendimus, quòd hæc, ſola fide in DOMINVM noſtrũ Ieſum Chriſtum, ex auditu Euãgelij eius, conſequamur. Quare etiam fieri non poteſt, vt benedictionẽ iuſtitiæ aliter cõſequamur, quàm fide in Chriſtũ. Quiſquis enim Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrũ gratia Spiritus ſancti, per Euangelion vere agnoſcit, & omnẽ ſuam fiduciã, in ipſo, vt ſolo & vnico ſuo ſeruatore, collocat, ei Chriſtus vnà cum omnib. ſuis bonis donatur. Itaq; adoptatur propter Chriſtũ, à Deo patre in filiũ, in hęredem, adeoq; in cohæredẽ Chriſti. Chriſtus autẽ eſt hæres iuſtitiæ, vitæ, & omnis æternæ ac cœleſtis dominationis, maieſtatis & felicitatis. Quare, quiſquis DOMINVM Chriſtũ vera fide poſsidet, habet iam corã Deo benedictionẽ iuſtitiæ, propterea quòd imputetur ipſi iuſtitia Chriſti, ac liberetur propter hãc benedictionẽ ab omni maledictione, & aſſe-

& assequatur in Christo, & vnà cum Christo omne bonum: vt non amplius dubiũ sit, quin qui hoc modo Dominum Christum, per fidem quærũt ac possident, verè sint populus Dei, & vera Christi ecclesia, quemadmodum Psalmus in sexto versiculo exponit: Hæc (inquiens) est generatio quærentiũ eum, quærentium faciem tuã, Iacob, (hoc est) faciem DOMINI Dei, qui apparuit Patriarchæ Iacob, & de quo Iacob dixit: Vidi DOMINVM facie ad faciem. Homines excogitant varias pro suo arbitrio rationes, quibus quærunt DOMINVM Deum, ad videndam faciem eius. Alij accipiunt bouem aut vitulum, & offerunt in templum: sperantes se hac ratione Deum inuenturos, & faciem eius contemplaturos, qui mos fuit Iudæorum. Alij recipiunt se in eremum, & vescuntur tantùm herbarum radicibus: quo merito pollicentur sibi gratiam Dei. Alij induunt cucullam, aut ieiunant pane & aqua, aut faciũt seu audiũt multas Missas, aut recitant Rosaria, quæ ita vocant: & arbitrantur se his sacris peruenire ad intuendã faciem Dei. Sed vna tantùm est vera via & ratio, qua possumus ad conspectum Dei, & ad videndam faciem eius peruenire, videlicet, agnitio filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi: & fides, quæ est in ipsum, ex Euangelio eius. Vbi enim Christus agnoscitur, & per fidem accipitur; ibi oblationes boum & vitulorum in lege Mosi suum habuerunt vsum, videlicet, vt adumbrarent sacrificium Christi: ibi suam quoque vtilitatem habent ieiunia, preces, vsus sacramenti cœnæ dominicæ, & alia sacra, seu bona opera, pro sua quodq; ratione: videlicet, vt ieiunio conseruetur sobria & honesta vita: precibus & vsu cœnæ dominicæ

minicæ confirmetur fides, adeoq; omnibus alijs bonis operibus, à Deo præceptis, debitam nostram obediẽtiam, & gratitudinem erga Deum testificemur. Vbi autẽ Christus non agnoscitur, nec recipitur per fidem, ibi nec sacrificia boum, nec esus radicum, nec ieiunia, nec alia id genus opera possunt nos iuuare, vt faciem Dei contemplemur. Quare in id studiũ maximè omnium incumbamus, vt discamus Euangelion Christi, & cognoscamus ex eo fide nostra, per gratiam Spiritus sancti, DOMINVM nostrum Iesum Christum, ac præstemus vocationi eius, in tota vita nostra, obedientiam.

7. *Dilatate portas, & altas facite ianuas in mundo, vt ingrediatur rex gloriæ.*
8. *Quis est iste rex gloriæ? DOMINVS fortis & potens, DOMINVS potens in prælio.*
9. *Dilatate portas, & altas facite ianuas in mundo, vt ingrediatur rex gloriæ.*
10. *Quis est iste rex gloriæ? DOMINVS Zebaoth, ipse est rex gloriæ.*

Hæc est tertia & postrema pars huius Psalmi, in qua Spiritus sanctus cohortatur omnes reges, principes, patres & matres familias, vt dent locum DOMINO Christo & Euangelio eius, in regnis & familijs suis. Postquam enim in prima huius Psalmi parte demonstratur, quòd Christus congregaturus sit per prædicationem Euãgelij, ecclesiam suam, non ex vna tantùm natione, sed ex toto orbe terrarum: & in secũda parte docetur, quę sit vera ecclesia Christi, & quæ beneficia

à Deo accipiat, res ipsa exigit, vt adijciatur cohortatio ad omnes huius seculi principes, qua admonentur, vt non impediant cursum Euangelij Christi, sed vt omnem suam operam eò conferant, quo ecclesia Christi è regnis suis, per ministerium Euangelij colligatur: Dilatate, inquit, portas, & altas facite ianuas huius seculi, vt ingrediatur rex gloriæ. Cæterùm, rex ille gloriæ seu glorioſus, de quo hîc Psalmus loquitur, est DOMINVS noster Iesus Christus, de quo etiam in principio Psalmi dictum est, quòd DOMINI sit terra, & plenitudo eius, de quo & mox dicitur, quòd sit DOMINVS Zebaoth, videlicet, verus & æternus Deus, fortis & potens. Portæ autem & ianuæ mundi, sunt regna & principatus in hoc seculo, qui muniti sunt portis, muris, vallis, legibus præterea, & ciuilibus ordinationibus. Admonet igitur Psalmus politicum Magistratum, vt non claudant portas & ianuas suas: sed latè eas glorioso regi, qui est Christus, aperiant, & superliminaria portarum latis alta faciant, quò Christus vnà cum Euangelio suo ingredi, & ex regionibus eorum ecclesiam suam colligere queat.

Omnino autem necesse habent reges, principes & patresfamilias huic admonitioni parêre. Hic enim rex glorioſus, DOMINVS noster Iesus Christus, condidit non terram tantùm, sed etiam cœlum, & omnia, quæ in ipso continentur. Est præterea orbis terrarum propria possessio eius, quemadmodum in primo & secundo versiculo huius Psalmi dictum est. In secundo quoque Psalmo dicit Deus pater ad filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum: Postula

ſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ, Et in Pſalmo 72. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Cum igitur orbis terrarum, & omnes gentes in eo traditæ ſunt DOMINO Chriſto in propriam hæreditatem & poſſeſsionem, æquum eſt & iuſtum, vt Magiſtratus terræ non claudant portas & ianuas regnorum ſuorum coram ipſo, ſed potius excipiant eum omni genere officiorum reuerenter & obedienter: vt ſubditi, & familiæ ipſorum beneficijs eius fruantur.

Deinde, Deus inſtituit & ordinauit in his terris, omnia regna, principatus, politias & œconomias, propter hanc maximè omnium cauſam, vt præbeãt Domino Chriſto & Euangelio eius locum ac hoſpitium, quo eccleſia colligatur. Non apparet quidem externa ſpecie, quod regna, politiæ, & œconomiæ ordinata ſint diuinitus, propter eccleſiam: ſed quia Deus ſeueriter punit regna & principatus, qui eccleſiam malis afficiunt, & Eſaias ait: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit & gentes, (quæ non præſtiterint tibi ſua officia) ſolitudine vaſtabuntur, idcirco facilè intelligi poteſt, quòd Deus regna, politias & œconomias, propter eccleſiam inſtituerit. *Eſa. 60.*

Officium igitur & vocatio omnium Regum & Principum, imò cuiuſuis Magiſtratus, ſiue politici, ſiue œconomici exigit, vt portas & fores ſuorum regnorum, & principatuum latiſsimè aperiant, quò gloriosus, fortis, potens, & inuictus Rex

Christus ingrediatur. Vnde & secundus Psalmus dicit: Nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terrã. Seruite DOMINO in timore & tremore. Oscula mini filiũ, ne forte iraſcatur, & pereatis ſubitò. Politicus quidem magiſtratus occupatus eſt inſtituendis politicis legibus & ordinationibus, ad tuendam externam tranquillitatem & honeſtatem. Occupantur etiam patresfamilias variis negotijs: alius agricultura, alius opificio, alius mercatura. Hæc autem omnia in illum ſcopum dirigenda ſunt, vt DOMINO Chriſto portæ & fores aperiantur, & Euangelion Chriſti ſuum hoſpitium habeat.

Sed, cum Chriſtus pulſat vnà cum Euangelio ſuo portas regum, principum, ac patrumfamilias, vt inueniat hoſpitium, quid fit? Negari non poteſt, quin aliquot reges, principes & patresfamilias excipiant glorioſum regem Chriſtum, omni officiorum genere & dent ei ſatis ſpacioſum locum: magna autem pars eorum dicunt, quod eſt in hoc Pſalmo ſcriptum: Quis eſt iſte rex gloriæ, hoc eſt, quid ad nos Chriſtus? quid ad nos Euangelion eius? nos ſumus noſtrarum regionum ἀυτοκράτορες & principes: nec videtur nobis vtile, vt peregrinum principem ac dominum intromittamus: ne forte nobis inuehat ſecũ vnà cum Euangelio ſuo, omne genus calamitatis: ac fieri poſſet, vt nobis electis, poſſeſsionem noſtrarum regionum ipſe capiat. Adeo neceſſe habet Chriſtus vnà cum Euangelio ſuo malè audire perpetuò, quòd regnis & familiis hominum non niſi præſens exitium afferat. Cuius rei manifeſtum exemplum eſt Herodes, qui cum audiuiſſet Chriſtum natum, tanto metu amittẽdi regni ſui contremuit,

contremuit, vt non solùm infantes Bethlehemiticos, verùmetiam suos ipsius filios immaniter occideret. Sed ecclesia recte ex Sedulio de Herode canit: Herodes hostis impie, quid times? Non arripit mortalia, qui regna dat cœlestia.

Docet & hic Psalmus, qualis Dominus & rex sit Christus, qui fores mundanorum regnorum pulsat, & hospitium petit: DOMINVS, inquiens, potens in prælio, Et mox: DOMINVS Zebaoth, ipse est rex gloriæ. Illud vult dicere: Audite vos reges, principes, & domini huius seculi: Stat quispiam pro foribus vestris, & petit intromitti: vos autem recusatis. Dico ergò vobis, reputate diligenter cum animis vestris, quem contẽnatis & excludatis. Arbitramini fortasis ipsum esse hominem vilem, abiectum, & inglorium, qui nec Deo, nec hominibus sit frugi. existimatis etiam Euangelion eius esse vanum somnium, imò non fuisse in his terris vnquam doctrinam pernitiosiorem. sed expendite, quæso, hanc rem accuratius. Verus quidem homo est, & apparet tẽpore carnis suæ vilis & abiectus. Non est autem nudus homo, quales sunt alij homines, siue illi prophani, siue sancti: sed est homo assumptus à filio Dei, in eandem personã, quippe quòd in quem filius Dei effudit omnem Deitatis suæ plenitudinem corporaliter: vt rectè dicatur DOMINVS gloriæ, & DOMINVS Zebaoth, fortis & potens (hoc est) Deus omnipotens. Suscepit enim prælium cum morte, inferno & Satana: ac superauit eos tam potẽter, & gloriose, vt non sibi tantùm, verùmetiam omnibus subditis suis, qui sunt credentes in ipsum, & collocantes in eo, vt vnico ipsorũ seruatore, omnem fiduciam, in-

ſignem, & omnibus ſeculis decantandam victoriam reportauerit. Etſi enim ſatan, mors & horrores inferni adhuc hodieq; inuadere ſolent homines, & minantur eis præſentem, adeoq; æternam internetionem: tamen Chriſtus ſic ademit eis ſuas vires, vt iis, qui Chriſto confidunt, nullum prorſus ſalutis damnum inferre queant. quemadmodum apud Eſaiam cap. 25. dicitur: Præcipitabit, ſeu abſorbebit mortem in ſempiternum. Et in Oſea cap. 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, & peſtis tua, inferne.

Quid igitur dicemus? Manifeſtum eſt, quòd DOMINVS noſter Chriſtus, rex gloriæ, emittat legationem ſuam, quod eſt Euangelion ſuum, in orbem terrarum, & pulſat oſtia mundanorum regnorum, vt intromittatur. Quare ſi reges, principes & patresfamilias non ſolùm aperuerint ei ſuas fores, & intromiſerint ad ſuos ſubditos, & familiam, verùmetiam excipiunt ipſi eum obuia fide, in tantum non eſt metuendum, ne aliquid incommodi afferat, vt potius omnia tàm corporalium, quàm ſpiritualium, tàm terrenorum, quàm cœleſtium cõmodorum genera ſecum adducat. Chriſtus enim non venit in hanc terram hoc conſilio, vt principibus ſuos principatus, & alijs hominibus ſuas facultates adimat: quippe quòd dicat ipſe ad diſci-
Luc. 9. pulos, cupientes Samaritas, qui negabant ipſi hoſpitium, igni de cœlo perdere: Filius hominis, (inquiens) non venit ad perdendas animas hominum, ſed ad ſeruandas. Ad eundem modum dicere licet: Filius hominis non venit, vt auferat principibus ſua regna, & reliquis hominibus ſuis facultates: ſed

vult

vult potius ea tueri. Dixit quidem ad adolescentem diuitem: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Hæc autem personalis huius adolescentis vocatio, non est generalis omnium Christianorum, ac membrorum Christi, sine vllo discrimine. Generalem enim vocationem Christianorum describit Paulus ad Thessalonicenses: In hoc, inquiens, incumbatis, vt quieti sitis, & agatis res proprias: & operemini propriis manibus vestris, sicut nos præcepimus: vt vos geratis honestè erga extraneos, & nulla re vobis sit opus. Et ad Timothæum: His qui diuites sunt, in præsenti seculo, præcipe, ne elato sint animo, neque spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo viuente, &c. Quod autem Christus dederit adolescenti, de quo antè dictum est, peculiare mandatum, de deserendis suis facultatibus, suas habet causas, quas hoc loco commemorare superuacaneum est, & recensentur aliàs copiosè. Sed & Christus Apostolos auocauit à suis mundanis opificijs, ac negotiationibus. Non fecit autem hoc illo consilio, vt exhibeat vniuersæ ecclesiæ exemplum, quòd pij omnes necesse habeant tali modo imitari, & sua opificia deserere, ac se in Eremum, aut in monasterium conferre. *1. Thessal. 5.* *1. Tim. 6*

Et quamuis aliàs dicat: Si quis ad me venerit & non odio habeat patrem suum, matrem suam, vxorem, liberos, fratres & sorores, ac suam ipsius animam, non potest esse meus discipulus: hoc tamen dicto non abrogat debitam obedictiam liberorũ erga parentes, & fœdera connubiorũ ac fraternã inter se charitatem: *Luc. 14.*

sed

ſed potius hoc ipſo rectam & piam obedientiam, ac veram fraternam charitatem docet & inſtituit: videlicet, quòd obedientia quidē & charitas ſanctiſsimè ſint ſeruāda, non autem præferenda obedientiæ, & charitati, quæ debentur DOMINO noſtro Ieſu Chriſto & Euangelio eius. Nam, ſi quis non fuerit obediens Chriſto, & odio habuerit Euāgelion eius, etiamſi obedierit parentibus, & dilexerit proximos, in cōſpectu tamen Dei hęc obedientia & dilectio pro inobedientia & odio habebitur.

Ad eundem modum dicendum erit de regnis, principatibus, & facultatibus huius ſeculi. Chriſtus enim non venit in hunc mundum, vt reddat omnes credentes in ipſum mendicos, & faciat ex eccleſia ſua, ordinem Monachorum mendicātium: ſed potius exigit, vt ſuā quiſq; vocationē, in qua diuinitus eſt collocatus, ſectetur. Si quis vocatus eſt ad regni aut principatus gubernationē, probet in ea ſuā, quam Deo debet, fidem ac obedientiam. Si quis vocatus eſt ad adminiſtrationem œconomiæ, & mundanarum facultatum, ſatisfaciat ſuo officio in timore DOMINI. Si quis vocatus eſt ad paupertatē, (omnino enim tàm diuitiæ, quàm egeſtas ſunt à Deo) obſequatur voluntati Dei, & ferat crucem ſuam obedienter. Etſi enim multi pij ſpoliati ſunt, propter confeſsionem Euangelij, non ſolùm mundanis ſuis principatibus & facultatibus, verùmetiam hac ſua corporali vita, quæ exempla ne his quidem temporibus deſunt: hæc tamen ſunt perſonalia exempla, & peculiares caſus, quæ non idcirco proponuntur eccleſiæ, vt doceant, illum non eſſe verè Chriſtianum, qui non à tyrannis & perſecutoribus Euangelij,

Euangelij, terrenis suis facultatibus, & corporali vita exuatur. Quemadmodum enim mundanus principatus, non est præcipuè in hunc vsum institutus, vt continenter bellum geratur, & necesse habeat subditus quisque in bello, vbi de vita periclitetur, versari: sed institutus est, vt subditi ab incursu prædonum, & latronum defendantur: ac vt tranquillam & quietam vitam, sicut Paulus ait, cum omni pietate & honestate degant. Et tamen, si acciderit, vt princeps iusserit subditos arma ad defendendam patriam, contra hostes capere, necesse habet quiuis subditus iussioni parere: ac non solum facultates suas, verùmetiam vitam suam ad tuendam publicã tranquillitatem, periculo exponere. Ad eundem modum habet sese, in hac quidem parte, & in his terris, regnum Christi, & ecclesiæ eius. Non enim in hoc est præcipuè institutum, vt quiuis Christianus fiat mendicus, & trucidetur: sed vt in suo quisq; siue regio, siue œconomico & priuato vitæ genere, siue in diuitijs, siue in paupertate honestam & piam vitam ducat. Et tamen, si res ita ceciderit, vt oriatur publica persecutio aduersus piam doctrinam, ac Rex noster DOMINVS Iesus Christus iubeat nomen suum, & veritatem Euangelij intrepidè & constanter confiteri, (hoc enim est spiritualia aduersus impios Euangelij hostes arma capere) ibi tum necesse est, vt pius quisq; vocationi eius morem gerat: & siue regnum, siue principatum, siue facultates, siue etiam vitam suam extremis periculis obijciat. Multi fuerunt Ethnici, qui ad tuendam patriam suam maluerũt de vita periclitari, quàm patriæ suæ deesse. Ac hisce quoq; temporibus reperias tam fideles ser- 1. Tim. 2

uos, qui nõ detrectãt pro dominis ſuis iuxta carnem, omnia ſua præſentibus periculis exponere. Quomodo igitur Chriſtiani ea eſſent ignauia, ea turpitudine, vt ingenua confeſsione Euangelij, & alijs debitis officijs, non ſubirent propter Chriſtum & eccleſiam eius, aut facultatũ, aut vitæ pericula? præſertim cum Chriſtus diſertè promittat: Nemo eſt, inquiẽs, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, propter regnum Dei, qui non recepturus ſit multò plura, imò centupla, in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam. Iouinianus & Valẽtinianus eiiciebantur ex aula Cæſaris Iuliani, & exuebantur dignitate militari, propter confeſsionem Chriſti. Sed Deus compenſauit eis hanc iacturam tam munifice, vt paulò poſt ornauerit eos, loco perſecutoris ipſorum, Cæſarea maieſtate, hoc eſt, ſuprema in his terris dignitate. Tanta enim liberalitate eſt Chriſtus, vt pro officio, quod ipſi obediẽter præſtiteris, decẽ aut centũ viciſsim reponat. Quare, ſi Chriſtus pulſauerit vna cum Euãgelio ſuo portas, nõ eſt excludẽdus: ſed quia adducit ſecũ omnẽ ſalutẽ, reuerenter eſt excipiẽdus.

Matt.19
Mar.10.
Luc. 18.

Si autẽ principes vel contemptu vel metu calamitatis, Chriſtũ non ſolùm non obediẽter intromittunt, verùmetiã Euangelion eius perſequũtur, & profeſſores eius in exiliũ extrudunt, aut interficiunt: aut etiãſi intromittant, contumelia tamen & fame ita afficiunt, vt non poſsit in eo loco diu cõmorari, fieri quidẽ ſolet, vt perſecutione ſua pios ad tempus perturbent: ſed quicquid id eſt mali, redundabit tandem in ipſorum potius caput, quam vt fraudi ſit eccleſiæ Chriſti.

Poſtquam enim hæreditas gentium promiſſa eſt Chriſto

Christo Domino nostro à Deo patre suo, quemadmodum in secundo Psalmo scriptũ est, & Domini Christi est terra ac plenitudo eius, teneri non potest, quin hereditatẽ suam & possessionem, inuitis etiam tyrãnis, accipiat. Et est quoq; tanta industria, qua viam & rationẽ excogitet, vt etiamsi principes huius terræ obsistant, tamen ingrediatur vnà cum Euãgelio, in suam propriã possessionẽ. Et quia persecutores aut contemptores reiiciunt, aut fastidiũt oblatã salutem, nõ solùm non fient eius participes, verùmetiã necesse habebunt perire ipsi, & Christo & Euangelio eius locum dare.

In die Pentecostes, & paulo post pulsauit Euangelion Christi ad portas Iudęorum, sed cum collatis omnibus viribus suis repugnarent, ne intromitteretur, inuenit Christus congruentissimam viam, qua Euangelion suum promoueret, & ecclesia crescerẽt, Iudæi autem vnà cum potentia sua conciderent.

Pulsauit etiã Euãgelion Christi ad portas Romani imperij, & quæsiuit ibi hospitiũ, sed etiãsi Nero, Dioclitianus, & alij Cęsares ac Reges summa, qua potuerunt crudelitate obstiterũt, & publicã piorũ lanienam exercerẽt, inuenit tamen Christus rationẽ, qua in Romanũ regnũ ingressus est, & collegit ex eo suam ecclesiam: cum interim persecutores, vnà cum suis Idolis & Idolamania perpetuò interierint. Omnino enim firmũ & fixũ est, quod Christus apud Lucam cap. 20. recitat: Quid est, inquiens, quod scriptum est, lapidem, quem reprobauerunt ędificantes, is factus est caput anguli? Omnis, qui ceciderit super illũ lapidẽ, conquassabitur, super quem autẽ ceciderit, cõminuet illum. Ac nihil certius est, q̃ quod Deus potentissimas Monarchias

subuerterit, cum ad illũ finem properassent, vt ecclesiam Dei opprimerẽt. In Esaia cap. 43. dicit DOMINVS ad ecclesiam suam: Ego DOMINVS Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus: dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam, & Saba pro te, (hoc est) afflixi propter te Ægyptum, & alia regna, vt te seruarem. Adhæc, promittit Deus Cyro regi Persarum, se à Babylonijs, qui iam toti eò propendebant, vt ecclesiam opprimerent, Monarchiam suam ablaturum, & ipsi traditurum, propter seruum meum, inquiens, Iacob, & propter Israël electum meum. Ac iterum cap. 68. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Quid multis opus? In Daniele abscinditur lapis de mõte, siue manibus: & percutit statuam, in pedibus eius, vt concidat: Lapis autem fit mons magnus, vt impleat totam terram. Hic lapis est Christus vnà cum Euãgelio suo. Statua verò adumbrat regna huius seculi. Cum igitur aduenerit Christus vnà cum Euangelio suo, necesse habent ei omnia regna & principatus huius terræ locum dare. Si fecerint hoc obedienter & reuerenter, fruentur beneficijs eius tàm mundanis quàm cœlestibus, tàm caducis, quàm æternis. Si autem restiterint, necesse tamen habent vel inuiti cedere, & insuper æternam condemnationem reportare. Quare, principes & patresfamilias huius terræ non possunt meliorem operam nauare, quàm vt portas regnorum & domorum suarum Christo & Euãgelio suo patentissimè aperiant: & quo possunt studio procurent, vt doctrina verè pia in ecclesia obtineat, & propagetur, quo id maximo ipsorum commodo fiat: quod alioqui tamen, si ob-

Esa. 45.

Dan. 2.

si obstiterint, maximo ipsorum incommodo fiat, necesse est.

Nam, vt sciamus, DOMINVM nostrum Iesum Christum serio exigere apertionẽ portarũ in regnis huius seculi, & omnino velle vnà cum Euangelio suo progredi, etiãsi vniuersus mũdus repugnet, nõ semel tantum versiculũ illum: Dilatate portas, &c. recitat, sed etiam secundò, ijsdem penè verbis repetit: Dilatate, inquiens, portas, & altas facite ianuas in mundo, vt ingrediatur rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? DOMINVS Zebaoth: ipse est rex gloriæ. Cuius versiculi hæc est sententia. Omnino consulendum est vobis huius seculi principibus, vt Christum & Euangelion eius in vestra regna ac principatus intromittatis. quia etiamsi diu restiteritis, nihilominus tamen perget ingredi, idq; extrema vestra internitione. Christus enim est DOMINVS Zebaoth, & Rex gloriæ (hoc est) verus est Deus fortis ac omnipotẽs, quicquid facere decreuerit, magna gloria & potentia exequitur, etiamsi videatur initio imbecillis, & abiectus. Alij reges inchoant instituta sua magna maiestate, & tamen vel tandem pudefiant, necesse est. Hic autem Christus eiusmodi rex est, quòd quæcunq; instituerit, maxima gloria perficit, etiamsi videatur initium habere pudẽdum. Suscepit vincendam mortem, & apparuit tam infirmus, vt occideretur & moreretur ipse, in magna illa, quam ita vocant, sexta feria. Ecce autem tibi, in die Paschę victoriam ex morte tanta maiestate reportat, vt non solùm ipse mortem euadat, verùmetiam morti eripiat omnes illos, qui fiduciam salutis suæ in ipso collocant. Suscepit Euangelion suum diuulgan-

dum inter omnes gentes, & ex his ecclesiam suã colligendam. Etsi autem ràm Iudæi quàm Gentes cunctis viribus suis restiterunt, & multas hominum myriadas trucidarunt: tamen institutum suum ita perfecit, vt
Esa.49. etiam potentissimi reges facti sint, sicut Esaias ait, nutritores ecclesiæ, & reginæ nutrices eius.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Psalmus initio definit ecclesiæ Christi, non vnam tantùm regionẽ, sed vniuersum orbem: vt sciamus ecclesiam non in Aphrica tantùm, nec in Asia tantùm, nec in Europa tantùm, nec in conuenticulis hæreticorum, nec in lustris Monachorum, sed in toto mundo, vbicunque Christus prædicatus fuerit, quærendam esse.

Deinde discernit veram ecclesiam à falsa, quòd falsa gestet quidem aliquoties epitheton & nomẽ ecclesiæ, non habeat autem veras ecclesiæ notas. Vera autem etsi aliquando nihil minus videatur, quàm vt sit vera ecclesia, tamen quia sectatur fide sua doctrinam verè piam, habet cor mundum, (fide enim purificatur cor) & dat operam, vt sit innocens manibus, & fugiat omnem vanitatem: idcirco sola pro vera ecclesia habenda est. Postremò cohortatur omnes principes & patresfamilias, vt nullum prius opus faciendum suscipiant, quàm vt Christo & Euangelio eius portas suas aperiant, & quoquo officio possunt, adiuuent. Sunt quidem multa alia politica & œconomica opera, quæ pro sua quisq; vocatione, in hac corporali vita præstanda sunt diligenter: nullum autem est magis necessarium,

ceſſarium, nec vtilius, quàm vt Euangelio Chriſti locus detur, quo rex gloriæ, qui eſt Chriſtus, gubernationem regni ſui ita inſtituat, vt ſimus à ſatana & morte tuti, & conſequamur hæreditatem æternæ iuſtitiæ, omniumq; cœleſtium bonorum.

Pſalmus 25.

Ad te DOMINE leuaui animam meam, &c.

IN hoc Pſalmo componendo Dauid ſingulari vſus eſt arte, quòd verſiculos eius ita diſpoſuerit, vt ſinguli à ſingulis iuxta ordinem Hebraici Alphabeti literis (excepta litera *Kuph*, pro qua litera *Res*, bis repetitur) inciperẽt. Qua induſtria compoſiti ſunt etiam nõnulli alij Pſalmi, videlicet, 34. 111. 112. & 119. Hoc exemplum ſecutus eſt Hieremias in ſuis Threnis, & apud Latinos Sedulius, in carmine illo eccleſiaſtico.

A A ſolis ortus cardine, &c.
B Beatus autor ſeculi, &c.
C Clauſa parentis viſcera, &c.
D Domus pudici pectoris, &c.
E Enixa eſt puerpera, &c.
F Fœno iacere pertulit, &c.
G Gaudet chorus cœleſtium, &c.

Siue autem Spiritus ſanctus iſto ceu ludo, ſed erudito,

dito,& iucundo, peculiari consilio sit delectatus, siue memoriæ iuuãdæ gratia factum sit, certè hic Psalmus videtur esse formula precationis, quę à Spiritu sancto sit præscripta: vt non solùm publicè in ecclesia recitaretur, verùmetiam priuatim in suis quisq; aduersis ea vteretur, qualis apud nos est oratio dominica. Continet enim non vnum tantùm, sed varia genera afflictionũ, à quibus precator se liberari cupit. Nunc enim orat, vt Deus doceat ipsum ambulare in via veritatis. nunc petit, ne DOMINVS meminerit peccatorum adolescentiæ suæ, sed clementer ea, adeoq; omnia alia, quæ ingenuè confitetur multa & magna esse, condonet ac remittat. nunc rogat, vt in multitudine inimicorum, & iniquo eorum odio saluus conseruetur. ac breuiter, petit, se & vniuersum Israëlem, seu ecclesiam Dei ex omnibus angustijs redimi ac liberari. Interea interserit quasdam conciunculas de clemẽtia, bonitate & misericordia Dei, vt fidẽ precatoris confirmet, & eum ad preces inflammet. Quare sentiamus, hunc Psalmũ esse generalem precandi formulam, qua afflictus quisq; quocunque afflictionis genere teneatur, vti possit.

ALEPH 1. *Adte DOMINE animam meam attollo Deus meus.*
BETH 2. *In te confido, non pudefiam, ne lætentur inimici mei aduersum me.*
GIMEL 3. *Etenim, omnes qui te expectant, non pudefient: pudefient autem vani contemptores.*

Hi tres versiculi sunt propositio, qua significatur, hunc Psalmum esse precatoriũ, & docetur, quòd Deus non

non sit oscitanter & somnolentè, sed maxima fiducia, & certissima spe inuocandus. Quid ergo sibi velit, ex antitheti patefiet: DOMINE, inquit, Deus meus, attollo animam meam AD TE. Gentes attollunt in inuocatione sua animas suas, ad Idola, ad simulacra, *Psal. 113* quæ habent os, & non loquuntur, habent oculos, & non vident, habent aures, & non audiunt, &c. Papistæ attollunt in sua inuocatione animas suas ad homines sanctos in Christo quiescentes, & ad statuas eorũ. Hypocritæ attollunt animas suas, ad opera manuum suarum. cum enim inuocent nomẽ Dei, fiducia suæ ipsorum iustitiæ, quam faciunt, verè dicũtur opera manuum suarum inuocare. Ego autem ad te solum DOMINVM Deum meum attollo animam meam: ego te solum precibus meis inuoco. Alij in inuocatione sua confidunt sua sapientia, alij sua fortitudine, alij sua iustitia. ego autem in te solo, DOMINE Deus meus, & in sola tua clemẽtia ac misericordia cõfido. Alij siue Ethnici, siue hypocritę inuocant Deũ, cum dubitatione, sine vlla fidei & spei certitudine. ego autẽ inuoco te, certissima spe concepta, quòd non pudefacias me, quòd nõ fastidias preces meas, ne inimici nõ tàm mei, q̃ tui, voluptatẽ, ex mea repulsa capiãt. Obseruemus igitur hanc propositionem docere nos, quod vt solum DOMINVM Deum nostrum, in precibus nostris inuocare debeamus, ita Deus non cum dubitatione, sed firma fide, & certa exauditionis spe sit inuocandus. Vnde autem concepit precator tantam fidei & spei certitudinem, vt verè & constanter affirmare queat, se in precibus suis, pudore non afficiendum, sed certissimè exauditum iri? De hac re admonet nos tertius versi-

N culus:

culus: Omnes, inquiens, qui te expectãt, non confundentur, non pudefient, non patientur in inuocatione sua repulsam. ego autem te expecto. non potest ergò fieri, vt pudefiam, & patiar in inuocatione mea repulsam. Hîc sciamus primùm omnium, quòd hæc propositio vniuersalis: Omnes, qui expectant DOMINVM, non pudefiunt, sit maxima (vt Dialectici loquuntur) theologica, & vt aliàs sæpè in sacris literis repetitur, ita est certissimæ veritatis.

Psal. 37. Expecta DOMINVM & custodi vias eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram.

Psal. 40. Expectans expectaui DOMINVM, & intendit mihi. Et iterum: Beatus vir, cuius est nomen DOMINI, spes eius, &c.

Esa. 30. Deus iudicij DOMINVS, beati omnes, qui expectant eum.

Deinde, cum nihil certius sit, quàm quòd Deus exaudiat, & seruet expectantes ipsum, videndũ est, quid propriè sit expectare DOMINVM: ne vanitate humanarum cogitationum nos ipsos decipiamus. Expectare igitur DOMINVM, initio est, credere in Christum, quòd habeamus propter ipsum condonationem peccatorum, & simus cum Deo patre ita reconciliati, vt agnoscat nos propter Christum, filios & hæredes cœlestium bonorum. Hæc est prima & præcipua pars veræ expectationis.

Expectare.

Deinde expectare DOMINVM, est credere, seu confidere, quòd afflictiones qualescunq; sint, siue corporales, siue spirituales, siue nobis coram mundo meritis, siue immeritis contingunt, immittãtur nobis, Deo non ignorante, sed optimè sciente, ac administrante:

&

& non ab irato, aut à nobis alienato, & extremo nos odio prosequente, sed benigno, clementi & propitio. ne dicamus, quod est apud Hieremiam: Quis est ille, qui dicit, vt fieret DOMINO non iubente: Ex ore altissimi non egredientur, nec mala, nec bona? *In Threnis cap. 3*

Postremò expectare DOMINVM, est in afflictione non se conuertere ad execrationes, ad virulentiam, ad incantationes, aut ad alia impietatum & scelerum genera, nec illud Ethnici dicere: Flectere si nequeo superos, acheronta mouebo: sed est in vocatione Dei, & in vera inuocatione nominis eius obedienter & constanter perseuerare. Qui ergo ad hunc modum expectant opem DOMINI, non pudefient. Demonstrabimus id vno & altero exemplo. Ioseph filius Patriarchæ Iacob accusatur adulterij, & coniicitur, vt adulter in carceres. hæc est maxima afflictio. Sed Ioseph expectat DOMINVM. Primùm enim credit se habere peccatorum suorum remissionem per semen auo suo Abrahæ promissum, & Deum sibi propter hoc semen, (qui est Christus) propitium. Deinde credit, hanc afflictionem sibi contingere, non inscio, sed conscio Deo, non irato, sed propitio. Postremò, non proiicit virulenta conuitia in adulteram, non execratur cœlum & terram, non quærit opem vel apud Idola Ægyptiaca, vel apud Dæmonia, & incantatores: sed perdurat in vocatione Dei obedienter, & perstat in vera nominis Dei inuocatione. In hac igitur expectatione tantùm abest, vt pudefiat, vt etsi necesse habet pluspuam duobus annis squallores carceris perferre, tamen quò diutius expectat, eò gloriosius

liberatur, ac è carcere ad principatum Ægypti euehitur. Dauid eiicitur, vt seditiosus, à rege Saule in exilium, & necesse habet diu, incertis sedibus, & magno imò præsenti vitæ suæ periculo vagari. Sed expectat DOMINVM. Credit enim se Deo acceptum propter Christum promissum, & hanc exilij crucem sibi impositam, non humanitus sed diuinitus, idq; Deo propitio, nec execratur aduersarium Saulem, nec quærit opem impiè, nec appetit vindictam illegitime, sed etiamsi Saulem in potestate sua haberet, & occidere, ac regnum eius inuadere posset, tamen ait: Propitius sit mihi DOMINVS, ne faciam hāc rem Domino meo Christo, vt mittam manum meam in eum, quia Christus DOMINI est. Viuit DOMINVS, quia, nisi DOMINVS percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur: aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit DOMINVS, vt non mittam manum meam in Christum DOMINI. Quid ergo fit? Dauid non ipse quærit vltionem, sed perseuerat in vocatione, & inuocatione Dei. Quare, etsi aliquandiu pudefit, & audit apud impios, aut rerum ignaros, seditiosus, tamen quia expectat DOMINVM, non solum liberatur ab exilio, verumetiam collocatur in regia maiestate. Hi, inquies, fuerunt coram mundo homines innocentes: potuerunt igitur DOMINVM patiēter in aduersis expectare. Quid autem de nocentibus, qui aduersa suis sceleribus sunt meriti? Num & his licet expectare DOMINVM, vt non pudefiant? Primùm, si merita hominum respexeris, etsi Ioseph & Dauid fuerūt coram mundo innocentes, tamen fuerunt coram Deo peccatores: si iniquitates, inquit Dauid ipse, obseruaueris Domine,

1. Reg. 24. & 26

Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuens. Deinde, expectatio DOMINI in aduerſis mandata eſt omnibus, ſiue innocentibus, ſiue nocẽtibus. Omnibus enim mãdatur, vt credãt in Chriſtũ, omnibus mandatur, vt credant afflictiones non immitti ſibi temerè: ſed diuinitus, omnibus mandatur, vt Deo vltionem relinquant, & inuocent ſolius Dei opem. Quare, ſi quis ſceleribus ſuis meritus eſt ſupplicia, debet & ipſe expectare DOMINVM, & non pudefiet. Quomodo? ſi meritus eſt ſupplicia etiam coram mundo, agat veram pœnitentiã, & in ea pœnitentia expectet DOMINVM, ſicut iam expoſuimus. Sic enim fiet, vt etiamſi pudefiat coram hominibus, & ad tempus, tamen expectatione ſua non pudefiet coram Deo, nec pudefiet perpetuò. Manaſſes, rex Iudæ meritus eſt ſua impietate & crudelitate carceres: ſed quia egit veram in carceribus pœnitentiam, & expectauit DOMINVM, reſtitutus eſt in regnum ſuum. Latro in cruce meritus eſt latrocinijs ſuis, ſupplicium crucis: ſed egit pœnitentiam, & expectauit Dominum. Quare, etſi non euaſit in his terris externam latrocinij infamiam, & mortem crucis, tamẽ euaſit infamiam coram Deo, & aſſecutus eſt, pro temporaria vita æternam. Expectemus igitur Dominũ in omnibus afflictionibus: & viriliter agamus, vt confirmato corde verum à Domino ſalutem accipiamus: Omnes enim, inquit Pſalmus, qui expectant Dominum, non pudefient. Qui autem ſunt illi, qui pudefient? Addit: Pudefient (inquiens) vani contemptores. Impij enim homines, & impœnitentes, ſi quando affliguntur, non expectant Dominum, ſed niſi

continuò, vt vnum & alterum verbum precationis dixerint, sentiant præsentẽ opem, contemnunt Deum vnà cum promissionibus suis: & properãt ad Idola, ad execrationes, ad incantationes, ad scelera, aliquoties etiam ad laqueos. Hi, & alij id genus vani & scelerati homines, quia non expectant Dominum fide & spe, idcirco nihil aliud reliquum est, quàm vt pudefiãt, etiamsi ore suo appropinquent Deo, & ad ipsum verbis suis plurimum vociferentur. Hactenus propositio Psalmi: Nunc sequuntur petitiones.

DALET 4. *Vias tuas DOMINE demonstra mihi, semitas tuas doce me.*

HE 5. *Dirige me veritate tua.*

VAV *Et doce me, quia tu es Deus saluator meus, te expecto omnibus diebus.*

Prima petitio: DOMINE (inquit) demonstra mihi tuas vias, doce me tuas semitas, dirige & erudi me tua veritate, te enim solum agnosco Deum seruatorem meum: te solum expecto, in te solo spero, ex te solo pendeo, non vna tãtùm hora, non vno tantùm die aut anno, sed omnib. diebus vitę meæ. Sed quę aut qualis obsecro est hæc precatio? An non nouerat Decalogũ, in mõte Sinai promulgatũ? At in hoc Decalogo cõtinẽtur vię Domini. In hoc demonstrãtur semitę Dei, in quibus, vt ambulemus, Deus exigit. Nec potest nobis vel planior via, vel rectior semita ostẽdi, q̃ vt diligamus Dominũ Deum nostrũ, ex toto corde, ex tota anima, & ex omni fortitudine, ac proximum, sicut nos ipsos.

ipsos. Hæc certè precator, ex Deuteronomio noue- *Deut. 6.*
rat. An non sciebat etiã quid Abrahæ & semini eius promissum erat? An ignorabat dictũ esse ad Abraha- mum: In semine tuo, (qui est Christus) benedicentur omnes gẽtes? Num oblitus erat, quid Moses de Pro- *Deut. 18.*
pheta post se venturo prædicauerat? Et quid? num Dauidi, qui hunc Psalmũ primus recitauit, exciderat, quod ipsi de Christo è familia sua venturo, & regnum suum stabilituro, recens promissum erat? Hæc enim est veritas illa Dei, qua nihil est certius, nihil firmius, nihil stabilius. Cum igitur hæc omnia probè fuerint Dauidi, & alijs pijs precatoribus nota, quid est, quòd hoc loco precatur? Primùm, si considerauerimus an- tithesin verbi Dei ad humanas traditiones, & exem- pla aliarum gentium, manifestum erit, cur precator tam anxiè, tam sollicitè petat, vt Deus demonstret ipsi vias & semitas suas. Facillimus enim est lapsus à ver- bo Dei ad humanas traditiones, & ad aliorum exem- *Deut. 12.*
pla, vt non frustra tam seueriter in lege mandatum sit: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito DOMINO: nec addas quicquam nec minuas. Et: Non declines, nec ad dextram nec ad sinistram. Quare, cum Psal- mus hoc loco precatur, vt Deus demonstret ipsi suas vias, & dirigat ipsum in sua veritate, opponit vias & veritatem DOMINI, vijs, ac promissionibus huma- nis. Et est sententia: Multæ sunt viæ hominum, mul- æ semitæ Gentium, multæ promissiones aliorum po- pulorum, quibus pollicentur sibi tàm mundanã quàm cœlestẽ salutem. Ego verò, obsecro te, DOMINE Deus meus, quem solùm meum seruatorem agnosco, vt me in agnitione verbi TVI, viæ TVÆ, semitæ TVÆ, & veritatis

& veritatis TVÆ, cõſerues. Huc pertinet totus Pſalmus centeſimus decimus nonus: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege DOMINI. Non qui ambulant in lege hypocritarum, aut aliarum gentium. Vtinam dirigantur vię meæ ad cuſtodiendos iuſtificationes TVAS, non hypocritarum. Tunc non confundar, cum reſpexero ad omnia mandata TVA, non hominum, &c. Deinde, non ſufficit, vt verbum DOMINI ſeu vias, ſemitas, & veritatem eius ſcias & intelligas, ſed etiam exigitur, vt veritati ſeu promiſsioni eius fidem adhibeas, & in ſemitis mandatorum eius ambules. Petit igitur precator his verſiculis, vt Deus largiatur ipſi per Spiritum ſanctum ſuum, veram fidem, qua & promiſsionem verbi Dei amplectatur, & ad obedientiam mandatorum eius excitetur & inflammetur. Cum hac precatione conuenit etiam, quod eſt in Pſal. 5. DOMINE deduc me in iuſtitia TVA, propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam. Et Pſal. 27. Oſtende mihi DOMINE viã tuam, & deduc me in ſemita recta, propter inimicos meos. Et Pſal. 119. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuũ, & non dominetur mei omnis iniuſtitia. Huc conuenit etiam dictum Auguſtini, breue quidem, ſed memorabile: DOMINE, da, quod iubes: & iube, quod vis.

VAV 6. *Reminiſcere miſerationum tuarum DOMINE, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt.*

ZAIN 7. *Peccatorum adoleſcentiæ meæ, & ſcelerum meorum ne memineris: ſed ſecundum miſericordiam tuam memineris mei tu, propter bonitatem tuam DOMINE.*

Alia petitio, qua Pſalmus orat pro condonatione peccatorum,

peccatorum, non ſolùm eorum, quæ iam in virili ætate, quæ vocat ſcelera ſeu preuaricationes ex contemptu verbi Dei ortas, verùmetiam quæ in adoleſcentia & iuuentute deſignata ſunt. Peccata autem ſeu delicta adoleſcentiæ intelligenda ſunt, non tantùm quæ pueri & adoleſcentes ex imprudentia, ignorantia & incogitantia perpetrant: ſed imprimis illud, de quo in Geneſi cap. 8. dicitur: Senſus & cogitatio humani cordis, ſunt malum, ab adoleſcentia ſua. Et apud Matthæū cap. 15. Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuitia: hæc impurum reddūt hominem: vocatur autem aliàs peccatum originale. Petit igitur condonationem omnis peccati, ſiue originalis, ſiue (quod ita vocant) actualis. Nec petit oſcitanter, & ſemel tantùm, ſed repetit magno ardore iterum atque iterum, mox enim addit: Propter nomen tuum DOMINE propitius eſto peccato meo, MVLTVM eſt enim. Ac iterum: Reſpice afflictionem meam & laborem meum: & remitte omnia peccata mea. Non certè toties idem repeteret, idq; in eodem Pſalmo, niſi affectus eſſet ardentiſsimus. Nec eſt mirum, quòd condonatio peccati tam inſtanti petitione, vrgeatur. Hoc enim beneficio nihil poteſt homini contingere, nec magis neceſſarium, nec magis ſalutare. Vbi enim eſt peccati condonatio, ibi reliqua omnia ſunt ſalua: nec mors, nec ſatan, quicquam amplius iuris habent: Et Deus non ſolùm eſt propitius, ſed etiam pater liberaliſsimus, qui agnoſcat eum, cui peccatum eſt condonatū, filium & hæredem omnium cœleſtium bonorum. Quid ergo deerit ei, etiamſi in hoc mundo omni genere calamitatis pre-

O matur-

matur? Vbi autem non est peccati condonatio, quid proderit ei homini, etiamsi omnes huius terræ facultates, & omnia regna huius mũdi possederit? Quare, vt ad veram salutem nihil nobis magis necessarium est quam condonatio peccati, ita nullum aliud beneficium potest nobis à Deo contingere vtilius, & pretiolius.

Sed qua fiducia, qua prærogatiua petendum est hoc beneficiũ à Deo? & quo merito Deus beneficium condonationis peccati nobis confert? Num fiducia, num merito iustitiæ nostrorũ operum? Nihil minus. Sed tantùm fiducia gratuitæ Dei clementiæ, propter Iesum Christum. Sic enim dicit Psalmus: Reminiscere miserationum tuarum DOMINE, &c. (hoc est) in remittendo & condonando mihi peccato, non memineris, non respicias mea merita, quia nulla habeo: non consideres meam iustitiam, quia non tantùm pecco meis sceleribus, sed etiam in mea, si vlla est, iustitia: propterea quòd quicquid boni fecero, minus facio, quàm debeo. Tibi enim tantùm sum peccator, & malefactor coram te, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris. Sed memineris miserationum tuarum, & respicias misericordias tuas, quas à seculo ostendisti: ac iudices de peccato meo, non secundum iram tuam, sed secundũ misericordiam tuam, & condones mihi mea scelera, non propter maiorum nostrorum merita, sed propter tuam ipsius bonitatem. Obserua, quæso, diligẽter, quoties appellet gratuitam Dei clementiam, ne quid videatur suis aut suorum meritis tribuere, dicit: Memineris miserationum tuarum. Nec hoc contẽtus, addit: Misericordias tuas, easq;

easq́, non tantùm, quas Deus heri & nudius tertius, ſed à ſeculo, hoc eſt, iam inde, à rerum omnium conditione, ab initio orbis vſque ad hoc tempus, reipſa patefeciſti, & declaraſti. Etenim ſi conſideraverimus publica miſericordiæ Dei exempla, primùm teſtificatus eſt eam Deus cõditione cœli & terræ, ac omnium, quæ in eis ſunt. Hæc enim creauit Deus, non quia debuit, aut neceſſe habuit, ſed quia miſericors eſt, & voluit condere creaturas, ac imprimis angelos & homines, ad participatum ſuæ bonitatis. Deinde teſtificatus eſt eam liberatione Iſraëlitarum è tyrannide Ægyptiaca. Quod opus, poſt conditionem mundi, præcipuum eſt teſtimonium diuinæ miſericordiæ. Vnde & in præfatione Decalogi inculcatur: Ego ſum DOMINVS Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Præterea, teſtificatus eſt eam traditione poſſeſſionis terræ Canaan, & conſeruatione in ea. Habitabant enim in ea terra viri & bellatores fortiſsimi. Et tamen Iſraëlitæ hanc terrã, deletis illis, beneficio Dei occuparunt. Populi quoque finitimi, inuaſerunt Iſraëlitas, tanquam ad extinguẽdum commune incendium. Et tamen ſeruati ſunt, non ipſorum fortitudine aut iuſtitia, ſed clementia Dei: Non propter iuſtitias tuas, inquit, & æquitatem cordis tui, ingredieris, vt poſsideas terras eorum: ſed quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ ſunt, & vt compleret verbum ſuum DOMINVS, quod ſub iuramẽto pollicitus eſt patribus tuis, &c. Poſtremò, quod maximum omnium eſt, teſtificatus eſt Deus ſummam ſuam clementiam & miſericordiam, quod ab initio *Deut. 9.*

orbis terræ promiserit semẽ mulieris, & semen Abrahæ ac Dauidis, hoc est, filium virginis, è posteritate Abrahæ & Dauidis, DOMINVM nostrũ Iesum Christum, vnicum & verum expiatorem peccati nostri, & placatorem diuinæ iræ. Atq; hæc quidem de publicis gratuitæ clementiæ Dei testimonijs. Si autem considerauerimus priuata eius testimonia, plura sunt, quàm quæ enumerari queant. Non enim ignotũ est, quantis beneficijs Deus gratuita sua misericordia affecerit, Noham, Ambrahamum, Lothum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, Mosen, & innumeros alios, qui omnes manifestum de immensa Dei clementia testimonium dicunt. De his ac imprimis, de promissione Christi, admonet nunc Psalmus DOMINVM Deum nostrum, imò seipsum ad suam ipsius fidem confirmandam, admonet, cum dicit: Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarũ tuarum, quę à seculo sunt. Nec hîc subsistit, sed pergit repetere: Memento mei (inquiens) secundum misericordiam tuam, & vt ardẽtem animi sui affectum magis declaret, addit: Propter bonitatem tuam, videlicet, quam ab initio orbis, & conditione omnium rerum in eo testificatus es, quòd vnigenitum filiũ promiseris, (quem & tandem in hãc terram misit) qui peccata nostra expiet, & nos cum Deo patre reconciliet. Hæc est summa bonitas Dei, propter quam petit, vt Deus peccatorum & scelerum suorum non amplius meminerit.

TETH 8. *Bonus & rectus* DOMINVS, *propterea docet peccatores viam.*

IOD 9. *Dirigit afflictos rectè, & docet afflictos viam suam.*

10. *Omnes*

10. *Omnes semitæ DOMINI, misericordia & veritas, cu-* CAPH
stodientibus pactum suum & testimonia sua.

Precationi additur conciuncula, & encomium misericordię, qua & ratio redditur, cur liceat DOMINVM pro peccati condonatione liberrimè inuocare, & fides in inuocatione confirmatur ac inflãmatur, vt non vereatur perfricta (vt ita dicam) fronte, Deum pro peccati remissione appellare. Dixerit enim quispiam: Quid est, quòd tam impudenter irrumpis ad thronum Dei, & audes ab ipso remissionem peccati petere? An nescis Deum abominari peccatores, qualem te esse fateris, & preces ipsorum esse maledictas, tantum abest, vt clementer eas exaudiat? Respondet igitur Spiritus sanctus, his tribus versiculis, & commendat bonitatẽ, ac veritatem Dei. Confitendum enim est, quòd nos indigniores simus, quam vt ad tantam maiestatem accedamus, & propter peccata, quæ designauimus, abiectiores, quàm vt nos nostrorũ meritorum fiducia ad tribunal Dei sistamus, sed bene habet: Bonus, (inquit Spiritus sanctus) & rectus est Dominus. Etsi tu malus es, tamen Dominus est bonus: etsi tu obliqua & praua via ambulasti, tamen Dominus est rectus. Nec frustra tribuuntur ei hæc epitheta. Non enim sibi tantùm est bonus & rectus, sed etiam hominibus peccatoribus, quorũ gratia hæc sibi sumit epitheta. Nam si naturam eius consideraueris, non est nisi bonitas & rectitudo ipsa. Si voluntatem eius consideraueris, patefacit ipse eam, cum doceat eam viam, qua peccatores incedere debeant, vt consequantur peccati remissionem. Docet, inquit, peccatores in via, videlicet, vt

recte in via ambulent: & dirigit afflictos in iudicio, hoc est, manuducit ipse miseros, humiliatos & abiectos, vt recte, iuxta sententiam Dei, ambulent in ea via, quam ipse, ad euadendas afflictiones, proposuit. Quæramus igitur, vbi & quid doceat, & quò dirigat DOMINVS miseros peccatores, vt seruentur. Ecce autem tibi doctrinam DOMINI, quæ scripta est in Genesi cap. 3. Postquam enim homo peccauit, & obnoxius factus est omnibus miseriis tàm corporalibus, quàm spiritualibus, DOMINVS statim declarat se, quod est & audit bonum & rectum, ac docet & dirigit miserum hominem in eam viam, qua & peccati remissionem consequatur, & miseriam effugiat. Ac primùm ostendit ei peccatum: Quis, inquiens, indicauit tibi, quòd nudus esses: nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Ostendit autem ei peccatũ, non hoc cõsilio, vt in peccato periret, sed vt cognosceret, ac detestaretur, adeoq; excitaretur, vt quæreret remedium aduersus peccatum & miserias, in quas sese ipse, instinctu diaboli coniecerat. Deinde ostendit & promittit ei semen mulieris, hoc
Esa. 7. est, filiũ virginis, (sicut Esaias interpretatus est) Christum Dominum nostrum, qui peccatũ sit expiaturus, & ab omnibus miseriis liberaturus. Qua promissione exigit, vt miser peccator agnoscat eum fide, & per eam beneficijs eius fruatur. Postremò imponit ei crucem: Maledicta, inquiens, terra in opere tuo. Et: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hæc crux, non idcirco imponitur misero peccatori, vt aut hac afflictione expiet ipse suum peccatum coram Deo, aut prorsus opprimatur: sed vt in agnitione peccati sui detineatur,

tineatur, & ad fidē in ſemen mulieris, & ad inuocatio-
nem DOMINI excitetur. Hæc eſt via illa, quam bonus
& rectus DOMINVS miſeros peccatores docet, & in
qua dirigit, vt ſalutē conſequātur. Videamus & aliud
eiuſdē doctrinæ teſtimonium. DOMINVS educturus
Iſraēlitas eccleſiam ſuam ex Ægypto, ac liberaturus
eos nō ſolùm ex maledictionibus Ægyptiacis & cor-
poralibus, verùmetiam è peccato, & maledictionibus
ſpiritualibus ac æternis, quid fecit? quid docet eos?
in qua via dirigit eos, vt ſeruentur? Primùm, docet &
concionatur ipſe de monte Sinai Decalogū, magna &
horribili maieſtate, qua ducit auditores, (hoc eſt) pec-
catores in agnitionē peccati non vt de ſalute deſpera-
rent, ſed vt ad quærendā veram ſalutē excitarentur.
Deinde, cum iam officiū Decalogi vim ſuā in ipſis ex-
erceret, & dicerēt ad Moſen: Vltrà non audiā vocem *Exo.20.*
DOMINI Dei mei, & ignem hunc maximum amplius *Deut.18.*
non videbo, ne moriar, confeſtim addit DOMINVS
concionē de Chriſto, peccati expiatore: Bene, inquiēs,
omnia locuti ſunt, Prophetam ſuſcitabo eis de medio
fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea
in ore eius, &c. Hæc eſt concio de Chriſto, quem
Dominus miſſurus erat ad expiāda peccata huma-
ni generis, vt quotquot in ipſum crederent, habe-
rent æternam felicitatem. Poſtremò circumduxit eos
quadraginta annis in deſerto, & afflixit ipſos variis
ærumnis: non vt in hac cruce interirent, ſed vt
in agnitione peccati detinerentur, & ad inuocatio-
nem nominis Dei excitarentur. Hæc eſt via illa,
quam docet DOMINVS peccatores, & ſemita in
qua DOMINVS peccatores ita dirigit, vt ſi fuerint

dociles,

dociles,& sequaces,reportent æternã salutem. Hanc viam postea omnes Prophetæ & Apostoli doctrina sua peccatoribus ostenderunt & vrserunt, adeoq; Christus ipse,pœnitentiam,inquiens,agite,& credite Euangelio. Quid multis opus? Non hæc tantùm via, seu semita,sed omnes, OMNES (inquam) semitæ Dei sunt misericordia & veritas, nimirum ijs, qui custodiunt pactum eius,& testimonia eius. Etsi enim Deus aliquoties irasci videtur, & affligit, ac promissiones suas ita differt,vt videat earũ oblitus, tamẽ quicquid egerit,beneficium est,quicquid dixerit,veritas. Cum enim natura sua non sit nisi salus,bonitas, clementia, benignitas,veritas,probitas,constantia, & quicquid est harum virtutum,fieri non potest,quin siue affligit, sit beneuolentia,& clementia:siue promissionem differt,sit veritas,& probitas. Afflixit Iosephũ in Ægypto,& conniuit,vt conijceretur,tanquam adulter, in carcerem, cum tamen diuino oraculo significatum ei fuerat, quòd futurus esset fratrum suorum dominus. Quid ergo? Num,quod accidit Iosepho à fratribus,& in seruitute atq; captiuitate Ægyptiaca fuit ira Dei, & mendatiũ promissionis eius? Nihil minus,sed erat beneuolẽtia Dei & veritas eius. His enim,quasi gradibus euehebat Ioseph ad principatũ Ægypti, & implebatur,quod diuinitus ipsi promissum fuit. Sed innocens,inquiet quispiam,erat Ioseph. Quid autem de nocentibus? Nunquid & his omnes semitæ DOMINI sunt beneuolentia & veritas? Omnino, siue enim DOMINVS affligat innocentem,iuxta hoc seculum,siue nocentem,non meditatur æterna sua natura & ingenio, nisi salutem, beneficium, vitam & veritatem.

Viuo

Viuo ego, dicit DOMINVS apud Ezechielem: nolo mortem peccatoris, sed magis vt cõuertatur & viuat. Et Paulus: An diuitias, inquit, bonitatis Dei, ac tolerantiæ, lenitatisq; contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei, ad pœnitentiam te inuitat? Nam quod multi in aduersis, & afflictionibus suis non fruantur bonitate & veritate Dei, non est vitium Dei, qui semper manet bonitas & veritas ipsa: sed est vitium hominum, in afflictione impœnitentium, & incredulorum. Vnde & additur hoc loco, quibus semitæ Dei sint beneuolentia & veritas, (hoc est) qui beneuolentia & veritate Dei fruantur, nimirum illi, qui custodiunt pactum, & testimonium Dei. Dices ergo: Nulli igitur hominum sunt, quibus semitæ DOMINI sint beneficium, & veritas. Quis enim est, qui pactum Dei, quod est Lex Dei, & testimonia eius, quæ sunt præcepta eius, custodierit, seruauerit, & impleuerit? An non omnes homines peccato ita corrupti sunt, vt legi Dei non subdãtur, ac ne subdi quidẽ possint? Sciamus igitur, quid propriè sit custodire pactũ & testimonia (hoc est) legem & præcepta Dei. Lex enim Dei continet, (quod quidem ad hunc locum attinet) duas partes, alteram, Decalogum, & quæ Decalogo comprænduntur: alteram, promissionem de semine Abrahæ, de Christo Domino nostro. Ac Decalogus quidem exigit opera perfectè bona, quæ nullum habeant vitium. Cum autem nullus hominũ possit ea, propter carnem, præstare, finis Decalogi proprie est, peccatum ostendere, vt agnoscatur: & ad Christũ remittere, vt in ipso consequamur peccati remissionem & iustitiam per fidem, id quod aliàs copiosè explicari solet. Custodire *Rom. 8.*

Custodire legē DPj. igitur legem Dei & teſtimonia eius, (hoc eſt) implere legem, hoc loco, eſt agnoſcere peccatum, & credere in Chriſtum, ad quem lex remittit, vt peccatum propter ipſum non imputetur. Itaq; qui ſic cuſtodiunt pactum Dei, (hoc eſt) qui pœnitentiam agunt, quæ conſtat agnitione peccati, & fide in Chriſtum, iis omnes ſemitę Dei ſunt miſericordia, & veritas. Sicut enim lex eſt pædagogus ad Chriſtum, ita Chriſtus non venit vocare iuſtos, (tales enim in humano genere nō inuenit,) ſed peccatores ad pœnitentiam. Siue ergo nocens, ſiue corā mundo innocēs affligeris, age pœnitentiā, agnoſce peccatum, agnoſce & Chriſtū peccati expiatorem, & donabit te Spiritu ſancto ſuo, vt non ſolum ducas honeſtam vitam, verumetiam vincas omnia aduerſa, adeoq; mortem ipſam in Chriſto Domino noſtro.

LAMED. 11. *Propter nomen tuum DOMINE, propitius eſto peccato meo, quia multum eſt.*

Redit à cōciuncula ad precationem. Et eſt hic verſiculus concluſio ſeu illatio præcedētis conciunculæ, vt ſit ſententia: Cum tu DOMINE ſis bonus, rectus, clemens, docens peccatores, vt agnito peccato, credāt peccati remiſsionē propter ſemen Abrahę, & dirigēs miſeros peccatores, ad nominis tui inuocationē, breuiter, cum omnes tuæ ſemitæ ſint miſericordia & veritas iis, qui credunt, Venio iterum ad te, fiducia tuæ bonitatis, miſericordię & veritatis: & oro ac obteſtor tē, non propter meum nomen aut meritū, ſed propter tuū nomen, quod eſt miſericordia, clementia, bonitas, & veritas, vt ſis mihi miſero & afflicto peccatori propitius, ac condones mihi peccatū, quia eſt multum ac magnum.

magnum. Dices: Quid hoc causæ est, quòd petiturus condonationẽ peccati, alleget peccati multitudinem & magnitudinem? Alij homines solent multitudine & magnitudine suorum peccatorum à fide & inuocatione deterreri: hic potius multitudine peccatorum ad inuocationem excitatur, & magnitudine eorum ad preces inflammatur? Quomodo igitur intelligendum, quod dicit: Propitius esto peccato meo, quia multum est? Sciamus ergo, quòd duo sint in peccato. Alterum est iniustitia, iniquitas, seu impietas ipsa. Huic nunquam conuenit cum Deo, nec fieri potest, vt Deus iniustitiæ & impietati ipsi ita faueat, vt cum ipsa concilietur. Quod enim consortium iustitiæ, (Deus autem est iustitia ipsa) cum iniustitia? Quæ communio luci, (Deus autem est lux ipsa) cum tenebris? Alterum est, miseria, calamitas, ærumnæ, afflictiones, & supplicia, quæ sunt stipendia peccati, & quibus peccatores propter peccatum obnoxij sunt. Quò autem plura, & maiora sunt peccata, eò pluribus & grauioribus supplicijs & ærumnis peccator est obnoxius. Cum ergo dicit: Esto propitius peccato meo, quia multum est, non petit, vt Deus faueat iniquitati aut impietati ipsi peccati, sed vt respiciat multitudinem & magnitudinem miseriæ, qua propter peccatum affligitur. Qua enim sententia ægrotus corpore appellat medicum, & rogat eum, cura, inquiens, obsecro, meum morbum, quia immaniter me cruciat, eadem dicit Psalmus: Quæso te DOMINE, condones mihi meum peccatum, quia multum est, hoc est, multa mihi mala, magna mihi supplicia infert, quæ, nisi condonaueris peccatum, depriment

me vſq; in æternum barathrum. Quare cum petimus, vt Deus ſit propitius peccato noſtro, non hoc agimus, vt Deus faueat peccato, ſed vt faueat nobis propter peccatum afflictis, quibus ipſe ſuum fauorem & liberationem clementer promiſit. Ego, inquiens, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et: Iuxtà eſt DOMINVS iis, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit. Deinde, hoc dicto: Propitius eſto peccato meo, quia multũ eſt, reſpicit etiam ad ſententiam illius dicti, quod extat apud Paulum Rom. 5. Vbi exuberat peccatum, ibi magis exuberat gratia. Vbi igitur peccatum eſt multum, ibi ſperanda eſt etiam gratia multa: quod quid ſit, in Epiſtola ad Romanos explicatum eſt.

MEM 12. *Quis eſt iſte, qui timet DOMINVM? docebit eum viam, quam eligat.*

NVN 13. *Anima eius in bonis commorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.*

SAMECH 14. *Myſterium DOMINI eſt apud timentes ipſum, & patefaciet eis pactum ſuum.*

AIN 15. *Oculi mei ſemper ad DOMINVM, quia ipſe educet de laqueo pedes meos.*

Alia conciuncula, qua precator recitando promiſsiones Dei, excitat & confirmat fidem ſuã ad aliam precationem. Hîc primùm obſerua phraſim ſcripturæ, qua timentes Dei accipiuntur pro cultoribus Dei, vt Eſa. cap. 29. Timent me mandato hominum, hoc eſt, colũt me ſacris ab hominibus inſtitutis. Et apud Salomonem: Initium ſapientiæ, timor Domini, hoc eſt, ſumma

ſumma ſeu caput ſapientiæ eſt colere Deum. Veri autem cultores Dei ſunt, qui audiunt verbum Dei, & ex eo agnoſcunt peccata ſua, quę deteſtentur, & credunt in Chriſtum, peccatorum expiatorem: ex qua fide inuocãt nomen DOMINI, & ſequuntur vocationẽ eius. Deinde, vbi nos tranſtulimus myſterium, ibi Græcus interpres tranſtulit κραταίωμα (hoc eſt) firmamentũ. Deduxit autem à verbo *Iaſad*, quod ſignificat fundare, ſeu firmare: cum Hebræus habeat *Sod*, quod ſignificat myſterium, ſacramentum, ſeu arcanum. Sententia igitur iſtorum verſiculorum hæc eſt. In Deuteronomio cap. 30. dicit Moſes: Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitã & mortem, benedictionem & maledictionem. ELIGE ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum. Ex hoc loco texit precator hanc ſuam conciunculam, & affirmat eum felicem, qui ſit verus cultor Dei, qui videlicet agnito peccato ex lege, agnoſcit Chriſtũ ex Euangelio. Quis eſt iſte, inquiens, qui timet DOMINVM? Quàm felix, quàm beatus, quàm benedictus eſt verus Dei cultor. Quid ita? quia primùm DOMINVS docet eum viam, quam eligat. Etſi enim Moſes hortatur auditores ſuos, vt ipſi eligant viam vitæ: tamen humana natura peccato ita corrupta eſt, vt ſua ſapientia nec cognoſcat, nec eligat vitam, ſed neceſſe eſt, vt Deus ipſe Spiritu ſancto ſuo excitet hominem, & doceat eum viam eligendam. Pater enim veſter cœleſtis, inquit Chriſtus, *Luc.* 11. dabit Spiritum ſanctum poſcentibus ſe. Docet autem Spiritus ſanctus, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, peccatum agnoſcere, quod fit per legem, & credere in Chriſtũ: Hunc (inquiens) audite: quod fit per Euan-

gelion. Ex quibus ſequitur inuocatio nominis Dei per Chriſtum, & obedientia. Deinde, anima timentis ſeu colentis Deum cõmoratur in bonis, & ſemen eius, ſeu poſteri eius accipiunt hæreditate terram. Sunt & hæc verba ex lege mutuata, in qua tàm Patriarchis, quàm poſteris eorum, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt mandata eius, promittitur benedictio omnium rerum, & poſſeſsio terræ Canaan, Leuit. 26. & Deut. 6. & 28. Sed Spiritus ſanctus reſpicit maximè omnium his verbis in benedictionem illam ſpiritualem & cœleſtem, de qua dictum eſt ad Abrahamum: In ſemine tuo, (qui eſt Chriſtus) benedicentur omnes gentes terræ. Qui enim credit in hoc ſemen, huius anima commoratur in bonis. Quia cum habeat propter Chriſtum, condonationem peccati, & iuſtitiam coram Deo, etiamſi affligitur morbis, paupertate, & alijs ærumnis, ac obijcitur quoq; morti, & horroribus inferni, tamen non deſpondet animum: ſed eſt læta & alacri conſcientia, quòd ſciat ſe habere Deum propitium propter Chriſtum, qui tueatur & conſeruet ipſum in omnibus aduerſis. Similiter ſemen ſeu poſteritas eius hæreditabit terram: quia cum propaget & tranſmittat doctrinam Euangelij de Chriſto ad familiam & liberos ac nepotes ſuos, vt & hi cognoſcant Chriſtum & credant in ipſum, tranſmittit etiam ad ipſos cœleſtem hæreditatem. Eadẽ ſententia Angelus in Actis Apoſtolicis dixit ad Cornelium: Accerſe Simonem cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus eſt, per quæ SERVERIS, & TV, & VNIVERSA DOMVS tua. Et Paulus ad cuſtodẽ carceris: Crede, inquit, in DOMINVM Ieſum Chriſtum, & ſaluus eris

eris TV, & DOMVS TVA. Postremò timens Deum, seu verus Dei cultor accipit illud quoq; beneficium, quòd Deus aperiat ipsi suum mysterium, & patefaciat ei suum pactum. Mysteriũ, quod Latinis est arcanum, & pactum, de quo hîc fit sermo, est promissio Dei de Christo Domino nostro, & de Euangelio eius diuulgando in vniuersum mundum, non tantùm inter Iudæos, sed etiam inter Gentes. De hoc mysterio & pacto loquitur Dauid alias in Psalmo 51. Peccatum meum, inquiens, cognosco. Et mox: Ecce (cognosco etiam) veritatem, quæ tibi placet, sapientiam in intimis & abscondito (latentem) patefacis mihi, hoc est, reuelas mihi Euangelion tuum de Christo promisso, quæ est summa sapientia, alijs ignota & abscondita. Et Christus, cum apud Matthæum cap. 11. ait: Gratias ago tibi pater DOMINE cœli & terræ, quòd cum hæc absconderis à sapientibus & prudentibus, reuelaris ea paruulis. Ac Paulus Rom. 16. Ei sit gloria, qui potens est vos confirmare secundum Euangelion meum, & præconium Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati verò nunc, & per scripturas Propheticas, iuxta delegationem æterni Dei, in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti. Et iterum ad Corinthios: Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit, &c. Sic etiam ad Ephesios cap. 1. & ad Colossenses cap. 1. Euangelion de Christo vocatur mysterion, reconditum quidem à seculis & à generationibus, nunc autem patefactum Euangelion 1. Cor. 2.

Euangelion igitur de Christo Domino nostro est sapientia illa, qua apertè cognoscimus, Deum esse nobis placatum propter Christum, & adoptare nos in filios ac hæredes cœlestium bonorum, ideoq; emittere spiritum in corda nostra, vt clamemus Abba pater. Dicitur autem hæc sapientia, mysterium, seu arcanum, à seculis absconditum, non quòd fuerit Patriarchis & pijs, antè aduentum Christi in carnem, quantum quidem ad salutem necessarium erat, ignotum, habebant enim promissionem de semine mulieris & Abrahæ: sed quòd illis temporibus, typis adhuc & vmbris legis tegeretur, & nondum inter gentes diuulgatum esset. Quæ cum ita se habent, videamus nunc, quo euētu precator hanc conciunculam recitauerit. Dixit quod DOMINVS doceat timentem seu cultorem Dei, viam rectam: & benedicat eum benedictionibus illis, quæ promissæ sunt Abrahæ, in semine suo, (quod est Christus,) ac patefaciat ei mysterium & pactū, quod est Euangelion de Christo, ex quo datur Spiritus sanctus, excitans corda nostra, vt clament ad Deum: Abba pater. Hac igitur cōcione recitata, precator fide ita confirmatur, & ad precandum inflammatur, vt mox exclamet: Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos. Sicut enim vel aues, vel feræ terrestres laqueis ex improuiso capi solēt, ita ego varijs laqueis implicatus hæreo, vt nesciam, quà me vertā. Captus sum laqueo peccati, quo ita constrictus sum, vt Satan rapiat me ad omnia genera afflictionis. Captus sum laqueo mortis, quo sic teneor, vt existimem, me non nisi ad infernū trahi. Quid igitur faciā? quo oculos meos dirigam? Certè, non aliò, quàm ad Dominum

Dominum Deum meum, qui cum promiserit mihi benedictionem in semine Abrahæ, & patefecerit mihi mysterium Euangelij sui, quo pactus est, se inuocantes nomen suum, in aduersis saluos facturum, non dubito, quin pedes meos ex his laqueis explicet, ac me in veram libertatem educat. Nec hîc subsistit precator, sed pergit precando ad finem vsque Psalmi.

16. *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus sum, & afflictus.* PE

Singuli versiculi, qui sequuntur, singulæ sunt precationes, quæ tamen omnes eandem fere sententiam habent, & ad eundem finem properant. Respice, inquiẽs, super me. Quid? An non semper sumus in prospectu Dei? Quis enim potest se à facie DOMINI, cœlum & terram implentis abscondere? Psalmus igitur hoc loco non loquitur de respectu Dei, qui est per essentiam eius: sed de eo respectu, qui est per gratiam & clementiam eius. Vnde mox sequitur: Et miserere mei. Respice super me, non propter me, aut propter mea merita: sed propter te, propter misericordiam tuam. Quid autem illud est, propter quod speras misericordiam Dei? Non certè aliud est, quàm quòd sum vnicus (hoc est) ab omnibus desertus, omniũ ope destitutus & afflictus. Deus enim tanta est clementia & philanthropia, vt faueat omnibus humana ope destitutis, & afflictione oppressis: ac promiserit eis, inuocantibus ipsum, liberationem: Iuxtà, inquiens, est DOMINVS ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et: Sacrificium Deo spiritus contri- *Psal. 34.*

Pſal. 50. bulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Quare, cum & ego ſim propter laqueos, quibus captiuus teneor, propter miſerias & afflictiones, quibus obrutus ſum, ſpiritu contribulato, & corde contrito, nec videam vllum humanum auxilium, non dubito, quin me clemẽter reſpicias, & miſererearis mei.

ZADE 17. *Afflictiones cordis mei auctæ ſunt, ex anguſtijs meis educ me.*

Alia verba, ſed eadem precatio. Nam quò auctiores ſunt afflictiones, & grauiores anguſtiæ, eò propius eſt auxilium Dei, quippe quòd vbi deſinit humanum *Pſal. 138* auxilium, ibi incipiat diuinum. Excelſus enim DOMINVS, ſed humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.

RES 18. *Reſpice afflictionem meam, & laborem meum, & remitte omnia peccata mea.*

Repetit iterum precationem pro peccatorũ remiſſione. In hoc enim vno beneficio, omnia reliqua continentur. Vbi enim eſt remiſsio peccatorum, (quemadmodũ paulò antè admonebamus) ibi Deus eſt propitius. Hoc autem propitio, quid amplius, aut quæreremur, aut quæreremus? Hoc propitio, iraſcantur ſanè afflictiones, ærumnæ, ſatan, mors & infernus, neceſſe tamen habent ſalutem noſtram magis iuuare, quàm *2. Cor. 12.* impedire. Ad Paulum precantem, vt diſcederet ab ipſo nuncius ſatanæ, dixit DOMINVS: Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus mea per infirmitatem perficitur. Hæc vox ſonet in omnium afflictorum, & laborantium

borantium auribus, vt etiamsi aduersa post inuocationem nominis Dei, augeri potius, quàm decrescere videantur, sciant tamen se contentos esse debere, quod habeant Deum propitium, qui non solùm dabit in tentatione euentum, vt possint sufferre, verùmetiam eò glorioſius liberabit, quò diutius auxilium differri videtur. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?

19. *Respice, quàm multi sunt inimici mei, qui iniquo odio* RES
oderunt me.

Non affligunt me generalia tantùm humani generis aduersa, quibus propter peccatum obnoxij sumus, verùmetiam peculiariter homines ipsi, quos ad colendam amicitiam Deus cõdidit, sunt mei inimici, & hostiliter me persequuntur. Quæso igitur te DOMINE Deus noster, vt in hac inimicorum meorum persecutione clementer me respicias: idq; duplici de causa: quòd & sint MVLTI: & oderunt me INIQVE. Multitudo inimicorum auget terrorem. Iniquitas odij auget indignitatem. Quò igitur maius est & indignius periculum, eò proximiorem, & promptiorem DOMINI opem speremus. Sed quid est, quod ait: Inimicos odisse ipsum odio iniquo, seu immerito? An non vel Ioseph, vel Dauid, vel Iosaphat, vel Ezechias, vel alius quispiam precator, etiamsi coram hominibus fuerit innocens, habet tamen sua peccata, propter quæ sit obnoxius maledictioni illi, quæ extat Deuteron. 28. Omni tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui te liberet? Sciamus igitur, quòd si nostrum quispiam,

quantumcunq; pius & coram hoc mundo innocens, non collatus cum alijs hominibus, sed cum diuina iustitia, statuerit se ad tribunal Dei, tunc necesse habet ingenuè fateri, quod est in alio Psalmo: Si iniquitates obseruaris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Et: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Si autem conferamur in causa per se iusta & pia, cum iniustis, & impijs persecutoribus, ac virulentis verbi Dei, & nostris hostibus, ibi tum rectè de inimicis nostris, etiam coram Deo dicimus: Odio iniquo oderunt me. Itaq; licuit hoc modo, Iosepho aduersus fratres suos, Israëlitis aduersus Ægyptios, Dauidi aduersus Saulē, Apostolis aduersus persecutores Iudæos & Gentes, breuiter omnibus pijs aduersus hostes suos verè orare, & dicere: Respice, quam multi sunt inimici mei, qui oderunt me INIQVO odio.

SCHIN 20. *Custodi animam meam, & erue me: non pudefiam, quia spero in te.*

Satis fuisset dicere: Respice, quam multi sunt inimici mei. Spiritus enim sanctus, qui intercedit pro pijs gemitibus inenarrabilibus, rectè, & sine vlla obscuritate intelligit, quid sibi precator hoc verbo (respice) velit: nec indiget vlla interpretatione, sed quemadmodum Deus solet nobiscum, vt cum pueris loqui, ita & precator loquitur cum Deo, quasi cum imperito, & eo, qui expositione verborū indigeat, vt & alias, quasi cum dormiente & obliuioso: Exurge DOMINE exurge, quare obdormis, & quare obliuiscēris me perpetuò. Sic & hoc loco: Custodi, inquiens, animam seu vitam

vitam meam,& erue me. Dixi antè: Reſpice, quàm multi ſint inimici mei: ſed vt rectè me intelligas, illud peto, vt defendas vitã meam, & liberes me ab immanitate inimicorum meorum, ne opprimar ab ipſis, & pudefiam: non quòd multùm referat, me probro affici, ſed quòd probrum meũ redundet in tui nominis ignominiam: propterea quòd impij dicturi ſint, te non potuiſſe ſeruare ſperantem in te, & vanas eſſe tuas promiſsiones, quibus recepiſti te afflictis, & ſperantibus in nomen tuum opem laturum. Exponere autẽ Deo, & admonere eum, quòd, ſi inuocatus non ſuccurrat nobis in noſtris aduerſis, non periclitetur tantùm nomen noſtrum, id quod non multùm referret, ſed quod maximè omnium periclitetur gloria nominis Dei, & fama tàm miſericordiæ, quàm veritatis eius, compendiaria eſt ratio & via, qua ad exaudiendum preces, & ad ſuccurrendum in aduerſis excitetur. Non poteſt enim ferre, vt gloriam veritatis & clementiæ amittat. Hac ratione expugnauit Moſes animum Dei, cum inſtitueret Iſraëlitas delere peſtilentia. In Numeris enim cap. 14. dicit DOMINVS: Feriam eos peſtilẽtia, & conſumam: te autem faciam principem ſuper gentem magnam. Sed Moſes intercedit: Vt audiant, inquiens, Ægyptij, de quorum medio eduxiſti hunc populum, & habitatores terræ huius, ac dicant: Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: idcirco occidit eum in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, &c. Huc reſpicit etiam Pſalmus, cum hoc loco dicit: Non pudefiam, quia ſpero in te, Dominus enim promiſit ſuam opem omnibus ſperantibus in ipſum.

Psal.30. In te Dñe sperauí, non cõfundar in æternũ.

Psal.31. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in DOMINVM, misericordia circumdabit.

Psal. 90. Quoniam sperauit in me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Cum igitur ego sperem in DOMINVM, non dubito, quin me sit seru aturus ne pudefiam: vt non periclitetur veritas promissionum eius, quibus recepit se sperantes in ipsum liberaturum.

TAV 21. *Integritas & rectitudo muniant me, quia te expecto.*

Hunc versiculum alij aliter interpretantur: Faciamus igitur periculum, num & nos aliquid afferamus, quod ad rem faciat. Ac initio, non est verisimile, quòd precator iactet suam ipsius integritatem & rectitudinem coram Deo, præsertim, cum seu petat se his muniri, seu affirmet, se his munitum esse. Etsi enim habere iustam causam aduersus inimicos, ingens est consolatio conscientiæ: tamen non est coram Deo iustitia causæ, sed tantùm gratuita Dei clementia confidendum. Deinde, Psalmus decimus nonus describens authoritatem & virtutem Euangelij de Christo, tribuit ei, præter alia, etiam duo illa, quæ hîc commemorantur, integritatis, & rectitudinis epitheta. Lex DOMINI (inquiens) hoc est, doctrina Euangelij est syncera seu integra, seu immaculata: & mãdata DOMINI, (quæ & ipsa sunt concio Euangelij) sunt recta. Quod enim in Euãgelio Christi promittitur, hoc integrũ est, rectum est, verum, certũ, stabile, firmum, planũ, nullo prorsus vitio, nulla macula, vt quicunq; crediderit, certissimã salutem consequatur. Sentẽtia igitur huius versiculi

hæc

hæc est: Quæso te DOMINE, vt siue aduersus hostes meos, siue aduersus alias afflictiones, muniant & circumuallent me, tanquã castra, integritas & rectitudo, non quidẽ mea, si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? sed Euãgelij, seu promissiõis tuæ, qua & ex semine meo pollicitus es Christũ, (siquidẽ intelligamus Dauidẽ hunc Psalmũ de sua persona recitare) & regnũ Israëlis, qua etiã pollicitus es, te mihi in omnib. aduersis, propitiũ propter semen Abrahæ (qui est Christus.) Hãc promissionẽ scio esse syncerã, probatam, verisimã, certissimam, rectissimã, quæ videlicet recta ad cœlestẽ salutẽ ducat. Hac promissione munitus sum contra omnes tàm homines, ꝙ afflictiones aduersarias. Nec dubito, quin eam sis cõstanter seruaturus, nõ iuuãdo tantùm alios, verùmetiã meipsum. Quid ita? Quia te expecto. In pręsentia quidem nihil minus videtur, ꝙ vt promissio tua in me impleatur: sed de felici euẽtu nihil dubito, quia te expecto, ex te solo pendeo, in tuas tantùm manus respicio. Quare, etiamsi hostes sunt multi, afflictiones sunt graues, tamẽ liberatione & salute nihil est certius. Beati enim omnes, qui expectant eum, iuxta illud, quod suprà dixit: Omnes qui te expectant, non pudefiunt. *Esa. 30.*

22. *Redime Deus Israëlem ex omnibus afflictionibus eius.*

Finitis versiculis, qui à singulis alphabeti Hebraici literis ex ordine incipiunt, addit adhuc vnum versiculum, quo admoneat precatorem, vt in precibus suis, non tantùm pro se & sua priuatim salute, verùmetiã pro salute vniuersę ecclesiæ sit sollicitus. Redime (inquiens) Deus, non me tantùm, verùmetiam Israëlem,

Iſraëlem, hoc eſt, cunctam Dei eccleſiam, (quæ Iſraëlis nomine ſignificatur) ex omnibus ſuis tàm corporalibus quàm ſpiritualibus anguſtijs. Piæ enim charitatis eſt, non quæ ſua tantùm ſunt, ſed etiam, quæ aliorum, quærere. Et eſt Sanctorum communio, vt quemadmodum in homine phyſico, ſingula membra fruũtur corporis ſanitate, ita in eccleſia, quæ eſt corpus ſpirituale, ſinguli pij fruuntur beneficijs, quæ in vniuerſam eccleſiam à Deo conferuntur. Vnde & Chriſtus ipſe, docturus Apoſtolos precationem, qua eccleſia vteretur, præſcripſit eis precandi formam vniuerſalem: Pater, inquiens, NOSTER, non meus, priuatim tantùm. Panem NOSTRVM, non meum tantùm. Da NOBIS, non mihi tantùm, &c.

VSVS HVIVS PSALMI.

Oſtendimus ſuprà, quòd hic Pſalmus ſit generalis precãdi forma, & vſui in quibuslibet aduerſis. Quare ſi quis vel agnitione peccatorũ, vel magnitudine periculorum, vel grauitate paupertatis, aut ægritudinis, vel multitudine inimicorum, vel horrore mortis ita territus & expauefactus fuerit, vt neſciat, quò ſe vertat, properet ad hunc Pſalmum, & procumbat ante DOMINVM. Ad te DOMINE, inquiens, leuo animam meam, quia ad quem aliũ leuem eam, non habeo, &c. Obſeruandum eſt etiam in hoc Pſalmo, quibus rationibus, non dico, perſuadendi Dei, nulla enim humana ratio, aut eloquentia poteſt animũ Dei permouere: ſed confirmandæ fidei ſuę vtatur. Precor DOMINE, vt remittas mihi mea peccata, & liberes me ex afflictionibus

ctionibus meis. Quam ob causam? Quia:

1. In te confido.
2. Tu es Deus salutis meæ.
3. Te expecto.
4. Propter misericordiam tuam, quæ à seculo est perpetua.
5. Propter veritatem tuam.
6. Propter nomen tuum.
7. Vnicus sum, & afflictus.
8. Peccatum multum est.
9. Inimici multi sunt.
10. Oderunt me odio iniquo.
11. Afflictiones auctæ sunt.
12. Spero in te.

His & id genus alijs rationibus muniti, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium.

Psalmus 26.

Iudica me DOMINE, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, &c.

I statum rerum ecclesiasticarum in regno Israëlitico, sub rege Saule, & instaurationem piæ doctrinæ ac sacrorum eius, quam Dauid, extincto Saule, instituit, diligenter consideraverimus, haud difficile erit, occasio-

nem huius Psalmi, & veram eius sententiam cognoscere. Rex enim Saul, etsi videbatur religiosulus, & sacrificiorũ præ alijs studiosus: tamẽ non erat, nisi virulẽtus hypocrita, & verę religionis contẽptor. Sacrificat quidẽ, parta victoria, super Amalec, sed nulla fide, & cõtrà cẽ verbo DOMINI mandatũ fuerat. Aufert de terra Magos, & Hariolos, & interficit ἐπαγγελικῶς Deus, sed nulla vera pietate. Nam & ipse periculis obiectus, consulit Pythonissam. Instituit delere Gibeonitas, zelo quidem Dei, (quòd Gibeonitæ fuerint reliquiæ Amorrhæorũ, quos DOMINVS delere præceperat,) sed non secundum scientiam, & cõtrà quàm Israëlitæ eis iurauerant. Vnctus erat in regem à Samuele, & acceperat per eum regiam maiestatem: sed Samuel illam pro tanto beneficio reportat gratiam, vix vt à tyrannide eius tutus fuerit. Interficit etiam immaniter, nulla prorsus iusta causa, octoginta quinq; sacerdotes innocentes: & vrbem eorum ita deuastat, vt omnes in ea viros, mulieres paruulos, lactantes, boues, asinos, & oues, crudeliter occidat. Quo genere immanitatis, quid potest atrocius excogitari? Ac breuiter: Dauid ipse rerum postea Israëliticarum potitus, fatetur paucis quidem verbis, sed luculenter, summum veræ pietatis contemptum, regnante Saule in Israël. Reducamus, inquiens, arcam Dei nostri ad nos, NON enim requisiuimus eam in diebus Saul. Hinc iam facilè æstimari potest, quis fuerit illis temporibus status religionis in Israël. Legitima sacrificia alligata erant verbo Dei ad arcam testamenti. Cum autem ea sit neglecta, sacerdotes interfecti, Samuel contemptus, & quasi fugatus, quid sani, putas, in religione

1. *Reg.* 15

1. *Reg.* 28

2. *Reg.* 21

1. *Reg.* 23

1. *Paralip.* 13.

ligione reliquum fuisse? Dauid igitur susciпiens gubernaculum regni Israëlitici, in hoc precipuè studium pro pij principis officio incubuit, vt piam doctrinam & legitima sacra in ecclesia instauraret: ac primùm omnium curauit, vt arca testamenti certum haberet locum, in quo sacra iuxta legem peragerētur. Deinde reformauit & reliqua, iuxta omnia, quæ scripta sunt in lege DOMINI, quam præcepit Israëli. Non est autem dubium, quin in hac instauratione comitata sit Dauidem ea gratia, quam satan piis gubernatoribus reddere solet, & quæ etiam in hoc Psalmo haud obscurè significatur. Magna enim pars Principum, Sacerdotum, & hypocritarum in vulgo, assueti vsitatæ idolomaniæ, & illegitimis sacris, ac excitati à satana, sparserunt publicè & priuatim, Dauidem esse hæreticum, diuini cultus abrogatorem, veteris & auitæ religionis destructorem, adeoq; tàm in Deum, quàm in ecclesiam Dei blasphemum, qui hanc religionis mutationem magis odio Dei, quàm affectu veræ pietatis instituerit. Ac præterea esse eum hac impietate authorem omnis calamitatis, quæ Israëlitis, à Philistinis & aliis hostibus accidat. Verisimile autem est, hanc de Dauide famam, etiam apud finitimos populos diuulgatam esse. 1. Paralip. 16.

Hoc enim animaduerti potest ex eo, quod postea Ezechiæ accidit. Cum enim & ipse abrogaret impia sacra in Ecclesia Israëlitica, & instauraret verè pia, iuxta Legem Dei, audit à Babylonio Rabsace, dicente: Quòd si dixeritis mihi, in DOMINO Deo nostro habemus fiduciam, nonne iste est, cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria? 4 Reg. 18

quasi dicat: Rex vester Ezechias defecit à Deo vestro, quomodo igitur poteritis eo confidere? Videt impios mutationem impiorum sacrorum in cultum verè pium, interpretari pro impietate, & abnegatione veri Dei. Idem accidit etiam hoc tempore piis principibus, qui eruditi Euangelio DOMINI nostri Iesu Christi, abrogant in ecclesijs suis impia sacra, & restituũt pia. pro hoc enim beneficio reportant illã gratiã, quod audiãt defectores ab ecclesia Christi, condemnatores auitæ religionis, ac schismatici & hæretici. Cum igitur Dauid in simili causa, similem quoq; haberet inter suos fortunam, nec videret inter homines iudicem, appellat contra sycophantas, calumniatores, & hypocritas suos, ad iudicem DOMINVM Deum nostrum, & expectat ab ipso huius causæ diiudicationem.

1. *Iudica me DOMINE, quia ego in integritate mea ambulo, & in DOMINO spero, non cadam.*

Hic Psalmus referendus est in longè aliũ ordinem, quàm Psalmi precatorij. Hi enim constant in genere deliberatiuo: & implorãt misericordiam atq; clementiam Dei. Ille autem constat in genere iudiciali, & in statu, vt Rhetores loquũtur, cõiecturali: ac implorat seuerum iudicium Dei. Sciamus igitur, quod Dauid in hoc Psalmo sistat se ad tribunal Dei: non autem vt de sua ipsius iustitia & integritate, à Deo per se iudicetur, dicit enim alibi: Non intres in iudicium, cum seruo tuo, quia non iustificatur in cõspectu tuo omnis viuens: sed vt seueriter iudicetur de iustitia causæ, quam

quam habet aduersus impios sycophantas & hypocritas. Ostendimus enim antea, quòd cum Dauid susciperet ecclesiam iuxta verbum Dei reformandam, & aboleret impia sacra, audierit ab hypocritis, & vsitatę idolomaniæ assuetis, hæreticus, veræ religionis osor, impius Dei cõtemptor, & omnis calamitatis in Israël autor: nec extiterit inter Israëlitas Consistorium, aut Synedrion tam syncerum, cui tutò potuisset tantam religionis causam dijudicandam credere. Maxima enim pars tàm Principum, quàm Pontificum & Sacerdotum, (qui enim inter hos verè pij fuerunt, omnes ferè interfecti erant à Saule) corrupti & fascinati fuerunt praua doctrina idolomaniæ & humanarum traditionum. Habebat quidem nõnullos à sua parte, qui de religione rectè sentirent, & institutum suum, quoquo officio potuerunt, adiuuarent. Sed erant ex altera quoq; parte multi, qui & eruditi, & sapiẽtes, & sancti videbantur. Quos ergo constitueret in iudices? Num hypocritas, & piæ doctrinæ aduersarios? sed hic furor esset, non mentis sanitas. Num suos, quos habebat à sua parte stantes? sed altera pars non agnouisset eos iudices. Num constitueret ex vtraq; parte æquali numero, qui de hac causa cognoscerent? sed hoc esset boue simul & asino arare, & occasionem maioris dissidij, dum suas quisq; partes tueretur, dare. Num grassaretur in alteram partem gladio? sed recens erat regnum, erant etiam gladij in altera parte, & incerta est belli, præsertim ciuilis, alea: vt interim non dicam, veram religionis doctrinam, non gladio carnis, sed gladio spiritus, quod est verbum Dei, rectè propagari posse. Quò igitur se verteret? Non habet Synedrion,

Bouẽ simul et asino arare.

in his terris, cui hoc iudiciũ deferat, defert iudicio cœlesti: IVDICA, inquiẽs, ME DOMINE. In qua causa? In causa religionis, cõtra hypocritas, Principes & Põtifices. Instauraui in regno Israëlitico, abolitis impijs sacris, verũ cultũ Dei. Et instauraui, nõ iuxta meũ arbitriũ, nõ iuxta humanã rationem, sed iuxta integritatẽ diuinę legis, cuius administratio mihi credita est. Non iacto meã ipsius integritatẽ, & iustitiã, agnosco enim me coram Deo miserum peccatorem: sed iacto integritatem, & perfectionem legis Dei, quæ recte, integrè, & perfectè præscribit, quid in Deo verè colendo sit faciendũ, & cuius tam confessio, quàm administratio à me diuina vocatione exigitur. In hac integritate profiteor me ambulare: idq; non affectu carnis, sed ex fide, non fiducia humanæ potentiæ, sed fiducia DOMINI. In Deo spero, non in armis. Quare non dubito, quin Deus in hoc meo instituto me ita sit adiuturus, vt firmus consistam, & quod proposui, absoluam. Quid autem gratiæ ex hoc meo officio reporto? quid? nisi odium, inuidiam, accusationem hæreseos, virulenta conuitia, & diras execrationes. Quæso igitur te DOMINE Deus noster, suscipe tu iudicium huius controuersiæ, inter me & meos accusatores, & peto, vt non oscitanter, sed seueriter iudices. Sic enim sequitur.

2. *Proba me DOMINE, & tenta me, explora ignerenes meos, & cor meum.*

Non prouoco ad iudiciũ misericordiæ, clementiæ, gratiæ, & fauoris, sed ad iudicium seueritatis, & exactissimæ

ctiſsimæ iuſtitiæ. Proba me, inquit, & tẽta, quib. modis libet, & nõ inuenies me aliquid impietatis, (ſicut hypocritæ me accuſant) deſignaſſe. Et quemadmodũ aurifabri explorant aurum & argentum igni, num ſit probũ & ſyncerũ, ita peto, vt meos renes, & meũ cor (hoc eſt) omnia mea interiora, examines & quaſi excoquas, num deprehẽdas me prauo affectu, ſicut hypocritæ, & humanarum traditionũ ſectatores me calumniãtur, vocationem à te mihi mandatam, ſectatũ eſſe.

Hîc iterum obſeruemus, Dauidẽ loqui non de vniuerſa ſua vita coram Deo per ſe, ſic enim non poſſet tam ſeuerum examen, quale hîc petit, ferre: ſed loquitur de officio vocationis ſuæ, in abolenda Idolomania, & reſtituendo vero cultu Dei. Quod enim ad hoc attinet, tam diligenter omnia iuxta legem Domini adminiſtrauit, reformauit, & peregit, vt prorſus nullius ſibi, vel impietatis, vel ceſſationis fuerit conſcius. Ne quis autem arbitretur, hanc gloriationem in homine ſancto inſolentiorẽ & arrogantiorem eſſe, cũ quę probari debeat, extant in ſcriptura non diſſimilia ſanctorum exempla, quæ tantum abeſt, vt Spiritus ſanctus improbet, vt potius ea cõmendet. Ezechias rex Iudæ ægrotat morbo lætali. Et audit ab Eſaia: Diſpone domui tuę: morieris enim tu, & nõ viues. Quod cum audiuiſſet, conuertit faciẽ ſuam ad parietẽ, & orat flens: Obſecro, inquiens, DOMINE, memento, quæſo, quomodo ambulauerim corã te, in veritate, & corde perfecto, & quod placitũ eſt corã te fecerim. Obſerua, quid dicat: Ambulaui corã te in veritate, & corde perfecto. Quis, reputãs corruptionẽ hominis corã Deo, hęc patiẽter audiret? Sed hęc precatio in tãtum nõ diſplicuit Deo,

4. Regum 20.

Deo, vt non ſolùm abſtulerit ab ipſo morbum, verùm etiam quindecim annos ad vitam adiiceret.

4. Regum 23. De Rege Ioſia ſcriptum eſt. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Deum in OMNI CORDE, & in TOTA anima ſua, & in VNIVERSA virtute ſua, iuxta OMNEM legem Moſi: neq; poſt eum ſurrexit ſimilis illi. Quantum eſt hoc encomium? Putas ne vllum vnquam fuiſſe in terris hominem (præter Chriſtum Dominum noſtrum) qui hanc legem: Diliges DOMINVM Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omni virtute ſua, perfectè ſine vllo vitio impleuerit, quemadmodum hîc de Ioſia cõmemoratur? Et tamen Act. 20. Spiritus ipſe ſanctus tribuit ei hanc laudem. Paulus Apoſtolus, valedicens Epheſijs Presbyteris: Conteſtor, inquit, vos hodierno die, quòd mundus ego ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quò minus adnuntiarim OMNE conſilium Dei vobis. Et ad Ti- 2. Tim. 4 mothæum: Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Quod ſupereſt: Repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi DOMINVS in illo die, qui eſt iuſtus iudex. Quid ſibi vult hæc ſanctorum hominum iactantia? Num impleuerunt legem Dei tam perfectè, vt potuerint bona conſciẽtia corã tribunali Dei gloriari, ſe propter merita ſuorum operum iuſtificatos? Nihil minus. Nam Paulus ipſe interpretatur: Nullius, inquiens, mihi conſcius ſum: ſed IN HOC non ſum iuſtificatus. Hoc dictum non ad ſolum Paulum, ſed etiam ad Dauidem, ad Ezechiam, ad Ioſiam, & ad omnes Sanctos, qui ſuæ vocationi ſummo ſtudio ſeruierunt, referendum eſt. Dicamus autem in præſentia de Dauide, qui ſe in hoc Pſalmo

ad

ad tribunal ſiſtit,& profitetur ſe ita ambulaſſe in integritate diuinæ legis & ſuæ vocationis, vt audeat etiã adſeuerum Dei iudiciũ prouocare. Quid? Num ſentit ſe hac ſua integritate coram Deo iuſtificatum? Nihil minus,ſed quia accuſabatur impietatis & defectionis à lege Dei, ſentit ſe nullius ſibi impietatis, in reformanda eccleſia, & in inſtaurandis veris cultibus Dei iuxta legem,conſcium eſſe, qua in re poſsit diuini iudicij ſeueritatem ferre. Et tamen,quod Paulus dixit,hoc idem dicendum erat Dauidi, Ezechiæ, & Ioſiæ:Nullius mihi conſcius ſum, ambulaui coram Deo corde perfecto, reuerſus ſum ad Deum omni corde, & tota anima,in abolendis videlicet impijs ſacris, & in inſtauranda vera pietate: ſed in hac re non ſum coram Deo ita iuſtificatus,vt propter meam iuſtitiam & merita conſequerer remiſsionem peccatorũ,& hereditatẽ cœleſtis regni. Hæc enim cõſequimur tantùm per fidem,propter ſemen Abrahæ & Dauidis, qui eſt Chriſtus Dominus noſter. Quæ cum ita ſunt animaduerſa,licebit nunc reliqua,quę in hoc Pſalmo ſequuntur,inoffenſo pede percurrere.

Stat enim Dauid ad tribunal Dei, contra hypocritas & ſycophantas, qui propter eccleſiæ reformationem accuſauerant ipſum impietatis: & commemorat quæ verè pietatis officia fecerit, & præſtiterit: illud videlicet ſignificans, ſe luculenta iniuria, etiam Deo ipſo iudice,ab impijs hypocritis affici.

3. *Quoniam miſericordia tua coram oculis meis, & ambulo in veritate tua.*

Primùm σημεῖον ſeu argumẽtum Dauidis,quòd non

sit impius aut blasphemus in Deum. Quia, inquit, misericordiam tuam pono mihi ob oculos, & vitam duco iuxta veritatem, seu verbum tuum. In Exodo capite 20. cum Decalogum promulgaret Dominus: Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in millia, his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Hanc misericordiam, hanc misericordiæ Dei promissionem, & hanc verbi Dei veritatem, affirmat Dauid, se sibi ob oculos semper posuisse, & omne studium suum in ea collocasse, vt tam in reformanda ecclesia, quam in alijs rebus custodiret, pro sua virili præcepta Dei: & impia quidem sacra aboleret, pia autem, iuxta mãdata Dei, restitueret. Quis igitur posset ipsum impietatis & defectionis à Deo vere accusare? Habes vnum argumentum, quo Dauid depellit à se crimen hæreseos aut impietatis. Quo etiam significat, se nõ dubitare, quin Deus iuxta promissionis suæ veritatem, benefacturus sit familiæ ipsius, in mille generationes: tantum abest, vt in reformanda ecclesia aliquid impietatis aduersus Deũ, aut verbum eius designauerit. Habent igitur Reges & Principes hoc loco, quo admoneantur, vt si cogitauerint sibi demereri Deum, & familiam suam conseruare, dominationemq; suam ad posteros propagare, diligant Deum, & custodiant præcepta eius: testentur videlicet, dilectionem Dei, & obedientiam erga Deum, instauratione piæ doctrinæ in ecclesijs suis, iuxta præcepta Dei: & conferant, quæ possunt officia, ad illustrandam gloriam nominis Dei. Hæc enim est compendiaria via, qua regna & illustres familiæ Regum ac Principum conseruantur. Iuxta illud: Quicunque

Via conseruandorũ Ministrium familiarũm.

cunque honorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Sed de hac re ſupra in Pſal. 24. 1. Reg.

4. *Non commoror cum viris vanis, & non coniungo me cum hypocritis.*
5. *Odi eccleſiam malorum, & cum impijs non commoror.*

Aliud argumentum, quo teſtificatur ſe non eſſe impium, nec abrogaſſe vſitata hactenus ſacra, ex impietate. Non commoror, non habeo familiaritatem vllam, cum ijs hominibus, qui ſectantur vana & impia ſacra, nec vllum mihi eſt conſortium, cum hypocritis, qui extrinſecus ſpeciem habent pietatis, ſed in abſcondito cordis dicunt, non eſt Deus. Ac tantum abeſt, vt delecter impiorum hominum ſocietate, vt potius omnem eccleſiam, omnem cœtum, omne ſynedrion eorum ſummo odio proſequar. Neceſſe quidem habui in exilio, in quod à Saule eiectus fui, aliquoties cum ijs verſari, qui adorabant alienos Deos: hoc autem illud eſt, quod ſummum mihi dolorem in exilio afferebat, & de quo anteà grauiter conqueſtus ſum: Maledicti ſunt, inquiens, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, ſerui dijs alienis, (hoc eſt) qui cogunt me habitare inter eas gentes, quæ alienos Deos adorant. Et tamen, ne ſic quidem defeci à Domino Deo noſtro: ſed etiamſi verſabar inter exteras gentes, nunquam tamẽ probaui ſacra earũ, ſed potius odi omnem earum religionem: nec vnquam me cum eccleſia iniquorum ac impiorum hominum coniunxi. 1. Reg. 26

Plurimum autem refert, quibus cum contubernium agas: Corrumpunt bonos mores, colloquia & consortia mala: si iuxta claudum, inquiunt, habitaueris, fies & ipse claudus. Cum igitur nemo possit verè affirmare, me societatem iniisse, cum hominibus impijs, vanis, hypocritis, & sceleratis, nec me vnquam coniunxisse, cum impietate idolomanitarum, qua fronte audent me sycophantæ isti impietatis traducere? Monent autem hi duo versiculi nos, vt fugiamus impiorũ, & sceleratorum hominum contubernia. Etsi enim illud non quæras, nec agas, vt prauis aliorum moribus corrumparis: tamen & de cuiusq; moribus iudicatur ex contubernio eius: & quemadmodum, qui in sole ambulat, cõtrahit nigrorem, etiamsi non ob hanc causam ingressus sit solem: ita qui cum sceleratis & impijs habitauerit, fieri vix potest, quin etiã præter animi sententiam nonnihil vitij contrahat. Quare consortia malorum diligenter sunt cauenda.

6. *Lauo in innocentia manus meas, & adhæreo altari tuo DOMINE.*
7. *Vbi auditur vox laudis, & commemorantur omnia mirabilia tua.*
8. *DOMINE diligo habitaculum domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Aliud signum, quo depellit à se crimen impietatis. Sicut sacerdotes Leuitici non solent sacra facere, illotis manibus: ita nec ego suscipio sacra instauranda impuro corde, sed ex fide, quę purificat cor, & reddit hominem coram Deo innocẽtem: nec instituo aut sector aliena

aliena sacra, sed adhæreo DOMINE altari TVO. hoc est, illa sacra obseruo, quæ tu verbo tuo mandasti: illa sacra instituo, quæ altari tuo, iuxta præcepta tua conueniunt, quibus videlicet prædicatur vox laudis seu gratiarum actionis, & illustrantur mirabilia tua.

Hæ sunt conciones Decalogi, quo explicatur lex, ad peccati agnitionem, & Euangelij de Messia: quo docetur fides, ad consequendam in Messia remissionem peccati. Huc pertinent sacrificia, quibus sacrificium Messiæ adumbratur. Huc pertinet explicatio Propheticæ scripturę, qua mirabilia Dei opera, ad testificandam potentiam Dei, & seueritatem eius erga impios & impœnitētes, ac misericordiam & clementiam eius erga pios, recensentur. In tali cœtu, in tali ecclesia commorari, quid est iucundius? quid magis salutare? Diligo igitur, DOMINE, habitaculum domus tuæ, & glorioſum locum tabernaculi tui. Non diligo excelsa, non diligo lucos, in quibus hypocritæ solent sacrificare. Non diligo querceta, in quibus impij sua sacra peragunt: sed diligo DOMINE illum locum, & illud tabernaculum, vbi est arca testamenti tui, & in quo legitima sacra, iuxta verbum tuum peragenda sunt. Sed quia tabernaculum, arca & sacrificia in Christum Dominum nostrum respiciunt, idcirco cum Dauid affirmat se hæc diligere, non obscurè significat, se in solum Christum respicere, in solum Christum credere, è solo Christo pendere, & ex ipso solo omnem suam salutem petere. Quomodo igitur impietatis crimini obnoxius esset?

Discamus hoc loco, quod sit verum altare, & verum habitaculum, ac vera sedes & tabernaculum Dei, vi-

delicet, vbi auditur vox laudis, & annuntiantur miracula Dei, (hoc est) vbi celebratur nomen Dei, voce Euangelij Domini nostri Iesu Christi, vt qui audierint, credant, & qui credunt, agnoscant admirandam Dei clementiam, qua nobis peccata nostra propter Christum condonat, & facit nos hæredes cœlestis regni. Sciamus igitur tunc nos verè in domo Dei versari, cum audimus Euangelion Christi, & credimus nos propter Christum in filios Dei adoptatos, quo excitemur, vt & vitam filijs Dei dignam ducamus.

In domo Dei versari.

9. *Ne congreges cum peccatoribus animam meam, & cum viris sanguinarijs vitam meam.*
10. *Qui sceleste agunt, & qui libenter munera accipiunt.*
11. *Ego autem in integritate mea ambulo: redime me & miserere mei.*
12. *Pes meus constat in rectitudine. In ecclesijs benedicam* DOMINVM.

Postquam Dauid commemorauit σημεῖα & argumenta, quibus testificatus est se iniustissimè traduci & accusari impietatis, vertit se nunc ad iudicem, & implorat opem eius: ac petit, vt cum suam causam aduersus impios hypocritas & sycophantas probauerit, seruet ipsum, ne vnà cum sceleratis illis hominibus pereat: Ne congreges, inquiens, animam meam cum peccatoribus. Non dubito, quin hypocritæ illi impij certissimè sint perituri. Sunt enim homines impœnitentes, virulenti, sanguinarij, scelerati, ac munerum acceptores, (hoc est) peruertentes iudicia. (Dicitur enim Exo. 23. Non accipies munera, quæ etiam excæcant

cant prudẽtes,& ſubuertunt verba iuſtorũ. Recte igitur per munerũ acceptores intelliguntur homines cæcati,& ſubuertẽtes ſeu calumniantes aliorũ iuſtè facta & dicta.) Quare fieri nõ poteſt,quin ęterno exitio intereãt. Egoaũt in integritate mea ambulo,& pes meus firmus ſtat in rectitudine, hoc eſt, ego reformaui pro mea vocatione eccleſiam, iuxta perfectã & integram tuam legem:nec declinaui pedibus meis vel ad dextram vel ad ſiniſtram, ſed ſecutus ſum rectà verbum tuum. Peto igitur, vt non congreges,non coniungas me cum peccatoribus, non ſinas me vnà cum ſceleratis hypocritis perire, ſed vt redimas me, & miſerearis mei. Quid autem hoc? Antè appellauit ad ſeuerum tribunal Dei : nunc reuertitur ad implorandam miſericordiam eius? Sed hoc illud eſt, quod ſuprà ex Paulo commemorauimus:Nullius mihi conſcius ſum, non autem ſum in hoc iuſtificatus. Non ſubterfugi, quin omnia in inſtauratione eccleſiæ iuxta verbum DOMINI reformauerim : nec dubitò, quin ſcelerati hypocritæ faciant mihi, in accuſatione impietatis, luculentam iniuriam. Iuſtitia autem meorum operum non eſt tanti momenti, vt propter ea merear condonationem peccati & æternam vitam : hæc enim donantur nobis,gratuita Dei clemẽtia, tantùm propter Chriſtũ,per fidem. Quare,ſicut in cauſa illa, quam habeo aduerſus impios hypocritas, non detrecto iudiciũ tuũ,quàmuis ſeuerũ,ita quod ad beneficiũ remiſſionis peccatorum, & æternæ liberationis attinet, non niſi gratuitam tuam miſericordiam imploro, vt me clementer ſerues ac tuearis. Pro quo beneficio, etſi non habeo, quod pro dignitate rependam, tamen benedicam

dicam,& laudabo te in eccleſijs. In hoc ſtudiũ incumbam,vt componam Pſalmos,qui cõtineant commendationem gloriæ nominis tui,& recitẽtur cùm publicè,tum priuatim in eccleſijs: ac dabo ſummã operam, vt prædicatio verbi tui tranſmittatur & propagetur ad poſteros,quo homines diſcant timorem Dei,fidem in Deum, inuocationẽ ſolius nominis Dei per Chriſtum,patientiam in omnibus aduerſis, & veram obedientiam. hi enim ſunt veri cultus Dei,ad quos peragendos prædicatione verbi Dei,& recitatione Pſalmorum vocamur. Prodeſt autem ſæpè ac multùm meminiſſe de interitu hypocritarum,& eorũ, qui falſam doctrinam ſequuntur & tuentur: vt admonitu eius, excitemur ad cognoſcendam veram pietatis doctrinam, & ad cauendum à falſa. Magna hominum pars iuxta ponunt, ſiue hanc,ſiue illam doctrinam in religione ſectentur,tantummodò honeſtam, iuxta externam ſpeciem,vitam ducas. Sed Spiritus ſanctus teſtificatur,quòd niſi falſam doctrinã deteſteris,& fugias, internitione,vnà cum doctorib. & ſectatoribus eius, pereas,neceſſe ſit. Cauete,inquit, à pſeudoprophetis, & à ermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Et iterum:Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueã cadunt.

Veri cultus DEI.

VSVS HVIVS PSALMI.

Multus eſt huius Pſalmi vſus, præſertim in perſecutionibus,quę vel generaliter propter profeſsionem piæ doctrinæ oriũtur:vel ſpecialiter, quæ alicui propter quandam virtutis ſpeciem iniuſtè accidunt. Et quanquã videtur tantùm eſſe querela Dauidis,coram

Deo,

Deo, cõtra hypocritas, & impios sycophantas, tamen, quia dictatus est à Spiritu sancto, & continet precationem, qua petit precator, ne coniungatur cum sanguinarijs, & sceleratis illis hominibus, significans videlicet, eos horribiliter interituros, idcirco sentiamus eam esse cœlestem sententiam, quæ aduersus impios, in diuino iudicio lata est, & cuius admonitu cõfirmemus fidem nostrã in omni genere persecutionis. Itaq; hoc Psalmo vti potuit Propheta Elias, cum fugeret Isabellã reginã, & lateret præ metu in spelunca, ac vi- 3 Reg. 19
deretur omni auxilio destitutus. Potuit eo vti Naboth 3. Reg. 21
Iesreelita, cum accusaretur blasphemiæ in Deum & in regem, propter vineã. Similiter Hieremias coniectus Hiere. 38
in lacum, in quo non erat nisi lutum, & Daniel in lacum Leonum. Itẽ Athanasius, cũm propter piam doctrinam, quam contra Arrianos profitebatur, fugaretur ex Ægypto vsque in Treuerim Germaniæ. Quid multa? si addideris huic Psalmo dictum illud Christi apud Matthæum cap. 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, ac dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, habebis in persecutionibus, non solùm precationem, verùmetiam cœleste oracultum, quo fidem de certissima salute confirmes.

Athanasius ex Ægypto usq; in Treuerim Germaniæ fugatus.

Psalmus 27.

DOMINVS illuminatio mea & salus, &c.

Olenne fuit, ijs diebus quibus historia passionis Domini nostri Iesu Christi in ecclesia publicè explicabatur, duodecimũ huius Psalmi versiculũ: Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, &c. de falsis testimonijs, quæ coram concilio Pontificum, & Pilato, cõtra Christum dicta sunt, recitare. Quod haud obscurũ est indicium, veterem ecclesiam hunc Psalmum, iuxta διανοιαν, de Christo intellexisse. Hæc sententia pia quidem est, quod & Christus multis calumnijs ac mendatijs sit obrutus: & nemo rectius dicere potuerit, quàm quod est in principio huius Psalmi: DOMINVS illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Sed, quia non habemus, quòd ego sciam, Apostolicum testimonium, quo hic Psalmus Christo, iuxta literam, accommodatur, sentiamus literam eius in Dauidem ita respicere, vt tamen ad Christum, & ecclesiam eius suo modo referatur. Excitatus autem est Dauid ad hanc precationem diuturno suo exilio, in quod eiectus erat à rege Saule, & in quo plurimas & grauissimas ærumnas vidit. Necesse habuit carere patria, & inter impios, qui seruiebant alienis dijs, versari: de qua re conqueritur ipse coram Saule: Si incitant te (inquiens) aduersum me filij hominum, maledicti sunt, in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate

1 Reg. 26

tate DOMINI, dicentes: Vade, serui dijs alienis. Præterea sycophantæ accusauerũt eum affectati regni, & sparserunt de ipso virulentissimas criminationes. Adhæc, non habuit vllum in tantis afflictionibus adiutorem. Erant quidem nonnulli amici, erant & parentes: sed tantũ aberat, vt hi aliquid opis afferre potuerint, vt potius necesse habuerint etiam ipsi exulare: & dolorem eius auxerint, quemadmodum scriptum est 1. Reg. 22. Cum igitur tantis malis premeretur, nec videret vllum humanum auxilium, vertit se ad implorandum auxilium diuinum. Ac initio quidem excusciat & cõfirmat fiduciã animi sui cõmemoratione diuinæ bonitatis & clemẽtiæ. Deinde exponit, vnde tantam fiduciã hauriat. Postremò precatur conseruationem inter tot pericula & aduersa: & hortatur etiam reliquos ad fiduciam & fortitudinem animi.

1. *DOMINVS lux mea & salus mea, quem metuerem? DOMINVS fortitudo vitæ meæ, quem formidarem?*
2. *Cum inuadunt me maligni, vt deuorent carnem meam, aduersarij mei & hostes mei, hallucinantur & cadunt.*
3. *Etiãsi consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: & si consurgat aduersus me prælium, ipse est fiducia mea.*

Si Deus, inquit Paulus, pro nobis, quis contra nos? Sic & Dauid: Multa quidem & grauia incumbunt in me mala, expellor in exilium, versor in medio impiorum, audio seditiosus & homicida, periclitor quouis momento de vita, & quod ad alias maximas ærumnas accedit, etiam amici & parẽtes mei periclitantur propter me, de omnibus suis fortunis. Hæ sunt crassis-

Tenebræ. Lux.

simæ & palpabiles tenebræ afflictionũ: nomine enim tenebrarum apud Hebræos significantur afflictiones: & nomine lucis prosper rerum successus. Quid ergo facerem? Num metuerem, ne in his tantis ęrumnarum tenebris, peream? Nihil minus, quia DOMINVS est lux mea. Num desponderem animum, de salute. Neid quidem: quia, etiamsi non video in his terris vllam salutem, tamen DOMINVS est salus mea. Num timerem mihi ab interitu vitæ meæ? Absit, Dominus enim est fortitudo & conseruatio meæ vitæ. Quid amplius? Multi quidem sunt homines maligni, qui vnum illud agunt, vt carnem meam deuorent. Multi sunt sycophantæ & calumniatores, qui toties in me dentes suos exerunt, & infigunt, quoties me falsò calumniantur, & mendaciter traducunt, (hoc enim est humanam carnem deuorare. Iob 31) Multi sunt aperti mei hostes & aduersarij. Quid igitur? Num desperarem, & fierem ἐπφάσεως? Nullo modo. Dominus enim ita me tuetur, vt non dubitem, quin omnes illi, vel clanculārij, vel aperti hostes mei, necesse habeant, vel tandem hallucinari, impingere, & cadere. Rex Saul, & omnes amici eius sæpe figunt aduersus me castra, & cupiunt mecum inire prælium, vt me opprimant: sæpe me ita circumdant, vt iuxta humanam rationem, me posse euadere, ne quidem somniandum sit. Quid ergo? Num metu ita cohorrescerem, vt omnem fiduciã abijciam? Sæpenumero quidem contingit, vt nulla mihi humana fiducia relinquatur: sed optimè habet, Dominus enim mea fiducia, Dominus mea spes est. Si aũt Dominus est lux, salus, fortitudo vitæ meæ, fiducia & spes mea, quid est, quod trepidarem? quod expauescerem?

Audio,

Audio, inquies, fortia verba, sed non video semper facta verbis respondere. Si enim Dauid tanta est animi fortitudine, quid est, quòd demittit se sporta per fenestram? quid est, quòd conijcit se in pedes, & fugit? quid est, quòd coram rege Achis fingit se stultum & insanum? quomodo hæc cum tam heroicis verbis conueniunt? Hîc intuẽdum nobis est in exemplum Christi, qui, etsi ad conspectum mortis ita cohorruit, vt etiam sanguinem sudaret, tamen nullus hominum, præter ipsum, verius potuit dicere: Dominus lux mea, & salus mea, quem timebo? Assumpsit enim in se nostras infirmitates, & cohorruit mortem carne: qui tamen spiritu ita animatus fuit, vt nec contra vocationem Dei fugeret, cum pateret ei fugiendi spatium: nec repercuteret percussores, cum summam haberet potestatem: nec virulentissimis sarcasmis prouocatus de cruce descenderet, cum hoc citius dicto valuisset. Sic & Dauid, etsi in deserto Maon, ab exercitu Saulis ita cinctus erat, vt desperaret se, quemadmodum scriptura loquitur, posse euadere: tamen potuit alacri animo dicere: Dominus lux mea & salus mea, quem timebo? alterum videlicet, carne, alterum spiritu: illo tantùm discrimine, quòd Christus metuit mortem absq; vllo peccato, Dauid autẽ metuit eam cum peccato, vt verè potuerit cum Paulo dicere: Non quod volo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Si verò, quod nõ volo, hoc facio, consentio legi Dei, quòd sit bona. Nunc autem non iam perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Noui enim, quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonũ. Itaq; homines verè pij, cohorrescunt quidem ad cõspectum ærumnarum & mortis, sed imbecillitate

1. Reg. 23

Rom. 7.

becillitate carnis, & dubitatione de veritate promiſſionis diuinę: quam tamẽ dubitationem odio habent, & libenter eam, ſi poſſent, excuterent: ſpiritu autem ſunt heroës, & in tantum non trepidant, vt malint extremam mortem perferre, quàm diuinæ vocationi repugnare. Dices iterum: Non dubito quidem, quòd animus afflicti fiat fortis, alacer, conſtans & in aduerſis perdurans, ſi DOMINVS fuerit lux, ſalus, & fortitudo vitæ ſuæ. Sed quid faciam, quid agendum ſuſcipiam, vt talis mihi ſit DOMINVS? Scio, quòd quem DOMINVS fauore ſuo complectitur, & felicitate ac ſalute ſua illuminat, non timeat nec caſtra, nec præſium, nec mortem. Sed quò me vertam, vt fauorem & lucem ſalutis eius conſequar? Hîc nunc accedendum eſt ad alteram partem huius Pſalmi.

4. *Vnum petij à DOMINO, hoc requiram, videlicet, vt habitem in domo DOMINI omnibus diebus vitæ meæ, vt videam amœnum cultum Dei, & viſitem templum eius.*

5. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo, tempore afflictionis, occultat me in abſcondito templi ſui, & ſuper petram exaltat me.*

6. *Et nunc exaltat caput meum, ſuper inimicos meos qui circundant me: idcirco ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia laudis, cantabo & laudem dicam DOMINO.*

Hæc eſt altera pars huius Pſalmi, in qua docet, quo modo alacrẽ illam & heroicã fiduciã in omnibus aduerſis aſſequamur. In præſentia autẽ non quæritur, à quo hæc virtus nobis detur: non enim dubiũ eſt, quin

v enias

veniat à Deo,& ſit gratuitũ Dei donũ. Sed quæritur, quo modo, ſeu quo organo nobis detur, vt ad hoc in manus ſuſcipiendum excitemur. Priuſquam igitur audiamus ſententiam Dauidis, recitabimus reſponſum Moſi: Mandatũ hoc, inquit Moſes, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neq; procul ſitũ: ſed iuxta eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum. Et Paulus: Fides, inquit, ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei. Docent autẽ tàm Moſes quàm Paulus, quod ad concipiendam fidem, & fortitudinem eius, neceſſarium ſit, vt audiamus verbum Dei, quod non eſt in cœlo abſcõditum, aut trans mare in ignotis inſulis occultatũ: ſed nobis palàm Prophetica & Apoſtolica prædicatione patefactum. Hoc enim eſt organon, quo Spiritus ſanctus eſt efficax, vt verè agnoſcamus Dominũ eſſe noſtrã lucem, ſalutem, & defenſionem. Quare nihil nobis prius, nihil poſterius ſit, quàm vt ſimus aſsidui verbi Dei auditores, tractatores, & meditatores. Hoc illud eſt, quo in his tribus verſiculis, quos modo cõmemorauimus, reſpicit: Etiamſi conſiſtant, inquit, aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Quomodo igitur tantum fiduciæ, tantum roboris, in corde tuo concepiſti? Reſpondet: Vnum illud ſemper petij à Domino, vnum illud ſemper ſtudui, & ſtudebo, vt inhabitẽ in domo Domini, toto vitæ meæ tempore: & vt ſim ſpectator iucundiſsimi cultus diuini, qui in tẽplo ſeu ſanctuario eius, cœleſti ordinatione peragi ſolet. Nec mihi poteſt quicquã in hac vita iucũdius, & amœnius cõtingere, q̃ vt hæc ſacra, quoties licet, vilitẽ, & coràm inſpiciã. Ac multa quidem aduerſa cõtingunt mihi, in meo exilio. Sed illud longè

Deut.30

Rom.10

longè omnium moleſtiſsimum eſt, quod aduerſarij dicant ad me: Vade, ſerui alienis dijs, (hoc eſt) quod neceſſe habeam inter idolomanitas verſari, & non liceat mihi, vnà cum eccleſia DOMINI, pia eius ſacra celebrare. Quid ergo dicemus? Num Dauid idcirco his ſacris intereſſe cupit, quòd arbitretur, ſe celebratione eorum placare iram Dei, & mereri peccatorum ſuorum remiſsionem? Nihil minus, dicit enim aliàs:
Pſal. 40 Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, Holocauſtum, & pro peccato non poſtu-
Eſa. 1. laſti. Et poſtea dicit Eſaias: Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus, plenus ſum: Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorũ nolui. Dauid igitur non ardet deſiderio videndorũ holocauſtorum per ſe, in tabernaculo Dei, neque enim tam amœna, tam iucunda eſt per ſe laniena pecudum, vt multum voluptatis afferat ſpectatori: ſed lõgè aliud eſt, quod Dauid in templo Dei, & in his ſacris quærit. In tabernaculo enim Dei, ſeu templo adnuntiatur verbũ Dei, & explicantur Propheticæ promiſsiones de Meſsia, & adumbratur ſacrificium Meſsię holocauſtis, & alijs oblationibus. Vbi autẽ hæc peraguntur, ibi fides per Spiritum ſanctum concipitur, & alitur, vt non ſolùm in aduerſis fortiter conſtes, verùmetiam æternam vitam, ac felicitatem certò ſperes & conſequaris. Petit igitur Dauid hos cultus frequẽter videre, & ſacris eorum intereſſe: vt cum credit Dominũ Deum eſſe ſuam lucem, & ſalutem, fide ſua ita confirmetur ac ſtabiliatur, vt nõ metuat ſibi, etiamſi conſiſtãt aduerſus ipſum caſtra, & exurgat contra ipſum prælium. Habes con-

cionem

cionem verbi Dei, & adumbrationem seu explicationem promissionum de Messia esse organon Spiritus sancti, quo in omnibus aduersis confirmamur. Vnde & sequitur: Quoniam abscondit me in tabernaculo, in die afflictionis, (hoc est) si habitauero in tabernaculo Dei, & audiero verbū eius, præsertim illud, quod est de promissione benedictionis in semine Abrahæ, siue illud voce recitetur, siue holocaustis adumbretur, & credidero in corde meo, certè, quicquid ærumnarum, & aduersitatum immineat, Deus ita me conseruat & tuetur, vt quasi me sub vmbra alarum suarū abscondat, donec me illæso pertranseant. Sicut enim homines in grauissimis tēpestatibus solent confugere ad tuta loca, & se subducere ac abscondere sub tecta domorum, donec præterierint: ita cum oriuntur in me tempestates affectuum, vel doloris, vel metus, non habeo aliud asylum, quo me occultem, donec abscedant, quàm tabernaculum Domini, seu verbum & Euangelion Dei, quod in tabernaculo & verbis adnuntiatur, & sacramentis quasi palpandum proponitur. Nec solùm cōseruat & tuetur me, vt has tempestates illæsus euadam, verùmetiam exaltat me super petram, efficit, vt & firmus consistam, & attollam caput meum super omnes hostes meos, ac reportem insignem victoriam, etiamsi me vndiq; circumdederint, & in medio ipsorum, tanquam confestim opprimendum, concluserint. Huius rei multa exempla de Dauide extant, ac imprimis illud, quod scriptū est, 1. Reg. 23. Ibat Saul, (inquit Scriptura) & viri eius ad latus montis ex parte vna, Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera. Porrò Dauid desperabat se posse euadere

à facie Saul. Itaq; Saul & viri eius, in modum coronæ
cingebant Dauidem & viros eius, vt caperent eos: &
tamen Dauid euasit. Quod de euasione è manu ex-
terni hostis factum est, idem etiam cõtingit pijs com-
morantibus in tabernaculo DOMINI, hoc est, creden-
tibus verbo Dei, de euasione è manu spiritualium ho-
stium, qui sunt satan, mors, & infernus. Qui enim cre-
dit Euãgelio Dei, quis aduersus ipsum crimina inten-
tabit? Deus est, qui iustificat: quis ille qui condemnet?
Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est,
qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro
nobis. Vides, quanta beneficia consequatur is, qui
commoratur in tabernaculo Dei, & videt sacra eius,
hoc est, audit verbum eius, & adhibet ei veram fidem.
Quam ergo repones pro tantis beneficijs gratiam?
quod genus gratitudinis ostendes? Sacrificabo, in-
quit, in tabernaculo eius sacrificia iubilationis, seu
laudis, cantabo & laudem dicam DOMINO. In Leui-
tico cap. 7. describitur hostia gratiarũ actionis, quam
hoc loco vocat sacrificium iubilationis seu clangoris.
Hæc hostia offerebatur in Mosaica politeía, acceptis
beneficijs, ad testificandam animi gratitudinem. Dicit
ergo Dauid, se, postquam acceperit à Deo maxima
beneficia, oblaturum hostiã iubilationis. Et quid sibi
velit, mox exponit: Cantabo, inquit, & Psalmum di-
cam DOMINO. Alij alijs rebus suscipiunt gratitudi-
nem animi sui erga Deum declarandam: ego autem
componam Psalmum quendam, quo nomen Domini,
seu immensa eius clementia celebretur, & ad posteros
Psal. 69. propagetur. Nam hoc imprimis Deo placere, testatur
in alio Psalmo: Salus tua, inquiens, suscepit me. Lau-
dabo

dabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo super vitulum nouellũ, cornua producentem & vngulas. Quid autem sit, quòd hoc genus gratitudinis Deo mirificè placeat, copiosè alias expositum est, & superuacaneum hîc repetere.

7. *Audi DOMINE vocem meam, cum clamo: miserere mei, & exaudi me.*
8. *Recordor in corde meo, te dixisse: Quærite faciem meam, faciem igitur tuam quæram DOMINE.*
9. *Ne abscondas faciem tuam à me, ne abbijcias in ira seruum tuum. Tu enim es auxilium meum: ne derelinquas me, nec deseras me, Deus salutis meæ.*
10. *Quoniam pater meus & mater mea deseruerunt me, & DOMINVS colligit me.*

Postrema pars Psalmi cõstat precatione. Postquã enim afflictus cõfirmatur fide, & alit eam auditu verbi Dei, quemadmodũ paulò antè dictũ est, excitatur ad inuocationẽ nominis Dei, & accedit alacri animo ad thronũ clemẽtię Dei, vt exponat ipsi suas ærumnas, ac petat cõseruationẽ & liberationẽ. Dominus, inquiẽs, est lux & salus mea. Quam fiduciã de Domino tradũt mihi, quasi in manũ, imò in cor meũ, promissiões Prophetię de benedictiõe seminis Abrahę, seu de Messia, qui tot sacris in tabernaculo adumbrat. Quid ergo aliud reliquũ est, cũ vt attollã oculos meos ad te Domine Deus noster, & nomẽ tuũ in aduersis meis cõfidenter inuocẽ? Itaq; clamo ad te, audi, queso, vocẽ meã: nec audi tãtùm, sed etiã misertus mei, exaudi me. Tu enim sępè ac multũ dictis tuis, quorũ nũc mihi in mentẽ venit, cohortaris nos, vt quæramus faciem tuã, vt in aduer-

ſis nomen tuum inuocemus, & à te ſolo auxilium expectemus. In Deuter. cap. 4. dicitur: Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum. Et Samuel ad populum, 1. Reg. 12. ait: Nolite recedere à tergo Domini, ſed ſeruite Domino in omni corde veſtro, & non derelinquet Dominus populum ſuũ propter nomen magnum ſuum. Hæc & alia id genus dicta reuoco in mẽtem meam. Quare non recedam à tergo Domini, ſed queram faciem eius ſolius: quam, vt inueniam, quæſo te, ne abſcõdas eam à me, nec me ſeruum tuũ iratus abijcias, aut deſeras. Te enim ſolum agnoſco, auxilium & ſalutem meam: nec habeo alium, ad quem confugiam. Eſt mihi pater, eſt mater, ſunt & amici: ſed hi tantum abeſt, vt me in his meis aduerſis iuuare queant, vt potius ipſi aliena ope indigeant.

Notum enim eſt, quod inter alios exules, etiã parentes Dauidis confugerint ad ipſum, & opem eius implorauerint. Vnde & commendat eos regi Moab:
1. Reg. 22 Maneat, oro (inquiẽs) pater meus, & mater mea vobiſcũ, donec ſciam, quid faciat mihi Deus. Quare Dauid omni humano auxilio deſtitutus, è ſolius Dei fauore pendet: Dominus (inquiẽs) colligit me: parentes non iuuant me: amici non iuuãt me. Etſi enim non deeſt mihi iuuandi eos voluntas, tamen deeſt facultas. Dominus autem ſuſcipit me, Dominus defendit me, Dominus complectitur me, vt inter tot pericula tutus conſiſtam.

Habes hîc compendiariam & optimam rationem, qua Deus ad exauditionem precum excitatur, videlicet, vt agnoſcamus nõ alium, præter ſolum Dominum Deum, adiutorem & ſeruatorem noſtrum. Hoc enim ſibi

ſibi vult primum præceptum Decalogi: Non habeas alienos deos coram me, (hoc eſt) non agnoſcas alios ſeruatores, & liberatores. Quare, ſi Deus viderit te huic primo ac præcipuo mandato obſequium præſtare, & a ſola ipſius ope pendere, teneri non poteſt, quin reipſa teſtificetur ſoli ſibi epitheton & honorem ſeruatoris vere competere. Rex Ioſaphat, proſternit ſe coram Deo in repentina hoſtium incurſione, & ait: Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Ecce igitur tibi, cum Rex ſolum Deum liberatorem agnoſcit, confeſtim reportat ab hoſtibus admirandam victoriam. 2. Paralip. 20.

11. *Doce me DOMINE viam tuam, & deduc me in ſemita recta propter inimicos meos.*

12. *Ne tradas me libidini inimicorum meorum, quoniam inſurgunt aduerſum me teſtes mendaces, & ſpirantes iniuriam.*

13. *Niſi credidiſſem, me viſurum beneficium DOMINI in terra viuentium, (defeciſſem.)*

Alia precatio, imò eadē cum priori, verbis tantùm mutatis. Primùm enim, inimici mei intenti ſunt in omnem occaſionē, vt mihi noceant, & me opprimant. Oſtende igitur mihi Domine Deus, quem ſolum habeo tutorem & ſeruatorē, viam tuam, & deduc me in recta ſemita, qua euadam, & inter tot inimicorum inſidias conſeruer. Deinde inimici mei non ſimpliciter tenentur deſiderio me opprimendi, verùmetiam producunt aduerſus me teſtes quidem, ſed mendaces, & virulentos calumniatores, qui non ſpirant, niſi im-

pudentiam & iniuriã, vt videantur, se optimo iure me opprimere. Ac breuiter, tanta rabie in me grassantur, quoquo modo possunt, vt nisi munitus fuissem fiducia diuinæ misericordiæ, qua credo, me consecuturũ beneficia Dei inter homines in hoc seculo, iamdudum perijssem. Deus enim promisit mihi, vngẽte Samuele, regnum Israëlis, & quę beneficia ad rectam & felicem regni gubernationem necessaria sunt. Inimici autem mei tanto furore in me grassantur, vt nisi firmus in verbo seu promissione Dei constarem, non solùm non consequerer regnum promissum, verùmetiã ne quidem vitam inter homines in hoc seculo retinerem. Quæso igitur te, Domine Deus noster, non tradas me voluntati inimicorum meorum, vt pro sua libidine in me sæuiant, & opprimant. Hi versiculi docent quanta sit efficacia fidei, quæ adhibetur verbo diuinæ promissionis: Nisi credidissem, (inquit) iamdudum perijssem. Dauid enim habuit multos & magnos aduersarios, passus est multa & magna aduersa, sæuierunt in ipsum multi & magni sycophantæ, & sparserunt de ipso grauissima crimina ac mendatia. Nec potuisset, vel humanis cõsilijs, vel mundanis armis constare: & tamen constitit. Quo modo? FIDE. Fides igitur est, qua conseruamur inter medios hostes, & euadimus
Hebr.11. omnia pericula, vt Epistola ad Hebrẽos rectè cõmendet fidem esse hypostasin earum rerum, quæ sperantur, & elenchum eorum, quæ non videntur.

14. *Expecta DOMINVM, confortare, & roboretur cor tuum, & expecta DOMINVM.*

Memorabilis appendix, qua cohortatur Dauid suo ipsius

ipſius exemplo, vniuerſam eccleſiam, vt in aduerſis animum quiſq; ſuum fide in promiſsionem Dei confirmet, & in ea fide expectet patiẽter opem DOMINI. Illud enim vult Dauid dicere: Si quiſquam alius, ego certè hactenus tantis afflictionibus obiectus ſum, vt de fama & vita non ſolùm periclitarer, ſed etiam animum penè deſponderem. & tamen mirãdo modo ſeruatus ſum: credidi enim verbo diuinæ promiſsionis, & expectaui opem cœleſtẽ. Rex Saul, capitalis meus hoſtis, in manus meas aliquoties ita peruenit, vt potuiſſem eum tutò interficere: ad quod etiã facinus amici me cohortabantur, ac ſentiebant hanc interficiendi hoſtis occaſionem mihi diuinitus oblatam. Sed repuli eos, & malui expectare opem Domini, quàm manum eius præuenire, & me ipſum vindicare. Dixi, propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittã manum meam in eum. Cum igitur cõfirmaſſem cor meum fide in promiſsionem, qua Deus receperat ſe collocaturum me in regno Iſraëlis, & expectaſſem legitimum tempus eius, (hoc enim eſt expectare Dominum) non ſolùm liberatus ſum ab inſidijs Saulis, verùmetiam in regia eius maieſtate collocatus. Hoc autem non tantùm propter me factum eſt, ſed maximè omnium propter vniuerſam eccleſiam Dei, vt, quiſquis grauibus aduerſis afflígitur, concipiat ex Euangelio Dei fidem, confirmet cor ſuum fide, & non properet ſeſe ſuis priuatis & illegitimis, iniquis, aut impijs conſilijs liberare: ſed expectet Dominum, conſtet in vocatione Domini, & confirmet cor ſuum ſpe. Sic enim tantum abeſt, vt expectatione ſua pudeſiat, vt cum arbi- 1 Reg. 24

tratur

tratur omnia esse conclamata, cœleste auxilium derepente & mirando modo adsit. Respondebis autem: Constanter & ipse expectarem Dominum, si ea essem sanctitate, qua fuit & Dauid. At enim hæc nõ est Spiritus sancti, sed prophanę carnis obiectio. Quod enim Dauid sanctus fuit, non ex operibus, sed ex fide fuit. An non & ipse dicit: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Agnosce igitur & tu peccata tua, crede in Christum, & expecta Dominum: tunc agnoscet Deus etiam te sanctum, & seruabit te in omnibus aduersis.

VSVS HVIVS PSALMI.

Præcipuum eius vsum vltimus hic versiculus exponit: Expecta Dominum, confortare, & roboretur cor tuũ, & expecta Dominum. Proponit enim Dauid suum exemplũ, quemadmodum paulò antè exposuimus, & hortatur, vt in afflictionibus de promissa Dei clementia non dubitemus, sed confidenter in vocatione Dei pergamus. Certò enim futurum est, vt etiamsi fractus illabatur orbis, non tamen spe nostra pudefiamus. Recitemus igitur hunc Psalmum, in grauibus nostris ærumnis, vt confirmata fide, speremus post tenebras lucem, & post tempestates, serenitatem.

Psalmus

Psalmus 28.

Ad te DOMINE clamabo, Deus meus, ne fileas à me.

INterpretum, alij alias commemorant occasiones, propter quas Dauid hunc Psalmum conscripserit, & ecclesiæ vtendum tradiderit. Manifestum enim est, quòd varijs casibus, nunc calumnijs, nunc exilio, nunc infamia, nunc periculis inter amicos, nunc periculis inter inimicos iactatus sit. Manifestum & illud est, quòd non semper vsus sit aduersa fortuna, sed habuerit aliquoties prosperum rerum suarum successum: vt nunquam non habuerit occasionem vel inuocandi Dominum, & opem eius petendi, vel gratias ei pro beneficijs agendi. Composuit igitur hunc Psalmum tanquam generalem formulam, qua partim muniret se precibus aduersus futuras aduersitates, partim gratum se propter accepta beneficia testificaretur. Itaq; constat hic Psalmus duabus partibus: altera precatione, altera gratiarum actione.

1. *Ad te DOMINE clamo, petrà mea, ne fileas erga me, ne si tacueris, similis fiam illis, qui descendunt in foueam.*
2. *Audi vocem precationis meæ, cum clamauero ad te, cum extulero manus meas ad aditum sanctuarij tui.*

Tria ſunt, quæ Pſalmus in hac priori ſua parte precatur. Primum eſt, vt Dominus non taceat, nõ obmuteſcat, ſed reſpondeat, exaudiat, & faciat ipſum voti ſui compotem, quocunq; tempore clamauerit, ac manus ſuas verſus adytum ſanctuarij ſuſtulerit (hoc eſt) Dominum Deum inuocauerit. Solebant enim Iſraëlitæ tam præſentes, quàm abſentes, manus ſuas in precatione, ad arcã fœderis ſeu propitiatorij, quæ in adyto, ſeu ſecretiori, & ſacratiori parte tabernaculi Dei, poſita erat, ſuſtollere, propterea, quòd arca habebat promiſsionẽ præſentiæ Dei, & exauditionis eius, quẽadmodũ Exo. 25. & 3. Reg. 8. ſcriptũ eſt. Vocat autẽ Dominũ Deum, petrã ſuã, quòd in inuocatione ſua non nitatur, vel ſua, vel alia quadã humana iuſtitia, ſed ſola ſolius Domini Dei clementia & bonitate. Vnde & ingenuè fatetur, de ſua ſalute, niſi Dominus ipſum adiuuerit, prorſus actum eſſe. Nam hoc illud eſt, quod addit: Ne ſi tacueris, fiam ſimilis ijs qui deſcendunt in foueam. Tacere enim ad inuocationem eſt auerſari preces, & tacendo, exauditionem negare: deſcendere autem in foueam, eſt deſcendere in ſepulcrum, ſeu morí, & perire. Quare etiãſi in præſentia, nulla calamitas Dauidẽ aut alium quendã pium opprimat, tamẽ quia omnes, qui agnoſcunt Chriſtum, & volunt piè viuere, obnoxij ſunt varijs ærumnis, & neceſſe habent incurſionem ſatanæ & membrorũ eius, quouis momẽto expectare: idcirco prudẽter faciunt, quòd antequã pericula veniunt, muniant ſe precibus, & petant, vt quotieſcunq; inuocauerint Deũ, confeſtim ipſos exaudiat, & clementer reſpondeat: quippe quod ſciãt, non præſentes tantùm, verùmetiam futuras ærumnas tanta eſſe

esse grauitate, vt nisi Dominus Deus mox opem ferat, moriendum sibi sit, & pereundum. Sed quid? an non impudentiæ potius est, quàm rectæ fidei, postulare à Deo, vt quoties inuocamus ipsum, statim exiliat de throno suæ maiestatis, & ad nos iuuandos accurrat? Et, an non homines ea sunt petulantia, vt magna ex parte petant magis sibi detrimentosa, quàm salutaria? Num & in his petitionibus exaudiat eos Dominus? Sciamus igitur primùm, quod hîc fiat sermo, non de impiorum, quorum oratio tantum abest vt sit salutaris, vt etiam, quia est sine fide, peccatum fiat: sed de piorum precatione, qui etiamsi aliquoties non nouerunt, quid sint oraturi, vt oportet, tamen spiritus intercedit pro ipsis, gemitibus inenarrabilibus. Deinde sciamus, quòd Deus ipse recepit se suis promissionibus omnes populi seu ecclesiæ suæ precationes exauditurum. In Exodo capite sexto: Assumam (inquit Dominus ad ecclesiam suam) vos mihi in populum, & ERO VESTER DEVS. Hoc quid aliud est, quam si dixisset, exaudiam vos in omnibus precibus vestris, & liberabo vos ex omnibus vestris periculis? In Leuitico cap. 26. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus. In Deut. cap. 4. Non est alia natio tàm grãdis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quid plura? Cum aduenisset Christus filius Dei in carne, clarè & perspicuè dixit: QVICQVID petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium. Inuocare autem Deum iuxta voluntatem, & iuxta promissionem, imò iuxta mandatum eius, in omnibus aduersis, non

Rom. 14.

Rom. 8.

Ioan. 14.

eſt impudentia, ſed obedientia, non eſt temeritas, ſed neceſsitas: quippe quòd non ſit alius, qui nos in extremis periculis iuuare & liberare queat, præter Dominum Deum noſtrum. Quare, quod Pſalmus hoc loco precatur, vt Deus exaudiat ipſum, quoties extendat manus ſuas, & inuocet eum, non ex carne, ſed ex ſpiritu fidei profectum ſentiamus.

3. *Ne trahas me vnà cum impijs & cum operantibus iniquitatem, qui loquuntur amicè cum proximis ſuis, & malum (cogitant) in cordibus ſuis.*

Secunda petitio, qua precatur, ne vnà cum impijs & ſceleratis hypocritis in exitium conijciatur. Video hunc mundum plenum eſſe hominibus impijs, ac peſſimis quibuſq; exemplis. Alij enim homines ſunt palàm ſcelerati, alij ſunt hypocritæ, tàm in politia, quàm in eccleſia. In politia quidem nulla penè eſt fides in contractibus, nulla conſtantia in pactis & conuentis. Colloquuntur quidem homines inter ſe amicè & promittunt multa: ſed corde aut inuident, aut impoſturas meditantur, & violant, data quacunque occaſione, fidem. Depræhẽſi autẽ in perfidia, eludũt, rident: Tempori, inquiunt, ſeruiendum eſſe: & pacta eſſe inuenta, non perdendæ, ſed ſeruandæ rei gratia. In eccleſia inuenias maximam partem hypocritarum, qui veniunt in veſtimentis ouium, & policentur quidem omnem cœleſtem benedictionem, ſi doctrinam ipſorum fueris ſectatus, intus autẽ ſunt lupi rapaces. Non enim quærunt, quæ ſunt Dei, & veræ ſalutis, ſed quæ ſunt ſua, & æternæ damnationis. Quid pluribus opus? Vniuerſus

uersus mundus plenus est hypocritarum tàm politicorum quàm ecclesiasticorum. Et horum exitio nihil est certius. Precatur ergo vel Dauid, vel alius quispiam pius, vt Dominus conseruet ipsum, ne vnà cum sceleratis hominibus, qui sunt hypocritæ, in exitium trahatur & conijciatur. Ante diluuium erant hypocritæ, quia etsi homines edebant, bibebant, & contrahebant matrimonia, (hoc est) ducebant inter se vitam amicissimã, non tamen erat nisi mera hypocrisis. Loquebantur pacem cum proximis: sed in corde cogitabant malum. Ante conflagrationẽ Zodomiticam ciues administrabant rempub. suam summo inter se consensu: sed non erat nisi hypocrisis, quia nec erat vlla vera coram Deo pietas, nec syncerus amor erga proximum. In aula regis Saulis, è qua Dauid in exilium eiectus erat, magna erat aulicorum concordia, & amicissima familiaritas: sed omnia erãt plena hypocrisi: loquebantur cum proximis pacifica, in cordibus autem gestabant hostiles affectus. Quid ergo factum est? Quo tempore minimè expectabatur, venit diluuium in orbem, incendium in Zodomam, & interitus Saulis, & exercitus eius: ac sustulit hypocritas è medio horribiliter, pios autẽ seruauit mirabiliter. nouit enim Dominus, inquit Petrus, pios è tentatione eripere, iniustos verò in diem iudicij puniendos seruare. Non igitur abijciamus studiũ veræ pietatis, inter hypocritas, & pessima huius mundi exempla, sed inuocemus Dominum, & pergamus vocationẽ eius sectari, certa fiducia concepta, quòd etiamsi reliqui omnes pereant, tamẽ Dominus non trahat nec conijciat nos vnà cum impijs & hypocritis in exitium. 2. Pet. 2.

4. *Da eis ſecundum opus ipſorũ, & ſecundũ mala ſtudia eorum. Da eis ſecundũ opus manuũ ſuarũ, redde eis, vt merentur.*
5. *Quoniã non aduertunt animũ ad opera DOMINI & ad opus manuum eius. Deſtruet eos, & non ædificabit ipſos.*

Tertia petitio, qua orat, vt Dominus reddat impijs hypocritis, quod impietate ſua merentur, & puniat ipſos, pro merito impiorũ ſuorũ ſtudiorũ. Hoc autẽ nihil aliud eſt, q̃ precari, vt impij in æternũ pereãt. Nam hoc eſt ipſorũ meritũ. Cæterùm, in recitandis Pſalmis ſæpè ac multũ occurrũt imprecationes, quib. impij & ſcelerati homines deuouẽtur. Nõ eſt aũt ſentiẽdum, q̃ tales imprecatiões, (ſicut iã aliquoties admonuimus) ſint carnales maledictiões, qualibus homines priuato ſuo affectu in proximos inuehi & graſſari ſolẽt: ſed ſint cœleſtia iudicia, ac diuina oracula, quib. Spiritus ſanctus publicè in eccleſia promulgat ſentẽtiam Dei, aduerſus impios latã. Promulgatur aũt hæc ſentẽtia publicis Pſalmis, partim, vt impij ſeueritate huius ſentẽtię ad timorẽ Domini excitẽtur, & reſipiſcant: partim, vt pij in officio cõtineãtur, ne & ipſi ad impietatẽ deficiãt: partim, vt afflicti ab impijs cõſolationem capiãt, quòd cognoſcãt impiorũ vel ſecuritatẽ, vel crudelitatẽ non diu duraturã, quippe quòd Deus teneri nõ poſsit, quin cũ ſentẽtia iudicij ſui ſit patefacta, & vniuerſa eccleſia petat executionem eius, properet ad ſuppliciũ impijs inferendũ, & ad pios liberãdos. Sed q̃d faciũt impij, aut quod eſt opus & ſtudiũ ipſorũ, propter quod diuina ſentẽtia condemnantur? Additur: Quoniã, inquit, non intelligũt, nõ obſeruãt, non intẽdunt, nõ aduertũt animũ ad opera manuũ Dei, & ad cõſilia eius. Sciamus igitur, quæ ſunt opera manuũ Dei, & quę cõſilia eius.

Quod

Quod quidem ad præsens negotium attinet, opus manuũ Dei est, quòd impĳ, qui blandis verbis alios seducunt, & loquũtur ore amica, in corde autẽ gestant inimica & hostilia, sibĳpsis parẽt exitiũ, & suo se gladio, (quod dici solet) iugulent. In Psal. 7. dicitur de impio: Lacũ aperit, & effodit eum, & incidit in foueã, quam fecit. Cõuertitur dolor eius, (quẽ alteri inferre studet) in caput ipsius, & in verticem ipsius iniquitas eius descẽdit. Pereũt igitur impĳ, quia pergũt pios opprimere, & non cogitãt hoc iudicium, & hoc opus Domini, quòd insidiãdo & opprimẽdo pios, seipsos opprimãt, & in æternũ exitium conĳciãt. Vnde & in Zacharia dicitur: Qui tãgit vos, tangit pupillã oculi sui. Deinde opus manuum Domini est, quòd benefaciat impĳs, in hoc seculo inõ hoc cõsilio, vt felicitate sua abutãtur ad oppressionem piorũ, sed vt beneficĳs Dei inuitati, resipiscãt, & verã ipsi quoq; pietatẽ sectentur. An ignoras, inquit Paulus, quòd bonitas Dei ad pœnitentiã te inuitat? Impĳ autẽ abutũtur hac Dei bonitate ad crudelitatem, potius erga pios, quàm ad capessendã pietatẽ. Cum igitur non aduertant animũ ad hoc opus & consiliũ Domini, sed pergunt præfractè in sua impietate, mirũ non est quòd pereãt: mirum autẽ esset, si ita affecti, seruarentur. Adhæc opus manuũ Domini est, quòd cum obĳcit ecclesiam suam grauibus aduersis, & affligit pios, non meditetur internetionẽ ipsorũ, sed liberationẽ & salutẽ. Dominus, (inquit Hãna) mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperẽ facit & ditat, humiliat & subleuat. (hoc est) cum Dominus mortificat, meditatur vitã, cum deducit ad inferos, seu videtur omnino perdere, cogitat reducere

Rom. 2.

1. Reg. 2.

cere in cœlum: cum immittit paupertatem, vult dare diuitias: cum deprimit, vult in altũ erigere. Impij autem non obſeruant, non aduertunt animũ ad hoc opus & conſilium DOMINI, quia, cum vident eccleſiam ſeu pios affligi, arbitrãtur eos à Deo odio haberi, & abiectos eſſe, vt perpetuò intereant. Quare addunt afflictionem afflictis: & cum, iuxta Zachariam, Deus iratus fuerit parum, ipſi adiuuant in malum: & cum, iuxta Eſaiam, Dominus iratus eſt ſuper populum ſuum, & contaminat hæreditatem ſuam, ac dat eos in manum impiorum, non ponunt eis miſericordias, ſed aggrauant, etiam ſuper ſenes iugum ſuum valdè. Ideoq; meritò accidit impijs, quod in eodem Propheta ſequitur: Veniet ſuper te malum, & neſcies ortũ eius, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet ſuper te repẽtè miſeria, quam ne cogitaueras quidem. Agedum igitur, non inſpiciamus opera manuum Dei oſcitãter, ſed aduertamus animum ad conſilia eius. Et ſiquidem dederit proſpera è manibus ſuis, non abutamur ijs ad impietatem, ad contumeliam proximi, & ad arrogantiã, ſed ad pietatem erga Deum, vt bonitate eius excitati, gratias ei, tàm verbis, quàm operibus agamus, & ad vtilitatem proximi, vt rebus eius conſulamus. Nam hoc conſilio largitur nobis Deus proſpera. Si autem è manibus ſuis immiſerit aduerſa, non murmuremus, ſed humiliemur ſub potenti manu eius, & inuocemus nomen ipſius, ac ſine vlla hæſitatione credamus, ea nobis adiumento eſſe in bonũ. Hoc enim conſilio affligit Dominus pios, vt ducat ipſos per afflictiones in verum & cœleſte gaudium.

Zach. 1.

Eſa. 47.

6. Benedictus

6. *Benedictus DOMINVS, quoniam exaudit vocem precationis meæ.*
7. *DOMINVS fortitudo mea, & scutum meum. In ipsum sperat cor meum, ideoq; adiuuor, & exultat cor meum, ideoq; laudo eum cantico meo.*
8. *DOMINVS fortitudo eorum, ideoq; est etiam fortis seruator Christi sui.*

Hæc est altera pars huius Psalmi, gratiarum videlicet actio pro exauditione. Etsi autem plærique precatorij Psalmi, quibus addita est gratiarum actio, collati sunt in literas, non in ipsis afflictionum paroxysmis, sed post liberationē ex afflictionibus: tamen hic Psalmus, quia est generalis precādi formula, qua semper in rerū etiā tranquillitate vtēdum est, vt munianus nos aduersus imminentia pericula, quemadmodū oratione, (quam ita vocant) dominica vti solemus, idcirco cōmemorat gratiarum actionem, priusquam pericula ipsa & afflictiones acciderunt, vt precator admoneatur de certitudine liberationis, & doceat, in præsentibus periculis, non aliter confidendum, & Deo gratias agendas esse, quam si iam omnia aduersa euasisset. Accedit & illud, quòd etiamsi precator in præsentia nondum percipit reipsa liberationem, tamē antè sæpe mirando modo seruatus est. Ex quo certò colligi potest, quòd Deus seruaturus sit etiam ipsum in periculo, seu iam præsenti seu futuro. Benedictus, inquit, seu laudandus, & omni cōmendatione dignus est Dominus Deus noster, quòd me clemēter in precibus, quas modò recitaui, exaudiat. Tametsi enim in præsentia non admodum grauiter affligor, sed fruor mediocri rerum

felicitate, nec videtur mihi hoc tempore singularis & admiranda liberatio necessaria: tamen quia non est dubium, quin grauissimæ quæq; tentationes & ærumnæ suo subinde tempore soleant recurrere, & nihil certius sit, quàm quòd Deus me in his sit seruaturus, idcirco ago ei perinde gratias, ac si beneficium liberationis iam manu tenerem. Etenim, quæ hactenus precatus sum, Deus promissionibus suis recepit se præstiturũ. Dixit: Inuoca me in die tribulationis, & exau-
Gen. 18. diã te: affirmauit, se non occisurũ vnà cum impio iustũ, vt fiat iustus, sicut impius: significauit palàm se abominari impios, & perditurũ omnes, qui loquũtur mendatium. Quis autẽ Domino promittenti, affirmãti, & asseueranti fidẽ non haberet? quis de certitudine verbi Dei dubitaret? Cum igitur ego nihil aliud precatus sim, q̃ quæ Dominus ipse precari iussit, & quorũ exauditionẽ diserte promisit, teneri nec possum, nec debeo, quin canã, contrà quàm vetus habet prouerbium, encomium ante victoriã, & exclamem: Benedictus & laudandus Dominus, quoniam iam me adhuc precantem, & liberationem nondum sensu ipso externo percipientem exaudiuit. Nec mirum: agnosco enim solum Dominum meam fortitudinem, meum robur, in omnibus aduersis, meum scutum contra omnia iacula hostium, siue corporaliũ, siue spiritualium. non igitur dubito, quin se talem mihi exhibeat, qualẽ ego agnosco, & qualis ab omnibus vult haberi. Deinde, spes mea in solo Domino collocatur, & in sola gratuita clementia eius, quam promissionibus testatus est, acquiesco. non est igitur nec mirum, nec nouum, quòd adiuuet me, nec sinat, vt spe mea pudefiam. Præterea, cor

meum

meum in Domino exultat. Alij exultant in facultatibus huius terræ, alij in maiestate regia, alij in voluptatibus corporis, ego autem exulto in solo Domino nostro. Hæc mea est lætitia, hoc meum est gaudium vt gloria nominis Dei promoueat, ac bonitas, clementia, misericordia, & gratia Dei inter homines illustretur. Quare hanc mihi præcipuam operam sumo, vt nomen Dei Psalmis & carminibus celebrem, quo homines excitati agnoscant Dominum, & inuocent eum in omnibus suis afflictionibus. Postremò laudo Deum & gratias ei ago, quòd non sit mea tantùm solius fortitudo & scutum, verùmetiam sit fortitudo eorum, hoc est, omnium illorum, qui sunt ex populo suo, & vera membra ecclesiæ suæ. Dicit enim: Ego assumo vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis, quòd ego sum Dominus Deus vester, &c. Deum autem esse Deum populi sui, est esse protectorem, seruatorem, fortitudinem, robur, scutum & clypeum eorum. Et quia Deus est fortitudo populi sui, idcirco non est dubium, quin etiam sit mea Dauidis qui sum Christus, seu vnctus & Rex eorum, fortitudo: vt sit mutuus inter regem & populũ respectus. Rex enim seu Magistratus constituitur diuinitus, non sua ipsius, sed populi gratia. Et siquidem Deus voluerit populo benefacere, dat eis regem pium, clementẽ, prudentem, & fortem. Si autẽ voluerit populum affligere, ac punire: solet eis dare vel impium, vel tyrannum, vel imbellem & effœminatũ regem. Dauid ergo congruenter commemorat, quòd cum Deus sit fortitudo populi sui, sit etiam sua ipsius fortitudo, quippe qui propter ecclesiam populi, sit in regem vnctus & constitutus.

Exod. 6.

Reges.

Hæc admonent reges & principes ſui officij, vt meminerint ſuam ipſorum ſalutē è ſalute populi, ſuo quodam modo, pendere: & ſiquidem Deus complectitur ſuo fauore populum, eum regibus etiam & principibus benefacere. Quare in hoc ſtudium maximè omnium incumbant, vt benè ſit populo, hoc eſt, vt gubernent, quo ad eius in hac humani generis corruptione fieri poteſt, populum, nō pro ſuo priuato arbitrio, ſed pro arbitrio verbi Dei, quo populus verum Deum cognoſcat, & veram pietatem ſectetur. Admonēt quoq; patresfamilias ſui officij, vt cogitent, ſe propter familiam liberorum diuinitus in parentes inſtitutos, non familiam propter ipſos conditam: & ſciant, ſuam ſalutem, in familię ſalute ſuo modo ſitam eſſe. Quare illud præcipue curent, vt familia erudiatur in vero timore DOMINI, & habeat Deum patrem cœleſtem propitium. Sic enim fiet, vt & patresfamilias beneficio Dei fruantur.

Patres familias.

9. *Serua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, & paſce eos, & extolle illos in æternum.*

Redit à gratiarum actione ad precationem. Et quia iam dixit Deum ſuam eſſe fortitudinem, quòd ſit populi fortitudo, idcirco precatur vt Deus benefaciat populo ſuo, & effundat benedictionem ſuam in eum cumulatè, quò & ipſe benedictionem conſequatur. Serua, inquiens, populum tuum in omnibus periculis ſiue præſentibus, ſiue futuris, ſic enim & ego ſeruabor. Benedic hæreditati tuæ. Populus Iſraël tuus eſt populus, non meus. Tu dixiſti: Filius meus primogenitus Iſraël.

Iſraël. Et in cantico Moſi: Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui fiant immobiles, quaſi lapis, donec pertrãſeat populus TVVS DOMINE, donec pertranſeat populus, QVEM POSSEDISTI. Hæreditas igitur DOMINI eſt populus Iſraël, ſeu Eccleſia. Precor igitur vt in hanc tuam hæreditatem in hunc tuum populum effundas benedictionem tuam: ſic enim & mihi continget benedictio. Et paſce eos, paſcuis videlicet verbi tui: ſic enim & ego paſcar. Et extolle illos in æternum, reddas eos magnos & glorioſos, non in hoc tantùm ſeculo, verùmetiam in futuro, vt exaltentur in cœleſtem hæreditatẽ, quæ eſt immortalis, incontaminabilis, & immarceſsibilis: ſic enim & ego extollar, vt vnà fruamur perpetua felicitate. Diſcat autem ex hoc loco Magiſtratus populum fidei ſuæ cõmendatum in timore Domini gubernare, & cogitet in ſalute populi ſuam quoq; ſalutem contineri: vt ex eo admoneatur, ne priuatis ſuis cupiditatibus indulgeat, ſed publicæ populi ſui vtilitati ſeruiat. Verè quidem ſcriptura alias dicit: Salus populi, princeps ſapiens. Sed ſapientia datur Principi à Deo, non propter principis ipſius merita, ſed propter populum. Nam ſi Deus regnare facit (iuxta Iobem,) hominem hypocritam, propter peccata populi, & dat (iuxta Eſaiam) pueros & effœminatos, ad puniendam populi impietatem, facilè intelligi poteſt, quòd Deus det etiam propter populi pietatem principes pios & ſalutares. Cum igitur ſalus principũ pendeat ſuo quodam modo è populi ſui ſalute, ſciant principes, ſe tum ipſis rectè benefacere, cum pro officio ſuo ſaluti populi ſui conſulant.

Exo.15.

1.Pet.1.

Iob 34.

Eſa.3.

Vſus huius Pſalmi.

Hoc Pſalmo vtendum eſt, in rebus tàm proſperis, quàm aduerſis. In proſperis quidem, vt animum aduerſus euenturas afflictiones muniamus. In aduerſis autem, vt fidem confirmemus, & diſcamus Deo in præſentibus periculis non aliter gratias agere, quàm ſi iam liberationem aſſecuti eſſemus. Nihil enim certius eſt, quàm quòd Deus pias preces ex fide profectas exaudiat. Quare, etiamſi opem Domini, & liberationem ex aduerſis nondum ſenſu ipſo percipimus, tamen agendæ ſunt Deo gratiæ, & cum Iobe, omnibus facultatibus & liberis ſpoliato dicendum eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Propterea quòd quæ fide, & expectatione beneficiorum, quæ diuinitus promiſſa ſunt, è manu Domini ſperantur, certiora ſunt, quàm quæ in præſentia cernuntur.

Pſalmus

Psalmus 29.

Afferte DOMINO filij Dei, &c.

VI in expoſitione huius Pſalmi retinent βρονταν, & per tonitrua, fulgara & confractionem cedrorum intelligunt, non metaphoricà, ſed meteorologica, & phyſica, quæ Domino Deo noſtro creante, diſpenſante & gubernante in magnis tempeſtatibus fieri ſolent, non omnino vana ſomnia ſequuntur. Nec illud à vero abhorret, quòd arbitrentur hunc Pſalmũ eccleſiæ propoſitum, tanquam generalem recitandi formulam, qua in horribilibus tempeſtatibus, tonitruis, fulgetris & ventis vteretur, & qua homines, maximè autẽ omniũ reges, principes, & qui magna in hoc ſeculo potẽtia ſunt ornati, admonerentur, vt non confidãt, nec abutantur ſua potentia & maieſtate, ſed potius è cœleſtibus tonitruis & fulgetris agnoſcãt potentiam & maieſtatẽ Dei, quam timeant & adorent. Ex creatione enim mundi, vt Paulus ait, & ex viſibilibus eius operib. intelligũtur inuiſibilia Dei, æterna videlicet potẽtia & diuinitas eius. *Rom. 1.*

Sed alio nos vocãt Pſalmus 96. Cãtate Domino cãticũ nouum, cãtate Domino omnis terra. Et Pſal. 97. Dominus regnauit, exultet terra, &c. Et 98. Cãtate Domino, &c. Qui, ſicut aliquot verſiculis huius Pſalmi, quẽ in preſentia interpretandũ ſuſcepimus, diſertè vtũtur, tanquam ex ipſo mutuò acceptis, ita haud obſcurè apparet, ꝙ quaſi paraphraſi quadã ipſum interpretentur.

Conſtat

Constat autẽ, quòd illi Psalmi vaticinentur, & canant diuulgationem regni & Euangelij Domini nostri Iesu Christi in vniuersum orbẽ terræ, & inter omnes gentes. Adnuntiate, inquit alter, inter gentes gloriã eius, in omnibus populis mirabilia eius. Et mox: Dicite in gentibus, quia Dominus regnat. Quare sentiamus, etiam hunc Psalmum, quem præ manibus habemus, de regno Christi, & diuulgatione Euãgelij, quo Christus in toto terrarum orbe regnat, intelligendum esse.

Fortasis initio pro filius Elim, scriptũ est: filii Adam.

1. *Afferte DOMINO, filij Heroum, afferte (inquam) DOMINO gloriam & potentiam.*
2. *Afferte DOMINO gloriam nominis eius, adorate DOMINVM in ornatu sancto.*

Eosdẽ penè versiculos habes Psal. 96. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, &c. Hi ergo duo primi versiculi sunt propositio exhortationis. Suscepit enim Psalmus cohortãdos filios heroum, hoc est, omnes principes & potentes huius seculi, adeoq; omnes incolas terræ, vt ex voce & diuulgatione Euangelij in vniuerso mundo, & inter omnes gentes, agnoscant gloriam, potentiam & maiestatem Domini nostri Iesu Christi, & celebrẽt nomẽ eius, adeoq; adorẽt eum, vt verum Deum & seruatorem nostrum, in ornatu sancto, (hoc est) in vera fide, qua sola, sicut cor purificatur, ita etiam ornatur. Afferte, inquiens, Domino. Cui Domino? Christo vero filio Dei, Deoq; ipso, qui assumpsit quidem, suo tempore, hominem ex Maria virgine, humanis imbecillitatibus obnoxium,

sed

sed exaltauit & collocauit eum ad dextrã Dei patris sui, vt regnet vnà cum ipso, in cœlo & in terra. Quid autem afferant Christo? Afferte, inquam, non boues, non oues, non capras, qualia quondam in Mosaica politia afferebantur ad templum Hierosolymitanum: sed afferte gloriam, & potentiam, afferte laudem nomini eius dignam. Nolite vobis quicquam vel gloriæ, vel potentiæ & maiestatis tribuere, sed tribuite omnem gloriam & maiestatẽ Domino nostro Iesu Christo: & adorate eum obedienti fide. Datum est enim ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum. Nec est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. *Philip. 2. Act. 4.*

3. *Vox DOMINI in aquis, Deus gloriæ tonat, DOMINVS in aquis multis.*
4. *Vox DOMINI in potentia, vox DOMINI in maiestate.*

Propositionem sequitur ratio, cur soli Domino nostro Iesu Christo omnis gloria sit adscribenda, & tribuenda. Vox enim eius tonat in aquis multis, & sonat potenter ac magnificè. Hæc vox est prædicatio & diuulgatio Euangelij in vniuerso mundo. Sicut enim tonitrua fiunt diuinitus in aquis, adeoq; in aquis multis, (hoc est) in nubibus aquosis, seu multa aqua plenis, & excitant homines ad considerationem potentiæ & maiestatis Dei: ita Christus misit, per Apostolos, Euãgelion suum in vniuersum mundum, magna potentia & maiestate, per quod, tanquam per tonitruum, exci-

tantur gentes in toto orbe, vt agnoſcant ſummam maieſtatem Chriſti, & conſequantur per fidem, æternã ſalutem. Etſi enim vox Euãgelij videtur eſſe vox potius hominis, quàm Dei: tamẽ res ipſa teſtificatur, quòd ſit tonitru cœleſte, ad cuius fragorem, ſicut impij horribiliter exterrentur, ita pij attollunt capita ſua, & redemptorem ſuum obuijs, quod aiunt, vlnis excipiunt.

Mar. 3. Vnde & Chriſtus ipſe, cum emitteret Iacobũ & Ioannem ad prędicãdum Euangelion ſuũ, impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filij tonitrui: quippe quòd Euangelion, ad quod adnuntiandũ ablegarentur, non ſit vox hominis, ſed tonitruum cœleſte, cuius ſonitu omnes populi excitentur, ad agnoſcẽdam maieſtatem

Filij tonitrui.

Rom. 1. Chriſti. Et Paulus ad Romanos ſcribens: Euãgelion, inquit, POTENTIA Dei eſt, ad ſalutẽ omni credẽti. Ac

1. Theſ. 2 iterum: Cum acciperetis à nobis ſermonẽ, quo Deum diſcebatis, accepiſtis non ſermonem hominũ, ſed ſicut erat verè, ſermonem Dei, qui & agit in vobis credentibus. Cum igitur Euangelion Chriſti ſit vox illa, quę breuiſsimo tempore, vulgata & ſparſa eſt, apud om-

Coloſ. 1. nem creaturã, (vt Paulus ait) quę ſub cœlo eſt, & collegerit eccleſiam ex omnibus gentibus, idq; non quidem terrena & humana, ſed cœleſti & diuina potẽtia ac maieſtate, meritò adſcribẽda eſt Chriſto ipſi omnis gloria, & huic ſoli omnis cultus adorationis exhibendus. Cæterùm, quòd Paulus ad Corinthios ſcribens,

1. Cor. 2. vocet Chriſtũ Dominũ glorię, cum inquit: Si cognouiſſent, haudquaquam Dominũ gloriæ crucifixiſſent, nõ obſcurè apparet, hoc epitheton Chriſti, è tertio huius Pſalmi verſiculo ſumptũ eſſe: vt manifeſtũ ſit, Chriſtũ eſſe Dominũ & Deum illũ, cui Pſalmus iubet omnem gloriã & maieſtatẽ afferẽdam ſeu tribuendã eſſe.

5. *Vox*

5. *Vox DOMINI confringit cedros, confringit DOMINVS cedros Libani.*

6. *Et exilire facit eas, vt vitulum: Libanon & Sirion, vt pullum vnicornium.*

Quod Paulus ad Corinth. ſcribens: Arma militiæ noſtrę (inquit) non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad demolitionẽ munitionũ, quibus armis cõſilia demolimur, & omnẽ celſitudinẽ, quæ extollitur aduerſus cognitionẽ Dei, & captiuã ducimus omnẽ cogitationem ad obediendum Chriſto, &c. hoc Pſalmus his duobus verſiculis, metaphora cedrorum, & montiũ Libani ac Sirion explicat. Vox enim Domini, quemadmodum antea indicauimus, eſt Euãgelion Chriſti. Nomine autẽ cedrorũ, earumq; quæ ſunt in Libano, monte in ſacris literis valdè celebri, excelſiſsimę, intelligitur more ſacræ ſcripturę, omnis huius mũdi potentia, ſapientia, iuſtitia, ſublimitas & celſitudo. Vnde apud Ezech. cap. 31. Regnũ Aſſyriorũ dicitur quaſi cedrus in Libano, pulcrũ ramis, & frõdibus nemoroſum, excelſumq; altitudine, & cuius cacumen eleuatũ eſt inter cõdenſas frondes. Et Pſal. 37. Vidi impiũ ſuperexaltatum & eleuatũ, ſicut cedros Libani. Quod de cedris Libani dicitur, idẽ intelligendũ eſt de arboribus in mõte Sirion, (cuius fit mẽtio in Deu. cap. 3. & vocaturaliis nominibus, Hermon, & Sanir,) vt metaphora, huius mõtis ſeu arborũ eius ſignificetur, quicquid eſt in hoc ſeculo excelſum & ſublime. Pſalmus igitur in celebrãda & illuſtranda potẽtia ac maieſtate vocis Domini, quæ eſt Euãgelion Chriſti, dicit hoc Euangelion, cũ diuulgatur in mũdo, confringere cedros, easq; cedros Libani, quæ celſitudine reliquis præſtant, & arbores montis 2. Cor. 10

Sirion, vt, quemadmodum vitulus ſolet aduerſus ſtimulum calcitrare, & pullus vnicornium exilire, ita & rami illarum arborum, voce DOMINI confracti, & diſsipati hinc inde exiliant & ſaltitent. Quo ſignificatur, quòd Euangelion Chriſti demoliatur omnem potentiam, ſapientiam, & iuſtitiam huius mundi, & ſuſcipiat eam, in obedientiam Chriſti, captiuam ducendam. Hinc fit, vt contrà fremant gentes, ſicut alij Pſalmi canunt, & populi iraſcantur ac meditentur inania, aſtent reges terræ, & principes conueniant in vnum aduerſus DOMINIVM, & aduerſus Chriſtum eius. Hoc enim eſt more vituli & pulli vnicornium ſaltitare & calcitrare. Chriſtus enim, qui per Euangelion ſuum in vniuerſo mũdo regnat, eſt lapis ille, apud Danielem cap. 2. qui de monte ſine manibus abſciſſus, percutit ſtatuam, & conterit pedes eius, vt concidat, quemadmodum ſupra, Pſal. 24. dictum eſt. Dicitur autem Chriſtus voce Euangelij ſui confringere cedros, hoc eſt, demoliri regna, & potentiã huius mundi, reijcere ſapiẽtiam, & damnare iuſtitiam huius ſeculi, non quòd mundano modo regna deſtruat, (regnum enim eius non eſt de hoc mundo, & tamen niſi ipſe regna huius mundi gubernaret, non conſiſterent,) nec quòd reddat homines in rebus huius ſeculi ſtultos & inſipientes, (humana enim ratio ſeu ſapientia, donum eſt Dei, & in ſuo gradu neceſſaria,) nec quòd velit, vt homines in hoc ſeculo ducant inhoneſtam & ſceleratam vitã, (Deus enim, non eſt Deus volens iniquitatem:) ſed quòd exigat, vt aut omnis humana potentia, ſapiẽtia, & iuſtitia cedat, in rebus cœleſtibus, & ad veram ac æternam ſalutem noſtram pertinẽtibus, ſoli potentiæ,

Pſal. 2. & 99.

tiæ, ſapientiæ & iuſtitiæ Chriſti, quæ per Euangelion eius patefacta eſt, & ſubijciatur ei: aut ſi reſtiterit, aboleatur vel tandem, ac ſuo tempore prorſus è medio tollatur, & pereat. Sicut enim Eſaias dicit: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, (eccleſiæ Chriſti,) peribit, & gentes, (quæ te oppugnant,) ſolitudine vaſtabuntur: ita & de ſapientia & iuſtitia hominum dicendum eſt, quòd niſi tradant ſe captiuas Chriſto, & ſeruiant ei, abolebuntur & peribunt. Tradamus igitur omnia noſtra in obſequium Chriſti, vt conſeruemur. *Eſa. 60.*

7. *Vox DOMINI efficit flammas ignis.*

Euangelion Chriſti, quod eſt vox DOMINI, non ſolùm tonat, quemadmodum verſu tertio dictũ eſt, verùmetiam efficit flammas ignis, (hoc eſt) fulgurat, fulminat, & inflammat, quæcunq; arripuerit. Primùm enim, ſicut fulgur exit ab oriente, & apparet vſque in occidentem, ita flamma Euangelij diſperſa eſt à Hieroſolymis, vſq; ad extrema terræ. Deinde corda credentium ita accẽdit & inflammat, vt malint crudelem mortem perferre, quàm nomen Chriſti abnegare. Huius rei ſpecimen exhibitum eſt in die Pentecoſtes, quo Spiritus ſanctus, miſsis igneis linguis, Apoſtolos ita inflammauit, vt non ſolùm varijs linguis loquerẽtur, verùmetiam exponerẽt vitam ſuam ad propagandam gloriam nominis Chriſti, extremis periculis. Poſtremò, fulmen Euangelij non ſolùm proſternit hoſtes, & perſecutores eius, verùmetiam niſi reſipiſcãt, abſumit eos perpetuo interitu. Saulem (qui & Paulus) proficiſcentem ad Damaſcum, vt opprimeret pios, circum- *Act. 9.*

fulgurauit ſubitò lux è cœlo, & proſtrauit eum in terram: ſed quia continuò ſubiecit ſe voci Domini, idcirco, etſi conciderat, tamen reuocatus eſt clemẽtia Domini ab interitu, & factus eſt inſignis Apoſtolus. De his autem qui pergũt increduli eſſe, & eccleſiam perſequi, dicit Paulus: Iuſtum eſt apud Deum reddere
2. *Theſ.* 1 iis, qui affligunt vos, afflictionem: & vobis, qui affligimini, relaxationem nobiſcum, cum reuelabitur Dominus Ieſus de cœlo, cum angelis potentiæ ſuæ, cum INCENDIO FLAMMÆ, &c.

8. *Vox DOMINI commouet deſertum, commouet DOMINVS deſertum Cades.*

Nomine & metaphora deſerti, adeoq; deſerti Cades, (quod eſt horribile & vaſtiſsimũ, & in quo Iſraëlitæ poſt egreſſum ex Ægypto multis annis errarunt, quemadmodum Num. 13. & 20. & Deut. 1. ſcriptũ eſt) intelliguntur regiones Gentiũ, in quibus omnia erant propter idolomaniam inculta, horrenda, ſterilia, & à cultu veri Dei alieniſsima. Vox autem Domini, ſicut ſuprà dictum eſt, ſignificat vocem Euangelij de Chriſto, diuulgatam miniſterio Apoſtolorum, in omnibus Gentibus. Hæc igitur vox tantæ eſt energiæ, tantæ efficaciæ, vt commouerit vaſtiſsima quæq; deſerta, & fecerit ex ipſis agros cultiſsimos. Hoc eſt, excitauerit immanes & impias Gentes, vt agnoſcerent Chriſtum, & quæ antea erant ſteriles, fierent amœniſsimi horti eccleſiæ, ac proferrent vberrimos fructus ad implendum cœleſte horreum. Eadem deſerti metaphora deſcribit Eſaias vocationẽ Gentiũ: Lętabitur, inquiens,
Eſa. 35. deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit, quaſi lilium

liliũ germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: Gloria Libani data est ei, &c. Et iterum: Leuabunt (vocem) desertum & ciuitates eius, villæ in quibus habitat Cedar, &c. Ac rursus: Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darẽ potũ populo meo, electo meo. Et iterum: Deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt prę habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Nam hæc de vocatione Gentiũ intelligẽda esse interpretatur Esaias ipse: Hæc dicit (inquiens) Dominus Deus: Ecce leuabo ad Gentes manũ meam, & ad populos exaltabo vexillum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt, &c. *Esa.42.* *Esa.43.* *Esa.49.*

9. *Vox DOMINI commouet ceruas, & denudat syluas, ideoq; in templo eius quilibet dicat (ipsi) gloriam.*

Apud Iobẽ cap.39. de ceruis dicitur: Nunquid parturientes ceruas obseruasti? dinumerasti menses conceptus earũ, & nosti tempus partus earum. Huius dicti autoritate intelligimus ceruas temporibus partus sui recipere se in loca ab hominum cõtubernio remotissima, nec posse obseruari, vel numerum mensium à conceptu earum, vel certitudinẽ temporis partus ipsarum. Et tamen, qui animalium naturas describunt, affirmant ceruas, metu beluarum iuxta vias parere, & octonis mensibus vterum ferre. Arbitramur igitur ceruas parturientes, natura quidem sua, recipere se in trãquillitate in remotissima syluarũ loca, vt vel à reliquarũ ferarũ, vel etiã ab hominũ incursu sint tutæ: in tẽpestatibus autẽ, ac tonitruis & fulgurib. excitari, vt conferant *Aristi. li. 6. de natura animalium.* *Plinius.*

conferant ſe, contra ingenium ſuum, ad ſemitas humanis veſtigijs tritas, & ibi pariant. Significatur autem hac metaphora, quòd vox Domini, quæ eſt vox Euangelij de Chriſto, excitet gentes: vt etſi natura ſua abhorrent ab omni humanitatis & pietatis cultu, & in valſta barbarie, quaſi in abditiſsimo deſerto deliteſcũt: tamen commotæ & inflammatæ voce Euangelij conferant ſeſe ad manſuetũ genus vitæ, & ad amplectendam veram pietatem. Idem etiam ſentiendum eſt, de ſyluarum denudatione. Vox Domini, inquit, denudat ſyluas, videlicet inuias, & reddit eas peruias. Quia poſtquam Euangelion Chriſti diuulgatũ eſt inter Gentes, inuiæ prius ſyluæ factę ſunt peruiæ, & loca arida facta ſunt humida, iuxta illud Eſaię, cuius antea mentionem fecimus: Ponam in deſerto viam, & in *Eſa.43.* inuio flumina. Ac mox: Dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo. Ac iterum: *Eſa.49.* Ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur. Hæc omnia reſpiciunt in vocationem gentium per Euangelion Chriſti: quòd antè quidẽ Iudęi & Gentes fuerint religione ſua inter ſe diſiunctiſsimi, ac nulla potuerit via inter ipſos conueniri. Poſtquam autem Gentibus reuelatũ eſt Euangelion Chriſti, denſiſsimæ ſyluæ, quæ Iudæos à Gentibus ſeparauerant, ita denudatæ & patefactę ſunt, vt factus ſit alteris ad alteros facillimus tranſitus, vnde & Eſaias: *Eſa.19.* In die illa, inquit, erit via de Ægypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius Ægyptum, & Ægyptius in Aſſyrios, & ſeruient Ægyptij Aſſur. Quid autem hoc ſibi ve- *Epheſ.2* lit, Paulus ad Epheſios interpretatur: Nunc, inquiens, per Chriſtum Ieſum, vos qui quondam eratis longinqui,

qui, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex vtrisq; vnum, & interstitium maceriæ diruit, &c.

Porrò, in fine huius noni versiculi additur cohortatio ad gratiarũ actionem. Cum enim Deus patefecerit gentibus in toto orbe terrarũ Euãgelion filij sui, quod est potetia Dei ad salutẽ omni credẽti, Iudæo primum, simul & Græco, reliquum est, vt quilibet siue Iudæus, *Rom.1.* siue Ethnicus testificetur, pro hoc summo beneficio, suam erga Dominum Deum gratitudinem, & deferat ei laudem gloriæ in templo suo, (quod est ecclesia Christi,) idq; non verbis tãtùm, verùmetiam quouis pio officio. Exigit autem Deus à nobis pro gratitudine, laudem, & gloriam nominis sui: non quod vel indigeat, vel delectetur humana commendatione: sed partim, vt hac gratitudine inuitemus eum, ad præstanda plura & maiora beneficia, vetus enim dictum est: Gratiarũ actio est ad plus dandum inuitatio: partim, vt laude nominis Dei alij homines excitentur ad fidem, & obedientiam fidei. Illud enim agit, vt illustrata nominis sui gloria, homines ad agnitionem veritatis veniant, & veram salutem consequantur.

Gratiarũ actio ad plus dandum inuitatio.

10. *DOMINVS ad diluuium sedit, & sedebit DOMINVS rex in æternum.*
11. *DOMINVS fortitudinem populo suo dabit. DOMINVS benedicet populum suum pace.*

Potuisset hic Psalmus cohortatione, quæ cõtinetur in fine noni versiculi, cõcludi: sed visum est addere hos duos versiculos, vt sciamus, quanta cura, quanto stu-

dio Dominus conſeruet & tueatur eccleſiã, quæ voce Euangelij ex vniuerſo orbe colligitur, & quibus beneficijs eam afficiat. Dominus (inquiens) ſedit ad diluuium, & ſedebit Dominus rex in æternum (hoc eſt) ſicut Dominus gubernauit quondam diluuium, temporibus Nohæ, vt etſi impij perierũt, tamẽ pius Noha, vnà cum familia ſua in arca incolumis & ſaluus conſeruaretur: ac præterea etiam arcum poneret in nubibus, quo teſtificaretur, ſe deinceps aquis terram non vaſtaturum: ita etiam ſedebit, gubernabit & tuebitur Dominus eccleſiam ſuã perpetuò in diluuio baptiſmi, quem baptiſmũ, Apoſtolica prædicatione, in toto orbe inſtituit: Baptiſate, inquiens, omnes gentes, in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: vt etiamſi magna pars impiorum in hoc diluuio ſubmergantur, & ſuffocentur, tamen eccleſia, quæ agnoſcit vocem Domini, per Apoſtolos diuulgatam, ſalua enatet, & tanquam in arca, omnia pericula euadat. Ex hoc verſiculo concionatus eſt Eſaias cap. 54. Sicut, inquiens, in diebus Nohæ iſtud mihi eſt, cui iuraui, ne inducerem aquas vltrà ſupra terram: ſic iuraui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te. Montes enim cõmouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te: & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Et Petrus, 1. Petr. 3. Mortificatus quidem (inquiens) carne, viuificatus autem Spiritu, in quo etiam abierat: & ſpiritibus, qui erãt in carcere, prædicauerat, inobedientibus quondã, cum ſemel expectabatur lenitas Dei, in diebus Nohæ, cum apparabatur arca, in qua paucæ (hoc eſt) octo animæ ſeruatæ fuerunt per aquam. Cuius figuræ nunc reſpondẽs baptiſmus,

ptiſmus, nos quoq; ſaluos reddit, quo nõ carnis ſordes abijciuntur, ſed quo fit vt conſciẽtia bene reſpondeat apud Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei (quod Pſalmus dicit: Sedebit Dominus rex in æternum) profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis & poteſtatibus ac virtutibus. Sedet autem Dominus Chriſtus ad dextrã Dei patris ſui, nec ociosus, nec ignauus, ſed dat populo ſuo, vt hic Pſalmus ait, fortitudinẽ, & benedicit eum pace, (hoc eſt) ornat eccleſiam ſuã magna animi cõſtantia in omnibus aduerſis, & effundit in eam omne genus beneficiorũ, vt fruatur æterna pace ac ſalute. Hoc alius Pſalmus ſic effert. Aſcendiſti in altum, cœpiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Paulus autem interpretatur: Qui deſcẽdit, (inquiẽs) idem ille eſt, qui etiã aſcẽdit ſupra omnes cœlos, vt impleret omnia. Et idem dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euãgeliſtas, alios autẽ paſtores & doctores ad inſtaurationẽ ſanctorum, &c. Cum enim Chriſtus in reditu ſuo ad Deũ patrem diceret: Ecce ego vobiſcũ ſum, omnibus diebus, vſq; ad conſummationẽ ſeculi, manifeſtè ſignificat, ſe eccleſiam ſuam in tantum non deſerere, etiãſi non adſit viſibili ſpecie, vt non ſolum conſeruet eam potenti manu, verumetiã ornet eam omni genere donorum, adeoq; æterna ſalute & felicitate.

Pſal. 68.

Ad Epheſ. cap. 4.

VSVS HVIVS PSALMI.

Continet hic Pſalmus encomiũ Euãgelij de Chriſto Domino noſtro. Et quod hîc copiosè explicatur, hoc Paulus in pauca cõfert: Euãgelion, inquiẽs, eſt potẽtia Dei ad ſalutẽ omni credẽti. Vtamur igit hoc Pſalmo, primùm quidẽ in publicis perſecutiõibus, quas hoſtes

veræ pietatis aduerſus prędicationem Euangelij mouere ſolent, vt fidem noſtrã confirmemus, & forti animo inſultum hoſtium perferamus. Etſi enim minæ & crudelitas eorum videtur carni eſſe extrema internecio, tamen non ſunt niſi fulgura, vt prouerbium habet, ex pelui. Solum autem Euãgelion Chriſti, verum eſt tonitru, & fulmen: ac ea eſt potẽtia & maieſtate, vt ſicut deijcit & demolitur omnem poteſtatem extollentem ſeſe aduerſus Chriſtum, ita conſeruat omnes fide ſua ipſum complectentes ad ęternã ſalutem. Quare non cohorreſcamus ad minas hoſtium, ſed conſiſtamus firmi, in Euangelij profeſsione. Deinde vtamur eo in priuatis tentationibus: vt ſi quando corripimur metu afflictionis, mortis & inferni, propter peccata noſtra, ſumamus in manus hunc Pſalmũ, & recitemus eum, vt admoneamur de potentia Euangelij, & bene confidamus, quòd etiamſi peccata noſtra minãtur nobis interitum, tamẽ quia habemus & agnoſcimus fide Euangelion Chriſti, de remiſsione peccatorum propter Chriſtum, certò ſciamus, hoc Euangelion eſſe tonitruum, fulgur & fulmen contra omnes ſpirituales poteſtates in cœleſtibus, & conſeruet nos in omnibus aduerſis.

Fulgura ex pelui.

Pſalmus

Psalmus 30.

Exaltabo te DOMINE, quoniam suscepisti me.



Titulus huius Psalmi apud Hebręos est Psalmus, qui cãtatus est in dedicatione domus Dauid. Arbitrantur autẽ aliquot interpretes, quòd dedicatio eius domus, quam Dauid, capta vrbe Hierusalem, ædificauit, & cuius fit mẽtio in posteriori libro Samuelis cap. 5. (solenne enim fuit domos recens ædificatas peculiari ritu dedicare, quemadmodum significatur Deut. 20.) dederit Dauidi occasionem, vt hunc Psalmum componeret, & ecclesiæ in ea dedicatione publicè cantandum proponeret. Quod ergo ad titulum attinet, etsi sunt, qui existimant, titulos Psalmorum esse claues, (vt ipsi loquuntur,) ad ipsorum intelligentiam, tamen non videntur à Dauide, aut alijs Psalmorum autoribus initio adiecti: sed lõgè pòst, ab alijs scriptoribus, qui Psalmos in vnum volumen contulerunt, & pro suo arbitratu, vel ad peculiaria argumẽta, vel ad diuersa Musica instrumenta accommodarunt, appositi esse. Itaq; clauis intelligentię huius Psalmi videtur magis & rectius in versiculis ipsis Psalmi, quàm in titulo quęrenda. Hos, si expendamus, non erit obscurum, quòd Dauid aut laborauerit periculoso quodam ac lętali, vt videbatur, morbo, aut concussus fuerit graui aliqua tentatione de morte & inferno. Ex quibus fluctibus, post- 2. Reg. 5

quàm diuina clementia, ſaluus eluctatus eſſet, & enataſſet, inſtituit hoc Pſalmo gratiarum actionem: & hortatur eccleſiam ſuo exemplo, primùm quidem, ne confidant præſenti rerum felicitate, ſed cogitent, nihil humanarum rerum in hoc ſeculo firmum & ſtabile eſſe, ac ſoiere ſubito caſu, quæ valuerunt, ruere. Deinde, vt pro acceptis beneficijs, Deo diligenter agant gratias, quo deinceps, ſi proſperrerum ſucceſſus fuerit mutatus, audeant nomen & opem Dei iterum confidenter & alacriter inuocare, ac liberationem & ſalutem certò ſperare.

1. *Exalto te DOMINE, quoniam erexiſti me, & non exhilaraſti inimicos meos ſuper me.*
2. *DOMINE Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me.*
3. *DOMINE eduxiſti ex inferno animam meam, viuificaſti me, ne vnà cum alijs deſcenderem in lacum.*

Cum hic Pſalmus inſtitutus ſit ad gratiarum actionem, conſideremus initio, quod ſit beneficium illud, propter quod celebrat nomẽ Domini, & agit gratias. Erexiſti, inquit, me. Ego ita deiectus eram, vel in periculoſiſsimum morbum, vel in aliam quandam grauiſsimam afflictionem, vt nulla humana coniectura potuerim de liberatione benè ſperare. Tu autem Domine Deus meus, cum opem tuam implorarem, tanta me clementia complexus es, vt appræhenſa quaſi manu me iterũ erexeris, & eleuaueris. Inimici mei, quos habeo multos & magnos, arbitrabantur mihi certiſsimum imminere exitium, vt haberent, quo non tàm in ſinu gauderent, quàm palàm ærũnis meis inſultarent. Tu autem, Deus meus, expectationẽ eorũ ita fefelliſti,

vt

vt quantã antea exhilarationẽ animi ſui ex meo caſu ſperauerunt, tanta nunc ægritudine, propter meã ſalutem, laborent. Ego morbo tàm animi, quàm corporis, ita afflictabar, vt de ſpe meæ incolumitatis conclamatum eſſet, nec aliud mihi reliquum, præter mortẽ, ſepulcrũ, & extremum interitũ, videretur. Tu autem, cum te Dominum Deum meum, vt patrem, inuocarẽ, tanta beneuolẽtia me reſpexiſti, vt me è lacu, hoc eſt, è faucibus mortis & inferni, eripueris, & me priſtinæ ſanitati reſtitueris. Quid igitur pro tãtis beneficijs referam? Quid viciſsim tibi rependam? ſi delectareris holocauſtis, adeoq; hecatombis, nullis certè ſumptibus parcerem. Sed quia nihil poſſum tibi reddere, quod non ſit antea tuũ, faciam, quod vnum mihi reliquum eſt, prædico tuã clemẽtiam, cõmendo tuam miſericordiã, laudo tuã bonitatem. Tu me exaltaſti: viciſsim & ego te exalto, quoquo modo poſſum. Tu me erexiſti: viciſsim & ego nomen tuum erigo, & qua poſſum laude, extollo. In his tribus verſiculis, obſerua primùm, quæ ſit ſors piorum in hoc ſeculo. Etſi enim habent condonationẽ peccatorum, propter Chriſtum, & recepti ſunt in gratiam Dei, tamen neceſſe habent adhuc tantas in hoc mundo ærumnas ferre, vt videantur aliquoties extremæ internetioni proximi eſſe. Quo autem conſilio Deus hoc permittat, aut etiam ſubornet ipſe, aliàs ſuo loco explicari ſolet. Non miremur ergo, ſi grauibus periculis obijciamur: miremur potius, ſi cui piorum proſper ſemper rerum ſucceſſus contigerit, propterea quòd ſententia lata ſit, vt pij per multas tribulationes ingrediantur in regnum cœlorum, & in his terris affligantur, vt conformes reddantur

dantur Christo filio Dei. Deinde, inter afflictiones non postremum locum obtinet lætitia inimicorum, in nostris aduersis. Nõ exhilarasti, inquit, inimicos meos super me, videlicet significãs, quòd afflictiones nostrę tanto graviores fiant, quanto maiorem voluptatem ex ijs inimici nostri capiant. Vnde, cum Philistijm reportarent victoriam ab Israëlitis, & interfeciſſent he-
2. Reg. 1 roas Israëlitarum, exclamat Dauid: Nolite adnuntiare in Gath, neq; adnuntietis in compitis Ascalõnis, ne fortè lætentur filiæ Philistijm, ne exultent filiæ (hoc est) regiones, seu ciuitates, quæ non sunt metropolitanæ, quas nos vocare solemus filialia) incircunciſorum. Illud vult sibi querela Dauid, quòd lætitia, & insultatio hostiũ reddit nõbis nostras afflictiones moleſtiores, & graviores. De qua re idcirco admonemur, vt gaudentibus de nostra infelicitate hostibus, non inuehamur in ipsos virulenter: sed benè confidamus, quòd quo maior est lætitia hostium, tanto propinquior sit nostra liberatio, & ipsorum interitus.

Adhæc, obserua hîc efficaciam piarum precum. Dominus Deus meus, inquit, clamaui ad te, & sanasti me, eduxisti ex inferno seu inferni doloribus animam meam, &c. Hoc illud est, quod apud Ioannem cap. 14. dicitur: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium. Postremò, diligenter considera, quo præcipuè officio testificemur coram Deo gratitudinem nostram, pro acceptis beneficijs. Exalto, inquit, te, seu celebro, ac magnifacio nomen tuum. Deus enim non delectatur aut multitudine sacrificiorum, aut longitudine ieiuniorum, aut duritia chamcuniarum, sed delectatur laude & celebra-

tione

tione nominis ſui, quæ non verbis tantùm, verùm etiam bonis exemplis conſtat. Nec delectatur hac laude, pro more hominũ ambitioſorum, ſed vt propagetur commendatio clementiæ & miſericordiæ eius, ac homines excitentur ad inuocationem in aduerſis, & benè confidant.

4. *Pſallite DOMINO ſancti eius, & prædicate ſacroſanctam memoriam eius.*

Poſtquam tribus prioribus verſiculis egit gratias Domino pro acceptis beneficijs priuato ſuo nomine, cohortatur nunc vniuerſam eccleſiam, vt ei ipſa ſuo exemplo agat Domino gratias. Pſallite, inquiens, Domino omnes ſancti eius. Sancti Dei hoc loco dicuntur, miſericordiam à Deo conſecuti, & multis gratuitis beneficijs affecti. Nam, quę beneficia Deus confert in ſanctam ſuã eccleſiam, numerari non poſſunt. Cum Iſraëlitæ electi eſſent in populum Dei, non ſolum liberauit eos Dominus è tyrannide Ægyptiaca, verumetiam conſeruauit ipſos magnis miraculis in deſerto. Deinde dedit eis terram Canaan, & inſtituit in ea leges eccleſiaſticas, politicas, & œconomicas, ac defendit eos in omnibus hoſtium incurſionibus. Quod autem eſt maximum omnium beneficium, promulgauit eis Decalogum ſtupendis miraculis, & reſtaurauit in eccleſia ipſorum, promiſſionem de filio virginis, de ſemine Abrahæ (hoc eſt) de Chriſto Domino noſtro, vt quod peccatum, & quam maledictionem, per Decalogum agnoſcerent, condonationem eius, & benedictionem per fidem propter Chriſtum conſequeren-

tur. Postquam autem Christus aduenit, diuulgauit Euangelion suum tam inter Israëlitas, quàm inter reliquas gentes: vt quotquot in Christum crederent, fierent omnium cœlestium bonorum hæredes. Quibus
Rom: 8. enim Deus pater donat filium suum Christum, ijs donat etiã vnà cum ipso omnia genera cœlestis hæreditatis. Propter tãta beneficia, psallite, inquit, Domino, celebrate nomẽ eius publicis tàm cancionibus, quàm concionibus: prædicate Euangelion eius, in vniuerso orbe, facite mẽtionem, adnuntiate sacrosanctam commemorationem nominis eius, in sua quisq; familia, in suo quisq; regno, denicq; in toto mundo. Hic enim est cultus Deo gratus, hoc est officium Deo acceptum, & quod Deus pro gratiarum actione agnoscit. Vnde
Psal. 69 alias dicit: Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum producentem cornua & vngulas. Sed quæ Dei beneficia, propter quæ agendæ sunt Deo gratiæ, & laudandum nomen eius, hactenus recensuimus, generalia sunt. Perstringemus igitur peculiare, quod in Psalmo sequitur.

5. *Quoniam momentum in ira eius, vita in beneplacito eius. Vesperi pernoctat fletus, & mane (redit) lætitia.*

Vbi nos transtulimus: Momentum in ira eius, ibi Græcus interpres legit ὀργὴ ἐν θῳ̃ θυμῷ̃ αὐτοῦ. Et Latinus: Ira in indignatione eius. Nam pro eo, quod est apud Hebræos *Regah*, & significat momentum, Græcus similitudine literarũ deceptus, legit *Regasch* quod significat tumultum, seu fremitum. Transtulit igitur sententiã sententiæ Psalmi prorsus contrariã. Psalmus enim

enim nõ agit Deo gratias, quòd in indignatione eius sit ira, seu furor, & quòd indignatio eius sit grauis & diuturna: sed potius quòd in indignatione eius sit clementia, seu beneuolentia, & quòd indignatio eius sit momentanea. Quare hoc illud est peculiare beneficium, propter quod Psalmus excitat vniuersam ecclesiam, vt laudet nomen Domini, & gratias ei agat: videlicet, quòd etiamsi Deus aliquoties irascatur, & affligat, tamẽ ea afflictio non sit perpetua, nec diuturna, sed temporaria & quodãmodo momẽtanea: ac si multum, vesperi tãtùm duret fletus per noctẽ, manè autem reuertatur lętitia. Cum enim Deus affligit, vel ecclesiã ipsam, vel priuatũ aliquod membrũ eius, non affligit ex animo hostili, non ex odio, non ex impotẽti iracundia, sed ex amore, ex beneuolentia, eoq; cõsilio, vt per afflictionẽ maiora beneficia conferat. Vnde & addit: Vita in beneplacito eius, (hoc est) non placet Deo afflictio per se, sed placet ei liberatio: nõ placet ei mors per se, sed placet ei vita, vt per mortẽ operetur vitam. Viuo ego, inquiens, nolo mortẽ peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Hæc sententia sæpè repetita est in scriptis tàm Propheticis, quàm Apostolicis.

Iob 10. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Licet hæc cæles in corde tuo, tamen scio, quòd hoc sit tecum.

Psal. 126. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, portantes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momẽto in-

dignationis abſcondi faciem meam parumper à te. (Quod Eſaiæ dictum planè conuenit cum verſiculo huius Pſalmi, vt Eſaias ex ipſo ſumpſiſſe videatur) Et in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus Dominus.

In Threnis Hieremiæ cap. 3. Non repellet in ſempiternũ Dominus. Quia ſi abiecit, miſerebitur etiam, ſecundum multitudinẽ miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum, &c.

Rom. 8. Scimus, quòd his qui diligunt Deum, omnia adiumento ſunt in bonum, &c.

2. Corinth. 4. Momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, &c.

Hebr. 12. Omnis caſtigatio in preſens quidem, non videtur eſſe gaudij ſed moleſtiæ: at poſtea fructum tranquillum iuſtitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati.

Ac breuiter. Cum Spiritus ſanctus iubet nos in aduerſis expectare Dominum, & ſperare, (id quod paſsim in ſcriptura occurrit) eo ipſo promittit nobis, quòd afflictionem ſecutura ſit vt certiſsima, ita & ciriſsima liberatio, (ſi modò tempus non iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum, numerauerimus,) & quòd tanto maior & iucundior contingat ſalus, quanto grauior, & triſtior fuerit afflictio.

Quæramus autem, propter quod meritum eccleſia tantum beneficium à Domino cõſequatur, vt afflictio pariat tranquillitatem, & fletus ſit meditatio gaudij, adeoq; mors, vitæ? Certè nõ eſt meritum humanum,

nec

nec ſapientia humana, ſed eſt meritum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum peccatum noſtrum, ſua afflictione, cruce & morte expiauerit, & hæc omnia reſurrectione vicerit, effecit, vt Deus agnoſcat nos credentes in Chriſtum filios ſuos, & ſeruet nos in omnibus aduerſis, in morte deniq; ipſa ad æternam vitam & felicitatem. Iuxta Propheticum illud dictũ, Oſeæ cap. 6. Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipſe diſcerpſit, & ſanabit nos, ipſe percuſsit, & curabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies. In die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.

6. *Dicebam & ego, cum omnia mihi proſperè ſuccederent, non cadam in æternum.*
7. *DOMINE in beneplacito tuo muniuiſti montem meum fortitudine, (ſed ſtatim,) cum abſconderes faciem tuam, conturbabar.*
8. *Ad te DOMINE clamabam, & domino meo ſupplicabam.*
9. *Quæ (dicebam) vtilitas in ſanguine meo, vbi mortuus fuero? Num laudabit te puluis? & adnuntiabit veritatem tuam?*
10. *Audi DOMINE, & miſerere mei, DOMINE ſis adiutor meus.*

Expoſuit antea in tribus primis verſiculis, beneficium, propter quod gratias agat Domino, & laudet nomen eius. Deinde cohortatus eſt eccleſiam, vt & ipſa pſallat Deo, & cõmendet gloriam nominis eius. Propterea quòd Dominus, etſi aliquoties affligit, ac etiam mortem infert, tamẽ meditetur gaudium & vi-

tam. Nunc autem dehortatur ſuo ipſius exemplo, à ſecuritate, in rebus proſperis, & docet, quàm neceſſariũ ſit, vt, cum nobis omnia ex animi noſtri ſententia ſucceſſerint, timeamus Dominum, & gratias ei agamus, ne quod beneficium, & quam rerum proſperitatẽ gratuitã Dei clementia adepti ſumus, ingratitudine, & carnali ſecuritate amittamus. Dicebam, inquiens, & ego, cum omnia mihi feliciter ſuccederẽt, non nutabo, non cadam in æternum. Illud vult dicere: O amici, timete Dominum, quotquot proſperam in hoc ſeculo vitam agitis, nolite ſecuri eſſe, & gratiarum actionis coram Deo obliuiſci: vel meo exemplo diſcatis in rerum felicitate timorem Domini, & gratiarum actionem. Nam & ego, cum vel deuiciſſem Goliathem, & in aula regis Saulis præcipuum locum inter proceres & heroes aulicos obtinerem, vel cum gener regis fierem, vel cum extincto Saule regnũ Iſraël ſuſciperem, & in eo cõfirmarer, vel cum oppreſsiſſem Syros, & eò
2 Reg. 10 adegiſſem, vt pacem peterent, arbitrabar, nullam amplius reliquam mihi fore aduerſam in hoc ſeculo fortunam: ſed me præſenti tranquillitate perpetuò fruiturum. Dicebam intra me: Nunc res meæ in tuto collocatæ ſunt. Nunc fieri non poteſt, vt deinceps è felici rerum mearum ſtatu deijciar, & cadam. Ac videbar mihi quoq; religioſulus. Non enim tribuebã mihi, aut meo, vel merito, vel ſapiẽtiæ, hoc beneficium: ſed tantùm clementiæ Domini Dei noſtri. Dicebã, edoctus ex lege, Deut. 7. & 9. O Domine, non ego propter iuſtitias meas & æquitatem cordis mei, ſed tu ipſe Domine, ſtabiliuiſti & muniuiſti fortitudine montem meum, hoc eſt, vel ſtatum rerum mearum, in ſumma dignitate

dignitate & autoritate, vel regnũ meum in Iſraël, idq; pro tuo beneplacito, pro tua gratuita beneuolẽtia, & clemẽtia erga me, non pro mea vel iuſtitia, vel ſapientia, vel fortitudine. Cæterùm, vbi nos tranſtulimus montem meum, ibi Græcus & Latinus tranſtulerunt decorem meum, iterum ſimilitudine literarum deceptí. Pro eo enim, quod eſt apud Hebræos *Hareri*, & ſignificat, montem meum: legerunt *Haderi*, quod ſignificat, decorem meum. Nomine autem montis, intelligitur pro Hebræo more, alias, vel Deus ipſe, aut templum Dei, in monte Zion ædificatum, vt in Pſalmo vndecimo: vel, regnum, regia potẽtia, aut alioqui inſignis & ſubliſmis in hoc ſeculo ſtatus vitæ. Significat igitur Dauid, ſe in rerum ſuarum proſperitate munitionem, & firmitudinem regni, aut dignitatis ac maieſtatis ſuæ, non ſuis virtutibus, ſed beneuolentiæ Dei acceptam tuliſſe. Et tamen ne ſic quidem felicitas rerum eius in hoc ſeculo ſtabilis fuit. Simul enim ac Deus abſconderet, inquit, faciem ſuam, & auerteret manum ſuam, non ſolùm immutata eſt felicitas mea, verumetiam ego ex improuiſo caſu mirificè perturbabar. Nec aliud mihi relinquebatur, quam vt, quemadmodum in ſuperioribus: ita & in preſentibus aduerſis, clamarem ad te Domine, & te Dominum meum obſecrarem, quo mihi in tam repentina mutatione opem ferres. Hoc enim vetus eſt afflictorum aſylum, & perfugium, vt properent, non ad idola, non ad magiam, ſed ad Dominum Deum noſtrum, qui ſolus, vt poteſt, ita etiam vult cor contritum & ſpiritum contribulatum iuuare. Precaturus igitur Dominum, præter alia, dicebam: Quæ eſt vtilitas in ſanguine meo, (hoc

Nota montis.

(hoc eſt) in effundendo ſanguine meo, aut in amittenda vita mea? (iuxta illud: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, hoc eſt, effuſio ſanguinis & mors eius.) Aut quæ vtilitas, ſi moriar, & in ſepulcrũ condar? Statueram magnificentiſsimum templum nomini tuo excitare, vera ſacra, iuxta legem, inſtaurare, & verbum tuũ ad poſteros propagare. Sed num in puluerem redactus, poſſum tãtas res, in gloriam nominis tui conficere, gratias tibi pro beneficijs agere, & veritatem promiſsionũ tuarum meis ipſius exemplis commendare, & teſtificari? Quare obſecro te Domine Deus noſter, vt preces meas iterum exaudias, & miſereariſ mei, ac mihi in tantis meis anguſtijs, quibus præter omnem expectationem obrutus ſum, clementer ſuccurras. Ex his initio conſiderandum eſt, quòd tanta ſit corruptio humani generis, vt in proſperorum ſucceſſu, non ſolum impij, verùmetiam ſancti, ſecuri fieri ſoleãt: ac tantum non, quod eſt apud Eſaiam, dicere: Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum trãſierit, non veniet ſuper nos. Sed quid? an dubitandum eſt, de gratia & clementia Dei erga nos? An non vera fide dicendũ eſt, quod eſt in alio Pſalmo: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, nõ timebit cor meum. Si exurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo? An in certiſsimis & veriſsimis Dei promiſsionibus, non eſt ſecurè acquieſcendum, & confidendum? Omnino certè in his acquieſcendum eſt: non autem carnali, ſed ſpirituali ſecuritate. Et quæ eſt carnalis, quæ ſpiritualis ſecuritas? Carnalis ſecuritas eſt, cum prætexitur quidem promiſsio Dei, & fiducia in eam, ſed ſine timore Dei,

Eſa. 28.

Pſal. 27.

Carnalis ſecuritas.

Dei,& vera pœnitentia. Quales illi ſecuri erãt,apud Eſaiam,quorum paulò antè mẽtionem fecimus,& qui dixerunt: Percuſsimus fœdus cum morte. Et illi,qui apud Hieremiã dicunt: Templum Domini, templum Domini,templũ Domini. Extabant enim promiſsiones, tàm de populo Iſraël, quàm de templo, quibus Deus receperat ſe perpetuum fore gẽtis & templi cuſtodem: In alio Pſalmo dicitur: Elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. Et poſtquam Salomon dedicaſſet templum, apparuit ei Dominus: Sanctificaui (inquiens) domũ hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Has promiſsiones agnoſcebant quidem Iudæi, & iactabant eas: ſecuriſsimè ſperantes, ſe hoc templo tutos ab omnibus hoſtibus fore: ſed ſine vlla vera pœnitentia. Pergebant enim magna impudentia, in ſuis ſceleribus: & admoniti à Prophetis, tantum abfuit, vt reſipiſcerent, vt etiam Prophetas immaniter trucidarent. Hæc erat carnalis ſecuritas & confidentia: quare etiam miſerrimè pudefiebant. Spiritualis autem ſecuritas eſt certa & indubitata fiducia in promiſsionem Dei recte intellectam, coniuncta cum vera pœnitentia. Talis ſecuritas fuit Dauidis, cum ait: Etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Et Pauli, cum ait: Mihi perſuaſum habeo, quòd neq; vita, neq; angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtãtia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione, qua Deus nos in

Eſa. 28.

Hier. 7.

Pſal. 132.

3. *Reg.* 9

Spiritualis ſecuritas.

Pſal. 23.

Rom. 8.

Christo Iesu Domino nostro complectitur.

Deinde discamus exemplo Dauidis, vt, cùm in rerum felicitate carnalis securitas in nobis exoritur, reprehendamus nos ipsos, & properemus ad preces, inuocantes Dominũ, ne deserat nos, sed clementer conseruet, si quando prospera fortuna mutetur in aduersam. In die enim bonorũ, vt Syracides ait ne sis immemor malorũ: & in die malorũ, ne sis immemor bonorũ. *Eccles. 11*

Sed quid illud est, quod ait: Quæ vtilitas in effusione sanguinis seu vitæ meæ? aut quis vsus mortis meæ? Nunquid laudabit te puluis? Quid? Num vnà cum corpore, etiã moritur anima? Num homines mortui, ac præsertim, qui in Christo mortui sunt, vsq; adeo nihil sunt, vt interea tẽporis, dum aduenerit mortuorũ resurrectio, toti consilescant, nec Dominũ Deũ suũ, vnà cum cœlestibus spiritibus laudẽt? Tale quid extat etiam in alio Psalmo: Non mortui laudabũt te Domine, neq; omnes qui descendũt in infernum: sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nũc & vsq; in seculum. Et in Ecclesiasta Salomonis: Mortui nihil nouerũt amplius. Et mox: Quodcũq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Hęc & alia id genus nõ docẽt animã hominis post hãc vitã nihil esse, aut nõ suo modo Deum laudare. Ne metuatis vobis (inquit Christus) ab ijs, qui occidunt corpus, animã autem nõ possunt occidere. Et iterum: Deus non est Deus mortuorum sed viuorum. Omnes enim viuũt illi. Cõmendat etiã Christus Spiritũ suum in manũ patris. Et Stephanus iam moriturus: Domine Iesu, inquit, suscipe spiritũ meum. Ac Paulus: Cupio, inquit, *Psal. 115.* *Eccles. 9.* *Matt. 10* *Luc. 20.*

inquit, dissolui & esse cum Christo. Hæc & his similia testificãtur, animã hominũ post hanc vitã, non esse vsq; ad resurrectionẽ, nihil, sed corã Deo viuere, & in manu Dei cõtineri ac cõseruari. Quod etsi præcipuè intelligendũ est, de animabus piorũ hominũ, tamen sentiendũ est, quòd etiã animæ impiorũ contineantur & conseruentur in manu Dei vsq; ad generalem resurrectionẽ: illæ quidem piorũ in expectatione perpetuæ felicitatis, hæ autẽ impiorũ, in expectatione cruciatus nunquam finiendi. Quod ergo Psalmi dicũt: Mortuos nõ laudare Deũ, & Salomon: Apud mortuos non esse nec rationẽ, nec sapientiã, nec sciẽtiam: intelligẽdum est, quòd mortui non amplius agãt inter homines humanam vitã, nec habeant vllũ exercitiũ humanarum actionum, nec concionentur inter homines de verbo Dei, nec psallant in ecclesia sicut viuentes solent: sed delierint ab omnibus illis humanæ huius vitæ operibus. interea autẽ viuãt Deo: & cum sint extra omnem locum & tempus, habeant eas actiones, quæ humanæ rationi sunt incognitæ, & imperuestigabiles. Vnde, quòd Elaias, cum Propheta denuntiaret ipsi mortẽ, dicit: Obsecro, Domine, memẽto, quomodo ambulauerim corã te in veritate, & in corde perfecto, (hoc est) quomodo gloriã nominis tui, & instaurationẽ verę religiõis toto animi studio promouerim, & quod institui nondũ absoluerim, idem etiã sentit in hoc Psalmo Dauid: Quę est (inquiẽs) vtilitas mortis meæ? Et nũquid puluis laudabit te? (hoc est) Non recuso quidem ad tuam vocationem & voluntatẽ mori. Sed vides Domine, quod opus ad instaurandã veram religionis doctrinam, hactenus in regno Saulis penè collapsam,

Animæ piorũ & impio

ſuſceperim. Quæ igitur erit huius inſtituti vtilitas, ſi ego in medio curſu eius, morte abripiar? Nunquid in puluerem redactus, potero parare, quæ ad illuſtrandam gloriam nominis tui, neceſſaria videntur? In eandem ſententiã dicit Paulus: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo longeq; melius. Cæterùm, manere in carne, magis neceſſarium, propter vos.

Phil. 1.

Quæ cum ita ſe habeant, videndum nunc eſt, quid Dauid his precibus à Deo impetrauerit. Dicit ergo:

10. *Conuertiſti planctum meum in gaudium, reſoluiſti ſaccum meum, & cinxiſti me lætitia.*

11. *Vt cantet tibi gloria, & non ſileat, DOMINE Deus meus in æternum laudabo te.*

Saccus ſeu cilicium, ſymbolum eſt luctus. Vnde in Ioële dicitur: Plange, quaſi virgo, accincta ſacco, ſuper virum pubertatis ſuæ. Et in Iona: Rex Niniue audiens vĕturam vrbis calamitatem, ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et apud Matth. Si in Tyro & Sidone factę eſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio & cinere, pœnitentiam egiſſent. Gloria autem, de qua vndecimus verſiculus loquitur, eſt vel lingua, vel muſicum inſtrumentum, quo gloria nominis Dei carminibus commendatur & illuſtratur. Dicit ergo: Etſi in mea ſecuritate obruebar inopinata afflictione: tamen ea es clementia & bonitate, Domine Deus meus, vt poſtquam conuerti me ad inuocationem nominis tui, conuertiſti etiam tu planctum, & dolorem meum in chorum, in tripudium ſeu gaudium,

Ioel. 1.

Ionæ 3.

Matt. 11

&

& concidiſti, ſeu, vt Hebræus habet, aperuiſti, aut reſoluiſti ſaccum meum, quo indutus lugebam, ac cinxiſti me lætitia. Sed quo conſilio reſoluit ſaccum meum? Num vt iterum ſecurã agerem vitam, & officium deſererem? Nihil minus: ſed vt gloriam nominis tui lingua & Pſalterio meo celebrarem, ac maieſtatem tuã, quocunq; poſſem officio, illuſtrarem. Quare dabo ſummam operam, vt ad agendas tibi pro tantis beneficijs gratias, nomen tuum perpetua laude proſequar. Aguntur autem Deo gratiæ, non verbis tantùm, & carminibus, ſed etiã bonis totius vitæ exemplis. Luceat, inquit, lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, glorificentq; patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. Sic igitur cantemus Domino, vt interim cum lingua & voce conueniat cor, & omnes vitæ noſtræ actiones. *Matt. 5.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Varia eſt fortuna hominum in hoc ſeculo. Aut enim proſpera, aut aduerſa accidũt. Qualiacunq; igitur euenerint, hic Pſalmus vſui erit. Si enim felix eſt rerum ſucceſſus, ſumendus eſt hic Pſalmus in manum: vt excitemur ad gratitudinẽ: & admoneamur, ne abutamur præſenti felicitate, ad carnalem vitæ ſecuritatem: ſed ambulemus in timore Domini, & in officio contineamur. Si autem aduerſis opprimimur, conſolatur nos hic Pſalmus, & confirmat fidem, ac ſpem noſtrã, qui ſunt cultus Deo acceptiſsimi: vt non deſpondeamus animum: nec aliena, & cum Deo pugnantia remedia quæramus: ſed expectemus opem Domini

obedienter & patienter. Memorabile enim eſt, & non eſt vox carnis, ſed ſpiritus: non eſt terrena, ſed cœleſtis: non eſt vox hominis, ſed Dei, quod in quinto verſiculo dicitur: Momentum eſt in ira eius, vita autem in beneplacito eius. Veſperi perdurat fletus: Manè autem redit lætitia. Hac voce confirmati non declinemus in aduerſis, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, ſed recta in officio pergamus: certa ſpe concepta, quòd etſi Dominus adhuc procul abeſſe videtur, tamen ap-
Abac. 2 parebit in finem, (vt verbis Prophetæ Abacuc vtar) & non mentietur: Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.

FINIS III. DECADIS.

Erratum ſecundæ Decadis.

Pagina 114. verſ. 19. lege, impuritate.

Errata tertiæ Decadis.

Pagina 5. verſu 9. lege, bonitatis. pag. 20. ver. 11. l. tanta: pag. 23 verſ. 27. l Achaziæ. pag. 43. verſ. 1. l. participes. pag. 46. verſ. 24 l. deſcribat. pag. 85. verſ. 7. l. mundanorum. pag. 86 ver. vlt l. ſuas pag 98. ver. 30. l. immittantur. pag. 100. ver. 26. l. veram. pag. 104. verſ. 5. l. cuſtodiendas. pag. 156. verſ. 24. l. ipſis iuuandi me. pag. 173. ver. 30. l. ſibi ipſis. pag. 176. ver. 30. l. ipſi, pag. 193. ver. 11. l. &, pag. 105. ver. 25. l. conſolatur.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS QVARTA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1567.

PSALMI QVARTÆ DECADIS.

31. *In te* DOMINE *ſperaui, non confundar in æternum, &c.*
32. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates.*
33. *Exultate iuſti in* DOMINO.
34. *Benedicam* DOMINVM *in omni tempore.*
35. *Iudica* DOMINE *nocentes me.*
36. *Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo.*
37. *Noli æmulari in malignantibus.*
38. DOMINE *ne in furore tuo arguas me.*
39. *Dixi: Cuſtodiam vias meas.*
40. *Expectans expectaui* DOMINVM.

Pſalmus 31.

In te DOMINE *ſperaui, non confundar in æternum, &c.*

MAgna Pſalmorum commendatio eſt, quod Paulus ad Epheſios ſcribens: Impleamini (inquit) ſpiritu, loquẽtes vobiſmetipſis, per Pſalmos & hymnos, & cantiones ſpirituales, (in quarũ catologo, principem locum obtinẽt Pſalmi Dauidici.) Significans videlicet, has cantiones in illum vſum nobis traditas, & diuinitus cõmendatas eſſe, vt ſint cœleſtia organa, inſtrumẽta, ſeu, vt ita dicam, vaſa, quibus Spiritus ſanctus in nos effundatur. Non arbitretur autem quiſpiã, Spiritum ſanctũ cœlo ita contineri, vt in nos terræ incolas, nõ niſi vaſculis effuſus, illabatur. Hæ ſunt craſsiſsimæ humanorũ phantaſmatum cogitationes. Nam ſi loquendũ eſt de natura, ſeu (quam ita vocãt) eſſentia Spiritus ſancti, verus eſt ab æterno Deus, & omnia tam cœlũ, quàm terrã implet: Quò ibo, inquit, à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. In preſentia autem ſermo nobis eſt, non de eſſentia, ſed de donis Spiritus ſancti, quibus impletos eſſe oportet omnes illos, qui è grauibus tentationibus eluctantur, & ad verã ſalutem euadunt. Si enim quiſpiã iudicio peccatorũ ita perturbatur, vt arbitretur de ſua ſalute actum eſſe, neceſſaria eſt ei fides, *Eph.5.*

qua agnoſcat peccata ſibi propter Chriſtum condonata. Hæc fides non naſcitur in carne humana: ſed eſt donum Spiritus ſancti. Si quem aduerſa vel grauius, vel diuturnius, quàm vt perferre poſſe videatur, afflixerint, neceſſaria eſt ei ſpes, expectatio, patientia, & animi fortitudo, qua in tolerandis aduerſis cõſtet. Hęc ſpes, & animi fortitudo, ſunt donum Spiritus ſancti. Si quis poſt multa beneficia diuinitus accepta, relapſus fuerit in grauia peccata, & metuit, vt amplius pateat ipſi receptus ad clementiam Dei, huic neceſſaria eſt pœnitentia, & cõuerſio ad fidem, ac precationem: quæ conuerſio eſt donum Spiritus ſancti. Si ſatan ſollicitat hominem, vt vel proximum odio proſequatur, vel impoſturas exerceat, vel ſcortetur, vel helluetur, vel aliud genus ſceleris aduerſus mandata Dei deſignet, neceſſarius eſt timor Dei, qui ipſum in officio obedientiæ contineat: hic Dei timor eſt donum Spiritus ſancti. Quid multis opus? Non eſt vllus hominum, qui poſsit veram & cœleſtem ſalutem conſequi, niſi impleatur Spiritu ſancto, (hoc eſt) donis Spiritus ſancti. Affirmat autem Paulus, quòd hæc dona effundantur in nos Pſalmis & hymnis ſpiritualibus, non quidem, cum nõ intellecti demurmurantur, aut Stentorea voce decantantur: Si enim tuba, inquit Paulus, incertam vocem dederit, quis apparabitur ad bellum? ſed cum rectè & piè percepti, attento animo conſiderantur. Quare, cum Spiritus ſanctus vtatur Pſalmis, pro organo aut vaſculo, quo dona ſua in homines effundat, non eſt dubiũ, quin Pſalmi ſint pharmacopolion, ex quo remediũ aduerſus omne genus morborũ animi ad recuperandã cœleſtem ſanitatẽ petere licet.

1. Cor. 14.

Archi-

Architectationē autem illius Psalmi, quem explicare instituimus, solēt interpretes in id prꝯipuè tempus referre, quo Dauid necesse habuit fugere proditores Ceilanos, quos tamen paulò antè extremo vitæ suæ periculo, ab hostibus Philistinis liberauerat, & maximo ipsos beneficio affecerat, quemadmodū scriptum est in priori libro Samuelis cap. 23. Nec dubium est, quin Dauid nō apud Ceilanos tantùm, verùmetiā aliàs sæpe ac multùm eam periculorū molem, quæ in hoc Psalmo cōmemoratur, sustinuerit. Sed quia Christus filius Dei tradidit in cruce Deo patri suo Spiritū, & clausit corporalem suam vitā versiculo huius Psalmi, & Petrus ait: Spiritū Christi testatum esse in Prophetis venturas in ipsum afflictiones, sentiamus hunc Psalmū esse imprimis precationem Domini nostri Iesu Christi, deinde etiā vniuersæ ecclesiæ, ac singulorum membrorū eius. Nam, quæ ærumnæ in hoc Psalmo recitantur, ea maximè omnium Christo filio Dei, (qui, sicut fuit primitiæ eorū, qui dormierāt, vt resurgerent, ita primas tenet partes, inter omnes sanctos, qui vnquā ab initio orbis terræ afflicti sunt, & adhuc affligentur) acciderunt. Et quia seruus non est maior Domino suo, idcirco solent etiā ijs, qui Christum fide amplectuntur, accidere. Tametsi enim nōnulla in hoc Psalmo recitātur, quæ non videntur in Christum filiū Dei cōpetere, quale est illud: Infirmata est propter iniquitatem meā virtus mea. Et illud: Ego dixi in anxietate mea, proiectus sum à facie oculorū tuorum: tamen hæc, si recte expendas, non minus suo modo in Christum, ecclesiæ suæ caput, quàm in membra eius conueniūt, quemadmodū postea, Deo volente, ostendemus. Cor. 15.

Et quia tam Christus, quàm magnus auus eius Dauid seruati sunt precatione huius Psalmi in maximis ac periculosissimis omnium aduersis, idcirco non est obscurum, quòd hic Psalmus, etiamsi videtur tantum esse petitio salutis, tamen sit etiam vera & certa salutis promissio. Quare excipiamus eum, non solum vt formulam precandi, qua in summis tentationibus vtamur, sed etiam vt cœlestem promissionem, qua extremè afflicti confidamus.

1. *In te* DOMINE *spero, non pudefiam in æternum, in iustitia tua libera me.*
2. *Inclina ad me aurem tuam, propera vt eruas me: sis mihi petra fortis, & arx munita, vt serues me.*
3. *Quoniam rupes mea, & arx mea tu es, & propter nomen tuum ducas me, & regas me.*

Ostendimus hunc Psalmum esse precationem Christi Non est autem ignotũ, quantæ ęrumnæ obruerint Christum in hac vita, ac præsertim ijs temporibus, quibus accessit ad absoluendum sacrificium suum pro salute humani generis, in vrbe Hierusalem. Primùm enim proscribebatur à Iudæis: Iam conspirauerant, *Ioan. 9.* (inquit Ioannes) Iudæi, vt si quis cõfiteretur eum esse Christum, è Synagoga eijceretur. Et iterum: Dederãt Pontifices & Pharisæi præceptum, vt si quis cognouisset, vbi esset, indicaret, vt compræhenderent eum. Nemo autem arbitretur Pontifices Iudaicos & Pharisęos ea fuisse tum infamia, qua nunc sunt apud nos: sed habitos esse sacrosanctos & inuiolatos, & quicquid decreuissent, habuisse speciem oraculorum Spiritus sancti: quare decreta eorũ non iudicabãtur, tanquam

fulgur

fulgur ex pelui, ſed tanquã tonitrua cœleſtia. Deinde conſilia Pontificum & Phariſęorũ aduerſus Chriſtum feliciter promouere videbantur. Chriſtus enim, iuxta has deliberationes capiebatur, ad mortem condemnabatur, cruci affigebatur, donec tandem animã in cruce efflaret. In tantis igitur aduerſis, in tantis ærumnis, in tam horrendis corporis & animi doloribus, nõ vertit ſe ad homines diris execrationibus, qui mos eſt carnis: ſed vertit ſe ad Deum patrem ſuum pia precatione, vt cœleſti ope ſeruetur: In te, inquiens, Domine, ſpero, non pudefiam in æternũ. Initio, obſeruãda eſt affectus vehementia, qua ſignificatur magnitudo afflictionis. Non enim ſimpliciter dicit: Peto, vt non pudefiã, ſed addit: Libera me. Et mox: Inclina ad me aurem tuam. Ac iterũ: Propera, vt eruas me. Et ne ſic quidem exiſtimat ſe voluntatem ſuam ſatis expoſuiſſe, ſed pergit: Sis mihi, inquiẽs, petra fortis, & arx munita, vt ſerues me. Denicꝙ idem alijs quidem verbis, ſed eadẽ ſententia repetit: Ducas, inquiens, me, & gubernes, propter nomen tuũ. Hęc frequens eiuſdẽ propoſitionis & ſententiæ iteratio haud obſcurè ſignificat, precatorem, vt ſummum periculũ adire, ita extremo cõſequendæ diuinæ opis deſiderio teneri. Vt nõ pudefiam, (inquit) vt non confundar in æternũ, te etiam atcꝙ etiam rogo. In præſentia quidem pudefio coram hominibus, quia capior, & mei diſcipuli à me deficiunt, aliquot etiam turpiter me abnegant, traducor per ora hominũ, nunc ad hunc, nunc ad illũ magiſtratũ: condemnor ad mortẽ, & affigor cruci. Quid eſt cõfuſio, quid eſt cõtumelia, quid eſt calamitas, ſi hęc nõ eſt? Cum igitur, Domine Deus meus, omnino tibi viſum eſt, me confundere

&

& pudefacere coram hominibus, & ad tempus, quæso te, vt clementer me conſerues, ne etiam coram te, & perpetuò confundar. Feram confuſionem terrenam & temporariam obedienter, feras tu ſaltem, obſecro, opem, ne ſpiritualiter & in æternum confundar.

Sed quibus argumentis, quibus rationibus precator excitat & cõfirmat fidem ſuam, vt & precationem coram Deo ſuſcipiat, & certam ſibi exauditionem policeatur? Aliæ quidem rationes commemorantur in illis verſiculis, qui ſequuntur, in his autem tribus primis recenſentur tres. Harum prima eſt: In te Domine ſpero. Non dubito de exauditione, nõ metuo mihi ab æterna pudefactione, etiamſi in præſentia videar coram hominibus pudefieri. Quã ob cauſam? Quia, Domine, in te ſpero. Non ſpero in vanos deos Gentium, non in idolomaniam populorum, nõ in excogitatitia ſacra Iudæorum, ſed in te ſolum verum Deum patrem meum. Qui autem in inuocatione ſua, in ſolum verum Dominũ Deum noſtrum ſperat, fieri nõ poteſt, vt pudefiat, etiamſi omnia cum promiſſa ſalute pugnare videantur. Etſi verò recenſuimus alias, illa ſcripturæ oracula, quibus manifeſtè promittitur certa ſalus ſperãtibus in Deũ, tamẽ, quia ea ſemper nobis ob oculos poſita eſſe debẽt, nõ pigebit nos illa copioſius referre.

Pſal. 16. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.

Pſal. 17. Protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Pſal. 31. Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Pſal. 39. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini, ſpes eius, & non reſpicit in vanitates & inſanias falſas.

Pſal.

Psal. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Psal. 146. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.

Prouer. 29. Qui timet hominem, cito corruet. Qui sperat in Domino, subleuabitur.

Esa. 30. Beati omnes, qui expectant eum.

Esa. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ: current, & nō laborabunt: ambulabunt, & non deficient.

Hiere. Thren. 3. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Nahum. 1. Bonus Dominus, & confortans, in die tribulationis, & sciens sperantes in se.

Quid pluribus opus? Sacra scriptura, hoc est, cœlestis doctrina plena est horum dictorum, quibus liberatio ex omnibus periculis, & vera ac æterna salus, confidentibus, & spem suam in Domino Deo nostro collocantibus promittitur. Quare, cum precator affirmet, se in Dominum sperare, eo ipso significat, se in sua inuocatione non pudefactum iri.

Secunda ratio: Libera me in tua (inquit) iustitia, seu propter tuam iustitiam. Tanta est tua, Domine Deus meus, iustitia, vt cum eam mihi ob oculos posuero, haudquaquam dubitem, quin me sis liberaturus, & seruaturus, ne pudefiam perpetuò. Porrò vocabulum iustitiæ rectè intelligendum est. Etsi enim Deus natura sua simplicissimus est, tamē facimus, docendi gratia, iustitiam eius duplicem. Vna est iustitia veritatis, quam iustitiam alias probitatem vocare solemus, qua Deus verè & cōstanter seruat, quod promisit. Vulgò

2

Duplex Dei iustitia. Veritatis.

definiunt iuſtitiam eſſe, quæ vnicuiq; tribuit, quod ſuum eſt. Non autem tribuitur tantùm vnicuiq;, quod ſuum eſt, cùm impijs & ſceleratis redditur ſuppliciũ, quod iuxta legẽ Domini meriti ſunt: verùmetiã cùm credentibus, & benè ſperantibus redditur, quod ipſis promiſſum eſt. Æquum enim eſt, & iuſtum, vt ſerues, quod promiſeris. Tametſi enim is, cui promiſſum eſt beneficium gratuitũ, indignus fortaſſe videbitur, qui accipiat: tamen qui promiſit, dignus eſt, qui etiam immeritis ſeruet promiſſum, ne vanus & mẽdax habeatur. Quòd ſi Chriſtus loquit hîc de hac veritatis Dei iuſtitia, non ſolùm dignus eſt Deus, qui promiſſa beneficia reddat, verùmetiam Chriſtus filius Dei dignus eſt, propter ſuam obedientiam, quam prẽſtitit vſq; ad mortem crucis, qui ea accipiat. Quare cum dicit: Libera me propter tuam iuſtitiam, ſententia eſt: Tu Domine Deus cœleſtis pater, teſtificatus es de me è cœlo: Hic (inquiẽs) eſt filius meus dilectus, in quo ego delector: qua voce promiſiſti mihi palàm omnia ea beneficia, quæ patres filijs ſuis præſtare poſſunt, & pro paterno affectu volunt. Cum igitur non dubitem, te ea eſſe iuſtitia, probitate, veritate, & conſtantia, vt ſerues, quod promiſiſti, non dubito etiam, quin me ſis è grauiſsimis illis ærumnis, quibus obrutus ſum, immenſa tua clementia & potentia erepturus. Soles eripere ex anguſtijs ſuis ſperantes in te, quamuis indignos, & longè aliud meritos: quãto magis eripies ſperantem in te, dignum, & optimè de nomine tuo meritum? Habes iuſtitiam Dei veritatis. Alia eſt iuſtitia ſeueritatis, quæ frequentius dici ſolet iudicium, quàm iuſtitia. Hæc eſt iuſtitia illa, qua Deus ſeueriſsimè

Seueritatis

mè impletionem legis ſuæ exigit, & ſi quis non impleuerit eam, pronuntiat ipſum æterna morte dignum. De qua iuſtitia Daniel loquitur, cum ait: Vigilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos. Iuſtus Dominus Deus noſter in omnibus operibus ſuis quæ fecit. Si de hac iuſtitia ſermo fuerit, nullus hominum poteſt de ea gloriari, quòd ipſi ſatisfecerit: nec petere liberationē è periculis ſuis, propter ipſam: Non enim iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuēs. Solus autem Ieſus Chriſtus ſatisfecit ei perfectiſsimè, & impleuit omnem Dei patris ſui voluntatem. Soli igitur Chriſto licuit propter hanc iuſtitiam petere ex ærumnis ſuis liberationem. Sic enim promiſit Deus, & ait: Præſtans beneficia in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Tertia ratio: Exaudi me, deduc & dirige me, propter nomen tuum. Quod ergo eſt nomen illud Dei, propter quod Chriſtus petit exaudiri, liberari, & deduci? Ecce igitur tibi, Deus ipſe commemorat nomen ſuum Moſi, quemadmodum ſcriptum eſt Numeri 14. & Pſal. 103. Notas fecit vias ſuas Moſi, filijs Iſraël voluntates ſuas. Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors. Et mox: Secundum altitudinem cœli à terra, corroborat miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Et Pſal. 145. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multùm miſericors. Ac iterum: Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Et Pſal. 146. Cuſtodit veritatem in ſeculū, facit iudicium iniuriam patientibus, &c. Habes aceruum epithetorum ac

Dani. 9.

Exod. 20.

3.

Nomen Dei

Epitheta DEI

nominũ Dei. Vocatur enim Deus miſericors, vocatur verax, vocatur fidelis in omnibus promiſsis ſuis, vocatur auxiliator in neceſsitatibus, & multa id genus alia. Sed quid opus eſt, vt ad inquirenda epitheta & nomina Dei, diu circumſpiciamus, cùm ea nobis hic Pſalmus, quem nunc interpretamur, ob oculos diſertè ponat. Vocat enim Deum petram, rupem, & arcem munitã, quippe quòd ſit certiſsima ſalus omnium eorum, qui promiſsione, & clementia eius confidunt. Quare, cum Chriſtus precatur Deum patrem, vt liberet ac ſeruet ipſum, propter nomen ſuum, illud precatur, vt meminerit epithetorũ ſuorum, quibus in vniuerſa Sacra ſcriptura celebratur, quòd ſit in promiſsis ſuis verax, quòd ſit miſericors, quòd ſit auxiliator in neceſsitatibus: ne ſi deſerat nunc ipſum in ſuis ærumnis, pro nomine veracis, reportet nomẽ mendacis, pro nomine miſericordis, reportet nomen crudelis, pro nomine adiutoris, reportet nomen deſertoris. Hæc certè eſt compendiaria via, qua precator expugnat animum Dei, vt preces eius promptè exaudiat, videlicet, ſi Deum admonueris, conſtanti fide veritatis promiſsionum ſuarum, & gloriæ nominis eius. Non poteſt enim ferre, vt habeatur mendax, crudelis, deſertor, & verè ipſum timentium ac ſupplicum contemptor: ac mauult immeritos & indignos exaudire & ſeruare, quàm bonam nominis ſui famam amittere. Quare, ſi calamitatibus ita obrutus fueris, vt nulla tibi euadendi via patere videatur, attolle oculos in cœlum ad Deum patrem, propter Ieſum Chriſtum filium eius, & admone eum ſuorum epithetorum: certa fiducia concepta, quòd qui voluit ſe, vt patrem inuocari,

propter nomen ſuum.

teneri

teneri non queat, quin inuocantem ex fide, paterno affectu complectatur.

Cogitabit autẽ fortasse quispiã, quomodo hæc precatio conueniat Christo filio Dei, & Domino nostro? An non est (siquidem diuinitatem eius consideraueris) verus Deus ab æterno, & eiusdem, cum Deo patre suo, essentiæ, vnde & patri ὁμοούσιος vocatur? Si autem respexeris humanitatem eius, an nõ ea assumpta est ab initio conceptionis, in Deum, & ornata omni diuina maiestate, vt gubernet æquali potẽtia, vnà cum Deo, vniuersum orbem? quomodo igitur conuenit ei, vt petat à Deo, ne pudefiat, sed exaudiatur & liberetur, idq; citò, ac velociter? Quo significat, se versari in extremis malis, & si nõ continuò liberetur, sibi mox pereundum esse. Hæc certè cum maiestate Christi pugnare videntur. Sed de hac re erudit nos Paulus, qui ad Philippenses scribens: Is affectus, inquit, sit in vo- *Philip. 2.*
bis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, &c. Etsi enim Christus fuit ab initio incarnationis suæ ornatus forma & decore Dei, tamen texit hanc diuinam formam, forma serui, & factus est obediens vsq; ad mortem crucis, donec peregit mysterium nostræ redemptionis, & resurrexit à mortuis, ac intrauit in gloriam patris, (hoc est) patefecit publicè, qua forma iam ab initio conceptionis suæ ornatus fuerit, quam etiam in æternum retinebit. Sciamus igitur, quòd quæ Christus, in hoc & alijs suis Psalmis precatus est, nõ sit precatus, iuxta formam Dei, sed iuxta formam serui, qua nobis per omnia similis factus est, absq; tamẽ peccato,

Hebr.2. vt misericôs esset, (quemadmodum Epistola ad Hebræos dicit) & fidelis Pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expianda peccata populi. Nam ex hoc, quod contigit ipsi tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere.

4. *Educ me de laqueo quem absconderunt mihi, quoniam tu es fortitudo mea.*

5. *In manum tuam commendo spiritum meum. Redimis me* DOMINE *Deus veritatis.*

Pergit Christus in sua precatione: & cum antea petierit liberari, duci, & regi diuinitus in suis aduersis, nunc idem quidē petit, sed alijs verbis: Educ, inquiēs, me de laqueo, quē absconderūt mihi. Quæramus igitur, quis sit laqueus ille aut rete, è quo petit educi, aut

Ioan.11. liberari: Collegerunt, inquit Ioannes, Pontifices & Pharisæi consilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & veniēt Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Ac mox: Ab illo die cogitauerūt, vt interficerent eum. Ecce, hic est ille laqueus, hoc est illud rete, quod Pontifices absconderunt Christo, videlicet clandestina illa Pontificum deliberatio, & sententia, qua definierunt, vt Christum occiderent, quoquo modo possent. Dicitur & mors ipsa laqueus seu rete, quo vniuersum humanū genus, propter peccatum captum tenetur, & è quo nullus hominum sua se virtute explicare potest. Vocatur autē rete absconditum, non quòd mors sit incerta, omnibus enim certissimè moriendū est, & quod maximè omniū horri-

bile

bile eſt, in morte pereundum, niſi ſi quis cœleſti ope conſeruetur: ſed quòd incertum ſit tempus & momentum, quo nobis ſit moriendum. Petit igitur Chriſtus à Deo patre ſuo, vt ab hoc mortis laqueo, ac reti liberetur. A quo enim alio peterem? Non eſt medicus, qui arte ſua me à morte ſeruare queat: non eſt princeps, non rex, nõ monarcha, cuius tanta ſit potentia, vt me faucibus mortis eripiat. Ad te igitur ſolum, Deus pater cœleſtis, confugio: quia tu es fortitudo mea. Fateor, multi ſunt reges terræ potentiſsimi, ſed ſeipſos ſaluos in morte ſeruare non poſſunt: quomodo igitur ſeruarent alios? Tu ſolus es fortitudo mea, qua rete mortis ſaluus euadere poſſum. Sed quid? Cur Chriſtus deprecatur mortem, quam ſua ſponte ad obediendum Deo patri adijt, & ſuſcepit? Non deprecatur mortem ex incredulitate, & ex inobedientia, ſed ex inanitione, & obediẽtia: Tentatus eſt (inquit epiſtola ad Hebræos) per omnia, iuxta ſimilitudinem, ſed abſq; peccato. Vnde apud Ioannem dicit: Pater, ſeruato me ex hac hora: audis inanitionem. Sed propterea veni in hanc horam: audis obedientiam. Et iterum: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: audis inanitionem: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: audis obedientiam. Nec ita deprecatur mortem, vt effugiat eam corporali, carnali, & mundano more, nondũ enim erat captus, & morti adiudicatus, ac patebat adhuc ipſi liber receptus ad loca tuta. Sed illud petit, ne in morte corporali pereat: itaq;, quod carne petit, ſpiritu interpretatur. Sic enim ſequitur: In manũ tuã commẽdo ſpiritũ meũ. Redimis me Domine Deus veritatis. Hęc eſt vox illa, qua Chriſtus in emittẽdo extremo Ioan. 12.

ſuo

ſuo ſpiritu vſus eſt in cruce, & quæ ſingulari ſtudio obſeruanda erit. Primùm enim ſignificat, quòd quæ hactenus precatus ſit, non hoc conſilio dixerit, vt detrectet inobedienter mortem corporalem, quã Deus pater impoſuerit ferendã: ſed tantùm, vt ſpiritus eius, manu Domini Dei patris, ad reſurrectionem conſeruetur: Tu enim (inquit) redimis me, qui es Deus veritatis, (hoc eſt) Non dubito ſpiritum meum tuæ manui commendare, propterea quòd ſis Deus verax, ex quo certus ſum, te conſeruare me in morte, & redimere à morte in veram & æternã vitam. In promiſsione enim, quæ dicta eſt de Chriſto ad Dauidem, teſtificatus eſt Deus, quòd velit Chriſto eſſe in patrem, & regnum eius ſtabilire in æternũ. Quomodo autem mortuus, in morte manens, regnaret, idq; perpetuò? Cum igitur Deus ſit verax, ac promiſsionũ ſuarum ſeruantiſsimus, & tamen obiecerit Chriſtum filium ſuum extremæ morti, nõ dubitat, quin interea, dum moriatur corpore, cõſeruetur à Deo ſpiritus eius, vt tertia die, à morte ad perpetuum regnum excitetur: ideoq; eo ipſo, quo cõmendat ſpiritum ſuum Deo patri, redemptori, & veraci, vaticinatur de ſua ad cœleſte regnum reſurrectione. Deinde docet hac voce, quò ſpiritus piorum, credentium in ipſum, à morte perueniãt: Pater, inquit, in manum tuam cõmendo ſpiritum meum. Nec dubiũ eſt, quin Deus pater exceperit ſpiritũ filij ſui promptiſsimè. Quòcunq; autem peruenit ſpiritus Chriſti, qui eſt caput ſuæ eccleſiæ, eò etiam ſpiritus membrorũ eius perueniat, neceſſe eſt: Pater, (inquit) quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint me-
Ioan. 17. cum. Non eſt igitur dubium, quin Spiritus piorũ ſint

& conſeruentur à morte, in manu Dei patris. Vbi autem tutius, vbi viuatius & vegetius commorari poſſent? Conſeruantur etiam impiorum ſpiritus in manu Dei, ſed ſeueri iudicis, non indulgentis patris. Itaque cum venerit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, procedent illi quidem in reſurrectionem iudicij ſeu condemnationis, hi autem in reſurrectionem vitæ. *Ioan. 5.*

6. *Odi eos, qui obſeruant vanitates inanes: ego verò in* DOMINVM *ſpero.*
7. *Exulto & lætor in miſericordia tua, qui reſpicis afflictionem meam, agnoſcis in tribulationibus animam meam.*
8. *Et non concludis me in manum inimici, ſtatuis in latitudine pedes meos.*

Potuiſſet Chriſtus quinq; prioribus verſiculis precationem ſuam abſoluere & concludere. Qui enim orat, & impetrat, vt non pudefiat in æternum, vt liberetur, & eruatur ex omnibus aduerſis, vt Deus ſit ipſi petra, rupes, & arx munita, vt ducatur & gubernetur diuinitus, in omnibus vijs ſuis, vt educatur de laqueo inſidiarum, & mortis, vt Deus habeat ſpiritum ipſius commendatum, & redimat ipſum ex omnibus ærumnis & afflictionibus, quid amplius deſiderat? cuius rei amplius egebit? quid ipſi deinceps deerit? Sed quia Lucas ſcribit, Chriſtum in horto montis Oliueti tanto angore correptum, vt oraret ἐκτενέστερον (hoc eſt) prolixius & intentius, ac ſudaret etiam ſanguinem, non eſt dubiũ, quin nõ tantùm recitauerit in cruce hunc verſiculum: In manum tuam commendo ſpiritum meum, *Luc. 22.*

verùmetiam commemorauerit cùm aliàs, tum præcipuè in monte Oliueti, & per noctem, qua traductus est per ora Pontificum, & ad iudicum subsellia, hunc totum Psalmum, & multos alios, qui de ipso conscripti erant. Quare, etsi priores versiculi continent summatim omnia Dei beneficia, quæ ad veram hominis salutem necessaria sunt: tamen quia cor afflictum & perturbatum, quale tum erat cor Christi, indiget copiosa consolatione, idcirco progreditur Christus in hac precatione longius: vt quanto ardentius Deum patrem inuocat, & beneficia eius commemorat, tanto certius fide sua confirmetur, & ad bene sperandũ inflammetur: Odio (inquit) habeo eos, qui obseruant & sectantur inanes vanitates. Inanes seu mendaces vanitates, de quibus hoc loco fit sermo, significant idola, quæ colunt Gentes: & humanas traditiones, quas obseruant hypocritę. Apud Hieremiam dicit Dominus:

Hier. 2. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt se à me, & ambulauerunt post vanitatem, hoc est, coluerunt idola, & studuerunt humanis traditionibus, seu sacris humana ratione excogitatis & institutis? Et iterum: Nunquid Dominus non est in

Hier. 8. Zion, aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam prouocauerunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis? Dicit ergo Christus: Tantum abest, vt vel in his extremis meis ærumnis, vel in vniuersa vita mea approbauerim fictitia sacra, & quæsiuerim cultu eorum opem, vt summo odio ea prosequar, & grauissimè semper detestatus sim Scribas & Pharisæos, qui ea & instituerunt, & magno studio obseruarunt. Quæ etiam causa est, cur in tantam odij ipsorum acer-

acerbitatem incurrerim, vt me è terra viuentium prorsus extinctum & deletum cupiant. Ego enim confido & spero tantùm in Dominum Deum meum: hunc solum colo, huic soli seruio, in huius solius beneficentia acquiesco, exulto & lætor: Quia tu solus respicis (inquit) afflictionem meã, agnoscis angustias animi mei in aduersis. Nec concludis me in manum inimici, non conniues, vt hostes mei conculcent me vsq; ad extremam internetionem. Conniues quidem, vt manus & pedes meos clauis cõfodiant, & me cruci affigant: non conniues autem, vt me in morte detineant, sed statuis pedes meos in latitudine, (hoc est) excitas me iterum è morte, vt resurgam, & accipiam summam maiestatem, ac latissimum imperium, in cœlo & in terra, adeoq; omnia subijciantur sub pedes meos. His verbis Christus profitetur, idq; iustissimè, quòd legi Dei perfecte satisfecerit. Prima enim & precipua lex est: Non habebis Deos alienos coram me. Sed diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Quare, cum Christus legi satisfecerit, & Deus donauerit eum nobis vnà cum omni eius iustitia, dubitandum non est, quin iustitia eius confisi, liberemur ex omnibus afflictionibus. Deinde vaticinatur de sua à morte resurrectione, vt sciamus afflictiones & mortem non esse nostrũ interitum, sed si in Christo manserimus, viam esse, qua in verã & æternam tranquillitatem ac felicitatem ingrediamur.

9. *Miserere mei* DOMINE, *quoniam affligor, contabescit præ mœstitia oculus meus, anima mea, & venter meus.*

10. *Consumitur præ afflictione vita mea, & anni mei præ gemitu, collabitur præ iniquitate virtus mea, & ossa mea contabescunt.*

Pergit Christus in precatione, & exponit grauitatem suarum afflictionum, non vt Deum patrem, tanquam ignorantem, doceat: sed vt se ipse in fide confirmet, & consoletur. Quo enim grauior est afflictio, eo propinquius est auxilium Dei: Miserere, inquit, mei Domine. Quã ob causam? Quia AFFLIGOR. Hæccine causa est, propter quam exhibeam tibi misericordiam, & in aduersis te clementer seruem? Ita prorsus, Deus enim recepit se ope sua præstò affuturum ijs, qui mul-
Psal.51. tis & magnis aduersis conflictantur: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & hu-
Psal.34. miliatum Deus non despicies. Et: Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salua-
Psal.91. bit. Et: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Sed fortassis afflictiones sunt leuiores & tolerabiliores, quàm vt propter eas Deus sit inuocatione defatigandus. Nihil minus. Afflictiones enim & erumnæ meæ peruenerunt ad summam necessitatem. Tanta est mœstitia mea, tanta ægritudo mea, vt præ ea omnia mea tam exteriora, quàm interiora contabescant: oculus, forma, aspectus, venter, ossa, anima, vita, denique omnis virtus mea deficit, absumitur, collabitur. Et quanquam ætate non ita multùm processi, tamen gemitibus & doloribus ita exhaustus sum, vt annis multò grandior, quàm sum, videar. Quid multis opus? Tristis est anima vsq; ad mortem. Et: quod in alio

alio Psalmo dicitur: Factum est cor meum, tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhesit faucibus meis. Cæterùm, vbi vetus tralatio habet: Infirmata est in paupertate virtus mea, ibi nos transtulimus: Collabitur præ iniquitate virtus mea. Videtur autem hoc in Christum minimè competere, quippe qui peccatum non fecerit, nec sit inuentus dolus in ore eius. Etsi autem Hebræa dictio עון Hauoni, significat tam paupertatem, & afflictionẽ, quàm iniquitatẽ & peccatũ, tamen non est inusitatum in Psalmis Christo tribuere iniquitatem. Psal. 40. Circumdederũt me mala, quorũ nõ est numerus: cõprehenderunt me iniquitates meæ, vt nõ potuerim videre. Et Psal. 41. Sana animã meam, quia peccaui tibi. Tribuitur autem Christo iniquitas, non quòd vllum vnquam peccatum designauerit: sed quòd susceperit in se peccatũ humani generis expiandum: ideoq; quam nos fecimus iniquitatem, eam suscepit Christus in se, nõ operatione, sed expiatione. Quare in hoc Psalmo vere dicit Christus: Collabitur præ iniquitate virtus mea. Propterea quòd afflictio, quam propter iniquitatem humani generis in se suscepit, tãto pondere ipsum pressérit, vt omnes vires tam corporis quàm animi eius exhaustæ fuerint. *Psal. 22.*

11. *Ex omnibus aduersarijs meis (illud reporto,) quòd sim opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui vident me in platea, fugiunt à me.*

12. *Obliuioni trador ex corde, tanquam mortuus, sum sicut vas sculum perditum.*

13. *Audio opprobrium multitudinis circum me congregatæ,*

conſpirant vnanimiter contra me, cogitant mihi adimere vitam meam.

Hæret adhuc Chriſtus in expoſitione grauitatis & magnitudinis ſuarum ærumnarum. Ex omnibus, inquiens, aduerſarijs meis, ſum opprobriũ vicinis meis, (hoc eſt) habeo multos & magnos aduerſarios, oppugnant me Scribæ & Phariſæi, Pontifices & Sacerdotes, ex quibus conſtat ſynedrion ſummorum capitum in eccleſia populi Dei, itaq; videtur me oppugnare vniuerſa ipſa catholica eccleſia: oppugnant me Senatus politicus, Pilatus, & Herodes, itaq; videtur me oppugnare, & mihi reſiſtere vniuerſum Romanum imperium, hi enim rempub. Iſraëliticam nomine Romani Imperatoris gubernant. Cum igitur habeam tot, tam multos, tam magnos, tam potentes hoſtes & aduerſarios, omnes hi autores ſunt, quod primum, vicinis meis valde ſim abominabilis: arbitrantur me ſibi eſſe ſummo opprobrio & dedecori: exiſtimãt me eſſe labem & maculam politiæ ſuæ. Deinde, quod etiam ſim timor notis meis, & vbicunq; viderint me in plateis, nunc ad ſynedrion Pontificum, nunc ad Pilatum aut Herodem captiuũ & vinctum duci, ita diffugiunt, perinde ac ſi aſpectu meo aut contaminarentur, aut in præſens exitium conijcerentur. Metuunt enim, ſi me aſpectu dignentur, aut familiariter colloquantur, & in tantis meis afflictionibus, vel vno verbulo conſolentur, creent ſibi certiſsimum capitis periculum, & ſummum vitæ diſcrimen. Nomine autem vicinorum & notorum Chriſti, continentur partim illi, quibus Chriſtus reſtitutione ſanitatis benefecit: qui etſi acceperunt

perunt beneficia à Chriſto, tamen præ metu periculo-
rum non ſunt auſi ipſum confiteri. Apud Ioannem di- *Ioan.9.*
citur de parentibus cæci, quòd præ metu non fuerint
confeſsi Chriſtum. Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt
ſi quis eum cõfiteretur eſſe Chriſtum, è Synagoga eij-
ceretur. Et iterum: Multi ex principibus crediderunt *Ioan.12.*
in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne
è Synagoga eijcerentur: dilexerunt enim gloriam ho-
minum magis, quàm gloriam Dei. Partim cõtinentur
etiam diſcipuli, & imprimis Apoſtoli, qui quàm tur-
piter deſeruerint, & fugerint Chriſtum, cum caperе-
tur, & mox Petrus horribiliter abnegauerit, obſcurũ
non eſt. Dicit & Lucas, quòd cum Chriſtus crucifige- *Lu.23.*
retur, ſtabant omnes noti eius, non propè, ſed procul,
videlicet, ne ſi propius adſtarent, iudicarentur cogna-
ti eius, & ſubirent idem cum ipſo periculum.

Accedit & illud, quòd tradar obliuioni ex corde,
tanquam mortuus, & habear velut vaſculum confra-
ctum aut contritum. Mortuorum nulla amplius ha-
betur ratio: Mortui (inquit Eccleſiaſtes) nihil noue- *Eccle.9.*
runt amplius, nec eſt eis merces, quia obliuioni tradi-
ta eſt memoria eorum. Dicit ergo Chriſtus, quòd et-
ſi adhuc vitam agit inter homines: tamen nulla am-
plius ſit autoritate, nullus faciat honeſtam ipſius men-
tionem, ac planè videatur velut mortuus, ex omnium
hominum corde ſeu memoria extinctus, ne cuiquam
ſit curæ. Et quemadmodum nullus eſt amplius vſus
vaſculi teſtacei, quod confractum eſt & contritum,
nec ad quicquam aliud valet, niſi vt teſtæ eius foras
proijciantur, & pedibus conculcentur: ita & ego in
tanta ſum abominatione, vt non vnus & alter ex-

tremæ

tremæ fecis homo, ſed vniuerſa multitudo, quę me circumdat, Pontificum, ſacerdotum, magiſtratus, maiores & minores, principes & vulgus arbitrentur ſe aſpectu meo contaminari, & geſtiant, me quàm primum è terra ſublatum. Vociferantur enim omnes vnanimi voce: Tolle, tolle, crucifige eum, vt meis ipſe auribus nihil aliud audiam, quàm opprobria, deteſtationes & execrationes. Quid hac abiectione grauius? quid honeſto homini triſtius? Commemorat autem eam Chriſtus: primùm, quòd libera doloris querela, ſit nõnulla doloris leuatio. Deinde, vt teſtificetur fiduciam & ſpem ſuam, quòd quo grauior eſt afflictio, eo propiorem ſperet liberationẽ. Poſtremò, vt ſignificet, quanto dolore & afflictione cõſtiterit ipſum expiatio peccatorum noſtrorum, & commonefaciat nos gratitudinis & obſequij, ne tam temerè, tam impudẽter in peccata ruamus, ſed præbeamus membra noſtra ſerua iuſtitiæ ad ſanctificationem. Rom. 6.

Libera doloris querela. est non nulla doloris leuatio.

14. *Ego autem in te ſpero* DOMINE, *dico, Deus meus es tu.*

15. *In manu tua ſint tempora mea, libera me de manu inimicorum meorum, & de perſecutoribus meis.*

16. *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſalua me bonitate tua.*

In tantis meis ærumnis, in tanta abominatione & abiectione, quò me vertam? quem implorem? cuius ſpe me ſuſtentem? Non certè confugiam ad idola, nõ ad deos, quos ignorauerũt patres noſtri, non ad ſacra, quæ homines pro ſua ſapientia inſtituerunt: ſed in te ſolo,

ſolo, Domine, ſpem meam colloco, ad te ſolum confugio, te ſolum agnoſco Deum redemptorem & ſeruatorem meum. Quare, cum ſciam omnia, ac imprimis tempora, ſeu opportunitatem me iuuandi & liberandi, in manu ac poteſtate tua poſita eſſe, queſo te, Domine Deus meus, vt me pro tuo arbitratu, quo tempore, & quo tibi modo viſum fuerit, à tyrannide hoſtium & perſecutorum meorum liberes. Nihil tibi præſcribo, nullum certum tempus, nullum modum liberationis definio: illud tãtum obſecro, vt mihi ſeruo tuo ſis propitius, & digneris me aſpectu clementiæ tuæ, ac conſerues me pro ſumma tua bonitate & miſericordia. In his verſiculis docet iterũ Chriſtus ſuo exemplo, quòd in ſummis noſtris afflictionibus non habeamus aliud aſylum, præter Dominũ Deum noſtrũ, nec aliò nobis ſit confugiendum, quàm ſpe & inuocatione noſtra ad Deum patrem noſtrũ. Deinde illud etiam docet, quòd non liceat nobis Deo tempus & modum liberationis præſcribere, ſed ſapientiæ Dei relinquere, & contenti eſſe gratia Dei. Nam quod ad Paulũ, ter petentem, vt ab angelo Satanæ liberetur, dictum eſt, hoc ad nos omnes, Deum pro liberatione è grauibus aduerſis inuocantes, pertinet: Sufficit, inquit Dominus, tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem perficitur. 2. Cor. 12.

17. DOMINE, *non pudefiam, quia te inuoco, pudefient impij, & deſcendent taciti ad infernum.*

18. *Obmuteſcient labia mendacia, quæ loquuntur dura aduerſus iuſtum, cum ſuperbia & contemptu.*

Precationi ſubiungit πλαροφορίαν de certitudine exau-

 dition-

ditionis,& antitheſin, qua cõfert ſuam inuocationem cum inuocatione impiorum. Illud enim dicit: Etſi maximis calamitatibus obrutus ſum, ac videor interitioni proximus, tamen certus ſum, & perſuaſum habeo, me non pudefactum iri, & periturum. Vnde ergo hoc perſuaſum habes? Quia Domine (inquit) te inuoco. Omnis enim, quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſeruabitur. Cur igitur de mea ſalute dubitarem? Qui autem ſunt illi, qui pudefient? Non ego, inquit, qui inuoco Dominum, ſed impij pudefient, qui Dominum non inuocant. Etſi enim faciunt in precibus ſuis longos logos, vt eſt mos hypocritarum, tamen ſunt coram Deo vere muti, & deſcendunt ad infernum muti. Ac valde quidem vocales ſunt, & plurimùm vociferantur, inſultando, mentiendo & tyrānidem exercendo aduerſus iuſtum & pium. Coram tribunali autem Domini, cum propter impietatem arguuntur, ita obmuteſcunt, vt ne gry quidem, vel ad vnum verbum reſpondere queant: ideoq; ligatis manibus & pedibus proijcientur in exteriores tenebras, vbi eſt fletus & ſtridor dentium. Dices autem: Agnoſco quidem Chriſtum Dominum noſtrum, qui verè fuit iuſtus & pius, Deum recte inuocaſſe, & de ſua ſalute certiſsimum fuiſſe, quid autem de me & alijs hominibus fiet, de quibus ſcriptum eſt: Non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis viuens? Quàm miſerè metuo, ne & ego in illorum catalogo continear, de quibus in his verſiculis dicitur: Pudefient & deſcendent muti ad infernum, quippe qui mihi conſcius ſim multorum coram Deo mendaciorum, & grauiſsimorum criminum. De hac re verſiculi, qui ſequuntur, reſpondent.

Ioel 2. *Actor. 2.* *Rom. 10.* *Matth. 22.*

19. Quàm

19. *Quàm multa eſt bonitas tua, quam repoſuiſti timentibus te, & quam præſtas ſperantibus in te, coram filijs hominum.*
20. *Abſcondis eos in abſcondito apud te, ab elationibus cuiusq; abſcondis eos in tabernaculo, à contentioſis linguis.*

Non ſolus ego, inquit Chriſtus, non pudefiã, in mea inuocatione, verumetiam, non pudefient, quotquot timent te Dominum Deum, & ſperant in te. Non poteſt enim humanis verbis enarrari, non ſolùm quàm admirandis modis & rationibus Deus liberet timentes ipſum, è ſuis ærumnis & afflictionibus, verùmetiam, quàm multa, quàm magna, quàm immenſa beneficia in ipſos clementiſsimè & liberaliſsimè conferat: idq; non tantùm in futuro ſeculo, coram cœleſti cœtu, ſed etiam in præſenti ſeculo, coram filijs hominum. Nam, ſi acciderit eis aliquid aduerſi, vel ab elatis, ſuperbis, arrogantibus, comtemptoribus, & inſultoribus, vel à contentioſis hominibus, & virulentis calumniatoribus, Deus tanta cura eos complectitur, vt etſi non ſtatim beneuolentiam ſuam, & ſtudium defendendi & liberandi coram hominibus, & humano more patefacit, tamen recipit ipſos abſcondito & admirando modo in ſuam tutelam. Et quemadmodum Deus mira- *Num.14.*
biliter defendit Moſen, confugientem in tabernaculum fœderis, cùm Iſraëlitæ ſuſciperent eum lapidibus opprimendum, ita nõ eſt dubium, quin tueatur etiam inexpectato modo, omnes timentes ipſum, & ſperantes in eum. Memorabiles verſiculi, quorum autoritas nobis cõſideranda eſt. Non enim recitauit eos vanus quiſpiam homo, ac ne Patriarcha quidem aut Propheta, ſed Chriſtus filius Dei, Dominus noſter, qui vt

est ipsa veritas, ita attulit ad nos hãc vocẽ, è sinu patris sui, ne quid de certitudine veritatis eius dubitemus. Deinde repetijt sententiã eius Propheta Esa. cap. 64. & Paulus 1.Cor.2. A seculo nõ audierũt, neq; auribus perceperũt, Deus, absq; te, quæ præparasti expectãtibus seu diligentibus te. Vtamur igitur eo, nõ tantùm in cogitationibus de certitudine futurorum & cœlestium bonorũ, verùmetiam de modo & ratione liberationis ex ęrumnis huius seculi: quòd etsi Deus pater constituit tempora, articulos temporum & modum liberationis in sua ipsius potestate, tamen liberatio, vt erit admiranda, ita sit longè omnium certissima.

Sed cum omnis homo sit mendax, & omnes declinauerint, nec sit qui faciat bonum, ne vnus quidem, (vt Psalmus ait) dicito mihi, quæso, qui sint timentes Dei, & diligentes ac expectantes eum: vt sciamus etiam, quibus reposita sint immensa Dei beneficia, & seruentur in omnibus aduersis? Consideremus igitur, quòd in his & similibus locis Sacræ scripturæ, timentes Dei, & diligentes eum, non sint, qui diligunt Deum, perfecta dilectione, & colunt eum absoluta & ex omni parte integra obedientia, tales enim dilectores, & cultores Dei nõ sunt vlli in his terris homines, Sed qui verbum Dei, quoquo studio possunt, reuerentur, ac ex Decalogo quidem, qui est vna pars verbi Dei, agnoscunt peccata sua, & detestantur ea: ex Euangelio autem, quod est altera verbi Dei pars, agnoscunt Christum, per fidem, & credunt, quòd habeant remissionem peccatorum & Deum propitium propter solum Dominum nostrum Iesum Christum, & testificantur hanc fidem, cùm confessione nominis Christi coram

timentes DEI

ram hominibus, tum ſpe in aduerſis, ac dilectione proximi, iſq; virtutibus, quas ſpiritus fidei ſecum affert. Etſi enim nulla virtus perfecta eſt in homine, dum in hac terra vitam agit: tamen vbi Chriſtus inhabitat per fidem, ibi inhærent quidem adhuc reliquiæ peccati: nihil autem reliquum eſt condemnationis, iis, qui non iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum verſantur, vt Paulus ait. Quare, qui ſic timent Deum, & ſperant in eum, dubitare non debent, quin omnia cooperentur ipſis, teſte eodem Paulo, in bonum. *Rom. 8.*

21. *Benedictus* DOMINVS, *quia benefacit mihi mirando modo in ciuitate munita.*

22. *Dicebam enim in trepidatione mea, proiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: & tamen tu audiebas vocem deprecationum mearum, dum clamarem ad te.*

Concludit Chriſtus filius Dei precationem ſuam gratiarum actione & cohortatione. Ac de cohortatione quidem mox, nunc de gratiarum actione. Dominus, inquit, contulit hactenus in me plurima & maxima quæq; beneficia, idq; mirando modo, & præter omnium hominum expectationem: nec aliter me defendit & ſeruauit, quàm ſi in munitiſsima quadam & inexpugnabili vrbe aut arce commoratus eſſem. Nam cum in extrema mea afflictione ita trepidarem, vt arbitrarer me ab oculis, à fauore Dei prorſus abiectum, & exclamarem: Deus meus, Deus meus, quare me deſeruiſti? quare longè à me recedis, vt non ſerues me, nec audias verba rugitus mei? Talia (inquam) cum vociferarer, non tamen repulit me Dominus, nec auerſatus eſt preces meas: ſed quanto magis videbar, pro *Pſalm. 21.*

humano iudicio periisse, tantò illustriorem victoriam beneficio Dei tam ab hostibus meis Pontificibus & Pharisæis, quàm à morte & inferno reportabam. Reliquum igitur est, vt benedicam Dominũ, & celebrem nomen eius, qua possum laude, ac omne meum studiũ in illo collocem, vt pro tantis beneficijs summas gratias agam & referam. Cæterum vox illa: Dicebam in trepidatione mea, proiectus sum à facie oculorũ tuorum, videtur esse vox desperationis, & nulli hominum minus competere, quàm filio Dei, Domino nostro Ie-
Philip.2. su Christo. Sed sciamus, quòd in Christo, iuxta Paulũ, alia sit forma Dei, alia forma serui. Iuxta formam Dei, Christus est Deo in maiestate æqualis: iuxta formam autem serui, factus est per omnia (sed absq; peccato) nobis hominibus similis, & obediens Deo, non solum vsq; ad tristitiã, anxietatem & trepidationem animi, verùmetiam vsq; ad mortem crucis. Quare, cum dicit: Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Et: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti, non est vox formę Dei, sed formæ serui: non est vox maiestatis, sed humiliationis: non est vox plenitudinis Dei, sed exinanitionis, qua in similitudine hominum constitutus, metuit, tristitia affectus est, & trepidauit, imò etiam mortuus est, & descendit ad inferos: vt nos à metu, tristitia, trepidatione, morte & inferno liberaret. Habes gratiarum actionem. Nunc audiamus cohortationem.

23. *Diligite Dominum omnes sancti eius, Dominus custodit credentes, reddit autem abundanter agenti superbè.*

24. *Estote animo forti, & roboretur cor vestrum omnium, qui expectatis Dominum.*

Hæc

Hæc eſt cohortatio filij Dei ad vniuerſam ſuam ecclesiam. Quos enim vocat hîc ſanctos, intelligit ſanctã ſuam eccleſiam catholicã: quam non idcirco vocat ſanctam, quòd ſit iuxta carnẽ ſancta, & ab omni labe per ſe pura ac immaculata, dum enim in hac carne viuimus, ſemper orandũ eſt: Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in cõſpectu tuo omnis viuens: ſed dicitur ſancta, quòd fide ſua agnoſcat, verè ſanctum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, quo cum omnia nobis ſunt donata: & quòd cœperit expurgare ſancto ſpiritu reliquias carnis. Hos ergo cohortatur & excitat Chriſtus filius Dei, vt etſi grauiſsimis afflictionibus obruũntur, & prorſus opprimi videntur, tamen pergant diligere Dominũ, hoc eſt, deferre Dominõ honorem veritatis, credere promiſsionibus Domini, omnem ſpem ſuã in verbo Domini collocare, ac in inuocatione nominis Domini cõſtanter pergere, & in expectatione cœleſtis auxilij, officiũ non deſerere. Et additur ratio, cur Dominus ſic diligendus ſit: Quia Dominus (inquit) cuſtodit, tuetur, & ſeruat credẽtes: incredulis autem, ſuperbè agentibus, verbũ Domini cõtumaciter reijcientibus, eccleſiã Domini tyrannicè perſequentibus, in omni ſcelerũ genere vitã impœnitenter ducentibus, reddit Dominus, ſuo tẽpore, mercedem: idq; nõ exiguè, ſed abundanter & cumulatè: vt nõ neceſſe habeas teipſum vlciſci, & vindictã pro carnali tuo arbitratu, ab aduerſarijs ſumere, ſed relinquas vltionẽ Domino, qui retribuet omnib. impijs cõfertã & copioſam menſurã. Admoneo igitur vos omnes, qui expectatis opẽ Domini, vt in aduerſis ſufferendis non defatigemini, ſed forti ſitis animo, & robuſto corde.

Hoc

Hoc prorsus illud est, quod Christus postea, cum incarnatus esset, dixit. In mundo afflictionem habetis: sed bono animo sitis: Ego vici mundum. In hoc enim Psalmo cōmemorauit Christus miserias & afflictiones
Ioan.16. suas, quas ad expianda peccata humani generis suscepit. Commemorauit etiam liberationem & victoriam suam: Benedictus, inquiens, Dominus, quia benefacit mihi mirando modo, in munita ciuitate. Hortatur ergo nunc ecclesiam suam, vt in aduersis suis fortem ac robustum animum tam virtute, quàm exemplo ipsius concipiat. Nam cum ipse vicerit crucem & mortem, reliquum est, quòd omnes, quotquot collocauerint suam fiduciam & spem in ipso, non pudefiant, sed vincant etiam ipsi, spiritu eius, quo donati sunt, & exemplo eius, omnes ærumnas, hoc est, tam mortem, quàm infernum ipsum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Paulus ad Romanos scribens: Quæcunq; (inquit) præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Sic & hic Psalmus non solùm scriptus, sed etiam dictus & recitatus est à Christo filio Dei, propter nos, vt cùm animis nostris diligenter reputemus, primū quidem quanta cruce & morte cōstiterit Christum filium Dei expiatio peccatorum nostrorum: & expergiscamur ad timorem Dei, atque gratitudinem. Deinde, vt excitemur ad spem liberationis, in omnibus aduersis: quæ sicut Christum nō pudefecit, ita nullum hominem, qui fiduciā suam in Deo patre Domini nostri

noſtri Ieſu Chriſti collocat, pudefaciet. Nam, quemadmodum paſsiones Chriſti ſunt noſtræ, ita & noſtræ paſsiones ſunt Chriſti, vt certò ſperandum ſit, nos non minus è noſtris paſsionibus liberandos, propter Chriſtum, quàm Chriſtus è ſuis liberatus eſt. Dicet autem quiſpiam horrore mortis & inferni concuſſus: Multa quidem & magna ſalus promittitur confidentibus & ſperantibus in Domino Deo, per Chriſtum Ieſum: ego autem reipſa ſentio, me à facie oculorum Domini ita proiectum, vt nullam nec fiduciam, nec ſpem in corde meo comperiã. Iubes quidem has virtutes à Deo precibus petere, ſed preces abſq; fide, irritæ ſunt & vanæ. Fidem autem non poſſum ex meipſo petere, quia donum Dei eſt, non hominis, donũ ſpiritus eſt, non carnis: nec poſſum à Deo petere, quia cum caream fide naturaliter, quomodo Deus haberet petitionis meæ rationem? Et: An non, quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt? Quomodo autem peccato impetrarem fidem? Accedit & illud, quòd miſerrimè metuam, ne non ſim à Deo ad ſalutem electus, ſeu prædeſtinatus: nec poſsim ad Deum conuerti, quòd peccauerim fortaſsis in ſpiritum ſanctum, quod genus peccati dicitur irremiſsibile. Fruſtra igitur recitantur mihi multa dicta de ſpe in Dominum, cum ego nullam in me ſpem ſentiam, aut quam ſentio, video non eſſe durabilem, ideoq; nec veram: quò ergo me vertam? Hæc ſunt ignita iacula ſatanæ, quibus non mirum eſt, ſi multi confodiantur, & pereant, mirum potius eſt, ſi vel vnus aut alter illæſus euadat: & tamen ea extinguere, & euadere licet, ſi modò exhibuerimus nos armatura Dei muniendos. Rectè enim, & verè dicis, quòd fides & ſpes non ſint

Obiectio.

humanæ carnis opera, ſed ſint dona Dei. Quod autem addis, Deum idcirco nolle tibi hæc dona dare, quod & non ſis electus, & peccaueris in Spiritum ſanctum, teipſum ſeducis, & eſt opinionis mendacium, non veritatis teſtimonium.

Dicamus ergo primùm de electione. Non eſt dubium, quin ſalus noſtra conſtet, nō humana voluntate aut induſtria, ſed electione & gratuita clementia Dei:

Ioan.1. Qui nō ex ſanguinibus, inquit, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et:

1.Ioan.4. In hoc eſt charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos. Et de Eſau ac Iacob dicit

Rom.9. Paulus: Nondum natis pueris, cum neq; boni quippiã feciſſent, neq; mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori. Ac mox. Moſi dicit: Miſerebor, cuius miſereor, commiſerabor, quemcunq; cōmiſeror: itaq; non eſt volentis, neq; currentis (hominis) ſed miſerentis Dei. Non eſt aũt ſentiendum, quòd ſacra & cœleſtis ſcriptura cōcionetur hæc de electione, vt homines deterreat à fide & ſpe ſalutis ſuæ, ſed potius, vt ipſos ad fidem & ſpem inuitet. Sacra enim ſcriptura data eſt nobis, & magnis ac multis miraculis confirmata, in noſtram doctrinam, quemadmodum

Rom.15. paulò antè ex Paulo dicebamus, vt per patientiam & cōſolationem ſcripturarũ, ſpem habeamus. Et iterum

2.Tim.3. dicit Paulus: Sacræ literæ poſſunt te eruditũ reddere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Omnis ſcriptura diuinitus eſt inſpirata & vtilis ad doctrinã, (videlicet fidei, ſpei, & charitatis) ad redargutionem (videlicet impiæ doctrinæ,) ad correctionem, (prauitatis

tatis vitæ) ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit homo ad omne opus bonũ apparatus. Hic est verus & legitimus vsus vniuersæ sacræ scripturæ, adeoq; etiam eius particulæ, quæ de electione concionatur. Quare si quis per doctrinam de electione excitatur magis ad incredulitatem quàm ad fidem, & plus ad abijciendã, quàm concipiendam spem salutis, tantũ abest, vt veritatem sectetur, sicut sibi ipse fingit, vt potius cœlesti & diuina scriptura manifestè abutatur, & grauissimè, aduersus Deum, scripturæ autorẽ, peccet. Vsus sacræ scripturæ primus.

Reprehenduntur seueriter, qui abutuntur nomine Dei ad maledicta & execrationes, quòd hoc nomen datũ nobis sit ad benedictionem & salutem: condemnantur, qui sacra scriptura abutuntur ad veneficia & magiam. Non minus certè reprehendendi & cõdemnandi sunt hi, qui scriptura abutuntur ad abijciendam fidem, & suscipiendam desperationem. At enim, (inquies iterũ) etiamsi sciam peccare illos, qui scriptura ad abijciendã spem salutis suę abutũtur, tamen nondum euulsus est mihi scrupulus de mei electione, qui me dies noctesq; stimulat & pungit, nec sinit me vllã habere animi tranquillitatem. Cogito enim ac varijs argumentis, ijsq; nõ omnino incertis, vt mihi quidem videtur, cognosco me non esse à Deo ad verã & æternam salutem electum, quid ergo faciam? Sed si rem probè expendas, quæ modo de vsu scripturę diximus, magna iam ex parte tibi responsum est. Quæso enim te, quæ sunt illa argumenta, quibus cognoscis te non esse à Deo ad salutem electum? num constant testimonijs scripturæ? Sed exposuimus modò, illũ esse verum scripturæ vsum, nõ vt infirmet, sed vt cõfirmet fidem.

Et extant manifesta dicta scripturæ, quibus Spiritus sanctus testificatur, quòd Deus, quantum ad se (ad se, inquam, qui sua natura, non est aliud, quàm salus ipsa) attinet, nõ vnum tantùm, & alterũ hominem, sed omnes homines, ad participatum ęternæ salutis elegerit.

Ezech.18. & 33. Viuo ego, dicit Dominus in Ezechiele, nolo mortem impij, sed magis, vt cõuertatur & viuat. Non simpliciter affirmat, sed etiam iurat, idq; cum non habeat se maiorem, per semetipsum, quòd non delectetur interitu hominum, quamuis impiorum. Delectatur ergo salute eorum. Quod, quid aliud est, quàm eos ad consequendam salutem eligere?

Rom.11. Paulus ad Rom. scribens: Concluſit, inquit, Deus omnes sub incredulitatem, vt misereretur omnium.

1.Timo.2. Et ad Timotheum: Deus, inquit, vult cunctos homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

2.Pet.3. Et Petrus: Patiens est (inquit) Dominus erga nos, dum nõ vult vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere.

1.Ioan.2. Sed & Ioannes dicit, Christum esse propitiationem pro peccatis, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Elegit ergo Deus, quod in ipso est, totum mundum, hoc est, omnes homines, vt veram & ęternam salutem cõsequerentur. Nam, quòd nõ omnes ad salutem perueniunt, non fit vitio diuinæ electionis, sed vitio humanæ obstinationis, quòd maxima hominum pars oblatam salutem, ad quam & creati & electi sunt, recipere nolint. Hinc est, quod dicitur: Multos vocatos, paucos verò electos. Non enim hîc fit sermo, de electione Dei, qui omnes eos, quos vocat, elegit, alioqui

vocatio

vocatio magis esset ridicula, quàm seria: sed fit sermo de electione hominum, quòd, etsi Deus multos eligit & vocat, tamen hi nō agnoscunt electionem Dei, nec dant locum vocationi eius. Hoc enim parabola ipsa, in qua hoc dictum recitatur, significat, cum affirmat inuitatos & vocatos, beneficium regis sua sponte reiecisse. Et quos parabola dicit inuitatos & vocatos, hos Moses vocat electos: Te, inquiens, elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. *Matth. 22.*

Nec vniuersos tantùm eligit Deus, verùmetiã singulis, qui Sacramẽta eius accipiũt, testificatur palàm, quòd agnoscat ipsos ad veram salutem electos. Quare, si quis è scriptura colligit, se à Deo non esse electũ, suis se ipse somnijs fallit, & mendacia sibi fingit.

Sed hîc iterum obstrepis: Scio, inquiens, Deum omnibus hominibus offerre salutem, & velle omnes homines saluos fieri, ac etiam ad agendam pœnitentiam, & ad consequendã pœnitentia salutem, eligere, iuxta dicta Sacræ scripturę. Sed Deus videtur aliud reuelata prædicatione verbi sui significare, & aliud in æternæ illius & imperscrutabilis mentis suæ latebris cogitare. Ego enim reipsa in me comperio, quòd sim indurator & obstinatior, quàm qui possim oblatam salutem fide accipere, & spe cõseruare. Si ergo Deus serio me ad salutem eligit & vocat, cur non mutat meã voluntatem, vt quod ab ipso offertur, prompta fide accipiam: cur nõ facit è corde meo lapideo, cor carneum, quod pœnitentiam agat, verbo eius credat, & in præceptis eius obedienter ambulet? Me miserum, quàm metuo, ne quem Deus externa sua voce eligit, interna

mente ſua abominetur. Reſpondeo: Næ tu inſignem ex Domino Deo noſtro impoſtorem & veteratorem facis, ſi arbitraris eum aliud verbis polliceri, aliud corde cælare: & altera manu panem oſtentare, altera lapidem geſtare. Abſit hoc à Deo, vt hanc rem faciat, & non velit ex animo, vt quem vocat ad pœnitentiam, reſipiſcat, & ſalutem conſequatur. Non eſt hoc eius, qui iuramento aſſeuerat, ſe nolle mortem impij, ſed magis, vt conuertatur & viuat. Nam, quòd omnes quidem eligit & vocat ad ſalutem, non mutet autem omnibus cor lapideum in carneum, vt agnoſcant electionem & accipiant ſalutem, non ideo accidit, quòd id non velit, cum ſit optimus, aut non poſsit, cum ſit maximus: ſed quòd id facere non debeat, cum ſit gubernator rerum omnium iuſtiſsimus & ſapientiſsimus.

Initio humanæ conditionis collocauit hominem in Paradiſo, & dedit ei mandatum, ne veſceretur de arbore ſapientiæ. Voluit autem ſeriò & ex animo, vt homo hoc præceptum obſeruaret: ac potuiſſet etiam cauere, ne hoc præceptum violaret: ſed id fieri non debuit. Quid ita? Recenſent quidem nonnuli aliquot veriſimiles rationes: ſed quę non poſſunt humanæ curioſitati, imò ne quidem exactiſsimo humanæ ſapientiæ iudicio ſatisfacere. Perfecta enim huius rei cognitio reſeruata eſt in futurũ ſeculum, vbi cernemus Deum facie ad faciẽ, & videbimus eum, ſicuti eſt. Poſt lapſum autem hominis, vocat Deus peccatores ad pœnitentiam, & vult ex animo, vt pœnitentiam agant. Ac poteſt etiam omnium animos ad agendam pœnitentiam conuertere: & tamen non conuertit omnes,

ſed

ſed alios quidem conuertit ex gratuita ſua clementia: alios autem ſinit in peccato ipſorum, ex ira ſua iuſtiſſima. Quid ita? Quia aliud fieri non debet. Cur autem hoc? O profunditatem diuitiarum ſapientiæ & cognitionis Dei, quàm imperſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius.

Tu ergo, quiſquis es, qui affirmas, te idcirco non poſſe veram pœnitentiam agere, quòd non ſis à Deo electus, facis Deo iniuriam, & dicis mendacium, propterea quòd Deus manifeſtè ac verè ſignificauerit, ſe & fauere tibi, & elegiſſe te ad ſalutem, non tantùm generalibus dictis, quæ paulò antè commemorata ſunt, verùmetiam peculiaribus teſtimoniis, dum ſacramento Baptiſmi te in eccleſiam ſuam ſuſcepit, & corporis ac ſanguinis filij ſui te in Cœna dominica participem fecit. Nec licet tibi, vt deſerta hac manifeſta & vera voluntate Dei, recipias te in perſcrutationem maieſtatis Dei, in altero demum ſeculo reuelandæ, hæc enim in hoc ſeculo nihil ad te, propterea quòd Deus ſeueriſsimè præceperit, vt illam ſuam voluntatem, quam tibi in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis cognoſcendam propoſuit, ſecteris, & in ea conquieſcas. Quod ſi autem cogitaueris, Deum idcirco te non conuertere ad agendam pœnitentiam, quia non debeat tibi hoc beneficiũ, verè agnoſcis maieſtatem Dei, ac rectè confiteris tuam indignitatem, ideoq; de tua ſalute benè confidendũ eſt. Morbũ enim ſuum, & veram morbi cauſam intelligere, primus gradus eſt ad ſanitatẽ. Nam, quos Deus in hoc ſeculo, nunquam ad agendam pœnitentiam cõuertere cogitat, hi non dant Deo gloriam iuſtitiæ, ſed aut non requirunt

Deum

Deum, aut accusant Deum iniustitiæ & tyrannidis, quanquam ne sic quidem manus Domini abbreuiata est, quin etiam speremus eum ex his, qui sic insaniunt, nonnullos, pro immensa sua bonitate, ad bonam frugem conuertere. Quare cum tu tribuas Deo laudem iustitiæ, & agnoscas tuam indignitatem, non dubium est, quin Deus, qui linum fumigans non extinguit, & calamum quassatum non conterit, conseruaturus sit te ad consequendam veram salutem. Reliquum autem est, vt cum alter alterius onera portare debeamus, iuuemus nos hominem sic tentatum nostris officijs, & confirmemus eum prædicatione Euangelij Christi, & commendemus eum precibus Domino, vt ostendat in ipso omnem clementiam ad exprimendum exemplar his, qui similes aliquando tentationes sint subituri. Et hactenus quidem de electione.

Dicamus nunc etiam de peccato in Spiritum sanctum. Nam, quòd nonnulli de sua salute dubitent, non ex illo tantùm mouentur, sicut suprà dictum est, quòd arbitrentur se non esse à Deo electos, verùmetiã quòd
Mar.3. cogitent, se fortè alicubi peccasse peccatũ in Spiritum sanctum, quod scriptura Sacra vocat peccatum irremissibile. Ac verisimile est, multis occasionẽ pereundi hinc datam esse, quòd non rectè explicetur, quomodo peccatũ in Spiritum sanctũ dicatur irremissibile. Cui
1. Ioan.5. accedit & illud, quòd Ioannes vocat peccatũ ad mortem, pro quo dicit, non esse orandũ, videlicet sentiens esse irremissibile. Quid igitur dicemus? si vllum est peccatum, quod Deus, nec velit, nec possit remittere, conscientia nunquam erit tranquilla, nec poterit vnquam certam & firmam fiduciam de peccatorum remissione

missione concipere, propterea quòd semper metuet, ne fortè tale peccatum designauerit, præsertim cum videat inter scripturæ interpretes nondum constare, quid sit hoc irremissibile peccatum. Sed si rectè, & iuxta fidei analogiam intelligitur, quod in scriptura de hoc irremissibili peccato, & ad mortem, dictum est, nullus scrupulus de salutis nostræ incertitudine resi- debit. Nam, quòd Christus de irremissibili peccato in Spiritum sanctum concionatur, non sentit, quòd hoc peccatum superet ac vincat omnem Dei clementiam, nec possit vllo modo condonari: sed quòd non habeat vllam speciem excusationis, nec coram Deo, nec corã hominibus. Alia enim peccata, inter quæ est etiã pec- catum in filium hominis, etsi nullam habẽt excusatio- nem coram Deo, tamen habent quendam coram ho- minibus prætextũ. Peccatum autem, quod dicitur in Spiritum sanctum, nullum habet omninò prætextum nec coram Deo, quod Christus dicit in futuro seculo, nec coram hominibus, quod dicit in hoc seculo: nihilo- minus tamen, si egeris pœnitentiã, condonatur à Deo. Quòd enim vocabulum irremissibile, in hac de pec- cato in Spiritum sanctum disputatione, magis signifi- cet inexcusabile, quàm inexpiabile, aut, vt ita dicam, incondonabile, probat summa totius Euangelij Chri- sti, & vera fidei analogia. Nam Euangelium Christi eò tendit, id agit, ad eum exitum properat, vt doceat, Christum esse expiatorem, non vnius tantùm, & alte- rius peccati, sed omnium simul peccatorum, quamuis grauium & atrocium. Cum enim duo sint genera pec- catorum, alterum Originale, vt vocant, alterũ Actua- le, & hoc sit illius fructus, necessariò sequitur, illud

longè omnium grauiſsimum eſſe. Non eſt autem dubium, quin Chriſtus expiauerit morte ſua peccatum Originale: quomodo igitur nõ expiaſſet etiam peccatum Actuale, Originalis illius fructum? Et cum peccatum in Spiritum ſanctum ſit fructus peccati Originalis, quid reliquum eſt, niſi vt verè ſentiamus, etiam ipſum eſſe à Chriſto expiatum? Hîc nunc Spiritus ſancti ipſius (hoc eſt) ſacræ ſcripturæ, quæ eſt Spiritus ſancti oraculum, teſtimonia conſideranda ſunt, & diligenter obſeruanda.

Eſa. 40. Completa eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu DOMINI duplicia pro OMNIBVS peccatis ſuis. Hęc eſt concio de expiatione peccatorum, quæ facta eſt per Chriſtum. Et cum dicit, homines ſuſcipere duplicia pro omnibus peccatis ſuis, manifeſtè ſignificat, non ſolùm omnia peccata eſſe expiata, verùmetiam beneficium Chriſti duplo maius & amplius eſſe, quàm ſint omnia humani generis peccata: vt ſciamus, quòd clementia Dei per Chriſtum filium eius patefacta, ſuperet omnem hominum iniquitatem.

Mich. 7. Deponet iniquitates noſtras, & proĳciet in profundum maris OMNIA peccata noſtra. Quid? Excipiemus ne hîc peccatum in Spiritum ſanctum? At, quod Spiritus ipſe ſanctus nõ excipit, dicit enim: OMNIA: cur nos noſtra temeritate exciperemus? Sed excipit, inquies, alio loco, cum affirmat aliquod eſſe peccatum irremiſsibile. Ergòne dicemus, quòd ſecum ipſe pugnet? Nihil certè minus, ſed cum & Prophetiæ & Apoſtolicę literæ conſtantiſsimè doceant, mortem Chriſti eſſe ſufficientiſsimã pro OMNIBVS peccatis

catis expiationem, necessarium erit, vt irremissibile illud peccatum ita intelligamus, ne ab expiatione Christi excludatur, (hoc est) ne expiatio Christi pro imbecilli & insufficienti habeatur: hoc enim esset mortem Christi summa contumelia afficere.

Roma. 5. Vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia. Quòd si esset aliquod peccatum grauius & atrocius, quàm quod à filio Dei expiatum esset, magis exuberaret peccatum quàm gratia.

1. Ioannis 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab OMNI peccato.

Et mox: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab OMNI iniquitate.

Quid plura? Vbicunq; Propheticæ & Apostolicæ literæ concionantur de multitudine misericordiæ Dei, & de opulentia ac diuitijs gratiæ eius, per filium suum Iesum Christum, ibi manifestè significant, nullum omninò esse genus peccati, quod non per clementiam Dei in Christo deleri queat. Cum igitur Euangelion Christi adnũciet omnibus hominibus omnium peccatorum remissionem, fieri non potest, vt ex hoc ordine peccatũ in Spiritum sanctum excludatur. Itaq; cum hoc peccatum dicit̃ irremissibile, & in hoc, & in futuro seculo, non intelligendũ erit, quòd Deus tam durus & immitis sit, vt conuertenti se ad Christum, hoc peccatũ non condonet, sed quòd qui hoc peccatum designat, non habeat vllam peccati sui caussificationẽ, nec coram hominibus in hoc seculo, nec coram Deo in altero seculo. Vbi enim Christus de hoc peccato apud Euangelistas concionatur, ibi Pharisæi calumniati fuerant miraculum, quo dæmonia,

tam manifesta & aperta cœlestis ac diuini Spiritus potentia, eiecta erant, vt ei nemo vlla probabili aut verisimili specie contradicere potuerit. Et tamen Pharisæi contradicebant, ac satanæ potius, quàm Spiritui sancto adscribebant. Opponit igitur Christus inter se peccatum in filium hominis, & peccatum in Spiritum sanctum: ac illud quidem vocat remissibile, propterea quòd qui non agnoscebant ipsum (qui se filium hominis solet vocare) pro vero Messia seu Christo, videbantur coram hominibus aliquam peccati sui excusationem habere. Filius enim ille hominis, qui est Iesus Christus, etsi multa ædebat miracula, tamen Prophetæ etiam ædiderunt miracula: & persona ipse sua, humilior atq; abiector videbatur, quàm qui tam prolixis & magnificis Prophetarum promissionibus de Messia responderet. Hoc autem vocat irremissibile, propterea quòd cum Pharisæi manifestum opus Spiritus sancti tribuerent satanæ, tam euidenter & perspicuè peccabant, vt nullam planè peccati sui vel rationem, vel excusationem afferre potuerint. Quale est, si quis conferret inter se furem pauperem, & opulentum, ac diceret, illum quidem remissibiliter peccasse, quòd furatus sit, vt impleret esurientem animam, sicut Salomon loquitur: hunc autem irremissibiliter peccasse, quòd cum magnam vim diuitiarum possidet, nullam prorsus habeat furti sui excusationem, nec coram Deo, nec coram hominibus, & tamen nec hoc peccatum tanti est momenti, vt resipiscenti non condonetur propter Christum. Quare, quod in hac disputatione de peccato in Spiritum sanctum, dicitur de peccati irremissibilitate, non est referendum ad mortem Christi, qua omnia peccata

cata ſufficienter expiata ſunt: ſed referendum eſt ad peccati ipſius perſpicuitatem, qua fit, vt ipſi nulla prorſus excuſatio relicta ſit, quæ vel aliquo modo, ſi non coram Deo, at ſaltem coram hominibus prætexi queat. Nam, quòd Ioannes recenſet aliquod peccatum ad mortem, pro quo non vult orari, loquitur ſimpliciter de tali peccato, quod etiã vulgò mortale vocatur. Facit enim duo peccatorum genera, alterum ad mortem, alterum non ad mortem, quod vocant veniale. Ac pro illo quidem, non vult vt oretur: non quòd Deus tam immiſericors ſit, vt ipſum non condonet propter Chriſtum, agenti pœnitentiam, ſed quòd qui eiuſcemodi peccatum deſignat, & non agit pœnitentiam, non ſit recipiendus in publicam communionem eccleſiæ. Sicut & Paulus dicit: Cum eiuſmodi ne cibum quidem capiatis. Quod enim apud Ioannem eſt peccatum ad mortem, hoc apud Paulum eſt ſcortatio, adulterium, furtum, rapina, ebrietas, ſimulacrorum cultus, & id genus alia, quæ vocant peccata mortalia. Pro his ergo peccatis non eſt orandum, primùm, quòd nõ debeamus orare DOMINVM, vt condonet & remittat ea illis, qui non agunt pœnitentiam: ſed orandũ potius eſt, vt DOMINVS coniiciat eos in peccatorum ſuorũ agnitionem, ne in his peccatis maneant, ſed agant pœnitentiam, & meliorem vitam ducant. Deinde, quòd qui his peccatis obnoxij ſunt, non debeant in communionem publicarum precum Eccleſiæ admitti, ſed excommunicari, vt pudore ſuffundantur & reſipiſcant. Nam ſi reſipuerint, tantum abeſt, vt non conſequantur peccatorum ſuorum veniam, propter Chriſtum, vt Chriſtus maximè omnium in hunc mundum venerit, quò peccatores ſaluos faceret, quem- 1. Cor. 5.

admodum mox indicabitur: Aliud autem est peccatum non ad mortem, quod intelligendum est, partim pro peccato Originali, cõdonato quidem in Baptismo propter Christum, manente autem in carne, & inhærente ei vsq; ad mortem. Etsi enim hoc peccatum per se est maximè omnium mortiferum, tamen quia credenti in Christum non amplius imputatur, haud incongruenter vocatur post Baptismum, peccatum non ad mortem. Partim etiam intelligendum est pro humanis vitijs, quibus etiam hi, qui alioqui sanctissimam vitam ducunt, obnoxij esse solent, vt sunt, exempli gratia, morosum esse, suspicacem, præcipitis iræ, nimiæ tenacitatis, indulgentiæ, socordiæ, de quibus vitijs vulgò dici solet: Amici vitia noueris, non oderis. Pro his vult Ioannes, vt oretur, non quòd sint approbanda, sed quòd etiamsi maneant in homine, tamen non est propter ipsa è communione Ecclesiæ ejiciendus: sed toleranda sunt, si corrigi non possunt, & orandum est, vt homini non imputentur. Siue igitur peccaueris peccatum in Spiritum sanctum, siue peccatum ad mortem, nullam habes causam, cur spem salutis tuæ abijcias, quòd Christus pertulerit omnia peccata in corpore suo super lignum, vt Petrus loquitur, & expiauerit ea sanguine suo, vt credentibus in ipsum remittantur.

Deinde sacra scriptura non solùm testificatur, quòd omnia peccata sanguine Christi sint expiata, sed etiam quòd Deus omnes pœnitentiam agentes clementer suscipiat, & faciat ipsos expiationis Christi participes. Nam & hoc multi metuũt, ne pateat ipsis, post multa & magna peccata, eaq; sæpius repetita, receptus ad Christum, etiamsi pœnitentiam agere instituant.

Audienda

Audienda igitur ſunt teſtimonia Spiritus ſancti, vt abijciamus hunc metum, & in agendæ pœnitentiæ inſtituto confirmemur.

Eſa.55. Derelinquat impius viam ſuam,& vir iniquus cogitationes ſuas:& reuertatur ad DOMINVM, & miſerebitur eius: & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

Hiere.3. Vulgò dicitur: Si dimiſerit vir vxorem ſuã, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltrà? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis:tamẽ reuertere ad me,dicit DOMINVS, & ſuſcipiam te.

Matth.11. Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo vos.

Luc.15. Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Rom.2. Bonitas Dei inuitat te ad pœnitentiam. Non inuitaret autem,niſi pœnitentem reciperet.

Rom.11. Dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum illum pœnitere non poſsit. Deus autem offert omnibus donum filij ſui, & vocat omnes per Euangelion,ad capiendam cœleſtem hæreditatem per fidem in filium ſuum. Quare,etiamſi quiſpiam deſeruerit Deum, & abiecerit donum ac vocationem eius,tamen ſi reuerſus fuerit,& pœnitentiam egerit, non repellitur, propterea quòd non pœniteat Deum donorum & vocationis ſuæ.

1.Tim.1. Chriſtus Ieſus venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret, quorum ego primus ſum. Verùm ideo miſericordiam ſum adeptus,vt in me primò oſtenderet

deret Iesus Christus, omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturі essent in ipso in vitam æternam.

2. Timot. 2. Si negamus (subintelligendum est, & perduramus in negatione) & ille negabit nos. Si increduli sumus (subintelligendum est, & conuersi fuerimus ac fidem) ille fidelis manet, seipsum negare non potest. Etsi enim nos deficimus à Christo abnegatione nostra, tamen si conuersi fuerimus ad eum per fidem, non deficit ipse à veritate Euangelij sui, sed seruat eam firmam omnibus pœnitentiam agentibus.

1. Ioannis 2. Filioli mei, ne peccetis, & si quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrem Iesum Christum iustum.

Sed nihil opus est in præsentia multa id genus dicta cōmemorare, cum manifestum sit, Iesum Christum præcipuè propter hanc causam in hunc mundum venisse, vt vocaret peccatores ad pœnitentiam. Non vocaret autem eos, nisi serio cogitaret eos recipere.

At enim, non dubito, inquies, quin Deus recipiat conuertentes se ad ipsum, & agentes veram pœnitentiam, ego verò obstinatior sum, quàm qui possim me conuertere ad Deum, & pœnitentiam agere: & peccatum in Spiritum sanctum illius est ingenij, vt qui hoc designauit, ne possit quidem, etiamsi velit, ad pœnitentiam redire. Veterem audio cantilenam, & tamen veram confessionem, si quidem sermo fuerit de corruptæ humanæ naturæ viribus. Natura enim sumus filij iræ, ideoq; nemo est hominum, qui vel è minimo peccato, nedum è peccato in Spiritum sanctū, possit se sua ipsius virtute ad Deum conuertere & pœnitentiam agere.

Conuerte

Conuerte me (inquit) & conuertar, quia tu DOMINVS Deus meus: postquàm enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Si autem sermo est de diuina virtute, an nõ apud Deum omnia possibilia? an abbreuiata est manus DOMINI, vt saluare non possit? an clementia eius immiuta est, vt saluare non velit? & vbi se vinculis ita constrinxit, vt ne possit quidem, etiamsi maximè velit, contra vsitatas suas ordinationes, indebita & extraordinaria gratia seruare? Sapientes huius seculi sentiunt Regem suum politicum non esse suis legibus subditum: & Rex Regum, Dominus dominantiũ teneretur legibus naturæ, & vsitatæ suæ ordinationis? Quare, etiamsi peccatum in Spiritum sanctum non esset remissibile iuxta ordinariam rationem, tamen cum potentia & clementia Dei nullis terminis sint circumscripta, nunquam abijcienda est spes remissionis: & quod ex te ipso non potes, petendum est à Deo per Iesum Christum, vt Spiritu sancto suo corda nostra ad se ipse conuertat, ac vera in ipsum fiducia inflammet.

Breuiter, quisquis eò stuporis & vesaniæ peruenerit, vt pertinaciter affirmet, se credere quidem, Deum erga alios misericordem, non autem erga se, propterea quod vel non sit electus, vel peccauerit in Spiritum sanctum, is, etsi laborat grauissimo & periculosissimo morbo, tamen de salute eius nondum est desperandum. Lex enim in hunc vsum data est, vt ostendat nobis nostram incredulitatem, non vt pereamus in ea, sed vt hac via ad veram fidem perueniamus. Lex, inquit Paulus, subintrauit, vt abundaret delictum. Et: Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, vt omnium misereretur. *Rom. 11.*

Et: Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Cum igitur ille, quiſquis fuerit, ſentiat iam & agnoſcat ſuam incredulitatem & peccatum non eſt in eo abijciendus, ſed docendus, quòd iuxta teſtimonia ſcripturæ, manifeſtata ſit ipſi incredulitas, in hunc vſum & finem, non vt maneat in incredulitate & pereat, ſed vt credat & ſalutem conſequatur. Ac ſiquidem eſt ſanabilis, Spiritus ſanctus non erit in ipſo, per verbum Euangelij ocioſus: ſi autem eſt inſanabilis, agnoſcenda eſt ſeueritas Dei erga vaſa iræ eius, & commendanda clementia eius erga vaſa miſericordiæ, ac orandum, vt agnita incredulitate, ad veram fidem excitemur, & in ea confirmemur.

Ad hanc digreſsionem longiorem fortaſsis, quàm huic ſcripti generi conueniat, occaſionem nobis dedit, quòd tam in hoc, quàm in alijs Pſalmis & dictis ſcripturæ multa & magna credentibus & ſperantibus in DOMINVM promittuntur. Imbecilles autem conſcientiæ ſuas habent de fide & ſpe ſua tentationes: ac nunc metuunt, ne vllam habeant veram fidem & ſpem, nunc cogitant, ne in ea fide & ſpe, quam habent, pudefiant. Arbitrabar igitur non fore ſuperuacaneum, ſi ad conſolandam conſcientiæ imbecillitatem, & ad corroborandam fidem & ſpem, hanc rem paulò copioſius explicarem.

Pſalmus

Psalmus 32.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c.

ADductus aliquando Dauid ad tribunal Dei, & accusatus peccatorũ suorum, excogitat pro humano more varias causificationes, quibus se corã diuino iudicio tueretur. Nunc enim prætexit vulgarem peccandi consuetudinem, & se alieno magis exemplo irritatum, quàm sua aliqua malitia excitatum peccasse. Quod excusandi genus iam inde ab Adamo carni agnatum est, qui accusatus de peccato, mox reiecit causam in vxorem: Mulier, inquiens, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de arbore, & comedi: similiter & mulier reiecit causam in serpentem. Nunc allegat compensationem per sua bona opera: Multa sunt, fateor, peccata mea: multa extant etiam bona mea opera. Designaui semel adulterium, sed idem duxi semper in cœlibatu vitam castissimam, & seruaui aliâs semper coniugium inuiolatum. Occidendum curaui Vriam, sed liberaui aliâs multa tàm virorum quàm mulierum & puerorũ millia ab hostibus, ne crudeliter interficerentur. An non meritò tot beneficia, pro paucis aliquot peccatis compensanda essent? si nihil aliud, certè innumera sunt sacrificia, quæ ad arcam fœderis obtuli, & haud iniustè pro peccatis benè numerabilibus acceptanda videntur. Quale quid & illi

cogitant, qui apud Esaiam dicunt: Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti? Sed talibus seu causificationibus seu prætextibus seueritas diuini iudicij in tantum non placatur aut mitigatur, vt potius exasperetur & inflammetur. Cum igitur Dauid nullam videret coram tribunali Dei viam euadendi, vel propter aliena exempla, vel propter suam ipsius iustitiam, excitatus à Spiritu sancto, & admonitus de dicto, quod extat in Genesi cap. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, exclamat, & erumpit in memorabilem & omni obseruatione dignissimam illam huius Psalmi vocem.

1. *Beati (inquiens) quibus remittitur præuaricatio, quibus tegitur peccatum.*
2. *Beatus vir, cui non imputat* DOMINVS *iniquitatem, & in cuius Spiritu non est dolus.*

Meliorem horum versiculorum interpretem non habemus Paulo Apostolo, qui ad Romanos scribens, cap. 4. Dauid (inquit) explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iustitiam absq; operibus: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Ex hac igitur interpretatione Pauli sciamus initiò, quòd quam Paulus vocat iustificationem, eam Psalmus vocat beatificationem, vt idem sit iustus, qui beatus, & idem beatus, qui iustus: nemo enim consequitur beatitudinem absq; iustitia, iustitia igitur dicenda est nostra beatitudo, ideoq; solus iustus, beatus est. Deinde, cum in Psalmo dicitur, quòd beatus sit, cui remittitur seu condonatur præuaricatio, cui tegitur peccatum, & cui non imputatur iniquitas,

quitas, non intelligendum eſt, quòd Deus condonet præuaricationem, tegat peccatum, & non imputet iniquitatem, propter merita noſtrorum operum, aut propter virtutem humanæ iuſtitiæ: nam & Hypocritæ ſentiunt ſibi peccata diuinitus remitti, tegi, & non imputari, non autem gratis, propter Chriſtum, ſed propter ſuæ ipſorum iuſtitiæ, & aliarũ virtutum merita. dicunt, ſine ſuis meritis ſperare beatitudinem, non eſſe ſpem, ſed præſumptionem: quod quia pugnat cum ſummo & precipuo capite verę Chriſtianæ doctrinæ, abominanda & deteſtanda eſt Hypocritarum ſententia. Sed intelligendum eſt, iuxta interpretationem Pauli, qui dicit: Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iuſtitiam, abſq; operibus, ABSQVE (inquit) OPERIBVS, hoc eſt, abſq; vllis operum vel diuinæ legis, vel humanæ iuſtitiæ meritis. De qua re, Epiſtolæ Pauli, inprimis ad Romanos & ad Galatas copioſe. Poſtremò, etſi in his verſiculis non fit expreſſa mentio Chriſti, propter quem ſolum remittuntur peccata per fidem, tamen iterum ex ipſa Pauli interpretatione, imò ex vniuerſa Chriſtianiſmi doctrina notum eſt, quòd nulli hominum condonatur peccatum, aut tegitur iniquitas, niſi credat in Ieſum Chriſtum, quòd propter ipſum ſolum condonetur nobis peccatum: Non ſcriptum eſt, inquit Paulus, propter Abraamum tantùm, imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Ieſum DOMINVM noſtrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtram. Et Petrus: Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et iterum: Huic

In ſenten. Lombardi. li. 3. d. 26.

Absq; operibus.

Rom. 4.

Actor. 4.

omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſio-
nem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſ-
quis crediderit in eum. Quare, cum dicitur in Pſalmo:
Beati, quorum remiſſę ſunt iniquitates, vel quibus con-
donatur præuaricatio, ſubintelligendum eſt, propter
Chriſtum, per fidem, nulla enim eſt condonatio præua-
ricationis, niſi per fidem in Chriſtum. Sic & cum dici-
tur: Quorum tectum eſt peccatum, ſubintelligendum
eſt, per Chriſtum, ſolus enim Chriſtus eſt verum oper-
culum, quo peccatum prorſus abſconditur, imò tollitur
à conſpectu Dei. Similiter & illud, quod ſequitur: Bea-
tus vir, cui DOMINVS non imputat peccatum, expo-
nendum eſt, de non imputatione propter Chriſtum.
Deus enim tàm ſeuerus eſt legis ſuæ exactor, vt omni-
bus ijs, qui legi non perfectè ſatisfaciunt, imputet pec-
catum, etiamſi ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Adam
non peccauerint: ſolis autem illis, qui credunt in Chri-
ſtum, non imputat peccatum, vnde & additur: In cuius
Spiritu non eſt dolus, (hoc eſt) qui non eſt in corde ſuo
Epicureus aut Hypocrita, ſed qui veram habet fidem in
Chriſtum. In populo enim Dei, varia ſunt hominũ ge-
nera. Non iam nobis eſt ſermo, de hominibus manifeſtè
& impœnitenter ſceleratis, quorum in populo Dei nul
lus eſt numerus, quippe qui digni ſunt, vt legitima ex-
communicatione eijciantur: ſed loquimur de ijs, qui
aliud corde tegunt, aliud ore profitentur, quos vocare
ſolemus homines doloſos, quales partim ſunt Epicurei,
qui etſi voce ſua teſtificantur ſe credere in Chriſtum, &
fiunt Sacramentorum Chriſti participes, tamen in late-
bris cordis ſui rident Chriſtianiſmum, & arbitrantur
1. Cor. 1. doctrinam eius de Chriſto crucifixo, eſſe ſummam ſtul-
titiam.

titiam. Partim ſunt Hypocritæ, qui etiamſi ſciunt verba Chriſtianiſmi recitare, & cõdonationem peccati ſoli Chriſto ſermone ſuo tribuere, tamen retinent in corde ſuam interpretationem, videlicet, Deum condonare quidem peccatum propter ſolum Chriſtum, ſed ita, ſi tuis ipſius meritis aut virtutibus fauorem & clementiam Dei redemeris & conſequaris. Hi omnes, Epicuræi videlicet & Hypocritæ, ſunt homines doloſi, qui aliud corde geſtant, aliud ore ſimulant. Beatos igitur pronunciat Pſalmus illos, quibus DOMINVS non imputat peccatum. Qui autem ſunt illi? Additur: In quorum Spiritu non eſt dolus, (hoc eſt) qui nec ſunt Epicuræi, irridentes in corde veram doctrinam, nec ſunt Hypocritæ, peruertentes falſa ſua hypocriſi veram piæ doctrinæ ſententiam: ſed qui verè & ſyncerè credunt in Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, quòd Deus condonet nobis peccata, & tegat noſtras iniquitates, nec imputet nobis noſtras præuaricationes, non propter vlla noſtra merita, vel præcedentia vel ſequentia, non propter vllas noſtras virtutes aut dignitates, quas vel ex carne, vel ex Spiritu habemus, ſed tantùm gratuita ſua liberalitate & clementia, propter ſolum vnigenitũ filium ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Quod vt rectius intelligatur, conſideremus antitheſin. Beati ſunt, non qui ſuſcipiunt præuaricationes ſuas operibus legis & meritis ſuorum operum coram Deo expiandas, ſed qui credunt eas ſibi gratuita clementia Dei, propter ſolam Chriſti expiationem remitti & condonari. Beati ſunt, non qui excuſant peccata ſua publica & vulgari peccandi conſuetudine, non qui tegunt ea ſuis ſacrificijs, ieiunijs, chameunijs, agrypnijs,

& alijs id genus operibus, ſed qui tegunt ea ſolo Chriſto DOMINO noſtro, per fidem. Beati ſunt, non qui optant ſibi imputari ſuam ipſorũ iuſtitiam, ſed qui petunt, vt ſibi non imputetur ſua iniuſtitia, imputetur autem ſibi ſola iuſtitia Chriſti. Beati ſunt, nõ qui multa de Chriſto verbis iactant, interim autem corde ſuo longè ſunt à Chriſto, ſed qui vera fide, & ſyncero corde Chriſtum amplectuntur. Breuiter, Beati ſunt, qui nullam aliam in ſe iuſtitiam agnoſcunt, quàm gratuitam remiſsionem, & condonationem ſuæ iniuſtitiæ, propter ſolum Ieſum Chriſtum. Hîc nunc coniunge mihi locum in Geneſi cap. 15. Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam: ac illud Prophetæ Abacuc: Iuſtus ex fide ſua viuit: & hos duos Pſalmi huius verſiculos: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. ſimiliter Epiſtolam Pauli ad Romanos, in qua hæc iam commemorata loca explicantur, & habebis ſummam & caput vniuerſæ veræ piæ & Chriſtianæ doctrinæ. Sed pergamus.

3. *Quoniam obticeſcebam, & oſſa mea, in aſſiduo meo rugitu, contabeſcebant.*

4. *Quoniam diu noctuq́ grauior reddebatur ſuper me manus tua: conuertebatur ſuccus meus in ſiccitates æſtiuas.*

5. *(Donec) peccatum meum notum facerem tibi, & non abſconderem iniquitatem meam, ac dicerem: fateor ingenuè aduerſus me prænaricationem meam* DOMINO, *tunc demùm remittebas iniquitatem peccati mei.*

Propoſuit antea & commemorauit, illos ſolos eſſe iuſtos & beatos, non qui peccata ſua defendunt, aut ſuſcipiunt ea meritis ſuæ ipſorum iuſtitiæ coram Deo expianda, ſed quibus ea gratis condonantur, & non imputantur.

putantur. Nunc igitur addit huius propoſitionis ratio-
nem, ac recenſet veras partes pœnitẽtię, qua fit, vt pec-
cata nobis condonentur & non imputentur. Sunt enim
duæ eius partes: vna eſt agnitio peccatorum, altera eſt
agnitio ſeu fides remiſſionis peccatorum propter bene-
dictum ſemen Abrahæ, qui eſt Chriſtus DOMINVS
noſter. Dicit ergo: Quoniam obticeſcebam, ſeu obmu-
teſcebam, (hoc eſt) Ego vocatus ad tribunal Dei, vt da-
rem rationem vitę meæ, & reſpõderem de peccatis me-
is, etſi conabar initio peccata extenuare, aut meritis bo-
norum meorum operum tegere, tamen ſentiebam reip-
ſa, conatum meum eſſe vaniſsimum. Statim enim, poſt-
quam ſeueritas iræ diuinæ aduerſus peccata ſeſe mihi
aperire cœpit, prorſus obticui & obmutui, nec potui ne
ad vnum quidem verbum accuſationis reſpondere. Nec
id ſolum, verum etiam tantus horror propter peccata
mea me inuaſit, vt præ continuo eiulatu & rugitu meo,
contabeſcerent in me oſſa mea, ac deficerent omnes vi-
res meæ.. Manus enim, ſeu ſeueritas iræ Dei aduerſus
peccata non videbatur vnquam remiſſura, ſed ſubinde
magis ac magis ita ingraueſcebat, vt ſi quid adhuc vigo-
ris ac viroris in me reliquum eſſet, non aliter exiccare-
tur, quàm in feruidiſsima æſtate humor terræ exiccari,
& gramina exareſcere ſolent. Cæterùm vbi nos iuxta
Hebraicam proprietatem tranſtulimus: Conuerteba-
tur ſuccus meus in ſiccitates æſtiuas, ibi vulgata trans-
latio iuxta Græcorum interpretationem habet: Con-
uerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Error
autem huius tralationis non eſt obſcurus. Græcus enim
interpres, quem Latinus ſecutus eſt, videtur vocabulum
לשדי leſchaddi, quod ſignificat ſuccum ſeu virorem me-

um, deduxisse à שדד Schadad, quod significat vastitatem. Et pro חרבוני Harbone, quod significat siccitates, legisse חרכוני Harchone, quod significat consignationes seu stigmatisationes. Nam vocabulũ quod sequitur קיץ Kaiz, significat tàm æstatem quàm spinã. Vides igitur, quàm necessarium sit, vt in explicatione scriptorum Propheticorum consulatur Hebræus textus, in qua lingua initio & dicta & cõscripta sunt. Sed hoc est Grammaticũ παράφρασιν, quo ratio translationis redditur. Reuertamur ergo ad nostra: Tanta (inquit) erat grauitas & seueritas diuinæ iræ aduersus peccata, vt cum ea in me reuelaretur, omnis vigor & viror meus, velut in summo æstu exiccaretur: ac nisi Spiritus sanctus me ad agendam veram pœnitentiam excitasset, prorsus mihi pereundum fuisset. Grauitas enim iræ Dei tantisper in me sæuiebat, dum peccatũ meum verè coram Deo agnoscerem, & iniquitatem meam, vel extenuatione vel prætextu meorum sacrificiorum & aliorum bonorum operum, non cælarem, non absconderem, sed ingenuè me ipse accusarem, & præuaricationem meam contra me ipse coram DOMINO confiterer, ac veniam, propter benedictum semen Abrahæ, peterem. Tunc demum enim remittebas & condonabas mihi, DOMINE Deus meus, iniquitatem peccati mei, & conscientia mea reddebatur tranquilla. Antè quidem, cum adhuc hærerem in quærenda peccati excusatione, & in suscipienda per meam ipsius iustitiam expiatione, nulla erat pax meæ conscientiæ: postquam autem conuersus, agnoui coram DOMINO peccatum, & gratuitam eius remissionem propter Christum, tanta statim affulsit tranquillitas, vt videbar ex inferno in cœlo ipso collocatus. Ex his primùm

mùm diſcenda eſt magnitudo diuinæ iræ aduerſus peccata, etiam in hoc ſeculo, vt interim nihil dicam de grauitate ſupplicij, quod propter peccata in altero ſeculo ſecuturum eſt, niſi vera agatur pœnitentia. Nam ſi ira Dei in hoc ſeculo, vel aliquo ſaltem modo, conſcientiæ hominis pateſiat, non excitat tantùm in corde continuum gemitum, eiulatum & rugitum, verùmetiam tabefacit oſſa, & exiccat omnes humanas vires: Non eſt (inquit Pſalmus 38.) ſanitas in carne mea propter iram tuam, nec eſt pax oſsibus meis propter peccatum meum. Quoniam peccata mea ſupergreſſa ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauata ſunt ſuper me, &c. Deinde diſcendum eſt, quid in tanto pondere diuinæ iræ faciendum ſit, vt non tàm leue reddatur, quàm totum à nobis auferatur. Non enim eſt alia via, quàm quæ nobis in his verſiculis præſcribitur, videlicet, vt veram pœnitentiam agamus, quæ conſtat agnitione peccati & Chriſti, qui ſolus eſt peccati expiatio. Nam cum Pſalmus affirmat, ſe non antè potuiſſe conquieſcere & tranquillum eſſe, quàm peccatum confiteretur DOMINO, DOMINO, inquam, haud obſcurè ſignificat, ſe confiteri peccatum ex fide remiſsionis peccati, quæ remiſsio propter ſolum benedictum ſemen Abrahæ, ſeu propter Chriſtum contingit. Quare eo ipſo, quo agnoſcit peccatum coram DOMINO, & profitetur ſe accipere remiſsionem peccati, includit & ſubintelligit, etiam Chriſtum DOMINVM noſtrum, propter quem ſolùm graue onus peccati tollitur, & conſcientia libera, tranquilla & læta redditur: Iuſtificati (inquit Paulus) ex fide, pacem habemus erga Deum per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. *Rom. 5.*

6. *Propter hoc oret omnis sanctus ad te, tempore euentus, certe cum inundauerint aquæ multæ, ad ipsum non accedent.*

Redit ad propositionem, & infert è peculiari suo exemplo propositionem vniuersalem. Cum enim commemorauerit pro ratione vniuersalis suæ propositionis, (quæ est: Beati, quorum remittũtur peccata, &c) priuatum suũ exemplum, & affirmauerit se ex agnitione peccati sui assecutũ peccati remissionem, dicet fortasis quispiam: Facilè quidem crediderim, Deum remittere iniquitatem peccati, tibi, DAVIDI, iuxta cor Dei electo, non habetur autem tanta mei ratio coram Deo, quanta Dauidis, quid igitur exemplo eius ego homo abiectus sperare possem? Huic seu obiectioni seu tentationi obuiam it hic sextus versiculus, & repetit propositionem, alijs quidẽ verbis, sed eadem sententia. Et quod Paulus
1. *Tim.* 1. ad Timotheũ scribens: Christus Iesus, (inquit) venit in mundũ, vt peccatores saluos faceret, quorũ primus sum ego, Verùm ideo misericordiam sum adeptus, vt in me primò ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendũ exemplar ijs, qui crediturí sunt in ipso, in vitam æternam. Idem etiam sentit & agit Dauid in hoc versiculo: Recitaui quidem meũ ipsius exemplũ, quòd assecutus sim remissionem peccati, non ex vllis meritis meæ iustitiæ, sed tantùm ex gratuita Dei clementia, & ex nõ imputatione peccatis, hoc autem exemplum non pertinet ad me tantùm, nec definitur mea solummodo persona, sed est exemplũ generale, & pertinet ad omnes sanctos. Hortor igitur omnes sanctos, vt meo exemplo bene cõfidant, & orent ad Deum ac inuocent eum, tempore euentus, (hoc est) quocunq; tempore euenerit necessitas,

ceſsitas,& contigerint affiictiones, quibus iudiciũ pec-
catorum reuelatur,& manus DOMINI ingraueſcit. Sic
enim fiet, vt etiamſi multæ aquæ, ſicut in diluuio, inun-
dent, ac magnæ & variæ tribulationes acciderint, tamẽ
nõ poſsint ipſos perdere & opprimere, ſed potius beati
erunt, quòd habeant remiſsionem ſuæ præuaricationis,
& tegantur ipſorũ peccata, nec imputentur ipſis iniqui-
tates, ex gratuita Dei clementia & miſericordia. Hîc
conſideremus, quid hoc loco nomine ſancti veniat. San-
ctus enim dicitur, quemadmodũ in præcedenti Pſalmo
expoſuimus, non qui externa religionis ſpecie illuſtris
eſt, aut in eremo herbis tantùm & radicibus veſcitur,
quibus moribus Hypocritæ ſanctitatem metiuntur, nec
qui vniuerſam legẽ Dei perfectè impleuit, talem enim
ſanctum in toto humano genere (præter Chriſtum filiũ
Dei) non inuenies. Sed ſanctus dicitur, qui fidelis eſt, & Sanctus.
verè credit in Chriſtum filium Dei, quòd propter ipſum
ſolum habeat remiſsionem peccatorum. Sic enim inter-
pretatur nomẽ ſancti Pſalmus proximè pręcedens: Di-
ligite, inquiens, DOMINVM omnes ſancti eius, quia fi-
deles (ſeu credentes) cuſtodit DOMINVS. Quos antè
dixit ſanctos, hos mox vocat fideles. Et Paulus: Vos, in- Colo. 1.
quit, qui quondam eratis abalienati & inimici mente,
in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore
carnis ſuæ per mortẽ, vt exhiberet vos ſanctos, & irre-
prehenſibiles & inculpatos in cõſpectu ſuo, ſiquidẽ per-
manſeritis in fide fundati & ſtabiles, nec dimoueamini à
ſpe Euangelij, &c. Definiuntur ergo à Paulo ſancti, qui
cùm ſint Deo patri recõciliati per mortem Chriſti, per-
manent in fide & ſpe huius Euangelij, ac ambulant, vt a-
liàs inquit, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiri- Rom. 8.

tum. De qua re visum est idcirco admonere, ne quis sanctitatem corã Deo definiat, aut hypocriticis operibus, aut perfecta legis in hoc seculo impletione, sed sola fide in Christum, qua vt propter Christum non imputantur peccata, ita etiam donatur Spiritus, non qui prorsus tollat carnem, sed qui reliquias carnis cõpescat, & hominem in obsequium vocationis Dei flectat. Deinde quod Psalmus dicit, in tempore euentus, seu inuentionis, significat tempus, quo eueniunt aut accidũt nobis aduersa, & quo inueniunt nos afflictiones seu corporales seu spirituales. Sicut & aliâs dicitur: Pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni. Et iterum: Tribulatio & angustia inuenerunt me. Non enim est tempus magis opportunum quærendi & inueniendi DOMINVM, quàm tempus afflictionis & ærumnarum, propterea quòd DOMINVS suis ipse promissis recepit se in aduersis inuocatum, ope sua affuturũ: Cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Et apud Esaiã: Hæc dicit DOMINVS habitans cum contrito & humili Spiritu, vt viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Quare hic versiculus hortatur, vt cum semper, tum maximè omniũ inuocare DOMINVM, & certò sperare peccatorum remissionem debeamus, cum res nostræ sunt afflictissimæ.

Gen. 44. Ne videam malum quod eueniet patri meo.

Psalm. 115.

Psalm. 119.

Psalm. 91.

Esa. 57.

Aquæ.

Sed nec illud oscitanter prætereundũ est, quod dicit: Cum inundauerint aquæ multæ, ad ipsum nõ accedent. Alludit enim ad diluuium, in quo pereũte mundo, seruatus est Noha cũ familia sua. Et aliâs metaphora aquarum intelliguntur afflictiones: Saluum me fac (inquit) Deus, quoniam intrauerunt aquę, (hoc est) afflictiones, vsq; ad animã meam. Docet igitur hic versiculus, quòd beati

Psal. 59.

beati ſint, quibus gratis remittuntur peccata, quia etiã ſi obruantur varijs & multis ærumnis atq; calamitatibus, tamen in ijs in tantum nõ pereunt, vt etiam in media morte cõſeruentur. Iuxta illud Pſalmi: Etiamſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam TV mecũ es. Et Eſa. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, nõ combureris, & flamma non ardebit in te. } N. *Pſalm. 23.* *Eſa. 43.* } N.

7. *Tu es refugium meum: Cuſtodias (igitur) me ab anguſtia, & circumdes me canticis liberationis.*

8. *Reddam te prudentem, & docebo te viam in qua ambules, conſulam tibi oculo meo.*

In præcedenti verſiculo hortatus eſt Dauid omnes ſanctos, vt orent & inuocent Deũ quouis tempore neceſsitatis, certa ſpe concepta, quòd euaſuri ſint omnes aquas afflictionũ. Cum igitur etiam ipſe contineatur in catalogo ſanctorum, (hoc eſt) fidelium ſeu credentium, ſequitur ſuam ipſius cohortationem, & orat. Agnoſco (inquiens) te DOMINVM Deum, ſolum meum refugium, meum aſylum, meum latibulum, meũ præſidium, ad quod me in omnibus aduerſis tutò recipiam. Queſo igitur te, vt etiam me, in acceſſu multarum aquarum, & in euentu variarum afflictionũ, in omnibus anguſtijs conſerues & cuſtodias, ac circundes me, (hoc eſt) cura tua ita me complectaris, vt habeam occaſionem celebrandi nomen tuum, ὠιδαῖς ἐγκωμίοις καὶ ἐξομολογήσεσι, canticis & laudibus, propter beneficium liberationis, ex omnibus afflictionibus meis. Oro autem te iuxta promiſsionem tuam, qua ſæpenumero clementer recepiſti, te maximã tuam curam

Wann das waſſer über Kõb geht (hoc eſt) wann das Vnglück überhandt nimpt

in

in me tuendo collocaturum. Reddam (inquiens) te prudentem, docebo & dirigam te in toto vitæ tuæ genere: & quemadmodum pia mater non auertit oculos ſuos ab infante, ne quid mali ei accidat, ita & ego oculos meos, curam & ſtudiũ meum in te ponã, vt in omni afflictione conſerueris. In his verſiculis primum obſerua, qua in re gratificandum ſit Deo pro acceptis beneficijs: Cuſtodias, inquit, me ab anguſtia ſeu afflictione, ne videlicet in afflictione pereã: Et circundes me encomijs liberationis, (hoc eſt) efficias, vt exciter ad laudandũ & celebrandum nomen tuum, propter beneficia tua. Habes ergò, quòd ad teſtificandam animi gratitudinem coram Deo, pro acceptis beneficijs maximè omnium exigatur, vt nomẽ DOMINI celebretur & glorificetur: Ego ſum, inquit, pauper & dolens, ſalus autem tua Deus ſuſcepit me. Quid igitur pro tãto beneficio rependes? Laudabo, inquit, nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude, & placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas. Laudandus eſt autẽ Deus, quemadmodum aliàs copioſius expoſitũ eſt, non tantùm verbis, ſed etiam factis, non tantùm ſermonibus oris, ſed etiam exemplis operum, non tantùm Pſalmis, ſed etiam palmis, vt manum ad omne genus obedientiæ admoueas, ac reipſa gratitudinem teſtifeceris: Sic luceat, inquit, lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, glorificentq; patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. Deinde, obſerua hîc exemplum applicandi ſibi priuatim promiſſionem generalem. Etſi enim non eſt dubium, quin Deus ſignificauerit Dauidi peculiaribus promiſſionibus, nunc quidem per Angelum, nunc autem per Samuelem, Nathan & Gad Prophetas, ſe ſuſcepiſſe ipſum

Pſal. 69.

Matt. 5.

ipsum clementer in suam curam & tutelam, tamen hoc loco videtur Dauid generalem promissionem, quæ dicta est ad Abrahamum & ad posteros eius, qui iam profectionem ex Ægypto susceperant, sibi accommodasse. Abrahamo dicitur: Statuam pactum meum inter te & me, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, VT SIM DEVS TVVS, & SEMINIS TVI post te. Vt sim (inquit) Deus seminis tui. Hoc quid aliud est, quàm si diceret: Ero protector seminis tui, dabo eis prudentiam, & docebo eos, vt rectè ambulent in sua vocatione, ac suscipiam eos in meam curam & tutelam? Cum igitur Dauid etiam fuerit semen Abrahæ, nō ineptè accommodat sibi peculiariter, quod erat vniuersæ familiæ promissum generaliter. Similiter de Israëlitis egredientibus ex Ægypto dicitur: DOMINVS præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem, in columna nubis, & per noctem, in columna ignis, vt dux esset itineris vtroq; tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, neq; columna ignis per noctem coram populo. Hoc exemplo non illud tantùm egit DOMINVS, vt hunc populum in deserto ambulantem, hoc tempore in præsentia seruaret, sed etiam testificatus est, se quemuis in vocatione Dei ambulantem & sperantem in ipsum, docturum Spiritu sancto suo prudentiam, & directurum in via, vt non offendat ad lapidem pedes suos. Quare Dauid optat sibi in præsentia generalem promissionem, non carnis suæ prudentia, sed Spiritus sancti afflatu, vt suo exemplo doceat, quomodo ex generalibus quisq; promissionibus fidem concipere & confirmare debeat. Vnde & Paulus ad Corinthios scribens: Vos, inquit, templum Dei estis viuentis.

Gen.17.

Exod.13.

2.Cor.6.

Leuit.26.

uentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi mihi erunt Populus. Quod dictum erat ad Israëlitas, hoc accommodat peculiariter ad suos auditores, vt doceat, quòd qui succedunt maioribus in recta & vera fide ac inuocatione, hi succedant etiam ipsis, suo modo in promissionibus, & percipiendis beneficijs Dei.

9. *Nolite fieri sicut equus & caballus, in quo non est intelligentia, qui, si os eius camo & freno capistratur, retrocedit.*

10. *Multi dolores impio accidunt, sperantem autem in DOMINO misericordia circumdabit.*

Promissioni additur cohortatio ad ferendam crucem, quæ pijs seu beatis, quorum remissæ sunt iniquitates, diuinitus imponitur, non vt fugiant à Deo, sed vt ad Deum confugiant, non vt pereant, sed vt aut ad officium reuocentur, aut in officio contineantur & seruentur. Cum Deus imponit vobis crucem, nolite (inquit) fieri sicut equus aut caballus. Vbi enim nos in veteri tralatione habemus mulus, ibi Hebræus habet פרד Phered, quod & Germani dicunt, Pferd, (hoc est) caballum. Nolite ergo fieri sicut caballus aut equus, qui adhuc est indomitus, & nec freno nec loro assuetus. Hic enim, quò magis conaris os eius freno aut fiscella capistrare, eo magis calcitrat & retrocedit, propterea quòd non intelligat se frenari, vt ad humanos vsus, ad quos diuinitus est creatus, fiat accommodus, sed arbitretur potius se hoc vinculo periturum. Ita etiam insipientes homines non intelligunt consilium Dei in aduersis. Deus enim imponit hominibus, ac præsertim pijs

& cons

& condonatione peccati beatis, crucem, tanquàm equo frenum, non vt opprimat ipsos multitudine, & magnitudine afflictionis, sed vt ipsos ad obedientiam assuefaciat, & in seruitute Dei (quæ tamen est vera libertas) contineat. Tametsi enim Deus immittit multos & magnos dolores atq; afflictiones etiam homini impio, & declinanti à recta via, tamen hoc facit non illo consilio, vt perdat ipsum, sed vt aut vocet aut reuocet eum ad fidem, spem & obedientiam, ac perpetua salute seruet. Nam quod Psalmus hîc dicit: Multi dolores seu multa flagella peccatoris, sperantem autem in DOMINVM, misericordia circumdabit, planè illud ipsum est, quod postea repetit Ezechiel: Viuo ego dicit DOMINVS, nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat. *Ezech.33.* Et Paulus: Cum iudicamur, à DOMINO corripimur, ne cum hoc mundo condemnemur. Et Epistola ad Hebræos: Quem diligit DOMINVS, corripit. Ac mox: Patres carnis nostrę ad paucos dies erudiebant nos pro suo arbitratu. Deus autem ad commodum nostrum, vt impertiat nobis sanctimoniam suam. Omnis enim castigatio in præsens quidem, non videtur gaudij, sed molestiæ esse, at postea fructum iustitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati. Non deputemus igitur afflictiones in damno, sed in lucro, vt quæ in sanctis (hoc est) in credentibus prægnantes sint vera & æterna felicitate: Momentanea, inquit Paulus, leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit. *Heb.12.* *2. Cor.4.*

11. *Lætamini in DOMINO, & exultate iusti, & gaudete omnes recti corde.*

Concludit Pſalmum generali cohortatione, qua exponit fructum eorum, quæ in ſuperioribus verſiculis commemorata ſunt. Iuſti enim & recti corde dicuntur, qui credunt remiſsionem iniuſtitiæ, (quemadmodum
1. Timo. 1. ſuprà dictum eſt) & habent fidem ἀνυπόκριτον. Quem ergò fructum capiunt illi, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, quorum tecta ſunt peccata, quibus non imputantur præuaricationes, qui agnoſcunt & confitentur tranſgreſſiones ſuas, qui orant ad Deum in diluuio aquarum ſeu afflictionum multarum, qui confugiunt ad Deum in tribulatione, qui non fiunt ſicut equus & caballus, & qui ſperant in DOMINO? Lætamini, inquit, in DOMINO, exultate & iubilate, (hoc eſt) In filijs huius ſeculi magna quidem oritur lætitia, exultatio & iubilus è ſanitate corporis, è diuitijs, è voluptatibus corporalibus, è maieſtate terrena, & ex alijs huius mundi bonis. In illis autem, qui credunt gratuitam remiſſionem peccatorum propter ſemen Abrahæ, qui eſt Chriſtus, & qui in omnibus aduerſis inuocant DOMINVM ex fide, oritur pax conſcientiæ coram DOMINO, quæ pax ſuperat omnia humana & terrena beneficia. Vos ergo, quotquot ſic iuſti & recti corde eſtis, lætamini in DOMINO, quia DOMINVS eſt vobis propitius, & condonat vobis omnia veſtra delicta, gratis, propter Chriſtum. Exultate in DOMINO, quia DOMINVS ſeruat vos in diluuio aquarum multarum, vt nulla afflictio, quamuis magna, quamuis diuturna vos opprimat. Et gaudete ac iubilate in DOMINO, quia DOMINVS dat vobis intellectum, facit vos prudentes, & complectitur vos miſericordia ſua, vt ambuletis rectà in vocatione eius, & conſeruemini ad perpetuam gloriam ac felicitatem.

felicitatem. Ecce ſic benedicitur homo, qui ſperat in DOMINO.

VSVS HVIVS PSALMI.

Vſum eius iam recitauimus. Qui enim in conſcientia ſua ſtatuitur ad tribunal Dei, & ita ſuorum peccatorum accuſatur, vt arguatur manifeſtæ impietatis nõ ſolum in malis, ſed etiam in bonis ſuis operibus, nec videat vllam vel excuſationem vel defenſionem corã Deo, accipiat hunc Pſalmum in manus, & recitet eum, vt ex ipſo cognoſcat, condonationem peccatorũ ſuorum contingere ſibi gratis, abſq; vllis operum meritis, ſed tantũm propter Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, ſi in ipſum crediderit, quemadmodum Paulus in Epiſtola ad Romanos cap. 4. interpretatur. Deinde ſi quis compræhenditur in diluuio aquarum, in maximis afflictionum periculis, in horroribus mortis & inferni, conferat ſe ad recitationem huius Pſalmi, vt exhibeat Spiritui ſancto organon, quo confirmetur fides eius, & ſtabiliatur ſpes, quod cum habeat gratuitam peccatorũ remiſſionem, & propitiũ DOMINVM Deum propter Chriſtum filium eius, neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poterit Deum auertere, quo minus credentem & ſperantem ſummo fauore proſequatur, & ex omnibus afflictionibus clementer eripiat. *Rom. 8.*

Pſalmus 33.

Exultate iuſti in DOMINO, *rectos decet collaudatio, &c*

IN hoc Pſalmo præſcribitur nobis generalis formula agendi gratias Deo pro admirãdis ſuis beneficijs, quæ iam olim in humanum genus, ac inprimis in eccleſiam ſuam contulit, & adhuc ſingulis temporibus conferre ſolet. Vnde etiam in fine additur precatio, vt quam miſericordiã, & quæ beneficia Deus alijs præſtat, nobis quoq; clementer exhibeat: Fiat, inquiens, miſericordia tua DOMINE ſuper nos, quemadmodum ſperamus in te.

1. *Exultate (ſeu laudate) iuſti in DOMINO, rectos decet laudatio.*
2. *Celebrate DOMINVM Cithara, Pſalterio & Decachordo cantate ei.*
3. *Canite ei canticum nouum, benè ſonate pulſando cum iubilatione.*

Hi tres Primi verſiculi ſunt propoſitio Pſalmi, qua Spiritus ſanctus hortatur Eccleſiam ad agendas Deo gratias, pro ſummis illis beneficijs, quæ mox recitabit. Videtur autem vltimus verſiculus Pſalmi proximè præcedentis (Lætamini in DOMINO, & exultate iuſti,

iusti, & laudate omnes recti corde) assumptus esse pro propositione huius præsentis Psalmi: certè idem vtrobiq; est verbum laudandi, & eadem epitheta iustorum & rectorum corde. Cæterùm, qui dicantur iusti & recti corde, supra aliquoties dictum est, videlicet, non qui ex omni parte satisfecerunt legi Dei suis operibus, sed qui recto & pio corde credunt in Christum verè iustum & rectum, quòd propter ipsum reconciliati sint Deo patri, & habeant gratuitam peccatorum suorum condonationem. Vos ergo iusti, (inquit) vos credentes in Christum, vos ecclesia Christi, laudate DOMINVM, seu exultate in DOMINO, & gratias agite DOMINO, propter ingentia beneficia, quæ vobis exhibet. Exultant etiam iniusti, non autem in DOMINO, sed in seipsis, aut in bonis suis terrenis, aut in operum suorum meritis, vos autem iusti exultate in DOMINO, in gratuita DOMINI clementia & misericordia. Laudant DOMINVM etiam praui corde, non est autem speciosa laus in ore impij. Laudate igitur DOMINVM vos recti corde & pij: celebrate DOMINVM, non tantùm voce, verùm Cithara, Psalterio, Decachordo, (sunt autem Psalteriũ & Decachordum diuersa instrumenta) ac quibuscunq; potestis instrumentis musicis: celebrate eum non vulgaribus tantùm & veteribus, sed insignibus, inusitatis, & propter nouitatem commendatione dignis carminibus: ac breuiter, quicquid habetis artificij, quicquid industriæ in decantandis carminibus, aut pulsandis instrumentis musicis, hoc omne conferte ad laudandum nomen DOMINI, & ad agendas ei gratias. Hæc non idcirco commemorantur, quòd Deus sua natura delectetur humanis laudibus aut modulatione musicorum

musicorum instrumentorum, quamuis in hominum auribus suaui & iucunda, sed quòd Spiritus sanctus significet, Deum ad gratiarum actionem exigere illa, quorum carmina & instrumenta musica solent esse indicia & argumenta. Nam qui carmina seu ore seu instrumentis decantant, solent animo gestire, corde exultare, & lætitia perfusi esse. Exigit autem Deus vt beneficia eius alacri & hilari, (hoc est) grato corde agnoscamus. Quare gratũ est ei, quoquo modo testificemur alacritatem nostrã, tantummodo fiat zelo secundum scientiam.

4. *Quoniam verbum* DOMINI *est rectum, & omnes promissiones eius sunt veræ.*
5. *Diligit iustitiam & iudicium, beneficio* DOMINI *plena est terra.*
6. *Verbo* DOMINI *cæli conditi sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.*
7. *Congregat, sicut aceruum, aquas maris, ponit abyssos in absconditis.*
8. *Timeat à* DOMINO *omnis terra, paueant ab ipso omnes incolæ orbis.*

Exultate, inquit, in DOMINO, laudate DOMINVM, celebrate DOMINVM, cantate DOMINO: sed quas ob causas? Audiamus igitur causas. Primùm DOMINVS est laudandus, quia verbum eius rectum, & omnia opera eius in fide. Verbum Dei hoc loco est verbum promissionis, & opera eius sunt res ipsæ verbo promissæ. Laudandus igitur est Deus, propterea quòd quæ verbo suo promittit, rectè procedant, & feliciter promoueant, quæcunq; etiam opera, quæcunq; res promissione eius

eius continentur, certissimè fient, & fideliſsimè implentur, ac breuiter, DOMINVS in promiſsis ſuis eſt veraciſsimus & cõſtantiſsimus. Exempla in promptu ſunt: Deus promiſit Abrahæ propagationem & multitudinem poſteritatis ſuæ, etſi autem corpus Abrahæ erat propter ſenectam emortuum, & Sara ſterilis, tamen impleta eſt promiſsio Dei, & poſteritas Abrahæ rectiſsimè proceſsit, vt multiplicaretur ſicut arena maris, & ſtellæ cœli. Promiſſa fuit à Deo Iſraëlitis liberatio ex Ægypto, & hæreditas terræ Canaan: hoc opus tàm fideliter impletum eſt, vt ipſa rerum natura neceſſe habuerit inuerti potius, quàm vt Deus in promiſsis ſuis mendax fieret. Dauidi promiſſum fuit diuinitus regnum Iſraëlis, etſi autem eiſcitur in exilium, & neceſſe habet diu multumq; incertis ſedibus vagari, tamen quod promiſſum erat, rectè procedit, & verè impletur. Nec in his tantùm promiſsis, quæ iam commemorauimus, Deus fuit verax & conſtans, ſed quia inſignis eſt epitheto veritatis & conſtantiæ, quæcunq; promittit, ſeruat fideliſsimè, quamuis longe aliud meritis, tantummodo vt nomen veracis reportet: quare habendus eſt omni laude & preconio dignus, vt ad fidem excitemur. Deinde DOMINVS non tantùm eſt verax in promiſsis, verùmetiam iuſtus in factis ſuis, & in adminiſtratione regni ſui diligit iuſtitiam & iudicium. Nam quemadmodum politicus Magiſtratus Rempub. tum dicitur rectè gubernare, cùm eſt laudi benè agentibus, (hoc enim eſt facere iuſtitiam) & eſt terrori malè agentibus, (hoc enim eſt facere iudicium) ita & DOMINVS Deus noſter facit iuſtitiam, cùm pijs benefacit: & facit iudicium, cum impios punit, ac reddit vnicuiq; ſecun- *Rom. 13.*

dum opera ſua. Quare hoc etiam nomine magna laude celebrandus eſt.

Præterea, vniuerſa terra beneficijs Dei plena eſt. Circumfer oculos in toto orbe terrarum, & non inuenies, niſi beneficiorum Dei promptuarium. Si de corporalibus bonis dicendum eſt, an non omnia in his terris hominis gratia condita ſunt, & homini ſeruiunt gramina, flores, arbores, fructus, ſegetes, iumenta, beſtiæ, & quicquid eſt rerum terrenarum? Si autem dicendum eſt de bonis ſpiritualibus, an non exiuit, vt alius Pſalmus ait, ſonus Apoſtolorum in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum? Vbi autem eſt Euangelion Apoſtolicum, ibi eſt omne genus cœleſtium bonorum, propitius Deus, condonatio peccatorum, iuſtitia, victoria in afflictione & morte, ac æterna vita & felicitas. Quare etiam hac parte habemus, propter quod Deum laudemus, & maximas ei gratias agamus.

Aſcendamus nunc è terra in cœlum, & inueniemus ibi maximam laudandi DOMINI materiam. Cœli enim conſtant, non ab æterno, nec à ſeipſis, ſed conditi ſunt verbo DOMINI: & omnis exercitus eorum, (qui ſunt cateruæ ſeu cohortes ſtellarum) creati ſunt Spiritu oris eius. Hic eſt inſignis verſiculus & memorabilis: non ſolùm enim prædicat potentiam Dei, qua cœlum & terra, & omnia in eis condita ſunt, verùmetiam concionatur aperte de diſcrimine trium perſonarum in vna diuinitate. DOMINVS enim Deus noſter, Deus vnus eſt, ſi eſſentiam eius conſideraueris, ſi autem proprietates eius per ſe ſubſiſtentes, quas noſtri perſonas vocant, intuearis, alius eſt pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus. Cœli (inquit) conditi ſunt VERBO DOMINI,

hic

hîc habes duas perſonas, DOMINVM videlicet, qui eſt pater, & Verbum eius, quod eſt filius Dei, & additur: Spiritu oris eius omnis exercitus eorum, hîc habes Spiritum ſanctum, vt quemadmodum in creatione rerum pater omnia creauit per filium, in Spiritu ſancto, ita & in recreatione ſeu regeneratione baptiſemur in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Hanc igitur doctrinam de Dietate, alta mente reponamus, & fideli corde retineamus.

Sed nec illud oſcitanter prætereundũ eſt, quòd cum tanta ſit potentia verbi Dei, vt per ipſum cœli ſint conditi, non dubitemus de veritate promiſsionum, quæ verbo Dei dicuntur. Qui enim tam potens eſt, vt ſolo verbo ſuo cœlum condiderit, certè erit etiam tam potens, vt quæ verbo ſuo promiſit, reipſa verè impleat. Laudemus igitur Deum, & celebremus nomen eius, cùm propter ſummam eius potentiam, tùm etiam propter certiſsimam eius veritatem & conſtantiam.

Poſtremò ſicut antea aſcendimus è terra in cœlum, ita iterum deſcendamus è cœlo in mare, & inſpiciamus ibi miranda Dei opera, vt ad celebrandum nomen eius excitemur. Congregat, inquit, ſicut aceruum aquas maris, & ponit abyſſos in abſconditis. Hæc, ſicut & ea, quæ de creatione rerum præceſſerunt, ſumpta ſunt è primo capite Geneſeos: Congregentur, inquit Deus, aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Abyſſos autem vocat profunditatem maris, quòd mare videatur nobis ἄπειρον βύθος, (hoc eſt) ſine fundo. Vnde & Deus dicitur has abyſſos collocaſſe in abſconditis, ſeu in theſauris: quòd quemadmodum ſolemus theſaurum vel pecuniæ vel gem-

gemmarum remouere ab oculis hominum, & reponere in abſcondita loca, ne furibus pateat, ita Deus abſcondat profunditatem aquarum maris, ne humana curioſitate inueſtigari aut explorari queat. Commonefacit autem nos Pſalmus hoc loco, nō tantùm creationis maris, verùmetiam ingentis illius miraculi, quo Deus mare in vnum aceruum ita colligauit, vt etſi pro natura conditionis ſuæ vniuerſam terram ſuperare & aquis tegere debet, tamen diuinitus ita coërceatur, vt neceſſe habeat, ſe intra definitum ſuum terminum continere, quò terra germinet herbam virentem, & exhibeat homini
Iob.38. commodam habitationem: Quis, inquit, Iob, concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens? Et mox: Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtium, & dixi: Hucuſq; venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Viſum autem eſt DOMINO Deo noſtro hac admiranda aquarum maris coërcione ſignificare nobis, quòd afflictiones, quæ aquis adumbrantur, etſi videntur in nos intumeſcere, & minari ſuffocationem, tamen quemadmodum mari ſuus terminus poſitus eſt, ne longius in terram, quam à Deo conceſſum eſt, procurrat, ita & illæ non queāt in nos vltra ſepta diuinitus poſita tranſilire.
Cor.10. Fidelis enim eſt Deus, (inquit Paulus) qui non ſinet nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet vnà cum tentatione euentum, quo poſsimus ſufferre.

Quæ cum ita ſe habeant, addit Pſalmus cohortationem cum propoſitione congruentem: Metuat, inquiens, omnis terra à DOMINO: paueant ab ipſo omnes incolæ terræ. Audiuimus Deum eſſe veracem, iuſtum, beneficum, liberalem, miſericordem, & potentem rerum

rum omnium conditorem ac ſeruatorem. Agite ergo, colamus eum, quotquot in terra habitamus, & reuereamur ipſum, quotquot hunc terrę orbem incolimus, complectamur eum fide, ſufferamus manum eius ſpe, & agentes ei pro ſumma ſua erga nos clementia gratias, ſeruiamus ei pro obedientium filiorum affectu, in vera dilectione, & filiali (vt vocant) timore.

9. *Quoniam ipſe dicit, & fit, ipſe præcipit & extat.*
10. *DOMINVS irritum facit conſilium gentium, irritas facit cogitationes populorum.*
11. *Conſilium DOMINI in æternum ſtat, cogitationes cordis eius in generationem & generationem.*
12. *Beata gens, cuius DOMINVS Deus eius, populus, quem elegit in ſuam hæreditatem.*

Redit ad enumerationem cauſarum, propter quas Deus commendatione & laude dignus ſit. Deus enim verbo ſuo, non ſolùm omnia condidit, verùmetiam omnia adminiſtrat & gubernat. Nam, ſicut quondam dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, dixit: Germinet terra herbam virentem, & germinauit: ita etiam poſtquàm omnia verbo condidit, omnia verbo gubernat, vt ſine ipſius voluntate, ne capillus quidem è capite decidat: dicit: Stet mare vtrinq; inſtar muri, & ſtat: dicit: Sol non moueatur contra Gibeon, & ſol nõ mouetur. Idem ſentiendum eſt fieri in conferendis inter ſe humanis & diuinis conſilijs atq; conatibus. Eſau dicit de fratre ſuo Iacob: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Deus autem dicit ad Iacob: Ero cuſtos tuus quocunq; perrexeris, & reducam te in terram *Exod. 14.* *Ioſ. 10.* *Gen. 27.*

hanc, nec dimittam, niſi compleuero vniuerſa quæ di-
xi. Quod ergo conſilium promouit? non certè homi-
Gen.37. nis ſed Dei. Fratres Ioſeph dixerunt: Venite occida-
mus eum, & mittamus in ciſternam veterem, & dice-
mus, fera peſsima deuorauit eum. Deus autem dixerat
ad Ioſephum: Sol, luna & ſtellæ vndecim adorabunt te.
Quod ergo conſilium proceſsit? non hominum ſed
Exo.1.& 3. DOMINI Dei noſtri. Pharao dixit ad ſuos Ægyptios:
Venite, ſapienter opprimamus Iſraëlem. Deus autem
dixit: Educam populum meum de terra Ægypti in ter-
ram bonam & ſpacioſam. Quid ergo factum eſt? Con-
ſilium Pharaonis diſsipatum eſt & irritum factum: con-
ſilium autem DOMINI ſtetit: cogitatio Pharaonis eua-
Exo.15. nuit, cogitatio autem Dei conſtitit. Dixit inimicus,
perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, DOMI-
NVS autem dixit: Flabit Spiritus meus, & operiet eos
mare, &c. Eo enim ingenio eſt DOMINVS Deus no-
ſter, vt ad conſeruandam Eccleſiam populi ſui, omnia
hominum aduerſariorum conſilia irrita reddat, & om-
nem humanam prudentiam ſtultam faciat, ac omnem
hoſtium potentiam deijciat. Beata igitur gens, cuius
DOMINVS eſt Deus eius, & beatus populus quem DO-
MINVS, tanquã peculiari quadam hæreditate, ex om-
nibus terræ nationibus, ſelegit, & quem vt hæredem bo
norum ſuorum agnoſcit. Quid enim huic genti, quid
huic Eccleſiæ deerit? Si DOMINVS eſt Deus eius, cer-
tè erit gubernator, tutor, conſeruator, protector, & li-
berator eius. Si Eccleſia eſt DOMINI hæreditas & hæ-
res, certè erit hæres iuſtitiæ, vitæ, ſalutis & beatita-
tis æternæ: qua hæreditate, quid poteſt dici excellen-
tius, aut cogitari præſtantius? Quare illud vnum ſit
præcipuum

præcipuum noſtrum ſtudium, vt ſimus populus Dei, hæreditas Dei, & hæres eius. Hoc autem tum fieri ſolet, cum agnoſcimus Chriſtum filium Dei per fidem, & accipimus Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, pater. *Rom. 8.*

13. *De cœlo proſpicit DOMINVS, videt omnes filios Adam.*
14. *De habitaculo ſeſſionis ſuæ, aſpicit ſuper omnes habitatores terræ.*
15. *Format pariter corda eorum, intelligit omnia opera ipſorum.*

Aliud argumentum commendandi & laudandi nominis Dei. Non enim ſentiendum eſt, quòd poſtquàm Deus condidit homines, deſerat ipſos, & ſinat eos pro ipſorum arbitratu in his terris temerè ferri, ſed proſpicit de cœlo, curat omnes filios Adam. Etſi enim videtur in cœleſti ſuo habitaculo quietus & ocioſus agere, tamen diligenter obſeruat omnes terræ incolas, format & dirigit, quò vult ſingulorum hominum corda, & intuetur ſingula eorum opera, vt nõ tantùm ſit ſcrutator, verùmetiam formator & director renum & cordium.

Cæterùm, cum dicitur Deus proſpicere de cœlo, & de habitaculo ſeſſionis ſeu de loco quietis ſuæ, non intelligas Deum contineri in hoc externo cœlo, tanquam Regem in arce, & ſedere in eo tanquàm Monarcham in regio throno. Abſint à piorum cordibus tàm pueriles & carnales de ſumma maiſtate cogitationes. Cœli cœlorum, inquit Salomon, te capere non poſſunt. Et: Cœlum mihi ſedes eſt, ac terra ſcabellum pedum meorum. Et rurſus: Cœlum & terram ego impleo. Sed Deus dicitur, pro humana loquendi cõſuetudine, in cœlo commorari,

morari, & de cœlo reſpicere, vt ſciamus Deum non eſ
ſe rem quandam humanam aut terrenam, ſed cœleſtem,
humanu captu incompræhenſibilem: & vt admonea
mur, non eſſe nobis quærenda terrena, ſed cœleſtia bo
na, quæ Paulus ad Coloſ. cap. 3. ſcribens, aliqua ex par
te commemorat. Deinde Pſalmus dicit, Deum reſpice
re ſingulorum hominum non corpora tantùm, ſed &
corda. Reuerenter igitur colamus maieſtatem Dei, no
bis tam propinquam & præſentem, ne Deus iniquitate
noſtra irritatus & offenſus, præſentem etiam pœnam
infligat.

16. *Rex non conſequitur ſalutem multitudine exercitus, hero
non liberatur magnitudine fortitudinis.*
17. *Mendax equus ad ſaluandum, nec ſeruat (equitem) magni
tudine roboris.*
18. *Ecce oculi DOMINI ſuper timentes ipſum, & ſuper eos,
qui expectant beneficentiam ipſius.*
19. *Vt liberet à morte animam eorum, & ſuſtentet eos in fam*

Aliud argumentum, quo excitamur ad laudandum
nomen DOMINI. Solus enim DOMINVS eſt ſeruator
eorum, qui colunt ipſum, & obedienter expectant be
neficentiam eius. Alij quidem alios quærunt ſeruato
res, quibus confidunt. Impij Reges confidunt multitu
dine ſuorum exercituum: impij Principes, ſeu Heroes,
confidunt fortitudine vel ſua propria vel ſuorum mili
tum: alij confidunt robore equitatus ſui. Etſi autem hæc
ſunt dona Dei, in vſum Regum ac Principum diuinitus
conceſſa, tamen ijs non eſt coram Deo confidendum,
nec eſt ex his ſalus petenda: equus enim res eſt fallax, ad
ſeruandum

seruandum equitem, vt & vulgò dicatur: Qui insidet equo, insidet suo hosti. Quis ergo est, qui nos in periculis seruat? Non est alius, nisi solus DOMINVS Deus noster: Oculi, inquit, DOMINI, super timentes ipsum, & super eos, qui expectant beneficia eius. In bello periculum est omnium fortunarum, in fame periculum est vitæ, non igitur confidamus equo, non collocemus fiduciam nostram in frumento, sed timeamus DOMINVM, & colamus eum reuerenter. Sic enim fiet, vt oculi DOMINI nos respiciant, & seruemur in omnibus periculis. Non in fortitudine equi, inquit alius Psalmus, voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est DOMINO super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Et Salomon: Equus paratur ad diem belli, sed DOMINVS salutem tribuit. De salute autem in fame dicit etiam alius Psalmus: Nouit DOMINVS dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. *Psal.8.147* *Prouer.21.* *Psalm.37.*

20. *Anima nostra expectat DOMINVM, Adiutor noster & scutum nostrum ipse est.*
21. *In ipso lætatur cor nostrum, in nomine sancto eius speramus.*
22. *Sit misericordia tua DOMINE super nos, quemadmodum speramus in te.*

Hactenus commemorauit Psalmus rationes, quæ nos excitare debent, vt laudemus & celebremus nomẽ DOMINI, videlicet, quòd Deus sit verax & constans seruator suarum promissionum, quòd diligat iustitiam & iudicium, quòd terra plena sit beneficiorum Dei, quòd

Deus condiderit verbo ſuo cœlum, & omnem ornatum eius, quòd contineat mare intra terminos ſuos, ne ex currat ad vaſtandam terram, quòd diſsipet conſilia gen tium, quòd conſilium Dei perpetuò conſtet, quòd re ſpiciat & curet humanum genus, quòd non reſpiciat, v adiuuet Reges propter equitatum ſuum, nec Heroe propter fortitudinem ſuã, ſed reſpiciat timentes ipſum, & ſeruet eos in omnibus periculis. In quem ergo vſu hæc de Deo ſunt cognoſcenda & decantanda? Non cer tè, quòd his laudibus voluntati Dei per ſe ſatisfiat, ſe vt nos ex his, tanquàm cœleſti organo excitemur auto re Spiritu ſancto ad fidem, ad ſpem & ad expectatio diuini auxilij in omnibus aduerſis. Additur ergo in fi ne Pſalmi precatio. Et poſtquàm (inquit) anima noſtr expectat DOMINVM, (quod officium Pſalmus exigit) & agnoſcimus ipſum ſolum eſſe noſtrum adiutorium & noſtrum ſcutum, ac in ſolo ipſo acquieſcimus, om nemq; ſpem noſtram in ſolo ſancto nomine eius collo camus, precamur & obteſtamur, vt quemadmodum ſp ramus, ita tu DOMINE Deus noſter miſericordia t clementia tua nos complectaris, ac fiat nobis ſicut cre dimus & expectamus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus celebrat veritatem, potentiam, clemen tiam, gubernationem & curam DOMINI Dei noſtri erga humanum genus. Quantò autem hæ virtutes De magis illuſtrantur, tantò plus fides, ſpes & expectatio qui ſunt cultus Deo longè omnium gratiſsimi, in nobi confirmantur & muniuntur. Vtendum igitur erit hoc

Pſalmo,

Psalmo, cum in agnitione multitudinis peccatorum fides cõcutitur, & in magnitudine afflictionum spes perturbatur, ac in granditate periculorum expectatio diuini auxilij nutare incipit, vt prædicatione virtutum Dei expergiscamur, & animum resumamus.

Psalmus 34.

Benedicam DOMINVM *in omni tempore, semper laus eius, &c.*

Occasionem huius Psalmi exponit inscriptio eius, quæ sic habet: Psalmus Dauidis, cum mutauit vultum suum coram Abimelech, qui & expulit ipsum, vt liberè, quò vellet, abiret. Historia autẽ descripta est in priori libro Samue. cap. 21. Postquam enim Dauid effugerat tyrannidem Saulis, excepit eum aliud periculum in Aula Abimelech regis Palæstinorum. Hic Abimelech vocatur in libro Samuelis, Achis. Arbitror autem nomen Abimelech, (cuius prima fit mentio in Genesi, cap. 20. 21. & 26.) fuisse generale nomen regum Palæstinorum, quemadmodum reges Ægyptiorum dicti sunt Pharaones, & Monarchæ Romanorum Cæsares, cum quilibet præter generale, etiam proprium nomen habuerit, vt sit Abimelech Achis, quasi dicas, Pharao Necho, aut Cæsar Maximilianus. Cum igitur Dauid elapsus esset fuga à rege suo Saule, peruenit in manus regis Achis, & adit 4. Reg. 23.

periculum longè omnium maximum: metuendum enim erat, ne aut ſtatim à Paleſtinis hoſtibus crudeliter truci-
cidaretur, aut in perpetuos carceres omni morte triſtiores coniiceretur, ac tanquam fugitiuus, regi Sauli in la-
nienam remitteretur: & tamen Deus dat mirandum euentum, vt tanta pericula ſaluus euadat. Quare ſuſcipit
hunc Pſalmum componendum & decantandum, vt teſtificetur coram Deo gratitudinem animi ſui, & cohor-
tetur ſuo exemplo Eccleſiam ad fidem, ſpem, & inuocationem nominis Dei, in omnibus periculis. Eſt autem
hic Pſalmus obſeruabilis, non ſolùm propter argumentum, quòd contineat inſignes conſolationes in aduerſis,
verùmetiam propter artificium diſpoſitionis, quòd ſinguli eius verſiculi incipiant à ſingulis literis iuxta or-
Pſalm. 25 dinem Hebraici Alphabeti, ſicut plærique alij Pſalmi, de
1. Pet. 3. quibus ſuprà, ac propter autoritatem quoque Apoſtoli Petri, qui aduenis ſcribens, inſtituit ex hoc Pſalmo co-
hortationem plenam pietate, de qua re ſuo loco.

א 1. *Benedicam (ſeu laudabo) DOMINVM omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.*

ב 2. *DOMINVM glorificabit anima mea, vt audiant affli-
cti, & lætentur.*

ג 3. *Magnificate DOMINVM mecum, & exaltemus nomen eius ſimul.*

Hi tres verſiculi ſunt propoſitio gratiarum actionis, (hoc eſt) præcipui ſtatus totius Pſalmi. Quorũ verſicu-
lorum primus docet, DOMINVM laudandum, DOMI-
NO gratias agendas, non tantùm ſemel & iterum, ſed o-
mnibus temporibus, non ſolùm in rebus proſperis, ve-
rum

rùmetiam in rebus aduerſis. Benedicã, inquit, laudabo, ſeu prædicabo DOMINVM & clementiam eius quouis tempore, Cantabo laudes eius aſsiduè. Deus enim non ſolùm clementer nobiſcum agit, cum confert in nos externa beneficia, verùmetiam cum nos affligit, quippe quòd & afflictionibus ſuũ ponat terminũ, ne plus graſſari queant, quàm ipſis permiſſum eſt: & det euentũ, vt eas ſufferre poſsimus: & quò grauiores ſunt, eò glorioſior ſequitur liberatio. Quare, ſiue proſpera ſiue aduerſa acciderint, ſemper cum Iobe dicendum eſt: DOMINVS dedit, DOMINVS abſtulit, ſicut DOMINO placuit, ita factum eſt, ſit nomen DOMINI benedictum. *Iob.1.*

Secundus verſiculus docet, quo conſilio nomen DOMINI ſit celebrandum, & laudes eius decantandæ. Anima (inquit) mea glorificat DOMINVM. Quo conſilio, quo fine? Non certè quòd Deus per ſe delectetur humanis laudibus, ſed vt audiant (inquit) afflicti ac miſeri homines, & lætentur. Cum enim prędicatur ſumma Dei clementia & gratuita eius miſericordia erga afflictos, excitantur ad fidem, ſpem & inuocationem nominis Dei, vt & ipſi miſericordiam conſequantur, & cœleſti gaudio perfundantur.

Tertius verſiculus hortatur vniuerſam Eccleſiam ad celebrandum nomen DOMINI. Magnificate, inquiens, DOMINVM mecum, & nos omnes ſimul extollamus nomen eius. Non enim vnus tantùm & alter, ſed vniuerſa ſimul Eccleſia fruitur beneficijs Dei: & quæ Dei clementia in vnum aliquem confertur, ea ad omnia Eccleſiæ membra pertinet. Æquum igitur eſt, vt cuncta Eccleſia ad prædicandam laudem DOMINI, vnanimi conſenſu exurgat.

4. *Quæsiui* DOMINVM, *& exaudiuit me, & ex omnibus terroribus meis eripuit me.*

Propositioni, qua Dauid recepit se laudaturum DOMINVM, addit rationem: Laudabo, inquit, DOMINVM, Quam ob causam? Quia quæsiui (inquit) DOMINVM, inuocaui DOMINVM in extremis meis periculis, & continuo exaudiuit me. Euaseram manus regis Saulis, sed incideram in manus hostis, regis Palæstinorum, cuius fortissimum gigantem Goliathem, paulò antè occideram: ibi videbantur me multò maiora pericula manere, quàm antea sub Saule. Quid igitur factum est? in mediis periculis, cum iam captus tenerer, inuocaui opem DOMINI, & ecce eripuit me ex omnibus meis terroribus mirando modo. Sed quo modo? Etsi Dauid erat inter Palæstinos, propter strategema in Goliathe designatum, & propter carmen publicè decantatum, (percussit Saul mille, & Dauid decem milia) notissimus, tamen cum iam captiuus, à seruis regis Achis, teneretur, & simularet delyrium seu insaniam, effecit Deus, vt non solùm non agnosceretur à Rege, verùmetiam ita reiiceretur, vt pateret ei liberrimus & securissimus abitus. Vides igitur tantam esse DOMINI Dei nostri industriam, vt sciat credentes in ipsum, etiam in medio hostium suorum, leuissima quaq; occasione, ac vel saltem delyriij prætextu occulere, ne agnoscantur aut lædantur: nec illud agendum esse, vt iniquis aut impijs rationibus ad liberationem contendamus, sed tantum, vt in vocatione Dei ambulemus, & promissa eius clementia confidamus, sic enim reliqua omnia Deo curæ erunt.

5. Qui

5. *Qui aſpexerint ad eum, illuſtrantur, & Et facies eorum non pudefiunt.* ה ו

Dices, Facilè quidem cõceſſerim, te Dauidem, quem Deus ſingulari fauore complectitur, diuinitus exaudiri, & è periculis eripi: quid autem mihi, & alijs, quorum non tanta habetur coram Deo ratio, fiet? Huic cogitationi occurrit Dauid: Non meas tantùm (inquiens) exaudit preces DOMINVS, nec me tantùm in periculis ſeruat, ſed quotquot aſpexerint ad eum, quotquot ſuſtulerint ad ipſum oculos ſuos ex fide, hos luce fauoris ſui ita illuſtrat, vt facies ipſorum non pudefiant, (hoc eſt) repulſam nequaquam patiantur. Obſeruabilis verſiculus, quo docemur, peculiaria diuinæ bonitatis exempla in noſtrũ vſum, & ad noſtri conſolationem transferre, quod etiam verſiculi mox ſequentes, alijs quidem verbis, ſed eadem ſententia docent.

6. *Iſte afflictus clamauit, & DOMINVS exaudiuit, ac ex omnibus afflictionibus eius eripuit eum.* ז

7. *Caſtrametatur Angelus DOMINI circa timentes ipſum, & tuetur eos.* ח

Iterum commemorat & repetit Dauid ſuum ipſius exemplum, non vt glorietur carnali iactantia de fauore Dei erga ſe, ſed vt ſuo exemplo alios ad ſpem & inuocationem nominis Dei in aduerſis excitet. Quid, inquiens, dubitatis, DOMINVM, in afflictionibus veſtris certiſsima fide & ſpe inuocare? quid differtis opem eius implorare? Sumite vel ſaltem à meipſo exemplum: Ecce iſte miſer, afflictus, (demonſtrat autem ſe ipſe)

se ipse) abiectus, non solùm ab omnibus amicis deser-
tus, verùmetiam in medio hostium Palestinorum ca-
ptiuus, inuocauit DOMINVM, & eripuit eum mirando
modo, ac præter omnem expectationem, è sua affli-
ctione. Quid igitur vos cessatis? Deus enim seruauit
me, non mea tantùm causa, sed propter vos omnes, ti-
mentes eum, vt exhibeat vobis in me exemplum cle-
mentiæ suæ, & testificetur se etiam vos in aduersis,
quamuis grauissimis, seruaturum. Timentes autem Dei
dicuntur, non qui legi Dei perfectè satisfaciunt, & ca-
rent omni vitio, tales enim homines in hac rerum na-
tura non sunt: sed qui colunt Deum fide in filium suum
DOMINVM nostrum Iesum Christum, & constant spe
in aduersis, ac studium suum eò conferunt, vt opera car-
nis Spiritu mortificent. Hi etsi retinent adhuc in se mul-
tum imbecillitatis, tamen quia peccata non imputantur
ipsis propter Christum, & dant operam, vt sordes car-
nis magis ac magis expurgent, dicuntur verè timentes
Dei & cultores eius. Quare qui sic timent, seu colu-
DOMINVM, nullam habent prorsus causam, cur in
aduersis suis nomen DOMINI inuocare cessent, au-
de cœlesti ope dubitent. Si multitudo peccatorum re-
moratur, condonata sunt peccata gratis, propter Chri-
stum: si magnitudo afflictionum deterret, excitet vici-
sim magnitudo cœlestis auxilij, qui enim timet, seu colit
DOMINVM fide, non est solus, sicut humanis oculis ap-
paret, sed est cœlestium angelorum cohorte munitus.
Castrametatur (inquit) Angelus DOMINI circa eos,
qui timent DOMINVM, & tuetur eos. Hic versiculus
de Angelorum excubijs diligenter obseruandus est, vt
admoneamur de insigni cura DOMINI Dei pro salute
nostra.

Angelorum ex-
cubiæ.

noſtra. Eſt autem ſumptus ex ea hiſtoria, quæ ſcripta eſt de Patriarcha Iacob, in Geneſi cap. 32. Cum enim Iacob reuerteretur à ſocero ſuo cum familia in terram Canaan, & obijceretur varijs ac magnis periculis, fuerunt ei obuiam (inquit ſcriptura) Angeli Dei, quos cum viſſet Iacob, ait: Caſtra Dei hæc ſunt, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, (hoc eſt) caſtra. De hac hiſtoria commonefacit nos hic verſiculus Dauidis, (Caſtrametatur Angelus DOMINI circa timentes eum,) & docet, pios excubijs Angelorum, tanquam caſtris ita munitos eſſe, vt ſeruentur in omnibus aduerſis. Idem docet Pſalmus 91. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Idem teſtificatur hiſtoria de Propheta Eliza, 4. Reg. 6. Et Chriſtus de pueris dicit: Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui eſt in cœlis. *Matth. 18.* Et Epiſtola ad Hebræos: Nonne omnes Angeli (inquit) ſunt adminiſtratorij Spiritus, qui in miniſterium emittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſalutis? *Heb. 1.* Agnoſcamus igitur ſummam Dei erga nos clementiam & prouidentiam, quòd etſi ipſe ex ſeipſo ad conſeruandos nos in omnibus aduerſis ſufficit, tamen viſum ſit ei condere & ordinare Angelos ſuos in excubijs aduerſus ſatanicas incurſiones, vt excitaremur primùm quidem ad agendas DOMINO Deo pro tantis beneficijs ſummas, quas poſſumus, gratias, deinde ad fidem conſtanter ſeruandam in maximis quibuſq; periculis, quòd certò ſciamus nos in ijs cœleſtium Angelorum cuſtodia munitos, vt quicquid acciderit, bona Dei voluntate fiat. Poſtremo, vt præſentia Angelorum, eorumq; optimorum

& castissimorum spirituum admoniti, abstineamus nos non solum ab omnibus sceleratis & turpibus operibus, verùmetiam à cogitationibus eorum, ac in officio, quod Deo debemus, reuerenter ambulemus.

ט 8. *Gustate & videte, quàm suauis est DOMINVS, beatus vir qui sperat in eum.*

י 9. *Timete DOMINVM sancti eius, quoniam non est inopia timentibus ipsum.*

כ 10. *Raptores egebunt, & esurient, Qui autem quærunt DOMINVM, non carebunt vllo bono.*

Hactenus expositit propensam voluntatem Dei in exaudiendis precibus piorum, & in liberandis ipsis ex omnibus aduersis. Nunc concludit hanc expositionem cohortatione, ad suscipiendas preces ex fide, vt re ipsa experiamur beneuolentiam Dei. Et est sententia. Commemoraui hactenus, Deum, non solùm me in inuocatione mea exaudire, & in aduersis tueri, verùmetiam omnium eorum precibus fauere & annuere, qui timent & colunt ipsum fide: ac tantùm abesse, vt deserat ipsos in periculis, vt potius cingat & muniat eos castris Angelorũ suorum. Quæso igitur, vt ipsi vos vestra ipsorũ inuocatione periculũ de benignitate & clementia DOMINI faciatis. Non enim dubito, quin re & experientia ipsa comperiatis bonitatem & φιλανθρωπίαν DOMINI, ac illum verè beatum & felicem esse, qui sperat in DOMINVM, & inuocat ipsum ex fide. Hortor etiam vos sanctos, seu credentes in DOMINVM, (hi enim soli verè sunt sancti) vt DOMINVM reuerenter colatis, propterea quòd cultores eius nullo vnquã bono destituantur. Rom. 8. Ac fieri quidem potest, vt grauibus aduersis affligãtur, sed

sed ea omnia adiumento sunt ipsis in bonum. Et quanquam in hoc seculo homines violenti, prædones & raptores, quales sunt inter bestias catuli leonum, videntur diuitijs affluere, & omni bono abundare, tamẽ nihil est certius, quàm quòd necesse habeant, vel tandem ad inopiam redigi, egere, & famem pati: soli aũt quærentes & inuocantes DOMINVM, omni rerum abundantia & felicitate fruantur. Cæterùm, quod dicit: Gustate & videte, quàm suauis sit DOMINVS, et quàm beatus sit vir, qui sperat in ipsum, continet vnà cum cohortatione etiã promissionem in perseuerantia inuocationis. Nam, qui sunt increduli, vt in aduersis suis non inuocant Deũ, ita etiamsi aliorum hortatu ad inuocãdum Deum excitantur, tamen, nisi mox re ipsa senserint opem diuinam, statim resiliunt, & quærunt aliena auxilia, quare nunquam gustant, aut reipsa experiuntur bonitatem & liberalitatem Dei. Qui verò crediderint, & in inuocatione non fuerint defatigati, sed etiamsi aduersa fiant subinde grauiora, perseuerauerint tamen & perrexerint, nihil certius est, quàm quòd tandem non gustum tantùm, verùmetiam plenam cœlestis auxilij fruitionem capiant: Adhuc visus procul, inquit Abacuc, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Hinc est illud toties in Psalmis & Prophetis repetitum: Expecta DOMINVM. Et apud Lucam recitat Christus ipse parabolam huc spectantem, quòd oporteat semper orare, nec defatigari. Qui ergo voluerit gustum diuinæ bonitatis capere, non festinet, pro more incredulorum, sed expectet in patientia & perseuerantia opem DOMINI, & re ipsa comperiet, benignitatem DOMINI

Aba. 2.

Luc. 18.

Esa. 28.

maiorem esse, quàm vlla humana ratio cogitare aut sibi polliceri potuerit. Deinde, quod dicit, non esse inopiam timentibus Deum, & raptores egere, cultores autem Dei omni bono frui, sæpenumerò in sacris literis repetitur.

1. Samuel. 2. Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.

Iob 5. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Longè fient filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius.

Psal. 33. Ecce oculi DOMINI super metuentes eum, & super eos qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Psal. 37. Nouit DOMINVS dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.

Prouer. 10. Non affliget DOMINVS fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet.

Et in cantico Mariæ: Esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes.

Hæ & similes sententiæ admonent nos primùm, vt in vocatione DOMINI diligenter ambulemus, & quærramus ante omnia (vt Christus loquitur) regnum Dei ac iustitiam eius. Deinde, vt in fame confidamus, certa spe concepta, quòd qui vestit lilia campi, & pascit volatilia cœli, permittet potius, vt natura rerum inuertatur, quàm vt in promissis suis mendax fiat.

℣ 11. *Venite filij, audite me, timorem DOMINI docebo vos.*

12. *Quis*

12. *Quis est homo, qui vult feliciter viuere, & dies videre bonos?* ב

13. *Coerce linguam tuam à maledicentia, & labia tua ne loquantur dolum.* ג

14. *Declina à malo, & fac bonũ, da operam paci & sectare eam.* ד

15. *Oculi DOMINI super iustos, & aures eius ad clamorem eorum.* ה

16. *Vultus autem DOMINI super eos qui faciunt malum, vt aboleat de terra memoriam eorum.* ו

Hi sunt versiculi illi, quibus etiam Apostolus Petrus in priori sua Epistola cap. 3. vtitur, & cohortationem ad verum cultum Dei instituit. Postquam igitur Psalmus concluſit admonitione priorem partem de inuocatione nominis Dei, suscipit nunc aliam admonitionẽ, de timendo & verè colendo DOMINO Deo nostro: Venite (inquiens) huc, suauissimi mei filij, (hac enim blandiloquentia vtitur Spiritus sanctus suo more, vt excitet auditores ad pietatem) audite ME. Nolite audire Pseudoprophetas, & doctores humanarum traditionum: sed audite ME, qui doceo verbum DEI. Quid ergo faciamus, vt peragamus tranquillam & felicem vitam? Etsi enim non ignoramus, terram nobis in hoc seculo proferre spinas & tribulos, ac nos ad miserias esse natos, & per multas tribulationes ingrediendum nobis esse in regnum cœleste, scimus firmum & fixum esse, quòd filius Dei dicit: In mundo habebitis afflictionem: tamen illud agimus, non vt nullam in hoc mundo crucem gestemus, sed vt tranquilla & alacri cõscientia sub cruce ambulemus, & post hanc vitam, veram salutem & felicitatem consequamur. Quid igitur in hoc nostro

instituto faciendum, & quis timor, quis cultus hac in re DOMINO Deo nostro prestandus est: Respondet Psalmus. Primùm, coërce linguam tuam à maledicentia, &
Iaco. 3. labium tuum à dolo. Lingua, inquit Iacobus, pusillum membrum est, & magna iactat: ecce exiguus ignis, quãtam materiam incendit? & lingua ignis est, iniquitatis mundus. ac mox: Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Lingua igitur cùm multipliciter, tùm præcipuè dupliciter peccari solet. Semel, cum verbum Dei peruertitur, & falsa, impia ac dolosa docentur, hæc est maledicentia aduersus Deum. Et iterũ: Cùm maledicis & virulentis verbis in proximum inuehimur, aut cùm doloso sermone rebus eius insidiamur. Vtrunq; grauissimum scelus est, dignum nõ externo tantùm, sed etiam æterno supplicio. Quare, qui cupit quietam vitam transigere, caueat tàm ab impia doctrina, quàm à maledictis, conuicijs, & malo dolo aduersus proximum suum. Hic est timor, hic est cultus Deo gratissimus.

Deinde recedat à malo, & faciat bonum. Hoc dictum complectitur summam veræ pœnitentiæ. Constat enim vera pœnitentia, in recedendo seu declinando à malo, & faciendo bono. Tunc autem recedimus à malo, cum agnoscimus malum, & abhorremus à malo: & tunc facimus bonum, cum agnoscimus Christum filium Dei, malí expiatorem, & compescimus Spiritu sancto reliquias carnis, vt ambulemus in officio ad quod diuinitus vocati sumus. Quare ad consequendam veram vitæ tranquillitatem & felicitatem, recedendum est à malo, & faciendum bonum, hoc est, agenda est vera pœnitentia.

Postremò, det operam paci, & sectetur eam. Varia est pacis significatio. Aliâs pacis nomine venit omnis cœlestis

leſtis ſalus, vt cum Chriſtus ſalutat ſuos diſcipulos: Pax vobis, inquiens, &: Pacem meam do vobis: aliâs ſignificat pacem ſeu tranquillitatem conſcientiæ, aliâs cõcordiam cũ proximo. Hoc igitur loco exigitur concordia mutua inter homines, & præcipitur, vt quantũ in nobis eſt, cũ omnibus hominibus pacem habeamus, & concordiam alamus. Homo enim & creatus, et natus, & formatus, & inſtitutus, & renatus eſt ad mutuam cõcordiam. Quare, ſi quis tenetur deſiderio cõſequendę tranquillitatis & felicitatis, pacẽ & cõcordiã ſectetur neceſſe eſt.

Non ſimpliciter aũt hortatur nos Pſalmus ad fugiendum malum, & faciendũ bonum, ad ſectandam pacem, & fugiendam diſcordiam, ſed addit etiam rationem, qua ad præſtãda hæc officia excitemur: Quia oculi DOMINI, inquit, ſuper iuſtos (qui hunc timorem, & hunc cultum, quem commemorauimus, Deo præſtant) & aures eius patent ſemper precibus ipſorũ. Reſpicit enim eos benigno & clementi vultu, & exaudit preces eorum prompta voluntate: malos aũt & inobedientes reſpicit duro & irato vultu, & illud agit, non tantùm vt in hoc ſeculo affligantur, ſed etiam vt nulla honeſta eorũ mentio in terris reliqua maneat, & ipſi in æternum pereant. Quare, ſi quem non excitauerit ad pietatem magnitudo ſalutis, quæ agentibus pœnitentiã promiſſa eſt, excitet ipſum grauitas ſuppliciorũ, quæ manent impœnitẽtes.

17. *Clamant (iuſti,) & DOMINVS exaudit, ac liberat eos ex omnibus afflictionibus ipſorum.* ז

18. *Iuxtà eſt DOMINVS iis, qui contrito ſunt corde, & ſeruat illos, qui afflicto ſunt Spiritu.* ט

19. *Multæ tribulationes iuſti, ſed ab his omnibus liberat ipſos DOMINVS.* י

20. *Cuſtodit*

10. *Custodit omnia ossa eorum, vt ne vnum quidem ex his conteratur.*

Quod antè cœpit de beneficijs, quæ Deus conferre solet in homines iustos, hoc nunc vsq; ad finem Psalmi prosequitur, & pluribus explicat, vt magnitudine beneficiorum retineat eos in officio, & iniustos ad pœnitentiam excitet. Dixit antea: Oculi DOMINI super iustos, & aures eius ad clamorem eorum. Nunc igitur repetit hanc sententiam, vt hac occasione pergat iustorum felicitatem exponere: Clamant (inquiens) iusti ad Deum, inuocant Deum in aduersis: non autem frustra clamant, sed DOMINVS exaudit eos, & ita exaudit, vt etiã ex omnibus illis afflictionibus, quibus premuntur, & quibus ad preces excitati sunt, liberet. Etsi enim non semper exaudit ipsos iuxta carnalem ipsorũ voluntatem, tamen semper exaudit eos iuxta spiritualẽ ipsorum vtilitatem. Nam in inuocatione DOMINI, qua petimus liberationem ab externis seu corporalibus afflictionibus, nunquam nobis ex oculis seponendum est dictum Pauli, quod in Epistola ad Romanos cap. 8. extat: Hoc ipsum, quod oraturi simus, vt oportet, non nouimus, verùm Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille, qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus Spiritus, quoniam secundum Deum intercedit pro Sanctis.

Cæterùm, quod dixit Psalmus: DOMINVS exaudit iustos, pergit clarius exponere: Iuxtà est (inquiens) DOMINVS ijs, qui contrito sunt Spiritu. Iniusti seu increduli homines, arbitrantur Deum eò longius recedere ab ijs, qui propter afflictiones tristi sunt animo & angusto

gusto corde, quò grauiores sunt afflictiones, & eò minus exaudire preces eorum, quò acerbiora aduersa sustinent, sed longè errant. Nam quò intolerabiliores videntur tribulationes, quas iusti sufferunt, eò propinquior est DOMINVS sua cœlesti ope, & eò liberalius ac glorioſius seruat ipsos. Non enim obscurum est, quòd ea sit rerum huius seculi conditio, & is ecclesiæ Dei status, quòd iusti necesse habeant multas in hoc mundo tribulationes ferre, & varijs ærumnis exerceri. Sed benè habet, DOMINVS non solùm liberat eos ab his omnibus, verùmetiam ossa eorum ita custodit, vt ne vnum quidem ex his conteratur. Obseruabiles versiculi, quibus promittitur iustis certissima conseruatio Dei in omnibus aduersis. Iusti autem dicuntur, (quòd sæpè admonuimus) non qui legem Dei perfectè implent, vbi enim hos inuenies? sed qui iustificantur ex fide Iesu Christi, & habent remissionem iniustitiæ propter Christum, ac ambulant in vocatione Dei. Hi ergo iusti tanto propinquiorem habent Deum, quanto miseriores tam in suis, quàm in huius mundi oculis videntur, vt & animo & corpore salui conseruentur. Audio quidem (inquies) prolixas & magnificas promissiones, sed res ipsa aliud videtur testificari. Vide mihi veteris Ecclesiæ martyres, horum alij obiecti sunt bestijs deuorandi, alij igne combusti, alij dissecti, alij aqua submersi, alij gladijs occubuerunt, horum ne ossa ita conseruata sunt, vt ne vnum quidem ex ipsis fuerit contritum? Sed de his & alijs id genus promissionibus rectè & piè iudicandum est. In Exodo cap. 12. dictum est de agno paschali: Os eius non confringetis. Hoc respicit, interprete Euangelista, Christum DOMINVM nostrum, qui *Ioan. 19.*

etsi in cruce mortuus est, tamen corpus eius ita illæsum manet, vt ne vnum quidem os eius confringatur. Quod autem in externo Christi corpore contigit, hoc etiam suo modo impletur in corpore eius spirituali, quod est Ecclesia. Etsi enim piorum ossa deuorantur à bestijs, absumuntur igni, conteruntur in mille partes, & dissipantur coram oculis huius mundi, tamen conseruantur manibus DOMINI tàm illæsa & salua, vt tempore resurrectionis non solùm nullum ex ijs sit defuturum, verùmetiam corpus glorioſum, ad æternam vitam prodeturum, cuius rei figura extat apud Ezech. cap. 37. quando ossa ad ossa, vnumquodq; ad iuncturam suam accedunt. Quare, etsi ossa piorum videntur in his terris conteri & dissipari, tamen promissio in hoc Psalmo recitata manet reipsa in conspectu Dei verissima & certissima, quòd Deus ea colligat, & manu sua ad resurrectionem & cœlestem gloriam conseruet.

21. *Occidet impium malignitas, & qui odio habent iustum, delinquent.*

Aliud beneficium, quo Deus iustum afficit. Non solùm enim exaudit preces eius, & conseruat eum saluum in omnibus aduersis suis, verùmetiam perdit impium persecutorem iusti: Occidet (inquit) impium malignitas ipsa, qua aduersus iustum & pium grassatur, Et osores seu persecutores iusti, rei fiunt omnis sanguinis iusti, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsq; ad sanguinem Zachariæ, adeoq; vltimi illius iusti qui ante nouissimum huius seculi diem iniustè occidetur. Vides, quantam Deus rationem habeat iustorum

vt non ſolùm ipſos ſeruet perpetuò, verùmetiam puniat omnes impios & crudeles eorũ perſecutores propter ipſos, æterno ſupplicio. Et, vt hoc magis inculcetur, addit.

22. *Redimit DOMINVS animam ſeruorum ſuorum, & non peribunt, quotquot in ipſum ſperant.*

In proximè præcedenti verſiculo viceſimo primo, finitę ſunt literę Hebraici Alphabeti. Vidiſti enim ſingulos huius Pſalmi verſiculos à ſingulis Hebraici Alphabeti literis inchoaſſe. Sed quia verſiculus quintus attributus eſt duabus literis, ה he, & ו vau, vt reliqui excreſcant tantùm in viginti vnũ verſiculos, idcirco quò numerus verſiculorum excreſcat in ęqualem numerum cum literis Hebraici Alphabeti, quarum ſunt viginti duæ, additur adhuc vnus verſiculus cum litera פ pe, quaſi ſupernumeraria, vt fiant & ipſi viginti duo verſiculi. Eſt autem antitheſis ad verſiculum proximè præcedentem: Occidet impium ſua ipſius impietas, & oſores, ſeu perſecutores iuſti, peribunt ſuo ipſorum delicto ſeu crudelitate. DOMINVS autem redimit ſeruos ſuos, (hoc eſt) iuſtos & pios, nec vnquàm permittet, vt qui ſperant in ipſum, pereant. Reliquum igitur eſt, vt, cùm Deus maximam omnium ſeruorum ſuorum, ſeu iuſtorum & piorum hominum rationem habeat, cunctum noſtrum ſtudium ad ſectandam veram iuſtitiam ac pietatem conferamus, & ſummas DOMINO Deo noſtro, pro beneficijs ſuis, non ſemel tantùm & iterum, ſed toto vitæ noſtræ tempore, gratias agamus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Magnus est huius Psalmi vsus, inprimis autem, si quis diuturnis precibus defatigatus, solicitatur cogitare, nullum esse locum suarum precum coram Deo: habet hic exemplum & promissionem, quibus solicitudini suæ medeatur: Quæsiui (inquit Dauid) DOMINVM, & exaudiuit me, & ex omnibus terroribus meis eripuit me. Qui aspexerint ad eum, illustrātur, & facies eorum non pudefiunt. Deinde, si quis maioribus aduersis obruitur, quàm vt possit liberationem sperare, proponat sibi ob oculos, quod hîc canitur: Castrametatur Angelus DOMINI circa timentes DOMINVM, & tuetur eos. Et: Iuxtà est DOMINVS ijs, qui cōtrito sunt corde, & seruat illos, qui afflicto sunt animo. Si quis denique offenditur sua infelicitate, & impiorum felicitate, habet in hoc Psalmo, quo isti offendiculo obuiam eat: Raptores, inquit, seu violenti egebunt & esurient, qui autem quærunt DOMINVM, non carebunt vllo bono. Et: Occidet impium sua ipsius malignitas, & qui odio habent iustum, peribunt, etiamsi diu videantur in hoc seculo felices.

Psalmus

Psalmus 35.

Iudica DOMINE nocentes me, &c.

APud Euangelistã Ioannem cap. 15. Christus commemorans Apostolis suis venturas persecutiones, & consolans eos suo ipsius exemplo: Hoc, inquit, accidit, vt compleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Odio habuerũt me gratis. Hoc dictum continetur in decimonono versiculo huius Psalmi. Sciamus igitur, quòd Christus sua ipsius autoritate testificetur, se in hoc Psalmo suas ærumnas, ac aduersariorum suorum iniurias, & crudelitatem DOMINO Deo patri suo exponere, ac iustam vindictam petere. Etsi enim Dauid similia quædam à suis inimicis passus, & magnis iniurijs ab ijs, quibus ipse benefecit, affectus est, Christus tamen filius Dei tenet in omnibus afflictionibus primas, & Spiritus eius testatus est in Prophetis, (quemadmodum Petrus ait) venturas in ipsum affliones, priusquàm acciderent, sicut & quæ essent cõsecuturæ glorias. Quare audiamus in hoc Psalmo primùm omnium, Christum DOMINVM nostrum loqui, & calamitates suas Deo patri suo exponere, ac petere, vt oppressis aduersarijs liberetur: Pro quo beneficio recipit se gloriam nominis Dei, non inter Iudæos tantùm, verùmetiam inter Gentes, quibus possit laudibus, celebraturum. 1. Pet. 1.

1. *Altercare DOMINE cum ijs, qui mecum altercantur, belligerare cum ijs, qui mecum belligerantur.*
2. *Appræhende clypeum & scutum, & exurge in adiutorium mihi.*
3. *Stringe mucronem, & occurre persecutoribus meis. Dic animæ meæ, salus tua ego sum.*
4. *Pudefiant, & afficiantur ignominia, qui insidiantur animæ meæ, conuertantur in fugam, cõfundantur qui machinantur mihi malum.*
5. *Fiant tanquam palea coram vento, & Angelus DOMINI impellat.*
6. *Sint viæ illorum tenebricosæ & lubricæ, & Angelus DOMINI persequatur ipsos.*

Quid? inquies, hæccine est precatio filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi? Extat generale præceptum: Diligas proximum, sicut teipsum, & aliàs dicitur: Mea est vltio, dicit DOMINVS, ego rependam, Christus etiam ipse exponens legem de diligendo proximo: Diligite, inquit, inimicos vestros, bene precemini deuouentibus vos: ac peculiariter de ipso scriptum est: Pro transgressoribus rogauit. Quomodo igitur precatio, imò execratio huius Psalmi, cum illis dictis conuenit? potuisset ne Christus aliquid seuerius & atrocius aduersus animicos & aduersarios suos dicere, quàm quod ait: Pudefiant & afficiantur ignominia, qui insidiantur vitæ meæ, &: Fiant tanquam paleæ coram vento, & Angelus DOMINI impellat eos? Viæ illorum sint tenebricosæ & lubricæ, & Angelus DOMINI persequatur ipsos? hoc enim est non leuem aliquam rerum iacturam, sed æternum exitium imprecari, nec est tantùm liberationem

Esa. 53.

ab

ab insultu inimicorum petere, sed etiam vindictam postulare. Sciamus igitur, quòd aliud sit officium charitatis, aliud seueritatis, & alia sit vocatio generalis, alia personalis. Charitatis enim est, vt non solùm amicum, verùmetiam inimicum diligas, & nõ tantùm benè preceris benedicentibus, sed etiam deuouentibus te. Seueritatis autem est, charitatis regulam ita seruare, vt interim crudelitatem & impietatem inimicorum nõ approbes nec adiuues. Similiter, generalis vocatio est, tàm benefactores quàm malefactores fauore tuo prosequi, & ipsis benefacere. Personalis autem vocatio est, malefactoribus ita fauere, vt tamen officium peculiariter tibi diuinitus demandatum non negligas. Magistratu (exempli gratia) fungeris, & portas gladium, diuinitus tibi porrectum: adducitur autem latro seu incendiarius iuxta diuinam ordinationem coërcendus & puniendus. Quid facias? iuxta generalem vocationem dolendũ est tibi de proximi casu, & ex charitate precandum, vt Deus clementer condonet ipsi atrocitatẽ sceleris eius: iuxta personalem autem vocationẽ, seueriter est in ipsum, secundum leges, animaduertendum. Quare, cum Christus in cruce de inimicis suis clamat ad Deum: Pater, remitte illis, nesciunt enim quid faciunt, precatio est charitatis, quam Christus perfectissimè præstitit, nec enim peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: & cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta. Cum autem in hoc Psalmo & alijs precatur, vt inimici ipsius pudefiãt, & afficiãtur ignominia, vt disturbentur sicut paleæ à vento, vt fiant dies eorum pauci, & filij eorum orphani, ac vxores eorum viduæ, (quod est mortem ipsam imprecari) sedet pro tribunali, & recitat seueram

Officium charitatis. Seueritatis. Vocatio generalis. Personalis. 1. Pet. 2. Psalm. 109.

ueram ſententiam, quam Deus contra omnes impios & crudeles perſecutores Euangelij definiuit. Itaque non iam petit tantum liberationem à ſuis hoſtibus, qui ſunt Pontifices, Scribæ, Phariſæi, Hypocritæ, Iudęi, & Gentes, verumetiam petit vindictam & vltionem, iuxta definitiuam ſententiam Dei, vt omnes hoſtes ipſius opprimantur & intereant. Altercare, inquiens, DOMINE cum ijs, qui mecum altercantur, belligerare cum ijs, qui mecum belligerantur. Vides DOMINE, quanto furore in me graſſentur impij Pontifices, traducunt me per ſubſellia iudicum tàm Eccleſiaſticorum quàm politicorum: contendunt & belligerantur mecum coram Synodo ſacerdotum, & vociferantur me eſſe blaſphemum & reum mortis: rixantur mecum coram Pilato, & clamant me eſſe ſeditioſum, ideoq; crucifigendū: ac breuiter, excogitant & architectantur aduerſus me omne malum. Quæſo igitur te DOMINE, vt exurgas in mei defenſionem, & ſuſcipias cum ipſis pro me certamen & bellum: arripe clypeum & arma, accinge te gladio, & occurre armatus meis perſecutoribus, vt manifeſtè & reipſa teſtificeris, te eſſe meā ſalutem. Nec id tantùm peto, vt me defendas & ſerues, verùmetiā vt de inimicis meis vindictam ſumas, & perſecutores meos opprimas. Pudeſiant & afficiantur ignominia, quotquot inſidiantur vitæ meæ. Terga vertant ſumma cum infamia, quotquot conantur mihi malefacere. Diſturbentur & diſijciantur, quemadmodum quiſquilię à vento hinc inde proijci ſolent. Nec ſimpliciter diſpergantur, ſed ſicut Angelus

Exod.14. DOMINI ſtetit in ingreſſu Iſraëlitarū in mare rubrum, inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraëlis, ac Iſraëlem ita tuebatur, vt Ægyptij exclamarent: Fugiamus Iſraëlem,

lem, DOMINVS enim pugnat pro eis contra nos: sic & Angelus DOMINI non aliter impellat & deiciat meos aduersarios, quàm Ægyptij in mari rubro occubuerũt. Præterea, fuga aduersariorum meorum non fiat interdiu, vt videant, quà sit fugiendum, sed noctu, vt tenebris circumfusi, & lubricitate viæ vacillantes, in præcipitia quæq; ferantur. Quemadmodum enim Gideone quondam adoriente cum trecentis militibus castra Midianitarum, in medijs tenebris noctis, Angelus DOMINI Midianitas sic exterruit, vt mox se in pedes conijcerent, & præ tenebris nescirent, quò fugerent: ita & Angelus DOMINI exterreat meos inimicos, vt excæcentur, & in æternum barathrum præcipitentur. Habes imprecationem, qua filius Dei Pontifices & Pharisæos ludaicos, inimicos & persecutores suos execratur. Et quia sunt verba filij Dei ad Deum patrem suum, non est dubium, quin, cùm sciat quis sit sensus Spiritus, petat, secundum propositum & voluntatem Dei, liberationem. Docet igitur in hac precatione, primùm, quòd Deus suscipiat bellum aduersus omnes illos, qui resistunt Christo filio Dei, & conantur Euangelion eius abolere. Quis autem posset feliciter cum Deo belligerari? hoc enim est contra stimulum calcitrare, & vt Græci dicunt θυμομαχεῖν. Deinde docet, quod supplicium maneat impios verbi Dei persecutores. Hi enim, etsi aliquandiu videntur prosperum habere consiliorum suorum euentum, tamen necesse habent, vel tandem pudefieri, & tanquam paleæ dispergi, quemadmodum etiam in Psalmo 68. dicitur: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cæra à facie ignis,

Iudi. 7.

Rom. 8.

Actor. 9.

sic pereant peccatores à facie Dei. Postremò vaticinatur etiam de excæcatione & abiectione Iudæorum, ne sint amplius populus seu Ecclesia Dei: Sint, inquiens, viæ illorum tenebricosæ & lubricæ, & Angelus DOMINI persequatur ipsos. Postquam enim Iudæi reiecerunt Christum, coniecti sunt in tantam cæcitatem, vt etiamsi habeant adhuc, & legant scripturã Propheticam, tamen non intelligant, & quacunq; incedunt, in tam lubrica via insistant, vt in æternum exitium ruant. Hoc idcirco nobis commemoratur, vt in horribili illo casu Iudæorũ non offendamur, sed excitemur ad gratitudinem erga clementiam Dei, qua quod ablatum est à Iudæis, in nos Gentes est collatum, ne, quod nobis est gratuita misericordia datum, ingratitudine nostra iterum auferatur. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, videat quâ fiat, vt nec tibi parcat.

7. *Quoniam sine causa clàm tendunt mihi pernitiosum suum laqueum, sine causa faciunt foueam animæ meæ.*

Grauissima quidem execratio est, qua Christus in Pontifices & Pharisæos inuehitur, sed multò graviores sunt causæ, cur ipsos execretur. Ac aliæ postea commemorabuntur, in hoc autem septimo versiculo vnam recenset: Quoniã, inquiens, tendunt mihi clàm pernitiosum suum laqueum. Non execror eos temerè, & pro carnis arbitrio, sed quod loquor, sententia est Spiritus sancti. Tanta enim est impietas & immanitas eorũ, vt etsi nullam prorsus habeant iustam causam in me sæuiendi, tamen quemadmodum seu aucupes, seu venatores tendunt auibus & feris sua retia & laqueos, quibus eas ex

impro

improuiſo capiant, & fodiunt lupis ac vulpibus foueas, in quas præter expectationem incidant & comprehendantur: ita Pontifices & Phariſæi inſidiantur mihi, quoquo modo poſſunt, vt me opprimant. Cæterùm, qui ſint laquei illi & retia, quæ Pontifices & Phariſæi tetenderunt Chriſto, Euangeliſtæ haud obſcurè tradunt. Matthæus ait: Conſilium inierunt principes Sacerdotũ & Scribæ & ſeniores populi, vt Ieſum dolo caperent & occiderent. Ioannes ait: Congregauerunt Pontifices & Phariſæi Synedrion, ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit: ſi permiſerimus eum ſic, omnes credent ei, venientq; Romani, & tollent tùm locum noſtrũ tùm gentem. Et mox: Ab illo die cõſultabant inuicem, vt interficerẽt eum. Lucas ait: Iudas abiens, collocutus eſt cum principibus Sacerdotũ ac Magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauiſi ſunt, ac pacti ſunt illi pecuniam ſe daturos, Et ille ſpopondit, quærebatq; opportunitatem, vt traderet eum illis ſine turba. Habes laqueos & retia, quæ Pontifices & Magiſtratus Hieroſolymitanus clàm tetenderunt Chriſto, cum ne minimam quidem legitimam cauſam aduerſus ipſum haberent: Homini autem innocenti ſtruere inſidias, vt ſanguinem eius effundas, quantum hoc eſt ſcelus, quantum flagitium? Ac ſiquidem alium quendam hominem, cæterà innocentem, attamen de hominibus non admodum benè meritum, & coram Deo nocentem, dolo circumueniendum, & occidendum ſuſceperis, obnoxius es æternæ maledictioni. Quo autem ſupplicio dignus es, ſi inſidiatus fueris ſanguini illius hominis, qui vt eſt vnigenitus filius Dei, ita optimè de vniuerſo humano genere meritus, & coram tribunali quoq; Dei innocens

Matth. 26.

Ioan. 11.

Luc. 22.

fuerit: Quid ergo ſupplicij mereatur, mox ſequitur.

8. *Eueniat ei clamitas, præter omnem ſuam expectationem, & capiatur reti ſuo, quod (innocenti) tetendit, ac conijciatur in calamitatem ipſam, (quam alteri parauit.)*

Hoc iuſtiſsimum eſt ſupplicium, vt quem laqueum innocenti paraueris, eo tu ipſe conſtringaris & ſuffoce-
Pſalm.7. ris. Lacũ aperuit, (inquit alius Pſalmus) & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Cõuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcen-
Pſalm.9. det. Et alius Pſalmus: Infixæ ſunt gentes in interitu, quæ fecerunt, Et in laqueo iſto, quem abſconderũt, comprehenſus eſt pes eorum. Quare optimè & rectiſsimè cecidit, quòd cum Pontifices, & Phariſæi conati ſint Chriſtum de maieſtate ſua detrahere, & in infernum detrudere, ipſi viciſsim priuati ſint omni maieſtate, & in extremam internitionem cõiecti, Chriſtus autem in ſummam ſublimitatem exaltatus. Vnde & ſequitur.

9. *Anima autem mea exultat in DOMINO, & lætatur in ſalute eius.*

Pontifices & Phariſæi, qui inſidiati ſunt ſanguini meo, vt mihi omne cœleſte gaudium & ſalutem adimerent, coniecti ſunt in omnem inferni horrorem & interitum. Anima autem mea viciſsim ita exhilarata eſt, vt exultem perpetuò in beneficijs DOMINI Dei patris
Pſalm.118. mei, & geſtiam in æterna ſalute, quam Deus pater in me contulit: Confitebor tibi, inquit Chriſtus in alio Pſalmo, quòd exaudieris me, & factus ſis mihi in ſalutem.

tem. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

10. *Omnia ossa mea dicunt, DOMINE, quis similis tui, qui eripis afflictum ab illo, qui est ipso fortior, afflictū (videlicet) & pauperem ab illo, qui violenter ipsum prædatur.*

Maximum & immane est scelus, quod designant Pontifices & Pharisæi in Christum, non solum innocentem, verumetiam optimè de ipsis meritum. Sed vicissim, maximum est etiam beneficium, quod confert Deus pater in Christum, cùm in extremis afflictionibus, in quas ipsum impij & crudeles Pontifices dolis & clandestinis suis consilijs coniecerunt, seruat eum ita saluum, vt animo suo exultet, ac propter magnitudinem salutis cœlesti ac æterna lætitia gestiat. Effert enim ipsum in summam sublimitatem, & dat ei nomen super omne nomẽ, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum. Quare, vt Christus declaret suam erga Deum patrem gratitudinem: Omnia (inquit) ossa mea dicunt, DOMINE, quis est similis tui? Omnes vires meæ confitentur gloriam nominis tui: toto pectore agnosco & prædico immensam tuam clementiam & bonitatem, qui hoc maximè omnium agis, vt superbos deijcias, & abiectos glorifices, vt deponas potentes de sede, & exaltes humiles, vt opprimas Pyrgopolinices, & eripias afflictos, vt tyrannos ex alto præcipites, & miseros ac egenos in sublimitatem efferas. Hæc sententia de oppressione potentum, & exaltatione oppressorum, obseruabilis est, & sæpè in scriptis tàm Propheticis quàm Apostolicis repe-

tita. Docet autem impios persecutores piæ doctrinæ th
morem Dei, & admonet ipsos resipiscentiæ: Pios autem
& afflictos docet fiduciam & patientiam in aduersis, v
obedienter expectent cœlestem liberationem, quæ, et
Quod differtur non aufertur. aliquantisper differtur, non tamen (iuxta vulgatum di
ctum) aufertur.

11 *Insurgunt testes iniqui, (seu violenti,) quæ non agnosco, imp*
tant mihi.

Redit ad commemorationem illarum causarum, pro
pter quas Pontifices execratione dignos iudicat. Et cum
recensuerit antea versu septimo vnam causam: Sine vl
la causa (inquiens) tendunt mihi rete, sine vlla causa fo
diunt animæ meæ foueam, nunc recenset alteram: In
surgunt (inquiens) in me testes iniqui, falsi seu menda
ces, & testificantur de me, ac obijciunt & imputant mi
hi, quæ nunquam ne per somnium quidem mihi in men
tem venerunt, & quorum nihil prorsus mihi conscius
sum. Nota autem est historia passionis Christi, in qua
testes nunc affirmant Christum publicè iactasse, se de
structurum templum, & in triduo instauraturum: nunc
aiunt docuisse ipsum, tributum nõ esse dandum Cæsari
nunc mentiuntur, ipsum affectasse regnum Romanum,
imò Monarchiam totius terræ: ac breuiter, accusatores
eius palàm vociferati sunt, ipsum esse blasphemum in
Deum, & seditiosum aduersus Magistratum, quibus cri
minibus nihil potest horribilius & atrocius excogitari,
& à quibus tàm alienus fuit, vt nihil eo fuerit in cœlo
& in terra innocentius. Etsi autem grauissima pœna
constituitur in Deuteronom. cap. 19. aduersus menda
ces

cem teſtem: Reddent ei, (inquit) ſicut fratri ſuo facere cogitauit. Et: Non miſereberis eius, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. tamen hic Pſalmus multò grauius in mendacem teſtem inuehitur. Cum enim inter cauſas, cur Deus ſuſcipiat bellum contra Pontifices & Phariſæos, vt pedefiant & opprimantur, illa non poſtrema recitetur, quòd falſum teſtimonium aduerſus Chriſtum dixerint, obſcurum non eſt, quin mendax teſtis tantum ſcelus deſignet, vt mereatur hoſtem Deum, & dignus ſit æterna internitione. nam, cum Deus ſit veritas ipſa, quid magis cum ipſo belligeratur, quàm mendacium? Videtur quidem veritas interdum periculoſa & pernitioſa, multo autem pernitioſius eſt mendacium, quippe quòd illa, ſi multum, temperarium tantum periculum, hoc autem perpetuum exitium creet. Diſcamus igitur fugere mendacium, non aliter quàm ſatanam ipſum, & loqui veritatem. Vide etiam ſupra in explicatione Pſalmi vndecimi de Sycophantis.

12. *Reddunt mihi malum pro bono, orbitatem animæ meæ.*

Tertia cauſa, cur Pontifices & Phariſæi execratione & ignominia digni ſint: Rependunt (inquit) mihi malum pro bono, ſterilitatem videlicet ſeu orbitatem animæ meæ. In Gen. cap. 42. & 43. cum Patriarcha Iacob ſummas ſuas in hoc ſeculo ærumnas ſignificare vellet: Abſq; liberis, inquit, me eſſe feciſtis. Et iterum: Ego quaſi orbus abſque liberis ero. Similiter Eſa. 47. cum Deus minaretur Babylonico Imperio extremam maledictionem: Nunc audi hæc, inquit, delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego ſum, &

non est præter me amplius, non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in vna die, sterilitas & viduitas. Sic & in hoc Psalmo, cum Spiritus sanctus significaret Pontifices & Pharisęos reperdere Christo pro summo beneficio, summum maleficium, affirmat ipsos reddere animæ suæ sterilitatem & orbitatem, quòd tanto odio grassentur in ipsum, vt non solùm cogitent eum tollere de terra viuentium, verùm etiam ita extirpare, vt nullam perpetuò habeat posteritatem, nec vlla reliqua maneat nominis eius memoria.

Matt.21. Lu.20. Hoc illud est, quod apud Matthæum & Lucam dicunt coloni: Hic est hæres, venite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Sed audiamus nunc commemorationem beneficiorum, quæ Christus contulit in populum suum Israëliticum, vt, cognita beneficiorum magnitudine, cognoscatur etiam magnitudo ingratitudinis & immanitatis populi.

13. *Ego, cum ægrotarent, induebam saccum, affligebam ieiunio animam meam, & precationem meam (pro ipsorum salute) toto pectore iterabam.*

14. *Incedebam, quasi qui summum amicum & fratrem lugeret, incuruabar tristis, quasi qui luctu matrem prosequeretur.*

His duobus versiculis exponit Christus insignem suam beneuolentiam, qua populum Israëliticum, Pontifices & Pharisæos complexus est. Non est quidem indutus sacco (qui est argumentum mœroris) coram hominibus, nec occupatus fuit alijs externis & solennibus publici luctus signis, qualia solent fieri in funeribus parentum aut amicorum. Commemoratione autem &

metapho

metaphora harum cõsuetudinum significat, se populum Israëliticum summa charitate, & inæstimabili beneuolentia prosecutum esse: vt omittam, quantum (vt ita dicam) doluerit, cum Israëlitæ in Ægypto affligerentur, & postea in Babylone captiui detinerẽtur, vt per Prophetam exclamaret: Zelatus sum Hierusalem, & Zion, zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas. Illud tantũ in præsentia cõmemorabo, quòd ad vindicandum populum Israëliticum, adeoq; humanũ ipsum genus, à tyrannide peccati, satanæ, mortis & inferni descenderit è cœlo, & assumpserit carnem, ac susceperit omnes humanas imbecillitates, adeoq; probrosissimã mortem crucis. Hoc verè est affici aliena calamitate, induere videlicet saccum, affligere animam suam ieiunio, & lugere, quasi in funere charissimorum parentum & suauissimorũ liberorum. Hac beneuolentia Christi nihil potest maius excogitari, hoc beneficio Christi nullum potest dici excellentius: Vix pro iusto quispiam, inquit Paulus, morietur, Christus autem, quum adhuc essemus infirmi, iuxta temporis rationem, pro IMPIIS mortuus est. Et Ioannes: Per hoc (inquit) cognouimus charitatem, quoniam ille animã suam pro nobis posuit. Ac rursus: In hoc est charitas, quòd nõ nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suũ propitiationem pro peccatis nostris. Habes summam Christi beneuolentiam, audiamus vicissim summã Pontificum & Pharisæorum ingratitudinem. *Zacha.1.* *Rom.5.* *1.Ioan.3.* *1.Ioan.4.*

15. *In claudicatione mea lætantur, congregantur, congregantur, inquam, contra me claudi ex improuiso, proscindunt (me) sine intermissione.*

16. *Vnà cum dolosis subsannatoribus, frusto panis cõductis, frendunt contra me dentibus suis.*

Ego quidem, inquit Christus, confero in eos omnia genera summorum beneficiorum, ipsi autem vicissim lætantur & exultant in claudicatione mea, (hoc est) in aduersis meis, in morbis meis, & in ærumnis meis. Si crus fregero, (hoc est) incommodum aliquod accepero, mirum, quàm gestiant, quàm tripudient: nec id solum faciunt manifesti mei hostes & Pontifices, verùmetiam claudi, hoc est, claudicantes in vtramq; partem, qui nũc meo Euangelio applaudunt, nunc Pharisaicam doctrinam probant. Conueniunt frequentes, frequentes, in quam, conueniunt aduersus me, præter omnem expectationem, & nulla prorsus à me iniuria affecti, vnà cũ histrionibus, scurris, ioculatoribus, parasitis, adeoq; cũ vilissimis quibusq; nebulonibus, qui vel frusto panis se ad prodendam patriam ipsam conduci paterentur. Hi frendunt in me dentibus suis, & proscindunt me extremis conuitijs: vident enim se execrationibus suis odium Pontificibus gratissimum facere. Non est autem opus, vt diu circumferas oculos, vbi nam hæc in Christo impleta sint: intuere mihi historiam passionis eius, & videbis non solum seruum dare alapam Christo ante tribunal Pontificis, vt Domino suo gratificaretur, verùmetiam cateruam illorum nebulonum & scurrarum, quibus traditus est Christus noctu illudendus & conspuendus, qui etiam velatis oculis & percussis maxillis eius, vociferantur: Vaticinare nobis Christe, quis te percusserit? In cruce quoque pendentem omni genere opprobrij lacerant; Si est Rex Israëlis (inquiunt) descendat

ſcendat nunc de cruce, & credemus ei: alios ſaluos fecit, ſeipſum ſeruare non poteſt. Quantam hanc putas eſſe contumeliam? certè incredibilis fuerit, neceſſe eſt, quòd eam tot antè annis, Spiritus ſanctus in Chriſtum venturam præuiderit & adnunciarit. Quantò enim tenerior eſt animus hominis corpore eius, tantò grauiores fuerunt hi affectus animi in Chriſto, quàm transfixio clauorum in manibus & pedibus corporis eius. Viſum autem eſt Spiritui ſancto, hæc multis annis antea præ-nunciare, partim vt cum præter alia argumenta & teſtimonia Prophetarum, etiam hoc in Ieiu filio Mariæ impletum eſſe cognoſceremus, certò ſciremus, quòd Deus hunc Ieſum, quem vos Iudæi (inquit Petrus) crucifixiſtis, DOMINVM & Chriſtum fecerit: partim vt intelligeremus, quantis doloribus conſtiterit Chriſtum expiatio peccatorum noſtrorum, & excitaremur ad fugienda peccata, & ad teſtificandam animi noſtri gratitudinem erga tantum benefactorem, quoquo officij genere poſſumus.

17. *DOMINE quamdiu conniuebis? Eripe animam meam à fremitu eorum, à catulis leonum vnicam meam.*

Commemorationi ingratitudinis Iſraëlitarum addit precationem: Domine, inquiens, quamdiu conniuebis? quamdiu aſpicies tantam populi ingratitudinem & contumeliam, ac non vindicas? At enim, hæc magis videtur (inquies) acerba expoſtulatio, quàm pia & humilis precatio. Sed aliud eſt, ex impia cordis amarulentia, aliud ex pia animi imbecillitate, cum Deo expoſtulare. Impia expoſtulatio eſt, cum Hypocritæ apud Eſa.

cap.58.dicunt: Quare ieiunauimus,& non aſpexiſti? hu miliauimus animas noſtras, & neſciſti? Hypocritæ enim non confidunt gratuita Dei clementia, ſed meritis ſuæ ipſorum iuſtitiæ, & niſi Deus propter hæc voluntati eorum ſatisfaciat, iudicant eum iniquum. Querela igitur & expoſtulatio eorum, non eſt ex imbecillitate fidei, ſed ex virulentia incredulitatis. Expoſtulatio autem pia extat in Pſalmo 13. Vſq; quò DOMINE, obliuiſceris mei perpetuò? vſq; quò abſcondis faciem tuam me? Et in Pſal.44. Exurge, quare obdormis DOMINE exurge, & ne repellas perpetuò. Quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? In eundem catalogum pertinet etiam querela & expoſtulatio huius Pſalmi: DOMINE, quamdiu conniuebis? Chriſtus enim filius Dei, non expoſtulat cum Deo in hoc Pſalmo amarulenter, ſed obedienter, non arroganter, ſed humiliter. Tametſi autem tales expoſtulationes oriuntur in reliquis hominibus, quamuis piis, ex imbecillitate fidei, & ſunt cum peccato coniuncta, tamen quia Chriſtus nullum vnquàm peccatum fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, idcirco expoſtulatio eius non oritur ex peccato, ſed tantùm ex obedientia qua ad vocationem Dei patris ſui exinaniuit ſe formam Dei, & aſſumpſit formam ſerui. Quare, Chriſtus obedientia ſua peccatum ita expiauit, vt etiamſi expoſtulatio piorum, credentium in Chriſtum, cõiuncta ſit cum peccato, tamen peccatum non imputatur eis propter Chriſtum. Cæterùm, vt ſciamus hanc querelam, qua Chriſtus in hoc Pſalmo cum patre ſuo expoſtulat, non eſſe inobedientiæ ſed obedientiæ, vertit ſe illicò ab expoſtulatione ad precationem: Eripe, inquiens, animam meam

meam à fremitu, videlicet, leonum, seu Pontificum & Pharisæorũ, qui instar leonum in me innocentem grassantur, & vnicã meam, (quo nomine intelligitur etiam ipsa anima seu vita, idcirco vnica dicta, quòd videatur omni tàm diuino quàm humano auxilio destituta) à catulis leonum, hoc est, turbis Iudæorum, qui tam crudeliter in me sæuiunt. Cum hoc versiculo conuenit, quod Christus etiam in Psalmo 22. dicit: Erue à gladio animã meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium libera me. Quod ergo gratitudinis officium præstabis mihi, si eripuero animam tuam à fremitu leonum, & vitam tuam à catulis leonum? Sequitur.

18. *Gratias agam tibi in Ecclesia magna, in populo ingenti laudabo te.*

Hoc prorsus illud est, quod in Psalmo 22. dicit Christus: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et mox: Te laudabo in Ecclesia magna, vota mea reddam coram ijs, qui timent te. Quod autem in his Psalmis se facturum recipit, hoc apud Euangelistam Ioannem testatur, se in eo esse, vt impleat & absoluat: Ego te, inquiẽs, glorificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem. Ac mox: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et rursus: Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. In hoc enim patefactum est nomen DOMINI Dei nostri, quod Christus filius Dei non solum prædicauerit Euangelion suum in Ecclesia Israëlitarum, verùmetiam miserit Apostolos suos, vt *Ioan. 17.*

adnunciarent Euãgelion in vniuerſo orbe inter omnes gentes, & colligerent magnam & ingentem Eccleſiam tãm ex populo circumciſo, quàm incircumciſo quæ eo cleſia celebraret nomen Dei perpetuò. Ex Euangelio enim, quod Chriſtus inter Iudæos adnunciauit, & quod Apoſtoli in nomine eius inter omnes gentes diuulgarunt, cognoſcitur & illuſtratur nomen & gloria potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, clementiæ & paternæ beneuolentiæ Dei, videlicet, quòd erga omnes, qui credunt in Chriſtum, ita ſit affectus, vt cõdonet eis omnia peccata, adoptet eos in filios & hæredes ſuos, ſeruet eos in omnibus aduerſis, adeoq; in morte ipſa, & doloribus inferni, ac tribuat eis cœleſtem hereditatem, & perpetuam felicitatem. Quare, cũ Chriſtus recipiat ſe pro acceptis beneficijs, gratias acturũ Deo patri in Eccleſia magna & populo multo, hoc eſt, ſe vulgaturũ Euangelion ſuum, in quo nomen Dei illuſtratur inter omnes gentes, haud obſcurè ſignificat, quòd non ſit cultus Deo gratior, nec ſit organon Spiritus ſancti commodius, quam prædicatio Euangelij Chriſti, quo & gloria nominis Dei illuſtratur, & homines ad verã Dei cognitionem, ad fidem, ad ſpem, ad omnia virtutum genera, ad æternam denique vitam conſequendam (potentia ſiquidem Dei eſt, vt Paulus ait, ad ſalutem omni credenti,) excitentur.

19. *Non lætentur de me illi, qui ſunt inimici mei immeritò, nec irrideant me nutu oculi, qui me odio habent gratis (vt ſine cauſa.)*

Hic eſt verſiculus ille, quem Chriſtus apud Euange-
Ioan. 15. liſtam Ioannem allegat & haud obſcurè ſignificat, hunc Pſalmum de ſe ipſo, κατὰ τὸ ἐμπρόσθεν, dictum eſſe. Redit autem

ad pre

ad precationem, & orat patrem, vt se ijs, qui nulla prorsus iusta causa odio ipsum habent, & hostiliter persequuntur, non propinet deridendum, & nutibus oculorum suorum subsannandum. Non illud orat, vt omninò non irrideatur, ipse enim sua sponte se humiliauit, & illudendum præbuit, sed orat, vt inimici non absoluant lætitiam suam, quam ex aduersis eius conceperunt, nec fiant compotes illius finis, ad quem irrisione & subsannatione sua tendunt: sperant enim, quòd cum iam sit expositus omni generi ærumnarum, necesse habeat omnino & perpetuò interire, quò etiam risu & nutu oculorum suorum respiciunt. Petit igitur, vt hac sua spe frustrentur & pudefiant, (hoc est) petit vt è tantis aduersis saluus euadat. Nam, quemadmodum orans pro Apostolis: Non rogo, inquit, vt tollas eos de mundo, (hoc est) vt confestim transferas eos ex hac vita in cœlestem beatitudinem, quò nihil calamitatis in hoc mundo patiantur, sed vt serues eos à malo: affligantur sanè, & malis afficiantur, sic enim comparatum est, vt qui piè volunt viuere, persecutionem patiantur, sed in his malis seruentur, ne pereant: ita & in hoc Psalmo non orat, vt prorsus non irrideatur, & ludibrio habeatur, sed vt in his ludibrijs & contumelijs, ad cœlestem & æternam gloriam diuinitus conseruetur. Cum ergo hîc dicitur, quòd aduersarij Christi habeant ipsum odio gratis, sine causa & immeritò, sciamus prædicari innocentiam Christi, & cognoscamus peccata nostra verè & perfectè coram Deo expiata esse. Non potuerunt enim expiari, nisi ab homine innocente, & ex omni parte iusto, qualis præter Christum, nullus in vniuerso humano genere inuentus est. Deinde obseruemus exemplum pre- *Ioan. 17.*

candi,

candi. Non precatur Christus, vt prorsus, sicut antè ali quoties dictum est, non irrideatur, sed vt consilium irri soris, æternum exitium meditantis, non succedat. Hoc exemplum sectandum est, Non enim inuocandus est DOMINVS, vt nulla calamitate, nulla ærumna in hoc seculo affligamur, sed vt in calamitate, cui tàm pro communi sorte humani generis, quàm pro cõditione sectandæ & profitendæ veræ pietatis obiici solemus, non succumbamus, & vt Deus det euentum, quo ferre quea mus. Ac fieri quidem præ carnis nostræ imbecillitate non potest, quin vitam in hoc seculo absq; omni corpo rali cruce agere affectemus, sed quia Christus suscepit in se, præter alias etiam hanc imbecillitatem, idq; absq peccato, vt, cum in monte Oliueti inuocaret patrem, & diceret: Transeat à me calix iste, idcirco impetrauit no bis condonationem huius peccati, vt non imputetur no bis, si modò iuxta Spiritum, non iuxta carnem ambule mus, (hoc est) si & nos exemplum Christi sectemur, & quod ipse fecit, serio & ex vera fide faciamus, ac dica mus: Non quod ego volo, sed quod tu vis: & subiiciamus voluntatem nostram diuinæ.

20. *Quia non loquuntur pacem, & excogitant fraudulenta con silia aduersus tranquillos terræ.*

21. *Et dilatant aduersus me os suum, exclamant, Euge, euge (hoc est) optimè, optimè, oculi nostri summa cum uolu ptate aspiciunt (hanc calamitatem.)*

Vbi nos legimus: Non loquuntur pacem, ibi Græ cus legit: Εμοὶ μὲν εἰρήνικα ἐλάλουν, & Latinus: Mihi quí dem pacifica loquuntur, sensu prorsus contrario. Hoc autem

autem inde adeo euenit, quòd Græcus interpres pro eo, quod est in Hebræo לא lo, & significat non, legit לי li, quod significat mihi. Ac postea, vbi nos transtulimus: Aduersus tranquillos terræ, Græcus legit, ἐπ' ὀργὴν, & Latinus eum secutus: In iracundia. Nam quod apud Hebræos est רגע Rigah, & significat quietem, seu tranquillitatem, hoc Græcus legit רגז Rigaz, & significat iram. De qua re visum est studiosos sacrarum literarum aliquoties in hac Psalmorum explicatione admonere, vt sciant, quantum ad scripta Prophetica & Apostolica rectè intelligenda referat, suam operam in cognoscenda Hebræa & Græca lingua impendere. Recitat autem in his duobus versiculis causam, cur Deum patrem tanta seueritate aduersus Pontifices & Pharisæos, inimicos & olores suos, inuocet: Quia non loquuntur, inquit, pacem. Pax, pro Hebræo more, significat salutem, & omnia genera bonorum, siue corporalium, siue spiritualium. Cum igitur dicit, aduersarios suos non loqui pacem, sed potius excogitare fraudulenta consilia contra tranquillos terræ, docet eos meritò maledici quòd nullam prorsus populi salutem quærant, sed consilijs suis cogitent fraudulenter opprimere, & perdere Christum & Apostolos eius, qui tamen sunt tranquilli terræ, hoc est, illi, qui Euangelio suo veram & æternam salutem ac tranquillitatem omnibus hominibus in hac terra offerunt. Inprimis autem dilatant, inquit Christus, aduersus me os suum, irrident me, execrantur me, & cum vident me capi, percuti, flagellis cedi, crucifigi & mori, exclamant, Euge, euge, (hoc est) optime, rectissimè, (est enim vox lætantis, seu sibi applaudentis & cohortantis quoq;) nunc res optimè geritur, nunc res ex ani-

mi noſtri ſententia ſuccedit, quòd videamus de ipſo prorſus actum eſſe, qua re nihil potuiſſet nobis iucundius & gratius accidere. Reuocatur autem nobis toties grauitas paſsionis Chriſti in memoriam, vt ſciamus quanti conſtiterit expiatio peccatorum noſtrorum. Quid enim acerbius poteſt honeſto & innocenti homini accidere, quàm in ſummis ſuis aduerſis & doloribus mortis ac inferni, non ſolum non habere amicum, qui cõpatiatur & conſoletur, verùmetiam ab ijs, quos omni genere beneficiorum affeceris, irrideri, & conuitijs maxima animi ipſorum voluptate proſcindi? Cum igitur Chriſtus ſuſceperit in ſe hanc doloris acerbitatem propter noſtra peccata, reputa tu ipſe cum animo tuo, quantam viciſsim gratitudinem ei debeas?

22. *Tu vides DOMINE, ne obmuteſcas, DOMINE, ne procul abſis à me.*

23. *Expergiſcere, & euigila ad iudicium meum, Deus meus, & DOMINE meus ad cauſam meam.*

24. *Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam, DOMINE Deus meus, ne gaudeant de me.*

25. *Ne dicant in cordibus ſuis, Euge animæ noſtræ, (hoc eſt, optimè, & hoc volebamus) ne dicant, deuorauimus eum.*

Expoſitis opprobrijs, quibus Chriſtus in paſsione ſua affectus eſt, reuertitur ad precationẽ: Tu vides DOMINE, inquiens, ſi iniuriæ, quibus afficior, tibi incognitæ eſſent, ſi non coram oculis tuis paterent, quid mihi ſpei, quid ſalutis eſſet relictum? Nunc autem, ô me felicem, omnia tibi cognita ſunt & perſpecta. Nam ſi capilli capitis mei numerati ſunt, nec vnus eorum cadit de capite abſq; tua voluntate, quomodo tàm cõtumelioſa opprobria

bria possent, nescíente te, & nõ vídente ac audiente, in me proijci? Dixisti quondã de me ab initio huius seculi, quòd contriturus essem caput serpentis, quòd benedicendæ essent per me omnes gentes, quòd vẽturus essem Silo, hoc est, populorum saluator, quòd positurus esses verba tua in ore meo, vt qui nõ obediret, tu vindicares, quòd tu esses mihi in patrem, & ego tibi in filiũ, quomodo igitur in præsentia nõ videres, quid mihi accideret? & quanta contumelia turpificarer? Quæso ergo te DOMINE Deus pater meus, vt non taceas, nõ obmutescas, non conniueas, non cuncteris, non longius à me ope tua discedas, non me deseras in tãtis periculis, sed expergiscaris, & euigiles, ac præsenti tuo auxilio testificeris, quòd susceperis causam meã, quam habeo aduersus hostes meos, dijudicandam & tuendam. Non peto, vt sententiam pro meo ipsius arbitratu, sed pro TVA iustitia feras: nec cõmittas, vt gratulentur sibi contra me de felici suo successu, & glorientur se prostrauisse me, & radicitus extirpasse: sed re ipsa declares, gaudium & iactantiam eorum esse extremam vanitatem. Quod aũt petijt Christus, hoc etiã à Deo patre suo impetrauit. Etsi enim crucifixus est & mortuus, vt aduersarij eius viderentur victoriam reportare, tamen in tantum nõ perijt in morte, vt tertia die resurgeret, & in summam maiestatẽ extolleretur, ac cõsequeretur nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flecteret: cum econtrà aduersarij eius in extremam internitionem cõijcerentur. Nec sibi tantùm victoriam cõsecutus est, sed etiã nobis, vt quotquot in ipsum credimus, in ipso quoque, quicquid accedisset, conseruaremur: In mundo, inquit, afflictionẽ habetis; sed bono animo sitis, EGO VICI MVNDVM. *Gen.3.* *Gen.22.*

26. *Pudefiant & erubescent simul, qui voluptatem capiunt ex afflictione mea, induentur erubescentia & ignominia quotquot erigunt se aduersus me.*

27. *Exultabunt autem & lætabuntur, quibuscunq; placet iustitia mea, & dicent semper: Magnificetur DOMINVS cui placet, vt pacem habeat seruus suus.*

Post precationem commemorat cœlestem sententiã quam Deus contra impios hostes Christi, & pro piis credentibus in Christũ, tulit. Quid multis, inquit, opus est? quotquot voluptatem capiunt ex malis & aduersis meis, pudefient vel tandẽ, & vnà omnes perpetuò erubescent. Nam, quemadmodũ homo quispiam in magno frigore, vestimentis ita inuoluitur, vt nulla ferè corporis pars nuda appareat, ita impij & hostes Christi, erubescentia & ignominia in tantum obruentur, & quasi induentur & inuoluentur, vt nihil prꝛterea sani in ipsis cõspiciatur. Contrà verò pij, quibus mea (inquit Christus) iustitia placet, & qui mea iustitia delectantur, (hoc est) qui credunt se coram Deo non suis ipsorum meritis, sed mea solius iustitia iustificari, consequentur æternum gaudium & lætitiam, ac laudabunt DOMINVM Deum perpetuò, quòd visum sit ipsi conferre in Christum seruum suum pacem, hoc est, omnem salutem & benedictionem, qua etiam pij ad omnem æternitatem fruentur. Cæterùm, quod Christus nondum incarnatus verbis huius Psalmi dicit, hoc postea incarnatus, & in cœlum ascensurus suis verbis ad Apostolos ait: Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptisatus fuerit, seruabitur, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Credere

Credere enim Euangelio Christi nihil aliud est, quam agnoscere iustitiam Christi, & delectationem in ea habere, vt propter eam consequamur condonationem peccatorum, & habeamus æternam lætitiam & exultationem. Non credere aũt Euangelio Christi, est Christo insultare, arguere cum mendacij, & si quid aduersi ei acciderit, summam voluptatem capere. Continet etiam hic 27. versiculus conciunculam de iustitia fidei in Christum, quam Paulus scribens ad Romanos cap. 1. 2. 3. & 4. copiose explicat. Cum enim placeat, seu visum sit Deo patri, vt Christus seruus eius (hoc enim cognomen tribuit Christo etiam Esaias, quòd exinaniuerit sese, forma serui assumpta,) habeat pacẽ (hoc est) plenitudinem iustitiæ, salutis, & omnium bonorum, dubium non est, quin perfundat etiam iustitia & salute omnes eos, qui credunt in ipsum, vt iustificentur coram eo ex fide, & consequantur cœlestem salutem: De plenitudine eius, inquit Ioannes, nos omnes accepimus, gratiã pro gratia. *Esa. 43.*

28. *Lingua mea prædicabit iustitiam tuam, & laudem tuam omnibus diebus.*

Non solùm credentes in me laudabunt & magnificabunt DOMINVM, propter beneficia, quę in ipsos per me cõfert, verùmetiam ego ipse declarabo me gratum. Lingua enim mea prædicabit & vulgabit iustitiam, probitatem, bonitatem, beneuolentiam, clementiam & misericordiam tuam, DOMINE Deus pater meus, & laudabit nomen tuum omnibus diebus, quòd recipias omnes credentes in me in gratiam propter me, & condones eis peccata sua gratis, sine vllo ipsorum meritò,

ac adoptes eos in filios, & hæredes omnium cœlestiu
bonorum. Habes iterum vaticinium de diuulgatio
Euangelij Christi in vniuersum orbem terrarum, qu
diuulgatione prædicatur iustitia, probitas, & beneu
lentia Dei erga credentes in Christum, & laudatur n
mẽ Dei omnibus diebus vsq; ad consummationẽ secu

VSVS HVIVS PSALMI.

Ostendimus literam huius Psalmi non de Dauid
sed de DOMINI nostri Iesu Christi passione cõcionar
Et tamen ea est inter Christum & inter omnes qui
Christum credunt cognatio, vt hęc concio non tantu
in Christum, verùmetiam tàm in Dauidem, quàm in p
os quosuis, qui sunt membra Christi, suo gradu comp
tat. Primùm enim quæ passiones seu afflictiones
Christum venturæ, iam inde ab orbis conditione, cu
ad serpentem dicebatur: Tu insidiaberis calcaneo eiu
prædictæ fuerunt, hæ etiam ad credentes in Christu
Rom.8. pertinent: Quos, præcognouit, inquit Paulus, hos et
prædestinauit, vt conformes fierent imaginis filij su
vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et Petru
1.Pet.2. Si benefacientes suffertis, hæc est gratia apud Deum
hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est p
nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamini vest
gia eius. Quare sentiamus eas passiones, quę de Christ
Ecclesiæ suæ capite, prædicãtur, pertinere etiã ad mem
bra corporis sui, (hoc est) ad credẽtes in ipsum. Pertin
re autem non fructu tantùm expiationis peccatorũ, se
exemplo quoq;, vt quemadmodum ipse varijs ærumni
afflictus est, ita & nos in hoc seculo affligamur. Deind

pass.o.

passiones Christi pertinent etiam hac in parte ad Ecclesiam eius, quòd quem euentum habuerunt in Christo, eundem etiam habituræ sunt in omnibus credentibus in Christum. Manifestum autem est, quòd euentus passionis & mortis Christi, nõ fuerit interitus, sed resurrectio à morte, & exaltatio eius in summam sublimitatẽ. Quare eundem euentum habituræ sunt, pro sua conditione, omnes piorum afflictiones: Cohæredes (inquit Paulus) sumus Christi, si tamen cum eo patimur, vt & conglorificemur. Et aliâs: Si commortui sumus & conviuemus: si sufferimus & conregnabimus. *Rom. 8.* *2. Timo. 2.*

Psalmus 36.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, &c.

HIc Psalmus diuiditur in tres partes. In prima continetur descriptio ingenij impiorum Hypocritarum, siue Ecclesiasticorum siue politicorum. In secunda continetur descriptio immensæ bonitatis & gratuitæ clementię Dei. Tertia est precatio.

Etsi autem Dauid nullum hominem in prima huius Psalmi parte, nominatim perstringit, tamen verisimile est eum proposuisse sibi ob oculos, Saulem regem Israëlis, qui fuit impius & insignis Hypocrita, & sumpsisse ab ipso ἐκτύπωσιν & imaginem, ad describendum impij Hypocritæ ingenium. Videbatur enim Saul, initio sui imperij,

perij, magna non ſolùm fortitudine, verùmetiam pi
1. Reg. 13. tate præditus. Inituruſ prælium cum Amalecitis, ſacri
ficat Deo ſingulari ſtudio, vt de felicem belli euentu
1. Reg. 15. Victoria tàm humaniter & pie vtitur, vt non vic
tantùm Regi, verùmetiam optimis gregibus parc
idq; non in priuatam ſuam vtilitatem, ſed in cultu
Dei, vt ex iſs gregibus publica fierent ſacrificia in h
norem Dei, & vt gratiæ Deo pro beneficio victo
agerentur.

1. Reg. 14. In perſequendis Philiſtinis tanta cura continet e
ercitum ſuum in ſobrietate & ieiunio, vt etiamnum p
nomen Dei iuret, ne quis quocunq; cibo veſcatur, d
nec victoria abſoluatur. Et cum caſu quodam Ionath
filius eius paululum tantùm mellis guſtaret, ea eſt ſeu
ritate in ſeruando ſuo iuramento, vt maluerit dilect
ſimum ſuum filium, futurum imperij ſui (vt ipſe quide
ſperabat) ſucceſſorem morte condemnare, quam nom
Dei violare. Quanta hæc eſt pietatis ſpecies? Sed lat
interim in receſſu cordis ſumma impietas & contem
ptus Dei. Hoc exemplum, & id genus alia ponit ſib
Dauid ob oculos, & adumbrat ex his ingenium impi
rum Hypocritarum, vt doceat non eſſe de hominu
pietate, iuxta externam ſpeciem iudicandum, nec pr
miſsis eorum fidendum, ſed operam ſummam dandu
vt verè in DOMINO renaſcamur, & ſolis DOMI
Dei noſtri promiſsis fidamus.

1. *Dixit ſcelus impij, in medio cordis mei: Non eſt timor D
coram oculis eius.*

Propoſitio primæ partis huius Pſalmi, qua propoſ
tion

tione Dauid exponit de impijs Hypocritis non esse iudicandum, iuxta externam pietatis eorum speciem, sed iuxta omnia reliqua ipsorum dicta & facta: vt si conferis opera eorum cum specie, qua alios longè antecellunt, inuenies eos tantũ abesse à vero timore Dei, quantum distat cœlum à terra: Ego ipse, inquit, cum externa sacrificia Saulis & aliorum Hypocritarum intuerer, & in specie eorum hærerem, non potui aliter arbitrari, quàm ipsos esse verè pios, ac Deum ex animo colere, & quicquid verbis pollicerentur, reipsa inuiolatè præstare: sed cum diligentius expenderem alia eorum tùm dicta tùm facta, non potui mihi imperare, quin pronunciarem eos esse impios. Ipsa eorum scelera, tecta quidem hypocrisi, sed quæ presius intuenti facilè in oculos incurrebant: dicunt in corde meo certissimum testimonium, quòd non verè timeant & colant Deum. Non est opus, vt alij homines testificentur mihi de impietate Hypocritæ, siue Saulis, siue aliorum, sed ipsum eius scelus, ipsa crudelitas, sufficiens fert in corde meo testimoniũ, quòd nullus sit in animo eius verus timor Dei, nullus verus cultus Dei, nulla vera fides in Deum, & nulla vera charitas in proximum. Quid autem profuerit, honestissimam habere pietatis speciem, & interim gestare animum omni vera fide & charitate vacuum?

Cæterùm, quos impios Hypocritas Psalmus dicit à sceleratis suis operibus prodi & conuinci, hos postea Christus affirmat cognosci à fructibus: Cauete, inquiẽs, à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A FRVCTIBVS eorum cognoscetis eos. Et iterum: Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ, quia similes estis sepulcris *Matth.7.* *Matt.23.*

cris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpeciò
intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſp
citia, Sic & vos, foris quidem apparetis hominibus i
ſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. E
2. *Timo.* 3. Paulus: Habentes, inquit, ſpeciem pietatis, virtutem a
Ad Tit. cap. 1. tem eius abnegantes. Ac rurſus: Confitentur ſe nos
Deum, factis autem negant. Ponamus hominem mag
grauitate aſſeuerantem, ſe credere futuram mortuor
reſurrectionem, & ad hanc teſtificandã ornare mon
mentũ maiorũ ſuorum, interim autem ducere vitam
ebrietate, impoſturis, ſcortatione, & alijs ſceleribus t
piſsimam. Quid dicemus? Hic certè, quod verbis p
fitetur, factis ita negat, vt omnes pij in animis ſuis c
tò ſtatuere poſsint, non eſſe verum timorem Dei, n
eſſe veram fidem de reſurrectione ante oculos eius. H
prorſus illud eſt, quod Pſalmus dicit, ſe ex impio
Hypocritarum ſceleribus, certum in corde ſuo teſtim
nium colligere, quòd non ſint veri & ſynceri cultor
Dei.

2. *Quoniam blanditur ſibi in oculis ſuis, ſtudet inuenire inq*
quitatem eius, (videlicet hominis pij) ac reddere eum
dioſum.

3. *Verba oris eius ſunt iniquitas & dolus, renuit doceri, ut*
faciat.

4. *Meditatur iniquitatem in cubili ſuo, inſiſtit in via mal*
bona, & malitiam non auerſatur.

Propoſitioni addit rationes, quibus exponit ſcele
Hypocritæ, quæ de impietate eius teſtimonium ferun
Primùm enim Hypocrita blanditur ſibi ipſe in om

bus ſuis operibus, quicquid agendum ſuſceperit, iactat ſe in gloriam nominis Dei agere, etiamſi manifeſtè cum verbo Dei pugnauerit. Vide mihi Saulem. Hic pugnaturus cum Amalecitis offert Deo holocauſta, ante aduentum Samuelis. Etſi autem hoc ſacrificium manifeſtè pugnabat cum verbo Dei, quippe quòd Deus expreſſo mandato iuſſerat eum non prius ſacrificare, quam Samuel aduenirет, tamen defendebat factum, & blandiebatur ſibi, quòd ſacrificauerit, non in contemptum, ſed in honorem Dei, vt cõtineret populum in exercitu congregatum, & victoriam conſequeretur. 1. Reg. 13.

In trucidando ſummo Pontifice & alijs ſacerdotibus, & in deuaſtanda vrbe eorum, ac occidendis omnibus ciuibus, vnà cum liberis & vxoribus ipſorũ, deſignauit Saul extremam crudelitatem, ac tyrannicam immanitatem: & tamen applaudebat ſibi, quòd feciſſet hoc optimo iure, quippe cui gladius ideo diuinitus ſit datus, vt ſeditioſos è medio tolleret, & publicam tranquillitatem conſeruaret, ac exemplum ſtatueret, ne quis poſtea pacem Reipub. perturbandam temerario auſu ſuſciperet. 1. Samue. 22.

Vide mihi etiam Pontifices & Phariſæos Iudæorum. Hi etſi exercent lanienam manifeſtè iniquam, in interficiendis innocentibus Apoſtolis, tamen gloriantur ſe, eo ipſo præſtare cultum Deo gratiſsimũ. Habes vnum genus ſceleris, ex quo facilè iudicari poteſt, quòd Hypocrita, etiamſi multa ſacra, eaq; ſpecioſiſsima fecerit, non tamen ſit verus timor Dei ante oculos eius, ideoq; promiſsis eius nihil ſit fidendum. Deinde, impius Hypocrita non ſolùm blanditur ſibi in ſuis malefactis, verùmetiam calumniatur, reprehendit & damnat aliorũ benefacta: Studet (inquit) inuenire iniquitatem eius, Ioan. 16.

(videlicet pij hominis) & reddere eum odiosum. Scrutatur enim summo studio omnia dicta & facta pij, vt inueniat seu deprehendat in ijs iniquitatem. Calumniatur, & in pessimam partem interpretatur, etiam rectissimè dicta, & optimè facta eius, vt ipsum omnibus odiosum & inuisum reddat. Habes & hoc ingenium in Saule. Cum enim Dauid diuertisset in fuga sua ad sacerdotem Ahimelech, & accepisset gladium Goliathis, etsi 1. Reg. 21. cerat id animo simplicissimo, & necessitate quadã compulsus, tamen Saul, ex proditione Doëg ita interpretatur, perinde ac si Dauid & Ahimelech contra se conspirassent, & seditionem in regno Israëlis molirentur. Habes idem ingenium in Pontificibus & Phariseis Iudæorum, contra Christum. Dixerat Christus, reddendum esse Cæsari, quod est Cæsaris, & Deo, quod est Dei: hoc Pontifices ita interpretantur, quasi qui vetuisset Cæsari dare tributum. Eiecerat dæmonia e dæmoniacis, hoc sic calumniantur, quòd eiiceret dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum: idq; eo faciunt consilio, vt male dant eum inuisum apud omnem populum. Testatur hoc ingenium, quòd non sit verus Dei timor ante oculos Hypocritarum, nec sit de ipsis, iuxta dicta vel facta eorum iudicandum.

Adhæc, verba oris eius sunt iniquitas seu vanitas & dolus. Est & illud impij Hypocritæ ingenium, quòd quæcunq; seu docuerit, seu promiserit, vana sint & dolosa. Non est fidendum doctrinæ eius, quia etsi iactet verbum Dei, tamen deprauat sua falsa sententia aut interpretatione, & quanquam magnifica promiserit, tamen data occasione fallit. Hîc mihi iterum intuere Saulem. Promittit Dauidi, se daturum ei in vxorem filiam

suam

ſuam Merob natu maiorem: Tantummodò, inquiens, eſto vir fortis, & præliare prælia DOMINI. Sed hæc verba oris eius, erant vanitas & dolus. Cogitabat enim de Dauide: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper ipſum, manus Philiſtinorum. Et Merob filia Saulis, data eſt, eluſo Dauide, alteri in vxorem. Et quanquam paulò pòſt promittitur ei Michol, quæ & ipſa erat Saulis filia, in vxorem, tamen & hoc erat doloſum. Cogitabat enim iterum Saul, ſe hac occaſione traditurum Dauidem in manus hoſtium vt opprimeretur. Audiamus & alia verba Saulis. Intercedit Ionathas pro Dauide apud patrem ſuum Saulem, qui meditabatur Dauidem è medio tollere, & occidere: Ne pecces, inquiens, Rex, in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius valde tibi ſunt vtilia. Saul igitur placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit, inquiens, DOMINVS, quia non occidetur, ſed hæc verba eius erant vaniſsima: paulò enim pòſt, non tantùm ipſe nititur Dauidem cõfigere lancea in pariete, verùmetiam cum Dauid è manibus eius elaberetur, mittit ſatellites, qui ipſum ad mortem raperẽt. Expende etiam mihi, quàm multis laudibus ornet Saul Dauidem, cum cognoſceret ſe à Dauide illæſum & incolumem è manibus ipſius dimiſſum, vocat eum filium: Nunquid hæc, inquiens, vox tua eſt fili mi? Leuauit quoq; vocem ſuam & fleuit: Iuſtior, inquiens, tu es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Sed hæc omnia verba Saulis, erant vanitate pleniſsima. Non enim longè pòſt, iterum inſidiatur vitæ eius. Et obſerua, quæſo, Hypocritæ vanitatem. Etſi enim iam ſecundò in manus Dauidis ita tradiatur, vt potuiſſet impunè occîdi, tamen Dauid parcit vi-

1. Reg. 18.

1. Reg. 19.

1. Reg. 24.

1. Reg. 26.

tæ eius. Quod cum comperisset Saul, virtute Dauidis ita delectatus est, vt palàm promiserit ei securitatem & reditum: Peccaui, inquiens, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim tibi vltrà malefaciam: sed hæc omnia erant ficta & falsa, & quod Psalmus ait, verba oris eius erant iniquitas & dolus. Quis igitur piè prudens iudicare potuisset, verum esse in tanta iniquitate & vanitate timorem Dei?

Accedit huc & illud impij Hypocritæ scelus, quòd renuat doceri vt benefaciat, repugnat enim pertinaciter omnibus benè monentibus, & vocantibus vel ad resipiscentiam ab impietate, vel ad meliorem vitæ frugem: Quoties, obsecro, Saul admonitus est à Ionatha, filio ipsius, ne tàm crudeliter sæuiat in innocentem Dauidem? sed ille non solùm surda aure transijt, verùmetiam lancea sua in admonitorem ipsum grassatus est. Quod exemplum extat in Rege Saule erga Dauidem, hoc etiam extat in Rege Zidekia, & vniuerso Hypocritico populo Israëlis erga Prophetas. Sic enim dicit scriptura in posteriori libro Chronicorum, cap. 36. Zidekias fecit malum in oculis DOMINI Dei sui: nec erubuit faciem Hieremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore DOMINI. A Rege quoq; Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deum: & indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad DOMINVM Deum Israël: sed & vniuersi principes Sacerdotum & populus præuaricati sunt iniquè. Et mox: Mittebat autem DOMINVS Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidiè commonens, eò quòd parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermo-

1. Reg. 19.
1. Reg. 20.

mones eius, illudebantq; Prophetis, &c. hoc illud est, quod Psalmus de Hypocrita ait: Renuit doceri, vt bene agat. Ad hunc Hypocritarum catalogum referri etiam debent, quos Christus apud Matthæū alloquitur: Hierusalem, Hierusalē, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quēadmodū gallina cōgregat pullos suos sub alas, ET NOLVISTI. Ecce igitur relinquetur vobis domus vestra deserta. Nec mirum, qui enim renuunt doceri, vt resipiscāt, quomodo ibi verus timor Dei esse posset? Vbi autem non est verus Dei timor, quomodo aut regnum, aut familia, aut domus non collaberetur? *Matth. 23.*

Iam & illud est ingeniū Hypocritæ, quòd non solùm auersetur piū doctorem & monitorem, sed etiā iniquitatem cumulet iniquitati: Meditatur, inquit Psalmus, iniquitatem in cubili suo: ne noctu quidem conquiescit in strato suo, quin excogitet aliam atq; aliam impietatem, quam si inuenerit, tanta obstinatione, ea via, minimè bona insistit, vt nullis consilijs, nullis admonitionibus, nullis rationibus à proposito malitiæ suæ auerti queat. Frons enim meretricis, iuxta Prophetā, facta est ei, erubescere nescit. Quod genus hominū etiam Paul. ἀπηλγηκότας, hoc est, qui dolere desierunt, vocat. Qui autem hoc sunt ingenio, quis non argueret, eos omni vero Dei timore destitutos esse, etiamsi specie omniū aliarū virtutum ornati viderentur? Habes ἀκόνα & imaginem impij Hypocritæ, quā Spiritus sanctus idcirco nobis intuendam proponit, vt cognoscamus & discamus ex cognitione eius, tàm fictos amicos in politia, quàm Pseudoprophetas in Ecclesia, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, cauere. *Ephes. 4.*

5. DOMI-

5. *DOMINE, ad cœlos vsq; pertingit beneficentia tua, & veritas tua vsq; ad nubes.*
6. *Iustitia tua, sicut montes Dei: iudicia tua, abyssus magna. Hominem & iumentum conseruas DOMINE.*
7. *Quàm præciosa est beneficentia tua Deus, vt filij Adam vmbra alarum tuarum confidant.*
8. *Et inebrientur ex abundanti copia domus tuæ, & torrente delitiarum tuarum potes eos.*
9. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videmus lumen.*

Hæc est secunda pars huius Psalmi. Postquàm enim in prima parte descripsit imaginem impij Hypocritę, vt doceret, neq; iuxta externam honestatis eius speciem de ipso iudicandum, neque verbis aut promissionibus eius, quamuis prolixis, confidendum quæret quispiam cui igitur confidendum, & in quo fiducia nostra collocanda? Respondet in hac secunda parte, non esse confidendum humanis Hypocritarum promissis, sed tantùm diuino verbo, & cœlestibus oraculis. Nec esse fiduciam collocandam in meritis nostrorum operum, quæ Hypocritæ & Pseudoprophetæ in immensum extollunt, sed tantùm in gratuita Dei bonitate & clementia, cuius plenum est cœlum, terra, & abyssus. DOMINE inquit, beneficentia tua tàm latè patet, quàm cœlum ipsum. Quacunq; parte cœlum intuemur, deprehendimus manifesta vestigia & testimonia tuæ gratuitæ bonitatis & clementiæ. In prœteritis ætatibus, inquit Paulus, sinebat Deus omnes gentes ingredi vijs suis, quamquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempor

Actor. 14.

tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

Deinde: Veritas tua, inquit, vsq; ad nubes. Vbicunque videntur nubes, (hoc est) in toto orbe terrarum, extat constantia, & certitudo tuarum promissionum. Deus promisit quondam Abrahæ multiplicationem posteritatis suæ, admirabilem liberationem ex Ægypto, & possessionem terræ Canaan. Hanc veritatem tàm constanter seruauit & impleuit, vt de ea in toto orbe prædicetur. Deus promisit se è posteritate Abrahæ & Dauidis missurum Christum filium suum, redemptorem humani generis. Hæc promissio tanta est veritate & certitudine, vt citius cœlum & terra interirent, quàm vt vana, mendax & falsa fieret. Quod & ipsum suo tempore in toto orbe terrarum, sub omni cœlo & nubibus diuulgabitur.

Præterea: Iustitia tua, inquit, sicut montes Dei. Montes Dei dicuntur, iuxta Hebræam phrasin, maximi, altissimi, & firmissimi montes, qui videntur ita fundati & stabiliti esse, vt dum terra steterit, non moueantur, nec alio transferantur, quorum etiam cacumina videntur ad cœlum vsque pertingere. Iustitia autem Dei hoc loco vocatur illa iustitia, de qua Paulus ad Romanos scribens: Iustitia (inquit) Dei, per Euangelion patefit ex fide in fidem. Hæc iustitia est gratuita Dei clementia, qua iuxta Euangelion suum, condonat gratis remissionem peccatorum omnibus, qui credunt in Christum DOMINVM nostrum. Hæc iustitia, hæc clementia, hæc probitas Dei, tàm certa, tàm firma, tàm stabilis est, vt sicut superat certitudine & stabilitate sua maximos & firmissimos quosque montes, ita adnunciabitur per Euan-

gelion in toto orbe terrarum. Et quemadmodum altissimi montes extollunt vertices suos vsq; ad cœlum, ita quicunque hanc iustitiam per fidem accipiunt, exaltantur vsque in cœleste regnum. Vnde & DOMINVS per Esaiam postea dicit: Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miserator tuus DOMINVS. Dicit & Christus: Ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Hoc verè est, iustitiam Dei esse, instar excelsissimorum montium, quibus in altitudinem cœlorum conscenditur.

Esa. 45.

Ioan. 12.

Adhæc: Iudicia tua (inquit) abyssus magna. Sicut enim iustitia Dei est gratuita eius clementia & bonitas, qua sanctissimè seruat suas promissiones, ac iustificat, (hoc est) condonat omnem iniustitiam ijs, qui credunt in Christum filiũ suum, ita iudicia Dei sunt, quibus tuentur credentes in Christum, oppressis & cõiectis in profundum inferni omnibus impijs hostibus & aduersarijs eorum. Qui custodit (inquit alius Psalmus) veritatem in seculũ, facit iudicium iniuriam patientibus. Nam quemadmodũ abyssus humano captu imperscrutabilis est, & qui in eã conijciuntur, descendunt in perpetuũ interitũ, ita iudicia DOMINI, quibus impij piorũ hostes cõdemnantur, & pij ab ipsis liberantur, tanta in impios seueritate exercentur, vt nullus oculus viderit, nulla auris audiuerit, nullus humanus animus cogitare possit, quàm horrenda supplicia impios maneant. Et qui in hanc abyssum deijciuntur, in tantam profunditatem cadunt, vt nulla spes eis relicta sit redeundi ad superos.

Psal. 146.

Ac breuiter, tanta est beneficentia Dei gratuita, vt non solùm homines conseruet, verumetiam iumenta.

Hoc

Hoc illud est, quod in alijs Psalmis dicitur: Oculi omnium in te sperant DOMINE, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manũ tuã, & imples omne animal benedictione. *Psal. 145.* Ac iterum: Qui parat terræ pluuiam, qui germinare facit in montibus herbam, qui dat iumento escam suam, & filijs coruorum, qui clamant. *Psal. 147.* Vides ergo hîc sermonem fieri, non de æterna salute, qua soli homines in Christum credentes seruantur, sed de mundana & corporali salute, qua tàm homines, quàm iumenta, per gratuitam clementiam Dei in hoc seculo, vsque ad definitum suum tempus, salua retinentur. Nam & boues, imò & passeres, quorum tamen duo vno asse veneunt, Deo curæ sunt. Etsi enim hæ bestiæ non sunt DOMINO Deo nostro eò curæ, vt conseruet eas ad perpetuam felicitatem, sicut homines pios, nec instituat propter eas regna & politeas, quò Paulus respicit, cum ad Corinthios scribens: Num boues, inquit, *1. Cor. 9.* Deo curæ sunt? tamen Deus tantam habet harum animantium rationem, vt ne vna quidem in terram, absque voluntate Dei cadat. Agnoscamus igitur magnitudinem gratuitæ Dei beneficentiæ, quòd non homines tantum, verùmetiam iumenta, pro ipsorum conditione, seruet.

Sed vt sciamus ingens esse discrimen, quod iam dicebamus, inter hominum & iumentorum salutem, addit Psalmus: Quam pretiosa est beneficentia tua Deus, vt filij Adam confidant tegmine seu vmbra alarum tuarũ? Etsi enim beneficentia Dei tàm latè patet, vt se etiam ad iumenta vsque extendat, tamen exrendit se multo pretiosius, illustrius, excellentius & efficatius ad homines. Hi enim, cum collocant in ea fiduciam suam, primùm

quidem commorantur ſecuri & tuti in omnibus adu
ſis, ſub vmbra & protectione alarum Dei. Nam, quem
admodum aquila prouocans ad volandum pullos ſuo
Deut.32. (vt Moſes dicit) volitat ſuper eos, & expandit alas ſu
as, vt ab aliarum auium inuaſione & dilaniatione d
fendantur: ita quotquot adhibent fidem gratuitæ D
beneficentiæ, quæ eſt in ſemine Abrahæ, hoc eſt,
Chriſto DOMINO noſtro promiſſa, hi tanta cura in
telam DOMINI ſuſcipiuntur, vt in omnibus afflictio
bus, in morte denique ipſa conſtent, & ſalui eluctentu
Deinde, qui beneficentia Dei confidunt, inebriantur
abundanti copia domus Dei, & potantur torrente d
litiarum eius. Tanta enim eſt abundantia beneficio
in domo Dei, vt merito copiæ cornu dicatur, & inebr
et omnes, qui ex ea bibunt. Tantus quoque eſt torre
felicitatis eius, vt ad potum omnibus, qui ſitiunt, &
quas ex eo hauriunt, abunde ſufficiat. Quoniam, inqui
apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo, videbimus lum
Eſa.55. Hoc illud eſt, quod Eſaias dicit: Omnes ſitientes venit
te ad aquas, & qui non habetis argentum, properate,
mite, & comedite, venite, emite abſque argento, & abſ
Ioan.14. vlla commutatione lac & vinum. Et Chriſtus: Qui
quis, inquit, biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non
tiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in
fons aquæ ſalientis in vitam æternam. In his enim v
bus verſiculis ponit Pſalmus diſcrimen inter benefic
tiam, quam Deus confert in iumenta, & quam conf
in homines. Seruat quidem Deus iumenta corpo
ſalute, & confert in ea beneficia quædam terrena: inh
mines autem confidentes gratuita eius bonitate, conſe
tam corporalia, quàm ſpiritualia, tam terrena, quam c
Ieſ

lestia, tàm eaduca, quàm æterna beneficia: defendit eos in omnibus periculis, ſicut aquila defendit pullos alis ſuis: inebriat eos è cornu copiæ domus ſuæ, & potat eos torrente delitiarum ſuarum, quia confert in ipſos cœleſtia bona, & cumulat in eos perpetuam felicitatem. Nec mirum, quia apud DOMINVM eſt fons vitæ. Hic fons eſt Chriſtus DOMINVS noſter, quem Deus pater miſit in hanc terram, vt ſit autor vitæ & ſalutis omnium, qui in ipſum credunt. Et additur: In lumine tuo videbimus lumen. Eſt & illud lumen Chriſtus, de quo Ioannes dicit: In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Ac mox: Erat lux illa, lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Chriſtus ipſe: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Hoc autem lumen, de quo in Pſalmo dicitur: Videbimus lumen, eſt iuſtitia, pax conſcientiæ, & æterna vita ac felicitas. Cum ergo ait: In lumine tuo videbimus lumen, ſignificat, quòd in Chriſto, per fidem in ipſum, qui eſt vera lux, conſequamur iuſtitiam coram Deo, quæ eſt remiſsio iniuſtitiæ, pacem conſcientiæ, & cœleſtem ac æternam felicitatem. Quid igitur homine gratuita Dei beneficentia, in Chriſto nobis promiſſa & exhibita, confidente, felicius? Hæc omnia, quæ in his ſex verſiculis, quos paulò antè recitauimus, continentur, eò reſpiciunt, vt ſint antitheſis ad Hypocritarum promiſſa, & doceant, non horum promiſsis, ſed tantùm gratuita Dei bonitate in Chriſto promiſſa confidendum. Ab initio enim Pſalmi deſcriptum eſt ingenium impiorum Hypocritarum, quòd blandiantur ſibi in ſua impietate, & verba oris ipſorum ſint vanitas & dolus. Promittunt quidem

Fons vitæ.

Ioan. 1.

salutem prolixis verbis, sed promissiones eorum sunt vanissimæ & mendacissimæ, non est igitur vlla fiducia in ipsis collocanda. Qua ergo re confidemus? Nulla alia, præterquam gratuita Dei bonitate, quæ cum declarauerit sese tàm in cœlo, quàm in terra & abysso, maximè omnium illustratur in filio Dei vnigenito, DOMINO nostro Iesu Christo, qui solus est fons vitæ & lumen mundi.

10. *Expande beneficentiam tuam ijs, qui te agnoscunt, & iustitiam tuam rectis corde.*
11. *Ne inuadat me pes superbiæ, & manus impiorum non perturbet me.*
12. *In ipso conatu concidant operarij iniquitatis, euertantur, nec possint constare.*

Tertia & postrema pars huius Psalmi, quæ continet precationem. Postquam enim commemorauit & commendauit gratuitam Dei beneficentiam, vertit se precibus suis ad Deum, & orat, vt tàm ipse, quàm omnes, qui agnoscunt Deum vera fide, participes eius fiant. Extende, quęso, seu expande beneficentiam tuam quam hactenus descripsi, super omnes te agnoscentes, & in te credentes: sed & iustitiam tuam seu veritatem, seruantem promissionis Dei, qua certò condonas peccata gratis propter Christum, expandas, quæso, super rectos corde, hoc est, renatos ex fide, qui soli habent cor rectum & purum, quippe quod sit fide purificatum. Atq; hæc quidem precatio generalis est, pro omnibus piis. Quod autem peculiariter ad hũc precatorem pertinet, obsecro (inquit) ne inuadat me pes superbiæ, (hoc est)

pes,

pes, ſeu inſtitutum ſuperborum & arrogantium Hypocritarum, qui præ ſe quoſuis contemnunt & faſtidiunt, non conculcet, non opprimat me, nec manus impiorum impellat me, vt cadam & peream. Quod verò ad hoſtes piorum & operarios iniquitatis attinet, hi potius ibi, in ipſo videlicet conatu eorum ita proturbentur, vt conſtare non queant, ſed incidant in foueam, quam mihi effodiunt, & deijciantur (ſiquidem impœnitentes fuerint) in perpetuum exitium.

Cæterùm, quo conſilio Spiritus ſanctus inuehatur ſæpenumerò in Pſalmis grauiſsimè aduerſus impios piorum hoſtes, & deuoueat ipſos æternis maledictionibus, aliâs ſæpè ac multùm explicatum eſt, & ſuperuacaneum hoc loco repetere. Illud autem in præſentia obſeruandum, quòd etſi impij Hypocritæ, & crudeles perſecutores pię doctrinę diu fruuntur in hoc ſeculo omni genere corporalium beneficiorum, gloriæ, diuitiarum, potentiæ, ſanitatis, & id genus aliorum donorum, tamen quia extant in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, cœleſtia aduerſus ipſos iudicia, & Spiritus ſanctus interpellat pro pijs contra impios, in omnibus precibus Sanctorum, ſine vlla intermiſsione, aliquoties quidem obſcuris, aliquoties diſertis verbis, idcirco fieri non poteſt, quin impij, vel tandem è ſua felicitate, in æternam infelicitatem proturbentur & detrudantur. Quare non offendamur proſpero impiorum ſucceſſu, ſed quod Pſalmus proximè ſequens monet, ſperemus in DOMINVM, & faciamus, in ſectanda vocatione eius, bonum.

Vſus

VSVS HVIVS PSALMI.

Insigne est, primùm quidem, quòd Psalmus è fructibus impiorum Hypocritarum, ingenuè & confidenter pronunciat, non esse verum timorem Dei ante oculos eorum. Deinde, quòd beneficentiam Dei summis laudibus extollat, vt admoniti Hypocritarum impietate non seducamur specie pietatis eorum, sed caueamus nobis ab omni ipsorum doctrina & promissione, magnitudine autem gratuitæ beneficentiæ & bonitatis Dei excitemur, vt sola promissione eius confidamus, etiam si cœlum ruat, & terra dehiscat. Non enim habemus vllam causam, cur de clementia eius erga nos dubitemus. Si magnitudo & multitudo peccatorum nostrorum nos perturbat, & ad desperationem solicitat, Christus ei qui omnia nostra peccata in corpore suo super lignum
1. Pet. 2. (vt Petrus ait) pertulit, & expiauit. Si grauitas periculorũ nos perterrefacit, Christus omnia pericula, adeóq; mortem ipsam superauit. Bono igitur animo sitis,
Ioan. 16. (inquit Christus ipse) quia ego, EGO, in-
1. Ioan. 4. quam, vici mundum. Et Ioannes: Maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.

Psalmus

Psalmus 37.

Noli æmulari in malignantibus, &c.

NEc noua, nec insolens est querela hominum, quòd cum cœlestiũ corporum motus, quamuis varius, humana ratione inuestigari, & in suos Canones conferri potuerit, cursus humanarum rerum in his terris nullo nostro ingenio comprædendi queat. Cum enim multa alia, tùm præcipuè illud mirandum videtur, quòd non tantùm eadem aliquoties, pio & impio, iusto & iniusto, perfido & perfido, verùm etiã iniqua, & cum iustitiæ norma pugnãtia, ac pio quidem & iusto aduersa, impio autem & iniusto prospera accidere soleant. Dicit quispiam ex filijs huius seculi:

Respice & ad cultus animi, sic nempe pudicum
Perdidit Hyppolitum non felix cura pudoris,
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem iuuat: Aspice & ad pœnas, & crimina Regum,
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria punica bella,
Sed prohibet seruare fidem deleta Sagunthus.
Viue & amicitias semper cole, crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola docta sophorum,
Hoc metuens igitur nullas cole, crimen ob istud
Timon Palladijs olim lapidatus Athenis.

Sed & sacræ literæ de hac iniqua æqualitate conque- *Eccle. 9.*

T runtur:

runtur: Omnibus, inquiunt, eadem prorsus vsu venit iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, sacrificanti & non sacrificanti, sicut bonus, sic & peccator vt periurus, ita & ille qui abhorret à iuramento falso.

Homerus. Cicero lib. 3. de natu. Deorum.

Etsi autem prudentes huius seculi affirmant ex Rempub. non fore diuturnam, in qua fortis & ignauus eodem honore afficiuntur, & admirantur, quî fiat, qui Deus iustos & iniustos ἐν τὠυτῳ μοίρᾳ habeat, multò tanto magis etiam in sanctis ipsis hominibus mirandum videtur, vt dixi, quòd his felicia, illis autem infelicia contingant.

Zelaui, inquit Psalmus, super iniquos, pacem peccatorum videns.

Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur.

Et Hieremias: Quare via, inquit, impiorum prospe ratur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?

Quid enim iniquius, quid iniustius videtur, quàm quòd Iacob pius exulat, Esau aũt impius in patria dominatur? Ioseph pius & castus in squaloribus carceris sordet, mulier autem impia & adultera splendoribus aulæ fruitur? Ioannes Baptista capite plectitur, Herodes scortis genio indulget? Diues impius purpura & byssi vestitur, ac epulatur singulis diebus splendidè, Lazarus autem pius alget, esurit & sitit?

Quos rerum casus, cum homines suo ingenio intuentur, aut, num sit Deus, qui humanas res curet, dubitant, aut Deum esse, perfricta fronte negant.

Cum

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Et alius.

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Et mox.

Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes
Vexariq; pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causæq; viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo, quæ semina currere motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Quid autem pluribus opus? In tanta humanarum rerum varietate, non impij tantùm, verùmetiam pij suas habent cogitationes & tentationes. Et dixi, inquit ille, *Psal. 73.* Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Quod si quis in tàm grauibus tentationibus non probè munitus fuerit verbo DOMINI, & Spiritu eius, non aliud reliquum est, quàm vt ruat non solùm in contemptum Dei, verùmetiam in omnia genera scelerum: Quia non profertur, inquit Ecclesiastes, citò contra malos sententia, absque timore vllo perpetrant mala filij hominum. Et iterum: Hoc est pessimum inter omnia quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua.

Proponit igitur Spiritus ſanctus nobis Pſalmum, Noli æmulari in malignantibus, &c. quo hortatur nos ne offenſi felicitate impiorum deſeramus vocationem Dei, & officium noſtrum: ac conſolatur nos certiſſimis promiſsis, vt patienter feramus aduerſa, & recta impergamus in via mandatorum Dei. Fore enim, vt & impiorum felicitas euaneſcat, noſtra autem infelicitas permutetur æterna felicitate. Itaq; hic totus Pſalmus exhortatorius eſt & conſolatorius.

Etſi autem πάθος eius verſatur præcipuè in tractatione vulgaris illius offendiculi, quòd iuſtè ac piè negotiantibus in parando victu quotidiano accidere ſolet, cum vident impoſtores, defraudatores, & periuros habere proſperum negotiorum ſuorum ſucceſſum, & parare ſibi nugis ac impoſturis non ſolùm alimenta neceſſaria, ſed etiam magnam vim diuitiarum, ſe verò vocationem Dei diligenter ſectantes, & negotia ſua iuſtè ac piè adminiſtrantes, infelicem agere vitam, ac vix multo ſudore poſſe victum ad propulſandam famem parare: tamen generaliter medetur omnibus generibus offendiculorum, quę pios propter ipſorum infelicitatem, & impiorum felicitatem in his terris perturbant. Quare habendus eſt pro pharmacopolio, e quo petamus remedium aduerſus omnem animi ægritudinem, quæ in nobis ex noſtra afflictione, & aliena, eaq; impiorum felicitate excitatur.

Sed priuſquam ad Pſalmum ipſum explicatione noſtra accedamus, non eſt oſcitanter prętereundum, quòd libuit Spiritui ſancto verſiculos ſeu diſticha huius Pſalmi, non temerè, ſed iuxta ordinem literarum Alphabeti Hebraici componere ac recenſere, quemadmodum etiam

etiam fit in alijs quibuſdam Pſalmis, de quibus ſuprà Pſamo 25. quibus addendus erit Pſalmus 145. Exaltabo te Deus, &c. Viſum autem eſt Spiritui ſancto ſic aliquoties quaſi ludere, (quod & ſuprà oſtendimus) tùm vt memoriam eorum, qui hæc ediſcere cupiunt, adiuuaret, tùm vt ſuſceptum argumentum hac iucunditate, quaſi condiret & cõmendaret, tùm etiam, vt tali diſpoſitione conteſtaretur, ſe eſſe ordinis amatorem, & confuſionis oſorem. Sed nunc Pſalmum ipſum audiamus.

Non ſuccenſeas propter malignos, nec æmuleris, propter facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum viride gramen mareeſcent.

Pſalmus ſtatim in primo verſiculo aggreditur rem ipſam, de qua eſt tractaturus. In hoc enim ſeculo, homines maligni, verſuti, impoſtores, impij & iniqui, ſolent proſpera ſeu in negotiationibus, ſeu in reliquis ſuis actionibus fortuna vti, & vt Iob ait: Domus eorum ſecuræ ſunt, & paratæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concipit, & non abortit, vacca eorum parit, & non priuatur fœtu ſuo. Et alius Pſalmus: Promptuaria eorum plena, et eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſsibus ſuis. Sed cum alij, qui & pietatem ſummo ſtudio colunt, & iuſtitiam pro virili ſectantur, hanc impiorum & malignorum hominum felicitatem, ſuam verò infelicitatem vident, excitantur partim ad iracundiã aduerſus Deum, qui ad tantam iniquitatem conniueat, & res humanas negligat, partim ad deliberationem de abijcienda pietate, &

sectandis malis artibus, vt & ipsi prosperum habeam rerum suarum successum. Procedit igitur Spiritus sanctus in medium, & hortatur nos, vt hac impiorum & iniquorum hominum prosperitate nihil perturbemur nec ad æmulationem eorum prouocemur: Noli, inquiens, irasci propter malignorum felicitatem, neq; deliberes de imitando exemplo iniquorum, propter ipsorum prosperitatem.

Audio quidem, & video, inquies, quid non debeam facere: sed caro corruptior est, quàm vt queam tales cogitationes & deliberationes omnino excutere. Quaeso igitur te, vt doceas me rationem, qua hunc affectum, si non radicitus extirpare, at saltem resecare, & compescere possim, ne victoriam ex me reportet, & fructus suos proferat? Si Spiritu, inquit Paulus, facta corporis mortificaueritis, viuetis. Opus igitur est Spiritu sancto, vt cum exurgant in nobis cogitationes & consilia, quæ nos ad impietatem ac iniquitatem sollicitant, compescantur & corrigantur. Benè ergo in præsentia habet, Spiritus sanctus ipse, qui nos hortatur, ne exacerbemur felicitate impiorum, & ne imitemur exempla eorum, porrigit etiam nobis arma, quibus ad resistendum impietati, & ad mortificandam eam vtamur. Addit enim: Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & sicut virens herba marcescent. Hæc est gladius Spiritus, quo manu apprehenso, licebit omnem illam impiorum consiliorum vim propulsare. Cum enim felicitas malignorum hominum sollicitat te ad malitiam & iniquitatem, vicissim cogites, ac probè consideres, quòd ea felicitas etsi magna est, non tamen est diuturna, sed fluxa, caduca, & momentanea. Quod

cum

cum multis tàm dictis quàm exemplis cœleſtis doctri-
næ comprobetur, quemadmodum poſtea ſequitur, vo-
luit Deus hoc etiam in quibuſuis virentibus herbis ac
graminibus huius terræ pingere. Videas enim herbas
& gramina manè multò venuſtius & iucundius florere,
quàm Salomon vnquam in maieſtate ſua veſtitus & or-
natus fuit, & tamen ſi vel fœniſeca ea inciderit, vel pau-
lò vehementior ſolis ardor ea aduſſerit, mox ita dedi-
cunt, ac exareſcunt, vt veſperi in horreum ad iumento-
rum pabula reponantur. Quid? exiſtimas ne hoc teme-
rè ac fortuitò fieri? Deus certè, vt eſt omnipotens re-
rum omnium creator, ita etiam eſt ſapientiſsimus ea-
rum adminiſtrator. Ac proponit quidem aliàs nobis
florentes herbas & virentia gramina, vt teſtificetur ſu-
am erga nos liberalitatem, & curam, qua nos comple-
ctitur: Qui producit (inquit) in montibus fœnum, qui
dat iumentis eſcam ipſorum. Etſi Deus gramen agri,
quod hodie cum ſit, cras in clibanum mittitur, ſic veſtit,
an non multò magis vobis id faciet? Nunc autem pro-
ponit ea nobis, vt doceat, felicitate impiorum nihil ma-
gis eſſe caducum.

Itaque flores & gramina agri obijciuntur nobis ſpe-
ctanda, non ſolùm in hunc corporalem vſum, vt aſpe-
ctu delectemur, odore perfruamur, & ea vel ad iumen-
torum pabula reſecemus, vel ad morborum medicinam
aut decerpamus, aut eradicemus: ſed etiam vt concio-
nentur nobis tàm de clementia & cura Dei erga pios in
ipſorum infelicitate, quàm de ſeueritate Dei erga im-
pios, in ipſorum felicitate. Tu es diligens & ſtudioſus
aſſectator vocationis Dei, ac ſummoperè caues, ne cui
in emendis ac vendendis mercibus imponas, & tamen

vix

vix tibi reliquus est ater panis, quo famem depell
cum videas proximum tuum veteratorem nugiuend
& impostorem tàm prospera fortuna vti, vt diuiti
ei affluant. Quid igitur facias, aut quò te vertas? T
cœlestem doctrinam & veram religionem tanto studi
profiteris, vt ad hoc vnum te natum ac educatum ex
stimes: & tamen necesse habes exulare, pericula vi
adire, & omnibus rebus indigere, cum interea vide
impios cœlestis doctrinæ persecutores dominari, i
omni mundana felicitate frui. Quid igitur facias, a
quò te vertas? Huc ad me age, mi fili, Eamus vnà in
grum, En tibi hos flores, en hæc gramina. An pu
hæc iumentis tantùm in cibum corporis, & non pot
etiam tibi in cibum mentis enata esse? Hoc quide
quod vides nunc virere, & quasi tibi arridere, vespe
si accesseris, ita marcescet, vt ne aspectu quidem digna
iudices, videlicet hoc vult creatoris sui iussu dice
quòd impiorum felicitas, etiamsi nunc videatur fl
rentissima, tamen mox ita exarescat, vt ea nihil co
temptius habeatur. Cur igitur tu ad consequendam t
lem felicitatem, desereres vocationem Dei, & imita
ris impia & scelerata exempla? Stultitia enim, imò i
sania, imò furor est, confidere sese propter momen
neam felicitatem impietate partam, in æternum exi
um. Solet latroni morte condemnato lautum con
uium parari, à quo ad extremum supplicium abduc
tur. Quæ ergo furiæ exagitarent eum hominem, qua
uis famelicum, qui exemplo latronis suscipiat exerce
dum latrocinium, vt & ipse tàm lauto prandio pasce
tur? Sunt autem impij, quamuis in hoc seculo felici
mi, iam sententia ipsa cœlestis iudicis ad perpetuum i
teritu

teritum condemnati. Quare non est nobis committendum, vt hanc felicitatem eis inuidiamus, & exempla eorum imitemur, sed potius, vt eorum misereamur, & consideratione infelicissimæ eorum felicitatis, omnem impietatem detestemur, ac fugiamus. Hæc nobis sunt meditãda & expendenda, vt Spiritus sanctus habeat sua in nobis arma, quibus impios motus carnis nostræ compescat, & nos in officio diuinæ vocationis contineat. Sed pergamus in Psalmo nostro, vt quem fructum Psalmorum Paulus commendat, Spiritu subinde magis ac magis impleamur. *Ephes. 5.*

Spera in DOMINVM, & facito quod bonum est, inhabita terram, & quære victum honestè. 3
Tunc oblectaberis in DOMINO, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Audiuimus, quid in oblato felicitatis impiorum offendiculo, non faciendum sit: audiamus nunc quid in eo sit faciendum: Non succenseas, inquit, nõ æmuleris, non inuideas, nec imiteris exempla impiorum. Quid ergo faciam? Sequitur: SPERA in DOMINVM, & facito quod bonum est, &c. Recitat quatuor præcepta, quibus officium pij hominis describit.

SPERA IN DOMINVM. Non videtur Hypocritis & Epicureis nec abiectior aut contemptior cultus Dei, nec facilius opus, nec vanius institutum, quam sperare in Deum. Cum enim spes, quæ in animo habetur, non sit illustris in externis hominum oculis, existimant eam etiam coram Deo floccipendi: & quia putant se suo arbitrio posse spem vel concipere, vel abijcere, ac 1.

sentiunt se spe sua sæpè ac multùm frustrari, iudicant hoc & leuissimum & vanissimum esse, sed longè aliter se res habet. Etsi enim spes in Deum, non videtur hominibus magnificum opus, tamen coram Deo cultus est maximus & præstantissimus. Nam cum in primo præcepto Decalogi exigitur fiducia in solum verum Deum, exigitur etiam spes in Deum, vt quæ bona fiducia in Deo agnoscit, spes retineat & conseruet. Quo modo autem non esset coram Deo præcipuum, quod primo omnium præcepto ab eo exigitur? Ac nisi sperare in DOMINVM esset singularis cultus Dei, cur Propheticæ & Apostolicæ literæ toties nos sperare iuberent? vel in hoc ipso Psalmo quoties nobis spes & expectatio commendantur? Nec mirum quòd spes pro singulari cultu Dei habenda sit, tribuit enim Deo laudem veritatis, clementiæ, omnipotentiæ, & quicquid est id genus diuinarum virtutum. Quare de hoc cultu Dei non est iudicandum secundum sententiam humanæ carnis, sed secundum sententiam Spiritus sancti, qui spem in DOMINVM tantò pluris facit, quantò minus habet in conspectu hominum splendoris. Nam quòd nonnulli existimant nihil esse facilius quàm sperare in DOMINVM, credo eos, aut nulla vnquam graui tentatione afflictos, aut nunquam seriam spei in DOMINVM rationem habuisse. Spes enim non est earum rerum, quas præsentes videmus aut sentimus, sed est rerum inuisibilium, & nullo humano sensu comprehensibilium: Spes, si videatur, inquit Paulus, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Inuisibilia autem, & ratione humana incomprehensibilia sperat: non est opus carnis, sed Spiritus, nō est natura hominis

sed donum Dei. Vnde & aliâs Paulus Deum vocat Deum spei, & addit: Vt exuberetis in spe per potentiam Spiritus sancti, videlicet significans, solum Deum, per Spiritum sanctum suum esse spei donatorem. Quare nõ sentiamus nos tùm certò in Deum sperare, cùm tale quid in animo nostro, rebus omnibus feliciter succedentibus, cogitamus, sed necesse habemus DOMINVM Deum nostrum ex corde, imò ex fide inuocare, vt ipse nobis spem in omnibus aduersis donet, ac nos in ea Spiritu sancto suo conseruet.

Nec est, quòd tali spe pudefiamus, Vulgò quidem dicitur: Spem & expectationem facere multos stultos, hoc est, multos homines sua spe frustrari. Et alius quispiam in Comœdia dicit: Vidi ego multos Dijs fretos decipi. Hæc verè dicuntur de spe, quæ ex humana ratione aut promissione concipitur, sed Spes, quæ concipitur de Deo, ex certa verbi eius promissione non potest sperantem nec fallere, nec pudefacere. Etsi enim Hypocritæ quoq; & impij multa sibi de Deo pollicentur, & videntur in Deum sperare, tamen quia aut fingunt sibi ipsi promissiones Dei, aut veras Dei promissiones non rectè intelligunt, spes eorum pereat, necesse est. Sola spes, quæ ex certo verbo Dei, rectè iuxta sententiam Spiritus sancti intellecto, concipitur, non euanescit: Spes, inquit Paulus, non pudefacit, quòd dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, hoc est, Euangelion annunciat nobis, quòd Deus ita nos dilexerit, vt etiam vnigenitum suum filium pro nobis adhuc impijs dederit. Hoc Euangelion de dilectione Dei erga nos, sicut est cœleste oraculum, & certissimum verbum Dei, ita

Sperare & prælolari, faciunt multos homines mõrari.

Hoffen vnd harren/machen manchen narren.

etiam poſtquam ei fidem adhibuimus certificat & con firmat corda noſtra, per Spiritum ſanctum, quòd Deus in tantùm nos propter Chriſtum filium ſuum diligat, vt non fruſtra ſinat nos ſperare ſalutem, & liberationem in omnibus noſtris afflictionibus. Hæc enim ſpes non nititur humano ſomnio, ſed cœleſti Euangelio, & pendet non ex impotentis hominis, ſed ex omnipotentis Dei fauore, quem Deus tot certiſsimis argumentis erga nos conteſtatus eſt, vt qui de eo dubitat, Deum aut eſſe non credat, aut mendacij perfricta fronte arguat. Quare ſicut veritas verbi ſeu Euangelij Dei perpetua eſt, ita perpetuò ſeruat eum, qui ſpem ſuam in eo collocat: & quemadmodum Deus non eſt mutabilis, nec pœnitet eum fauoris ſui ſemel ſuſcepti, ita fieri non poteſt, vt qui ſibi ſpem in eo ponit, dimittatur inanis. Multos quidem videas abijci, quos Deus initio maximo fauore ſuo proſequi videbatur. Hoc autem non eò fit, quòd pœniteat Deum fauoris & vocationis ſuæ, ſed quòd illi fauorem Dei ſpe ſua agnoſcere non pergant, nec in vocatione Dei perſeuerent. Quotquot enim aut ſpem ſuam in DOMINVM non abijciunt, aut ſi abiecerint, ad eam reuertantur, etiamſi videantur aliquoties coram hominibus pudefieri, ſicut Chriſtus ipſe dum crucifigeretur, & Stephanus protomartyr eius dum lapidibus obrueretur, coram Pontificibus & Phariſæis pudefacti videbantur: tamen tantum abeſt, vt coram Deo pudefiant, vt potius ab ipſo cœleſtem & æternam gloriam conſequantur: Qui ſaluas, inquit alius *Pſalm. 31.* Pſalmus, ſperantes in te. Et alius: In te DOMINE ſperaui, non confundar in æternum. Et iterum: Beatus homo, qui ſperat in te. Ac rurſus: Quoniam in me ſperauit,

uit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Sed de felicitate eorum, qui vere ſperant in DOMINVM, Pſalmus noſter multa cõcionabitur. Quare pergemus nunc ad reliqua.

ET FACITO QVOD BONVM EST. Hoc generaliter complectitur obedientiam in omnibus præceptis Dei, ac præcipuè in iſs, quæ ſequuntur primum præceptum Decalogi. Nam de opere primi præcepti, quod eſt ſperare in DOMINVM, iam dictum eſt. Neceſſariò autem ſpei in Deum, additur obedientia in reliquis præceptis, in vocatione Dei. Non poteſt enim in Deum ſperare, & nomen eius inuocare, niſi qui ambulet in via mandatorum eius, aut ſi non ambulauit hactenus, in viam redeat. Eſt quiſpiam, exempli gratia, qui quærit victum rapinis, aut impoſturis, nec agit pœnitentiam, ſed cogitat tantiſper hoc vitæ genus conſectari, dum ingentem vim pecuniæ congregauerit. Hic etſi interea iactat ſe ſperare in DOMINVM, tamen vanus eſt, & ſuis ipſe cogitationibus decipitur. Cum enim nõ faciat quod bonum eſt, nec ambulet in vocatione Dei, non poteſt verè in Deum ſperare. 2.

Eſt, qui virulento odio in proximum fertur, & cogitat ei quauis occaſione malum facere. Quomodo is aliquid ſpei in Deum habere poſſet, cum habeat animum homicidam? & quomodo in Deum, quem non videt, ſperaret, cum proximum, quem videt, non diligat?

Eſt alius, qui contempto honeſto coniugio, ſtudet ſcortationi, nec pœnitet eum huius turpitudinis & impietatis. Is gloriari quidem poteſt de ſpe ſua in Deum, ſed quia non facit quod bonum eſt, ſciamus gloriatio-

nem eius vaniſsimã eſſe. Alius colit idola, inuocat mor
tuos, & exercet magiam, interea autem multa garrit de
Deo, & putat ſe omnem ſpem ſuam collocaſſe in Deo,
ſed accidit eis, quod Iob dicit: Spes Hypocritæ peribit.
Non enim collocat ſpem ſuam in vero Deo, ſed in Deo
manuum ſuarum, & in figmento cordis ſui. Ergo, inqui
es, ſperandum eſt in Deum, non fiducia gratuitæ cle
mentiæ eius, ſed fiducia meritorum noſtræ bonitatis?
Nihil certè minus. Exiguntur enim bona opera iuxta
præcepta & vocationem Dei, non quòd meritis eorum
coram Deo fidendum & ſperandum ſit, ſed quòd ſpes in
Deum nec poſsit concipi, nec conſeruari ſine vera pœ
nitentia. Vt enim vere in Deum ſperes, neceſſe habes
agnito & deteſtato peccato, credere peccatum remitti
ſola gratuita clementia Dei, propter filium eius Ieſum
Chriſtum, & obedire vocationi præceptorum Dei. Hæc
eſt vera pœnitentia, ſine qua, ſi gloriatus fueris, te vel
credere vel ſperare in Deum, vel inuocare Deum, res
ipſa coarguet te vanitatis. Ac fieri quidem in hac car
ne non poteſt, vt peccatum omnino è nobis tollatur, &
perfecta iuſtitia loco eius inferatur: Non enim habitat,
inquit Paulus, in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Et
Rom. 7. Non quod volo, facio bonum, ſed quod non volo ma
lum, hoc ago. Fieri autem poteſt per Spiritum ſanctum,
vt cupiditates peccati mortificemus, & bonam conſci
entiam habeamus, videlicet, ſi non iuxta carnem, ſed in
xta Spiritum verſemur. Nam ſi ſecundum carnem vi
xeritis, inquit, moriemini. Quare, ſi voluerimus in De
um verè ſperare, neceſſarium eſt, vt agentes pœniten
tiam, faciamus quod bonum eſt, & ambulemus in voca
tione mandatorum Dei.

INHABITA TERRAM. Tertium officium pij hominis. Diximus ſuprà, quòd τὸ ῥητὸν huius Pſalmi præcipuè ſuſcipiat medendum offendiculo, quod ciui honeſto, & victum ſuum iuſtè quærenti accidit, cum videt ſceleratos homines iniquitate ſua magnas diuitias & dignitates parare, ſe autem cum ſua honeſtate & iuſtitia eſurire & algere. In tali igitur fortuna, homines varie afficiuntur. Alius cogitat, deſerta honeſtate & pietate, ad caſtra impiorum hominum transfugere, vt & ipſe exemplo eorum diteſcat. Alius etſi perdurat in vera pietate, tamen cogitat deſerto hominum contubernio, ad eremum fugere, & vitam ſolitariam ducere: quid enim facias in hominum politia, in qua felicior eſt, qui ſceleratior, & beatior eſt, qui ditior? Alius alio ſubinde modo genus vitæ ſuæ mutat. Nunc enim exercet opificium. Quod ſi non reſpondet voto ſuo, incipit, deſerto opificio, exercere agriculturam. Hæc ſi paulò infelicior fuerit, accedit, abiecta ea, ad mercaturam. Cum huius pertæſum eſt, proficiſcitur in malitiam. Sed cum nec hæc feliciter ſuccedit, deliberat de alia conditione. Itaque fieri ſolet, vt quò ſæpius variorum generum vitæ periculum fecerit, eò infelicior, & rerum omnium egentior reddatur. Monet igitur Pſalmus, vt honeſtus ciuis, qui felicitate hominum iniquorum & impoſtorum offenditur, non deſerat terram, ſed inhabitet terram: non fugiat in eremos aut monaſteria, ſed maneat in terra ſua, & in vita ſua politica: nec temere mutet genus vitæ ſuæ, ad quod diuinitus vocatus eſt, ſed perſeueret in eo, etiamſi non videatur tantæ eſſe felicitatis, quantam videt in aliorum impoſturis. 3.

Aliud

Aliud est, si Deus alio te vocauerit, & legitimam mu-
tandi prioris instituti rationem ostenderit: sic enim
vocationi Dei non est resistendum. Sed si fueris in eo
vitæ genere, ad quod diuina ordinatione vocatus es,
nec habeas aliam causam mutationis, quàm quòd in eo
non omnia iuxta animi sententiam succedant, profecto
non est tibi deserendum, sed perdurandum & pergen-
dum. Nam, qui ad parandum victum & ad congrega-
das opes frequenter & temerè mutat instituta vitæ suæ,
haud obscuram dat animi sui significationem, quòd be-
nedictionem victus, & incrementum diuitiarum magis
in externis rebus, & in sua ipsius industria, quàm in cle-
mentia & liberalitate DOMINI Dei nostri quærat, sed
longissimè errat. Non enim humanus labor, aut carna-
lis industria, sed BENEDICTIO DOMINI, inquit Sa-
lomon, diuites facit. Et: Non in solo pane viuit homo,
sed in omni verbo, seu quauis vocatione, quæ procedit
ab ore Dei. Et: Nisi DOMINVS ædificauerit domum, in
vanum laborant, qui ædificant eam. Ac mox: Vanum
est vobis, qui manè surgitis, & serò quietem capitis, e-
dentes cibum doloribus partum, cum interea Deus con-
cedat dilectis suis somnum. Et quemadmodum Iona-
than ad armigerum suum ait: Non est DOMINO diffi-
1. Samue. 14. cile saluare vel per multos vel per paucos. Et aliàs: De-
us non est Deus montium tantùm, sed etiam vallium
3. Reg. 20. & planitiei: ita non est Deo difficile, vel per multa vel
per pauca præbere ea, quæ suppeditent ad cultum & ad
victum. Et nō est Deus tantum aurifodinarum, & quæ-
stuosissimarum nondinationum, sed etiam exiguorum
agrorum & humilium casarum. Quare ad parandum vi-
ctum non est vt subinde genus vitæ tuæ mutes, aut
eti.m

etiam trans mare curras, sed inhabita tuam terram, perdura in tua præsenti vocatione. Illud autem maximè omnium elaborandum est, vt DOMINVS Deus noster sit tibi propitius, & agnoscas eum patrem tuum, per Iesum Christum filium eius. Quem cum per fidem possideas, fieri non potest, quin cum ipse sit omniū bonorum thesaurus, multò plus benedictionis in tuo modico, quàm opulentissimus quisq; in grandi aceruo pecuniæ suæ inueniat.

ET QVAERE VICTVM HONESTE seu fideliter. Quartum officium pij hominis. Et cum suprà dixerit de generali obedientia, nunc exigit obedientiam suę cuiusq; vocationis propriam. Non enim sic inhabitanda est terra, & perdurandum in præsenti vocatione, vt exerceas eā versutè, fallaciter, malitioſe, callidè & perfidè, sed vt quæras victum honestè, iustè, simpliciter & fideliter. Non enim potest vlla esse benedictio Dei in versutia, in malitia, in impostura, in improbitate & perfidia. Ac fingamus hæc scelera videri aliquanto tempore felicia, ad extremum tamen afferunt summam maledictionem. Si vocem DOMINI Dei tui, inquit, non audieris, venient super te omnes maledictiones istæ, & appræhendent te: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Inter voces autem Dei, hæ precipuè continentur: Non fureris. Non dicas falsum testimonium. Non concupiscas rem proximi tui, quibus prohibetur omnis impostura, malitia, perfidia, & vanitas, in negotiationibus. Quare, quicquid opum his sceleribus acquisieris, scias te in domum tuam non benedictionem, sed maledictionem conferre. De hac autem re postea

4.

Deut. 28.

Psalmus tractabit pluribus. Quid ergo fiet ei, qui hæc officia pij hominis facit, videlicet, qui sperat in DOMINVM, & facit quod bonum est, ac inhabitat terram, & quærit victum honestè? Sequitur: Tunc delectaberis in DOMINO, & dabit tibi petitiones cordis tui. Delectari in DOMINO, est tranquillam & alacrem conscientiam coram Deo habere, & ex ea Deum, vt patrem inuocare. Ac profecto non potest homini maiora in his terris beneficium contingere, quàm quod ei tranquillo animo coram Deo, & audet alacri mente ad thronum Dei accedere, & ipsum vt patrem inuocare. Quid enim sic affecto deesse posset? Siue enim iudicio peccati perturbatur, siue onere paupertatis, aut alterius incommodi premitur, siue horrore mortis concutitur, patet ei accessus ad thronum Dei, licet ei colloqui cum Deo, vt cum patre, & exponere ipsi suam afflictionem. Quod cum factum fuerit, Deus teneri non potest, quin sic precantem exaudiat, & adiuuet: Dabit, inquit, tibi petitiones cordis tui. Quid amplius requiris? Pauciſsima verba sunt: Dabit tibi petitiones cordis tui. Sed cogita ipse tecum, & expende, quàm latè pateant, & quàm multa compræhendant. Non enim promittitur exauditio vnius tantùm & alterius petitionis, sed omnium cordis nostri petitionum. Sicut & Ioannes ait: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, & QVICQVID petierimus, accipimus ab eo. Et Christus ipse: Omnia, inquit, quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Cum enim Deus alacri mente, & filiali Spiritu uocatur, fieri non potest, vt inuocantem non vicissim hilari vultu & paterno affec-

ctu respiciat. Quod si patrem sese exhibet, tantùm abest, vt inuocatus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ouo scorpium porrigat, vt vniuersam cœlestium bonorum suorum hæreditatem plena manu offerat. Sed hîc nunc quæritur, quomodo ad talem animi tranquillitatem, & ad tantam Spiritus fiduciam & alacritatem peruenire possimus, vt Deum patris loco inuocemus, & ab eo omnes cordis nostri petitiones impetremus? Alius quidem alias sequitur rationes, quibus paret sibi animi tranquillitatem, & reddat sibi Deum propitiũ, & ad præstanda omnia postulata propensum. Inter filios huius seculi alius quærit tranquillitatem suam in ocio, alius in diuitijs, alius in voluptatibus corporis, alius in honoribus, alius in magistratibus. Sed his rebus parant sibi magis perturbationem, quàm tranquillitatem. Ocium ipsæ etiam Ethnicorum literæ infamãt: Variã semper dant ocia mentem. Et: Quòd multa mortalibus ocium facit mala. De diuitijs autem quid attinet dicere? Non sacra tantùm, sed & externa scripta negant diuitijs tranquillitatem animi parari. Christus vocat diuitias, spinas. Et Paulus: Qui volunt, inquit, ditescere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas stultas ac noxias. Quid quòd corporis voluptates, dolorum sunt initia, & qui Magistratum gerit, in curarum pelago nauigat. Inter Hypocritas autem alius quærit animi tranquillitatem, seu vt nostræ literæ loquuntur, pacem conscientię, in vita monastica, alius in cultu mortuorum, alius in battologia precum suarum, alius in aliquot dierum ieiunijs. Sed non est pax, inquit Propheta, impijs, sed sunt quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in

conculcationem & lutum. Quid ergo faciamus, vt consequamur eam animi tranquillitatem, & conscientiæ pacem, qua liceat Deum alacri mente accedere, & abeo omnes cordis nostri petitiones impetrare? Hoc nec humana Philosophia nos docere, nec humana potentia nobis dare potest.

Sed Spiritus sanctus docet id nos in hoc huius Psalmi versiculo paucissimis: Spera, inquit, in DOMINVM, facito quod bonum est, inhabita terram, & quære victum honestè. Habes hîc veram & compendiariam viam ad parandam animi tranquillatem, & ad impetranda, quę volueris à Deo. Sperandum est in DOMINVM, & obediendum est vocationi eius. Primùm enim, qui in DOMINVM sperat, habet etiam DOMINVM non tantùm propitium, sed etiam inhabitatorem: Ego, inquit, inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Ac rursus: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Quid autem ei, qui tantum hospitem, eumq; propitium habet, deesse posset? Quis intentabit, inquit Paulus, crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Deinde, qui facit quod bonum est, hoc est, obsequitur vocationi Dei. Etsi opera obedientiæ eius per se non sunt perfecta, nec in hoc est iustificatus, sed tantùm in Iesu Christo per fidem: tamen quia cor eius non condemnat ipsum, vt Ioannes loquitur, & non excutit inhabitantem in ipso hospitem, sed retinet eum, idcirco fiduciã habet erga Deum, & quicquid petierit, accipiet ab eo. Quid ergo dicemus de

Paulo

Paulo, qui cum ter rogasset DOMINVM, vt discederet ab ipso angelus satanæ, passus tamen est repulsam? Num dicemus Paulum non speransse in DOMINVM, nec feciſſe quod bonum est? Quid de Christo ipso filio Dei? In te, inquit, sperauerunt patres nostri, sperauerũt, & liberasti eos, ad te clamauerunt, & liberati sunt, in te sperauerunt, nec sunt confusi, Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, hoc est, Ego quidem te diu noctuq; inuoco, tamen in tantum non respondes mihi, vt etiam exponas me omnium hominum ludibrio. Dicemus igitur filium Dei non speransse in DOMINVM, nec feciſſe quod bonum est? Nihil verò minus aut dicendum aut sentiendum est. Etsi enim Deus non est visus exaudire Paulum iuxta voluntatem carnis, tamen exaudiuit eum iuxta voluntatem Spiritus. Ac non sic quidem exaudiuit Christum filium suum in cruce, vt educeret eum mirabiliter coram humanis oculis, & in conspectu Pontificum ac Phariſæorum de cruce, exaudiuit tamen eum tanta clementia, vt ipsum tàm in cruce quàm in morte, verè saluum conseruaret, & è sepulchro in vitam reduceret, ac ad dextram suam in cœlo collocaret. Sed de hac re aliâs copiosius. Nunc illud breuiter meminerimus, nos non posse veram animi tranquillitatem consequi, & precum nostrarum compotes apud Deum fieri, nisi sola fide ac spe in DOMINVM Deum nostrum, & obedientia vocationis eius: Iustificati, inquit Paulus, ex fide, pacem habemus erga Deum per DOMINVM nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei. *Rom. 5.*

Deuolue ſuper DOMINVM viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.

Et educet, ſicut lucem iuſtitiam tuam, & iudicium tuum, ſicut meridiem.

Etſi Pſalmus eum, qui offenſus eſt felicitate impiorum, ſatis firmis argumentis & promiſsionibus in ſuperioribus verſiculis muniuit, & officij ſui admonuit, tamen quia cor conturbatum eget copioſa conſolatione & eruditione: idcirco pergit Spiritus ſanctus eadem quidem argumenta, eaſdemq; promiſsiones & admonitiones, ſed alijs magna ex parte verbis repetere, & quaſi explicare, ac amplificare, vt ſciamus hanc expoſitionem non eſſe ipſi temerè in ore natam, ſed eſſe bene meditatam, & rem ipſum ſeriam agere. Quæſo igitur te, cum videas me animo meo vehementer perturbatum, quòd meus vicinus, quem ſcio eſſe contemptorem Dei, & fraudulentum impoſtorem, vtatur in omnibus negotijs ſuis proſperrima fortuna, ego autem cum mea veriſsima & certiſsima religione erga Deum, & cum iuſtitia quam pro virili ſtudeo in omnibus mei negotijs exercere erga proximum, nullo non genere afflictionis & aduerſæ fortunæ obruar: hoc inquam, cum videas, amábo te, quid cenſes mihi faciendum, vt ſim animo pacato & tranquillo? Reſpondet ergo Spiritus ſanctus: Reuela, inquiens, ſeu deuolue ſuper DOMINVM viam tuam, & ſpera in eum. Sed quid reuelem DOMINO, aut deuoluam ſuper DOMINVM cum omnia ei antea ſatis cognita & perſpecta ſint, & nõ tàm vniuerſa, quàm ſingula ab ipſo adminiſtrentur? Hîc ergo cognoſcendũ nobis eſt, quid ſit reuelare DOMINO

MINO, aut deuoluere ſuper DOMINVM viam ſuam. Primùm, non eſt, ſi quid aduerſi tibi acciderit, omnia foras, omnes tonſtrinas, omnia conuiuia, querelis, lamentationibus, & execrationibus complere, ſed eſt Deum inuocare, & opem eius ex fide propter Chriſtum filium eius implorare. Etſi enim Deo omnia noſtra perſpecta ſunt, priuſquam nos ea vel cogitatione vel verbis comprehendimus, tamen exigit, vt & nos ea ipſi precibus noſtris exponamus, & indigentiam noſtram teſtificemur, vt poſtea beneficio affecti, & ex aduerſis liberati, illuſtriorem Dei cognitionem concipiamus, & gratitudinem noſtram Deo benefactori, quibus poſſumus officijs, declaremus. Deinde reuelare DOMINO, ſeu deuoluere in DOMINVM viam ſuam, non eſt meditari vindictam aduerſus eum, qui nobis malefecit, ſed eſt Deo vindictam permittere, & interea pro aduerſario apud Deũ intercedere, & ei benefacere. Mea, inquit, eſt vindicta, & ego rependam. Tu autem, ſi eſurit inimicus tuus, pasce illum, ſi ſitit, da illi potũ. Et: Ne vincaris à malo, imò vince bono malum. Hæc, inquis, grauiora & duriora ſunt, quàm quæ aut velim aut poſsim præſtare. Sed audi tu viciſsim, niſi hæc velis & poſsis præſtare, non voles etiam, nec poteris verã ſalutem conſequi. Aut hæc præſtanda tibi ſunt, aut tibi cœleſti hæreditate carendũ eſt. Et quanquam hoc ne ſic quidem perfectè fieri poteſt, in hac mortali vita, tamen inchoandum, conandum, & aliquouſq; progrediendum eſt, vt qualitercunq; poſſumus, ſtudium obſequij noſtri Deo probemus. Quare prima omnium noſtra cura ſit, vt Ieſum Chriſtum filium Dei per Euangelion eius cognoſcamus, & per fidem in ipſum regeneremur, ac Spiritu adoptionis donemur.

Sic

Sic enim in nobis renatis & donatis, operabitur Spi
ritus, & velle, & quoad eius in hac carne fieri potes
perficere. Quòd si autem Spiritus grauitate offensi
num aut afflictionum langueſcere ac defatigari cœpe
rit, tum excitandus eſt cohortationibus verbi Dei a
promiſsionibus eius. Audiamus ergo quid hoc loc
promittatur ei, qui impiorũ felicitate, & ſua infelicita
animo perturbatus, reuelat, & commendat DOMINO
vias ſuas, & ſperat in eum: Ipſe, inquit, faciet, & educe
ſicut lumen, iuſtitiam tuam, & iudicium tuum, ſicut me
ridiem. Hæc duo vocabula, iuſtitia & iudicium, ſolen
frequenter in ſcriptura coniungi, præſertim vbi fit ſe
mo de adminiſtratione regnorum, & de officio magi
ſtratus. Iuſtitia enim dicitur, cum innocens ſeruatur, &
iuſto ſuo præmio honoratur. Iudicium autem, cum no
cens affligitur, & meritum ſupplicium luit. Quod erg
Pſalmus dicit, habet hanc ſententiam: Si tu in tua infeli
citate & impiorum felicitate non ſis animo virulento
non compleas terram execrationibus, nec vindictam
quæras, ſed relinquas Deo vindictam, & commenda
ueris cauſam tuam Deo, ac inuocaueris opem eius fi
ma fide, ſpe, & expectatione: tunc ecce tibi Deus certo
ſimè curam rerum tuarum ſuſcipiet, ac faciet, vt omni
proſpera tibi ſuo tempore eueniant, & quemadmodum
Solis ſplendor in meridie clariſsimus & feruentiſsimu
eſſe ſolet, ita Deus reddet tandem innocentiam tuam i
luſtriſsimam, & puniet impios aduerſarios tuos ſeueri
ſimè. Non patietur, vt innocentia tua, & aliorum in
pietas perpetuis tenebris obruta iaceant, ſed reddet e
coram omnibus creaturis multò magis conſpicua, quam
ſolis lux in meridie eſſe ſolet. Quod verbis dicitur, fa

ctis demonstratur & comprobatur. Ioseph venditus est à fratribus suis in seruitutem, & postea accusatus est adulterij, & coniectus in carcerem. Etsi autem erat innocentissimus, tamen magna erat infelicitas eius, & necesse habebat tàm seruitutem, vt hominum ignauissimus, quàm squalorem carceris, vt hominum turpissimus ferre, cum interea crudeles fratres eius domi paterna hæreditate & dominatione fruerentur, ac adultera in summis delitijs & honoribus viueret. Quid igitur Ioseph faciebat? obsequebatur, non carni, sed Spiritui sancto, & deuoluebat causam suã in DOMINVM, sicut Psalmus dicit, ac sperabat in eum. Quare DOMINVS teneri non potuit, quin non solùm daret Iosepho felicem seruitutis & carceris euẽtum, verùmetiam educeret iustitiam & iudicium eius in clarissimam lucem, vt pro seruitute & carcere reportaret principatum, & pro infamia adulterij consequeretur in vniuersa Ecclesia Dei summam gloriam pudicitiæ. Dauid vnctus quidem erat diuinitus in regem Israëlis, non autem affectabat regnum, nec meditabatur seditionem aduersus Saulem, sed seruiebat ei, summo, quo potuit, studio & obsequio. Nihilominus tamen audit seditiosus, & exulat. Quid ergo faciebat? Id nimirum, quod ipse in hoc Psalmo recitat: Commendabat DOMINO vias suas & sperabat in eo. Quare DOMINVS nõ tantùm liberat eum exilio, verùmetiam educit iustitiam & iudicium eius in tantam claritudinem, vt vniuersus orbis palàm innocentiam eius cognoscat, ac impietatem Saulis detestetur. Maria mater filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi, etsi erat virgo pudicissima, & conceperat de Spiritu sancto, tamen habebatur à suo ipsius sponso Iosepho, pro

turpissima adultera. Quas ibi ægritudines, quas anxi
perturbationes honestissima virgo non pertulit? E
enim commemorauit sponso, se non ex viro quopia
sed de Spiritu sancto esse prægnantem, quis tamen h
tanto mysterio nondum reuelato, credere potuit? S
cum pijssima virgo proijceret & deuolueret causam
am in DOMINVM, & speraret in eum, honestas e
tanta luce, diuina clementia, illustratur, vt virginitati
pudicitiæ eius testimonium perhibeant Angeli, Pr
phetæ, & Apostoli. Quare si quid nobis in vocatio
Dei ambulantibus, præter spem & infeliciter accider
non deseramus nostrum officium, nec deficiamus ad i
pios, quos videmus summa felicitate frui: sed obsequ
mur Spiritui sancto, & iactemus curã, viam, causam,
omnia instituta nostra in Deũ, ac petamus ab ipso c
lestem opem. Quod cum à nobis factum fuerit, fac
DOMINVS vicissim pro sua clementia, vt maiora ben
ficia, quàm aut petere aut optare audeamus, consequ
mur. Ac fingamus sanè, nihil nobis felicitatis in his re
ris retribui, ac necesse nos habere, exemplo Lazari, eg
nos semper & pauperes ante ianuam diuitis, vsq; ad c
tremum vitæ diem iacere, reliqua tamen est cœlest
vita, in qua abundantissimè, quas ærumnas in hac ten
na vita pertulimus, compensantur.

*Sile DOMINO, & expecta eum, Ne succẽseas propter e
cuius via est prospera, propter virum, qui designat scel*

Repetit, quod initio proposuit, vt eo commodi
pergat officium pij hominis explicare. Ne succense
ne perturberis animo, propter eum virum, qui cum
impi

impius & sceleratus, prospera tamen vtitur fortuna. Quid ergo faciam? SILE, inquit, DOMINO, & expecta eum. Rem mirandam. Hieremias iubetur clamare: Clama, inquit DOMINVS, ad me, & exaudiam te. *Hier.33.* Et in Osea exprobratur principibus Israëlis, quòd non sit inter eos, qui ad DOMINVM clamet: & tamen hîc iubemur DOMINO silere & tacere. Sed hoc silere, & illud clamare tam cognata inter se sunt, vt alterum sine altero esse non possit. Clamare enim coram DOMINO, est Deum ex vera fide inuocare. Silere autem DOMINO, est non murmurare aduersus DOMINVM, non execrari coram DOMINO, cœlum & terram: sed est manum DOMINI patienter ferre, & quicquid mali contigerit, boni consulere, interea autem opem Dei implorare, & eam obedienter ac patienter expectare. Itaque in aduersis clamandum est in silentio, & silendum est in clamore, vt & inuocemus DOMINVM patienti animo, & patienter feramus aduersa, cum inuocatione nominis Dei. Alij quidem in rerum motibus & perturbationibus alias quærunt placandi animi rationes, Sed profectò non est alia nec commodior, nec vtilior, nec efficatior, quàm SILERE DOMINO, non arguere DOMINVM vel crudelitatis vel iniquitatis, non inuehi aut tumultuari in Deum & homines execrationibus, non deserere suum officium, & ad impios deficere, sed DOMINO laudem iustitiæ tribuere, & patienti animo aduersa sufferre, ac opem a Deo obedienter expectare. Si reuertamini, inquit Esaias, & quiescatis, salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Et Hieremias: Bonus est DOMINVS, inquit, expectanti eum, animæ quærenti eum. *Osee.7.*

Bonum est præstolari cum silentio salutare DOMI
Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescen
sua, cum desertus tacuerit, dũ obruitur aduersis, & p
fuerit os suum in puluerem, ac bona spe (auxilium D
expectauerit. Sic præstolatus est cum silentio salut
DOMINI, & obmutuit quasi agnus coram tondente
filius Dei cum accusaretur hæreseos & seditionis,
crucifigeretur: sed præstolatione & obmutescentia
in tantum non est pudefactus, vt non solùm liber
sit cruce & morte, verùmetiã exaltatus sit ad dextr
Dei, vt quantum ipse coram aduersarijs obmutuit, t
tum nunc omnes linguæ maiestatem eius in toto or
terrarum loquantur. Sic tacuit & obmutuit coram D
MINO Dauid, cum eijceretur à Saule in exilium,
expelleretur à filio è regno, ac audiret vir sanguinũ
hanc taciturnitatem & obmutescentiam Deus ita ei
pensauit, vt non solùm viuus restitutus sit maiestati
giæ, verùmetiam nomen eius iam vita defuncti, pub
cis laudibus in Ecclesia DOMINI celebretur, & ip
apud DOMINVM summa tranquillitate fruatur. Cu
mus igitur vt offensi impiorum felicitate, & nostra
felicitate, sileamus DOMINO, & præstolemur salut
eius taciturni, ac pergamus in vocatione DOMIN
Sic enim fiet, vt etsi videmur à Deo deserti, miserea
tamen nostri Deus secundum multitudinem bonita
suæ.

ה *Desine ab ira, & derelinque furorem, ne succenseas, vt malig*
cias.

Quoniam malefactores exterminabuntur, expectantes aut
DOMINVM, hæreditabunt terram.

Iter

Iterum repetit diuersis quidem aliqua ex parte verbis, sed eadem prorsus sententia, quod in primo versiculo propositum, & in secundo pro ratione additum est: Noli, inquit, prospera sceleratorum hominum fortuna ad tantam iracundiam, ad tantum furorem & insaniam excitari ac inflammari, vt deserta vocatione Dei, exempla sceleratorum imiteris, & fias ipse quoq; sceleratus, sed perdura in vera pietate, & expecta à DOMINO rerum tuarum prosperitatem. Scelerati enim homines, etsi aliquandiu secundis rebus fruuntur, tamen excindentur tandem, & peribunt: Qui autem obedienti fide expectant auxilium & liberationem DOMINI, capient hæreditario iure terram. Hoc Dauid ipse, qui hunc Psalmum architectatus est, suo & Saulis aduersarij sui exemplo comprobat. Saul enim, quamuis erat crudelis tyrannus, & impius Hypocrita, tamen dominabatur in terra Israël, & fruebatur regia maiestate & felicitate. Dauid autem, quamuis erat diuinitus in regem electus, & veræ pietatis studiosissimus, tamen exulat, ac versatur in summis vitæ periculis. Sed quia moderatè ferebat aduersam fortunam, nec succensebat, vt malè faceret, sed expectabat DOMINVM obedienti fide, idcirco hæreditatem terræ ac regni Israëlis ita tandem accepit, vt etiam ad posteros suos transmitteret. Saul autem impius & sceleratus, exterminatus & excisus est è regno, vnà cum vniuersa sua posteritate. Hoc vnum (dicet quispiam) exemplum est, sed multò plura recitari possunt, quibus ostenditur longè diuersum, videlicet, quòd impij vsq; ad extremam senectam vsi sint prosperrima fortuna, & terram feliciter tenuerint, pij autem ex omnibus terris fugati sint, ac necesse habue-

Cicero lib.3.de natu.Deo.

rint in exilijs mori. Diagoras, Atheos ille, cum ei quidam amicus ostēderet tabellas pictas eorum, qui è naufragio seruati essent, & diceret : Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis, vim tempestatis effugerint, in portumq; salui peruenerint? Ita fit, inquit, illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, & in mari perierunt. Sic multos etiam his temporibus Diagoras inuenias, qui cum audiunt exemplum Saulis & Dauidis proponi, vt probetur sceleratos exterminari, pios autem ad hæreditatem terræ venire, sua uiter ridendo, sed enim, inquiunt, vnum hoc exemplum est, quàm multa autem produci possunt, quæ palàm testificantur, sceleratos terram, magna gloria & felicitate, vsque ad extremum vitæ spiritum possedisse, ac plenos tandem dierum, tranquillissimo mortis genere è vita excessisse, pios autem non solùm ne vestigium quidem pedis in terra possidere, verùmetiam in summa miseria vitam ducere, ac tandem horribiliqe nere mortis interire? Ac profectò negari non potest, quin humana vita plena sit talium exemplorum. Sed primùm sciamus Ecclesiam Dei non sic exemplis destitutam esse, vt vnum tantùm Saulis & Dauidis de exterminio impiorum, & felicitate piorum in his terris recensere queat. An non impiæ gentes Cananææ exterminatæ sunt è terra sua, Israëlitæ autem, qui iuxta vocationem Dei, multis annis exules in deserto vagati erant, terram gentium Cananæarum hæreditate accepe-

1.Samuel.2. runt? In primo libro Samuelis, deijciuntur è dignitate Pontificatus impij liberi Eli, & surrogatur sacerdos fidelis. Quo etiam loco recitatur memorabile illud dictū

DOMINI

DOMINI: Quicunque honorificaueritme, glorificabo eum, qui aũt contemnunt me, erunt ignobiles. In Esaia abiicitur impius Sobna magistratu suo, & substituitur pius Eliacim. In historia Ecclesiastica, Iulianus cognomento Apostata, præcipitatur ex altissimo Imperatoriæ maiestatis gradu, & in locum eius, primùm quidem Iouianus, deinde Valentinianus, quos Iulianus antea propter confessionem pietatis in exilium egerat, exaltantur. Sed quid multis opus? Non est dubium, quin multò plura quàm scripta sunt, similia exempla, tam in Principibus, quàm in priuatis hominibus contigerint, quibus comprobatum sit, impios è terra exterminari, pios autem hæreditatem terræ accipere. Deinde sciamus, hanc esse generalem regulam diuinę legis, quòd impios maneat maledictio & excisio, pios autem benedictio & salus. Si audieris, inquit, vocem DOMINI Dei tui, & custodieris fecerisq; omnia præcepta mea, quæ ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes benedictiones istæ, & appræhendent te. Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, &c. Quòd si audire noluueris vocem DOMINI Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ, & appræhendent te: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, &c. Sed quia peccatum intrauit in mundum, considerandum est, quod non solum in impijs, qui secundum carnem viuunt, & non sunt renati, verumetiam in pijs, qui per Spiritum sanctum sunt renati, hæreat adhuc peccatum, & inobedientia, vt si maledictionibus obruuntur, non possint Deum iniustitiæ accusare.

Esa. 22.

Deut. 28.

Etsi

Etsi enim habent, quod aduersus homines conqueri pi
sunt, non tamen habent, quod aduersus Deum iure co
querantur: Non intres, inquit, in iudicium cum ser
tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis v
uens. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DO
NE quis sustinebit? Quid igitur dicemus? Nihil ne pr
rogatiuæ habet pius præ impio? & frustra dat pius op
ram pietati? Prohibeat Deus, ne tale quid vel per so
nium nobis in mentem veniat. Primùm enim pi
habet hanc præ impio prærogatiuam, quòd hic non
Deo acceptus, nec habeat remissionem peccator
suorum, ille autem sit Deo tam acceptus, vt etiam a
optauerit eum in filium, & condonet ei omnia pecca
sua.

Deinde, etsi impius aliquoties mirabiliter liberat
è periculis & aduersis in hoc mundo, sicut & pius, n
men ille necesse habet tandem in impietate sua, nisi r
sipuerit, perpetuò interire: hic autem etiamsi concu
tur aduersis toto huius vitæ suæ tempore, & morit
horribiliter, tamen seruatur in morte, & donatur æte
na vita ac felicitate. Deus enim tanta est clementia
bonitate, vt non solùm eripiat aliquoties pios suos
præsentibus malis admirabiliter, quo testificetur er
ipsos beneuolentiam suam, sed etiam conseruet mira
do modo impios in extremis periculis, quò inuitet e
ad pœnitentiam.

Tandem tamen hoc fit discrimen, quòd impij & in
pœnitentes coniiciantur in æternos cruciatus, pij a
em & pœnitentes, seruentur æterna salute. De quo d
scrimine extant manifestissima & certissima testim
nia Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, ho

est, verè cœlestium oraculorũ. Quare nihil moueamur impiorum Diagorçorum scommatis & irrisionibus, sed agnoscamus veritatem & certitudinem cœlestium nostrorum oraculorum, vt etiamsi videamus pios non semper terram possidere, tamen sciamus certissimè futurum, vt ipsi, exterminatis impijs, æternam hæreditatem in cœlis consequantur.

Et adhuc pusillum, & non erit impius, inuestigabis locum eius, & non erit.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur multitudine pacis.

Quid? dicet quispiam. Non dubito quidem, quin scelerati & impij tandem exterminentur, & expectantes DOMINVM seruentur. Sed hoc differetur in tempus longinquum. Cananæi possederunt terram ab eo tempore, quo posteris Abrahæ promittebatur, quadringentos annos. Interea temporis, quas miserias non viderunt, quas ærumnas non pertulerunt posteri Abrahæ? Saul tenuit imperium Israëlis quadraginta annis, sed interea Dauid, quamuis in Regem vnctus, seruit tamen & exulat, & adit omnia genera periculorum vitæ suæ.

An non igitur videtur DOMINVS iudicium suum diutius, quam par est, abstinere? De hoc respondet nunc Psalmus: Adhuc pusillum, inquiens, & non erit impius. Sed quid? num pusillum sunt, quadraginta aut etiam pauciores anni? certè afflicto omnis mora longa est, & vnus dies centum annorum spacium continere videtur. Etsi etiam huius mundi sapientes iudicant,

non esse diuturnum, in quo est aliquid extremũ, quo
Cicero pro Marcello, & in Catone maiore. cum venerit, inquiunt, tunc illud, quod præterijt, effl
xit, & omnis voluptas pro nihilo habenda est, quia p
stea nulla futura est: tamen nostræ, hoc est, sacræ lit
ræ, docent nos meliorem seu Geometriam seu Arit
meticam, quàm Mathematica disciplina. Ac hæ qu
dem dimetiendi & numerandi scientiæ suum habent
rebus humanis vsum et commoditatem. In dimetien
autem spacio eius temporis, quo nos affligi, impijs
tem feliciter agere videntur, alia nobis, eaq; cœlest
Mathematica opus est. Neque enim decet, vt qui n
agnoscimus filios & hæredes æterni Dei, patris nostri
qui est in cœlis, aliam in spiritualibus rebus Mathem
ticam vsurpemus, quàm quæ & ab ipso vsurpatur, &
nobis in literis eius traditur. De hac autem cœlesti Ma
Psal. 89. thematica, Moses in Psalmo sic dicit: Mille anni co
ram te sunt, vt dies hesternus qui preterijt, imò vt vi
2. Pet. 3. gilia noctis. Et Petrus: Vnum hoc ne lateat vos dile
cti, quòd vnus dies apud DOMINVM perinde est, v
mille anni: & mille anni vt dies vnus. Miranda qu
dem, imò & filijs huius seculi ridicula, dimetiendi tem
poris ratio: sed multò certior est, quàm illa Philoso
phica. Quanquàm autem fieri non potest, vt nos hom
nes perdiscamus eam perfectè in hac corporali vita: n
men Spiritus sanctus non cessat nos ad cognitionẽ eiu
assuefacere, donec tandem Deum ipsum, sicut est, videa
mus. Primùm enim promittit & confirmat nobis, quòd
in aduersis nostris Deus non sit à nobis alienato ani
mo, sed propitio propter Christum filium suum, v
quo grauiora sunt aduersa, eò propensiori & clemen
tiori in nos sit animo Deus, luxtà est DOMINVS his

(inquit

(inquit) qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Et: Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et ad Paulum, qui ter rogauerat, vt liberaretur angelo Satanæ, dicitur: Sufficit tibi gratia mea. Quo responso, haud obscurè significatur, maximam leuationem malorum esse, si quis cognoscat, se in malis suis à Deo respici, & apud Deum gratiosum esse. Deinde confirmat certam fore nostram victoriam. Nos enim, si membra Christi sumus per fidem, non sic belligeramur cum principatibus & rectoribus tenebrarum, vt metuendum nobis sit, ne succumbamus: sed quòd certò sciamus, nos in Christo victoriam reportaturos. Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea, Pater meus, qui dedit mihi eas, maior omnibus est, &c. Et iterum: In mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego vici mundum. Et: Maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo. Ac rursus: Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Et iterum: Persuasum habeo, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione, qua Deus nos in Christo Iesu DOMINO nostro complectitur. Hæc vna ratio probè considerata & perspecta, potest nobis non solum grauissima aduersa, quibus cum pugnandum est, leuiora, verumetiam diuturnitatē temporis, quo aduersa ferenda sunt, breuissimā reddere. Postremò confirmat pro afflictionibus

hiſce, etſi diuturnis, temporarijs tamen, reponenda
leſtia & æterna gaudia: Reputo, inquit Paulus, non
ſe pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam, q
reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leui
afflictionis noſtræ, parit nobis, mirè ſupra modum,
ternum pondus gloriæ, dum non ſpectamus ea quæ
dentur, ſed ea quæ non videntur. Hæc ferè ſunt, q
bus Spiritus ſanctus docet nos cœleſtem Mathema
cam, vt in perferendis aduerſis, & expectãda liberati
ne, non dimetiamur tempus iuxta vulgaria illa horol
gia, ſiue muralia, ſiue horizontalia, ſed cœleſtia & di
na, quibus mille anni vix pro vno die, imò ne pro v
quidem horæ momento computantur. Adhuc, inqui
puſillum, & non erit impius. Quis ergo eſt, qui prim
hoc dixit? Spiritus ſanctus primus quidem & præ
puus autor eſt, ſed primum eius organon eſt Dauid. E
tamen hic multis annis errauerat in exilio, donec Sa
interiret. Hos igitur multos annos, vocat puſillum. D
dicerat enim in ſchola Spiritus ſancti cœleſtem Math
maticam, vt numeraret tempus iuxta curſum non co
poralis illius, ſed ſpiritualis & æterni ſolis, qui eſt De
ipſe pater DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Et addit de im
pio: Inueſtigabis locum eius, & non erit. Tantus in
ritus manet impios, vt non ſolùm ipſi pereant, verum
etiam ne reliquiæ quidem eorum ſaluæ maneant. Po
2. Samue. 21. mortem Saulis remanſerant aliqui ex poſteritate eius
ignobiles quidem & abiecti: ſed tanta ira Dei ſuccen
erat aduerſus impium Saulem, vt publica fame cogeret
3. Reg. 14. hos è medio tollere. Et de Ieroboamo rege Iſraël dic
tur: Quia proiecisti me poſt tergũ tuũ, idcirco ecce eg
inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam d
Ieroboa

Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum & nouiſ-
ſimum de Iſraële, & mundabo reliquias domus Ierobo-
am, &c. Atq; hoc quidem eſt impiorum iudiciũ, etiamſi
multum temporis felices ac fortunati eſſe videantur.
Quid autem de pijs? Manſueti (inquit) ſeu afflicti (hæc
enim ſors eſt piorum in hoc ſeculo, quòd ſint afflicti: In
mundo (inquit) afflictionem habetis) hæreditabunt ter-
ram, & delectabuntur multitudine pacis, hoc eſt, non
tantùm dominabuntur ipſi in terra, verumetiam tranſ-
mittent regnum terræ ad poſteritatem ſuam, & fruen-
tur ſumma in regno ſuo tranquillitate. Hæc non tan-
tùm de regibus & principibus, qui habẽt externa huius
terræ regna, ſed etiam de priuatis quibuſq;, qui ne a-
grum quidem terræ poſſident, & tamen pietatem co-
lunt, intelligenda ſunt. Quaſi morientes, inquit Pau-
lus, & ecce viuimus, quaſi correpti & non occiſi, quaſi
dolentes, ſemper tamen gaudentes, quaſi pauperes, mul-
tos tamen ditantes, vt nihil habentes, omnia tamen poſ-
ſidentes. Talem certè nullus vnquam præcipuorum
Monarcharum huius terræ gloriationem habere potu-
it. Babylonius rex multa quidem poſſedit in hac terra,
ſed non poſſedit omnia. Alexander Magnus vniuer-
ſum penè orbem terræ in ſuam poteſtatem redegit, non
tamen poſſedit omnia. Solus pius, cum penè nihil ha-
beat, omnia poſsidet, poſsidet enim Chriſtum, & eſt
membrum Chriſti. Cum autem Chriſtus ſedeat ad dex-
tram Dei patris ſui, & habeat regnum cœli & terræ, ſi-
mul etiam cum ipſo ſedet pius in ſuo gradu ad dexterã
Dei, & habet in ipſo ius regiæ potentiæ ac maieſtatis.
Nunc, inquit Ioannes, filij Dei ſumus, & nondum appa-
ruit, quid futuri ſimus. Scimus autem, quoniam ſi ap-

paruerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum
cuti est. Quare cum videmus impios in terrenis his
gnis florere, nos autem algere & esurire, consolem
nos regia illa & cœlesti maiestate, quam in Christo p
sidemus, certa fiducia concepta, quòd non solùm hac
futuro seculo fruamur, verùmetiam in hoc præsenti
culo liberaliter conseruemur. Sed quid illud sit, qu
pij hæreditatem terræ accipiant, paulò antè expo
mus. Pergamus igitur ad reliqua.

12. *Molitur impius aduersus iustum, et fremit contra eum dentib
suis.*

*DOMINVS ridet eum, quoniam prospicit, quòd veniat di
13. eius.*

*Gladium euaginant impij, & intendunt arcum suum, vt dejic
ant afflictum & egenum, vt macient rectè egredientes.*

*Gladius eorum intrabit in cor eorum, & arcus eorum confr
gentur.*

Amplificat interitum impiorum à certitudine & gr
uitate eius, vt contineat pios in officio, ne impiorum
exemplo & felicitate perturbati, vocationem Dei d
ferant, & sese cum impijs coniungant. Impius (inquit
excogitat varia consilia aduersus pios, & machinatu
eis multa mala: Sed DOMINVS, qui est cordium scr
tator, & rerum omnium conscius, ridet secum omn
consilia & conatus impiorum. Primùm, quòd videat in
teritum eorum, non tantùm certissimè euenturum, se
etiam esse in propinquo. Deinde, quòd videat impi
eo ipso sibi calamitatem inferre, quo alijs eam machi
nantur, ac suo se gladio, vt dici solet, iugulare. Euag
nan

uant quidem gladium, vt conficiant pium, sed gladius reflectitur in pectus ipsorum. Intendunt arcum, vt sagittis configant pium, sed sagittæ retrò conuersæ, ipsorum corda transuerberant. Hæc sententia, quòd Deus rideat impiorum conatus, & quòd impij suis ipsorum consilijs pereant, sæpè in sacris literis repetita est.

Psal. 2. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & DOMINVS subsannabit eos.

Psal. 58. Ecce loquentur ore suo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit? Et tu DOMINE deridebis eos, & subsannabis omnes gentes.

Iob. 18. Nonne lux impij extinguetur? Et mox: Arctabuntur gressus virtutis eius, et præcipitabit eum consilium suum. Mittitur pedibus suis in laqueum, & incedit implicitus reti. Laqueus compræhendit calcaneum eius, & appræhendit eum grassator.

Psal. 7. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Psal. 34. Veniet illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit, appræhendet eum: & in laqueum cadet in ipsum.

Psal. 56. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Prouerb. 11. Iustitia rectorum liberabit eos, & in insidijs suis capientur iniqui.

Quid plura? Testantur exempla ipsa non tantùm quæ sacra scriptura, verùmetiam quæ præsens rerum experientia suppeditat, quòd & DOMINVS derideat conatus impiorum aduersus pios, & quòd impij suis se consilijs perdant.

Pharao

Pharao cogitat internitionem Israëlis, ac nunc p
dem mandat obstetricibus, vt masculos Israëlitarum
partu interficiant, nunc publico edicto iubet, vt q
masculi Israëlitarum deprehenduntur, in flumen pro
ciantur, & aqua suffocentur. Sed res ipsa comprob
DOMINVM in cœlis derisisse hunc conatum Phar
nis, & Pharaonem hoc ipso acceleraſſe ad ſuum inte
tum.

Absolon machinatus est malum parenti suo Dauid
sed DOMINVS deridebat consilium eius, & Absol
eo ipso incurrit in præsens suum exitium.

Aman parauit crucem Mardochæo: sed in ea ip
cruce paulò post ipse pependit, & Mardochæus sum
gloria illustratur.

Iudas, Pontifices & Pharisæi meditantur pernicie
Christo, sed Christus exaltatur in summam sublimi
tem, ad dextram Dei, illi verò deijciuntur in extrema
ignominiam, & perpetua supplicia ad inferos. Etsi en
impij aliquoties ita præualent, vt non solùm exter
mala, qualia sunt, exilia, direptiones facultatũ, seruit
tes, vincula, carceres, & id genus alia, verùmetiam m
tem ipsam inferant, sicut Pontifices Christo, Hero
Iacobo, Nero Petro & Paulo, Tyranni martyribus
tulerunt: tamen nõ sic præualent, vt impunes euadan
& pij intereant. Sed illi quidem crudelitate sua ad e
tissimum suum exitium properant, hi autem etiam
media morte, ad æternam vitam & felicitatem consu
uantur. Hæc nobis diligenter cognoscenda & imita
da proponũtur, vt discamus & ipsi vnà cum DOMIN
Deo nostro, aduersus impiorum consilia & conatus,
in nostris afflictionibus ridere. Insani quidem homi
cis

esset externum in aduersis suis cachinnum tollere: nec hoc à nobis requiritur, cum iubemur in afflictionibus nostris gaudere, gloriari & ridere, sed illud exigitur, vt etsi corpore dolemus, & animo perturbamur, tamen rideamus spiritu, & contemnamus impiorum conatus & consilia, cogitantes, quòd ijs nihil sit vanius, & quòd nihil certius sit ipsorum quidem interitu, nostra autem liberatione: & perseueremus in vocatione Dei. Hic est risus, qui à nobis exigitur. Cum enim simus per Christum adoptati in filios Dei, & Deus pater sic rideat impiorum conatus, vt non patiatur filios suos opprimi, sed cogitet certissimam eorum salutem, officium exigit, vt comparemus nos ad affectum Dei, & vnà cum ipso rideamus spiritu, ac spem cœlestis liberationis firma fiducia concipiamus.

Melius est modicum iusto, quàm diuitiæ impiorum multæ. Quoniam brachia impiorum conterentur, DOMINVS autem sustentat iustos.

Dicet quispiam. Rectè quidem mones, ne exemplo impostorum & peiurorum diuitias & opes consecter, sed interea dum in negotijs meis iustitiam colo, necesse habeo vnà cum familia mea esurire & algere, ac profecto modicum, & vix atrum panem ex iustitia mea reporto, cùm alij ex impostoris suis magnam vim auri & argenti congregent. Quid igitur sentiam, aut quò me vertam? Ad hoc respondet nunc Psalmus duobus versiculis. Melius est (inquiens) modicum iusto, quàm diuitiæ impostorum multæ. Hæc est commendatio mediocrium facultatum, quas præ nimijs diuitijs commen-

a dant

dant etiam externæ literæ. Dimidium, inquiunt, pl
toto. Et: Magis offendit nimium, quàm parum. Et: M
dus omnibus in rebus eſt optimum habitu, nimia o
nia, nimium exhibent negotium hominibus exſe. E
Theognis. autem etiam externæ ipſæ literę docent, Malè partu
malè dilabi, Et eos qui ſectantur lucra iniuſtè, vid
quidem in præſentia lucrum reportare, poſtea aut
malis diuinitus affligi: tamen non docent, nec quæ
vera iuſtitia, quam prętare debemus, nec quis ſit ver
Deus, à quo vera bona expectanda ſint. Sed noſtrę h
eſt, diuinæ literæ vtrunque docent. Poſtquàm igit
hîc Pſalmus propoſuit, quòd iuſto modicæ facultat
vtiliores ſint, quàm iniuſto multę diuitiæ, addit rati
nem: Brachia (inquiens) impiorum conterentur, DO
MINVS autem ſuſtentat iuſtos. Ergo primum omnia
conſiderandum eſt, quis hîc vocetur iuſtus, vt ſciam
cuius modicæ facultates ſint feliciores magnis diuitij
Ac alias quidem copioſius de iuſtitia tractatur, non
dicemus, quod ad hunc locum ſatis videbitur. Iuſtus
nim hic dicitur, non qui eſt omnibus virtutibus, ſine v
lo vitio, inſtructus & ornatus. Sic enim non eſt vllus i
terra iuſtus: Omnes, inquit alius Pſalmus, declinant, i
mul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonũ, non
vſque ad vnum. Nec iuſtus hic dicitur, qui cum ſit plu
nus impietate, ac peſsimorum affectuum, apparet tam
coram hominibus honeſtus, quales ſunt hypocritæ, &
monachi. Sed iuſtum dicimus eum, qui cum agnoſc
peccatum ſuum, credit in filium Dei DOMINVM n
ſtrum Ieſum Chriſtum, quòd propter hunc habeat re
miſsionem peccati, & ambulat ex hac fide in vocation
Dei, vt nec in negotiationibus iniuſtè agat, nec in reb

qua vita turpitudinem exerceat, ſed præceptis Dei obediat. Et quanquã talis obedientia, ſua ſoleat vitia habere, tamẽ quia credit in Chriſtũ, & perdurat in obedientia, hæc vitia non imputantur ei, ſed condonantur propter Chriſtum. Hæc eſt vulgaris piorum iuſtitia, quam pij in Chriſto renati, & Spiritu ſancto donati præſtare & poſſunt & debent. Deinde impius hoc loco dicitur, non qui tantũ in patriam, aut parentes crudelis eſt, ſed qui cum cõtemnat Deum, ac verbum eius in corde ſuo, inhumanus eſt in proximos quoſcũ ſuos, & dat operam impoſturis, ac omne ſtudium ſuum eò confert, vt opes congreget quoquo iure, quaqua iniuria, quid igitur erit illi iuſto, & huic impio? Melius (inquit) eſt modicũ iuſto, quàm multę diuitiæ impij. Quid cauſę eſt? ſequitur, quoniam brachia, hoc eſt, diuitiæ, quibus impij ſunt magni & potentes, conteruntur & maledicuntur à DOMINO, Modicum autem iuſti conſeruatur, & benedicitur à DOMINO. Quas enim opes cõgregat auarus impoſtor, nugis & malis artibus, ſunt Deo abominabiles. Statera, inquit, doloſa abominatio eſt apud Deum. Et: Pondus, ac pondus, vtrunq; abominabile eſt apud Deum. Quæ poteſt autem eſſe benedictio, quæ felicitas, in ijs opibus, quas DOMINVS abominatur, & auerſatur? Qui verò pietatem ſequitur, & iuſtè negotiatur, etſi modica tantùm, & pauca acquirit, tamen habet Deum propitium, & paterno ipſum affectu complectentem. Cui autem Deus eſt propitius pater, quid ei deeſſe poſſet? An non Deus eſt theſaurus omnium bonorum? Vbi igitur vnà cum tribus obolis præſens, ac propitius fuerit Deus, an non ibi multò plus eſt diuitiarum, quàm vbi fuerint multæ myriades aureorum numorum, abſente,

aut abominante & execrante Deo: Benedictio DOMINI, inquit Salomon, diuites facit. Non ait, pecunia, uitiæ, opes, faciunt homines diuites, sed BENEDICTIO DOMINI. DOMINVS autem benedicit pios, non impios. Et quanquam aliquoties soleat etiam impijs benefacere, & res eorum fortunare, vt inuitet eos ad pœnitentiam, tamen cum non resipiscunt, ea benedictio non est nisi corporalis, & cedit tandem impijs in extremam maledictionem. Pios autem ita benedicit, vt etsi laborant paucitate, & possident modicum, tamen hæc paucitas & hoc modicũ superant vtilitate sua omnem huius mundi opulentiam. Vulgò dici solet, sitim tamè sticulo, quàm è fonte depelli posse. Quo dicto significatur, quòd tam possint nobis necessaria vitæ suppeditare modicæ facultates, quàm ingens vis auri. Hoc videcet tùm rectè accidit, cùm DOMINVS Deus ipse suscperit modicas facultates in manu sua benedicendas. Exodo, cum mitteretur Manna de cœlo, qui colligebat modicũ, nihil minus se habere comperit, quàm qui collegerat plurimùm. Ac præterea, qui aliquid de Manna cupiditate & diffidentia excitatus reponebat contra præceptum DOMINI in crastinum, huic pro Manna relinquebantur vermes. Hoc inde adeo accidit, quòd DOMINVS receperat illud modicum in manum suam benedicendum, ab hoc autem in crastinum repositorio uertebat manum suam, ideoq; necesse habebat cõputrescere. In libris Regum, pauxillum farinæ & olei sufficit toto famis tempore, vniuersæ familiæ viduæ Sarephthanæ, ad quam Elias diuerterat. Hoc enim pauxillum repositum erat in manum DOMINI, qua & benedicebatur. In ijsdem libris, Elizæus centum viros

vigin

viginti panibus ita pascit, vt etiam non paucæ reliquiæ superessent, quia DOMINVS receperat hos paucos panes benedicendos. Et rursus: Mulier quædam de vxoribus filiorum Prophetarum implet pauxillo olei multa vasa, vt ijs diuenditis satisfaciat creditoribus. Nam pauxillum illud olei multiplicabatur benedictione DOMINI. In Euangelio Ioannis, pascit Christus filius Dei quinquies mille viros, quinq; tantùm panibus, & duobus piscibus. Et ne quis existimaret illos non admodum liberaliter pastos, superfuerunt duodecim Cophini fragmentorum. Quod enim filius Dei in manum suam benedicendum receperat, non poterat non augeri & multiplicari. Sed hæc, inquies, miracula sunt, quæ non solent passim fieri. Recte, miracula sunt, non autem in hoc ædita, vt sint nobis otiosa spectacula, sed vt sint sigilla & testificationes huius dicti nostri, & similium promissionum: Melius est modicum iusto, quàm multæ diuitiæ impiorum.

Voluit enim DOMINVS his miraculis contestari, se paucas opes in manum suam receptas, multò auctiores & feliciores reddere, quàm sunt alioqui myriades opum, quæ extra manum eius positæ sunt. Recipit autem DOMINVS in manum suam eas opes, quæ piè, iustè, & bonis artibus acquiruntur. Quare, etsi modica & pauca nobis, in vocatione Dei ambulantibus obuenerunt, tamen quia sunt in manum DOMINI proiecta & recepta, non dubitemus, quin sufficiant nobis ad omnẽ vitæ nostræ necessitatem. At enim (iterum dices) ne modicum quidem mihi relictum est, omnes enim facultates abstulit vel hostis, vel persecutor, vel prædo, vel incendium, vel alius quispiam casus, nec mihi vel

obolum quidem reliquit. Quid? num abstulit tibi vtr
cum facultatibus, etiam DOMINVM Deum tuum? H
demum rapina intolerabilis esset, sed non potes esse p
per aut desertus, dū adhuc reliquus tibi est DOMIN
Deus tuus. Non in solo pane viuit homo, sed in quo
verbo quod procedit ob ore Dei. Israēlitæ erant in
serto egentissimi, & carebant etiam modicis. Sed q
ambulabant in verbo seu vocatione Dei, idcirco, c
terra non daret eis frumenta, aperiebat se cœlum, &
fundebat Manna.

At præter summam egestatem, etiam morbis itaq
fligor, vt ne ostiatim quidem ambulare, & inopiam m
dicitate sustentare queam.

Etsi autem nulla est miseria in terris, quæ nō possi
tiam in hominem piissimum incidere, tamen non po
miserior & calamitosior fieri Lazaro illo, qui de mic
quę cadebāt de mensa diuitis, saturari cupiebat. Sed d
mus te miseriorem esse, tamē ne sic quidem habes, qu
iure conqueraris. Dummodo enim DOMINVM Deu
tuū per fidem retinueris, fieri non potest, vt ille te de
rat: sed aut dabit euentū vt ferre queas, si diutius in h
vita manendū est, aut recipiet te ad æternū suum tabe
Esa.54. naculum, vt fruaris cœlesti felicitate. Montes, inqu
cōmouebuntur, & colles cōtremiscent, misericordia a
tem mea nō recedet à te, & fœdus pacis meæ non mo
bitur, dixit miserator tuus DOMINVS. Hæc diligent
& sæpè meditanda sunt, vt pręparemus nos verbo D
MINI, ad ferendos casus, quicunq; euenire possunt.

Nouit DOMINVS dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

N

Non pudefient in tempore acerbo, & in diebus famis ſaturabuntur.

Pergit recenſere & explicare felicitatem, quam pij etiam in medijs aduerſis, apud DOMINVM repoſitam habent, vt hac excitati, non inflectant animum ſuum exemplo impiorum. Sunt autem multi, qui cum vident pios eſſe infelices, impios autem felices, exiſtiment Deũ non noſſe, nec curare res humanas, & dicant, quod in Hieremia commemoratur: Ex ore altiſsimi nec bona nec mala egrediuntur. Sed horũ impietas refutatur, cùm in vniuerſa ſacra ſcriptura, tùm etiam in his verſiculis, quos iam è Pſalmo noſtro recitauimus. Nouit DOMINVS, (inquit) dies immaculatorum. Quos ſuprà dixit iuſtos, eos nũc vocat immaculatos, nõ quòd quiſquam hominum etiam ſanctiſsimorum in terris careat omni macula, ſed quòd qui credit in Chriſtũ, qui ſolus eſt verè immaculatus, habetur et ipſe immaculatus propter Chriſtum, ſi modò iuxta Spiritum, nõ iuxta carnẽ ambulauerit. Tantum igitur abeſt, vt DOMINVS non nouerit aut non curauerit hos immaculatos, vt potius eos ſolos noſſe & curare dicatur. De impijs enim dicit DOMINVS: Nunquam noui vos. Etſi enim nihil eſt Deo incognitum, tamen quia non reſpicit impios clementer, rectè dicitur, eos non noſſe. De pijs autem dicit Pſalmus: Nouit DOMINVS dies immaculatorum. Alias dicitur DOMINVS paſſus, lachrymas, & pilos capitis piorum numerare: Fugas meas, inquit, *Pſalm. 55.* hoc eſt, paſſus fugæ meæ tu numeras, lachrymas meas reponis in lagunculam tuam, & refers eas in rationarium tuum. Et capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Nunc

Nunc etiam tempora, siue annos, siue menses, siue die
siue horas, & momenta horarum, nosse ac numerasse d
citur. Tantam enim habet rationem suorum piorum
vt non solùm prouideat, quid quouis tempore, quibu
uis diebus & horis, accidat ipsis, verùmetiam non p
teretur, vt quicquam vnquam mali accideret ipsis, n
antè prouidisset, & constituisset secum, qua via, & q
modo succurreret eis, ac seruaret eos, & à malo liber
ret. Nouit dies Israelitarum vidit tempus, quo Israë
tæ affligendi erant in Ægypto. Sed priusquam afflict
acciderat, excogitauit modum, quo eos esset ex Æg
pto liberaturus. Nouit dies ciuium Hierusalem, vid
tempus, quo essent abducendi in captiuitatem Babyl
nicam. Sed priusquam vrbs caperetur, prouidit no
solum tempus liberationis, verùmetiam Monarcha
cuius opera liberarentur, & ad patriam remitterentu
sicut Esaias & Heremias concionantur. Quid multi
DOMINVS sic nouit tempora suorum piorum, qui
fide & vocatione eius ambulare pergunt, vt etiamsi a
cidant eis omnia genera afflictionũ in hac corporali v
ta, tamen conseruet eis æternam hæreditatem: Hæ
ditas eorum, inquit, in æternum, seu perpetua est
Nam, qui credunt in Christum filium Dei, adoptantu
& ipsi propter Christum in filios Dei. Si autem sunt
lij, ergo & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæred
autem Christi. Sed longè alia est ratio eius hæreditat
quam accipimus à patre cœlesti, quàm eius, quæ neb
à terrenis parentibus relinquitur. Hæc enim durat tã
tùm ad tempus, nec potest nos aduersus extrema per
cula, hoc est, mortem & infernum tueri, & in vita co
seruare. Illa autem durat in æternum, estq; tantæ fi

mitudi

mitudinis & ſtabilitatis, vt in omnibus periculis permaneat, ac perpetuò cõſtet. Sciamus igitur, quæ ſit illa cœleſtis hæreditas, vt cognitione & amore eius excitati, diligenter eam aſſectemur. Dicemus ergo hoc verbis Pauli: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri poteſt, vt nõ & cum eodem omnia nobis donet? Filium, inquit, nobis donauit, & cũ filio omnia. Quæ ergo ſunt illa OMNIA? ea videlicet omnia, quæ ipſe habet & poſsidet. Habet autem innumera bona, inter quæ hoc primum omnium conſideremus, quòd apud patrem ſuum tam gratioſus ſit, vt diligat eum ex animo, Hic inquiens, eſt filius meus dilectus, in quo complacitum eſt animæ meæ. Deinde, etſi pater conniuet, vt filius capiatur, affigatur cruci, & moriatur, tamen conſeruat eum in his omnibus aduerſis, ac non ſolùm excitat eum à morte, verùmetiam collocat eum ad dextram ſuam, vt vnà cum ipſo fruatur cœleſti maieſtate, & perpetua beatitudine. Cum igitur Deus pater donauerit nobis filium ſuum, & vnà cum ipſo omnia ſua bona, manifeſtum eſt, quòd & nos gratioſi ſimus apud Deum, propter Chriſtum, & Deus non tantùm conſeruet nos in omnibus periculis, ſed etiam faciat nos vnà cum Chriſto ſedere ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſicut Paulus loquitur. En, hæc eſt hæreditas piorum, quam habent in Ieſu Chriſto filio Dei. Quę etſi pauciſsimis verbis recitatur, plura tamen bona continet, quàm quæ oculus vidit, auris audiuit, & mens hominis vnquam cogitare potuit. Conſideremus igitur initio, quòd hæc bona vocẽtur hæreditas, haudquaquã temerè, ſed conſilio Spiritus ſancti. Voluit enim Spi-

ritus ſanctus huius vocabuli mentione ſignificare, qui
conſequamur hæc cœleſtia bona, nullo merito noſtro
ſed tantùm gratuita clementia eius, qui nos regene-
uit. Nam ſicut infans terrenus ſtatim cum naſcitur, i
hæres bonorum terreni ſui patris, non aliquo ſuo m
rito, ſed tantùm, quia natus eſt huius patris filius: i
confeſtim, vt renaſcimur per fidem, efficimur hæred
Dei, non merito aliquo humanæ noſtræ iuſtitiæ aut
duſtrię, ſed clementia Dei, qui nos gratuitò in filios
optauit. Admoneamur igitur ipſo hæreditatis nom
ne, quòd cœleſtia bona non mereamur, ſed gratuit
propter Ieſum Chriſtum, per fidem, accipiamus. De
de ſciamus, hanc eſſe naturam huius cœleſtis hæredi
tis, quòd in eo, cuius ius eius eſt, non tantùm ſit effic
poſt hanc vitam, verùmetiam exerceat vim ſuam inh
quoq; corporali vita. Etſi enim nondum apparuit, qu
futuri ſumus, vt Ioannes loquitur, & nondum cogn
ſcimus, quemadmodum & cogniti ſumus, vt Paulus
tamen & in hac vita ſuus eſt aliquis fructus cœlei
hæreditatis. Quamdiu hæres puer eſt, non concedi
quidem ei, vt pro ſua libidine fruatur facultatibus h
reditatis ſuæ, ſed eſt ſub tutoribus & actoribus, vt Pa
lus loquitur, nihil vt à ſeruo differre videatur, inter
tamen, ex hac hęreditate pro conditione generis ſui
ſcitur & veſtitur: Sic & hæres cœleſtis regni, etſi
in hac terra adhuc ſub tutoribus, & concutitur va
aduerſis, tamen & in hoc ſeculo, etiam ſub ipſis adu
ſis, habet aliquem guſtum ſuę cœleſtis hæreditatis. V
de Pſalmus addit: Non pudefient in tempore acerb
& in diebus famis ſaturabuntur (hoc eſt) quibus para
eſt æterna hæreditas, non ſolùm fruentur ea in cœli

sed etiam incipient ea in hac vita frui, quia cum incide-rint acerba, aspera, difficilia & dura, vel persecutionis, vel bellorum, vel pestilentiæ, vel famis tempora, non deserentur à Deo, non frustrabuntur spe sua, quam de diuina clementia conceperunt, non confundentur, non pudefient, sed vt sentiant aliquem gustum æternæ suæ hæreditatis, in persecutione conseruabuntur, in bellis euadent, in pestilentia liberabuntur, in fame saturabuntur: Non affliget, inquit Salomon, DOMINVS fame animam iusti. Magna erat fames tempore Iacobi Patriarchæ in Canaan & Ægypto, sed Iacob cum familia sua in his famis diebus saturatur. Grauis erat fames temporibus Eliæ, sed Elias pascitur à coruo, & à vidua. Dura erat fames temporibus Elizæi in terra Israël, sed vidua, quæ hospitium præbuerat Elizæo in fame, vnà cum vniuersa familia conseruatur. Quid ergo? nullus ne pius fame moritur? Certè multi martyres à tyrannis fame necati sunt. Vbi ergo manet illud: Non pudefient in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur? Non est dubium, quin certissima sit huius dicti veritas, est enim oraculum Spiritus sancti. Quare etsi nonnulli immaculati, seu pij videntur in aduersis pudefieri, tamen pudefiunt tantum coram hominibus, & ad tempus, non autem coram Deo, & perpetuò, & quanquam aliqui pij fame necati sunt, non tamen perierunt fame, sed ita seruati sunt diuinitus, vt & famem corporalem potuerint boni consulere, & pro corporalibus epulis saturati sint cœlestibus, adeoq; pasti sint eo pane, de quo Christus ait: Hic est panis, qui de cœlo descendit, qui ederit hunc panem, viuet in æternum.

Quoniam impij peribunt, & inimici DOMINI, ſicut pin-
gues agni abſumentur, in fumo abſumentur.

Iterum repetit interitum impiorũ, vt retineat plos
officio, quòd etiamſi impij aliquandiu felices videã
tamen felicitas eorum prægnans ſit ſumma & extrem
infelicitate. Vocat autem impios, inimicos DOMIN
quos nõ tantùm interituros cõmemorat, ſed pingit e
interitum eorũ ſimilitudine pinguium agnorũ & fum
Quis autem eſt, præſertim in populo ſeu Eccleſia De
qui exiſtimet ſe eſſe Dei inimicũ? Imò etiam hi, qui no
verentur ſe profiteri totius mundi inimicos, palàm v
ciferantur, ſe tamen eſſe amicos Dei. Quos igitur ind
cabimus inimicos Dei? Certè nõ eos tantùm, qui negã
aut Deum eſſe, aut Deum curare humana, ſed etiam eo
qui cum verbis Deum profitentur, factis negãt. Negan
autem Deum factis, quotquot vel aliena à verbo Dei l
cra ſectantur, quales ſunt ſuperſtitioſi: vel verbum De
& prędicatores eius odio habent & perſequuntur, qu
les ſunt hypocritæ & tyranni: vel cõtempto verbo Di
viuunt ſecundum carnem, & aut ſcortantur, aut iniuſt
negotiantur, & dant operam impoſturis, aut alia ſcele
contra legem Domini deſignant. Vides ergo quantu
ſit numerus inimicorum Dei in terris, & adhuc mirari
quòd aliquoties accidant bella, fames, & peſtilentia
Quin potius hoc mirum eſt, quòd cum mundus plenu
ſit hoſtium Dei, Deus tanto tempore ad incolumitate
mundi cõniuere poſsit? Sed benignitas Dei, inquit Pau
lus, inuitat te ad pœnitentiam. Et longanimis eſt, in
quit Petrus, erga nos, dum nõ vult vllos perire, ſed om
nes ad pœnitentiam recipere. Deinde vbi nos legimus,

Gottes freundt vnd aller welt feindt.

ſicut precioſi ſeu pingues agni abſumentur, in fumo abſumentur, alij ita legunt, ſicut adeps agnorum, abſumentur, abſumentur (inquam) vnà cum fumo. Vtraq; lectio probabilis eſt, & inſtituto Pſalmi apta. Si priorẽ lectionem ſequeris, duæ ſunt ſimilitudines. Impij pereunt, ſicut pingues agni, & pereunt, ſicut fumus à vento diſpergitur. Agni enim in hunc vſum ſaginari ſolent, non quod homines delectentur pinguedine agni per ſe, ſed quòd agni deſtinati ſint mactationi. Sic & impij ſaginantur felice rerum ſuarum euentu, non quòd impietas Deo placeat, ſed quòd hac felicitate, niſi pœnitentia amagant, præparentur ad ſummam & perpetuam infelicitatem. Vnde & Hieremias hunc Pſalmum imitatus videtur, cum quærit, quare via impiorum proſperetur: & reſpondet, congregas eos quaſi gregem ad victimam, ſeu lanienam, & ſanctificas eos ad diem occiſionis. Sicut enim paterfamiliâs, exhibiturus amicis magnificum cõuiuium, ſolet vel agnos vel hœdos aliquot diebus reponere, & lautius paſcere, vt pingueſcant, nõ vt beſtiæ his lautitijs ſemper fruantur, ſed vt deſtinato tempore occidantur & mactentur, ita ſolent & impij à Deo reſeruari ad diem iudicij ſui, & interea magna proſperitate ornari, non vt perpetuò ſint proſperi, ſed vt ſuo tempore ad lanienam ſempiterni interitus rapiantur. Quare, niſi velis vnà cum impijs perire, caue ne deſeras vocationem Dei, & imiteris exempla impiorum. Sic & de ſimilitudine à fumo ſumpta dicendum eſt. Nam in alio quoque Pſalmo depingitur interitus impiorum fumo: Sicut deficit (inquit) fumus, ita deficient. Et in Oſea: Sicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario. Ac profecto diſſipatio fumi oſtendit aptiſsimè

interitum impiorum. Fumus enim, cum primùm emi-
titur, sic dilatatur & exaltatur, vt videatur non tantùm
totum aërem impleturus, verùmetiam cœlum conscen-
surus, sed si paruulo tantùm vento affletur, sic vno mo-
mento dispergitur & dissipatur, vt ne vestigiũ quidem
eius reliquũ maneat: ita impij videntur initio felicis-
mi & amplissimi, sed quamprimùm spiritus DOMINI
insufflauerit in eorum felicitatem & amplitudinem, sta-
ea euanescũt, vt plane nihil istorum reliqui fiat. Vide
quòd quocunq; circumferas oculos, siue ad stabula gre-
gum, siue ad fumaria ædium, semper obijciatur tibi con-
cionator, qui te admonitu repentini impiorũ interitu
ab exemplo eorum deterreat. Si posteriorem lectionem
sequeris, vna tantùm est similitudo, sumpta à sacrificijs
agnorum. In sacrificijs enim adeps agnorum conijcitur
in ignem, & vnà cum fumo in tenues auras euanescit.
Sic & impiorum pinguedo seu felicitas, quamprimùm
inijcitur in ignẽ diuini iudicij, ita diffluit & absumitur
vt ne minima quidem particula eius salua relinquatur.
Quis igitur ad impiorum felicitatem non cohorrescat
potius, quàm eorum mores & exempla imitetur?

Mutuò accipit impius, & non soluit, iustus autem liberalis est
& dat.
Quoniam benedicti eius hæreditabunt terram, & maledicti eius
peribunt.

Magnum est discrimen impiorum diuitũ. Alij enim
non solum ditati sunt omnibus affluentibus copijs, sed
fruuntur etiam ijs bona tranquillitate vsq; ad extremum
vitæ diem. De quibus Psalmus dicit: Quorum filij sicut
nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorũ com-
posita

positæ, circumornatæ vt similitudo templi, promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud. Oues eorũ fœtosæ, & quæ sequuntur, notus enim est locus. Alij etsi abundant diuitijs, præ auaritia, tamen nec statuunt modum congregandis quoquo modo, quaqua iniuria diuitijs, nec vnquam fruuntur eis. De quibus loquitur Ecclesiastes: Qui amat argentum, non saturabitur argento. Et: Qui amat diuitias, non capiet ex eis fructũ. Et iterum: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atq; tristitia. Et extant vulgata dicta: Auarus nisi cum moritur, nil recte facit. Et: In nullum auarus bonus, in se pessimus. Et: Auaro tam deest, quod habet, quàm quod non habet. Alij multas opes iniquitate & impostoris coaceruant, sed varijs morbis, alijsq; aduersis ita affliguntur, vt etsi cupiunt, non possunt tamen partis opibus frui. Alij sunt quidem satis opulenti, sed non contenti suis rebus, suscipiunt magnum æs alienum, vt ad augendas opes, vel mercaturam exerceant, vel domos domibus, agros agris coniungant. Itaq; fit, vt studio cumulandarum opum nunquam se alieno ære liberare queant. De his ergo concionatur hic versiculus Psalmi: Mutuò accipit impius & non reddit, hoc est, impostor contrahit magnum & graue æs alienum, vt opes suas augeat. Sed dum existimat opes suas crescere, alienum æs ita crescit, vt tandem non sit soluendo. Iustus autem suis contentus, & egenos pro suis facultatibus liberaliter adiuuans abundat. Cum hoc conuenit & illud Salomonis: Alij diuidunt, inquit, propria, & ditiores fiunt. Alij rapiunt non sua, & semper in ægestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse

quoq;

quoque inebriabitur. Quid ergo causæ est, quòd im
stores aliena ad se coaceruantes, semper egeant: pi
sua alienis exponentes, abundent? Sequitur. Quoni
benedicti eius hæreditant terram, maledicti autem e
dispereunt, hoc est, piorum facultates benedicuntur
uinitus, impiorum autem maledicuntur. Vbi auten
benedictio Dei, ibi est rerum omnium copia, etia
inopia. Vbi verò est Dei maledictio, ibi est inopia,
in summa rerum copia.

Sed quid? an non & pijs sæpenumero accidere si
vt & ipsi suscipiant æs alienum, & postea non sint
4. Reg. 4. uendo? In libris Regum, mulier quædam de vxor
prophetarum clamat ad Elizæum: Seruus tuus, vir
us, inquiens, mortuus est, & tu nosti, quòd fuerit tim
DOMINVM, sed ecce creditor venit, vt tollat duos
os meos ad seruiendum sibi. Hic fuit vir pius, & ta
accidit ei quod hic Psalmus dicit. Mutuò accipit, &
soluit. Quid ergo dicemus? Certe, nulla est maledi
corporalis & externa, quam lex impijs minatur,
Deut. 28. non etiam pijs in hac vita accidere possit & soleat.
pijs dicit lex percutiet te DOMINVS egestate, febr
frigore, ardore & æstu, et aëre corrupto & rubigine
mox: Percutiet te DOMINVS vlcere Aegypti, sc
et prurigine, vt curari non possis. Sed an non etia
solent incurabilibus morbis affligi? Ita & de impij
citur, quòd hostes eorum sint eos oppressuri. Ipse
stis tuus) inquit, fœnerabit tibi, & tu non fœnerabi
Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. Sed & pijs sæ
ab hostibus suis opprimi, & in ære eorum esse. Hu
ergo rei causa, quòd, quæ maledictiones impijs deb
tur, pijs accidant, scriptus est hic Psalmus, & ex

multæ aliæ paræneſes in ſacris literis, vt pij hac rerum confuſione non perturbentur, nec ſuum officium deſerant, ſicut enim benedictiones, ſeu felicitates impiorū non poſſunt eſſe perpetuæ, ſed ſunt paraſceue ad futuram & ſempiternam eorum infelicitatem, ita & maledictiones ſeu infelicitates piorum, non poſſunt perpetuò durare, ſed ſunt procœmia ad futuram, eamq; ſempiternam felicitatem. In exemplo, quod ſupra è libris Regum recitauimus, pius vir multò plura debuit, quàm fuerit ſoluendo. Tantùm autē abeſt, vt liberi eius, propter parentis debita, in ſeruitutem conijciantur, vt vidua inſigni miraculo iuuetur. Pauxillum enim olei diuinitus ita augetur, vt non ſolùm creditoribus ſatis fiat, verùmetiam familia eius ex eo alatur. Quod miraculum non quidem eò reſpicit, vt ſinguli debitores vaſa plena olei ad ſatisfaciendum creditoribus conſequantur, ſed vt Spiritus ſanctus teſtificetur, quòd pijs qui plus debent, quàm ſint ſoluendo, DOMINVS ſemper euentum dare ſoleat, vt aut hoc onus ferre queant, aut eo prorſus liberentur. Quare nihil nobis prius, nihil poſterius ſit vero cultu pietatis, vt DOMINVS vertat omnes maledictiones, quæ nobis accidunt in benedictiones.

A DOMINO greſſus hominis diriguntur, & via eius placet.

Cum ceciderit, non colliditur, quia DOMINVS ſupponit manum ſuam.

Pius, qui in vocatione & obſequio Dei ambulat, ſolet aliquoties non tantùm felicitate impiorum offendi,

sed etiam metu periculorum ab officio suo deterreri
multa occurrunt, in quibus, cum non habeas certum
expressum verbum Dei, nescias, quò te vertas, & qu
vel faciendum, vel omittendum suscipias. Etsi enim g
neralis vocatio Dei certa & reuelata est per Decalog
videlicet, vt nō habeamus alienos Deos, vt nomen D
MINI Dei nostri glorificemus, vt proximum dilig
mus, vt non occidamus, non adulterium committam
non furemur, & id genus alia: tamen Samuel cum a
pellaretur ab Israëlitis, vt constitueret ipsis regem, n
nondum accepisset responsum à Deo, distractus anci
ti via, nescijt quid placeret Deo, & num populo m
gerendus esset, an non. Et Dauid cum fugeret Saule
& deliberaret secum, quò esset fugiendum, dubitau
num manendum esset alicubi in latebris terræ Israeli
cæ, an verò migrandum ad finitimum quendam R
gem, apud quem aliquandiu commoraretur.

Et Iosaphat, cum audiret Moabitas & Ammonit
maxima hominum multitudine in fines regni sui incu
risse, suspensus & incertus videbatur, num sese in fu
gam daret, an arma contra hostes, quamuis longè fo
tiores, pararet. Denique innumeri sunt casus, qui obij
untur pijs, in quibus ex generali vocatione Dei nihi
certi, quod sequantur, habere videntur. Quid igitur fa
ciant? Num deserant officium suū, & sequantur exem
pla impiorum? Nihil minus. Sed primùm omnium co
rent, vt in generali vocatione Dei perseuerent, et quo
habent certum verbum Dei sequantur. Deinde, si inci
derit aliquid incerti & periculosi, bene confidant de di
uina clementia, et inuocent Deum, qui cum propè adsi
omnibus inuocantibus ipsum in veritate, teneri non
potes

poteſt, quin oſtendat viam, qua ſit ambulandũ. Sic enim promittit Pſalmus noſter. A DOMINO, inquiens, diriguntur greſſus hominis, videlicet iuſti & pij, qui ambulat in obſequio DOMINI. Et qua via DOMINVS pium deduxerit, ea etiã placebit DOMINO. Etſi enim pius in eo periculum adit, & collabitur, tamen non conteretur, non peribit, quia DOMINVS ſupponit manũ ſuam, vt etiamſi ille cadat, nõ tamen frangatur, nec cõminuatur.

Hæc eſt obſeruabilis promiſsio, qua Spiritus ſanctus docet piorum greſſus DOMINO curæ eſſe, & cõſilia ac inſtituta eorum diuinitus fortunari, ac ipſos in periculis conſeruari. Sciamus igitur, quod cum hîc loquimur de greſsibus ſeu inſtitutis piorum, intelligamus ea inſtituta, in quibus non habemus certum, manifeſtum, & expreſſum verbum Dei. Nam vbi eſt manifeſtum & expreſſum verbum Dei, ibi nõ eſt locus deliberationi, ſed eſt ſimpliciter obediendi neceſsitas, & in tali obedientia certiſsimum eſt auxilium diuinum. Vbi autem non eſt expreſſum verbum Dei, ibi cum omnia ſint incerta, opus eſt deliberatione, vt nihil temere, & contra voluntatem Dei ſuſcipiatur. Quid igitur faciamus? Primum, conſideremus quod non ſit noſtræ vel induſtriæ vel prudentiæ excogitare ex nobis ipſis viam rei benè & feliciter gerendæ, ſed ex Deo pendeamus, neceſſe ſit. A DOMINO, inquit Salomon, diriguntur greſſus viri, quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam? Et iterum: Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed DOMINI eſt dirigere greſſus ſuos. Et Hiere. Scio, inquit, DOMINE, quia non eſt hominis via eius, nec viri, vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Deinde, quia ſolus DOMINVS eſt, qui dirigat greſſus, & fortunet inſtituta noſtra,

ſed circo non eſt fidendum noſtra induſtria, ſed attolle
di ſunt oculi ad Deum, & inuocandus eſt Deus, vt ip
pro ſua clementia ſit dux & director noſtrorum con
ſiorum. Huc enim vocat nos non tantùm illa conſid
ratio, quam modò recitauimus, ſed etiam exempla pi
rum. DOMINE, deduc me, inquit Dauid, in iuſtitia
propter inimicos meos, dirige in conſpectu meo vi
tuam. Et iterum: Vias tuas DOMINE demonſtra mi
& ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua,
doce me. Ac rurſus: Greſſus meos dirige ſecundum
loquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſti
Et Ioſaphat: In nobis, inquit, non eſt tanta fortitudo,
poſsimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſup
nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc
lum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus
te. Cum autem inuocatio non inueniat locum apud D
um, niſi proficiſcatur ex fide, fidem autem promiſſi
nes Dei excitent, alant & conſeruent: idcirco exa
etiam promiſsiones, quibus Deus clementer recip
piorum ſuorum viam ſibi curæ fore, & ſe conſilia ac
ſtituta eorum gubernaturum. Intellectum, inquit P
mus, tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradie
firmabo ſuper te oculos meos. Et in Eſaia: Ego DO
NVS Deus tuus, inquit, docens te vtilia, gubernan
in via, qua ambulas. Poſtquam igitur incurrimus in
quam rem, & in ea ita hæremus, vt incerti ſimus, q
faciendum, quid omittendum ſit, proiiciamus curam
ſtram in DOMINVM, & inuocemus eum fiducia har
promiſsionum, quas commemorauimus. Quod c
factum fuerit, Deus teneri non poteſt, quin oſten
nobis viam, qua ſit ambulandum, vel arcano mentis

straæ motu, vel amici consilio, vel si aliter fieri non potest, angeli legatione. Et quam viam hoc modo sequimur, eam non dubitemus, quin Deo verè placeat, vt & recte ad nos dicatur, quod ad Saulem dictum est: Cum euenerint hæc omnia signa tibi, fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia DOMINVS tecum est. Et quod Ecclesiastes dicit: Vade comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Quòd si quid periculi in ea via acciderit, meminisse debemus, quid illud Psalmi sit: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Et illud Esaiæ: Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Israëlitæ habuerunt manifestum verbum Dei, vt relicta Ægypto proficiscerentur in terrã auitam. Sed qua via esset eundum, & quibus alimentis essent sustentandi in deserto, incertum erat. Cum igitur obsequerentur manifestæ vocationi Dei, & dubitarent de via profectionis ac alimentis, tantùm abest, vt in ancipiti desererentur, vt Deus proponeret eis interdiu columnam nubis, & noctu columnam ignis, quæ esset dux itineris, ac mitteret eis Manna de cœlis. Dauid errabat in exilio, & quia sentiebat hoc ei voluntate diuina accidisse, tulit exiliũ, vt vocationem Dei, æquo animo. Sed cum ad vrbem Ceilam diuertisset, & Saul statuisset eã oppugnare, hæsitabat Dauid quid faceret, num in vrbe maneret, an aliò se cõferret. Quare cum Dauid obsequeretur manifestæ vocationi Dei, non est desertus à DOMINO in ancipiti casu, sed admonitus est diuino oracluo, quid ipsi factu optimum esset. Iosaphat rex Iudæ renouauit & instau-

rauit collapsam doctrinam & sacra veræ religionis, et etiam politica iudicia in regno suo. Ad hæc enim officia reges manifesto & expresso verbo Dei vocantur. Postquam igitur in incursione Moabitarum & Ammonitarum incertus erat, quò se verteret, direxit DOMINVS gressus eius, & ostendit ei per Prophetam, qua via ambulandum sit, vt victoriã ab hostibus reportet. Cum enim vel principes vel priuati homines manifestæ vocationi Dei piè obsequuntur, dubium non est, quin etiam in obscuris & incertis consilia eorum diuinitus gubernentur, & fortunentur, ac si quid periculi incidat, conseruentur. Quod non tantùm de ijs periculis, quæ pio in officijs pietatis accidere solent, intelligendum est, verum etiam de ijs periculis, in quæ peccator sceleribus suis sese ipse conijcit. Etsi enim Deus nõ est Deus volens iniquitatem, nec est autor peccati, tamen si is qui verè in Christo renatus est, & in manifesta vocatione Dei obedienter ambulat, in aliquo scelere occupatus fuerit, ac mereatur æternam abiectionem & damnationem, Deus tantæ est clementiæ, vt supponat manum suam, ac reducat eum in viam, vt resipiscat & seruetur.

Dauid ipse, qui hunc Psalmum primus recitauit, fecit horribilia scelera adulterij & homicidij, propter quæ dignus fuisset à DOMINO in æternum barathrum conijci. Etsi autem Deus vehementer detestabatur hæc scelera, tamen quia Dauid fuerat antea in Christo renatus & ambulauerat tàm in exilio, quàm in administratione regni, secundum manifestam vocationem, & vt scriptura loquitur, secundum cor Dei, idcirco Deus suppositurus Dauidi manum, & sustentauit eum, vt non periret in sceleribus, sed pœnitentiam ageret, & saluten-

consi-

consequeretur. Petrus lapsus est grauissimo casu in ne-
fariam abnegationem Christi, & meruerat à Christo in
perpetuum abijci: sed quia antea officium suum summa
fide in Christum fecerat, suppositit Christus manum su-
am Petro: Orauí, inquiens, pro te, ne deficiat fides tua,
hoc est, ne postquam fidem abieceris, pereas, sed fidem
recipias, & serueris. Ergo, inquies, Deus respicit prio-
rem obedientiam, & merita eius, contra quam Eze- *Ezech.18.*
chiel dicit: Omnium iustitiarum suarum, quas fecit,
nulla erit recordatio, restituit lapsum? Nihil certè mi-
nus. Verissimum enim est, quòd Deus in instaurando
lapso, non respiciat merita prioris iustitiæ, sed quemad-
modum in regeneratione conuertit ad se impium, &
adoptat eum in filium, gratuita tantùm clementia, pro-
pter Christum filium suum: ita etiã in conuersione la-
psi, respicit tantùm suam ipsius misericordiam in filio
suo exhibitam, & instaurat lapsum, sola liberali sua be-
nignitate, qua eum, qui lapsus est, etiam ante casum
complexus fuit. Iosaphat, rex pijssimus, coniunxerat se *2. Paralip. 19.*
cum impio Ahab, qua coniunctione peccabat aduersus
Deum grauissimè. Audit igitur à Propheta: Impio ne
præbes auxilium, & his qui oderunt DOMINVM, ami-
citia adiungeris? Idcirco iram quidẽ DOMINI mere-
baris, sed bona opera inuenta sunt in te, eò quòd abstu-
leris lucos de terra Iuda, et præparaueris cor tuũ, vt re-
quireres Deum. Non prædicat Propheta merita iusti-
tiæ Iosaphat, quæ in conspectu Dei nulla erant, sed præ-
dicat clementiam Dei, cuius gratuito fauore Iosaphat
antea diligentissimè obedierat manifestę vocationi ip-
sius, et instaurauerat in regno suo cultum veræ religio-
nis. Qua igitur clementia Deus antea Spiritu sancto

suo,

suo Iosaphatum ad veram pietatem excitauerat & re
genuerat, eadem postea labentem excepit, & conserua
uit. Quare summo semper studio sectandæ manifestæ
vocationis Dei teneamur, vt non solùm non collida
mur & comminuamur, cum incidimus in pericula pie
tatis, verùmetiam seruemur & liberemur e periculis
impietatis.

2 *Iunior fui, at senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen*
eius quærens panem.
Indies beneficus est, & mutuum dat, & semen eius benedicta
tur.

3 Sæpè ac multùm mirari solemus, cum legimus hunc
versiculum Psalmi, quid sibi velit Dauid, quòd affirmet
se nunquàm vidisse semen seu liberos & posteros ho
minis iusti, victum suum mendicitate quærere. Quan
tus, obsecro, passim numerus est mendicorum? Num
horum omnium parentes & maiores damnandi sunt in
iustitiæ & impietatis? Scilicet, Lazari parentes dice
mus fuisse iniustos & impios, quòd filius eorum quæsi
uerit panem mendicitate? Diuitis autem parentes fuis
se homines pios, quòd filius eorum magnas possederit
opes? Sed facilis est huius rei explicatio, si considera
uerimus, quò respiciat Dauid. Ac vt hunc versiculum
suo ordine percurramus, obseruemus primùm, quid il
lud sit, quod dicit: Non vidi iustum derelictum. Quid
ergo iustissimus omnium clamat in cruce: Deus meus,
Deus meus, vt quid me dereliquisti? De hoc clamore
dictum est aliâs copiosius, quare erimus nunc breuio
res. Iustus videtur aliquoties deseri iuxta humanam
ip

ipsius voluntatem, nunquam autem deseritur iuxta veram suam vtilitatē. Et deseritur quidem nonnunquam in externis afflictionibus, vt ex ipsis non liberetur mirando quodam modo, secundum externam speciem, sed non ita deseritur, vt non conseruetur in afflictionibus, ad veram & æternam salutem.

Sic filius Dei desertus quidem dicitur à Deo in cruce, quòd Deus non liberauerit eum de cruce externo miraculo, & nō fecerit eum visibiliter de cruce descendere, sicut Iudæi postulabant, & aliquoties Patriarchæ mirabiliter è suis aduersis etiam externa specie liberati fuerant. Non est autem desertus, quòd perierit cruce, sed ita conseruatus est, vt tertia die à mortuis resurrexerit, & exaltatus sit ad dexteram Dei.

Sic Stephanus visus quidē est à Deo deseri, quòd saxis ita obrueretur, vt ex hac vita excederet. Non est autem ita desertus, vt inter saxa periret, sed conseruatus ad æterna salute. Cœleste enim oracultum est, quòd hîc dicitur, iustum nunquam deseri, quòd vel conseruetur in aduersis externo miraculo, sicut tres adolescentes cōseruati sunt in igne Babylonico, & Daniel in lacu leonū, vel, etiamsi aduersa ita pręualeant, vt morte occumbant, reliquum tamen est aliud seculum, in quo sempiterna vitæ fruetur. Hæc est vera salus, qua iustus nunquam, siue viuat, siue moriatur, destituetur.

Deinde, quod dicit, semē iusti non quærere panem, significat liberos & posteros iustorum à DOMINO ita benedici, vt nunquam necesse habeant victū mendicitate quęrere. Respicit autem ad generalem diuinę legis promissionem & ordinationem. In Decalogo enim dicitur: Faciens misericordiam in mille, his qui diligunt

me,& cuſtodiunt præcepta mea. Et in Deuteronomio: Si audieris vocem DOMINI Dei tui, atq; cuſtodias omnia mandata eius,benedictus erit fructus ventris tui, Quid ergo? Cum videamus liberos honeſtiſsimorum parentum aliquoties nō pauperes tantùm,ſed etiā mendicos eſſe, dicemus ne illā generalē Dei promiſsionem aliquoties mendacē eſſe? Nihil verò minus. Primùm enim, ſi Deus ſeueriter de hominibus iudicare voluerit, nullum inuenit verè iuſtū: Si iniquitates, inquit, obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et: Omnes declinauerunt. Nihil ergo cuiquam,nec parenti,nec liberis,propter iuſtitiā eorū debet. Deinde,etiamſi intelligamus nomine iuſti, nō eū,qui verè in ſe ſit iuſtus,ſed eum,qui credit in Chriſtum iuſtum, & profert quos poteſt iuſtitiæ fructus: tamen Deus etiā ſic multas & legitimas habet cauſas,cur cōniciat aliquoties piorū liberos non in egeſtatē tantùm,ſed etiā in mendicitatē, ac maneat nihilominus perpetuò in promiſsis ſuis verax,et in ordinationib. ſuis cōſtans. Nā quod dicitur in generali promiſsione & ordinatione, Deum facere miſericordiā multis poſteris eorum,qui cuſtodiunt præcepta ſua, Ezechiel interpretatē ſic intelligendū: Si poſteri maiorū ſuorū pietatem ſectentur. Si aūt maiores fuerint pij,poſteri aūt impij, manet etiā ipſos impiorū maledictio. Si vir fuerit iuſtus, inquit Ezechiel, & fecerit iuſtitiam & iudicium, vita viuet,ait DOMINVS Deus. Quod ſi genuerit filium latronem,effundentem ſanguinē,nunquid viuet? Nō viuet,ſed morte morietur,ſanguis eius in ipſo erit. Sed demus, nō tantùm parentē, verùmetiam filium eſſe pium ac iuſtum, attamen etiam ſic diuino cōſilio fieri poteſt, vt filius neceſſe habeat panē mēdicare

Ezech.18.

te quærere. Quod enim Christus apud Ioannem de homine à natiuitate cęco, de quo discipuli interrogabant, num ipse, an parentes eius peccassent, vt cæcus nascerétur, dicit: Neq; ipse peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo, hoc idem de mendicis liberis piorum parentum affirmari potest. Coniiciuntur enim aliquoties liberi in mendicitatẽ, neq; propter ipsorum, neq; propter parentũ eorum peccatũ seu iniustitiam, sed vel vt nomen Dei per illos illustretur, quale exemplum est illius cæci mendici, cuius modo mentionem fecimus, vel vt fides eorũ probetur, nam sicut morbis, captiuitatibus, seruitutibus, & alijs id genus ærumnis, ita & paupertate ac mendicitate fides piorũ probari solet: vel quòd Deus velit mendicitatem cõpensare cœlestibus & æternis diuitijs. An non Iob fuit omnium virorum, qui suis temporibus in terra fuerũt, iustissimus? Si negaui, inquit, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, Si comedi buccellam solus, & nõ comedit pupillus ex ea? Et tamẽ liberi eius, nõ quidem mendici fiunt, sed quod horribiliùs est, omnes simul domus ruina opprimuntur. Quid adhæc dicemus? Si quidem impij fuerunt, meritas luerunt pœnas: si autem pij, accidit hoc eis, vt parentis tolerantia probaretur: & vt veritas diuinæ promissionis cõstet, acceperunt ipsi pro caduca vita, cœlestis & æternæ vitæ felicitatem.

Lazarus, de quo apud Lucam, mendicus est, & habet optimum testimoniũ pietatis suæ. Quòd si piorum liberi non sunt obnoxij mendicitati, quãto minus homines ipsi pij deberent esse mendici. Sed vt Deus in promissis verax, & in ordinationibus suis constans inueniretur, reposuit Lazaro pro breui mendicitate æternas diui-

tias. Quare, cum videmus piorum hominum liberos pa-
nem mendicitate quærere, non arguamus cœleste ora-
culum mendacij, nec damnemus vel parentes mendico-
rum, vel mendicos ipsos peccati, & iniustitiæ, sed affi-
ciamur misericordia erga alienas ærumnas, & cogite-
mus Deum non commissurum, quin pio hanc terrenam
infelicitatem compensaturus sit cœlesti felicitate.

N. B.

Eodem plane sensu dicitur, quod sequitur: Iustus be-
neficus est, & dat mutuũ, & semen eius benedicetur, hoc
est, Qui iustè negotiatur, & iuuat partis bonis egentes
liberaliter, hic nõ solùm ipse consequitur à DOMINO
benedictionem opum suarum, verùmetiam posteri eius
benedicentur diuitijs. Dispersit, inquit alius Psalmus,
dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.
Qui enim ea est iustitia, vt egenis clementer & largiter
benefaciat, huic DOMINVS vicissim benefaciet, etiam
in futuris hominum ætatibus, in posteritate eius. Id e-
nim est manere iustitiam in seculum seculi. Hoc si non
fiat secundum rationem regni Mosi, certè fiet secundum
rationem regni Christi.

Alia enim est ratio regni Mosi, alia regni Christi: &
illius regno politica tractantur, & externa promittun-
tur. Quare, cum DOMINVS recipit se gratuita sua mi-
sericordia redditurum iusto mercedem, non est alienum
à sententia Spiritus sancti, vt intelligas de mercede po-
litica, in hoc externo seculo, siquidem respexeris ad ra-
tionem regni Mosi.

In regno autem Christi tractantur spiritualia, & pro-
mittuntur cœlestia ac æterna. Quare si non contigerit
iusto merces politica, iuxta regnum Mosi, nihil certius
est, quàm quod contingat ei merces spiritualis & cœle-
sti

ſtis iuxta rationem regni Chriſti. Apud Marcum dicitur: Nullus eſt qui reliquit domum, aut fratres, aut ſoroꝛes, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, mea cauſa & Euangelij, quin recipiat centupla, nūc in tempoꝛe hoc domos & fratres, & ſorores, & matres, & liberos, & agros cum perſecutionibus, (hoc eſt, quantumuis graues ſunt perſecutiones) ac in ſeculo venturo vitam æternam. Non ſolùm autem is relinquit facultates ſuas propter Chriſtum & Euangelium eius, cui propter huius confeſsionem tyrannidè auferuntur, verùmetiam is, qui ad teſtificandam fidem & charitatem ſuam, proximum liberaliter facultatibus ſuis iuuat. Promittitur ergo ei retribuo centupla, & diſertè additur, NVNC & IN HOC TEMPORE. Quibus verbis ſignificatur retributionem centuplam non reijci tantùm in futurum ſeculum, ſed etiam contingere in hoc ſeculo. Nihilominus tamen ſententia huius promiſsionis exigenda eſt tam ad rationem regni Chriſti, quàm ad rationem regni Moſi. Ac in nonnullis quidem impleta eſt hæc promiſsio, iuxta rationem regni Moſi, quòd pro deſertis facultatibus propter cõfeſsionem Chriſti, receperint in hoc ſeculo cẽtupla politicè. Exempla ſunt Iouianus & Valentinianus, qui cum relinquerent cingulum ſeu dignitatem militarem propter Chriſtum, receperunt poſtea mercedis loco regnum Romanum, & Maieſtatem Imperatoriam. Catholicè autem & vniuerſaliter impleri ſolet in hoc ſeculo iuxta rationem Regni Chriſti, videlicet, quòd pro ablatis facultatibus, non ſolùm reddatur pio animus ſua ſorte contentus, & in exilio ac egeſtate tam tranquillus, quam antea, preſentibus adhuc facultatibus, verùmetiã excitentur alij homines, qui eum non

minori fauore prosequuntur, nec illiberalius adiuuare quàm si adhuc haberet omnes amicos & agros, quos de seruit. Hęc est spiritualis & cœlestis in hoc seculo retri butio. Nam quæ sequitur in altero seculo, nō potest hu mana lingua satis explicari. Talem retributionem acce perūt Apostoli in hoc seculo. Pro retibus enim suis, qu reliquerunt ad vocationem Christi, non acceperunt i his terris multas & magnas opes politicè, iuxta ratio nem regni Mosi, sed acceperunt eas spiritualiter iux rationem regni Christi, quia & lætissimo animo sus extremam paupertatem propter Christum tulerunt, & nihil vnquam necessarium rerum eis defuit, & quocū que peruenerunt, suos fratres, sorores, matres & agr inuenerunt: Quasi dolentes, inquit Paulus, semper u men gaudentes: quasi pauperes, multos tamen ditā tes: vt nihil habentes, & tamen OMNIA possidentes Et iterum: Testimonium reddo vobis, quòd si fieri p tuissetis, oculos vestros effossos dedissetis mihi. Nec vn est Paulus, nec vnus Petrus, quibus tale quid contigi sed vt promissio est vniuersalis, ita & singuli pij, q promissioni credunt, & ex fide vocationem Christi quuntur, suam accipiunt in his terris bonorum retrib tionem. Quare vnum hoc sit studium nostrum, vt n non sumus Apostoli, credamus tamen Apostolico se moni, & accipiemus etiam mercedem Apostolicā: N pro eis tantum rogo, inquit Christus, sed & pro ijs, q crediturí sunt per sermonem eorum in me.

Recede à malo, & fac bonum, & inhabita perpetuò.
Quia DOMINVS amat iudicium, & nō deseret benefícos su
in æternum custodientur, semen autem impiorum excinde
Vid

Vide, quoties eandem sententiã, variata tantùm sermonis figura, repetat. Cor enim exẽplo et felicitate impiorum perturbatum indiget copioso verbo, vt mitigetur et in officio contineatur: Recede, inquit, à malo. Nõ ignoro te exemplo impiorũ sollicitari, ad deserendum tuum officium, & sectandam malitiam ac impietatẽ. Tu verò non id agendũ suscipias, ad quod impij te inuitãt, sed quod verbũ DOMINI iubet: Primùm, recede à malo. Hoc malum est peccatum, quod est agnoscendum & detestandum, nam hoc est initium verę pœnitentiæ, & obedientiæ erga Deum, vt peccatum agnoscas, detestaris & fugias. Deinde, fac bonum. Non sufficit, vt peccatũ agnoscas, & à peccato recedas; sed necesse habes etiam bonum facere. Hoc bonum pręcipuè est agnoscere clementiã Dei, & credere in filium Dei DOMINVM nostrum Iesum Christum, quòd Deus propter hunc sit nobis propitius, & adoptet nos in filios & hæredes omnium cœlestium suorum bonorum. Hoc bono opere nihil est melius, nihil magis salutare. Deinde faciendum est & illud bonũ, vt ex hac fide in obsequio præceptorum Dei ambules, sicut Decalogus ea præscribit. Bonum facere.

Hęc est generalis obedientia, quam omnes Deo pręstare debemus. Postremò, Inhabita, inquit, perpetuò. Hoc etsi pro promissione intelligi potest, vt sit sensus, Si recesseris à malo, et feceris bonũ, inhabitabis perpetuò in terra trãquillus, sicut et suprà dictũ est: Mansueti hæreditabũt terrã, et delectabuntur multitudine pacis: tamen haud ineptè etiam pro pręcepto intelligitur. Cũ enim his verbis: Facito quod bonum est, requiratur generalis obedientia Decalogi, nunc illis verbis: Inhabita perpetuò, requiritur specialis obedientia, quam in sua

in ſua quiſque vocatione pręſtare debet. Sunt enim qui cum vident ſe in ſua patria, inter ſuos ciues, & in ſuo opificio, tanta eſſe infelicitate, vt vix ſe à mendicitate tueri poſsint, deliberant ſecum, de deſertione non tam tum pietatis, verùmetiam patrię et opificij ſui. Ac alius quidem, relicto loco, in quo doctrina verè pia traditur, commigrat ſpe parandarum diuitiarum in aliam regionem, in qua impius cultus Dei obtinet. Hic certè cõiicit ſe ipſe in manifeſta pericula. Quæ temeritas, quomodo poſſet eſſe felix? Alius aliud ſubinde opificiũ alio commutat, & nunc exercet agriculturam, nũc mercaturam, nunc opificium mechanicum, nunc, ſi Deo placet, medicinam. Videas enim multos, qui cum periculũ fecerint in varijs generibus vitæ, ac in nullo eorũ conſecuti ſint opes, pro ſuo voto, cõferunt ſe tandem ad exercitiũ medicinæ. Alius deſerto politico genere vitæ, cõfert ſe in eremum aut monaſterium. Sed hanc varietatẽ et inconſtantiã improbat Spiritus ſanctus, & dicit: Inhabita perpetuò, hoc eſt, Non hoc volo, vt hinc inde in terra migres, ſed vt ſedem ſtabilem, & certum domiciliũ habeas. Fieri quidem ſolet, vt de loco in locũ, de regione in regionẽ, ſingulari vocatione Dei, aut perſecutione, aut alia quadam neceſsitate, migrandum ſit, ſicut Patriarchæ aliquoties ſedes ſuas mutarunt, & qui in exiliũ ejiciuntur, neceſſe habent alio ſe conferre, diuina vocatione. Si autem nihil tale ſeſe obtulerit, non ſunt mutanda ſedes, ſed inhabita, inquit, perpetuò: Non ſines te, inſolicem rerum tuarum euentum, è ſedibus tuis exturbari, quaſi vna cum ſedium mutatione, etiam fortunã ſis mutaturus, ſed maneas ſtabilis in tuo domicilio, et opificio, & pergas in vera pietate ambulare. Etſi enim hoc præ-

ſenti

senti tempore, male tibi euenire videtur, et impijs tuis vicinis, bene, tamen fieri non potest, vt hæc rerum confusio & perturbatio diu constare queat. DOMINVS enim amat iudicium Filij huius seculi, cum vident bonis male, & malis bene euenire, existimant Deum non curare res humanas, nec delectari iusto & legitimo rerum ordine, nec requirere, quid cuiq; in terris accidat: idcirco vsurpant sibi licentiam peccandi, & hoc solùm curant, vt homines lateant, aut hominibus sua probent. Repleta est terra, inquit Ezechiel, sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione, quia dixerunt: dereliquit DOMINVS terram, & DOMINVS non videt. Sed Spiritus sanctus contrarium docet: DOMINVS, inquiens, amat iudicium, hoc est, DOMINVS non dereliquit terrã, nec despicit humana, nec delectatur rerum confusione & perturbatione, sed amat iustum & legitimũ tàm humanarum, quàm omniũ aliarũ rerum ordinem, (hoc enim est iudicium) nec simpliciter eum amat, sed zelo tuendi & conseruandi eius ardet. Ego sum, inquit DOMINVS, Deus tuus fortis Zelotes. Et: DOMINVS, Zelotes nomen eius. Hic autem est iustus et legitimus ordo, vt benefici, qui custodiunt mandata Dei, non deserantur, sed sicut ipsi custodiunt mandata Dei, ita vicissim et ipsi & posteri eorum à Deo custodiãtur, impij autem, non tantùm ipsi pereant, sed etiam semen, hoc est, posteritas eorum excindatur. Hunc rerum ordinem constituit lex ipsa diuina: Ego sum, inquit, DOMINVS Deus tuus, visitans iniquitatem Patrum, in filijs, vsq; ad tertiam, adeoq; quartã generationem eorum, qui me oderunt, et faciens misericordiam in mille, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Hic est iustus et legiti-

mus rerum ordo, & hoc est iudicium Dei, vt pijs, nõ ip
sis tantùm, verùmetiam posteris eorum beneficiat, ab im
pijs autem, non ab ipsis solùm, verùmetiã à liberis, a nep
potibus, à posteris eorum pœnæ expetantur. O miran
(iterũ vociferantur filij huius seculi) equitatẽ Dei. Fer
ret ne vlla ciuitas latorẽ istiusmodi legis, vt condẽna
retur filius aut nepos, si pater aut auus deliquisset? Non
Cicero lib. 3. de natura Deor. ferret, non certè ferret. Nam lex etiã ipsa Moſi præscri
bit, quod in hac re est æquissimũ: Non occidẽtur, inquiens, patres pro filijs, nec filij pro patrib., sed vnusquisq
pro peccato suo morietur. Et repetijt Ezechiel: Anima
inquiens, quæ peccauerit, ipsa morietur, filius nõ porta
bit iniquitatẽ patris, neq; pater portabit iniquitatẽ filij
sed iustitia iusti erit super eũ, & impietas impij erit su
per eũ. Quid igitur dicendũ est de diuino illo iudicio et
ordinatione, cuius paulò antè mentionẽ fecimus, vide
licet, quòd Deus nõ solùm benefaciat posteris, propter
maiorum suorum pietatem, verùmetiã puniat posteros
propter maiorum suorum impietatem? Dicamus pri
mùm de eo, quod in Decalogo scriptũ est: Faciens mi
sericordiam in mille, his qui diligunt me, & custodiunt
mandata mea. Et Psalmus noster dicit: Non deseret be
neficos suos. In æternum custodientur, hoc est, etiam po
steri eorum seruabuntur, Hæc enim non eò respicit,
quòd Patriarcharũ merita tantæ sint dignitatis, vt pro
pter ea DOMINVS tam ipsis, quàm posteris eorum be
nefaciat, sed cõmendant liberalem Dei misericordiam,
quòd sicut Deus contulit beneficia sua in Patriarchas
gratuita clementia, ita velit etiam ea conferre gratuita
clementia in posteros eorum. Recordare, inquit Mo
ses, Abrahami, Isaac & Iacob seruorum tuorum. Non in

ciat coram Deo merita horum Patriarcharum.

Nam de Abraamo ipso, qui Patriarcharũ præcipuus est, scriptura testatur, quòd cum vnà cum patribus suis seruiret dijs alienis, liberatus sit idolatria diuino & gratuito fauore. Et aliâs scriptum est, Abraamum iustificatum FIDE. Non igitur suis meritis, sed gratuita tantùm clementia Dei propter Christum iustificatus est. Quòd si Deus, ne in Abraamo quidẽ ipso merita iustitiæ, quæ respiceret, inuenit, quomodo propter dignitatem meritorũ eius, posteris beneficeret? Sed Moses idcirco commemorat corã Deo in precibus suis nomina Patriarcharum, vt admoneat Deũ gratuitæ suæ promissionis, qua olim ex mera misericordia receperat se posteros eorum augere, & in regno Canaã collocare. Vnde & in precibus Mosi sequitur: Quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli. Et aliâs: Non propter iustitiã & æquitatẽ cordis tui ingredieris, vt possideas terras Gentiũ, sed vt Dominus compleret verbum suum, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis. Sicut ergo Deus patribus nullo meritorũ respectu, sed tãtùm gratuitò promisit possessionem terræ Canaan, & alia beneficia, ita & præstitit ea posteris eorum gratuitò. In tertio libro Regum, irascitur DOMINVS Salomoni, quod ædificasset vxoribus templa alienorum deorũ: Scindam, inquiens, regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud, nec totum regnũ auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum. Hîc iterum non prædicantur merita iustitiæ Dauidis, quæ ne ipse quidem agnoscit: Quis ego sum, inquiẽs, & quæ domus

Iosuæ 4.

mea, quòd me sic extollis? Et aliâs: Non intres in iudi-
cium cum seruo tuo, quia non iustificatur in cõspectu tuo
omnis viuens, Sed prædicatur gratuita clementia Dei
& veritas promissionum eius. Benefacit enim Deus po-
steritati Dauidis, propterea quòd gratuitò promiserit
Dauidi se missurum ex familia sua Christum, & consti-
tuaturum regnum in posteritate eius, donec Christus ve-
niret. Quare sicut hoc promissum est Dauidi gratuito,
sine vllo meritorũ eius respectu, ita seruatum est poste-
ritati, sine vllis meritis, sed tantùm gratuita clementia
& vt veritas promissionis Dei illustretur. Sed quòd di-
citur: Faciens misericordiam in mille his qui diligunt
me, & custodiunt mandata mea, maximè omnium respe-
cit in Iesum Christum filiũ Dei, qui solus tanto dilectio-
nis ardore complexus est Deum Patrem suum, & man-
data eius custodiuit, vt impetrauerit ab eo, quòd iusti-
ficet propter ipsum in gratiam, & adoptet in filios suos
omnes illos, qui in ipsum credunt. Quotquot, inquit, re-
ceperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri his, qui
credũt in eum. Et mox: De plenitudine eius nos omnes
accepimus & gratiam pro gratia. Atq; hactenus de eo
quòd Deus benefacit posteris propter maiorum pieta-
tem. Deinde consideremus & illud, quòd Deus punit
posteros propter maiorum suorum impietatem. Non e-
nim sentiendum est, quòd Deus puniat innocentem fi-
lium, propter nocentẽ patrem, quid enim esset iniquius,
sed quòd Deus tanta sit clementia & bonitate, vt soleat
aliquandiu ad maiorũ impietatem conniuere, & pœni-
tentiam eorum expectare, adeoq; externum supplicium
impietatis differre vsq; ad posteros ipsorum, si forte ve-
hi a maiorum impietate resipiscant, & supplicium eua-
dant,

dant. Si verò posteri impietatem maiorum ita imitãtur, vt non solùm non resipiscant ab ea, verùmetiam cumulent eam, & propugnent, nec vlla sit amplius spes resipiscentiæ eorum, hîc iam tempus est, non inferendi tantùm, sed etiam augendi supplicij. Tunc enim non innocens, sed nocentissima posteritas suo ipsius merito punitur. Adam peccauit, & vniuersa posteritas eius cõiecta est in mortem. Quid? num posteritas innocens? Nequaquam, sed quæ hæreditatem peccati à parente suo accepit. Propter vnum hominem, inquit Paulus, peccatũ in mundum introijt, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus OMNES peccauimus. In libro Samuelis & Regum, deletur nunc posteritas Saulis, nũc posteritas Ierobeami, nunc posteritas aliorũ Regum, propter impietatem maiorũ suorum. Num autem horum posteritas innocens est? Tantum abest, vt sit innocens, vt etiam maiorum suorũ impietatem auxerit. Quare iustissimo Dei iudicio fit, vt pendat pœnas impietatis maiorũ suorum. Itaq; quod dicitur: Visitans iniquitatem patrum in filijs in tertia & quarta generatione. Et: Semen seu posteritas impiorũ excindetur: intelligendum est de filijs, de generatione seu posteritate, quæ patrum suorũ impietatem sectatur. Tantum enim abest, vt Deus innocentẽ posteritatem propter nocentes maiores puniat, vt si quis in ea posteritate, quæ iam presenti supplicio subiecta est, pœnitentiam agat, & cõuertatur ad DOMINVM, huic commutet DOMINVS gratuita sua clementia supplicium in benedictionem & organon salutis. Leui, filius Iacob, sæuijt vnà cum fratre Symeone, violata fide, aduersus ciues Sichimitas. Maledicitur igitur à Patriarcha Iacob, non ipse tantùm, sed &

posteritas eius: Maledictus, inquit Iacob, furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorũ, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël, hoc est, posteritas eorum non accipiet propriam hæreditatem in terra Canaan, sicut aliæ tribus, sed necesse habebunt dispersi in aliorum tribuum hæreditatibus habitare.

Sed cum postea Leuitæ conferrent opem suam cum Mose, ad vindicandam idolatriam Israëlitarũ, commutata est maledictio eorum in benedictionem, vt & sanctissimo Ecclesiæ ministerio præficerentur, & ab alijs tribubus decimas, & partes sacrificiorũ acciperent. Tota Adæ posteritas obnoxia est morti propter parentis sui peccatum, quod in ipsam propagatum est. Sed quotquot in hac Adæ posteritate conuertuntur ad DOMINVM, & credunt in semen mulieris, seu filium virginis, qui fuit Adę promissus, ijs mors non amplius erit mors, sed somnus e quo excitentur ad veram & æternam vitam. Ac breuiter, verissimũ est, quod Psalmus dicit: DOMINVS amat iudiciũ. Hæc enim est certissima regula, & sacrosanctum ac inuiolatũ iudiciũ Dei, quòd etiamsi impij diu videantur felices, & pij infelices, tamen impijs vna cum posteris eorum, qui impietatem maiorũ suorum sectantur, malè tandem eueniet, pijs autem & posteris eorum, qui sunt imitatores pietatis maiorum suorum, benè eueniet, si nõ in hoc seculo, quod profectò est fragile & caducum, certè in venturo, quod est perpetuò constans, & firmum. De qua re, cùm multa alia dicta & facta, in literis Propheticis & Apostolicis, tum præcipuè, quod scriptum est apud Euãgelistam Lucam de diuite helluone & paupere Lazaro, testimonium dicit. Quare non offendamur felicitate impiorum, vt deseramus

mus nostrum officiũ, sed recedamus à malo, et faciamus quod bonum est, vt & nobis ipsis, & posteritati nostræ à DOMINO beneſiat.

Iusti hæreditabunt terram, & habitabunt semper super ea. ٢

Admiratione non indignũ est, quòd cum Dauid susceperit in hoc Psalmo versiculos eius, iuxta ordinẽ Alphabeti Hæbraici recitandos, omittat literam ע Ain, et pro ea ponat literam צ Zadik, quam tamen mox suo loco repetat. Fortasis initiò, nisi me coniectura fallit, sic scriptum fuit, עיני צדיקים Oculi iustorum. Sed scriba quispiam offensus absurditate, vt putauit, sententiæ, quid enim oculis cum hæreditate terræ? scripsit, omissis oculis: Iusti hæreditabunt terrã. Etsi aũt non est opus, vt de hac re multũ simus solliciti, potuit enim Dauid, vel sine ordine literarum versiculos Psalmorum recitare, sicut multos recitauit, vel transponere literas, à capite versiculorũ pro suo arbitrio: tamẽ cum legimus: Oculi iustorum hæreditabunt terrã, nihil absurdi dicitur. Solet enim scriptura aliquoties visu oculorũ, delectationẽ & voluptatem significare: Videbis, inquit Esaias, & affluues, hoc est, delectaberis, & hilaris eris. Et paulò post in hoc ipso Psalmo: Cũ perierint peccatores, videbis, hoc est, gaudio afficieris. Cũ igitur Psalmus suprà dixit, pios hæreditare terram, nunc addit etiam oculos eorum hæreditare terram, & commorari in ea semper, videlicet significat, quòd pij non simpliciter possideant terram, verùmetiam fruantur ea magna animi delectatione, & habeant in ea firmam & stabilem sedem. Alij sentiunt, quòd cum singulæ literæ Alphabeti contineant bi-

ant binos quæque verſiculos, omiſſum ſit, incuria ſcri-
barum, hemiſtichium, quod Græcus interpres expreſ-
ſit, videlicet: Iniuſti punientur. Et pro (iniuſti) fuerit
apud Hebræos ſcriptũ עוולים Hauilim. In qua dictione
eſt litera ע Ain initialis. Præponendum eſt autem hoc
hemiſtichium poſteriori præcedentis verſiculi, vt lega-
tur: Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit. Sed
quicquid id ſit, certè Pſalmus iterum opponit inter ſe
iuſtos, & iniuſtos, & dicit, quòd iniuſti ſeu iniqui puni-
antur, non ipſi tantùm, ſed etiam ſemen ſeu poſteritas
ipſorum, iuſti autem & pij hęreditent terrã, & fruantur
beneficijs eius. Hoc impletur in multis pijs, iuxta ratio-
nem regni Moſi, ſicut ſuprà expoſuimus, maximè au-
tem omnium impletur in eis, iuxta rationẽ regni Chri-
ſti. Regnum meum, inquit Chriſtus, nõ eſt de hoc mun-
do: ergo etiam terra eorum, qui ſunt Chriſti, non eſt de
hoc mundo. Primùm enim, quia piorum municipatus
præcipuè eſt in cœlis, idcirco ſunt ea terræ parte quan-
tumuis parua, quam in præſentia vident & diuina cle-
mentia poſsident, contenti. Filijs huius terræ nullus a-
ger, nulla terra ſatis ampla eſt. Et quemadmodũ canis,
cum videt ante ſe duo panis fragmenta poſita, etſi alte-
rum arripit & deuorat, tamen in alterum ſic inhiat, vt
illud prius abalienato planè ſenſu, ac nulla voluptate in
ventrem trajicere videatur: ita filij huius ſeculi quãtam-
cunq; terræ partem poſsidendam acquiſierint, nihil ſe
habere exiſtimant, niſi & vicinam occupauerint.

Alexander Magnus totius orbis domitor, ac monar-
cha, cum audiſſet Philoſophum diſſerentem, plures eſſe
mundos, ingemuiſſe dicitur, quòd vix adhuc vno mun-
do potitus eſſet. Sic eſt hominum huius ſeculi affectus,

quo,

quò plura poſsident, plura appetunt. Cum enim Deo ipſo, qui ſolus eſt vera rerum ſatietas, careant, fieri non poteſt, vt etiamſi totius terræ dominationem haberent, ſatis ſibi diuitiarũ honoris & potentiæ habere viderentur. Sed longè alius eſt affectus, alia ſors piorum. Hi enim etſi vel vnum ſaltem veſtigium pedis in terra poſsident, tamen quia poſsident per fidem filium Dei, qui eſt exaltatus ad dextram Dei, & eſt Dominus cœli ac terræ, idcirco ſunt & ipſi per filium Dei poſſeſſores cœli & terræ. Vide mihi nunc, vbi ſint maiores diuitiæ? Num, vbi quidem eſt externa totius huius terræ poſſeſsio, animus autem Deo vacuus? an vbi vix eſt veſtigiũ in hac terra poſſeſsio, & animus Deo plenus? Didici, inquit Paulus, in his, in quibus ſum, contentus eſſe. Noui & humilis eſſe, noui & excellere. Vbiq; & in omnibus inſtitutus ſum, ſaturari & eſurire, abundare & penuriam pati.

Vnde, queſo, Paulo tanta opulentia & gloria, in media etiam rerum penuria, & ignominia? Omnia, inquit, poſſum per Chriſtum, qui me corroborat. Et aliâs dicit: Magnus quæſtus eſt, pietas cum animo ſua ſorte contẽto. Quare cùm iuſtis promittitur hæreditas terræ, non dubitemus de huius promiſsionis veritate, quippe quod & piorum Patriarcharum familijs data ſit poſſeſsio terræ Canaan, & multis alijs pijs contingant, diuina clementia, principatus & regna huius terræ. Sed intelligamus hanc promiſsionem præcipuè ſecundum rationem regni Chriſti, qua pijs multò maiora bona in minimis ſuis facultatibus, liberali Dei benedictione contingunt, quàm impijs, in ampliſsimis huius terræ regnis. Deinde ponamus etiam nobis accidere, quod Paulus de

se & collegis suis recitat: Ad hoc vsq; tempus, inquis ens, esurimus, sitimus, nudi sumus, colaphis cedimur, & incertis sedibus vagamur, idq; duret non vno tantum, & altero anno, sed vsq; ad extremum huius vitæ spiritum: nihilominus tamen veritas huius promissionis de hæreditate terræ, in verè pijs impletur. Quod enim pij non consequuntur in hac corporali vita, hoc compensatur eis in ventura et æterna vita, tanto fœnore, vt longè maiora bona eis contingant, quàm quę oculus vidit, auris audiuit, et in cor hominis ascenderunt. Cum igitur proponuntur nobis promissiones de terrenis bonis, etsi hæc suum quoq; locum habent, tamen attollamus nos oculos nostros in cœlum, & sciamus ibi veram nostram hæreditatem nobis repositam esse, cuius gustum quidem in hac vita percipere licet, in ventura autem plenitudinem & satietatem accipiemus.

Os iusti dicit sapientiam, & lingua eius loquitur iudicium. Lex Dei eius, in corde ipsius, non nutabunt gressus eius.

Suprà dixit, piũ non collidi, etiamsi ceciderit: & additur causa, quia gressus pij diriguntur à DOMINO, & DOMINVS supponit manum suam. Nunc dicit piũ non solùm nõ collidi, verùmetiã gressus eius nõ nutare, nec vacillare. Et tamen nihil veri dissimilius videtur. Tanta enim est rerum confusio, vt existimes nõ pios sed impios in rebus suis stare, ac erectos sine vlla pedũ offensione ambulare. Nos aũt iudicare debemus, non secundũ externam & caducam rerum speciem, sed secundum firmam & stabilem veritatem. Etsi enim gressus piorum videntur varijs casibus ita impelli, ac nutare, vt fieri non

non possit, quin concidant, & collidantur, tamen cum Spiritus sanctus dicat: Non nutabunt gressus eius, fixum, & in perpetuum ratum est, non quod homini, sed quod Spiritui sancto visum fuerit. Et additur hîc etiam perspicua ratio, cur gressus hominis iusti seu pij non vacillent: Quia os iusti (inquit) dicit sapientiam, & lingua eius loquitur iudicium, & lex Dei sui est in corde eius. Iustus idcirco non nutat, non vacillat, non concidit gressu suo, quia non sequitur exempla impiorum, seu multitudinis hominum, nec sequitur sententiam humanæ sapientiæ, sed habet præ oculis cordis sui legem DOMINI, & loquitur ore ac lingua sua verbum DOMINI. Qui autem legem & verbum DOMINI meditatur & sequitur, fieri non potest, vt nutet ac labatur. Primùm enim, verbum DOMINI est vera lux, quæ viam, in qua ambulamus, ita illustrat, vt non impingamus ad lapidem pedem tuum: Lucerna pedibus meis, inquit aliâs, verbum tuum, & lumen semitis meis. Et iterum: Præceptum DOMINI lucidum, illuminans oculos. Et Petrus: Habemus, inquit, firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis. Cum igitur verbum DOMINI sit lucerna nostra, non offendit pedem suum ad lapidem, qui eam in itinere ad cœlestem salutem sequitur. Deinde verbum DOMINI sola est vera sapientia & rectum iudicium. Est quidem sua sapientia & suum iudicium in Oeconomia, in Politéa, in Philosophia, quæ & in suo loco & ordine suã habent vtilitatem. Nos autem loquimur nunc de ea sapientia, quæ nos in summis periculis seruat, & de eo iudicio, quod nos ad cœlestia & æterna bona cõsequenda dirigit. Hãc sapientiã &

iudicium nulla tradit hominum philoſophia, ſed ſolum verbum Domini. Lex Domini, inquit, immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Quare, qui proponit ſibi ob oculos cordis ſui Legem DOMINI, & ore ac lingua confitetur verbum Domini, quod eſt vera lux, ſapientia & iudicium, vt ſequatur præcepta Dei, & ambulet in vocatione eius, hic etſi videtur in greſsibus ſuis nutare ac ſtultè facere coram hominibus, tamen ſuſtentatur à Deo, & habetur coram omni cœleſti cœtu ſapientiſsimus. Quod vt rectius intelligamus, explicabimus aliquot exemplis. Petrus & Ioannes ſtatuuntur Hieroſolymis ad Synedrion Pontificum, qui minabantur eis vincula, carceres, & mortem, ſi deinceps Ieſum à ſe crucifixum, prædicarent eſſe Chriſtum. Quid ergo facerent, ne greſſus eorum nutarent? Hîc ſi adhibuiſſent in conſiliū aliquem prudentem huius ſeculi, iudicaſſet eos ſtultiſsimè facere, ſi pergerent confiteri Ieſum Chriſtum, & non parere mandatis Pontificum: ac exiſtimaſſet eos hoc inſtituto non tantùm greſsibus ſuis nutaturos, verùmetiam toto corpore collidendos. Cur enim exponerēt ſe tantis periculis propter eam religionem, quæ non ſolùm incerta eſſet, verùmetiam à ſummis Pontificibus damnaretur? Ac demus eam veram & certam eſſe, an non ſapientis eſt, ſeruire tempori, & tuta potius, quàm periculoſa ſequi? Sed ſi Apoſtoli hoc conſilium ſecuti eſſent, greſſus eorum verè nutaſſent, & ipſi toto corpore collapſi concidiſſent.

Nunc autem lex Dei erat in corde eorum, & loquuntur ore ac lingua ſua ſapientiā & iudicium, hoc eſt, verbum DOMINI. Non eſt aliud nomen, inquiunt, ſub cœlo da-

lo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et: An iustum sit in cõspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Nam quod dicitur sapientis esse, tempori seruire, & tuta potius quàm periculosa sequi, rectè dicitur, de rebus indifferentibus, & per se coram Deo liberis, impiè autem dicitur de mandatis Dei, & de vera religione. In his enim qui tempori seruit, & tuta sequitur, fugit faciem leonis, vt Propheta loquitur, & occurrit ei vrsus, ingreditur domum, ac innititur manu sua parieti, & mordet eum coluber, denicq; videtur corpus seruare, sed interea perdit corpus & animam, quæ certè est extrema stultitia. An nõ enim sapientes ipsi huius mundi iudicant minus periculum subeundum esse, vt effugias maius: & paruum damnum sufferendum, vt euites magnum: Maximum autem omnium damnum est, si retenta corporis vita, amittas simul & corporis & animæ vitam. Quare cum Apostoli maluerunt legem DOMINI, & verbum eius sequi, quàm iuxta humanã rationem tempori seruire, nõ solùm recte sapuerunt, verùmetiam conseruarunt gressus suos, vt non nutarent.

Ioseph appellatur ab adultera de stupro, & nisi consentiat, periculum est, ne impudica mulier cõcipiat odium, & adducat eum apud patremfamiliãs in extremum discrimen. Quò igitur se verteret Ioseph, ne nutarent gressus eius: Alius quispiam iudicasset voluntati mulieris morem gerendũ esse, præsertim cùm tali obsequio potuisset per mulierem, etiam apud patremfamiliãs gratiosus fieri: sed loquebatur ore & lingua sua sapientiam & iudicium. Quomodo possum, inquiens, hoc malũ facere, & peccare in Deum: Ac lex Dei: Non committas adulterium, erat in corde ipsius. Etsi enim hæc lex non-

dum erat in literas tabulæ Decalogi relata, erat tamen natura scripta in mente eius. Cum igitur in hoc periculo meditaretur legem Dei in corde suo, & loqueretur eam ore suo, ac sequeretur eam facto suo, etsi conijciebatur iniqua adulteræ accusatione in carcerem, tamen gressus eius in tantum non nutantur, vt paulò post in principem Ægypti summa gloria constitueretur, & insigni nominis fama illustraretur. Pauper quispiam vel opifex, vel mercator, videt occasionem, qua aut operas, aut merces suas, nõ admodum integras, sed corruptas & vitiosas, quàm carissimè, magno alterius damno, suo autem multo lucro, præsertim si vanitatem orationis addiderit, extrudere queat. Quid ergo faciat, ne nutentur gressus eius? Iudicabitur à filijs huius seculi stultissimus, si hanc occasionem sibi è manibus elabi sinat, & non vtatur ea ad suum emolumentum. Pius autem meditatur in corde suo legem Dei: Non fureris. Non dicas falsum testimonium, & loquitur lingua sua sapientiam ac iudicium, hoc est, veritatem: non imponit proximo mendacijs, & peurijs, non vtitur versutia & dolo malo, sed negotiatur iustè, candidè, & simpliciter.

Quare etsi videtur veritate & iustitia aliquam rerũ suarum iacturam in præsentia facere, & in grauiorem paupertatem collabi, tamen gressus eius à DOMINO ita sustentantur, vt quò longius à diuitijs recedere videtur, eò propius ad cõsequendas veras diuitias accedat. Non moueamur igitur alieno exemplo, vt sectemur impietates & imposturas, sed meditemur in lege Domini die noctuq;, & perduremus in via mandatorum Dei, quod vnum est verum compendium, quo erecti ad possessionem cœlestium opum ambulemus.

Obserua

Obſeruat impius iuſtum, & quærit vt occidat eum.
DOMINVS non deſerit ipſum in manibus eius, & non condemnabit ipſum, cum iudicatus fuerit.

Impij variſs modis nocent piſs. Alij exemplo, alij impoſturis, alij detractione famæ et maledictis, alij inſidijs vitæ. Sed in his omnibus ſeu periculis, ſeu nocumentis, promittit Deus piſs præſentem ſuam opem et conſeruationem. Ac aliâs quidem de alijs periculis. Nunc autem agitur de inſidijs vitæ. Impij enim tanto odio ſæuiunt in pios, vt non ſint cõtenti direptione facultatum, exilijs, aut carceribus eorum, verùmetiam parant inſidias vitę eorum, & cupiunt eos omnino extinctos.

Sedet, inquit alius Pſalmus, in inſidijs atriorũ, in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem intenti ſunt. Inſidiatur in abſcõdito quaſi leo in ſpelunca. Sic inſidiatus eſt Iſmael vitæ Iſaaci. Sic Eſau vitę Iacob. Sic Saul vitæ Dauidis. Sic Iudæi vitæ Pauli. Nec ſimpliciter hoc agunt impij, vt interficiant pios, ſed etiam quærunt honeſtum facti ſui prætextum, vt non tantùm videantur pios iuſtè damnare & interficere, verùmetiam hac ſeueritate Deo gratum cultum præſtare. Iubet igitur Spiritus ſanctus pios in hoc verſiculo, benè animo ſuo confidere, & promittit eis certã opem, & præſens ac firmum auxilium Dei: DOMINVS, inquiens, non deſerit pium in manibus impij, nec condemnat pium, etiamſi impij iudicauerint eum condemnatione dignum, & qui de terra, tanquam catharma, ſit tollendus.

Solet quidem aliquoties cõniuere, vt impij inſidientur piſs, & capiant, atq; morte dignos eos iudicent,

Sed

Sed DOMINVS tanta cura complectitur pios, vt non sinat eos nec manibus, nec iudicijs impiorum opprimi.

Saul tanto studio posuit insidias Dauidi, vt aliquoties eum penè manibus suis compræhendisset, ac iudicauit eũ meritò vt seditiosum, & affectatorem regni trucidandum: sed DOMINVS non deseruit Dauidẽ in manibus Saulis, nec condemnauit eum, cum iudicaretur a Saule seditiosus & regni affectator. Cum Apostoli docerent Euangelium Christi Hierosolymis, conniuit DOMINVS pontificibus, vt inijcerẽt manus in Apostolos, & conijcerent eos tanquam perturbatores publicæ pacis & religionis in carceres, sed DOMINVS in tantũ non deseruit eos in manibus Pontificũ, vt mitteret Angelum, qui noctu aperiret ianuas carceris, & restitueret eos libertati. Quid ergo dicemus de Abele, de Prophetis, de Christo ipso filio Dei, qui sic deserti sunt in manibus impiorũ, vt nõ solùm caperentur, verùmetiã tanquàm impij et scelerati condemnarentur, ac occiderentur? Hanc rem Christus tàm doctrina, quàm exemplo suo explicat: Ego sum, inquit, resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Et mortuus quidẽ est ipse in cruce: sed vt vniuerso mũdo conteſtaretur, se non perijsse in morte, resurrexit a mortuis tertia die, & intrauit in æternam gloriã ac maiestatẽ patris sui. Quare, sicut ipse, etsi fuit in manibus hostium suorum ita desertus, vt moreretur, non tamen sic desertus est, vt in morte maneret et interiret: ita etiã Abel, Prophetæ, Apostoli, Martyres, & multi alij pij occisi sunt ab impijs, tamen quia crediderunt in Christum, habent etiam vitam suam in Christo: ac tantùm

abeſt,

abest, vt sint deserti in manibus hostium suorũ, vt tunc, cum occiderentur, maxime omnium Deo curę fuerint, & æternam salutem acceperint.

Expecta DOMINVM, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate accipias terram, Cum impij excindentur, videbis. ℣

Valdè vsitatum est Spiritui sancto, quòd recitatis promissionibus, iubeat nos SPERARE & EXPECTARE. Quod & Prophetis adeo frequens in ore fuit, vt impij ex eo prouerbium illudendi verbi Dei, apud Esaiam traxerint: Expecta, inquiunt, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Sed valeant ludibria impiorum, nos sciamus in diuinis promissionibus requiri a nobis expectationem singulari consilio Spiritus sancti. Primùm enim, expectare DOMINVM, et interea, dum promissio impletur, bona spe in vocatione DOMINI perdurare, cultus est Deo gratissimus, & sacrum acceptissimum. Non enim sentias, te in pia & obedienti expectatione accipiendæ à Deo rei promissæ, inutiliter ociari, sed te tum verè iucundissimum Deo sacrificium offerre. Nam qui obedienter expectat rem promissam, & pergit bene sperando in custodienda via præceptorum DOMINI, is tribuit Deo honorẽ, non tantùm veritatis & omnipotentiæ, verumetiam prudentiæ & sapientiæ. Nisi enim iudicaret Deum esse veracem, qui velit, et omnipotentem, qui possit ea, quæ promisit, præstare, & prudentem ac sapientem, qui optimè sciat opportunum præstandi tempus, non expectaret promissa in vocatione Dei, sed potius properaret, deserta Dei *Esa.28.*

vocatione, ad alienum auxilium. Impiorum enim vox est: Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo. Et: Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui stridentibus incantationibus suis. Et: Nequaquam, sed ad equos fugiemus. Nolle aũt Deum expectare, iuxta promissionem suam, *Esa. 8. & 30.* & festinare ad auxilia, quæ Deus verbo suo quærere prohibuit, est Deum iudicare mendacẽ, impotentẽ, vanum & stultũ. Qua contumelia, quid potest dici horribilius?

Quare cũ Spiritus sanctus iubet nos expectare DOMINVM et interea viam eius custodire, sentiamus eum exigere à nobis haudquaquam vanum ociũ, sed cultum Deo gratissimum, & negotium longè omnium diuinissimum. Deinde, promissionibus Dei necessariò additur mandatũ expectandi, vt hac appendice sententia promissionum aliquo modo explicetur, & illustretur. Alij enim, cum audiunt promissionem Dei, existimant eam statim eo ipso momento temporis, quo dicitur, sensibiliter implendam, quòd si impletio eius extrahitur, arguunt eam mendacij. Alij iudicant eam implendam pro carnali sua sententia, & pro humanæ rationis prudentia. Iubet ergo Spiritus sanctus nos in promissionibus expectare DOMINVM, vt hoc ipso interpretetur veri promissionum sententiam, & significet Deum in promissionibus suis non permittere interpretationem earum prudentiæ nostræ carnis, nec collocare definitionem temporis impletionis earũ, in nostro arbitrio, sed reseruare eas, & Spiritui suo interpretandas, & opportuno suo tempore mirabiliter implendas, à nobis autem requiri, vt promissionibus eius firmam fidem adhibeamus, & in vera obediẽtia vocationis eius perduremus, donec visum fuerit DOMINO, promissiones suas in nobis

impleri

implere: A seculo, inquit Esaias, non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, prẽter te, quæ præparasti expectantibus te. Et Paulus: Animalis, inquit, homo, non accipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quare cum iubemur expectare DOMINVM, in promissionibus eius, sciamus damnari hominum curiositatem, qui Deo definiunt tempus miserendi, & exponunt dicta Dei, iuxta sensum carnis suæ, ac exigi à nobis, vt captiuam ducamus omnem sententiam & cogitationem nostram ad obediendum vocationi Dei, certissima fiducia concepta, quòd Deus, qui nobis sua beneficia promisit, præstiturus sit ea & opportunissimo tempore, & maiori ac admirabiliori copia, quàm nos optare aut sperare potuimus.

Quòd autẽ in hoc versiculo sequitur: Cum impij excindentur, videbis, significat expectantes DOMINVM tanta beneficia consequi à DOMINO, vt nõ solùm liberentur suo tempore, ab impiorum crudelitate, verùmetiam videãt horribilem interitũ impiorum, magna animi voluptate. Videre enim hoc loco, non significat simpliciter aliquid aspicere, sed cum voluptate videre, & magna lætitia affici. Quid igitur? num licebit alterius ruina delectari, & gaudio exultare? Qui lætatur, inquit Salomon, ruina alterius, non erit impunitus. Et iterum: Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudias, & in ruina eius ne exultet cor tuũ, ne fortè videat DOMINVS, & displiceat ei. Consideremus igitur, quòd in ruina impij alia sit delectatio seu lætitia carnalis, alia spiritualis. Carnalis lætitia est, quæ excitata inuidia proximi, delectatur alieno incõmodo, sui commodi gratia. Hæc lætitia genus est vindictæ, & pertinet ad species homicidij. De

hac loquitur Salomon, & hęc pugnat cum lege DOMINI: Non occîdas. Spiritualis autem lætitia eſt, quæ excitata zelo diuinæ gloriæ, delectatur in interitu impiorum, illuſtratione nominis Dei. Cum enim impij excinduntur, tunc veritas promiſsionis Dei illuſtratur, & pij quidem liberãtur, reliqui autem metu diuini iudicij ad pœnitentiam & pietatem inuitantur. Nec pugnat hæc lætitia cum charitate, quæ proximo, etiam inimico debetur. Pij enim, quod ad charitatem quidem attinet, magno dolore afficiuntur, cum vident homines tam horribiliter perire: Veritatẽ dico, inquit Paulus, in Chriſto, non mentior, atteſtante mihi ſimul conſcientia mea, per Spiritum ſanctum, quòd dolor mihi ſit magnus & aſsiduus cruciatus cordi meo, videlicet, excæcatio, abiectio, & interitus Iſraëlitarum, qui me extremo odio proſequuntur. Et Dauid, cum audiſſet Saulem capitalem ſuum hoſtem miſerè occubuiſſe, proſecutus eſt mortem eius lugubri lamentatione: Montes, inquiens, Gelboe, nec ros nec pluuia veniat ſuper vos, neq; ſint agri primitiarum, quod ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo. Hæc ſunt officia charitatis, quæ debemus etiam inimicis noſtris. Quod autem ad zelum fidei attinet, magnum eſt gaudiũ piorum, cum vidẽt homines impios diuinitus puniri & interire: Lætabitur inquit alius Pſalmus, iuſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et Eſaias: Gaudebunt manſueti in DOMINO, & pauperes homines exultabunt in ſancto Iſraël. Quum defecerit qui prævalebat conſummatus eſt illuſor, ſucciſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem. Itaq; pij in interitu impiorũ ſimul dolent, & gaudent: dolent

charita-

charitate, quæ cupit omnes homines ſaluos fieri: gaudẽt fide, quæ comparat ſe ad iudicium Dei, & delectatur eo, quo videt DOMINVM ſuum delectari, & gloriam Dei illuſtrari. Curemus igitur, vt in interitu inimicorum noſtrorum, ſic fide exultemus, vt interea non obliuiſcamur charitatis, & ne carnalem noſtrum affectum prætextu diuini zeli defendamus, ſed clementiam quidem Dei erga nos grati agnoſcamus, ſeueritatem autem eius erga impios hoſtes noſtros, reuereamur, & alieno exemplo admoniti, in vero Dei timore ambulare pergamus.

Vidi impium potentem, & eleuatum inſtar lauri viridis.
Et tranſiui, ecce autem non erat amplius: quæſiui eum, & non inueniebatur.

Quod antè ſæpè ac multùm de interitu impiorũ verbis expoſuit, hoc nunc rei experientia teſtificatur: Vidi, inquiens, ipſe impium excellentem, & florentem inſtar viridis lauri: ſed paulò pòſt ſic concidebat & emarcescebat, vt ne veſtigium quidem loci eius reliquum eſſet, exempla ipſa, quę mea memoria facta ſunt, comprobant impiorum felicitatem non eſſe æternam. Etſi autem non eſt dubium, quin Dauid potuiſſet multa talia exempla, quæ ſuis temporibus acciderunt, enumerare, tamen vnum Saulis exemplum præ cæteris inſigne eſt. Hic Saul euectus erat ex infimo genere in regnum Iſraëlis, ac videbatur quidem initiò pius, ſed res ipſa declarauit, eum fuiſſe hypocritam impiſſimum & crudeliſſimum. Nihilominus tamen in tantam maieſtatem peruenit, vt non ſolùm in ſuo regno ſummam gloriam conſequeretur, verùmetiam exteris regibus & gentibus

formidabilis esset. Præterea familiam suam ita illustrauit & instituit, vt videretur nō posse fieri, quin regnum ad posteritatem eius transmitteretur, & in ea conseruaretur. Sed quo altius eleuatus est, eò profundius postea deiectus fuit. Cum enim iam quadraginta plus minus annis summa vsus esset felicitate & regni maiestate, nō solùm fœda ipse morte periit, verùmetiam regnum vniuersæ posteritati eius ademptum est, & multi præterea ex posteris probrosissimo mortis genere affecti sunt. Sic tolluntur impij in altum, vt lapsu grauiore ruant.

Nec in populo tantùm Dei, verumetiam inter Gentes ipsas impias suspecta semper fuit nimia & continuata felicitas. Philippus Rex Macedoniæ, cum allatum esset illi nuncium, multas res feliciter ac prosperè gestas esse, porrectis in cœlum manibus, exclamauit: O fortuna, inquiens, pro tot tantisq; bonis cōtenta sis leui quopiam malo. Sciebat enim vir impius quidē, sed prudens, nimiam rerum felicitatem in hac hominum vita infelicem esse. Policrates Samius, tanta rerū prosperitate vsus est, vt etiam ab amico suo Rege Ægypti admoneretur, vt se voluntario quodam damno ab inuidia fortunæ redimeret. Demersit igitur Policrates in mare gemmam, qua nihil preciosius, nihil carius habere videbatur, vt hac iactura & molestia nimiā felicitatem expiaret. Sed cum paulò pòst gemmam à piscatoribus in præcordijs piscis inuentam recepisset, misso rex Ægypti caduceatore soluit cum illo ius amicitiæ & hospitij, quod cogitaret fieri non posse, quin tantam felicitatem mox tam insignis secutura esset calamitas, vt in ea se nihil planè opis amico cōferre posse iudicaret, & ne fortasis etiam ipse vnà cum amico in exitium traheretur.

Herodo. τὰ πολλὰ.

Quid

Quid ergo accidit? Policrates à prætore Darij in bello captus, & in crucem actus est. Hunc finē habuit tanta Policratis prosperitas. Itaq; rectè Sophar, nō quidem de Iobe, sed apud Iobem loquitur: Laus impiorum, inquiens, breuis, & gaudium Hypocritæ ad instar puncti: Si ascenderit vsq; ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine peribit, & qui eum viderant, dicent: Vbi est? Velut somniū auolans non inuenietur, transibit sicut visio nocturna. E Esaias: Sicut somniat, inquit, esuriens & comedit, cum aūt fuerit expergefactus, vacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens & bibit, & postquàm fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion, hoc est, omnium impiorum, qui felicem habent rerum successum aduersus pios. Hæc commemorantur nobis, non vt harū rerum narratione delectemur tantùm, sed etiam ijs ad veram nostram salutē vtamur, videlicet, vt admoniti infelici impiorum felicitate, non sectemur exempla impietatis eorum. *Iob. 20.* *Esa. 23.*

Sed perduremus in vocatione Dei & sequamur pietatem, qua sola fiet, vt etiamsi aliquandiu infelices videamur, tamen certissimam consequamur liberationem & salutem.

Custodi innocentiam & attende ad rectitudinem, nouissimum enim eius viri est pax. ℣

Iniqui autem exterminabuntur simul, nouissimum impiorum succidetur.

Vnum hoc Spiritui sancto curæ est, vt non offenda-

mus

mur impiorum felicitate,& non deseramus studium ve-
ræ pietatis. Iubet igitur nos intueri non in præsentem
statum vel piorum, vel impiorum, sed in extremum eo-
rum finem: Custodi, inquiens, innocentiam seu vitæ in-
tegritatem, & defige oculos ad rectitudinem. Sed quid
ex integritate vitæ, & rectitudine studiorum meorum
aliud, quàm ærumnas, exilia, & omnia infelicitatis ge-
nera reportabo? Ioseph custodiuit innocentiam vitæ, &
ambulauit recta via in timore Domini, sed venditur in
seruitutem, et conijcitur in carcerem. Dauid, cum in au-
lam regiam Saulis vocatus esset, custodiuit integrita-
tem vitæ, & ambulauit rectà in mandatis DOMINI, sed
necesse habet exulare, & quouis tempore vitæ pericula
subire.

Esaias custodiuit innocentiam, & respexit ad rectis-
tudinem, sed sectus, tanquam regni proditor, in duas
partes occubuit. Apostoli & Martyres custodierũt in-
nocentiam, & attenderunt ad rectitudinem cœlestis
tàm doctrinæ quàm vitæ, sed crudeliter sunt trucidati.
Quis ergo alius finis est innocentiæ & rectitudinis,
quàm calamitas & interitus? Nihil profecto minus. Sic
quidem incogitantibus & ignauis videtur, sed Psalmus
aliud affirmat: Nouissimum, inquiens, eius viri, qui dat
operam innocentiæ & rectitudini, est PAX. Significat
autem pax, Hebræo more, prosperitatem rerum, & sa-
lutem. Docet igitur Psalmus, quod innocentiæ et rectis-
tudinis nouissimum seu finis sit, non calamitas, sed pros-
speritas, non interitus, sed salus.

Multa quidẽ aduersa solent accidere innocentibus
& rectis: Multæ, inquit, tribulationes iustorum: hæc
autem non sunt verus & nouissimus finis, sed sunt vel

vita,

via, vel medium, quo ad verum finem peruenitur. Reprehendunt etiam huius seculi literæ eos, qui res magis ab euentu, quàm exitu notant. Et palàm affirmant, Deum proposuisse sudorem, ante virtutem, & vendere beneficia sua non ignauiæ, sed laboribus. Neq; iudicant athletam tunc infelicem, cum luctatur, sed quò fortius aduersario resistit, eò precioſiorem coronam ipsum cõsecuturum sperant. Multò rectius autem diuinæ literæ sudores, labores, ærumnas, & afflictiones commendant. Proponunt enim ea pijs & rectis, non vt nouissimum rerum finem, sed vt media, quibus ad verum finem peruenitur.

Ouid. Exitus acta probat, careat successibus opto. Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Nam verus finis est PAX, hoc est, felicitas & salus. Etsi autem nonnullis pijs solet etiam in hoc seculo pax per medias afflictiones contingere, sicut Ioseph è carcere peruenit ad principatum Ægypti, & Dauid ab exilio peruenit ad gubernaculum regni Israëlis, tamen pax maximè omnium tùm demum pijs & rectis verè contingit, cùm ex hac vita excedunt, & corpus eorum humile transfiguratur, vt conforme fiat glorioso corpori DOMINI Iesu Christi filij Dei. Quæ gloria tanta est, vt superet omnem humanam æstimationem: Non reputo, inquit Paulus, pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis nostræ mirè supra modũ, æternum gloriæ pondus parit nobis. Hoc vult Paulus dicere: Afflictiones, quas patimur in hoc seculo, habent se ad futurã gloriam, sicut vnica aut dragma, aut myriades talentorum. Et hæc gloria est nouissimus finis piorum, sed ita, vt nullus vnquã sit finis eius: Parit (inquit) æternum pondus gloriæ. Quare cum molesta est nobis

afflictio & infelicitas noſtra, referamus cogitationem noſtram ad hunc nouiſsimum finem, vt confirmati animo, integritatem vitæ cuſtodiamus. Non ſolùm autem in officio pietatis nos contineat finis, qui ſequi ſolet piorum infelicitatem, ſed etiam finis, qui ſequitur felicitatem impiorum. De hoc fine Pſalmus dicit: Iniqui exterminabuntur ſimul, nouiſsimum eorũ ſuccidetur. Sicut enim nõ eſt iudicandum de pijs, ſecundum eorum infelicitatem, quam habent in hoc ſeculo, ſed ſecundum nouiſsimum eorum finem, qui eſt æterna ſalus, ita non eſt iudicandum de impijs, & iniquis impoſtoribus ſecundum præſentem eorum felicitatem, quam in impietate & impoſturis ſuis habent, ſed ſecundum nouiſsimum eorum finem Hîc eſt æterna exterminatio, & interitus. Feliciſsimus videbatur Pharao, qui perſequebatur Iſraẽlitas, veram tunc Eccleſiam Dei, ſed nouiſsimum eius fuit exterminatio non ſolùm de terreno, verùmetiã de cœleſti regno. Feliciſsimus videbatur Aman, qui cogitabat pio Mardochæo ſuſpendiũ, & vniuerſis Iſraëlitis exitium, ſed nouiſsimũ eius fuit, quòd in ea ipſa cruce, quã parauerat Mardochæo, pependerit. Plenæ ſunt horum exemplorum, non tantùm ſacræ, ſed etiam externæ literæ. Quis autem tam horribilia impiorum nouiſsima probè conſiderans, non deterretur ab impietate, & non pergeret ſuum facere officiũ, etiamſi neceſſe haberet aliquãto tempore in vera pietate duros caſus perferre? Nã quod Salomon de vino dicit: Ingreditur blandè, ſed in nouiſsimo mordet vt coluber, & ſicut baſiliſcus venena diffundit, hoc idẽ de felicitate impiorũ affirmandũ eſt. Mirificè blanditur hominibus, ſed affert ſecum præſentiſsimum exitium. Furor autem & inſania eſt, ſeſe pro-

pter

pter præſentium voluptatum blanditias in æternũ exi-
tium mancipare. Caueamus igitur ne deliniti impiorum
felicitate, exempla eorum ſequamur.

Salus autem iuſtorum à DOMINO, & protector eorum in ה
tempore tribulationis.
Et adiuuabit eos DOMINVS, & liberabit eos, liberabit (in-
quam) ab eos impijs, & ſaluabit eos, quia ſperant in ipſum.

Quid multis opus? inquit, etiamſi iuſti multò tempo-
re affliguntur, aut ab impijs opprimuntur, nihil tamen
certius eſt, quàm quòd liberentur tandem & ſeruentur.
Sed cum hæc recitantur afflictis, multa incidere ſolent,
quæ fidem eorum concutere, atq; adeò excutere conan-
tur. Primùm, Pſalmus (inquiunt) loquitur de iuſtis: Sa-
lus IVSTORVM à Domino. Ego autem ſum iniuſtus,
quomodo igitur ſperarem ſalutem? De hac re ſuprà alio-
quoties diximus. Sed quia neceſſe eſt, vt qui ſic tentan-
tur, probè cognoſcant, qui veniant in talibus promiſſio-
nibus nomine iuſtorũ, dicamus & nunc quædam. Nam
iuſti in hoc verſiculo, & ſimilibus dictis ſcripturę, nõ di-
cuntur, qui vniuerſam iuſtitiã diuinæ legis perfectè im-
plent, ſic enim nullus eſt iuſtus in terra: ſed iuſti dicun-
tur, qui credunt in Ieſum Chriſtum iuſtum, & faciunt ex
hac fide ſuum officiũ iuſtè, vt etſi habent adhuc multum
carnis & imbecillitatis, tamen non obediant carni, ſed
ſpiritui. Non eſt hæc Monachorum aut hypocritarum
iuſtitia: ſed omnium piorum, qui inſerti ſunt Eccleſiæ
per Baptiſmum, & adoptati ſunt in filios Dei per fidem
in Ieſum Chriſtum. Omnes, inquit Paulus, peccaue-
runt, ac deſtituũtur gloria Dei. Iuſtificantur autem gra-

tis per illius gratiã, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem. Quare promissio huius versiculi, de salute iustorum, pertinet ad quemuis pium amantem verbi Dei, & credentem in Iesum Christum, ac ambulantem secundum vocationem Dei, etiamsi obnoxius sit adhuc multis imbecillitatibus. Ponamus autem, quòd occupatus sis aliquo delicto, & caro prævaluerit Spiritui, sicut Dauid succubuit tentationi adulterij, & Petrus abnegationi Christi, tamen si volueris, ne sic quidem à fructu huius promissionis, hoc est, à salute excluderis. Deseruisti quidẽ DOMINVM peccato tuo, sed ille nondum te deseruit. Tu, inquit, fornicata es cũ amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit DOMINVS, & ego suscipiam te. Et aliâs: Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit DOMINVS Zebaoth.

Hiere.3.
Mala.3.

Dona enim & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere non possit. Donum Dei est, quod promisit iustis gratuitò veram & æternam salutem. Vocatio Dei est, quòd debeamus, agnito peccato, in Iesum Christum filium suum credere, vt habeamus propter ipsum remissionem peccatorum, & adoptemur in filios Dei. Quocunque igitur tempore conuersi fuerimus ad DOMINVM, & amplectamur Iesum Christũ per fidem, teneri non potest Deus cœlestis Pater, quin non solùm agnoscat nos pro iustis, propter filium suũ Iesum Christum, verùmetiam offerat nobis omnem cœlestem salutem, quam iustis clementer promisit. Deinde, cum dicitur salus iustorũ à DOMINO, & non continuò nobis sa[lu]tus sensibiliter, idq; per homines, contingit, existimare solemus, aut hanc promissionem ad nos non pertinere,

aut

aut eam non esse cœleste oraculum, sed verba ipsa promissionis ponderanda sunt. Non enim dicitur: Salus iustorum ab hominibus, sed à DOMINO. Alia est salus ab homine, alia à DOMINO. Etsi enim omnes homines nõ negant tantùm suam opem & salutem, verùmetiam pugnant nobiscum totis viribus suis, tamen adhuc reliqua est salus, eaq; vera & æterna, à DOMINO, qui & conferre eam in suos, non terreno, sed cœlesti, non humano, sed diuino more solet. Non igitur despondeamus animum, etiamsi non sentiamus aliquam ab hominibus salutem, sed quò longius abscedere videtur humana salus, eò propiorem nobis cœlestem & diuinam esse certiśime confidamus. Præterea afflicti, cum audiunt salutem suam esse à DOMINO, & DOMINVM esse protectorem ipsorum in tempore tribulationis, cogitant se ita iuuandos, & protegendos, vt nullum planè tribulationis sensum percipiant. Quare, cum tribulationes non tantùm incidunt, verùmetiam subinde magis ac magis cumulentur, existimant Deum suarum promissionum obliuiści, & nullam habere salutis ipsorum curam. Sed hic iterum verba promissionis expendenda sunt. Non enim dicitur: Protector eorum ante tempus tribulationis, sed in tempore tribulationis. Etsi enim Deus semper tuetur & cõseruat iustos suos, siue ante siue post tribulationes, tamen maximè omnium recipit, promissionibus suis se seruaturum eos in tempore ipso tribulationis, videlicet significans, se non hoc agere, vt iusti nullam sentiant tribulationem: sed vt in tribulationem quidem perueniant, in ea autem conseruentur. Nisi enim tribulatio accederet, Deus non esset protector in tribulatione. Sciamus igitur, quòd cum Deus promittit se in tribulatione

protectorem, tantũ abſit, vt ſentiat, nobis nihil aduerſi reipſa ſuſtinendum, vt potius ſignificet, nobis maxima quæq; aduerſa ſubeunda eſſe, ſed in iſs nos nõ perituros, ſi fide conſtiterimus. Nam vt de certitudine diuinæ ſalutis nihil dubitemus, vide, quæſo, quàm ſollicitè, quàm diligenter, quàm copiosè verbum ſeruandi varietur, & inculcetur. Non tantùm dicit: SALVS iuſtorũ à DOMINO, ſed addit: PROTECTOR eorum. Nec hoc verbo contentus eſt, ſed addit: ADIVVABIT eos. Ac neſic quidem abſoluiſſe ſibi videtur promiſsionem, ſed pergit: LIBERABIT, inquiens, eos. Et ne quis exiſtimet ſibi hoc verbum temere excidiſſe, repetit planè idem verbum: LIBERABIT, inquit, eos ab impijs. Ac vt compendio omnia verba, quæ cõſeruationem & protectionem ſignificant, compræhendat, repetit verbum ipſum ſaluandi: SALVABIT, inquit, eos. Quid ad concipiendam & cõfirmandam animi fiduciam amplius requiris? Si homo, qui eſt animal natura vanum, & mendax, hæc loqueretur, liceret tergiuerſari, & iuramenta, ac alias teſtificationes requirere. Nunc autem loquitur hęc Spiritus ſanctus, qui nec falli, nec fallere poteſt, & loquitur ea non oſcitanter, ſed aſſeueranter.

Non eſt igitur aliud reliquum, quàm vt hanc promiſsionem ſine vlla dubitatione excipiamus. Sed quo merito conſequuntur iuſti, vt DOMINVS ſit protector ipſorum, & adiuuet eos, ac liberet ipſos ex omnibus afflictionibus? Num meritò iuſtitiæ ipſorum? Nihil profectò minus. Oſtendimus enim antea, quòd non ſit iuſtus in terra, qui legem Dei perfectè impleat, & qui Deum meritis ſuis ſibi obnoxium facere queat. Semper enim cum Paulo confidendum eſt: Noui quod non habitet in me,

hoc

hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adest mihi, at vt faciam bonum, non reperio.

Quare nemo potest sibi protectionem, & auxilium Dei polliceri merito suæ ipsius iustitiæ. Sed Psalmus addit breuissimam appendicem, qua perspicuè exponit, quid illud sit, cuius gratia iustis contingat protectio Dei, & liberatio ab omnibus aduersis. Dicit enim: QVIA SPERANT IN IPSVM. Quid ergo? An DOMINVS ad accipiendum tantum beneficium nihil aliud à iustis suis requirit, quàm vt SPERENT? Fortasis hoc vult, vt ponamus spem nostram in ipso, propter nostram iustitiam, & propter nostra bona opera, quæ nos fecimus? Minime omnium. Qui enim sic in Deum sperant, necesse habent tandem pudefieri, propterea quòd nostra iustitia, & bona nostra opera, non possint in iudicio Dei consistere.

Sed hoc vult, hoc exigit, hoc à nobis expectat, vt ponamus spem nostram in ipso, propter solam & gratuitã ipsius clementiam ac misericordiam, quam testificatur promissionibus suis, & exhibet eam nobis in Iesu Christo filio suo. Beneplacitum, inquit, est DOMINO, super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Non placet Deo spes, quæ collocatur in meritis humanæ iustitiæ, sed quæ collocatur in gratuita ipsius clementia, & misericordia: Non in iustificationibus nostris, inquit Daniel, prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Vt autem verè possis spem tuam in misericordia Dei collocare, primùm necessarium est, vt credas in Iesum Christum filium Dei, quod propter hunc Deus sit tibi propitius, & receperit te in gratiam suam.

Quomodo

Quomodo enim posses spem tuam ponere in eius cle-
mentia, quem existimares esse animo in te infenso atq;
inimico? Deinde necessarium est, vt ambules in voca-
tione Dei. Quomodo enim sperares tibi eum esse cle-
mentem & propitium, cuius mandata tu contemnas, &
cuius vocationem tu posthabeas? Quare, sicut spes po-
nenda est in sola gratuita clementia Dei, ita credendū
est in solum Iesum Christum filium Dei, quòd propter
hunc Deus sit nobis reconciliatus, & obediendum est
vocationi Dei, vt spes non sit simulata, sed vera, & vt
assequamur ea beneficia, protectionem, videlicet, & li-
berationem ab omnibus aduersis, ac cœlestem salutem,
quæ Deus sperantibus in clementiam ipsius prolixè ac
pleno ore promisit.

VSVS HVIVS PSALMI.

Nihil hoc tempore magis vulgare est, quàm quòd
homines offensi iniquorum prosperitate, suum officium
deserant, & praua exempla, spe felicioris successus, imi-
tentur, idq; non politica tantùm vita, verùmetiam, ac
maximè omnium in religione. Postquam enim vident,
quòd impostores augeant res suas malis artibus, & cō-
temptores ac persecutores cœlestis doctrinæ habeant
fortunatos instituti sui euentus, arbitrantur aut Deum
fauere impostoris, & impietati, aut eas non esse, quod
prædicantur, impostoras & impietates, sed potius offi-
cia Deo grata. Itaq; hominum turba teneri non potest,
quin impudentes & præcipites in omne genus scele-
rum ruant. Spiritus sanctus igitur suscepit hunc Psal-
mum illo consilio, & vsu decantandum, vt illi vitio, seu
potius

potius furori cœleſte remediũ afferat. Obſeruabile autem eſt, quòd maluerit inſtitutũ ſuum multa orationis copia recitare, quàm paucis verbis abſoluere. Vna & ſimplex eſt propoſitio: Ne offendaris impiorũ felicitate, ſed perdures in officio pietatis. Nec minus ſimplex eſt ratio eius, quia impij, etiamſi diu fuerint felices, peribunt, pij autem, etiamſi diu fuerint infelices, conſeruabuntur. Hanc tamen vnam & ſimplicẽ propoſitionẽ, cũ ratione ſua, Spiritus ſanctus tanta copia & varietate in hoc Pſalmo euoluit, & explicat, vt eã multis verſiculis, per ſingulas hebraici alphabeti literas, aliquoties quidẽ mutata dicẽdi forma ac figura, aliquoties autem repetitis ijſdem penè verbis, traducat. Hæc vnius rei tam frequens repetitio & aſſeueratio, moleſta fortaſsis eſt homini ocioſo & delicato, nec videtur in rebus, præſertim dubijs, multum habere momenti, homini autem pio, & offenſione alienæ felicitatis grauiter laboranti, longè omnium gratiſsima eſt & iucundiſsima. Agnoſcit enim hæc non eſſe futilia & inania hominum commenta ac delyria, ſed certiſsima cœleſtis doctrinæ oracula. Et quia in commemoranda ſententia Dei, aut eadem verba iterantur, aut breuiter commutata ponũtur, intelligit pius, ea non in ore vani alicuius hominis nata, ſed ex intimis diuinæ mentis latebris ac receſsibus profecta. Nam auditoris etiam animus eò magis ad pietatem accenditur & inflammatur, quò diutius in colloquio Spiritus ſancti detinetur: verba enim Spiritus ſancti, verba ſunt cœleſtis vitę et ſalutis. Quare, ſi cuius animum excruciat, & ſollicitat impiorum felicitas, ſumat hunc Pſalmum in manus, & audiat, quid Spiritus ſanctus de impiorum felicitate, & piorũ infelicitate concionetur,

vt habeat ducem, qui ipsum in vera pietatis via deducat, & in officio vocationis Dei contineat.

Psalmus 38.

Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

DVas esse conuersionis peccatoris ad Deum partes, docent non solùm duæ præcipuæ conciones Decalogi videlicet, seu legis, & Euãgelij de Iesu Christo, verùmetiam Christus ipse disertis verbis: Pœnitentiã (inquiens) agite, & credite Euangelio. Et iterum: Oportet in nomine Christi prædicari pœnitentiam, ac remissionem peccatorũ in omnes Gentes. Et Paulus: Testificor, inquit, Iudæis simul & Græcis, eam, quæ erga Deum est pœnitentiã, ac fidem, quæ est erga DOMINVM nostrũ Iesum. Altera igitur harum partiũ est agnitio peccatorum, quæ excitatur cõcione Decalogi seu legis. Etsi autem pœnitentiæ vocabulum aliâs generale est, tamen in illis locis, quæ paulò antè recitauimus, hoc vocabulo, continetur tantùm hæc conuersionis pars, quę vocatur agnitio peccatorũ. Altera pars est fides in Christũ, propter quem habemus remissionem peccatorũ. Et hæc fides datur à Spiritu sancto per prædicationem Euangelij. Ac solet peccatum reuelari, huic quidem remissius & tolerabilius, isti autem grauius & seuerius: sed si consideraueris peccatum per se, semper secum, vbicunque

Mar. 1.
Luc. 24.
Act. 20.

que fuerit, trahit, & cõtinet omnium malorum camarinam, pugnat enim cum Deo ex diametro. Nam Deus est iustitia, bonitas, benedictio, vita, cœleste gaudium, & perpetua felicitas, & quotquot Deum possederint per fidem in Iesum Christum, hi possident etiam omnia hæc bona, in Christo. Cum enim Deus donauerit nobis Christum filium suum, quî fieri potest, vt non & cum eodem nobis omnia donet? Relinquitur ergo, quòd quia peccatum pugnat cum Deo ipso, non sit aliud, nec afferat secum aliud, quam iniustitiam, malitiam, maledictionem, mortem, infernum, & sempiternum interitum, vt etiamsi hæc peccati camarina non in omnibus hominibus, nec eodem modo, in hoc seculo reueletur, dubium tamen non est, quin vbicunq; est peccatum, ibi secũ omnia hæc mala, tanquam indiuiduos comites habeat & possideat. In Genesi dicitur: Quocunq; die comederis fructu arboris sapientiæ, (hoc enim est peccare aduersus legẽ Dei) morte morieris. Hinc Paulus vocat mortem, ἁμαρτία peccati, & peccatum, κέντρον mortis, significans, peccatum esse tam venenatum, vt afferat omnem maledictionem corporalem & spiritualem, temporalem & æternam, hæc enim omnia mala, mortis nomine continentur. Quare cum peccatũ dixeris, omne genus malorum, siue in hoc, siue in altero seculo dixeris. Hoc idcirco præfati sumus, vt intelligamus, quid sibi velint grauissimæ illæ & horribiles querelæ, quæ in hoc Psalmo commemorantur. Dauid enim, viuebat aliquando, vt Pauli verbis vtar, sine lege, quòd etsi gestabat peccatum in carne sua, tamen nondum sensu iræ Dei concutiebatur, nec agnoscebat grauitatem peccati, sed ambulabat pro vulgari hominum vita, in carnis securitate.

Rom.8.

Gen.2.

Rom.6.

1.Cor.15.

Postquam autem venit mandatum legis, & patefecit ei peccati magnitudinẽ, ac iræ diuinæ seueritatem, aduersus peccatum, ibi peccatũ, quod ante videbatur latere, imò extinctũ esse, reuixit, & Dauid mortuus est. Reenim ipsa comperit, quòd peccatũ, cum sese aperit, & vires suas sentiendas obtrudit, abalienet hominem à fauore Dei, accendat iram Dei, congerat in hominem omne genus maledictionis, tam corporalis, quàm spiritualis, adigat in mortem, & coniiciat in æternos ignes inferni. Qua miseria, qua calamitate, quid potest horribilius excogitari? Quare, cum peccatum ad hunc modum in Dauide reuiuisceret, & malectiones omnes, ac mortem quoq; ipsam minaretur, imò & ipse iam in se flammas inferni ardere sentiret, non properat ad fictitia sacra, quibus iram Dei mitiget, (quod est hypocritarum) nec properat ad laqueum, aut gladiũ, quo se iugulet, (quod est desperatorum) sed ad vetus suum asylum, hoc est, ad precationem, ad inuocationem nominis Dei, ad Psalmũ coram DOMINO Deo recitandũ, vt in summis illis periculis gratuita Dei clementia, propter benedictum semen Abrahæ (quod est Christus) sibi promissum, seruetur. In maledictione enim, nulla potest apud Deum benedictio aut sperari aut peti, nisi in fide illius seminis, de
Acto.3. quo dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gen-
Acto.4. tes. Nec est aliud nomen, præter Iesum Christũ, sub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

1. *DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.*

Precator mox ab initio in hoc primo versiculo, proponit

ponit ſtatum, ad quem tota huius Pſalmi expoſitio reſpicit. Petit enim, vt DOMINVS non opprimat ipſum grauitate illius afflictionis, quam in præſentia ſuſtinet, nec perdat ipſum magnitudine illius pœnæ, qua nunc afficitur. Obſeruanda autem eſt imprimis prudens modeſtia precatoris. Non orat, vt omnino nõ arguatur, & corripiatur, nõ enim eſt obſcurum, quòd duplici nomine obnoxij ſimus afflictionibus & correptionibus. Altero, quòd ſimus homines, in peccatis cõcepti & nati, quorum generalis ſors eſt, vt in ſudore vultus veſcantur pane ſuo, & terra proferat eis ſpinas & tribulos. Altero, quòd qui in Chriſtum credunt, affliguntur, præter generalem humani generis ſortem, peculiaribus quoq; aduerſis: oportet enim nos ingredi in regnũ cœlorum, per multas tribulationes. Quare, cum Dauid non ignoret, quæ ſententia lata ſit cùm generaliter in humanum genus, tùm peculiariter in homines pios, non recuſat, quin arguatur, ſeu affligatur, & corripiatur à Deo, ſed illud deprecatur, ne arguatur, ne affligatur à Deo in ira, & furore eius. Non eſt autem ſentiendum, quòd in Deo ſit affectus iræ aut furoris, qualis eſt in hominibus, ebullitio, videlicet, ſanguinis circa cor, aut mentis è ſtatu ſuo emotio, quid enim abſurdius, quàm tale quid Deo attribuere? Sed quod in hominibus eſt pertinax ira & furor, hoc in Deo eſt immutabile decretum, & irreuocabilis ſeueritas, qua conſtitutum eſt, vt omnes impij peccatores ſempiterna internitione pereant. Quare Dauid non deprecatur ſeu communes, ſeu peculiares afflictiones, quibus humanum genus, ac præſertim Eccleſia Dei obnoxia eſt, ſed deprecatur tantùm æternam mortem, & internitionem. Quid igitur dicemus? Oſten-

dimus iam iram & furorem Dei esse immutabile decretum eius in puniendis impijs ęterno interitu. An nõ est igitur effrontis impudentiæ, petere à Deo, vt non affligat nos in ira & furore suo, (hoc est) vt nostri causa mutet immutabile suum decretum, & reuocet inuiolabilem suam sententiã aduersus impios ab æterno latam & constitutam? Petere enim, vt Deus mutetur, quid aliud est, quàm petere, vt Deus non sit Deus? Triumphator in Israël, inquit Samuel, non parcet, & pœnitudine non flectetur, neq; enim est homo, vt pœnitentiam agat. Et ego Deus, (inquit) & non mutor. Quare sicut impudentia est, petere à Deo, vt omnino non affligaris, ita non minor impudentia videtur, petere, vt non affligaris in ira & furore Dei, hoc est, vt Deus sit mutabilis & inconstans. Sciamus igitur, quòd quemadmodũ lex Dei, qua honesta mandãtur, & inhonesta vetantur, est æterna & immota Dei voluntas, ita & sententia Dei, qua omnes, qui legem Dei violant, rei æternæ maledictionis pro-
Deut. 27. nunciantur, est immutabilis & irretractabilis: Maledictus, inquit, omnis, qui nõ permanserit in omnibus sermonibus legis. DOMINVS autem Deus noster, non tantùm promulgauit humano generi legem suam, sed etiam diuulgauit Euangelion suũ, de vnigenito filio suo, DOMINO nostro Iesu Christo, vt quotquot in Christũ credunt, consequantur remissionem peccatorũ, & liberationem ab ęterna maledictione. Quare decretum Dei de impijs violatoribus legis perpetuò damnandis, immutabile quidem est per se & irretractabile, sed quia ad cõcionem legis addita est concio Euangelij, idcirco Euangelion interpretatur sententiã legis, quòd sit immota & irreuocabilis in ijs, qui nõ resipiscunt, nec conuer-

tuntur

tuntur ad Christum. In illis autem, qui ad Christum cõuersi fuerint, sententia legis nihil amplius iuris habet: Christus (inquit Paulus) redemit nos ex maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Et iterum: Lex pædagogus noster fuit ad Christũ, vt ex fide iustificemur. Ac rursus: Quod impossibile erat legi, ea parte, qua imbecillis erat per carnem, Deus filium suum misit, sub specie carnis peccato obnoxiæ, & per hostiam pro peccato condemnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, etc. Quare cũ Dauid petit, vt nõ arguatur in ira & furore Dei, nõ petit, vt sententia diuinę legis simpliciter mutetur, sed vt in ipso, iuxta interpretationem Euangelij intelligatur, videlicet, quòd cum agnoscat Christũ, ipsi promissum, furor Dei & maledictio legis non habeant in ipso locum, sed reponatur in locum eius benedictio, propter Christum. *Galat. 3.* *Rom. 8.*

2. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt in me, & premis super me manum tuam.*

Propositionem sequitur expositio & commemoratio acerbissimorum dolorum, & grauissimarum calamitatum, quas sustineat, & quibus reipsa sentiat iram & furorem Dei, vt ad deprecandum eum haud immeritò excitatus videatur. Non casu quodam, aut leui affectu venio ad deprecandã iram tuã, DOMINE Deus noster, et ad implorandã cœlestẽ tuam opem. Tuæ enim sagittæ ita infixę sunt, & hęrent in me, vix vt, pro humano arbitratu, euelli queant, & potentia manus tuæ ita me opprimit, vt caput attollere nunquã me posse videar. Quęramus igitur, quæ sint sagittæ illæ Dei, quas Dauid hoc loco in se infixas esse querit. Non est aũt obscurũ, quòd Dauid

Dauid coniectus sit in has ærumnas, ex agnitione peccati sui. Mox enim sequitur: Non est pax ossibus meis, propter peccatum meũ. Et: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Paulus autem vocat peccatum, κέντρον, stimulum seu aculeum mortis, nisi enim peccatum pungeret et acueret mortem, non posset mors quicquam damni inferre. Sagittæ igitur, quas Deus in hominem, propter peccatum, eiaculatur et infigit, sunt metus mortis, sensus flammarum inferni, & horror æternæ damnationis. Postquam enim peccatũ intrauit in mundum, introierunt vnà, mors, infernus, & sempiterna cõdemnatio. Quare, cum Dauid conqueritur sagittas Dei in se infixas, palàm fatetur, se propter peccatum suum summo mortis, inferni, & condemnationis metu ita cõprehensum, vt humana ope, nulla sibi euadendi via pateat. Vnde & additur: Premis super me manum tuam. Manus Dei, omnipotentia eius est, quæ tanta est grauitate, vt si cœperit hominem propter peccatum premere, non conquiescat, donec eum in profundum vsq; inferni detruserit ac depresserit. Quid igitur miserius, quid ærumnosius illo homine, in quo propter peccatum hærent sagittæ Dei? & qui graui manu Dei premitur? Discamus autem ex hoc loco, nihil magis venenatum, magis pestiferum esse peccato. Non enim vnum tantùm & alterum morbum corporis affert, sed etiam mortem ipsam, infernum, & perpetuam damnationem. Abhorreamus igitur à peccato non aliter, quàm à præsentissimo, & sempiterno nostro interitu. Sed pergit Dauid exponere suam calamitatem.

3. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non est pax in ossibus meis, à facie peccati mei.*

Quo-

4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & grauiores ſunt, quàm vt tam moleſtum onus ſuſtinere queam.*

Non eſt arbitrãdum, quòd ſagittæ Dei perſtringant leuiter tantùm cutem meam, ſed penetrant carnem & oſſa: conficiunt tàm corpus, quàm animam, concutiunt omnes meas vires, tàm exteriores, quam interiores: nihil ſanum, nihil integrum relinquunt in omnibus meis vel corporis vel animi facultatibus: ac breuiter, maior eſt calamitas, quàm quæ humano ſermone explicari poſsit, vnde & alij malunt pendere, alij aqua ſuffocari, alij gladio pectus tranſuerberare, alij ſe de ſaxo præcipites dare, quàm grauitatẽ tantæ calamitatis diutius ferre. Quid ergo illud eſt, quòd ſagittas Dei tam acutas, tam peſtiferas reddit? A facie (inquit) iræ tuę, & à facie peccati mei. Non acuit Deus ipſe ſuas ſagittas, non efficit eas ipſe mortiferas, nec concipit ipſe iram, quippe qui natura ſua non eſt, niſi ſalus, gratia, fauor, vita & felicitas: Sed peccatũ, PECCATVM (inquam) illud eſt, quod exuſcitat irã Dei, & acuit ac inficit ſagittas eius. Agnoſco.n. grauitatem peccati mei, agnoſco multitudinem iniquitatũ mearũ, quibus ita immerſus ſum, vt etiam caput meũ ſuperent, & quib. tolerãdis haud quaquã ſufficere poſsim. Ex hac agnitione video iram Dei, ſentio intra me maledictionẽ, extremũ metum mortis, flammas inferni, & horrorem perpetuæ damnationis. Quid multis opus: Arbitror me onus Æthna (quod dici ſolet) grauius geſtare. Quid igitur faciã? quo me vertã? Quo, niſi ad te DOMINVM Deũ meũ, vt non arguas, nec corripias me in hac tua ira, & furore, ſed conſerues me propter filium tuum, quem ex hac mea poſteritate hominem aſſumpturum prædixiſti & promiſiſti.

Sed pergit in expositione calamitatis suæ.

5. *Computrescunt, & fœtent liuores mei, à facie insipientiæ meæ.*
6. *Affligor, & humilior vehementissimè, toto die tristis incedo.*
7. *Quoniam lumbi mei toti sunt aridi, non est integritas in carne mea.*
8. *Debilitor ac deijcior vehementer, rugio præ anxietate cordis mei.*
9. *DOMINE coram te est omne desiderium meum, & gemitus meus non est tibi ignotus.*
10. *Cor meum variè afficitur, deserit me robur meum, ipsi etiam oculi mei non lucent mihi suo lumine.*

Hęc omnia ita cõmemorantur, quasi quòd Dauid laboraret grauissimo quodã corporis morbo, & sicut Iob, pessimis ac fœtidissimis vlceribꝫ. scateret. Etsi aũt grauitas iræ Dei, conscientiæ patefacta, & metus æternæ mortis ac inferni propter peccata, cõcutiunt animũ hominis, tã horribiliter, vt etiã corpus debilitent, & vires eius frangant, & exhauriant, quemadmodum paulò antè dictũ est, tamen sentiamus has locutiones esse metaphoricas, & adumbrare potius vulnera conscientiæ, ꝙ membrorũ corporis. Sicut .n. in corporib. cacochymis oriũtur aliquando tumores, vomicę, apostemata seu vlcera, quæ purulentia & sanie sua tam tetrũ fœtorẽ exspirant, vt molesta sint fœditate sua non tantùm ijs, qui ea gestant, verùmetiã vicinis quibuscꝫ astãtibus: ita Dauid conqueriꝫ se propter insipientiã, seu propter peccata insipienter designata, tantis animi vomicis ac doloribus laborare, vt arbitretur se non tantùm Deo ipsi, verùmetiã

rumetiam cunctis hominibus, quamuis amiciſsimis, eſſe abominationi & horrori. Et quemadmodum graues & diuturni morbi corpus hominis ita effœtum reddunt, vt homo non amplius erectus, ſed incuruus, non in altum eleuatus, ſed depreſſus & humilis, non alacer, ſed mœſtus & atratus incedat, quippe quòd interiora membra ſint exhauſta, & quaſi arefacta, vt nullæ prorſus vires ſint reliquæ, quæ imbecillitas tam vehementer debilitat & atterit eum, vt nihil aliud præter gemitum & rugitum ſuperſit ei: ita Dauid affirmat ſe ex agnitione peccati ſui, & iræ Dei, tantis animi doloribus cruciari, vt hoc etiam in vultu, in omni denique inceſſu ſuo eluceat. Ac breuiter: Domine, inquit, coram te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus tibi non eſt ignotus, (hoc eſt) tanta eſt perturbatio animi mei, tantus gemitus, vt nullus humanus ſermo hoc explicare queat, ſed tibi, Domine, ſoli ſit cognitum. Cor enim meum tam varie afficitur, concutitur, circumiactatur, & palpitat, vt omne robur meum deficiat, ac ne oculi quidem ipſi, quamuis adhuc ſani videntur, luce ſua mihi præeant, (hoc eſt) etiam illa, quæ antea viſa mihi ſunt proſpera & felicia, (lumen enim oculorum felicitatem ſignificant) nunc videntur mihi aduerſa, & infauſta. Ex his admoneamur primùm de grauitate peccati, & ſeueritate iudicij diuini aduerſus peccatum, vt ſummo ſtudio & cura caueamus, ne affectus peccati ſectemur, & concupiſcentię eius indulgeamus. Etſi enim peccatũ natura inhæret nobis, tamẽ ſi renati ſumus in Chriſto per fidem, peccatum non imputatur nobis coram Deo, ſi modò non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulauerimus, & membra noſtra ſerua iuſtitiæ, *Rom. 8.* *Rom. 6.*

in sanctificatione exhibuerimus. Deinde consideremus consilium Dei, quo iudicium & iram suam aduersus peccata in nobis patefacit. Non enim idcirco ducit hominē in agnitionem peccati sui, & diuinæ iræ, vt condemnet & abijciat eum in æternum exitium, sed vt excitet eum ad quærendam veram salutem in Christo, quem propo-
Ezech.32. suit nobis reconciliatorem: Viuo ego, inquit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis, vt cōuertatur
Rom.11. & viuat. Et Paulus: Conclusit Deus omnes in incredu-
Galat.3. litatem, vt omnium misereretur. Ac rursus: Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare, si quis iudicio peccati, & sensu iræ Dei concussus fuerit, agnoscat consiliū & voluntatem Dei, quòd Deus cogitet sub hac ira, non mortem, sed vitam, non damnationem, sed salutem.

11. *Amici mei & proximi mei stant à plaga mea auersi, & propinqui mei à longe consistunt.*

12. *Qui autem quærunt animam meam, tendunt laqueos, & qui cogitant mihi malum, loquuntur prauitates, & meditantur omni tempore dolos.*

Ad cumulum ærumnarum, quas in me ex agnitione peccati mei & iræ Dei sustineo, accedit & illud, quòd in tantis meis afflictionibus nullum genus vel auxilij vel solatij nec apud amicos, nec apud inimicos videam. Amici, consanguinei, familiares & vicini suas res agunt, sua curant, non tanguntur affectu meorum incommodorum, imò quia intelligunt me diuinitus affligi, abhorrent à mea familiaritate, & deserunt me, ac metuentes, ne & ipsi vnà mecum diuinitus puniantur, auersantur me, & declinant à conspectu meo. Inimici autem & hostes

ſtes mei, non ſolum me deſerunt, verùmetiam inſidiantur vitæ meæ, ſpargunt de me horrendas, neſcio quas, blaſphemias in Deum, & violẽtas regni inuaſiones: vocant me virum ſanguinum, & crudelem tyrannum, ac breuiter cogitant quo iis tempore, quibus dolis, quo aſtu, quoquo iure, quaqua iniuria me opprimant. Itaque quod in Chriſto futurum eſt, hoc iam in me atauo eius, ſuo modo peragitur: Quem tu, inquit Pſalmus percuſſiſti, perſequũtur. Aduerſarij mei vident me diuinitus ita afflictum, vt nulla mihi penè ſpes ſalutis ſit relicta. Hac mea miſeria non contenti, cumulant inſuper calamitatem calamitati, vt me penitus cõculcent & perdant: nihil autem eſt crudelius, quam afflicto addere afflictionẽ. Etſi enim afflictus ſuo quodam peccato meritus eſt afflictionem, tamen Deus execratur carnalem aliorum inſultationem, & crudelitatem, quia in afflictum graſſantur. Iſraëlitæ meriti erant ſua impietate captiuitatẽ Babylonicam, tamen cum Babylonij ſæuirent in ipſos inhumanius, quàm par erat, haudquaquam ferũt impunè: Iratus ſum, inquit DOMINVS per Eſaiam, ſuper populum meũ, contaminaui hæreditatem meam. & dedi eos in manu tua, Nõ poſuiſti eis miſericordias, ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde, &c. Et in Zacharia: Zelatus ſum Hieruſalem & Zion zelo magno, & ira magna ego iraſcor ſuper Gentes opulentas, quia ego iratus ſum parùm, ipſi verò adiuuerunt in malum.

Pſalm. 69.

Eſa. 47.

Metuamus igitur DOMINVM, & quem videmus ab ipſo affligi, non addamus, noſtra crudelitate, dolorem dolori, ſed complectamur eum omni, quo poſſumus, humanitatis officio, vt & nos in noſtris aduerſis miſericordiam à DOMINO conſequamur.

13. *Ego autem tanquam ſurdus non audio, & ſum tanquam mutus, qui non aperit os ſuum.*
14. *Sum ſicut quiſpiam, qui non audit, & qui non queat obiecta crimina refutare.*

Audiuimus, quid inimici cogitent ac moliantur aduerſus afflictum Dauidem, audiamus nunc quid viciſſim ipſe faciendum ſuſcipiat. Numquid ergo rependit malum pro malo? numquid ſicut ipſi cogitant exitium eius, ita viciſſim cogitat exitium ipſorum? Nihil minus. Etſi enim inuehitur aliquoties in ipſos grauiſsimè, (id quod aliquot alij Pſalmi teſtantur,) hoc tamen non facit priuata temeritate & carnis ſuæ libidine, ſed excitatur cœleſti ſpiritu, vt ex vocatione eius recitet publicè ſententiam diuinæ ſeueritatis, quæ eſt aduerſus impios, in tribunali Dei lata. Nam cum priuatim ſuam ipſius cauſam agit, non ignorat conſiſtendum ſibi eſſe intra terminos generalis vocationis, qua exigitur, vt quamuis ſumma iniuria affectus fueris, non tamen malum rependas malo, nec deuoueas deuouentes te, ſed vt benè preceris eis, & relinquas DOMINO Deo noſtro vltionem. Quare Dauid in præſentia, etiamſi grauiſsimè ab inimicis ſuis læderetur, tamen non compenſat iniuriam iniuria, ſed tranſit ſurda aure, & obmutescit ad omnia aduerſariorum conuitia, quaſi qui ſit ſurdaſter, nec poſsit quicquam eorum criminum, quæ obijciuntur, diluere. Hoc enim eſt officium hominis pij, qui non peculiari & heroico quodam Spiritu ad execrandos impios excitatur. Quid ergo? Num, quemadmodum mutus es coram hominibus, aduerſus inimicorum

corum

eorum conuitia, ita etiam mutus es & ocioſus coram Deo? Nihil certè minus. Non exprobro quidem inimicis meis ſua conuitia, interim autem non deſino meum negotium agere coram DOMINO Deo noſtro. Sic enim ſequitur:

15. *Quoniam TE DOMINE expectо, TV exaudis me Domine Deus meus.*

Non reſpondeo maledictis & conuitijs inimicorum meorum, non reddo eis malum pro malo, ſed relinquo DOMINO Deo meo vindictam, & expecto ipſius tantùm opem è cœlo. Non enim dubito, quin qua eſt clementia erga eos, qui agnoſcunt peccatum ſuum, & credunt ſibi ipſum remitti propter promiſsū ſemen Abrahę, exaudiat preces meas, & faciat me voti mei compotem. Quid ergo precaris? Quid petis? Sequitur:

16. *Dico, ne forte lætentur de me, & ne in lapſu pedis mei glorientur aduerſus me magnificè.*

Non hoc dico, non hoc peto, non hoc poſtulo, vt inimici mei horribiliter opprimantur & pereant, ſed illud dico, illud peto, vt me DOMINE Deus meus ſaluum cuſtodias & conſerues, ne, ſi forte offendam ad lapidem pedes meos, & ruam in exitium, inimici mei de meo interitu lætentur, & ſuæ impietati applaudant. Obſeruabilis verſiculus, quo Spiritus ſanctus docet ſolenne officium piorum, in precibus ſuis aduerſus iniurias inimicorum ſuorum. Non enim precandum eſt pro more vulgi, vt inimici tonitruis & ful-

& fulminibus exterminentur, ſed vt nos à lapſu pedis noſtri, à peccato videlicet, & interitu, cuſtodiamur, ne inimici noſtri iuſtam & legitimam cauſam nobis inſultandi habere videantur. In Actis Apoſtolicis, Princi-
Acto. 4. pes & Pontifices minaciter interminantur Petro & Ioanni, ne docerent in nomine Ieſu. Cum igitur hæc referrentur ad aliquos Apoſtolos & diſcipulos, non precantur vt terra Pontificibus dehiſcat, aut fulminibus de cœlo miſsis opprimantur, ſed DOMINE, inquiunt, reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis, vt cum omni fiducia loquantur verbum tuum, manum tuam porrigendo in hoc, vt ſanatio, & ſigna & prodigia ædantur per nomen ſanctum filij tui Ieſu. Sequamur igitur hoc Apoſtolicum exemplum, & aduerſus inimicos noſtros ita precemur, vt interim non obliuiſcamur officij noſtri, ſed meminerimus charitatis, quam etiam inimicis, iuxta præceptum Dei, debemus.

Sed quid? Num Dauid ita poſtulat à Deo ſeruari, & ab inimicis ſuis liberari, vt nihil prorſum crucis & afflictionis propter peccata ſua in hoc ſeculo ſuſtineat? De hac re audiamus verſiculos, qui vſq; ad finem Pſalmi ſequuntur.

17. *Ego quidem ad afflictionem paratus ſum, & ſcio me dolori ſemper obnoxium.*

18. *Quoniam iniquitatem meam fateor ipſe, & ſollicitus ſum propter peccatum meum.*

19. *Inimici autem mei viuentes roborantur, & qui odio me habent iniquè multiplicantur.*

20. *Et qui reddunt malum pro bono, aduerſantur mihi, propterea quòd ſequar, quod bonum eſt.*

Ne

21. *Ne igitur deseras me DOMINE, Deus meus ne longè discedas à me.*

22. *Propera ad adiuuandum me, Domine salutis meæ.*

Non peto DOMINE immunis esse ab omni cruce & calamitate, non rogo, vt in hoc mundo, non pro huius mundi conditione vitam agam, scio me propter iniquitatẽ meam, quam ingenuè fateor, & propter peccatum meum, quod & agnosco, & horreo, omni afflictionum tàm generalium, quàm peculiarium generi obnoxium esse: nec detrecto quicquam illorum dolorum, quos tu mihi ferendos imponis. Quid igitur est, quòd tam misere ad me vociferis? Si paratus es & promptus ad flagella, quibus te castigo, cur tam impatienti es animo, vt ærumnas tuas deprecaris? Respondet igitur precator: Non certè imploro opem tuam, ex impia inobedientia, & ex infideli ac virulenta impatientia, sed ex importunitate, robore & multitudine meorum inimicorum. Vides enim DOMINE, quo in statu sint res meæ: ego fero quidem manũ tuã obedienter, & sustineo irã tuã patienter, sed inimici mei augẽt mihi dolorem, & acuunt meas ærumnas. Hi enim, non sunt homines abiecti & ingloriỹ, sed illustres, & rerũ felicitate insignes, vt soli ipsi in hac terra viuere videantur: nec sunt homines imbecilles, sed summa potentia in hoc seculo prẽditi, ac ornati: nec sunt pauci, sed plurimi, quorum numerus subinde multiplicatur. Hi addunt calamitatẽ calamitati, & cumulant ærumnas ærumnis: & quod mihi indignissimum videtur, hi habent me odio, ac persequuntur me crudeliter, sine vlla iusta causa, sed tantum quia sequor bonum, hoc est, facio meum officium,

& cupio de omnibus benè mereri. Etsi enim agnosco me coram Deo miserrimũ peccatorem, ac sentio quoq; in me sagittas Dei, propter meam iniquitatem, tamen nihil peccaui contra inimicos meos, sed potius præstiti eis omne genus beneficiorum, & tamen tàm virulento odio in me grassantur, vt cupiant me de terra sublatum, ac prorsus extinctum. Hęc sunt, quæ me mirum in modũ excruciant, ac penè enecant, tuus furor DOMINE, & tua ira, quia non dubito, quin sub his mediteris erga me gratiam, fauorem & clementiam, & daturus sis eũ tum, vt sufferre queam, videntur adhuc mihi tolerabiles, sed illud mihi demum intolerandum esse arbitror, quòd inimici mei sint in me tam crudeles, vt prioribus afflictionibus, addant mihi nouas, idq; præter omne meum, erga ipsos meritum. Tu iratus es aduersus me parùm, idquè iustissima de causa, ipsi verò sæuiunt in me, veluti leones, idq; summa iniuria. Quæso igitur te, DOMINE Deus meus, quod ab initio precabar, ne arguas me in furore & ira tua, (hoc est) ne de me quicquam statuas, iuxta meritum meorum peccatorum, neque iuxta affectum & virulentiam meorum inimicorum, qui hoc vnum optant, vt me prorsus deseras & abijcias, sed iudices de me, pro immensa tua clementia in semine Abrahæ promissa. Et quia sentio me versari in summis periculis, obsecro, ne auxilium tuum in longum differas, sed properes, vt quem solum agnosco omnis meæ salutis autorem, opem tuam citò, & reipsa experiar. Multa nos docent hi versiculi. Vnum est, quòd etsi ab inimicis nostris iniustè affligimur, tamen agnoscendum est coram Deo peccatum nostrum, & non est vicissim in inimicos virus

lentes

lenter grassandum. Exemplo est Dauid ipse, qui cum maledíceretur à Simei, & diceretur vir sanguinum, tantum abfuit vt remaledíceret, vt etiam amicis seueriter prohiberet, ne in maledícum grassarentur: Dímittite eum, inquiens, vt maledícat, DOMINVS enim præcepit ei, vt maledíceret Dauid. Et Petrus de Christo: Qui peccatum, inquit, non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius: qui cum maledíceretur, non remaledíxit, cum pateretur, non comminabatur, sed tradidit vindictam ei, qui iudicat iustè. Deinde monet nos Dauid suo exemplo, vt siquidem in hoc seculo vita agenda est, non suscipiamus in hoc mundo conquirendum genus vitæ ita tranquillum, vt nihil afflictionum in eo sustineamus, sententia enim lata est, quòd sicut auis ad volatum, ita homo ad ærumnas natus sit, sed vt præparemus nos ad sufferenda omnia afflictionum genera, quæ in quauis Dei vocatione nobis contigerint. Præparabimus autem nos, si in illud studium summa opera incumbamus, vt iustificati (quod Paulus ait) ex fide, pacem habemus erga Deum, per DOMINVM nostrum Iesum Christum, & sine vlla hæsitatione credamus, Deum esse fidelem, qui non sinat nos tentari, supra id, quod possumus, sed det vnà cum tentatione euentum, vt possimus sufferre.

2. *Reg.* 16.

Iob. 5. & 14.

Rom. 5.

1. *Cor.* 10.

Admonemur etiam his versiculis, quòd de ira Dei non sit iudicandũ ex ira hominum. Homines enim si exarserint, nullum ponunt irę suæ nec modum, nec finem, sicut supra de Babylonijs dictũ est. Deus autem qui est salus & clementia ipsa, ita iratscitur, vt tamen erga credentes & inuocantes nomen eius meminerit misericordiæ. Apud Hoseam dicit DOMINVS: quomodo dabo

Oseæ. 11.

te Ephraim? protegam ne te Israël? quomodo dabo te? sicut Adama, ponam te vt Zeboim? Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.

Thren.3. Non faciã furorem iræ meæ. Et in Threnis Hieremiæ: Non repellet in sempiternum DOMINVS. Quia si abiecit, etiam miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum. Nec enim humiliauit ex corde suo. Et in Ezechiele: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Quid horribilius morte ex ira Dei obiecta? Et tamen Deus iurat, se non hoc consilio mortem minari, vt perdat, sed vt seruet. Hinc est, quòd qui veram cognitionem diuinæ in afflictionibus voluntatis habent, & datur eis optio, num malint à Deo ipso affligi, an ab hominibus, longè præferunt manum DOMINI manibus hominum. In

Iudi.10. libro Iudicum merentur Israëlitæ supplicium, propter idolomaniam suam: & cùm tradendi essent hostibus suis, vt affligerentur, obnixè deprecantur, & dicunt ad DOMINVM: Peccauimus: redde TV nobis quicquid tibi placet: tantùm nunc libera nos. Illud volunt dicere: Fatemur ingenuè nos iram & supplicium tuum propter impietatem nostram meritos, nec tam impudentes sumus, vt petamus ab omni supplicio prorsus liberi esse, verùm illud precamur, ne nos hostibus nostris punien-

2.Reg.24. dos tradas, sed tu ipse nos pro tua voluntate affligendos suscipias. In posteriori libro Samuelis, cum Dauid numerasset populum temerè, & meritus esset supplicium, datur quidem ipsi optio trium generum pœnarum, fames, pestilentiæ, & incursionis hostilis: sed eligit manũ DOMINI: Coartor, inquiens, nimis: sed melius est, vt incidam in manus DOMINI, (multæ enim sunt miserationes misericordiæ

ricordiæ eius,) quàm in manus hominum. Non dissimile exemplum extat etiam in libro Iudith, sed qui inter Apocryphos habetur. Ozias enim precatur DOMINVM cõtra tyrannidem Holophernis: Peccauimus, inquiens, cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatẽ fecimus. TV, quia pius es, miserere nostri: aut in TVO flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo, qui ignorat te, vt non dicant inter Gentes: Vbi est Deus eorum? His exemplis & id genus alijs edocti, non metiamur iram Dei, ex ingenio crudelium hominum, sed potius ex promissionibus Dei, quibus manifestum est, quòd etiamsi Deus affligat, meditetur tamen liberationem & salutem. Postremò cum in Esaia dicatur: Qui crediderit, non festinet, miraberis fortasis, cur Psalmus iuxta vulgatã tralationem dicat: Intende in adiutorium meum, quod nos legimus: Propera, seu festina ad adiuuandum me? Sed sciamus, aliud esse ad auxilium Dei ex incredulitate, aliud ex doloris magnitudine & grauitate festinare. Impij enim in afflictione sua properant & ipsi aliquoties ad Deum, sed nisi statim affulserit auxilium, redeunt ad ingenium, & dicunt: Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo. Pij autem cum festinant, & cupiunt sibi continuò subueniri, non defatigantur inuocatione, sed etiamsi auxilium differatur, & afflictiones subinde graviores fiant, perdurant in officio, & expectant tempus, quod non ipsis, sed DOMINO Deo opportunũ videtur. Solet enim Deus opem petitam, ac promissam aliquoties differre, non quia nolit eam conferre, sed quia velit fidem inuocãtis probare, & dilationem maioribus beneficijs compensare. Quare licebit quidem in precibus festinare, &

Iudith 7.

Esa. 28.

Luc. 18.

opem diuinam velociter, ſine vlla dilatione affuturam petere, ſed ex fide, vt etiamſi videamur repulſam pati, tamen non deſeramus inuocandi officium, ſed DOMINVM obedienter expectemus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Eccle.3. Tempus belli, inquit Salomon, & tempus pacis. Quæ rerum varietas in hoc mundo eſt ſolennis, ea etiam ſolet eſſe in hominibus. Aliquoties enim tranquillus eſt animus, ac non ſentit iram & iudiciũ Dei aduerſus peccatum. Aliquoties ex agnitione peccati & diuinæ iræ ita perturbatur, vt exiſtimet ſibi ex hac vita in æternam internitionem migrandum eſſe. Vtroque tempore tam pacis quàm belli opportunus & commodus eſt hic Pſalmus. Si enim fruimur præſenti tranquillitate, ſumendus eſt hic Pſalmus in manum, vt admoneamur de ſeueritate diuini iudicij, aduerſus peccatum, quod adhuc in carne noſtra hæret, & non ducamus vitam carnaliter ſecuram, ſed ambulemus in timore DOMINI. Si autem in præſentia affligimur ſenſu iræ Dei, iterum properandum eſt ad hunc Pſalmum, vt ex eo cognoſcamus primùm quidem, Dauidem, hominem pium, & ſecundum cor Dei electum, ſimili affectu laboraſſe & liberatum eſſe, vt & nos exemplo eius benè confidamus. Deinde conſilium Dei, quòd Deus eiaculetur quidem ſagittas ſuas acutiſsimas in populum ſuum, non autem, vt perdat eos, ſed vt hac via ducat eos ad veram & æternam ſalutem; illud videlicet agens, vt cum Propheta dica-
Oſee.6. mus: Venite, reuertamur ad DOMINVM, quia ipſi diſcerpit, & ſanabit nos, percutit, & curabit nos. Viui-

ficabit

ſcabit nos poſt duos dies. In die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.

Pſalmus 39.

Dixi cuſtodiam vias meas, &c.

Iuſdem argumenti eſt hic Pſalmus, cuius triceſimus ſeptimus: Noli æmulari, & ſeptuageſimus tertius: Quàm bonus Iſrael Deus. Et quam querelam hi Pſalmi continent, eandem continet etiã viceſimum primum caput in Iobe, & repetunt Prophetæ. Hieremias cap. 12. dicit: Quare via impiorũ proſperatur? Benè eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Abacuc cap. 1. ait: Quare reſpicis contẽptores & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe? Hęc enim eſt perpetua hominum in hoc ſeculo querela, quòd bonis ſit malè, malis autem benè. Ex quo quidem homines ita offendi ſolent, vt alij applaudant ſuæ impietati, quàm vident in hoc ſeculo eſſe felicem, alij ſequantur etiam ipſi, abiecta pietate, impietatem, alij negent eſſe Deum omnia gubernantem, & arbitrantur res humanas ſurſum deorſum, temerario caſu ferri. Negotiator videt impoſturas & nugas ſui vicini proſperum habere ſucceſſum: excitatur ergo, vt & ipſe ſuſcipiat impoſturas exercendas. Turca videt imperatorem ſuum in ſua religione, imò impietate feliciter promouere, & Chriſtianorum regna fortiter expugnare; ſtabilitur ergo in

ſua

ſua Mahumetica impietate, & ridet Chriſtianam religionem. Spiritus ſanctus autem munit pios verbo Dei, & hortatur eos, ne offendantur felicitate impiorum, & infelicitate piorum, propterea, quòd nec illa, nec hæc ſit perpetua, imò ne diuturna quidem, ſed illa compenſetur vel tandem perpetua infelicitate, hæc autem perpetua felicitate, ſicut & Chriſtus ait: In mundo afflictionem habetis, ſed bono animo ſitis, ego vici mundum. *Ioan.16.* Et iterum: Amen, amen dico vobis, vos plorabitis & lamentabimini, mundus contrà gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, ſed mœror veſter vertetur in gaudium. Non igitur deſeramus officium, propter impiorũ gaudium, ſed potius contrà eamus audentiores, confirmati concionibus illis Propheticis, quas viſum eſt Spiritui ſancto conferre in Pſalmos illo conſilio, vt & iucundius memoriæ infigantur, & ijs non tàm publicè, vnà cum alijs, quàm priuatim ſoli, ore quidem tacito, ſed *Eph.5.* vocali mente vtamur, canentes, (vt Paulus inquit) at pſallentes DOMINO in corde noſtro.

1. *Dicebam quidem, Cuſtodiã vias meas ne peccem lingua mea, imponam ori meo capiſtrum, dum impius coràm me (obuerſatur.)*
2. *Obmuteſcam ſilentio, tacebo præ felicitate (impij,) ſed dolori meo perturbatus ſum.*
3. *Concaluit cor meum intra me, in diſceptatione mea exarſit ignis. Dixi ergo lingua mea.*

Initiò recitat Pſaltes pugnã carnis & Spiritus, quam conſpectus felicitatis impiorum, in homine pio excitare ſolet, vt hac occaſione ad commemorationem eorum

remo

remediorum, quæ iſti offendiculo opponẽda ſunt, tranſeat. Dum impius, inquiens, coram me obuerſatur, & dum pono mihi ob oculos felicem rerum in impietate eius progreſſum, ſoleo quidem dicere, ſoleo mihi in animo meo proponere, quòd velim vias meas ita cuſtodire, & inſtituere, vt ne lingua quidem peccem, (hoc eſt) vt nõ murmurem, ac ne amarulentum quidem verbum aduerſus felicitatem impij dicam, ſed os meũ freno ſeu capiſtro compeſcã, ne quicquam loquar, quo vel iudicium Dei, in benefaciendo impio, repræhẽdere, vel fortunæ proximi inuidere videar. Etſi enim animus meus hac in parte grauiter offenditur, quòd pijs ſit male, & impijs benè, tamẽ illud pro virili conor, vt obmuteſcã, & ſileam à bono, hoc eſt, vt ſurda aure tranſeam bonum ſeu felicitatem impij, nec eam cogitationibus meis exagitem, ſed æquo animo feram. Neceſſe quidẽ habeo coram videre, impios eſſe ſecuros, & ducere in bonis, ſeu in tranquillitate & felicitate dies ſuos, ac promptuaria eorum eſſe plena, & boues ipſorum eſſe craſſos, ſed hanc mihi operam ſumo, ne offendar, & aut damnem iudicium Dei, aut deflectam in partes impiorum. In hoc autẽ meo conatu, & propoſito, quid obſecro fit? quid accidit? Ecce tibi, quo plus compeſco os meum, & injcio ei frenum, eo magis perturbat me ægritudo animi mei & incaleſcit cor meum intra me, ac dum me huc illuc in omnem partem verſo, tectus magis æſtuat ignis. Cogito enim nihil eſſe iniquius, nihil eſſe ſapiẽtiæ Dei incõgruentius, quàm vt pijs ſit male, & impijs bene, idq; tantiſper in me gliſcit, dum intrauero, vt alius Pſalmus ait, in ſanctuarium Dei, & dicam lingua mea, (hoc eſt) inuocem nomen DOMINI. Hæc eſt inſignis deſcriptio pu-

Iob. 21.
Pſal. 144.
Pſalm. 73.

gnæ inter carnem & Spiritum, in offendiculo, quod ex infelicitate piorum, & felicitate impiorum oriri solet. Ac impij quidem, vt primùm vident hanc rerum inæqualitatem, ruunt in exitium, & sequuntur, non quæ iusta sunt, sed quæ in hoc seculo tuta & felicia vident. Pij autem, etsi sollicitantur & ipsi carne sua ad impietatem, tamen pugnant Spiritu aduersus carnem, de qua pugna copiosè scribit Paulus ad Romanos cap. 7. & ad Gal. cap. quinto. In obiectu enim felicitatis impiorum, Spiritus hortatur hominem, vt non offendatur, nec inuehatur in iudicium Dei, nec excitetur vel ad æmulationem, vel ad virulentiam, sed compescat illegitimos motus animi, & pergat suum officium facere: at suggerit ei rationes, cur in officio pietatis sit perdurandum, quas mox Psalmus commemorabit. Caro autem tumultuatur contrà, Quid? inquiens, arbitraris ne, cum malis sit bene, & bonis male, Deum curare res humanas? Nam si est Deus, nihil est eo nec iustius, nec sapientius, nec potentius. Non est autem iusti gubernatoris, nec sapientis, nec potentis, vt in administratione sua tantam iniustitiam perferat, & ad eam conniueat, quare, aut non est Deus, aut non curat humana. Et hic quidem est carnis instinctus & afflatus, in ipsis etiam hominib. pijs, & Spiritu renatis, qui & tanto est furore, vt quo magis Spiritu restiteris, eo vehementius soleat exardescere, & Spiritui repugnare. Delectat me, inquit Paulus, lex Dei, secundũ internum hominem, sed video aliam legem (quæ est lex seu instinctus carnis) in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Quid igitur faciendum, & quo se in hac pugna vertendum?

Rom. 7.

dum? Quod Ioſophat rex Iudæ, in ſubita incurſione ſuorum hoſtium fecit, hoc nobis etiam in hac periculoſa pugna faciendum eſt. Properemus precibus noſtris ad DOMINVM Deum noſtrum, & dicamus: In nobis quidem nō eſt tanta fortitudo, vt poſsimus infano carnis tumultui, qui in nos graſſatur, reſiſtere, ſed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros, ad te DOMINE Deus noſter dirigamus. Hoc enim illud eſt, quod Pſalmus ait: DIXI lingua mea, (hoc eſt) Cum ſentirem intra me tantum carnis aduerſus Spiritum ardorem, vt quo magis reſpicerem in impiorum felicitatem, eò plus offenderer, & ad partes impiorum ſollicitarer, non habui aliud aſylum, quò confugerem, quàm vt dicerem lingua mea. Quid autem dicerem? Quod ſequitur, inuocarē, videlicet precibus meis nomen DOMINI Dei noſtri, vt ipſe ſuo me Spiritu & cœleſti ope in tanto certamine iuuet. In periculis enim nihil magis ſalutare eſt, quàm vt nos ſine vlla mora ad inuocationem nominis Dei conferamus: Inuoca me (inquit) in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Audiamus ergo preces, quibus Pſaltes Deum in hac pugna inuocat. 2. *Paralip.* 20.

4. *Oſtende mihi DOMINE finem meum, & menſuram dierum meorum, quæ ſit, vt cognoſcam, quàm caduca ſit vita mea.*

5. *Ecce das mihi dies palmares, & vitam meam, perinde ac ſi nihil eſſet coram te, certè omnino vanitas eſt omnis homo, (quamuis) præſtantiſsimus.*

6. *Certè, incedit quiſq; ſicut vmbra, certè fruſtra tumultuatur, congregat, & neſcit, cui colligat ea.*

7. *Nunc ergo, quid expecto DOMINE? Spes mea TV es.*

In tribus primis versiculis cõmemorauit Psaltes pugnam carnis & Spiritus, in offendiculo felicitatis impiorum, & infelicitatis piorũ. Et dictum est, quòd in hoc periculo vertat se ad preces, quæ non recensentur nude & simpliciter, sed eiusmodi sunt, vt contineant in se rationes, quibus precator iuuatur, & inflammatur, vt Spiritus superet carnem, & reportet victoriã. Sunt autem precationum tres. In prima commemoratur, quòd nec felicitas impiorum, nec infelicitas piorum sit diuturna, sed caduca, & penè momentanea. Quis igitur propter momentaneam felicitatem recederet ab officio, & conijceret se in perpetuam infelicitatem? In secũda recensetur gratuita condonatio peccatorum, quod donum superat omnem huius seculi felicitatem, & compensat omnem mundanam infelicitatem. Quis autem præ tanto dono non fastidiret impiorum maiestatem, quamuis illustrem? Tertia significat, DOMINVM Deum nostrum dare in tentationibus euentum, vt possimus eas ferre, de qua re si quis certificatur, quid causæ esset, cur infelicitatem suam in hoc seculo impatienter ferret, & ad impietatem deficeret? Dicamus igitur primùm, de prima precatione: In certamine carnis cum Spiritu, non habui aliud, inquit Psaltes, quàm vt dicerem lingua mea, hoc est, inuocarem DOMINVM precibus meis, vt ostendat mihi finem meum, & notam faciat mihi durationem vitæ meæ. Quid? quæ, inquies, hæc est impudentia, postulare à DOMINO, vt nos certiores reddat, quamdiu simus in hoc seculo victuri, & quàm longè vita nostra sit proroganda? In Actis Apostolicis percontantur Apostoli

ſtoli Chriſtũ: Num in tempore hoc, inquientes, reſtituis *Actor.1.*
regnũ Iſraël? Sed audiunt: Non eſt veſtrũ noſſe tempora
& articulos temporũ, quos pater in ſua ipſius poteſtate
poſuit. An non idẽ poſſet DOMINVS Pſaltæ in hac ſua
petitione reſpõdere? De die illo, inquit Chriſtus, & ho- *Matt.24.*
ra nemo ſcit, ne Angeli quidem cœlorum, niſi Pater
meus ſolus. Quod de ignorantia diei & horæ generalis
aduentus DOMINI, ad iudicandum vniuerſum orbem,
primùm quidem Iudæorum, deinde etiam omniũ Gen-
tium, dictum eſt, hoc intelligendum quoq; eſt de pecu-
liari aduentu DOMINI, quo priuatim quiſq; ex hac vi-
ta, in alteram euocatur. Quid ergo eſt, quòd Pſaltes oret
hîc, vt cognoſcat, quamdiu ſit in hac terra victurus, hoc
eſt, vt Deus patefaciat ipſi diem mortis ſuæ? Sciamus
igitur, quòd Dauid non poſtulet impudenter, vt illa ar-
cana, quæ Deus vult nobis in hac vita eſſe abſcondita,
& quæ vtiliter quoq; ignoramus, cognoſcat, ſed petat
obedienter, vt Deus patefaciat ipſi, quanta ſit humanæ
vitæ vanitas, quanta futilitas, & vt retineat ipſum in iu-
gi huius vanitatis conſideratione. Videt enim ſe, in ſe-
ctanda vera pietate, varijs & duris caſibus iactari, im-
pios autem tam proſperos habere ſuarum rerum ſucceſ-
ſus, vt videantur fore perpetuò felices. Quare caro ſuga-
gerit, ſi fortè Deus curam humanarum rerum abiecerit.
Sed Spiritus opponit his carnis cogitationibus vanita-
tem humanæ vitæ, & breuitatem felicitatis impiorum.
Oſtende mihi, inquit precator, finem meum, & quæ ſit
menſura dierum meorum, vt ſciam, quàm caduca, quàm
fugax ſit vita mea. Non hoc peto, DOMINE, vt me cer-
tiorem reddas de tempore & memẽto, quo mihi ex hac
vita excedendum ſit, nolo curioſè ſcrutari, quod tu in

tua ipsius potestate cõstituisti, sed illud scire peto, quod tu voluisti nobis planè esse cognitum & perspectum, vi delicet, vt cum ego multis aduersis affligar, impij autem insigni felicitate fruantur, animum meum in vera cognitione, & consideratione varietatis & vanitatis humanarum rerum conserues, & sciam, nec me perpetuò affligendum, nec impios diu sua felicitate fruituros. Ostende mihi finem meum: effice, vt recte intelligam, afflictiones meas suum habituras finem, & infelicem ac tristem meam vitam non in longum tempus prorogandã, sed sua mensura, suis terminis, quos infelicitas transgredi non queat, esse definitam. Atq; ecce adeo, tuo DOMINE fauore, agnosco, dies vitæ meæ vix longitudinem spithames seu palmi, aut mensuram quatuor digitorum æquare, imò, si ad tuam Geometriam conferantur, planè nihil esse. Quomodo igitur non æquanimiter ferrem tantillo tempore afflictiones, etiamsi in ijs vsque ad extremum huius corporalis vitæ perdurandum esset? Non loquor autem tantùm de meæ, sed etiam de omnium hominum, ac maximè impiorum vitæ seu vanitate, seu breuitate. Certè vita omnium hominum, quamuis excellentissimorum, & præstantissimorum, vnà cum omni sua sapientia, potentia & felicitate, non est nisi extrema vanitas, vt recte dixerint, qui hominem vocarũt bullam, & vmbræ somnium, & iuxta Esaiam, omnem carnem esse fœnum, & omnem gloriam eius, quasi florem agri. Vnde & hîc additur, certe vnusquisque incedit in imagine aut vmbra, seu sicut vmbra. Nam quemadmodum illa imagine & vmbra, quam homo in sole ambulans, de se proijcit, nihil est vanius & inanius, habet tantùm speciem quandam aut laruam hominis,

non

non autem est homo: ita homo ipse, vnà cum omni sua gloria & felicitate in hoc seculo, res est longè omnium fragillima. Ac vides aliquoties, tantam eius vanitatem, vt multo sudore, multo labore congreget diuitias, (quemadmodum etiam Ecclesiastes Salomonis dicit) & tamen ignoret, cui eas congreget, & qualem habiturus sit hæredem. Cum igitur videas felicitatem impiorum, nec esse stabilem, nec diuturnam, ac ne quidem vel dimidia parte felicem, cur, obsecro, ita offendereris, vt pietatis officium desereres? Quò ergo, inquies, in tanta vanitate, & tam repentina rerum mutatione, me vertam? quid consilij capiam? Hoc docet te sequens versiculus. Nunc quid expecto, inquiens, DOMINE? Reipsa comperio humanam felicitatē esse *in*stabilem, fluxam, momentaneam. Qua igitur re confidam? in qua spem meam collocabo? Respondetur: DOMINE, spes mea TV es. Reliqua omnia, siue hæc corporalis vita, siue humana potentia, sapientia, & felicitas fallūt, & pudefaciunt sperantem in ea. Solus DOMINVS Deus noster constat: sola benedictio DOMINI Dei nostri in semine Abrahæ promissa firma est, & stabilis: sola DOMINI Dei nostri felicitas, nobis per Christum filium eius impetrata, fixa est, rata est, & perpetua. Vtcunque igitur res ceciderit, & siue impijs in hoc mundo bene sit, siue tibi male, solus DOMINVS Deus tuus sit spes & fiducia tua. Si enim Deus pro te, quis contra te? Et quis separabit te ab ea dilectione, qua Deus te in ipsum solum sperantem complectitur? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num

Eccles. 2.

Rom. 8.

num gladius? Imò persuasum tibi sit, quòd neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura poterit te separare, ab ea dilectione, qua Deus tibi propter Christum Iesum DOMINVM nostrũ fauet. Habes primam precationem, in qua Spiritus sanctus munit & confirmat animum nostrũ aduersus offendiculum, ex impiorũ felicitate conceptum, videlicet, quòd humana omnia sint mera vanitas, & quòd impiorum felicitas non sit veritas, sed vmbra, imò vmbræ somniũ, quo nihil potest esse inanius: Sicut somniat esuriens, inquit Esaias, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens, & bibit, & postquã fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicauerunt, & habuerunt felicem belli sui euentum aduersus montem Zion. *Esa.29.*

Hæc ratio consolandi & muniendi animi contra illa offendicula, non solùm cõmemoratur à Spiritu sancto in hoc Psalmo, verùmetiam in multis alijs locis scripturæ: Ne succenseas, inquit Psalm.37. propter malignos, nec æmuleris propter facientes iniquitatem. Ob quam causam? Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodũ viride gramẽ marcescẽt. Et mox: Adhuc pusillum, & non erit impius. Inuestigabis locum eius, & non erit. Et Psal. 73. Impij in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Sed quis huius felicitatis euentus? Certe, inquit, ponis eos in lubrico, deijcis eos ad interitum. Certè vastantur ex improuiso, deficiunt & pereunt horribiliter. Et Hieremias cap.10. Quare via impiorum prosperatur, bene

est

est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Respondetur. Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos ad diem occisionis, (hoc est,) Deus idcirco conniuet ad felicitatem impiorum, vt saginet eos ad lanienam, & tantò horribilius pereant, quantò feliciorem vitam in hac terra egerunt. Quid multis? Impij tolluntur in altum, vt grauiori lapsu ruant. Caue igitur, ne felicitate eorum ita offendaris, vt exemplum ipsorum sectaris, sed admonitus repentino eorum interitu, officium tuum facere pergas, & omnem spem tuam in sola clementia ac benedictione per semen Abrahæ, quod est Christus DOMINVS noster, promissa, colloces.

7. *Ab omnibus iniquitatibus meis libera me, opprobrium stulto ne ponas me.*

Secunda precatio, in qua petitur condonatio peccatorum, & liberatio ab approbrio impiorum. Quid, inquies, hæc ad offendiculum, quod ex impiorum felicitate oritur? quæ est harum precularum connexio? Apta profectò & consentanea. In priori enim precatione, cõfessus est precator omnem humanam gloriam & felicitatem esse vanitatem, & petijt se in vera huius vanitatis consideratione cõseruari, ne felicitate illa, qua inprimis gloriantur impij, offendatur, & officium suum deserat. Quid ergo? dicet quispiam: Si DOMINVS contulerit in te humanam gloriam, & alia huius seculi dona, num tu ea proijcies, & pedibus conculcabis, quia sunt vanitas? Respondeo. Si hæc, beneficio Dei, mihi contigerint, non apponam cor meum, nec ijs confidam. Scio enim possessionem eorum non esse veram felicitatem, nec esse stabilem

lem & firmam, ſed agam Deo gratias, & dabo quoad eius fieri poteſt operam, vt iſs ad gloriam nominis Dei, & ad vtilitatem proximi pie vtar. Si verò non contigerint, aut antè collata auferantur, non magnoperè requiram, non tumultuabor, non graſſabor virulenter vel in Deum, vel in prædonem. Dicam cum Iobe: DOMINVS dedit, DOMINVS abſtulit. Sicut DOMINO placuit, ita factum eſt, ſit nomen DOMINI benedictum. Illud autem requiram, illud maximè omnium ſpectabo, illud agam, ad illum exitum properabo, vt habeam remiſſionem iniquitatis meæ, vt habeam propitium DOMINVM Deum meum, qui mihi peccata mea, gratis, propter benedictum ſemen Abrahæ, condonet. Hoc donum, ſi conſecutus fuero, quis me beatior? quis felicior? Si enim habuero remiſſionem peccatorum coram Deo, nihil mihi incommodi afferre poteſt, nec corporis imbecillitas, nec paupertas, nec fames, nec exilium, nec mors ipſa, imò hæc omnia neceſſe habent, mihi adiumento eſſe in bonum. Si autem quiſpiam remiſſione peccatorũ coram Deo caruerit, quid obſecro, proderit homini vel ſano, ſua ſanitas, vel diuiti, ſua opulentia, vel regi, ſuum regnum. Melius tibi eſt, (vt Chriſti verba ſequamur) claudum, mutilum, ægrotũ, pauperem, famelicum, & omni genere calamitatis oppreſſum, ad vitam ingredi, (quod cõtingit iſs, qui habent peccatorũ remiſſionẽ, quàm habentem duos pedes, ſanũ, diuitem, ſaturũ, regem & Monarchã mitti in æternũ ignem, quod iſs contingit, qui remiſſione peccatorum carent. Quare, ſiue proſpera ſiue aduerſa in hoc ſeculo euenerint, illud imprimis oro, DOMINE Deus noſter, vt me ab omnibus iniquitatibus meis liberes, & omnia mihi peccata condones.

Matth. 18.

Deinde

Deinde illud etiam oro, ne me ponas ſtulto opprobriũ. Intelligamus aũt ſtultum, non eum, qui etiam iuxta homines huius ſeculi emota eſt mente, & audit morio aut fatuus, ſed illum, qui eſt impius, etiamſi habeatur in hoc mundo ſapientiſsimus. Oro igitur, vt conſerues me, ne impijs fiam ludibrio, & opprobrio. Non hoc peto, vt nõ afficiar probris propter ſtudiũ veræ pietatis, ſcio enim hanc eſſe ſortem hominum verè piorum, vt in hoc mundo malè audiant, & ſint opprobrio impijs: ſed illud peto, vt me Spiritu ſancto tuo cuſtodias, ne in ſcelera ruam, propter quæ meritò ab impijs affligar. Hoc prorſus illud eſt, quod Pet. Apoſtolus ſcripſit: Qualis eſt laus, inquiens, ſi, cum peccantes, alapis cedimini, ſuffertis? At ſi benè facientes & patientes ſuffertis, id demum eſt gratia apud Deum. Et iterum: Ne quis veſtrum affligatur, vt homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος: ſi verò, vt Chriſtianus, ne pudeſiat, imò glorificet Deum in parte hac. Petit igitur Dauid, vt non ſolùm conſequatur remiſsionem peccatorum, quod eſt beneficium longè omnium maximum, vtut alia ceciderint, verùmetiam vt conſeruetur, ne occupetur (vt Paulus ait) aliquo delicto, vt impij non habeant, quo ſibi propter ipſius lapſum blandiantur, & ipſum probris haud immeritò lacerare videantur. Cæterùm, vt ſignificet, ſe nec affectare felicitatem, qua fruuntur impij in hoc mũdo, nec detrectare afflictiones, quibus pij diuinitus obruuntur, ſed contentum eſſe hoc dono, & hac gratia, videlicet, vt peccata non imputentur ipſi, & vt retineatur in officio, ne ſe ſceleribus polluat, addit.

1. Pet. 2.

1. Pet. 4.

Galat. 6.

9. *Obmutescam, & non aperiam os meum, quoniam TV facies.*

Si mihi condonaueris peccata, vt nō dubito, & ſeruaueris me ab opprobrio impij, nihil eſt, quod amplius deſiderem, reliqua omnia tuæ curæ commendo. Quæcunque enim, ſiue proſpera, ſiue aduerſa euenerint, obmuteſcam, nec aperiam os meum. Non contradicam, non repugnabo, etiamſi me in extremas ærumnas conieceris. Quoniam TV FACIES, quicquid acciderit, TV optimè adminiſtrabis, TV rectiſsimè gubernabis, TV omnia diriges ad gloriam nominis tui, & ad meam ſalutem, TV nunquam committes, vt vera & æterna mea ſalus, ne quidem à morte ipſa, & inferni doloribus, aliquid detrimenti capiat. Quare, tu mihi tantùm ſis propitius, tua tantùm gratia me cōplectaris, reliqua omnia tuæ voluntati obediēter permitto. Memorabilis verſiculus, quo docemur, non eſſe commodiorem & magis compendiariam viam, ad veram tranquillitatem & felicitatem, quàm vt aſſecuta peccatorum remiſsione, noſtrum faciamus officium, & quicquid acciderit, reijciamus in manum DOMINI, certa fiducia concepta, quòd cum abſq; voluntate eius non cadat nec capillus de capite, nec paſſer in terrā, nullæ nobis ærumnæ accidant, quarum felicem euentum non longè præuiderit & conſtituerit. Iacta ſuper DOMINVM, inquit alius Pſalmus, *Pſal.* 55. curam tuam, & ipſe gubernabit, nec dabit in æternum *Pſal.* 37. fluctuationem iuſto. Et alius: Reuela DOMINO viam *1. Pet.* 5. tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Et Petrus: Humiliemini ſub potenti manu DOMINI, vt vos extollat, opportuno tempore, omni veſtra cura in ipſum coniecta. Habes ſecundam precationem.

10. *Tolle à me plagam tuam, ego à conflictu manus tuæ abſumor.*

Tertia

Tertia precatio, qua petitur, vt Deus auferat ærumnas & afflictiones, quas immisit. Dices autem, quomodo hæc precatio conuenit cum præcedentibus, in quibus precator recipit se patienter toleraturum, quicquid acciderit? Obmutescam, inquiens, & nõ aperiam os meum, etiamsi multa mihi aduersa euenerint, tantummodò Deus sit mihi propitius: nũc autem videtur precari, vt prorsus non affligatur. Sed hic versiculus rectè intelligendus est. Non enim precatur, vt omnino nullas habeat in hac terra ærumnas, quæ enim hæc esset impudentia? sed precatur, vt Deus tollat à se plagam suam, (hoc est) vt mitiget aduersa, ne magnitudine flagelli diuini prorsus opprimatur. Excipit quidem obedienter & patienter, quiduis incommodi & aduersi Deus immiserit, illud tantùm precatur, vt reddat calamitatem mitiorem, ne à conflictu, & grauitate manus eius absumatur, & pereat. Ad hunc modum orat Christus pro Apostolis suis, non rogo, inquiens, vt tollas eos de mundo, (hoc est) vt nullas prorsus in hoc mundo ærumnas habeant, sed vt serues eos à malo, videlicet, ne in ærumnis huius mundi succumbant. Hoc idem significat diuinum oracullum Paulo, cũ oraret, vt Angelus satanæ à se discederet, audit enim: Sufficit tibi gratia mea. Qua voce docet, nõ esse in hoc seculo quærendam talem tranquillitatem, quæ omni cruce careat, sed nos contentos esse debere gratia & fauore Dei, quo fiat, vt in aduersis conseruemur, & non pereamus. Vnde & Paulus aliàs scribit: Fidelis est Deus, qui nõ sinet vos tentari, supra id, quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. Hac promissione confirmati, non deseramus officium, propter crucem & aduersa, sed su- *Ioannis 17.* *2. Cor. 12.* *1. Cor. 10.*

Thes.5. scipiamus ea obedienter, quòd fidelis sit, qui nos ad ea vocat, & efficiat, vt illæsi euadamus.

11. *Si enim tu castigationibus quempiam, propter iniquitatem corripueris, solet contabescere desiderabile eius, sicut tinea (vestem absumit) certè vanitas est omnis homo.*

Addit hoc versiculo rationem, cur petat in plaga & flagello Dei mitigationem & euentum, vt possit sufferre, quia, inquit, si tu DOMINE Deus meus, susceperis quempiam castigandum & corripiendum, propter peccatum, tam grauis solet esse manus tua, vt nullus hominum suis viribus eam ferre queat, sed quemadmodũ tinea vestem arrodit, & absumit, ita plaga tua desiderabile hominis, hoc est, animam seu vitam eius, qua homini nihil est aut pretiosius, aut magis desiderabile, paulatim conficit & tabefacit. Nec mirum, tanta enim est cuiusuis hominis vanitas, sua ipsius natura, vt ne miniman
Genes.8. quidem increpationem Dei saluus & incolumis sufferre possit. Spiritus sanctus autem sæpè proponit nobi
Psal.60. ex vna quidem parte grauitatem iræ Dei aduersus pec
Psal.62. cata, ex altera autem parte vanitatem hominis consider
Psal.94. randam, non hoc consilio, vt coniiciat nos in veræ salu
Eccle.1. tis desperationem, & abducat in æternam condemna
Esaiæ 41. tionem, sed potius, vt abducat nos à nostri ipsorum fi
Hier.10. ducia, & excitet ad quærendam condonationem pecca
Iob.14. torum, & veram salutem in solo DOMINO nostro Iesu Christo, per fidem, qui & solus nobis propositus est, vt placator iræ Dei, & autor omnis nostræ salutis.

12. *Audi (igitur) precationem meam DOMINE, & auribus percipe clamorem meum. Ad lacrymam meam ne obsurdescas, quia peregrinus sum apud te, & aduena sicut omnes patres mei.* 13. *Defunc*

13. *Desine à me, vt corroborer, priusquam (ex hac vita) excedam, & non amplius inter mortales vitam agam.*

Repetit & concludit tertiam precationem, vt Deus mitiget suas afflictiones, priusquam pereat: Omnis, inquit, homo vanitas. Nullus est hominum natura sua tãto animi robore, vt in iudicio Dei constare queat. Non iustificatur in conspectu Dei vllus viuens: nec potest quisquã hominũ, plagã manus Dei sustinere, nisi Deus ipse deteruentũ, vt ferri possit. Obsecro igitur te DOMINE, vt propitius precationẽ meã exaudias, & ad gemitus atq; clamores meos animũ aduertas. Vides meas lacrymas, quas corã te, propter summas meas ærumnas effundo. Quæso igitur te, vt ad has & oculos & aures tuas conuertas, præsertim cũ sim coram te peregrinus & incola, seu hospes, sicut omnes patres mei, nec alium habeam, præter te, liberatorem & seruatorem. Iterum ergo, atq; iterum rogo, vt desinas & cesses à me affligẽdo, & mitiges dolorem meum, priusquam moriar, (hoc est) perpetuò inteream. Nisi enim tu subueneris, omnino mihi in tantis aduersis pereundum erit. Obseruemus igitur in his duobus versiculis, primùm, quòd pij precatores soleant in precibus suis corã Deo, gemitus, clamores, & lacrymas suas prætexere, nõ vt significent se expectare cœlestem opem, meritis suorũ clamorum & lacrymarum, quæ est hypocritarum sententia, sed vt his testentur angustias animi sui, ac magnitudinem miseriarum & ærumnarum suarũ, quibus non tàm Deũ, quàm seipsos commonefacerent promissionũ Dei, quæ de miseris, afflictis & oppressis hominibus dictæ sunt, & fidem suam confirmarent. De populo enim seu Ecclesia Dei dicit DOMINVS ipse: Vidi afflictionem populi *Exodi 3.*

mei

mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, DESCENDI VT LIBEREM eũ de manibus Ægyptiorum. Hæc promissio, dicitur quidem iuxta τὸ ῥητὸν de Israëlitis & liberatione ipsorum è tyrannide Ægyptiaca, includit autem in se generalem promissionẽ, qua Deus recipit se omnium eorum, qui verè sunt de Ecclesia populi sui, afflictiones respecturum, & ipsos liberaturum, vnde & Moses ipse postea interpretatur: *Deut.4.* Non est alia (inquiens) natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et Dauid: Iuxtà est DOMINVS ijs, qui tribulato sunt Spiritu, & humiles Spiritu saluabit. Ac iterum: Clamat ad me, & ego exaudiã eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Et Esaias: DOMINVS habitat cum contrito & humili Spiritu, vt viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritum. Quid plura? Deus idcirco his epithetis, clemens, misericors, & miserator, gaudet, quòd amplectatur miseros, & ad iuuãdos ipsos cunctus propendeat. Quare compendiaria via ad consequendam cœlestem in miserijs opẽ, est, vt eas precibus nostris, DOMINO Deo nostro, non vt inscio, sed vt ad subueniendum promptissimo exponamus, si modò nos ipsi eas serio agnouerimus, & auxilium eius per fidem quæsiuerimus. Deinde, illud etiam non oscitanter pretereundum est, quòd precator vocet se peregrinum & aduenam apud DOMINVM, facit enim & hoc ad impetrandũ auxilium Dei in miserijs. Peregrini enim & aduenæ seu hospites, non eodem loco in rebuspublicis habentur, quo indigenæ & ciues. Etsi enim commorantur aliquoties inter

Psalm.34.

Psalm.91.

ter ciues,non tamen fruuntur ciuium prærogatiuis,niſi & ipſi in ciuium catalogum recipiãtur,aut ſingulari fauore tolerentur:alioqui enim non permittitur eis communio bonorum ciuitatis, nec patet eis acceſſus ad publicos honores,ac magiſtratus, ſed neceſſe habẽt locum mutare,cum ciuibus viſum fuerit. Interim,odio etiam habentur, quòd non vnà cum ciuibus publica onera ferant, & ſi quid iniuriæ aut contumeliæ acceperint,non eſt,qui tueatur,aut vindicet. Denicꝙ magna eſt eorum, inter alienos, vbi nec amicum nec cognatum habent, miſeria, multacꝙ aduerſa diſſimulare ac deuorare cogũtur. Et vel hinc æſtimare potes, quàm miſera ſit ipſorũ conditio,quòd quem nunc peregrinum vocamus,is autore Cicerone quondã hoſtis dicebatur. Huc etiã refer, quòd ciues Lotho aduenæ exprobrant:Ingreſſus es, inquiũt,vt aduena,nũquid vt iudices? Te ergo ipſum magis,quàm hos affligemus. Quę peregrinorum conditio, cum DOMINO Deo noſtro optimè ſit bona, idcirco ſuſcepit eos in tantã curam,vt ſeueriſsimè præceperit Iſraẽlitis ſuis,ne ſint peregrinis & aduenis moleſti,& palam teſtificetur,ſe,quia tam contẽpti ſint à ciuibus, ſingulari ipſos fauore proſequi: Aduenam(inquit)non cõtriſtabis, nec affliges eum, aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti. Et iterũ: Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos,non exprobretis ei, ſed ſit inter vos,quaſi indigena, & diligetis eum, quaſi voſmetipſos. Fuiſtis enim et vos aduenę in terra Aegypti. Ac rurſus: Deus facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinũ,& dat ei victum & amictum. Et vos ergo amate peregrinos. Ex his legib.manifeſtũ eſt,quòd conditio peregrinorum & aduenarum tam abiecta ſit

Cicer. in Offic.

Geneſ. 19.

Exod.22.

Deut.10.& 24.

inter homines, vt Deus ipse necesse habuerit singulari rem ipsorum curam & tutelam suscipere. Quare, cum precator agnoscit se coram Deo aduenam & peregrinum, haud obscurè significat, primùm, se ab omnibus hominibus desertum, & omni humano præsidio destitutum. Deinde, se certò confidere, quod etiam fruiturus sit illo fauore, quo Deus palam testificatus sit, se peregrinos amare, & tueri.

Quod autem addit: Sicut omnes patres mei, reuocat hac quoq; appendice in memoriam illas promissiones, quibus Deus recepit se maiores suos in omnib. aduersis defensurum, & conseruaturum, vt ex his fidem suam confirmet, & spe sua non pudefiat. Nam & Patriarchæ ipsi agnouerunt, se in hac terra non esse ciues, sed peregrinos: luxta fidem, inquit Epistola ad Hebræos, mortui sunt hi omnes, cum nõ accepissent promissiones, sed procul eas vidissent & credidissent, & salutassent, & confessi fuissent, se hospites & aduenas esse in terra. Nam hæc qui dicunt, declarant se patriam inquirere. Vnde quod Dauid in hoc Psalmo fatetur, hoc postea repetit in oblatione eorum, quæ ad ædificationem templi necessaria videbãtur. Tua, inquiens, DOMINE, sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri, quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Sequamur ergo in precibus nostris, tam fidem, quàm verba Patriarcharum, & agnoscamus nos in hac terra nõ ciues, sed peregrinos, non indigenas, sed aduenas, non domesticos, sed hospites, vt excitemur ad querendam & consequendam veram & cœlestem patriã. Postremo, quod vltimus versiculus dicit: Define

Hebræ. 11.

1. Paralip. 29.

me,

me, vt corroberer, priusquam abiero, & nõ amplius sim superstes, videtur mutuatũ, paucis modò verbis mutatis, ex Iobis cap. decimo, & decimo quarto: Dimittat me, vt corroborer paululum, priusquã abiero, & non reuertar. Et iterum: Recede paululum ab eo, vt quiescat. Non docet autem his verbis, animam hominis vnà cum corpore interire, & nõ esse vitã post hanc vitã, quid enim à vera pietate alienius esset? Sed tantùm petit, vt diuinitus iuuetur, ne in extremis suis aduersis prorsus pereat. Petit, vt Deus det euentum, quemadmodum suprà dictum est, quo possit afflictiones suas sufferre, & non moriatur, à Deo desertus & abiectus. Est & hæc obseruabilis ratio, qua siue Deum, vt ita dicam, excitemus ad cõferendam nobis cœlestem opem, siue fidem nostram cõfirmemus, si videlicet exponamus Deo res nostras in summo discrimine & periculo versari, in quo nisi clementer succurrat, de salute nostra actum sit. Deus enim gaudet hoc epitheto, quòd sit refugium oppresso, refugium opportuno tempore, in afflictionibus, hoc est, adiutor in extremis periculis. Quare cum admonetur de summo discrimine, vt teneri nõ potest, quin iuxta promissionem suam succurrat afflicto, ita afflictus hac admonitione confirmat fidem suam, vt certissimam liberationem speret.

VSVS HVIVS PSALMI.

Monumenta veteris Ecclesiæ testantur, studiosum quendã pietatis venisse ad Eremitã, eruditione, sanctitate vitę, & senecta venerabilem, ac petijsse ab ipso, vt dignaretur sibi hunc Psalmum interpretari. Eremita haud grauatim hoc oneris suscipit, & exponit ei diserte ac perspicuè *Pambo. Vide Socratem in hist. Eccle. li. 4. cap. 23.*

perſpicuè primum huius Pſalmi verſiculum: Dixi, cuſtodiam vias meas, ne peccem lingua mea, imponã ori meo cuſtodiam, dum impius coram me conſtiterit. Quem cum abſoluiſſet, & in interpretatione pergere vellet, ſufficit, reuerende pater, (inquit diſcipulus) hoc tempore, dabo interea operam, quam poſſum, vt hunc verſiculum memoriæ mandem, & ſententiam eius perſpectam habeam: Quem poſtquam rectè perdidicero, redibo, vt & reliquum Pſalmi cognoſcam. Abit igitur, ſed tam longo tempore non reuertitur, vt ſenex miraretur. Itaque vocato ad ſe, quid? inquit, abieciſti ne ſtudium pietatis, quòd tanto tempore me hactenus non inuiſeris? Nihilominus, inquit diſcipulus, ſed interea meditatus ſum hũc verſiculum noctesq; diesq; ſumma diligentia, & tamen non potui hoc tempore conſequi, vt quod vtcunque intelligo, reipſa præſtem: cur igitur exhibuiſſem tibi, inſuſcipienda reliquæ partis Pſalmi explicatione, moleſtiam? Commendanda quidem eſt reuerentia diſcipuli erga ſenem, non eſt autẽ ex hoc conſtituenda regula, quòd non ſit pergendum in cognoſcenda veræ pietatis doctrina, ſi vnum & alterum verſiculum Pſalmorum, aut aliorum cœleſtium oraculorum, vel intelligentia non aſſequaris, vel opere non præſtiteris. Attende, inquit Paulus, lectioni, exhortationi & doctrinæ. Ac mox: Attende tibi ipſi, & doctrinæ, perſiſte in his. Nam ſi id feceris, teipſum ſeruabis, & eos qui te audiunt. Et iterum: Tu perſiſtito in his, quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſciens, à quo didiceris, & quòd à puero Sacras literas noueris, quæ TE POSSVNT ERVDITVM REDDERE AD SALVTEM, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Non igitur arbitreris ſtudioſum piæ doctrinæ ſuo officio

1. *Tim.* 4.

2. *Tim.* 3.

ficio defunctum, si in vna tãtùm & altera periodo sacræ scripturæ cognoscenda hæreat, sed si pergat, pro sua vocatione legere, audire, repetere, euoluere & scrutari, quæ Spiritus sanctus legenda & scrutanda proposuit. Nam si loquendũ est de sententia sacræ scripturæ, quod in vno loco obscurum videtur, in altero clarius explicatur. Si autem loquendum est de impletione præceptorum eius, quod in vno loco paucis præcipitur, hoc in altero ita illustratur, vt auditorem per Spiritum sanctum ad obedientiam excitet ac inflammet. Quare non est vnquam in studio piæ doctrinæ cessandum, sed semper progrediendum, donec omnes perueniamus in vnitatem fidei, (vt Paulus loquitur) & agnitionis filij Dei, *Ephes. 4.* in virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi, vt non amplius simus pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quouis vento doctrinæ. Vel hũc ipsum Psalmum nobis ob oculos ponamus, primus eius versiculus monet nos exemplo precatoris, vt in illo offendiculo, quod nobis ex impiorum felicitate obijcitur, custodiamus vias nostras, & coërceamus linguam nostram tapistro, ne in gubernationem Dei virulenter inuehamur, & eam iniquitatis accusemus. Hîc, si constiteris, exemplo discipuli, de quo antè dictũ est, habes quidem, quod te erudiat, quid sit faciendum, sed nondum habes, quod te ad faciendum accendat & inflammet. Perge igitur in Psalmo, & inuenies rationes, quæ tibi, autore Spiritu sancto, stimulos ad præstandam obedientiam admoueant. Harum vna est, vt consideres vanitatem humanæ in hoc mundo felicitatis. Quid enim hæc felicitas aliud est, quàm vmbrę somnium, aut si quid est inanius? Cur igitur ob rem tam euanidam, vel inuideres homini,

vel cõtumelioſus eſſes in Deum? Altera eſt, quòd etiam ſi impius habet ſuam in bonis huius ſeculi felicitatem, tu tamen habes remiſsionem peccatorũ coram Deo, quod bonum, vt excellit omnem huius mundi felicitatem, ita affert ſecum perpetuam & cœleſtem beatitatem. Quid ergo ſuccenſeres gubernationi Dei, quòd in hominem impium, non etiam in te, vnà cum ſummo beneficio, infimum quoq; contulerit? Hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis ornatus omnibus tam ingenij, quàm corporis dotibus, indignaretur ſe non poſſe etiam volare, inſtar auicularum, quid hoc affectu eſſet vanius? Tertia eſt, quòd etiamſi impius felicem ducat vitam in hoc ſeculo, tu autem in vera pietate afflictionem habeas, tamen impio (niſi reſipiſcat) in ſua huius ſeculi felicitate, pereundum eſt, tibi autem Deus dat euentum, vt ſufferre queas, & per afflictionem ingrediaris in cœleſte regnum. Vtram igitur conditionem meliorem, & exoptatiorem arbitraris? Diſcamus igitur ex hoc Pſalmo fortitudinem animi, vt propter impiorum felicitatem in hoc ſeculo, nõ commoueamur, nec à ſtatione officij noſtri deijciamus, ſed agnoſcamus iuſtum iudicium Dei, qui vt eſt ſapientiſsimus omnium rerum gubernator, ita habet optimas cauſas, cur conniueat, vt malis in hoc ſeculo benè ſit, bonis autem malè. Quæ cauſæ, cum aliâs copioſè recitari ſolent, ſuperuacaneum eſt hoc loco repetere: & ſi quid in harum recitatione, humanæ curioſitati non ſatisfecerit, compeſcenda eſt exclamatione Pauli: O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ, & cognitionis Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, & imperueſtigabiles viæ eius? &c.

Rom. 11.

Pſalmus

Psalmus 40.

Expectans expectaui DOMINVM, &c.

NEgari quidem nō potest, quin Dauid multis in rebus fuerit typus DOMINI nostri Iesu Christi, et adumbrauerit eum. In hoc autē Psalmo Dauid non loquitur de seipso κατὰ τὸ ῥητὸν, seu literaliter, et de Christo typicè, sed Christus ipse de se, iuxta literam, per os Dauidis loquitur. Extat enim in Epistola ad Hebrēos manifestum testimonium, quòd hæc fiat sermo, nō de Dauidis, sed de Christi obedientia, qua peccata nostra coram Deo expiata sunt. Cū (Christus) ingrederetur, inquit Epistola, in mundum, dicit: Sacrificiū & oblationē noluisti, corpus aptasti mihi, holocautomata & pro peccato non comprobasti. Tunc dixi: Ecce venio, &c. Ac videntur quidem ea, quæ in decimo tertio versiculo continentur: Compræhenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem, in Dauidem magis, quàm in Christū, qui nullum vnquā peccatum fecit, competere. Loquitur autem ibi Christus sicut aliàs sæpe, non de suis iniquitatibus, quas ipse fecerit, sed quas ipse expiandas in se susceperit. Quare sentiamus precationem huius Psalmi, non esse, iuxta literam, alterius, præterquam DOMINI nostri Iesu Christi, cuius Spiritus, sicut in alijs Prophetis, ita & in hoc Psalmo vaticinatus est de venturis in Christum, priusquam acciderent, afflictionibus. *Hebr. 10.* *1. Pet. 1.*

Expe-

1. *Expectans expectaui DOMINVM, & inclinauit se ad me, & exaudiet clamorem meum.*
2. *Et eduxit me, ex horribili lacu, & è cœnoso luto, ac statuit pedes meos super petram, stabiliendo gressus meos.*
3. *Ac dabit in os meum canticum nouum, laudem Deo nostro.*
4. *Videbunt multi & timebũt, & confident in DOMINVM.*

Christus filius Dei, cum ingrederetur, vt Epistola ad Hebræos loquitur, in hunc mundũ, hoc est, cum incarnaretur, & in hoc mundo ministerium suum peragendum susciperet, videt futurũ, vt non solùm vulgaribus humani generis calamitatibus affligeretur, verùmetiam probrosissimæ cruci affigeretur, & grauissimis doloribus exerceretur, donec in cruce Spiritum emitteret. Intelligebat enim, vniuersam sacram scripturã, vnà cum sacrificijs diuinitus institutis eò tendere & spectare, vt ipse fieret sacrificium ad expianda peccata hominum.

Matth.17. *Luc.9.* Audiuerat etiam in monte à Mose, & Elia, cum transfiguraretur, quàm horribili excessu discedendum sibi esset Hierosolymis ex hac vita: legebat Psalmos & reliquos Prophetas, è quibus cognoscebat, quanta ipsum in hoc seculo calamitates manerent. Cum igitur formam serui, eiusq; longè omnium obedientissimi suscepisset, procumbit ante Deum Patrem suum in genua, & implorat cœlestem opem eius, vt in tam difficilibus periculis seruetur. Nec arbitremur, eum preces, vel breuissimas, vel oscitanter recitasse, sed ardentissimo affectu

Heb.5. orasse: Obtulit, inquit Epistola ad Hebræos, in diebus carnis suæ, precationes & supplicationes, apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum CLAMORE valido & lacrymis. Testantur & Euãgelistæ, quòd in mon-

tibus

tibus sæpè ac multùm, in oratione pernoctauerit solus. *Matth.14.*
Et in monte Oliueti tanto affectu orat, vt etiam sangui- *Luc.6. & 21.*
nem sudet. Existimas autem eum preces suas vno & al-
tero verbo absoluisse, & maximam noctis partem som-
no indulsisse? Nihil certè minus. Dubium enim non est,
quin maximè omnium recitauerit, iterauerit, & summo
studio euoluerit Psalmos illos, quos Spiritus Sanctus tot
antè annis ipsi præscripserat. Inter quos, cũ hic quadra-
gesimus Psalmus, quem in præsentia interpretandum
suscepimus, nõ sit postremus, debet nobis esse commen-
datissimus. Expectans, inquit, expecto DOMINVM.
Video, in quantis periculis versor, cogito, quæ ærum-
næ mihi sint subeundæ, nec video vllũ in his terris hu-
manũ auxiliũ. Attollo igitur oculos meos in cœlum, &
solius DOMINI Dei nostri opem, maximo animi desi-
derio expecto: nec dubito, quin quo est erga me pater-
no affectu, aures suas ad me inclinet, ac meũ clamorem
exaudiat. Videt me coniectũ in horribilem foueã gra-
uissimarum calamitatum, & hærere ac volutari in pro-
fundissimo cœno ac luto maximarum ærumnarũ. Con-
fido igitur certissima spe, quòd sit me potenti sua manu
educturus, & clementer liberaturus, vt in firma petra
consistam, nec amplius gressibus meis nutem ac vacil-
lem. Liberabit autẽ me, nec veteri, nec vulgari, sed tam
nouo & mirando modo, vt etiam ad gratias ei agendas,
nouum & mirandum carmen in laudem nominis eius
decantem. Quod beneficiũ, non vnus tantùm populus,
sed multi videbunt, & ita obstupescent & admirabun-
tur, vt & ipsi agnoscant et confidant in DOMINVM. Di-
uulgabitur enim in toto orbe terrarum, vt non tantùm
Iudæi, verùmetiam Gentes excitentur ad agnitionem

gloriæ Dei, ad fidem & inuocationẽ nominis eius. Habes hîc breuiſsimo compendio vaticinium de paſsione, cruce, morte & reſurrectione DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & de diuulgatione Euangelij eius in vniuerſum mundum, vt quiſquis crediderit, ſaluus fiat. Horribilis enim ille lacus, & cœnoſum lutum, de quo hîc fit ſermo, & ex quo certò ſperat ſe educendum, ſunt dolores mortis, & inferni, quibus Chriſtus obrutus fuit: ſunt confixiones manuũ & pedũ eius in cruce, & mors ipſa, quia videbatur coram hominib. in extremũ interitũ demerſus & cõculcatus. Deinde, ſtatuere pedes ſuper petram, & ſtabilire greſſus ſuos, & reſurgere à morte, ac non ſolum nõ amplius mori, verùmetiam aſcendere in cœlum, ſedere a dextris Dei, & omnem poteſtatem in cœlo & in terra perpetuò habere. Poſtremò, dare in os nouum canticum, & laudem, vt multi videãt, obſtupeſcant, & confidant DOMINO, eſt mittere Apoſtolos in vniuerſum mundũ, vt Euangelion adnuncient in toto orbe terrarum, & Gentes audiant, ac videant τὰ μεγαλεῖα Dei, & excitentur ad fidem, quæ eſt in Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum.

Acto. 2.

5. *Beatus vir, qui ponit DOMINVM fiduciam ſuam, & non vertit ſe ad rebelles, & declinantes ad mendacium.*

Vbi Hebræus habet שם Sam, quod ſignificat poſuit, ibi Græcus legit ὄνομα Schẽ quod ſignificat nomẽ, et interpretatus eſt: Beatus vir, cuius eſt NOMEN DOMINI ſpes eius. Sed eadem eſt ſentẽtia. Poſtquam igitur filius Dei commemorauit in ſuperioribus quatuor verſiculis imminere ſibi exttemas calamitates, & tamẽ ſe in tantũ non deſpondere animum ſuum, vt certiſsimè, ac ſine vlla

latergiuersatione confidat se ex his mirando modo ser-
uatum iri, exponit nunc rationes, propter quas tantam
liberationis suæ certitudinem cõceperit. Quarum vna
est, quòd cum beatus sit, qui non se conuertit ad idolo-
maniam, sed collocat omnem suam fiduciam in solo DO-
MINO Deo nostro, fieri non possit, quin & ipse in sum-
ma sua afflictione salutem & beatitudinem cõsequatur,
quia ponit fiduciã suam in solo DOMINO, & detestatur
omnem idolomaniã. Altera ratio est, quòd Deus Patri-
archas & maiores è maximis suis periculis, idq; mirãdo
modo, & sæpius quàm numerari queat, clementer libe-
rauerit: cur igitur ipse qui sit vnigenitus filius Dei, non
speraret certissimã liberationem? Tertia, quòd hæc pe-
ricula susceperit, non temeritate quadam, sed consilio &
voluntate Dei, & vt testificaretur promptissimam suam
erga Deum patrem obedientiam. Quomodo igitur spe
sua pudefieret? Hæ rationes tanto diligentius sunt co-
gnoscendæ, quanto maiorem & certiorem salutis fidu-
ciam, etiã nobis in omnibus aduersis nostris afferre pos-
sunt. Prima igitur ratio in hoc quinto versiculo recense-
tur. Dixit enim suprà: Magno desiderio expecto opem
cœlestem, nec dubito, quin Deus exaudiat meũ clamo-
rem, & sit me ex horribili perditionis lacu eductur us.
Vnde ergo cõcepisti tantam liberationis & salutis cer-
titudinem? Beatus, inquit, vir, qui ponit DOMINVM,
fiduciam suam, & non respicit, aut vertit se ad rebelles,
hoc est, ad idolatras, qui verbo DOMINI peruicaciter
& arroganter resistunt, ac declinãt ad mendacem & im-
piam vanitatem idolorum. Illud vult dicere. Primum ac
præcipuum præceptum Dei est: Non habeas coram
me alienos Deos. Et additur insignis promissio: Ego,

(inquit DOMINVS) facio misericordiam in millia, his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Hoc quid aliud est, quàm beatum & misericordia Dei in omnibus periculis tutum esse illum, qui non agnoscit alienos Deos, sed qui fiduciam suam in solo vero DOMINO Deo nostro collocat? Absit autem à me, vt agnoscam alienos Deos, & sequar exemplum eorũ, qui pugnant cum verbo Dei, & conferunt se ad mendacia & vanitatem idolomaniæ, sed adoro solùm DOMINVM Deum nostrum, in quo solo etiam pono omnem spem & fiduciam meam. Quare non dubito, quin Deus faciat mecum misericordiam, & tueatur me in omnibus meis aduersis, ac reddat me beatum. Sæpè autem & multùm repetitur in scriptis Propheticis & Apostolicis (quemadmodum aliquoties in explicatione piorum Psalmorum ostendimus) beatos esse illos, qui credunt in DOMINVM, confidunt DOMINO, sperant in DOMINVM, & expectant DOMINVM. Quæ omnia eò spectant, vt in periculis non dubitemus de cœlesti ope, nec defatigemur in inuocatione nominis Dei, sed perseueremus in officio, certissima persuasione concepta, quòd etiamsi fractus illabatur orbis, tamen DOMINVS redimet animas seruorũ suorum, & nõ peribunt, quotquot sperant in eo, vt verbis Psalmi tricesimi quarti vtamur.

6. *Multa sunt mirabilia tua, quæ fecisti tu DOMINE Deus meus, & non est, qui cogitationes tuas de nobis, ordine coram te recensere queat. Si suscepero ea enarranda & explicanda, plura sunt, quàm quæ numerari possunt.*

Secunda ratio, cur non dubitet de cœlesti liberatione,

ne, sed speret certissimã salutẽ. Et est hæc ratio sumpta ab exemplis Patriarcharũ. Nam Patriarchæ & posteri eorum versati sunt sæpenumero in maximo discrimine, & audierunt difficillima quæq; pericula. Alij eiecti sunt in exiliũ, alij inclusi sunt in carceres, alij abducti sunt in seruitutẽ, alij perpessi sunt famen, alij non solùm obiecti sunt periculis mortis, verùm etiam crudeliter sunt trucidati. Ac breuiter, nullũ est calamitatis genus, in quo Patriarchæ, & quotquot fuerunt pij iam inde ab initio orbis, non sint iactati & exercitati. Et tamen DOMINVS tanta semper clementia eos cõplexus est, vt in ijs omnibus aduersis seruauerit eos mirandis modis. Etsi enim non omnes seruati sunt in hoc seculo, mundano modo, & externa felicitate, tamen seruati sunt mirabiliter in morte ipsa, ad æternã vitam. Multa sunt, inquit, mirabilia tua, quæ fecisti tu DOMINE Deus meus, hoc est, innumera extant exempla maiorum nostrorum, quæ probant, te ipsos sæpè ac multùm in summis periculis miran do modo conseruasse & liberasse: imò, manifestum est, quòd cogitationes, cõsilia, & instituta tua de nobis eiusmodi sint, vt non cõniueres, nec permitteres quicquam aduersi nobis accidere, nisi antea excogitasses, & constituisses rationem, qua nos conseruares & liberares. Non extrusisses Abrahamum è patria in exilium, nisi antea præparasses ei terram, in qua tutus commoraretur, non eduxisses Israëlitas ex Ægypto, & induxisses in horrendam eremum, nisi antea prouidisses, qua ratione eos ab interitu defenderes. Quid multis opus? miracula, quibus pios à conditione mundi, in extremis suis periculis, mirandum in modum tutatus es, plura sunt, quàm quæ ab homine commemorari possint: quæ si coner ordine

recenſere, nihilo prudẽtius facerem, quàm ſi ſuſciperem arenam maris numerandam. Quare, ſi tu DOMINE Deus meus, tuam voluntatem in ſeruandis ijs, qui omnem ſuam ſpem in te collocarunt, tot exemplis, tot miraculis teſtificatus es, idq; in hunc vſum, vt fiducia noſtra in te confirmetur, nullo modo mihi dubitandum eſt, quin me in iſta ſumma mea calamitate ſis clementer & mirabiliter ſeruaturus. Habes alteram rationem, cur Chriſtus non dubitet de liberatione, ſed ſperet in exinanitione ſua, & in forma ſerui, certiſsimam ſalutem. Obſeruemus autem hoc loco, verum vſum exemplorum, & miraculorum, quibus Deus confidentes gratuita ipſius clementia, in periculis ſuis conſeruauit. Ædicit enim ea miracula, nõ propter illos tantùm, qui liberati ſunt, ſed maximè omnium propter vniuerſam Eccleſiam ſuam, vt his voluntatem ſuam erga omnes inuocantes ipſum ex fide, patefaceret, promiſsiones ſuas de præſentia cœleſtis ſalutis, in quouis diſcrimine ſtabiliret, & fiduciam noſtram certam redderet. Etſi enim Chriſtus aliâs, Pſalmo viceſimo ſecundo conqueritur, quòd Deus adiuuerit quidem & liberauerit Patriarchas e ſuis periculis, ſe ipſum autem videatur deſerere: In te inquiens, ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos, ego verò ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: tamen hæc querela non pugnat cum illo noſtro verſiculo. Ibi enim conqueritur, ſe non liberari ab externa & corporali morte, ſicut ſæpè Patriarchæ in periculis mortis, mirando modo ita ſeruati ſunt, vt in hac corporali vita, ad ſuum vſq; tempus, incolumes permanſerint: hîc autem affirmat ſe exemplis vetuſtatis, & miraculis æditis in Patriarchis ita iuuari, vt etiamſi non

non seruatur à morte, tali modo, quali Patriarchæ aliquoties sunt seruati, seruetur tamẽ, ne in morte ipsa pereat, sed tertia die ad æternam vitam, gloriam & maiestatem resurgat. Sciamus igitur exempla Patriarcharũ, & miracula in liberationibus eorum ædita, ita demum nobis prodesse, non vt concipiamus fiduciam, nos semper eodem modo liberãdos, sed vt exemplis eorum excitati & confirmati, credamus nos quoq; certissimè liberandos & conseruandos, si non eodem modo, certè non minus mirando, si nõ corporaliter, certè spiritualiter, si non ad hanc mundanã & caducam, certè ad cœlestem & perpetuam vitam ac felicitatem. Accedite ad eum (inquit Psalmus 34.) & accurrite, & facies vestræ non confundentur. Iste enim pauper (seu afflictus) clamauit, & DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius liberauit eum. Et Paulus: Certus, inquit, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum: verùm ideo misericordiã sum adeptus, vt in me primò ostẽdere Iesus Christus omnẽ clementiã, ad exprimendũ exemplar ijs, qui crediturí essent in ipso, in vitã æternam. Agnoscamus igitur miracula in Patriarcharũ liberationibus diuinitus ędita, non tanquam priuata solùm, sed etiã publica beneficia, et manifesta monumenta, ac testificationes voluntatis Dei, quòd cogitet in aduersis mirabiliter tueri, quotquot nomẽ ipsius ex fide inuocant. 1. Timoth. 1.

7. Victimam & oblationem non voluisti, aures autem perfodisti mihi, holocaustũ & sacrificium pro peccato nõ postulasti.

8. Tunc dixi: Ecce præsto adsum, in volumine libri scriptum est de me.

Vt

9. *Vt faciam, quod tibi placet, Deus meus. Volo igitur, & lex tua in medio ventris mei.*

Tertia ratio, propter quam Christus dicit, se certissimam sperare liberationem & salutem. Non enim coniecit se ipse sua aliqua temeritate in hæc crucis & mortis pericula, sed suscepit ea ex voluntate, vocatione & mandato Dei patris sui. Quod autem periculum ex vocatione Dei suscipitur, fieri non potest, quin felicissimum habeat beneficio Dei, euentum. Non voluisti, (inquit, ad expianda peccata humani generis victimam & oblationem, nec postulasti holocaustum, & hostiam pro peccato, sed perfodisti mihi aures, (hoc est) multa genera oblationum præscripta sunt in lege Mosi. Aliud est, victima, (vt vocarunt) pacificorum seu perfectorum, aut sanctificatorũ, de quo Leuit. 3. aliud est munus oblationis, quod vocarunt Minha, de quo Leuit. 2. aliud est holocaustum, de quo Leuit. 1. aliud est hostia pro peccato, quòd Hebræi vocant חטאת Hathaa, & significat hostiam peccati, Græci autem simpliciter transtulerunt, περὶ ἁμαρτίας (hoc est) de peccato. Ac sic quoq; vsus est Paulus in Epistola ad Rom. capite 8. περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, de peccato, (hoc est) per hostiam pro peccato condemnauit peccatum in carne. De hoc oblationis genere, vide Leuit. 4. Habes varia sacrificiorum genera in lege Mosi. Deus autem nullum horum ad expiandum peccatum humani generis exigit, nec reputat sibi operibus eorum satisfieri, nec sinit se his placari. Quid ergo exigit? quo sacrificio placatur? Aures (inquit) perfodisti mihi. Pro, (aures) quæ Hebræo vocabulo אזנים Aznaim dicuntur, transtulit Græcus

interp

interpres σῶμα, quod est corpus. Verisimile autem est, quòd hoc acciderit, non interpretis, sed Scribæ vitio. Interpres enim videtur transtulisse ὦτα, quòd & ipsum significat aures. Scriba autem quispiam, pro, ὦτα, quòd vidit sic ὦCα scriptum esse legit Cῶμα. Sed hoc vtcunq; sit, certè non σῶμα seu corpus, sed ὦτα seu aures, legendum est. Quid igit̃ est: Aures perfodisti mihi? In lege Mosi vsitatum fuit,) quemadmodũ Exodi 21. & Deut. 15. scriptũ est) vt seruus cupiens dño suo seruire perpetuò, applicetur ianuæ domus ipsius, & perforetur auris eius subula: qui ritus publicũ erat testimoniũ, quòd hic seruus reciperet se perpetuũ fore seruum domini huius, & dictis eius obedientem. Cũ igitur Christus dicit, quòd Deus non voluerit victimas & holocausta ad expiandum peccatũ humani generis, sed perfoderit sibi aures, haud obscurè significat, quòd Deus voluerit, vt assumeret formam serui, & obediret mandato eius ad suscipiendam mortem, eamq; crucis, videlicet, vt ad præstandam veram obedientiam, & ad perfectè gratificandum diuinæ voluntati, non arietẽ quendam aut bouem, sed ipsum se in holocaustum, pro mundi expiatione obedienter offerret. Vnde & sequitur: Tunc dixi. Ecce præsto adsum. In volumine legis scriptum est de me, vt faciam, quod tibi placet, DOMINE Deus meus. Volo igitur, et lex tua in medio ventris mei. Hoc est. Postquam intelligo Deũ patrẽ nõ velle sacrificia legis, ad placandã irã suam aduersus peccatum, sed vt cunctus obediam voluntati eius, & mea ipsius passione & morte peccatum expiem, teneri non possum, quin me prõptissimum & obsequentissimum exhibeam. Video enim vniuersum volumen libri, quod est scriptum Mosi, in me respi-

Philip. 2.

cere, de me vaticinari, me adumbrare, meq; expoſcere, vt mea ipſius morte pro peccato humani generis ſatisfaciam. Extat in hoc volumine prima de me promiſſio: Semen mulieris, ſeu filius virginis conteret tibi (ſerpenti) caput, & tu conteres calcaneum eius. Hæc promiſſio manifeſtè concionatur de mea morte & paſsione, qua ſatanã vnà cũ potentia eius ſim contriturus. Extat etiã in eo volumine inſtitutio & vſus variorũ ſacrificiorum, quæ omnia eò ſpectant, non vt ijs ſacris Deus reconcilietur cum humano genere, ſed vt me adumbrent, & ego ipſe fiam paſsione & morte mea ſacrificium, quo ſolo ira Dei mitigetur. Et inter ſacrificia huc pertinent maximè omnium agnus Paſchalis, & hircus emiſſarius, de quo Leuit. 16. Extant etiam in eo libro deſcriptæ multæ & magnę afflictiones Patriarcharum, quæ omnes ſunt quaſi procœmia earum afflictionum, quas ego ad redimendum humanum genus ſufferre debeam. Quid multis opus? Non promulgatio tantùm Decalogi, verùmetiam inſtitutio ſerpentis ęnei, adeq; vniuerſa hiſtoria populi Iſraëlitici, eò ſpectant, vt ſit populus, in quo ſeruarentur promiſsiones de me, & expiatione peccatorum per me abſoluenda, donec ego ipſe adeſſem, & omnia perficerem. Cum igitur videam me, in volumine ſacræ ſcripturæ, hoc eſt, manifeſta voluntate Dei Patris mei (eſt enim ſacra ſcriptura Epiſtola Dei ad humanum genus) ad ſacrificium, ad paſsionem & mortem vocari, ecce præſtò adſum DOMINE Deus meus, & illud vnum ex corde, ex animo, ex intimo affectu ago, vt voluntati tuæ, quæ verbo legis tuæ eſt patefacta, gratificer, & toto pectore obediam. Mirabitur autem qui piam, quid illud tibi velit, quòd genera ſa-

crifi-

crificiorum, quæ in Leuitico libro describuntur, fuerint tàm à Patriarchis iam inde à conditione mundi vsitata, quàm postea diuinitus in lege Mosi vt cultus Deo gratissimus, confirmata, & tamen in hoc Psalmo dicatur: Victimam & oblationem non voluisti, holocaustum & hostiam pro peccato nõ postulasti. Cui sententiæ adscribunt se etiam omnes fere alij Prophetæ. Dauid aliàs dicit: Si voluisses sacrificium, dedissem vtiq; holocaustis non delectaberis. Esaias dicit: Quò mihi multitudo victimarum vestrarum, dixit DOMINVS? Oseas inquit: Misericordiam volo, & non sacrificium. Hieremias ait: Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum: & tamen manifestum est, quòd hæc sacrificia sint diuinitus instituta? Sciamus igitur, quòd etsi negari non potest, quin sint diuino Spiritu inter Patriarchas & Israëlitas præscripta & instituta, tamen instituta sint longè alio consilio, quàm impij hypocritæ vtebantur. Deus enim non voluit hac institutione significare, quòd operibus horum sacrificiorum expiarentur coram se peccata, sed tantùm, vt veram peccatorum expiationem per Christum filium suum (quemadmodum paulò antè dicebamus) conficiendam adumbrarent, & fidem in venturum Christum confirmarent. Quare cum Psalmi & Prophetæ damnant sacrificia Leuitica, non reijciunt diuinam eorum institutionem, & legitimum ipsorum vsum, sed damnãt impietatem hypocritarũ, qui posthabita recta pœnitentia, & contempta vera fide in promissum Christum, sectabantur tantùm opera sacrificiorũ, ac sentiebant, se horũ meritis placare iram Dei, & consequi peccatorũ remissio-

Psalm.51.
Esa.1.
Oseæ.6.
Hiere.7.

hem. Itaq; cum hîc & alibi dicitur, Deum non voluisse victimam, oblationem aut holocaustum, intelligendum est, quòd Deus non quidem abominatus sit legitimum eorum vsum, suis temporibus, sed execretur illegitimũ & impium eorum abusum, quo hypocritæ sacrificia diuinitus instituta sordidabant. Ac Prophetæ reprehenderunt quidem abusum eorum, institutionem autem & verum vsum iuxta præscriptum legis, inuiolatum reliquerunt. Postquam autem Christus aduenit, & sacrificium, quod his adumbrabatur, peregit, non solùm abusus eorum reprehenditur, verùmetiam externus eorum vsus omnino tollitur & aboletur: Non potest, (inquit Epistola ad Heb.) sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Quapropter cum ingrederetur in hũc mundũ, (hoc est) cũ filius Dei incarnaretur, & assumeret hominem, dicit: Sacrificium & oblationem noluisti. Et mox: Tollit prius, vt secundum statuat. Prius est sacrificium, oblatio, holocaustum, & aliæ oblationes legis: posterius seu secundum est, voluntas Dei, obedientia Christi, & oblatio corporis Iesu Christi semel peracta. Tollit igitur Psalmus, quod prius erat, quia vaticinatur sacrificia legis in aduentu Christi abolenda: Statuit autem posterius, quia docet nos sanctificari, non sacrificijs legis, sed solo sacrificio DOMINI nostri Iesu Christi, quod est mors eius, ad expianda peccata nostra suscepta.

Heb.10.

Videtur & Paulus alias ex his Psalmi versiculis concionari. Ad Romanos dicit: Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti fuimus omnes, ita per OBEDIENTIAM vnius iusti cõstituentur multi. Et ad Philip. Christus Iesus, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed

Rom.5.

Philip.2.

sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus vt homo, humilem præbuit semetipsum, factus OBEDIENS vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Hoc prorsus illud est, quod Christus in Psalmo dicit: Aures perfodisti mihi, (hoc est) factus sum, (sicut suprà diximus,) seruus, obediens tibi perpetuo vsq; ad mortẽ. Amemus igitur Psalmos, & ediscamus, vt manifestè cognoscamus, quàm probè Prophetica & Apostolica doctrina de DOMINO nostro Iesu Christo conueniant.

10. *Euangelisabo iustitiam in Ecclesia magna, ecce labijs meis non cessabo, DOMINE tu nosti.*

11. *Iustitiam (inquam) tuam non abscondam, in medio cordis mei, veritatem tuam, & salutem tuam prædicabo. Non cælabo misericordiam tuam, & fidelitatem tuam in Ecclesia magna.*

Sacerdotis officium est, non solùm sacrificare, verùm etiam verbum Dei concionari. Cum igitur Christus in proximis versiculis receperit se volũtati Dei Patris sui gratificaturum, in officio offerendi semetipsum ad expiationem peccatorum humani generis, nũc recipit etiam se gratificaturum voluntati Dei, in altera parte officij sacerdotalis, videlicet, in prædicando & diuulgando Euangelio suo, ad gloriam nominis Dei, in toto orbe terrarum: Euangelisabo, inquit, iustitiam in Ecclesia magna, adnunciabo & diuulgabo Euangelion, non tantùm in angustis finibus Iudææ, verùmetiam in magna Ecclesia Gentium. Tu enim DOMINE, qui es rerum omnium cõscius, nosti ipse, quod cum ingrediar in muna

dum,& induam ſeruile corpus,non ſim labijs meis ceſſaturus, quin gloriam nominis tui celebrem, & non abſcondam intra me iuſtitiam tuam. Sed nō ſolùm ego ipſe coràm adnunciabo eam, verùmetiam emittam Apoſtolos, donato Spiritu ſancto, in omnem orbem terræ, vt prędicent tuam fidem,& palàm teſtificentur ſalutem, miſericordiam,& veritatem tuam inter omnes Gentes, non tantùm Hieroſolymis, verùmetiam in vniuerſa Iudæa,Samariaq́;,denicq́ vſq́ ad extrema terræ.Obſeruemus igitur, cum Chriſtus dicit ſe euangeliſaturum iuſtitiam,& quæ ſequuntur,quid ſit Euangelion illud,quod ſe adnunciaturum recipit,quidue beneficij nobis apportet. Euangelion igitur, de quo in præſentia loquimur, eſt concio, qua adnūciatur Deum Patrem miſiſſe filium ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum in hunc mundum, vt peccata noſtra ſua paſsione & morte expiaret,iram eius placaret, nos per Spiritum ſanctum renouaret,& nos, ſuperata morte, ad ſempiternam vitam ac felicitatem aſſereret.Hæc illa eſt concio, quam proprie Euangelion, hoc eſt, lætum & gratum nuncium vocamus.Quid autē beneficij apportet, Pſalmus his verſiculis, quos iam recitauimus, particulatim ita explicat,vt nihil ſit, quod amplius deſiderare queas.Primum enim: Euangeliſabo,inquit,iuſtitiā.Quam? Non certè iuſtitiā legis,quæ in monte Sinai eſt promulgata,& in Decalogo cōtinetur,ſed iuſtitiam fidei,quæ eſt in monte Zion patefacta, & per Apoſtolos in totum orbem vulgata. Propter Chriſtum Ieſum DOMINVM meū, inquit Paulus,omnia pro damnis duxi,habeoq́ pro reiectamentis, vt Chriſtum lucrifaciam,& inueniar in illo,non habens meā IVSTITIAM EX LEGE, ſed eam,quæ per fidem eſt

Actor.1.

Philip.3.

est Christi, quæ est ex Deo, IVSTITIAM IN FIDE, vt cognoscam illum, & potentiã resurrectionis illius, &c. Cum igitur Euangelion apportet nobis iustitiam fidei, & illam certitudinem, quòd habeamus gratuitam condonationem peccatorum propter Christum, quo nuncio nihil potest homini peccati agnitione perturbato lætius & acceptius contingere, manifestum est, quòd apportet nobis beneficium omnibus huius seculi facultatibus excellentius. Deinde Euangelion prędicat fidem seu fidelitatem Dei, quòd etiamsi pij, qui habent iustitiam ex fide, affligantur in hoc seculo, tamen Deus receperit eos propter Christum filium ita in tutelam, vt defendat ipsos in omnib. aduersis casibus, ac in morte quoq; ipsa: Fidelis est Deus, inquit Paulus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. Adhæc, Euangelio prædicatur salus Dei. Varia sunt diuinæ salutis genera. Alia est salus mundana & corporalis, quæ & ipsa non nisi à Deo confertur in homines, sed non est vera salus. Alia est spiritualis & cœlestis, quæ confertur diuinitus in illos tantùm, qui credunt in Christum, & est condonatio peccatorum, conseruatio in morte, liberatio ab horroribus inferni, & donatio æternæ vitæ, propter Christum. Hanc salutem prædicat Euangelion Christi. Quare, si quis veræ & æternæ salutis sitiens fuerit, ad agnoscendum vera fide Euangelion properet, necesse est. Prętera, In Euangelij adnunciatione patefit, quod antea de misericordia & beneficentia Dei absconditũ erat. Etsi enim haud obscura extabant testimonia in scriptis Prophetis, quòd misericordia seu beneficentia Dei nõ conclu-

dere-

deretur intra fines tantùm Iudææ, ſed vulganda etiam eſſet inter Gentes, vt & ipſæ beneficijs Dei fruerentur, & ſalutem conſequerentur, tamen ſcriptum erat: Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecratio-nibus noſtris. Et iterum: TE elegit DOMINVS Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Ac rurſus: Qui adnunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Ex his & id genus alijs dictis ſcripturę iudicabat imperitũ vulgus, quòd beneficentia Dei definita eſſet terminis Iudaicæ & circumciſæ Gentis, nec quiſquam incircũciſus poſſet veram & æternam ſalutem conſequi. Vnde & Paulus propagationem Euãgelij inter Gentes vocat myſterium temporibus æternis tacitum, à ſeculis & generationibus reconditum, non quòd ſcriptis Prophetis fuerit ignotum, Apoſtoli enim horum teſtimonio Gentium vocationem perſpicuè probant, ſed quòd ante reuelationem Chriſti nec vulgo Iudæorum fuerit cognitum, nec inter Gentes diuulgatum. Ac diſcipuli ipſi Apoſtolorum, cum audiuiſſent, quòd & Gentes recipiſſent ſermonem Dei, admirabũdi dicunt: Igitur & Gentibus Deus pœnitentiam conceſsit ad vitam. Quare debemus Euangelio, quòd Spiritus ſanctus per ipſum patefecit beneficentiam Dei, non tantum ad circumciſos Iudæos, verùmetiã ad incircumciſas Gentes patere, vt quiſquis, ſiue circumciſus, ſiue incircũciſus credit in Chriſtũ, conſequatur æternam iuſtitiã, vitam & felicitatem. Quid multis opus? Euangelion prædicat veritatem Dei, idq; in Eccleſia magna, videlicet,

Deut. 4.
Deut. 7.
Pſal. 147.
Rom. 16. Colo. 1.
Acto. 15.
Rom. 9. & 15.
Acto. 11.

in vni-

in vniuerſo mundo, inter Iudæos & Gentes. Teſtificatur enim Deum certiſsima veritate præſtare, & ſumma conſtantia ſeruare, quod promittit. Promiſit Abrahæ ſe poſteros ſuos multiplicaturum, ſicut eſt aranea maris, & ſtellæ cœli: hoc cumulatim præſtitit. Promiſit ſe daturum eis in poſſeſsionem, terram Canaan: hoc impleuit abundanter. Quod autem maximum omnium eſt, & è quo ſalus noſtra pendet, promiſit iam inde à conditione mundi, ſe miſſurum filium ſuum, ex muliere virgine, de ſemine Adrahæ & Dauidis, qui ſeruet omnes in ipſum credentes, æterna ſalute: hoc ita impleuit, vt de ipſo prædicetur, & teſtimonium feratur in vniuerſo mundo. Agnoſcamus igitur hanc veritatem Dei, & ſentiamus Deum tanta eſſe in promiſſis ſuis conſtantia, vt potius conniueret ad interitum huius mundi, quàm vt in verbis ſuis vanus & mendax inueniretur.

11. *Tu (igitur) DOMINE, non abſtineas miſericordias tuas à me, beneficentia tua, & veritas tua ſemper me ſeruent.*

Commemorationem certitudinis ſpei ſuæ de liberatione & ſalute, concludit Chriſtus precatione: DOMINE, inquiens, ne abſtineas miſerationes tuas à me. Non dubito, quin, cum non ſecter idola, ſed te ſolum verum Deum adorem, & ſint innumera exempla, quibus in ſeruandis Patriarchis tuam beneficentiam teſtificatus es, ac ſuſcipiam crucem & mortem, nulla temeritate, ſed tua vocatione & ex obedientia, complecta-

r ris me

ris me singulari fauore, & serio cogites me seruare. Quæso igitur te, vt non prohibeas, non tamdiu differas, non abscondas diutius à me, sed patefacias mihi tuas erga me miserationes, vt quod verbis promisisti, reipsa in me impleas, ac me in tam duris meis casibus pro singulari tua beneuoleutia, conserues. Sicut autem Christus in hac & similibus id genus petitionibus suis, non dubitat de voluntate Dei patris sui, & de ope eius in aduersis, sed tantùm vrget patefactionem eius, vt quod certò credit, reipsa comperiat: ita discamus non solùm exemplo, verùmetiam Spiritu Christi preces nostras instituere, vt de bona Dei erga nos voluntate & certissima liberatione ex aduersis, haudquaquam dubitemus. Et tamen nihilominus pergamus precando, & persequeremus, vt quod certò credimus, certò etiam in nobis reueletur: & sicut afflictiones ingraueſcunt, ita preces quoque ardentiores fiant. Huc *Luc.18.* vocat nos Christus, cum docet nos semper orare, nec defatigari. Vnde & addit in hoc Psalmo causam, cur ipse, etiamsi certissimam habet spem liberationis, tamen orando pergat. Sequitur enim.

13. *Quoniam circumdant me aduersa, quorum non est numerus, iniquitates meæ in tantum me apprehenderunt, vt non queam ipsas perspicere, plures sunt, quàm capilli capitis mei, ita vt deficiat cor meum.*

Nõ mirum, quòd pergam in precatione mea, & vrgeam opem Dei, quia etiam aduersa pergunt in me ingraue-

graueſcere. Tot enim ærumnis obruor, vt non queam numerare, & tantæ iniquitates in me graſſantur, vt magnitudinem & grauitatem earum, nec oculis nec animo perſpicere & comprehendere poſsim, propterea, quòd ſuperent numerum capillorum capitis mei: ac ita me premunt, vt cor meum planè deficere & contabeſcere incipiat. Quid plura? Iniquitates meæ, & afflictiones, quæ propter iniquitates in me graſſantur, ad ſummum peruenerunt.

Dices autem: Etiamſi reliqua omnia in hoc Pſalmo competerent in Chriſtum, tamen quod dicitur: Iniquitates meæ in tantum me apprehendunt, vt non queam ipſas nec oculis nec animo perſpicere, &c. nõ videtur vllo modo poſſe in Chriſtum, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, competere: quid igitur dicendum? Rectè ſentis, quiſquis hęc obieceris, quòd Chriſtus nullam vnquam iniquitatẽ fecerit, ſed primùm manifeſtũ eſt, autoritate Epiſtolæ ad Hebræos, quemadmodum ſuprà dictum eſt, quòd hic Pſalmus ſit precatio, in qua Chriſtus ipſe cõmemorat ſuam, erga Deũ patrem ſuum, obedientiam. Deinde verba ipſa Pſalmi teſtificantur, nõ Dauidẽ de ſe, ſed Chriſtũ de ſe per os Dauidis loqui, non enim ſcriptum eſt de Dauide in volumine libri, hoc eſt, in vniuerſa Prophetica ſcriptura. Tametſi enim in Propheticis hiſtorijs Dauidi ſuus eſt locus, tamen ſcopus totius ſcripturæ reſpicit in Chriſtum, quòd ſolus ipſe, nõ Dauid, impleuerit legem & voluntatem Dei perfectè, & expiauerit holocauſto ſui corporis peccatum humani generis. Quare cum dicit Chriſtus, iniquitates ſuas grauiores eſſe,

quàm quas sufferre, & plures, quàm quas numerare possit, non loquitur de iniquitatibus, quas ipse suo ipsius facto, aut actione fecerit, sed quas suo sacrificio expiandas coram Deo susceperit. Sicut enim Deus testatur seipsum ab Israëlitis reiectum, cùm Samuelem ab officio Iudicis reiicerent: Non te, inquiens, sed ME abiecerunt, ne regnem super eos. Et Christus filius Dei, cũ Paulus persequeretur adhuc Ecclesiam: Saul, Saul, (inquit) quid ME, ME, inquam, persequeris, cum tamen ne capillum quidem de capite personæ Christi mouisset: ita & Christus in hoc Psalmo agnoscit peccata totius mundi, pro suis ipsius peccatis, quòd non alio charitatis affectu susceperit ea expianda, quàm si ipse ea designasset. Nec est in alijs etiam Psalmis inusitatum, quòd Christus peccata hominum faciat sua. Vt Psalmus 41. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Et Psalmus 69. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Itaq; cum Christus vocat iniquitates hominum suas, duplex nobis consolatio proponitur. Vna est, quòd tam pio sit affectu erga homines, vt alienas iniquitates suas proprias ducat. Altera, quòd eas per seipsum expiandas susceperit. Quis est igitur, qui intentabit crimina aduersus nos? Deus est qui iustificat, quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò, qui et suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, & intercedit pro nobis.

1. Reg. 18.

Acto. 9.

Rom. 8.

14. *Placeat tibi DOMINE, vt liberes me, DOMINE ad adiuuandum me festina.*

Repetit

Repetit precationem, quam paulò antè propoſue-
rat. Iniquitates & afflictiones meæ peruenerunt ad
ſummum gradum. Obſecro igitur te DOMINE, vt me
pro tua erga me beneuolentia liberes, & opem tuam
non in longum tempus extrahas. Vides iterum, libe-
rationem vrgeri, ſed ex fide. Nam & impius vrget, ſed
ex incredulitate. Pius enim, quia in aduerſis ſuis cer-
to & conſtanter, iuxta promiſsionem Dei, credit ſe li-
beratum iri, idcirco clamat: DOMINE ad adiuuandum
me feſtina, quia arbitratur ſe in ſummo diſcrimine ver-
ſari, nec poſſe diutius ſufferre, non defecturus tamen à
DOMINO, nec abiecturus preces, etiamſi plura & ma-
ora mala ſuſtinenda eſſent. Impius autem, etſi clamat
ipſe ijſdem planè verbis ad DOMINVM, non tamen
lamat eadem fide, ſed ex incredulitate, quippe quòd
recibus ſuis tenet DOMINVM, ac niſi confeſtim, pro
uo arbitrio, cœleſtem opem conſequatur, deſerat of-
icium, & alio ſe vertat, Hæc impietas maior & vulga-
ior eſt, quàm paucis dici poteſt. Incumbamus igitur
ligenter in ſtudium verbi Dei, vt fidem noſtram in
uocatione nominis Dei confirmemus, & quicquid
ciderit, in officio perſeueremus.

Confundentur, ac vnà pudefient, qui quærunt animam meam, vt perdant eam, retrocedent, & ignominia afficientur, qui cupiunt mihi malum.

Peribunt, propter impudentiam ſuam, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Gaudebunt, & lætabuntur in te, quotquot quærunt te, &

quotquot diligunt salutem tuam, dicent semper, magnificetur DOMINVS.

18. *Ego autem egenus sum & pauper, DOMINO sum cura. Auxilium meum, & liberator meus tu es. Deus meus, ne cunctaris.*

Sicut Christus antea repetijt precationem, ita nunc repetit certitudinem, quam de exauditione precationis suæ habet. Est enim sententia. Precatus sum, vt me misericordia & veritate tua complectaris: precatus sum, vt sine diutina mora me adiuues. Sum aũt in optima & certissima spe, me in his meis precibus haudquaquam pudefactũ iri. Non enim pudefiunt, qui quęrunt DOMINVM, sed qui quærunt animã meam, qui insidiantur vitæ meæ, vt perdant eam. Non confunduntur, qui diligunt salutem DOMINI, sed qui diligunt & cupiunt mihi inferre mala. Non pereunt, qui semper eò spectant, vt gloria nominis Dei promoueat, sed qui in aduersis meis sibi applaudunt, & dicunt: Euge, euge. Pro his dictionibus Hebræus habet, האח האח Heah, heah, quæ sunt voces vel applaudentis, vel cohortantis, quod vulgò vocant, Hui. Vnde & Iob. cap. 39. dicitur de equo: Vbi audierit buccinam, dicit, Hui. Significat igitur Christus hos perituros, qui in afflictionibus ipsius in tantum nõ dolent, vt etiam gaudeant, rideant, & applaudant sibi de ærumnis eius, ac hortentur tortores, vt subinde crudelius in ipsum grassentur. Respicit autem in immanes illas voces, quibus Iudæi Christum ad mortem postularunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Et: Si hunc dimiseris, nõ es amicus Cæsaris.

Et:

Sanguis eius super nos & super filios nostros, qui-
us etiam coniecerunt se & posteritatem suam, in
ternam confusionem, ignominiam & internitionem,
onfundentur ergo & pudefient Iudæi, qui quærunt
inquit) animam & vitam meam, vt perdant eam, &
ni illud vnum agunt, vt me opprimant. Contrà aũt,
ultabunt & lætabuntur, qui quærunt te, DOMINE, &
ligunt salutem tuam, atq; illud semper agunt, vt no-
men tuum glorificetur. Cum igitur ego sim pauper &
genus, ac peruenerim in hanc paupertatem, egesta-
m, miseriam & ærumnas, nulla mea temeritate, sed
a, DOMINE, voluntate, tua vocatione, tuo manda-
, vt testificer palàm meam erga te obedientiam,
nomen tuum in vniuerso mundo glorificem, nul-
modo dubito, quin me in tuam curam & tutelam
ceperis, & me, nulla mora interposita, mirabiliter
fendas & conserues. In his versiculis initiò conti-
tur vaticinium de abiectione Iudæorum, ex hæ-
ditate DOMINI, vt discamus timorem Dei, quòd
m Deus non pepercerit illi Genti, è qua filius eius
nigenitus carnem assumpsit, propterea quòd impiè
gerint, & tam filium ipsum, quàm Euangelion eius
mmaniter persecuti sint, multò minus parcet populo
thnico, si & ipsi impietatem sectati fuerint. Deinde
ontinetur vaticinium de lideratione Christi è mor-
e, & resurrectione eius à morte: Ego (inquit) sum
genus & pauper, sed DOMINO sum curæ, qui est
uxilium & salus mea, ac liberabit me sine omni cun-
ctatione, (hoc est) ego affligar quidem miserrimè, &
moriar in cruce, vt videar destitutus omni diuino &
humano

humano auxilio, DOMINVS autem Deus meus non differet meam redemptionem in longum tempus, sed excitabit me tertia die à morte, vt cunctus orbis videat mihi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra. Postremò docet, Christum sua obedientia meritum esse, vt quotquot quærunt DOMINVM, & exhibent ei gloriam veritatis, ac diligunt salutem, quam Christus Euangelio suo in vniuersum mundum diuulgauit, gaudeant, lætentur & exultent æterna felicitate. Ac breuiter, hi versiculi illud dicere volunt, quod est apud Ioannem: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet vitam æternam. Qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioannis 4.

VSVS HVIVS PSALMI.

Principiò hic Psalmus testimoniũ fert, quis sit Prophetica scripturæ scopus, quò ea tendat, ad quem exitum properet, quæ sit eius prora (vt prouerbio dicitur) & puppis. In volumine, inquit, libri de me scriptũ est. Hæc est vox Christi, qua aperte docet, Prophetica scripta à capite vsq; ad calcem in ipsum respicere, & ipsum nobis, vt solum & verum seruatorem nostrum commendare. Manifestum & illud est, quòd Apostolica scripta, quæ, posteaquam Christus hominem assumpsit, & consedit ad dextram Patris sui, accesserunt, sint Propheticorum scriptorum apocalypsis, & vt ita dicam, commentarius. Versemus igitur hæc duo scripta, diurna, nocturnaq; manu, nec vllam aliam salutis doctri-

doctrinam cum his pugnantem, quamuis Angelicam agnoscamus, vt veram cognitionem DOMINI nostri Iesu Christi, per Spiritum sanctum assequamur. Ad hæc, Paulus ad Corinthios scribens: Non iudicaui me, inquit, quicquam inter vos scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hic ergo Psalmus Christum crucifixum, ita nobis ob oculos pingit, vt haud obscurè, significet, illum omnia, quæ ad iustitiam & salutem sunt necessaria sunt, scire, & possidere, qui Christum crucifixum sciat, & possideat: In volumine, inquit, libri de me scriptum est, vt faciam, quod tibi placet. Placuit autem Deo Patri, vt Christus pro peccato humani generis crucifigeretur, & nobis vnà cum Christo omnia donaret. Incumbamus igitur in hoc studium maximè omnium, vt Christum per fidem possideamus. Sed nec illud prætereundum est, quòd hic Psalmus suppeditet nobis insignem consolationem, cum tentamur in precibus de indignitate propter peccata nostra. Postquam enim suscipimus Deum in aduersis nostris inuocandum, confestim obiicitur nobis, quòd indigniores simus, quàm quorum preces Deus exaudiat, quippe qui non solùm fœda & turpia flagitia designauerimus, verùmetiam peccatum adhuc in carne nostra gestemus. Hic autem Psalmus docet, quòd Christus iniquitates nostras non susceperit in se frigido affectu, sed tam serio & ardenti, vt eas sibi quasi proprias fecerit: Apprehendunt, inquit, me iniquitates, non ait, hominum, sed ME AE, cum tamen ipse nullam vnquam iniquitatem fecerit. Suscepit autem in se nostras iniquitates, vt eas perferret in corpore suo su-

1. Cor. 2.

Rom. 8.

1.Pet.2. per lignum, (quemadmodum Petrus loquitur) & non aliter coram Deo Patre ſuo expiaret, quàm ſi eas ipſe deſignaſſet. Quare, ſi in precibus tua tibi indignitas propter peccata tua obiecta fuerit, confer te ad Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui cum peccata tua, fecerit ſua, reddidit etiam eo ipſo te dignum, qui à Deo Patre ſuo exaudiaris, & beneficijs eius fruaris.

TVBINGÆ, EX OFFICINA
Typographica Viduæ Vlrici
Morhardi, Anno,

M. D. LXVII.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS QVINTA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1566.

PSALMI QVINTÆ DECADIS.

41. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c.*
42. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum.*
43. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam.*
44. *Deus auribus noſtris audiuimus.*
45. *Eructauit cor meum verbum bonum.*
46. *Deus noſter refugium & virtus.*
47. *Omnes gentes plaudite manibus.*
48. *Magnus DOMINVS & laudabilis nimis in ciuitate Dei.*
49. *Audite hæc omnes gentes.*
50. *Deus Deorum DOMINVS locutus eſt.*

Psalmus 41.

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, &c.

CVm autoritas DOMINI nostri Iesu Christi maior sit omni exceptione, non est alia huius Psalmi interpretatio recipienda, quàm quæ à Christo ipso nobis est in manus tradita. Apud Ioannem enim Euangelistam cõcionatur Christus de proditione Iudæ Ischarioth, & allegat in testimonium versiculum nonum ex hoc Psalmo: Ego scio, inquiens, quos elegerim, sed vt adimpleatur scriptura: Qui edit mecum panem, sustulit aduersus me calcaneum suum. Qua allegatione apertè docet, non Dauidem, nec alium quemuis hominem, sed seipsum in hoc Psalmo, iuxta τὸ ἐνηθὲς loqui. Etsi enim, quod in quarto Psalmi versiculo dicitur: Sana animam meam, quia peccaui tibi, videtur, non in Christum, sed in Dauidem competere, tamen cum Christus vocatur peccator, aut peccatum, non est intelligendum de peccato, quod suo ipse opere designauerit, sed quod in se, corpore suo expiandum susceperit, & sit hostia pro peccato factus, quemadmodum in Psalmo proxime precedenti ostendimus. Quare sentiamus hunc Psalmum, iuxta literam, esse vocem DOMINI nostri Iesu Christi, conquerentis de ingratitudine & immanitate proditoris sui, ac reliquorum suorum ψευδαποστόλων. Prædixit

Ioan. 13.

Rom. 8.
2. Corinth. 5.

autem hæc de se futura, tam in Psalmis & Prophetis, ante suam incarnationem, quàm in concionibus suis, quas ad Apostolos, post incarnationem habuit: Ioannis 13. Vt cùm factum fuerit, (inquit) credatis, quòd EGO sim.

1. *Beatus, qui habet rationem pauperis, in die afflictionis, liberat ipsum DOMINVS.*
2. *DOMINVS tuetur eum, & viuificat eum, beatificat eum in terra, & non tradis eum libidini inimicorum suorum.*
3. *DOMINVS sustentat eum in lecto infirmitatis, uniuersum stratum eius subuertis, in ægrotatione eius.*

Non est dubium, quin hæc προφητικῶς: Beatus, qui intelligit super egenum, seu, qui habet rationem pauperis, vna cum suis promissionibus, possit generaliter vsurpari, sicut & illa: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed in hoc loco, quod aliâs generale est, accommodatur peculiariter ad Christum. Ac planè illud significat, quod Christus apud Matthæum cap. 11. dicit: Beatus est, qui non fuerit super me offensus. Iste enim pauper & egenus, de quo Psalmus loquitur, est Christus DOMINVS noster, qui & in præcedenti Psalmo vocatur egenus & pauper. Et Psalm. 22. Vermis & non homo, opprobrium hominum & despectio plebis. Et in Esa. cap. 53. Virorum nouissimus. Qui ergo intelligit super hũc pauperem, qui habet illam huius egeni & abiecti rationem, vt egestate, miseria, ærumnis & deformitate eius nõ offendatur, sed agnoscit

agnoſcit eum verum Meſsiam, filium Dei, & credit in eum, quemadmodum latro in cruce, qui non deterritus abiectiſsima ſpecie Chriſti in cruce pendentis & lacerati, fatetur eum Meſsiam: DOMINE, inquiens, memento mei, cum veneris in regnum tuum: qui (inquam) ſic ſuper hunc pauperem intelligit, vt non offendatur, ſed credit in eum, is verè beatus eſt. Quæſo igitur te, DOMINE Ieſu Chriſte, dignare nobis explicare, quæ ſit illa beatitudo, quam conſequitur is, qui non offenditur in deformi illa ſpecie tua. Primum, DOMINVS (inquit) liberat eum in tempore afflictionis ſuæ, ex omnibus aduerſis: Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & EGO REFOCILLABO VOS. Deinde DOMINVS cuſtodit ſeu tuetur eum: Oues meæ, inquit, audiunt vocem meam: neq; rapiet eas quiſquam è manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus eſt. Et: Nemo poteſt rapere è manu Patris mei. Ego & Pater vnum ſumus. Adhæc DOMINVS viuificat eum: Ego ſum, inquit, reſurrectio & vita. Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, viuet. Et: Omnis, qui viuit & credit in me, non morietur inæternum. Præterea, DOMINVS beatificat eum in terra. In hac quidem terrena vita fit beatus ſpe, in futura autem & cœleſti, reipſa. Cernimus em̃ nunc per ſpeculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tũc verò cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Deinde, DOMINVS non tradit eum inimicis, vt tractent ipſum pro ſua anima, ſeu animi voluptate & libidine. Sicut enim Chriſtus ipſe traditus quidem eſt hoſtibus ſuis, non

Ioannis 10.

1 Corinth. 13.

autem permissum est eis, vt iuxta animę suæ desiderium conculcarent, & perderẽt ipsum: sed quò magis exitio eius inhiarunt, eò glorioſius seruatus est: ita quotquot in Christum credunt, non offensi cruce eius, etsi tradantur & ipsi aliquoties in manus inimicorum suorum, tamen hæ manus ita diuinitus continentur & cohibentur, vt eas vltra terminos, quos Deus eis posuit, extendere non queant. Quod *Iob. 1. & 2.* manifeste testificatur exemplum Iobis. Quid plura? DOMINVS illum, qui non offenditur abominabili specie Christi, sed credit in eum, ita sustentat & conseruat in lecto infirmitatis, ac mortis eius, vt tãdem liberato & sanato ipso, subuertat vniuersum stratum eius, & perducat ipsum, sublatis omnibus morbis, ac etiam morte ipsa, ad æternam sanitatem & felicitatẽ. Hoc planè illud est, quod Esaias cap. 25. ait: Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam sortitus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet DOMINVS Deus lacrymam ab omni facie, &c. Aut si libet in pauciora conferre. Qui credit filio, habet vitam æternam. Et: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Intelligamus igitur super pauperem Christũ, & habeamus rationem eius, etiam in contemptissima crucis specie, vt paupertate eius diuites reddamur, & omnibus beneficijs eius fruamur.

4. *Ego dixi: DOMINE miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.*

In

In prioribus versiculis hortatus est Christus, vt rationem sui pauperis habeamus, & nō offendamur abiecta specie sua, & forma serui, quam suscepit. Nunc igitur commemorat, quę sit abiecta sua species, & quæ serui forma, vt ostendat, quòd etsi præ paupertate, & miserijs suis, tantum abesse videtur, vt reddat sperantes in ipsum beatos, vt etiam se ipse non possit seruare, tamen ex his omnibus eluctetur, & in tantam maiestatem exaltetur, vt omnibus in ipsum credentibus sit autor æternæ salutis. Ego dixi, (inquit) DOMINE miserere mei, hoc est, ego ipse quidem agnosco & fateor, externam meam speciem, esse ita deformatam & turpificatam, vt imperiti homines facilè offendantur. Nam, vt aliquot huius deformitatis genera commemorem, vnum est, quòd tanta sim miseria, tanta calamitate, vt necesse habeam misericordiam Dei implorare, & dicere: Miserere mei DOMINE, & sana animam meam, tot modis afflictam. Quis autem arbitraretur illum esse salutis & beatitudinis autorem, qui ipse necesse habet Deum pro sua ipsius salute & beatitudine inuocare? Quid ergo causæ est, quòd Christus hanc deformitatem in se susceperit? Sana, inquit, animam meam, QVIA PECCAVI TIBI. Ostendimus suprà, quòd in hoc Psalmo, non Dauid, aut alius quispiam id genus homo, sed Christus ipse loquatur. Manifestum autem est, quòd Christus nullum peccatum fecerit, nec sit inuentus dolus in ore eius. Quare, cum dicit hoc loco: Peccaui tibi, nō loquitur de suo aliquo aduersus Deum Patrem peccato, sed loquitur de peccato humani generis, quod ex voluntate Dei Patris

in se

in se expiãd rm susceρit, quemadmodum supra Psalmo 40. ostendimus. Exponit autem causam, cur tam abominabilem, & offendiculo plenam pauperis & contempti serui formam assumpserit: Quia pec-
2. Corinth. 5. cati (inquit) tibi (hoc est) vel quia factus sum corãte hostia pro peccato, vel quia tu, cum non nossem peccatũ, feciſti me pro hominibus peccatum, vt ipſi efficerentur per me iuſtitia Dei, quemadmodũ Paulus loquitur. Chriſtus enim aſſumpſit ſeruilem formam, non ſua aliqua neceſsitate, ſed ſpontanea voluntate, ad gratificandum volũtati & vocationi Dei Patris ſui, vt hominum peccata, ſua faceret, & ea ſuo ipſius corpore expiaret. Nõ igitur offendamur paupertate, & fœda ſpecie Chriſti, ſed potius conſolationem capiamus, & gratias agamus, quòd quam deformitatem in ſe ſuſcepit, noſtri cauſa ſuſceperit, vt nos formoſos & ſpecioſos coram Deo Patre ſuo redderet. Habes vnum genus deformitatis.

5. *Inimici mei maledicunt mihi, Quando (inquiunt) morietur, & peribit nomen eius?*
6. *Et ſi venerit, vt inuiſat, (me) vana loquitur, cor eius colligit ſibi iniquitatem, egrediendo foras diuulgat.*
7. *Omnes oſores mei, vnà aduerſus me muſſitant, excogitant mihi contra me malum.*
8. *Verbum Belial ſtabiliat ſibi, & qui iacet, non adijciet, vt reſurgat.*

Aliud genus deformitatis, alia forma ſerui. Innumeros habeo inimicos, qui mihi impune maledicũt: nec verentur palàm mihi mortem optare, vt nomẽ meum

meum ex omni hominum memoria deleatur. Ac si quando venerit quispiam eorum, vt me inuisat, aut aliquod humanitatis officium mihi præstet, ficta loquitur, & illud vnum agit, vt apud se in animo suo aliquid iniquitatis aduersus me colligat, & postea in vulgus spargat. Breuiter. Omnes qui me odio habent, (hi autem nullo numero comprehendi possunt) si quando inter se conuenerint, mussant pariter, vnanimi consensu aduersus me, & communicato consilio de me opprimendo, ac è vita tollendo deliberant, nec vllo rubore me execrãtur. Verbum (inquientes) Belial, hoc est, pessimum quodque malum obruat eum, & firmam ac stabilem in ipso mansionem habeat, nec, cùm iaceat, seu oppressus fuerit, vnquam resurgat. Notum autem est è scriptis Euangelistarum, quibus simulationibus & insidijs, Pontifices, Scribę, Pharisęi, & Sadducęi adorti sint Christum, vt ipsum in sermone caperent, quæ etiam consilia inter se, de interficiendo ipso contulerint. Quæ omnia in præsentia non solùm impunè tulerunt, verùmetiam feliciter promouerunt. Hæc est species deformissima, ac forma prorsum seruilis: videntur enim Prophetæ formam lõgè honestiorem, & speciem multò venustiorem habuisse. Hieroboam Rex Israel instituit impia sacra in Bethel, & reprehensus à Propheta, extendit manum suam, & iubet Prophetam apprehendere. Ecce igitur tibi, manus regis continuò ita exaruit, vt non potuerit eam ad se retrahere. Elias vocatur à Principe quinquagenario ad regem Ahaziam. Cum igitur Princeps ad Eliam diceret: Homo Dei, Rex præcepit, vt descendas. 3. Reg. 13. 4. Reg. 1.

Respondet Elias: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaq; ignis de cœlo, & deuorauit eum, vnà cum
4. Reg. 6. suis militibus. Rex Syriæ init consilium de interficiendo Elizęo. Mittit igitur exercitum, qui circundet ciuitatem, in qua Propheta commorabatur, & eam vnà cum Propheta perdat: sed Deus exercitum tanta cæcitate percussit, vt Elizæus duceret eum in Samariam, & traderet regi Israelis. Nihil tam speciosum, & tam magnificum videtur Christo DOMINO nostro in his terris publicè contigisse. Etsi enim hostes eius, qui ad capiendum ipsum emissi erant, retrocesserunt, audita voce eius, & in terram ceciderunt, confestim tamen, recuperatis viribus, iniecerunt in eum manus suas, & ad crucem abduxerunt. Prophetis autem patefacta sunt cruenta suorum hostium consilia, nec hostes tulerũt ea impunè. Multò igitur deformior apparuit species Christi, quàm Prophetarum, vt haud immeritò videatur in Christo, scandalo obnoxia fuisse. Sed hanc deformẽ speciẽ suscepit in se Christus, quia, inquit, peccaui tibi, (hoc est) tu Deus Pater fecisti me peccatum, vt homines fierent per me iustitia tua.

9. *Quin etiam amicus meus, cui fidebam, conuictor meus petit me calce.*

Alia deformitatis & offendiculi plena species, quòd non tantùm inimici mei cõmunicant sua contra me consilia, & insidiantur vitæ meæ, verùmetiam vnus è præcipuis meis amicis, vnus ex familiaribus

ribus meis, quem dignabar honore mensæ meæ, cui credebam mysteria mea, de quo mihi bona quæque policebar, quem inter Apostolos seu legatos meos elegeram, is, inquam, petit me calce, cupit me oppressum, & tradit me hostibus meis è medio tollendum. Hic est versiculus ille, quem Christus ipse de Iuda Ischariota proditore suo interpretatur, & qui iuxta vulgatam æditionem sic legitur: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. *Iohan. 13.* Ad hunc versiculum respicit etiam Christus, cùm in precatione sua ait: Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditus, vt scriptura compleretur. *Iohan. 17.* Huc pertinent quoq; ea, quæ Petrus Apostolus de Iuda in Actis Apostolicis, è Psalmo 69. & 109. recitat: Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum eius accipiat alter. *Actor. 1.* Magna autem est deformitas, magna videtur imbecillitas, in seligẽdo amico, & conuictore sic hallucinari, & aberrare, vt quẽ arbitraris tibi ex corde fauere, & cui secreta tua omnia credis, is tibi ita imponat, vt te etiam hostibus tuis prodat, & in lanienam tradat. Sed Christus hanc quoque deformitatem, & hoc offendiculum in se suscepit, vt scripturæ (hoc est) voluntati Dei Patris morem gereret, & peccata nostra, hac etiam crucis parte, expiaret.

℣. *Tu igitur DOMINE, miserere mei, & resuscita me, ac retribuam eis.*

Enumerationi aliquot deformitatum & imbecil-

litatum, quas ex voluntate Dei suscepit, addit precationem, vt Deus Pater tueatur ipsum, in his imbecillitatibus, & perducat ipsum, per eas, in maiestatem regni sui. Insidiantur mihi, (inquiens) non tantùm inimici, verùmetiam amici mei, & cupiunt me prorsus extinctum: obsecro igitur DOMINE Deus Pater, vt, siquidem consilia eorum omnino, in me opprimendo & occidendo promoueant, me resuscites, & me meæ maiestati restituas. Hactenus gestaui abiectissimã formam serui, & præbui me humilẽ & obedientem vsq; ad mortem crucis. Quæso igitur te, vt me è morte resuscites, & efferas me in eam sublimitatem, quæ iam olim mihi decreta est. Sed, quid illud est, quod additur: Vt retribuam eis? Num petit se ideo resuscitari, vt sumat vindictam de inimicis, & de proditore suo? Manifestum quidem est, quòd si alius quispiam homo sic loqueretur, aperte proderet carnalem suam vindictę cupiditatem. Nũ autem loquitur ea Christus, CHRISTVS, inquam, ea loquitur. Testificatur igitur se non tantùm esse hominem, sed etiam verum DOMINVM Deum nostrum, adeóque illum ipsum, qui in Deutero. cap. 32. dixit: Mea est vltio, & EGO RETRIBVAM. Et quod futurum prædixit, hoc etiã suis temporibus, re ipsa ita impletũ est, vt totus orbis cohorruerit. Nam initio proditor Iudas Ischariotes miserrimè pependit: deinde Pontifices, Pharisæi, & reliqui id genus inimici Christi, non solùm eiecti sunt ex auitis in hac terra possessionibus, & immanissimè tractati, verùmetiam exhæredati sunt vna cum posteris suis, ex omnibus cœlestibus bonis, vt non sit

Phil. 2.

vlla gens, vel maiori hominum odio expoſita, vel grauioribus maledictionibus obnoxia.

11. *Ex hoc cognoſco, te fauere mihi, quòd inimicus meus non reportet ex me victoriam.*
12. *Et quòd me mihi integrum tuearis, ac conſtituas me ante faciem tuam perpetuo.*

Poſtquam Chriſtus in præcedenti verſiculo precatus eſt, vt liberetur ſua deformitate, ac reſuſcitetur à morte, exponit nunc, quam gloriam reſurrectio eius patefaciat. Ex hoc (inquiens) cognoſco, (hoc eſt) ſi me, ſicut non dubito, reſuſcitaueris ex morte, tunc manifeſtè & palàm cognoſcetur, (ponitur enim (cognoſco) perſonale pro impersonali) primùm quidem, quòd mihi faueas, quòd me ſumma charitate complectaris, quippe qui non deſerueris (vt alius Pſalmus ait) animam meam in inferno, nec dederis ſanctum tuum, vt videret corruptionem, ſed notas mihi feceris vias vitæ, & adimpleueris me lætitia. Et apud Euangeliſtam Ioannem cap. 5. ait: Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini. Deinde ex reſurrectione cognoſcetur, quòd inimici non reportauerint victoriam ex Chriſto. Inſidiæ & conſilia eorum, hactenus quidem promouent, vt adigant ipſum in crucem, & in cruce moriatur, ac ſepulcro, tanquã de ipſo prorſus actum eſſet, condatur, non poſſunt autem eum in ſepulcro detinere, ſed tertia die ita excitatur à morte, vt non amplius moriatur, nec mors illi amplius dominetur. *Pſalm. 15.* *Rom. 6.*

Postremò cognoscetur ex resurrectione, quòd cum tempore exinanitionis, & in forma serui visus fuerit deformissimus, & hominum abiectissimus, reuera sit præ omnibus filijs hominum speciosus, & tanta perfectione ac integritate, vt non solùm corpore sit glorificatus, quemadmodum alij pij & sancti homines glorificabuntur, verùmetiam constituatur perpetuò ante faciem Dei, (hoc est) sedeat ad dextram Dei Patris sui, & omnia tam in cœlo, quàm in terra gubernet. Ac breuiter, Christus in his versiculis prorsus illud dicit, quod Paulus ad Romanos scribens: Declaratus est, inquit, filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis, ex eo, quòd resurrexit ex mortuis. Et ad Ephesios: Exercuit in Christo, inquit, efficaciam roboris fortitudinis eius, quũ suscitaret eum à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatẽ, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, nõ solùm in seculo hoc, verùmetiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedes illius, &c. Hæc & alia id genus scripta Pauli, sunt expositio, ac paraphrasis horum versiculorum, quibus dicitur, quòd ex resurrectione Christi cognoscatur, reportare ipsum victoriam ex inimicis suis, & ita conseruatum, vt consistat ante faciem Dei perpetuò.

Rom. 1.

Ephes. 1.

13. *Benedictus DOMINVS Deus Israel, à seculo & vsque in seculum, Amen & Amen.*

Concludit Psalmum doxologia, qua exclamando

signifi-

ſignificat, quòd cum Deus, (quem vocat Deum Iſraëlis, partim quòd promiſerit Patriarchæ Iſraëli, ſeu Iacobo, ſe è familia eius Chriſtum in has terras miſſurum, partim, quòd agnouerit familiam Iſraëlis pro electa ſua Eccleſia, quemadmodũ dicit ad Moſen: Filius meus primogenitus Iſrael,) tantam maieſtatem in ipſum Chriſtum contulerit, meritò ſit laudandus & celebrandus, non vno tantùm tempore, ſed in omnem æternitatem, non leuiter & inconſtanter, ſed Amen & Amen, hoc eſt, certiſsimè, firmiſsimè & ſanctiſsimè. Amen enim Hebræis eſt certum, verum, firmum & fixum. *Exod. 4.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Magna fuit expectatio ab initio mundi de aduentu Meſsiæ, quòd ſit venturus ad liberãdum humanum genus, ex omnibus ſuis miſerijs ac ęrumnis: ſed modum liberationis alij aliter intellexerunt. Maxima hominum pars arbitrabãtur, Meſsiam dominaturum regio more, in terris, ac ſummum fore Monarcham, qui mundana ſua ſapientia & potentia pacem & tranquillitatem in populo ſuo tueretur & cõſeruaret. Nam quæ dicta ſunt ad Abrahamum: *Gen. 22.* In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes: & ad Dauidem: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egre- *2. Reg. 7.* diétur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, promiſſiones ſunt de Meſsia ſeu Chriſto, ſed à carnalibus de carnali benedictione & regno intellectæ. Quare hic Pſalmus interpretatur regnum Chriſti non eſſe mundanum, ſed ſpirituale & cœleſte, quia docet

Chriſtum

Christum venturũ in egestate, in ærumnis, in multis aduersis, quibus tam ab inimicis, quàm amicis sit affligendus. Visum autem est Spiritui sancto hanc interpretationem in Ecclesia extare, vt muniret nos aduersus offendiculum crucis, & hortaretur, ne de Christo & regno eius iudicaremus iuxta externas huius seculi calamitates, sed iuxta Propheticas explicationes, & iuxta resurrectionem eius à mortuis, iuxta ascensum in cœlum, & sessionem eius ad dextram Dei Patris sui. Et si quando illi, qui in Christum credunt, affliguntur, non arbitrarentur sibi aliquid præter vsitatum morem euenire, sed agnoscerent, se, si cupiant regni Christi participes fieri, necesse etiam habere, participes passionis eius esse. Sumamus igitur hunc Psalmum in manum, quoties aduersis obruimur, vt cognoscamus nos beatos esse, cum credimus in Christum, etiamsi aduersis grauissimè premamur: Si enim commortui sumus, inquit Paulus, & conuiuemus: si sustinemus & conregnabimus. 2. *Tim.* 2.

Psalmus 42.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, &c.

INter Psalmorum interpretes nondum conuenit, nec de autore huius Psalmi. Alij enim sentiunt autorem eius esse Dauidem, alij filios Coræ, de quibus 1. Paral. 6. & 26. nec de occasione, qua hic Psalmus conscriptus

scriptus est. Alij enim arbitrant eum compositũ esse occasione illius exilij, in qd Dauid eiectus est à rege Saule: alij, istius fugæ, in quam se Dauid, orta seditione filij sui Absolomis, dedit: nonnulli referunt ad tempus exilij Babylonici. Sed hoc vtcunq; se habet, certè ex ipsis Psalmi versiculis facilè colligi potest, hanc querelam esse hominis exulis, qui necesse habeat in maximis ærumnis, contumelijs & periculis, procul à tabernaculo Dei, in quo Ecclesia DOMINI publica sacra peragebat, & laudem nominis Dei decantabat, versari, significans interim inter beneficia Dei, illud non esse postremum, vitam in eo loco agere, vbi publicè sonat vox Dei, & gloria nominis eius illustratur. Hinc enim petere licet in omnibus aduersis, præsentem consolationem & cœlestem opem, quippe quòd vbi Deus patefecerit se verbo suo, ibi etiam coràm offerat beneficiorum suorum promptuarium. Quare, si quis in grauissimis suis afflictionibus susceperit ad Deum confugiendum, ad verbum, seu promissionem Dei confugiat, necesse est.

1. *Quemadmodum ceruus vociferatur ad riuos aquarum, ita anima mea vociferatur ad te Deus.*
2. *Sitit anima mea ad Deum, ad Deum viuum, quando dei mum veniam, & appaream ante faciem Dei.*

Initio, hi duo versiculi ponuntur loco propositionis, qua exul exponit Deo angustias animi sui, & commemorat, quàm ardenti desiderio tabernaculi seu domus Dei (hoc est) cœlestis & diuinæ opis tes

neatur. Quemadmodum, inquiens, ceruus, vociferatur aut desiderat riuos aquarum, ita anima mea desiderat & sitit ad te Deum. Natura enim cerui est, vt cum venatores & canes persequuntur eum, & vrgent, properet διὰ τὸ καῦμα, καὶ τὸ ἄσθμα propter æstum & anhelitum, ad aquas, quibus se recreet. Idem, (inquit exul) mihi cõtingit. Multi sunt venatores & canes, multæ sunt ærumnæ, magnæ sunt calamitates, quibus ego afflígor, & impellor, vt sicut ceruus à canibus fugatus, ad aquas, quibus refocilletur, anhelat, ita ego TE DOMINVM Deum meũ, quo adiuuer, perquiram & inuestígem. Monent igitur hi versiculi, quòd nobis in maximo ærumnarum nostrarum æstu confugiendum sit, vt recreemur, & conseruemur. Sitit anima mea, inquit, non ad hominem quẽdam, sed ad Deum, non ad idolum quoddam mortuum, sed ad Deum viuum: Deus noster, inquit alius Psalmus, in cœlo, omnia, quæcunq; voluit, fecit. Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquuntur, &c.

Aristoteles, de historia animalium lib. 6. cap. 29.

Psalm. 114.

Cæterùm, desiderium Dei, quo æstuo, eò me propellit, vt dies noctesq; cogitẽ, ecquando tandẽ fiat, vt ab exilio liberer, & redeam, ac appaream ante faciem Dei? Quid ergo dicemus? Num exul, non versatur in loco exilij ante faciem Dei? An nõ DOMINI est terra, & plenitudo eius? An non aliâs dicit: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã? Sciamus igitur, quòd etsi DOMINVS Deus noster implet cœlum & terram, tamẽ, quia, instituta arca propiciatorij in lege Mosi, promiserat se ibi præsentem fore, & responsa daturum, idcirco Israelitæ dicebantur

Psalm. 139.

Hier. 10.

Exod. 25.

tur tunc ante conſpectũ Dei venire, cum venirent ad locum, in quo arca illa collocata erat. Hinc etiam extant illæ leges: Non apparebis in conſpectu meo vacuus, (hoc eſt) Non accedas ad locum, in quo eſt arca teſtamenti, abſque oblatione. Et: Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum, corã DOMINO Deo tuo, (hoc eſt) in loco, vbi erat arca teſtamenti. Quare, cum exul tenetur deſiderio veniendi ante faciem Dei, palàm ſignificat, ſe cupere liberari ab exilio, & redire in patriam, vt liceat ipſi vnà cum populo Dei in conſpectum Dei, hoc eſt, ad tabernaculum, vbi collocata erat arca propiciatorij, accedere, dies feſtos ibi celebrare, conciones verbi Dei audire, ac legitima ſacra peragere, vt fidem ſuam confirmet, ac Deo pro beneficijs ſuis gratias agat. Hic locus admoneat nos, quòd cœlum quidem ſit ſedes Dei, & terra ſcabellum pedum eius, propriè autem Deus ibi habitare dicatur, vbi ſeſe verbo, & ſacramentis ſuis patefacit. Vnde, cum Deus apparuit Iacobo Patriarchæ, (in Gen. cap. 28.) & promiſit poſteritati eius terram Canaan, & Chriſtum è familia eius venturum, exclamat Patriarcha: Quàm reuerendus, inquiens, eſt locus iſte, Non eſt hìc aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Sic & poſt diuulgationem Euãgelij Chriſti, in vniuerſum mundum, ſedet quidem Chriſtus ad dextrã Dei Patris ſui, & omnia tam in cœlo, quàm in terra corã gubernat: ſed quia in cœna ſua adnunciatur beneficium mortis eius, & offert ipſe nobis manifeſto verbo corpus & ſanguinem ſuum pane & vino edendum & bibendum, id circo, qui ad cœnam ſumendam accedunt, veniunt

Exod. 23.

Eſa. 66.

ante faciem Christi, & inueniunt ibi domum Christi, ac portam cœli. Sentiamus igitur, nos DOMINVM nostrum Iesum Christum, vnà cum beneficijs suis, ibi inuenire, vbi verbum eius adnunciatur, & sacramenta ab ipso instituta dispensantur.

3. *Lacryma mea panis mihi est die ac nocte, cum dicitur ad me singulis diebus, vbi est Deus tuus?*

4. *Quæ cùm mecum recordor, effundo in me animam meam, & venit mihi in mentem illius temporis, quo incedebam cum cœtu (Ecclesiæ) & progrediebar cum ipsis, vsq; ad domũ Dei, alacri voce & laude, vnà cum multitudine diem festum agente.*

Græcus interpres, pro אדדם *Edadẽ, quod significat progrediebar cũ ipsis, legit* אדרם *Edarem, & transtulit, admirabilis.*

In primis duobus versiculis expositum æstum desiderij sui, quod capiebat è taberculo Dei. Nũc exponit causas, cur tanto desiderio eius teneatur: Quid enim in exilio aliud mihi, præter conuicia & blasphemias, audiẽdum est? Cogor singulis diebus, blasphemam illam vocem audire, vbi est Deus tuus? Hactenus sæpè ac multùm gloriatus es, te habere Deum propitium, tutorem, propugnatorem & seruatorem. Nunc autem res ipsa testatur, gloriationem tuam vanissimam esse. Nam si Deus tibi propitius esset, quomodo conniuisset, vt in tam graue exilium ejcereris? quomodo te in tantis aduersis absq; vlla consolatione desereret? Sed quia destitutus es tam humana, quàm diuina ope, reliquum est, quòd aut Deus te suo fauore indignum iudicet, aut humanas res non curet. Hæc & id genus conuicia, ac blasphemias, cum audiero, quomodo arbitraris me affectum?

ctum? Certè teneri non possum, quin diu noctuq; tantam lacrymarum vim effundam, vt præ ijs, ne cibum quidem capiam, nec vllo cibi desiderio tenear. Non alio nunc pane vescor, quàm vt meas ærumnas deplorem: quod ad dolorem tanto mihi acerbius accidit, quanto magis huc priorem meam felicitatem confero. Quoties enim mihi in mentem venit illorum temporum, quibus vnà cum Ecclesia populi Dei dies festos egi, nomen Dei alacri voce celebraui, laudem DOMINI lętis carminibus decantaui, & gloriã eius summa animi iucunditate prędicaui, toties effundo in me animã meam, (hoc est) totò pectore perturbor & affligor. Speraui quidem futurum, vt cum recordarer promissionum Dei, quas mihi dies festi publica carmina & sacrificia in mentem reuocabant, caperem ex ijs aliquam consolationem, sed res longè aliter cadit, vnde enim consolationem spero, inde augetur mihi dolor. Hîc nunc cum animis nostris cogitemus, nihil posse homini pio molestius, nihil acerbius accidere, quàm quòd necesse habeat inter impios commorari, & manifestas eorum blasphemias singulis penè momentis audire, nec licere laudem nominis Dei prædicare, nisi libeat, impijs maiorem occasionem blasphemandi dare. Illud enim impiorum ingenium est, vt cum vident pios affligi, addant afflictionem afflictioni, ac rideant & insultent, arbitrantes tantùm abesse, vt Deus fauore suo complectatur ipsos, vt prorsus eos à se repulerit, & abiecerit, nec quicquam ipsis spei in DOMINO Deo nostro relictum sit. Quid igitur in tanta rerũ difficultate, in qua tam homines quàm

Deus ipse videtur nos deseruisse, faciendum? Quo respiciendum? Num impiorum vociferationibus assentiendum? Nihil certè minus. Etsi enim acerbissimus dolor est, audire impiorum blasphemias, & sufferre insultationes eorum, tamen nondum est de salute hominis sic afflicti conclamatum. Insultant quidem homines, exprobrant & augent etiam afflicto afflictionem, non autem insultat Deus, sed tanto propior est fauore suo, quanto grauior sit afflictio.

Psalm.34. Iuxtà est (inquit) DOMINVS his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et: DOMI-

Esa.57. NVS in sancto habitat, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Huc referendum est exemplum DOMINI nostri Iesu Christi. Qui cum in cruce penderet, audit & ipse: Alios saluos fecit, saluet seipsum, si est hic Christus electus Dei: Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum. Quid potuisset in Christum contumelioſius dici? quid Christo acerbius accidere? Sed suscepit in se huius doloris magnitudinem & grauitatē, vt hāc in se vinceret, & victa non haberet in nobis amplius vincēdi potestatē. Quare, etiamsi impij vociferantur in nostris aduersis, vbi est Deus vester? tamē benè confidamus, quòd Christus, qui easdem voces à suis hostibus audiuit, & vicit, daturus sit nobis, si in ipsum crediderimus, euentum, vt & nos vincere, & eluctari queamus.

5. *Quid deiecta es anima mea, & perturbaris intra me? Spera in Deum, quia adhuc agam ei gratias, propter salutem faciei suæ.*

6. Deus

6. *Deus meus, anima mea in me deiecta est. Ideo recordor tui de terra Iordanis & Hermonim, de modicis (videlicet) montanis.*

7. *(Sed) abyssus abyssum accersit, ad sonitum cataractarum tuarum, omnes fluctus tui & procellæ tuæ super me transeunt.*

Perseuerat adhuc in querela illarum calamitatum, propter quas anhelat ad Deum sicut ceruus fugatus ad riuos aquarum. Et facit apostrophen ad summ ipsius animã, quasi indignans aut reprehendens, quòd in afflictionibus tam pusilla sit mente. Quid, inquiens, tam tristis, tam deiecta es, quòd necesse habeas in exilio versari, & blasphemias impiorum audire? Nunquid idcirco nulla reliqua est salus? Quin potius agedum, spera in DOMINVM, colloca omnem spem tuam in Deo, & cum Deus tot modis, tot promissis, tot miraculis, tot exemplis testificatus sit, se sperantem in ipsum non deserturum, non dubito, quin me adhuc tam propitio vultu respiciat, & tantam in me salutem conferat, vt propter eam summas ei gratias agam, & gloriam nominis eius celebrem. Sed quid ago? Cum suscipio ad hunc modum meam ipsius animam consolandam & recreandam, ibitum perturbatio animi confestim ita recurrit, vt necesse habeam exclamare, Deus meus, anima mea, nulla consolationis ratione habita, adhuc est in me deiecta, & aspernatur omnem, quam admoueo medicinam. Quid igitur faciam? Pergam vrgere, & nihil remittam. Recordor igitur tui, DOMINE, de terra Iordanis, & de montanis Hermonim, quæ præ aliis

ijs videntur esse parua & modica. Quid autem hoc sibi velit, considerandum est. Nam si Dauid autor esset huius Psalmi, & loqueretur de illo exilio, in quod eiectus est à suo ipsius filio Absolome, non est obscurum, quòd fugerit à Hierusalem, trans Iordanem ad ea loca, quæ pertingunt montana Hermonim, quemadmodum scriptum est in posteriori libro Samuelis, cap. 17. & 19. Nunc autem, hic Psalmus inscriptus est non Dauidi, sed filius Coræ. Videt igitur, quòd precator in hoc versiculo non respiciat in exilium Dauidis, sed in aliam historiam, quæ in terra Iordani & montanis Hermonim finitima contigerit. Nam Moses commemorat in Deutero. cap. 2. & 3. quòd in ijs locis, quæ sunt trans Iordanem, ad montana Hermonim, factum sit initium victoriarũ, quas Israelitæ ab aduersarijs suis regibus & gentibus reportarunt. Hodie (inquit DOMINVS) incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo. Ac paulo post: Tulimus illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorũ, qui erant trans Iordanem, à torrente Arnon vsque ad montem Hermon. Quare ea loca erant insignia ijs miraculis & victorijs, quibus Deus cœpit recreare Israelitas, post lõgam ipsorum peregrinationem in deserto, & spẽ ostendere, quòd etiam vniuersam terram regum Cananæorũ, in hæreditatem suam accepturi essent. Accedit & illud, quòd Deus ex ijs locis ostenderit Mosi terram Canaan, non autem concesserit ei, Iordanem transire, sed iusserit eum ibi mori & sepeliri.

Deuter. 2.

Deuter. 3.

Deu. 3. & 34.

Habes, quid quondam gestum sit in terra Iorda-

ni

ni finitima, & non longè à montanis Hermonim. Postquam igitur exul nõ inuenit consolationem & animi sui tranquillitatem in recordatione dierum festorum, & in cohortatione ad spem in DOMINO collocandam, vertit se ad recordationem rerum gestarum in terra Iordanis & Hermonim, si forte ex ijs aliquod solatium capere posset: Recordor (inquiens) tui, DOMINE, quantam consolationem attuleris populo tuo Israel post diuturnũ ipsorũ exiliũ, cũ in ijs terris cõferres in eos victoriã super duos potẽtissimos reges, & traderes regna eorum in manus Israelis. Hoc diuinæ clementiæ exemplo admoneor & ego, vt cum hactenus durissimas exilij calamitates sustinuerim, sperem te DOMINVM, me quoque clementer respecturum, & vel tandem ex afflictionibus liberaturum. Sed quantum me exemplum victoriarum Israelis solatur, tantum me à spe deijcit exemplum Mosi, cui Deus ostendit quidem à longè terram Canaan, non autem permisit, vt in eam ingrederetur. Itaque metuo, (heu me miserum) ne & mihi liberatio à calamitatibus ostendatur quidẽ, non autem exhibeatur. Quo magis enim spero, eo vehementius afflictio ingraueſcit: abyssus accersit abyssum: alia afflictionis abyssus, aliam trudit: alia tribulatio alteram secum trahit. Nam quemadmodum in turbulentissimis tẽpestatibus, aquæ quidem pluuiæ desup è nubibus tanq̃ è cataractis, Dei (hoc est) ex abruptissimis cœli locis & canalibus, maximo sonitu & fragore effunduntur, ventus aũt mare ita perturbat, vt abyssus abyssum impellat, & fluctus nunc quidem ascendant (iuxta alium Psalmum) in

Psalm.107. cœlum, nũc verò deſcendant in abyſſos, ita & tu videris mihi omnes procellas & fluctus afflictionũ in me cumulatim effundere, vt parum abſit, quin deſperem, me poſſe incolumẽ euadere. Hęc eſt inſignis deſcriptio pugnę carnis & ſpiritus, ſpei & dubitationis ſeu etiã deſperationis in afflictione. Pij .n. & renati in Chriſto, etſi habẽt condonationẽ peccati per fidẽ, propter Chriſtũ, tamẽ geſtant adhuc carnẽ, peccato corruptã, quo cum pugnandũ eſt ſpiritui, donec ex hac vita excedamus. Quare, exoriente afflictione, alio propendet caro, alio ſpiritus. Caro ſubijcit grauitatem, magnitudinem, & diuturnitatem afflictionis, ſubijcit etiam ſeueritatem iræ Dei, propter peccatum, cuius nos ipſi conſcij ſumus, & iubet ſpem abijcere: ſpiritus autem viciſsim opponit promiſsiones Dei, expiationem peccati per mortem Chriſti, & reconciliationem cum Deo. Sed caro viciſsim reclamat, & pergit animum perturbare, vt, etiãſi commemores, quicquid eſt promiſsionum, rerum geſtarum, & miraculorum, quibus Deus certiſsimam ſuam opem, & liberationem teſtificatus eſt, nondum tamen vllam animi tranquillitatẽ conſequaris. Hęc enim pugna illa eſt, quam Paulus deſcribit: Caro,

Galat.5. inquiens, concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hęc autem mutuò inter ſe aduerſantur, vt non quęcunq; volueritis, eadem facia-

Rom.7. tis. Et iterum: Reperio per legem, volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum ſit. Delectat enim me lex Dei ſecundum internum hominem, ſed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meę, & captiuum reddẽtem me

legi

legi peccati, quæ est in membris meis. Nos autem in hac carnis rebellione non defatigemur, sed repugnemus fortitudine Spiritus, vt etsi caro rebellat, non tamen victoriam reportet. Huc enim vocat nos hic Psalmus suo exemplo. Sic enim sequitur.

8. *Per diem iubet* DOMINVS *(adnunciare) misericordiam suam, & per noctem canticũ eius mecum est, oratio ad Deum vitæ meæ.*

9. *Dico Deo, ô petra mea, Quamobrẽ obliuiscaris mei? quamobrem tristis incedo, affligente inimico?*

10. *Occisio est, sæuiens in ossibus meis, cum aduersarij mei afficiunt me opprobrio, & dicunt singulis diebus ad me, vbi est Deus tuus?*

Post commemorationem magnitudinis afflictionum, quam caro suggerit & amplificat, redit Spiritus, & opponit promissionem seu ordinationem ac mandatum Dei. DOMINVS (inquit) iubet, disponit & ordinat verbo suo, vt misericordia seu beneficentia eius diu noctuq; adnuncietur & celebretur. Vnde & ipse ego non cesso, noctu quoq;, gloriam nominis eius decantare, & Deum, quem solum veram vitam meam agnosco, oratione mea inuocare. Bonum est, inquit alius Psalmus, confiteri DOMINO, & psallere nomini tuo altissime, Ad adnunciandam manè (seu interdiu) misericordiam tuam, & veritatem tuam noctu. *Psal. 92.* Et Iob: Non dicit, Vbi est factor meus, qui dat carmina in nocte? Nisi autem Deus vellet misericordiam & beneficia sua tam in- *Iob. 35.*

terdiu quàm noctu, tam in prosperis, quàm aduersis præstare, & nisi vellet inuocationem nominis sui, tam in rebus lætis, quàm tristibus exaudire, certè nō instituisset, nec iussisset misericordiam suam diu noctuq; celebrare, & nomen suum sine intermissione inuocare. Quare, si magnæ & multæ sunt afflictiones, cogites maiores & plures esse promissiones misericordiæ Dei, vt fidem tuam contra carnis rebellionem confirmes. Sed quid fit? nondum est finis pugnæ. Agnosco quidem & fateor solùm Deum esse petram meam, robur & firmamentum meum, interea autem caro mea non conquiescit, sed queritur & vociferatur, Deus meus, quamobrem obliuiscéris mei? quamobrem tristis incedo? vides, quàm graui ter affligant me inimici mei: vides, aduersarios meos exprobrare mihi afflictiones meas, & insultare mihi, non semel & iterum, sed totis & singulis diebus, vociferantes, vbi est Deus tuus, de cuius clementia gloriabaris? quem toties à parte tua stare iactabas? Et cum hæc fiunt, non aliter afficior, quàm si mors ipsa sagittas suas in ossa mea contorqueret: & tamen, tu ad hæc taces, & conniues, perinde acsi meæ afflictiones tibi non essent vllo modo curæ. Magna hæc est fidei imbecillitas, quæ ex carne oritur, quòd arbitremur Deum nostri oblitum, cum affligimur aduersis. Etsi autem hæc imbecillitas coniuncta est in nobis cum peccato, tamen, quia Christus filius Dei susceptit eam in se absq; peccato, cum clamat, Deus meus, Deus meus, vt quid me deseruisti, idcirco non imputatur nobis, si modò in hac pugna non cesserimus carni, nec versemur, sicut Paulus

lus loquitur, iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Vnde & in hoc Psalmo sequitur. Rom. 8.

11 *Quid deiecta es anima mea, & perturbaris intra me? Spera in Deum, quia adhuc agam ei gratias, propter salutem faciei meæ & Dei mei.*

Hæc est victoria, quam Spiritus reportat ex carnis pugna. Etsi enim idem suprà, versiculo quinto, recitatum est, tamen quia tum nondum erat depugnatum, sed sequebatur aliud certamen, idcirco nũc in fine Psalmi idem repetit, vt significet, iam etiam certaminis, hac quidem vice, finem esse. Sentio (inquit) adhuc intra me animi mei deiectionem & perturbationem: sed age, spera in Deum firmiter, collocа omnem spem tuam in gratuita clementia Dei. Non eñ dubito, quin futurum sit tempus, quo DOMINVS exhilaraturus sit faciem meã, & testificaturus, se esse Deum, (hoc est) protectorem, tutorem & seruatorem meum, vt propter hoc beneficium celebrem nomen eius, & agam ei gratias. Obseruemus igitur, Spiritum reportare tum victoriam, cùm spes, depulsa dubitatione, aut desperatione, confirmatur. Beatus enim homo, sicut alius Psalmus loquitur, qui sperat in DOMINVM. Et iterum: Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. *Psalm. 84.* *Psalm. 90.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut magna est hominũ imbecillitas in sufferendis afflis-

da afflictione, ita multus est huius Psalmi vsus, ad medendum imbecillitati. Sunt enim, qui arbitrantur, se nec Deo esse acceptos, nec posse certò salutem sperare, cum sentiunt adhuc immundiciem cordis sui, & rebellionem aduersus Spiritum. Sed hic Psalmus eximit hunc metum. Testatur enim suo exemplo, illud esse in hominibus pijs solenne, vt cum renascuntur Spiritu, nõ mutentur in Spiritum, & nullam deinceps repugnantiam carnis in hac vita sentiant, sed potius, manente carne, instruantur, vt Spiritu cum carne pugnent. Dicit quidem Paulus aliàs: *Ephes. 6.* Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Hoc autem non significat, non esse nobis luctandum cum carne, sed significat nostrum bellum in hoc seculo non esse externum, terrenum aut mundanum, qualia bella gesserunt in hoc seculo Alexander Macedo, aut Iulius Cæsar: sed esse internum, spirituale & cœleste. Ac siquidem nomine carnis & sanguinis intellexeris ipsam carnis & sanguinis substantiam, non est nobis aduersus eam belligerandum, quippe quòd sit bona Dei creatura, & extet vnus è præcipuis nostræ religionis articulus: Carnis resurrectio: sed si hoc nomine intellexeris, corruptionem, qua caro propter peccatum, turpificata est, certè tantisper cum ea belligerandum erit, dum in hoc seculo vitam agimus. Postquam enim peccauimus, grassatur satan in corrupta carne & sanguine, & illud vnum agit, vt victo & eiecto Spiritu sancto, quo renati

nati sumus, solus dominetur. Induamus igitur totam armaturã Dei, sicut Paulus nos monet, vt possimus stare aduersus assultus diaboli, & sciamus, in tantùm abesse, vt Deus nos propter hos diaboli assultus abominetur, & reijciat, vt potius pugnantibus opem suam promittat, & conferat: Cum ipso, inquiẽs, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. *Ephes. 6.* *Psalm. 91.*

Psalmus 43.

Iudica me Deus & discerne, &c.

HIc Psalmus, vt est breuis, continet enim quinq; tantùm versiculos, ita est Psalmi proximè præcedentis epitome, ac planè eiusdem argumenti. Precator enim videns se in maximis suis periculis & afflictionibus non habere in his terris hominem iudicẽ, magistratum aut principẽ, qui causam ipsius cognoscat & ab impijs tueatur, appellat ad cœleste iudiciũ, & ad DOMINVM Deum nostrum, ac precatur, vt ipse causam suam cognoscendam suscipiat, ac faciat officium boni magistratus, cuius est, innocentes tueri, nocentes autem supplicio afficere, & cum post hanc appellationem adhuc videretur auris atq; animus Dei ab ipso abhorrere, instat & vrget, ac recepto animo, certissimè futurum confidit, vt spe sua non frudefiat,

1. Iudica

1. *Iudica me Deus, & despice causam meam. A gente minimè sancta, à viro doloso & praua libera me.*

Sciamus ergo, quæ sit illa causa, quam precator petit à DOMINO ipso iudicãdam & dispiciendam, Num est causa innocentiæ & immunitatis ab omni peccato coram conspectu Dei? Minimè omnium. Solus enim Christus, qui peccatum non fecit, nec est dolus in ore eius, talem habet coram Deo causam: & solus verè dicere potuit, quod est in alio Psalmo: *Psalm.* 18. Retribuit mihi DOMINVS secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius. Sed est causa, quam habet quidem coram Deo, collatus autem cum impijs suis aduersarijs. Nam si precator confertur coram iudicio Dei, in causa, quam habet contra hostes suos, fieri quidem potest, quòd exulet aut affligatur, propter peccata sua, impius autem aduersarius, non habet iustam causam grassandi in eum, & insultandi, vt exprobret & dicat, vbi est Deus tuus? Non enim impietas idcirco approbãda est, quòd pius affligatur, nec Deus idcirco deserit pium, quòd obijciat eum variis ærumnis, sed si vel resipuerit, vel in officio & vocatione Dei perseuerauerit, tanto arctius complectitur ipsum, quanto graviores sunt afflictiones. Dauid ipse ejicitur à suo ipsius filio in exiliũ: ac meruerat quidem exilium, propter peccatum suum, 2. *Reg.* 12. dicit enim Propheta: Ecce ego, inquit DOMINVS, suscitabo super te malum de domo tua: non habuit autem iustã causam, nec filius persequendi Patrem, nec Simei maledicẽdi Regem, nec alij impij, exprobrandi,

brandi, vbi est Deus tuus. Quare Dauid potuit alacri fronte caput ad cœlum attollere, & dicere: Iudica me Deus, & dispice causam meam, aduersus gentem minimè sanctam. Iudæi abducuntur, vastatis Hierosolymis, à Babylonijs, in horribilem seruitutem, & tractati sunt ab hostibus crudelissimè. Etsi autem dederunt meritas impietatis suæ pœnas, tamen nulla erant verecundia Babylonijs obstricti, quin sublato in altum capite, dicerent ad Deum: iudica me Deus, & dispice causam meã, aduersus gentem minimè sanctam. Rectè igitur noster exul, qui necesse habet ab impijs in exilio suo, blasphemas voces de Deo, & execrationes audire, appellat, siue exilium peccato meruerit, siue non meruerit, iudicium Dei: & petit se à prophanis gentibus, ab iniquis & dolosis hominibus, quibus cum vita sibi in exilio agenda est, liberari. Sed cuius rei fiducia appellet ad iudicium Dei, sequitur.

2. *Tu enim Deus, fortitudo mea es. Quare proijcis me? quare tristis incedo, affligente inimico?*

Appello ad iudicium Dei, & defero causam meam, quam habeo aduersus inimicos meos, DOMINO Deo dijudicandam: nec dubito, quin liberandus sim ab impijs Gentibus, fretus, non meis viribus, non meis meritis, non mea aliqua coram Deo iustitia, sed tantùm DOMINO Deo meo, qui est fortitudo mea. Etsi enim ego infirmior sum, quàm qui coram Deo, etiam in bona causa, contra impios meos aduersarios consistere queam, tamen DOMINVS

est fortitudo mea. Primùm quidē, quòd promiserit in semine Abrahæ, (qui est Christus) benedictionem, vt etiamsi meritus sim peccata meo exilium, & alias afflictiones, tamen quia colloco omnem meam fiduciam in hoc semine, non dubito, quin peccatum meum mihi clementer sit condonatum. Deinde, quòd DOMINVS iusserit oppressos ad suum iudicium appellare, & sibi vindictam relinquere: Mea, *Deuter.32.* inquiens, est vindicta, & ego rependam: ac liberaliter receperit, se sperantes & inuocantes ipsum, clementer in omnibus aduersis seruaturum. Itaque DOMINVS gratuita sua clementia & promissione, mea est fortitudo, cuius solius fiducia appello ad iudicium eius, & spero eum à partibus meis, contra *Psalm.23.* omnes aduersarios meos staturum. Etiamsi, inquit alius Psalmus, ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam TV mecum es. Et *Rom.8.* Paulus: Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Sed quid fit? Rem mirandam. Appello quidem ad iudicium Dei, relinquo Dei vltionem, & agnosco solùm Deum, meam petram & fortitudinem: interea autem tu DOMINE Deus meus, ad afflictiones meas ita conniues, vt non solùm me non iuuare, verùmetiam abiecisse videaris. Afflictiones em̄, quibus me inimici mei indies cruciant, ita ingraueſcunt, vt necesse habeam tristis semper & demissus incedere. Obseruemus igitur, quòd illud sit in sanctis solenne, vt quò magis inuocent Deum in aduersis, eò plus aduersa crescere & augeri videantur. Clamabo ad te, inquit *Iob.30.* Iob, & nō exaudis me. Sto & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersa-

aduersaris mihi. Idem conqueritur Christus ipse, Deus meus, inquiens, Deus meus, quare deseris me? vociferor quidem, sed longè abest à me salus. Vide enim mihi precationem eius in monte Oliueti. Ter precatur, vt transeat à se calix iste: sed quò prolixius orabat, eò maior angustia ita ingraueſcit, vt sudor eius decurreret, sicut guttæ sanguinis in terrã. Quare, ne defatigemur in oratione, & abijciamus animũ, cõsiderandũ est consiliũ, quo Deus ad nostrã precationẽ ita conniuet, vt afflictiones subinde grauiores fiant. Non enim conniuet, quòd abiecerit precantem, & nomine eius confidentem, sed partim, vt fidem precatoris probet: partim, vt gloriam nominis sui illustret, & tanto maiorẽ laudem reportet, quanto mirabilior est liberatio: partim etiam, vt quo grauior fit afflictio, eò excellentior quoq; contingat felicitas. Quare benè confidamus in afflictione: & simus interea contenti gratia Dei, dum liberatio patefiat. *Psal.22.*

3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam. Hæc deducent me, vt veniam ad montem sanctum tuum, & ad tabernacula tua.*

4. *Vt introeam ad altare Dei, ad Deum qui est lætitia & exultatio mea, vt gratias agam tibi cithara, Deus, Deus meus.*

Sicut pergunt afflictiones exilij ingraueſcere, ita pergit exul, (quod est officium pij precatoris,) instare, & precibus suis liberationem vrgere. Oportet semper, (inquit Christus) orare, & non defatigari. *Luc.18.*

Dicit ergo Psalmus: Mitte lucē & veritatē tuā. Nomine lucis, intelligēda sunt beneficia Dei, liberatio, felicitas, & quicqd hoc felicitatis nomine continet. Vt.n. tenebrarū nomine significat afflictio, ita & lucis nomine significat gaudiū, lætitia & felicitas. Exortū est (inquit alius Psalmus) in tenebris lumē rectis, (hoc est) in aduersis exorta sunt prospera. Et in Micha: Si sedero in tenebris, DOMINVS lux mea est, (hoc est) si fuero infelix, DOMINVS mea est felicitas. Veritas aūt, de qua versiculus huius Psalmi loquit, est certitudo promissionū Dei. Deus.n. promisit se exauditurū preces inuocantium ipsum vera fide, qui & promissi sui tam seruans est, vt sustineat potius inuersionem rerum naturæ, quàm culpam mendacij. Orat igitur precator: Etsi, inquiens, videris me ita abiecisse, vt necesse habeam, propter afflictionum grauitatem, mœstus incedere, tamen nihil remittam de inuocatione nominis tui: pergo instare. Mitte, quæso, lucem & veritatem tuam: reuela vel tandem liberationem, & felicitatem, quam verbo tuo certissimo & verissimo afflictis promisisti. Sed in quem finem? in quem vsum? Num, vt domi delitijs corporalibus fruar, & ętatem in carnali ocio & tranquillitate transigam? Nihil minus, sed vt tibi DOMINO Deo meo officia mea probē, tuas laudes celebrem, & gratias tibi pro beneficijs tuis agam. Hæc (inquit, videlicet lux tua & veritas tua) docent me, vt veniam ad montem sanctum tuū. Nam si me liberaueris è tenebris exilij mei, iuxta veritatem verbi tui, illud maximè omnium agam, vt vadam ad montem sanctum tuum Zion, in quo loco

Psalm.111.
Mich.7.

est

est tabernaculum tuum, vbi est altare tuum, vbi legitima tua sacra peraguntur, vbi concione verbi tui gloria nominis tui illustratur, vbi pro beneficijs tuis gratiæ tibi aguntur : hic est meus scopus, hoc volo, hoc specto, ad hunc exitū propero. Sed quid? An non habuit in exilio DOMINVM Deum præsentem? An non dicit, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum? An non affirmat se habitare cum Spiritu contrito & tribulato? *Esa.57.* Quid ergo opus erat, vt ad celebrandum nomen DOMINI, & ad gratias ei pro beneficijs agendas, aspiraret ad montem Zion, & ad altare, in quo sacrificia peragebantur? Veri adoratores, (inquit Christus) adorabunt Patrem, (quod & exul in loco exilij, & in medijs afflictionibus facere potuisset) in Spiritu & veritate. *Ioannis 4.* Sciamus igitur aliud esse tempus pædagogiæ, aliud reuelatę veritatis. Nos, cum essemus, inquit Paulus, pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adacti. *Gal.4.* Nam cum adhuc staret politia Mosaica, erat tempus illud pædagogiæ, quo, qui Deum in exilio inuocabat & cœlestem opem petebat, necesse habuit faciem suam conuertere versus vrbem Hierusalem, & ad locum Templi, in quo arca Testamenti fuerat collocata: *Exod.25. 3.Reg.8.* hoc erat elementum mundi. Et tamen, qui verè pij erant, etsi vertebant & ipsi orantes, faciem suam ad arcam propitiatorij, & testarentur obedientiam suam in pædagogia diuinitus instituta, nihilominus tamē inuocabāt Deum in Spiritu & veritate. Quare, quòd precator anhelat mentem Zion, tabernaculum, & altare DOMINI, vt ibi laudet nomē DOMINI cithara, & gratias ei pro beneficijs suis agat,

pædagogiæ est. Quòd autem interea credit, DOMINVM Deum sibi etiam in exilio præsentem esse, & preces suas exaudire, veritatis est, quam & pij Patriarchæ, Christo nondum incarnato, & Euangelio eius nondum in orbem terræ diuulgato, sectati sunt. Deinde, nec illud prætereundum est, quòd hi versiculi docent, in quem vsum externa beneficia Dei petenda sunt. Exul petit liberationem ab exilio, & reditum ad patriam: afflictus morbo petit corporis sanitatem: agricola petit fertilitatem agrorum: mercator petit prosperam nauigationem. Hæc & id genus alia beneficia petere, idq; à solo DOMINO Deo nostro, pium est. Sed in quem vsum? Num, vt domi voluptate fruaris? helluationi operam dare liceat? fruges & merces precio longè omnium carissimè extrudas, & multã pecuniæ vim, ad sectanda conuiuia, colligas? Nihil certè minus. Tales precatores, qui beneficia Dei petunt, non nisi ad licentiam peccandi Deus non exaudit, sed beneficia Dei petenda sunt in illum vsum, quem Psalmus docet, videlicet, vt veniamus ad montem sanctum Zion, & introeamus ad altare DOMINI, (hoc est) vt audiamus verbum Dei, & discamus doctrinam veræ pietatis, ac excitemur ad fidem, spem & charitatem, & celebremus gloriam nominis Dei, gratias agentes ei, pro immensis suis beneficijs, quibus nos immeritos affecit. Vnde & alius Psalmus ait: Saluos nos fac, DOMINE Deus noster, & congrega nos de nationibus. Quid? vt domi delitijs fruamur? Nequaquam, sed vt cõfiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Postremò, illud etiam diligen-

Psalm. 106.

ter

ter considerandum est, quòd vocet Deum lætitiam & exultationem suam. Alij lætantur & exultant in diuitijs, alij in pulcritudine & fortitudine corporis, alij in eruditione, alij in rebus, vt Salomon ait, pessimis. Sed hæ & similes exultationes sunt vanissimæ: Non glorietur, inquit Hieremias, sapiens, in sapientia sua, nõ glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum DOMINVS, qui facio misericordiam & iudicium, & iustitiam in terra. Quare, ad concipiendam veram lætitiam & exultationem, non est opus, vt cumules diuitias diuitijs, & iungas agrum agro, sed vt habeas Deum propitium, quo, si pro nobis, quis contra nos? Cæterùm, quod iuxta Hebræam veritatem legitur, Ad Deum, qui est lætitia & exultatio mea, hoc Græcus interpres transtulit, & secutus est Latinus: Ad Deũ, qui lætificat iuuentutẽ meam. Apparet igitur, quòd pro eo, quod est apud Hebræos גיל Gilli, & significat exultatio mea, Græcus legerit עלמי Almi, quod significat iuuentutem meam. Qui enim cæcutit, facilimè legit pro duabus literis ג gi, vnam literam ע Ain. De qua re fortassis non est superuacaneũ admonere lectorem, vt sciat, tutius & iucundius esse aquam intelligentiæ, ex ipso sacræ scripturæ fonte, quàm ex lacunis eius haurire.

Prouer. 2.

Hier. 9.

5. *Quid deiecta es anima mea, & perturbaris intra me? Spera in Deum, quia adhuc agam ei gratias propter salutem faciei meæ, & Dei mei.*

Hic versiculus est etiam in Psalmo proximè præcedenti

cedenti postremus, & docet, qua ratione possimus in sæuis animi tempestatibus constare, & victoriam reportare. Postquam enim precator petijt ardenti affectu, vt DOMINVS emittat lucem & veritatem suam, quo vel tandem afflictionibus exilij liberetur, nullam sentit adhuc animi tranquillitatem: sed quò ardentior est precatio, eò turbulentiores fiunt animi tempestates, vt miretur & exclamet: Quid tam deiecta es mea anima? Quid est, quòd quanto feruentius oro, tanto perturbatior est animus? Quò ergo me vertam? Si nihil remittit tempestas, nec ego remittam aliquid de spe mea. Age igitur, perge, mea anima, confidenter sperare in DOMINVM, & expectare opem eius. Magna est animi perturbatio, fateor: sed maior est certitudo veritatis Dei, qua promissa est salus omnibus sperantibus in eum, & expectantibus in fide auxilium eius. Quare non dubito, quin Deus ita me sit liberaturus, vt summas ei gratias agam, quòd beneficio salutis suæ exhilarauerit faciem meam, & testificatus sit, se mihi Deum esse propitium & clementem, etiamsi in præsentia non videam, nisi miserias & ærumnas. Non autem est nec nouum, nec inusitatum, vt quod DOMINVS Paulo Apostolo ter roganti, vt Angelus satanæ discederet, respondit, sufficit tibi gratia mea, idē etiam multis alijs pijs de grauitate afflictionis conquerentibus respondeat, vt humilientur sub potenti manu DOMINI, quo extollat ipsos, omni cura in eum cōiecta. Nam & aliâs affert Paulus in tanta ærumnarum magnitudine & incremento, consolationem & remedium: Fidelis inquiens est Deus, qui non sinet vos

2. *Corinth.* 12.

1. *Pet.* 5.

1. *Corinth.* 10.

vos tentari, supra id quod potestis, imò faciet vnà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. Et iterum: Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. 2. Cor. 1.

VSVS HVIVS PSALMI.

Idem prorsus, qui est & Psalmi proximè præcedentis. Ea enim est hominum, præsertim piorũ conditio, vt aut in hoc seculo, quamdiu vitam in eo egeris, cruci, aduersis, & calamitatibus sis obnoxius, aut ex hac vita sit excedendum. Tanta autem & tàm odiosa est nostra morositas, vt nec aduersa patienter feramus, nec mortem, qua ab omnibus molestijs liberemur, ad vocationem Dei, obedienter subeamus. Quomodo igitur exhibeat sese erga nos DOMINVS Deus noster? Nam, vt hoc seculum, animo semper tranquillo, & nulla afflictione transigamus, fieri non potest: aut enim ex hoc seculo exeundum est, aut afflictiones sufferendæ sunt. Libet hoc loco commemorare, quod de hac re apud Cæcilium Cyprianum extat scriptum. Cum quidam de collegis, inquit ille, & consacerdotibus nostris, iam infirmitate defessus, & de appropinquante morte solicitus, cõmeatum sibi precaretur, astitit deprecanti & iam penè morienti, iuuenis honore & maiestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quòd talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atq; ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati *In sermone de mortalitate.*

timetis, exire non vultis. Quid faciam vobis? Ideo in nostra morositate ad nos dici sentiamus, vt excitemur ad ferendam manum DOMINI obsequenter, & inuocemus nomen DOMINI, certissima spe conceptа, quòd qui nos discerpsit, etiam sanabit, & qui nos percussit, etiam curabit.

Ose. 6.

Psalmus 44.

Deus auribus nostris audiuimus, &c.

VEtus & vsitata hominum sapientia est, quod arbitrentur felicem rerum successum necessario comitari omnia honestiorum instituta, nec fieri posse, quod ex fide & obedientia Dei agendū susciptur, parum prosperos habeat euentus. Cum enim Deus prædicetur iustus, quomodo iustæ causæ non faueret? & opem suam ad eam nō conferret? Sed & ipsa lex Dei manifestè promittit ei, qui audit vocem DOMINI Dei sui, & custodit mandata eius, benedictionem seu prosperam fortunam in ciuitate, in agro, in domo, in bello, denique in omnibus operibus manuum suarum. Nec desunt exempla cœlestis doctrinę, quibus Deus palam testificatus est, se honesta piorum instituta, tum domi, tum belli, magno fauore prose-

Leui. 26. Deut. 28.

qui

qui & fortunare. Quod si autem res præter expectationem, aliter ceciderit, ac pia instituta infelicem in hoc seculo euentum habere videantur, ibi tum audias diuersissima humanę seu sapientiæ, seu impietatis indicia. Alius sentit, aut nullum esse Deum, aut Deum non curare res humanas. Nam si aliqua harum cura teneretur, quomodo ad piorum infelicitatem, & ad impiorum felicitatem conniueret? posset ne piorum consilia deserere, & impiorum instituta adiuuare, ac illustrare? Alius, etsi non potest homines pios externæ impietatis aut iniquitatis damnare, tamen quia videt eos in instituto suo infelices esse, arguit ipsos occultæ alicuius impietatis aut sceleris reos esse. Sicut Eliphaz apud Iobem: *Iob. 4.* Recordare (inquit) obsecro, quis vnquam innocens perierit, aut quando recti deleti sunt? Alius, quod inte approbauit iustum & legitimum, postquam videt esse infelix, iudicat esse iniustum & illegitimum. Breuiter. Inter homines nihil magis solenne est, quàm quòd ibi iudicent esse peccata & iram Dei, vbi vident esse aduersa, ærumnas, & infelicitatem. Sed hæc non solùm est vana & odiosa, verùmetiam impia sapientia. Ac extat quidem de hoc argumento Psalmus triceſimus septimus: Noli æmulari in malignantibus, &c. & aliæ quidem Propheticæ cõciones, quemadmodum in explicatione eius Psalmi ostendimus. Nunc autem ordo instituti nostri exigit, vt explicemus Psalmum quadrageſimum quartum, qui, vt eodem argumento constat, ita continet etiam exemplum, quo docemur, quod pius in optima causa, in qua & Deum inuocat, & opem Dei con-

fidenter expectat, pessimè in hoc seculo affligatur, & fortunam maximè aduersam experiatur. Nec est obscurum, quòd Ecclesia post ascensum Christi in cœlum & diuulgationem Euangelij eius per Apostolos, in vniuersum orbem, etsi secuta est veram religionem & pietatem, perpessa tamen sit immanissimas ab impijs, præter omne meritum, persecutiones, ac planè id euenerit, quod Paulus ad Romanos scribens, ex hoc Psalmo commemorat: Propter te, inquiens, mortificamur tota die, æstimati sumus, velut oues destinatæ mactationi. Sed quæritur, vbi illa in Propheticis scriptis historia extet, cuius occasione hic Psalmus initio conditus, & populo Dei recitandus atq; decantandus traditus sit? Recenset enim verbis minimè obscuris innocentiam & pietatem populi Dei: Hæc omnia, inquiens, venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo. Et nõ recessit retrò cor nostrum, &c. Et mox: Si obliti essemus nominis tui, & expandissemus manus nostras ad Deum alienum, Deus meritò ista requireret: ipse enim nouit abscondita cordis. Nunc autem propter te mortificamur singulis diebus, & habemur sicut oues mactationi destinatæ, hoc est, affligimur non alio nomine ab impijs, quam propter nominis tui confessionem, & propter pietatem, quam excitati verbo tuo sectamur, & quam impij prorsus extinctam cupiunt. Hæc est manifesta professio innocentiæ & iustitiæ populi Dei. Ac negari non potest, quin hic Psalmus recte accommodari queat priuatis pijs, qui ab impijs propter professionem piæ doctrinæ affligebantur, quales

Roma. 8.

fuerunt

fuerunt Elias, centum Prophetæ, quos Abdias in spelunca pauit, Esaias à Manasse dissectus, Martyres ab Antiocho occisi, ac multi alij: sed quia hîc fit mentio publici belli & exercituum, apparet, insignem aliquam cladem innocenti Dei populo illatã, dedisse huic Psalmo occasionem. Quæramus igitur, vbinam vnquam Israelitæ, (qui ijs temporibus, quibus hic Psalmus cõditus est, erant electa Dei Ecclesia) aduersam belli fortunam, innocentes, iusti & pij experti fuerint. Non respicimus hîc ad illa tempora, quibus Israelitæ adhuc in Ægypto serui erant: sed ad ea, quibus iam in sua terra Canaan habitabãt, & ducibus ac regibus è suo corpore electis, gubernabantur. Ac manifestum quidem est, quòd quemadmodum Bileam censuit, & Ahior in Iudith affirmat; quotiescunq; Israelitæ coluerunt alterum, præter suum verum Deum, traditi sint in prædam, in gladium, & in opprobrium, & quotiescunq; egerunt pœnitentiam, dederit eis Deus cœli virtutem vincendi hostes suos. Quòd autem innocentes, & verum Dei cultum sectantes, ab impijs suis hostibus victi, fusi, ac fugati fuerint, ac iuxta hunc Psalmum, dispersi sint inter gentes, & facti opprobrium, subsannatio, ac ludibrium vicinis suis, hoc nobis in sacris literis quærendum relinquitur. *Numeri 24. & 31.* *Iudith. 5.*

In libro Iudicum, Israelitæ, cum quidẽ haberent optimam & iustissimam causam bellandi aduersus Benlamitas, & excitarentur ad capienda arma, mandato diuino, bis à Benlamitis vincuntur, & plurimi ex ipsis occiduntur. Sed res ipsa haud obscure testatur, quòd hoc exemplum non dederit occasionem *Iudi. 20.*

condendi huius Psalmi: & arguuntur etiam Israelitę nimiæ securitatis & confidentiæ in arma & multitudinem suam, ac vel tandem victoriam reportant.

In 4. Reg. cap. 18. Ezechias, etsi instaurauit legitima sacra, & habet testimonium maximæ pietatis, nec peccauit coram Deo defectione sua ab impio rege Assyriorum, tamen hic impius rex tam prosperè aduersus pium Ezechiam belligeratur, vt & vniuersas ciuitates regni Iuda capiat, & Ezechiam eò adigat, vt necesse habeat multo auro & argento, confractis etiam templi valuis pacem redimere. Sed nec hoc exemplum Psalmo nostro occasionem dedisse videtur. Nam si Dauid autor est huius Psalmi, longè antè conditus est hic Psalmus, quàm hæc de Ezechia gesta fuerunt. Si verò autores eius sunt filij seu posteri Choræ, quemadmodum è titulo Psalmi apparet, ne sic quidem exemplum Ezechiæ satis congruenter argumento huius Psalmi seruire videtur. Etsi enim Ezechias & incolæ regni Iuda, ab Assyrijs grauissimè affliguntur, tamen paulò post tam illustri miraculo seruantur, vt Assyrij necesse habuerint, amissis vna nocte, plurimis militibus diuinitus interfectis, salutem sibi fœdissima fuga quærere.

In secundo libro Paralip. cap. 35. Iosias rex Iuda, postquam abrogasset heroico Spiritu omnem publicam in Israel impietatem, & renouasset Ecclesiam, instauratione piæ doctrinæ & legitimorum sacrorum, miserè occubuit in eo bello, quod aduersus Pharaonem susceperat. Cum igitur vniuersus populus, ac præsertim Hieremias, deflerent mortem eius, lugubri carmine, an nõ potuerunt verbis huius Psal-

mi

mi dicere: Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum, his, qui in circuitu nostro sunt. Et: Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo: Sed reclamat nonnihil inobedientia Iosiæ, quod nulla verbi Dei admonitione potuerit à suscipiendo bello isto auerti.

In Macchabæis, Iudas dux piorum, cùm heroica stratagemata designasset, & legitima sacra restituisset, interficitur in prælio, & auditur publica omniũ vox: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel? An non & tunc potuerunt, qui superstites erant, dicere verbis huius Psalmi: Humiliasti nos inter Dracones, & cooperuit nos vmbra mortis. Si obliti essemus nominis Dei nostri, & si expandissemus manus ad Deum alienum, meritò hæc pateremur. Nunc autem propter te mortificamur tota die, &c. Sed Iudas repræhenditur, quòd non satis confisus diuina ope, inierit fœdus cum Romanis. Cum igitur hoc fœdus initum fuerit publico populi consensu, videtur non potuisse ab ipsis, conscientia omnino alacri corã Deo, illud Psalmi huius dici: Non inique egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrum, &c.

Arbitrabuntur fortasis nonnulli, hunc Psalmum solis pijs, qui in publicis populi Dei calamitatibus, vnacum impijs, ab hostibus in bello opprimebantur, accomodandum esse. Etsi enim externi hostes reportarunt aliquoties victoriam ab Israelitis, propter ipsorum impietatem & Idolomaniam, tamen non est dubium, quin in exercitibus eorum fuerint

multi

multi pij, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal, nec conſenſerunt in publicam ciuium ſuorum idolomaniam, quorum pars, vnà cum alijs morte occubuerunt, pars in ſeruitutem abducti fuerunt, aut è manu hoſtium liberati, domum magna infamia redierunt. Sed hi non fuerunt tam impudentes, vt cùm Deus immitteret publicam populo ſuo cladem propter peccata, ipſi ſoli ſeſe innocentes, & ab omni culpa alienos, etiam precibus ſuis coram Deo iactarent. Eſaias cum præiret illis, qui in captiuitatẽ
Eſa. 64. Babylonicam abducendi erant, formula precationis, etſi ſciebat nonnullos pios inter ipſos fore, nec eſſe hos tantæ calamitatis ſuo aliquo ſcelere autores, tamen coniungit omnes in confeſsionem peccatorũ, & iubet eos vna voce dicere: Iniquitates noſtræ, quaſi ventus abſtulerunt nos. Et: Ne vltrà memineris iniquitatis noſtræ. Et Daniel, Propheta tantus & tam ſanctus, cum DOMINVM pro liberatione captiui populi inuocaret, non excipit ſe è catalogo peccatorum, ſed ingenuè confitetur: Propter peccata, inquiens, NOSTRA, & iniquitates patrum noſtrorum, Hieruſalem & populus tuus in opprobrio
Danie. 9. ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Et ne quis exiſtimet, eum modeſtiæ tantùm gratia coniungere ſe cum alijs, ſtatim addit: Cum loquerer, & orarẽ, & cõfiterer peccata mea, MEA, inquit, & peccata populi mei Iſrael, &c. Quare non eſt veriſimile, quòd pij in ijs cladibus, quæ Iſraelitis propter peccata diuinitus fuerunt immiſſæ, exceperint ſeſe ab alijs, huius Pſalmi precatione. Certè, quæcunq; exempla ſcripta ſunt, quantum ego meminiſſe poſſum, teſtantur po-

pulum

pulum Dei, aut propter impietatem & scelera ab hostibus victum & oppressum, aut pœnitentia & invocatione conuersum ad Deum, hostes suos vicisse & fugasse. Cum igitur precatores huius Psalmi clarè affirment, se à Deo repulsos, confusos, & hostibus ad diripiendum traditos, cum tamen non iniquè in testamento Dei egerint, nec manus suas ad Deos alienos expanderint, facilè cõijci potest, aut non omnes res gestas inter Israelitas, literis mandatas, & ad nos usq; propagatas esse, ac Psalmum hunc non tantùm loco precationis, verùmetiam loco historiæ habendum: aut Spiritum sanctum voluisse Martyribus tàm veteris, quàm noui testamenti hac precandi formula præire, vt assuefaciat eos ad tolerandas afflictiones obedienter, quæ propter professionem nominis Dei, & obedientiã verbi eius eueniunt. Neq; nim dubitandum est, quin cum DOMINVS soleat Ecclesiam suam, non semper propter peccata, sed aliquoties propter alias causas, aduersis obijcere, multipij & innocẽtes afflictionibus tàm priuatim quàm publicè ita oppressi fuerint, & adhuc opprimantur, vt bona cõscientia dicere possint, vel cum hoc Psalmo: Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, vel cum Iobe: Hæc passus sum absq; iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Sed hæc in interpretatione Psalmi copiosius sese explicanda offerent. Sumamus igitur Psalmum ipsum in manus. *Iob. 16.*

Constat autem hic Psalmus tribus præcipuè partibus. Prima continet antithesin seu collationem

præteritorum beneficiorum Dei, & præsentium populi Dei ærumnarum. Secunda continet commemorationem innocentiæ populi. Tertia continet precationem, quæ est præcipuus huius Psalmi status. Audiamus igitur initio priorem antitheseos particulam, quæ est de præteritis beneficijs Dei.

1. *Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri commemorarunt nobis opus, quod temporibus ipsorum, temporibus vetustis operatus es.*
2. *Tu manu tua expulisti gentes, & plantasti eos (patres nostros) afflixisti populos (Cananæos) & immisisti eos, (maiores nostros in terram Canaan).*
3. *Neq; enim gladio suo possederunt terram, & brachium ipsorum non seruauit eos. Sed dextera TVA, & brachium TVVM, & lumen vultus tui, quia amabas eos.*
4. *Tu ipse es Rex meus, ô Deus, promittens Iacobo salutem.*
5. *Tua ope faciebamus impetum in hostes nostros, tuo nomine conculcabamus illos, qui aduersus nos insurgebant.*
6. *Non enim confidebam meo arcu, nec gladius meus seruabat me.*
7. *Sed tu seruabas nos ab aduersarijs nostris, & pudefacibas illos, qui nos odio prosequebantur.*
8. *Itaq; gloriabamur de Deo singulis diebus, & nomen tuum celebrabamus semper.*

Hæc est prior pars Antitheseos seu collationis, in qua recitantur illa beneficia, quæ Deus iam inde ab initio liberationis ex Ægypto in Ecclesiam suam contulit,

contulit. Vsitatum autem est in precationibus, præterita beneficia & promissiones Dei, cum præsenti calamitate conferre, vt Psal. 80. Qui regis Israel, intende. Et Psal. 89. Misericordias DOMINI in æternum cantabo. Et Esa. 63. Miserationum DOMINI recordabor. Hæc veterum beneficiorum & promissionum Dei commemoratio in precationibus, non est otiosa & superuacanea, sed in aduersis valde opportuna, & maximi vsus. Excitat enim in præsentibus ærumnis fidem, & accendit eam, vt sicut Deus antea contulit in populum suum, magna & miranda beneficia, iuxta promissiones suas, ita precator cõfidat fore, vt Deus etiam in præsentia periclitantem clementer adiuuet, & sperantem in ipsum mirando modo seruet. Vnde & Psal. 77. manifestè confirmat se recordatione veterum beneficiorum & miraculorum: An obliuiscetur, inquiens, misereri Deus? aut retrahet in ira misericordias suas? Tandem cogitare cœpi, quàm insipiens essem. Dextera excelsi mutat vices. Recordabar operum DOMINI, memoria repetebam miracula, quæ olim ædidisti, adeoq; meditabar omnia opera tua, (hoc est,) Etsi præsentes calamitates me ita perturbabant, vt existimarem me à Deo desertum, tamen cum reuocarem in memoriam vetera Dei beneficia, sentiebam cõfirmata fide, dexteram excelsi non sic abbreuiatam esse, quin sit me potenter seruatura. Sic & Paulus colligit è præteritis Dei beneficijs, præsentem & futuram liberationem. Ne confideremus, inquiens, in nobis, sed in Deo, qui ad vitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit, in quo spem fixam habemus, 2. Cor. 1.

demus, quòd etiam posthac erepturus sit. Sed perstringemus nunc, quæ in versiculis iam enumeratis peculiariter obseruanda veniant.

Ac initio, cum Psalmus dicit: Patres seu maiores natu commemorasse iunioribus illa Dei beneficia & miracula, quæ sequuntur, docet, quod sit officium patrum & maiorum natu erga liberos suos & iuniores. Liberi enim non contingunt parentibus temerè, sed donantur eis diuinitus. Donantur autem non in hunc vsum, vt parentes habeant tantùm corporalis eorum vitæ rationem, & relinquant ipsis magnam vim terrenæ hæreditatis: sed vt maximã omnium rationem habeant veræ & perpetuæ ipsorum salutis, ac propagent in liberis suis piam doctrinam & Ecclesiam Christi ad posteros. Abrahamo patefit diuinitus incendium Zodomiticum, non vt admiraretur tantùm, sed vt memoriam eius ad posteros transmitteret. Scio, inquit DOMINVS, quòd *Gen. 18.* præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam DOMINI, & faciant iudicium & iustitiam. Et Psalm. 78. Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera. Filij, qui nascentur & exurgent, & narrabunt filijs suis. Et additur vsus huius narrationis: Vt ponant, inquit, in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

Deinde, quòd Psalmus de admirabili oppressione gentium in terra Canaan, & de plantatione & germinatione Israelitarum commemorat, notius est sacris literis, quàm quod hoc loco multis explicari debeat. Postquam enim Deus promiserat Abrahæ,

se datu-

se daturum posteris eius possessionem terræ Cana-
an, & multiplicauerat eos in Ægypto innumerabili
copia, liberauit ipsos è seruitute Ægyptiaca magnis
& multis miraculis. Deinde conseruauit eos miran-
do modo in deserto, donec peruenissent in terram
Canaan. Etsi autem videbantur homines inermes,
egeni, miseri, famelici, & diutina in deserto pere-
grinatione exhausti. Gentes verò, incolæ & posses-
sores terrę Canaan erant homines fortissimi, non vi-
ribus tantùm corporis, verùmetiam armis, muris,
& omni genere humanæ potentiæ muniti: tamen
Deus fecerat Israelitas suos tàm formidabiles, vt Ca-
nanæi ad nominis tantùm Israelitici mentionem co-
horrescerent, & in morem parturientium, sicut Scri-
ptura loquitur, contremiscerent. Ac suscipiebant
quidem Reges Cananæi bellum aduersus Israelitas
gerendum, sed Deus conferebat in hos victoriam
tam manifestis miraculis, vt res ipsa palàm testare-
tur, hostes non humana aliqua vel sapientia vel po-
tentia, sed tantùm diuina oppressos esse. TE, (inquit *Deu. 7.*
Moses) elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei po-
pulus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super
terram. Non quia cunctas gentes numero vinceba-
tis, iunctus est vobis DOMINVS, & elegit vos, cùm
omnibus ſitis populis pauciores: sed quia dilexit
vos DOMINVS, & custodiuit iuramentum quod
iurauit patribus vestris, &c. Et in Iosua. Misi (in- *Ios. 24.*
quit DOMINVS) ante vos crabrones, & eieci eos
de locis suis, duos reges Amorrheorum, nõ in GLA-
DIO & ARCV TVO, dediq; vobis terram, in qua
non laborastis, &c. Nec minori cura & potentia de-

fendit eos Deus à finitimis hostibus, cum iam terram Canaan possiderent, vt Psalmus rectè confiteatur, solum DOMINVM Deum esse regem illum, qui & promiserit Israeli omnem salutem, & reipsa quoq; manifestissimè præstiterit, vt ipsius solius gladio, brachio, dextera, fauore & potentia, non solùm gentes in terra Canaan deletæ sint, verùmetiam excussum sit iugum omnium finitimorum hostium, qui omnem opem suam, ad opprimendam crescentem in medio ipsorum Israeliticam gentem, contulerant. Itaq; meritò excitati sunt Israelitæ, vt non confiderent suo arcu & gladio, sed omnem suam spem in sola clementia & potentia Dei collocarent, & vt singulis temporibus nomen DOMINI celebrarent, atq; gloriam eius prædicatione sua, ad posteros propagarent.

Porro autem, celebratio nominis Dei, & prædicatio beneficiorum ac miraculorum eius, non sunt tanti momenti, vt ijs Deus per se delectetur, & nos horum operum peractione satis simus nostro officio defuncti. Sed quia Paulus dicit, quòd inuisibilia Dei cognoscantur ex visibilibus, idcirco nomen Dei laudibus celebratur, & miracula eius prædicantur, vt ex his visibilibus rebus cognoscamus inuisibiles Dei virtutes, & excitemur ad veram fidem, timorem, inuocationem & obedientiam Dei. Percurramus igitur breuiter, quæ nobis hæc miracula, quorum Psalmus mentionem facit, de Deo patefaciant.

Ac primùm, cum Deus partim expulit, partim deleuit incolas terræ Canaan horribiliter, reuelatur seueritas eius aduersus impios & impœnitentes. Hæ

gentes

gentes duxerunt originem ſuam à ſancto Patriarcha Noë, ſicut & aliæ gentes, & fuerunt fortiſsimæ. Cum aũt ducerent impiam ac ſceleratam vitam, & ſectarentur tàm idolomaniã, quàm immania quæq; flagitia, admoniti ſunt prædicatione Patriarcharũ, Abrahami, Iſaac, & Iacob, ad agendam pœnitentiã, & colendũ verum DOMINVM Deum noſtrum, ac ducendam honeſtam vitam. Nec confeſtim', vt non obedierunt admonitioni, deleti ſunt, ſed cõceſsi ſunt eis diuinitus quadringenti anni, in ſpacium ſuſcipiendæ pœnitentiæ, quemadmodum Gen. cap. 15. ſcriptum eſt. Poſtquam igitur ne ſic quidem egerunt pœnitentiam, ſed potius cumularunt impietatem impietate, & ſcelera ſceleribus, animaduertit in eos DOMINVS tanta ſeueritate, vt iubeat ipſos ad internitionem vſq; delere. Hac Dei ſeueritate excitandi ſumus ad timorem Dei, vt vocati verbo eius ad pœnitentiam, nõ reiiciamus eam in longum tempus, ſed ſtatim obſequamur, quò venturam iram Dei effugiamus. Securis, inquit Ioannes, ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

Deinde, cum Deus victoriam oppreſsis fortioribus, in Iſraelitas, penè inermes ac viribus exhauſtos contulit, & conſeruauit miſeros, præter omnem humanam expectationem, in omnibus periculis, pateſiunt potentia ſimul & clementia Dei. Summæ enim potentiæ eſt, inermes facere ſuperiores, & fortes ac armatos deiicere. Summæ item clementiæ eſt, miſeros & abiectos homines, nulla nec iuſtitia nec potentia, nec etiam inſigni ſapientia præditos, iuuare,

& in

& in extremis periculis seruare. Hęc autem cum de Deo cognoscuntur, inuitant nos ad fidem, vt etsi sumus miseri, afflicti & abiecti, tamen quia Deus est omnipotens & clemens, fieri non potest, vt qui eo confidunt, & ipsum ex fide filij sui inuocant, pudefiant.

Præterea, cum Deus collocauit expulsis gentibus posteros Abrahæ, in terra Canaan, iuxta promissionem ad Abrahamum & alios Patriarchas dictam, manifestauit & confirmauit veritatem ac certitudinem promissionum suarum. Etsi enim Israelitę indigniores erant, propter impietatem suam, quàm vt acciperent regna Patriarchis promissa, voluit tamen Deus constanter seruare, quod olim promiserat, vt comprobaret, promissione sua nihil firmius, nihil certius esse. Confirmata autem & comprobata veritate Dei, excitatur & confirmatur fides nostra: vt etsi indigni sumus propter peccata, in quos Deus beneficia sua conferat, tamen quia habemus promissionem remissionis peccatorum, per filium Dei, non est dubitandum, quin si credimus in filium Dei, habeamus peccatorum remissionem, & seruemur in omnibus aduersis. Deus enim verax est & fidelis, se ipsum negare non potest. Hi sunt cultus, hæc sunt sacra, quę Spiritus sanctus ex commemoratione veterum beneficiorum Dei, & ex prædicatione seueritatis, potentiæ, clementiæ ac veritatis eius, in nobis excitat, videlicet, Timor Dei, & fides in Deum, per Iesum Christum, ex quibus statim oriuntur inuocatio & obedientia, quibus officijs Deo nihil gratius præstari potest.

Sed

Sed quam promiſsionũ veritatem præſtitit Deus in collocanda Eccleſia Iſraelitarum, in terra Canaan, & tuenda ea aduerſus omnes hoſtes ſuos, illam præſtitit etiam, & adhuc præſtat in colligenda poſt miſſum Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, Eccleſia ex Iudæis & Gentibus, & in conſeruanda ac defendenda ea in medio inimicorũ ſuorum. Deus enim promiſit olim per Prophetas, quòd Chriſtus dominaturus ſit à mari vſq; ad mare, in toto orbe terrarũ: & quòd per diuulgationem Euangelij eius, Eccleſia congreganda ſit ex omnibus gentibus, idq; nullis humanis armis, gladijs & arcubus, ſed tantùm diuina potentia, per vocem quidem Apoſtolicam, ſed Spiritu ſancto excitatam & inflammatam, denique quòd Eccleſia, quæ Euangelion Chriſti vera fide cõplectitur, habitatura ſit in tanta Dei tutela, vt non ſolùm inter externos tyrãnos & perſecutores eius, verùmetiam in ipſa morte, ſalua & incolumis euadat. Quid autem impletione huius promiſsionis manifeſtius? quid ea illuſtrius? Nam Euangelion Chriſti prædicatum eſt apud vniuerſam, vt Paulus ait, creaturam, quæ ſub cœlo eſt, & regnum Chriſti propagatum eſt, ſine vlla humana potentia, per Euangelij prædicationem in toto mundo. Et quanquam tàm Iudæi quàm Gentes coortæ ſunt, collatis omnibus viribus ſuis, ad tollendam è terra prædicationem Euangelij de Chriſto, & ad delendam Eccleſiam Chriſti, tamen quò magis eam perſequebantur, eò amplius dilatata & copioſius aucta eſt.

Vide mihi, quæſo, quanta paucitas fuerit eorum, qui cum Chriſtus crucifigeretur, ac poſtea à mortuis

resurgeret, veram Euangelio fidem adhibuerunt. Initio pauci admodum discipuli, quibus Christus postquam à mortuis resurrexisset, sese patefecit, agnouerunt fide sua Euangelij veritatem, & fuerunt vera Ecclesia Dei. Mox, postquam Christus assumptus esset in cœlum, conuenerunt quidem in cœnaculo Hierosolymitano centum & viginti: sed quantillus est hic numerus, collatus ad tot myriades Iudæorum & Gentium: Nunc cum animo tuo considera, ad quantam multitudinem paulò post excreuerit. Ab eo enim tempore, quo missus est Spiritus sanctus, tanta hominum multitudo accessit ad Ecclesiam, vt in oculis totius orbis impleretur, quod
Esa. 2. dictum est per Esaiam de monte Zion: Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Et iterũ:
Esa. 60. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, &c. Sed quò latius fines imperij Christi seu Ecclesię eius proferebantur, eò crudelius grassabatur in eam Sathan. Incurrebat in eam, primùm tyrannide impiorum, deinde varijs hæresibus, mox Arianismo, adde & Mohamedismo, deinde Mahumetismo, interea etiam Papismo: breuiter, omni genere doli, astus, insidiarum, crudelitatis & immanitatis. Et tamen in his omni-
Roma. 8. bus superauit, quemadmodum Paulus ait, vera Ecclesia, per eum, qui diligit ipsam, vt verè illud Psalmi recitare possit: Per te inimicos nostros excussimus, & in nomine tuo conculcauimus eos, qui ad-

uersus

uersus nos insurgebant. Quare illud etiam quod sequitur, summo studio faciendum suscipere debuit, vt clementiam Dei singulis diebus celebraret, & nomen eius laudibus semper prosequeretur.

Hæc beneficia Dei, in Ecclesiam collata, maiora sunt, quàm quæ humanis verbis satis dignè & copiosè explicari possunt: cogitanda tamen sunt pro virili, & quoad eius fieri potest, prædicanda, vt ad timorem Dei, ad fidem & inuocationem nominis eius, per Iesum Christum filium eius, Spiritu sancto excitemur, & in vera obedientia vocationis eius semper ambulemus. Perstrinximus priorem particulam Antitheseos. Accedamus nunc ad posteriorem.

9. *Nunc autem repulisti, & pudefecisti nos, nec es egressus in exercitibus nostris.*
10. *Vertisti nos in fugam coram hoste, & inimici nostri conculcant nos.*
11. *Fecisti nos similes gregi mactationi destinato, & dispersisti nos inter gentes.*
12. *Vendidisti populum tuum nullo precio, & non contendisti in venditione eorum.*
13. *Exposuisti nos ludibrio vicinis nostris, subsannationem & derisum finitimis nostris.*
14. *Posuisti nos fabulam inter gentes, & commotionem (hoc est) illusionem inter populos.*
15. *Contumelia qua afficior, versatur mihi assiduè ob oculos, & pudor occupat faciem meam.*
16. *Propter vocem exprobrantis & conuitiantis, propter truculentum aspectum inimici & grassatoris.*

Hæc est posterior pars antitheseos, qua præsentes calamitates & afflictiones Ecclesiæ opponuntur præteritis beneficijs Dei. Nec est obscurum, quòd quæ hîc commemorantur, sæpè ac multùm euenerint Israelitis.

In libro Iudicum, quoties vincuntur à finitimis hostibus, toties non solum pudefiunt in gloriatione sua de vero Deo, & præsentia auxilij eius, coram omnibus vicinis gentibus, verùmetiam diripiuntur, captiui abducuntur, & alienis venduntur.

In priori libro Samuelis cap. 4. cum in primo congressu vincerentur à Philistinis, asportant ad se arcam DOMINI in exercitum, cuius præsentia ita confidunt, vt policerentur sibi certissimam victoriam, & incuterent Philistinis magnum metum. Sed hac sua spe ita pudefiunt, vt non solùm à Philistinis vincerentur & fugarentur, verùmetiam arca Dei caperetur, & impijs præda fieret.

In secundo libro Paralip. cap. 12. Sesac rex Ægypti reportat è regno Iuda tam illustrem victoriam, vt expugnatis vrbibus regni, diriperet etiam thesauros templi & regis Rehabeami, ac secũ auferret clypeos aureos, quos Salomon fecerat. Quanta hæc fuit ignominia populi Dei? quantis opprobrijs affecti sunt à finitimis populis, coram quibus solebant de maiestate & potentia Dei sui, ac de præsenti auxilio eius in bello gloriari, & præ ipso omnes omnium aliarum gentiũ Deos irridere & condemnare? Longum esset enumerare, quoties tàm Iuda quàm Israel à finitimis hostibus ita victi, fusi, fugatiq; sunt, vt alij trucidarentur, alij in perpetuam seruitutem abducerentur.

rerentur. Ad extremum deletum est vniuersum regnum Israel ab Assyrijs, deinde vniuersum regnum Iuda à Babylonijs. Quas ibi miserias captiui non viderunt? quas sannas, quæ conuitia, quas contumelias non sunt perpessi? vt longè melior fuerit conditio eorum, qui interfecti erant, quàm qui superstites remanserant. Vide Threnos Hieremiæ, & teneri non potes, quin cohorrescas. Sed hæc mala acciderunt Israelitis, (qui tunc erant Ecclesia Dei) propter impietatem, & propter certa ipsorum peccata, quemadmodum Scriptura in descriptione singulorum bellorum testificatur. Noster autem Psalmus affirmat ea, quæ hactenus in hac particula antitheseos commemorauit, accidisse populo Dei iusto & innocenti: mox enim sequitur: Hæc omnia euenerunt nobis, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, &c. Quare verisimile est, quod tale quoddam factum, (quemadmodum suprà attigimus) precationi huius Psalmi occasionem dederit, quale fuisset, si rex Iosaphat, postquam summa 2. *Paralip.* 20.
cura & studio restituit piam doctrinam in Ecclesia, & emendauit publica iudicia in politia, victus esset in bello à Moabitis & Ammonitis, & fuisset vnà cum multis ciuibus captiuus abductus:

Aut si rex Ezechias, post memorabilem illam Ec- 2. *Paralip.* 32.
clesiæ suæ reformationem, & omnium impiorum sacrorum abrogationem, ab Assyrijs ita oppressus esset, vt captiuus traductus fuisset per ora hostium suorum, & abductus in perpetuam seruitutem. Sed de hac re paulo post. Videamus nunc quid sibi velit Psalmus, quòd præsentem suam calamitatem non

ſolùm commemoret, verùmetiam Deo adſcribat. Non enim accuſat hoſtem, ſed TV, inquit, repuliſti nos, TV vertiſti nos in fugam, TV vendidiſti populum tuum. Quid igitur dicemus? Num expoſtulat cum Deo propter afflictiones ſuas? Num accuſat Deum iniuſtitiæ? Num exprobrat Deo crudelitatẽ? Nihil certè minus: ſed commemorat hæc longè alio conſilio. Primùm enim confitetur obedienter ſe agnoſcere maieſtatem Dei, quòd Deus adminiſtret nõ ſolùm proſpera, verùmetiã aduerſa, & quòd hoſtes ne pilum quidem capitis, in populo Dei, loco ſuo, abſq; voluntate Dei mouere queant. Quis eſt ille, inquit Hieremias, qui dixit, quòd fieret DOMINO non iubente? Ex ore altiſſimi non egredientur nec bona nec mala? Deinde hac miſeriæ commemoratione, & Dei autoris eius agnitione, ſignificat ſe certam à Deo liberationem & ſalutem ſperare. Cum enim Deus vocetur miſericors & miſerator, quid miſeriam coram eo exponere, aliud eſt, quàm de miſericordia eius benè confidere, & miſerationes eius implorare? Præterea, conſilium Dei in affligendo populo ſuo, non hoc eſt, vt perdat populum, ſed vt
Thre. 3. ſeruet. Non repellit, inquit Hieremias, in ſempiternum DOMINVS. Quia ſi abiecit, etiam miſerebitur ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum. Non enim humiliat & abiicit ex corde ſuo filios ho-
Aba. 3. minum. Et Abacuc. Cum iratus fueris, miſericor-
Oſe. 6. diæ recordaberis. Et Oſeas. Venite, inquit, & reuertamur ad DOMINVM, quia ipſe diſcerpſit, & ſanabit nos, percuſſit, & curabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viue-

mus

mus in cõspectu eius. Quare, qui ex agnitione huius diuini cõsilij in aduersis recitant afflictiones suas, & adscribunt eas autori Deo, haud obscurè significant, se etiam ab eodem autore, opem & liberationem expectare, vt qui discerpserit, idem & sanet, & qui percusserit, idem & curet. Itaq; plus quàm dimidium salutis iam habet, qui afflictiones suas verè agnoscit, & eas ab autore Deo proficisci rectè intelligit.

Atq; hæc quidem de Antithesi, hoc est, prima parte huius Psalmi. Sequitur secunda pars, quæ est commemoratio innocentiæ & pietatis illorum, qui aduersis, quæ iam recitata sunt, affliguntur.

17. *Omnia hæc euenerunt nobis, nõ tamen obliti sumus tui, & non transgressi sumus perfidè fœdus tuum.*

18. *Non declinauit retrò cor nostrum, nec declinauit gressus noster à semita tua.*

19. *Et tamen attriuisti nos inter Dracones (seu Tyrannos) & operuisti nos vmbra mortis (hoc est, extremis ærumnis).*

20. *Si obliti fuissemus nominis Dei nostri, & expandissemus manus nostras ad Deum alienum.*

21. *An non Deus meritò requireret illa? Ipse enim nouit abscondita cordis.*

22. *Sed propter te occidimur singulis diebus, æstimamur veluti oues destinatæ mactationi.*

Affligimur inquit precator, horribiliter, & tamen non sumus nostra impietate talem afflictionem meriti. Non violauimus perfidia nostra fœdus, quod nobiscum inijsti: in circumcisione pepigisti nobiscũ, *Gen. 17.* te fore

te fore Deum noſtrum, vt viciſsim nos, te Deum noſtrum agnoſceremus, & promiſiſti te per ſemen Abrahæ, hoc eſt, per Chriſtum, benedictionem in omnes gentes collaturum, vt quotquot in eum crederent, veram & æternam iuſtitiam ac ſalutem conſequerentur. Hoc fœdus tanta conſtantia ſeruauimus, vt nec alienum Deum adorauerimus, nec in alio præterquam in Chriſto per fidem, ſalutem quæſiuerimus.

In promulgatione Legis pepigiſti nobiſcum, te defenſurum nos ab omnibus hoſtibus noſtris, vt ſacra eccleſiaſtica & iudicia politica iuxta regulam verbi tui adminiſtraremus, & cum nō queamus Decalogum tuum perfectè implere, iuſsiſti nos audire Prophetam (videlicet Chriſtum) quem ſis miſſurus, & propter quem ſis nos iuſtos reputaturus per fidē, perinde ac ſi Decalogum impleuiſſemus. Hoc fœdus tanta fide cuſtodiuimus, vt non ſolùm abrogatis impijs ſacris legitima reſtituerimus, verùmetiam toto animi deſiderio expectemus Chriſtum tuum, & in eò omnem ſalutis noſtræ fiduciam collocemus. Ac non negaremus quidem nos iuſtè à Draconibus, à Tyrannis, qui in nos graſſantur, conculcari, & deberi nobis extrema quæuis ſupplicia, ſi contempto verbo tuo impietatem ſectaremur, & Idola colere-mus: tu enim, qui es ſcrutator cordium, & iuſtus iudex, iuſtam habes cauſam affligendi & puniendi impios & idolomanitas. Ecce autem nunc tradidiſti nos hoſtibus noſtris affligendos & conculcandos, non propter impietatem, ſed propter pietatem noſtram, & non propter iniuſtitiam, ſed propter iuſtitiam

noſtram. Propter te enim, PROPTER TE, in
(hoc eſt) quia TVVM fœdus inuiolatum, TV
verbum illuſtratum, TVVM Euangelion diuul
cupimus, & noſtram hactenus operam ad eã
contulimus, idcirco inuadit & opprimit nos ho
quemadmodum in laniena ouium, altera poſt
mactatur, ita ſingulis nobis crudele mortis
, quouis temporis momento, ab aduerſarijs
inet.

c ergo duo nobis præcipuè conſideranda pro
ntur. Alterum eſt, qua fronte audeat precator
Pſalmi, pietatem & iuſtitiam ſuam Deo tam
denter obtrudere? An non hæc eſt ſumma im
ntia, quòd iactet ſe, idq; coram Deo, tantæ eſ
tatis, vt nec corde à Deo deflectat, nec operi
ſemitis Dei declinet? Quis enim poteſt dice
undum eſt cor meum? Omnis (inquit) homo
dax. Et: Omnes declinauerunt, non eſt, qui fa
bonum, ne vnus quidem. Et: Non iuſtificatur
nſpectu tuo omnis viuens. Mirum igitur vide
quid ſibi velit precator, quòd inſtituat in hoc
mo tantum innocentiæ & pietatis ſuæ præco
m. Alterum eſt, quomodo conueniat iuſtitiæ
quòd pios & innocentes, impijs crudeliter af
ndos & conculcandos obijciat? De his rebus
oneri nos neceſſe eſt, vt conſilium Dei in aduer
ognoſcamus, & in vocatione eius confidenter
amus.

ac initio, nihil aptius, quantum ego quidem iu
re poſſum, ad huius rei explicationem proponi
eſt, quàm dictũ illud Pauli, quod extat in priori

ad Corinthios Epistola: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Significat enim Paulus his paucis verbis, duplicem esse, quantum ad hoc institutum attinet, iustitiam seu innocentiam. Altera est perfecta & absoluta diuinæ Legis impletio, quæ est, dilígere Deum ex TOTO corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine, &, dilígere proximum sicut seipsum. Dilectio enim Dei & proximi, non est contenta leui quadam cordis cogitatione, sed exigit animum ardentissimum, Spiritu sancto ita accensum & inflammatũ, vt voluntate Dei nulla prorsus carnis rebellione obedias, & proximo candidè, sine vlla maleuolentia faueas ac benefacias. Hanc iustitiã seu innocentiã nullus vnquã hominum in hac quidẽ corporali vita, perfectè aut præstitit, aut præstare potest, quamuis Spiritu sancto præditus. De hac iustitia loquitur alius Psalmus: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Et alius: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et, quod paulo antè commemorauimus: Omnis homo mendax. Ac rursus: Omnes declinauerunt. Etsi enim pij donantur in regeneratione Spiritu sancto, tamen Spiritus sanctus non facit eos in hac vita ἀναμαρτήτους, sed suscipit quidem pugnam cum carne, & mortificat affectus eius, non abolet aũt omninò carnem, nec prorsus tollit in hac vita naturam & ingenium eius. Vbi autem vita carnis adhuc reliqua est, ibi Spiritus nõ potest pro ordinaria sua operatione, perfectum in homine opus iustitiæ exercere. Lex, inquit Paulus, *Roma. 7.* imbecillis est per carnem. Et iterum: Video aliam legem

legem in membris, rebellantem legi mentis meæ, & captiuũ reddentem me legi peccati, quę est in membris meis. Ac rursus: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Et aliâs: Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem. Hæc inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunq; volueritis, eadem faciatis. Si lex imbecillis est per carnem, si lex membrorum repugnat legi mentis, si caro non potest subdi legi Dei, si caro assiduè concupiscit aduersus Spiritum, idq; in ijs, qui renati sunt Spiritu sancto, certè perspicuum est, quòd non solùm impij, sed etiam pij non possint legem Dei in hac mortali vita perfectè implere, (hoc est) Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum, absq; omni vitio & corruptela diligere. Quare, quod ad hanc iustitiam seu innocentiam attinet, omnes homines sese coram Deo reos, & æternæ damnationi obnoxios fateantur, necesse est. Solus autem filius Dei, DOMINVS noster Iesus Christus, hanc iustitiam & innocentiam in hac vita ita præstitit & absoluit, vt ad obediendum voluntati Dei patris sui non detrectauerit, ne vlla quidem vitiosa rebellione, probrosissimum mortis genus suscipere: & ad benefaciendum proximis suis, non dubitauerit sanguinem suũ, sine vlla iniqua tergiuersatione profundere. Qua etiam obedientia & innocentia Deus pater sic delectatus est, vt etsi homines natura sua sunt iniusti legis violatores, & manent tales in carne sua vsq; ad mortem, tamen si credunt in filium Dei Iesum Christum, recipiuntur à Deo in gratiam, & imputatur *Roma. 8.* *Gala. 5.*

eis iustitia Christi, perinde ac si & ipsi legem Dei perfectè impleuissent. Quare, quam iustitiam & innocentiam pij, in se, seu sua carne non habent, eam possident in Iesu Christo per fidem, vt & ipsi iusti coram Deo propter Christum reputentur.

Altera est iustitia bonæ conscientiæ, quæ iustitia in hoc consistit, vt nihil earum rerum sciens, ac volens, quoad eius in hac corrupta hominum natura fieri potest, vel facias, quod cum vocatione Dei pugnat, vel omittas, quod vocatio eius exigit. Hæc iustitia, etsi per se non satisfacit legi Dei perfectè, tamen necessaria est nobis: & potest in hac vita, ope
1. *Timo.* 1. Spiritus sancti præstari. Vnde Paulus: Finis (inquit) præcepti est charitas ex puro corde, & conscie-
1. *Pet.* 3. entia bona, & fide nõ simulata. Et Petrus: Sitis parati (inquit) semper ad respondendum cuilibet petenti, vt loquamini de ea, quæ in vobis est, spe cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam, &c. Vides iustitiam bonæ conscientiæ, & diligenter exigi & necessariam esse. Hanc iustitiã profitetur Moses coram Deo aduersus seditiosos: Tu
Nu. 16. scis, inquiens, quòd nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quenquam eorum.
Iob. 27. Hanc innocentiam commemorat Iob: Non repre-
Iob. 31. hendit me cor meum in omni vita mea. Et iterum: Si ambulaui in vanitate, & festinauit in malo pes meus. Et mox: Si negaui quod volebant, pauperibus & oculos viduæ expectare feci, &c. Hanc innocentiam exponit Deo Ezechias in extremis vitę suę periculis: Obsecro DOMINE, inquiens, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde

& corde perfecto, & quod placitum est coram te, fe-
cerim. De hac iustitia intelligit Lucas, quod de Za-
charia & Elizabetha scribit: Erant ambo iusti co-
ram Deo, versantes in omnibus præceptis & iustifi-
cationibus DOMINI irreprehensibiles. De hac iu-
stitia loquitur Paulus coram concilio: Ego, inqui- *Actor. 23.*
ens, omni conscientia bona conuersatus sum coram
Deo vsq; in hodiernum diem. Et iterum: Vos scitis *Actor. 20.*
à primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo vo-
biscum per omne tempus fuerim, seruiens DOMI-
NO, cum omni animi humilitate, cumq; multis la-
crymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex in-
sidijs Iudæorum, vt nihil suffugerim eorum, quæ es-
sent in rem vestram, &c. Et mox: Argentum & au-
rum & vestem nullius concupiui. Ac rursus: Glo- *2. Cor. 1.*
riatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ no-
stræ, quòd cum simplicitate & synceritate Dei, non
sapientia carnali, sed per gratiã Dei conuersati fue-
rimus in mundo. Cum igitur Paulus suprà dixerit:
Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustifi-
catus, complectitur has duas, quas enumerauimus,
species iustitiæ, vt, cum dicit: Nihil mihi conscius
sum, significet iustitiam bonæ conscientiæ non ne-
gligendam, sed necessariò præstandam esse: cum
autem addit: Sed in hoc non sum iustificatus, signifi-
cet aliam esse iustitiam perfectæ impletionis diuinæ
legis, quam iustitiam non præstet suis operibus, nec
satisfaciat ei per iustitiam bonæ suæ conscientiæ,
sed se necesse habere aliunde coram Deo iustificari,
videlicet per iustitiam filij Dei Iesu Christi, quę per
fidem imputatur. Hoc idem docet etiam Christus,

cum ad Apostolos ait : Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Iubet eos facere iustitiam bonæ conscientiæ, (hoc est) nihil eorum operum, quæ vocatio ipsorum exigit, omittere, sed omnia, quæ præcepta sunt, diligentissimè perficere. Interea autem iubet eos fateri, se esse seruos inutiles. Non docet simulare hypocriticam humilitatem, sed docet confiteri ingenuam veritatem, quòd etsi sunt in vita sua irreprehensibiles, tamen quæ bona faciunt, sicut debent ea facere, ita non possint ijs legi Dei perfectè satisfacere, nec coram Deo iustificari, sed habeant veram suam iustitiã tantùm in filio Dei per fidem. Quare, cum precator huius Psalmi nostri instituat præconium suæ pietatis, iustitiæ & innocentiæ, non arbitremur eum gloriari de perfecta legis Dei impletione, de qua nullus hominum gloriari potest, nisi in Iesu Christo per fidem, qui solus factus est nobis à Deo iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio : sed sentiamus eum loqui de iustitia bonæ cõscientiæ, videlicet, quòd tàm publicè quàm priuatim in vocatione Dei ita ambulauerit, vt non sit sibi vllius impietatis aut iniquitatis conscius.

Dices autem, concesserim sanè libenter, quòd iustitia bonæ conscientiæ sit necessaria, & quòd ab vno quouis præstari debeat : sed quid sibi vult, quòd precator eam coram Deo recitet, & ipsam in precibus suis Deo obtrudat? Etsi enim sunt homines pij, qui hãc iustitiam in vna & altera officij sui parte habent, tamen reperiuntur in alijs præuaricatores. Dauid potuit quidem in causa aduersus Saulem, &

in admi-

in administratione regni sui, illud Psalmi dicere: Iudica me DOMINE secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me: non potuit autem hoc dicere in causa Vriæ. Ezechias verè dixit: Ambulaui coram te in veritate, & in corde perfecto: sed non verè idem dixisset, in legatione principum Babyloniorum. 2. Paralip. 32. Paulus intuens in functionē Apostolatus sui, potuit bona conscientia dicere: Nihil mihi conscius sum, sed fortassis hoc non dixisset in ea contentione, quam susceperat cum Barnaba de Marco. Act. 15. Quare, cum non solum vulgus hominum, sed etiam sanctissimi ruant aliquoties in horrenda peccata, magnæ impudentiæ videtur, iustitiam suam in precibus coram Deo commemorare. Ac ponamus aliquot esse pios, qui vitam suam tanta honestate transigant, vt possint cum Iobe dicere: Non reprehendit me cor meum in omni vita mea, nihilominus tamen necesse habent addere cum Paulo: Sed in hoc non sum iustificatus, propterea quòd omnes pij, qui suscipiunt faciendum bonum, reperiant sibi malum adiunctum esse: nec iustificentur operibus suis in conspectu Dei. Qua igitur fronte audebunt Deo suam iustitiam in precibus obtrudere? Ad hæc respondendum est, quòd vt turpe est de sua iustitia coram hominibus thrasonicè gloriari, ita multò turpius esset, si pij commemorarent eam coram Deo, vt iactarent, vel omnes in omnibus esse innocentes, vel confidere ea in causa consequendæ remissionis peccatorum & æternæ salutis. Sed sunt aliæ causæ, propter quas solent eam coram Deo commemorare. Vna est, vt iniustè ab impijs accusati & afflicti, fe-

rant

rant testimoniũ veritati, & tueantur quod in se est, iustam aduersus impios causam. Solent enim impij è felici successu consiliorum suorum aduersus pios de rectitudine impietatis suæ gloriari, & piorum studia damnare. Mendacium autem impiorum non est approbandum, nec veritas neganda. Quare, cum pij recitant iustitiam & innocentiam suam, non hoc agunt, vt eam Deo pro expiatione peccatorum suorum obtrudant, sed vt officium, quod Deus in confitenda veritate exigit, faciant, & ipsi obedientiam suam probent. Altera est, vt hac commemoratione excitent fidem suam, & accendant ardorem inuocationis suæ. Manifestum enim est, quòd Deus non dissimulet perpetuò crudelitatem, qua impij grassantur in pios: & extant multæ promissiones, quibus Deus recipit se ope sua affuturum illis, qui iniusta patiuntur, & oppressurum iniustos. Brachia, inquit alius Psalmus, peccatorum conterentur. Confirmat autem DOMINVS iustos. Et iterum: Iniusti disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt: salus autem iustorum à DOMINO, & protectore eorum in tempore tribulationis. Commemoratio aũt iustitiæ ac innocentiæ admonet precatores de his Dei promissionibus. Hæc igitur cõmemoratio non est vana & carnalis iactantia de sua sanctitate, sed est ad excitandam & inflammandam in inuocatione fidem, pia & vtilis recitatio.

Psal. 36.

Sed hæc de iustitia bonæ conscientiæ, & de commemoratione eius sufficiant. Cognoscamus nunc, quomodo diuinæ iustitiæ conueniat, quòd pudefaciat, & pedibus impiorum conculcandos obijciat illos,

los, qui optimam cauſam habent, ac in ea Deum ardentiſsimis precibus inuocant, & felicem eius euentũ magna ſpe expectant. Dicit enim Pſalmus: Deus meus, in te confido, non confundar. Et iterum: In te DOMINE ſperaui, non confundar in æternum. Sciamus igitur quæ ſit ſpes illa, quæ nos non confundit nec pudefacit. Ac primùm, ſi loquendum eſt de bonis ſpiritualibus & cœleſtibus, quæ Chriſtus filius Dei nobis morte ſua impetrauit, vt ſunt remiſsio peccatorum, adoptio in filios Dei, & felicitas æterna, fieri non poteſt, vt quiſquis crediderit in Chriſtum, & ſperauerit hęc bona propter Chriſtum, confundatur & pudefiat. Sic Deus, (inquit Chriſtus ipſe,) dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat æternam vitam. Deinde, ſi loquendum eſt de bonis mundanis & terrenis, quæ in aduerſis à Deo petere & ſperare ſolemus, ſuum eſt diſcrimen. Aliquoties enim extat certa & perſpicua promiſsio, qua Deus recepit ſe bona illa mundana & corporalia ſine omni conditione daturum. Cum igitur Deus ſit omnipotens & verax, dubitari nõ debet, quin quod promiſſum eſt, certiſsimè eueniat. Sic Abrahæ promiſit Deus, ſe poſteritati ſuæ daturum ſuo tempore, poſſeſsionem terræ Canaan, & hæc promiſsio impleta eſt, etiamſi maxima pars Iſraelitarum erant increduli. Sic Deus promiſit per Prophetam Ierobeamo præfecto Salomonis, regnum decem tribuum Iſraelis. Eſt & hæc promiſsio impleta, etiamſi Ieroboam geſtabat impietatem in penetralibus cordis ſui. Incredulitas enim impiorum, nõ facit fidem Dei irritam.

Pſal. 25. *Pſal. 31.* *Ioan. 3.* *3. Reg. 11.* *Roma. 3.*

irritam. Aliquoties aũt extant quidem certæ promissiones Dei, de terrenis beneficijs, sed conditione pœnitentiæ, quales sunt illæ promissiones, quæ cõ-
3. *Reg.* 8. tinentur in precibus Salomonis, cum dedicaret tem-
Hiere. 18. plum. Qualis est & illa promissio apud Hieremiam: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Quare, si quis non egerit veram pœnitentiam, nõ habet quod conqueratur, etiamsi spe sua pudefiat.

Sed quid? si quis non solum egerit veram pœnitentiã, verùmetiam ambulauerit in vocatione Dei, & habuerit optimam causam aduersus hostes suos, ac policeatur sibi spe sua certam victoriam, & tamen tantùm abest, vt consequatur, quod sperauit, vt etiam tradatur pedibus hostium conculcandus, ac coram amicis & inimicis pudefiat, id quod hîc noster Psalmus populo Dei accidisse commemorat? Quid ad hęc dicemus? Nunquid Deus aut mendacij aut iniustitiæ arguendus erit? Nihil certè minus. Nam præter causam peccati, sunt etiam multæ aliæ grauissimæ causæ, cur Deus soleat impios in hoc seculo exaltare, & pios, præter omnium spem & expectationem, deijcere.

Prima est, vt infelici rectorum consiliorum euentu assuefaciat Ecclesiam suam, ne vnquam bonitate causæ confidat, sed collocet omnem fiduciam suam in sola gratuita misericordia Dei, propter Iesum Christum. Vulgus enim hominum solet bonitate causæ suæ ita fidere, vt nisi Deus eam pro ipsorum arbitrio, fortunet, arguat eum iniustitiæ, aut accusetcum

eum iniuriæ. Ac ſumma quidem ſemper danda eſt opera, vt nihil mali faciamus, nec nos ipſos vel temeritate, vel iniquitate in pericula conijciamus: Ne quis veſtrum, inquit Petrus, affligatur vt homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut curioſus alienarum rerum: non eſt autem ipſa cauſæ bonitate fidendum: quòd bonitas cauſæ, etſi inſigne quidem donum Dei eſt, tamen non eſt Deus ipſe, creator, ſed tantùm creatura Dei. Confidere autem creatura, eſt creaturam adorare, & coram Deo idolomaniam deſignare. Quare, quemadmodũ filius Dei permiſit initio vulgati Euangelij, vt Eccleſia ſua, tàm à Iudæis, quàm à gentibus crudeliter diſcerperetur, & tanquam in laniena mactaretur, idq; illo conſilio, vt reipſa doceret, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ita etiam permittere ſolet, vt pij in optima cauſa concidant, quo vniuerſa Eccleſia diſcat, felicem rerum euentũ in hoc ſeculo, non propriè pendere à bonitate cauſæ, quam homines habent, ſed tantùm à gratuita Dei clementia, qua ſola eſt fidendum, & cuius ſolius voluntate ac beneficio, proſper rerum caſus euenit.

Dices autem, ſi ad hunc modum res ſe habet, pius homo nunquam poterit, etiam in optimis cauſis felicem euentum certò ſperare, ſed ſemper de occulta Dei voluntate dubitet, neceſſe eſt: Si autem dubitat, quomodo inuocabit Deum ex fide? Hîc reuocandum eſt in memoriam, quod paulò antè dictum eſt, aliud eſſe, ſi felix inſtituti euentus ſeu victoria, ſeu aliud mundanũ & corporale beneficium, peculiari & certo verbo Dei, nominatim promiſſa ſunt: aliud, ſi tantùm generales habemus promiſsiones.

Nam si corporalia beneficia, peculiari verbo Dei differtè sunt promissa, nullo modo dubitandum est de veritate verbi Dei, sed certa & firma fides adhibenda est diuinæ promissioni, & felix euentus nulla hæsitatione expectandus.

Iosu. 6. In libro Iosuæ promittitur Iosuæ victoria aduersus vrbem Ieriho & regem eius, certo & singulari verbo Dei: Ecce dedi, inquit DOMINVS, in manu tua Ieriho, & regem eius, omnesq; fortes viros. Quare, cum Iosua circumiret vrbem Ieriho FIDE, reportauit insignem & admirandam victoriam.

Iudi. 6. In libro Iudicum promittitur Gideoni certo verbo Dei, victoria aduersus Midianitas: Ego ero, (inquit DOMINVS,) tecum, & percuties Midian, quasi vnum virum. Cum igitur Gideon aggrederetur fiducia huius promissionis hostes suos, vicit eos multò admirabilius bucçinis & lampadibus, quam alij gladijs & alabardis vicissent.

4. Reg. 19. In libro 4. Regum, promissa fuit Ezechiæ perspicuis verbis strages exercitus Assyriaci. Ponam, (inquit DOMINVS de Assyrio) circulum in naribus tuis: & chamum in labijs tuis, & reducam te in via, qua venisti. Quod cum Ezechias obedienti fide expectaret, liberatus est admirando modo. Quare, vbi est certa, expressa ac peculiaris promissio de externa victoria aut liberatione, ibi etiam certa fides est concipienda, & promissus euentus sine vlla dubitatione expectandus.

Si aũt non extat nisi generalis promissio de ope & auxilio Dei, ibi magna quidem fide aggrediendũ & suscipiendum est, ad quod diuinitus vocamur, sed euentus

uentus est voluntati Dei permittendus. Neq; enim ponendũ est, vt Iudith ait, tempus miserationis Dei, nec est ei dies pro nostro arbitrio constituendus, sed faciendũ est, quod Dauid in fuga sua, de reportanda arca dicit: Reporta arcam Dei in vrbẽ, Si inuenero gratiam in oculis DOMINI, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum: Si autem dixerit mihi, Non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Et quod dixit Ioab ad fratrem suum Abisai: Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri, DOMINVS autem faciet quod bonum est in cõspectu suo. Docuit & filius ipse Dei suo exemplo in periculis sic orare: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Itaq;, si concepta tali fiducia, ac facta tali precatione, & voluntatis suæ in diuinam resignatione, DOMINVS dederit liberationẽ aut victoriam, est, quòd summas agamus Deo gratias: nec est, quòd quicquam nostræ vel iustitiæ, vel prudentiæ, vel fortitudini, sed soli gratuitæ clementiæ Dei adscribamus. Si autem non dederit victoriam, sed potius tradiderit nos hostibus opprimendos, non despondeamus animum, sed perferamus aduersa fortiter, & cogitemus nos versari in summo cultu Dei, quòd nostrum exemplum documento sit vniuersæ Ecclesiæ, DOMINVM Deum nostrum non sic bonitati causæ alligatum esse, vt necesse habeat eam semper externa felicitate, & pro humana voluntate fortunare, sed esse liberrimum rerum gubernatorem & administratorem, qui possit victoriam, pro suo arbitrio, nunc in dignos, nunc in indignos conferre.

2. Reg. 15.

2. Reg. 10.

Secunda causa. Deus solet impiorum consilia, oppressis pijs, adiuuare, vt talibus exemplis veram sententiam generalium promissionum legis de auxilio Dei in periculis &, miraculorum, quæ in scriptura extant, quasi commentario, exponat & interpretetur. Generalis promissio est: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, persequemini inimicos vestros, & corruent corã vobis. Persequentur quinq; de vobis, centum alienos, & centum de vobis, decem millia. Et iterum: Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia DOMINVS Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Huc accedunt miracula, quæ sunt harum promissionum quasi sigilla. Gideon trecentis tantùm militibus vertit in fugam innumerabilem hostium multitudinem. Ionathas & armiger eius, soli hostes Philistinos ita exterruerunt, vt in castris eorum, alter in alterum, tanquam in hostem sæuirent, & in fugam conijcerentur. Cum Iosaphat proficisceretur cum suis in bellum aduersus Moabitas & Ammonitas, qui exercitui Iosaphat & robore & multitudine antecellebant, vicit tamen Iosaphat, non gladijs, non alabardis, sed Psalmis & Canticis, quę cantores exercitum antecedentes præcinebant. Ezechias nondum in bellum egressus, sed adhuc Hierosolimis hærens, exercitum Saneherib precibus suis ita fregit & vicit, vt vna nocte centum octoginta millia

Leu. 26.

Deu. 20.

Iudi. 7.

1. Reg. 14.

2. Paral. 20.

millia fortium virorum ab angelo interficerentur, & Sancherib cum reliquijs fuga sibi salutem quæreret. Hæ promissiones & miracula solent ferè eò transferri, perinde ac si corporalis salus, & externa victoria semper deberent bellum populi Dei & consilia piorum sequi. Sed exemplum huius Psalmi nostri & alia id genus, interpretantur illas generales promissiones & miracula, videlicet, quòd significent ac testificentur certam quidem corporalem & mundanam in periculis salutem, firma fiducia tunc expectandam esse, cùm ea singulari promissione & diserris verbis promissa est: sed cum non extat expressa de externa & corporali salute promissio, sciamus, quòd cum non contigerit externa & corporalis salus, expectanda nobis sit, sine vlla dubitatione, spiritualis & cœlestis. Non enim dubium est, quin hi, qui primi hunc Psalmum recitarunt, fuerint Ecclesia populi Dei, & egressi ad bellum, fecerint magna pietate, ea quæ Deut. cap. 20. mandātur, videlicet, quòd ad solennem Sacerdotis concionem susceperint prælium committendum forti & pio animo, ac speraverint multa fiducia, DOMINVM Deum suum dimicaturum pro ipsis contra aduersarios, ac liberaturum ipsos è periculis. Hoc enim significant, cum dicunt: Non obliti sumus tui, & iniquè non egimus in testamento tuo. Et non recessit retrò cor nostrum. Nihilominus tamen ab hostibus suis ita victi, fusi & fugati sunt, vt alij, veluti oues mactationi destinatæ, fuerint iugulati, alij in perpetuam seruitutem abducti & venditi, adeoq; facti sint opprobrium omnibus vicinis suis. Quid igitur dicemus? Num accusabimus

bimus Deum mendacij, quòd non contulerit exter-
nam victoriam in Ecclesiam populi sui, cõfidentem
& inuocantem ipsum, iuxta verba promissionis sue?
Nihil minus. Etsi enim non contigit externa victo-
ria, reliqua tamen adhuc est spiritualis & cœlestis,
quæ pijs certissimè contingit, etiamsi omni corpo-
rali salute destituantur. Ad hunc enim modum prę-
dicatio Euangelij de regno Christi interpretatur
promissiones legis & miracula eius: Gaudete, in-
quit, & exultate, quia merces vestra copiosa est in
cœlis. Diserte addit, IN COELIS. In his enim ter-
ris fieri solet, vt pijssima consilia habeant infelicis-
simos euentus: nec lex Dei minatur impijs vllam
tam grauem & seueram in hoc seculo afflictionem,
quæ non etiam, imò maximè omnium pijs & sanctis
Deut. 28. accidere soleat. De impijs dicit lex: Mittet DOMI-
NVS in te famem & esuriem. De pijs autem dicit
Proue. 10. Scriptura aliàs: Non affliget DOMINVS fame ani-
Psal. 36. mam iusti. Et iterum: Non confundentur in tem-
pore malo, & in diebus famis saturabuntur. Et tamẽ
Vide Euse. in histo. Ecclesia. Et Augu. lib. 1. cap. 10. de ciui. Dei. multi Martyres fame necati sunt. Quæ est ergo hæc
cõfusio, quòd quæ lex minatur impijs, accidant pijs,
& quæ promittuntur pijs, accidant impijs? Hanc
confusionem componit & conciliat prædicatio Eu-
uangelij, cum dicit: Gaudete & exultate, quia mer-
ces vestra copiosa est in cœlis. Promittuntur qui-
dem pijs multa & magna beneficia Dei, sed si non
contigerint ipsis in hac terra corporaliter, certè cõ-
tingent eis in cœlo spiritualiter, ac longè maiori vti-
Roma. 8. litate, quàm si accepissent ea in his terris. Omnia,
inquit Paulus, adiumento sunt in bonum his, qui di-

ligunt

ligunt Deum. Quare etiamsi vincuntur & opprimuntur ab hostibus, reportant tamen longè meliorem victoriam, quàm impij hostes, propterea quòd hi vnà cum victoria sua in æternum pereant, pij aũt suis ærumnis illustrentur coram cœlesti cœtu, & conseruentur æterna salute. Hanc enim piorum victoriã, in media quoq; strage, qua ab impijs opprimuntur, exponit idem Paulus, allegato etiam versiculo ex hoc Psalmo: Quis nos, inquiens, separabit à dilectione, qua Deus nos complectitur? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi. Et mox addit de victoria: Verùm in his omnibus, inquit, superamus per eum, qui nos dilexit. Habes victoriam magis memorabilem & illustriorem, quàm fuit quondã Alexandri Magni de Dario, vel etiam Dauidis de Goliathe. De tali victoria conclonatur etiam Ioannes: Omne, inquiens, quod natũ est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Reportent sane impij victoriam externam, qua occupant facultates & corpora piorum. Pij autem reportant victoriam, qua vincunt non vnam tantùm & alteram terræ regionem, sed vniuersum mundum. Hęc (inquit) est victoria, quæ vincit MVNDVM, fides videlicet nostra. Hanc fidem, si ex prælio saluam reportaueri-mus, omnia sunt salua. Etsi enim non vincitur hostis homo, vincitur tamen hostis Sathan, ac si non reportas victoriam è prælio terreno, reportas tamen eam

1. Ioan. 5.

ex morte ipsa. Quantò hæc victoria illi antecellit?

Euseb. in Ecclesiast. histo. lib. 8. cap. 5.

Ciuis quispiam Nicomediensis, insignis & genere & pietate, cum vidisset publicè in foro affixum esse crudele & blasphemum edictum Diocletiani aduersus Christianos, excitatus est heroico spiritu, & accedens iniecit palàm manus in literas Imperatorias, ac discerpsit eas, spectante magna populi multitudine frustatim. Sed mox affectus est ab Imperatore, immani supplicio. Quid ergo factum est, quòd hic heros habuit similem penè causam & zelum cum Mat-

1. Macch. ca. 2.

thia, qui Iudæum idolis sacrificantem in ara trucidauit, & mox etiam legatum impij regis occidit, nõ tamen habuerit similem fortunam? Mattathias enim non solùm seruatus est, verùmetiam excitauit hoc stratagemate reliquos pios, vt caperent arma, & inciperent patriam suam à tyrannide liberare: *ille* aũt Nicomediensis ciuis crudeli morte occisus est. Sed facilis est explicatio. Mattathias est exemplum clementiæ Dei, de externa liberatione, ciuis autem Nicomediensis est exemplum clementiæ Dei de spi-

Euseb. Eccle. Histo. lib. 8. cap. 11.

rituali & æterna liberatione. In Phrygia fuit ciuitas, cuius non solùm ciues vulgares, autore Eusebio, verùmetiam Senatus & Magistratus omnes erant Christiani, & recusabant constanter sacrificare idolis. Susceperunt igitur Romani aduersus hanc ciuitatem bellum, & cinxerunt eam obsidione. Etsi autem dederunt ciuibus optionem, vt qui vellet, ciuitatem liber exiret, sed illa conditione, vt idolis sacrificaret, tamen ciues, vnà omnes cum magistratibus, senatoribus, mulieribus & pueris, maluerunt extrema perferre, quàm abnegato Christo ad impietatem

tatem reuerti. Itaq; ad vnum omnes vnà cum ciuitate, iniecto à Romanis igni, exusti sunt. Quid ergo est, quòd Deus non miserit in Romanum exercitũ, qui vrbem tam piam obsidebat, Angelum exterminatorem, sicut quondam miserat in exercitum Sanecheribi regis Assyriorum? Sed sic visum est DOMINO, in conseruanda vrbe Hierusalem, ædere exemplum externæ liberationis, qualis tunc regno politico cõueniebat: in concremanda autem vrbe Phrygiæ, ædere exemplum liberationis spiritualis, qualis conueniebat regno Christi. Quare, cum videmus consilia impiorum fortunari, & pios in optima sua causa opprimi, sentiamus hoc illo consilio diuinitus fieri, vt Deus proponat vniuersæ Ecclesiæ cõmentarium, quo discat, generales promissiones de diuina ope & liberatione in periculis, non intelligendas esse de externa tantùm & corporali, qualis conuenit regno politico: sed præcipuè de spirituali & æterna liberatione, qualis regno Christi, quod non est de hoc mundo, conuenit: nisi fortè externa liberatione, quemadmodum antea ostendimus, expressis verbis promissa sit diuinitus: tunc enim non solùm spiritualis, sed etiam externa illa liberatio, petenda est firma fide, & expectanda certissimè. 4. Reg. 19.

Tertia causa. Deus immittit multa aduersa Ecclesiæ suæ, quamuis iuxta bonæ conscientiæ iustitiam innocenti, & in vocatione Dei ambulanti, vt fiat conformis imaginis filij sui. Non enim est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suum. Et si Ecclesia petit vnà cum Christo Domino suo glorificari & regnare, vnà etiam compa-

tiatur & conculcetur necesse est. Nihil autem manifestius est, quàm quòd Christus filius Dei in hoc mũdo, & in causa longè omnium optima, passus sit extremam infelicitatem. Vides quanta animi angustia in monte Oliueti ter deprecetur crucem, & petat, vt transeat à se hic calix. In cruce tanta tristitia obruitur, vt exclamet, se à Deo desertum. Et notum est è Psal. 22. quòd conqueratur coram Deo patre, se vnigenitum filium Dei, ne tantum quidem in sua afflictione iuuari, quantum veteres Patriarchæ, homines, vt nihil aliud dicam, in peccatis concepti & nati, diuinitus & mirando modo in suis aduersis adiuti sunt. In te, inquit, sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi. Exempla horum versiculorum, vide supra Psal. 22. quibus accedunt & multa alia. De Dauide 1. Reg. 23. De Abia rege Iuda, 2. Parali. 13. De Mose, Nu. 16. De Elia, 4. Reg. 1. De Elizæo, 4. Reg. 6. De Ezechia, 4. Reg. 19. Dies me deficeret, si pergerem cõmemorare omnia Patriarcharum exempla, quæ testificantur ipsos speransse, clamasse in aduersis suis ad DOMINVM, & consecutos esse admirabilem liberationem. Ego autem (inquit Christus filius Dei) sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ego spero quidem in Deum, & clamo ad eum, vt qui maximè & confidentissimè, attamen nullus venit nec homo, nec angelus, qui me è manibus hostium meorum eripiat, sed ita conculcor, perinde ac si vermis essem & non homo, adeoq; factus sum omnibus, etiam abiectissimis extremo lu-

dibrio.

dibrio. Habes exemplum Christi. Si autem Christus filius Dei sperauit & clamauit ad Deum patrem suum, in causa longè omnium optima, & innocentissimus, non tamen consecutus est talem externam liberationem, qualem humana voluntas optabat & expectabat, qui nos sumus, aut quæ est vniuersa Ecclesia Dei, quòd detrectaret hac in parte conformis imaginis filij Dei fieri? imò tantum absit, vt in aduersis, quæ innocenti sibi, post confidentissimam inuocationem, præter omnem expectationem accidunt, expostulet cum Deo, & abijciat animum, vt potius gaudeat se dignari honore imaginis filij Dei, & maiorem ac certiorem de vera liberatione & salute fiduciam concipiat.

Quarta causa. Deus solet populo suo beneficia, quæ antea contulit, auferre, & aduersis affligere, nõ vt perdat ipsos, sed vt maioribus eos beneficijs afficiat, deijcit vt exaltet, mortificat vt viuificet, deducit ad inferos vt reducat. Vide mihi iterum Christum filium Dei, cum vociferaretur in cruce: Deus meus, Deus meus, vt quid me deseruisti? non sic quidem exauditur à Deo patre, vt mittat cohortem Angelorum, qui ipsum de cruce, corã omnibus spectatoribus, palàm, admirabiliter deponant: sed excitat eum tertio die à mortuis, educit eum de sepulchro, & palàm testificatur, eum ad dextram suam collocatum, ac supra omnem humanam & angelicam maiestatem euectum. Quanto igitur beneficiorum cumulo, compensauit pauci temporis humilitatem & deiectionem? Sed audiamus non tantùm in æterno & naturali filio Dei, verùmetiam in filijs Dei ad-

optiuis idem Dei patris inſtitutum. Ioſeph venditur à ſuis fratribus, & conijcitur in carceres, nõ quidem hoc Dei conſilio, vt periret, ſed vt hac via ad illuſtriſsimum Ægypti principatum duceretur. Iob teſtimonio Dei collaudatus, ſpoliatur non tantùm facultatibus, verùmetiam liberis ſuis, ac ſanitate corporis ſui, quæ beneficia Deus antea ſingulari fauore in ipſum cõtulerat. Spoliatur autem his, non vt maneat rerum omnium egens, ſed vt plura & maiora à Deo beneficia recipiat. Dauid expellitur in exiliũ, non vt in exilio pereat, ſed vt hoc quaſi gradu ad thronum regium aſcendat. Quid autem neceſſe eſt commemorare exempla verè piorum & innocentũ, cum Deus idem ſuum conſilium, etiam in ſceleratis, & ijs, qui propter peccata meriti ſunt ſupplicia, ſæpè ac multùm declarauerit? In primo libro Regum, cap. 4. belligerantur Iſraelitæ cum Philiſtinis, Iſraelitę autem meriti erant ſupplicium propter impietatem ſuam: quare non tantùm vincuntur bello à Philiſtinis, ſed etiã Arca teſtamenti, in qua Deus ſe habitaturum promiſerat, & quæ erat præcipuũ populi Dei Sacramentum, abducitur captiua. Itaq; videbantur non tàm ipſi, quàm vniuerſa ipſorum religio periiſſe. Sed Deus permiſerat arcam abduci, vt maiori gloria reſtitueretur. Ciues vrbis Hieruſalem ducuntur captiui in exilium Babylonicum, & vrbs eorum, quæ fuerat ſedes verbi Dei, ſolo æquatur, ſic enim meriti erant ſua impietate & impœnitentia. Deus autem coniecit eos in tantam miſeriam, non vt gloria religionis eorum interiret, ſed vt inter gentes multis miraculis illuſtraretur, & ipſi ac

poſteri

posteri eorum, patriæ magna gloria restituerentur. Postquam igitur Deus non meditatur perditionem, sed salutem, cum afflígit populum suum sceleratum & nocentem, quomodo non meditaretur salutem, cum affligit populum suum iustum & innocentem?

Iouinianus, insignis heros in aula Cæsaris Iuliani, ejcitur ex aula propter confessionem Christi, & priuatur contumeliose omni militiæ dignitate. Cur ergo Deus conniuit ad hanc pij Principis contumeliam? num vt in ignominia periret? Nihilminus, sed vt maiori gloria restitueretur. Paulò post enim non solùm reuocatur in aulam, sed etiam creatur ipse loco persecutoris sui Imperator. Erat & Valentinianus vir magna animi fortitudine & pietate nobilis in aula Iuliani. Sed cum & ipse propter confessionẽ Christi ejceretur in exilium, tantùm abfuit, vt pasſus sit magnam honoris sui iacturam, vt & ipse post Iouinianum electus sit in Imperatorem, & pro ignominia breui durabili, acceperit gloriam & maiestatẽ Imperatoriam. Quid ergo dicemus? Num horũ exemplo sperandũ est cuiuis propter Christũ & Euangelion eius contumelia affecto, & aut in exiliũ ejecto, aut in captiuitate detento, quòd sit etiam in hac vita cõsecuturus maiorem gloriam, quàm antè amiserit? Dicit quidem Christus apud Marcum & Lucam: Nullus est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, aut agros mea causa & Euangelij, quin recipiat centupla nunc in tempore hoc, ac in seculo venturo vitam æternam. Hoc autem dictum Christi non est intelligendum de crasso & Arithmetico recipiendi modo in hoc seculo,

Tripar. lib. 7. cap. 1.

Euse. in Eccle. histo. lib. 11. cap. 2.

Tripar. histo. lib. 6. cap. 35.

Mar. 10. Luc. 18.

culo, videlicet, quòd qui vnam externam domum propter Christum relinquit, recipiat pro ea centum externas domos, & qui vnam vxorem relinquit, recipiat pro ea in hoc seculo centũ vxores: quæ enim hæc esset absurditas? Sed intelligendũ est de Geometrico, analogico, aut potius Theologico recipiendi modo, videlicet, quòd si propter Christũ aut Euangelion eius reliqueris parentes, domum, vxorem, liberos, agros, & alias mundanas opes, Deus tàm prosperum det euentum, etiam in hoc seculo, vt non solùm sufferre queas hanc tentationem, verùmetiam multò felicius & tranquillius vitam agas, quàm si abnegatione Christi retinuisses & tuam domum, & præter eam alias decem aut centum accepisses. Vide mihi exemplũ Petri. Hic reliquit propter Christum suum rete, sed ita compensatum est ei, vt & ante mortem & resurrectionem Christi, cum emitteretur absq; vlla pecunia ad prędicandum Euangelion, fateatur ipse, nihil vnquam sibi defuisse, & post resurrectionem Christi, cum ablegaretur in mundum ad diuulgandum Euangelion, exceptus sit à pijs quibusq; magna animi promptitudine, & tractatus summo honore. An non hoc verè est pro vno reti, recipere centum, etiam in hoc seculo? Negari quidem non potest, quin Deus queat suos pro vna domo amissa, centum domibus mundano modo in hoc seculo ditare, & vinctos in carcere educere, ac in regno collocare, neq; enim manus eius hisce temporibus abbreuiata est: sed quia vera piorum felicitas & manifestas consistit maximè omnium in futuro, nõ in præsenti seculo, idcirco, si cui ablatæ fuerint facultates

Acto. 10.

propter

propter Christum, aut aliæ calamitates acciderint, non pugnet cum voluntate Dei, sed dicat cum Dauide: Si inuenero gratiam in oculis DOMINI, reducet me, si autem dixerit mihi, non places, præstò sum, faciat quod coram se bonũ est. Nihil enim certius est, quàm quòd homini pio eò maior contingat apud Deum in æterna vita felicitas, quò minus eam in hoc seculo assequitur. Nam, quod apud Deum differtur, in tantùm non aufertur, vt etiam augeatur & cumuletur. Momentanea, (inquit Paulus) leuitas afflictionis nostrę, mirè suprà modum, æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea, quæ videntur, sed ea quæ non videntur. Et iterum: Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. 2. Cor. 4. Roma. 8.

Quinta causa. Deus solet aliquoties aduersa in pios congerere, ac etiam augere, non ad puniendum præteritum peccatum, sed ad cauendum futurum. Exemplo est Paulus, qui ad Corinthios scribens: Ne excellentia, inquit, reuelationum supra modum efferret, datus est mihi stimulus per carnem, nuncius Sathanæ, vt me colaphis cederet, ne supra modum efferrer. Super hoc ter rogaui DOMINVM, vt discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nã virtus mea per infirmitatem perficitur. Memorabile exemplum, quo primùm admonemur, iustitiæ Dei non tantùm competere, vt supplicijs præterita peccata puniat, aut de præsentibus in carne admoneat, verùmetiam vt à futuris per aduersa arceat. Cogita ergo mihi, num & Deus pijs huius Psalmi nostri precatoribus idcirco non cõtulerit victoriam in hostes 2. Cor. 12.

ſuos, ne felicitate elati, ruerent in peſsima quæq; ſcelera. Deinde docemur, quòd Deus videatur quidem aliquoties preces piorum repellere, ſemper tamen exaudiat eas, ſi non ſecundum humanam precantium voluntatem, certè ſecundum ſpiritualem
Roma. 8. eorum vtilitatem. Spiritus, inquit Paulus, intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. At ille, qui ſcrutatur corda, nouit, quis ſit ſenſus Spiritus, quoniã ſecundũ Deum intercedit pro Sanctis. Quare, ſi vota precum noſtrarum videntur magis retrocedere, quàm promouere, ſufficiat nobis, ſicut dictũ eſt ad Paulum, gratia Dei: & ſimus contenti, quòd Deus ſit nobis propitius propter filium ſuum. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Et ſi Deus fauet, dubium nõ eſt, quin declaraturus ſit ſuo tempore fauorem magna & miranda liberalitate.

Sexta cauſa. Deus obijcit Eccleſiam ſuam ad-
Ioan. 9. uerſis, vt gloria nominis ſui illuſtretur. Neq; hic, inquit Chriſtus, peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſtarentur opera Dei in illo. Ac ſiquidem Deus punit aduerſis & ſupplicijs certa manifeſta ſcelera, reportat gloriam iuſti iudicis. Non ſolùm autem vocatur iuſtus iudex, verùmetiam habet multa alia nomina, videlicet, ſapiens, clemens, omnipotens, verax, & quæ ſunt id genus alia. Solet igitur Deus aduerſa in Eccleſiam ſuam, ac nonnunquam etiam in alienos immittere, vt hæc nomina ſua fiant illuſtria, & excitent homines ad agnitionem Dei, ad timorem Dei, ad fidem & inuocationem ac obedientiam Dei. In Ægypto mandat rex ſeueriter, vt maſculi Iſraelitarum in partu interficerentur. Quod mandatum,

cum

cum neglectum esset, iubet masculos populi Dei in flumen proiici, & aquis suffocari: adultos autem & seniores tàm duris laboribus exercebat, vix vt respirare possent. Hanc calamitatem, si quis ordine, priusquam accideret, Israelitis exposuisset, cùm adhuc recenti Iosephi memoria in Ægypto florerent, nunquid arbitraris eos potuisse aliquid salutis sperare? Certè, aut non credidissent talia futura commemoranti, aut si credidissent, existimassent de salute & incolumitate populi Dei actum fore. Dictum quidem erat quondam ad Abrahamum: Semen tuum peregrinum futurum est in terra non sua, & subijcient eos seruituti & affligent: sed tantam esse venturam in ipsos immanitatem, quis cogitasset? Nihilominus tamen DOMINVS Deus noster permittit hæc accidere, interim autem excogitat modum, quo non solùm seruat populum suum, sed etiam multiplicat eum, ac liberat à tyrannide Regis potentissimi. Illustratur ergo nomen sapientiæ & omnipotentiæ eius, vt in toto orbe cognoscatur, quòd sit Deus sapiens & omnipotens. *Gen. 15.*

In primo libro Regum cap. 4. vincuntur Israelitæ à Philistinis, & Arca propiciatorij abducitur ab hostibus captiua. Hoc, si quis futurum exposuisset Israelitis ante bellum, aut Philistinorum victoriam, maxima pars exclamasset: Hoc si futurum fuerit, actum erit, non tantùm de Israelitis, verùmetiam de vniuersa ipsorum religione. Sed DOMINVS Deus noster inuenit rationem, qua & conseruat suam Ecclesiam ac religionem, & efficit, vt Arca propitiatorij restituatur Ecclesiæ suę maxima nominis sui glo-

nia, & ſumma hoſtium ignominia. Illuſtratur igitur nomen Dei, vt cognoſcatur eſſe verè ſapiens, potens & clemens.

In Macchabæis vides quanta crudelitate, quanta immanitate ſæuiat Antiochus in Iudæos, qui tunc erant Eccleſia Dei. Vrbs Hieruſalem, quæ erat ſedes Eccleſiæ, occupatur à tyranno ethnico & impio idololatra, prohibentur ſacra legitima, prophanatur templum, inſtituuntur idola & ſacra impia, traditur incendio ſacra Scriptura, trucidantur qui legi Dei conſtanter adhærent, trucidantur & mulieres, quæ pueros ſuos circumciderant, ac pueri ſuſpendebantur à ceruicibus ipſarum, denique plurima erat vbique mortis imago. Si hæc fuiſſent Iudæis ante euentum cõmemorata, quis non exiſtimaſſet extremam Eccleſiæ Dei internitionem inſtare? Sed DOMINVS Deus noſter, qui promiſit ſe affuturum afflicto populo ſuo, ea eſt induſtria, potentia, clementia & veritate, vt & tyrannum deijciat, & populum ſuum mirando modo conſeruet. Reportat igitur gloriam non tantùm ſapientiæ & potentiæ, verumetiam clementiæ & veritatis.

Dices: Quomodo gloria nominis Dei illuſtratur aduerſis caſibus populi Dei, cum potius res ipſa teſtificetur, quòd impij hoſtes, conſecuta victoria aduerſus pios, applaudant ſibi de ſua impietate, & paſſam vociferari non vereantur: Vbi eſt Deus eorũ? vbi Chriſtus, de quo gloriantur, quòd Eccleſiam ſuam perpetuò tueatur? vbi Euangelion? vbi precationes eorum? cur non defenderunt eos in his tantis periculis? an non Deus tali victoria quaſi publi-

cum

gum dedit testimonium, nostram religionem esse verissimam, illorum autem esse vanissimam? Hæ & id genus aliæ impiorum vociferationes, non certè videntur esse gloria, sed potius contumelia nominis Dei, & veritatis piæ doctrinæ. At enim inter titulos DOMINI Dei nostri non recitantur hæc tantũ epitheta, miserator, misericors, clemens, sapiens, potens, verax, & id genus reliqua, sed etiam patiens & longanimis. Et aliquoties quidem illustratur nomen misericordiæ, clementiæ, potentiæ, sapientiæ, & veritatis: sed & nomen patientiæ & longanimitatis est illustrandum. Si enim omnes virtutes sunt in Deo perfectissimæ, certè etiam longanimitatis virtus in ipso perfectissima sit, necesse est. Itaq; audit quidem blasphemas impiorum voces, sed quia longanimis est, non solet ad vindictam præcipitanter festinare, sicut homines carnales: sed solet pro diuina sua sapientia opportunum tempus expectare. Cum vnigenitus filius Dei penderet in cruce laceratus & perfossus, quid horribilius, quid magis blasphemum dici potuit, quàm quod tum ab impijs audiebatur: Vah, qui destruis templum, & in triduo reędificas illud, serua temetipsum, si es filius Dei, descende de cruce? Et tamen Deus ad has tam impias voces, ita tum conniuit, perinde ac si filius eius nulli prorsus sibi curæ esset. Sed vt nihil dicam de æterno horum impiorum supplicio, confer quęso cogitationem & oculos tuos ad ea tempora, quibus Titus Imperator expugnauit vrbem Hierusalem. Quas ibi miserias, quas calamitates non viderunt? An non tum reipsa comprobatum est, quòd Deus non solùm

Exo. 34.
Psal. 103.

blaſphemas voces, quas impij aduerſus filium ſuum euomuerunt, audiuerit, verùmetiam tantò ſeuerius in impios animaduerterit, quantò diutius ſupplicij diſtulit. Quare non moueamur impiorum iactantia & blaſphemijs, ſed agnoſcamus loganimitatem Dei, qui vt non ſinit ſuos tentari vltra id quod ferre poſſunt, ita gloriam nominis ſui multò illuſtrius, quàm quiſquam ratus eſſet, opportuno ſuo tempore vindicabit.

Septima cauſa. Deus exercet Eccleſiam aduerſis vt cribretur, & triticum à paleis dignoſcatur. Nam ſi Deus permittit hæreſes aut ſectas eſſe, vt qui probati ſunt, quemadmodũ Paulus ait, manifeſti fiant, multò magis permittit accidere aduerſa, vt conſpicuum fiat, qui verè, & qui non verè credant. Apud *Matth. 13.* Matthæum, ſemen Euangelij ſpargitur in agrum Eccleſiæ, ſed quod cadit in loca ſaxoſa, adumbrat eos, qui excipiunt quidem Euangelion cum gaudio, cum verò ſol exoritur, (hoc eſt) æſtus afflictionis aut perſecutionis inciderit, offenduntur & deficiunt. Etſi autem ſeparatio bonorum à malis, tum demum perfectè fiet, cum DOMINVS venerit ad iudicandos viuos & mortuos, interea tamen temporis libet ipſi aliquoties ventilabrum afflictionis in manum ſumere, & aliquod ſpecimen excuſsionis palearum à tritico ædere: idq; non hoc conſilio, vt ipſe iamprimũ diſcat ſuos agnoſcere, qui enim eſt cordium ſcrutator, nouit, qui ſint ſui: ſed vt verè pij fiant ſibi ipſis noti, & comperiant reipſa filium Dei verè eſſe viuificatorem & ſeruatorem. In Pſal. 94. dicitur: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſola-

consolationis tuæ lætificauerunt animam meam. Et 2. Cor. 1. Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Quanquam enim perfecta consolatio tum demum pijs contingit, cum mortale hoc induerit immortalitatem, tamen in hoc seculo accipiunt in aduersis suis primitias consolationis, per Christum filium Dei, cuius nomine lætificantur in doloribus, vt habeant intra se viuum testimonium, quòd filius Dei, DOMINVS noster Iesus Christus sit verus viuificator & seruator. Qui nõ exercentur afflictionibus, nec tentantur, nullam habent cœlestis consolationis aut viuificationis notitiam & experientiam: qui enim non est tentatus, quid scit? Quare, cum Deus cribrat Ecclesiam suam aduersis, sciamus eum illud agere, vt qui verè pij sunt, accipiant etiam in hoc seculo, & in medijs afflictionibus aliquem futuræ felicitatis gustum. *Eccles. 34.*

O graua causa. Deus permittit impios, oppressis pijs, vincere & dominari, vt impij propter obstinatam suam impietatem & impœnitentiam excæcentur, & iniquitates suas compleant, ac tandem æterna & digna factis suis supplicia accipiant. In diem perditionis, inquit Iob, seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Et in Psalmo: Ecce ipsi (inquit) peccatores, & tamen felices sunt in hoc seculo: obtinuerunt diuitias. Et mox: Veruntamen propter dolos posuisti eis, hoc est, constituisti eos in lubrico, seu precipitio, vt quò altius extolluntur, eò grauiori lapsu ruant. Et in Prouerb. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur Spiritus, (hoc est) *Iob. 21.* *Psal. 72.* *Prouer. 16.*

impij

impij, cum extolluntur & ſuperbiunt, proximi ſunt
Hier. 12. deiectioni & ruinæ. Et Hieremias: Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt? Et mox reſpondet: Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in diem occiſionis, (hoc eſt) quemadmodum boues & porci ſaginantur, non ipſorum cauſa per ſe, ſed ad lanienam vt mactentur, ita impij fruuntur felicibus rerum ſuarum ſucceſſu, vt deijciantur in perpetuam infelicitatem. Quare pij præſtant Deo gratiſsimum cultum, ſi interea, dum impij ſaginantur & exaltantur, deiectionem ſuam obedienter ſuſtineant, donec DOMINVS impijs ſufficienter ſaginatis incipiat eos, ad declarandam potentiam & ſeueritatem ſuam, mactare, & in barathrum æternæ damnationis præcipitare.

Nona cauſa. Deus affligit piam ſuam Eccleſiam, vt perſpicuum fiat, quanta ſeueritate Deus ſit puniturus impios. In Hieremia cap. 25. dicitur: Ecce in ciuitate, in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & vos quaſi innocentes & immunes
1. Pet. 4. eritis? Et Petrus: Tempus eſt, inquit, vt iudicium à domo Dei incipiat. Quòd ſi primum incipit à nobis, quis erit finis eorũ, qui non credunt Euangelio Dei? Et Chriſtus ipſe in ſua paſsione dicit: Si hoc in ligno viridi, quid fiet in arido?

Decima cauſa. Deus affligit populum ſuum, vt excutiat ipſis carnalem ſecuritatem, & doceat eos, non aliena interceſsione, ſed ſola gratuita clementia Dei confidere. Extant enim in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis exempla, quibus aliena interceſsio

ita

ſta commendatur, vt Deus propter eam, etiam impijs & extrema meritis benefaciat. In Gen. cap. 18. dicit DOMINVS ad Abrahamum: Si inuenero Zodomis decem iuſtos, non delebo propter decem. Quoties Moſe ſeruat ſua interceſsione Pharaonem & Iſraelitas, etiam internitionem meritos. In priori libro Samuelis cap. 7. Propheta Samuel liberat ſua interceſsione Iſraelitas à Philiſtinis. In Actis Apoſtolicis cap. 27. donantur vni Paulo ducenti ſeptuaginta ſex homines, ne naufragio pereant. In Eccleſiaſtica hiſtoria, milites Chriſtiani impetrant exercitui Cæſaris Marci Aurelij, qui maxima parte ex Idolatris conſtabat, in ſumma ſiti, pluuiam & victoriam aduerſus hoſtes. Poſſent autem homines arbitrari, hæc & id genus alia exempla proponi, vt liceat nobis ſecuris aliena interceſsione confidere, ac noſtrum ipſorum officium deſerere. Sed ne his exemplis abuteremur, ſolet Deus aliquoties populum ſuum nulla alienæ interceſsionis ratione habita, affligere, vt aſſuefaciat eos ſuum ipſorum officium facere, & ſola gratuita Dei clementia confidere. Et extant alia diuerſa exempla. Neq; enim ſeptem illa millia virorum, qui non curuauerant genua ſua ante Baal, neq; Elias ipſe, neq; centum Prophetæ, quos Abdias clàm pauerat, potuerunt Iſraelitas à publica rerum penuria & fame ſeruare. Et ad Hieremiam dicitur: Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, nō eſt anima mea ad populum iſtum. Quid ergo ſibi vult DOMINVS Deus noſter, quòd nunc quidem parcat etiam nocentibus, propter aliorum interceſsionem, nunc autem nullam prorſus habeat talis in-

Exo. 9. 17. Num. 14.

Euſeb. lib. 5. cap. 5.

Hiere. 15.

terceſsionis rationem? Non eſt quidem inquirendū curiosè in iudicia Dei, quæ vult ipſe à nobis abſcondita eſſe, nec eſt Deo ex aduerſo reſpondendum: ſed pars officij eſt illa cognoſcere, quæ Spiritus ſanctus in ſacra Scriptura nobis cognoſcenda tradit. Docet igitur Scriptura, quòd pij tantæ ſint curæ Deo, vt non ſolùm capillos capitis ipſorum in numerato habeat, & ipſis ſolis benefaciat, verùmetiam
Gen. 12. benefaciat alijs propter ipſos. Benedicam, inquit DOMINVS ad Abrahamum, benedicentibus te. Et in Decalogo: Faciens miſericordiam in millia, his, qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. Itaq; cùm alijs aliorum interceſsione benefacit, agnoſcamus immenſam Dei clementiam & bonitatem, & excitemur ad ardentius pietatis ſtudium. Si autem viſum fuerit DOMINO, in inferendis aduerſis pergere, ac nullam alienæ interceſsionis rationem habere, non accuſemus eum crudelitatis, ſed agnoſcamus tàm libertatem, quàm ſeueritatem eius, & ſciamus, quòd quicquid fiat, certè Deus ſemper cõplectatur & tueatur credentes in ipſum, ſumma cura
Ezech. 14. & fauore: Cum peccauerit terra, inquit DOMINVS apud Ezechielem, vt præuaricans præuaricetur, extendam manum meam ſuper eam. Ac mox: Et ſi fuerint in medio eius tres viri iſti Noë, Daniel & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. Et Petrus: Nouit (inquit) DOMINVS, pios è tentatione eripere, iniuſtos autem in diem iudicij puniendos ſeruare. Quare, officium exigit quidem, vt nos mutuò
Rom. 15. *2. Cor. 1.* ad preces exhortemur, & alius alium orationibus iuuemus, non eſt autem interea in noſtra vocatione ſtertens

ſtertendum, & alieno auxilio confidendum, ſed collocanda eſt omnis ſpes in ſola gratuita clemẽtia Dei per Ieſum Chriſtum, vt quæcunq; aduerſa acciderint, ſeruemur.

Recenſuimus hactenus aliquot cauſas, cur Deus conniueat, vt impij exaltentur, & in hoc ſeculo, potentia, maieſtate, victoria, diuitijs, & omni genere corporalium bonorum illuſtrentur, pij autem, etiam in optimis cauſis opprimantur & obſcurentur. Poſſent quidem & aliæ cauſæ commemorari, ſed hæ in præſentia ſufficiunt, vt cognoſcamus, quòd etſi afflictiones exortæ ſunt in hoc mundo propter peccatum, & omnes homines ſunt peccatores, ac ſi DOMINVS obſeruauerit iniquitates, inuenit in omnibus hominibus, quod tàm corporali, quàm æterno ſupplicio puniat, non tamen reſpiciat ſemper in affligendo homine peccatum, nec approbet, quòd hypocritę, quales erant amici Iobis, condemnent peccati, ad tuendam iuſtitiam Dei, hominem afflictum, propterea quòd ſint multæ aliæ grauiſsimæ cauſæ, præter peccatũ, propter quas Deus iuſtè queat etiam innocentiſsimos homines affligere. Quare pij debent quidem ſemper in omnibus ſiue proſperis, ſiue aduerſis ſua peccata coram Deo agnoſcere, non autem debent propter afflictionem ſtudium veræ pietatis abijcere, & quod rectum eſt, prauũ iudicare, ſed potius cogitare, ſe in ærumnas, optimo Dei conſilio conijci, quas, ſi ex fide obedienter ſuſtinuerint, dubium non eſt, quin pro ſemuncia afflictionis, receperuri ſint centumpondium gloriæ in æterna felicitate. 2. Cor. 4.

Sed de altera huius Psalmi parte hactenus. Accedamus nunc ad tertiam eius partem.

23. *Exurge, quare obdormis DOMINE? Euigila, ne proijcias in æternum.*
24. *Quare faciem tuam abscondis? obliuisceris afflictionum & ærumnarum nostrarum?*
25. *Quoniam deiecta est ad puluerem anima nostra, adhæret terræ venter noster.*
26. *Exurge, adiuua nos, & redime nos, propter bonitatem tuam.*

Hæc est tertia & postrema pars huius Psalmi, quę continet precationem. Ac initio cum precatores vertunt se in inuocatione sua ad DOMINVM Deum nostrum, non existimes ipsos sentire, quòd DOMINVS ita sit inuocandus, vt liceat vnà cum ipso inuocare vel Patriarchas, vel Prophetas, vel Apostolos, vel alios sanctos mortuos: sed quòd solus ipse DOMINVS noster sit inuocandus, & nullus alius vel angelus vel homo. Sicut enim DOMINVS
Esa. 45. de maiestate sua per Esaiam dicit: Nunquid nõ ego DOMINVS, & non est vltrà Deus absq; me? Et: Ego Deus, & non est alius: ita & intelligendum eũ de nominis sui inuocatione dicere: Nunquid non ego inuocandus sum, & non est alius absq; me inuocandus? Ego inuocandus, & non alius. Quare idolamanitæ sunt, qui in aduersis alium, præter solum DOMINVM Deum nostrum inuocant. Deinde, quòd precatores sic alloquuntur Deum, perinde ac si dormiret: Exurge, inquiunt, quare obdormis Domine?

mine? Euigila, non sentiunt Deum somno, sicut homines, corripi, aut ærumnarum Ecclesiæ suæ humano more obliuisci: Ecce, (inquit) non dormitabit, *Psal. 120.* neq; dormiet, qui custodit Israel. Et iterum: Nunquid obliuisci potest mulier infantis sui, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa obliuiscitur, ego tamen non obliuiscar tui. Sed illa loquendi forma exponunt coram Deo vehementiam affectus sui: quòd cum non dubitent de summa vigilantia & cura DOMINI erga Ecclesiam suam, ac certò confidant, Deum ipsos his præsentibus malis liberaturum, (nisi enim hac fide præditi essent, Deum non inuocarent) cupiant ingenti desiderio, quàm citissimè propter malorum magnitudinem liberari. Itaq; his verbis exprimunt magis ardorem humani sui ipsorum desiderij, quàm quod Deo aliquid humani attribuant. *Esa. 49.*

Præterea, quòd precatores non sint contenti vno exurgendi & obliuiscendi verbo, sed subinde ea repetant & iterent, non est superuacanea ταυτολογία, sed afflicti cordis in precatione assiduitas. Significant enim precatores his verborum repetitionibus, se nõ oscitanter, non aliud agentes, sed magna animi contentione, ac sine vlla intermissione diuinam opem implorare. Increduli, si verba precum semel & iterum recitauerint, & non continuò præsens auxiliũ senserint, abijciunt inuocationem Dei, & vertunt se ad quęrenda aliena auxilia. Oportet autem, vt apud *Luc. 18.* Lucam dicitur, semper orare, nec defatigari. Quare precatores repetunt subinde in hoc Psalmo eadem verba, & instant ac vrgent, vt significent se precando non defatigari, ideoq; vel tandem, si non propter

ſuam dignitatem, at certè propter improbitatem ſuam & neceſsitatem exaudiantur.

Sed quæſo te, cuius rei fiducia inuocant precatores huius Pſalmi diuinam opem? Num fiducia ſuæ innocentiæ? Recitarunt quidem antea ſuam innocentiam, non autem recitarunt eam, vt ſignificent ſe ea coram tribunali Dei confidere, & merito eius auxilium petere, quis enim in conſpectu Dei ſua ipſius innocentia iuſtificatur? Sed vt confirment fidem ſuam de promiſsione, qua Deus recepit ſe afflictis, & propter nomen ſuum oppreſsis, ope ſua affuturũ. In petitione enim diuinorum beneficiorum omninò recitandum eſt ex animo illud Pſalmi: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini TVO da gloriam. Et illud Danielis: Nobis confuſio faciei, tibi autem DOMINO Deo noſtro miſericordia & propiciatio. Ac mox: Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Vnde & in noſtro Pſalmo in fine additur: Propter bonitatem ſeu beneficentiam TVAM. Hæc appendix non eſt oſcitanter intuenda. Precatores enim vna hac voce beneficentiæ, quæ eſt gratuita Dei clementia, compræhendunt omnes rationes, quibus in hoc Pſalmo vſi ſunt, & ad fidem ac inuocationem excitati, & quibus certiſsima ſpe impetrandi tenentur. Primũ enim recitarunt initio Pſalmi vetera beneficia, quæ Deus olim in Eccleſiam populi ſui contulit. Beneficentiæ autem Dei eſt, vetera beneficia nouis cumulare. Dona, inquit Paulus, & vocatio Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum illum pœnitere non poſsit. Et iterum: Si increduli ſumus, ille

Pſal. 113.

Danie. 9.

Rom. 11.

2. Tim. 2.

ille fidelis manet, negare seipsum non potest. Quare, cum precatores inuocant Deum propter beneficentiam suam, significant se confidere non suis meritis, sed tantùm gratuita clementia Dei, vt qui antea liberaliter & misericorditer contulerit multa & magna beneficia in Ecclesiam suam, ne nunc quidem veteris, & toties confirmatæ & expertæ suæ beneuolentiæ obliuiscatur. Deinde recitarunt præsentes suas afflictiones, ærumnas & oppressiones: Nunc repulisti nos, inquiunt, & confudisti nos. Et mox: Deiecta est in puluere anima nostra, (hoc est) sumus prorsus abiecti & oppressi. Beneficentię autem Dei est, afflictis opem ferre, & oppressis subuenire. Precatores igitur, admonentes Deum beneficentiæ suæ, significant se confidere ijs promissionibus, quibus Deus recepit se afflictos & oppressos clementer seruaturum & liberaturum.

Præterea recitarunt suam innocentiã: Hæc omnia, inquiunt, venerunt super nos, & tamen non sumus tui obliti, nec iniquè egimus in testamento tuo. Beneficentię autem Dei est, vt innocentibus succurrat. Faciens, inquit alius Psalmus, misericordias DOMINVS, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Et rursus: Qui custodit veritatem in seculũ, facit iudicium iniuriam patientibus. Quare, cum precatores appellant ad beneficentiam Dei, significant se commemoratione suæ innocentię non fidere sua ipsorum iustitia, quemadmodum suprà demonstrauimus: sed fidere gratuitis illis promissionibus, quas Deus iniuriam patientibus proposuit. Deinde exposuerunt se pati ab impijs aduersarijs persecutionem,

Psal. 102.

Psal. 145.

nem, non propter ſua aliqua ſcelera aduerſus impios deſignata, ſed propter doctrinam Dei, quam profitentur, & propter gloriam nominis Dei, quam illuſtrare & ad poſteros propagare ſtudent. Propter TE, inquiunt, morti tradimur ſingulis diebus, & habemur veluti oues mactationi deſtinatæ. Beneficentiæ autem Dei eſt, pios & ſtudioſos gloriæ nominis ſui, oppreſsis & extinctis impijs conſeruare, & gloriam nominis ſui tueri. DOMINVS, (inquit Pſalmus) amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur: Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit. Et in Eſaia: Propter me, dicit DOMINVS, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Quare, cum precatores faciunt mentionem beneficentiæ Dei, ſignificant ſe ex eo, quòd Deus non ſinat gloriam nominis Dei ab impijs perpetuò ſordidari & cõculcari, certiſsimam ſpem liberationis concepiſſe.

Poſtremò, vertunt ſe precibus ſuis ad ſolum DOMINVM Deum noſtrum, & inuocant eum verè ac ex animo. Exurge, inquiunt, DOMINE, & adiuua nos & redime nos. Beneficentiæ autem Dei eſt, preces Eccleſiæ ſuæ exaudire. Inuoca me (inquit) in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Et iterum: Propè eſt DOMINVS omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate. Admonent igitur precatores Deum beneficentiæ ſuæ, vt ſignificent, ſe firmam habere fidem promiſsionibus eius, de piarum precum exauditione: nec dubitare, quin Deus ſit factis præſtiturus, quod verbis ſe facturum recepit. Habes, quàm latè pateat vocabulum bonitatis ſeu

tis seu beneficentiæ Dei, propter quam precatores sperant & confidunt se exaudiendos.

VSVS HVIVS PSALMI.

Principio, hic Psalmus est memorabile & insigne exemplum, quo probatur, DOMINVM Deum nostrum esse liberrimum agens, nec pati se in angustos humanæ sapientiæ carceres includi. Nam, cũ Deus prædicetur iustus, imò iustitia ipsa, arbitrantur homines amittere eum nomen & laudem institiæ, si quenquam præter meritum peccati afflixerit. Hic autem Psalmus recitat exemplum, quo precatores apertè fatentur, se oppressos esse nulla peccati sui causa, sed tantũ propter nomen Dei. Et tamen Deus retinet perpetuò nomen & gloriam iusti. Sentiamus igitur afflictiones non tantùm propter peccatum & ex ira Dei accidere, sed multas alias esse causas, propter quas Deus Ecclesiam suam aduersis obijciat, idq; nulla planè ira, sed summa beneuolentia & fauore. Quas causas, cùm supra copiosè recensuerimus, superuacaneum est hîc repetere. Deinde hic Psalmus excitat nos, vt diligenter inquiramus & perscrutemur argumenta ac rationes, quibus Deum in precationibus nostris persuadeamus, & impetremus, vt quod petimus beneficium, liberaliter in nos conferat. Magna & admiranda est illius hominis eloquentia, qui potest oratione sua permouere homines, vt quemcunq; instituerit, animi affectum suscipiant, & voluntati suæ obsequantur. At multò maior & admirabilior est istius eloquentia, qui potest

oratione ſua DOMINVM Deum noſtrum omnipo-
tentem permouere, & perſuadere, vt quod petit, im-
petret, & quod cupit, aſſequatur. Agitedum igitur,
ſuſcipiamus ſtudium huius eloquentiæ, & cognoſca-
mus eas rationes, quibus poſsimus Deum in ſenten-
tiam animi noſtri ita pertrahere, vt quod volumus
& petimus, clementer & prompte nobis exhibeat.
Supplicationes vocant, quas ſubditi ſolent principi-
bus ſuis offerre, vt ijs beneuolentiam principis ca-
ptent, & beneficia impetrent: ſed hæc hominum be-
neficia ſunt terrena & vanitati obnoxia. Diſcamus
igitur facere ſupplicationes, quas DOMINO Deo
noſtro offeramus, & quibus eum perſuadeamus, vt
conferat in nos beneficia cœleſtia & æterna.

Priuſquam autem oſtendamus locos, è quibus pe-
tenda ſunt argumenta cœleſtis ſupplicationis, ſcia-
mus ante omnia neceſſarium eſſe, vt qui cum ſuppli-
catione ſua acceſſurus eſt ad Deum, adoptatus ſit in
filium Dei, per fidem in Ieſum Chriſtum: aut ſi pro-
pter peccatum exhæredatus eſt, reuertatur ad De-
Pſal. 108. um per pœnitentiam. Non enim patet impio, nec
impœnitenti acceſſus ad thronum Dei: Oratio eius,
Eſa. 1. inquit, fiat in peccatum. Et cum extenderitis manus
veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cum multi-
plicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim
veſtræ ſanguine plenę ſunt. Quare oblaturi ſuppli-
cationem noſtrã DOMINO Deo noſtro, curæ nobis ſit
ante omnia, vt audito Euangelio Chriſti, credamus
Chriſtum impetraſſe nobis adoptionem filiorũ Dei,
aut ſi propter peccata iterũ abiecti à Deo videmur,
agamus veram pœnitentiam, vt ab acceſſu ad thronũ
Dei non excludemur.

Sed

Sed de ſupplicatione ipſa facienda nunc dicendū eſt. Nam vt conficiamus efficacem ſupplicationem, neceſſarium eſt, vt cognoſcamus naturam, ingeniū, affectum & voluntatem Dei: Si quid, inquit Ioannes, petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Cognoſcimus autem ingenium & voluntatem Dei ex promiſsionibus eius, quæ ſummatim compræhenduntur ijs nominibus, cognominibus & epithetis, quæ tribuit ei Spiritus ſanctus. Quare nomina & epitheta Dei diligentiſsimè ſunt cognoſcenda, vt ex ipſis ducamus argumenta & rationes, quibus ſupplicatio noſtra fiat coram Deo efficax, & impetret, quod petendum inſtituimus. *1. Ioan. 5.*

Ac initio. Nomen ſeu epitheton Dei eſt, Pater. Agnoſcit enim Iſraelem, (hoc eſt) Eccleſiam ſuam, vt pater filium: Filius meus, inquit, primogenitus, Iſrael. Et apud Eſaiam: Tu Domine PATER noſter & redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum. Sed Deus miſit illo maximè omnium conſilio naturalem & vnigenitum filium ſuum in hunc mundum, vt teſtificaretur, ſe verè eſſe patrem populi ſui, & adoptare eos in filios: Vbi venit (inquit Paulus) plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, & adoptione ius filiorum acciperemus. Precaturi igitur & inuocaturi Deum, producamus in medium nomen PATRIS, & appellemus Deum conſtanti & firma fiducia PATREM. Sic enim vera fide appellatus, teneri non poteſt, quin omnem paternam benevolentiam precatori exhibeat. Quis eſt, inquit Chriſtus, ex vobis pater, à quo, *Eſa. 64.*

ſi filius petierit panem, num lapidem dabit illi? aut ſi piſcem, num pro piſce ſerpentem dabit? aut ſi ouum, num porriget illi ſcorpium? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs veſtris, quantò magis PATER veſter cœleſtis dabit poſcentibus ſe Spiritum ſanctum. Sic Chriſtus ipſe vtens hoc PATRIS epitheto orat: Pater, inquiens, venit hora, glorifica filium tuum, vt filius te glorificet. Quod aũt orauit, etiam impetrauit, aſſecutus gloriam & nomen ſupra omne nomen. Sic & nos orare aut ſupplicare docuit: Pater noſter qui es in cœlis. Non docuit nos Deum appellare patrem honoris tantùm gratia, ſed vt hoc vocabulo ſignificaret impetrationis certitudinem.

Deinde, Deus vocatur miſericors, beneficus, reſpector afflictorum, pater orphanorum, exaltator humilium, ſaluator contritorũ, adiutor in neceſsitatibus, medicus, & multa id genus alia. In Exo. ca. 34. Et Pſal. 102. recitantur diſertè illa epitheta Dei, miſericors, clemens, & multæ miſerationis ſeu beneficentiæ. Item Exo. 15. Ego ſum Deus medicus tuus. Et Pſal. 9. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Ac iterum: Tibi derelictus eſt pauper, Orphano tu eris adiutor. Ac rurſus Pſal. 50. Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Et Pſal. 101. Proſpexit de excelſo ſancto ſuo, DOMINVS de cœlo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptioni deſtinatos. Et Eſa. 57. Habitat cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Quare,

ſi vo-

si volueris Deo offerre efficacem supplicationem, exponas ei tuam miseriam, tuas ærumnas, tuos morbos, calamitates, abiectionem, oppressionem, summam & extremam tuam necessitatem, ac admoneas eum firma fide, nominum & epithetorum eius, vt nō patiatur ea esse vana, & inania. Quid enim magis conuenit misericordi, quàm vt subueniat miseriæ? Et quod tempus adiutori in necessitatibus, ad ferendam opem aptius est, quàm cum afflictus extremis periculorum necessitatibus compræhenditur?

Adhæc, nomen Dei est verax in promissis. Ro. 3. Deus est verax, omnis autem homo mendax. Et aliâs: Deus fidelis est, seipsum negare non potest. Et Psal. 117. Veritas DOMINI manet in æternum. Ac Psal. 119. Principium verborum tuorum veritas, hoc est, tota summa tuarum promissionum constat veritate. Promisit autem Deus se remissurum peccata propter Christum filium suum, promisit se exauditurum omnes inuocantes ipsum ex fide: Prope est DOMINVS inuocantibus eum, inuocantibus ipsum in veritate. Promisit se seruaturum Ecclesiam suam in medijs periculis: Cum transieris per aquam, (inquit) tecum ero, & flumina non operient te. Cū ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego DOMINVS Deus tuus, sanctus Israel, saluator tuus. Admoneas igitur Deum in supplicatione tua veritatis promissionum suarū, nec dubites, quin sis consecuturus diuinam opem ac liberationem, etiamsi eam non statim corporali sensu percipias. Tali supplicatione conseruauit Moses Israelitas ab interitu: Recordare, inquiens, Abra-

Esa. 43.

Exo. 32.

ham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum, &c. Non supplicat Moses Deo fiducia meriti Patriarcharum, vt imperiti interpretantur, sed fiducia veritatis promissionum, quas Deus ad Patriarchas dixerat. Tali supplicatione rex Iosaphat re-
2. Paralip. 20. portauit victoriã ab hostibus suis Moabitis & Ammonitis. Admonet enim Deum eius promissionis, quæ dicta erat in dedicatione templi, &c.

Præterea Deus vocatur vindex gloriæ nominis sui, videlicet, qui non patiatur, vt impij nomen ipsius impunè blasphement: Propter me, inquit, propter
Ezech. 20. me faciam, vt nõ blasphemer. Et iterum: Feci propter nomen meum, vt non violaretur coram gentibus, ne gentes dicant, vbi est Deus eorum? Quare, cum vides impios applaudere sibi propter suam impietatem ac felicitatem, & propter Ecclesiæ Dei infelicitatem, ac audis eos nomen & doctrinam Dei conuitijs, proscindere & contumelia afficere, proximum est, vt commemores coram Deo in supplicatione tua blasphemas impiorum voces, & concipias certissimam spem, horribile impiorum supplicium in
Exo. 32. propinquo esse. Tali commemoratione vsus Moses pro populo suo, reuocauit Deum ab ira, ne populum
Num. 14. deleret: Vt audiant, inquiens, Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum hunc, & habitatores terræ huius. Et mox: Ac dicant, Non poterat introducere populum, &c. Tali blasphemiarum cõmemoratione abegit Ezechias Saneheribum è terra Iudæ, & seruauit vrbem Hierusalem.

Deinde, Nomen Dei est Saluator. Et hoc est ingeniũm

nium Dei, vt etiamsi affligat, tamen meditetur salutem: percutit enim vt sanet: mortificat vt viuificet: deducit ad inferos vt reducat. Cum igitur magnitudo afflictionum perturbat animum tuum, verte te supplicatione tua ad DOMINVM, ac primùm quidem agnosce afflictiones non incidisse in te fortuitò ac temerè, sed Deo volente & ordinante. Nam, cum sine voluntate eius, ne passer quidem in terram cadat, quomodo potuissent afflictiones absq; ipsius voluntate, in te, qui omnem passerum multitudinem excellis, cadere? Deinde agnosce in afflictionibus nomen Dei, quod est SALVATOR. Hoc enim nomen exponit naturam, ingeniũ & voluntatem Dei, videlicet, quòd Deus in omnibus aduersis, quæ immittit suæ Ecclesiæ, cogitet, non perditionem, sed liberationem, non interitum, sed salutem. Huc respicit Oseas, cum ait: Venite, reuertamur ad DOMINVM, quia ipse discerpsit, & sanabit, percussit, & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, &c.

Sed quid multis opus est? si volueris vno tantùm & altero verbo animum Dei tua supplicatione expugnare, & paucissimis omnia ea, quibus Deus ad adnuendum petitioni pertrahitur, comprehendere, propone ei suppliciter vnigenitum filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, vt propter hunc te respiciat & saluet. In hunc enim vnum & solum, Deus omnem plenitudinem gratiæ, clementiæ, bonitatis, omnipotentiæ, & maiestatis suæ effundit: in hoc vno & solo omnes Dei promissiones, omnia eius pacta & conuenta consistunt. Plenus, inquit Ioannes, gratia & ueritate. Et; De plenitudine eius accipimus

accipimus omnes, gratiam pro gratia. Et iterum: Pa-
ter diligit filium & omnia tradit in manum eius. Et
2. Cor. 1. Paulus: Quotquot sunt promissiones Dei, per ip-
sum sunt etiam, & per ipsum sunt, Amen. Ac rursus:
Ephes. 1. Placui ei recapitulare, (hoc est) summatim cõplecti,
instaurare, & adimplere omnia per Christum, quę in
cœlis sunt, & quæ in terra. Quare, si vnum Iesum
Christum supplicationi tuæ adiunxeris, & Deum
propter Iesum Christum inuocaueris, omnia quæ-
cunq; vel de nomine Dei explicari, vel de volunta-
te & beneuolentia Dei dici possunt, comprehendi-
sti. Ac siquidem affligeris propter peccata, Christus
peccata expiauit, & Deus propter Christum iustifi-
cat seu reputat iustum eum, qui credit in Christum.
Si autem affligeris non propter certum peccatum,
sed propter confessionem nominis Dei & Euangelij
eius, aut propter aliud genus iustitiæ, Christus est,
qui confitetur nomen tuum coram Deo patre suo, &
impetrat omnem salutem.

Porro, vt capita huius cœlestis supplicationis no-
bis sint in promptu, vilum est ea breui tabella ob o-
culos ponere.

Omnipotens & clementissime Deus, pater DO-
MINI nostri Iesu Christi, precor te suppliciter, vt
me in præsenti periculo clementer respicias ac tue-
ris, & fiduciam, quam erga te habeo, Spiritu sancto
tuo augeas, ac omnia consilia & actiones meas gu-
bernes. Nam,

Ego sum { Peccator, & ira tua dignus. } Tu aũt es { Propitius, iustifica tor, placatus pro-pter Christum.

Ego

Ego sum	Miser.	Tu aũt es	Misericors.
	Afflictus.		Afflictorũ respe
	Orphanus & de-		Orphano- (ctor.
	sertus ab omnib.		rum pater.
	Contrito corde.		Contritorũ sana
	Ægrotus.		Medicus. (tor
	Indignus tuis be-		Verax & fide-
	neficijs.		lis.
	Qui audio blas-		Vindex gloriæ
	phemias noĩs tui.		tuæ.
	A te ipso discer-		Sanans, quos di-
	ptus.		scerpis.
	Extrema necessi-		Adiutor in ne-
	tate cõprẽhensus.		cessitatibus.
	Periculo mortis		Viuificator &
	obrutus.		saluator.

Reliquum igitur est, quòd opem tuam certò mihi idfuturam confidenter & patienter expectem.

Pertinet & hoc ad cœlestem supplicationem, vt recipias te pro beneficijs, quæ accepturus es, gratum erga Deum fore, ac laudem nominis eius celebraturum. Hoc enim officiũ præcipuè exigit DOMINVS Deus noster pro beneficijs suis: Laudabo, inquit Psalmus, nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellũ producentem cornua & vngulas. Et iterum: Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me. Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel. *Psal. 69.* *Psal. 71.*

Quòd si ad hunc, quem exposuimus modum, supplicaueris Deo firma fide propter Iesum Christum filium eius, nihil amplius obstabit, quò minus in te
Esa. 65. compleatur, quod DOMINVS in Esaia dicit: Erit antequam clament, ego exaudiam: adhuc loquentibus illis, ego audiam. Etsi enim exauditio videtur in longum reijci, nec continuò fruimur, iuxta externũ sensum, beneficiorum Dei, tamen veniens veniet, vt Propheta ait, & non tardabit. Et vt maximè videatur Deus nos nõ exaudire iuxta carnis voluntatem, exaudit tamen nos iuxta voluntatem spiritus, & nostram vtilitatem. Ac si non contingunt nobis mundana & peritura beneficia, nihil certius est, quàm quòd reposita sint nobis cœlestia & æterna.

Quare prima omnium cura sit, vt siue propter iniustitiam, siue propter iustitiam affligimur, accedamus cum supplicatione nostra ad thronum gratiæ Dei, & iactemus firma fide & pijs precibus omnem sollicitudinem nostram in Deum, certissima spe concepta, quòd qui nos sibi per Christum filium suum charos fecerit, & quem nos salutis nostræ curatorem agnouerimus, declaraturus sit magna nominis sui gloria, se verè illum esse, qui dicitur: Seruator & redemptor noster.

Psalmus

Psalmus 45.

Eructauit cor meum verbum bonum, &c.

Pistola ad Hebræos explicans maiestatem DOMINI nostri Iesu Christi, & anteferens eam excellentiæ omnium angelorū, recitat ex hoc Psalmo duos versiculos. Ad angelos quidem, (inquiens) dicit: Qui creat angelos suos spiritus: & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus, Deus in seculum seculi: virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, vltra consortes tuos. Hoc est præclarum & certum testimonium, quòd hic Psalmus nec de Dauide, nec de Salomone, nec de alio quoquam vel Patriarcha vel Monarcha, sed tantùm de vnigenito filio Dei DOMINO nostro Iesu Christo intelligendus sit. Est autem Epithalamion, (hoc est) carmen nuptiale, in quo summis laudibus effertur Christus tanquam sponsus, & admonetur Ecclesia tanquam sponsa, vt hunc sponsum, non tantùm amore suo complectatur, & propter ipsum deserat patrem & matrem suam, (quod lex coniugij exigit,) verùmetiam veneretur, colat & adoret ipsum, vt verum Deum, & vnicum ac perpetuum suum seruatorem. *Heb. 1.*

1. *Spirat cor meum iucundum carmen, recito ego operationes meas Regi, lingua mea calamus eſt expediti ſcribæ.*

Hic primus verſiculus eſt propoſitio totius Pſalmi, qua cantor exponit inſtitutum ſuum. Suſcipit enim decantandum Epithalamion, ſeu carmen nuptiale, in gloriam & honorem noui ſponſi, regis videlicet, Meſsiæ ſeu Chriſti DOMINI noſtri, in quo carmine laudat & commendat Chriſtum ab eximia pulchritudine & admiranda venuſtate, ab inſigni eloquentia, ab heroica fortitudine, à maieſtate tàm perſonæ, quàm regni eius, à iuſtitia & æquitate, à magnificentia aulæ, & gynecei eius, breuiter ab omni ferè id genus regio ſplendore, vt excitetur ſponſa, quæ eſt Eccleſia, ad mutuum amorem, & ad verum eius cultum atq; adorationem: Eructat, inquit, cor meum, (vt habet vulgata tralatio) verbum bonum, (hoc eſt) ſpirat animus meus rem bonam ſeu carmen iucundum: Statui in animo meo decantare laudes Chriſti, & quod ſtatui corde, hoc etiam ore profiteor, volo enim recitare operationes ſeu lucubrationes meas, quas in honorem regis Meſsiæ meditatus ſum. Nec ſimpliciter recitabo ore, verùmetiam expoliam, ſeu vt Muſici loqui ſolent, colorabo eas lingua mea, vt quemadmodum expeditus & exercitatus ſcriba ſolet ſcriptum ſuum venuſtis characteribus exornare, ita ego hoc carmen lingua mea exco lam. Hæc eſt ſimplex & propria ſententia huius propoſitionis, qua nihil aliud ſignificatur, quàm quòd cantor inſtituerit recitare ſeu decantare carmen en comiaſticon

comiasticon aut epithalamion in laudem Iesu Christi DOMINI nostri, qui est verus & solus sponsus & caput Ecclesiæ suæ, ac exposuit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, & adhiberet eam sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & irreprehensibilis. *Ephes. 5.*

2. *Excellis pulchritudine filios hominum, effusa est gratia in labijs tuis, propterea quòd benedixerit te Deus in æternum.*

Propositionẽ sequitur expositio & ἐγκώμιον virtutũ & maiestatis DOMINI nostri Iesu Christi. Ac primum commendatur à pulchritudine & venustate, qua omnes homines superat: Excellis, inquit, pulchritudine filios hominum. Regem nonnihil cõmendat formæ dignitas, sponsum commendat corporis venustas. Christus autem rex & sponsus, quem hic Psalmus prædicare instituit, etsi dubium nõ est, quin quod ad corporis conditionem attinet, honesta fuerit forma præditus: in hoc autem versiculo non fit mentio de corporali eius forma, sed de spirituali & cœlesti. Christus non est terrenus seu rex seu sponsus, sed cœlestis, cuius aliquo modo specimen dedit in monte, cùm coram tribus suis discipulis transformaretur. Quare, quod hîc de pulchritudine & venustate dicitur, intelligendum est de cœlesti pulchritudine: Christus enim pulcherrimus est inter omnes filios hominum, quòd non sit tantùm homo, sed etiã Deus, qua pulchritudine superat omnes, tàm homi-

nes, quàm angelos. Quid igitur venuſtate eius excellentius? Nam, quod apud Eſaiam cap. 53. de Chriſto dicitur: Non eſt ei ſpecies, neq; decor, non eſt intelligendum de cœleſti eius maieſtate, qua vt Deus ab æterno ſplenduit, & vt homo ab initio cõceptionis, ex vnione, cum Deo, perſonali ornatus fuit: ſed intelligendũ eſt, de exinanitione ſua, qua obediens fuit Deo patri vſq; ad mortem crucis, & qua, ceu gradu ad illuſtrationẽ diuinæ ſuę maieſtatis conſcendit.

Deinde commendatur ab eloquentia: Effuſa, inquit, eſt gratia in labijs tuis, ſermo tuus perfuſus eſt omni gratia, verba tua conſtant ſumma eloquentia. Ac ſiquidem ſermo fuerit de ciuili eloquentia, in qua apud Græcos Demoſthenes, & apud Latinos Cicero principes habentur, non eſt obſcurum, quòd Chriſtus ſicut nõ fuit corpore Giganteo, ſed mediocri, nec fuit externa pulchritudine ad prodigiũ vſq; venuſta, ſed honeſta, ita etiam fuit eloquentia mediocri, quantum ad peragendum ſuum miniſterium in his terris ſatis erat. Quanquam enim potuiſſet eloquentia in ſermone ſuo omnes huius ſeculi oratores ſuperare, & pluſquam angelica lingua loqui, tamẽ quia exinaniuerat ſemetipſum, forma ſerui ſumpta, maluit loqui vſitato ſuæ gentis more, quàm cœleſti maieſtate.

Matth. 7. Teſtatur quidem Euangeliſta, quòd turbæ obſtupuerint ſuper doctrina eius, & docuerit velut habens autoritatem, & non ſicut Scribæ. Et apud Ioannem, miniſtri Pontificum ingenuè fatentur, numquam ſic locutum eſſe hominem, ſicut hic homo: ſed externus eius ſermo, vt maximè ſuperauerit elegan-

Ioan. 7.

tia

tiã ſua inſulſitatem Scribarum, tamen non reſpondit fortaſsis ex omni parte Rhetorum præceptis, nec enituit Oratorũ floſculis. Quare, quod hîc dicitur: Diffuſam eſſe gratiam in labijs Chriſti, intelligendũ eſt propriè de ipſa Euangelij prædicatione, quæ etſi Iudæis eſt offendiculum, & Græcis ſtultitia, tamen *1. Cor. 1.* eſt potentia Dei, vt Paulus ait, ad ſalutem omni cre- *Roma. 1.* denti. Magna virtus eſt, fateor, eloquentiæ ciuilis, & habet in rebus humanis ſuam laudẽ & energian. Prædicatio autem Euangelij, vt maximè eſt ſermone horrido & inculto, organon tamen eſt Spiritus ſancti, quo comparatur æterna iuſtitia & vita. Hæc eſt illa eloquentia, qua Chriſtus filius Dei vſus eſt, non ſolùm, cùm ipſe coràm in his terris ſuo miniſterio defungeretur, verùmetiam cum ab initio orbis, per Patriarchas & Prophetas, ac poſt reſurrectionẽ ſuam, per Apoſtolos in vniuerſam terram emiſſos, Eccleſiam ſuam colligeret, iuſtificaret, & æterna felicitate ſeruaret. De qua etiam Eſaias concionatus *Eſa. 50.* eſt, apud quem Chriſtus ita dicit: DOMINVS dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo. Et iterum: Spiritus DOMINI ſuper *Eſa. 60.* me, eò quòd vnxerit me. Ad prædicandum Euangelion afflictis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. Ac breuiter: Euangelion Chriſti eloquentia illa eſt, qua peccatores ad iuſtitiam traducuntur, afflicti conſolatione exhilarantur, mortui ad vitam reuocantur, & coniecti in dolores inferni, eripiuntur, ac in cœlo collocantur. Adhibeamus igitur ſummũ in hac eloquentia audienda & cognoſcenda ſtudium,

ſtudium, vt fructum eius, qui eſt æterna iuſtitia & vita, percipiamus.

Sed vnde, inquies, Chriſto tanta venuſtas & eloquentia? Sequitur: Propterea quòd benedixerit te Deus in æternum. Chriſtus ornatus eſt inſigni præ omnibus hominibus, & miranda pulchritudine ac eloquentia, quia Deus benedixit eum in æternum. Nam ſi diuinitatem eius conſideraueris, ſicut natus eſt ab æterno à Deo patre, ita etiam poſsidet ab æterno omnem benedictionem, imò æterna ipſa eſt benedictio, quòd eiuſdem ſit cum Deo patre ſuo eſſentiæ. Si autem conſideraueris eum ſecundum humanitatem, quam in plenitudine temporis, in eandem perſonam ex Maria virgine aſſumpſit, negari non poteſt, quin quam benedictionem poſſedit ab æterno à Deo patre ſuo, eam etiam effuderit perſonaliter in ſuam humanitatem, vt nullum ſit genus benedictionis, quod filius Dei non habeat cum ſua humanitate commune. Quare, cum inter genera cœleſtis benedictionis, venuſtas & eloquentia ſuum habeant locum, non eſt mirandum, quòd effuſa ſint diuinitus in Chriſtum præ omnibus alijs, ſiue angelis, ſiue hominibus, opulentè & ſine vlla menſura. Porrò autem, quemadmodum filius Dei nõ ſibi tantùm, verùmetiam nobis homo factus eſt, ita & non ſibi tantùm benedictus, hoc eſt, venuſtus & eloquens eſt, ſed etiam nobis: de plenitudine enim eius accipimus nos omnes. Quare, ſi crediderimus in eum, ornamur & nos tanta venuſtate, vt condonatis peccatis, habeamur in cõſpectu Dei, propter Chriſtum, iuſti, & donemur cœleſti felicitate: Qui enim proprio

prio filio non pepercit, inquit Paulus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri posset, vt non & cũ eodem omnia nobis donârit? Quod de venustate dictum est, idem dicendum erit de eloquentia. Si enim credimus in Christum, tantum eloquentiæ donũ nobis contingit, vt etiamsi coram hominibus simus vel infantes, vel elingues, tamen simus coram Deo tam facundi oratores, vt quicquid à Deo propter Christum petierimus, impetremus: Si manseritis (inquit) in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis. Ac iterum: Amen amen dico vobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. *Roma. 8.* *Ioan. 15.* *Ioan. 16.*

3. *Accinge gladium tuum ad latus, ô heros, Hæc est laus tua & magnificentia tua.*
4. *In hac tua magnificentia feliciter promoue & progredere, vt adnuncietur veritas, & vt contingat afflictis iustitia, ac dextera tua conficiat miranda.*
5. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in medio inimicorum regis.*

Mutatio personæ. In medio inimicorum regis, hoc est, in medio inimicorum tui Christi.

Alia commendatio Christi ab heroica eius fortitudine. Vocatur enim Christus hoc loco, & Esa. 9. גבור Gibbor, quem Græci vocant ἥρωα heroem, qui non fit simpliciter corpore robustus, sed tanta animi magnitudine præditus, vt nihil extimescat, nec teneri possit, quo minus omnibus oppressis & iniuriam patientibus opem ferat, & ab omnibus, quos aggreditur, hostibus, insignem victoriã reportet. Hortatur ergo Psaltes hunc heroem, vt pro excellentissi-

ma ſua fortitudine expergiſcatur, accingat gladium lateri ſuo, & capiat arma. Hæc enim eſt heroica laus & magnificentia, non vt domi otioſus ſtertat, ſed vt armis ſuis ciues ab alienis iniurijs tueatur, & hoſtes aut depellat, aut opprimat, quod aliâs dicitur: Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Nos igitur non optamus tantùm, ſed etiam certò ſperamus, vt hac tua magnificentia & heroica fortitudine feliciter promoueas, & efficias, vt veritas Euangelij tui, inuictis omnibus etiam inferorum portis, proſperum habeat ſucceſſum, & omnes afflicti ac oppreſsi conſequantur iuſtitiam, quam hactenus eſurierunt & ſitierunt. Ea enim eſt magnitudo animi tui, vt non dubitemus, quin dextera & potentia tua confecturus ſis ſtratagemata miranda & ſtupenda. Id etiam eſt acumen ſagittarum tuarum, vt quoſcunq; populos ijs attigeris, accidant tibi, etiam in medio inimicorum tuorum exercitu, ad genua, & dedant ſeſe totos tuæ voluntati ac poteſtati.

Quod ergo Pſalmus his verſiculis de heroicis ſtratagematis Chriſti futurum vaticinatur, hoc Chriſtus reipſa ita perfecit, vt eo in toto orbe terrarum nihil ſit decantatius. Non iam loquor de inſignibus illis miraculis, quibus mundauit leproſos, cæcis reddidit viſum, paralyticos & claudos reſtituit ſanitati, adeoq; excitauit mortuos, quæ & ipſa tã heroica ſunt ſtratagemata, vt nullus vnquam fuerit vel Patriarcha vel Monarcha, qui huiuſmodi miranda opera peregerit: ſed loquor de officio & miniſterio eius, propter quod de cœlo in terram miſſus, (hoc eſt) homo factus eſt. Primùm enim ſuſcepit excelſo & inuicto

victo animo bellum, non carnale, pro more regum huius terræ, sed spirituale, contra peccatum, mortem & sathanam. Etsi enim terreni hostes sua possunt corporibus & facultatibus terrenis incommoda afferre, tamen hæc non sunt tanti momenti, vt extremam inferant calamitatem: & possunt in his terris aliquo modo compensari. quæ autem incommoda afferunt non vni tantùm, & alteri seu homini seu regioni, verùmetiam vniuerso humano generi peccatum, mors & sathan, ea longè omnium maxima sunt, & perpetuò durant. Quare Christus suscepit cum his spiritualibus & pernitiosissimis hostibus bellum, imò monomachiam, ac reportauit insignem victoriam. Tradidit enim sese ex voluntate patris sui omni generi ærumnarum, vsq; ad probrosissimam crucem, qua obedientia peccatum humani generis ita expiauit, vt nulli amplius, qui in Christum crediderit, à Deo patre cœlesti imputetur. Suscepit etiam cum morte pugnandum, sed eam tam heroicè deuicit, vt non solùm ipse tyrannidem eius euaserit, verùmetiam abstulerit ei omne ius opprimendi illos, qui in ipsum credunt: Ego sum, inquit, resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et: Omnis, qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Sathanam quoq; summum humani generis hostem ita expugnauit, vt etiamsi adhuc circumeat sicut leo rugiens, quærens quem deuoret, tamen ademptæ sint ipsi omnes vires nocendi ijs, qui fide sua in Christo constant: Nunc, inquit, princeps huius mundi eijcietur foras. Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Habes heroicum bel- *Ioan. 12.*

lum & victoriam Christi aduersus peccatum, mortem & infernum.

Deinde, non solùm reportauit ex his hostibus insignem victoriam, verùmetiam ablegauit, missso Spiritu sancto, Apostolos suos in vniuersum orbem, qui hanc victoriam omnibus gentibus adnunciarent, & Ecclesiam suam ex omni natione, quæ sub cœlo est, colligerent. Etsi autem restiterunt Apostolis & Euangelio eorum, tàm Iudæi, quàm Gentes, tàm Reges, quàm Principes, tàm docti, quàm indocti, tamen
Psal. 110. tanta est maiestas Christi, vt dominetur in medio inimicorum suorum, & tam acutas habeat sagittas, (quæ sunt Euangelion, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti) vt quemcunq; populũ ijs tetigerit, statim in genua sua procumbat, & manus ei tradat, idq; in medio hostium. Tanta enim est potentia eius, vt etiamsi tyranni fremant, & totis viribus resistant, tamen necesse habeant populum, quem sagittæ Christi tetigerint, liberum dimittere, vt Christo seruiant, & nomen eius celebrent. Hoc testatur Iudaicum regnum, in quo, cùm nec Christo ipsi, qui occidebatur, nec Apostolis locus dabatur Euangelij liberè adnunciandi, vastatum est per Romanos, vt deinceps liceret, quod quidem in Iudæis iam oppressis erat, Ecclesiam per Euangelion colligere. Cum enim Iudæi suscepissent cursum Euangelij impediendum, sublata est e medio omnis potentia eorum, vt vellent, nollent, prædicatio Euangelij promoueret. Hoc idem testatur Imperium Romanũ, in quo tàm incolę ipsi, quàm Monarchæ eorũ, summa immanitate restiterunt, ne quisquam nomen suũ Christo Domino

daret;

daret: & maluerunt innumeros martyres crudeliter diſcerpere, quàm liberum locum Chriſto & Eccleſiæ eius concedere. Sed heros noſter Ieſus Chriſtus, qui ſedet ad dextram Dei patris ſui, potentiam ſuam ita exeruit, vt extinctis tyrannis, & abolitis idolis, quæ tuebantur, hoſpitium Eccleſiæ ſuæ inter Gentes conſtituerit. Stat enim ſententia per Eſaiam, de Eccleſia Chriſti prolata: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes, (quę te oppugnant) ſolitudine vaſtabũtur. Habes igitur in his tribus verſiculis heroicam Chriſti fortitudinem, & inſignem eius victoriam, quæ idcirco nobis decantatur, vt in omnibus periculis, ſiue publicis ſiue priuatis, benè ſperemus, & confiſi heroë noſtro, certiſsimam ſalutem expectemus. *Eſa. 60.*

6. *Thronus tuus ô Deus, ſemper & perpetuò (conſtat,) Sceptrum rectum, ſceptrum regni tui.*

Quem antè vocauit Gibbor, hoc eſt, Heroem, eũ nunc vocat Elohim, (hoc eſt) Deum. Et hic eſt vnus ex illis verſiculis, quos Epiſtola ad Hebræos allegat, vt probet Chriſtum non ſimpliciter excellere angelos, verùmetiam eſſe verum Deum. Etſi enim hic ſextus huius Pſalmi verſiculus vtitur vocabulo Elohim, *Exo. 7.* quod & Iudicibus ac Magiſtratibus, imò etiam omnibus pṛis hominibus tribui ſolet: Ego dixi, inquit *Exo. 22.* Pſalmus, Diȷ eſtis, tamen in reliquis verſiculis, quos Epiſtola ad Hebræos è Pſalmo 102. recitat, tribuitur *Pſal. 82.* Chriſto diſertè nomen יהוה Iehoua, quod vocant Tetragrammaton, & ſoli vero ac æterno Deo cõuenit.

Sciamus igitur Christum prędicari in hoc versiculo, & commendari nobis, vt verum ab æterno Deum, qui in plenitudine temporis, assumpta in vnitatem personæ, humanitate, perpetuò regnet in cœlo & in terra, verus Deus, & verus homo: Thronus tuus, inquit, ô Deus, semper & perpetuò constat, sceptrum rectum, sceptrum regni tui. Thronus, regia sedes est, & significat regnum ipsum Christi. Neq; enim somniandum est, Christum sedere in corporali quodam tribunali, & in vno loco, è quo det iura gentibus, iuxta morem terrenorum Regum, sed thronus eius est cœlum & terra, & dominatio ac gubernatio omnium creaturarum, siue cœlestium siue terrestrium, siue infernarum. Dedit enim Deus Christo filio suo nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat. Et hæc dominatio non est vel annua tantùm, qualis fuit Consulũ Romanorum, vel iuxta hominis tantùm ætatem diuturna, qualis est terrenorum Monarcharum, sed durat in omnem
2. *Samu.* 7. æternitatem. Ad Dauidem enim de Christo dicitur: Stabiliam thronum regni eius vsq; in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et
Esa. 9. apud Esaiam: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia à modo & vsq; in sempiternum. Et
Luc. 1. Gabriel apud Lucam: Dabit illi DOMINVS Deus sedem Dauid patris sui, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Ac ne quis intelligeret has promissiones de externa aliqua sede, & de corporali ac mundano in his terris regno,
Matth. 28. exponit Christus ipse in cœlum ascensurus: Data est, inquiens,

inquiens, mihi OMNIS potestas, in cœlo & in terra. Et Paulus: Fecit eum sedere ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatū ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùmetiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius. Quod igitur de maiestate Christi aliâs copiosè explicatū extat, hoc paucis in illo versiculo: Thronus tuus, Deus, semper & perpetuò constat, comprænditur. Cæterùm, cum reges huius terræ soleant sceptra, quæ sunt insignia regni, gestare, quod est ergo sceptrum illud, quo Christus regit & gubernat cœleste suum regnum? Sceptrum rectum, inquit Psalmus, sceptrū regni tui. Aliorum regum sceptra, quibus populum suum dirigunt, solent aliquoties esse praua, curua & distorta, quia multæ sunt leges (quæ per sceptra significantur) in regnis & politijs huius seculi, quæ, si diligenter expenduntur, à natura & æquitate recedunt: aliquoties, etiamsi leges fuerint optimæ, tamen homines sunt tam distorti, vt his non queant in officio contineri. Sceptrum autem, quo Christus suum regnum gubernat, est rectissimum & æquissimū: quæ enim sunt distorta, reddit plana, quæ sunt praua, efficit recta, quæ sunt incurua, reddit æqua. Sciamus igitur quod sit sceptrum illud, vt & nos ipsos, sic satis distortos, ei formandos tradamus. In alio Psalmo dicitur: Virgam seu sceptrum virtutis tuæ emittet DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorū tuorum. Emisit autem DOMINVS ex Zion Euangelion suum, cum misso Spiritu sancto in vrbe Hierusalem, ablegauit Apostolos suos in vniuersum orbem. *Ephes. 1.* *Psal. 109.*

bem terræ, vt prædicarent Euangelion ſuum omni creaturæ. Quare prædicatio Euangelij de Ieſu Chriſto eſt ſceptrum illud rectum & æquum, quo Chriſtus regnum ſuum in his terris in medio inimicorum ſuorum gubernat & cõſeruat. Nam, qui peccati prauitate diſertus eſt, audiat Euangelion Chriſti de expiatione peccati, & adhibeat ei fidem, tunc cõſequetur veram in Chriſto iuſtitiam, quæ eſt cœleſtis rectitudo. Qui affligitur aduerſis, & his ita incuruatur, vt metuat, ne in mortem præcipitetur, arripiat hoc ſceptrum, & nitatur eo, tunc fieri non poteſt, vt opprimatur & pereat. Qui metu mortis ita tenetur, vt non alio ſpectet, quam ad æternum interitum, attingat hoc ſceptrum fide, & eripietur è medijs faucibus mortis & inferni, atq; collocabitur in cœleſti vi-

Eſth. 4. ta & regno. In hiſtoriola Eſther, extat edictum regium in Perſia, quòd quiſquis, ſiue vir, ſiue mulier, non uocatus, intrauerit interius atrum Regis, ſtatim interficiatur, niſi forte rex auream virgam ſeu ſceptrum ad eum tetenderit, pro ſigno clementiæ, atq; ita poſsit viuere. Hoc Perſico ſceptro admonemur de ſceptro regni Chriſti, ſeu de prædicatione Euangelij, quòd neceſſe habeant omnes homines in vniuerſo orbe terrarum perire, ſi intrauerint cum Deo in iudicium, & non arripuerint ſceptrum Euangelij

1. Cor. 1. fide ſua, vt in vita conſeruentur. Non pudeat igitur nos Euangelij Chriſti, quod etſi Iudæis eſt offendiculum, & Græcis ſtultitia, tamen vocatis & credentibus ſit potentia & ſapientia Dei, qua ad æternam iuſtitiam & beatitudinem conſeruantur.

7. Diligẽ

7. *Diligis iuſtitiam, & odio habes iniquitatem, propterea quòd vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, plus quam conſortes tuos.*

Sicut paulò antè commendauit Chriſtum ab æternitate regni ſui, & à rectitudine ſceptri eius, ita nunc commendat eum ab amore iuſtitiæ & odio iniquitatis. Officium enim Regum eſt facere iuſtitiam & iudicium, (hoc eſt) tanto zelo iuſtitiæ ardere, & tantoodio iniquitatem proſequi, vt non ſolùm ipſi iuſta faciant, & iniquitatem fugiant, verùmetiam iuſtos & innocentes fortiter defendant, iniquos aũt, & iuſtorum oppreſſores ſeueriter coërceant: Reges (inquit Petrus) & præſides mittuntur, ad vindictam quidem nocentium, ad laudem verò rectè agentium. Nullus autem vnquam Rex in terris fuit, qui maiori zelo iuſtitiæ faciendæ & tuendę inflammatus fuerit, & vehementiori odio iniquitatẽ perſecutus ſit, quàm Chriſtus DOMINVS noſter. Vniuerſam enim legem, tàm de dilectione Dei, quàm de dilectione proximi ita impleuit, vt non ſolum ipſe nihil mali fecerit, verùmetiam alios ex omnibus malis ſiue illis culpæ, vt vocant, ſiue pœnæ eripiat: Prædicate (inquit) Euangelion omni creaturæ: qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit cõdemnabitur. Nam, cum ſuſcepiſſet opem humano generi ferendam, primùm omnium expiauit ſuo ipſius ſanguine peccatum, vt quotquot credant in ipſum, habeant remiſſionem peccati coram Deo patre ſuo, & conſtent coram tribunali eius iuſtitia Chriſti.

Hiere. 22.

1. Pet. 2.

Deinde vicit afflictionibus & morte sua omnes afflictiones & mortem, vt quotquot in ipsum credunt, euadant illæsi & inuiolati, ad æternam vitam & felicitatem. Hoc verè est populum suum tueri, & ex omnibus malis eripere ac seruare, (hoc est) diligere iustitiam, odisse iniquitatem, & verum regis officium facere.

Sed vnde tanta virtus, tanta animi fortitudo huic regi Christo? Additur: Quia vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, plusquam consortes tuos. Hæc est insignis descriptio personæ & maiestatis Christi, ac obseruabile testimoniũ trium personarũ in vna Deitate. Nam, quemadmodũ in Gene. cap. 19. cum dicitur: DOMINVS pluit super Zodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à DOMINO de cœlo, *intelligitur* Deus filius pluisse à Deo patre: & in Deut. cap. 6. cum dicitur: Audi Israel, DOMINVS Deus vester, Deus vnus, ter recitatur vocabulum Domini seu Dei, vt significetur tres esse personas in vna Diuinitate, patrem, filium & Spiritum sanctum, sicut Christus ipse in Baptismo, (quem & ipse accepit, & postea in Ecclesia vtendum commendauit) manifeste exponit, & tamen non esse nisi vnam diuinitatis essentiam: ita & in hoc Psalmi versiculo tres vnius diuinitatis personæ denotantur. Primùm dicitur: Vnxit te DEVS. Hoc nomine denotatur Deus pater, quæ persona, etsi non assumpsit hominem, nec est incarnata, tamen cooperata est vnà cum Spiritu sancto in incarnatione filij. Deinde additur: Deus TVVS. Hæc est persona filij: Deus, inquit, TVVS, videlicet, illa in diuinitate persona, quę te hominẽ in suę personæ vni-

Matth. 3. Matt. 28.

næ vnitatem assumpsit. Non enim alia persona in diuinitate assumpsit humanitatem, nisi filius ab æterno à Deo patre suo genitus. Adhæc, subijcitur: Oleo lætitiæ. Hoc oleo denotatur Spiritus sanctus. Oleũ enim seu Balsamum, quo quondam vngebantur Reges & Sacerdotes, Spiritus sancti symbolon est. Spiritus DOMINI, inquit Christus ipse apud Esaiam, super me, eò quòd VNXERIT me. Et Petrus: Ipsi nostis, vt Iesum Nazarenum VNXERIT Deus Spiritu sancto & virtute. Ac Ioannes: Vnctio (hoc est Spiritus sanctus) quam vos accepistis ab eo, manet in vobis. Et non necesse habetis, vt quisquam doceat vos, sed sicut ipsa VNCTIO docet vos de omnibus. Vocatur autem Spiritus sanctus oleũ lætitiæ, quòd, quemadmodum ex omnibus animantibus homines miram ex odoribus, quos Balsamum spirat, voluptatem capiunt, vnde & Psalmus 104. ait: Exhilarat faciem oleo: ita Spiritus sanctus exhilaret corda credentium, & confirmet, vt ne in media quidem morte animum despondeant. Postremò additur: Pluspuam consortes tuos. Nomine autem consortium seu sociorum, intelliguntur alij homines, ac inprimis Apostoli, quos Christus ipse vocat fratres suos: Narrabo (inquit) nomen tuum fratribus meis: &: Vade ad fratres meos. In incarnatione enim Christi, (sic enim visum est maioribus nostris, ex illo Ioannis dicto: Verbum caro factum est, loqui) assumens in vtero virginis hominem, in personæ suæ vnitatem, ita eum sibi vniuit, vt & collocauerit eum secum ad dexteram Dei patris sui, & effuderit in ipsum plenitudinẽ Spiritus sui pluspuam in omnes fratres & collegas

Esa. 61. *Luc. 4.* *Actor. 10.* *1. Ioan. 2.* *Psal. 22.* *Ioan. 20.* *Heb. 2.*

ſuos, ſiue illos Apoſtolos, ſiue Prophetas & Patriarchas, ſiue alios in ipſum credẽtes. Etſi enim hi quoq; facti ſunt participes Spiritus ſancti, & acceperunt multa ac varia eius dona, fruuntur etiam maieſtate eius, tamen non ſunt propriè collocati ad dextram Dei patris, nec acceperunt omnia Spiritus dona, ſed tantum per partes. Et ſi quando ex illo Pauli loco: *Ephe. 2.* Simul cum eo reſuſcitauit nos, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes, in Chriſto Ieſu: dicitur etiam credentes in Chriſtum, ſedere cum ipſo ad dextram Dei patris, non eſt intelligendum, quòd ſint aſſumpti à filio Dei in vnitatem perſonæ, & ſint natura filij Dei, in omni ſimpliciter maieſtate Dei collocati, ſicut Chriſtus ipſe: ſed quòd fruantur quidem pro ſuo modo ſeſsione Chriſti ad dexteram Dei, & maieſtate ac felicitate eius: ſolus autem Chriſtus ſedeat propriè ad dextram Dei patris ſui, & ſit perfuſus omnibus donis Spiritus: Requieſcet, inquit, ſuper eum ſpiritus DOMINI, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris DOMINI, hæc eſt omnis plenitudo Spiritus. Et apud *Iſa. 11.* Ioannem: Non dat Deus (Chriſto) Spiritum ad men- *Ioan. 3.* ſuram. Ac Paulus: In ipſo, inquit, ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Et iterum: In *Coloſ. 2.* illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Vides nunc quantus ſit Chriſtus, & quanta ſit maieſtas eius. Vides etiam, vnde tantam habeat iuſtitiã & potentiam, quòd & iuſtificet populum ſuum, qui ſunt credentes in ipſum, & tueatur ac eripiat eos è morte & doloribus inferni in cœleſtem & æternam vitam.

vitam. Non enim tantùm est homo, qualis apparet in oculis hominum, sed etiam assumptus est à filio Dei in vnitatem personæ suæ, non quidem vt detraheret diuinitatem in suam humilitatem & deiectionem, sed vt ipse à filio Dei in summam celsitudinem & maiestatem eueheretur, ac in æquali cum ipso dominatione in cœlo & in terra collocaretur, vtq; tale habeat nomen, in quo solo oporteat nos saluos fieri, & omne genu se flectat cœlestium, terrestrium ac infernorum. Quare amplectamur eum fide, vt etiam maiestatis & æternæ salutis eius participes fiamus. *Philip. 2.*

8. *Myrrham, Aloen, & Casiam (spirant) omnia vestimenta tua, è domibus eburneis (prolata,) vnde lætificant te.*

Myrrham & Aloen in numero Aromaticarum & odoriferarum specierum haberi, Scriptura sacra passim testificatur. Exo. 30. Sume tibi aromata præcipua Myrrhæ electæ quingentos siclos. Prouer. 7. Aspersi cubile meum Myrrha & Aloe, & Cynamomo. Canti. 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ, sicut virgula fumi, ex aromatibus Myrrhæ & Aloes. Et cap. 4. Myrrha & Aloe cum omnibus præcipuis aromatibus. Affert & Nicodemus apud Ioannem cap. 19. mixturam Myrrhæ & Aloes, qua Christus in cruce mortuus, sepulchro, siue odoramenti, siue diu conseruandi corporis gratia conderetur. Kesiam autem, quam nostri transtulerunt Casiam, alij interpretantur pro flexuris seu angulis, maior verò pars pro genere aromatũ, quod & ipsum suauem odorem spiret, sed quale sit genus, non explicant: Nam af-

firmant aliud esse ab eo, quod vulgò vocant, Casiam fistulam. Vtcunq; verò hoc se habet, certè quæ hîc recensentur aromatum species, vtiles sunt ad vestes tàm conseruandas, quàm odoratas reddendas. Quare, sicut Psalmus antea commendauit sponsum & regem Christum à maiestate regni sui, & à iustitia eius, ita nunc cõmendat eum à suaueolentia regiorum suorum vestimentorũ: Omnia, inquiens, vestimenta tua, quibus indutus es, & quę proferri solent in vsum tuum, non è ligneis & vilibus receptaculis, sed ex eburneis & pretiosissimis repositoriis, (hæc enim dicuntur domus seu palatia vestimentorum) non aliud spirant & redolent, quàm Myrrham, Aloen & Casiam, (hoc est) suauissimum odorem, vnde tuipse summam capis voluptatem. Sed quæ sunt illa tam odorata vestimenta, quibus Christus indutus fuit, & quę tam suauem odorem exhalarunt, vt & ipse iis fuerit delectatus? Testantur quidem Euangelistæ, quòd in transfiguratione Christi in monte, vestimenta eius tàm splendida, refulgentia & candida fuerint, quàm nullus fullo in hac terra facere queat: sed de hoc vestitũ Christi splendore non fit hîc sermo, quippe quòd apparuerit paucis tantùm discipulis, & fuerit ad paucum tantùm temporis assumptus. Fit & aliâs apud Ioannem mentio tunicæ Christi, quæ erat inconsutilis, à summo contexta per totum: tangit etiam mulier hæmorrhousa fimbriam vestimenti eius, & consecuta est sanitatem. Sed hæc non effecerunt, vt vestimentũ Christi redoleret externa aromata & thymiamata. Quid igitur est, quòd hic Psalmus de odoratis vestimentis Christi loquitur? Hac vestimentorum

Matth. 17. *Mar. 9.* *Ioan. 19.* *Matth. 9.*

rorum & odoris eorum metaphora, Spiritus sanctus describit iucundissimam illam famam, quam Christus ipse prædicatione Euangelij sui, & Apostoli eius, non tantùm in Iudæa, verùmetiam in toto orbe terrarum ita sparserunt, vt odore huius Euangelij excitati fuerint tàm Iudæi, quàm Gentes in vniuerso mundo, & secuti sint suaueolentiam eius, ex qua etiam, sicut Christus ipse maxima voluptate affectus est, ita, quotquot crediderunt cœlesti lætitia, perfusi sunt. Apud Lucam, cum septuaginta discipuli reuersi essent à sua legatione, & cum gaudio narrarent, etiam dæmonia subijci ipsis, per nomen Christi, exultauit Spiritu, & dixit: Confiteor tibi pater, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, etiam pater, quoniam sic complacitum est coram te. Habes gaudiũ & lætitiam Christi è felici successu Euangelij sui, (hoc est) ex odore vestimentorum suorum. Paulus autem ad Corinthios scribens: Deo gratia, inquit, qui semper triumphat per nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quoniam Christi bona fragrantia sumus Deo, in his, qui salui fiũt, & in his qui pereunt, his quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam. Habes lætitiam Ecclesię in toto orbe terrarum, quam concipit ex odore vestimentorum Christi, (hoc est) è suaueolentia Euangelij de Christo per fidem. Nam, quemadmodum sol excæcat quidem splendore suo oculos imbecilles, propter nimiam lucem, quam hi non possunt ferre, natura autem sua illustrat sanos & claros oculos, ita excellentia odoris Euangelij infert quidem impijs mortem

Luc. 10.

2. Cor. 2.

tem propter incredulitatem ipſorum, viuificat autem & lætificat omnes credentes æterna felicitate, vt quàcunq; Chriſtus & Apoſtoli eius cum Euangelio incedunt, tam fragrantem & ſuauem ſpargant odorem, vt quotquot olfecerint, teneri non queant, quin ad ſequendum eum excitentur & recreentur. Quod autem Pſalmus de odore veſtimentorum Chriſti, ſeu de ſuaueolentia Euangelij eius dicit, hoc Chriſtus ipſe parabola de theſauro in agro abſcondito, & de
Matth. 13. inuenta margarita pretioſiſsima explicat: Simile eſt, inquiens, regnum cœlorum, hoc eſt, prædicatio Euangelij Chriſti, theſauro abſcõdito in agro, quem repertum homo abſcondit, & præ gaudio abit, & vendit omnia quæcunq; habet, & mercatur agrum illũ. Et rurſum: Simile eſt regnum cœlorũ homini negotiatori, quærenti pulchras margaritas, qui cum inueniſſet vnam pretioſam margaritam, abiens, vendidit omnia quæ poſsidebat, & mercatus eſt illam. Nihil igitur prius nobis faciendum putemus, quàm vt odorem, theſaurũ & margaritam Euangelij de Chriſto ſectemur, quòd ſit potentia Dei, ad ſalutem omni credenti.

9. *Filiæ regum ſunt in gynæceo tuo, aſtat νύχor ad dexteram tuam in auro Ophir.*

Habent Reges huius terræ ſua gynæcea, & excellentiſsimas puellas, non è vulgo & ſordidis familijs, ſed è filiabus Regum & Principum ſelectas, quę ſunt Reginarũ indiuiduæ comites & pediſſequæ, & quæ, cùm Regina aſsiſtit ad dexteram Regis ſui, in auro Ophir,

Ophir, (hoc eſt, vel in veſtitu deaurato, vel in diademate aureo, ex optimo auro, quod aduectũ eſt ex Ophir, quam alij Indiam, alij Aphricam interpretantur, ex quo etiam loco Salomon curauit aduehi aurum, in priori libro Paralip. cap. 29. & Ioſaphat, in 3. Regum, cap. 22.) aſsiſtunt & ipſæ, apparatu viſendo & planè regio, eoq; magnificentiſsimo. Commendatur igitur hoc verſiculo aula regis noſtri Chriſti à magnificentia & ſplendore gynæcei eius. Regina enim aſtat regi ſuo decentiſsime ornata, quã comitantur & circundant nobiliſsimæ & excultiſsimæ puellæ, quas non vulgarium hominum, ſed Regum filias dixeris. Manifeſtum autem eſt, regnum DOMINI noſtri Ieſu Chriſti non eſſe mundanum, nec habuiſſe eum vnquam in his terris tale externũ gynæceum, quale litera Pſalmi hîc deſcribere videtur: ſed qualis eſt rex, tale etiam habet gynæceum. Quare, cum ſit rex ſpiritualis & cœleſtis, habet etiã ſpirituale & cœleſte gynæceum. Itaq; Regina, (ſeu ſponſam, ſeu vxorem dixeris) eſt Eccleſia, de qua Chriſtus ipſe apud Oſeam dicit: Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego DOMINVS. *Oſe. 2.* Et Ioannes Baptiſta: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, loquitur autem de Chriſto & Eccleſia eius. *Ioan. 3.* Et Paulus: Adiunxi, inquit, vos vni viro, vt virginẽ caſtam exhiberetis Chriſto. *2. Cor. 11.* Ac iterum: Vir eſt caput vxoris, quemadmodum & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & idem eſt, qui ſalutem dat corpori: ſed quemadmodum Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & *Epheſ. 5.*

vxores ſuis viris ſubditæ ſint in omnibus: Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret. Filiæ autem Regum, (hoc eſt) comites & pediſſequæ Reginę, ſunt, quotquot credunt in Chriſtum, & ſunt membra corporis eius, per fidem: Membra ſumus, inquit Paulus, corporis eiuſdem, ex carne eius, & ex oſsibus eius. Sed quis eſt huius Reginæ & filiarum eius ornatus? An non Eccleſia Chriſti conſtat ex peccatoribus, qui ſunt, in conſpectu Dei, turpiſsimi? An non vnus è præcipuis & ſanctiſsimis filijs eius clamat: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis viuens. Quanta hæc eſt fœditas & deformitas? De hac re docet nos Paulus: Chriſtus, inquiens, dilexit Eccleſiã, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo, vt adhiberet eam ſibiipſi gloriosam, Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquã eiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Eccleſia enim Chriſti, ſiquidem conſideretur iuxta carnem ſuam, in ſemetipſa, negari non poteſt, quin ſit propter ſordes peccati, quæ adhuc ipſi inhærent, turpior & fœdior, quàm quæ poſsit ſeſe oculis Dei ſpectandam obtrudere. Quis enim poteſt dicere, Cor meum mundum eſt? Sed ſi conſideretur in Chriſto DOMINO noſtro, in quem credit, nihil ea eſt, in hoc genere, ſpecioſius, & aſpectu iucundius. Nam Chriſtus primùm quidem exponit, ſe pro Eccleſia ſua in mortẽ probroſiſsimam, qua peccata eius ita expiat, vt Deus pater non amplius me-

Ephes. 5.

minerit

minerit eorum, & donet ei iustitiam Christi, qua nihil est sanctius, nihil purius. Et hic est deauratus vestitus, ac vestimentum regium, quo Regina astat Regi suo comptissima. Quare Ecclesia meritò dicitur, non amplius habere maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, idq; per fidē, propter Christum. Deinde donat eam Spiritu sancto, vt etiamsi adhuc habeat aliquid carnis, tamen non ambulet iuxta carnem, sed iuxta Spiritum, sanctè & irreprehensibiliter. Postremò, collocat eam ad dextram Christi filij sui, non quòd fiat ipsa, Christus, sed quòd fruatur omnibus beneficijs Christi, sicut sponsa bonis sponsi sui, & conseruetur in omnibus aduersis, in morte denique ipsa, ad æternam felicitatem. Quid igitur vera Ecclesia Christi beatius?

10. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, ac obliuiscere populi tui, & domus patris tui.*

11 *Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus (seu maritus) tuus, & adores eum.*

Hactenus descripsit & commendauit Spiritus sanctus potentiam, magnificentiam & virtutes Regis nostri, DOMINI Iesu Christi. Nunc autem facit Apostrophen ad Reginā, & ad gynæceum eius, hoc est, ad Ecclesiam, & hortatur eam ad fidem & obedientiam: Audi, inquiens, filia, & vide, (hoc est) quem tibi hactenus commendaui seu sponsum, seu Regem, lōgè omniū venustissimus et magnificentissimus est. Da igitur, mea filia, summam, quam potes, operā, vt facias tuum officium, & exhibeas te ei obsequentem.

Sed quo ille officio, quo obsequio delectatur? Primùm, AVDI. Quisquis enim voluerit Christo gratum cultũ facere & placere ei, Euangelion eius audiat, necesse est: Fides, inquit Paulus, ex auditu est. Auditus autem per verbum Dei. Deinde addit: VIDE. Non solùm audiendum est Euangelion Christi, sed etiam videndum, (hoc est) diligentissimè expendendum, considerandum & obseruandum. Beati enim, inquit Christus, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Præterea addit: Inclina aurem tuam. Euangelion Christi non solùm est aure audiendum, verùmetiam auris, ad ipsum audiendum inclinanda est, videlicet, vt excipias fide, & colloces in Christo, qui per Euangelion adnunciatur, omnem tuam fiduciam. Postremò dicit: Obliuiscere populi tui, & domus tuæ paternæ. Hoc partim eò respicit, quod Paulus Galat. 4. dicit: Nos cum essemus pueri, sub elemẽtis mundi eramus, in seruitutem adacti. At vbi venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum legi obnoxium, vt eos, qui erant legi obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus: hoc enim est deserere populum suum, & domum paternam. Partim illud est, quod Christus apud Lucam cap. 9. dicit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam cottidie, & sequatur me. Ac iterum cap. 14. Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et rursus: Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quę possidet, non potest meus esse discipulus.

Rom. 10.
Ioh. 14.

lus. Etsi aũt durissimum ac propemodũ intolerabile videtur, obliuiſci populi & patrię ſuę, ac ad vocationẽ Chriſti deſerere parentes, vxorẽ, liberos, cognatos, hæreditatẽ, imò & ſuam ipſius animam, hoc eſt, omnem penè humanũ affectum exuere, tamen addit Chriſtus aliâs promiſsionem, cuius fide, quæ per ſe videntur impoſsibilia, non ſolùm poſsibilia, verùm etiam facilia fiunt: Omnis, inquiens, qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitæ æternæ ſorcietur hæreditatem. Ac rurſus: Nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, propter regnum Dei, qui non receptu*rus* ſit multò plura in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam. His ergo promiſsionibus cõiunge nunc quod in hoc Pſalmo ſequitur: Concupiſcet rex decorem tuum. Nam ſi quis audierit, viderit, inclinauerit aurem ſuam Euangelio Chriſti, & maluerit omnium ſuarum rerum in his terris iacturam facere, quàm Chriſtum, quem fide amplexus eſt, abnegare & amittere, is primùm habet in Chriſto remiſsionem omnium peccatorum: deinde donatur iuſtitia Chriſti, vt propter eam habeatur coram tribunali Dei ſanctus & irrepræhenſibilis: præterea, donatur Spiritu ſancto, qui efficit ne regnet peccatum in mortali ſuo corpore. Quid multis opus? fides in Chriſtum ita expolit & exornat credentem, vt venuſtate ſua, quam in Chriſto habet, ſuperet omnem humanam & angelicam pulchritudinem. Quare, etſi homo, ſi naturam eius peccato corruptam intuearis, *Matth.19.* *Luc.18.*

videbitur abominatione digniſsimus, tamen ſi re-
ſpexeris ornamenta eius, quibus gratuita clementia
Dei per fidem excultus eſt, Chriſtus rex & ſponſus
teneri non poteſt, quin talem ſponſam gratia & fa-
uore ſuo proſequatur. Nec fruſtra & immeritò exi-
gitur à te, qui volueris eſſe ſponſa Chriſti, vt audias,
videas, & inclines aurem tuam ad Euangelion Chri-
ſti, quia ipſe (inquit Pſalmus) eſt Dominus tuus,
ideoq; omninò debes ei hoc officium, vt adores eum.
Etſi autem hoc loco non ponitur vocabulum יהוה Ie-
houa, quod ſoli vero & æterno Deo competit, ſed
vocabulum אדני Adonai, quod etiam hominibus tri-
buitur, vt videatur Chriſtum non eſſe λατρέᾳ & cœle-
ſti, ſed tantùm ciuili modo, ſicut reges huis ſeculi, a-
dorandum, tamẽ & aliâs Chriſtus dicitur verus יהוה
Iehoua, quemadmodum ſuprà indicauimus: & in
Eccleſia non eſt ignotum, quòd filius Dei, qui eſt
verus Deus ab æterno, à Deo patre ſuo genitus, aſ-
ſumpſerit ſemen Abrahę, ſeu filium Mariæ virginis,
in eandem perſonam. Quare Chriſtus adorandus
eſt cœleſti modo, non tantùm ſecundum ſuam diui-
nitatem, verùmetiam ſecundum ſuam humanitatem,
propterea quòd ſit vna perſona, in qua poſt incarna-
tionem, vbicunq; fuerit diuinitas, ibi ſecum habeat
humanitatem ſibi vnitam, vt nullo vnquam vel tem-
pore vel loco diuinitas ab humanitate, aut humani-
tas à diuinitate ſeparetur.

12. *Et filia Tyri munere (honorabit te,) faciem tuam ve-
nerabuntur diuites populi.*

Filia

Filia regis est Ecclesia filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi, quæ initio collecta est ex posteritate Abrahæ, seu è populo Israel. Filia autem Tyri est populus Gentium, quæ nomine ciuium Tyri cõprehenduntur, quòd vrbs Tyrus, Gentium possessio, finitima esset Israelitis. Et aliàs quoq; cum agitur in sacris literis de vocatione Gentium, numeratur inter Gentes ad Euangelion Christi accessuras: Ecce, inquit Psalmus, Palæstina & Tyrus cum Æthiopia, *Psal. 87.* iste natus est ibi. Est & in Euangelica historia vrbs Tyrus, vnà cum Sidone nobilis. Ecclesia igitur Christi non solùm constabit è ciuibus Hierusalem, (hoc est) ex Israelitis, verùmetiam è ciuibus Tyri, (hoc est) è Gentibus, ijsq; non abiectissimæ sortis, sed nobilissimis & ditissimis, quales fuerunt ciues Tyri, quemadmodum testatur Ezechiel cap. 27. Itaq; vaticinatur Psalmus hoc duodecimo versiculo, futurũ esse, vt Gentes vulgato in orbem Euangelio accedant ad Ecclesiam: & sicut in nuptijs, amici solent sponsæ munera offerre, ita & Gentes venient ad nuptias, quas Christus cum Ecclesia instituit, & testificabuntur suam fidem, ac venerabuntur, quibus possunt officijs, sponsam regis. Ex hoc versiculo videtur Esaias de vocatione Gentium concionatus: Ambulabunt, inquiens, Gentes in lumine tuo, & *Esa. 60.* Reges in splendore ortus tui. Et mox: Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem DOMINO adnunciantes. Ac iterum: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.

13. *Omnis*

13. *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecus, vestimentum eius intertextum est auro.*
14. *Statuitur ad Regem variegatis vestibus, post ipsam adducuntur tibi virgines consanguineæ eius.*
15. *Ducuntur in gaudio & lætitia, adueniunt in palatium Regis.*

Descriptionem magnificentiæ Regis, sequitur descriptio magnificentiæ Reginæ. Quam enim suprà vocauit vxorem seu coniugem, hanc nunc vocat filiam Regis, (hoc est) Reginam. Hæc enim, quia commoratur intrinsecus, seu in interiori thalamo Regis, nitet & fulget omni genere gloriæ & decoris: gestat vestitũ auro intertextum: statuitur ad Regem, non vnicoloribus, sed variegatis & acupictis vestibus. Nec sola sine comitatu adstat, sed adducuntur vnà cum ipsa, magno gaudio & lætitia virgines propinquæ eius, quæ & ad celebrandas has regias nuptias, vnà in thalamũ Regis ingrediuntur. Porrò autem hac apparatus nuptiarum metaphora, non aliud intelligendũ est, quàm gloria, qua Christus sponsus ornat electam suam sponsam, quæ est Ecclesia, vnà cum omnibus virginibus suis, hoc est, cum omnibus ijs, qui verè credunt in Christum. Primùm enim Christus ornat Ecclesiam in interiori suo thalamo, (hoc est) coram se, in suis oculis, omni genere gloriæ, quia eligit eam in suam sponsam, & adoptat eã in suam filiam. Et quomodo, inquies, poterit eadem esse sponsa & filia? Scias igitur inter Christum & Ecclesiam non esse carnales, sed spirituales, non humanas,

manas, sed diuinas nuptias. Ecclesia enim sponsa Christi est, quòd sicut in humano coniugio vxor coruscat radijs mariti, & est particeps omnis maiestatis eius, ita & in hoc cœlesti cõiugio Ecclesia fruitur omni gloria & honore Christi: De plenitudine eius, inquit Ioannes, accepimus nos omnes. Et Paulus: Cum mortui, inquit, essemus per delicta, conuiuificauit nos vnà cum Christo, (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Vocatur etiã Ecclesia, filia Christi, quòd, quemadmodum in his terris adoptatur quispiam ab alieno in filium, qui ei sinon est naturalis illius filius, tamẽ transit adoptione in nomen ipsius, & fit legitimus eius hæres, ita & Ecclesia adoptata à Christo in filiam, etiamsi non sit naturalis filia eius, tamen transit in nomen ipsius, vt vocetur Ecclesia Christi, & fit particeps omnis cœlestis eius hæreditatis. Quanta igitur illa est gloria, esse sponsam cœlestis & æterni Regis, & esse filiam ac hæredem summorum bonorum in cœlo? Deinde Ecclesia ornatur vestibus auro intertextis & variegatis. Hæ sunt virtutes, quibus Spiritus sanctus Ecclesiam illustrat & augustam reddit. Ac siquidem loquendum est de personalibus virtutibus, ornauit Spiritus sanctus Apostolos, ad Ecclesiæ ædificationem in die Pentecostes, admirandis donis, non tantùm, vt diuersis linguis loquerentur, sed etiam, vt claudos sanarent, dæmonia ejicerent, adeoq; mortuos excitarent. Si autem loquendum est de donis generalibus, quæ cuiuis ad æternam salutem necessaria sunt, ornatur Ecclesia per Spiritum sanctum,

Ioan. 1.
Ephes. 2.

fide, ſpe, & charitate, quibus virtutibus nihil eſt in oculis Dei ſplendidius & magnificentius. Hæ ſunt auratæ & variegatæ veſtes, quibus Eccleſia adſtat regi ſuo, DOMINO noſtro Ieſu Chriſto. Poſtremò, Eccleſia, ſponſa & filia Chriſti, non ſola ingreditur ad ſponſum & regem ſuum, ſed venit comitata plurimis virginibus & pediſſequis. Eccleſia enim non cõſtat ex vna tantùm gente Iſraelitica, ſed ex omnibus gentibus, tàm Iſraeliticis, quàm Ethnicis: Omnis
Roma. 10. qui fidit illi (inquit Paulus) nõ pudefiet. Non enim eſt diſtinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes ſe: Quiſquis enim inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Quotquot igitur credunt in Chriſtum, ex quacunq; gente aduenerint, ingrediuntur vnà cum magno gaudio & lætitia in palatium Regis, (hoc eſt) in cœleſte regnũ & æternam felicitatem. Cæterùm, quòd Eccleſia dicatur ſponſa virgo, & habeat comites virgines, non eò intelligendum eſt, quòd nemo ingrediatur in cœleſte regnũ, niſi fuerit corpore ſuo virgo, ſicut nonnulli abutuntur dicto Hieronymi: Cõ-
Apo. 14. iugium replet terram, virginitas cœlum. Et illo Apocalypſeos dicto: Virgines ſequuntur agnũ, quòcunq; ierit. Etſi enim virginitas corporis non eſt temere, impudicè & ſceleratè violanda & commaculanda, quippe quòd impudicitia & ſcortatione, in conſpectu Dei nihil ſit fœdius & abominabilius, tamen non eſt ſentiendum, quòd ſolæ virgines corpore, ſint participes cœleſtis regni: ſed quòd qui cupiunt hoc regno frui, neceſſe habeant virgines ſpiritu eſſe, videlicet, non alienos Deos colere, ſed vni

ſponſo,

ſponſo, Domino noſtro Ieſu Chriſto fidere & adhæ-
rere, ſicut & Paulus ait: Adiunxi vos vni viro, vt 2. Cor. 11.
virginem caſtam exhiberetis Chriſto. Et quemad-
modum in Chriſto non eſt nec mas nec fœmina, ita
non eſt nec virgo (corpore) nec coniunx, ſed quis-
quis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et, vt
aliâs Petrus ait: Reipſa comperio, quòd non ſit per- Actor. 10.
ſonarum reſpectus apud Deum, ſed in quauis gente,
qui timet ipſum, & operatur iuſtitiam, is acceptus
eſt illi. Quare non ſolæ virgines corporis pertinent
ad regnum Chriſti, verùmetiam honeſti & pij con-
iuges, adeoq́, quotquot, ſiue in cœlibatu, ſiue in cõ-
iugio credunt in Chriſtum, & ducunt ex fide hone-
ſtam & pudicam vitam, fiunt propter Chriſtum par-
ticipes cœleſtis beatitudinis.

16. *Pro patribus tuis erunt filij tui, conſtitues eos principes in vniuerſa terra.*

Hactenus, ô filia Regina, habuiſti patres, qui fue-
runt Patriarchæ & Prophetæ, qui, etſi erudierunt te
diligentiſsimè in vera pietate, & oſtenderunt tibi
regem ſponſum tuum, cuius fide iuſtificeris, & ſalu-
tem conſequaris, ſuis temporibus aduenturum, tamẽ
detinuerunt te, tanquam paruulam aut ſeruam, ſub Gala. 4.
elementis mundi in ſeruitutem adactam. Nunc aũt
his patribus ſuccedent filij tui, qui ſunt Apoſtoli, &
qui non, vt Prophetę, in vna tantùm Iſraelitica gen-
te præerunt piæ doctrinæ: ſed erunt principes in
vniuerſa terra: In omnem, inquit alius Pſalmus, ter-
ram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę verba

Pſal. 68. eorum. Et alius: In Eccleſijs benedicite Deo, Domino de fonte Iſraelis. Ibi Benlamin paruulus dominator eorum, principes Iuda, diadema eorum principes Zebulon, principes Nephthali. Quod quid ſit, & de quibus hi verſiculi loquantur, exponit Chriſtus ipſe: Conſtitui (inquiens ad Apoſtolos) vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Ac rurſus: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Qua voce ſignificat, Apoſtolos in hoc electos & emiſſos, vt in vniuerſo orbe dominarentur, (hoc eſt) vt doctrina Euangelij colligerent Eccleſiam Chriſto ex omni natione, vt quotquot crederent Euangelio, conſequerentur æternam ſalutem, quotquot autem non crederent, interirent perpetuò. Hoc enim eſt duodecim tribus Iſraelis iudicare, & in vniuerſo orbe dominari, quemadmodum etiam vltimus, qui in hoc noſtro Pſalmo verſiculus ſequitur, clarè exponit, inquiens:

Ioan. 15.

Luc. 22.

17. *Recordabor nominis tui in omni generatione & generatione, propterea laudabunt te populi in ſeculum & in æternum.*

Dices: Quales erunt hi principes in regno Chriſti? num erunt terreni & mundani? Reſpondet ergo cœtus ipſe Apoſtolicus: Non dominabor, (inquiens) in Eccleſia regio & mundano more, ſed recordabor nominis tui in omni generatione & generatione,

ratione, prædicabo nomen tuum, ô Christe, adnunciabo Euangelion tuum inter omnes gentes, vt propagetur ad omnem posteritatem, donec hoc seculum steterit. Qua ex re fiet, vt populi, non solum ex Iudæis, verumetiam ex gentibus agnoscant te, & celebrent nomen tuum, tàm in hoc, quàm in futuro seculo in omnem æternitatem. Hic est principatus, hæc est dominatio Apostolorum, qui successerunt Patriarchis & Prophetis, videlicet, non mundanus principatus, sed spiritualis, vt sint principes prædicandi Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Arma militiæ nostræ, (inquit Paulus) non carnalia sunt, sed potentia Dei, ad demolitionem munitionum, quibus armis consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. Sciamus igitur hoc versiculo significari, quod Propheta Malachias concionatur impletum iri, prædicatione Apostolorum: Ab ortu, inquiens, solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit DOMINVS Zebaoth. Principes enim regni cœlorum, Apostoli, circũtulerunt prædicatione Euangelij Christum, qui solus est munda oblatio pro peccatis nostris inter omnes gentes, & nomen eius ita illustrarunt, vt omnis, qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat æternam vitam. 2. Cor. 10. Mala. 1.

VSVS HVIVS PSALMI.

Res ipsa testatur hunc Psalmum esse epithalamiũ & encomium cõiugij, quod est inter Christum sponsum, & Ecclesiam sponsam eius. Ornatur autem sponsus mirificè, & commendatur maximis laudibus. Sed inter laudes vel sanctorum vel heroum, & inter laudes Christi summum est discrimen. Illi enim laudantur & prædicantur non eo consilio, vt virtutibus ipsorum confidamus, & nomen ipsorum inuocemus: sed tantùm, vt diuina dona in ipsis agnoscamus, ac Deum celebremus, & testimonium fauoris Dei erga suam Ecclesiam habeamus, atq; virtutes eorum imitemur. Christus autem prædicatur, non solùm vt exemplum imitationis, sed etiam vt omnis salutis nostræ autor, & vt venustate, iustitia & fortitudine eius confidamus. Venit enim, assumpto homine, in has terras, vt nos ornaremur, siquidem in ipsum credíderimus, venustate eius, & iustificaremur iustitia eius, ac conseruaremur heroica eius fortitudine in omnibus aduersis, in horroribus mortis & inferni, frueremurq; felicitate eius perpetuò. Quare, si quis, siue propter grauitatem & multitudinem peccatorum, siue propter magnitudinem afflictionum tristitia afficitur, sumat hunc nuptialem Psalmum in manum, quo Spiritus sanctus recitatione maiestatis Christi sponsi, & felicitatis sponsæ eius, quæ est Ecclesia, accipiat occasionem pellendæ omnis tristitiæ, & excitandi in ipso omnis cœlestis gaudij.

Psalmus

Psalmus 46.

Deus refugium nostrum, & virtus, &c.

QVacunq; occasione hic Psalmus initio scriptus sit, certè si recitatus fuerit, accepto iam beneficio victoriæ, aduersus hostes Ecclesiæ Dei, gratiarum actio est: si in præsenti periculo, consolatio est, vt periculum forti animo sufferatur: si in metu venturi periculi, cohortatio est, vt propter periculum, siue certum, siue incertum, officium non deseramus. Docet enim & testificatur, nullas esse afflictiones tam graues, nulla aduersa tam horrenda, nullam persecutionem tam crudelem, nulla pericula tam magna, in quibus, seu priuatus quispiam pius, seu Ecclesia ipsa veræ pietatis studiosa non reportet, fauente & seruante Deo, victoriam, adeoq; illud agit totus hic Psalmus, quod Paulus ad Romanos scribens, paucissimis verbis dicit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Excipiamus igitur eum obuijs, quod aiunt, vlnis, vt ipso aduersus omne genus fortunæ armemur & muniamur. *Roma. 8*

1. *Deus nostra est tutela & fortitudo, auxilium in aduersis præsentissimum.*
2. *Quare non metuimus, etiamsi subuertatur terra, & transferantur montes in medium maris.*

3. *Etiamsi*

3. *Etiamsi tumultuentur & intumescant aquæ eius, concutiantur montes in æstu eius.*

Recitemus initio aliquot insignia pericula, quæ populus Dei post ingressum in terram Canaan, & post Dauidem adijt, & seruatus est diuinitus, vt interpretatio huius Psalmi planior procedat, & verum eius vsum cognoscamus.

In tertio libro Paralipomenon, cap. 20. incurrunt Moabitæ & Ammonitæ in fines regis Iosaphat ex improuiso, vt nõ tàm oppugnarent, quàm expugnarent, & delerent regnum Iuda. Hîc Ecclesia Dei fuit in maximo periculo. Quid igitur faceret? Num ita sibi metueret, vt omnem spem salutis abijceret?

In quarto libro Regum, cap. 16. & apud Esaiam cap. 7. mouent bellum rex Syriæ & rex Israel aduersus Hierusalem, electam ciuitatem Dei. Familia autem Dauidis ad hanc famam toto pectore ita contremuit, vt commoueretur cor eius, (quemadmodum apud Esaiam dicitur) & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti. Quid ergo faceret? Num desponderet animum, & nullam amplius salutis spem conciperet?

In secundo libro Paralipomenon cap. 32. oppugnat Sanecherib rex Assyriorum Ezechiam, & regnum Iuda, tanto furore & impietate, vt etiam horrendas aduersus Deum blasphemias palàm euomeret, acde incolumitate populi Dei actum videretur. Quò igitur verteret sese Ezechias? Num de salute desperaret?

In libris Regum & Paralipomenon abducuntur Iu-

dæi,

dæi, qui tum erant Ecclesia Dei, in exilium Babylonicum, in quo etiam necesse habent septuaginta annos commorari. Quid igitur interea faciendum susciperent? num deficerent à vera religione, & sectarentur idolomaniam & impietatem Babyloniorum?

In Macchabæis opprimitur Ecclesia Dei ab Antiocho tanta immanitate, vt & libri sacri igni absumerentur, circumcisio prohiberetur, mulieres, quæ filios circumciderant, trucidarentur, & filij à cerui-cibus earum suspenderentur, adeoq; plurima vbiq; erat imago mortis & extremæ internitionis. In tantis ærumnis, quò erat confugiendum?

Quid dicam de persecutionibus Ecclesiæ, quæ post diuulgatum in vniuerso mundo Euangelion, à Iudæis, ab Ethnicis, à Tyrannis, ab Arianis, & ab alijs hostibus pietatis exortæ sunt? Quibus temporibus Ecclesia filij Dei ita opprimi & conculcari videbatur, vt nulla amplius spes, iuxta humanam quidem rationem relicta esset, adeoq; terra videretur subuerti, & præcipitarentur, iuxta hunc Psalmum montes in medium mare. Quæ salus in tanta immanitate expectanda erat?

Atq; hæc quidem de publicis populi Dei periculis. Quid autem de priuatis singulorum piorum calamitatibus commemorem? Vt de Patriarchis sileam, certè Dauid ipse, quanta pericula adijt? quanta Prophetæ, quanta Apostoli, quanta singuli quiq; priuati, qui pietatis professionem secuti sunt? Hos omnes remittemus ad hunc Psalmum, vt siue in maximis periculis incolumes seruati sint, siue in præsentibus ærumnis hæreant, siue metu venturæ cala-

mitatis contremuerint, ſumant eum in manum, in animum, in linguam, & dicant: Non metuamus, etiamſi terra dehiſcat, etiamſi montes præcipitentur in medium mare, etiamſi & aquæ maris, & montes terræ inter ſe commiſceantur, breuiter, etiamſi fractus illabatur orbis: non cohorreſcamus animo, etiamſi effundantur ſuper nos omnia periculorum genera, quæ vel ſuperna vel inferna minari & inferre poſſunt. Audio quidem, inquies, fortiſsima verba, audio profeſsionem impauidi & infracti animi, ſed vnde mihi tantum roboris cõparabo? vnde ſumam tantum fortitudinis? In carne mea non reperio, (præſertim reuelante DOMINO iram ſuam) niſi metum, trepidationem & fugam. Quò igitur me vertam? Hîc iam Pſalmum noſtrum inſpiciamus. Non enim iubet tantùm, nos in aduerſis eſſe conſtanti & infracto animo, ſed addit etiam rationes, quibus & metum excutiamus, & fortitudinem animi concipiamus. Ac prima quidem ratio commemoratur ſtatim in primo verſiculo: Deus, inquit, noſtra eſt tutela, Deus noſtra eſt fortitudo, Deus noſtrum eſt auxiliũ in aduerſis præſentiſsimum. Quid igitur metueres? quid trepidares? fateor, ingentes ſunt ærumnę, grauiſsimæ ſunt afflictiones, quibus vel iam in præſentia obrutus es, vel expectatione cruciaris, vt cœlum terræ miſceri videatur. Sed bono ſis animo, non habes in terris, qui te tueatur, habes autem in cœlis, qui te non deſeret. Deus enim, Deus, inquam, ipſe eſt noſtra tutela: ipſe eſt noſtra in omnibus aduerſis fortitudo & robur: ipſe eſt noſtrum in omnibus afflictionibus, quàmuis grauiſsimis, auxilium, idq; nõ

in lon-

in longinquum tempus dilatum & reiectũ, sed præsentissimum, vt quò tristius videtur exitium, eò propinquiorem & præsentiorẽ sciamus esse opem DOMINI Dei nostri. Iuxtà est (inquit alius Psalmus) DOMINVS ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu seruabit. Hîc iterum respondes: Scio quidem DOMINVM esse nostram tutelam & fortitudinem, scio DOMINVM respicere super contritos corde, & humiles spiritu seruare: sed illud me à certa fiducia deijcit, quod in eodem Psalmo sequitur: Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus liberat eos DOMINVS. Custodit DOMINVS omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Hîc fit mentio tribulationis & liberationis, sed iustorum tantùm, IVSTORVM, inquam, non iniustorum, qualis ego sum: quid igitur mihi spei relictum est, cum tam liberales & prolixæ Dei promissiones, ad iustos tantùm & sanctos, non ad me, cuius iniquitates supergrediuntur caput meum, pertineant? Rectè tu quidem & iustè facis, quòd iniustitiam & iniquitatem tuam agnoscas, & quò id magis ex animo feceris, eò propior es veræ saluti. Non est autem hîc consistendum, sed pergendum est illò, vbi iustitiam coram Deo inuenias, & consequaris. Etsi enim non inuenis iustitiam, nec in te, seu in carne tua, nec in tuis operibus, tamen inuenis eam in semine Abrahæ, (hoc est) in Iesu Christo DOMINO nostro, vt si credideris in eum, non solùm non imputetur tibi tua iniustitia, verùmetiã doneris & orneris iustitia Christi, qua coram tribunali Dei, aduersus omnes assultus Sathanæ firmus constare, & in vocatione Dei

Psal. 34.

ambulare queas. Quare, si te peccata tua ad dubitationem de salute tua, aut etiam ad desperationẽ sollicitant, vt nec nomen iusti agnoscere, nec Deum ad tui tutelam, fortitudinem & auxilium inuocare audeas, cõfer statim te ad filium Dei, DOMINVM nostrum Iesum Christum per fidem, & habebis in ipso gratuitam peccatorum condonationem, ac nomen iusti ita reportabis, vt etiam veram in omnibus aduersis salutem consequaris.

4. *Riuuli fluminis lætificant ciuitatem Dei, sanctuarium habitationum altissimi.*
5. *Deus in medio eius, non commouebitur. Adiuuat eam Deus ante auroram.*

Alia ratio, cur Ecclesiæ Dei non sit metuendum in periculis: Riuuli (inquit) fluminis lætificant ciuitatem Dei. Metaphora sumpta ab hortis seu pratis, quæ riuulis aquarum irrigantur. Nam quemadmodum riuuli à proximo flumine in hortũ quendam deducti, ita eum rigant & humectant, ac quodammodo exhilarant & lætificant, (vnde & virentia prata vulgò ridere dicuntur) vt etiamsi reliqua vicina loca æstu solis exurantur, ille tamen florere & virere pergat: ita & ciuitas Dei, (quo nomine tam externa vrbs Hierusalem, quàm vera & spiritualis Ecclesia Dei significatur) ac sanctum habitaculum altissimi, siue in vrbe Hierusalem collocatum, siue in alijs locis constitutum, cœlesti irrigatione aduersus omnem ventorum sæuitiem semper vigebit & florebit. Quos igitur turbines metueremus, ad quas tempesta-

tempestates trepidaremus? Sed vnde certum habeamus, quòd Hierusalem & sanctuarium, seu Ecclesia Dei firmiter constent, ac semper floreant, nec possint vllis tempestatibus, quamuis sæuissimis, exarescere, docet versiculus qui sequitur: Deus, inquiens, est in medio eius, videlicet vrbis Hierusalem aut Ecclesiæ, quare fieri non potest, vt commoueatur aut conculcetur. Tametsi enim contingat ei aliquid aduersi, vt varia solet esse fortuna populi Dei in hoc seculo, tamen Deus statim præstò adest, & adiuuat eam ante auroram, hoc est, summo mane, & satis tempestiuè, ac illo præsertim tempore, quo & necesse est & opportunissimum. Sed & illud operæpretium est cognoscere, vnde sciamus, quòd Deus sit in medio Hierusalem seu Ecclesiæ suæ. An non enim cœlum est thronus Dei, & terra scabellũ eius? An non Deus implet cœlum & terram? Certè implet, sed maximè omnium est in medio vrbis Hierusalem & in tabernaculo eius, promissione gratiæ, ac certitudine auxilij sui. Ac primùm de externa vrbe Hierusalem, quæ fuit suis temporibus præcipua sedes Ecclesiæ Dei, dicit DOMINVS:

Elegi Hierusalem, vt sit nomen meum in ea, & elegi Dauid, vt constituerem eum super populum meum Israel. Et iterum: 2. *Paral.* 6.

Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 2. *Paral.* 7.

Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. *Psal.* 131.

Cum igitur ciuitas Hierusalem & templum eius tam claras & insignes habeant promissiones Dei, nõ est metuendum aut desperandum de incolumitate
2. Paral. 12. eorum, etiamsi vel Sesac rex Ægypti, vel Rezin rex
Esa. 7. Syriæ, vel Sancherib rex Assyriorum minetur eis
Esa. 38. deuastationem & extremam internitionem.

Dices autem: Quid ergo est, quòd Nebucad Nezar rex Babylonius deuastauit vrbem Hierusalem, & exussit templum in ea, ac abduxit ciues captiuos in Babylonem? Vbi tunc erant riuuli aquarum, quibus ciuitas lætificaretur? Intelligamus igitur rectè, quod de conseruatione Hierusalem dicitur. Nam si loquendum est de externa vrbe Hierusalem, non est
Gen. 22. dubium, quin iam inde à temporibus Abrahami electa sit diuinitus, vt esset ibi domicilium Arcæ testamenti seu propiciatorij, ac sedes piæ doctrinæ, quæ & suo tempore excitanda esset, & tantisper saluacõ seruaretur, dum externum semen Abrahæ nomen Ecclesiæ Dei retineret, ac periodon suam compleret. Tametsi enim sæpè ac multùm afflicta est ab hostibus suis, ac tandem quoq; à Babylonijs vastata, tamen DOMINVS Deus noster aut conseruauit eam mirando modo, aut cum propter populi impietatem, Babylonijs deuastanda tradita esset, curauit, vt post septuaginta exilij annos iterum instauraretur, donec adueniret Christus, & spargeretur Euangelion eius in vniuersum orbem terræ. Quare, promissio de sempiterna conseruatione vrbis Hierusalem, hac in parte haudquaquam vana est & mendax, videlicet, si hanc sempiternam conseruationem intelligas de ea duratione, qua Deus semper vrbem Hierusalem,

vsq;

vsq; ad definitam suam periodon, vel oppugnatam mirabiliter defendit, vel conculcatã restituit, quemadmodum etiam de circumcisione dicitur: Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, videlicet, dum semen Abrahę esset Ecclesia Dei, vsq; ad aduentum Christi: nam postea amisit circumcisio nomen Sacramenti, & abrogata est. Et de possessione terræ Canaan: Dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Canaan in possessionem æternam, (hoc est) vsq; ad illud tempus, quo externum semen Abrahæ desinet esse populus & Ecclesia Dei. Et de seruo recipiente se apud dominum suum mansurum: Assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus eius, & seruiet tibi vsq; in æternum, hoc est, vel vsq; ad Iubilæum, vel vsq; ad mortem. Si autem loquendum est de spirituali vrbe Hierusalem, quo nomine intelligitur vera Ecclesia DOMINI, non ex Iudæis tantùm, verùmetiam ex omnibus gentibus collecta, prolixæ extant promissiones, quòd Deus conseruaturus sit eam, non vno tantùm seculo, non vno tantùm Iubilæo, sed in omnem æternitatem, in hoc quidem seculo, in omnibus aduersis, in morte denique ipsa, in futuro autem seculo, felicitate in æternum nunquam finienda: Cum transieris, inquit DOMINVS, per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma nõ ardebit in te, quia ego DOMINVS Deus tuus, sanctus Israel saluator tuus. Et iterum: Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi

Gen. 17.

Exo. 21.

Deut. 15.

Esa. 43.

Esa. 60.

DOMI-

DOMINVS in lucem ſempiternam, & complebun-
Matth.16. tur dies luctus tui. Ac rurſus: Super hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non pre-
Ioan. 10. ualebunt aduerſus eam. Et iterum: Oues meæ vo-
cem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequun-
tur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt
in æternum, neq; rapiet quiſquam eas è manu mea.
Et aliâs: Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad
conſummationem ſeculi. Extant infinitæ id genus
promiſsiones, quibus Chriſtus filius Dei recepit ſe
Eccleſiam ſuam, non generaliter tantùm, ſed etiam
peculiariter, quemuis in ipſum credentem, perpetuò
conſeruaturum.

Confidamus igitur optimè in quauis fortuna, nec
dubitemus, quin cum Deus ſit in medio Eccleſiæ
ſuæ, clementer & potenter efficiat, vt, quod hic
Pſalmus dicit: Riuuli fluminum Eccleſiæ non exic-
centur, ſed recreent & lætificent eam, nec vnquam
cõmoueatur vt pereat, ſed iuuetur diuinitus in om-
nibus aduerſis, mirabilius, quàm quiſquam optare,
nedum ſperare poſſet.

6. *Fremant (licet) gentes, commoueantur regna, (tamen ſimul atq; DOMINVS) dederit vocem ſuam, de-fluit terra.*

7. *DOMINVS Zebaoth nobiſcum, protector noſter Deus Iacob.*

Quod ſuprà verſiculo ſecundo & tertio de ſub-
uerſione terræ, de translatione montium in mare, ac
de tumore aquarum dixit, hoc nunc exponit de fre-
mitu

mitu gentiũ, & concurſatione regnorum ac populorum aduerſus Eccleſiam Dei, vt hac occaſione repetat & inculcet etiam, quod de præſentia, fauore, & tutela ſeu protectione DOMINI Dei noſtri dixit: Multæ ſunt, inquit, & magnæ afflictiones Eccleſiæ: fremunt aduerſus eam gentes: cooriuntur in eam non vna tantùm & altera ciuitas, ſed tota regna, & potentiſsimæ Monarchiæ, ac illud vnum conantur, vt ipſam ſubuertant & deleant: ſed ſimul atq; DOMINVS dederit vocem ſuam, ac ſeu tonitru, ſeu alia ſignificatione iram ſuam teſtificetur, non ſolùm vnũ & alterum regnum, verùmetiam vniuerſa terra contremiſcat & contabeſcat neceſſe eſt, tantùm abeſt, vt aduerſus Eccleſiam Dei conſiſtere queat. Huic verſiculo Pſalmi teſtimonium fert, quod extat in Exo. cap. 14. Reſpiciens DOMINVS ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, &c. Et illud, quod dicit DOMINVS Deute. cap. 2. Hodie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, ac dolore teneantur. Et exemplum apud Samuelem: Intonuit DOMINVS fragore magno in die illa ſuper Philiſtijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filijs Iſrael. Similiter exemplũ ædítum in exercitu regis Ioſaphat, probat, DOMINVM non tonitruis tantùm, verùmetiam citharis & canticis hoſtes Eccleſiæ ſuæ ita perterrefacere, vt in ſemetipſos vertantur, & mutuis vulneribus concidant. Quid autem commemorem Apoſtolica tempora? Apoſtolis ablegatis in orbem terrarum, ad

1. *Samu.* 7.

2. *Paral.* 20.

adnunciandum Euangelion Christi, obsistebant, Iudæi, Gentes, maiores, minores, domi..i, serui, politæ, Monarchiæ, principes, reges & subditi, breuiter, omne hominum genus: & tamen necesse habuerunt voci Euangelij locum dare, vt Ecclesia Christi in vniuerso mundo colligeretur. Quod autem generaliter de Ecclesia dicitur, hoc etiam peculiariter de quouis homine, Ecclesiæ per fidem insito, intelligendum est, vt etiamsi totus Sathanarum chorus, vnà cũ peccato, morte & inferno in ipsum fremant, sæuiant, & grassentur, eluctetur tamen & euadat. Sed quid illud est, quòd reddat nos certos, & confirmet animum nostrum, vt sciamus DOMINVM oppressurũ hostes nostros, siue illos corporales, siue spirituales, & nos miserrimè afflictos seruaturum? Hic iam tertiò repetit, quod in primo & quinto versiculis dictũ est: Deus nostra est tutela, & Deus in medio eius. Dicit enim: DOMINVS Zebaoth nobiscum, protector noster Deus Iacob. Si DOMINVS Zebaoth nobiscum, quis contra nos? Si Deus Iacob noster est tutor, defensor & protector, quem metuemus? quis nocere poterit? Rectè: Sed cognoscere, num DOMINVS sit nobiscum, & sit protector noster, hoc opus, hic labor est. Multa enim cum hac fidei notitia & certitudine pugnant: Scimus Deum esse iudicem seueriſsimum, scimus nos esse peccatores sceleratiſsimos, quid igitur spei nobis de præsentia & fauore Dei in aduersis nostris relictum est? De hac re admonuimus precatorem etiam paulò antè.

Roma. 8. Et respondet nobis Paulus: Quis (inquiens) intentabit crimina aduersus electos Dei? (sunt aũt electi

Dei,

Dei, qui credunt in Christum filium Dei, de quo pater ipse Deus dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est) Deus est, qui iustificat, quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei? (qua videlicet Deus nos propter Christum cõplectitur) Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Huc faciunt etiam Epitheta, quæ Deo in hoc versiculo tribuuntur. Vocatur enim Deus Zebaoth, hoc est, exercituum, seu militiarum, quòd cum Deus habeat in sua potestate, omnem tàm angelicum, quàm humanum principatum, exercitum, virtutem & dominium, satis potens sit, qui queat nos in omnibus aduersis, & contra omnes hostes, siue corporales, siue spirituales defendere ac tueri. Vocatur et Deus Iacob, quòd, cum promiserit Patriarchæ Iacob, se in semine eius, (qui est Christus) benedicturum cunctas tribus seu familias terræ, & se fore custodem eius, quocunq; perrexerit, satis clemens & misericors sit, qui VELIT nos protegere & conseruare. Incumbamus igitur in illud studium, vt fide nostra complectamur Iesum Christum filium Dei, sic enim non erit dubitandum, quin Deus Zebaoth, & Deus Iacob sit nobiscum, & protector noster in omnibus afflictionibus.

8. *Venite, videte opera DOMINI, quasnam faciat vastationes in terra.*

9. *Compescat bella vsq; ad fines terræ, arcum conterat, & abscindat lanceam, bellicos currus comburat igni.*

Suprà consolatus est Spiritus sanctus afflictum & grauitate ac magnitudine ærumnarum perturbatũ, verbis & promissionibus, de præsentia & fauore Dei: Ne metuamus, inquiens, etiamsi omnia videantur conclamata, quia Deus est spes, fortitudo & auxilium nostrum: Deus est in medio nostri, & rigat Ecclesiam suam, vt floreat: Deus adiuuat eam, vt non exaresçat: DOMINVS Zebaoth nobiscum est: Deus Iacob refugium nostrũ est, & protector noster. Nunc autem quod verbis dixit, & promissionibus confirmauit, hoc factis testificatur, & exemplis probat: Venite, inquiens, & videte opera DOMINI. Illud vult dicere: Si non creditis verbis promissionum mearum, credite operibus, credite exemplis, quibus reipsa patefeci & comprobaui, quòd ad tuendam & conseruandam Ecclesiam meam, deuastem regna & Monarchias, quæ susçipiunt eã opprimendam, & compescam bella in toto orbe terrarum, ac confringam hastas, & conteram, adeoq; comburam omnes hostium arcus, vt Ecclesia mea seruetur & liberetur. Vide mihi exemplum Abrahæ. Rex Ægypti rapit vxorem eius, quæ est maxima iniuria. Sed Deus flagellauit regem plagis maximis, & familiam eius, vt cogeretur reddere Abraamo vxorem suam inuiolatam. Et iterum rapitur ei vxor ab Abimelech rege Gerare: sed Deus minatur regi præsentẽ mortem, nisi Abrahæ suam restituat mulierem. In Exodo, quoties & quàm horrendis plagis affligitur Pharao & vniuersa Ægyptus, quòd cogitarent Ecclesiam Dei opprimere? Et tandem vniuersus exercitus Pharaonis obruitur aquis maris rubri, vt ecclesia Dei

Gen. 12.

Gen. 20.

Exo. 7.

Exo. 14.

Ægyptiaca

Ægyptiaca tyrannide liberaretur. Et quid? an non omnes gentes Cananææ deletæ ſunt, & vniuerſa regna eorum deuaſtata, vt Eccleſia Dei in terra diuinitus promiſſa collocaretur? Hoc certè eſt vaſtationes in terra facere, bella compeſcere in toto orbe Cananæo, conterere arcum, confringere lanceas, & comburere arcus bellicos hoſtium, vt Eccleſia Dei ſeruetur, & tranquillam vitam conſequatur. Etſi aũt Iſraelitæ, qui ſuis temporibus erant electa Dei Eccleſia, iterũ è ſua terra propter idolomaniam populi eiiciuntur, & in exiliũ Babylonicum abducuntur, tamen tantum curæ ſunt DOMINO, vt ad liberandum eos, tradat Babylonicam Monarchiam Perſis & Medis, diripiendam & vaſtandam: Propter vos, inquit DOMINVS per Eſaiam, emiſi in Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes. Ac rurſus: Hæc dicit DOMINVS Chriſto meo Cyro, cuius appræhendi dextram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes. Et mox: Dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorũ, vt ſcias, quia ego DOMINVS, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael, propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, &c. Quod de Eccleſia Iſraëlitica dicitur, hoc etiam de vniuerſa gentium Eccleſia, poſt diuulgatũ Euangelion Chriſti, idem Propheta futurum vaticinatur: Gens (inquiens) & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes, (quæ in te graſſantur) ſolitudine vaſtabuntur. Huc referendi ſunt omnes Tyranni, qui iam inde à Nerone perſecuti ſunt Eccleſiam Chriſti crudeliter, ac inprimis Imperator Iulianus, qui ſtatuerat, quoquo modo poſſet, nomen

Vide hiſtoriam Ioſuæ.

Eſa. 43.

Eſa. 45.

Eſa. 60.

Christi, vnà cum Ecclesia sua delere, sed Deus defendit, & pergit conseruare eam tam potenti dextra, vt in media etiam morte, & inferni tentationibus salua constet, ac ad æternam felicitatem euadat. In hæc & alia id genus miranda opera Dei iubet nos Spiritus sanctus intueri, vt fidem nostram in omnibus nostris aduersis confirmemus.

10. *Estote tranquilli, & cognoscetis quòd ego sim Deus, qui glorificer inter Gentes, glorificer in terra.*

11. *DOMINVS Zebaoth nobiscum, protector noster Deus Iacob.*

Concludit Psalmũ cohortatione, qua docet, quòd promissiones & opera Dei, seu miracula seu alia exempla, quæ iussit intueri, non cesserint tantùm in vsum eorum, de quibus nominatim scripta sunt, sed cedant etiam in vsum omnium illorum, qui ex ijs fidẽ suam confirmant, & opem Dei in omnibus suis afflictionibus firma spe expectãt: Estote, inquiens, tranquilli: nolite quouis doctrinæ vento circumferri: nolite fluctuanti animo in vestris ærumnis, nunc de illo, nunc de alio remedij genere periculum facere: nolite properare, (quod increduli faciunt) ad auxilia illicita, & diuinitus prohibita, sed sitis tranquillo animo, & expectate cœlestem quisq; opem, quæ & promissionibus Dei significata est, & varijs exemplis ac miraculis comprobata. Sic enim cognoscetis tandem reipsa, & vestra ipsorum experientia, quòd Ego, inquit, sim Deus, qui glorificer tàm inter Gentes, quàm in vniuersa terra, (hoc est) qui collatione cœlestis auxilij, & liberatione ex omnibus periculis

patefa-

patefaciam & illustrem gloriam nominis mei, non paucis tantùm Patriarcharũ exemplis, & in angustis tantùm finibus terrę Cananææ, sed etiam inter omnes gentes, & in vniuersa terra. Omnis enim, OMNIS, inquam, qui fidit illi, non pudefiet. Nõ est distinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem Dominus OMNIVM, dives in OMNES inuocantes se. QVISQVIS enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Hortatur & alias Spiritus sanctus nos in aduersis ad silentium, ad tranquillitatem & expectationem: Si reuertamini, (inquit) & quiescatis, salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Ac rursus: Etsi visio in longũ differri videtur, tamen fiet vel tandem, & non mentietur: Si moram fecerit, expecta eam, quia veniens veniet, & non tardabit. Quare in aduersis opus est tranquilla expectatione & inuocatione nominis Dei, ex fide, vt veram salutem consequamur. Et quò animus noster fiat confirmatior, repetit in fine septimum versiculum, tanquam epiphonema, quo nobis omnis dubitatio de præsentia & clementia Dei eximatur: DOMINVS, inquiens, Zebaoth nobiscum, protector noster Deus Iacob. Quid ergo metueremus? quid ad insultum vel hominum vel Sathanarũ contremisceremus? Si DOMINVS Zebaoth, (qui est omnipotens rerum omnium administrator) nobiscum, quis contra nos? Si Deus Iacob, (qui promisit Patriarchæ Iacobo, se è posteritate eius missurũ Christum, ac iam quoq; misit, verum nostrum & æternum seruatorem) protector noster est, quis de salute sua dubitaret? Scimus autem ex fide in Christũ, Deum illum Zebaoth & Deum Iacob esse nobiscum, scimus

Roma.10.

Esa.30.
Abac.2.

ſcimus eum eſſe protectorem noſtrum, iuxta illud dictum Chriſti: Si quis diligit me, ſermonem meũ, (qui eſt ſermo Euangelij) ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et iterum: Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quî fieri poteſt, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Non eſt igitur nobis de vera noſtra ſalute vllus dubitationis locus relictus.

Ioan. 14.

Roma. 8.

VSVS HVIVS PSALMI.

Nullum non eſt tempus, quo non ſit aliquis huius Pſalmi vſus. Nam, ſi liberatus es diuino beneficio, ex ingenti periculo, & magnis calamitatibus, licebit eo vti pro gratiarum actione, quemadmodum ab *initio* dicebamus. Si in preſenti periculo irretitus teneris, exhortatio eſt ad ferenda aduerſa forti animo, certiſſima ſpe concepta, quòd qui te vocatione ſua in hoc periculum coniecit, dabit etiam euentum, vt feliciter euadas. Si autem metuis imminens periculum, muniendus eſt animus hoc Pſalmo, vt quicquid acciderit, excelſo animo aggrediaris, & obedienter tolleres, quòd fidelis ſit Deus, qui non ſinet nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciet vnà cum tentatione euentum, quo poſsimus ſuſferre.

2. Cor. 10.

Pſalmus

Psalmus 47.

Omnes gentes plaudite, &c.



VBium non est, quin Decalogus promulgatus sit in monte Sinai, singulari maiestate: & manifestũ est, arcam propiciatorij translatam & depositam esse insigni magnificentia, in templum à Salomone excitatum. Sed hæc spectacula non *Exo.19.20.* *3.Reg.8.* *2.Paral.5.* fuerunt tanti momenti, vt dederint huic Psalmo decantando occasionem. Decalogus enim vni tantùm genti in deserto promulgatus est, & obstupefecit ac exterruit magis auditores, quàm vt ad lætitiam & carmina gratulatoria excitârit. Arca verò testamenti deportata quidem est maximo populi applausu, in templum recens à Salomone ædificatum: hęc aũt nõ erat veritas, sed tantùm qualiscunq; veritatis adumbratio. Quare sentiamus Spiritũ sanctũ in hoc Psalmo longè maiora & excellẽtiora meditatũ esse, quàm quæ in vna tantùm Iudaica gente, & vmbratiliter gesta sint. Cæterùm, vt veram & propriam huius Psalmi sententiam assequamur, Psalmus ipse diligenter est considerandus, & res ipsæ in his terris gestæ huc conferendæ sunt. Nihil autem est in vniuerso orbe terrarum magis insigne, & excellentius actũ, quàm quod in die Pentecostes, de Spiritu sancto A-

postolis missō commemoratur. Cum enim temporibus Augusti Cęsaris Messias seu Christus filius Dei, natus esset homo, ab initio orbis promissus, & maximo omnium desiderio expectatus, etsi conuersabatur in terris, & ædebat miracula, tamen humilitate, exinanitione, & forma crucis, ita tectus erat, vt à pauciſsimis agnoſceretur verus Meſsias filius Dei, ſed potius ad mortem, vt κάθαγμα, cōdemnaretur. Postquam autem reſurrexiſſet à mortuis, et aſcendiſſet in cœlum, ac mitteret in die Pentecoſtes diſcipulis ſuis Spiritum ſanctum, ibi tum cœleſtibus teſtimonijs ac miraculis palàm patefactum & cōfirmatum eſt, primùm, quòd is Ieſus filius Mariæ virginis, nō tantum ſit verus homo, ſed etiã verus Deus, (hoc eſt,) aſſumptus à vero & æterno filio Dei, in vnam perſonam, non quidem conuerſione diuinitatis in carnem, vt verbis Athanaſij vtar, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Deinde, quòd is Ieſus ſit verus ille Meſsias ſeu Chriſtus, Patriarchis promiſſus, & à Prophetis adnunciatus, vt eſſet redemptor humani generis, à morte & æterna damnatione. Adhæc, quòd huic Ieſu data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ac breuiter, quòd Deus Pater collocauerit eum ad dextrã ſuam, vt eſſet æqualis cum ipſo maieſtatis, & omnia gubernaret, adeoq; in tãtam celſitudinẽ eueheretur, vt in nomine eius omne genu ſe flecteret, cœleſtiũ ac terreſtrium & infernorum. Hæc omnia de Ieſu Chriſto patefacta ſunt, miſſo Spiritu ſancto in die Pentecoſtes. Quare, cum Spiritus ſanctus videret hæc tam magnifica, & mirifica ſuis temporibus futura, excitat vniuerſam eccleſiam, ad concipiendum

ſummum

ſummum gaudium: & hoc Pſalmo, quaſi præit ei, vt agnoſcat maieſtatem Ieſu Chriſti, vera fide, & excipiat eum maxima animi gratitudine.

1. *Omnes populi plaudite manibus, iubilate Deo vòce hilari.*

Primùm omnium hortatur & vocat non vnũ tantùm populum Iſraeliticum, ſed omnes, in vniuerſo orbe terrarum, tam Iudæos, quàm Gentes, ad gaudium & hilarem iubilationem. Chriſtus enim non Iudæorum tantùm Deus eſt, ſed etiam Gentium qui iuſtificat circumciſionẽ, vt Paulus loquitur, ex fide, & præputium per fidem. Deinde addit rationes, cur ſit gaudendum & iubilandum. Aduertamus igitur animum, quid cauſæ ſit, quòd omnes populi ſeu circumciſi ſeu incircumciſi, ſeu maiores ſeu minores debeãt manibus plaudere, & præ gaudio exultare. Sequitur. *Rom. 3.*

2. *Quia DOMINVS eſt excelſus, reuerendus, Rex magnus ſuper omnem terram.*

Oſtendimus paulò antè, hunc Pſalmum deſcribere & decãtare maieſtatẽ DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Quis ergo & qualis eſt Ieſus Chriſtus, vt ſciamus nobis meritò propter reuelatam eius magnificentiã gaudendũ & manibus plaudẽdũ eſſe? Principio, Ieſus Chriſtus eſt DOMINVS Iehoua, (hoc eſt,) Nõ eſt tãtùm homo, ſed eſt etiã verus Deus: nõ eſt tãtùm filius hominis, ſed etiam filius Dei. Nõ tamẽ ſunt duo, ſed vnus tãtùm. Chriſtus. Vnctũ, (quemadmodũ paulò

antè ex Athanasio recitauimus) non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantię, sed vnitate personę. Homo igitur ille Iesus, filius Mariæ, dicitur & est verus Deus Iehoua, duplici nomine. Altero, quòd verus filius Dei, secunda persona in deitate qui ab æterno, à Deo Patre suo, eiusdem cum Patre substantiæ & maiestatis, inenarrabiliter genitus est, assumpserit eum in vnitatem suæ personæ, vt quemadmodum anima rationalis & caro, vnus est homo, ita Deus & homo vnus sit Christus. Altero, quòd æternus filius Dei ornauerit eum omni sua maiestate, & euexerit eum, ad dexteram Dei Patris sui, vt omnia per ipsum tam in cœlo, quàm in terra gubernet. Deinde, etsi, cum dicitur, hominem Christũ esse DOMINVM Iehoua, vno nomine omnis cœlestis & diuina maiestas cõtinetur, tamẽ visum est Spiritui sancto copiosius explicare. Homo igitur Chris-
Lu. 1. stus, est excelsus, summus, & altissimus: Filius (inquit Angelus) altissimi vocabitur. Postquã. n. assumptus est a filio Dei in vnitatẽ suę personæ, exaltatus est in summã maiestatem, & collocatus ad dextrã Dei, vt superaret omnẽ celsitudinẽ siue humanã siue angelicã, adeoq; esset et dominaretur, vbicũq; æternus ipse filius Dei est & dominatur. Deus exercuit in Christo, in-
Ephes. 1. quit Paulus, efficatiam roboris fortitudinis suæ, cum suscitaret eum à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatũ, ac potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, nõ solùm in seculo hoc, verùmetiã in futuro. Quid ergo inter creaturas excelsius est & sublis-

ſublimius illo, qui aſſumptus eſt à filio Dei in vnitatem ſuæ perſonæ, & collocatus ſuper omne tam humanum, quàm angelicum nomen. Hoc verè eſt, non quidem in diuinam maieſtatem mutari, ſed diuina maieſtate ornari. Præterea, homo Chriſtus eſt Reuerendus (hoc eſt) eò euectus, vt metuant & adorent eum omnes fines terræ. Hoc illud eſt, quod Paulus ad Philippenſes ſcribens, Deus, inquit, extulit eum in *Philip. 2.* ſummam ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd DOMINVS ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriam Dei Patris. Vnde & meritò reportat illud, quod in hoc Pſalmi verſiculo ſequitur, epitheton: Rex magnus ſuper omnem terram. Spiritus ſanctus non tribuit facilè creaturæ, quamuis excellenti, cognomen, Magni. Creatura enim iudicatur in conſpectu eius tam puſilla, vt Propheta *Eſa. 40.* dicat eum metiri aquas pugillo, & ponderet cœlos palmo, ac libret in pondere montes, & colles in ſtatera. Et mox: Ecce Gentes, quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputantur. Ecce inſulæ, quaſi puluis exiguus. Sed cũ hoc loco tribuat homini Chriſto cognomẽ Regis MAGNI, idq; ſuper omnẽ terrã, manifeſtum eſt, magnitudinem eius excellere omnẽ tã corporalẽ, quã ſpiritualẽ creaturã. Quod & Chriſtus ſuis ipſe verbis palàm teſtificatur: Data eſt mihi (inquiẽs) OMNIS poteſtas in cœlo & in terra. Quid eſt omnis poteſtas, niſi omnipotentia? idq; nõ in vno tantùm angulo terræ, aut in vno & altero terræ regno, qualis poteſtas fuit Salomonis, in regno Iſrael,

aut NebucadNezaris in Monarchia Babylonica, ſed in vniuerſa terra, nec in terra tantùm, verùmetiam in cœlo. Quis tantam poteſtatem vel mente cogitare, vel ſermone explicare poſſet? Dicũt quidem φρονιμάτοι, & hoſtes maieſtatis Chriſti, tantã duntaxat poteſtatem homini Chriſto collatam, quanta creaturæ cõferri potuerit, & hominem Chriſtum dici quidem nomine, non autem eſſe re ipſa omnipotentem. Sed nos ipſi quoq; fatemur hominem Chriſtum eſſe natura ſua creaturam, neq; enim fuit humanitate ſua ab ęterno, ſed in plenitudine tẽporis, in vtero virginis creatus. Hæc autem creatura excellit omnes alias creaturas, dignitate & maieſtate, primùm, quòd aſſumpta ſit à creatore filio Dei, in vnitatẽ ſuæ perſonæ. Hęc dignitas nulli alteri creaturæ, nec humanæ, nec Angelicæ contigit. Deinde, quòd collocata ſit ad dextram Dei Patris omnipotentis: quod & ipſum nulli alteri creaturæ contigit, neq; enim ad vllum vnquam Angelorum dictum eſt: Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ac ſi fortè pij homines dicuntur conſedere cum Chriſto in cœleſtibus, nõ intelligendum eſt, quòd Chriſto ad dextrã Dei in maieſtate ſedenti, ſint æquales, ſed quòd maieſtatis Chriſti ſuo modo participes fiant, quemadmodum & apud Matthæum dicuntur ſedere ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Quid autem collocari ad dextram Dei Patris omnipotẽtis aliud eſt, quàm collocari in omnipotentia? Dextera enim Dei, omnipotentia Dei eſt. Cum igitur homo Chriſtus ſedeat ad dexteram Dei, & æquali ſit cum Deo potentia

[*Heb.1.*] *Eph.2.* *Matth.19*

& ma

& maiestate, ac omnia tam in cœlo, quàm in terra, non absens, sed præsens gubernet, vocatur optimo iure non nomine tantùm, sed & reipsa Rex magnus super omnem terram. Et quia Deus voluit, iuxta Prophetica & Apostolica testimonia, vt in hac creatura inhabitaret omnis plenitudo deitatis corporaliter, & vt eueheretur supra omnem principatum, ac omne nomen, quod nominatur tam in hoc, quàm in futuro seculo, ad dextram ipsam Dei, idcirco potuit eam etiam ad tantam celsitudinem euehere & extollere, propterea quòd velle Dei, sit posse Dei, vt recte dixerit alius Psalmus: Omnia, quæcunq; voluit Deus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abysis. Ac aliæ quidem creaturæ suam quæcq; mensuram à Deo accipiunt, in illa autem, quę est homo Christus, complacitũ est Patri vniuersam plenitudinem sine mensura inhabitare. Agnoscamus igitur fide hunc magnum Regem Christum DOMINVM nostrum, vt & nos magnitudine eius fruamur, & plenitudinis eius participes fiamus.

Col. 2. *Eph. 1.* *Psalm. 135.* *Col. 1.* *Ioan. 3.*

3. *Ducit populos subtus nos, & nationes subtus pedes nostros.*

Pro verbo (Ducit) Hebræus habet ירבר Iadber, Et quia vocabulum דבר Deber, non tantùm significat sermonem, sed etiam pestem, ac interficere, idcirco nonnulli interpretantur hunc versiculum, de interfectione & vindicta, quam rex Christus sumpturus sit de hostibus Ecclesiæ suæ, & eos oppressurus. Sed idem vocabulum, & eadem sentẽtia habetur in Psalmo 18. vbi Christus dicit: Subdis, (aut iuxta ver-

bi

bi eius proprietatem, ducis, quemadmodum pastor oues ad pascua ducit) populos sub me, idcirco sequemur & hoc loco eandem sententiam. Postquam igitur Psalmus proposuit nobis Christum DOMINVM Iehoua, excelsum, reuerendum seu adorandum, & Regem magnum, super omnem terram, pergit nunc hoc versiculo exponere, quomodo hic Rex magnus administret ac gubernet regnum suum, in hoc mundo. Alij enim Reges, si quando suscipiũt alienos populos & nationes imperio suo subiugandas, parant arma, ducũt exercitum equitum & militum, vastant longè lateq; regiones, & subijciunt eas sibi, qua possunt violentia. Rex Christus autem, subijcit sibi & Ecclesię suę populos & nationes, longè alia ratione. Dicit enim Apostolicus cœtus, seu Ecclesia ipsa, cuius Apostoli sunt ministri: Tu Rex Christe, non adiungis, non subijcis nobis populos & nationes, violenta manu, & externa coactione, sicut Monarchæ huius seculi, sed ducis, DVCIS, inquam, eas subtus nos & pedes nostros. Quemadmodum enim pastor non cogit gregem suum ad pascua, manu gladio armata, sed vocat, ducit & minat eum suaui sono fistulæ, & iucunda oris voce: ita & tu Rex Christe colligis Ecclesiam tuam ex omnibus populis, qui est sub cœlo, & adducis eos nobis, vt subtus nos & pedes nostros subijciantur, (hoc est) vt Euangelion, quod Apostoli in Ecclesia adnunciant, obedienter agnoscant, & se imperio eius, magna animi promptitudine & alacritate tradant. Hoc prorsus illud est, quod *Esa.60.* Esaias de vocatione Gentiũ in Ecclesiã Christi dicit: Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Omnes isti con-

congregati ſunt, venerunt tibi, Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Et mox: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabũt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. Et Chriſtus ipſe: Animam meam pono pro ouibus, Et: Alias oues habeo, quę nõ ſunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, vnus paſtor. Plaudamus igitur manibus, & agamus Deo gratias, quod dederit nobis Chriſtum, talem Regem & paſtorem, qui ducat nos ad optima Euangelij ſui paſcua, quibus ad cœleſtem & æternam vitam enutriamur. *Ioan. 10.*

4 *Eligit nobis hæreditatem noſtram, magnificentiã Iacob.*

Quod in verſiculo proximè præcedenti de vocatione Gentium in Eccleſiam Chriſti dixit, hoc nunc alia ſermonis forma exponit. Et quia hîc fit mentio magnificentiæ Iacob, repetenda erit ex libro Geneſeos hiſtoria illa, in qua promittitur Patriarchæ Iacobo Chriſtus, & vocatio Gentium ad Eccleſiam Chriſti, vt quid ſibi hic verſiculus uelit, rectius intelligamus. In Geneſi enim cap. 28. cùm Patriarcha Iacob, (quem Deus ſingulari fauore proſequebatur, & vt per Prophetam poſtea dixit: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui,) fugeret fratrem ſuum Eſau, & proficiſceretur in exiliũ, vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum,

angelos quoq; Dei aſcẽdentes & deſcendẽtes per eã, Et DOMINVM innixũ ſcalæ dicentẽ ſibi: Ego ſum DOMINVS Deus Abrahã patris tui, & Deus Iſaac. Terrã in qua dormis, dabo tibi, & ſemini tuo: eritq; ſemẽ tuũ, quaſi puluis terræ. Dilataberis ad Orientẽ & Occidentẽ, & Septentrionẽ, & Meridiẽ, & benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus, quocunq; perexeris, &c. Hęc eſt promiſsio longè omniũ magnificentiſsima. Vnde & Iacob vocat eũ locũ, in quo hęc promiſsio facta eſt, Bethel, hoc eſt, domum Dei, & portam cœli. Ac videtur quidem, quòd hæc promiſsio iuxta literam, nihil aliud contineat præter terrena bona, hæreditatem regionis Canaan, multiplicationem carnalis poſteritatis Iacob, & dilatationẽ eius vſq; ad terminos Cananæos. Sed Spiritus ſanctus longè maiora & excellẽtiora intelligit. Cum enim promittit benedictionem in ſemine Iacobi, promittit Chriſtum DOMINVM, è poſteritate Iacobi naſciturum, vt in ipſo omnes qui credunt, veram, cœleſtem & æternam benedictionẽ conſequantur. Cum promittit dilatationem ſeminis ſeu poſteritatis Iacobi, vſq; ad quatuor plagas terræ, promittit vocationẽ Gentiũ ad Eccleſiã Chriſti, è toto orbe terrarũ, ab Oriente, Occidente, Septẽtrione, & Meridie. Quæ promiſsio facta eſt Iacobo inſigni magnificẽtia, & viſendo apparatu. Videbat.n. Iacob ſcalã ſtantem in terra, & porrigẽtem ſe vſq; ad cœlũ. Videbat angelos in ſcala deſcẽdentes & aſcẽdentes. Videbat item DOMINVM ſcalæ in ſuperiori extremitate incumbentem, & promittentem ipſi maiorem hæreditatem, quàm vnquam optare nedum ſperare potuiſſet

potuiſſet. Rectè igitur Pſalmus vocat eam, magnificentiam Iacob, & ſignificat hoc verſiculo, impleri per Chriſtum, quòd & ipſe ſit ſemen illud benedictum, Iacobo promiſſum, & ſeligat atq; colligat per Euangeliõ ſuum ex omnibus populis & nationibus in toto orbe terrarum veram Eccleſiam, quæ eſt vera poſteritas Patriarcharum, Abraham, Iſaac & Iacob. Seligit (inquit) nobis hæreditatem noſtrã, Iacobo magnificentiſsimè promiſſam, (hoc eſt) Chriſtus, quod longè antè, de vocatione Gentium ad Eccleſiam promiſſum erat, copioſè & abundanter implet. Seligit enim & adducit in Eccleſiam ſuã nõ Iudæos tantùm, ſed etiam Gentes, quæ dicuntur hæreditas tam Chriſti, iuxta illud Pſalmi ſecũdi: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, quàm Eccleſiæ, quòd iam olim promiſſum erat, Gentes ad Eccleſiam Chriſti acceſſuras. Non arbitremur autem vocationem Gentium tradi nobis in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis otioſe. Primùm em̃ Gentiũ vocatio ad Eccleſiam populi Dei, certiſsima teſtificatio eſt, quòd Ieſus Nazarenus filius Mariæ ſit verus ille Meſsias ſeu Chriſtus, qui ab initio orbis, ſeruator mũdi, promiſſus eſt. Patriarchæ. n. & Prophetę, Spiritu ſancto excitati, adnunciauerunt futurũ, vt tẽporibus Meſsiæ, Gentes acceſſuræ ſint ad Eccleſiã populi Dei. Nõ eſt aũt quiſpiã in vniuerſo humano genere, cuius nomine & prædicatione Gentes Idolatrę abiecerint ſuam Idolomaniã, & acceperint cognitionem veri Dei, prętercq; in nomine DOMINI noſtri Ieſu Chriſti per Euangelion eius, quod concionibus Apoſtolicis adnunciatum eſt in toto orbe terrarum

Eſa. 60. 61. 62.

Rom. 9.
Ioan. 15.

inter omnes Gentes. Quare, cum Gentes agnouerint verum Deum, & accesserint ad Ecclesiã populi Dei, per prædicationẽ Euangelij de Iesu filio Marię, manifestum est, & comprobatum, hunc Iesum esse verum Messiam seu Christum ab initio conditionis mundi promissum. Deinde, Gẽtium vocatio palàm declarat, quale sit regnum Christi in his terris. Nam, cum Gentes nullis mũdanis armis coactæ, sed tantum credentes Euangelio per Apostolos adnunciato, accesserint ad Ecclesiam populi Dei, & victoriam, in media etiã morte, ab hostibus suis per Christum reportauerint, dubitandum non est, quin regnũ Christi in hoc seculo non sit carnale & mundanum, sed spirituale & cœleste. Postremò Gentium vocatio docet quomodo iustificemur coram Deo. Iudæi enim, qui sectabantur legem iustitiæ, vt Paulus ait, *Roma. 9.* ad legem iustitiæ non peruenerunt. Propter quid? Quia nõ ex fide, sed tãquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. Gentes autem, quæ non sectabantur iustitiam, appræhenderunt iustitiam, iustitiam autem eam, quæ est ex fide. Quare nomine vocationis Gentiũ admoneamur de modo, quo coram Deo iustificamur, videlicet, quòd accipiamus remissionem peccatorum, & reputemur corã Deo iusti non propter vlla merita operum, non propter vllam humanam nostram iustitiam, sed tantùm gratis, ex mera & gratuita clementia Dei, propter solùm Iesum Christum, si in ipsum credimus. Huic *Act. 10.* Christo, inquit Petrus, omnes Prophetæ testimoniũ ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomẽ eius, quisquis crediderit in eum. Et iterum:

rum: Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum su- *Act.15.*
per ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus, sed per gratiam DOMINI Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Ac rursus: Arbitramur fide (in Iesum Christum) iustificari hominem absque operibus legis.

5. *Ascendit Deus Iubilo, DOMINVS voce tubæ.*

Epilogus non quidem totius Psalmi, sed prioris tantùm partis de maiestate Christi. Illud autem vult dicere. Commemorauimus Christum esse DOMINVM excelsum, adorandum, Regem magnum super omnem terram, & adiungere Ecclesiæ suę Gentes, sicut quondam promissum fuit Patriarchę Iacob. Quid verò pluribus opus? Conferam summam maiestatem Christi in pauca. Christus verus Deus & DOMINVS ascendit maximo omnium tam Angelorum, quàm piorum hominum gaudio, & cœlesti apparatu. Quò autem ascendit? In cœlum. Rectè, *Act.1.*
Notissima ẽm est historia de ascensu Christi in cœlum, quę testificatur, eum quadragesimo die à resurrectione sua à mortuis, spectante choro Apostolorum & aliorũ discipulorum, eleuatum esse in altum, & à nubibus ab oculis ipsorum sublatum. Sed quid? num hæsit in nubibus immotus, & adhuc ibi visibili forma commoratur? Nihil minus. Sed ascendit in cœlum. Quid? Num, vt in corporali cœlo, corporali modo aut in vno tantùm loco circumscribatur, aut nunc ibi sedeat, nunc stet, nunc deambulet? Sic qui-

dem ſomniant ἀδόκιμοι περὶ τὰ πίστιν. Sed ita aſcendit in cœlum, vt euadat ſuper omnes cœlos, quemadmodum Paulus ait, & ſedeat ad dexteram Dei Patris omnipotentis, hoc eſt, vt æqualem cum Deo Patre habeat potentiam & maieſtatem, & gubernet præſens cum ipſo omnia, in cœlo & in terra. Ac æternus quidem filius Dei, cum aſſumeret hominem in vnitatem ſuæ perſonæ, auexit eum, vt ita dicam, ſecũ, in cœleſtem gloriam, ad dextram Dei Patris ſui omnipotentis, arcano quodam, & inuiſibili aſcenſu, quam tamen gloriã & maieſtatem Chriſtus tempore ſuæ humiliationis & exinanitionis non voluit, niſi ædendis aliquot miraculis, & alijs quibuſdam argumentis palàm oſtentare. Poſtquam autem reſurrexit à mortuis, & aſcẽdit in cœlũ, ac miſit diſcipulis in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum, ibi tum cœpit maieſtatẽ ſuam palàm ita patefacere, vt manifeſtè cognoſceretur, Deum Patrem omnia, quæ habet, dediſſe ei. Sicut & Petrus teſtatur: Hunc Ieſum, inquiens, ſuſcitauit Deus, cuius omnes nos ſumus teſtes. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſsione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hoc, quod nunc vos videtis & auditis. Ac mox: Certò ſciat tota domus Iſrael, quòd Dominum & Chriſtum fecerit (hoc eſt) declarauerit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. Et Paulus: Chirographum, quod erat contrarium nobis per decreta, ſuſtulit è medio, affixum cruci, expoliatoſq; principatus ac poteſtates, oſtentauit palàm, triumphãs de illis, per ſemetipſum. Hæc expoliatio & oſtentatio principatuũ, & poteſtatum, & hic triumphus Chriſti, eſt iubilus ille, & clangor tubæ, quo

Ioan. 16.
Act. 2.

aſcendit

aſcendit in cœlum ad dextram Dei Patris ſui omnipotentis. Cum igitur habeamus tantum ac talem triumphatorem, ad dexteram Dei, quæ non includitur in vnum tãtùm locum, ſed porrigit ſeſe in cœlum & terram, quid nobis faciendum eſt? Sequitur.

6. *Pſallite Deo, pſallite, pſallite Regi noſtro, pſallite.*
7. *Quoniam Rex totius terræ, Deus, pſallite ſapienter.*
8. *Regnat Deus ſuper Gentes, Deus ſedet in ſancto ſuo throno.*

Illud videlicet faciendum eſt, quòd cum habeamus Regem, non hominem tantùm, ſed heroẽm, adeoq; Deum ipſum, pſallamus ei, laudemus eum, & celebremus nomen eius ſapienter, hoc eſt, maxima diligentia, & ſummo ſtudio. Nam, vt ſciamus Pſalmum, canticum, & laudem Chriſti exigi à nobis ſeriò, nõ ſemel tantùm dicit, pſallite, ſeu canite, ſed repetit, & ingeminat, bis, ter, quaterue: Pſallite, inquiens, Deo, Pſallite Regi noſtro, pſallite, pſallite, inquam, ſapienter ſeu ſtudioſè. Hoc prorſus illud eſt, quod in alio Pſalmo dicitur: Cantate Deo, (Chriſto) Pſalmum dicite nomini eius, parate viam aſcendenti in lucem inacceſſam. Et iterum: Regna terræ cantate Deo, pſallite DOMINO, aſcendenti in cœlos cœlorum æternos. Ac in alio Pſalmo: Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude. Et placebit Deo magis, quàm taurus aut iuuencus, qui producit cornua & vngulas. Quis ergo eſt Pſalmus ille? & quod eſt carmen illud, quo tantopere Deus delectatur? Num Deus placatur ſuauitate modulationis

Pſalm. 68.

Pſalm. 69.

tionis rythmicæ? Non est quidem obscurum, quòd Psalmi seu carmina, quæ hypocritæ Deo, ad expiandā hoc operis merito peccata sua obtrudunt, non
Amos.6. sint ei grata. Væ vobis, inquit Propheta, qui canitis ad vocem Psalterij, sicut Dauid, putant se habere vasa cantici. Hoc autem loco nō fit sermo de hypocritarum canticis, sed de prædicatione Euangelij de Christo, quod Spiritus sanctus iubet ad omnem posteritatem propagari. Hic enim cantus, hic cultus Deo longè omniū gratissimus est, videlicet, vt maiestas Christi prædicatione Euangelij sui, siue id Psalmis fiat, siue simplici adnunciatione in toto orbe terrarum diuulgetur & illustretur. Officium autem hoc Deo gratū est, non quòd per se humana laude delectetur, Deus. n. non indiget aliena laude: sed illud vult, vt homines agnitione Christi veram & æternam salutem consequantur. De hominum salute agitur, vt ex prædicatione Euāgelij de Christo concipiant fidem, corroborentur in spe, & accendantur ad charitatem. Hæc exigit Deus à nobis, dum hortatur ad canendos Psalmos, (hoc est) ad doctrinam Euangelij propagandam, hæc vult Deus à nobis præstari, hæc illa sunt, quæ nobis propter Christum, ad æternam salutem cedunt. Agnoscamus igitur consilium Spiritus sancti, & sciamus, quòd cum tam sollicitè nos ad nomen & laudem Christi Psalmis & carminibus celebrandam, cohortatur, cogitet nos ad fidem, spem & charitatem, qui sunt cultus Deo gratissimi, & nobis maximè omnium salutares, excitare, & inflammare. Cæterùm, vt consilium & voluntatem eius clarius intelligamus, ac nihil intermittat,

quò

quo ad hos cultus excitemur, non piget eum repetere descriptionem maiestatis Christi, quam & paulò antè commemorauit. Psallite, inquiens, psallite. Ob quam causam? Quia Deus, (qui est Christus,) Rex est omnis terræ. Regnat enim non inter Iudæos tantùm, sed etiam inter Gentes, quas prædicatione Euangelij sui vocat ad Ecclesiam populi Dei. Et sedet in sancto throno suo. Ecquis est thronus ille, in quo Christus sedet? Audi Prophetam, Cœlum mihi thronus est, & terra scabellum pedum meorum. Audi & Psalmum: Dixit DOMINVS Domino meo, Sede à dextris meis. Dextra igitur Dei, quæ cœlum & terram implet, thronus Christi est, è quo omnia, quæ in cœlo & terra sunt, gubernat, & cũ tam insignem, tam magnificum habeamus Regem, agite, credamus Euangelio eius, confirmemus spem nostram in omnibus aduersis, & complectamur proximum charitate nostra, vt hoc Rege adiuti, & seruati, euadamus per mortem, ad perpetuam vitam. *Esaiæ 66.* *Psalm. 110*

9. *Principes populorum coniunguntur cum Deo Abrahami, quia super Deos, scuta terræ, valde exaltatus est (Deus)*

Vbi nos in hoc versiculo legimus עם Im, cum puncto Hirick, & significat CVM, ibi alij legunt עם Am, cum puncto patha, & significat, populus. Et tamen eadem est sententia, siue interpreteris Principes populorũ cõgregati sunt, vt sint populus Dei Abraami, siue Principes populorũ consocianẽ cũ Deo Abraami. Deinde, vbi nos interpretati sumus, super Deos, Hebræus textus habet לאלהים Lelohim, et ponitur

pro על אלהים Al Elohim. Significat autẽ hoc loco, non Deum cœleſtem, ſed Iudices & Magiſtratus, quos vocant ſcuta, hoc eſt, defenſores & protectores hominum, qui in terra morãtur, quemadmodum idem vocabulum in eodem ſignificato ſumitur in illo dicto Exodi: Diis (hoc eſt) Iudicibus & Magiſtratibus non detrahes. Cum igitur Pſalmus ſuprà commemorauit, Chriſtum Regem dominari tam inter Iudæos, quàm inter Gentes, & vocare eas in Eccleſiam populi ſui, nunc in hoc vltimo verſiculo commemorat eum ex Gentibus vocare nõ tantùm, vulgũ & fecem populi, verùmetiam Principes & Magiſtratus, adeoq; illos, qui ſunt ſcuta, & protectores terræ, ad Eccleſiam Dei Abraami. Hoc illud eſt, quod Chriſtus apud Matthæum ait: Multi ab Oriente & Occidente venturi ſunt, & accumbent cum Abraam & Iſaac & Iacob in regno cœlorum, filij verò regni eiĳcientur in extremas tenebras. Et antea, apud Eſaiam: Reges erunt nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Ac rurſus: Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Et mox: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. Vides magnificentiam Regis Chriſti ſuperare & excellere omniũ mundanorum Principum, Regum & Monarcharum maieſtatem, & vt hoc verbis huius Pſalmi dicam, Chriſtũ DOMINVM valde et incomparabiliter exaltatũ eſſe, ſuper omnes Deos, ſuper omnia ſcuta, ſuper omnes Magiſtratus & tutores huius terræ. Agnoſcamus igitur tantam Chriſti maieſtatẽ venerabundi, & celebremus eam, quibus poſſumus officijs, vt beneficijs eius perpetuò fruamur.

Exodi 22.

Matth. 8.

Eſaiæ 49.

VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Perſpicuum eſt, quòd hîc Pſalmus contineat encomium maieſtatis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, qua ſuperat omnem tam humanam, quàm angelicam celſitudinem. Quare, quemcunq; vſum habet Euangeliõ de Chriſto, eundem habet & hic Pſalmus. De prædicatione autem Euangelij, Paulus ad Romanos ſcribens, Euangelion, inquit, potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti, quiſquis igitur in Eccleſia populi Dei, ante incarnationem Chriſti, excitatus grauiſsimis calamitatibus, vel publicis Eccleſiæ Dei, vel priuatis ſuis ipſius, variè afficiebatur, & de ſalute ſollicitabatur, potuit ex recitatione, & pia conſideratione huius Pſalmi animum recipere, fiduciam ſuam confirmare, & veram ac certam ſpem ſalutis concipere. Finxerit enim vel cœlum ipſum ruiturum, tamen verus ille Rex & Meſsias, quem hic Pſalmus deſcribit, & qui ſuo tempore in hunc mundum venturus, & hominem aſſumpturus erat, non committet, vt vel è throno maieſtatis ſuę deijciatur, vel populum ſuum in aduerſis non tueatur & conſeruet. Qui verò poſt incarnationem Chriſti affligitur, & confert ſe ad commemorationem & conſiderationem huius Pſalmi, reipſa comperiet ea, quæ tot antè annis de Chriſto & regno eius adnunciata ſunt, nunc his temporibus, quoad eius in hoc ſeculo fieri poteſt, patefacta eſſe, & impleta. Quid igitur de ſalute vel Eccleſiæ, vel tua ipſius, adhuc dubitas? Qui nos ſeruat, & tuetur, Chriſtus DOMINVS Deus eſt, Rex magnus eſt, ſuper omnem terram. Selegit

in hæreditatem ſuam, non Iudæos tantùm, ſed etiam Gentes. Aſcendit expoliatis omnibus ſpiritualibus poteſtatibus, in cœlum, & excellit maieſtate ſua omnes Principes & Reges huius ſeculi. Quid multis? Sedet ad dexterã Dei Patris ſui omnipotentis, & intercedit pro nobis, vt quotquot in ipſum credunt, non pereant, ſed habeant æternam vitam. Quare, etiamſi fractus illabatur orbis, tamen non accedet ad
Pſalm. 91. nos malum, (vt alius Pſalmus loquitur) nec flagellum appropinquabit tabernaculo noſtro.

Pſalmus 48.

Magnus DOMINVS, & laudabilis nimis, &c.

CVm Salomon excitaſſet, diuino mandato, templum DOMINI in Hieruſalem, & dedicaſſet publica precatione, ac Sacrificijs, teſtificatus eſt DOMINVS cœleſtibus tam miraculis, quàm promiſsionibus,
2. Paralip. 7. hoc inſtitutum ſibi mirificè placere. Et dixit: Elegi, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneãt oculi mei & cor meũ ibi cunctis diebus. Hæc eſt liberaliſsima promiſsio, qua Deus gratuita ſua clementia recipit ſe vrbem Hieruſalẽ & templum in ea ædificatũ, aduerſus omnes hoſtiũ aſſultus ſemper defenſurũ & cõſeruaturũ. Etſi. n. hęc & id genus alię promiſsiones de cõſeruatione vrbis & tẽpli Hieroſolymitani, reſpiciũt principaliter

cipaliter in conseruationẽ veræ & æternæ Ecclesiæ Christi, aduersus quam, ne portæ quidem inferi prævalere possunt, tamen externa vrbs Hierusalem, & templum eius, non sunt omnino ab illis promissionibus excludenda, sed potius includenda, vt intelligamus, DOMINVM externa illa tantisper salua conseruaturum, dum populus Israel veram pietatem sectetur, & tempus diuinitus de incarnatione DOMINI nostri Iesu Christi, qui his externis vnà cũ Ecclesia sua adumbratus est, definitum aduenerit. De qua re suprà, in explicatione Psalmi 46. nonnihil dictum est.

Quod autem Deus de tuenda externa illa vrbe Hierusalem, & templo eius, verbis promisit, hoc etiã mirandis factis, & reipsa præstitit.

In 2. Paralip. cap. 12. Sesac Rex Ægypti cœpit munitissimas ciuitates in Iuda, & venit vsq; ad Hierusalem. Etsi autem spoliat templum, & aulam regiam omnibus suis thesauris, tamen non diruit, tuente DOMINO, nec templum, nec vrbem.

In eodẽ libro cap. 20. incurrunt Moabitæ & Ammonitę in regnum Iuda, & minantur extremum tam templo, quàm vrbi Hierusalem exitium. Sed DOMINVS ita terret hostes, vt mutuis suis vulneribus concidant.

In 4. libro Regum cap. 16. & Esa. 7. ascendunt rex Syrię, & Israel, & oppugnant vrbem Hierusalẽ, sed expugnare non potuerunt.

Et iterũ cap. 18. Rex Assyriorũ tãta spe opprimendæ vrbis Hierusalẽ tenetur, vt arbitretur ne Deum quidẽ ipsum posse eam defendere, & cõseruare. Sed

opinione sua ita fallitur, vt non solùm exercitum, supplicio diuinitus immisso, amittat, verùmetiam ipse domi à suis ipsius liberis immaniter trucidetur: adeoq; idipsum prorsus contigit, quod hic Psalmus cõmemorat. Ecce Reges, inquiens, congregati sunt, (aduersus Hierusalẽ) & simul transierunt. Viderunt hoc, & admirati sunt, cõturbati sunt & metu perculsi, Terror inuasit eos ibi, & angustia, vt parturientẽ.

Hæc & multa id genus alia miracula, quibus vrbs Hierusalem diuinitus, in aduersis suis casibus, sæpenumero defensa est, psaltes cum animo suo considerans, excitatur à Spiritu sancto, & erumpit in hunc Psalmum, ad commendandam bonitatem & clemẽtiam Dei, & ad illustrandam veritatem promissionũ eius, vt excitet nos ad fidem, & retineat in officio fidei, ne propter aduersa dubitemus de veritate Dei, & delabamur ad impietatem.

1. *Magnus* DOMINVS, *& laudatissimus, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.*
2. *Pulcer surculus, lætificans vniuersam terram, mons Zion, ad latera Aquilonis, ciuitas regis magni.*
3. *Deus in palatijs eius notus est, quòd sit protector eius.*

Propositio Psalmi, continens topographiam vrbis Hierusalem, in qua gloria nominis Dei maximè omnium celebrari debet. Magnus, inquiens, est DOMINVS, & omni laude dignissimus. Quid? Magnus ne est corporea mole? Nihil minus, Deus. n. Spiritus est, non corporea moles: sed magnus est essentia, qua omnia implet; magnus potẽtia, qua omnia creat, cõ-

seruat

ſeruat & gubernat: magnus veritate, qua omniũ promiſsionũ ſuarũ ſeruantiſsimus eſt: magnus bonitate & clementia, qua ſperantes in ipſum in omnibus aduerſis tueť: magnus felicitate, qua ſe omnibus in ipſum credẽtibus fruendũ exhibet. Quid pluraʔ tã magnus eſt, vt ſit ipſa eſſentię, potẽtię, veritatis, clemẽtiæ & felicitatis magnitudo, ac ſuperet non tantùm omnes humanas & Angelicas excellentias, verùm etiam omnium hominũ & Angelorũ voces. Non eĩm habemus vocabula propria & appoſita, quibus ſummam illam maieſtatem verè & aptè exprimamus. Quemadmodum autem DOMINVS eſt longè omnium maximus, ita etiam laudatiſsimus. Et ſicut magnitudinis eius non eſt finis, ita laudis eius nullus eſt numerus. Sed vbi nam terrarũ aut Gentium tanta DOMINI maieſtas elucet, & conſpicua reddítur, vt laude, qua fieri poteſt, celebretur? Nõ eſt quidem obſcurum, quòd maieſtas DOMINI cognoſcatur ex conditione huius mundi, (ſicut Paulus teſtatur) ex gubernatione cœli & terræ, & ex multis admirandis rebus, quas Deus operatur. Sed maximè omnium cognoſcitur ex ijs, quæ in ciuitate Dei noſtri, & in monte ſancto eius hactenus peracta ſunt, & adhuc peragentur. Quæ eſt ergo illa ciuitas Dei, & quis ille mons ſanctus, in quo tam miranda opera ſunt ædita? Non certè eſt Niniue Aſſyriorum, non Babylon Chaldęorum, non Suſę Perſarum, non Roma Latinorum, ſed eſt mons Zion. Hic mons primùm eſt mons ſanctus Dei, quia Deus elegit hunc montem, vt in eo ædificaretur templum Dei, & collocaretur arca teſtamenti, ac peragerentur legitima ſacrificia,

Roma. 1.

ſacrificia, diuinitus ordinata. Deinde hic mons eſt ſpecioſus & amœnus ſurculus, lætificans vniuerſam terram, quia futurum erat, vt Chriſtus eo loco adnunciaret Euangelion ſuum, & expiaret ſacrificio ſuo peccata noſtra, ac mitteret Apoſtolos ſuos in vniuerſum mundum, vt proferrent tanquam fertilis ſurculus, copioſiſsimum fructū, & gaudio afficerent cunctam Eccleſiam Chriſti, in toto orbe terrarum. Poſtremò ad hunc montem verſus Aquilonem, ſita eſt ciuitas magni Regis, ciuitas videlicet Dei noſtri. Hæc eſt ciuitas Hieruſalem, quæ poſita eſt ad illud montis Zion latus, quod ad Aquilonem proſpicit. Vnde & Rex Babylonius apud Eſaiam cap. 14. dicit: Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, (hoc eſt) in tantam maieſtatem conſcendam, vt ſubijciam poteſtati meæ montem Zion, & vrbem Hieruſalem, quæ ad montem iſtum verſus Septentrionem ſita eſt. De illo videlicet glorians, ſe non ſolùm in poteſtatem ſuam redacturum alias Gentes finitimas, alijs dijs ſeruientes, verùmetiam illam Gentem, quæ iactat ſe eſſe populum veri & æterni Dei, & quem vnum in Zion & Hieruſalem colit & adorat. Habes topographiam ciuitatis Hieruſalem. Sed quid fit in iſta ciuitate? In palatijs (inquit) in magnificis ædibus eius palàm cognoſcitur, quòd DOMINVS ſit protector eius. Palatia & magnifica eius ædificia publicum ferunt teſtimonium, quòd DOMINVS ſuſceperit eam in ſuam tutelam, & defendat eam aduerſus omniū hoſtium ſuorum impetum. Quare, etſi DOMINVS diguiſsimus eſt, qui in toto orbe terrarum ſuo præconio celebretur, tamen

propter

propter ſingularem eius fauorem, quo complectitur vrbem Hieruſalem, magnificiẽdus eſt & laudandus. Sed qua in re Deus curam ſuam & tutelam erga vrbem Hieruſalem teſtatus ſit, verſiculi, qui ſequuntur, exponunt.

4. *Quoniam ecce Reges pepigerunt inter ſe, ſuſceperunt vnà profectionem.*
5. *Cum vidiſſent, ita perturbati ſunt, vt cohorruerint, & ad fugam properauerint.*
6. *Tremor inuaſit eos ibi, dolor, ſicut parturientem.*
7. *Vento orientali conteris naues maris.*

Propoſitionẽ & topographiam vrbis Hieruſalẽ, ſequitur narratio, in qua commemoratur, quantis ſepenumero miraculis vrbs Hieruſalẽ defenſa ſit & cõſeruata diuinitus. Ecce, inquit, Reges conuenerunt, ſeu pepigerunt inter ſe, in exitium vrbis Hieruſalẽ, ſuſceperunt vnanimi conſenſu oppugnandam hanc vrbem, & delendam: ſed vide mihi præſentiſsimam Dei opem. Tantum enim abeſt, vt potuerint eam expugnare, vt quàmprimum eam in proſpectu habuerint, cohorruerint, tam corpore, quàm animo: ac ita ſint diuinitus conterriti, vt magis de fuga, quàm de vrbis oppugnatione cogitauerint: nec aliter cõtremuerint, quàm ſi mulier prægnans ſubito partus dolore obruatur. Hoc autem factum eſt, non excogitato aliquo humano conſilio, aut obiectis carnalibus viribus, ſed cœleſti & diuino miraculo. Nam quemadmodum naues maris ſolent, excitato vehementiſſimo vento (quem Eurum, aut Cæcian vocant) vel

repentina procella hinc inde diſiici, diſsipari, & conteri, ita DOMINVS diſsipauit & cõtriuit hactenus, immiſſo diuinitus terrore, omnes hoſtes vrbis Hieruſalem. Hoc teſtantur & confirmant exempla, quæ paulò antè recenſebamus, de Moabitis & Ammonitis, de rege Syriæ & Iſraelis, & de rege Aſſyriorũ. Reliquũ igitur eſt, vt ex his miraculis agnoſcamus, vrbẽ Hieruſalem ſingulari curę eſſe DOMINO Deo noſtro, & cõmendemus gratuitã clementiã eius, erga populũ ſuũ, qua confirmati, ſperemus eum nunquam nobis cœleſti ſua ope defuturum. Vnde & ſequitur.

8. *Quemadmodum audiuimus, ita & videmus in ciuitate DOMINI Zebaoth, in ciuitate Dei noſtri. Deus ſtabilit eam perpetuò.*

Quid multis opus eſt? Quemadmodũ hactenus audiuim⁹ ex diuinis oraculis & promiſsionibus, quòd Deus ſuſceperit tutelã vrbis Hieruſalẽ et populi ſui, ita reipſa cõperim⁹, Deũ eſſe in promiſsis ſuis veracẽ & vrbẽ ac populum ſuũ mirãdis modis defendere &
Exod.6. ſtabilire. Dixit DOMINVS ad Moſen. Ego DOMINVS. Aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus, & ſcietis, quòd ega ſum DOMINVS Deus veſter.
2.Paralip.7. Ad Salomonẽ dicit DOMINVS: Elegi & ſanctificaui locũ iſtũ, vt ſit nomen meũ ibi in ſempiternũ, & permaneãt oculi mei, & cor meum ibi cũctis diebꝰ
Pſalm.132. Et Pſalm 132. Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Hæc & his ſimilia dicta audiuimus ſæpè ac multũ recitari nobis è ſacris monumẽtis. Quod igitur dictũ eſt

eſt verbis, hoc etiã impletũ eſſe factis ita videmus, vt de veritate diuinorũ oraculorum non amplius nobis vlla dubitatio relinquatur. Etſi enim populus Iſrael ſæpè afflictus eſt, & vrbs Hieruſalẽ tandẽ à Babyloniis vaſtata, tamen poſt annos definiti à Deo exilij reſtituta eſt mirabiliter, ac tantiſper incolumis perduraſſet, donec Chriſtus homo factus abſolueret in ea ſuũ ſacrificium, & inſtauraret in toto orbe terrarum veram Zionem, quæ eſt Eccleſia DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, per Euãgelion in vniuerſo mundo collecta.

9. *Expectamus (igitur) Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui.*

10. *Secundum nomen tuum, ſic & laus tua eſt, ad fines vſque terræ, Iuſtitia plena eſt dextera tua.*

Accommodat exempla ſeruatæ vrbis Hieruſalem, in periculis ſuis, ad generalem vſum, vt cum Deus conſtantiſsimè ſemper promiſsiones ſuas in tuenda vrbe Hieruſalem impleuerit, non dubitemus ô DOMINE, ſed certiſsimè expectemus, vt & in nos beneficia tuæ miſericordiæ conferas in medio templi tui, (hoc eſt) in Eccleſia populi tui. Sumus enim & nos Eccleſia tua, ſumus populus tuus. Et habemus atq; agnoſcimus promiſsiones, quibus recepiſti, te credentes ita protecturum, vt ne portæ quidẽ inferi aduerſus eos præualeant. Nã quàm latè patet nomen tuum, (patet autem, non ad vnum tantùm angulum, aut regionem, ſed vſq; ad fines terræ) tam late etiam patet laus & gloria nominis tui, videlicet, quòd dextera tua plena ſit iuſtitia, (hoc eſt) quòd quanta eſt potentia tua, (quæ per dexteram ſignificatur,

gnificatur,& eſt omnipotentia) tanta etiam ſit iuſtitia, probitas, veritas & conſtantia in ſeruandis promiſsis tuis. Memorabilis verſiculus de dextera, ſeu potentia & iuſtitia Dei. Sunt enim, qui fatentur, ſe agnoſcere quidem dextram ſeu omnipotẽtiam Dei, dubitare autem de iuſtitia ſeu probitate, & clementi eius voluntate erga ſe. Agnoſcunt, Deum poſſe quidem ipſos in omnibus aduerſis, ac in morte ipſa ſeruare, non autem agnoſcunt eum id VELLE. Hos reprehendit hic verſiculus, dum dicit, dexteram Dei plenam eſſe iuſtitia. Quod enim Deus verbis promiſit, hoc ſicut POTEST, ita etiam VVLT reipſa præſtare, quia non tantùm eſt omnipotens, ſed etiam iuſtus, ſeu probus & verax, atq; conſtans in pactis & promiſsis ſuis, vt quâ patet dextera ſeu omnipotentia eius, eâ etiam pateat iuſtitia, probitas, aut veritas
Ioan.3. eius. Promiſit aũt, vt omnis, OMNIS, inquã, nullo vel miſero, vel peccatore excepto, qui credit in vnigenitum ſuum filium, non pereat, ſed habeat vitam æter-
Rom.10. nam. Et iterum: OMNIS (inquit) qui credit in illum, non pudefiet. Non enim eſt diſtinctio Iudæi, (ſiue honeſti) & Græci, (ſiue inhoneſti & ſcelerati) OMNIS enim, quicunq; inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Quare dubitari non debet, quin cum Deus poſsit credentem in Chriſtum ſeruare, quia eſt omnipotens, VELIT etiam eum, iuxta promiſſa ſua ſeruare, quia dextera eius plena eſt iuſtitia.

11. *Lætetur mons Zion, exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua.*

12. *Circumdate Zion, & cingite eam, numerate turres eius.*

13. *Ponite*

13. *Ponite cor veſtrum ad antemurale eius, munite palatia eius, vt enarretis poſteritati.*

14. *Quòd hic Deus, ſit Deus noſter in æternum & in ſeculum ſeculi. Ipſe ducit nos, ſicut iuuentutem.*

Concludit Pſalmum cohortatione, vt ciues vrbis Hieruſalem agnoſcant alacri & confidenti animo iudicia DOMINI, & conſeruent, ac tueantur, quod in ipſis eſt, ciuitatem Hieruſalem, quæ eſt ſedes piæ doctrinæ, propagandæ ex eo loco in vniuerſum mundum, de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto. Lætetur, inquiens, mons Zion, exultent filię Iudæ. Mons Zion, in quo extructum fuit templum DOMINI, ſignificat hoc loco ciues vrbis Hieruſalem. Filiæ autem Iudæ ſignificant incolas finitimæ tribus Iudæ. Solæ enim hæ duæ tribus, Benlamin videlicet, in qua eſt mons Zion ſeu vrbs Hieruſalem, & tribus Iuda, manſerũt in ſeparatione regni Salomonis, ſub gubernatione regiæ familiæ Dauidis. Iubentur igitur hæ duæ tribus lætari & exultare propter iudicia Dei, hoc eſt, propter clementiam Dei erga ſe, & ſeueritatẽ eius erga hoſtes ipſorũ. Iudicante eñ DOMINO, pij conſeruantur, & liberantur, impij autem opprimuntur & pereunt. Hortatur etiam, vt circumeant Zionem, ac circumſpiciãt vrbem Hieruſalem, & numerent turres eius, num ſufficiant ad defenſionem eius, ac diligentiſsimè conſiderent antemurale eius, ne fortè aut corruerit, aut caſum minetur: ac breuiter, muniant, quoquo ſtudio poſſunt, palatia ſeu propugnacula eius, vt reddatur vrbs inexpugnabilis, & conſeruetur in ea, atque tranſmittatur ex ipſa, 3. Reg. 11.

ad omnem posteritatẽ, doctrina vere pia: videlicet, quòd hic Deus, quem cœlestis pater promisit assumpturum è familia Patriarcharum hominem, qui dedit terram Canaan posteritati eorum in possessionem, qui hactenus sacris, in templo Hierosolymitano institutis, adumbratus est, qui & vsque ad hoc tempus tutatus est vrbem Hierusalem, & templum eius ab omnibus hostibus eius, sit verus, & æternus DOMINVS Deus noster, & foueat nos, ac regat & deducat, sicut suauissimus parens adolescentes suos filios fouere solet. In Hebræo enim textu, vbi nos trãstulimus, iuuentutẽ, habetur, עלמות Halmuth, & potest esse vel vna tantùm dictio, vel duæ. Si igitur diuiseris in duas dictiones, vt sit על Hal, & מות Moth, tunc significat vsque ad mortem, quemadmodum nonnulli interpretes transtulerunt: si autem vna tantùm dictio fuerit, significat, aut in seculum, aut iuuẽtutem. Quodcunque igitur legeris, sententia plana est, quòd DOMINVS noster Iesus Christus, qui hactenus defendit vrbem Hierusalem, conseruet nos, credentes in ipsum, in omnibus periculis, vsque ad mortem, perpetuò, sicut parens solet iuuenes suos filios ducere, & gubernare. Iubentur autem ciues Zionis seu Hierusalem, & incolæ finitimæ tribus Iudæ munire & defendere vrbem Hierusalem, quòd etsi Deus ipse eam defendit, (nisi enim DOMINVS custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eã) tamen officium piorum hominum exigit, vt & ipsi suam operam ad tuendam & conseruandam Ecclesiã DOMINI Dei nostri, conferant, & sint administri cœlestis, ac diuinæ defensionis. Quid est (inquit Apostolus)

postolus) Apollo? quid Paulus? nisi ministri eius, cui credidistis, secundum gratiam, quam DOMINVS dedit ei. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Nam quemadmodum solus Deus sustentat nos cibo, in hac vita, & tamē parandum est nobis nostro labore frumentum, molendum est, pinsendus panis, & edendum: ita solus Deus tuetur & conseruat Ecclesiam populi sui, & tamen exigit, vt exhibeamus nos organa & instrumenta, per quæ Deus tutelam suam perficiat. Quare non simus in extruenda, & conseruanda Ecclesia populi Dei cessatores, sed faciamus suum quisq; officium, vt DOMINO Deo nostro fidem nostram probemus. 1. Cor. 3.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod τὸ πνεῦμα, in hoc Psalmo de externa Zione, & stabilitate eius dictum est, hoc Spiritus, non incerta quadā cōiectura, sed certissimis Dei promissionibus ductus, de vera, cœlesti, & æterna Ecclesia DOMINI nostri Iesu Christi intelligit. Sicut enim externa & terrena Ziō, seu vrbs Hierusalem, habuit suas de incolumitate eius promissiones, vsq; ad plenitudinem temporis, quo Christus venturus esset in carne, ita et vera ac cœlestis Ecclesia promissionibus suis ita munita est, vt etiamsi in his terris stupendum in modum ab impijs affligatur, concutiatur, ac prorsus opprimi & deleri videatur, tamen semper firma, in media etiamnum morte consistat, & victoriam reportet.

Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento

to indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus DOMINVS.

Et mox: Montes commouebuntur, & colles contremiſcent, Miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus DOMINVS.

Et cap. 60. Pro eo quod fuiſti derelicta & odiohabita, & non erat, qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem.

Ac mox: Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi DOMINVS in lucem ſempiternam, &c.

Et Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.

Ioannis 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt inæternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea, &c.

Roma. 8. Certus ſum, quòd neq; mors, neque vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profunditas, neq; alia creatura poterit nos ſeparare à charitate, qua Deus nos complectitur in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

His & ſimilibus promiſsionibus muniti, ſi quando oppugnat, & grauatur in Eccleſiam Dei vel Nero quiſpiam, vel Diocletianus, vel Iulianus, vel Conſtantius Arrianus, vel alius ſiue tyrannus, ſiue hæreticus,

ticus, siue Antichristus, siue diabolus ipse, sumamus hunc Psalmum in manus, & confidenti mente ac voce exclamemus: Magnus DOMINVS & laudatissimus, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Ac inprimis obseruemus, quod dicitur de Deo: Iustitia plena est dextera tua, quia tanta est DOMINI Dei nostri iustitia, seu probitas & veritas in seruandis promissis suis, quanta est dextera, seu potentia eius. Quis autem posset dexteram ac potentiam Dei definire? quis posset ei terminum ponere? Quis mensus est, inquit Esaias, pugillo aquas? & cœlos palmo ponderat? quis appendit tribus digitis molem terrę, & librat in pondere montes, & colles in statera? Cum igitur tanta sit veritas Dei, quanta potentia eius, non trepidemus ad insultum uel hominum vel diabolorum, sed consistamus, certi de victoria, in Iesu Christo DOMINO nostro, qui cùm perpetuas agat excubias, pro Ecclesia sua, dabit euentum, vt non solùm aduersa sufferre queamus, verùmetiam felicissimè euadamus. *Esaiæ 40.*

Psalmus 49.

Audite hæc omnes Gentes, &c.

LEX DOMINI quæ est æterna Dei voluntas, dicit: Si audieris vocem DOMINI Dei tui, benedictus seu fortunatus eris in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris ingrediens, & *Deut. 28.*

egrediens. si autem nolueris audire, maledictus (hoc est) infortunatus & infelix eris in ciuitate, in agro, & in omnibus operibus tuis. Sed cum circumtuleris oculos tuos in humanos casus, reipsa comperies, longè aliter accidere, quàm hæc verba legis præ se ferre videntur. Qui enim audiunt vocem DOMINI, & morem gerunt pro sua virili mandatis Dei, maledicuntur, & aduersis obruuntur: qui verò non audiũt, sed sectantur sua desideria, benedicuntur, & ducunt vitam felicissimam. Esaias Propheta audit vocem DOMINI, et medius secatur. Manasses non audit vocem DOMINI, & regnat. Ioannes Baptista obsequitur mãdatis Dei, & decollatur. Herodes obsequitur suis cupiditatibus, & agit vitam in summis delitijs. Nec vnum tantùm & alterum huius rei exemplum extat, sed mundus talium exemplorum plenus est.

2. *Timo.* 3. Et Paulus generali dicto explicat: OMNES, inquiẽs, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Quod cum ita fiat, homines mirificè offenduntur, & alij quidem, qui erant cultores pietatis, incipiunt deserere officium, quod vident esse infelix: alij, qui pietati medium, (quod aiunt) digitum ostendunt, applaudunt sibi in sua impietate, quam vident prosperum habere successum: adeoq; in hac humana vita, prorsus obtinere videtur, quod Ecclesiastes scribit: Quia non profertur, inquiens, cito contra malos

Eccle. 8. sententia, filij hominum perpetrant mala, absq; vllo timore. Spiritus sanctus igitur suscipit tam in Propheticis, quàm in Apostolicis scriptis huic offendiculo medendum, & pios quidem in officio retinendos, impios verò ab impietate sua deterrendos. In

quem

quem vſum ſcripti ſunt multi Pſalmi, videlicet Pſalmus quartus, Pſalmus 37. Pſalm. 73. Et cõciones Prophetícæ, Hiere. ca. 12. & Abacuc cap. 1. In hunc catalogũ cõferendus etiam eſt hic quadrageſimus nonus Pſalmus, qui cum intelligeret hoc offendiculum longè omnium periculoſiſsimum eſſe, & graſſari non inter paucos tantùm homines, ſed in vniuerſo humano genere, non eſt contentus vocatione vnius tantùm hominis & gentis, ſed conuocat omnes gentes & homines ad audiendam & animo percipiẽdam cohortationem, quæ in ipſo decantatur, vt non moueantur præſenti felicitate impiorum, & ad impietatem ipſi quoque deficiant, ſed potius excitati conſideratione perpetuæ impiorum infelicitatis, certiſsimè venturæ, in officio pietatis retineantur.

1. *Audite illud omnes populi, auribus percipite omnes incolæ huius vitæ.*
2. *Tam vulgus, quàm proceres, tam diues, quàm pauper.*
3. *Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.*
4. *Audiamus memorabilia dicta, & recitemus cithara inſignes ſententias*

Hi quatuor verſiculi, ſunt exordiũ Pſalmi, in quo excitantur ad attentionẽ omnes Gẽtes, & omnia hominum genera, vt diligentiſsimè audiant hoc carmẽ, quod Pſaltes ſuſcepit cithara, in remedium grauiſsimi offendiculi cantãdum. Offendiculum enim, quod oritur ex impiorum felicitate, & piorum infelicitate, latiſsimè vagatur, & corrumpit non tantùm fecem, ſed etiam Principes populi; nec pauperes tantùm, ſed

etiam diuites & opulentos, (hoc est), vniuersum orbem terræ. Audite, inquit, omnes Gentes, auribus percipite omnes huius terræ incolæ, & caducæ huius vitæ participes. Cum enim vulgo omnes, tam infimi quàm summi, hoc morbo tenentur, omnes etiam remedium cognoscant, necesse est. Audiamus igitur omnes & singuli, quid citharædus sit cantaturus. Nõ dicam, non cantabo otiosa, non superuacanea, non vana, sed loquar obseruãda dicta, è medio verbi Dei petita, non commemorabo fictitia hominum somnia, sed verissima & certissima Dei oracula: Ex abundãtia, inquiunt, cordis, os loquitur. Ego igitur meditor in corde meo, nõ stultam aliquam fabulam, sed summam sapientiam & prudentiam, vt, quotquot attente audierint, & alta mente reposuerint, præsentissimam aduersus offendiculum, quod vbiuis in orbe terrarum grassatur, medelam habeant. Sciamus aũt, quòd Psalmus vocet parabolas, & ænigmata, (sic.n. nonnulli, pro eo, quod nos dicimus, memorabilia dicta, & insignes sententias, transtulerunt,) non similitudines inuolucris tectas, & dicta obscura, ac ab intelligentia vulgi abscondita, sed γνώμας perspicua, & sententias præclaras, quibus pius auditor accenditur & inflammatur, vt felicitate impiorum, & sua infelicitate, ab officio non declinet. Illud enim vult dicere, Spiritus sanctus sæpè iam & multùm cohortatus est pios, ne offensi, prospero rerum successu, quo impij fruuntur & gloriantur, ab officio pietatis recedant: sed tanta est hominum malitia, vt hæc omnia in ventum esse prolata videantur. Faciam igitur, & ego hoc Psalmo, periculum: si quo modo fieri possit, vt ho-

vt homines vel tandem veternum excutiant, & expergiſcantur.

5. *Cur metuerem (mihi) tempore afflictionis, (quo) iniquitas conculcantium me, circundat me?*

Exordium ſequitur Pſalmi propoſitio, quæ primùm formata eſt interrogatione, vt animum auditoris acrius pungat, deinde accommodata eſt ſingulari perſonæ, cum tamen vniuerſaliter ſit intelligenda. Quod eñ Pſaltes de ſe ſolo dicere videtur: Cur ego mihi tempore afflictionis, qua me aduerſarij mei opprimendum ſuſcipiunt, metuerem? illud generaliter dicere vult, Nullus metuat ſibi in aduerſis ſuis, nec in proſpero ſucceſſu aduerſariorum ſuorum offendatur, & ab officio ſuo deijciatur felicitate ſuorum ſupplantatorum & aduerſariorum, etiamſi iniquitas ipſorum proſperè promouere, & tu pedibus ipſorum penitus conculcari videaris. Hic eſt huius Pſalmi ſtatus, huc ſpectant, & hoc volunt omnia argumenta, quæ in verſiculis huius Pſalmi ſequuntur, videlicet, vt animus confirmetur in aduerſis, ne offenſus ſua infelicitate, & impiorum ſuorum hoſtium felicitate, ab officio recedat, & ipſe quoq; ad impietatis caſtra transfugiat. Audiamus igitur rationes, quibus Spiritus ſanctus munit animum offendiculis perturbatum, vt in officio retineatur.

6. *Collocant fiduciam in opulentia ſua, & gloriantur multitudine diuitiarum ſuarum.*

7. *Ne fratrem quidem ſuum, quiſquam redimere poterit (diuitijs ſuis) aut Deum placare.*

8. *Multò enim plus precij exigitur ad redimendam animam ipſorum, quàm vt (diuitijs) vnquam præſtari queat.*

Prima ratio, qua animus aduerſus offendiculum crucis munitur. Magna quidem videtur felicitas impiorum. *Pſalm. 144.* Promptuaria eorum plena, eructãtia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Nec contenti ſunt poſſeſſione & vſu ſuæ potentię & opulentię, verùmetiã collocant omnem ſpem & fiduciam ſuam in multitudine ſuarum diuitiarum. Sed nihil certius eſt, quàm quòd hac ſua ſpe fruſtrentur, & pudefiant. Sperant ſe in aduerſis, non ſe tantùm, verùmetiam quoſcunq; fratres & amicos opibus & potentia ſua adiuturos & ſeruaturos, adeoq; etiam Deũ ipſum placaturos, & iram eius mitigaturos. Sed nullæ ſunt humanæ opes, nullæ humanę vires, quæ poſsint, iudicãte Deo, vel huius vel illius hominis animam aut vitam redimere ac ſeruare. Quantæcunque enim fuerint, neceſſe habent, vel tandem poſſeſſorem ſuum deſerere ac pudefacere, quippe quòd maioris ſit molis hominem coram tribunali Dei tueri & conſeruare, quàm quòd vel pecunia, vel alia quadã humana potẽtia, ſapiẽtia & iuſtitia vnquàm cõfici queat. Cur igitur offenſus felicitate, qua impij, propter ſuas opes, illuſtres habentur, & te oppugnant, transfugeres, abiecto pietatis ſtudio, ad caſtra impietatis? Obſerues hîc, quo loco habeantur diuitiæ, coram Spiritu ſancto. Et aliâs quoque diuitiæ peſsimè audiunt in diuinis oraculis: *Prouer. 11.* Non proderunt, inquit Salomon, diuitiæ

uitiæ in die vltionis. Et apud Matthæum diuitiæ vocantur ſpinæ, quòd qui eas tractare ſolet, nunquam poſsit ferè tam circumſpectus eſſe, quin ab ipſis lædatur. Ac iterum: Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem, (hoc eſt) confidentem diuitijs, intrare in regnum cœlorum. Quid ergo dicemus? Si diuitijs non eſt confidendum, & ſi diuitiæ non redimunt animas in iudicio Dei, qua in re fiducia noſtra erit collocanda? Certè, in nulla re alia, quàm in DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, qui cum reconciliauerit nos ſanguine ſuo cum Deo Patre, effecit, vt cum credimus in ipſum, Deus ſit nobis propicius, & conſeruet nos in omnibus aduerſis propter Chriſtum. Quare, non offendamur felicitate diuitum, vt deſeramus noſtrum officium, & ſequamur impia eorum ſtudia, ſed potius ponamus nobis ob oculos iudicium Dei, & inſtabilem conditionem diuitiarum, ac recondamus nobis per Chriſtum theſauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. *Matth.13.* *Matth.19.*

9. *Viuat (licet) adhuc diutius, nec videat ſepulcrum,*
10. *Tandem tamen videbitur, quòd & ſapientes moriantur, & vnà ſtultus & inſipiens pereant, ac relinquant alienis facultates ſuas.*

Alia ratio, cur nõ debeamus offendi felicitate diuitũ, qui nos miſeros & egenos opprimũt. Dices. n: Audio quidẽ diuitias eſſe caducas & inſtabiles, nec poſſe tueri poſſeſſorẽ ſuum in die iudicij Dei; interea autem

autem video eum non vno tantùm die, non vno tantùm anno, ſed plurimo tempore feliciſsimam ducere vitam, me autem ſumma miſeria affligi. Quid igitur non offenderer? Ad hoc reſpondent hi duo verſiculi: Fateor, Impij diuites ſolent longo tempore eſſe in opprimendis miſeris felices, & proſperũ in conſilijs ſuis habere ſucceſſum. Sed longum tempus (quod dici ſolet) non eſt ſempiternum. Etſi enim impij diu feliciſsimã ducunt vitam, nec vident annis vel centum vel ducentis ſepulcrum, ſeu interitum, nihil tamen certius eſt, nihil reipſa magis comperietur, quàm quòd tales impij ſecundum hunc mundum ſapientes, qui videntur omnia ſua prudentiſsimè adminiſtrare, non aliter ſint ſuo tempore diuinitus definito perituri, quàm ſtultiſsimi & inſipientiſsimi quiq;. Ac verè tandem fiet, vt quod maximè omnium ſperauerunt, ſe relicturos liberos ac hæredes ſuos quàm opulentiſsimas, opinione tamen ſua longiſsimè fallantur. Relinquent eñ facultates ſuas, quas multo ſudore, magna impietate, crudeli tyrannide, ac ſæuitia parauerunt, non ſuis, quibus cogitauerunt, ſed alienis, quos ſummo odio proſecuti ſunt.

Eccleſ.6. Hoc illud eſt, quod etiam Eccleſiaſtes Salomonis exponit: Eſt aliud (inquiens) malum, quod vidi ſub Sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ, ex omnibus, quę deſiderat, nec tribuit ei Deus poteſtatem, vt comedat ex eo, Sed homo EXTRANEVS vorabit illud. Et apud Lucam,

Luc. 12. dicitur ad diuitem: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Diſcamus

mus igitur ex hoc diuino iudicio, timorem Dei, & admoniti impiorum interitu, etsi sero, tamen certissimo, nõ sequamur exempla impietatis ipsorum, sed pergamus in vocatione Dei, nihil dubitantes, quin quò illi sunt in hoc seculo feliciores, & nos infeliciores, eò grauior immineat eis interitus, & certior nostra liberatio.

11. *In cordibus suis cogitant, quòd domus ipsorum sint perpetuæ, & habitacula ipsorum, in generationem & generationem, ac illustres sint nominibus suis in terra.*
12. *Sed homo in honore non perdurat, similis est bestijs, quæ intereunt.*

Vbi nos transtulimus, perdurat. Hebræus habet ילין Ialin à verbo לין Lon, quod significat pernoctare, commorari & permanere. Græcus autem interpres, qui interpretatus est συνῆκε (hoc est) intellexit, legit, יבין à verbo בין, quod significat intelligere, quo verbo Hebræus non in hoc duodecimo, sed postea in vltimo huius Psalmi versiculo vtitur. Pergit ergo Psaltes securitatem impiorum describere, vt & inexpectatum eorum interitum adijciat: Cogitant, inquiens, in animo suo impij diuites, qui freti opulentia sua, miseros opprimunt, quòd cum in præsentia fruantur prospero rerum successu, hæc felicitas perpetuò sit duratura. Pollicentur sibi, quòd domus seu familia ipsorum, maneat inæternum salua & illustris, ac propagetur summa nominis eorum gloria ad omnem posteritatem, nec possit aliquid accidere, vt vel infamia obscuretur, vel obliuione

deleatur: sed spes impiorũ est vanissima. Fieri enim non potest, vt homo impius constet in honore, & in felicitate ac maiestate, qua aliquandiu sibi applaudit & blanditur, sed necesse habet, vel tandem iumẽtorum more perire, & non solùm inglorius, verùm etiam insigni contumelia, sicut immundarum bestiarum morticina, in foueas abijci, ac sepultura asini
Psalm.37. sepeliri. Vidi impium, inquit alius Psalmus, superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat. Quęsiui eum, & non est inuentus locus eius. Quod cum ita se habeat, quę te intemperies exagitaret, vt deserta pietate, exemplum impiorum sectareris?

13. *Hoc impiorum diuitum studium, etsi stultitia est ipsis, posteri tamen eorum commendant illud ore suo.*

Admiratio est stuporis hominum, quòd nec domesticis quidem exemplis moueantur, vt caueant sibi ab impietate. In præcedenti enim versiculo exposuit, quòd etsi impij cogitant se familiæ suæ gloriam in multa secula propagaturos, & dant summam operam, vt eam quibus possunt rationibus muniant & stabiliant, tamen ex improuiso & ignominiosè pereunt. Nunc igitur admiratur, quî fiat, quòd domestici & posteri ipsorum non fiant maiorum suorum exemplo prudentiores, & voluntati Dei obsequentiores. Posteri, inquit, reipsa comperiunt, quòd institutum & studium maiorum suorum, in congregandis & augendis diuitijs, quibuscunq; potuerunt artibus, & in opprimendis miseris ac pauperibus, cessc-

ceſſerit ipſis in ſummam ſtultitiam. Spe enim ſua in-
tantum pudefacti ſunt, vt non ſolùm non ceperint
vllum è diuitijs ſuis fructum, verùmetiam neceſſe
habuerint eas alienis extraneis, iiſq; ingratiſsimis
relinquere: poſteri tamen eorum pergunt adhuc ex-
emplum ipſorum ſummis laudibus vehere, ac pleno
ore commendare, adeoq; cupidiſsimè ſectari, tan-
tùm abeſt, vt aliena inſania fruantur. An non hic eſt
immanis furor, & admirandus ſtupor? Sed hæc eſt
potentia ſatanæ, excæcantis mentes incredulorum,
vt in ſuum ipſorum exitium præcipites ferantur. In-
creduli enim præſenti rerum fortuna inebriati, non
intelligunt nec requirunt conſilium Dei: quòd cum
Deus inuitet ipſos beneficijs ſuis ad pœnitentiam,
arbitrentur eum ſceleribus ſuis fauere, & licere ſibi
non impunè tantùm, verùmetiam magno ſuo com-
modo peccare. Sed Paulus exponit perſpicuè, quod *Roma. 2.*
ſit in impiorum felicitate conſilium Dei: An diuiti-
as, inquiens, bonitatis eius & patientiæ & longa-
nimitatis contemnis? ignorans, quòd bonitas Dei
inuitet te ad reſipiſcentiam? Tu autem, ſecundum
duritiam tuam, & impœnitens cor, theſauriſas tibi
iram, in die iræ, reuelationis iuſti iudicij Dei.
Idem conqueritur etiam Salomon, vt ſuprà dictum *Eccle. 8.*
eſt. Quia, inquiens, non profertur cito contra ma
los ſententia, filij hominum perpetrant mala abſque
vllo timore. Etſi autem peccator centies impiè a-
git, & videtur ei feliciter cedere, tamen ſciamus,
quòd illis ſolis benè erit, qui timent Deum, & veren-
tur faciem eius. Quare non commendemus inſtitu-
tum impiorum, quamuis feliciſsimum, nec ſequamur

exempla eorum, ſed potius cum animo noſtro conſideremus, quòd Deus benefaciendo impijs, non applaudat impietati eorum, ſed cogitet eos ad agẽdam pœnitẽtiam excitare. Quòd cum hoc Dei conſilium ſpreuerint, tantum abeſt, vt colligant ſibi impoſturis & crudelitate theſaurum diuitiarum, vt potius recondant ſibi theſaurum ſeueriſsimæ iræ Dei, & æterni ſupplicij.

14. *Sicut grex ouium, collocabuntur in inferno, mors depaſcet eos. Recti dominabuntur eis citò. Robur autem illorum abſumetur. Infernus erit habitaculum ipſorum.*

15. *Sed Deus liberabit animam meã de manu inferni, quia aſſumpſit me.*

Redit ad expoſitionem certiſsimi interitus impiorum, etiamſi habeãt longo tempore felicem rerum ſuarum ſucceſſum. Et quia ad interitum impiorum ſequitur liberatio piorũ, idcirco addit antitheſin de piorum ſalute. Collocabuntur (inquit) impij in foſſea, in ſepulcro, in inferno, in perpetua videlicet interritione. Quemadmodum enim grex ouium cogitur in vnum ſtabulum, in quo vnà ita concluduntur, vt non liceat eis quò libet, euagari, ita impij conijcientur in vnam foueam, in vnum ſepulcrum, hoc eſt, in infernum, vt ibi perpetuò detenti, non queant amplius euadere, quia mors, non illa tantùm corporalis, ſed etiam æterna depaſcet, & abſumet eos, imò verò non abſumet, ſed cruciatu in ſempiternum durabili affliget eos. Quid autem multis opus? Infernus

nus erit habitaculum eorum, vbi nullus ordo, vt Iob ait, ſed ſempiternus horror inhabitat, & vbi erit, ſicut Chriſtus dicit, fletus & ſtridor dentiū: vbi quoq; impíj, quemadmodum Paulus ait, dabunt in interitu æternas pœnas à facie DOMINI, & à gloria virtutis eius, vt nihil aliud reliquum ſit, quàm quòd impíj omni ſua fortitudine & robore deſtituantur, omni ſua fiducia pudefiant, omni ſua gloria, qua fruebãtur quondam, exuantur, & æterna perditione crucientur. Hæc eſt pars & hæreditas impiorum. Viciſsim autem píj, qui nihil offenſi impiorum in his terris felicitate, recta in vocatione Dei ambularunt, dominabuntur impíjs ſummo mane, hoc eſt, citò, & ſine vlla dilatione, non quòd impíj confeſtim ſubíjciantur pedibus piorum, cùm ipſis malefaciunt. multò enim tempore opprimunt eos, ſed quòd mox, cum Deus ſententiam ſuam aduerſus impios ſuo tempore patefecerit, piorum pedibus ſine vlla mora conculcandi tradantur. Nam quemadmodum Chriſtus filius Dei, etſi ſedet ad dextram Dei Patris ſui, & omnia habet ſibi ſubiecta, iuxta illud Pſalmi, Omnia ſubieciſti ſub pedibus ſuis: & Chriſtus ipſe ait: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, tamen nondum videmus, (vt ait Epiſtola ad Hebræos) omnia ei ſubiecta eſſe: ita & píj in Chriſtum credentes, collocati quidem ſunt propter Chriſtum, in maieſtate dominationis ſuper impios, tamen hæc maieſtas nondum eſt patefacta coram mundo. Non eſt autem dubitandum, quin ſuo tempore pateſiat, & impleatur, quod Eſaias dixit: Egredientur (píj) & videbunt cadauera virorum, qui præuari-

Iob.10.

2.Theſ.1.

Heb.2.

Eſa.66.

cati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et erunt viſq; ad ſacietatem viſionis omni carni. Et illud ſapientiæ: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur de ſubitanea & inſperata ſalute. Et mox: Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum inglorium. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Cæterùm quod Pſaltes generaliter dixit, rectos ſeu pios dominaturos ſuper impios, & ſubiecturos eos ſub pedibus ipſorum, hoc etiam peculiariter accommodat ad ſeipſum: Deus, inquiens, liberabit animam meam de manu, de poteſtate inferni, quia aſſumpſit me. Impij quidem peribunt inæternum: pij autem ſeruabuntur, & dominabuntur impijs. Et quia perſuaſus, non vano cordis mei ſomnio, ſed certiſsima Dei promiſsione de benedicto ſemine Abrahæ, quod eſt Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter, in quo omnem meam fiduciam colloco, non dubito, quin & mihi reliquus ſit locus inter pios & ſanctos DOMINI. Quare confido certiſsimè futurum, vt Deus ſit me liberaturus de poteſtate inferni, & in media ipſa morte conſeruaturus perpetua felicitate. Quid enim de hac re dubitarem? quam dubitationis cauſam haberem? cum DOMINVS ipſe aſſumpſerit me? Quid ergo eſt à DOMINO aſſumi, vt cognoſcamus, quam cauſam certitudinis de ſalute ſua habeat Pſaltes? Manifeſtum quidem eſt, quòd filius Dei aſſumpſerit ſemen Abrahæ,

Sapientiæ 5.

brahæ, (hoc eſt) filium virginis Mariæ, ſed Deus aliter aſſumit Chriſtum, qui ſeipſum vocat filium hominis, aliter Dauidem regem, aut Petrum, & Ioannem Apoſtolos. Aſſumit Chriſtum in vnitatem perſonæ, non aſſumit Dauidem aut Petrum in vnitatem perſonæ. Collocat Chriſtum ad dextram ſuam, non collocat propriè Dauidem aut Petrum ad dextram ſuam. Dat Chriſto omnem poteſtatem in cœlo & in terra, non dat propriè Dauidi aut Petro omnem in cœlo & terra poteſtatem. Quid ergo hoc loco eſt aſſumi à Deo? In alio Pſalmo dicitur: Pater meus & mater mea dereliquerunt me, DOMINVS autem aſſumpſit me. Quare cum dicitur de Chriſto, quòd DOMINVS aſſumpſerit eum, ſignificat filium Dei ita aſſumpſiſſe filium hominis, vt vniuerit ſibi eum in vnitatem perſonæ ſuæ, ac ornauerit eum omni ſua maieſtate, (hoc eſt) euexerit eum ſuper omnes principatus poteſtates & virtutes, ac dederit ei nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Cum autem dicitur, quòd DOMINVS aſſumpſerit Dauidem, aut Petrum, ſignificat aſſumpſiſſe eum in ſuam gratiã, in ſuam tutelam, & promiſiſſe ei conſeruationem in omnibus aduerſis, & liberationẽ ab omnibus malis. Etſi aũt Deus non ita aſſumit Dauidẽ aut Petrum, ſicut Chriſtũ filium ſuũ, tamen tanto amore cõplectitur filiũ ſuum, vt quotquot credũt in eum, adoptet & ipſos in ſuos filios, & faciat eos cohæredes Chriſti filij ſui, vt & ipſi maieſtate eius fruantur, & collocẽtur, ſuo modo, in hæreditate omnium cœleſtium bonorum. Dicit enim Pater ipſe de Chriſto filio ſuo: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum

placitum est. Hunc audite: Et Paulus: Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ. Quî ergo fieri posset, vt non & omnia cum eodem nobis donauerit? Postq; igitur Psaltes credit in benedictum semen Abrahę, (hoc est) in Christum, nõ potest, nec debet amplius dubitare, quin assumptus ac receptus sit in gratiam Dei, ideoq; certissimè liberandus è potestate & faucibus inferni, ac collocãdus in cœlesti hæreditate: quam enim haberet amplius dubitationis de salute sua causam? Huc enim pertinet, quod Paulus ad Romanos scribit: Persuasum, inquiens, habeo, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poterit nos separare, ab ea dilectione, qua Deus nos in Iesu Christo Domino nostro complectitur.

16. *Ne obstupescas, cum quispiam factus fuerit diues, & cum multiplicabitur gloria domus eius.*

Epilogus, in quo repetitur propositio, & admonemur, ne offendamur impiorũ felicitate, & nostra infelicitate. Postquam enim interitus impiorum, etiamsi differatur in longinquum tempus, tamen certissimè venturus est, salus autem piorũ non potest non, vel tandẽ reuelari, & cumulatim restitui. Agitedum Amicissimi, non admiremur, non metuamus, non obstupescamus, cum homo quispiam peruenerit impietate sua ad magnas diuitias, ad summum in his terris honorem, ad insignem potestatẽ, & gloria familiæ

miliæ eius illustretur maximo splendore, vt nos videamur præ ijs abiectissimi, & crassissimis tenebris obscurati. Repetit autem, quod in Epilogo fieri solet, præcipua exhortationis argumenta, quæ suprà sunt commemorata. Sic enim sequitur:

17. *Quia in morte sua nihil secum auferet, non comitabitur ipsum gloria eius.*
18. *Sed anima eius in hac tantùm vita sua felix est, et laudant te (impij) cum benefeceris tibi, (in hoc seculo)*
19. *Abit (anima eius) ad generationem patrum suorum, in æternum non videbunt lumen (felicitatis)*
20. *Breuiter, homo, qui est in honore, & non intelligit, similis est bestijs, quæ pereunt.*

Quod suprà dixit: Relinquent alienis facultates suas, hoc nunc dicit: Nihil secum in morte sua auferet, nec comitabitur ipsum gloria eius. Et quod antè dixit: Posteri eorum commendant studium impiorum ore suo, hoc nunc ait: Laudant te impij, cùm benefeceris tibi. Ac iterum, quod prius dixit: Collocabuntur in inferno gregatim, & mors depascet eos, hoc nunc dicit: Abit anima impij ad generationem maiorum suorum, hoc est, ad cœtum impiorum, nec vnquam videbit vllum felicitatis lumen. Postremò, sicut suprà dixit, Homo (impius) in honore non perdurat, similis est bestijs quę pereunt, hoc totidem ferè verbis, mutato tantùm vno verbo, quemadmodum suprà ostendimus, in fine huius Epilogi dicit: Homo, qui est in honore, & non intelligit, (videlicet consilium Dei) similis est bestijs, quæ intereunt.

Sententia igitur huius Epilogi est: Quod ab initio Psalmi admonui, hoc nunc in fine eius repeto & inculco, videlicet, vt nō metuas, non trepides, non cohorrescas animo tuo, si videris te infelicem, & aduersarios tuos felices, ac tam opibus, quàm dignitate & potentia illustres. Primùm enim, felicitas eorum non est perpetua, sed si multum, in hac tantùm vita sunt felices: nec auferunt secum suam felicitatem in futuram vitam, sed torquebuntur ibi æterno cruciatu. Huc pertinet, quod Abraham ad diuitem epulonem dixit: Fili, inquiens, recordare, quòd receperis *Luc.16.* bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala: nūc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris. Et alibi applaudit sibi (quod et antè recitauimus) diues, Ani- *Luc.12.* ma, inquiēs, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, ede, bibe, gaude: sed mox audit: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ verò parasti, cui cedēt? Deinde, impij ne in hac quidem vita quicq; eximij, præter vanissimā quandā hominū laudem reportant. Laudant (inquit) te, cum beneficeris tibi, (hoc est) homines eo sunt ingenio, vt quē viderint diuitem, in delitijs viuentem, & vitam Epicurēorū more ducentē, hunc mirificis laudibus vehant, & in omnibus tonstrinis & compitis beatum prædicent: En, (inquiunt ad suos quosq; proximos) hic est vir ille optimus, & eximius, cui ad summā felicitatem nihil prorsus deesse videtur. Si corpus respexeris, optima fruitur valetudine, si diuitias, tantam vim pecuniæ possidet, vt si ea, (quod dici solet) vesci liberet, abundè suppeteret: si autoritatem, vicini eius tantum nō adorant ipsum. Quid multis opus?

Et

Et genus & formã regina pecunia donat. Sed quid, obſecro, illa ſunt, niſi ſomnia illa, quæ apud Eſaiam de felicitate hoſtium populi Dei recitantur: Sicut ſomniat (inquit Propheta) eſuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius, & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo (hoc eſt) felicitas omnium Gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion? Interea autem, quem populus ita beatum iudicat & prædicat, ſeruus eſt turpiſsimorum ſuorum affectuum, & neceſſe habet, vel tandem vnà cum impijs perire. Abit (inquit) anima eius ad generationem patrum ſuorum, non illorum patrum, qui in fide ſeminis Abrahæ, ſeu in Chriſto ex hac vita excedunt, ſed iſtorum Epicuræorum, qui dicunt: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Hi enim tantùm abeſt, vt fruantur ea felicitate, qua in hoc ſeculo videbantur beatiſsimi, & commendatiſsimi, vt perpetuò, nulla vnquam beatitudinis luce illuſtrentur, ſed neceſſe habeant in extremis tenebris interire. Quid autem plura addam? Homo ille impius & Epicuræus, non eſt proprie homo, ſed beſtia, geſtat quidem hominis imaginem, ſed animo, ac aliquoties etiam, externis moribus ſimilis eſt beſtijs. E ſapientibus quiſpiam huius ſeculi dicit: Pronaq; cum ſpectent animantia cætera terram, Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre. Epicuræi igitur, non illud agunt, vt reſpondeant figuræ ſuæ, ac cœleſtia meditentur, ſed ſtatim ſpectant in modum beſtiarum, proni, ad

Eſaiæ 29.

1. Cor. 15.

Ouidius in 1. lib. Metamorph.

omnia terrenarum voluptatum genera. Etſi enim ſunt in honore, ac diuinitus multis inſignibus donis ornati, tamen non intelligunt, non cum animo ſuo conſiderant, quo conſilio Deus contulerit in ipſos tam excellentia dona, videlicet, non vt his donis ad impietatem, ad Epicureiſmum, ad contemptum omnis honeſtatis abutantur, ſed vt ad pœnitentiam inuitentur, & ad cognitionem ac verum cultum Dei excitentur. Cum ergo more beſtiarum, quæ nullam habent diuinæ cognitionis rationem, vitam ducant, non eſt etiam incongruens, vt beſtiarum more pereant: imò multò peior eſt impiorum hominum, quàm porcorum, aut aliarum beſtiarum conditio. Porci enim ita intereunt, vt poſt mortem nihil amplius ſentiant. Impij autem ex hac vita ſic excedunt, vt tum demùm incipiant vitam longè omnium infeliciſſimam, idq; perpetuò agere, cùm pietatis ſtudio ſumma & æterna felicitas fuiſſet expectanda. Hæc eſt illa ſapientia & prudentia, hæc ſunt illa ænigmata, & parabolæ, (hoc eſt) memorabilia dicta, & obſeruabiles ſententiæ, quas Pſalmus in exordio, cithara ſua ludendas ſuſcepit, & ad audiendas eas omnes populos, & omnia genera hominum vocauit: quibus hortatur vniuerſam Eccleſiam populi Dei, vt nihil offenſa ſuis aduerſis, & impiorum proſperis rebus, contineat ſe in officio pietatis, & pergat in vocatione Dei ambulare, certa perſuaſione concepta, quòd qui viriliter agit, & expectat DOMINVM, ſpe ſua, quam habet in Chriſto, non pudefiat.

VSVS HVIVS PSALMI.

MS. Vſum

Vsum eius iam exposuimus. Est enim remedium aduersus offendicula, quæ inde adeò oriuntur, quòd in hoc seculo pijs sit malè, impijs autem benè. Cæterùm, sunt qui sentiunt, hunc Psalmum non esse vocem alicuius vulgaris Psaltæ, sed esse vocem Christi ipsius. Ac sunt quidem aliquot alij Psalmi, qui offendiculo illi medicinam policentur, quemadmodum suprà dictum est: sed si his addideris exemplum DOMINI nostri Iesu Christi, habebis remedium longè omnium efficacissimum. Confer enim mihi inter se Christum, & hostes eius Pontifices ac Pharisæos, & cognoscres, quantum sit inter ipsos, & causę & fortunæ discrimen. Nam Christus fuit longè omniũ innocentissimus, Põtifices aũt & Pharisæi sceleratissimi: & tamẽ nullum genus est afflictionis, quo Christus innocẽs nõ fuit obrutus: esurijt, eguit, exulauit cõtumelia affectus est, capitalibus suis hostibus proditus est, captus est, alapis & flagellis percussus est, cõsputus est, crucifixus est, in cruce mortuus est: quo afflictionis genere, nullum maius in his quidem terris excogitari potest, vt haud iniuria apud Prophetam dicatur Christus virorum nouissimus. Contrà verò Pontifices & Pharisæi hostes eius, in summa erant autoritate & dignitate, decreta eorum habebantur pro oraculis Spiritus sancti, consilia eorum contra Christum promouebant felicissimè, & videbantur ipsi beatissimam ducere vitam: sed nondum (quod dici solet,) sol omnium dierum occidit. Exitus acta probat: non ab externo euentu, sed à fine res est æstimanda. Intueamur ergo Christi & hostium eius finem. Postquam enim Christus mortuus est, tantum *Esaiæ 53.*

abfuit vt in morte perierit, vt mox tertia die à morte resurrexerit, & exaltus sit in summam sublimitatem, ac acceperit nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum. Pontifices autem & Pharisæi cœperũt ab eo tempore omni maledictionis genere insigniri. Non solùm enim ipsi seditionibus perturbabantur, & extremis calamitatibus obijciebantur, verùmetiam excludebantur vnà cum Gente sua, quã se occisione Christi sperauerant conseruaturos è cœlesti hæreditate, vt sicut ipsi horribiliter tam corpore, quàm animo perierunt, ita posteri eorum semper in his terris exulent, & nunquam pateat ipsis, ad cœlos, in hac quidem ipsorum impœnitentia, receptus. Vide, quàm diuersi sunt Christi, suo tempore infelicis, & hostium eius fortunatissimorum fines. Ponamus igitur hoc exemplum nobis ob oculos, vt non sinamus nos vllo crucis offendiculo ad impietatem inflecti. Sed dices: Alia est ratio Christi & suorum hostium, quam mea, & meorum aduersariorum. Christus enim fuit longe omnium innocentissimus, ego autem sum peccator: & quamuis sciam aduersarios meos iniquam habere contra me causam, tamen in illo statu sunt res meæ, vt si DOMINVS obseruet meas iniquitates, sustinere non queam. Quomodo igitur possum me exemplo Christi solari? & è meis ærumnis gloriosam liberationem sperare? Sed bono sis animo. Si peccata te perturbant, Christus passus est pro peccatis tuis, & expiauit ea, vt si credideris in eum, non amplius tibi coram tribunali Dei imputentur. Si ærumnæ grauiores videntur, quàm quas

ferre

ferre possis, factus es, per fidem, membrũ Christi, vt in qua gloria Christus ipse collocatus est, ea tu quoq; vt membrũ eius, fruaris. Si cum ipso, inquit Paulus, patimur, vnà cum ipso quoq; glorificabimur. Et si sumus filij Dei per fidem, sumus etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quare, non committamus, vt patiamur nobis exemplum Christi è manibus excuti, sed retineamus mordicus, vt omnia offendicula, quantumcunque grauia, illæsi per Christum euadamus, & superemus. Roma. 8.

Psalmus 50.

Deus deorum DOMINVS locutus est, &c.

Israelitæ gloriabantur quondam in hoc mundo duobus præcipuè nominibus, Altero, quòd essent populus à Deo electus, Altero, quòd accepissent legem et ritum sacrificiorum diuinitus præscriptum. Qua dignitate ita sibi blandiebantur, vt non solùm reliquas Gentes præ se fastidirent, verùmetiam arbitrarentur, se propter obseruationem sacrificiorum & ceremoniarum, quę lex Dei præscripserat, Deo acceptissimos, etiamsi alioqui nullum non impietatis & scelerum genus sectarentur. Hanc peruersam sententiam, ac præposteram religionem reprehendit Asaph (qui fuit vnus è principibus Cantorum, 1. Paralip. 15. et 16.) in hoc Psalmo: et vaticinatur, primùm, quòd etiamsi Israelitæ electi sint ab initio in populum, seu Ecclesiam Dei, tamen, quia fuerunt ingrati, & abiecerunt

cerunt Meſsiam filium Dei, abiſcientur & ipſi in aduentu Meſsiæ, ne ſint amplius populus Dei, (quod & Moſes in carmine ſuo perſpicuè teſtificatus eſt,) & eligentur in populum Dei Gētes ex omnibus huius terræ nationibus. Deinde, quòd etſi Deus præſcripſit Iſraelitis ſua ſacrificia, & ſuos cerimoniarum ritus, non tamen præſcripſit illo conſilio, vt ſentirent ſe actione & merito ſacrorum illorum coram Deo iuſtificatos, ſed vt ijs fidem ſuam in verum Meſsiam, (cuius ſola fide iuſtificamur) & in ſacrificium eius, exercerēt & confirmarent. Quare, cum Iſraelitæ abuterentur his ſacrificijs ad impietatem, & contrariam ſtitiam Meſsiæ, non ſolùm damnat ea Pſalmus, verùmetiam vaticinatur prorſus abroganda, & è medio tollenda, ac per Euangelion Chriſti, quod in toto orbe adnūciabitur, veros Dei cultus inſtaurādos.

Deut. 32.

Continet autem hic Pſalmus tres præcipuè partes. Vna eſt, de vulgando Euangelio Chriſti in totū orbem terræ. Altera, de abrogandis Leuiticis ſacrificijs, & inſtaurandis veris cultibus Dei, qui ſunt fides, inuocatio nominis Dei, & gratiarum actio. Tertia eſt repræhenſio hypocritarum, qui cum impiam & ſceleratam vitam ducūt, nec agunt veram pœnitentiam, policentur ſibi impunitatem meritis ſuorū ſacrificiorum, & aliorum id genus cultuum.

1. *Fortis Deus, DOMINVS loquitur. Vocat terram, ab ortu Solis vſq; ad occaſum eius.*
2. *Ex Zion perfectus ſplendor Dei emicat.*
3. *Venit Deus noſter, & non ſilet, ignis ante ipſum vorax, & circa eum vehemens turbo.*

4. *Vocat*

4. *Vocat cœlum desuper, & terram, vt iudicet populum suum.*

Hæc est prima pars huius Psalmi, in qua describitur promulgatio Euangelij de Christo in vniuerso orbe terrarum: Fortis (inquit) Deus DOMINVS loquitur. Pro (fortis) apud Hebræos est אל El, quod significat tam Deum, quàm fortem. Est autem proprie epitheton DOMINI nostri Iesu Christi, quod tribuit ei Esaias cap. 9. Sciamus igitur hunc fortem DOMINVM Deum esse Christum, qui etsi non prædicauit Euangelion suum Gentibus, affirmat enim se non esse (externo quidem ministerio suo) missum, nisi ad oues Israëlis, quæ perierunt, tamen multa dixit de vocatione Gentiũ, & abiectione Iudæorum: ac postquam resurrexit à mortuis, & misit Spiritum sanctum, ablegauit Apostolos suos ad omnes Gentes, qui suo nomine prædicarent Euangelion in vniuerso mundo, & vocarẽt omnes populos ad communionem cœlestium bonorum in Christo. Hic ergo Christus, fortis Deus, & verus DOMINVS Iehoua, loquitur: Quis autem loquẽte tanto DOMINO, non attentè audiret? quis non arrectis auribus astaret? Ecce igitur tibi nos attentos, ecce arrectas aures nostras. Quid autẽ loquitur? Vocat, (inquit Psalmus) terram, ab ortu Solis, vsq; ad occasum eius. Tu quidem, Iudæe, applaudis tibi, quòd Deus collocutus sit tecũ de cœlo, & promulgauerit tibi Decalogum de monte Sinai, ac receperit te in populum suũ peculiarem, quæ certè magna est, (fateor) & illustris dignitas: sed non est tanti momenti, vt Deus conclu-

ferit ſe in vnam tantùm Iudaicam Gentem. Nunc enim in plenitudine temporis vocat de cœlo, è quo Spiritum ſanctum in Apoſtolos ſuos miſit, omnem terram, omnes terræ incolas, ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius, idq; non de monte Sinai, ſicut quondam in deſerto, ſed de monte Zion, è quo ſparſum eſt Euangelion Chriſti inter omnes Gentes. Ac lex quidem DOMINI, quæ patefacta & promulgata eſt in monte Sinai, etſi ſuum habuit ſplendorem, & in ſe, ac ſuo genere perfectiſsima eſt, tamen tanta eſt hominum imbecillitas & corruptio, vt non potuerit eos ad perfectum perducere, quia infirmabatur per carnem, Euangelion autem, quod emicuit in monte Zion, & quod initio facto, in Hieruſalem, promulgatum eſt in vniuerſam terram, ſplendor eſt perfectiſsimus, illuſtrans omnes illos perfecta iuſtitia & beatitate, qui adhibent ei fidem. Venerat etiã quondam Deus de cœlo in montem Sinai, magna maieſtate: Totus, inquit ſcriptura, mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet DOMINVS Deus ſuper eum, in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace. Et paulò antè: Cœperant audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perſtrepere. Sed nunc venit Deus, Chriſtus DOMINVS noſter in montem Zion, ad promulgandum Euangelion ſuum multo maiori maieſtate, quàm vnquam in terris viſum eſt, & auditum. Et venit non mutus, non tacitus, ſed ſonantiſsimus, & manifeſtiſsimus. Apoſtoli em̃, miſſo, in die Pentecoſtes, Spiritu ſancto, loquebãtur nouis & varijs linguis, ejiciebant per nomen Chriſti dæmonia,

Heb. 7. & 10. *Rom. 8.*

Exodi. 19.

monia, tollebant serpentes, sanabant impositis manibus claudos & paralyticos, denicq; mortuos etiam suscitabant. Et quanquam initio resistebant promulgationi Euangelij tam Iudæi, quàm Gentes, tamen tanta erat virtus & potẽtia eius, vt breuissimo tempore percurreret totum orbem, & subijceret Christo, nõ quidem mundano, sed cœlesti modo, vniuersam terram: nec afferret tantùm externam in hoc mundo honestatem, verùmetiam perpetuam salutem, omni credenti. In carne ambulãtes, inquit Paulus, nõ secundũ carnem militamus. Quia arma militiæ nostræ nõ sunt carnalia, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus armis demolimur consilia & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. Hęc est maiestas illa, quã Psalmus nomine voracis ignis, & vehementis turbinis pręcedentis & comitãtis Christum, ac Euangelion eius, intelligit. Postq; em̃ mundus audiuit Euangelion Christi, & vidit miracula, quæ aliás nunquam ab initio orbis, nec visa, nec audita fuerunt, multò magis obstupuit, quàm cum Israëlitæ ad tonitrua & fulgura in monte Sinai contremuerunt: & multò prõptius se in obsequiũ Christi tradidit, quàm Israëlitæ in obsequiũ legis Mosi. Ac breuiter: Christus vocat per Euangeliõ suũ, non vnam tantùm gentẽ, sicut quondã Moses, sed vocat cœlum & terram, hoc est, promulgat Euangelion suum, sub omni cœlo, & in vniuersa terra, vt iudicet populum suum. Hoc illud est, quod Christus apud Ioannem capite 16. ait; Cum venerit Paracletus,

Rom. 1.
2. Cor. 10.

arguet mũdum de peccato, de iuſtitia & de iudicio, De peccato quidem, quia non credunt in me. De iuſtitia verò, quia vado ad Patrem, & poſthac non videtis me. De iudicio autem, quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Per Euãgelion enim, quod miſſo Paracleto, promulgatum eſt, iudicat Chriſtus populum ſuum in vniuerſa terra, quia illos, qui credunt Euangelio, iuſtificat, condonat ipſis omnem ipſorum iniuſtitiam, idq; gratuita ſua clementia, defendit ipſos in omnibus aduerſis, conſeruat ipſos in morte, tuetur eos in incurſu ſatanę, ac facit ipſos hęredes omnium cœleſtium bonorum: iſtos autem qui non credunt, condemnat, tradit ſatanæ, & abijcit in æternum barathrum. Agnoſcamus igitur grati beneficium Chriſti, & amplectamur Euangelion eius, qua poſſumus, fidei obedientia, vt bonis eius perpetuò fruamur. Habes primam partem Pſalmi de promulgatione Euangelij in toto orbe terrarum, & vocatione omnium Gentium in Eccleſiam Chriſti.

5. *Congregate mihi ſanctos meos, quibus cum pepigi pactum, de ſacrificio.*
6. *Et adnunciabunt cœli iuſtitiam eius, quia Deus iudex eſt.*

Exordium ſecundæ partis, quo ad hanc concionem audiendam excitantur & conuocantur inprimis Leuitæ, ac ipſorum nomine, omnes reliqui Iſraëlitæ. In hac enim parte ſuſcipit Pſalmus concionandum de abrogatione Leuiticorum ſacrificiorum, & abiectio-

abiectione Israëliticæ Gentis ex Ecclesia Dei. Dicit ergo: Congregate mihi sanctos meos, cum quibus institui pactum de sacrificijs, vt hanc seu cantionem seu concionem audiant. Nec dubito, quin etiam cœli ipsi adnunciaturi sint iustitiam eius, (hoc est) Non dubito, quin iustitiam, rectitudinem & veritatem huius rei, ita sim patefacturus, vt etiam meridiana luce Solis, in cœlo lucentis, & radios suos in totum nostrum hemisphærium proijcientis, clarior ac illustrior fiat. Quia Deus iudex est, (hoc est) quod commemorabo in hoc carmine, nõ est meũ humanũ somnium, sed est cœleste oracultum, non est carnale figmentum, sed est diuinum iudicium. Deus ipse iudex est, Deus ipse, quod de sacrificiorum ratione commemorabo, pronunciat, Dei, non hominis sententia est, quam recitabo: & quod loquar, ecce corã Deo summo omnium iudice loquar. Quare, magnopere cauendum & prouidendum est, ne quisquam eò temeritatis perueniat, vt hanc sententiam, & hoc iudicium repræhendat atq; condemnet. Obseruemus autem, quòd quos hîc interpretes, transtulerunt sanctos, apud Hebræos vocantur hoc loco חסידים Hasidim, quod significat homines beneficos & pios. Sic autem vocantur Sacerdotes & Leuitæ, Deut. 33. & 2. Paralip. 6. siue, quòd demandatum fuerit ipsis officium benedicendi, siue quòd verum cultum Dei, tanta erga Deum pietate defenderint, vt præ diuino zelo, ne liberis quidem suis, ac fratribus pepercerint. Conuocat igitur DOMINVS ad hanc cantionem, inprimis quidẽ Sacerdotes & Leuitas, quibus cum pactum fecerat, (quemadmodum Deut. cap. 10. & Num. 18.

Deut. 10.
Exodi 32.
Deut. 33.

Nume. 18. & Mala. cap. 2. ſcriptum eſt de ſacrificijs peragendis, qui cùm præcipui debuiſſent eſſe tutores veri vſus ſacrificiorum, primi fuerunt, qui ea violarunt. Deinde vocat omnes Iſraelitas, vt doceat eos veram rationem & legitimum vſum ſacrificiorum. Sed cùm non ſolùm ijs ad impietatem abuterentur, verùmetiam impœnitentes eſſent, vaticinatur tam ſacrificia illa abrogãda, quàm ipſos ex Eccleſia DOMINI abijciendos, ſicut & poſtea apud Malachiam dicitur: Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia & incendat altare meum gratuitò? Non eſt mihi in vobis voluntas, dicit DOMINVS exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum, &c. Et apud Oſeam. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Mala. 1. & 2.

Oſe. 4.

7. *Audi mi populе, & loquar, Iſrael (audi) & monebo te: Deus, Deus tuus ego ſum.*

Quod antè cœpit, de conuocandis Sanctis, (hoc eſt) ſacerdotibus & Leuitis ad hanc concionem audiendam, hoc nunc transfert ad omnes Iſraelitas, & facit eos cõmendatione autoritatis & maieſtatis ſuę attentiores. Nõ arbitreris, gregarium quendam, (mi populе Iſrael) & vilem homuniconem tecum loqui, & te tanta teſtificatione monere: ſed ego ſum ille Deus tuus, qui tecum loquor, Deus, inquam, DEVS TVVS EGO SVM, qui teſtificatione nominis mei te de vera & æterna ſalute tua admoneo. Cogita ergo

nunc

nunc tu ipſe,& cum animo tuo conſidera,quanta cura, quanta vigilantia, quanta attentione audiendum ſit, quod commemorabo. Si angelus quiſpiam, aut ſaltem homo Rex & Monarcha tecum loqui, & te cohortari dignaretur, quàm arrectis auribus adſtares,quàm ſollicitè curares, ne vel verbulum aliquod ſomnolentè exciperes? Quanto magis curandum eſt, vt quod ego,ego, inquã, qui ſum Deus tuus,loquor, ſumma diligentia cognoſcas? Excitemur & nos hoc verſiculo, vt non ſimus ignaui auditores verbi Dei, quod nobis è ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis recitari ſolet.Non expectemus nouas de cœlo Apocalypſes,ſed teneamus, quod dictum eſt apud Lucam, ad diuitem epulonem: Si Moſen & Prophetas non audiunt,neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit,credẽt. Neq; cauſificemur humilitatem & abiectionem humanæ vocis, in miniſtro Eccleſiæ. Verbum enim, quod ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis nobis proponit,& iuxta ſententiam Spiritus ſancti explicat, non eſt humani cordis ſomnium, ſed eſt cœleſte oraculum: Qui recipit,inquit Chriſtus ipſe,Prophetam in nomine Prophetę,mercedem Prophetæ accipiet. Et Paulus: Agimus,inquit, Deo gratias indeſinenter,quòd cum acciperetis ſermonem à nobis,quo Deum diſcebatis,accepiſtis non ſermonem hominũ, ſed ſicut erat verè,ſermonem Dei, qui & agit in vobis credentibus. Sed audiamus nunc,quid Deus de ſacrificijs loquatur. *Matth. 10.* *1. Theſſa. 2.*

8. *Non propter ſacrificia tua arguam te,holocauſta tua coram me ſunt ſemper.*

9. Non

9. *Non accipiam de domo tua vitulum, neq; de caulis tuis hircos.*
10. *Quoniam mea sunt omnia animantia syluæ, iumenta in mille montibus.*
11. *Noui omne volatile montium, & volucris agri mecum est.*
12. *Si esuriero non dicam tibi, quia meus est orbis & plenitudo eius.*
13. *Nunquid manducabo carnem taurorum, aut sanguinem hircorum bibam?*

Hæc est concio illa, ad quam audiẽdam Deus ipse non sacrificulos tantùm, verùmetiam omnes Israelitas conuocat: sed qua in auribus hypocritarum nihil videtur absurdius, & à veritate magis abhorrens. Negari enim non potest, quin victimæ, sacrificia, holocausta, & alia oblationum genera, sint in lege DOMINI, non solùm instituta, & ordinata, verùmetiam singulari studio commendata. Holocaustum, *Exodi 29.* inquit scriptura, suauissimi odoris, & incensi est DO- *Num. 28.* MINO. Quid est igitur, quòd hæc Leuitica sacrificia, in omnibus fere Propheticis scriptis reijciantur? *1. Samuel. 15.* Samuel ait. Nunquid vult DOMINVS holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci DOMI- *Esaiæ 1.* NI? Et Esaias: Quo mihi multitudo victimarum ve- *Hier. 7.* strarum, dicit DOMINVS? Et Hieremias: Holocausta vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de *Osea 6.* verbo Holocautomatum & victimarum. Et Oseas: Misericordiam volo, & non sacrificium: & scientiam

Dei

Dei pluſquam holocauſta. Quid multa? Spiritus Propheticus ſacrificia ita abominatur, vt Eſaias iterum dicat: Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum. Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat. Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Quid potuit de ſacrificijs cõtemptius, & abiectius dici? Et tamen manifeſtum eſt, quòd lex Dei cõmendet ea de meliori nota. Quid igitur eſt in ipſis repræhenſione dignum? Principiò, illud dignũ eſt repræhenſione, quòd etſi ſacrificia Leuitica inſtituta ſunt à Spiritu ſancto in ſanctum & pium vſum, tamen impij hypocritæ abutebantur ipſis ad impietatem. Inſtituta enim erant, vt adumbrarent expiationem peccatorum, per vnicum ſacrificium Chriſti abſoluẽdam, & docerent veram fidem in Chriſtũ, quòd per hunc ſolum habeamus condonationẽ peccatorum coram Deo, & ius cœleſtis hæreditatis. Impij autem hypocritæ abutebantur ipſis contra fidem in Chriſtum, quippe quòd ſentiebant, ſe horum meritis expiare peccata ſua coram Deo, & placare iram Dei, ac mereri æternam felicitatem. Hoc non erat ſacrificare ex fide, ſed contra fidem: Iſrael, inquit Paulus, qui ſectabatur legem iuſtitiæ, (hoc eſt) qui ſacrificabat, & multa opera iuſta faciebat, ad legem iuſtitiæ nõ peruenit. Propter quid? Quia nõ ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Non enim ſacrificabant, vt fidem ſuam in Chriſtum, cuius ſacrificia vmbra erant, paſcerent, & confirmarent, ſed vt meritis horum operum Deo pro peccatis ſuis ſatisfacerent. Hoc autem pugnat cum fide in Chriſtum, qui, qui-

Eſa. 66.

Roma. 9.

bus peccata condonat, ea condonat gratis, & abſque vllo operum & meritorum reſpectu, ſi crediderimus, quòd ſolus ipſe ſua paſsione et morte peccata expia-
Roma. 11. uerit: Si per gratiam, inquit Paulus, non iam ex operibus, quandoquidem gratia, iam non eſt gratia: ſin ex operibus, iam non eſt gratia. Quare, quemadmodũ Rex Ezechias optimo iure contriuit ſerpentem
4. Reg. 18. æneum, quo vulgus Iſraelitarum ad idolomaniam abutebantur, ita Prophetæ meritò condemnauerunt ſacrificia, quæ hypocritæ, ad honorem quidem Dei, ſed contra fidem in Chriſtum, impiè vſurparunt. Sed inquies: Vulgò dici ſolet: Abuſus rei non tollit ſubſtantiam eius. Non ſunt igitur ſacrificia tollenda, propter impiorum abuſum. Rectè. Tollamus ergo abuſum, relinquamus autem verum & legitimum vſum. Prophetæ igitur, cum reprehendunt & abominantur Leuitica ſacrificia, non tollunt è medio legitima ſacrificia, ſuis quidem temporibus, ſed admonent de vero eorum & pio vſu, vt omnem gloriam expiationis peccatorum, Chriſto, per ſacrificia adumbrato, acceptam ferant. Atque hoc illud eſt, quod verſiculi, quos paulò antè commemorauimus, docent: Non arguam te, inquit DOMINVS, propter ſacrificia tua. Tu quidem, hypocrita, arbitraris te grauiter in me peccare, quòd non offeras plura ſacrificia, & holocauſta, quàm hactenus vſitatum eſt: & exiſtimas, te ſummo me honore afficere, ſi frequentiſsimè mihi tuas oblationes ob oculos poſueris. Sed ego non ſiſtam te ad tribunal meum, quòd parùm ſacrificaueris, nec delector his tuis ho-

is holocaustis, quamuis sumptuosis & magnificis. Obtrudis enim ea mihi tanquam indigenti, & tam humiliter, tam pueriliter, tam sordidè affecto, quasi qui sinam me istis bestiarum mactationibus & nidoribus ita capi & deliniri, vt conniueam ad omnem impietatem tuam, & necesse habeam, tanta, scilicet, tua merita, omni benedictionis tam corporalis, quàm spiritualis, tam terrenæ, quàm cœlestis genere compensare. Sed quid his opinionibus stultius, ac furiosius? Quæso enim te, quid potes mihi ex omni siue animantium, siue aliarum rerum genere offerre, ac reddere, quod non antea meum est? Si attuleris in holocaustum, aut in aliud genus oblationis, vitulos, boues, hircos, oues, volatilia, & quicquid est animantium, quod per legem offerre licet, num putas mihi ea ante defuisse, & nunc primùm mea fieri? Hoc, si seriò senseris, certè sacrificium tuũ, non est diuini nominis honor, sed summa in diuinam maiestatem contumelia. Iudicas enim, Deum non esse rerum omnium creatorem, Dominum & possessorem, ac tanta esse penuria, vt necesse habeat expectare, donec tu egestati eius, allato boue aut vitulo, subuenias. Hoccine est Deum honore afficere? Quòd si senseris Deum esurire, & aut cibo acrificiorum fami suæ mederi, aut nidore eorum delectari, quid potest de tanta maiestate puerilius, aut magis Ethnicè cogitari? Hæc nunc transferenda sunt ad alia quoque sacra, & opera, quorum meritis hypocritæ policentur sibi condonationem peccatorum coram Deo & vitam æter-

nam. Ecce enim tibi, vel cantum ſeptem horarum Canonicarum, vel Miſſam Pontificiam, vel Ieiunia triduana aut quatriduana, vel peregrinationes ad templa diuorum, vel alia id genus ſacra. Certè cum hæc obtruſeris Deo, tànquam placationes iræ Dei, & expiationes peccatorum coram Deo, poteſt tibi congruentiſsimè verbis ab hoc Pſalmo mutuatis reſponderi: Nõ arguam te, inquit DOMINVS, propter tua carmina, nec accipiam de domo tua panem & vinum, quæ mihi ad expianda peccata mortuorum & viuorum offers, non delector tuis ieiunijs aut peregrinationibus. Quid enim? Arbitraris ne me tam impotenti eſſe animo, vt qui ſine vlla intermiſsione audiam ineffabilem angelorum harmoniam, neceſſe habeam ad alacritatem humana voce excitari? An tantillum panis & vini, quæ mihi in ſacrificium corporis & ſanguinis vnigeniti filij mei pro peccatis hominum obtrudis, commoueat me, vt iuſtam meam iram remittam? Et quid mihi proderit ventris tui vacuitas? An non ſatan ipſe perpetuò ieiunat, & tamẽ ne pilo quidem vel iuſtior vel ſanctior redditur? Habent quidem nonnulla ex ijs, quæ enumerauimus, ſuum legitimum vſum, quod aliàs ſuis locis explicari ſolet, ſed quem hypocritæ in ſuis operibus ſomniant, non eſt pius vſus, ſed impius abuſus. Quare ſicut in faciendis ſacrificijs, ita & in reliquis ſacris operibus non eſt operis ſpecies, ſed operantis fides conſideranda, nec eſt dubium, quin quod, quantumuis in ſpeciem iuſtum & ſanctum, non eſt ex fide, ſit coram tribunali Dei peccatum. Deinde, vt reuertamur ad rationem Leuiticorum ſacrificiorum, illud etiam

repræ-

repræhenſione dignum eſt, quòd imperiti arbitrantur, hunc cultum in populo Dei non ſolùm eſſe ſummum, verùmetiam perpetuò duraturum. Sed ſacrificia Leuitica longè alio conſilio diuinitus ſunt inſtituta. Sicut enim non ſunt inſtituta, vt expient ſuis ipſa meritis peccata hominum, ita non ſunt inſtituta, vt vſus eorum ſit in Eccleſia DOMINI perpetuus. Dictum quidem eſt, perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum coram filijs Iſrael. &: Agnos anniculos duos quotidiè in holocauſtum ſempiternum, vnũ offeratis manè, & alterum ad veſperum. Hoc autem intelligendum eſt, non de eo, quod ſimpliciter ſit perpetuò, & in ſempiternum duraturum, ſed ſicut aliâs additur, & explicatur: In generationibus veſtris, hoc eſt, dum reſpublica carnalis & externi Iſraelis conſtiterit. Quare, etiamſi hypocritæ non abuterentur ſacrificijs ad impietatem, tamen diuinitus eſt definitum, vt tempore incarnationis Chriſti, & diuulgationis Euangelij de Chriſto in orbe terrarum, abrogarentur & tollerentur. *Exod.27.* *Nume.28.* *Gene.17.*

Dices: Audio quidem cultum Leuiticorum ſacrificiorum reijci, audio eum tempore aduentus Chriſti in carnem abrogandum, ſed prudentis eſt, vetera nõ prius mutare, quàm meliora ſubſtitueris. Quę igitur ſunt illa meliora ſacra, quæ in locum veterum ſuccedant? De his rebus concionantur verſiculi, qui ſequuntur.

14. *Sacrifica Deo laudem, & redde altiſſimo vota tua.*
15. *Inuoca me in die tribulationis, liberabo te ita, vt ſis me glorificaturus.*

In libro Leuitico cap. 7. præter alias oblationum ſpecies, enumerantur etiam ſacrificiũ laudis ſeu gratiarum actionis, quod vocatur תודה Thoda, quod ſignificat laudem ſeu confeſsionem. Et ſacrificium ex voto, quod vocatur נדר Neder, & ſignificat votum. Mirandum igitur eſt, quòd cum Spiritus ſanctus antea reiecerit Leuitica ſacrificia, nunc affirmet ſibi hæc duo genera ſacrificiorum, præ omnibus alijs placere, cum tamen & ipſa in numero Leuiticorum contineantur? Sed facilis eſt reſponſio. Cum enim reiecerit antea Leuitica ſacrificia, inter quæ & hæc duo numerantur, obſcurum non eſt, quòd & ipſa vnà cum alijs generibus, quatenus quidem ſunt Leuitica, reijciat. Cum autem hiſce duobus verſiculis commemoret ſacrificia Leuiticis, in nouo Teſtamento, tempore aduentus Chriſti, ſubſtituenda, vtitur quidem priſtinis & vſitatis in veteri Teſtamento vocabulis, intelligit autem nominibus ipſorum ſacra, & cultus noui Teſtamenti. Vera igitur ſacra, quæ Deo exhibenda ſunt, & quæ Deo maximè omnium placent, non tam in nouo, quàm quondam etiam in veteri Teſtamento, ſunt, primùm quidem, ſacrificium laudis, (hoc eſt) confeſsio nominis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Deinde, ſacrificium ex voto, (hoc eſt) fides cordis in Ieſum Chriſtum, quam Eccleſia DOMINI vouit Deo, vnanimi acclamatione, cum poſt promulgationem Decalogi in monte Oreb, peterent à Moſe, vt audiret ipſe vocem DOMINI, & reciperent ſe omnia, quæ Moſes à Deo

Exod. 20.

Deo afferret, facturos, ac inprimis Prophetam illum, qui est Iesus Christus) quem Moses promiserat, audituros. Postremò, inuocatio nominis Dei per Christum. Quid multis opus? quod hi duo versiculi de sacris, quæ sola, præ omnibus Deo placent, suis veteris Testamenti verbis concionantur, hoc Apostolus Paulus, verbis noui Testamenti, maxima omnium perspicuitate interpretatur. Ad Romanos enim capite 10. scribens: Quòd si, inquit, confessus fueris ore tuo (hoc laudis seu confessionis sacrificium est) DOMINVM Iesum, & credideris in corde tuo, (hoc voti est sacrificium) quòd Deus excitauit illum à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et sequitur mox: Quisquis inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Desideras ne vel sanctiorem, vel apertiorem interpretem? Tria enumerat ex his versiculis sacra, quæ Deo sunt longè omnium gratissima. Vnum est, fides cordis in Christum, alterum est confessio oris, tertium, inuocatio Dei per Christum. Hæc sacrificia, si præstiteris, nullum amplius dubium de vera & æterna tua salute relinquitur. Vnde & in altero versiculo additur: Inuoca me, (videlicet ex fide, & confessione nominis Christi,) in die afflictionis & angustiæ tuæ, ac tam mirificè, tam liberaliter te seruabo, vt laudem nominis mei celebraturus sis in omnem æternitatem. Insignis est hæc promissio, ac prorsus illa ipsa, quæ extat, apud Ioannem: Quicquid petie-

Deut. 4.
Deut. 18.
Ioan. 14.

oannis 14. petieritis, inquit Christus, nomine meo, hoc faciam,
Ioannis 16. vt glorificetur pater per filium. Ac iterum: Amen, Amen, dico vobis quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ac alij quidem, impij & hypocritæ properant in aduersis & angustijs suis, ad idola, ad magicas incantationes, ad execrationes. Tu verò, si volueris & Deo ipsi gratissimum cultum præstare, & tuæ ipsius saluti verè consulere, properato fide & inuocatione tua ad DOMINVM Deum nostrum, per Iesum Christum, & reipsa experieris, quod promissio Psalmi dicit: Inuoca me in die tribulationis, liberabo te, & glorificabis me. Et in alio
Psal. 91. Psalmo: Inuocat me, ideo exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

16. *Impio autem dicit Deus, cur tu explicas statuta mea, & vsurpas pactum meum ore tuo?*
17. *Et tamen odio habes disciplinam, & proijcis verba mea retrorsum.*
18. *Cum vides furem, curris cum ipso, & cum adulteris portio tua.*
19. *Os tuum assuefacis ad maledicentiam, & lingua tua nectit dolum.*
20 *Sedens, loqueris aduersus fratrem tuum, filium matris tuæ afficis probro.*
21. *Hæc facis, & taceo. Cogitas igitur, me esse tui similem. Sed arguam te, & statuam ante oculos tuos.*

Tertia pars huius Psalmi, in qua reprehenduntur impij

impij hypocritæ, primùm quidem Iudæi, vt doceat eos meritò ex Ecclesia Dei abiectos, deinde omnes impœnitentes, qui propter longanimitatem Dei applaudunt sibi in sceleribus suis, & pergunt in impietate sua præfractè ambulare. Hoc enim hominum genus non intelligunt veram sententiam & vim diuinæ legis, sed arbitrantur se ei satisfacere, si vel externam honestatem sectati fuerint, vel, cum peccauerint, sacrificium aliquod bouis aut vituli, pro peccati expiatione, Deo offerant, aut aliquot diebus ieiunent. Sed obseruemus, quibus coloribus Psalmus hypocritas & impœnitentes depingat. Tu quidem hypocrita (inquit) gloriaris de diuina lege, quam pepigisti te obedienter seruaturum: Omnia, inquiens, quæ locutus est DOMINVS, faciemus, & erimus obedientes. Vnde & Moses, sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit DOMINVS vobiscum super cunctis his sermonibus. Hos legis sermones tu hypocrita iactas, & suscipis veram eorum sententiam explicandam, & tamen non doces, nisi externam quandam honestatem, & detestaris, si multum, externa tantùm & crassa scelera ac peccata, interea autem nec vllam habes rationem internæ impietatis, nec vlli tibi curæ est cordis tui impuritas. Si quis, exempli gratia, reprehenderit te impietatis ex verbo DOMINI, & dānauerit tua sacrificia, prosequeris eum odio plusquam Vatiniano. Si Deus supplicio suo te ipse castigauerit, propter tuam impietatem, parùm abest, quin eum iniustitiæ palàm & impudentissimè accuses, certè animo tuo nihil est impatientius,

Exodi 24.

& virulentius. Si vides furem seu impostorem, etsi sentis externum & crassum furtum esse contra legem Dei, tamen iudicas fraudulentas negotiationes, & astutas impostur as, quibus & tu ipse delectaris, & in proximo tuo, non ea, quæ exigitur, seueritate detestaris, cum lege DOMINI non pugnare. Si vides vel audis adulterum, etsi fortasis tu non designas externum adulterium cum vxore proximi, tamen vel scortatio cum scortis tibi ludus est, vel cor tuum æstu nefariæ libidinis ardet, quod, quid aliud est, quàm cum adulteris communionem habere? Si quis te verbo læserit, aut damno affecerit, tanta maledicentia in eum grassaris, vt videaris in hoc ludo ab ineunte ætate edoctus & assuefactus. Si quis in te iniurius aut contumelios us fuerit, nihil prius habes, quàm vt quocunq; astu & dolo potueris, vindictam de eo sumas. Si in aliquo hominum cœtu, aut familiari conuiuio fueris, & de absente quodam vicino aut ciue mentio fiat, ibi tum nemo te est in eum vt eloquentior, ita & virulentior, vsq; adeo, vt probris tuis ne quidem coniunctissimo fratri tuo, quamuis vterino, parcas. Quid? arbitraris ne hæc scelera non esse peccata, nec pugnare cum lege Dei? aut si quid vitij fuerit, expiari posse sanguine hircorum, & taurorum? Et quia Deus solet aliquandiu ad ea connivere & dissimulare, putas ne ipsum esse tui similem, hoc est, approbare ea, & iudicare, non esse peccata aduersus legem Dei, sicut tu iudicas? Hoc quid aliud est, quàm Deum in ordinem hypocritarum redigere, & ex ipso carnalem hominẽ facere? Quæ contumelia maior est, quàm humanis verbis explicari queat.

queat. Quare, etsi Deus aliquanto tempore ad hanc impietatem conniuet, & longanimiter contumeliam tolerat, tamen puniet eam vel tandem, idq; tanto seuerius, quanto serius. Arguam, inquit, te, & statuam ante oculos tuos, vt reipsa conuincaris, & videas te esse damnatum peccatorem. Nunc quidem videris tibi iustus, quia sacrificas aut ouem aut bouem, & policeris tibi propter tuas oblationes summam in cœlo felicitatem. Sed cum Deus patefecerit iudicium suum, & seueritatem iræ suæ aduersus eos, qui legem suam iuxta veram sententiam Spiritus sancti non seruauerunt, ibi tum nulla proderit externa morum honestas, nulla hypocrisis, nullum sacrificium, sed maledictus erit, quisquis non permanserit in omnibus, IN OMNIBVS (inquam,) tam minimis, quàm maximis sermonibus legis Dei, nec eos opere perfecerit. Eadem prorsus est sententia, quam Paulus ad Romanos de hypocritis scribit, vt videatur eã vel ex his versiculis mutuò accepisse, vel in ipsos commentarium scripsisse. Inexcusabilis, inquiens, es, ô homo, quisquis es, qui iudicas, Nã hoc ipso, quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadẽ enim facis tu, qui iudicas. Et iterum: Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem, ac probas eximia, institutus ex lege, confidisq; te ipsum ducem esse cęcorum, &c. Qui igitur doces alium, teipsum non doces: qui prædicas, non furandum, furaris: qui dicis, non adulterandum, adulterium committis, &c.

Deut. 27.

Rom. 2.

Quid igitur faciamus, inquies, aut quò nos ver-

tamus? Siquidem enim, non hi tantùm digni sunt
Rom.1. morte, (vt idem Paulus ait) qui externa & manifesta scelera faciunt, verùmetiam illi qui assentiuntur ijs, qui faciunt, quid tandem suscipiemus agendum, vt veram coram Deo iustitiam, & salutem assequamur? Certè non est alia huius rei agendæ ratio, nisi vt veram agamus pœnitentiam. Non iubeo te sacrificare pro peccatis, non exigo à te hecatomben, ad consequendam iustitiam, non mando tibi lauationes manuum, poculorum, vrceorum, æramento-
Mar.7. rum, & lectorum, vt purifices cor tuum: sed volo, iubeo, exigo, vt veram agas pœnitentiam. Hoc illud est, quod ad assequendam veram iustitiam & salutem requiritur. Principiò enim, necesse habes rectam sententiam diuinæ legis cognoscere, vt scias legem Dei esse spiritualem, nos autem carnales, hoc est, legem Dei non esse contentam externa operum iustitia, sed exigere totum hominem spiritualem, & perfectè iustum ac sanctum: Diliges, inquit, Deum ex TOTO corde, ex TOTA anima, & ex TOTA fortitudine tua, & proximum sicut TE IPSVM, &: Non concupiscas. Nos autem sumus carnales, & affectu carnis, qui est inimicitia aduersus Deum, (le-
Rom.8. gi enim Dei non subditur, siquidem ne potest quidem) inebriati, & suffocati. Quare fieri non potest, vt legem Dei, quæ est spiritualis, operibus nostris perfectè impleamus. Quid igitur lex profuerit? Prodest, vt agnoscamus peccatum & iram Dei propter peccatum, & vt reipsa comperiamus, nos esse natura iniustos, & æterna damnatione dignos. Quare ad agendam pœnitentiam, & ad assequendam iustitiam

& salu-

& ſalutem, primus omnium gradus eſt, non vt ſacrificemus boues & vitulos, aut alia Leuitica ſacra faciamus, ſed vt ſuſcipiamus agnoſcendum peccatum, & cum animis noſtris ſerio conſiderandum meritum æternæ noſtræ damnationis, cui propter peccatum ſumus obnoxij. Sed quid? Nihil ne aliud ad iuſtitiam & ſalutem requiritur? Hîc ne reſiſtendum eſt? Minimè omnium. Qui hîc reſiſtit, & non amplius ire pergit, neceſſe habet perpetuò interire. Progrediendum igitur eſt longius, & audiendum Euangelion de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, vt credamus, & firma fide teneamus, ipſum eſſe expiatorem peccatorum noſtrorum, propter quem Deus Pater recipiat nos in gratiam, condonet nobis peccata noſtra, & faciat nos hæredes æternæ vitæ. Ad hunc gradum cum peruenerimus, ibi tum licet, in Moſaica quidem politéa, ſeu in veteri teſtamento, ſacrificare boues, non vt merito huius operis expientur peccata, ſed vt de fide in ſemen Abrahæ (hoc eſt) in Chriſtum admoneamur, & fidem confirmemus: in nouo autem Teſtamento cœnam DOMINI ſumere, idq; non eo conſilio, vt hoc opere iram Dei mitiges, & peccata expies, ſed vt confirmata, hoc Sacramento, fide in Chriſtum, certiſsimus de iuſtitia in Chriſto, & de ſalute tua in cœleſti regno, reddaris. Hanc pœnitentiæ normam ſecutus, fieri non poteſt, quin exciteris à Spiritu ſancto, vt & bona opera iuxta legem Dei obedienter facias, & mala aduerſa, quæ Deus immittit, patienter feras, idq; non, vt iam primùm incipias Deo placere, (places enim propter ſolum Chriſtum per fidem) ſed vt teſtificeris tuam

gratitudinem, & facias tuum, ad quod vocatus es, officium. De qua re admonent nos etiam postremi versiculi huius Psalmi, qui sequuntur.

22. *Intelligite, quæso, hoc, qui obliuiscimini Dei, ne fortè rapiam, & non sit, qui eripiat.*
23. *Qui sacrificat laudem, honorat me, & hæc est via illa, qua ostendam ei salutem Dei.*

Conclusio Psalmi, in qua continetur adhortatio, vt impij hypocritæ non sectentur sacra, vel à se ficta & excogitata, vel etiam legitima, impia autem opinione sordidata: Vos, inquit, qui obliuiscimini Dei, (hi sunt hypocritæ, qui etsi gloriantur de Deo, & appropinquant Deo ore suo, tamen cor eorum longè est ab eo,) intelligite, quæso, hoc. Quid intelligant? Quod videlicet paulò antè dictum est, Deum reijcere sacrificia, & abominari cultus, qui suscipiuntur sine vera pœnitentia. Quo mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit DOMINVS? Et mox: *Esaiæ 1.* Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quid ita? Quia manus vestræ plenæ sunt sanguine, (hoc est) sacrificatis & oratis, sine vlla vera pœnitentia. Quòd si aũt volueritis veram agere pœnitẽtiam, agite, lauamini, mundi estote (id *Act. 15.* quod fit per fidem in Christum) auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse: & quæ sequuntur, describuntur ẽm in eo Esaiæ loco fructus veræ pœnitentiæ. Similiter apud Michæam:

Michæam. Quid dignum, (inquit) offeram DOMINO? Curuabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Ac mox: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid DOMINVS requirat à te. Vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo, (hoc est) veram agere pœnitentiam, hoc demùm requirit Deus, hoc placet Deo. Vos igitur hypocritæ (qui, etsi multum de Deo sermonibus vestris loquimini, tamẽ obliuiscimini eius cordibus vestris, quia caretis vera peccati agnitione, & fide in Christum) considerate hæc cum animis vestris, & reponite alta mente, vt veram agatis pœnitentiã. Nisi eã hanc egeritis, futurũ est, vt Deus abripiat vos in æternum Gehennæ incendiũ, nec sit, qui eripiat. Hoc prorsus illud est, quod Ioannes Baptista apud Matthæum ait: Facite fructus, qui deceant pœnitentiam, & ne sitis hac mente, vt dicatis intra vos ipsos: Patrem habemus Abraham. Et mox: Iam securis ad radicẽ arborũ posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonũ, exciditur, et in ignẽ mittitur. Ac iterum: Ventilabrũ in manu eius est, & repurgabit areã suam, & congregabit triticũ suum in horreũ, paleã aũt exuret igni inextinguibili, (vel vt Psalmus dicit) rapiet, & nõ erit, qui eripiat. Quę omnia dicta sunt, & impleta, in abiectione Israelitarũ, ne sint amplius Ecclesia DOMINI, & in vocatione Gentiũ, quæ facta est per Euangeliõ Christi, in toto orbe terrarũ. Quid ergo faciãt Israëlitæ, vt reuertant ad Ecclesiã? Dona eã & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorũ illũ pœnitere nõ possit. Quid itẽ faciant Gentes, vt maneant in Ec-

Mich. 6.

Matth. 3.

Rom. 11.

in Ecclesia DOMINI. Audi postremum Psalmi versiculum: Qui sacrificat laudem, honorat me, & hæc est vna illa via, qua fit, vt reponam illum, quisquis fuerit, in salutem Dei, & conferam in eum omnia cœlestis salutis beneficia. Dictum est suprà, quòd in hoc Psalmo, pro laude, intelligendum sit sacrificium laudis. Et hoc exigit Deus præ omnibus alijs sacrificijs. Significat enim fidem & confessionem Christi, vt postquam agnoueris peccatum tuum, confitearis ore tuo DOMINVM Iesum, & credas, quod Deus il-
Rom.10. lum excitauit à mortuis: nam corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quare si vel tu Israëlita, qui iam ex Ecclesia Dei abiectus es, volueris pristinam maiorum tuorum iustitiam & salutem recuperare, vel tu Ethnice, qui iam ad Ecclesiam Dei vocatus es, volueris in Ecclesia Dei perseuerare, & cõsistere, necesse habes, corde tuo in Christum credere, & ore tuo confiteri. Præter hanc, non est alia via aut ratio, qua veram & æternam salutem consequaris.

VSVS HVIVS PSALMI.

Nihil à condito orbe vsitatius fuit in humano genere, quàm mactare pecora in diuinũ cultum. Nam & Abel, qui primus iusti cognomen reportauit, ob-
Genes.4. tulit Deo de primogenitis gregis sui, idq; non humana prudentia, sed diuino oraculo, (dicitur enim,
Heb.11. iuxta Epistolam ad Hebræos, obtulisse PER FIDEM.
Rom.10. Fides autem est ex auditu. Auditus verò per VERBVM Dei) & Noha egressus ex arca, obtulit DO-

MINO

MINO holocausta de pecoribus & volucribus. Ac mox propagatus est, per filios Nohæ, mos sacrificandi DOMINO, in vniuersum mundum. Etsi autem plurimæ Gentes degenerauerunt in idolomaniam, tamen mos ipse sacrificandi, vt summus Dei cultus, retentus est tam apud pios, quàm apud impios, ac publico consensu & vsu ita confirmatus videbatur, vt donec hic mundus staret, nulla humana vel industria, vel potentia abrogari posset. Interea autem Prophetæ diuinitus excitati, qui de ventura in nos, (vt Petrus loquitur) gratia vaticinabantur, perspicuè docuerunt, hunc Dei cultum, nec forè perpetuũ, nec esse summum, nec valere coram Deo ex operis sui merito & dignitate: sed tãtùm adumbrare, quòd futurum sit sacrificium DOMINI nostri Iesu Christi, quo peccatum humani generis, verè coram Deo expiaretur, & quotquot in Christum crederent, in gratiam Dei reciperentur. Quare, cum reipsa videamus impletum, quòd & Christus per Prophetas promissus, in hunc mundum aduenerit, & sacrificium suum peregerit, ac omnia veterum sacrificia, non tantùm inter Ethnicos, verùmetiam inter Iudæos, prædicatione & diuulgatione Euangelij Christi, in toto orbe abrogata, & è medio sublata sint, obscurum non est, in quem vsum hic Psalmus nobis sit propositus. Primum enim, confirmatur è lectione & meditatione eius veritas Propheticorum vaticiniorũ, vt sciamus, quòd prophetia, sicut Petrus ait, non sit allata voluntate hominis, sed quòd sancti Dei homines locuti sint à Spiritu sancto impulsi. Deinde, cum hic Psal-

Gen. 8.

1. Pet. 1.

2. Pet. 1.

mus vaticinetur Leuitica sacrificia, in diuulgatione Euangelij abrogata iri, & reipsa comperiamus, hoc iam ante mille quingẽtos annos impletum esse, perspicuè testificatur, non esse alium Christum, iuxta Iudæorum vanitatem & impietatem, expectandum, sed illum esse verum Christum, seruatorem nostrum, quem nobis sacrificiorum in toto orbe terrarum abrogatio demonstrat, & extra quem nulla est hominis salus. Ad hæc, quia hic Psalmus concionatur de vocatione Gẽtium in cõmunionem Ecclesiæ Dei, docet, quòd quemadmodum Gẽtes iustificatę, (hoc est) condonationem iniustitiæ suæ consecutæ sunt, nullis prorsus operum suorum meritis, sed tantùmmodo gratis, ex proposito, & gratuito fauore Dei per fidem, propter Iesum Christum, ita & nos adhuc hodieq́ non iustificemur propter merita nostrorum operum, sed tantùm propter meritum DOMINI nostri Iesu Christi, per fidem: Iugum legis, inquit Petrus, neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam DOMINI nostri Iesu Christi, credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Præterea, abiectio Iudæorum, & assumptio Gentium in populum Dei, quæ in hoc Psalmo describuntur, admonent nos timoris Dei, vt simus grati erga Deum, ne fortè, sicut Deus nõ pepercit Iudæis, naturalibus ramis, ita nec nobis Gentibus, oleastris, parcat, si quod gratuitò accepimus, non studeamus gratitudine conseruare. Postremò discamus ex hoc Psalmo etiam illud, quòd nulla sacra, absque vera pœnitentia, sint Deo grata: & quòd præcipuus Dei cultus

Actor. 15

Roma. 11.

gus sit, immolare Deo laudem, reddere altissimo vo-
ta, & inuocare Deum in die tribulationis, (hoc est)
credere corde, & confiteri ore DOMINVM nostrũ
Iesum Christum, & ex hac fide nomen Dei inuocare.
Nam, qui sic colit Deum, vno hoc cultu absoluit om-
nia sacrificiorum genera, quæ quondam
maioribus per Spiritum san-
ctum tradita fue-
runt.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS SEXTA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1567.

PSALMI SEXTÆ DECADIS.

51. *Miserere mei Deus, secundum magnam, &c.*
52. *Quid gloriaris in malitia.*
53. *Dixit insipiens in corde suo.*
54. *Deus in nomine tuo salvum me fac.*
55. *Exaudi Deus orationem meam.*
56. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit.*
57. *Miserere mei Deus, miserere mei.*
58. *Si verè vtiq; iustitiam.*
59. *Eripe me de inimicis meis Deus meus;*
60. *Deus repulisti nos & destruxisti nos.*

Psalmus 51.

Miserere mei Deus, secundum magnam, &c.



Vod fœlix fauſtumq; ſit, ordiamur explicationem ſextæ Pſalmorum Decados, à Pſalmo quinquageſimo primo, Miſerere mei Deus, ſecundam magnam miſericordiam tuam. Quo frequentior autem hic Pſalmus hactenus in ore vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti fuit, eò maiori cura vera eius ſententia cognoſcenda eſt. Nec dubito, quin, cum vſus eius, etiam in Pontificijs tenebris aſſiduus fuerit, Spiritus ſanctus acceperit eum in organon, quo plurimorum animas in medijs horroribus mortis ſaluas conſeruauerit, & ad conſortium cœleſtium ciuium, per fidem in Chriſtum tranſmiſerit.

Poſtquàm enim homo peccator vocatus fuerit ad tribunal Dei, & accuſatus grauiſsimæ impietatis & iniquitatis, non inueniat vllam vel excuſationem, vel euaſionem, qua ſententiam æternæ damnationis effugiat, hic Pſalmus docet eum in genua ante faciem Dei patris procumbere, & liberationem ac ſalutem, non propter ſuam aliquam, aut alterius ſibi proximi hominis iuſtitiam, ſed tantùm propter ſolam gratuitam miſericordiam Dei, in Chriſto filio Dei, ab initio orbis promiſſam, & nunc in plenitudine temporis exhibitam, petere ac ſperare. Et quia

nulla precatio, nulla inuocatio nominis Dei poteſt nubes penetrare, & in conſpectum Dei venire, ac impetrare quod petitur, abſq; pœnitentia, (dicit enim DOMINVS apud Eſaiam: Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine, (hoc eſt) impœnitentes eſtis) ſuſcipit hic Pſalmus exponendam veram rationem pœnitentiæ, quam qui ſecutus fuerit, dubium non eſt, quin exaudiatur, & cœleſtem ſalutem aſſequatur. Quare, cum noſtri ſit officij, omnes Pſalmos in numerato habere, hic Pſalmus debet nobis præ multis alijs familiarior, adeoq; noſtris ipſis nominibus notior eſſe.

Eſa. 1.

Occaſionem autem, qua Dauid ad huius Pſalmi compoſitionem excitatus eſt, exponit Pſalmi inſcriptio, quæ ſic habet. Pſalmus Dauidis, cum venit ad eum Nathan Propheta, poſtquàm intrauit ad Bethſabe.

Non eſt autem ſentiendum, quòd Dauid concionetur hîc de ſuo tantùm adulterio & homicidio, quorum alterum cum aliena vxore, alterum in marito eius deſignauit: ſed quòd horum ſcelerum agnitione admonitus & excitatus, deſcribat & deploret originalem illam ac miſerandam corruptionem, qua humana caro iam inde ab vtero materno laborat, ac doceat interea, qua via & ratione huic tanto malo ſit medendum. Diſtribuemus igitur hunc Pſalmum in duas partes, in quarum priori deſcribit gradus agendæ veræ pœnitentiæ. In poſteriori autem precatur varijs donis Spiritus ſancti ornari, vt Deo gratificari, & ſuum officium facere poſsit.

1. Miſe-

1. *Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam, secundum multitudinem miserationum tuarum dele transgressiones meas.*
2. *Multùm laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

Hi duo versiculi sunt propositio prioris partis huius Psalmi, in qua propositione precatur Dauid, vt Deus condonet & remittat ipsi clementer transgressiones, iniquitatem & peccatum suum. Sciamus igitur initio, cuius peccati, aut iniquitatis & transgressionis condonationem petat. Num adulterij tantùm & homicidij, quæ antea designauerat? Erant quidem hæc atrocia scelera, sed nec erant sola, nec maxima: reliquum enim erat peccatum, quod vocant originale, quod, vt est fons & scaturigo omnium aliorum peccatorum, ita inhæret in hac vita perpetuò in humana carne, vsq; ad mortem: & autor est, vt non solùm homo mala opera faciat, verùm etiam vt bona eius opera corrumpantur, ac ita inficiantur, vt coram tribunali Dei consistere non queant. De hoc peccato dicit Christus: Ex corde exeũt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. *Matth. 15.* De hoc peccato scribit etiam Paulus: Noui, quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Et mox: Reperio legem, volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum sit adiunctum. *Rom. 7.* Cum igitur hoc originale peccatum (de quo mox plura) sit longè omnium maximum, & omnis humanæ calamitatis autor, sentiamus Dauidem.

dem cõdonationem adulterij & homicidij ſui ita petere, vt tamen præcipue intelligat condonationem peccati originalis, e quo adulterium & homicidium promanarunt. Deinde obſeruandum & illud, quod petat condonationem huius, & aliorum peccatorum, quæ ex hoc oriri ſolent, non ſecundum ſua ipſius ſacrificia, & merita, ſed ſecundum miſericordiam Dei, eamq́ non ſimplicem, ſed ſecundum, (inquit) MVLTITVDINEM miſerationum tuarum dele tranſgreſſiones meas. Sicut enim tranſgreſsio mea, non eſt vna, neq́ pauca, neq́ parua, ſed vt ſunt plurimæ, innumerabiles, & maximæ, ita peto remiſsionem earum, ſecundum immenſam miſerationum tuarum multitudinem. Et quia iniquitas mea eſt multa, & peccatum meum magnum, idcirco indigeo non ſimplici quadam, ſed plurima, & maxima lauatione, ac emundatione. Vrget autem multitudinem & magnitudinem miſericordiæ Dei, in condonando peccato, vt ſignificet, ſe non loqui de ea miſericordia, quam hypocritæ Deo affingunt, ſed de vera & gratuita Dei miſericordia. Etſi enim vna tantùm eſt Dei miſericordia, qua populo ſuo gratuita clementia benefacit, tamen Hypocritæ ſomniant, Deum ita demum eſſe miſericordem, ſi benefactis & ſacrificijs ſuis miſericordiam eius mereantur: & prætexunt il-
Exo. 20. lud dictum Decalogi: Faciens miſericordiam in millia, ijs, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Sed vt non rectè intelligunt dictum Decalogi, ita praue ſentiunt de miſericordia Dei. Nam quod Lex dicit: Faciens miſericordiam in millia, ijs, qui diligunt me, &c. intelligendum eſt iuxta veram ſententiam

tiam Legis, quę eſt ſpiritualis, videlicet, quòd quemadmodum Lex exigit perfectam obedientiam, & plenam ac conſummatam impletionem, ita Deus benefaciat ijs, qui diligunt Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine, ac omnia præcepta Dei ita cuſtodiunt, vt ne iota quidem & apicem eorum violent. Nullus autem hominũ eſt, qui ad hunc modum Deum diligere, & præcepta eius cuſtodire queat: Affectus carnis, (inquit Paulus) inimicitia eſt aduerſus Deum. Nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne POTEST quidem. Quare quemadmodũ Lex omnes homines occîdit, ita & illud Decalogi dictum inuoluit omnes homines maledictioni, tantum abeſt, vt promittat eis miſericordiam & beneficia Dei. Nam, quòd Hypocritæ pollicentur ſibi miſericordiam Dei propter ſacrificia & merita ſuæ ipſorum iuſtitiæ, vaniſsimum eſt, vt qui non videant hæc ipſorum opera non eſſe perfectam Legis impletionem, nec habere coram Deo rationem veræ iuſtitiæ, ſed eſſe tantùm externam ſpeciem, ſimilem ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſsibus mortuorum, omniq; ſpurcitia. Quid ergo de miſericordia & miſeratione Dei ſentiendum eſt? Non certè ſentiendum eſt, quòd ſit mercenaria, & non exhibeatur, niſi ijs, qui eam operibus ſuæ ipſorum iuſtitiæ mereantur, ſed quòd ſit gratuita propter Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, ſi in ipſum crediderimus. Non enim verè diligunt Deum, nec verè cuſtodiunt præcepta Dei, qui ore tantùm de Deo gloriantur, & externam Legis ſpeciem aliqua ex parte ſeruant, ſed qui

Rom. 8.

Matth. 23.

diligunt

diligunt Christum filium Dei, & credunt in eum. Nam hi recipiuntur à Deo in gratiam, adoptantur in filios Dei, donantur iustitia Christi, qui solus vniuersam Legem perfecte impleuit, vt iniustitia ipsorum non solùm non imputetur ipsis, verùmetiam nō alio loco coram Deo habeantur, quàm si & ipsi cunctæ Legi perfecte satisfeciſſent. Quare quod hoc loco dicitur: Miserere mei secundum misericordiam tuam, secundum multitudinem miserationum tuarum, perinde est, ac si iuxta reuelationem Euangelij diceretur: Miserere mei, non secundum misericordiam tuam mercenariam, quam fingunt sibi Hypocritæ, propter operum & sacrificiorum suorum merita, sed secundum misericordiam tuam gratuitam, quam nobis, nulla nostrorum meritorum ratione habita, sed tantùm gratis, propter solum Iesum Christum & meritum eius promittis & exhibes.

Postremò, nec illud oscitanter prætereundum est, quòd cum Dauid precetur condonationem peccati, secundum multitudinem miserationum Dei, non petat vile & abiectum, sed summum & maximum
3. Reg. 3. omnium beneficium. Postulauit quidem Salomon filius Dauidis à Deo sapientiam, qua posset populum suum gubernare, & assecutus est excellentiorem, quàm vllus terræ Monarcha. Quod certè insigne & eximium est beneficium, non est autem præcipuum & maximum. Etsi enim habes sapientiam gubernandi Monarchiam, adde & potentiam, & opes, & dignitatem, & quæ sunt alia in hoc mundo suspicienda, nō tamen proderunt hæc aduersus pericula mortis, & in veris terroribus inferni. Illud autem summum

mum est beneficium, si secundum multitudinem miserationum Dei consequaris deletionem iniquitatis & lauationem à peccato. Vbi enim iniquitas est deleta seu condonata, & peccatū est remissum, ibi Deus est propitius. Deo autem propitio, quid tibi deerit? Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Si mors minatur nobis exitium, aculeus est ei ademptus, quia peccatum, quod est mortis aculeus, condonatū est. Si fauces inferni ad nos deglutiēdos hiant, remissione peccati suffocantur. Quare sciamus, quòd cum Dauid petit deletionem iniquitatis & remissionem peccati, petat summum beneficium, quo assecuto, nulla afflictio, quantumuis molesta, oberit, & quo destituto seu amisso, nulla felicitas, quantumuis in hoc seculo insignis, proderit. Sed quomodo hanc peccati remissionem assequamur, versiculi qui sequuntur, docent. 1. Cor. 15.

3. *Quoniam transgressiones meas ego agnosco, & peccatum meum coram me est semper.*
4. *Tibi tantummodo sum peccator & malefactor coram te, vt iustus habearis in verbis tuis, & irreprehensibilis cum iudicaris.*
5. *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.*

Propositionem, in qua petitur remissio peccatorum, sequitur ratio cur ea petatur. Ac in præsentia quidem non quæritur, quibus meritis remissio peccatorum petatur, nam in propositione Dauid sua sibi ipse merita adimit, cum dicit: Secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum

Rom. 11. tionum tuarum: ſi enim per gratiam ſeu miſericordiam, nō iam ex operum meritis. Sed quæritur, quibus gradibus ad conſequendam remiſsionem peccatorum perueniatur, vt ſi Dauid aut alius quiſpiam peccator in ijs conſiſtit, certiſsimam peccatorum remiſsionem & petere & ſperare queat.

Sciamus igitur, qua fronte tàm ſceleratus peccator audeat oculos ſuos ad cœlum attollere, & dicere: Miſerere mei Deus ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele tranſgreſsiones meas. Etſi enim Deus natura ſua eſt miſericors, & miſerationes eius ſunt immenſæ, tamen fortaſsis non eſt tibi, TIBI, inquam, miſericors, & nōdum in illis gradibus conſiſtis, per quos ad conſequendas Dei miſerationes aſcenditur. Quid ergo eſt quod te excitat, vt clames ad Deum: Multùm laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me? Hîc Pſalmus ipſe, nomine Dauidis nobis reſpondet. Inuoco Deū, vt condonet mihi peccatum meū ſecundum multitudinem miſerationū eius, quia agnoſco tranſgreſsiones meas, & peccatum meum coram me eſt ſemper, &c. (hoc eſt) Idcirco inuoco miſericordiam Dei pro peccati condonatione, quia ago pœnitentiam, AGO, inquam, POENITENTIAM. Nihil enim certius, nihil firmius eſt, quàm quòd Deus condonet peccata ſua pœnitentibus. Huc enim reſpicit, huc ſpectat vniuerſa ſacra Scriptura, quæ eſt tanquam epiſtola cœlitus demiſſa, qua DOMINVS Deus noſter omnem animi ſui ſententiam humano generi, de remiſsione peccatorum perſpicuè expoſuit.

In

In libro Leuitico cap. 26. Ambulabo, (inquit DOMINVS) contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorum. Tunc orabunt pro impietatibus ſuis, & recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, Iſaac & Abraham. Illud vult dicere: Trado populum meum hoſtibus ſuis, & affligo eos, vt adigam ipſos ad agendam pœnitentiam, quam ſi egerint, recordabor fœderis mei quod pepigi cum Patriarchis, vt in ſemine ipſorum, (quod eſt Chriſtus) benedicerentur omnes gentes.

2. Paralip. 7. Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum, conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſsimis, ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.

Hiere. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.

Ezech. 33. Viuo ego dicit DOMINVS, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.

Oſe. 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me: Venite & reuertamur ad DOMINVM, quia ipſe cepit & ſaluabit nos, percuſsit & ſanabit nos.

Matth. 9. Non veni ad vocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Act. 3. Pœniteat vos erroris, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.

Quid multis opus? Tota ſacra ſcriptura exigit pœnitentiam, & pollicetur ei infallibilem peccatorum remiſsionem.

Vera autem pœnitentia, quam Spiritus ſanctus exigit, conſtat duabus partibus, tanquàm gradibus, quibus ad aſſequendam miſericordiam Dei & remiſsionem peccatorum aſcenditur. Vna pars ſeu gradus eſt, agnitio peccati. Altera eſt, fides in Chriſtum. Ac de hac poſteriori poſtea. Nunc de priori. Poſtquàm enim dictum eſt, Dauidem idcirco petere peccati ſui remiſsionem, quia agit pœnitentiam, commemorat quarto, quinto & ſexto verſiculo priorem pœnitentiæ partem. Peto DOMINE per gratuitam tuam clementiam, condonationem peccati. Quamobrem? Quia agnoſco tranſgreſsiones meas, & peccatum meum coram me eſt ſemper. Hæc eſt prior pars & gradus agendæ pœnitentiæ, videlicet, agnitio tranſgreſsionum, ſeu peccati. Quid? quarum tranſgreſsionum? aut cuius peccati? num adulterij tantum & homicidij? Certè etiam harum tranſgreſsionum, ſed maximè omnium illius peccati, è quo hæ tranſgreſsiones oriuntur. Quod ergo eſt illud peccatum? Originale, de quo ſequitur: Peccatum meum coram me eſt ſemper, tibi tantùm ſum peccator, & malefactor coram te, vt iuſtus habearis in verbis tuis, & irrepræhenſibilis cum iudicaris: Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea. Hæc eſt deſcriptio peccati, (quod vocant) originalis. Ac initio, Dauid fatetur hoc peccatum

catum ſemper eſſe coram ſe, & in conſpectu ſuo, quia caro, in qua hoc peccatum habitat, ſemper concupiſcit aduerſus Spiritum, & homo volens facere bonũ, ſemper reperit, quòd malum ipſi ſit adiunctum, vt nunquam non ſentiat in membris ſuis legem ſeu doctorem rebellantem legi mentis ſuæ, & reddentem ipſum captiuum legi peccati. Deinde hoc peccatum efficit, vt ego Dauid ſemper ſim tibi DOMINO, & coram te, in conſpectu tuo peccator & malefactor. Si enim fecero opus, lege DOMINI prohibitum, manifeſtum eſt, me eſſe peccatorem & malefactorem, Si autem fecero opus, lege DOMINI mandatum, etſi hoc opus ſpecie ſua bonum & iuſtum videtur, tamen quia peccatum originale habitat in carne mea, & pugnat cum ſpiritu, nec permittit, vt bonum, quod ſuſcipio faciendum, ſit perfectè bonum, ac reſpondeat omni ex parte legi diuinæ, dubium non eſt, quin coram maieſtate Dei habeatur ſordidum ac immundum, & non poſsit coram tribunali eius conſtare. Quare, ſiue peccauero, ſiue benè egero, ſemper ſum coram Deo, ſi mecum in iudicium intrauerit, peccator & malefactor, vt veriſsimum ſit, quod vulgo dici ſolet, hominem, quamuis iuſtum, in omni etiam bono opere peccare, quòd etſi benè iuxta legem Dei agere videtur, tamen hoc bonum nõ ſit perfectum, ſed propter peccatum originale carni inhærens, corruptum, & coram Deo turpificatum. Idem ego, inquit Paulus, mente quidem ſeruio legi Dei, carne verò legi peccati. Quod cum ita ſe habeat, Deus nõ eſt vllius iniuſtitiæ accuſandus, etiamſi homines ſanctiſsimos, Abrahamum, Samuelem, Eſaiam,

Galat. 5.
Roma. 7.
Rom. 7.

Eſaiam, Ioannem Baptiſtam, & alios affligat. Tibi, inquit Dauid, tantùm ſum peccator & malefactor coram te, vt habearis in verbis tuis iuſtus & irreprehenſibilis, cum iudicatus fueris. (hoc eſt) Non poſſum nec debeo negare, quin nunquam perfectè ſatisfaciam legi Dei, vt manifeſtiſsimum ſit, quòd optimum ius habeas me, quoquo modo libet, affligendi, nec poſsis vllius iniuſtitiæ, quicquid Hypocritæ ſenſerint, reprehendi. Deus enim, cum affligit homines, præſertim illos, qui extrinſecus apparent iuſti & pij, iudicatur ab Hypocritis iniuſtus & crudelis: Quare ieiunauimus, (inquiunt Hypocritæ apud Eſaiam) & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Sed verbum ſeu lex Dei concludit omnes homines ſub incredulitatem & ſub peccatũ, ac eo ipſo dat Deo iuſtam & plenam poteſtatem affligendi, imò etiam perpetuò damnandi omnes homines, quantumcunq; videantur iuſti & ſancti. Maledictus enim omnis, qui non permanet in omnibus ſermonibus Legis. Cum igitur agnoſcam me ſemper coram Deo peccatorem & malefactorem, abſoluo Deum, me affligentem, ab omni iniuſtitia et crudelitate, & damno peruerſum iudicium Hypocritarum, qui reprehendunt Deum, quòd nullo diſcrimine graſſetur ſua ſeueritate in homines tàm iuſtos, quàm iniuſtos. Habes, cur Deus in agenda pœnitentia exigat agnitionem & confeſsionem peccati noſtri. Exigit enim eam, non quòd delectetur per ſe, reuelatione noſtrarum ſordium & impietatum. Vt enim nihil de Deo, qui eſt mundicies & puritas ipſa, dicam, quis eſt, etiam ſordidiſsimorum hominum, qui delectaretur

Eſa. 58.

Roma. 11.
Gala. 3.

Deut. 27.

claretur patefactione & commotione, ac ante faciem ſuam obtruſione tam olidæ ſentinæ ac latrinæ, qualis eſt homo natura ſua in peccato conceptus & natus? Nec exigit illam agnitionem & confeſsionem, quòd ſentiat merito huius facti peccatũ coram Deo expiari, ſed exigit, vt hac ratione patefiat iuſtitia ipſius, & habeat etiam ab homine ipſo peccatore teſtimonium innocentiæ ſuæ, quòd immittendis ſupplicijs ſuis, nulli hominum faciat iniuriam. Sic interpretatur hunc locum Paulus: Sit Deus, inquiens, verax, & omnis homo mendax. Et Daniel: Tibi DOMINE, inquiens, iuſtitia, nobis autem confuſio faciei. Deinde Deus odio habet, & execratur mendacium, & delectatur veritate. Veritas autem eſt, quòd natura ita corrupti ſimus peccato, vt carne noſtra ne poſsimus quidem legi Dei ſubdi. Ad agendam igitur veram pœnitentiam, primùm omnium neceſſarium eſt, vt ad illuſtrandam iuſtitiam Dei, & dicendam veritatem, verè agnoſcamus & confiteamur coram Deo peccatum noſtrum.

Rom. 3. *Danie. 9.* *Rom. 8.*

Sed quod eſt, quæſo, & vnde nobis accidit peccatum illud, quo tam fœdè ſumus corrupti & turpificati? An homo non eſt à Deo iuxta imaginem & ſimilitudinem Dei, bonus & iuſtus creatus? Et: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona? De hac re audiendus eſt verſiculus quintus: Ecce in iniquitate, ſeu ex immundo ſemine conceptus ſum, & in peccato concepit, ſeu geſtauit me in vtero ſuo, mater mea. Non enim dubium eſt, quin Deus creauerit initio hominem bonum & iuſtum, qui & intelligeret, quod honeſtum, & vellet, quod rectum eſſet.

Sed

Sed cum Adam, persuasus à muliere, vescebatur, contra mandatum Dei, fructu arboris sapientiæ, reiecit à se Spiritum sanctum, & subiecit se imperio Satanę, qui dominatione in hominem accepta, corrupit tàm mentem, quàm voluntatem eius, vt iam vna cum vniuersa sua posteritate, mente sua non intelligat, nisi humana, carnalia, terrena, imò satanica: & voluntate sua non velit nec concupiscat, nisi mala, praua, & Deo inimica. Hoc illud est, quod vocant, peccatum originale, quia accepit originem in Adamo, & propagatum est per ipsum in omnem suam posteritatem.

Rom. 5. Per vnius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes ad condemnationem. Et mox: Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti fuimus multi. Postquàm enim Adam repulit à se Spiritum sanctum, & admisit spiritum Satanæ, tales à se propagat, qualis ipse factus est. Factus autem est mancipium Satanæ, quare omnes homines nascuntur Satanæ mancipia ex Adamo. Atq; hoc illud est, quod versiculus dicit: Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato gestauit seu fouit me mater mea in vtero suo, (hoc est) meus quidem primus parens Adam, fuit à Deo bonus & iustus creatus, sed postquàm peccauit, traxit secum omnes posteros suos in ruinam. Itaq; peccatum non tùm primùm me inuasit, cum iam vel in cunis vagirem, vel inter æquales adolescerem, sed cum in vtero matris conciperer, & mater me in ventre foueret. Etsi enim mater mea per se non peccauit, cùm iniit cum parente meo coniugium, (coniugium enim diuinitus est ordinatum) tamen, quia semen parentum meorũ, è quo ego concipiebar

cipiebar, iam inde vſq; ab Adamo corruptum & immundum erat, idcirco peccatum adhærere cœpit mihi in ipſo conceptu, & attuli mecum in hanc lucem, ac deinceps me ita captiuum tenet, vt neceſſe habeam ei obnoxius eſſe vſq; ad mortem. Tametſi enim multi ſunt, qui gratuita Dei clementia renaſcuntur in Ieſu Chriſto per fidem, & donantur Spiritu ſancto, qui & facta corporis mortificat, & peccatum compeſcit, tamen non euellit peccatum radicitus ex carne, ſed relinquit ipſum perpetuò in hac quidem vita carni ita infixum, vt & ſemper pugnet cum ſpiritu, & nunquam ſinat bonum perficere, ac legi Dei ex omni parte ſatisfacere. Quòd ſi talis eſt conditio renatorum in Chriſto, qualis obſecro eſt conditio, & quanta eſt immunditia illorum, qui non ſunt renati? *Roma.7.8.*

Quare, quotquot tenentur deſiderio veræ ſalutis, neceſſe habent ſeſe ante Deum proſternere, & ingenuè agnoſcere ac fateri peccatum ſuum, non illud tantùm, quod adulteriis, homicidiis, & aliis externis ſceleribus deſignarunt, ſed etiam inprimis, quod ſecum ex vtero matris in hanc lucem attulerunt, & ſecum ſemper in ſinu ſuo, vſq; ad exceſſum ex hac vita geſtant. De quo & Paulus ipſe exclamat: Miſer ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Atq; hæc eſt prior pars pœnitentiæ, quam Dauid ſe agere profitetur. Nunquid ergo hac peccati agnitione ſatisfactum iam eſt Deo pro peccato? Nihil certè minus. Cœpta quidem eſt pœnitentia, ſed nõdum abſoluta. Quòd ſi quis in hoc tantùm pœnitentiæ gradu conſtiterit, nec progrediatur, tantùm *Rom.7.*

abeſt, vt miſericordiam, remiſsionem peccatorum ac ſalutem conſequatur, vt potius in profundum deſperationis & perditionis, iudicante DOMINO, ruat. Neceſſarium igitur eſt, vt altius in alterum videlicet gradum aſcendas, qui eſt fides in veritatem ſeu ſapientiam Dei, hoc eſt, in Ieſum Chriſtum, qui eſt veritas & ſapientia ipſa Dei. De qua verſiculus, qui ſequitur.

6. *Ecce (agnoſco) veritatem, (qua) delectaris in reconditis, Et in occulto ſapientiam, quam mihi patefeciſti.*

Hæc eſt altera pars pœnitentiæ, qua peccator conſequitur deletionem iniquitatis, & lauationem à peccato ſuo: Non ſolùm, inquit, agnoſco iniquitatẽ & peccatum meũ, ſed etiam agnoſco (hoc enim verbum ſuprà in tertio verſiculo poſitum, in hoc ſexto repetendum eſt) veritatem promiſsionis tuæ de benedicto ſemine Abrahæ, qui eſt Chriſtus DOMINVS noſter, quo Deus pater vnicè delectatur, & de quo dictum eſt à Moſe: Ipſum audite, & poſtea apud Eſaiam dicetur: In illo complacuit ſibi anima mea. Ac Deus pater ipſe de cœlo teſtificabitur: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum eſt. Cæterùm in tralatione huius verſiculi, addidi relatiuum, qua & quam, quod in Hebræo expreſsè non ponitur, ſed pro Hebræorum more in talibus locutionibus intelligendum eſt, vt Pſalmus 7. Exurge DOMINE Deus meus ad iudicium, (quod) mandaſti. Et Pſalmus 46. Deus refugium noſtrum & virtus, adiutor in tribulationibus, (quæ) inuenerunt nos.

Deut. 18. *Eſa.* 42. *Matth.* 3.

nos nimis : vbi relatiuum quod & quæ, in Hebræo non habetur, ſed ſubintelligitur. Hoc, cum ſit apud Hebræos vſitatum, nemo miretur, quòd idem etiam in ſexto huius Pſalmi verſiculo adiecerimus, vt ſententia eius fiat magis perſpicua. Dicit ergo: Ecce agnoſco, non tantùm iniquitatem & mendacium MEVM, ſed etiam agnoſco veritatẽ TVAM. Quam? illam, qua imprimis delectaris, & quæ eſt in reconditis, videlicet, veritatem promiſsionis tuæ de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto. Etſi enim tu promiſiſti Chriſtum ab initio orbis terræ, promiſiſti etiam mihi ipſi Dauidi, te Chriſtum è mea familia in has terras miſſurum, tamen hoc, vt pauci rectè intelligunt, ita à multorum oculis abſconditum eſt, quòd expectent Chriſtum, mundanum Monarcham, non Chriſtum, cœleſtem peccatorũ expiatorem. Et agnoſco, non tantùm inſipientiam MEAM, ſed etiam ſapientiam TVAM, quæ eſt Euangelion tuum de Chriſto. Quam ſapientiam, etſi adhuc eſt in occulto, & nondum vbiq; in orbe terrarum inter omnes gentes diuulgata, tamen clementer mihi patefeciſti.

Vide interpretationem huius verſiculi, etiam ſuprà Pſal. 25. verſiculo decimo quarto. Non enim eſt dubium, quin Dauid hoc loco, nomine veritatis & ſapientiæ intelligat Euangelion de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, imò & Chriſtum ipſum. Sic enim interpretatur Paulus, cum ad Romanos ſcribit: Ei, *Rom. 16.* inquiens, ſit gloria, qui potens eſt vos confirmare ſecundum Euangelion meum, & prẽconium Ieſu Chriſti, iuxta reuelationem myſterij, temporibus æternis taciti, manifeſtati verò nunc, & per ſcripturas Pro-

phetícas, iuxta delegationem æterni Dei, in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti. Et iterum
1. *Cor.* 2. ad Corinthios: Loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ eſt recondita, quam præfinierat Deus ante ſecula, in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Et ad Epheſios cap. 1. Similiter ad Coloſſenſes cap. 1. Euangelion de Chriſto, vocatur myſterium, reconditum quidem à ſeculis & à generationibus, nunc autem patefactum.

Sciamus igitur Dauidem in hoc ſexto verſiculo profiteri ſe agnito ſuo mẽdacio & inſipientia, agnoſcere etiam veritatem & ſapientiam Dei, quæ eſt Euangelion de Ieſu Chriſto, quod eſt à ſapientibus huius ſeculi abſconditum, vt abſoluat veram pœnitentiam, qua ſola reddimur participes miſericordiæ Dei, & accipimus gratuitam remiſsionem peccatorum propter Ieſum Chriſtum, qui factus eſt nobis à
1. *Cor.* 1. Deo, ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt ſicut ſcriptũ eſt: Qui gloriatur, in DOMINO glorietur. Itaq; docet hic ſextus verſiculus, quod in agenda pœnitentia non ſit ſubſiſtendum in agnitione peccati, ſed progrediendum ſit ad agnitionem Chriſti, & ad fidem in Chriſtum, vt propter ipſum audeamus confidenti corde oculos ad cœlum attollere & dicere: Miſerere mei Deus, ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele tranſgreſsiones meas.

7. *Expia (igitur) me hyſſopo, & ero mundus, laua me, & præ niue dealbabor.*

Concluſio

Concluſio confeſsionis peccati & fidei. Et continet hæc concluſio repetitionem propoſitionis Pſalmi, alijs quidem verbis, ſed eadem ſententia. Confeſſus ſum hactenus meum peccatum, confeſſus etiam ſum meam fidem in Chriſtum promiſſum. Reliquum igitur eſt, vt aſpergas & expies me hyſſopo, quo reddar à peccato purus & mundus, ac laues me, quo fiam candidior niue, hoc eſt, vt miſerearis mei, ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum deleas tranſgreſsiones meas. Multus enim fuit vſus hyſſopi in cærimonijs Leuiticis. In Exodo cap. 12. tingitur faſciculus hyſſopi in ſanguine agni, & aſpergitur ſuperliminare domus ac poſtes eius. In Leuitico cap. 14. Hyſſopus tingitur in ſanguine paſſeris immolati, quo ſanguine aſpergitur leproſus. In Numeris, cap 19. tingitur hyſſopus in aqua expiationis, & aſpergitur immundus. Et ad Hebræos, cap. 9. dicitur Moſes ſparſiſſe cum hyſſopo ſanguinem vituli, in librum Legis & in populum. Quid pluribus? Omnia ferè ſecundum Legem (vt Epiſtola ad Hebræos dicit) ſanguine, cum *Heb. 9.* hyſſopo aſperſo, purificabantur: nec fiebat abſq; ſanguinis effuſione remiſsio, ſignificante Spiritu ſancto, quòd ſolus ſanguis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, per ſanguinem vitulorum & taurorum adumbratus, *Heb. 10.* & per hyſſopum, (hoc eſt) per prędicationem Euangelij, in corda credentium aſperſus, emundet, ac purificet nos ab omnibus peccatis, & reddat nos donata nobis iuſtitia Chriſti, omni niue candidiores. Accedamus, inquit Epiſtola ad Hebræos, cum vero corde, in certitudine fidei, aſperſi cordibus, ac depul-

ſa conſcientia mala, & abluti corpore aqua pura, teneamus confeſsionem ſpei non vacillantem. Et Io-
1. Ioan. 1. annes: Sanguis, inquit, Ieſu Chriſti filij Dei emundat nos ab omni peccato. Quare, cum Pſalmus dicit: Aſpergas, ſeu expies me hyſſopo, & emundabor, laues me, & præ niue dealbabor, repetit & petit, quod in primo & ſecundo verſiculo petijt, vt Deus miſereatur ſui ex gratuita ipſius miſericordia, & lauet ipſum ab omnibus peccatis, aſperſione ſanguinis Chriſti per hyſſopum prędicationis Euangelij, ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum. Hactenus prior pars huius Pſalmi, in qua commemoratur ratio agendæ veræ pœnitentiæ, vt remiſsionem peccatorum coram Deo aſſequamur.

8. *Facias (quæſo) audire me gaudium & lætitiam, vt exultent oſſa, quæ contriuiſti.*

Ab hoc octauo verſiculo incipit poſterior pars huius Pſalmi, in qua ſinguli penè verſiculi, ſingulæ ſunt precationes. Poſtquam enim peccator aſſecutus eſt remiſsionem peccatorum per pœnitentiam, ac receptus eſt in gratiam Dei, tunc ornatur varijs donis Spiritus ſancti. Precatur igitur DOMINVM Deum noſtrum, vt quod gratuita peccati condonatione, & receptione in gratiam, clementer in ipſo cœpit, liberaliter abſoluere pergat. Ac initio, fructus iuſtificationis ſeu aſſecutæ cõdonationis peccati per
Rom. 5. fidem, eſt pax & gaudium conſcientiæ: Iuſtificati, inquit Paulus, ex fide, pacem habemus erga Deum, per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, per quẽ

& con-

& contigit nobis, vt fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſub ſpe glorię Dei. Orat igitur Dauid in hoc verſiculo, vt, poſtquàm Deus iuſtificauit (hoc eſt) abſoluit ipſum à ſua iniuſtitia, faciat ipſum audire iucundam Euangelij eius vocem, & confirmet ipſum Euangelio, quod eſt lætiſsima adnunciatio, vt concipiat gaudium & lætitiam, ac habeat pacem erga Deum, & tranquillitatem atq; gloriationem conſcientiæ, non ſolùm in rebus proſperis, verùmetiam in omnibus aduerſis. Cùm enim antea agnoſceret peccatum, & intelligeret ſeueriſsimum iudicium Dei aduerſus peccatum, nulla reliqua erat animi pax & tranquillitas, nullũ gaudium, nulla lætitia, ſed potius quaſi mare feruens, (quemadmodum Eſaias loquitur) quod quieſcere non poteſt, & cuius fluctus redundant in conculcationem & lutum. Nec tantùm animus perturbabatur, verùmetiam totum corpus cõtremiſcebat, & oſſa, quaſi à leone conterebantur. Nunc autem poſtquàm iuſtificatus eſt, & abſolutus à peccato per fidem, petit certiſsima fiducia iterum perfundi gaudio & lætitia, vt oſſa, quæ agnitione peccati conterebantur, dono Spiritus ſancti in integrum reſtituantur. Diſcamus igitur ex hoc verſiculo, quòd perturbationibus & tempeſtatibus animi, non poſsimus alia medicina ſuccurrere, & pacem ac tranquillitatem conſcientiæ aſſequi, quàm ex fide per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Habes autem iterũ in hoc verſiculo exemplum illius Hebraicæ conſuetudinis, cuius ſuprà verſiculo ſexto mentionem fecimus, videlicet, quòd Hebræi ſoleant ſæpenumero *Eſa.57.*

verba

verba tantùm, omissis relatiuis addere, vt & hoc loco iuxta literam dicitur, Exultent ossa, contriuisti, pro, exultent ossa, quæ contriuisti.

9. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

Alia precatio, quę videtur quidem repetitio propositionis, ac penè eadem, mutatis paulùm modò verbis, sed est tamen aliquod inter eas discrimen. Etsi enim peccatum multitudine miserationum condonatum est per fidem propter Christum, tamen adhuc reliquum manet in carne, & affectat subindè magis ac magis regnum & dominationem in hominem. Petit igitur renatus, vt Deus auertat faciem suam ab hoc peccato, (hoc est) vt pergat hoc peccatum non imputare, sed deleat & condonet.

Vtitur aũt non singulari, sed plurali numero: A peccatis meis. Et: Omnes iniquitates meas, propterea, quòd peccatum originale sit & vnum, & multa. *Matth.* 15. Dicit enim Christus: Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimo- *Galat.* 5. nia, conuitia. Et Paulus: Opera carnis sunt, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulacrorum cultus, veneficium, &c. Dicitur ergo peccatum originale vnum, quòd vna sit cordis seu carnis corruptio, qua ablatus est ab ea Spiritus sanctus. Dicitur & multa, quòd cor gestet intra se natura sua corrupta, omnia genera peccatorũ. Ex corde, inquit Christus, exeunt: in corde igitur insint, priusquam exeũt, necesse est. Etsi enim non semper prodeunt in lucem

& in

& in conſpectum hominum, tamen ſemper patent conſpectui Dei. DOMINVS de cœlo, inquit alius Pſalmus, proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, & requirens Deum: Omnes declinant, & ſunt inutiles, non eſt, qui faciat bonum, ne vnus quidem. *Pſalm.14.* Quare, cum Dauid petit, vt Deus auertat faciem ſuam à peccatis ſuis, & deleat omnes iniquitates ſuas, comprehẽdit arboris radicem vnà cum fructibus, & fontem cum riuulis, vt etiãſi opera peccati nondum ſint corã hominibus conſpicua, tamen, quia ſunt coram Deo manifeſtiſsima, petit, vt Deus pergat ea condonare, & non amplius imputare. Sed qua fronte audet Dauid precari, vt Deus auertat ſeu abſcondat faciem ſuam à peccatis, cũ omnia pateant oculis Dei, nec poſsit quicquã ab eo abſcondi? Ad Samuelem dicitur: DOMINVS cor intuetur. *1. Reg.16.* Et quomodo deleat iniquitates, cum caro ita ſit corrupta, vt legi Dei non ſubdatur, ſiquidem neque poteſt quidem? *Rom.8.* Deus igitur auertit & abſcondit faciẽ ſuã à peccatis, non terreno, & humano, ſed cœleſti & diuino modo, videlicet, cum peccata non amplius imputat, nec ſuſcipit ea perpetuò punienda. Hoc DOMINVS per Hieremiam ſic explicat: Propiciabor iniquitati eorũ, & peccati eorum non memorabor amplius. *Hiere.31.* Et per Michæam: Miſerebitur noſtri. Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. *Mich.7.* Idem ſentiendum eſt de iniquitatum deletione, Deus enim, non delet iniquitates noſtras, in carne noſtra, ſicut pictores ſolent delere imagines in pariete depictas, inducto alio calore, aut ſicut ſcriptores delent lite-

ras erasione. Solet quidem Deus dare Spiritum sanctum, qui cohibeat cupiditates peccati, de qua re mox dicetur, non autem tollit nec prorsus euellit aut radicitus extirpat peccatum è carne, in hac vita: sed dicitur delere iniquitates, cùm eas iustitia Christi filij sui ita tegit, & abscondit, vt Lex Dei non habeat amplius ius propter eas, accusandi & damnandi homines in Christum credentes. Quare Dauid nihil impudenter in hoc versiculo precatur, sed petit, quod Spiritus fidei, ad conseruandam condonationem peccati, semel acceptam, necessarium arbitratur.

10. *Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum stabilem innoua intra me.*

Est & hic versiculus peculiaris precatio, vt postquam condonatum est nobis peccatum, per fidem, detur Spiritus sanctus, quo renouemur, & in nouitate vitæ ambulemus. Non enim est dubium, quin nemo possit coram Deo dicere: Mundum est cor meum: & quanquam fides purificet cor, quemadmodum Petrus ait, non tamen ita purificat, vt nullæ peccati reliquiæ in eo remaneant. Necessarium igitur est donum Spiritus sancti, quo hæ reliquiæ compescantur, & quo ad eius in hac vita fieri potest, expurgentur, ne, quam mundiciem, per gratuitam condonationem peccati, accepimus, scelerata vita amittamus: Cor mundum, inquit, crea mihi Deus. Agnosco quidem naturalem cordis mei immundiciem,

Actu. 15.

mundiciem, credo autem eam propter Christum mihi non imputari, vt quod ad fidem in Christum attinet, habeam cor mundum, & conscientiam bonam, nec metuam condemnationem coram tribunali Dei, sed quod ad ipsam cordis naturam & corruptionem attinet, reipsa comperio, latere intra me, in corde meo, sentinam malorum. Precor igitur te, DOMINE Deus noster, vt crees in me nouum donum spiritus, quo sicut per fidē nouus & mundus, ac purus homo factus sum, ita etiam per donū Spiritus sancti reliquam adhuc immundiciem in corde mortificem, & in nouitate vitæ ambulem. Et quia facillimus est lapsus humanæ imbecillitatis, quæso te, vt hoc spiritus donum, ita firmum & stabile in me conserues, vt à viis tuis nunquam nec ad dextram, nec ad siniſtram declinem, sed recta semper incedam. Vulgò dici solet: Puer igne adustus, metuit ignem, & aliâs: Piscator ictus sapit. Ego, priusquam lapsus sum in fœdum illud adulterium, & crudele homicidium, illustris eram multis & magnis Spiritus sancti donis, sed vides, quàm leui momento in tam atrocia & immania scelera ruerim. Obsecro igitur te, DOMINE Deus noster, vt Spiritu sancto tuo ita me innoues, confirmes, stabilias, & conserues, vt nunquam amplius secundum carnem ambulem, sed pergam semper spiritu carnem mortificare.

Verbrēts Kind fōrcht das fewr.

Ex hoc versiculo texit Paulus suas illas cohortationes, quæ de mortificādo veteri homine, et induendo nouo, in epist. ad Ephes. & Colossenses extāt: Docti estis, inquit, in Christo, depōere iux a priorē cōuersationem, *Ephes. 4.*

ſationem,veterem hominem,qui corrumpitur iuxta concupiſcentias erroris: renouari verò ſpiritu mentis veſtræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus eſt, per iuſtitiam & ſanctitatem veritatis. Et iterum: Mortificate membra veſtra terreſtria. Ac mox: Ne mentiamini alius, aduerſus alium, poſteaquam exuiſtis veterem hominem cum factis ſuis, & induiſtis nouum, qui renouatur ad agnitionem, & imaginem eius, qui condidit illum.

Coloſ.3.

11. *Ne proïjcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

Gala.5. *Epheſ.6.* Vide, obſecro, quanta ſit pugna ſpiritus cum carne, in renatis, & quàm grauis ſit ipſis lucta aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Magna fide cœpit Dauid hunc Pſalmum coram Deo recitare, magna fide confidit de gratuita remiſsione peccati ſui, magna fide pergit dona Spiritus ſancti petere, ne regnet peccatum in mortali ſuo corpore, vt obediat illi per cupiditates eius: interea autē venit ipſi iterū in mētem fœdiſsimæ ſentinæ cordis ſui, & atrociſsimorum ſcelerum, quæ adulterio & homicidio tam petulanter deſignauerat. Itaq; videtur in media ipſa precatione, toto corpore contremiſcere, ac metuere, ne, tanquam omnis diuinæ gratiæ indignus, abiſciatur à Deo in æternam damnationem. Quare iacens ad genua Dei vehementius intendit precationem: Ne, inquiens, proïjcias me à facie tua, ſicut proieciſti Saulem: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me, ſi cut

Rom.6.

ſicut abſtuliſti à Saule. Ingenuè fateor, me peccato ita turpificatum, vt non ſim dignus, qui oculos meos ad te attollam. Et negare non poſſum, quin tanta ſcelera deſignauerim, vt meritò detrudendus eſſem in æternum Barathrum. Sed agnoſco veritatem promiſsionis tuæ de Chriſto, retineo adhuc ſapientiam, quam mihi patefeciſti, & non, vt peccatum, ita & donum. Magnitudo gratuiti doni tui longè ſuperat magnitudinem peccati mei. Si enim in me exuberauit peccatum, longè plus exuberabit gratia. Et ſi me recepiſti in gratiam, cum à te tam ſceleratè defeciſſem, & tuus adhuc inimicus eſſem, multò magis iterum tibi reconciliatus ſeruabor. Concipio igitur optimam ſpem, ne me proijcias à facie tua, & ne auferas à me Spiritũ ſanctũ tuũ, quo me iterũ donaſti, ſed vt me ſemper in officio retineas, & aduerſus omnes diaboli aſſultus clementer tuearis. Memorabilis verſiculus, quo munimur aduerſus grauiſsimã tentationẽ de magnitudine & multitudine peccatorũ. Fieri.n.nõ poteſt, quin ſi in cõſcientia ſiſtamur ad tribunal Dei, & accuſemur plurimorũ & maximorũ ſcelerum, cogitemus nos meritò à facie Dei proijciendos, & omni diuina gratia deſtituendos. Sed conſolemur nos exemplo & affectu Dauidis, quòd gratuita Dei clementia propter Chriſtum, ſuperet longiſsimo interuallo peccatum: Commendat, inquit Paulus, charitatem ſuam erga nos Deus, quòd cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis iuſtificati nunc ſanguine eius, ſeruabimur per eum ab ira. Nam ſi, cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem

Roma.5.

Roma.5.

filij eius, multò magis reconciliati, seruabimur per vitam ipsius.

12. *Redde mihi lætitiam salutis tuæ, & spiritu voluntario sustenta me.*

Alia precatio, qua petit consolationem, in grauissimis animi sui perturbationibus & tempestatibus. Credo quidem, Deum mihi propter Christum esse propicium, confido me receptum esse à Deo in gratiam, spero Deum complecti me summo fauore, iuxta promissiones eius: nihilominus autem perturbor interea in animo meo mirificè, & sum spiritu (sicut mox ait) tam contribulato & contrito, vt sim remissior & languidior ad omnia bona opera, & ad quasuis officij mei partes obeundas. Precor igitur te, DOMINE Deus noster, vt restituas mihi priorem illam consolationem, lætitiam, & tranquillitatem animi, qua antea de tua salute fruebar, ac reddas mihi illam heroicam spiritus alacritatem, & promptitudinẽ, qua prius difficillima quæq; aggredienda, & perficienda suscipiebã. Memini, me magno animo Leonem & vrsum grassantem in gregem patris mei, apprehenso mẽto suffocasse & interfecisse. Memini me Philisthæum Goliathem, Pyrgopolinicem illũ, qui exercitui populi Dei petulanter & blasphemè insultabat, tanta animi fortitudine aggressum, vt funda eum deiecerim, & caput eius abstulerim. Memini multa alia insignia stratagemata, quæ dono heroici tui spiritus alacriter designaui. Sed nunc in tanta perturbatione & pusillanimitate versor, vt etiam tutis-

1. *Reg.* 17.

tutiſsima metuam, & quid primùm omnium faciendum ſuſcipiam, prorſus ignorem. Quæſo igitur te, vt confirmes me iterum lætitia, & conſolatione, quã è tua ſalute toties mihi clementer exhibita, ſæpe ac multùm concepi, & adiungas te mihi, heroico tuo ſpiritu, quo priſtinum vigorem in adminiſtratione vocationis meæ recipiam. Videtis, ô dilectiſsimi fiſij, quantus heros, in quantam animi impotentiam coniectus ſit. Et vnde, quæſo, hoc ei accidit? Non certè aliunde, quàm è peccato. Non ſolùm enim habuit natura ſua peccatum in carne, verùmetiam laxauit cupiditati eius frenos, & conceſsit, vt in corpore ſuo regnaret. Et quanquam egit pœnitentiam, ac reconciliatus eſt cum Deo, tamen peccatum eo eſt ingenio, vt ſemper relinquat poſt ſe, ſeu veſtigium, ſeu aculeum, non quidẽ in Deo, qui palam affirmat: Peccati eorum, inquiens, non meminero amplius, ſed in carne, quo reconciliatus pungatur, & affligatur, quemadmodum & Paulus confitetur, datum eſſe ſibi ſtimulum carne, nuncium ſatanæ, qui colaphis ipſum cæderet. Ambulemus igitur ſumma cura in vocatione Dei, & compeſcamus affectum carnis, vt non peccatum, ſed gratia regnet in nobis, per iuſtitiam ad vitam æternam, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum. *Hiere.31.* *2.Cor.12.* *Rom.5.*

13. *Docebo prœuaricatores vias tuas, & peccatores ad te conuertentur.*

Quas ergo gratias, inquiet DOMINVS, referes mihi, ſi iniquitates tuas deleuero, ſi creauero in te

cor

cor mundum, ſi non proiecero te à facie mea, & ſi reddidero tibi conſolationem ſalutarem, ac ſpiritum alacrem, & promptum in omnibus rebus agendis. An non ornaui te antea, maximis donis Spiritus ſancti? ſed quas mihi gratias retuleris, vides ipſe. Reſpondet Dauid: Docebo (inquiens) transgreſſores vias tuas. Scio quidē, me antea offendiſſe te grauiſsimè, ſed ſcio etiam te ea eſſe clementia, & bonitate, vt cum agam pœnitentiam, priorum peccatorum meorum non memineris amplius. Quod igitur ad priuatam gratiarum actionem attinet, recipio me non ſecuturum exempla impiorum, ſed meditaturū in lege DOMINI, die ac nocte, quemadmodū à Rege (Deut. 18.) exigitur, & non leuaturum oculos meos ad idola, nec violaturum deinceps vxorem proximi, nec quicquam violenter rapturum, & quę ſunt alia boni ac pij viri officia. Quod autem ad publicam gratiarum actionem attinet, docebo, inquit, iniquos, ſeu tranſgreſſores vias tuas, vt impij ad te conuertantur. Hæc enim officia placent Deo, ſi non ſolùm tu ipſe ab impietate reſipiſcas, verùmetiā exemplo & doctrina tua autor fueris, vt alij reſipiſcāt, et ſint frugi. Quęramus igitur, vbi nā Dauid has gratias Deo perſoluerit? Num docuit publicè in tabernaculo, & habuit cōciones eccleſiaſticas more Sacrificulorum? Non eſt dubium, quin Dauid, non ſolùm, vt Rex, verùmetiam vt Propheta concionatus ſit in cœtu populi ſui, & docuerit eos veram pietatem. Maximè autē omnium docuit Eccleſiam Pſalmis ſuis, quorum ſinguli, ſingulæ ſunt conciones, quibus non tam præſens Dauidis ætas ad doctrinā

frueba-

fruebatur, quàm omnis posteritas, ad cognoscẽdam veram pietatem eruditur, & inflammatur, Neque enim fuerunt Psalmi tantùm vsui illi populo, qui Dauidem agnouit Regem, verùmetiam in tanta sunt autoritate, vt & Prophetæ, & Christus ipse filius Dei, ac Apostoli eius texuerunt ex ipsis insignes conciones, vt Psalmi Dauidici meritò habeantur pro thesauro Ecclesiæ, profuturo ei vsq; ad extremum huius seculi diem, imo ad omnem æternitatem. Quid igitur potuit Dauid ad testificandam animi sui gratitudinem, Deo acceptius promittere, quàm se Psalmis suis docturum transgressores vias Dei, vt impij conuertantur, & pij in officio contineantur? Quod & alius Psalmus testatur: Laudabo, inquiens, nomen DOMINI, cum cantico, & magnificabo eum laude, & placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.

14. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & prædicabit læta voce lingua mea iustitiam tuam.*

Alia precatio, aut potius generalis precationis pro peccatorum remissione repetitio. Verisimile enim est, quòd in cursu harum precum, venerit Dauidi in mentẽ sermonis illius, quem DOMINVS ad Cain dixit: Vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra. Et: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ac iterum: Quicunq; effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius per hominem. Cũ autẽ conferret cum his cœlestibus dictis nõ tantùm *Gen. 4.* *Gen. 9.*

homicidium, quod in Vriam admiſerat, verùmetiam multa illa bella, quæ geſſerat, & multum illum ſanguinem, quem in bellis, fortaſſe non ſemper legitimis, effuderat, & propter quē prohibitus erat ædificare domum nomini Dei, tāto horrore corripitur, vt etiamſi audierit abſolutionem à peccatis, tamen metuat, ne propter effuſionem tam multi humani ſanguinis, aliquid, ſeu iræ, ſeu ſimultatis in Deo reſideat, quo minus in plenam & perfectam Dei gratiam ſit receptus. Quare prouolutus adhuc ad genua Dei, non eſt contentus generali remiſsionis peccatorum petitione, ſed peculiariter & nominatim commemorat, etiam ſanguines, quos tam in bellis, quàm in occidendo innocenti Vria effuderat: Libera, inquiens, me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ. Scio vocem ſanguinum eorum, qui innocentes trucidantur, clamare de terra in cœlum, & petere vindictam, Scio me, propter effuſionem multi humani ſanguinis prohibitum, ne excitarem nomini tuo templum. Et cum indignus habear, qui tibi templum ædificem, quomodo non etiam indignus eſſem, qui cœleſte regnum ingrediar? Precor igitur DOMINE Deus meus, vt voci ſanguinum illorum aures tuas non accommodes, ſed audias potius vocem illius ſanguinis, qui effundetur ab eo, quem mihi promiſiſti, & qui per Leuitica ſacra adumbratur, atque clamat non vindictam, ſed condonationem peccatorum: te enim ſolum agnoſco Deum ſalutis meæ. Nam, cum omnino exigas, vt te ſolum ſaluatorem noſtrum credamus, & à te ſolo, omnem

2. Paralip. 22.

ſalutem

ſalutem noſtram petamus, manifeſtum eſt, te hoc ipſo teſtificari, quòd laudem huius tui epitheti, etiam ex me ſis reportaturus. Multus eſt, fateor, ſanguis, quem effudi, & ſatis efficax, vt me perdat, ſed efficacior eſt ad ſaluandum me, ſanguis ille, quem pro peccatis effundet Chriſtus filius tuus, quem mihi promiſiſti, & de quo dixiſti: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Quare tantùm abeſt, vt de ſalute à te mihi præſtanda dubitem, vt cum exuberat in me peccatum, certò confidam, quòd eo magis exuberatura ſit in me gratia.

Sed quam mihi pro hoc beneficio gratitudinem repones? Veterem cantilenam cano: Si mihi præſtiteris beneficium, quod peto, iuſtitiam tuam (hoc eſt) bonitatem, clementiam & beneficentiam tuam, tam alacri, læta & clara voce prædicabo, cõmendabo & Pſalmis meis celebrabo, vt vniuerſus mundus audiat, et magna hominũ pars ad agnitionẽ gloriæ nominis tui excitetur. Vnde & additur.

15. *Domine labia mea aperi, & os meum adnunciabit laudem tuam.*

Pertinet & hic verſiculus ad precationem & gratiarum actionem. Sed quid? An hactenus muſitando aut meditando tantùm recitauit, clauſis interim labijs, preces huius Pſalmi? Certè aliàs dicitur: Ad DOMINVM, cum tribularer, CLAMAVI. Et: Ad te DOMINE CLAMABO. Et: De profundis CLAMAVI ad te DOMINE. Aperit autem os, qui clamat.

Sed hoc loco aliud est aperire os, quàm labia simpliciter deducere, & ore vociferari. Non enim est ore tantùm loqui, sicut vulgus hominum loqui solet, sed est magna, inusitata & stupenda loqui, hoc enim sacræ literæ propriè vocant os aperire. In Iobe cap. 3. aperit Iob os suum, quia cœpit loqui grandia, stupenda, & antè ab ipso inaudita. Apud Matthæum, cap. 5. Christus explicaturus veram sententiam legis, dicitur os suum aperuisse, hoc est, cum summa autoritate & admiratione docuisse. Vnde & addi-
Matth. 7. tur postea, quòd turbæ obstupuerint super doctrina eius: Docebat enim eos, velut habens autoritatem,
Act. 10. & non sicut scribæ. Et in Actis Apostolicis, Petrus primam concionem Euangelij de Christo, ad gentes incircumcisas, habiturus, aperit os suum, hoc est, non simpliciter, sicut vnus de vulgo, loquitur, sed magna autoritate, & cum summa auditorum attentione, ac prius inter Gentes nunquam audita concionatur. Cum igitur Dauid precatur in hoc versiculo DOMINVM, vt aperiat sibi labia, quò publicè adnunciet laudem & gloriam nominis Dei, petit vt DOMINVS restituat ipsi pristinam autoritatē componendi & cantandi Psalmos, quibus magno cum fructu auditorum, gloriam nominis Dei illustret, & ipsos ad timorē Dei, ad fidem, ad spem, & ad charitatem, qui sunt veri cultus Dei, excitet, & accendat.

Quid autem est, quòd Dauid, ad referendas Deo pro beneficijs suis gratias, recipiat se Psalmos tantùm cantaturum, & nomen Domini carminibus celebraturū? Cur non potius promittit se hecatomben oblaturum, aut mille boues in gloriam nominis Dei sacri-

ſacrificaturum? Ad hoc reſpondet ipſe, verſiculis qui ſequuntur.

16. *Quoniam non delectaris ſacrificio, alioqui dediſſem: nec holocauſtum placet.*

Inſtituit quidem Deus Leuiticas oblationes & holocauſta, non autem in hunc vſum, vt expiarent peccata coram Deo, quemadmodum ſuprà Pſalmo 50. oſtendimus. Nam ſi ad hoc eſſent vtilia, vt placarent iram Dei, & ſatisfacerent pro peccatis, quis fuiſſet felicior Dauide Rege, & tanto, & tam opulento? An non potuiſſet multa millia boum, & ouium ſacrificare? Verùm is non fuit legitimus horum Leuiticorum ſacrificiorum vſus. Sed adumbrarunt tantùm illud ſacrificium, quòd filius Dei ſemel ad expianda peccata populi, Deo patri ſuo obtulit. Non delectaris, inquit, ſacrificio, videlicet, Leuitico, ad placandam iram Dei: nec placet tibi holocauſtum boue aut oue factum, ad conſequẽdam remiſsionem peccatorum. Quo ergo ſacrificio delectaris? & quod holocauſtum tibi placet? Sequitur.

17. *Sacrificia Dei, ſunt Spiritus contritus, cor concuſſum, Deus, non deſpicies.*

Rem mirandam. Antè deprecatus eſt cor afflictum, & petijt gaudium ac lætitiam. Quid ergo nunc tam mirificè commendat cor afflictum & contritum, ac affirmat eſſe ſacrificium Deo acceptiſsimum? Et aliás quoq; ſacræ literæ magnis laudibus

ornant cor tribulatum,& contritum. Iuxtà eſt DOMINVS,inquit, iſs, qui tribulato ſunt corde, & humiles, ſeu deiectos ſpiritu ſaluabit. Ac iterum: Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu? Cum ergo Dauid, petendo gaudium & lætitiam, auerſetur triſtitiam,afflictionem & tribulationem,quid eſt, quòd nunc commendet ea pro ſacrificio Deo gratiſsimo? an non vult Deo, ad agendas pro tantis beneficijs gratias, ſacrificium, quod ipſe affirmat ei eſſe acceptiſsimum (hoc eſt) ſpiritum contritum & contuſum, offerre? Sciamus igitur, quòd ſpiritus contritus, ſeu cor afflictum, per ſe quidem non placeat Deo, quippe quòd Deus natura ſua ſummū ipſum ſit gaudium & lætitia, ac pugnat eſſentia ſua cum triſtitia & afflictione, quomodo igitur delectaretur ea? Sed aliæ ſunt cauſæ,cur corda contrita,& varijs ærumnis cõtuſa dicantur ſacrificium Deo gratũ. Primùm enim, Deus non deſpicit cor contritum, quòd ea contritio & afflictio ſit primus gradus ad pœnitentiam. Etſi enim dolor mundi affert mortẽ,ſicut Pſalmus ait,dolor tamẽ,qui eſt ſecundum Deum, parit pœnitentiã ad ſalutem haud pœnitendam. Ecquis, obſecro, eſt dolor mundi, quis dolor ſecundum Deum? Mundi dolor, eſt dolere, propter amiſsionẽ rerum mundanarum, nec dicere cum Iobe adhuc tranquillo, & manu DOMINI ſuſtentato: DOMINVS dedit, Dñs abſtulit,ſit nomẽ DOMINI benedictum, ſed potius cum Iobe ſuæ ipſius manui derelicto, execrari & dicere: Pereat dies, in qua natus ſum, & nox,in qua dictum eſt; Cõceptus eſt homo. Similiter mundi dolor

2. Cor. 7.

Iob 3.

eſt,

eſt, dolere quidem propter peccatum & iram Dei, non autẽ addere fiduciam de remiſsione peccati, & de placatione iræ Dei per Chriſtũ. Sic doluit Cain, ſic doluit Eſau, ſic doluit Iudas Iſchariotes. Et hîc dolor verè affert mortem. Dolor autẽ ſecundum Deũ, eſt ppter res amiſſas in hoc ſeculo, aut propter peccatum & iram Dei ita dolere, & cõteri ſpiritu, vt tamen cum Paulo dicas: Nihil intulimus in mundum, videlicet, nec offerre quicquã poſſumus: & firmiter credas peccatum cõdonari propter Chriſtum, ac irã Dei per mortẽ eius placatã eſſe. Sic doluit, & cõtritus eſt ſpiritu Dauid, ſic doluit & cõtrita eſt ſpiritu mulier peccatrix apud Lucam, ſic doluit & cõtritus eſt ſpiritu Petrus, cum abnegaſſet Chriſtum. Sentiamus igitur, quòd ſpiritus cõtritus, ſeu animus afflictus idcirco placeat Deo, nõ ꝙ contritio ſeu afflictio per ſe ſit res diuina, ſed quòd Spiritus ſanctus ſoleat ea vti pro organo, quo excitet peccatorẽ, & afflictũ hominẽ, ad quærendã remiſsionem peccati, & verã ſalutẽ in Chriſto Ieſu, vnico noſtro ſeruatore. Deinde, Deus agnoſcit animũ afflictum pro ſacrificio, & placet ei, ꝙ promiſerit ſe præſenti ſua ope afflictis & miſeris, inuocantibus ipſum ex fide, præſtò affuturũ, & ipſos in ærumnis ſuis clementer ſeruaturos. Clamauit, inquit alius Pſalmus, ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et Eiaias: Hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius, in excelſo & in ſancto habitans & cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Sed

1. Tim. 6.

Luc. 7.

Pſal. 91.

Eſa. 57.

harum

harum promiſsionum plenæ ſunt ſacræ literæ, & recitantur aliâs copioſius. Quare placet Deo affli-ctus animus, vt habeat occaſionem & materiam exercendæ ſuæ miſericordiæ, & teſtificandæ veritatis ſuarum promiſsionum. Poſtremò, placet Deo contritio & afflictio animi, propter afflictionem, qua vnigenitus filius eius DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, præ omnibus alijs hominibus in hac vita laborauit. Non enim eſt obſcurum, quas ærumnas Chriſtus filius Dei in his terris ſuſtinuerit, vt peccata noſtra coram Deo patre ſuo expiaret. Cum igitur Deus inuenerit dilectiſsimum filium ſuum, in ſummo animi mœrore, in extrema miſeria, in horroribus crucis, mortis, & inferni, teneri non poteſt, quin omnes illos, qui credunt in eum, & ſimiliter afficiuntur, maximo fauore propter filium ſuum proſequatur, & in ſuam tutelam clementiſsimè ſuſcipiat. Itaq; agnoſcit Deus noſtras miſerias & ærumnas, pro ſacrificio, non propter ipſarum per ſe dignitatem & meritum, ſed propter ſacrificium & meritum Chriſti, quo Deus ita delectatur, vt quotquot in ipſum credunt, adoptet in filios, & ſicut in Chriſto, naturali ſuo filio, ſanctificauit omnes afflictiones eius in compendiariam viam ad gloriam, ita etiam ſanctificet omnes afflictiones, in adoptiuis ſuis filijs, in cœleſtem benedictionem. Quid ergo in contritione cordis, & in afflictione animi trepidas? quid cohorreſcis? Confer te ad Chriſtum, & ſiquidem
Rom. 8. cum ipſo pateris, fieri non poteſt, quin & vna cum ipſo glorificeris, vt quem euentum habuerunt afflictiones, in capite, Chriſto, eundem etiam habituræ ſunt in te, vero membro eius.

18. *Benefac, pro beneuolentia tua Zioni, ædifices muros Hieruſalem.*

19. *Tunc delectaberis ſacrificijs iuſtitiæ, holocauſto & holocautomate, tunc offerent ſuper altare tuum tauros.*

Concludit Pſalmum precatione pro conſeruatione veri cultus Dei, & propagatione piæ doctrinæ. Poſtquam enim abſoluit preces, quas viſum eſt ipſi pro priuata ſua ſalute fundere, ſuſcipit etiam curandam publicam Eccleſiæ ſalutem. Quæſo te DOMINE, vt cum elegeris montem Zionem, quò ibi ædificetur nomini tuo templum, & ſit ibi ſedes piæ doctrinæ, ac exercitium legitimi cultus Dei, complectaris eum, pro ſumma tua beneuolẽtia, clementer: & cures muros Hieruſalem inſtaurandos, vt & templum in ea excitetur, & legitima ſacra, ad ſuum vſque tempus conſeruentur. Nam, ſi me hac in re voti compotem feceris, ſpero futurum, vt in illa vrbe, & templo ſacrificia iuſta & tibi accepta, holocauſta integra & perfecta peragantur, & in altari tuo, tauri ſeu iuuẽci, iuxta diuinæ legis præſcriptum offerantur. Etſi enim non eſt dubium, quin externa illa & Leuitica ſacrificia, per ſe non ſint tanti momenti, vt habeant coram Deo rationẽ veri cultus, & reconciliẽt Deo peccatorẽ merito ſuæ dignitatis, quemadmodum iam aliquoties dictum eſt, tamẽ quia Deus inſtituit ea, et præcepit, vt Iſraelitæ non ſacrificent in quouis loco, ſicut Gẽtes fecerunt, ſed in illo tantùm loco, quem DOMINVS Deus noſter, inquit Moſes, de cunctis tribubus veſtris elegerit, vt ponat nomẽ ſuum ibi, & habitet in eo, id- *Deut. 12.*

circo voluit etiam & seueriter exegit, vt legitima sacrificia, in monte tantùm Zion, & in vrbe Hierusalem, (hic enim erat locus à DOMINO, ex omnibus tribubus Israelis electus) vbi postea excitatum est templum, & collocata arca testamẽti, peragerentur. Peragerentur autẽ non perpetuò, nec in hũc vsum, vt expiarent peccata corã Deo, sed tantùm, vt essent ad suum vsq; tempus pædagogia, donec veniret semẽ Abrahę promissum, (qui est Christus,) & impleret ac absolueret, quod Leuitica illa sacrificia adumbrauerant. Quare Dauid piè sollicitus est de munitione vrbis Hierusalem, & de ædificando templo, vt esset certus locus, in quo legitima sacra fierent, & doctrina verè pia de promisso Christo conseruaretur, donec exhibito Christo, & abolitis illis Leuiticis sacris, doctrina Euangelij vulgaretur in vniuersum orbem terrarum, & colligeret Ecclesiam Dei ex omni natione, quæ sub cœlo est. Hoc exemplo admonentur, tam regionum principes, quàm familiarum patres, vt agnito Christo, & accepta per eum remissione peccatorum, omnem suam curam in illo studio collocent, quo in regionibus & familijs suis vera doctrina Euangelij instituatur, conseruetur, & ad posteros propagetur: Nunc Reges, inquit secundus Psalmus, intelligite, erudimini, qui iudicatis terrã. Seruite DOMINO in timore, & exultate ei in tremore. Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis subitò.

VSVS HVIVS PSALMI.

Magni semper habitus est hic Psalmus in Eccle-

sia

ſia populi Dei: nec id immeritò, continet enim neceſſariam & præcipuam doctrinam, de vera ratione agendæ pœnitentiæ coram Deo. Ac nõ eſt dubium, (quemadmodum & inſcriptio Pſalmi teſtificatur) quin Dauid, de ſuo adulterio & homicidio à Propheta Nathan admonitus, & à Spiritu ſancto ad agendam verã pœnitentiã excitatus, ſuſceperit hunc Pſalmum illo conſilio cõponendum, vt ex rebus de ipſo geſtis, præſcriberet vniuerſæ Eccleſiæ Dei formulam agendæ pœnitentiæ. Etſi enim non omnes homines peccant adulterio & homicidio, ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Dauidis, tamen oẽs homines obnoxij ſunt peccato: & quod Dauid eſt ſuis ſceleribus coram hominibus, hoc ſunt alij homines, quantumcunq; inculpatã vitam ducentes, alijs ſuis iniquitatibus corã Deo. Percurramus igitur breuiſsimis ſeriẽ (quod ad hoc negocium attinet) rerum de Dauide geſtarum, vt manifeſtè cognoſcamus, q̃ Dauid priuatum ſuum exemplũ contulerit in publicam cantionem & doctrinam, quam omnes homines in agenda pœnitẽtia ſectarentur. Initiò, poſtquam Dauid deſignauit ſua ſcelera, & duxit, occiſo marito, adulterã in vxorem, nõ ſtatim reſipuit, nec admodũ de peccatis doluit, ſed potius arbitratus omnẽ rem geſtam prudẽter occultatã & ſopitã, terſit os ſuum, & obambulauit ſecurus: interea, vnà cum alijs ſacra religioſè faciens, vt videretur, etiamſi aliquid ſceleris admiſiſſet, tot iam ſacrificijs expiatum eſſe. Propheta enim Nathan miſſus eſt ad Dauidem in viam reuocandum, non confeſtim à perpetrato ſcelere, ſed poſtquam filius ex adulterio conceptus, iam in lucem æditus eſſet. Quid ergo factum eſt? 2. Reg. 12.

Cum viſum eſſet Deo Dauidem ad pœnitentiã excitare, Propheta Nathan concionatur, & explicat ei legem de adulterio & homicidio, & addit, quæ ſupplica DOMINVS cogitet ei propter ſcelera inferre: quæ omnia eò reſpiciunt, vt Dauid ad veram agnitionem peccati excitaretur. Primùm igitur omnium Dauid prophetica cõcione, in tantum horrorem conijcitur, vt iam non ſolùm agnoſcat adulterium & homicidium, nec metuat tantùm externa & mundana ſupplicia, verùmetiam agnoſcat natiuam ſuam corruptionem, & grauitatem peccati natura ſua carni inhærentis, & metuat abiectionem à Deo, ac æternum ſupplicium. Dicens enim: PECCAVI DOMINO, pauciſsima quidem verba loquitur, ſed interea totus ardet flammis inferni. Hæc illa eſt confeſsio, quam Dauid contulit in priorem partem huius Pſalmi de agnitione peccati, & docet, vt quotquot voluerint veram agere pœnitentiam, neceſſe habeant ſuo exemplo, non tantùm externas & craſſas legis tranſgreſsiones, verùmetiã peccatũ, quod vocant originale, ita agnoſcere, vt intelligas & ſentias, te ſeueriſsima ira Dei, & æterna damnatione dignũ eſſe. Deinde, Nathan videns Dauidem è ſua concione tanto terrore concuſſum, vt videretur iam è vita excedere, cõfeſtim Spiritu ſancto admonitus, acclamat ei, & erigit eum iterũ: DOMINVS inquiẽs, tranſtulit peccatum tuum, nõ morieris. Hoc illud eſt Euangelion, quod Dauid tranſtulit in ſextum verſiculũ huius Pſalmi: Ecce (agnoſco) veritatẽ, qua delectaris in recõditis, & in occulto ſapientiam, quã patefeciſti mihi: & docet, quòd

quicunq;

quicunque ſuſceperit veram pœnitentiam agendā, neceſſe habeat, poſt agnitionem peccati, agnoſcere etiam veritatem, & ſapientiam, qua DOMINVS delectatur, & quam abſcondit quidem à prudentibus huius ſeculi, patefacit autem paruulis, & abiectis. Hæc veritas & ſapientia eſt promiſsio Dei de Chriſto, imò Chriſtus ipſe, in quem non ſolùm peccata Dauidis, verùmetiam totius humani generis tranſlata ſunt. Interea autem, illud non eſt ſilentio prætereundum, quòd transfertur quidem peccatum Dauidis in Chriſtum, nihilominus verò ſupplicium, quod Nathan commemorauit, non transfertur: Nō recedet, inquit, gladius, de domo tua vſque in ſempiternū. Et: Tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius. Hæc certè omnia eueniunt Dauidi & familiæ eius. Quid igitur dicemus? Num hæc ſignificant, peccatum Dauidis non eſſe à Deo perfectè remiſſum, ſed eum neceſſe habuiſſe, afflictionibus ſuis, pro peccato coram Deo ſatisfacere? Nihil minus. nulla enim humana afflictio, præterquam vnigeniti filij Dei, expiat peccata, ſed quæ ſupplicia Nathan Dauidi adnunciat, reipſa eueniunt, vt Dauid his admonitus, retineatur deinceps in officio, & probet Deo obedientiam ſuam in aduerſis. Quod & exemplum Adami demonſtrat, qui etſi audierat: Semen mulieris cōteret caput ſerpentis, & acceperat per fidem remiſsionem peccati, nihilominus tamen neceſſe habet vnâ cum omni poſteritate ſua ferre crucem, quā DOMINVS ei imponit: Maledicta, inquiens, terra in opere tuo. In laboribus comedes

ea cunctis diebus vitæ tuæ. In ſudore vultus tui, vescéris pane tuo, &c. Impoſita autem eſt ei hæc crux, non vt expiaret ea ſuum peccatum coram Deo, ſed vt retineretur in vera peccati ſui agnitione, & in officio obedientiæ, ac probaretur fides eius ſub cruce. Idem de Dauidis cruce ſentiendum eſt. Et hoc illud eſt, quod Dauid contulit in poſteriorem partem huius Pſalmi. Nam, cum precatur, vt DOMINVS det ei gaudium & lætitiam, vt creet in ipſo cor mundũ, & innouet in ipſo ſpiritum ſtabilem, vt confirmet ipſum ſpiritu volũtario, illud precatur, vt Deus cõſeruet ipſum ſub cruce, & afflictione, quã Propheta ipſi denunciauit futuram, quò faciat ſuum officium, ſiue in ſeruandis præceptis Dei, ſiue in perferendis aduerſis. Quare cum Dauid tranſtulerit è ſuo ipſius exemplo generalem doctrinam de vera pœnitentia agenda, in hunc Pſalmum, agitedum dilectiſsimi, excipiamus eum obuijs, quod aiunt, vlnis, & reponamus eũ alta mẽte, ac recitemus eũ, quacũq; occaſione, ſiue noctu, ſiue interdiu, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, vt exhibeamus eum Spiritui ſancto in organõ, quo retineamur in agnitione peccati, in agnitione Chriſti, (quẽ Deus propoſuit nobis propitiationẽ pro peccato) in præſtãda obedientia vocationis noſtræ, & in perferendis patienter omnibus aduerſis, (hoc eſt) in agenda vera pœnitentia, ad conſequendam cœleſtem ſalutem.

Pſalm. 52.

Pſalmus 52.

Quid gloriaris in malitia, &c.

Olẽt interpretes inſcriptiones, ſeu quos vocant titulos Pſalmorum, vocare claues, quippe quòd ſicut clauſæ domorum fores aperiuntur clauibus, ita & inſcriptiones Pſalmorum patefaciant aditum ad veram eorum ſententiam. Etſi autem nonnulli ſentiũt illas, non ab autoribus ipſis Pſalmorum, ſed ab alijs, pro ſuo arbitrio & iudicio ex hiſtorijs rerũ geſtarũ adſcriptas, tamen quia non videntur ineptè ad ſuos quæq; Pſalmos accõmodatæ, non ſunt à nobis temere abijciendæ. Sentiamus igitur hiſtoriam de Doeg Idumæo, quæ ſcripta eſt in priori libro Samuel. cap. 21. & 22. huic quinquageſimo ſecũdo Pſalmo dediſſe occaſionem. Sic enim habet inſcriptio: Pſalmus Dauidis, cum veniſſet Doeg Ædumeus ad Saulem, ac nunciaſſet ei & dixiſſet, Venit Dauid ad domum Ahimelech. Doeg igitur dictus eſt Ædomæus, vel quòd fuerit natione Ædomæus, ex poſteritate Eſau, factus autem Proſelythus: vel quòd aliquãdiu commoratus ſit in Ædõ, & negotiatus, vnde & cognomen traxerit. Hoc autem vtcunq; ſe habeat, certè fuit ex familiaribus regis Saulis, & Princeps omnium paſtorũ eius, vir magna autoritate, & multis opibus inſignis. Et cũ Dauid in fuga ſua à rege Saule, deur-

teret

teret ad ſummũ Sacerdotem Ahimelech, fuit ibi caſu quodam Doeg, in tabernaculo DOMINI, & vidit ſummum ſacerdotẽ excipere Dauidem ſingulari beneuolentia, ac tractare ipſum humaniſsimè, inſtruere etiam eum & armis, & viatico. Etſi autem ſacerdos prorſum ignarus erat fugæ, & fortunarum Dauidis, ſed arbitrabatur eũ à Saule ad conficienda quædam neceſſaria negotia ablegatum, tamẽ Doeg ſumit hinc occaſionem calumniandi, tam ſacerdotẽ quàm Dauidem, quaſi qui vnà aduerſus Saulem conſpiraſſent. Ex hac vna calumnia oritur malorum, quod dici ſolet, Ilias. Saul enim ita excitatur & inflammatur, vt primùm quidem iuberet ſeruos ſuos ſæuire, non tantùm in ſacerdotem ipſum ſummum, verùmetiam in reliquos collegas eius, ſed cum ſerui deterriti, tã atrocitate crudelitatis quàm dignitate & reuerentia ſacerdotum, detrectarent imperium, ſuſcepit Doeg ipſe innocentes ſacerdotes, octoginta quinq; vno die trucidandos. Deinde, Saul non contentus hac immanitate, graſſatur etiam in vrbem Nobam, in qua Sacerdotes commorabantur, & deuaſtat eam, contrucidatis viris mulieribus, infantibus, lactentibus, bobus, aſinis, & pecudibus. Qua crudelitate quid poteſt atrocius & magis tyrãnicè excogitari? Quid etiam potuiſſet Dauidi triſtius nunciari, quàm quòd ipſe, ad tot innocentiſsimorum hominum necem, occaſionem diuerticulo ſuo dediſſet? Vnde & ſummum animi ſui dolorem ingenuè confitetur: Reus ego ſum, inquiens, omnium animarum patris tui. Quid ergo faceret? Num ſe ex arbore ſuſpenderet? Sed ſibi ipſi vitam abrumpere, molli-

mollicies animi est, non fortitudo, desperatio est, nõ confidẽtia. Dixit & ex huius seculi hominibus quispiam.

Rebus in aduersis, facilè est contemnere mortem, *Iuuenalis.*
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Num execraretur Saulẽ, & indiceret ei propter tantam tyrannidẽ publicum bellum? Sed Saul erat vnctus DOMINI, & datus quidem erat Dauidi gladius cum vngeretur à Samuele in Regem, non autẽ aduersus Saulem, sed aduersus Goliathem, & alios externos hostes populi Dei. Num insidiaretur vitæ Doeg calumniatoris, & curaret eum interfici? Sed quid hoc profuisset occisis sacerdotibus & ciuibus? Cum igitur nulla alia, hoc quidem tempore, pateret legitima via sumendi iustam vindictam, & supplicium de rege tam scelerato, & de calumniatore tam virulento, properat ad vetus suum artificium, ad canendum videlicet carmen Psalterio suo: in quo carmine principiò inuehitur grauissimè in calumniatorem, quòd tam immane facinus designandum susceperit: deinde vaticinatur, quanta ipsum & quàm horrenda supplicia maneant: postremò, concionatur de admirabili piorum, qui calumnijs diuexantur, conseruatione, quòd etsi opprimuntur à Sycophantis crudeliter, tamen custodiuntur in manu DOMINI salui & incolumes, alij quidem etiam in hac vita, alij autem in media morte.

1. *Quid gloriaris tyranne, de illata iniuria: misericordia Dei (præsto adest pijs) quouis tempore.*

Vbi nos tranſtulimus tyrannũ, ibi Hebræus habet גבור Gibbor, & ſignificat robuſtum pyrgopolinicem, aut gigantem, ſeu tyrānum, qualis quondā fuit Nimroth, robuſtus venator corā DOMINO, hoc eſt, tyrannus, qui alios homines violenter opprimit. Et vbi nos tranſtulimus illata iniuria, Hebræus vnum tantùm vocabulum habet רעה Raha. Quod vocabulum extat etiam apud Matthæum cap. 5. Pro quo Græcus repoſuit κακὰ, ſignificat autem malitiam, hoc eſt, afflictionem, ærumnam, iniuriam, qua quis afflígitur. Similiter vbi nos trāſtulimus miſericordiam ſeu clementiam, ibi Græcus tranſtulit ἀνομίαν, & Latina tralatio, iniquitatem. Miror autem, quid his interpretibus acciderit, quòd hoc loco traduxerint pro miſericordia, iniquitatem, niſi forte, pro חסד Heſed per Daleth, & ſignificat miſericordiam ſeu clementiā, legerint חסר Heſer, per Res, quod ſignificat defectum, ſeu deficientiam, quæ eſt iniquitas.

Veriſimile autē eſt, ꝙ Doeg intempeſtiua & thraſonica ſua iactantia dederit huic Pſalmi exordio & exclamationi occaſionē. Nam, cū alij ſatrapæ Saulis abhorruerint à cæde innocentū ſacerdotū, & detrectauerint imperium, quo iubebātur à Saule ſacerdotes interficere, Doeg graſſatus eſt in eos volens, & libens, ac poſtea impudēter gloriatus eſt, ſe tā maſcula animi fortitudine prædituū, vt auſus fuerit octoginta quinq; ſacrificulos vno die his manib. ipſe ſuis mactare, præ ſe interim (quod eſt horum thraſonū ingenium) oēs alios ſatrapas, tanquam meticuloſos, imbelles, & muliebres faſtidiens. Cum igitur Dauid cognouiſſet ab amicis, tam impudentē ſycophantæ

iactan-

ſactantiam, inuehitur in eum grauiſsimè: Quid, (inquiens) immanis tyranne, & ſcelerate ſycophanta, audes tam effreni ore, de tam crudeli ſcelere, quod in optimos & innocentiſsimos miniſtros Dei commiſiſti, gloriari? Scilicet, non contentus virulentis calumnijs, quibus eos lanienæ tyranni obiecisti, etiam veritus non es, in tam reuerendum cœtum, ipſis quoque angelis venerabilem & formidabilem, parricidiales tuas manus inijcere. O nebulonem omnibus ſeculis deteſtandum. Sed qualis qualis ſit ſycophantæ gloriatio, certè miſericordia & clementia Dei, nullo vnquam tempore deerit pijs inuocantibus ipſum ex fide, etiamſi immaniter trucidentur: Tu quidem parricida prodidiſti & è medio ſuſtuliſti innocentes ſacerdotes, non autem potuiſti è medio tollere miſericordiam, qua Deus innocentes, & oppreſſos complectitur. Tu crudeliter confodiſti miniſtros Dei, ſed clementia & potentia, qua Deus miniſtros ſuos tuetur & conſeruat, nondum confoſſa eſt. Tu per iugulum ſacerdotum, petijſti meum: ſed beneficium Dei, quo ſaluus & incolumis non ſolùm ad regnum terreſtre, verùmetiam ad regnum cœleſte perduro, nondum eſt tuo gladio ſublatum, nec vnquam auferetur. Quare, quantum tu gloriaris impiè de illata iniuria, tantum ego glorior piè de clementia & beneficio Dei.

Hic verſiculus cõſolat nos in omnibus aduerſis, ac prę ſertim in calumnijs, quib. affligimur: & hortat, vt quicqd acciderit, gratuita Dei clemẽtia cõfidamus. Siue.n. affligimur corpore, ſiue animo, clemẽtia Dei

ſemper præſtò adeſt credentibus & cœleſtem opem
2. *Cor.* 12. in fide expectantibus. Nam, quod ad Paulum colaphis à nuncio ſatanæ cæſum à Chriſto dicitur: Sufficit tibi gratia mea, hoc idem nobis in omnibus ærumnis noſtris, in quibus non eueſtigio nobis, pro noſtro arbitratu, liberatio cõtingit, dictum eſſe ſen-
Rom. 8. tiamus. Ac rurſus, cùm Paulus è Pſalmo dixiſſet: Propter te morti tradimur tota die, habiti ſumus velut oues deſtinatæ mactationi, addit: Perſuaſum mihi habeo, quòd neq; mors, neq; vita, &c. neq; vlla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione, qua Deus nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro complectitur. Illud videlicet ſignificans, quòd ſiue calumnijs opprimamur, ſiue à tyrannis trucidemur, & omnino ex hac terra eradicemur, tamen ſemper manet nos in Chriſto per fidem conſiſtentes, dilectio, clementia & miſericordia Dei, qua contenti, benè confidamus, & certiſsimam ſalutem in cœlis expectemus, etiamſi reliqua omnia ſiue in cœlo, ſiue in terra nobis obſiſtant, & exitium minentur.

2. *Perniciem meditatur lingua tua, concinnat fraudulentum mendacium, inſtar acutæ nouaculæ.*
3. *Diligis malum præ bono, falſitatẽ plus quàm iuſtitiam.*
4. *Diligis omnia verba perditionis, linguam doloſam.*

Quod in primo verſiculo generaliter dicitur רעה Raha, hoc eſt, afflictio ſeu iniuria, qua calumniator affligit innocentem, hoc in his tribus verſiculis explicatur, qua videlicet ratione & quo modo affligat calumniator innocentem. Num

pugno

pugno aut gladio? certè Doeg graſſatus eſt in ſacerdotes gladio, ſed niſi antea inſtructus fuiſſet acutiori inſtrumento, nullus gladij, hac quidem in re, vſus fuiſſet: Perniciem, inquit, meditatur lingua tua. Lingua igitur inſtrumentum illud eſt, quo innocentibus vita eſt crudeliſsimè erepta. Ac profecto lingua mali hominis, & præſertim calumniatoris, peſsimè ſemper inter omnes gentes audit. Hæc lingua videtur quidem ſe vtiliter velle conſulere illius rebus, ad quem calumnia defertur, ſed ſi rem diligenter expẽdas, non aliud meditatur, non aliò tendit, non ad alium finem properat, quàm ad pernicię̃, partim quidem illius, qui falſa calumnia apud alium traducitur, cuius rei, cum ſint innumera exempla, ſacerdotes & ciues in Noba, de quibus nunc eſt ſermo, non poſtremum inter ea locum obtinent: partim iſtius, qui audit calumniam, & adhibet ei fidem. Hîc intuere mihi Saulem. Num Doeg potuiſſet eum maiori malo afficere, quàm quòd excitet ipſum calumnia ſua, ad tantam immanitatem, vt ſęuiat in optimos & innocentiſsimos viros crudeliſsimè? Maximè autẽ omnium, conijcit lingua calumniatoris, ſuum ipſum autorem in extremam perniciem, quod & verſiculi, qui mox ſequentur, teſtantur. Quid igitur poteſt exitialius & deteſtabilius calumniatoris lingua excogitari? Exacuebat quiſpiam ex Gentibus gladium ſuum, & quærebat ex proximo, num gladius ſatis eſſet acutus? Reſpondit ille: Sic ſatis, ſed multò acutior calumnia. Vnde & hoc loco additur: Concinnat fraudulentum mẽdacium, inſtar acutę nouaculę. Etſi enim calumniator dicit mendacium, tamen ex-

ornat illud tanto veritatis fuco, tanto dolo & fraude, vt multò grauius, & magis lætaliter vulneret hominem innocentem, quàm si quis cutem eius acutissima nouacula incideret: Filij hominum, inquit alius Psalmus, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Et apud Iacobum, lingua vocatur *Iac.3.* ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, mundus iniquitatis.

Sed quid est, quòd lingua tam malè audit? An nõ est bona Dei creatura? an non per linguam benedicimus DOMINO Deo nostro? an non lingua prædicamus Euangelion Christi, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti? Rectè, Lingua per se non infamatur, sed infamatur malus homo, qui optima Dei creatura, pessimè abutitur: Diligis, inquit Psalmus noster, malum præ bono, falsitatem plusquàm iustitiam, Diligis omnia verba perditionis, linguam fraudulentam. Deus creauit quidem linguam bonam, & in vsum longè omnium optimum. Nec est huius loci instituere encomium linguæ, sed tu calumniator abuteris tua ipsius malitia & iniquitate, re optima, ad summam hominis, proximi tui, pernitiem. Tu enim ita corruptus es, vt magis libeat malè, quàm benè facere, & plus delectaris mendacio, quàm iustitia seu veritate: Tu ille es, qui ex pessimo corde, pessimum profers fructum. Quicquid enim locutus fueris, quæcunq; verba protuleris, eò tantum spectant, vt opprimas, vt perdas, vt deglutias, vt deuastes, tam homines quàm vrbes: Et, vt in pauca conferam, non amas nisi linguam dolosam & fraudulentam, qua vniuerso orbi, quod in te est, exitium inferas. Non ergo lingua ipsa per se, sed homo

homo impius & calumniator in causa est, cur innocentibus, grauissima quæque aduersa in his terris accidant. Quid autem causæ est, quòd Deus ad tantam calumniatoris iniquitatem, & tantisper conniueat, dum calumnijs suis innocenti extremam in hoc seculo pernitiem inferat? num calumniatoris studium approbat? Nihil minus: Non volens (inquit alius Psalmus) iniquitatem, Deus tu es. Et: Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Num innocentem odio habet, & abijcit? Ne hoc quidem: sed innocentem aut probat, aut ad maiorem felicitatem reseruat. Denique multæ sunt causæ, cur Deus conniuet ad innocentum oppressionem, quarum multas commemorauimus in explicatione Psalmi quadragesimi quarti. Nocentem autem, vel inuitat bonitate sua ad pœnitentiam, vel si fuerit impœnitens, seruat seueritate sua ad iudicium. De qua re audiamus, qui mox sequuntur, versiculos.

5. *Deus igitur destruet te, funditus conteret te, & demolietur è tabernaculo, & radicem tuã de terra viuentium.*

Calumniator infert quidem maximam pernitiem innocentibus. Sed nunquid fert illud impunè? Videtur quidem aliquoties feliciter in suo instituto florere, & securissimam vitam agere, Deus aũt, qui custodit innocẽtes, nec dormitat, nec stertit, sed quãto diutius conniuet ad calumniatoris felicitatẽ, tãto grauius animaduertit in eum: Deus destruet te, inquit,

inquit,funditus. Nunc videris firmiſsimè ſtabilitus eſſe, ſed veniet tempus, quo radicitus ita euelleris, vt nunquam poſsis amplius florere,& fructum ferre.Nunc videris ita munitus eſſe, & confirmatus,vt nihil ſit,quod te exterrere queat, ſed Deus ipſe te tã horribiliter opprimet & conteret, vt quotquot vel viderint,vel audierint,toto corpore contremiſcant. Nũc arbitraris,te vnà cum tuo tabernaculo,cum tua domo & familia, ita radices egiſſe, vt nulla tempeſtas queat poſteritatem tuam extirpare, & è terra viuentium, (hoc eſt) hominum in hac vita degentium abolere, ſed futurum eſt, vt omnis gloria nominis tui, ac vniuerſæ familiæ tuæ pedibus conculcetur,ac è medio tollatur. Etſi autem ſacræ literæ non meminerunt nominatim (quod ego ſciam) interitus calumniatoris Doegi, & familiæ eius, de quo Pſalmus hoc loco vaticinatur, tamen, quia hoc non eſt carnis, ſed Spiritus ſancti vaticinium, & extant aliâs manifeſtæ conciones,in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, de ſupplicijs calumniatorum, non eſt dubium,quin Doeg, vnà cum familia ſua horribiliter perierint.

Iob 20.Laus impiorum breuis eſt,& gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius,& caput eius nubes tetigerit,quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant,dicent, vbi eſt? Velut ſomnium auolans,non inuenietur,tranſibit ſicut viſio nocturna,&c.

Pſalm.7. Ecce (impius calumniator) parturit iniuſtitiam,concepit dolorem,& peperit iniquitatem. Lacum aperuit,& effodit eum,& incidit in foueam,

quam

quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Psal. 37. Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis, DOMINVS autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniet dies eius.

1. Pet. 2. Nouit DOMINVS pios è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare.

Quid multis opus? Vniuersa sacra scriptura instat & vrget, vt sciamus, innocẽtes esse in tutela DOMINI, nocentes autẽ obnoxios iræ Dei, tam in hoc, quàm in futuro seculo. Non est igitur dubium, quin de calumniatore Doeg, sumptum sit diuinum, & horribile supplicium, vt pestilẽte multato, paruulus sapiẽtior fieret. Dices autẽ: Quid, obsecro, sibi vult, quòd Deus minetur quidem impijs calumniatorib. horrenda supplicia, ac tandem etiam inferat, interea autẽ conniueat, vt innocentes crudeliter opprimantur? An non rectius videretur, vt innocentes eriperentur cœlesti defensione è manibus calumniatorũ, priusquam ipsis tam malè eueniret? Cain interficit summo scelere suum ipsius fratrem Abel, & interea ipse vnà cum familia sua tam feliciter in terra promouet, vt totius terræ imperium, quod fratricidio quæsiuerat, videretur assecutus. At dedit tandẽ pœnas: Prohiberi melius fuit, impediriq́, ne interficeret fratrem, quàm ipsum aliquando pœnas dare. *Pro. 19. & 21.* *Cicero li. 3. de natura Deorũ.*

Ioas rex Iudæ, tractatus est ab hostibus suis victoribus ignominiosè, & desertus in magno cruciatu, interficitur immaniter à suis ipsius seruis, in suo lectulo, sed quia sustulerat tyrannico suo gladio sum- *2. Paralip. 24.*

num ſacerdotem Zachariam, virum optimum, an non melius fuerat illum conſeruari, quàm pœnas ſceleris regem pendere?

Ioannes Baptiſta, vir ſanctiſsimus, quo nõ eſt maior inter eos, qui naſcuntur è mulieribus, exortus, conijcit ab Herode Tetrarcha in carceres captiuus, & poſt, iubet Herodes caput eius amputari in carcere, idq; in gratiam tantùm puellæ ſaltatricis, interea ipſe in ſummis delitijs vitam agit. Quid indignius? At vel tandem ſumpſit Deus de ipſo ſupplicium. Præſtiterat, (vt quidem multis videtur) Ioannem in miniſterio ſuo diutius incolumem ſeruari, quàm Herodem pœnas dare. Idem dici poteſt de calumniatore Doeg, & de tot innocentibus ſacerdotibus, ac ciuibus crudeliter ab ipſo proditis & interfectis. Deſtruxit quidem Deus Doegum, iuxta hunc Pſalmi verſiculum, funditus, & demolitus eſt eum de terra viuentium. Sed nunquid melius fuiſſet, ſi conatus impij calumniatoris eſſet impeditus, & tot innocentes manſiſſent in hac vita ſuperſtites? At enim, ſiquidem, qui hæc obijcis, non credis eſſe Deum, qui curet res humanas, nihil iam nobis tecum eſt, quid enim nobis de his, qui foris ſunt? Si autem credis eſſe Deum, certè illum eſſe ſapientiſsimum & optimum, credas, neceſſe eſt. Cum igitur videas in hoc ſeculo, bonis male, & malis bene euenire, num immenſam ſapientiam Dei, anguſtia tui ingenij metieris? An, qui eſt bonitas ipſa, res ſuas male adminiſtrabit? An non omnes virtutes ſunt in Deo perfectiſsimæ? imò Deus ipſa eſt virtus. Negare autem non potes, quin

longa-

longanimitas non postremum inter virtutes locum habeat. Quare manifestum est, quòd longanimitatis virtus sit in Deo, non in infimo, sed in summo gradu. Quomodo autem patefaceret & explicaret hanc virtutem, nisi conniueret, vt bonis ad suum vsq; tempus malè esset? Et reliquum est adhuc aliud seculum, in quo omnia ea, quæ in hoc seculo confusa & perturbata videntur, in suo ordine collocabuntur, & perpetuò sine vlla mutatione conseruabuntur. Quare, tradamus nos in hac rerum confusione, quæ est in his terris, sapientiæ & bonitati Dei captiuos, & si euenerit nobis benè, agamus Deo gratias, si autem malè, viriliter agamus, & expectemus DOMINVM, nihil dubitantes, quin, quicquid aduersi nobis acciderit, id sapientissimo & optimo Dei consilio accidat. Sed de causis, cur pij in hoc seculo affligantur, aliâs copiosè dictum est.

6. *Videbunt iusti, ac timebunt, & super eum ridebunt:*
7. *En virum, (inquient) qui non posuit Deum, robur suum, sed collocauit fiduciam suam in multitudine diuitiarum suarum, & robustus fuit ad nocendum.*

Amplificatio supplicij, quod DOMINVS minatus est, in præcedẽti versiculo quinto, calũniatori Doego, & vniuerso cœtui sycophantarum. Deus perdet impiũ calumniatorẽ tãta seueritate, vt quotquot pij viderint, cohorrescant, & discent exẽplo eius timorẽ Dñi, nõ illum seruilem, qui tãtùm plagas metuit, sed

quem vocant, filialē, qui excitat ipſos ad veram Dei reuerentiam & obedientiam, qualē timorem probi filij parētibus ſuis exhibent. Nec id tantùm, verùm etiam ridebunt, illudēt & inſultabunt impio calumniatori, ac dicent: En, hic eſt Pyrgopolinices ille, & πολιορκήτης, qui cum adhuc incolumis ſtaret, & proſpera fortuna vteretur, nihil penſi habebat, quicquid in homines alios, quamuis innocentiſsimos, deſignaret. Non enim collocabat fiduciam & ſpem ſuam in DOMINO Deo noſtro, qui ſolus eſt robur & fortitudo noſtra, ſed in multitudine, & magnitudine diuitiarum & potentiæ ſuæ, qua non ad ſublenuandos miſeros, ſed tantùm ad opprimendos innocentes abutebatur, vt fuerit quidem potens, non autem ad benefaciendum, in quem vſum Deus diuitias, & potentiam conferre ſolet, ſed ad malefaciendum, & hominibus nocendum. Nunc autem, ò iudicium Dei æquiſsimum, omnibus ſeculis celebrandum, iacet hîc horribiliter deiectus, proſtratus, & conculcatus, vt nulla amplius ſpes ſalutis eius reliqua ſit. Ac planè illud accidit ei, quod *Pſal. 37.* in alio Pſalmo ſcriptum eſt: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut cedros Libani. Tranſiui, & ecce non erat: Quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Duo hîc obſeruanda veniunt. Alterum, quis ſit vſus horribilis ſupplicij impiorum Sycophantarum in hoc ſeculo, poſſet enim Deus reijcere ſupplicium eorum in alterum tantùm ſeculum, vt quod hîc ceſſatum videtur, illic ſeueritate compenſaretur, quod & in maxima impiorū parte fieri ſolet. Sed interea viſum eſt Deo, nonnullos impios

impios, in hoc etiã ſeculo grauiſsimè & horribiliter punire, non vt hac pœna ſatisfaciant Deo, pro ſceleribus ſuis, minor .n. eſt omnis corporalis hominũ pœna, quàm vt peccata coram Deo expiare queat, ſed vt exemplum ſtatuat, quo alij vel ad pœnitentiam excitentur, vel in vero timore, & obedientia Dei conſeruentur, & confirmentur. Apud Lucam nunciatur Chriſto, quòd Pilatus miſcuerit ſanguinem Galilæorum cum ſacrificijs ipſorum. Reſpondet autem Chriſtus: Putatis, quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſsi ſunt? Non dico vobis, imò niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Alterum, quid illud ſit, quòd Pſalmus dicat: Iuſtos ridere, & inſultare impiorum ſupplicio, an non eſt dolendum cum dolentibus, & afflicto non eſt addenda afflictio? Rectè. Sed in ridendis aliorum miſerijs, alius eſt riſus carnis, alius riſus ſpiritus. Qui ex carne proficiſcitur riſus, argumentũ eſt animi inuidi, amarulenti, & virulenti, cui voluptati ſit, alienis ęrumnis inſultare, quod cum proximi charitate prorſus pugnat. Qui autem è ſpiritu proficiſcitur, dolet quidem de proximi interitu, gaudet verò de veritate verbi Dei, & de gloria nominis eius, quòd Deus iuxta promiſsionem ſuam pios tueatur & ſeruet, impios autem & impœnitẽtes puniat. Nam, quemadmodum politico magiſtratui honori eſt, non ſolùm habere ſenatum plenum venerabilium ſenum, & optimorum ac prudentiſsimorum virorum, verùmetiam habere crucem plenam ſceleratorum furum, & prædonum, quòd hinc eluceat, magiſtratum facere ſuum officium, quod eſt, iuxta *Lu.13.*

2. Pet. 2. Petrum, vindicare nocentes, & laudare rectè agentes: ita tã eſt gloria nominis Dei, habere infernũ plenũ diabolis & impijs hominibus, quàm habere cœlũ plenum bonis angelis & hominibus ſanctis, quòd alterum ſit iuſtæ ſeueritatis, alterum gratuitæ clementiæ & miſericordiæ argumentum. Quare, cum pij rident ſupplicia impiorum, non inſultant ipſis carnali, ſed ſpirituali affectu, quo recta Dei iudicia commendant, & ſe conformes voluntatis Dei teſtificantur, quòd & ſpiritus ipſe ſanctus interitum impiorum rideat: Vocaui, (inquit) & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. EGO quoque in interitu veſtro rideho, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.

Prouer. 1.

8. *Ego autem ero, ſicut oliua virens, in domo Dei. Speraui (enim) in clementiam Dei perpetuò, & inæternum.*

Altera pars antitheſeos inter impios & pios, inter calumniatores & innocentes. De impijs & calumniatoribus dixit verſiculus quintus: Deus deſtruet te calumniatorem funditus, conteret te, & demolietur te è tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium, vt fias omnibus ſpectaculum, & ludibrium. Quid ergo fiet de pijs & innocentibus? Ego (inquit) ero in domo Dei, in familia ſeu Eccleſia Dei, ſicut oliua virens, & fructifera, aut quemadmodum Pſalmus primus dicit, ſicut arbor plantata ad

riuos

riuos aquarum, quæ profert fructum ſuum in tempore ſuo, nec folium eius marceſcit, ſed proſperum eſt, quicquid fecerit. Pij enim & innocentes, etiamſi à ſycophantis & calumniatoribus affligantur, & à ſatana ipſo opprimi videantur, tamen Deus ita eos ſeruat & tuetur, vt inſtar virentis oliuæ, ſemper, in media etiamnum morte, ad veram vitam, & ſalutẽ promoueant. Quid ita? Quia ſpero, inquit, in clemẽtiam Dei. Non ſpero in Deos Gentium, non ſpero in meam ipſius iuſtitiam, non colloco fiduciam in meritis maiorum meorum, ſed ſpero, in ſolam gratuitam clementiam Dei, in ſemine Abrahæ promiſſam, & ſpero, non vno tantùm die, non vno tantùm anno, nec in vna tantùm, & altera afflictione, ſed toto vitæ meæ tempore, & in omnibus aduerſis, adeoque in morte ipſa. Manifeſtum autem eſt, quòd ſperantes in ſolam Dei clementiam, eámque gratuitam, & verbo eius promiſſam, nunquam pudefiant, quemadmodum aliàs copioſè demonſtratum eſt. Quare non eſt dubitandum, quin non ego tantùm, ſed etiam omnes pij & innocentes, qui in DOMINVM ſperant, ſalui & incolumes, oppreſsis omnibus impijs ſycophantis, conſeruentur.

9. *Gratias ago tibi immortales, quòd feceris: Et expecto nomen tuum, quòd ſit gratioſum coram ſanctis tuis.*

Cõcludit Pſalmũ gratiarũ actione, quã, vt rectè intelligam°, reuocãdũ eſt in memoriã periculũ, in quod Dauid calũnijs Doegi cõiectus fuit. Poſtquã. n. Saul graſſatus

grassatus est immaniter in sacerdotes et ciues Nobę, quòd præbuissent Dauidi hospitium, & accusati essent à Doego conspirationis cum Dauide aduersus Saulem, facilè conijci potest, quanta seuitie, quanta crudelitate inuectus esset in Dauidem ipsum, si in manus eius venisset. Cum igitur Deus conseruauerit Dauidem clementissimè, & defenderit eum mirando modo, à calumnijs Doegi, & à tyrannide Saulis, recipit Dauid se gratum fore: Gratias, inquiens, ago tibi sempiternas. Pro quo beneficio? Quòd fecerís, inquit. Quid ergo fecit Deus Dauidi? Num Dauid fert acceptum Deo, quod fecit Doeg? Certè, qua est pietate non agnoscit Doegum primarium tantę afflictionis autorem, sed Deum ipsum. Nam si ne passerculus quidem cadit in terram, sine Deo patre, ac pili quoq; capitis omnes numerati sunt, quomodo potuit vel sacerdotibus & ciuibus Nobę, vel Dauidi quicquam aduersi, absque, voluntate Dei accidere? Deo autẽ affligẽte, quod nõ beneficiũ, quæ nõ salus est sperãda? Solet. n. Deus affligere, non vt perdat, sed vt saluet: solet percutere, non vt in pernicię vulneret, sed vt sanet: solet mortificare, nõ vt opprimat, sed vt viuificet: deducit ad inferos, non vt in inferis retineat, sed vt ad superos reducat: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Si in afflictione peccatoris non meditatur, nisi vitam & salutem, quanto magis meditatur omnem clementiã & liberationem in afflictione hominis pij & innocentis? Ac fieri quidem potest, vt qui, autore Deo, affligitur, perpetuò intereat: hoc autem non fit vitio diuinæ volun-

tatis, quæ certè natura ſua non cogitat, niſi vitam & æternam ſalutem: ſed fit vitio humanæ voluntatis, quæ auertit ſe à Deo, & non agnoſcit conſilium & inſtitutum Dei, quod natura ſua non aliò reſpicit, quàm vt quos affligit, eos etiam ſeruet: Venite, inquit Oſeas, reuertamur ad DOMINVM, quia ipſe diſcerpſit, & ſanabit nos, percuſsit, & curabit nos. *Oſe. 6.* Quare Dauid agit gratias Deo, quòd non ſycophanta Doeg, ſed Deus ipſe fecerit, vt calumnijs affligeretur, qui & tanta eſt bonitate, vt quanto grauiores ſunt calumniæ, tanto glorioſiorem meditetur redemptionem. Vide mihi exemplum Iobis. Hic direptionem facultatum ſuarum, non refert acceptam ſeu hoſtibus, ſeu ſatanæ, ſed Deo ipſi: DOMINVS, inquit, dedit, DOMINVS abſtulit, ſicut DOMINO placuit, ita factum eſt: ſit nomen DOMINI benedictum. Quid ergo factum eſt? Quod Iob acceptũ tulit DOMINO, hoc à DOMINO dupliciter recepit: Addidit (inquit ſcriptura) DOMINVS omnia, quęcunq; fuerant Iob, duplicia. *Iob. 42.* Sed huc aliud quoq; exemplum Dauidis referendum eſt. Dauid expellitur à ſuo ipſius filio in exilium, Simei autem vociferatur, proiectis in eum ſaxis, egredere, egredere, vir ſanguinum & vir Belial. *2. Reg. 15. & 16.* A quo igitur autore accipit hæc conuicia Dauid? num à Simei? Nihil minus, ſed à Deo ipſo: Dimittite, inquiens, eum, vt maledicat. DOMINVS enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Quid igitur Dauid hinc reportauit? Quid, niſi quod vaticinatus eſt ipſe, & euentus comprobauit. Reſpexit e-

nim DOMINVS afflictionem eius, & reddidit ei pro hac maledictione, insignem benedictionem. Quare, si quid aduersi nobis acciderit, & teneamur desiderio consequendæ benedictionis, tantum absit, vt inuehamur virulenter in aduersarium, vt potius gratias agamus Deo, quem cum agnoscimus afflictionis autorem, non dubitemus, quin etiam sit certissimus autor liberationis.

Quod si verò pro Hebræo more exposueris verbum præteritum pro præsenti aut futuro, videlicet feciſti aut feceris, pro facis aut facies, sententia est: Ago tibi DOMINE gratias immortales, quamuis Doeg multa & horrenda incommoda, DOMINO sic conniuente, innocentibus sacerdotibus, & ciuibus Nobæ, calumnijs suis intulit, ac mihi quoque ipsi inferre cogitauit, tamen Deus faciet, & dabit euentum, vt quod accidit, cedat illis in cœlestem felicitatem, mihi autem in regni diuinitus promissi inauguratione. His enim, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum, quippe quòd Deus tanta sit bonitate, vt nec illis, nec mihi quicquam aduersi contingere permisisset, nisi antea secum definijsset rationem, qua nos conseruaret & liberaret. Quod, cùm ita sè certò habeat, non ago tantùm tibi, DOMINE, gratias, verùmetiam expecto nomen tuum, propterea quòd hoc nomen sit coram omnibus sanctis tuis gratiosissimũ. Quis ergo vocatur Deus, & quod est illud nomen, quod Dauid se expectare profitetur? De hoc nomine concionatur Deus ipse Mosi, quemadmodum scriptum

Rom. 8.

est

eſt in Numeris capit. 14. & teſtificatur Pſalmus 103. Notas, inquiens, fecit vias ſuas Moſi, filijs Iſrael facta ſua. Miſericors & clemens DOMINVS, patiens, & multæ miſericordiæ, & reliqua quæ ſequuntur. Hoc illud eſt nomen, quod Dauid expectat, & quo in tot aduerſis confidit, videlicet, quod Deus vocetur & ſit miſericors, clemens, verax, longanimis, qui, quantùm diſtat ortus ab occidente, tam longè facit à nobis iniquitates noſtras: & quomodo miſeretur pater filiorum, ſic miſeretur DOMINVS timentium ipſum. Hoc etiam illud nomen eſt, quod etſi impij faſtidiunt & reijciunt, tamen pijs longè omnium iucundiſsimum & gratiſsimum eſt. Quicquid enim acciderit, ſiue diuitiæ, ſiue paupertas, ſiue ſanitas, ſiue morbus, ſiue vita, ſiue mors, & ſiue hoſtium noſtrorum conſilia impediantur, ſiue feliciter promoueant, DOMINVS miſericors eſt, & clemens, qui credentes in ipſum gratia ſua nunquam deſtituit: verax eſt, qui promiſſa ſua conſtantiſsimè ſeruat: longanimis eſt, qui etſi diu connîuet ad felicem impiorum progreſſum, tamen vel tandem iudicium ſuum profert: fidelis eſt, qui non ſinit ſuos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed dat euentum, vt ſufferre queant, & magna gloria conſeruentur. Agamus igitur gratias Deo, in omnibus, non tantùm in rebus proſperis, ſed etiam aduerſis, & confidamus nomine eius, quod à prima quidē orbis origine promiſsis patefactum eſt, in plenitudine autem tēporis per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrū expletum & confirmatum. Et agamus

gratias, non verbis tantùm, ſed & rebus ipſis, vt quæ Deo officia ore policemur, factis obedienter præſtemus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Etſi vulgò dici ſolet: Aduerſus morſum ſycophantæ, nullum eſſe remedium, quòd ſatan mendacia ſua, & calumnias, quibus innocentes opprimendos ſuſcipit, tanto aſtu confingit & exornat, vt videantur certiſsima veritas, Spiritus ſanctus tamen oſtendit in hoc Pſalmo præſentiſsimum remedium, quo aduerſus omnes calumnias muniamur, & conſeruemur. Primùm enim docet, quòd ſycophantarum calumniæ, poſsint quidem exitium minari, ac etiam iuxta externam ſpeciem, inferre, non poſsint autem perpetuò durare, & conſiſtere. Deus enim, cum ſit iuſtus iudex, & veritas ipſa, teneri non poteſt, quin omnia mendacia, & cõfictas calumnias ſuo tempore patefaciat, & iudicet. Deinde docet, quòd Deus tueatur innocẽtes, in media etiamnum morte: Ego ero, inquit Dauid, ſicut oliua virens in domo Dei, hoc eſt, etſi calumniæ minantur mihi extremam internicionem, tamen ego conſeruabor & florebo in Eccleſia Dei. Et quod Dauid ſperat, hoc etiam aſſequitur. Sycophantæ calumniantur Dauidem, quòd coniurauerit aduerſus Saulem regẽ ſuum, & ſit ſeditioſus, ac vir ſanguinum: ſed quia erat innocens, exaltatur, iuxta promiſsionẽ Dei, in regium thronum Iſraelis. Maximè omnium autẽ exemplũ ſumendum eſt à Ieſu Chriſto

DOMINO

DOMINO noſtro. Hic calumniis Pontificũ & Phariſæorum ita oppreſſus eſt, vt crucifigeretur: ſed in tantũ nõ perit in cruce & morte, vt extolleretur in ſummam ſublimitatem, & conſecutus ſit nomen ſuper omne nomen. Opponendus igitur eſt hic Pſalmus calumniis, vt ex eo vera & cœleſtia remedia, aduerſus omnia calumniarum genera reportemus.

Pſalmus 53.

Dixit inſipiens in corde ſuo, &c.

NOn eſſet fortaſsis operæpreciũ, vt hunc Pſalmum in præſentia interpretandum ſuſciperemus, quòd idem, paucis tantummodò verbis mutatis, habeatur antè, numero decimo quarto, expoſitus. Sed quia non piguit Spiritum ſanctum, eundem Pſalmum, in eodem Pſalmorum libro repetere, non pigeat nos iterum explicatione noſtra breuiter percurrere, præſertim, cum neceſſariam doctrinam, de agnitione peccati, & Chriſti contineat, & nonnulla in hoc Pſalmo adiiciantur, quæ, ſuprà, in decimo quarto, aut omnino non habentur, aut paulò aliter habẽtur. Vbi verſus primus Pſalmi decimi quarti legit נבל. Alila, quod ſignificat ſtudiũ, ibi hic 53. Pſalmus legit עול Auel, quod ſignificat iniquitatẽ. In verſiculo ſecundo, quod alter legit יהוה Iehoua, alter legit אלהים Elohim,

him. Idem etiam fit in verſiculo quarto. In verſiculo tertio, quod in altero eſt סר Sar, (hoc eſt) declinauit, in altero eſt סג Sag, hoc eſt, receſsit. In quarto verſiculo, alter addit hanc vniuerſalem dictionem, omnes, alter omittit. Verſiculum quintum aliter recitat Psalmus decimus quartus, aliter quinquageſimus tertius, quemadmodum ſuo loco indicabitur.

Ambo autem Pſalmi eò reſpiciunt, vt doceant, humanam naturam peccato ita corruptam eſſe, vt non ſolùm pauci, iſq; vulgares & abiecti, verùm etiam omnes homines, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue qui videntur ſancti, ſiue ſcelerati, geſtent horrendam impietatem in cordibus ſuis, etiamſi eam non ſemper vel verbis, vel factis profiteantur: nec vllam eſſe reliquam noſtram ſalutem, niſi in promiſſo ſeruatore, DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, qui reuelatus eſt in Zione, & ſoluit captiuitatem Iſraelis, hoc eſt, liberauit veram ſuam Eccleſiam à vinculis ſatanæ, peccati, mortis & inferni. Quam igitur attentionem afferre debemus ad concionantem nobis de æterna noſtra ſalute, eam afferamus etiam ad huius Pſalmi lectionem.

1. *Dicit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti, & abominabiles facti ſunt iniquitate, non eſt, qui faciat bonum.*
2. *Deus de cœlo proſpicit ſuper filios hominum, vt videat, num ſit intelligens, aut requirens Deum.*
3. *Vniuerſi receſſerunt ſimul, facti ſunt fœtidi, non eſt, qui faciat bonum, ne vnus quidem.*

Multa

Multa ſunt argumenta, quæ teſtificantur humanam naturam eſſe corruptiſsimam. Mens hominis creata eſt à Deo, vt expetat verum, ſed magis delectatur falſo quàm vero. Voluntas hominis condita eſt, vt expetat bonum, ſed multò procliuior eſt ad malum quàm ad bonum. Corpus adiunctum eſt animæ, vt ſit organon eius aptum, ſanum, vegetum, firmum, & transferatur, decurſo huius mundanæ vitæ ſpacio, vnà cum anima ad immortalem & cœleſtem vitam: ſed quid eo nunc eſt imbecillius? quot, obſecro, & quantis morbis eſt obnoxium? quot vitæ incommodis obiectum? vt corpus non ineptè vocetur ſepultura & carcer animæ. Totus homo conditus eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Dei, vt dominetur, quemadmodum ſcriptura loquitur, piſcibus maris, volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram: ſed quæ animantes obtemperant homini? Certè, non ſolum non gratificantur voluntati eius, verùmetiam aut fugiunt, aut reſiſtunt, aut inſidiantur, & nocent, quoquomodo poſſunt. Quid ergo eſt, quòd homo, à natura, in qua conditus erat initio, tam longo interuallo receſſerit, & degenerauerit? Quid, quòd omnia, quæ ad vtilitatem hominis, & in obſequium eius creata erant, in detrimentum eius cedant, & cum ipſo pugnent? De hac re audiendus eſt nobis Pſalmus: Dicit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Habes ergo in promptu cauſam, cur homo coniectus ſit in omnia genera ærumnarum & afflictionum: Quia inſipiens, (inquit) dicit in corde ſuo,

non

Ecquis, obſecro, tam impius eſt qui dicat in corde ſuo, & qui ſentiat, non eſſe Deum? Deus enim nunquam ſinit ſeipſum expertem teſtimonij, (quemadmodum Paulus loquitur) dum beneficia confert, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo ac lætitia corda noſtra. Et iterum: Deus non longè abeſt, ab vnoquoque noſtrum, per ipſum enim viuimus, mouemur & ſumus. Quis ergo adeo deſipiat, vt dicat in corde ſuo: Non eſt Deus? Sed quicquid tergiuerſationis prudentia carnis afferat, & prætexat, certè teſtimonium Spiritus ſancti, quo omnes homines impietatis accuſantur, omni exceptione maius eſt: & commemorauimus paulò antè aliquot argumenta, quibus perſpicuum eſt, hominẽ aliquid egiſſe, aliquid commiſiſſe, propter quod in tot miſerias ſit coniectus. Nomine enim inſipientis, hoc loco, tam Adam ipſe, primus humani generis propagator, quàm vniuerſum genus humanum, ab Adamo propagatum, intelligendum eſt, quemadmodum ſuprà Pſalmo decimo quarto expoſuimus. Quod ergo eſt malum illud, quod Adam deſignauit, vt amitteret tam ſibi, quàm poſteris ſuis ea, quæ excellenti naturæ eius à Deo attributa erant, & fieret omnibus ærumnis obnoxius? Illud videlicet malum eſt, quòd dixerit in corde ſuo: Non eſt Deus. Etſi enim Adam conditus fuit initio bonus, rectus, ſyncerus, & integer, tamen perſuaſu ſatanæ tanta fuit deſipientia, ſtultitia, & fatuitate, vt verbo potius ſatanæ, quàm verbo Dei, fidem adhiberet. Deus dixerat: De fructu arboris ſapientiæ, ne comedas. Quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

Acto. 14.

Acto. 17.

rieris. Satan autem dixerat: Nequaquam morte moriemini, ſed aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Adam igitur audito vtriuſque verbo, maluit ſe adſcribere ſententiæ ſatanæ, quàm Dei, & comedit de vetito pomo. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm Deum facere impoſtorem, nugiuendum & mendacem. Quod certè non eſt aliud dicere, quàm non eſſe Deum. Nugiuendum enim & mendacem eſſe, non eſt eſſe Deum. Quare, cum Adam plus fidei adhibuit promiſſioni ſatanæ, quàm verbo Dei, & violauit mandatum Dei, Deum non eſſe, tam corde dixit, quàm re ipſa ſignificauit. Et qualis ipſe tum factus eſt, tales omnes poſteros ſuos propagauit: Per vnum hominem (inquit Paulus) peccatum introijt in mundum. *Rom. 5.* Et iterum: Per vnius delictum, propagatum eſt malum in OMNES ad condemnationem. Itaque non ſolus Adam dixit in corde ſuo: Non eſt Deus, ſed eitam omnes homines ab Adamo propagati, ſentiunt, hæreditario morbo, nõ eſſe Deum. Quid autẽ hac blaſphemia execrabilius? quid hac impietate deteſtabilius? quid item exitialius? vbi enim Deus, qui eſt omne bonum, reijcitur & abnegatur, ibi omne malum ſuccedat, neceſſe eſt. Ac primùm quidem mens hominis ita obſcuratur, vt ne quidem ſcintillam lucis, ad perſcrutandam, ſuopte ingenio, veritatem (ſi quidem ſermo fuerit de aſſequenda æterna ſalute) retineat: & voluntas eius ita deprauatur, vt non aliò, quàm ad cupiditatem cuiuſuis malitiæ propendeat. Ex quo ſequitur, quòd cum eadem ſit humani ingenij blaſphemia & prauitas, omnes etiã

homines ſint ita corrupti, (iuxta Pſalmũ) et iniquitate ſua deteſtabiles facti, vt nullus eorum ſit, qui verè bonum faciat. Quid enim boni è blaſphemo corde promanare queat? Fieri quidem poteſt, vt ſpecies externa humanarum actionum appareat bona & honeſta coram hominibus, ſed cum Deus ipſe, qui eſt iuſtus & incorruptus iudex, de cœlo proſpexerit, & oculos in interiora hominis intenderit, ibi tum non inuenit inter omnes filios Adam, (ſiquidem naturã eorum, vt eſt ab Adamo propagata, conſiderauerit) qui verè cognoſcat & requirat Deum, ſed defecerunt vnà omnes à Deo, & coram eo ita fœtent, vt quicquid aut cogitauerint aut egerint, ſit abominandum & deteſtandum. Ac ne quis fortaſsis arbitretur, vel ſaltem vnum aut alterum hominem, à generali corruptione excipiendum, addit, ne vnum quidem reliquum eſſe, qui natura ſua verè bonum, coram Deo, intelligat, velit & faciat. Quid igitur humano genere deprauatius? quid eo magis inuerſum & peruerſum? Deinde corruptionem mentis ac voluntatis humanæ ſequuntur miſeriæ, ærumnæ, calamitates, quid plura? mors ipſa, cuius nomine venit æternus interitus, quæ omnia ſunt peccati ſtipendia:

Rom. 5. Per vnum enim hominem, introiit in mundum, non tantùm peccatum, ſed etiam mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Quid igitur homine afflictius? quid eo ærumnoſius? Hæc, non eò toties commemorantur, & inculcantur, vt omnem ſalutis ſpem abiiciamus, & pereamus, ſed vt ad quærendum re-

medium,

medium, aduerſus peccatum & mortem excite-
mur: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem
peccatoris, ſed magis, vt conuertatur & viuat. De-
us enim, qui eſt iuſtitia ipſa, putas ne, delectetur
per ſe oſtenſione tantarum ſordium peccati, niſi
meditaretur iuſtitiam? Et qui eſt vita ipſa, num
horribilem mortis ſpeciem obtruderet, niſi cogita-
ret vitam? Quare, cum oſtenditur nobis magni-
tudo peccati noſtri, & grauitas condemnationis
noſtræ, ſciamus, Deum meditari veram & æter-
nam noſtram ſalutem. Sed reuertamur ad præ-
ſens inſtitutum. Duriſsimum eſt, inquies, om-
nes homines iniquitatis ita condemnare, vt ne v-
nus quidem inter ipſos innocens habeatur. Nihil
dicam de Gentibus, quæ ſunt Idolomanitæ, nihil
de populo Dei, ſiue illo veteri Iudaico, ſiue nouo
Chriſtiano, vulgus enim in quouis hominum cœ-
tu ſibi ſimilis eſt, & ſuas ſectatur cupiditates: ſed
dicam de ſacerdotibus populi Dei, & de profeſſo-
ribus ac interpretibus diuinæ legis. Num & hi re-
ferendi ſunt in catalogum hominum ſceleratorum?
At enim, hi tractant ſingulis penè momentis ſacra,
& meditantur in lege DOMINI diu noctuq; vt ſen-
tentiam eius populo exponant. Quid? nihil ne ſan-
ctitatis, nihil pietatis ex eo in ſe attrahunt? Labia *Malach. 2.*
ſacerdotis, inquit Propheta, cuſtodiunt ſcientiam,
& legem requirent ex ore eius, quia Angelus DO-
MINI Zebaoth eſt. Nihil ne lucri ſacerdos, & le-
gis interpres ex illo ſuo officio reportabit? De
hoc reſpondent duo verſiculi qui ſequuntur.

4. *An non manifeſtum eſt, quòd (doctores legis) ſceleratè agant, & deuorent plebem meam, vt habeant, quod edant, nec Deum inuocent?*

5. *Ibi trepidant trepidatione, vbi non eſt trepidatio, quia Deus diſſipat oſſa hypocritæ. Nõne pudefacis (eos)? quia Deus abominatur eos.*

Verum quidem eſt, quòd in humano genere ſacerdotes, doctores & interpretes diuinæ legis videantur reliquos homines honeſtate & ſanctitate ſuperare, ſed ſi dicendum eſt, quod res eſt, tantùm abeſt, vt ſint innocentes, vt manifeſtum ſit, quòd quantum hi antecellunt alios dignitate, tantum antecellant eos impietate & iniquitate. Etſi enim inter doctores diuinæ legis præcipui ſunt, Patriarchæ, Moſes, Prophetæ & Apoſtoli, qui ſingulari Spiritu Dei ita ornati fuerunt, vt quæ docuerunt, ſint cœleſtia oracula, & tam certa ac firma, vt ſi Angelus de cœlo aliud prædicaret, anathema eſſet, tamen ſi naturam ipſorum conſideraueris, in eodem omnes luto hærent, cum alijs hominibus: & ſi qui in docendi munere ſibi relinquantur, multò alijs peiores & ſceleratiores fiunt. Nam, quemadmodum optimum vinum, ſi degenerauerit in acetum, redditur acutiſsimum, & ex terra feraciſſima, ſi relinquatur inculta, oriuntur peſsima zizania, ita ſi quis officio docendæ Eccleſiæ fungitur, & tenetur aliquo pietatis affectu, non tamen renatus eſt ex Spiritu ſancto, longè maiorem facit, & ſuæ, & aliorum ſalutis iacturam, quàm infimæ fortis homo. Quid ergo ſceleris hi doctores, quos

quos arbitrabamur reliquis hominibus iuſtitia & pietate præſtare, deſignant? An non (inquit Pſalmus) manifeſtum eſt, quòd ſceleratè agant? Qua igitur in re agunt ſceleratè? Primùm, deuorant (inquit) plebem meam, vt habeant, quod edant, aut quemadmodum in Pſalmo 14. tranſtulimus, Deuorant populum meum, perinde ac ſi panem deuorarent, nam verba textus, nec ab hac, nec ab illa ſententia abhorrent. Non dubitamus autem, quin hæc verba prorſus illud ſint, quod Chriſtus poſtea apud Matthæum dixit: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, idq; prætextu prolixæ precationis: Propter hoc grauius puniemini. Spiritus ſanctus enim iam inde ab initio Leuiticæ inſtitutionis grauiter conqueſtus eſt de ſacerdotibus & Phariſæis, (hoc eſt) interpretibus diuinæ legis, quòd ſoleant in populum ſeu Eccleſiam Dei tyrannidem exercere, & impia ſua doctrina in perpetuum exitium conijcere. De filijs Heli ſummi ſacerdotis dicit ſcriptura: Erāt filij Belial, neſciētes DOMINVM, neq; officium ſacerdotum ad populū. Ac mox: Niſi dederis (inquiunt) carnem, tollam eā vi. Et Eſaias: Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. Populе meus, qui te beatum dicunt, (hoc præcipuè de ſacerdotibus & doctoribus Legis intelligendum eſt) ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Ac rurſus Oſeas: Audite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate, quia vobis iudiciū eſt, quoniā laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor. Ac iterum

Matth.23.

1.Reg.2.

Eſa.3.

Oſe.5.

Mala.2. Malachias: Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui, dicit *Hiere.2.* DOMINVS Zebaoth. Huc etiam facit Hieremias: Sacerdotes non dixerunt, vbi est DOMINVS, & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me, & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & secuti sunt idola. Quod igitur Christus ait: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, hoc ante ipsum dixerunt de sacerdotibus & interpretibus legis Prophetæ, ac imprimis hic Psalmus: Deuorant plebem meam, vt habeant, quod edant, (hoc est) omnia faciunt compendij sui gratia, vt opes opibus cumulent, nec est inter ipsos, (vt Malachias iterum dicit) qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito. Iam Christus etiam illud Psalmi: Deum non inuocant, repetit, cum ait: Prætextu prolixæ precationis. Ac iterum: Non quisquis mihi dicit, DOMINE Domine, introibit in regnum cœlorum. Ac mox: Confitebor illis, nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Sacerdotes enim ac Pharisæi, etsi Deum multis verbis inuocant, & longas preces recitant, quibus etiam pecuniam, prædia, principatus & regna ab alijs emungunt, tamen DOMINVM reuera non inuocant, quia non inuocant eum ex fide, sed ex impietate, nec precantur pro proximo ex affectu charitatis, sed ex affectu tam humanæ gloriæ, quàm auaritiæ, vt & ab hominibus commendentur, & opibus eorum ditentur. Quare non dicuntur precatores pietatis, sed operatores iniquitatis.

Deinde

Deinde trepidant, inquit, trepidatione, vbi non eſt trepidatio. Conuenit & hoc in ſacerdotes, & Legisperitos, qui docent humanas traditiones. Ac plane illud eſt, quod Chriſtus, tam ex hoc loco, quàm ex Eſaia repetit: Appropinquat, inquiens, mihi populus hic ore ſuo, & labijs me honorat, cæterùm cor eorum procul abeſt à me: ſed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Ad veram enim hominis iuſtificationem, neceſſarium eſt legem Dei prædicare & explicare, vt peccatum agnoſcatur, & via ad Chriſtum præparetur. Illi autem ſacerdotes & legesperiti non docent legẽ Dei, qua excitatur agnitio peccati, & vera propter peccatum trepidatio, ſed docent humanas traditiones, quibus auditores non ducuntur ad veram peccati agnitionem, ſed potius ad falſam iuſtitiæ perſuaſionem, & ad hypocriſin, vt ibi trepident, vbi non eſſet trepidandum, & ibi non trepident, vbi eſſet trepidandum. Virulento quiſpiam (exempli gratia) odio graſſatur in proximum, non tamen trepidat, nec numerat ſeſe in catalogo homicidarum coram Deo, quia ſacerdos ſeu Propheta non explicat ei legem DOMINI: Non occidas, iuxta veram ſententiam Spiritus ſancti. Quare ambulat in odio ſuo ſecuriſsimè, & arbitratur ſibi optimè cum Deo conuenire, ſi modo certis quibuſdam diebus ex humana traditione ieiunauerit. Alius quiſpiam conſueuit ferijs ſextis, quas ita vocant, à carnibus edendis abſtinere: quod ſi verò per imprudentiam ederit, immane, quanta hîc eſt trepidatio, perinde ac ſi parentem interfeciſſet. Et tamen ibi non *Eſa. 29.*

eſt

eſt trepidãdum, quòd non aduerſus diuinam legem, ſed tantùm aduerſus humanam traditionem pecca-
Matth.23. uerit: Vę (inquit Chriſtus) vobis, Scribæ & Phari-ſæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethũ, & cyminum, & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium, miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes. Reliquum igitur eſt, quòd etſi ſacerdotes & legiſperiti, ac hypocritæ, videntur, propter externam ipſorum hone-ſtatem, & doctrinæ eorum ſeueritatem, non conti-neri in catalogo illorum, qui dicunt in corde ſuo, non eſſe Deum, & qui facti ſunt coram Deo abomi-nabiles, tamen ſi & naturale ipſorum ingenium, & doctrinam eorum, quam ſibi relicti profitentur, re-ſpexeris, tantum abeſt, vt ſint innocentes, vt potius alijs duplo nocentiores deprehendantur.

Num autem impunè ferunt illi hypocritæ ſuam impietatem? Nihil minus, non videntur quidem in externam legis literam criminaliter delinquere, ſed grauiſsimè delinquunt in ſpiritum, & veram ſentẽ-tiam legis. Quid ergo ſupplicij manet eos? Deus, in-quit, diſsipat oſſa hypocritæ. Non ignoro, pro eo, quod nos tranſtulimus, Hypocritæ, apud Hebræos haberi חנך Hanoch, quod alij transferunt, obſiden-tis ſeu oppugnãtis te, videlicet, ô Hieruſalẽ, à verbo חנה Hanah, quod ſignificat obſidere, aut oppugna-re. Sed quid huic loco cũ oppugnatione vrbis Hie-ruſalem? Arbitror ergo initio ſcriptum fuiſſe חנף Honeph, quod ſignificat hypocritam, ſcribam autẽ quendam legiſſe alterum pro altero, & errorem eius

in

in alia exemplaria dimanaſſe. Cum igitur in his verſiculis tractetur de ſacerdotibus, Phariſæis, & hypocritis, qui impia ſua doctrina ſeducunt Eccleſiam Dei, viſum eſt ad hunc modum tranſferre: Deus diſsipat oſſa hypocritæ. Illud enim eſt ſupplicium impiorum ſacerdotum & hypocritarum, quòd Deus deijciat & peſſundet omnem autoritatem, dignitatem, virtutem, (hoc enim eſt diſsipare oſſa) ac potentiam ipſorum. Exemplum huius ſupplicij extat in filijs Heli ſummi ſacerdotis. Hi enim non ſolùm probarunt impietatem Iſraelitarum, verùmetiam adiuuerunt eam, & adduxerunt arcam fœderis DOMINI in caſtra Iſraelitarum. Quo arcæ abuſu Deus ita irritatur, vt nõ ſolùm tradat eam hoſtibus capiendam, verùmetiam obijciat ſacerdotes gladio hoſtium trucidandos, & non tam oſſa corporis, quàm omne robur dignitatis & autoritatis eorum conterendum, & conculcandum. Deinde: Nonne (inquit) pudefacies eos? Eſt & illud ſupplicij genus, quo Deus punit impietatem Phariſæorum & hypocritarum, quòd captẽt quidem doctrina & phariſaica ſua iuſtitia gloriam hominum, Deus autem notet eos perpetua infamia & ignominia, ac pudefaciat ipſos coram omnibus hominibus: Vos receſsiſtis, inquit DOMINVS apud Malachiã, de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui, propter quod & ego dedi vos contemptibiles & abiectos coram omnibus populis. Quid plura? Deus (inquit Pſalmus) abominatur & ſpernit eos. Conſidera mihi, obſecro, quantum impij doctores & hypocritæ ſpe ſua fruſtrentur? Promit-

1. Reg. 4.

Malach. 2.

tunt ſibi apud homines ſummum honorem, ſed iu-
dicante DOMINO, conſciuntur in ſummã ignomi-
niam. Promittunt ſibi apud Deum ſummum fauo-
rem, ſed ſunt apud ipſum in ſummo odio & abomi-
natione. Quod & ipſum Chriſtus haud obſcuris ver-
Matth. 23. bis ſignificat, cum ait: Væ vobis ſcribæ & Phariſæi,
hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis,
quæ foris quidem apparent ſpecioſa, intus verò ple-
na ſunt oſsibus mortuorum, omniq; ſpurcitia, &c.
Quare tantum abeſt vt ſacerdotes & hypocritæ exi-
mantur ab ea ſententia, qua omnes homines ſub in-
credulitatem & peccatum concluduntur, vt primi
omnium in ea contineantur. Quis ergo ſalutem
conſequetur? Quis vera iuſtitia & æterna vita per-
fruetur? ſequitur.

6. *Quis dabit ex Zion ſalutem Iſrael? cum Deus conuerterit captiuitatem populi ſui, tunc lætabitur Iacob, & exultabit Iſrael.*

Neceſſaria appendix, qua exponitur tandem,
quis verè ſit iuſtus, & in quo veram ac æternam
tranquillitatem ſeu felicitatem conſequamur. Poſt-
quam enim omnes homines ab Adamo propagati,
obnoxij ſunt peccato & condemnationi, ac inter hos
non vulgares tantùm homines, ſed etiam ſacerdotes
& hypocritæ, qui & ipſi vnà cum vniuerſo humano
genere ita ſunt natura ſua corrupti, vt ne vnus qui-
dem eorum ſit verè pius, & non dicat in corde ſuo,
non eſſe Deum, quæret quiſpiam, quis ergo ſa-
luus erit? quis cœleſtem felicitatem hæreditabit?

Hic

Hic oſtendit nobis vltimus huius Pſalmi verſiculus, verè iuſtum ſeruatorem & liberatorem, è quo omnis noſtra iuſtitia & ſalus ſit petenda. Iam olim enim diuinitus promiſſum erat, quòd filius virginis, qui eſt Chriſtus, contriturus eſſet caput ſerpentis, & quòd in ſemine Abrahæ, quod & ipſum eſt Chriſtus, benedicendæ eſſent omnes gentes. Nec hoc ſolùm promiſſum erat, ſed etiam patefactum, quòd Chriſtus concionaturus eſſet Euangelion ſuum in Zion, ſeu vrbe Hieruſalem, & ibi ſacrificium ſuum peracturus, vt ex eo loco prædicatio Euangelij ſpargeretur in vniuerſum mundum, iuxta illud Pſalmi ſecundi: Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Zion montem ſanctum eius. Et Pſalmi 132. Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem ſibi. Et Eſaiæ, ac Micheæ: De Zion exibit lex, & verbum DOMINI de Hieruſalem. Quod autem promiſsio dicit de contritione capitis ſerpentis, & de benedictione gentium, non eſt propriè intelligendum de externa aliqua & corporali, ſed de æterna & ſpirituali ac cœleſti benedictione. Poſtquam enim peccatum intrauit in mundum, aſtu ſatanæ, intrauerunt etiam cum eo omnia genera maledictionum, vt homo peccato obnoxius, factus ſit captiuus ſatanæ, mortis, inferni & perpetuæ condemnationis. Hæc captiuitas ſuperat immenſo interuallo captiuitatem Ægyptiacam, Aſſyriacam, Babylonicam, & omnes alias terrenas, quibus Iſraelitæ afflicti fuerunt. Quare, etſi ſeruatores, qui Iſraelitas ex his captiuitatibus liberarunt, fuerunt eis gratiſsimi, &

Eſa. 2. Mich. 4.

contulerunt in ipſos magna beneficia, tamen hæ liberationes nullo modo poſſunt cum liberatione è captiuitate peccati, ſatanæ, mortis, inferni, ac æternę condēnationis conferri. Quod cum ita ſe habeat, & vniuerſum humanum genus huic captiuitati obnoxium ſit, attollit hic vltimus verſiculus oculos ſuos in cœlum, & optat ac petit, vt vel tandem adueniat verus ſeruator & liberator ex Zion, qui populum ſuum ex hac miſerrima captiuitate eripiat, & expiato peccato, ac deuicto ſatana, reducat in æternam iuſtitiam, vitam & felicitatem: Quis dabit, inquiens, ex Zion ſalutem Iſraeli? (hoc eſt) video, ſentio, intelligo, nullum prorſus eſſe inter homines ab Adamo propagatos, qui peccatum expiet, & ſeruet nos æterna ſalute. Suſpicio igitur in cœlum, & opto ac peto, vt DOMINVS Deus noſter mittat filium ſuum, Meſsiam ſeu Chriſtū nobis promiſſum, qui abſoluat ſacrificium ſuum pro peccatis in Zione, & liberet nos è duriſsima omnium ſeruitute atq; captiuitate. Tenet nos captiuos peccatum, & propter peccatum, ſatan, mors & infernus: qua captiuitate, quid poteſt eſſe miſerius & calamitoſius? nec poſſumus vllam tranquillitatem mentis aſſequi, dum hac captiuitate oppreſsi ſumus. Poſtquā autem DOMINVS Deus noſter conuerterit hanc captiuitatē, (hoc eſt) miſerit Meſsiam filium ſuum, & expiauerit peccatum, ac liberauerit nos è vinculis ſatanæ, ac mortis & inferni, tunc lætabitur Iacob, & exultabit Iſrael. Nomine autē Iacob, & Iſrael, intelligitur Eccleſia populi Dei, quæ non poteſt vllam pacem conſcientiæ, vllam tranquillitatem animi,

animi, vllam lætitiam & exultationem cordis corã Deo habere, niſi agnoſcat per fidem, quòd captiuitas eius ſit per Chriſtum ſoluta.

Hic poſtremus Pſalmi verſiculus memorabile eſt vaticinium de Chriſto reuelando in Zione, quo admonemur, partim, vt cognoſcamus quanto deſiderio alumni veteris Eccleſiæ expectarint, in agnitione peccati, aduentum Chriſti in carnem, quo vera iuſtificatio patefieret: partim, vt & nos ſciamus, quò nobis in tentationibus de peccato, & morte ſit confugiendum: nam præter nomen Chriſti, non eſt aliud ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus paucis comprehendit, & perſpicuè exponit, quod actum eſt in monte Sinai. Poſtquam enim Iſraelitæ euaſerant ſeruitutem Ægyptiacam, & peruenerant ad montem Sinai, Deus reſpexit de cœlo (quod hic Pſalmus dicit) ſuper filios hominũ, & recitauit Decalogum, vt videret, num ſit intelligens, & requirens Deum, ſed comperit omnes receſsiſſe ſimul, ac fœtere coram ipſo, & ne vnum quidem eſſe, qui faciat bonum: per legem enim agnitio peccati. Deinde, non tantùm recitauit Decalogum, verùmetiam, cum dicerent ad Moſen: Loquere tu nobis, & audiemus: nõ loquatur nobis DOMINVS, ne forte moriamur, addit concionem de Chriſto: Prophetam, inquiens, ſuſcitabo eis, de medio fratrũ ſuorum, ſimilem tibi, & ponã verba mea in ore eius:

Exod. 20.

Deut. 18.

loqueturq; ad eos omnia verba, quæ præcepero illi. Hæc est concio de Christo, sicut eam interpretatur Stephanus, Act. 7. De his duabus concionibus admonet nos hic Psalmus, vt sciamus, quòd quandocũque recitatur Decalogus, Deus respiciat de cœlo, & arguat nos omnes peccati: quandocunq; autem recitatur Euangelion de Christo, Deus testificetur se esse veracem, & reipsa impleuisse, quod vltimus versiculus huius Psalmi vaticinatus est. Misit enim Christum filium suum, & reuelauit eum in Zione, vt quotquot in ipsum credunt, habeant remissionem peccatorum, & exultent in ipso perpetua felicitate.

Psalmus 54.

DOMINE, in nomine tuo saluum me fac, &c.

INscriptio huius Psalmi cõmonefacit Lectorem de historia, quæ scripta est in priori libro Samuelis, cap. 23. & 26. Dauid enim fugatus à Saule in exiliũ, latuit in deserto Ziph, & quanquam accepit ibi à Ionatha filio Saulis, magnam consolationem, qui & iniit cum ipso fœdus: Ne timeas, inquiens, neque enim inuenient te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, &c. tamen, cum à Ziphæis semel & iterum prodes-

proderetur Sauli, adijt in illis locis extrema pericula, vt etiam animum de conseruanda vita sua despõderet: Dauid, inquit scriptura, desperabat se posse euadere à facie Saulis, erat enim ab exercitu Saulis in modum coronæ ita cinctus, vt nullus pateret ei locus effugiendi. Deinde excitatus heroico spiritu, ingressus est, vno tantùm comite Abisai, in castra Saulis, & abstulit hastam & cyphum aquæ, à capite dormientis. Quo certè periculo exposuit se præsentissimæ, vt videbatur, morti: & tamen seruatus est in vtroque periculo, mirandis modis. Num autem arbitraris eum tanta pericula, temerè, & absque inuocatione diuini nominis adijsse, & euasisse? Nihil certè minus, qui dicit: Oculi mei SEMPER ad DOMINVM, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Et: Sicut oculi seruorũ in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad DOMINVM Deum nostrum, donec misereatur nostri. An existimas eum in aditu tantorum periculorum à precibus cessasse, & dormitasse? Quod ergo tum in animo suo secum ipse pluribus cogitauit, aut etiam ore multis verbis & suspirijs commemorauit, hoc postea paucis, in epitomen huius Psalmi, ac quodammodo ὑπομνήματι tam mirandæ liberationis contulit.

Psalm.25.

Psalm.122.

1 *Deus, (inquiens) per nomen tuum serua me, & per potentiam tuam vindica me.*

2. Deus

2. *Deus audi precationem meam, auribus percipe verba oris mei.*

Hi duo primi verſiculi continent ſententiam inuocationis Dauidicæ in periculis ſuis. Primùm ergo, quem, quæſo, inuocat? Non inuocat hominem quendam, quòd nullus potuerit ipſum ſeruare, & liberare: non inuocat idolum quoddam Gentiũ, quòd ea idola aures habeant, & non audiant, os habeant, & non loquantur: ſed inuocat verum DOMINVM Deũ noſtrũ, qui vt ſolus verè audit preces noſtras, ita etiam ſolus agnoſcit & expendit anguſtias & dolores animi noſtri. Deinde inuocat Deum, non per nomen Abrahæ, aut Moſi, nec propter merita Patriarcharum, aut per potentiam & fortitudinem vel Ioſuæ, vel Gideonis, vel Simſonis, ſed tantùm per nomen ipſum Dei, & per potentiam eius. Quod eſt ergo nomen illud Dei, per quod Dauid Deum inuocat? & quæ eſt illa Dei potentia, per quam petit ſe ſeruari & vindicari? Nomen Dei non aliud eſt, quàm Deus ipſe. Quid ergo eſt Deus? ſi dixeris Deũ eſſe clementem, miſericordem, veracem, iuſtum, ſeruãtem promiſſi, ſeruatorem & auxiliatorem in aduerſis, aliquid quidem dixeris, ſed nondum ſatis dictum eſt. Vt autem dicas, quantum balbutire poſſis, dicito Deum eſſe clementiam ipſam, miſericordiam ipſam, veritatem, iuſtitiam, ſalutem & redemptionem ipſam. Quare, cum Dauid inuocat Deum per nomen eius, petit, vt Deus ſeruet ipſum, non propter aliquod humanum meritum,

aut

aut propter iuſtitiam aliquam operum, ſed tantùm mera & gratuita Dei clementia & miſericordia, ac propter ſolius eius veritatem & iuſtitiam. Deus enim clementer & gratuitò promiſit, ſe inuocantibus ipſum adfore in periculis, & preces eorum exaudire, vt ſeruentur. Eſt autem Deus veritas & conſtantia ipſa. Inuocatus igitur ex fide, teneri non poteſt, quin gloriam nominis ſui tueatur, &, quod audit, verax in promiſsis ſuis inueniatur. Idem dicendum eſt de potentia Dei, qua Dauid petit ſe ſeruari, & vindicari. Potentia enim Dei eſt Deus ipſe, Deus autem non eſt impotens quæpiam creatura, ſed eſt omnipotentia ipſa, & creator rerũ omnium robuſtiſsimus, qui metitur aquas pugno, & põderat cœlos palmo, ac appendit tribus digitis molẽ terræ, & librat in põdere montes, & colles in ſtatera. Inuocat igitur Dauid Deum, vt iuuet ipſum, non humana aliqua potentia, tantum enim eſt periculum, vt ad hoc depellendum nullæ humanæ vires ſufficiant, ſed vt iuuet ipſum cœleſti & diuina adeoq; omnipotenti robore ac virtute. Poſtremò, inuocat Deum, non vna tantùm dictione, ſed plurimis verbis: Deus, inquiens, ſalua me. Et vt videas eum ſeriò precari: Deus, inquit, vindica me. Nec hîc ſubſiſtit, ſed pergit & addit: Deus audi precationem meam. Et amplius: Percipe, inquit, verba oris mei. Vides igitur, nihil hîc frigido, ſed ardentiſsimo omnia affectu agi, quem, vt aliquo modo exprimat, repetit ſubinde eandem mutatis tantùm verbis ſententiam. *Eſa. 40.*

Sed quod eſt periculũ illud, quod Dauidẽ ad tantas

precationis vehementiam excitauit? Sequitur.

3. *Quoniam abalienati insurgunt aduersum me, & tyranni quærunt animam meam, non ponunt Deum ob oculos suos.*

Vbi nos transtulimus, abalienati, ibi apud Hebræos alij legunt זרים Zarim, per literam Res, & significat alienos, alij legunt זדים Zedim, per literam Daleth, & significat superbos. Vtcunque autem legatur, certè per hoc vocabulum significantur Ziphæi, proditores Dauidis, sicut & nomine tyrannorum significātur Saul & Satrapæ eius, qui in exitium Dauidis cōspirarunt. Dicit ergo Dauid, se idcirco tanta vehementia opem Dei inuocare, propterea quòd versetur in summis periculis. Contulit enim se in eremum Ziph, & sperauit se habiturū ibi latebras tutissimas, sed considera mihi, è quanta spe deciderit. Primum enim Ziphæi, quos nec verbo nec facto vnquam læserat, venantes fauorem & beneuolentiā Saulis, cōfisi ac elati felicitate eius, intantum à Dauide fugitiuo & exule abalienantur, vt etiam prodant eum Sauli, & quod in ipsis est, lanienę eius tradant. Deinde, Saul & Satrapæ eius tanta tyrannide in eum grassantur, vt quoquo modo possunt, vitæ eius insidientur, & cupiant ipsum, nulla habita nec Dei, nec innocentiæ eius ratione, prorsus oppressum & extinctum. Sic enim cinxerunt eum in modum coronæ, vt & ipse nullam prorsus videat euadendi viam, & ipsi certissimè arbitrentur, se iam gladium suum in iugulum eius infi-

g re,

gere. Quod ergo maius vitæ eius periculum immi-nere posset? Admoneamur autem ex hoc versiculo, quòd quò præsentius est periculum & grauius, eò vehementius inuocandus sit Deus, nec est aptius & conuenientius inuocandi Dei, & impetrandi cœ-lestis auxilij tempus, quàm cum res ad triarios, vt dici solet, rediit, & omnia videantur conclamata. Eo quidem ingenio est humana ratio, vt tum præ-cipuè defatigetur in inuocatione Dei, & remit-tat manus, cùm intelligit nullam humanam opem reliquam esse. Spiritus sanctus autem tanto magis accenditur & inflammatur, quanto plus caro se eua-dere posse desperat, nouit enim ibi diuinum auxili-um incipere, vbi humanum desinit, & DOMINVM *Psal. 34.* iuxtà esse ijs, qui tribulato sunt corde. Quare Dauid nõ idcirco abijcit preces, quòd proditus à Zipheis, cingatur ab hostibus in modum coronæ, sed potius confirmat spem suam, desperans quidem de seruãda vita corporali, iuxta carnem, certissimè autem iux-ta spiritum confidens, quòd Deus conseruaturus sit ipsum mirando modo. Vnde & addit.

4. *Ecce Deus adiuuat me, Dominus suſtentat animam meam.*
5. *Retorquebit malum in aduersarios meos, per veritatem tuam disperde eos.*

Ziphæi (inqt) blandiloquẽtia Saulis à me abalie-nati, insurgunt aduersus me proditione, Saul & Sa-trapæ eius quærũt animam meam, nec curant, quàm impiè me persequantur & opprimant. Ego teneor

penè captiuus in medio capitalium meorum hostium: & tamen nec animum, nec preces abijcio. Etsi enim homines persequuntur me, tamen Deus adiuuat me: etsi homines quærunt animam meam, tamē Dominus sustentat & conseruat eam. Nec tantùm me conseruat, sed etiam retorquebit malum, quod inimici mei aduersus me cogitant, in caput ipsorum, & disperdet eos iuxta veritatem, seu certitudinem promissionis eius. Quæramus igitur, vnde Dauid in medijs periculis tantam spei πληροφορίαν hauserit, vt non solùm certissimè credat se manus hostium euasurum, verùmetiam videat aduersarios suos turpiter perituros: Fides, inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Audijt ergo Dauid tam generales, quàm peculiares promissiones verbi Dei, quibus animus eius per Spiritum sanctum ita confirmatur, vt etiamsi ambulauerit in medio vmbræ mortis, non tamen metuat interitum.

Generalis promissio est, Deu. 20. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia DOMINVS Deus tuus tecum est, & mox: DOMINVS Deus vester in medio vestri est, & pro vobis, contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.

Peculiariter autem Deus promiserat Dauidi defensionem & tutelam, cum à Samuele vngeretur diuino mandato in regem Israelis, iuxta illud Psalmi 78. Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum.

Ac paulò antè Ionathas filius Saulis confirmauerat

rat animum Dauidis: Ne timeas, inquiens, neque enim inuenient te manus Saulis patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael. 1. *Reg.* 23.

Deinde accedebant etiam, præter promiſsiones admiranda exempla, quibus Deus perſpicuè teſtabatur, ſe Dauidem, etſi nondum regnantem, tamen iam ad regnum deſtinatum, ſingulari cura & ſtudio conſeruare & tueri: Leonem, inquit Dauid, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus. Erit ergo & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis. Quid, quòd cum mitteretur à Saule ad afferenda centum præputia Philiſthinorum, pro ſponſalibus, & cum Satellites Saulis cuſtodirẽt eum in domo ſua, ne elaberetur, quàm mirabiliter ſeruatus eſt? His & id genus alijs, tum promiſsionibus Dei, tum exemplis, Dauid in corde ſuo munitus, potuit plena fiducia dicere: Ecce Deus adiuuat me, & ſuſtentat animam meam, ac retorquet malum in caput inimicorum meorum, vt etiamſi conſiſtant aduerſus me caſtra, tamen non metuam interitum, quoniam TV mecum es. Sed quam referes Deo gratiã, pro tanta eius erga te beneuolentia? Sequitur. 1. *Reg.* 17. 1. *Reg.* 18. 1. *Reg.* 19.

6. *Liberaliter ſacrificabo tibi, gratias agam nomini tuo, quia bonum eſt.*

7. *Quoniam ab omni afflictione liberas me, vt voluptatem ex inimicis meis capiam.*

Hæc eſt vſitata in Pſalmis compenſatio pro beneficijs Dei, videlicet, quòd pro maximis beneficijs ſecipiant ſe ſpontanea ſacrificia oblaturos, & nomẽ

Leuit.7. DOMINI laudibus profecturos. Notæ sunt in Leuitico libro species sacrificiorum, quæ vel ex voto, vel spontanea voluntate, ad testificandam animi sui gratitudinem, pro acceptis à Deo beneficijs, suscipiuntur. Etsi autem hæc suum habuerunt vsum Leuiticis temporibus, tamen non sunt tanti momenti, vt vel per se Deo placeant, vel beneficia Dei compensare queant, sed sunt qualescunq; significationes illius gratitudinis, quæ Deo totius vitæ tempore, tam verbis, quàm factis præstanda est, vt & nomen DOMINI quibuscunq; possumus laudibus celebremus, & gloriam eius optimis quibusq; exemplis illustremus. Agam, inquit, gratias nomini tuo. Quid ita? quia nomen tuum bonum, seu amabile est. Nomẽ enim Dei est clementia, (quemadmodum paulò antè ostendimus) misericordia, veritas, iustitia, probitas, constantia in promissis, longanimitas, & quicquid nomine virtutis & honestatis venit. His autem quid melius? quid amabilius? Quæ si de Deo prædicantur, excitant homines, vt Deum agnoscant, Deo credant, in Deum sperent, & Deum omni officiorum genere colant. Hæc illa sunt, quæ Deo pro acceptis beneficijs, & gratiarum actione præstanda sunt. Facilè quidem est bouem aut ouem in sacrificium mactare, sed Deo in promissis suis fidem adhibere, in Deo omnem spem & fiduciam suam collocare, & tam doctrina, quàm exemplo suo alijs prælucere, vt & ipsi credant, sperent, & in mandatis Dei ambulent, hoc demum operæ precium est. Quare, cum Spiritus sanctus exigit sacrificium laudis, & gratiarum actionis, sciamus

eum

cum ſummas virtutes, & præſtantiſsima veræ pietatis officia exigere. Quòd autem iterum addit, ſe idcirco gratias Deo agere, propterea quòd ipſum ab omnibus afflictionibus ita liberet, vt etiam voluptatem ex interitu inimicorum capiat, amplificat beneficium liberationis, vt agnita beneficij magnitudine, ad maiorem gratitudinem Deo præſtandam excitetur. Initio enim, tu DOMINE Deus meus, liberaſti me hactenus, non ex vna tantùm afflictione, ſed ex innumeris, quæ mihi ab ineunte ætate acciderunt. In paſtoritia vita, quas ibi ærumnas non vidi? Si quando Leo aut Vrſus irrueret in gregem patris mei, quanta hîc pericula adij? Obiectus poſtea ſum Goliathi, Philiſthinorum ferociſsimo. Quid mihi mali hîc non minabatur? In aula regis Saulis, quoties, obſecro, de vita ſum periclitatus? In exilio, quid terroris non ſuſtinui? Et tamen Deus ex his omnibus me clementer & potenter liberauit. Deinde, Deus non tantùm ſeruauit me in præteritis aduerſis, verùmetiam nunc in præſentia me tuetur, ne peream, etiamſi Ziphæi me capitali meo hoſti prodant, & exercitus Saulis me, tanquam ſtatim mactandum, concludat. Hæreo nunc in deſerto, cum paucis meis amicis, circumſeptus vndique crudeliſsimis meis hoſtibus, vt prorſus nulla mihi euadendi via pateat. Quid ergo fit? Vt præſentiſsimam opem Dei reipſa comperiam, excitat Deus Philiſthinos, vt grailentur in terram Iſrael: & Saul neceſſe habet me deſerere, ac vnà cum exercitu ſuo obuiam ire Philiſthinis,

quo

quo mihi via ad fugam aperiatur. An hoc non est insigne Dei beneficium? Postremò, Deus non tantùm liberauit me è præteritis aduersis, nec solùm in præsentia me liberat, verùmetiam his mirandis liberationibus testificatur, tanquam certissimis sigillis, se me deinceps in futuris periculis, non ex vna tantùm, & altera, sed etiam ex omnibus afflictionibus clementer liberaturum. Idem scribit Paulus de
2.Cor.1. suis periculis: Ipsi, in nobis ipsis, inquiens, sententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qui ad vitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit, in quo spem fixam habemus, quòd etiam post hac erepturus sit. Vides ne quo studio de clementia Dei & beneficijs eius cogitandum sit. Paulus consentiens cum Dauide: Eripuit (inquit,) & eripit, & erepturus est: præterita gratus commemorat, præsentia obedienter agnoscit, futura firmiter sperat. Discamus igitur exemplo eorum, ex præteritis Dei beneficijs fidem in præsentibus periculis confirmare, & certam spem de futura quoq; liberatione concipere: in hunc enim vsum positi sumus, ad hæc exercitia vocati sumus, vt Deum fide & spe colamus, & ei obedientiam nostram probemus. Cæterùm, quod in fine addit, se ex aduersis suis ita liberari, vt etiam ex interitu inimicorum suorum, qui aduersa inferunt, voluptatem capiat, (hoc est) se seruari, inimicos autem perire, nõ insultat petulanter infelicitati aduersariorum suorum, sed commendat insignem Dei erga se clementiam, quòd etsi ipse precatur aduersarijs suis meliorem mentem, & resipiscentiam, tamen, quia ipsi per-

gunt

gunt furere, & cum verbo Dei pertinaciter pugnare, agnoscat immensam Dei erga se bonitatem, qui malit in impios aduersarios seueriter animaduertere, & eos mundo deridendos propinare, quàm ipsum in afflictionibus deserere.

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut Abraham proponitur nobis in exemplum fidei, quòd præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarum gentium, ita & Dauid proponitur in exemplum inuocandi Dei in omni genere, tam corporalium quàm spiritualium afflictionũ, quòd & ipse præter spẽ sub spe nõ tantùm inuocauerit opem Dei, in aduersis suis, verùm perseuerauerit quoq; in inuocatione, etiãsi nulla vsquàm humana liberationis ratio affulgeret. Intuere mihi vel saltẽ hũc Psalmum, quem in præsentia breuiter percurrimus. Inscriptio Psalmi docet, Dauidem, regi Sauli, capitali hosti eius, perfidè proditum: ac testatur historia, quòd ex ea proditione, Dauid in tantas angustias peruenerit, vt desperaret se posse manus Saulis euadere. Et tamen non abijcit inuocationem, sed quò propinquior est interitus, eò ardentior fit precatio, donec præter omnem humanam spem & expectationem perrumpat, & è laqueis inimici euadat. *Rom. 4.* *1. Reg. 23.*

Dices autem, Dauidi hoc diuinitus contigit, mihi autem non idem sperandum est, Dauid enim, secundum cor Dei electus est, & vt scriptura inquit, custodiuit mãdata Dei, & secutus est hactenus toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu *3. Reg. 14.*

Dei, ego autem fortaſsis non ſum electus ſecundum cor Dei, nec memini vnquam me mandata Dei toto corde ſecutum eſſe: quomodo igitur poſſem exemplo Dauidis, Deum in aduerſis inuocare, & bene ſperare? Sed caue his iaculis (quæ ſunt iacula Spiritus ſatanæ, non Spiritus ſancti) ab inuocatione deterrearis. Primum enim, non de vno tantùm Dauide intelligendum eſt, quod dicitur: Omnis, qui inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus
Rom. 10. erit, ſed de omnibus, ſiue Iudæis, ſiue Græcis: non enim eſt diſtinctio: nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes ſe. Deinde, quod de electione Dei prætexis, arbitraris ne vnum Dauidem, & paucos quoſdam alios, ſecundum cor Dei electos? Hîc ergo conſidera mihi, quomodo Deus patefecerit cor ſuum, vt ex eo cognoſcas, num & tu ſis ſecundum cor Dei electus, Deus enim patefecit omne cor ſuum, in vnigenito filio ſuo, DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, vt quotquot hunc agnoſcunt, & in hunc credunt, ſint ſecundum cor Dei electi: Hic eſt, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, Hunc audite. Ac rurſus: Sicut exaltauit Moſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, OMNIS (inquam) qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quare, ſi te in Chriſto inueneris, (inuenis autem te in ipſo, ſi in eum crediderís) inuenies quoque te in corde Dei electum & dilectum. Accedit & illud, quòd Deus patefecerit etiam cor ſuum, inſtitutione Sacramentorum, Baptiſmi & Cœnæ dominicę. Hæc enim Sacramenta in hoc ſunt inſtituta, vt quod generaliter

Euangelio

Euangelio promittitur, hoc peculiariter vnicuique priuatim applicetur. Euangelion dicit: Omnis, qui credit in Christum, non perit, sed habet vitam æternam. Sed ne arbitreris Deum aliud corde gestare, aliud verbis policeri, iubet te Baptismum suscipere, & Cœna dominica vti, vt his Sacramentis tibi priuatim testificetur, se non Dauidem tantùm, non Ioannem Baptistam tantùm, non Petrum tantùm, verùmetiam te ipsum ex corde suo, in filium suum adoptare, & in participatum corporis & sanguinis vnigeniti filij sui assumere. Quid ergo de electione tui dubitas? Non deerit tibi Dei electio, si nõ defuerit tibi fides: Omnis, qui fidit illi, dicit scriptura, non pudefiet. Postremò, si te ab inuocatione remorantur peccata tua, quæ multa & magna designasti, cogita vicissim, Christum ad hunc vsum venisse, vt multa & magna peccata expiaret: Certus sermo, inquit Paulus, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Ac scriptum quidem est de Dauide, quòd custodierit mandata Dei, toto corde: hoc autem non est intelligendum de corrupta eius natura, qua fatetur ipse in peccatis se conceptum & natum: nec intelligendum est de omnibus operibus eius. An non manifestum est, quantum peccauerit, adulterio & homicidio? Et cum hunc Psalmum, in periculo, quod ipsi à proditoribus Ziphæis creatum erat, recitaret, nondum de tali adulterio & homicidio, ne per somnium quidem cogitauit. Existimas autem Deum hæc peccata in ipso, præsentia non vidisse? An non etiam futura omnia sunt præsentia

Rom.10. *Esa.28.* *1.Tim.1.*

Deo? Quid eſt, quantumuis remotũ, ab ipſo abſconditum? Vidit ergo Deus Dauidem iam tum quoq; adulterum & homicidam, cùm hoc Pſalmo Deum inuocaret, & tamen non eſt auerſatus preces eius. Quid ita? Quia Deus iudicat populum ſuum, non
Rom. 9. ex operibus, ſed (vt Paulus ait) ex FIDE. Credidit enim Dauid Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, etiamſi & carnem adhuc geſtabat, & ex carne adulterium ac homicidium deſignaturus erat. Intelligamus igitur Dauidem cuſtodiſſe mandata Dei, toto corde, non natura ſua corrupta, non omnibus ſuis operibus, imò nullis operibus. Quis enim eſt, qui de operibus ſuis dicere poteſt Deo, Intres in iudicium cum ſeruo tuo? Sed cuſtodijt mandata Dei, tota CORDIS ſui (quantum quidem in hac carnis imbecillitate per gratiam Dei præſtari poteſt) FIDE. Corde enim creditur ad iuſtitiam; ore autem fit confeſsio ad ſalutem. Quod, cum ita ſe habeat, non abſterreant nos ab inuocatione peccata noſtra, vel præterita, vel præſentia in carne, vel futura, ſed reijciamus ea omnia in ſanguinem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & pergamus Deum, exemplo Dauidis confidenter inuocare, etiamſi cœlum, terra, & infernus minentur nobis præſentiſsimum exitium. Stat enim fixum & firmum: OMNIS, qui inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit.

Pſalmus

Psalmus 55.

Exaudi Deus orationem meam.

QVI in exponendis, & ornandis sanctorum Dei laudibus faciunt eos aut in actionibus prorsum innocentes & irreprehensibiles, aut in passionibus partim ἀπαθεῖς & stupidos, partim summo semper gaudio perfusos, pessimè mihi de vniuersa Ecclesia Christi mereri videntur. Nam, cùm humana natura peccato corruptior sit, quàm quæ possit, etiam in ijs, qui per Spiritũ sanctũ renati sunt, perfectam in hac carne obedientiam Deo præstare, & imbecillior, quàm quæ sine ingenti dolore, ac multis suspirijs, gemitibus, querelis & lachrymis aduersa perferre queat, cogitare solent tantarum laudum auditores, quamuis pij, se, quia vident proposita sanctorum exempla assequi se non posse, à Deo abiectos esse, & ad Ecclesiam sanctorum haudquaquam pertinere. Quid enim de consequenda salute non dubitaret ille, qui cùm grauitate persecutionis præoccupatus abnegasset filiũ Dei, & sacrificasset idolo, audiat in desiderio agendæ pœnitentiæ, & recipiendi se ad Ecclesiam Christi, doctorem de abnegatione Petri ita differentem, vt suscipiat probandum, Petrum fuisse sanctiorem, & in vera pietate constantiorẽ, quàm qui verè Christum abnegauerit? Aut quam cœlestis gaudij hæreditatem

ditatem expectaret is, qui audiat vel Stephanum, vel Iacobum, vel Paulum ita commendari, vt in sus ferenda morte, non solùm animo non doluerint, ve rùmetiam corpore iactus saxorum, aut ictus gladio rum, tanquam attactum caudæ vulpinæ, aut læuis simarũ plumarum exceperint? ipse autem in fremi tu hostium piæ doctrinæ, tanta mortis formidine corriperetur, vt toto tam corpore quàm animo co horresceret? Quare, qui sanctorum innocentiam aut fortitudinem ita prædicant, vt nihil humanarum sordium, aut imbecillitatum eis relinquant, de sperationis magis, quàm fidei exempla propo nunt.

Spiritus sanctus autem longè aliter de sanctis Dei concionatur. Non enim tribuit eis falsas laudes, nec affingit eis alienas virtutes, sed scapham vocat scapham, & ligonem, ligonem. Primùm enim non solùm inuoluit eos in communem humani generis massam, quæ peccato ita fermentata est & corrupta, vt verè dicatur: Omnis homo mendax, &: Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem: sed etiam, si quæ insignia aut immania scelera designauerint, ea tantum abest, vt cælet, aut extenuet, vt coloribus suis illustrata, vniuerso orbi conspicienda obijciat. Quæso te, vide mihi, quàm sit copiosus in describendo adulterio & homicidio Dauidis. Potuisset paucissimis verbis dicere, Dauidem imbecillitate præoccupatum, coniunxisse se cum aliena muliere, & ne quem offenderet, curasse, vt maritus eius hostium manu caderet, quò liceat ipsi mulierem in vxorem ducere, & erratum suum coniugio

corri

corrigere. Sed non contentus breui scelerum indicatione, commemorat omnem rem gestam diligentissimè, & exponit grauiter non tantum scelera ipsa, sed etiam, quæ secuta sunt, supplicia. In recensenda Petri abnegatione, quàm prolixus est, & differtus? Diceres eum in commemorandis sanctorum vitijs delectari potius, quàm dolere. Sed suo id consilio, eoq; optimo & rectissimo facit, quod paulò pòst suo loco exponemus. Deinde, cum à sanctis Dei singularis quædam animi fortitudo in perferendis aduersis expectetur, recitat de ipsis Spiritus sanctus tantam imbecillitatem, vt quemadmodum in designandis sceleribus nullum inter ipsos, & extremè peruersos, ac damnatos, discrimen videtur, ita in sustinendis ęrumnis nihil planè à desperatis differre existimes. Proprium esse fortitudinis & magnitudinis animi aiunt, nihil extimescere, mortem doloremq; contemnere. Sed videas in sacris literis sanctos Dei in metu periculorum, & ad conspectum mortis ita expallescere ac trepidare, vt diceres Ethnicos, & à Christo alienos celsiori ac fortiori animo aduersa & mortem pertulisse. Christus ipse, vnigenitus & æternus filius Dei, cùm crucem & mortem sibi imminentem cum animo suo reputaret, tanta est tristitia, tanto mœrore affectus, vt non solùm sanguinem sudaret, verùmetiam publicè exclamaret: Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti? Quid ergo mirum, quòd & Dauid, alioqui heroico animo præditus, aduersis ita concussus & perturbatus est, vt metum et terrorem suum ingenuè confiteatur:

Formido,

Formido, inquiēs, mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, vt auolarem, & alicubi requieſcerem?

Cum igitur à vero plurimùm aberrent, qui affingunt ſanctis Dei Stoicam duritiem, & Spiritus ſanctus rectè conſulat ſaluti Eccleſiæ Dei, cum imbecillitatem ſanctorum vniuerſo orbi cōſpicuam reddit, viſum eſt etiam hunc quinquageſimum quintum Pſalmum Dauidis explicatione percurrere, vt cognoſcamus ex eo, quòd Eccleſia Dei, tunc verè fortis ſit & excelſa, cum videtur eſſe imbecillis & abiecta: & vt ſciamus, quòd tunc maximè Eccleſiæ ſanctorum Dei conformes ſimus, cùm metu, horrore, & trepidatione in aduerſis percellimur, tantum abeſt, vt exiſtimandum ſit, nos propter animi imbecillitatem ab Eccleſia alienos eſſe.

Conſideremus autem primùm omnium, qua occaſione excitatus ſit Dauid, ad ſuſcipiendam huius Pſalmi precationem. Alij ſentiunt Dauidē his mortis horroribus, qui in hoc Pſalmo recenſentur, perculſum fuiſſe, cum propter perfidiam & proditionē
1. Sam. 23 ciuium Ceilanorum, quos paulò antè à Philiſthinorum incurſione liberauerat, neceſſe habuit ciuitatem eorum deſerere, & ſalutem ſibi fuga quærere, quæ hiſtoria ſcripta eſt in priori libro Samuelis cap. 23. Alij exiſtimant Dauidem in hoc Pſalmo multò magis DOMINI noſtri IESV CHRISTI, quàm ſuos ipſius horrores commemorare. Alij malunt ad vniuerſam Eccleſiam CHRISTI, quàm vel ad Dauidē, vel ad Chriſtum referre. Quæ omnia tum rectè &

pię

piè dicuntur, cum de alteris ſic intelligas, vt tamen alteros non excludas. Veriſimile enim eſt, quòd Dauid, cum fugeret è ciuitate Ceila, maximo metu mortis contremuerit. Nec eſt obſcurum, quãta mortis formido ceciderit in CHRISTVM ipſum, cum imminentem crucem ſibi ob oculos poneret, & quid mali non tantùm ab hoſtibus ſuis, ſed etiam à Iuda Apoſtolo ſuo pertulerit. Et res ipſa oſtendit, tam amicos, quàm inimicos conſpicere ſæpenumero Eccleſiam in tantas animi anguſtias, vt vel in deſertis habitare, vel mortem oppetere, quàm inter homines tam ſceleratos & immanes, in his terris vitam agere malit. Sentiamus igitur, Dauidem non ſolùm eo tempore, quo fugit è Ceila, verùmetiam aliâs ſæpè, cum vel demittebatur ab vxore in ſporta per feneſtram, vel circumdabatur ab exercitu Saulis in deſerto Maon, vel eijciebatur à ſuo ipſius filio Abſolom in exilium, tanto metu ac terrore obrutum fuiſſe, vt quò ſe verteret, neſciret, ac ſe iam faucibus mortis deuorandum exiſtimaret.

Non ſolus autem Dauid hoc affectu laborauit, ſed ſicut etiã Chriſtus filius Dei hunc affectum in ſe ſuſcepit, ita & obnoxia eſt ipſi vniuerſa eius Eccleſia. Quare ſciamus, Dauidem quidem initiò hunc Pſalmum de ſuo ipſius affectu, quem in aduerſis habuit, cantare, Spiritum ſanctum autem reſpicere etiam in Chriſtum & vniuerſam Eccleſiam eius: vt pius quiſque cognoſcat, quòd, cùm propoſitis periculis ſentit ſe eodem affectu perturbari, in eodem et a n. orpore Chriſti & Eccleſiæ eius comprehen-

datur, & eandem quoq; liberationem, ac ſalutem ſit conſecuturus, ſi modò in Chriſtum confidere, & ex fide precari pergat.

Cæterùm, hic Pſalmus commendatur nobis, non tantùm dignitate & vtilitate argumenti, verùmetiam autoritate Petri Apoſtoli, qui vtitur verſiculo huius Pſalmi in exhortanda Eccleſia ad patientiam in aduerſis, & ad piam ac fidelem ſecuritatem. Humiliemini inquit, ſub potenti manu Dei, vt exaltet vos in tempore viſitationis, omnem ſolicitudi-
1. Pet. 5. nem veſtram proiſcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

Conſtat autem viginti duobus verſiculis. Et quia eſt Pſalmus precatorius, duo præcipuè beneficia petit. Alterum eſt, vt Deus liberet ipſum à terroribus, quos hoſtes ipſi incutiebant: alterum, vt Deus hoſtes ſuos pudefaciat & perdat: quorum prius quidem illud poſtulanti manifeſtè pium eſt, & terroribus mortis concuſſo neceſſarium, poſterius autem uidetur prorſus cum charitate proximi pugnare. Sed hoc poſtea, propitio Deo, ſuo loco explicabitur. Nunc, quod Deus fortunet, ad Pſalmum ipſum accedamus.

1. *Exaudi Deus orationem meam, & ne abſcondas te à deprecatione mea.*
2. *Attende ad me, & reſponde mihi.*

Vides Pſalmum ſtatim ab initio his duobus verſiculis apertè ſignificare, ſe inſtituere precationem. Primùm igitur audis eum inuocationem ſuam ver-

tere

tere, non ad Patriarcham quendam, aut Prophetam olim mortuum, sed ad Deum ipsum: Exaudi, inquiens, DEVS. Quo exemplo docet, quod est generale in omnibus Psalmis, de quo & aliàs sæpè admonemur, nõ esse inuocãdos homines mortuos, quantauis sanctitate insignes sint, sed vnũ solum viuũ & æternũ DEVM, nõ intuentem tantùm omnia, verùmetiã omnia gubernantẽ. Deinde non simpliciter, nec vno tantùm verbo dicit: Exaudi, sed addit: Ne abscondas te à deprecatione mea. Et tertiò: Attende ad me. Ac iterum: Responde mihi. Quæ diuersa quidem verba sunt, sed vnum illud petunt, vt Deus precibus, quæ sequuntur, annuat. Quid ergo sibi vult precator iterata toties repetitione? Num sentit Deum aut surdastrum esse, aut peregrè abijsse, aut dormire, vt necesse habeat vociferationibus excitari? Imò potius, nisi sentiret Deum ex propinquo audire preces piorum, nõ imploraret opem eius repetita toties inuocatione. Non est alia natio, inquit Moses, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut. 4.* Et aliàs: Ecce, inquit Psalmus, non stertit, nec dormit, qui custodit Israel. *Psal. 120.* Ac iterum: Propè est DOMINVS omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. *Psal. 144.* Et Christus: Quæcunq; inquit, petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Non igitur toties repetit precator verba inuocationis, vt excitet Deũ aut surdastrum, aut stertentẽ, aut absentẽ: sed potius vt excitet se ipsum ad vehementiorẽ & ardentiorẽ precandi affectum. Deo.n. qui exaudit suos, vt Esaias ait, antequam clament,

vno verbo, imò vno tacitè cogitationis motu satisfactum fuisset. Sed precator non satisfeciſſet vno verbo ſibi ipſi, quippe quòd maior erat ardor inuocationis, quàm qui vno verbo ſatis emicuiſſet, & ſpiritus precandi ſoleat in homine langueſcere, niſi pluribus verbis in officio contineatur. Quare agnoſcamus hac repetitione magnam precatoris fidem, & ingentem eius cupiditatem conſequendæ diuinæ ſalutis: ac diſcamus hoc exemplo, vt non ſola mentis cogitatione officium precandi abſoluamus, ſed vt externis quoque verbis, & ſententijs ſubinde aliquoties repetitis, affectum orandi excitemus & inflammemus.

Querulor in precibus meis, & perturbor (ſeu vociferor)

3. *Propter vocem inimici, propter anguſtiam, quam impius infert, quoniam declinauerunt ſuper me iniquitatem, & virulenter me oderunt.*

4. *Cor meum contremuit in me, & terrores mortis cecidérunt ſuper me.*

5. *Timor & tremor venerunt in me, & obruit me horror.*

6. *Et dixi, Quis dabit mihi alam: ſicut columbæ, auolarem & quieſcerem.*

7. *Ecce longè migrarem fugiens, commorarer in deſerto.*

8. *Feſtinarem, vt liberarer à vento turbinis, & à tempeſtate.*

Cum in primis duobus verſiculis propoſuerit ſe in hoc Pſalmo precaturum Deum, & petiturũ opem

Deĩ

Dei, exponit nunc pericula, miſerias, ærumnas, terrores & horrores, quibus ſe diuinitus liberari petit: Deus (inquit) exaudi me, ne ſubducas te à me, attende ad me, & voti compotem redde me. In quo ergo te exaudiam? & quid à me petis? Agedum, commemora mihi tuas afflictiones & tribulationes, vt publicè cognoſcatur, quę beneficia in te ſint conferenda. Attende igitur mihi clementiſsime Deus, dum anguſtias animi mei, quibus me liberari cupio, exponam. Habeo enim hoſtem, habeo inimicum & aduerſarium Regem Iſraelis Saulem.

Huius horribilis vox ad me delata eſt, quòd mãdauerit ſatellitibus ſuis, vt me interficiant, quòd & ad Ionatham filium ſuũ dixerit: Adduc eum ad me, quia filius mortis eſt: itaq; cognoui definitum eſſe à Saule, vt occîdar. Et quia Monarcha in Iſrael me extremo odio proſequitur, & inſidiatur vitæ meæ, idcirco omnes ferè Principes, omnes aulici, adeoq; omnes propemodum ſubditi eius me auerſantur. Inter quos multi tam impij ſunt, & crudeles, vt non ſolùm non defendant meam innocentiam, verùmetiam tam virulento odio in me graſſantur, vt declinẽt in me iniquitatem, hoc eſt, vel fingant aduerſus me falſa crimina, & ſpargant, me affectatione regni cogitare Saulem interficere, aut è regno pellere: vel ineant contra me iniqua & violenta conſilia, quibus me opprimant. Tales voces Regis & Principum ſuorum, animum meum ita perturbant, vt videam nihil mihi, præter querelas & vociferationes relictum eſſe. Non ignoro potentiam Regis, non ignoro ſtudium Principũ in demerendo ſibi fauore Regis.

Reg. 1. 19. & 20.

gis. Quare, cum Rex palàm teſtatus eſt, me filium eſſe mortis, quid, niſi væ mihi ter miſero? Tantus me, ex hac vna voce, terror, tantus tremor, tantus horror inuaſit, vt iam hoc momento exiſtimem gladium ceruici impendere: formido tanta me obruit, vt cogitem me ſtatim ad probroſiſsimũ & immaniſsimum genus mortis rapiendum. Quò igitur me conferam? quò abeam? Nuſquam in vniuerſo regno Saulis tutum inuenio locum. Quocunq; diuertero, inter medios proditores & latrones verſor. Si res votis ageretur, optarim mihi nunc dari alas columbinas, quibus quàm velociſsimè auolarem, vt alicubi, vel in deſerto quietum locum inuenirem, & longè ab hominibus commorarer. Non certè diu circumſpicerem, ſed properarem feſtinantiſsimè, vt tantã tempeſtatem mihi impendentem, & tantum turbinẽ extrema mihi mala minitãtem effugerem. Sed quia his votis nihil proficitur, tãtò grauiores ſunt animi mei dolores, & horrores, quantò minus video viam ex his euadendi: me igitur longè omnium miſerrimum & calamitoſiſsimũ. Habes querelã Dauidis. Quid ergo ad tam impotentem lamentationem dicemus? Quid ſibi vult tam muliebris eiulatio? Nihil certè differre videtur à tragicis illis impiorum Ethnicorum exclamationibus. Hei mihi, Hei me miſerum, quod nam meorum calamitatum exordium poſsim capere? Aut quod Moſes de homine maledicto dicit: Dabit tibi DOMINVS cor pauidum, & deficientes oculos, & animum conſumptum mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices, Quis mihi

Euripidis.

dat

det vesperũ: & vesperè, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quę tuis videbis oculis. Quid, quęso, hæc aliud sunt, quàm quod Dauid dicit: Cor meum contremiscit intra me, & terrores mortis irruerunt super me? Timor & tremor venerunt in me, & obruit me horror? Et mox, Quis dabit mihi alas, vt longè auolem? Rem mirandam, Dauid vir tam pius, & heros tam magnanimus, non alio affectu excipit assultum mortis, quàm homines impij & degeneres. Vnam vocem dixerat Saul, filius mortis est: & ad hanc ita trepidat Dauid, perinde ac si iã inter mille gladios carnificum contrucidandus staret. Quid ergo faceret, si DEVS ipse diceret, Filius es inferni? Si humana vox tantum terroris potest in animo eius excitare, quid faceret vox diuina? Vbi nunc est illa animi magnitudo, qua antea aggressus es Leones, Vrsos, & Goliathem? Vbi ille voces, non timebo millia populi circumdantis me? Et: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es? Et: DOMINVS illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Ac mox: Si consistant aduersum me castra, nõ timebit cor meum? Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo? An nescis te loco Saulis, diuino mandato, in regem Israelis vnctum esse? Scilicet, qui te in Regem populi sui, abiecto Saule, elegit, nõ est tãtæ vel potentiæ, vel prouidentię, vt te à tyrãnide Saulis, & omniũ Principũ eius defendat, & in vita cõseruet? Et qd? Occidaris sanè, & moriaris, nũ idcirco de salute tua animũ despondebis? an hæc corporalis vita, vera est hominis felicitas? an non tũdemũ verè incipimus viuere, cũ in hoc ęculo moriẽmur?

mur? Certè promissa tibi est victoria mortis in semine mulieris, promissa tibi est benedictio æternæ vitæ in semine Abrahæ, Quid ergo est, quòd ad mentionem mortis tam muliebriter trepides? quid est, quòd multò impotētius sufferas minas mortis, quàm multi impij mortem ipsam tulerunt?

Hæc & his similia, possent Dauidi ad conspectū mortis tam vehementer territo obijci. Quin potius tanta ipse diuinarum rerum scientia præditus est, vt potuisset hæc omnia, & multò plura, sine vllo monitore meminisse. Sed vides ex ipsa eius querela, quòd horum nihil ei in mentem veniat, & si quid venerit, nihil prorsum consolationis afferat. Visum enim est DOMINO Deo nostro, vt non solùm impios & abiectos, verùmetiam pios & electos mortificet, & ad inferos deducat, ac omnibus eos consolationibus humanis & philosophicis destituat: illos quidem, vt vel resipiscant ab impietate, vel digna factis supplicia accipiant, & perpetuò intereant, hos autem longè alio consilio, quàm vt in morte, & inferni doloribus maneant, ac pereant. Cognoscamus igitur consilium Dei, quantum ipse quidem, per verbum suum patefacere nobis dignatus est, vt ad tam inexpectatas sanctorum imbecillitates non obstupescamus, & nos in nostris imbecillitatibus consolationem concipere queamus. Primùm enim, Deus solet sanctos suos in similes terrores ac dolores mortis & inferni cum impijs conijcere, vt cùm sentiunt se sustinere supplicia impietatis, agnoscant etiam se natura sua impietati obnoxios esse. Hîc solus filius Dei, DOMINVS noster Iesus Christus excipi-

endu

endus est, qui & ipse suscepit in se terrores ac dolores mortis & inferni, hoc est, supplicia impietatis, non quòd impietati obnoxius esset, sed vt impietatē expiaret: Tentatus est, inquit epistola ad Hebræos, per omnia iuxta similitudinem, absq; peccato. Homines autem, quantumuis sancti, peccato ita corrupti sunt, vt quòd ad carnem seu naturā ipsorum attinet, eadem planè sint massa cum impijs, & eodem prorsus impietatis malo laborent. Et tamen hoc malum altius sese in latebras cordis, & in recessus animi condit, quàm vt facilè animaduerti, & verè agnosci queat. Sentias quidem nonnunquam crassa illa vitia, odium erga hominem aduersarium, inuidiam, auaritiam, libidinem, & id genus alia, sed qui contemptum Dei, odium Dei, incredulitatem erga Deum intra se sentiant, vel si senserint, peccata esse existimēt, aut nulli sunt in hac quidē carne, aut paucissimi sunt. Delicta, inquit Psalmus, quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et Hieremias: Prauum, inquit, est cor hominis, & inscrutabile (seu obstinatum), quis cognoscet illud? Immittit ergo Deus in homines pios ac sanctos supplicia impietatis, hoc est, terrores mortis & dolores inferni, & abscondit ab eis, ad tempus, omnem consolationem, vt ex illis cognoscant, non solùm alios, nescio quos, incircumcisos, aut idolatras, sed etiam ipsos sanctos Dei esse impietate sordidatos & corruptos. Sed in quem vsum, aut ad quem finē vult Deus, vt pij agnoscant suam impietatem? Num, vt spem salutis suæ abijciant, & veterem impietatem desperatione, hoc est, noua impietate cumulent? Nihil certè minus. Viuo

P ego,

ego, dicit DOMINVS, nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat. Vult igitur Deus pios agnoscere suam impietatem, vt excitentur ad quaerendam salutem suam, non in meritis suæ ipsorum iustitiæ, sed in solo filio Dei DOMINO nostro IESV CHRISTO per fidem, & vt accendatur in ipsis spiritus inuocandi Dei per CHRISTVM filium eius: ac si quando magno & forti sunt animo in aduersis, & habent præsentes consolationes, ac liberantur, sciant hæc non esse merita humanæ vel industriæ, vel iustitiæ, sed gratuita dona clementiæ diuinæ. Quare cum in eas animi angustias detrudimur, vt videamur destituti tam humano quàm diuino auxilio, & cohorrescamus ad mentionem mortis, tanquam in æternum vnà cum omnibus impijs perituri, non abijciamus animum, aut vt rectius loquar, non abijciamus inuocationem, sed intueamur in consilium Dei, consideremus Deum his aduersis non cogitare nostri interitum, sed salutem: & pergamus in inuocatione, certa fiducia concepta, quòd non repellit in sempiternum DOMINVS, vt Hieremias loquitur, sed etiamsi abiecit, tamen miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Deinde Deus solet sanctos suos obijcere terroribus mortis, & destituere eos omni genere consolationis, vt ex hoc cognoscant ad se pertinere promissiones salutis & liberationis, & vt eo maiori gaudio perfundantur, quò tristioribus casibus obijciuntur. Promisit. n. Deus se affuturum, & opē clementer laturum miseris & afflictis: Cum ipso sum, inquit, in tribula-

tione,

tione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et: Iuxtà eſt DOMINVS his qui tribulato ſunt corde, ac humiles ſpiritu ſaluabit. Et: DOMINVS habitat in ſancto, & cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. *Eſa. 57.* Nam hoc conſilio coniecit Deus vnigenitum filium ſuum in extremas miſerias, & in horribiles terrores mortis, ac liberauit eum ex his magna gloria & inſigni maieſtate, vt palàm teſtificaretur, ſe eſſe miſerorum ſeruatorem, & pauidorum liberatorem, eorum nimirum, qui inuocant nomen eius in fide filij ſui. Quare tantũ abeſt, vt Deus cor afflictum, contritum & humiliatum deſpiciat, vt potius immittendo afflictionem & contritionem ſignificet promiſsiones ſuas ad ipſum pertinere, & ſe gloriam nominis ſui liberatione cupere illuſtrare.

Feramus igitur terrores & horrores mortis, ſi quando inciderint, obedienter, & cogitemus nos tunc verè in vocatione, & in præcipuo cultu Dei verſari, cum formidine mortis ita terremur, vt neſciamus, quò nobis ſit fugiendum: Sacrificium, inquit, Deo ſpiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies.

Etſi autem terrores mortis per ſe ſunt ſimiles in impijs & pijs: ſicut enim impius, ita & pius pauet, iudicante DOMINO, in corde ſuo, ad mentionẽ hoſtis aut mortis, & fugit nemine perſequente, ac terret eum ſonitus folij volantis, ita vt fugiat quaſi gladium: tamen in modo perferendi hos terrores maximum eſt diſcrimen. Impius enim ſic terretur, vt

abijciat omnem ſpem ſalutis, & non ſolùm non in-
uocet Deum, ſed etiam blaſphemè & contumeliosè
in Deũ graſſetur. Pius autẽ terretur quidẽ, ſed per-
durat in inuocatione, & expectat liberationem Dei
in fide. Vide mihi exemplum filij Dei. Hic cum ter-
reretur conſpectu mortis, & fateretur triſtem eſſe a-
nimam ſuam vſq; ad mortem, ſtatim properat ad in-
uocationem. Et quanquam horror ita creſceret, vt
etiam ſanguinem ſudaret, tamẽ perſeuerat in preca-
tione quoadusq; recepto animo, hoſtibus ſuis obui-
am intrepidè procederet. Vide etiam exemplum
Dauidis. Hic audita vna & altera voce capitalis ho-
ſtis ſui, ita terretur, vt nullum non crudeliſsimum
genus mortis ſibi imminere fingeret. In tanto hor-
rore, non confugit ad conuitia & execrationes,
ſed ad preces, & inuocationem: Exaudi, inquiens,
Deus orationem meam, & ne abſcondas te à depre-
catione mea. Hæc enim eſt voluntas Dei in immit-
tendis terroribus, vt inuocetur, & per inuocationẽ
ſalus ab ipſo accipiatur, ſicut Propheta ait: Omnis
qui inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Qua-
re, cum obruimur formidine mortis, & concutimur
horrore imminentium malorum, nõ exiſtimemus de
ſalute noſtra actum eſſe, ſed cogitemus virtutẽ Dei
per infirmitatẽ noſtram, vt Paulus ait, perfici, et quã
quam aut terror aut dolor grauior ſit, quam qui vl-
lam ſentiat cõſolationem, ſufficiat tamẽ nobis gratia
Dei, videlicet, quòd Deus nobis in tali agone ſeu
paroxyſmo faueat, & velit nos certò liberare.

Sed nec hoc perturbare nos debet, quòd multi im-
pij Ethnici videntur pericula, & incurſum mortis
maiori

maiori & fortiori animo perferre, quàm ſancti & electi Dei. Habet quidem Eccleſia Dei etiam ſuos Heroas, Gedeonẽ, Ionatham, Dauidem, Iudã Maccabæum, & multos alios, præſertim Martyres, quos ita vocant, Chriſti, qui extrema pericula fortiſsimo animo ſunt aggreſsi, ſed de fortitudine, & imbecillitate animi recte iudicandum eſt. Primùm enim, etſi fortitudo animi in adeundis externis periculis, inſigne donum Dei eſt, & illuſtris virtus, tamen non eſt ea virtus, qua homines coram Deo iuſtificantur. Vnde ſicut alia dona, ſiue corporis, & quæ vocant, fortunæ, vt pulchritudo, proceritas, diuitiæ, potentia: ſiue animi, vt prudentia, ſcientia, ſolertia, non tã pijs, quàm impijs, imò aliquoties multò plus impijs diuinitus conferri ſolent, (filij enim huius ſeculi, inquit Chriſtus, prudentiores ſunt in generatione ſua filijs lucis,) ita & magnitudo ſeu fortitudo animi in adeundis externis periculis tam contingit impio, quàm pio. Sed quemadmodum Dauid non eſt ideo acceptus Deo, & iuſtus, quia fortiter aggreditur Goliathem, iuſtificatus enim erat antea per fidem, propter ſemen Abrahæ, qui eſt Chriſtus: ita nec Manlius iuſtus eſt & Deo acceptus, quòd magno animo incurrit in Gallum. Non enim agnoſcit verum Deum, qui benedictionẽ iuſtitiæ in filio Abrahæ promiſerat. Accedit & illud, quòd hæc virtus non ſolum non iuſtificet hominem coram Deo, verùmetiam non ſit neceſſaria ad ſalutem. Neceſſarium quidem eſt, vt aduerſa quæq; , & mortem ipſam potius ſufferas, quàm vt vel abnegatione Euãgelij, vel alia iniquitate aduerſus Deum pecces: & neceſſaria eſt

obedientia, si singulari Spiritus sancti motu ad he-
roica facinora vocatus fueris: sed vt vno tantùm co-
mite suscipias pugnam cum armata conorte, sicut Io-
1. Reg. 14. nathas fecit, aut suscipias monomachiam cum vire
te longè præstantiori & fortiori, sicut Dauid cum
Goliathe, ad salutem non est necessarium. Nõ dubi-
to, quin cum Goliath insultaret exercitui Israelita-
rum, & postularet monomachum, multi optimi &
pijssimi fuerint viri in exercitu Israelis: & tamẽ, pre-
ter Dauidem, nõ fuit alius, qui Goliathẽ aggredi au-
deret. Quid igitur? dicemus alios omnes fuisse igna-
uos, imbelles, & incredulos? Nihil certè minus. Etsi
non fuit eis diuinitus data hæc heroica animi forti-
tudo, tamen non defuerunt eis aliæ virtutes, quæ ad
veram iustitiam & salutem necessariæ sunt. In rectõ
ti Ecclesia, post resurrectionem CHRISTI à mortu-
is, insignia dona erant sanationum & linguarum,
quæ cum non omnibus, qui in Christum credebant,
cõtigerũt, dicemus ne eos caruisse Spiritu sancto, &
alienos fuisse à Christo? Sed hoc esset damnare ma-
iorem partem Ecclesiæ Christi. Hæc enim dona, in-
signia quidem erant & illustria, sed non erant ad pri-
uatam cuiusq; salutem necessaria. Quare, si heroica
animi fortitudo contigerit, fer eam acceptam Deo,
age gratias Deo, & vtere eo dono ad illustrandam
gloriam nominis Dei, & ad iuuandam salutem Ec-
clesiæ eius: Si autem non contigerit, sis contẽtus ijs,
quæ Deus dederit, necessarijs ad salutem, & secteris
ea, quæ tuæ sunt vocationis, quantumuis obscura,
& abiecta videantur.

Deinde considerandum & hoc est, quòd pij mul-

to plus

to plus placeãt Deo in ſua imbecillitate, quàm impij in ſua fortitudine. Hi enim fortitudine ſua illuſtres quidem ſunt coram mundo, non tamen ſunt adoptati in filios Dei, ſed ſunt à Deo abiecti: illi autem, etſi obſcuri ſunt, & imbecilles, tamẽ quia adoptati ſunt in filios Dei, complectitur eos cœleſtis pater tanto fauore, vt faciat eos omnium bonorum ſuorum hæredes. Sed quid impios commemoro? certè idem pius, qui modò fortis erat, poſtea redditus imbecillis, non minus acceptus eſt Deo cœleſti patri, in imbecillitate ſua, quàm antè erat in fortitudine. An putas Dauidem, cum ſuſtineret hanc ſuam imbecillitatem, quam in hoc Pſalmo recenſet, minus Deo gratum fuiſſe, quàm cum inſtructus baculo & funda procederet excelſo animo aduerſus Goliathem Philiſthæum? certè qua fide tunc aggreſſus eſt Goliathem, eadem fide nunc Deum inuocat. Et ſi paterfamilias relinquit in deſerto nonaginta nouem oues, & quærit eam, quæ perierat, profectò ſentiendum eſt, quòd multò magis relinquat multos fortes, & quærat vnũ imbecillem. Confide igitur in imbecillitate tua, & expecta DOMINVM, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine DOMINVM.

Poſtremò, ſuperent ſanè nos impij homines fortitudine animi in aggrediendis hoſtibus carnalibus, & vincant homines mortales, ſuccumbunt tamẽ ſpirituali hoſti, ſatanę & vincuntur tandẽ à morte ipſa. Nos autem, qui in Chriſtum credimus, etſi ſolemus aliquoties ad conſpectum hominis tyranni trepidare, ac formidine mortis perturbari, tamen vincimus vel tandem ſatanam tyrannum longè omnium

crudeliſ-

crudeliſsimum, & reportamus victoriam à morte
ipſa, propter Chriſtum filium Dei, per fidem. In mũ-
do, inquit, afflictionem habetis: ſed bono animo ſi-
1. Ioan. 5. tis, ego vici mundum. Et: Omne quod natum eſt ex
Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vin-
cit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mun-
dum, niſi qui credit, quòd Ieſus eſt filius Dei? Et ali-
âs. Poſteaquàm pueri cõmercium habent cum car-
Heb. 2. ne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt
eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis
habebat imperium, hoc eſt, diabolum, & liberos red-
deret eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam
obnoxij erant ſeruituti. Hæc victoria obſcura qui-
dem videtur in oculis hominum, ſed in conſpectu
cœleſtis cœtus multò illuſtrior eſt, quàm ſi quis ex-
pugnaret centum Babylonas, aut Conſtantinopolas:
& nobis vtilior, ac magis ſalutaris, quàm ſi ſinguli
centenos Goliathes ſuperaremus. Quare nõ deijcia-
mur animo, ſi præ heroica aliorum fortitudine, nos
in imbecillitate noſtra vix homines videamur, ſed
potius excitemur ad ſtudium rectè cognoſcẽdi Eu-
angelij Chriſti, & obſequendæ vocationis eius, v
fortitudine ſpiritus per Chriſtum accepta, reporte-
mus æternam à morte & inferno victoriam, quæ
afferet nobis, ſi non terreſtrem, certè cœleſtem &
nunquam non duraturum triumphum.

9. *Deſtrue DOMINE, diuide linguas eorum, quoniam*
video iniuriam, & contentionem in ciuitate.
10. *Quæ diu noctuq; circumdant eam, ſuper muros eius, ma-*
ror, & labor in medio eius.

Calami-

11. *Calamitates in medio eius, & non recedit de plateis eius fraus & dolus.*

12. *Quoniam si inimicus meus conuiciaretur mihi, sustinerem, & si is qui odit me, aduersus me efferretur, absconderem me ab eo.*

13. *Tu vero homo, quasi dux meus, præceptor meus, & eruditor meus.*

14. *Qui simul iucundè conferebamus arcana, in domo Dei ambulamus familiariter.*

15. *Irruat mors super eos, descendant ad infernum viuentes, quoniam malitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.*

Ostendimus suprà, quòd hic Psalmus duo beneficia petat, vnum, vt Deus liberet afflictum à terroribus, quos hostes ipsi incutiebant, alterum, vt Deus hostes ipsius opprimat & perdat. Cum igitur in prioribus versiculis exposuerit ærumnas & terrores suos, quibus ab inimicis suis afficeretur, ac petierit liberationem, accedit nunc ad petitionem alterius beneficij, videlicet, vt se liberato, inimici sui horribiliter intereant.

Destrue, inquiens, DOMINE, diuide linguas eorum. Olim cùm ira tua exardesceret aduersus impios ciues Babylonis, confundebas linguam eorum, vt pudefierent in suo instituto, & dispergerentur in vniuersas terras. Ac postea, cum Zodomitæ & Gomorrhitæ immaniter aduersus te peccarent, mittebas in eos ignem, qui ipsos vnà cum ciuitatibus suis deuorauit. Peto igitur, DOMINE Deus meus, vt ta-

le aliquod ſupplicium inimicis & aduerſarijs meis inferas, quò & ipſi publicè coram vniuerſo mundo pudefiant, & horribiliter pereant. Nullum enim ferè genus impietatis & ſceleris eſt, quod in eorum ciuitate, ſeu cœtu non inuenias. Non videas inter eos, niſi iniuriam, iurgia & lites. Hæc ciuitatẽ eorum ita occuparunt, vt non interdiu tantùm, verùmetiam noctu, quo tempore ſumma deberet eſſe quies, audias iniuriantium & litigantium vociferationes. Nec vulgaria tantùm peccata in hoc cœtu deſignantur, ſed etiam immania ſcelera & horribiles illæ impietates, quæ ſunt autores extremi mœroris & laboris, adeoq; omnium, ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium calamitatum. Quid plura? facti ſunt plane ἀσεργοι, & exuerunt omnem humanum affectum. Fraus enim & dolus ita obtinent apud eos, vt non tantùm imponant alienis & inimicis ſuis, verùmetiam amicis, & ſummis benefactoribus, id quod ego meo ipſius exemplo comprobabo. Ego enim contuli in Saulem, in Principes eius, in Ceilanos, & in multos alios maxima quæque beneficia, ſed viciſſim reporto ab eis extremam ingratitudinem. Quos ego in vita ſeruaui, hi nunc vitæ meæ inſidiantur: quos ego à morte liberaui, hi ad inferendam mihi mortem excubias agunt. Ac non valdè quidem periculoſum mihi eſſet, nec mirarer ſi inimicus meus eſſet in me contumelioſius, & ſi is qui me odio proſequitur, inferret mihi mala. Cogitarem enim, ſic in hac corrupta hominum natura comparatum eſſe, vt inimicus inimico inſidiaretur: & deliberare poſſem, quomodo mihi cauerem, & me defenderem.

Sed

Sed hoc demum animum meum exulcerat, hoc grauius cor meũ penetrat, quàm ſi adigeretur in ipſum gladius, quòd tu, quem vel agnoſco ducem, præceptorem & magiſtrum vitæ meæ, vel conſtitui in gubernatorem, Principem & illuſtrem virum, quo cum ſuauiſsimam duxi familiaritatem, & omnia cõſilia, omnia ſecreta mea communicaui, & qui vnà conſocietati ſacra Dei viſitabamus, & præcipuum locum in reliquo hominum cœtu tenebamus, non ſolùm non excuſes aut defendas me coram ſycophantis & calumniatoribus, verùmetiam ipſe in me conuitijs virulenter graſſeris, & omnes rationes ineas, vt capier & trucider. Quare precor, vt omnibus illis impijs nebulonibus terra dehiſcat, vt repentina morte pereant, ac diabolus eos in æternũ exitium abducat, propterea quòd omne genus malitiæ, totas ipſorum domos ita occupauit, vt nulla planè reliqua ſit ſpes pœnitentiæ. Hæc ferè eſt ſententia horum verſiculorum, quos recitauimus.

Sed quæſo te, quid ſibi vult tam dira imprecatio? Hoccine eſt piæ charitatis, precari, vt homines, quãtumuis in nos iniurij, contumelioſi & malefactores, pudefiant, ab igni deuorentur, repentina morte pereant, & à diabolo in æternum exitium auferantur? Hoc enim eſt, quod Pſalmus dicit: Deſtrue DOMINE, diuide linguas eorum. Et: Veniat mors ſuper illos, & deſcendant ad infernum viuentes. An non extat generale præceptum Dei, Non occîdas? Quod præceptum, interprete Chriſto ipſo, non tantùm exigit, vt nullum hominẽ gladio, ſed etiam vt nullum lingua occîdas, & vt nõ ſolùm amicũ, ſed etiam inimicũ diligas, deuouentibus

te benè preceris, pro ijs, qui te lædunt & insectantur, ores, ac ijs qui te odio prosequuntur, benefacias. Sic enim & pater cœlestis finit solem suum oriri super malos ac bonos. Quomodo igitur cum his conueniunt tam virulentæ, vt videntur, execrationes, quas Psalmus in inimicos & malefactores suos effundit? Et extant in alio Psalmo penè horribiliores execrationes: Constitue, inquit, super eum impios, & diabolus stet à dextris eius. Ac mox: Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Vagando vagentur filij eius, & mendicent. Et iterum: Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius. Et reliqua quæ sequuntur, notus enim est Psalmus. Quid est maledicere, execrari, & deuouere, si hoc non est? Et tamen agnoscimus has precationes è Spiritu sancto profectas esse.

Psalm. 108.

Consideremus igitur, aliam esse vocationem generalem & vulgarem, quæ ad omnes homines pertinet, aliam esse personalem seu singularem, quę personam non egreditur, nec in exemplum trahitur. Ac generali quidem vocatione omnibus mandatur diuinitus, ne occîdant, & ne maledictis aut conuitijs aut execrationibus in quenquam grassentur, sed omnibus benè precentur, & non tam amicis quàm inimicis benefaciãt. Singulari autem vocatione Dei sæpe fieri solet, vt mandetur tibi, vt non tantùm inimicum, verùmetiam amicum odio habeas, & non tã maledictis inceſſas, quàm interficias. Maximum ẽm omnium mandatum est: Diligas DOMINVM Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omni fortitudine tua. Et quanquam alterum quod sequitur:

Diligas

Diligas proximum tuum ſicut teipſum, illi ſimile eſt, tamen illud primas tenet partes, & eſt huius norma & regula. Itaq; cum Deus iubeat generali lege, proximum diligere, & vitam eius, quantum in nobis eſt, conſeruare, diligenter obſequendum eſt voluntati Dei, propterea quòd Deus ex toto corde diligendus eſt. Si autem ſuo quodam cõſilio iubet ſingulariter, vt proximum odio habeamus, execremur, & occidamus, certè & tunc voluntati Dei gratificãdum eſt, propterea quòd Deus ex toto corde ſit diligendus, & in omnibus ei obediendum. Etſi enim hoc durum & crudele videtur, tamen Deus etiam in tali ſingulari præcepto obedientiam tanta ſeueritate exigit, vt niſi pareas, graue ſupplicium ſit ſufferẽdum. Sauli præcipitur diuinitus, vt percutiat Amalec, & interficiat à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum. Cum igitur Saul non obſequeretur huic mandato, ſed parceret regi ipſi Amalec, & gregibus ouium, idq; non ſuo, vt videbatur, commodo, ſed ad ſacrificia DOMINI, increpatur ſeueriſsimè, & audit: Pro eo quòd abieciſti ſermonem DOMINI, abiecit te DOMINVS ne ſis rex: Melior enim eſt OBEDIENTIA quàm victimæ, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Achabo regi Iſrael traditur diuinitus Benedab rex Syriæ occidendus, ſed quia parcit vitæ eius, audit: Quia dimiſiſti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Et in Hieremia ad oppugnatores Moabitarum dicitur: Maledictus qui facit opus DOMINI fraudulenter, & prohibet

1. *Reg.* 15.

1. *Reg.* 20.

Hiere. 48.

gladium ſuum à ſanguine. Manifeſtum igitur eſt, quòd generali quidem vocatione Dei non ſit necandus nec inimicus occidendus, ſed ſi Deus ſingulariter aliud iuſſerit, non eſt detrectanda obedientia, vt probemus dilectionem, quàm Deo ex toto corde debemus. Hoc tantùm nobis diligentiſsimè ante omnia cognoſcendum eſt, vt non fingamus carne noſtra ſingulare Dei mãdatum, ſed certiſsimè ſciamus, hoc quod faciendum ſuſcipimus, verè eſſe diuinum mandatũ, & non humanum cõmentum. Quòd aũt de occidendo, aut non occidẽdo proximo (quo nomine tam amicus, quàm inimicus continetur) dictum eſt, hoc idem de maledicendo, & execrando, aut nõ execrando proximo intelligendum erit. Generale præceptum eſt, omnibus obſeruãdum propoſitum: Benè precemini deuouentibus vos: orate pro ijs, qui lędũt & inſectantur vos. Si autem Deus (cuius voluntas & beneplacitum ipſa eſt iuſtitia) excitauerit ſpiritu ſuo hominem, vt inimicos ſuos execretur et diris deuoueat, ibi tum execratio præcipuus cultus Dei eſt, tantum abeſt, vt ſit ſcelerata iniquitas, aut deteſtanda crudelitas. In lege Sacerdos congerit horrenda maledicta in mulierẽ de adulterio ſuſpectam: Si declinaſti, inquiens, à viro tuo, atque polluta, es & concubuiſti cum altero viro, det te DOMINVS in maledictiones, exemplumq; cunctorum in populo ſuo, putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur: ingredientur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumeſcente putreſcat femur. An non hæc execratio ſatis eſt horribilis? ſed quia ſit diuina ordinatione, officium eſt, non conuitium,

& pie

& pietas eſt, non crudelitas. Elizæus, cùm ludibrio haberetur à pueris, congeſsit in eos maledicta, vt obijciantur vrſis dilaniandi. Quid? Num Propheta tantus non potuit æquo animo puerilia ludibria ferre? quomodo igitur ferret mortem à tyranno illatam? Sed quod ad generalem Dei vocationem attinet, non ferebat tantùm patienter irriſionem puerorum, ſed etiam perſecutiones tyrannorum. Quòd autem pueris maledixit, ſingularis erat Spiritus ſancti zelus, quo in tantum non peccauit aduerſus Deum, vt etiam fuerit ſeueritatis Dei obſequentiſsimus miniſter. Tale eſt & hoc, quod Dauid in Pſalmo dicit: Deſtrue DOMINE, diuide linguas eorum. Et: Veniat mors ſuper illos, ac deſcendant ad infernum viuentes. Etſi enim Dauid ſua habuit vitia in carne ſua, & neceſſe habuit ſemper orare, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: tamen quòd ad generalem eius obedientiam attinet, nihil minus audias ab ipſo, quàm execrationes, & malefacta aduerſus inimicos ſuos: Si reddidi, inquit, retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Et cum Saulem, capitalem inimicum in manu ſua haberet: Propitius, inquit, ſit mihi DOMINVS, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto DOMINI, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus DOMINI eſt Et de maledico Simei ait: Dimittite eum, vt maledicat, DOMINVS enim præcepit ei vt malediceret Dauidi. Et hæ quidem ſunt voces hominis in generali Dei vocatione ambulantis. Poſtquam autem Spiritus ſanctus excitat Dauidem ad ſingulare opus

Das ſie der gehe todt ankomme.

opus, & mandat ei officium exequendæ diuinæ ſe-
ueritatis: ibi Dauid, ſicut interfecit excelſo animo
Goliathem ſuo ipſius gladio, & præcedit ei caput,
ita graſſatur optima conſcientia in aduerſarios &
inimicos ſuos maledictis & execrationibus. Tunc
enim non eſt Dauid ille, qui eiectus è throno regio
proficiſcitur in exilium, ſed eſt Dauid ille, qui col-
locatus eſt, vt ita dicam, in throno Dei, & factus eſt
vicarius ſeu præco Dei, vt quod ſupplicium Deus
in impios eius aduerſarios ſtatuit & decreuit, hoc
eis Dauid execrationibus ſuis adnunciet. Videas &
in Chriſto ipſo filio Dei, hanc vocationum varieta-
tem. An non clamat Chriſtus in cruce pro perſecu-
toribus ſuis: Pater, inquiens, remitte illis, quia neſci-
Pſalm.39. unt quid faciunt? Hic tamen aliâs in Pſalmo contra
perſecutores ſuos clamat: Confundantur, inquiens,
& pudefiant ſimul, qui quærunt animam meam, vt
auferant eam. Auertantur retrorſum, & ignominia
afficiantur, qui volunt mihi mala. Ferant confeſtim
confuſionem ſuam, qui dicunt mihi, euge euge. Et
Pſalm.108. iterum: In memoriam redeat iniquitas patrum eius
in conſpectu DOMINI, & peccatum matris eius non
deleatur. Sint in conſpectu DOMINI ſemper, & de-
ſpereat de terra memoria eorum. Quid ſibi volunt
hæ ſecum pugnantes (vt videtur) voces? Altera pre-
catur inimicis remiſsionem peccati & ſalutem, alte-
ra petit vt peccatum nec ipſorum, nec parentum eo-
rum deleatur. Sed altera eſt vox Chriſti humiliati,
& in generali Dei vocatione ambulantis, altera eſt
vox Chriſti à Spiritu ſancto ſingulariter excitati, &
in throno Dei collocati, vt ſignificet impijs, quam
ra

tæ ipsos maledictiones, quanta supplicia maneant. Negari quidem nec potest, nec debet, quin pius quisque in quauis oratione, qua precatur liberationem à tyrannide & iniquitate impiorum, simul etiam petat, occulto Spiritus sancti sensu, oppressionem & perditionem impiorum. Nec vnquam recitatur Oratio dominica, quin spiritus piorum execretur in ea impios: Sanctificetur, inquit, nomen tuum, Ergo nomen impiorum pugnantium cum verbo Dei turpificetur & deleatur. Adueniat regnum tuum, Ergo tollatur è medio regnum, potentia, & maiestas impiorum, qui hoc vnum agunt, vt regnum Dei opprimatur. Fiat voluntas tua, Pereant igitur impij in æternum, quia hæc est voluntas Dei, vt iniusti puniantur, & semen impiorum pereat. Libera nos à malo, Contere igitur DOMINE satanam, cum vniuerso corpore suo, hoc est, cum omnibus impijs, quia nisi hi contriti fuerint, plena & perfecta liberatio à malo nobis contingere non potest. Vides spiritum piorum in precatione sua semper execrari impios, etiamsi id nec verbis exprimatur, nec à pijs cogitetur. Sicut enim in ignorantia nostra spiritus intercedit pro nobis, vt Paulus ait, gemitibus inenarrabilibus, & is, qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus, quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis: ita etiam in vulgaribus & generalibus precationibus, in quibus petimus tantum nostri liberationem & conseruationem, Spiritus sanctus eo ipso execratur in nobis omnes impios, & petit perpetuum eorum exitium & internitionem. Sed non concedit cuiuis eum zelum, & *Psal. 36.*

eum ardorem, vt verbis coram mundo exprimat, quòd ipse occulto sensu coram Deo exponit. Nam quemadmodum omnes honesti homines debent furem, aut latronem, aut adulterum supplicio dignum iudicare, non autem cuiuis datum est publicam aduersus tales sceleratos sententiam ferre & exequi, sed tantùm ordinarijs & legitimis iudicibus, ac magistratibus: ita omnes pij debent iudicare impios esse extremo & æterno supplicio dignos. non datur autem omnibus pijs hic zelus, vt publicis imprecationibus, tanquam iudiciaria autoritate, impios execrentur. Quare sentiamus Dauidem in hac imprecatione non esse hominem priuatum, in generali tantùm inuocatione Dei constitutum, sed esse singulariter à Spiritu sancto in præconem diuinæ sententiæ excitatum, vt quo supplicio impij sui aduersarij à Deo digni iudicantur, hoc ipse imprecationibus suis publicè adnuntiet, & coram vniuerso orbe patefaciat.

Psal. 55.

Sed non est silentio prætereundum, quòd quemadmodum Deus, cum minatur mortem impio, non solet semper mortem continuò inferre, sed expectat resipiscentiam impij: Viuo ego, inquit, nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat: ita publicas illas execrationes, quibus pij impios deuouent, non solet semper executio consequi, sed recitantur in hūc vsum, vt aut impij admoniti diuinæ seueritatis resipiscant, & supplicia euadant, aut pij fruantur aliena insania, & in officio cōtineantur. Cum igitur audiuerimus publicas imprecationes in precibus sanctorum aduersus impios & inimicos

inimicos ipsorum recitari, sentiamus eas non proponi nobis, vt discamus etiam nostros inimicos pro carnali nostro affectu execrari, cùm charitas exigit, vt ipsis precemur benè, sed vt agnoscamus seueritatem diuinæ iræ, & excitemur aut ad suscipiendam, aut ad prosequẽdam, quam suscepimus, pœnitentiã: vt vitato impietatis supplicio, veram in Christo salutem consequamur.

Deinde non est oscitanter considerandum, quòd Psalmus non conqueritur tantùm de sceleribus & malefactis inimicorum suorum, verùmetiam de desertione & perfidia amicorum: Si inimicus meus, inquit, maledicerit mihi, leuius ferrẽ, & si is, qui odio habet me, insultaret mihi, possem mihi ab eo cauere. Nunc aũt deserunt me, & nõ tam maledicũt, quàm malefaciunt mihi amici, de quib. optimè sperauerã, et quibus cum omnia habui cõmunia. Quę res affert mihi maximum omnium dolorem. In humana autẽ societate nihil ferè frequentius est amicorum perfidia. De qua re etiam externæ literæ conqueruntur.

Tuta frequensq́, via est, per amici fallere nomen,
Tuta frequensq́, licet sit via, crimen habet.

Et cùm hoc benemeritis accidere soleat, præcipuè accidit Ecclesiæ Dei, quòd qui videbantur amicissimi eius, non tantùm deserant eam in necessitate, verùmetiam coniungant se cũ inimicis, & quia sunt rerum Ecclesiæ Dei conscij, multò plus nocẽt, quàm inimici. De Hierusalem, quæ fuit suo tempore præcipuum hospitium Ecclesiæ Dei, dicit Hieremias: Nõ est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius, omnes amici eius spreuerunt eã, & facti sunt ei inimici. Et Christus ait: Tradet frater fratrem in mor-

tem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Ac Christus ipse erga se quoque talem perfidiam expertus est. Proditus enim est hostibus suis, nõ ab hoste, sed ab amico: non ab alieno homine, sed ab Apostolo suo, quem in Ecclesiæ suæ ducem elegerat. Quòd etiam tantum dolorem attulit ipsi, vt de eo plus quàm mille annis, priusquã accideret, in Psalmo conqueſtus sit: Homo, inquiens, pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Cum enim Christus venerit in hunc mundum, vt susceptis in se summis doloribus expiaret peccata nostra, & hic dolor, qui ex perfidia amicorum concipitur, sit grauissimus, & animum non aliter quàm acutissimus gladius penetret, voluit & hunc dolorem in se experiri, vt absolueret perfectam peccatorum expiationem, & tentaretur per omnia, quò & his qui tentantur, succurrere posset. Recitantur autem nobis hæc de amicorum perfidia, primum, vt agnita huius sceleris deformitate & magnitudine, conseruemus veram erga amicos charitatem, nec deseramus eos in necessitate, sed adiuuemus eos pro nostra virili & vocatione. Qui enim deserit amicum in necessitate, non hominẽ, sed Deum ipsum deserit: Qui manet, inquit Ioannes, in charitate, in Deo manet. Ergo, qui in charitate non manet, non manet etiam in Deo.

Psal. 40. *Ioan.* 13. 16. 17. 18. 19. 20.

Deinde, cum videmus amicorum perfidiam frequentissimam esse, non est amicorum aut potentia, aut beneuolentia, aut ope, aut opibus fidendum. Colenda quidẽ semper est sanctissimè bonorũ virorum 21.

rum amicitia,& vtendum eſt auxilijs & præſidijs eorum,ſi fieri poteſt,non eſt autem fiducia eorum peccandum,aut aliquid temerè ſuſcipiendum,ſed eſt tantùm miſericordia & clementia Dei confidendum, & in vocatione eius conſtanter ambulandum. Itaque ſi nobis ſic confitentibus & ambulantibus amici affuerint, & opem ſuam contulerint, gratiæ Deo ſunt habēdæ:ſi verò nos deſeruerint, & cōiunxerint ſeſe cū inimicis, ferēda eſt ingratitudo & iniuria, ac perſeuerandum in vocatione & inuocatione Dei,certiſſima ſpe concepta,quòd quē deſerūt amici homines, eū cōplectatur & adiuuet amicus & propitius DOMINVS Deus noſter. Vt verè & ex animo dicere poſsimus,quod Dauid:In Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi caro. Et iterum:DOMINVS mihi adiutor,non timebo quid faciat mihi homo.

16. *Ego ad Deum clamo, & DOMINVS ſaluabit me.*

17. *Veſpere & mane & meridie querulor & vociferor, & exaudit vocem meam.*

18. *Redimet in pace animam meam ab his qui aduerſantur mihi,quia multi obſiſtunt contra me.*

19. *Exaudiet Deus, & affliget eos, ipſe autem ſedet antiquitus,qui non mutantur,& non timent Deum.*

20. *Mittunt manus ſuas in pacificos eius, prophanant teſtamentum eius.*

21. *Mollius eſt os eorum butyro, ſed cor eorum prælium, (meditatur) leuiora ſunt verba eorum oleo, & tamen ſunt gladij.*

Cum impij audiuerint Dauidem execrari ipsos, & imprecari ipsis, vt propter iniquitates & scelera sua pudefiant, ac repentina morte ad inferos descendant, respondebunt. Quid? Si nobis est propter scelera pereundum, certè nec tu euades perditionem. Primùm enim, si de natiua impietate loquẽdum est, non minus natura obnoxius es impietati, quàm nos sumus. Confiteris enim ipse: Ecce, inquiens, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Deinde si de fructibus huius naturalis impietatis loquendum est, ne ab his quidem te immunem esse res ipsa testatur. Quoties enim vi ctus es iracundia, & alijs prauis affectibus? An non paulò pòst designas nefarium adulterium, & horribile homicidium? Quis ex nobis tam immanium scelerum accusari potest? Si ergo descendendum nobis est repentina morte ad inferos, propter impietatem & scelera, certè tu eodem, aut etiam maiori supplicio, pereas necesse est. His seu cogitationibus, seu manifestis obiectionib. impiorũ respondet nũc Dauid, & ponit inter se & impios hostes seu inimicos suos magnum discrimen: DOMINVS, inquit, exaudiet vocem meam, & saluabit me, ac redimet animam meam in pace ab aduersarijs meis, quorũ magna est multitudo. Conseruabit Deus vitam meam, vt transigã eam tranquillo animo, ne prævaleãt mihi multi & magni mei inimici. Impios autem humiliabit et affliget. Ego enim clamo ad Deum, ego inuoco Deũ, idq; nõ semel tantùm, sed vesperè, manè, & meridie, hoc est, sine vlla intermissione. Sed iterũ respondent impij: Etiam nos clamamus ad Deum, & inuocamus

Deum,

Deum, quærimus eum de die in diem, ieiunamus & humiliamus animas nostras, vt precibus magna deuotione vacare queamus: cur igitur Deus, nobis repulsis & abiectis, solũ te exaudiret, & saluaret? Hîc ergo recenset Dauid verum discrimen inter preces piorum & impiorum. Deus, qui sedet antiquitus, hoc est, cuius regnum est perpetuũ, suscipit meas preces & exaudit eas, quia sunt coniunctæ cum pœnitẽtia, impiorum autem preces reijcit, & non exaudit, quia sunt sine pœnitentia. Non enim mutant vitam suam in melius, non conuertuntur ad Deum, non resipiscunt, non timent Deũ, sed pergunt in impietate sua, sæuiunt in innocẽtes, grassantur quouis genere crudelitatis in pacificos Dei, in studiosos veræ ac cœlestis pacis, prophanant seu violant testamentum Dei. Deus instituit cum Abrahamo testamentum, quod in semine suo, qui est Christus, benedicẽdæ sint omnes gentes: instituit etiam testamentum cum Israelitis per Mosen, quòd daturus sit ipsis terram Canaã, ipsi autem vicissim debeant seruare legem suam. Sed impij nec hoc nec illud testamentum inuiolatũ seruant, non credunt in semen Abrahæ, in Christũ DOMINVM nostrum, vt propter hunc coram Deo reputẽtur iusti, nec obediũt diuinæ legi, quæ ipsis per Mosen data est, sed quicqd egerint, mera est hypocrisis. Effundũt corã Deo multas preces, & faciũt alia opera in speciẽ bona, sed cor eorum longè est à Deo, & impletum est odio Dei. Simulant erga proximos suos magnam amicitiã, & verba eorũ molliora sunt butyro, ac leuiora oleo, sed corde meditantur prælium, vt si in finem consiliorũ eorum respicias, verba

eorum,

eorum, quantumuis blanda videantur, non sunt, nisi si acutissimi gladij. Quare, cum recitant preces suas sine pœnitentia, fieri non potest vt exaudiantur, sed necesse habẽt perpetuò interire. Obseruemus igitur hoc loco, quæ sit vera, & quę vana inuocatio Dei, & quod sit discrimen inter inuocationẽ Dauidis, & inimicorum suorum, hoc est, inter inuocationem piorum & impiorum. Scriptum enim est: Omnis qui inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit, & tamen non omnis, qui dicit: DOMINE DOMINE, intrabit in regnum cœlorum. Sciamus igitur, quòd alia sit inuocatio, quæ coniuncta est cum pœnitentia. Hęc est inuocatio piorum, qui primùm quidem agnoscunt peccata sua, & detestantur ea, deinde credunt ea sibi gratis remitti propter Christum filiũ Dei, ex qua agnitione & fide fugiunt peccata, & sectantur opera iustitiæ, seu diuinæ vocationis. Nam hoc verè est agere pœnitentiam, videlicet, agnoscere peccata, credere peccata gratis propter Christum remitti, & sectari ex hac fide vocationem Dei in bonis operibus. Itaq; si inuocatio coniuncta fuerit cum tali pœnitentia, tunc ea est inuocatio, de qua Ioel dicit: Omnis, qui inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Et Esaias: Erit antequàm clamẽt, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Et Dauid aliâs: Prope est DOMINVS omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, hoc est, in vera pœnitentia. Sicut enim ira Dei placata est SOLO sanguine DOMINI nostri Iesu Christi: ita participes efficimur fructus sanguinis Christi SOLA pœnitentia, non hypocritica illa & fictitia, quæ meritis hu-

Ioel. 2. Actor. 2. Rom. 10.

mana

manæ iuſtitiæ,& ſatisfactionis nititur,ſed vera illa, quam tradit Prophetica & Apoſtolica doctrina,hoc eſt, quæ conſtat agnitione peccati, & fide in Ieſum Chriſtum, quòd propter hunc ſolum contingat peccatorum remiſsio, ex gratuita clementia Dei. Quæ etiam pœnitẽtia affert verum ſtudiũ obediendi vocationi Dei. Iuſtificãtur(inquit Paulus)gratis,per illius gratiã,per redemptionẽ,quę eſt in Chriſto Ieſu, quẽ ꝓpoſuit Deus reconciliatorẽ per fidem in ſanguine ipſius.Per FIDEM(inquit)in ſanguine ipſius. Hæc eſt fides,præcipua pars verę & ſalutaris pœnitentiæ, qua ſola fide fructum ſanguinis Chriſti, qui eſt placatio iræ Dei, participamus.

Non reſpicit autem Deus orationem, niſi placatus, non exaudit inuocationem, niſi reconciliatus. Quare cum fiamus,per FIDEM pœnitentię,participes recõciliationis,quam Chriſtus ſanguine ſuo nobis meritus eſt,dubium non eſt,quin ſola ea inuocatio,quæ coniuncta eſt cum pœnitẽtia, ſit vera inuocatio, & impetret à Deo, per Ieſum Chriſtũ, veram ac æternam ſalutem. Alia autem eſt inuocatio ſine vera pœnitentia: hæc eſt inuocatio impiorum, qui etſi in precibus ſuis ſunt multiloqui, & ſuſcipiunt ieiunia,ὀργυιὰς, χαμευνίας,peregrinationes, & id genus alia, tamen non agunt veram pœnitentiam, non deteſtantur impietatem & ſcelera ex animo, non credunt remitti ſibi peccata gratis,propter ſolum Ieſum Chriſtum,per fidem, nõ mutant vitam ſuam in melius, ſeruant odium & inuidiam ſuam erga proximum,retinent veterem ſuam auaritiam, arrogantiam,luxuriam,maledicentiam & alia vitia, & inte-

rim pollicentur sibi propter supplicationes, vigilias & humidormitiones, gratiam Dei, & tam terrena quàm cœlestia beneficia. De tali inuocatione, quæ videlicet est sine vera pœnitẽtia, dicit Psalmus: Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret, ad DOMINVM & non exaudiuit eos. Et aliâs: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & nõ inuenient me, eò quòd exosam habeant disciplinam. Et Esaias: Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et Hieremias: Cum ieiunauerint, non exaudiã preces eorum, & si obtulerint holocausta & victimas, non suscipiam ea. Quare cum Deus non respiciat sine vera pœnitentia inuocationem, collocemus omne studium nostrum in agenda vera pœnitentia, vt liceat nobis inuocatione nostra ad thronum Dei alacri & fidenti animo adire, & exauditionem ab ipso verè sperare.

Deinde sicut ingẽs est discrimen inter inuocationem piorum & impiorum, ita hoc loco describitur suum quoq; discrimen inter pœnitentiam piorũ & impiorum, hoc est, inter verã & falsam pœnitentiã. Inter impios enim, alij suscipiunt quidem externam speciem pœnitentiæ, sed nec verè agnoscunt peccata sua, nec verè credunt remissionem peccatorum propter Christũ, nec mutant vitam suam in melius, sed pergunt vetera sua scelera impudenter designare: qualem ferè pœnitentiã agere solet magna pars vulgi in publicis ærumnis & calamitatibus. Alij autem, etsi grauissimè de peccato dolent, tamen non credunt peccatum sibi propter Christũ remis-

ti, sed quærunt remissionē peccati in meritis suæ iustitiæ, quæ cùm non constent coram tribunali Dei, coniiciunt tandem hominē in desperationem. Interea autem non verè timent Deum, sed potius persequuntur verbum Dei, & iniiciunt manus suas in pios, ac persequuntur eos, existimātes se cultum præstare Deo, qualis est pœnitentia Esau, Saulis, Achitophelis, Iudæ Iscariotis, & omniū hypocritarum. Hæc est falsa pœnitentia, qua, sicut homo nō reconciliatur cum Deo, ita nec potest veram consequi salutem. Alia autē est vera pœnitentia, quæ primùm quidem verè timet Deū, & agnoscit iram Dei propter peccata: deinde non mittit manum suam in pacificos Dei, hoc est, in eos, qui adnunciant pacē Euangelij, sed amat eos, & amplectitur Euangelion eorum per fidem, & credit se habere peccatorum remissionem tantum propter sanguinē Domini nostri Iesu Christi, qui est sanguis noui testamenti. Sic enim de sanguine Christi credere, est verè testamentum Dei sanctificare, quod impij sua incredulitate prophanare & violare solent. Præterea, hæc pœnitentia nō sinit hominem in sceleribus ambulare, sed exuit eum vetustate carnis, & induit eum nouitate spiritus, vt mortificentur membra terrestria, & fiant serua iustitiæ ad sanctificationē, sicut Paulus loquitur. Talis est pœnitētia Dauidis, mulieris peccatricis, quā vulgò dicūt esse Magdalenā, Petri & omniū piorum. Talē pœnitentiam exigūt Ioānes Baptista, Christus ipse, & Apostoli eius, cū dicūt: Pœnitentiā agite, appropinquauit. n. regnum cœlorū. Quare, si volumus cœlestis regni hæredes esse, necesse habe-

mus, non illã falsam & hypocriticam, sed hanc veri
& Apostolicam pœnitẽtiam susc ipere, & in ea vsq
ad extremũ huius corporalis vitæ perdurare. Est &
hoc loco proposita nobis expressa imago hypocriti
cæ impietatis & crudelitatis: Mollius, inquit, eli
os eorũ butyro, sed cor eorũ meditatur prælium. Le
uiora sunt verba eorũ oleo, & tamẽ sunt gladij: hoc
est, quod vulgò dicitur, altera manu panem ostẽ
tare, altera lapidem gestare. Si enim loquendum eſt
de hypocritis spiritualibus, solent præclaris & pro
lixis verbis testificari, se non nisi gloriam Dei, & sa
lutem Ecclesiæ quærere: interea autem gestant se
cum virulentissimum odium aduersus Deum, &
omnes veros Dei concionatores, ac meditantur diu
noctuq; crudelissimas cædes. Si autẽ loquendum est
de hypocritis politicis, solent in extrudendis mer
cibus suis tantam beneuolẽtiam præ se ferre, vt etiã
iurare ausint, merces esse longè omnium optimas, &
se eas, nisi summa amicitia emptoris permouerẽtur,
nulla ratione tam vili precio exposituros: interea
autem sciunt se vanissima dicere, & nõ nisi sua ipso
rum lucra, amici autẽ damna affectare. Hæc nobis
cognoscenda recitantur, partim vt sciamus, hac si
mulatione nihil esse coram Deo turpius, odiosius, &
abominabilius, & Deum hos hypocritas & simula
tores, tanto grauius puniturum, quanto honestiores
videri volunt, ideoq; cauendum esse, ne mores eorũ
imitemur, partim, vt cùm Ecclesiæ Dei, & honestis
quibusq; viris inter tales scorpiones & serpentes in
hoc mundo cõmorandum sit, concipiamus verum &
serium desideriũ æternę illius vitę in cœlesti regno,
in quo

in quo omnia erunt ſynceriſsima & candidiſsima: & patienter feramus, ſi quid aduerſi nobis ab iſtis ſcorpionibus contigerit, cum hic mundus ita corruptus ſit, vt non ferat alios mores, & Deus aduerſa cumulatè in regno ſuo compenſet.

22. *Proijce in DOMINVM onus tuum, & ipſe ſuſtentabit te, non dabit in æternum fluctuationem iuſto.*

23. *Et tu Deus deduces eos in puteum interitus, viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, ego autem in te ſperabo.*

Etſi precator expectat magna fide à DOMINO certiſsimum auxilium, tamen quia caro infirma eſt, & obijcit fidei varias remoras, ac ſolet vires, potentiam, ſapientiam, & maieſtatem aduerſariorum amplificare, noſtra autem omnia extenuare, præ quibus non liceat nobis certam ſpem concipere, idcirco reflectit ſe Spiritus ſanctus in precibus ipſis ad precatorem, & iubet eum bono animo eſſe, ac hortatur ipſum, vt quicquid adhuc moleſtiæ, oneris, grauaminis reliquum ſit, id omne reijciat in DOMINVM, qui onere in ſe ſuſcepto, ſubleuabit grauatum, & efficiet ne ſuccumbat. 1. *Pet.* 5.

Et quia Apoſtolus Petrus, cũ texit ex hoc verſiculo cohortationem ad ſufferendam potentem manum DOMINI, manifeſtè ſignificat, quòd Spiritus ſanctus non ſolum Dauidem ſic allocutus ſit, ſed vniuerſam Eccleſiã Dei hoc modo alloquatur, & exhortetur: ideo operæprecium nos facturos exiſtimamus, ſi paulò copioſius hũc verſiculum explicemus.

Dices igitur. Quid? Iubes quidem me iactare cu
ram meam, & proiicere onus, sarcinam, & grauam
na mea in DOMINVM, sed non video vllam huiu
rei, quã iubes, gerendæ rationẽ. Cura arctius me co
plectit, quàm vt queã ipsam à me excutere, & sarc
na grauius in me incumbit, quàm vt possim eã à m
in alienos humeros amoliri. Si curæ & sollicitud
nes pro arbitrio nostro ita poni possent, quemadm
dum vesperi, cùm te ad capiendum somnum comp
nis, indusium abijci, & manè iterum recipi solet, fac
lem haberes, & obsequentem auditorem: nunca
tem carni ita infixæ sunt, vt videantur ei natura i
hærere. Quare si curas, & grauamina animi abijci
da susceperis, vitam ipsam hanc corporalem abijci
necesse videtur. Et quid, si Dominus non recepe
in se mea grauamina, etiamsi in eum proiecero? A
gedum igitur, perquiramus rationem, qua grauam
na nostra in Dominum ita proiiciamus, vt ijs in
susceptis, nos ad currendam viam salutis expedi
reddat. Ac primùm omnium danda est nobis sum
ac præcipua opera, vt simus cum Deo reconciliati
Deus sit nobis propitius. Quomodo n. sperare po
semus, quòd Deus susciperet in se nostra grauamin
si nobis esset iratus, & odio nos haberet? Ac sum
quidem cum Deo reconciliati, & Deus factus est n
bis propitius, per sanguinem DOMINI nostri Ie
Christi: nunc autem quæritur, quid nobis faciend
sit, vt hæc reconciliatio nobis, sicut nunc loqui solẽ
applicetur, & nos ea fruamur? Christus enim p
omnibus quidem sanguinem suum effudit, sed no
omnes sunt fructus sanguinis eius participes, id

non ſanguinis Chriſti, qui eſt ſufficiens expiatio pro peccatis omnium hominum, ſed impiorum vitio, qui tantum abeſt, vt ſtudeant fructum eius percipere, vt etiam oblatum reiiciant. Percipimus autem fructum ſanguinis Chriſti, hoc eſt propitiationẽ pro peccatis noſtris, & reconciliationem cum Deo, ſi agnito peccato, conuertamur ad DOMINVM, & credamus, quòd remittantur nobis peccata coram Deo, & Deus ſit nobis propitius, nõ propter vlla merita humanæ iuſtitiæ, ſed tantùm propter filium ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum: Iuſtificantur, inquit Paulus, gratis, illius fauore, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem, in ſanguine eius. Hîc multa quidẽ inſignia & obſeruanda dicuntur, ſed nunc duo conſideremus, vnum quòd dicit, propitiationem & redemptionẽ per Chriſtum factam, eſſe gratuitam: alterum, hanc redemptionem contingere & appropriari nobis per fidem. Et Chriſtus ipſe dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat vitam æternã. Quare neceſſarium eſt ante omnia, vt ſi volumus Deũ recipere onera noſtra in ſe proiecta, amplectamur fide Ieſum Chriſtum filium eius, & collocemus in ipſo omnem fiduciam noſtram, qua nos reconciliationis eius participes fiamus. Nec mirum, quod Deus ſuſcipiat in ſe onera credẽtium in Chriſtum, filium ſuum. Quotquot enim credunt in Chriſtum, fiũt membra corporis eius per fidem. Deus autem tanta beneuolentia complectitur Chriſtum filium ſuum, vt etſi conijcit eum in dolores mortis & inferni, tamen non derelinquat animam eius in

morte

morte & inferno, nec ſinat carnem eius videre cor-
ruptionem: ſed extollat eum in ſummam ſublimita-
tem, & collocet eum ad dextram maieſtatis ſuæ. Et
& eo in filium ſuum fauore, vt non tantùm ipſi be-
nefaciat, verùmetiam benefaciat omnibus credenti-
bus in ipſum, & adoptet eos in filios, ac faciat ipſos
hæredes quidem ſuos, cohæredes autem Chriſti fili
ſui. Quare teneri non poteſt, quin cum ſuſcipit in ſe
onera Chriſti filij ſui, & liberet eum omnibus ſuis
grauaminibus, ſuſcipiat etiam in ſe onera membro-
rum eius, qui ſunt credentes in ipſum, & tollat ab
eis omnia grauamina eorum. Itaque perſpicuum eſt
quòd nec Iudæi, nec Turcæ, nec Hypocritæ confi-
dentes ſua ipſorum iuſtitia, poſsint onera ſua in De-
um proijcere, & ſi proijcere conantur, Deus ea non
ſuſcipiat. Cum enim alij planè non credunt, alij non
verè credunt in Ieſum Chriſtum filium Dei, non ſunt
vera membra Chriſti, nec Deus eſt eis propitius, ſed
reputat eos alienos, & cura ſua indignos.

Deinde in hoc ſtudium incumbendum eſt, vt in
vocatione Dei ex fide ambulemus, & perduremus.
Quî enim conueniret, vt à quo piam petas opem ut
ſubleuanda ſarcina, interea tamen percutias faciem
eius pugno. At contra vocationem Dei ambulare
aduerſus Deum peccare, eſt Deum pugno in faciem
vt ita loquar, percutere. Non igitur licebit onus no-
ſtrum in Deum reijcere, niſi vocationem eius fideli-
ter ſectemur. Quod quidem paucis verbis dicitur,
ſed latè admodum patet. Alij enim ducunt ſceleratam
tam vitam, ſcortantur, helluantur, exercent impo-
ſturas, blaſphemant, peierant, ac omnino cupiditati
carni

carnis ſuæ, & ſatanæ obſequuntur. Imminentibus autem periculis, & irruentibus calamitatibus ſuſpiciunt quidem in cœlum, recitant multas preces, ſuſcipiunt etiam ieiunia, & alia pœnitentiæ ſigna, nō mutant autē vitam ſuam in melius, non deſerunt, niſi fortè ad tempus, ſuas ſcortationes, helluationes, & alia ſcelera: ſed pergunt, data quauis occaſione, veteres ſuos mores repetere. Hi, quia non ambulant in vocatione Dei, nec verè reſipiſcunt, non poſſunt onus ſuum in Deum reiicere, etiamſi diu ac multùm pro liberatione ad Deum vociferentur. Deus enim non reſpicit, nec exaudit afflictos impœnitentes, ſed afflictos verè pœnitentes: Cum extenderitis (inquit) manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et iterum: Ecce non eſt abbreuiata manus DOMINI, vt ſaluare nequeat, neq; aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderūt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim veſtræ pollutę ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: (hoc eſt) Vos eſtis impœnitentes, & quanquam inceditis induti ſaccis, & conſperſi cinere, tamen retinetis veteres veſtros mores, & pergitis, quoquo modo oblata fuerit opportunitas, vſitata ſcelera deſignare. Vulgus enim hominum exiſtimat hoc eſſe pœnitentiam agere, ſi quis in priuata aut publica calamitate induat ſordidas veſtes, ieiunet ad medium vſq; diei, aut ad veſperā, viſitet cum aliis templa, audiat conciones, & litanias, ac reci- *Eſa. 59.*

tet aliquot preculas, quibus petat liberationem à præsentibus aut futuris calamitatibus. Ac ea quidem, quæ in agenda publica pœnitentia vsitata & solennia sunt, ac pie fieri possunt, (non enim loquimur hîc de impijs sacrificijs, & de idolatricis invocationibus, sed de pijs cæremonijs pœnitentiæ) non sunt negligenda. Non est autem sentiendum, quòd ijs moribus absoluatur vera pœnitentia, sed postquam peccatum agnoscitur, & creditur, quòd peccatum remittatur sola clementia Dei propter Iesum Christum, exuendi sunt mores veteris hominis, & induendus est nouus homo, sicut Paulus loquitur, vt vitato stupro, auaritia, ira, maledicentia, turpiloquentia, & alijs sceleribus, induamur viscera miserationum, comitatem, modestiam, pudicitiam & reliquas virtutes: Lauamini, inquit Esaias, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: Quiescite agere peruersè, discite benefacere: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit DOMINVS. Et Micha: Num quid placari potest DOMINVS millibus arietum aut myriadibus hircorum pinguium? Ac mox Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid DOMINVS requirat à te. Vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum DOMINO Deo tuo: Quare si voluerimus onera nostra ita reijcere, vt DOMINVS ea suscipiat, & nos exoneret, necesse habemus veros fructus pœnitentiæ proferre, & in vocatione Dei fideliter & constanter ambulare. Alij, etsi honestè viuunt,

tam

tamen exponunt se temerè, sine vocatione Dei, periculis. Quale est, quòd tres Principes irruerunt, petitione Dauidis, in stationem Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna eorum: aut, quòd Satan Christum iubebat, demittere sese de pinnaculo templi: aut, quòd nonnulli ad coniugium nati, suscipiunt votis & iuramentis cælibatum. Hi, quia sine certa Dei vocatione subeunt pericula, non possunt onera sua in Deum proijcere, & ab ipso auxilium verè sperare. Etsi enim Deus innumeros liberat & seruat, qui temerè sine sua vocatione adeunt pericula, hoc tamen fieri solet non ordinaria, sed extraordinaria tantùm clementia. Nam quod ad ordinariam Dei clementiam attinet, promittit Deus liberationem & salutem, non temerarijs, sed ijs, qui in sua vocatione ambulãt, & ex ea vocatione pericula adeunt. Ad Mosen dicitur: Veni mittã te ad Pharaonẽ, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto. Hoc est mandatum Dei, quo Moses vocabatur ad maxima pericula. Additur ergo promissio: Ego ero tecum. Ad Hieremiam dicitur: Omnia, ad quæ mittam te, facienda suscipias, & vniuersa, quæ mandauero tibi, loquaris: Hoc est præceptum DOMINI, quo Hieremias obijciebatur manifestis periculis. Additur ergo promissio: Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te, dicit DOMINVS. Et in Psalmo: Vniuersæ viæ DOMINI misericordia, & veritas custodientibus testamẽtum eius & testimonia eius, hoc est, credentibus ac sperantibus in ipsum, & ambulantibus in vocatione eius. Et Micha: Salus erit timentibus no-

2. Reg. 23.

Psal. 24.

men eius. Hi enim in vocatione eius ambulant. Quid plura? In Decalogo perſpicuè dicitur: Ego ſum DOMINVS Deus tuus, faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea.

Quid ergo? inquies: Num is tantùm, qui ex vocatione Dei pericula addit, ſperare poteſt in DOMINVM, & onus ſuum proiſcere in eum? Quid igitur fiet ei, qui ſe temerè obiſcit periculis, & ſuſcipit onera in ſe ſine vocatione Dei? An huic non licebit onus ſuum in Deum iactare, & liberationem ſperare? Quid etiam fiet illi, qui propter ſcelera ſua, ſiue furtum, ſiue latrocinium, ſiue homicidium, ſiue adulterium coniectus eſt in vincula, & obruitur horroribus mortis? An hic ſperare non poteſt, vt Deus ſuſcipiat in ſe onus ſuum, & ſuſtentet ipſum? Petrus dicit: Ne quis veſtrûm affligatur vt homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος. Ergo ne, qui ſic affligitur, non eſt ei relicta ſpes proiſciendi grauamen ſuum in DOMINVM, & consequendi ab eo ſalutem? Abſit: Impœnitentibus quidem, & non conuertentibus ſe per fidem ad DOMINVM, non eſt reliqua ſpes ſalutis. Etſi enim liberantur aliquoties corporaliter à ſuis oneribus extra ordinaria clemẽtia Dei, quemadmodum paulò antè diximus, tamen ſi non agunt veram pœnitentiam, neceſſè habent tandem non corporaliter tantùm, verùmetiam ſpiritualiter & perpetuò interire. Qui autem comprehenduntur ſiue in periculis, quibus ſe temerè ſine vocatione Dei obiecerunt, ſiue in ſupplicijs, quæ meriti ſunt propter ſcelera, &

agunt

agunt veram pœnitentiam, atque confidunt, agnito peccato, ſola clementia Dei propter Ieſum Chriſtum filium eius, hi iam iterum redeunt in vitam, & incipiunt ambulare in vocatione Dei, ideoq; licebit eis omne grauamen ſuum in Deum proiſcere, & certam ac veram ſalutem ſperare. Hæc enim eſt voluntas, hæc eſt vocatio Dei, vt non pecces quidem, poſtquã autem peccaueris, reuertaris ad DOMINVM vera pœnitentia, & credas, agnito peccato Deũ tibi propitium eſſe, & remittere peccatum propter filiũ ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Neque enim Deus vult interitum peccatoris, ſed vult, vt reſipiſcat, agat pœnitentiam, & conſequatur ſalutem: Si egerit gens illa (inquit) pœnitentiam à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agã & ego pœnitẽtiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et iterum: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem impij, ſed magis vt conuertatur & viuat. Ac ſeruatur quidem aliquoties is, qui in periculis, aut ſupplicijs peccatorum cõuertitur ad DOMINVM, & agit pœnitentiam, etiam in corporali vita: ſi autem aliud fuerit DOMINO viſum, certè ſeruatur vita ſpirituali, cœleſti & perpetua. Manaſſes rex Iudæ abducitur ab honeſtibus captiuus, & conijcitur in carceres: quod ſupplicium immiſit ei DOMINVS propter impietatem, tyrãnidem & crudelitatem eius. Cum autẽ in carceribus ageret pœnitentiã, DOMINVS grauamen eius in ſe ita ſuſcepit, vt non tantùm ſeruaret eum corporali vita, ſed etiam reſtitueret eum libertati & regno. Iechonias abducitur captiuꝰ in Babylonem, propterea quòd ſectaretur impietatem pa-

rentum ſuorũ: in Babylone aũt, cũ pœnitẽtiam age-
ret, etſi nõ eſt reſtitutus regno, reſtitutus tamẽ eſt li-
bertati, & ſubleuauit Rex Babylonis caput ei⁹, ſicut
ſcriptura loquitur, ac poſuit thronũ eius ſuper thro-
nũ Regũ, qui erant cum eo in Babylone. Duo latro-
nes crucifiguntur cum Chriſto, propter latrocinia
ipſorum: cum autem alter in cruce ageret pœniten-
tiam, etſi non eſt ſeruatus in corporali vita, tamen
ſeruatur cœleſti vita, & audit: Hodie mecum eris in
paradiſo. Quare omnino quidem cauendum eſt, ne
temeritate noſtra tentemus Deum, & ne peccemus
aduerſus Deum, ſi autem præoccupati fuerimus te-
meritate & peccato, ac verſemur iam in medijs pe-
riculis, & ſupplicijs peccati, non retineamus ſuper
nos grauamina noſtra, ne nos ad infernum vſque de-
primant: ſed reſipiſcamus, & veram pœnitentiam
agamus, vt poſsimus grauamina noſtra à nobis in
Deum proijcere, & ab ipſo reuelationem ac ſalutem
ſperare.

Alij non ducunt quidem inhoneſtam vitam, nec
temerè ſe periculis exponunt, ſed ſi obruantur ad-
uerſis, & premuntur calamitatibus, tam impatientes
ſunt, vt virulentiſsima quæque maledicta, & amaru-
lentiſsimas execrationes proijciant. Et nunc qui-
dem auxilium Dei, nunc autem auxilia aliena quæ-
runt. Nam quemadmodum olim Iſraelitæ claudica-
bant in duas partes, & colebant ſimul verum Deum
& alienum Deum Baal, & Samaritæ, cum colerent
DOMINVM, ſeruiebant etiam alienis dijs, iuxta cõ-
ſuetudinem Gentiũ: ita & illi ęrumnis grauati, ver-
tunt quidem ſe ad inuocandum verum Deum, ſed
interea

interea inuocant etiam mortuos, & quærunt opem apud incantatores, ac tantùm non illud Ethnicorum dicunt: Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo. Hoc autem non est grauamina à se in Deum proiicere, sed est sese nouis grauaminibus onerare. Etsi enim in hac carnis imbecillitate fieri nõ potest, vt in magnis ærumnis non doleas, nisi enim doleres, non excitareris ad proiicienda onera tua in DOMINVM, tamen non est aduersus Deum murmurandum, non est maledictis, conuitijs, & execrationibus grassandum: nam qui fert aduersa impatienter, suscipit bellum aduersum Deum, & damnat iudicium Dei, qui aduersa immittit. Solent quidem impatientes sese excusare, quòd patienter ferrent aduersa, si scirent autorem eorum esse Deum. Nũc autem quia dęmones & mali homines sunt eorum autores, quomodo æquo animo essent? At enim, quis est iste (inquit Hieremias) qui dixit, quòd fieret, DOMINO non iubente? Ex ore altissimi non egrediuntur nec bona nec mala? Et Christus: Non cadit vnus ex passeribus in terram sine voluntate patris: & pili capitis quoque vestri numerati sunt. Dæmones quidem, & mali homines solent esse organa & instrumenta, per quæ calamitates nobis immittuntur, Deus autem ipse earum autor est, & habet semper iustissimas causas, cur eas nobis immittat, vt qui iniquo & amarulento animo eas fert, haud obscurè videatur Deum iniustitiæ, & tyrannidis damnare. Quòd quantum mali sit, & quanto supplicio dignum, vulgatius est, quàm quod nunc pluribus explicari debeat. Quare tãtum abest, vt impatientes, & virulẽti

proiciant

proiſciant amarulentia onus ſuum in DOMINVM, vt potius onera oneribus cumulent.

Quod cum ita ſe habeat, videamus, quid tandem faciẽdum ſit, vt proiſciamus onera noſtra in DOMINVM. Poſtquam enim reconciliati ſumus cum Deo & habemus propitium Deum, ac ambulamus in vocatione eius, tunc non ſolùm nos idonei ſumus, vt reiſciamus grauamina noſtra in Deum, ſed etiã Deus ipſe paratus eſt ea prompte & beneuolenter in ſuſcipere. Quid igitur faciamus? Quid? niſi vt firma fiducia, & certa ſpe inuocemus Deum patrem, per Ieſum Chriſtum filium eius. Inuocatio enim ea eſt quæ non tantùm proponit onera noſtra in conſpectum Dei, ſed etiam imponit ea in humeros Dei. Etenim Deus aliâs manifeſtè ſignificat, ſe per inuocationem ſuſcipere in ſe onera noſtra, & nos ab his liberare: Inuoca me (inquit) in die tribulationis. *Pſalm. 49.* Quid ergo fiet? Sequitur: Eruam te, & honorificabis me. Vides inuocatione fieri, vt eruamur à tribulatione, hoc eſt, vt Deus ſuſcipiat in ſe onera noſtra, & nos liberet. *Pſalm. 80.* Et iterum: In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te. Quid hoc aliud eſt, quàm ſi diceret: Reieciſti in me onus tuum, & ego te eo exoneraui? Ac rurſus: Clamauerunt ad DOMINVM cum tribularentur: & de neceſsitatibus eorum eduxit eos. Et DOMINVS clamore inuocationis excitatur, vt educat afflictos de neceſsitatibus ipſorum, certè perſpicuum eſt, quòd clamor inuocationis deuoluit afflictionem in Deum, vt in ſe eam ſuſcipiat, & afflictos ſeruet, ſicut & apud Ioelem dicitur: Omnis, qui inuocauerit nomẽ DOMINI, ſaluus erit. Quare, ſi vo-

luerim

luerimus nos grauaminibus noſtris exonerare, & in Deum reiſcere, neceſſarium eſt, vt poſtquam agnoſcimus Deum nobis eſſe propitium propter filium ſuum, & ſectamur vocationem Dei, inuocemus nomen DOMINI Dei noſtri per Ieſum Chriſtum, nec vnquam in inuocatione defatigemur. Etſi enim ſpiritus, qui intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, imponit Deo patri omnes afflictiones piorum, etiam priuſquam ad Deum expreſsis verbis clamauerint: Erit (inquit) antequam clamẽt, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego reſpondebo: tamen ad excitandam & confirmandam fidem, & ad teſtificandum officium noſtrum, etiam nos ipſi nomen DOMINI inuocare, & ad Deum clamare debemus, vt re ipſa comperiamus, onera noſtra à nobis in DOMINVM Deum noſtrum deuolui. Quid ergo erit ei, qui onera ſua ad Deum deuoluit, & in Deum reiſcit? Sequitur: Et ipſe ſuſtentabit te. Obſeruabilis promiſsio, quæ & aliâs ſæpè in Pſalmis repetita eſt: Iuxtà eſt (inquit) DOMINVS his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos DOMINVS. Cuſtodit DOMINVS omnia oſſa eorum, & vnum ex his non conteretur. *Pſal. 33.*

Et iterum: Salus iuſtorum à DOMINO, & protector eorum in tempore tribulationis: Et adiuuabit eos DOMINVS, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerũt in eo. Ac rurſus: Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo *Pſal. 36.* *Pſal. 90.*

ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo
Eſa. 43. eum. Et in Eſaia: Cum tranſieris per aquas, te cum ero, & flumina non operient te. Cum ambu laueris in igne, non combureris, & flamma non ar debit in te: quia ego DOMINVS Deus tuus, ſanctu Iſrael, ſaluator tuus.

Audio quidem, inquies, prolixas & liberale promiſsiones, ſed quis me certiorem reddet, quòd ſint firmæ & veræ, & quòd ad me quoq; pertineant Primùm, ſpero tibi non ignotam eſſe autoritatem Dauidis & Eſaiæ, ac aliorum Prophetarũ & Apo ſtolorum, quorum doctrinam, ſi aut neſcis, aut dubi tas eſſe oraculum Spiritus ſancti, confirmatum mi tis ac magnis miraculis, ac plurimis aliis certiſsimi teſtimoniis, profectò ne inter Catechumenos *quidē* piæ doctrinæ numerandus es, tantùm abeſt, vt tib inter perfectos, aut inter eos, qui in Eccleſia Chri præcipui vidētur, relinquendus ſit locus. Et hæc diſputatio de veritate ac certitudine diuinæ ſcriptu ræ, alterius eſt loci, & aliâs ſatis grauiter & copioſ explicata. Quare, qui ita ſunt affecti, vt promiſſio nes diuinæ ſcripturæ non alio loco ducant, quàm veteris cuiuſdã Philoſophi, aut Hiſtoriographi ſcri ptum, hi ad eorum catalogum pertinent, quos Pau lus vocat χωρὶς χριστοῦ, abalienatos à rep. Iſraelis, extra neos à teſtamentis promiſsionis, ſpem nõ habentes Deoq; carẽtes in mundo. Deinde etſi promiſsiones quas e Dauide & Eſaia recitauimus, dictæ ſunt ante duo millia annorum, tamen ad te quoq; pertinent, modò tu ad Eccleſiã DOMINI pertineris. Manifeſtum enim eſt, quòd hæ & aliæ id genus promiſsio

nes sint propriè populo seu Ecclesiæ Dei, & propter Ecclesiam literis mandatæ, ad posteros propagatæ, & in orbe terrarũ diuulgatæ: Respexit, inquit Psalmus, in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit DOMINVM. Et Paulus: Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Ac Petrus expresse facit hanc promissionem, quæ in hoc nostro versiculo continetur: Ipse sustentabit te, vel sicut Petrus exponit: Ipsi cura est de vobis, vniuersæ Ecclesiæ, ac singulis membris eius communem & generalem. Quare hæc vna sit cura, hoc præcipuum sit studium tuũ, vt sis verum membrum populi seu Ecclesiæ Dei, per fidem in Iesum Christum DOMINVM nostrum. Sic enim nihil erit certius, quàm quòd promissiones etiam ad te pertineant, & tu ijs verè frui poteris. Nisi fortè te nomen iusti deterreat, quod mox sequitur: Non dabit in æternum fluctuationẽ iusto. Et in alijs promissionibus: Salus iustorum à DOMINO. Et: Multæ tribulationes iustorum, ac de omnibus ijs liberabit eos DOMINVS. Hîc de iustis tantùm fit sermo: Tu verò agnoscis te esse iniustum. Quomodo igitur sentire potes, quòd hæ promissiones ad te pertineant? Sed bono sis interea animo, de hac re mox dicemus. Nunc hoc nobis agendum est, vt hanc promissionem (qui sustentabit te) rectè ac piè intelligamus. Alij enim, cum audiunt hanc aut ali- *Psal. 101.*

am huic ſimilem promiſsionem, exiſtimant eam ita intelligendam, quòd piis nihil prorſus aduerſi aut afflictionis accidere, ſed omnia feliciter, etiam in hoc ſeculo, & in externis actionibus ſuccedere debeant. Alij putant promitti repentinam malorum leuationem & liberationem, quæ niſi confeſtim, pro arbitrio afflicti, ſequatur, promiſsio habetur vana & mendax. Sed longè alia eſt id genus promiſsionum ſententia. Deus enim nō vult, vt pij vel nullam, vel breuiſsimam in hoc mundo afflictionem habeant, ſed vult potius, vt affligantur idq; non vnius tantùm horæ momento, ſed donec in hac carne vixerint. Non enim dicit hoc loco, nullum omnino onus geſtabis: ſed dicit: Proiice onus tuum in DOMINVM, ſignificans pium geſtare tantum oneris, vt exiſtimet ſibi ſub eo eſſe ſuccumbendum. Et in Eſaia, non dicit, fore, vt pij aquas non tranſeant, & in igne non ambulent: ſed dicit: Cum tranſieris per aquas, & cum ambulaueris in igne, ſignificans, aquas planè tranſeundas, & in igne ambulandum eſſe. Quid plura? Stat ſententia firma & fixa: Multæ tribulationes iuſtorum. Et: In mundo habetis afflictionem. Et: Omnes, qui piè volunt viuere in CHRISTO IESV, perſecutionem patientur. Quæ ergo eſt vera illarum promiſsionum ſententia? & quid piis promittitur? Primùm, cum pro conditione huius carnis, & regni Chriſti in hoc mundo neceſſe habeant aduerſis affligi, promittitur eis euentus, vt poſsint aduerſa ferre, & ſuſtentatio, ne ſuccumbant, ac pereant: Fidelis eſt Deus, inquit Paulus, qui non ſinit

Eſa. 43.

vos tentari supra id quod potestis, sed facit vnà cum tentatione euentum, vt possitis sufferre. Et Dauid: Ostẽdisti (inquit) mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abysis terræ iterum reduxisti me. Ac rursus: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Deinde, etsi afflictiones piorum sunt diuturnæ, tamen non possunt esse perpetuæ. Promittitur enim eis æterna liberatio. Ac fieri quidem nonnunquam solet, vt etiã in hoc mundo mirabiliter liberentur, sicut tres iuuenes ex fornace Babylonis liberãtur, & Petrus per angelum liber è carcere educitur. Sunt autem talia exempla innumera. Sed etiamsi pio nulla contingat liberatio ex afflictionibus, dum in hoc mundo corporalem agit vitam, tamen certissima est cœlestis & æterna liberatio, qua etiam diuturnitas afflictionum liberalissimè compẽsatur: Reputo, inquit Paulus, non esse pares afflictiones prę̃sentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis. Hoc idem significat etiam appendix, quæ in hoc nostro versiculo addita est: Et non dabit in æternum fluctuationem iusto. Nõ enim dicit: Iustus nullam omnino habebit fluctuationem, sed dabit quidẽ ei DOMINVS fluctuationem, permittet vt iactetur hinc inde variis procellis, adeoq; idem planè accidat pijs in hoc mundo, quod nauigantibus in mari: Ipsi, inquit Psalmus, vident opera DOMINI, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & extat spiritus procellæ, & exal-

Psalm. 70.

Psalm. 93.

tantur fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Anima eorum in malis tabeſcit. Hæc autem fluctuatio, hæc iactatio non erit perpetua: Dabit, inquit, fluctuationem iuſto, ſed non in æternum. Sic & Hieremias: Non repellit DOMINVS in ſempiternum. Repellit quidem DOMINVS aliquoties ſanctos ſuos, ſed non in ſempiternũ: Ad punctum, inquit Eſaias, in modico, dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parum per à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Quare confidamus in aduerſis, & ſimus fortis animo, quòd certò ſciamus, aduerſa diuina clementia mitigari, vt poſsimus ferre, & non fore perpetua, vt ab ipſis in æternum liberemur.

Sed fortaſsis nomen iuſti, quod in hac promiſſione additur, nonnihil te perturbat, & reddit fiduciam tuam imbecilliorem. Dicit enim: Non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Ergo hæc promiſsio ad ſolos iuſtos pertinet. Quis verò audebit ſibi nomen iuſti arrogare? non enim eſt in terra qui faciat bonum, ne vnus quidem. Cognoſcamus igitur, quis in hac & ſimilibus promiſsionibus dicatur iuſtus. Primùm enim nomine iuſti, hoc loco non intelligitur is, qui legem Dei perfectè implet, & non habet, aut facit vllum peccatũ, ſic enim nullus hominum in terris iuſtus eſt: In conſpectu tuo, inquit Pſalmus, non iuſtificatur vllus homo: ſolus autem Chriſtus, filius Dei, tam perfectæ & abſolutæ eſt iuſtitiæ, vt etiam ſolus propriè ac verè nomen iuſti reportet. Deinde per iuſti nomen non intelligas hîc hypocritam, quod

quod genus hominum ſimiles ſunt, vt Chriſtus ait, ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſsibus mortuorum, omniq; ſpurcitia. Sed intelligitur is, qui agnita ſua iniuſtitia, credit ſe coram Deo reputari iuſtum, propter Ieſum Chriſtum filium Dei, & ambulat ex hac fide in vocatione Dei. Hic .n. etſi in ſe aut carne ſua nõ eſt iuſtus, tamen quia credit in Chriſtum iuſtum, imputatur ei iuſtitia Chriſti, vt poſsit & audeat, & debeat ea, tanquam propria coram tribunali Dei fidere. Et quanquam, cum ſectatur vocationem Dei, non facit opera perfectè bona, tamen quod imperfectum eſt, non imputatur ei, propter Chriſtum. Nemo igitur debet nomine iuſti à fiducia huius promiſsionis deterreri: ſed potius excitari, vt veram iuſtitiam in Chriſto habeat & poſsideat, ne fluctibus ac procellis perpetuò iactetur, ſed propter Chriſtum in omnibus aduerſis ſuſtentetur. Hactenus de beneficio, quod contingit pijs, proijcientibus onera ſua in Dñm. Audiamus nunc, quid accidat impijs, qui perſecutionib. ſuis pios onerant, & ipſis maxima quæq; grauamina imponũt: Tu Deus, inquit, deduces eos in puteum interitus. Qui autem & quales hi ſint, mox addit: Viri ſanguinum (inquiens) & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Hæc ſunt propriſsima epitheta impiorũ hypocritarum, qui perſequuntur pios, quales ſunt Cain, Eſau, Saul, Pontifices, Phariſæi, Sacrificuli, Monachi, & reliqua hominum turba, qui illorum doctrinæ ſunt addicti. Etſi enim nihil minus videri volunt, quàm aliorum ſanguinem ſitire, & fingunt paternam erga omnes clementiam, vnde nec eos, qui aliquando

exercuerunt

exercuerunt de effundendo sanguine iudicia, quam uis legitima, consecrant in sacrorum suorum ministros nisi antea expiatos, tamen quemadmodum Satan, pater eorum mẽdax est & homicida, ita omnia eorum consilia aduersus pios, dolosa sunt, & cruenta, & sanguine plena. Cain humanissimè colloquitur cum fratre suo Abele, sed interea meditatur homicidium. Saul tantum fauorem simulat erga Dauidem, vt etiam policeatur ei filiam suam in vxorem: sed cogitat secum: Nõ sit manus mea in eo, sed manus Philisthinorum. Pontifices palàm iactant, se nihil magis cupere, quàm vt errantes in gremium Ecclesiæ, sicut ipsi loqui solent, reducantur: sed hoc vnum diu noctuq; agunt, vt ad opprimendam veram Ecclesiam & conseruandam ipsorum tyrannidem, & dignitatem, Reges & Principes excitent, ac inflamment: adeoq; quod Christus dicit ad Apostolos: Veniet tẽpus, vt quisquis interficiat vos, videatur cultum præstare Deo, hoc perpetuum est ingenium & studium omnium impiorum hypocritarum erga pios, & veri Ecclesiam Christi. Cum igitur hypocritæ sint dolosi, cruenti, & viri sanguinum, quid quæso, erit eis? Nõ dolus eorum promouebit? Num cruenta eorum cõsilia fortunabuntur? Additur: Nõ dimidiabunt dies suos, sed tu Deus deduces eos in puteum interitus. Quid? Num impij non dimidiabunt dies suos? Quare ergo impij viuũt, (vt Iob loquitur) Subleuati sunt confortatiq; diuitijs, semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Et mox: Ducunt in bonis dies

Iob 21.

dies ſuos,& in puncto ad infernum deſcendunt,hoc eſt, impij felices ſunt, non ſolùm tempore vitæ, verùmetiam tempore mortis. Cum enim omnino moriendum ſit hominibus, impij viuunt quàm diutiſsimè in ſumma huius ſeculi felicitate : & cum appropinquauerit tempus mortis , non diu afflictantur morbis, non longo tempore cruciantur doloribus, ſed ferè in momento extinguuntur : quod & ipſum eſt genus felicitatis, ne diu in lecto decumbens, ac doloribus excruciatus , tam tibi quàm alijs ſis moleſtus. Dicit & Eccleſiaſtes: Iuſtus perit in iuſtitia ſua, & impius multo viuit tempore in malitia ſua. Et Hieremias : Via(inquit)impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt. Quomodo ergo intelligendum eſt,quod Pſalmus de impijs dicit : Non dimidiabunt dies ſuos. Et Prouer: Anni impiorum breuiabuntur? Sciamus igitur, quod lex Dei promittat quidem pijs longitudinem dierum,& omnem huius ſeculi felicitatem, & minetur impijs breuitatem vitæ,& omnem maledictionem : ſatan autem,qui factus eſt propter peccatum princeps mundi, & Deus huius ſeculi, ſoleat hanc diuinam legis ordinationem ſic inuertere , vt pij ſint in hoc mundo breuiſsimæ & infeliciſsimæ vitæ,impij autem viuant in malitia ſua, vt Eccleſiaſtes dicit,longo tempore,& feliciſsimè. Quare , etſi fieri ſolet , diuina diſpenſatione, vt impij ſint aliquoties etiã in hoc ſeculo infelices,& non aſſequantur ætate ſua dimidium eorum annorum , quos ſibi in vita ſua pollicentur:tamen quod de ipſis hoc loco dicitur: Non dimidiabunt dies ſuos, magis de conſi- *Pro.10.*

lijs & inſtitutis, quàm de annis ætatis eorum intel-
ligendum eſt. Solent enim impij de inſtitutis ſuis
aduerſus pios maximam ſpem concipere, & ſibi
perpetuò felicem ſucceſſum eorum promittere. Ac
etiam aliquò vſque promouent, & proſperantur:
ſed priuſquam dimidium facti abſoluerint, pudefi-
unt & pereunt, ac planè eis accidit, quod Eſaias de
hoſtibus montis Zion dicit: Sicut ſomniat eſurien-
& comedit, cum autem fuerit expergefactus, va-
cua eſt anima eius, Et ſicut ſomniat ſitiens, & bibit,
& poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſi-
tit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omni-
um gentium, quæ dimicauerunt contra monten
Zion. Cain ſomniabat ſe, ſi fratrem è medio tolle-
ret, conſecuturum dominationẽ vniuerſi orbis ter-
rarum, & propagaturum eam ad omnem poſterita-
tem ſuam. Ac videbatur quoq; aliquò vſq; promo-
uere, ſuſtulit enim fratrẽ è medio, ædificat ciuitates,
inſtituit politias, ac viſus eſt omnino futurus DOMI-
NVS totius terræ, vnà cum poſteritate ſua: ſed pro-
fectò non erat niſi ſomnum eſurientis & comeden-
tis. Nam priuſquam dimidium conſiliorum ſuorum
abſoluit, perijt & ipſe miſerrimè, & vniuerſa poſte-
ritas eius obruta eſt aquis diluuij. Saul cogitabat, ſi
Dauid occiſus eſſet, ſe regnum Iſraelis ita conſtitu-
turum, vt perpetuò in poſteritate ſua maneret. Ac
nonnihil etiam efficere viſus eſt, eiecit enim Da-
uidem in exilium, & regnum, quibus potuit rebus
ita confirmauit, vt hominibus non aliud in men-
tem venire potuerit, quàm poſteritatem Saulis
in Iſraele dominaturam: ſed id accidit, quod Pſal-

mus

mus dicit: Impij non dimidiant dies suos. Etsi enim Saul peruenit gubernatione regni sui, vsq; ad quadragesimum annum, quot annos ne pius quidem Iosophat, aut Ezechias regnauit, tamen consilijs & institutis suis non peruenit vsque ad dimidium perfectionis. Tantum enim abest, vt regnum ad posteritatem suam transmitteret, vt ipse, vnà cum filio suo Ionatha, quem in imperio sibi successurum certò sperauerat, ab hostibus misere & crudeliter opprimeretur, & posteri eius, tanquam regno inutiles, abijcerentur, ac etiam è medio tollerentur. Pontifices & Pharisæi sperabant futurum, vt si Christum interficerent, non tantùm facerent sibi Romanos propitios, verùmetiam opes & dignitates suas augerẽt. Sed etsi consilia eorũ hactenus feliciter succedunt, vt interficiant Christum, & commorentur aliquandiu in regione sua tranquilli, tamen paulò pòst tanta calamitate obruuntur, vt à Romanis ipsis, quos sibi morte Christi propitios facere instituerant, tam vrbe quàm regione, adeoq; omnibus suis rebus exuerẽtur, & qui superstites erant, in perpetuam seruitutem abducerentur. Itaq; quanquam nonnulli eorum erant vita corporali longæui, tamen quod ad consilia & instituta ipsorum attinet, non peruenerunt ad dierum suorum dimidium. Sic enim constitutum est à DOMINO, vt impiorum felicitas, quantumuis ampla & multa, ac firma videatur, tamen non sit diuturna, sed in media ipsorum spe deijciatur: Noli æmulari, inquit alius Psalmus, in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum

olera herbarum citò decident. Et iterum: Inimici DOMINI mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quẽadmodum fumus deficient. Ac mox: Vidi impium præfractum, & exaltatum inſtar viridis Lauri: Tranſiui, & ecce nõ erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus. Et aliâs: Laus impiorum breuis, & *Iob. 20.* gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſq; in cœlũ ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquiliniũ in fine perdetur, & qui eum viderant: dicent, vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſibit ſicut viſio nocturna. Et Eccleſiaſt. Attamen peccator ex eo, quòd centies facit malum, & per patientiam ſuſtẽtatur, ego cognoui, quòd bonum erit timẽtibus Deum, qui verentur faciem eius. Non ſit autẽ bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed quaſi vmbra tranſeant, qui non timẽt faciem DOMINI. Quid plura? Pſalmus noſter hoc loco diſertè addit: Tu Deus deduces eos in puteum interitus. Primùm enim impios, doloſos, & viros ſanguinum deijcit, non homo quiſpiam, ſed Deus ipſe. Si deijcerentur ab homine, poſſent per hominem quoque liberari: nunc autem cum deijciantur à Deo, quis eſt, qui poſsit Deo reſiſtere? quis extollet, quẽ Deus deijcit? quis liberabit, quẽ Deus vinculis cõſtringit? Deinde Deus deijcit eos, non in planam terram, è qua caput ſuum fortaſsis iterũ attollere poſſent, ſed in puteum, eumq; non æquatum terræ, ſed in puteũ altiſsimum, in puteũ interitus, è quo nulla eſt liberatio. Atq; adeò, quemadmodũ apud Danielẽ, ſycophantæ proijciuntur in eũ lacum leonum, quem Danieli parauerant, & in quẽ etiam

Daniel

Daniel coniectus fuerat, ſed diuinitus eſt conſerua-
tus: ita & impij, quicq; neceſſe habent tandem in eo
puteo perire, quem pijs effoderant: Lacum (inquit a-
lius Pſalmus) aperuit, & effodit eum, & incidit in
foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in ca-
put eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcen-
det. Quare etſi impij, qui doloſis & cruentis conſi-
lijs inſidiantur pijs, ducunt vitam diuturnam in feli-
citate huius ſeculi, & dilatant os ſuum ſuper pios, ac
videntur eos deglutire: tamẽ nihil eſt certius, quàm
quòd ne dimidium quidem ſuorum cõſiliorum per-
ficiant, ſed neceſſe habeant, in medio impietatis ſuæ
conatu, perpetuò interire. Hæc recitantur nobis,
non fallendi ocij gratia, ſed ne felicitate virorum
ſanguinum, & crudeliũ hypocritarum offendamur,
ac è ſtatione vocationis noſtræ depelli nos ſinamus.
Obſeruabit, inquit Pſalmus, peccator iuſtũ, & ſtri-
debit ſuper eum dentibus ſuis, DOMINVS autem ir-
ridebit eum: quoniam proſpicit, quòd veniet dies
eius. Gladium euaginauerunt peccatores, intende-
runt arcum ſuum, vt decipiant pauperem, & inopẽ,
vt trucident rectos corde. Gladius autem eorum in-
trabit in corda ipſorum, & arcus eorum confringe-
tur. Quid enim faciamus? Alicubi ſolenne eſt in po-
litijs, quòd ſceleratus, exempli gratia, latro rotæ, aut
fur laqueo adiudicatus & cõdemnatus paſcatur vno
& altero die lautis ferculis. Num alius quiſpiã pau-
per, cui vix datur vncto olere veſci, inuidebit latro-
ni condemnato, & ad ſupplicium breui educendo,
has ferculorum delicias? aut exemplo eius latroci-
nabitur, vt talibus delicijs captus & condemnatus

fruatur? Nihil certè minus, nisi extrema insania laboret. At enim non est alia ratio felicitatis impiorum. Etsi enim impij contemnunt iudicium Dei, & non vident sibi condemnationem impendere: tamen Deus tulit iam aduersus ipsos condemnationis sententiam, & prospicit, sicut Psalmus loquitur, quòd veniat dies eorum. Quare sentiamus felicitatem eorum nihil aliud esse, quàm lauta fercula, quæ latronibus aut furibus confestim ad supplicia educendis, apponi solent: quæ quantas afferant spectatoribus delicias, ipsa rerum experientia testatur. Habes de impiorum & sanguinariorum supplicio: Non dimidiabunt, inquit, dies suos, sed deduces eos in puteum interitus. Quid autem fiet de pijs, quos impij crudeles, & sanguinarij opprimunt? Ego, inquit, in te sperabo, videlicet, vt non deducas me in puteum interitus, sicut impios, sed tribuas mihi longitudinem dierum, & conserues me perpetua felicitate.

Hæc est spes piorum, quam collocant in DOMINO Deo suo. Sed quid, si spe sua fallerentur? Quid miserius est, quàm spem euanescere? Hoc quidem de humana spe, humanis seu coniecturis, seu rationibus suffulta fieri solet: spes autem quam pij concipiunt, non pudefacit, vt Paulus loquitur, non enim nititur vanis hominum somnijs, sed cœlestibus oraculis. Primùm enim extant generales promissiones, quòd Deus conseruet sperantes in ipsum, & non frustretur eos expectatione sua.

Psalm. 16. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Psalm. 36

Psalm. 31. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in DOMINO, misericordia circumdabit eum.

Psalm. 30. In te DOMINE speraui, non confundar in æternum.

Psalm. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Esa. 30. Deus iudicij DOMINVS, beati omnes, qui expectant eum.

Naum 1. Bonus DOMINVS, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se.

Deinde Deus non generalibus tantùm verbis, sed etiam singulari promissione & exhibitione vnigeniti filij sui, DOMINI nostri Iesu Christi, certissime testificatus est, spem piorum haudquaquam esse vanam. Pij enim non sperant quiduis ex quouis, sed sperant ex Euangelio Christi, quo nihil est firmius, nihil certius, veram, cœlestem ac æternam salutẽ, etiamsi diu cum ærumnis conflictandum sit, & expectandum: Commendat, inquit Paulus, suam charitatem erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis iustificati nunc sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Et mox: Si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum per gratiam, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Cum igitur certissimum sit, quòd Deus, postquam reconciliatus est cum humano genere per Christum filium suum, complectatur eos, qui credunt in Christum, tanta dilectione, vt adoptet etiam ipsos in filios suos, fieri non potest, vt spes ipsorum,

quam

quam de vera & æterna ſalute propter Chriſtũ con-
ceperunt, vtut alia cadant, pudefiat. Itaq; cùm hoc
loco Pſalmus dicat: Ego in te ſperabo, hoc vult dice-
re, imò hoc verè intelligendum eſt, quòd pij nõ ſint
conijciẽdi in puteum interitus, ſicut impij, ſed quòd
ſeruentur perpetua ſalute, etiamſi aliquandiu ab im-
pijs opprimãtur, & omnino deleri videantur. Haben
huius Pſalmi non quidem doctam & eruditam, ſed
piam, & niſi fallor, vtilẽ explicationem. Priuſquam
autem te hinc dimiſero, confer mihi, quæſo te, initiũ
um huius Pſalmi cum fine eius, & clarè videbis, quã
tam vtilitatem afferat pia precatio. Initio precatio-
nis videtur Dauid abiectiſsimi animi, & meticulo-
ſiſsimi cordis: propter vnam & alteram vocem ad-
uerſarij ſui in eas animi anguſtias venit, vt palàm
exclamet: Cor meum cõtremiſcit in me, horror mor-
tis cecidit ſuper me. Et: Quis dabit mihi alas, vt lon-
gè auolem, & commorer alicubi in eremo? Diceres
eum quauis muliere imbecilliorem: ſed longè aliu-
eſt precationis exitus. In progreſſu enim precationi
ſpiritus eius ita excitatur & inflammatur, vt non ſo-
lùm aſſurgat heroico animo contra omnes aduerſa-
rios ſuos, & inuehatur in eos, non tam ſeueriſsimis
comminationibus, quàm horribilibus imprecation-
bus: Veniat, inquiens, mors ſuper illos, & deſcen-
dant in infernum viuentes, verùmetiam, exulteri
plenus ſpei, & quaſi triumphet de vera & cœleſti ſa-
lute, quam certiſsima fiducia in DOMINO Deo ſuo
habeat. Hæc eſt pię precationis efficacia. Quẽ inue-
nit imbecillem, eum ita fortem reddit, vt qui anti
cum millibus vnum fugiebat, nunc ſolus & vnus
mill

mille persequatur: & quem inuenit abiecto animo, eum ita attolit, vt caput eius in cœlo posuisse videatur. Properemus igitur in animi imbecillitate, non ad humana præsidia, quibus etsi præsentibus vti licet, inquirere tamen ea impietatibus & sceleribus, & confidere ipsis non licet: sed ad pias precationes, quibus cœlestia præsidia ita parantur, vt si non reportaueris externam & mundanam liberationem, nihil tamen certius est, quàm quòd reportes & veram animi in perferendis aduersis fortitudinem, & cœlestem ac æternam salutem in filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo, qui solus est iustitia, vt Paulus ait, & sanctificatio & redemptio nostra.

VSVS HVIVS PSALMI.

In hoc Psalmo pinguntur nobis ob oculos varij affectus, quibus afflicti laborare solent. Alij enim inuocant quidem Deum, sed non statim exaudiuntur: hi arbitrantur Deum abscondere faciem suam ab ipsis, & preces ipsorum auersari. Alij audiunt vociferationes aduersariorum suorũ, & grauissimas minas, non pueriles, aut muliebres, sed maxima seueritate, potentia & tyrannide armatas: hi non aliter affecti sunt, quàm si iam gladius ceruici ipsorum immineret. Alij in tantis angustijs comprehenduntur, vt oculos vndique circumferant, si fortè inueniant aut latebras, aut effugiũ, & tamẽ nihil vident, quo iuuentur: hi sentiunt sibi mox pereundum esse. Alij, quos sperauerunt sibi fore in periculis amicissimos, re ipsa comperiunt, eos esse inimicissimos,

mos, & longè maius damnum dare, quàm hostes: hi afficiuntur, propter amicorum perfidiam maximo omnium dolore. Alij, quibus res est cum impostoribus, blandis eorum verbis ita decipiuntur, vt turpissimè pudefiant: hi iudicant nullam vspiam esse in terris synceritatem & veritatē. Ac breuiter, omnia in hoc seculo plena sunt minarum, doli, fraudis, impositurae, iniquitatis & impietatis. Hæc si homines pij cognouerint, ac reipsa senserint, variè affici solēt, & de remedijs cogitant. Proponitur ergo nobis hic Psalmus cognoscendus, vt qui inuenerit in eo illum affectum ob oculos suos depictum, quo & ipse laborat, sciat ex ipso remedium quoque petendum esse. Non est autem existimandum, quòd cum hic Psalmus inscribatur, non Angelo, non Archangelo cuipiam, sed Dauidi, homini Regi quidem, sed quondam pastori ouium, cohortationes & consolationes, quæ in eo continentur, non sint vox cœlestis, sed humanæ tantùm blanditiæ. Dauid enim, etsi natura sua homo est peccato, vt alij homines obnoxius, tamen non solùm renatus est per fidem, in benedicto semine Abrahæ, verùmetiam, electus est in magnum auum Christi, vt & Christus de ipsius semine venturus esset: & illustratus est tanto Spiritus sancti dono, vt inter illos, qui cœlestia oracula carminibus celebrarent, præcipuum locum teneret. In posteriori libro Samuelis cap. 23. de Dauide scribitur: Dixit Dauid filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psaltes Israel, Spiritus DOMINI locutus est per me, & sermo eius per linguam meam, &c.

Quare

Quare, cum Dauid habeat insigne, præ alijs Prophetis Spiritus sancti testimonium, sciamus eum in tanta autoritate collocatum, vt si Angelus de cœlo alia oracula cum his pugnantia recitaret, pro anathemate habendus esset. Cæterum, in catalogo illorum, qui talibus affectibus laborarunt, quales in hoc Psalmo pinguntur, principem locum obtinet DOMINVS noster Iesus Christus. Hic enim inuocauit DOMINVM in aduersis suis, sed Deus visus est preces eius auersari: hic in tantis angustijs conpræhensus est, vt vbique quæreret effugia, sed non inuenit: huic minati sunt exitium tã homines, quàm dæmones: hic de vniuerso humano genere optimè merebatur, & sperabat homines sibi amicissimos, sed tanta fuit eorum ingratitudo, vt plus incõmodi attulerint, quam capitales hostes: denique hic, cum omnia cuperet salua, expertus est omnia sibi aduersa. Quo igitur se vertit? quo visus est remedio? certè non alio, quàm quod in hoc Psalmo à Dauide recitatur: Inuocauit Deum patrem suum, sperauit & expectauit opem cœlestẽ adeoq; obsecutus est cohortationi & ꝓmissioni versiculi huius Psalmi: Proijce in DOMINVM onus tuum, & ipse sustẽtabit te. Nõ dabit in æternum fluctuationẽ iusto. Et tamẽ multa est dissimilitudo inter Christum & Dauidem, adeoq; vniuersam Ecclesiam. Dauid enim & reliqui ꝓphetæ, non suscipiunt onera, quæ ipsis diuinitus imponuntur sua spõte, Christus aũt suscepit ea sua sponte. Dauid & alij, non suscipiunt sua onera, vt alios iuuent & leuent, nisi si quid exemplo profuerint,

Christus autem suscepit ea, vt & alios similiter affectos iuuet, ac seruet. Debuit, inquit Epistola ad Hebræos, per omnia fratribus similis reddi, vt misericors esset, & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expianda peccata populi. Nam ex hoc, quod ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere. Quare tentationes & afflictiones, quas Christus in se sua sponte suscepit, ita aspiciamus & consideremus, vt prosint nobis non tantùm exemplo, oportet enim omnino nos Christo in aduersis suo modo conformes fieri, sed etiam ac maximè omnium prosint nobis virtute, quòd & Christus nobis in aduersis præsto adsit, & nos virtute, potentia ac maiestate sua sustentet atque adiuuet, vt non solùm det euentum, quo possimus ferre, sed etiam nos in medijs afflictionibus saluos conseruet. Huc iam accensetur etiam exemplum Dauidis, qui & ipse similiter affectus est his aduersis, quæ in hoc Psalmo commemorantur. Nam sæpè inuocauit DOMINVM, & tamen Deus visus est preces eius aspernari. Inimici eius tam grauiter minati sunt ipsi internitionem, vt nescierit, quò se verteret. Amici eius tam hostiliter in ipsum grassati sunt, vt ne ab aduersarijs quidem potuisset crudelius offendi. Quid ergo fecit, aut quò se vertit, vt aliquod sibi malorum remedium inueniret? Fecit quod hic Psalmus docet, inuocauit DOMINVM, perrexit sperare, & expectare cœlestem opem, ac subiecit se obedientia & fide sua dicto huic Psalmi, quod precioſius est auro & topazio: Proijce in DOMINVM onus tuum, & ipse sustentabit

ſtentabit te, nec dabit inæternum fluctuationem iuſto. Conſecutus igitur eſt ſalutem, nõ ſua aliqua virtute, non afflictionum ſuarum merito, ſed tãtum virtute & merito afflictionum DOMINI noſtri Ieſu Chriſti: qui etſi Dauidis ætate nondum erat homo natus, tamen, quia agnus occiſus eſt ab origine mundi, idcirco etiam Dauid, qui in ipſum credidit, factus eſt meritorum eius particeps. Sed quid vnum tantùm & alterum exemplum recenſere opus eſt? Vniuerſa Eccleſia Chriſti, & pĩj quicq; in Chriſtum credẽtes, in illo luto, vt ita dicam, hærent, quod hic Pſalmus nobis ob oculos ponit. Clamant in aduerſis ad Deum, ſed non videntur exaudiri: ſuſtinent minas perſecutorum pietatis, ſed non vident euaſionem: anguſtijs ſummis premuntur, ſed nulla patet eis latitudo: experiuntur amicos pernitioſiores, quàm inimicos: Tradet, inquit Chriſtus, frater fratrẽ in mortem, & pater filium. Quid igitur facerent alieni, & inimici? Breuiter, tota vita hominis pĩj, non eſt ferè aliud, quàm quod Pſalmus dicit: Trepidatio cordis & formido mortis. Quod ergo eſt tanti mali remedium? Quod hic Pſalmus præſcribit: Inuoca Deum, ſpera in Deum, expecta DOMINVM, & cõiciamus, quod Petrus ex hoc Pſalmo repetit, omnẽ curam, cogitatum, & onus noſtrum in Deum, nam illi eſt cura de nobis. Si autem Deo curæ ſumus, nullam faciemus ſalutis iacturam, etiamſi vniuerſa creatura nos tanquam catharmata, & perípſemata abiiciat, & conculcet. 1. Pet. 5.

Psalmus 56.

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.

Vltę & magnæ solent esse exulum ærumnæ, ac nisi quis in eo dem, vt dici solet, luto hæserit, haud scio, nũ sensu eius plurimum affici queat. Et tamen, cum exilium inter eas calamitates contineatur, quibus plerunq; affliguntur, necessarium est, vt extent exempla, à quibus inexperti petant rationem, qua se ad sufferendum exilium, si quando inciderit, comparant. Inter exules igitur, proponitur nobis præcipuè Dauid, qui per varios casus, & per multa rerum discrimina in exilio iactatus, facile potest documenta dare, qui scopuli in hoc mari nauigaturis occurrant, & aut declinandi, aut quàm minimo periculo adeundi sint.

Porrò, inscriptio huius Psalmi testatur, Dauidem, cum esset à Saule in exilium eiectus, ad Achis regẽ Gath in Philisthæa, diuertisse. Venit autem Dauid in exilio suo bis ad Philisthæos, semel, cum à Philisthæis comprehenderetur, & ad Regem Achis captiuus duceretur, quę historia scripta est in priori libro Samuelis cap. 21. Et iterum, cum profectus est ad Achis regem Gath, vnà cum συμμάχοις & vxoribus suis, &

ſs,& data eſt ei in poſſeſsionem ciuitas Ziklag,quẽ admodum ſcriptum eſt in priori libro Samuelis capite 27. Ac priorem quidem fugam dediſſe huic Pſalmo occaſionem,inſcriptio eius, qua ſignificatur Dauidem à Philiſthæis vinctum ad regem Achis adductum eſſe,haud obſcurè teſtificatur. Ac profecto vides Dauidem eo tempore in ſummis anguſtijs verſatum. Cum enim Philiſthæi vidiſſent eum in ſua regione, & ſuſurrarent inter ſe: Nunquid non iſte, inquientes, Dauid eſt, rex ille terræ,cui per choros cantabãt,percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia? non potuit aliter eſſe affectus, quàm ſi iam iam manibus ipſorum diſcerpendus & mactandus eſſet. In tanto igitur periculo confugit primùm ad vetus ſuum aſylum, ad inuocationem videlicet nominis Dei, cuius precationis ſententiam hic Pſalmus refert. Deinde, quia tenebatur à Philiſthæis captiuus, fingit ſe furia correptum, vt non Dauid heros ille, ſed inſanus quiſpiam ardelio putaretur. Nec fefellit eum ſuum conſilium & ſimulatio. Qui enim comprehenderant, & adduxerant eum ad regem,intantum nullam gratiam inierunt,vt etiam contumelioſe repellerentur, & Dauid liber euaderet. Fuit autem hæc ſimulatio Dauidi felix,non quia humanum erat figmẽtum, ſed quia fortunabatur,per piam Dauidis precationem, diuino incremento. Audiamus igitur ſententiam huius precationes in hunc Pſalmum collatam.

℟. *Miſerere mei Deus, quoniam demergit me homo,aſſiduè impugnans affligit me.*

Demerguns

2. *Demergunt me inimici mei ſingulis diebus, quoniam multi oppugnant me ſuperbè.*

Non eſt nobis diu cogitandum, in quem ordinem hic Pſalmus ſit referendus. Prima enim dictio eius manifeſtè ſignificat, eum eſſe precatorium: Miſerere (inquiens) mei Deus. Quid ergo accidit tibi, quòd miſericordiam Dei tam miſerè implores? Quid mihi acciderit, rogas? En ego ille præſtantiſsimus quondam heros in regno Saulis, extrudor à Saule, irreconciliabili odio, in exilium, & teneor nunc captiuus in manibus Philiſthæorum, qui & ipſi ſunt capitales mei hoſtes, & adducor ad regem eorum, mox fortaſsis crudeliter trucidandus. Quid enim aliud mihi expectandum eſſet, quàm quod ego in
1. *Reg.* 17. præcipuum ipſorum bellatorem, Goliathem, cuius hîc gladium, à ſummo ſacerdote mihi traditum ge-
1. *Reg.* 21. ſto, deſignaui? vt quo ego Goliathem iugulaui, eodē & ipſe immaniſsimè iuguler? Et tu adhuc rogitas, cur miſericordiam Dei implorem? Sed dicam hoc verbis Pſalmi. Homo, nō certè vnus, ſed potius vna abiectiſsimorum & perditiſsimorum, (hoc enim ſignificat אנוש Enoſch) hominū colluuies, conātur me ita abſorbere, deglutire, demergere & cōculcare, vt nihil mihi ampli° vel ſpei vel ſalutis reliquū ſit. Nec eſt ibi vlla requies, illud enim vnum diu noctuq; agunt, illud vnum ſpectant, vt me affligant & perdāt, adeoq; quaſi in profundum maris demergant: ac inſultant mihi tanta inſolentia, tanta arrogantia, & ſuperbia, vt quia tenent me in præſentia captiuum, vi-

deantur

deantur ſibi Babylonem expugnaſſe. In tantis igitur rerum mearum difficultatibus, nihil aliud mihi ſupereſt, quàm vt oculos meos ad miſericordiam tuam, DOMINE Deus meus, dirigam. Sed qua fiducia audes miſericordiam Dei implorare, & liberationem ex his anguſtijs ſperare, cum videas omnia eſſe deplorata, & nihil prorſum auxilij reliquum eſſe? Teneris captiuus manibus inimicorum tuorum: tanta eſt hoſtium multitudo, & tam diligenti cuſtodia obſeruaris, vt ne quidem, ſi alas haberes, auolare poſſes: & duceris ad regem Philiſthæum, cui præter natiuum odium aduerſus Iſraelitas, etiam alta adhuc mente repoſitum eſt, quid contra Goliathem admiſeris: quid igitur in re tam deſperata inanem ſpem liberationis conciperes? Sed huic obiectioni reſpondent duo verſiculi, qui mox ſequuntur.

3. *Quo die metuam, ego in te confido.*
4. *De verbo Dei glorior, in Deum confido, non metuo, quid faciat mihi caro.*

Vbi nos interpretati ſumus: Quo die metuam, ibi Latinus legit: Ab altitudine diei timebo. Vides autem Latinum interpretem coniunxiſſe, in principio tertij verſiculi, quod eſt tam apud Hebræos, quàm apud Græcos in fine ſecundi verſiculi, & in principio tertij diſiunctum, מרום Marom, quod ſignificat ſuperbè, ſeu ad verbum, ab altitudine, & יום iom, quod ſignificat diem. Similiter Græcus interpres, ἀπὸ ὑψους, ab altitudine, in fine ſecundi verſi-

culi, Et ἡμέραν, die, in principio tertij versiculi. I nunc, & profitere exactam Psalmorum interpretationem absque mediocri linguarum cognitione, & exemplarium collatione. Respondet autem Dauid ijs, qui arbitrantur ipsum stultè facere, quòd in tantis difficultatibus speret euasionem. Et est sententia. Non ignoro in quantis angustijs versor, & quanta pericula capiti meo immineant: nec video vllam, quantum quidem humanitus fieri potest, euadendi viam, & re ipsa sentio, me maximo omnium metu contremiscere. Sed quo maior est metus carnis, eò maiori spiritus fiducia liberationem spero: quò magis crescit in me metus, eò magis crescit etiam fiducia, & quanto propinquior est interitus, tanto propinquior etiam est salus. Confido enim non in aliquod idolum, sed in Deum verum: glorior non de meo aliquo merito, non de mea iustitia, sed glorior de verbo Dei, & de misericordia, verbo Dei mihi promissa. Verbum enim de me, ad Prophetam Samuelem, à DOMINO dictum, illud est: Surge, vnge eum, ipse enim est. Hoc est verbum illud Dei, quo ego confido, & quo glorior: hæc est promissio illa Dei, qua sola ego nitor: nec metuo, quid faciat mihi caro. Fateor, premunt me ingentia mala, quæ mihi præsens exitium minantur, sed maior est, qui me in regem elegit, & salutem promisit, quàm qui me è regno exturbare conatur. Ille Deus est, hic homo: ille spiritus est, hic caro. Quare, etsi metuo mihi carne, tamen confido spiritu: & quanquam homo iudicat me perditum, tamen Deus vult me saluum.

1. Samuel. 16.

Vnde

Vnde autem voluntatem Dei cognoscis? Ex verbo, & ex promissione eius. Deus enim promisit mihi salutem & conseruationem, non tantùm publicè & generaliter, sicut alijs Israelitis: Vos, inquiens, eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta, eritis mihi in peculium de cunctis populis: sed promisit etiam eam mihi priuatim & peculiariter, cum ad Samuelem de me dixit: Surge, vnge eum, ipse enim est. Quare, siue Saul me virulenter persequatur, siue Philisthæi me hostiliter comprehenderint, & ad lanienam ducant, non metuo quid faciat mihi caro. Hæc sententia, quæ est plena fiduciæ, solet etiam aliâs in sacra scriptura repeti, vt Psalmo 3. DOMINVS suscepit me, non timebo millia populi circumdantis. Et Psalmo 27. DOMINVS illuminatio mea & salus mea, quem timebo? DOMINVS protector vitæ meę, à quo trepidabo? Et mox: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurget aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Ac rursus Psalmo 118. DOMINVS mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et Paulus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sed quid? An non simile dictum reperitur etiam in tragœdia Ethnica? In Heraclidis dicit chorus: Ζεύς μοι ξύμμαχος, ἡγοῦμαι, Deus mihi adiutor, non timebo. Quod est ergo discrimen? Non illud tantùm est, quòd Ethnici confidant Ioue, Deo fictitio, verùmetiam quòd confidant Deo, absque certo verbo, & absq; vera fide. Non enim confidunt Deo promisso- *Exod. 19.*

te filij virginis, & benedicti seminis Abrahæ,

Sed confidunt Deo, respectore humanorum sacrificiorum, & carnalis iustitiæ. Cum autem nullus sit talis Deus, Ethnici & hypocritæ in sua fiducia, & in vocatione pudefiant, necesse est. Et quanquam eadem sint verba inuocationis, non tamen est eadem fides. Quare tantum est discrimen inter fiduciam piam & Ethnicam, quantum inter veritatem & mendacium, ac inter verum Dei honorem, & blasphemiam in Deum. Veniunt autem duo inprimis hîc obseruanda: Alterum, quòd quò maior est afflictio, eò maior concipienda sit fiducia & certitudo liberationis, vt magnitudo afflictionis non debeat nos deterrere a fiducia, sed potius ad maiorem fiduciam excitare, & confirmare. Huc vocant nos dicta illa, quæ passim in scriptura sacra continentur.

1. Samuel. 2. DOMINVS mortificat & viuificat, DOMINVS deducit ad inferos & reducit, (hoc est) Si DOMINVS mortificauerit & deduxerit ad inferos, nõ facit illo consilio, vt detineat hominẽ in morte & in inferno, sed vt hoc gradu deducat ad vitã & ad superos. Quò igitur propior fueris morti & inferno, eò vicinior est gradus ad vitam & superos.

Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, (hoc est) dereliqui quidem te, & obieci te multis afflictionibus, non autem illo consilio, vt te prorsus abijcerem, sed vt te maioribus beneficijs afficerem.

Ose. 6. Venite reuertamur ad DOMINVM, quia ipse dilaniauit, & sanabit nos, percussit, & curabit nos

nos. Deus enim, non ideo dilaniat, & discerpit, vt perdat, sed vt sanet: nec ideo percutit, vt interficiat, sed vt curet. Quare, quò grauior est percussio, eò certior est curatio. Sed quid multis opus? Vide mihi saltem exemplum Christi, & dictum eius: Nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Christus enim, quò propior fuit cruci & morti, eò propior fuit resurrectioni à morte, & reuelationi summæ suæ maiestatis. Qui autem credit in Christum, & est membrum eius per fidem, is fit etiam particeps gloriæ eius: Si simul cum ipso, inquit Paulus, patimur, vnà quoque cum illo glorificabimur. Confidamus igitur in aduersis, quòd quò acerbior est dolor, eò propinquius est gaudium. Alterum hîc obseruandum est, quòd hic quartus versiculus interpretetur illud Pauli dictum: (Abraham præter spem sub spe credidit,) & doceat, quod sit pij hominis officium in afflictionibus. Dauid enim, comprehensus à Philisthæis, non potest, iuxta humanam rationem, vllam spem liberationis concipere: & tamen sperauit se liberandum. Quid ergò habuit, quo sperauit? Non certè aliud habuit, quàm quod Abraham, ad quem dictum erat: Patrem multarum gentium constitui te. Itaq; credidit Abraham sub spe, quia habuit promissionem Dei: & tamen credidit præter spem, quia reclamauit omnis ordo naturæ. Ita & Dauid credidit sub spe se liberandum, quòd habuerit verbum Dei: Tu eris Rex in Israel, & tamen credidit præter spem, quia tenebatur manu capitalium hostium captiuus, nec vllus hominum

Ioan. 12.

Rom. 4.

præſto aderat, qui ipſum liberaret, vt verè dicat, de verbo Dei glorior, non habeo, quod glorier vel de amicorum ope, vel de inimicorum beneuolentia, vel de alia quadam humana euadendi ratione, ſed illud tantùm habeo, quod glorier de verbo Dei. Verbum Dei dixit ad Samuelem de me: Surge, vnge eum, ipſe eſt enim, quem elegi, omnia enim alia mihi ſunt aduerſa. Saul cupit me extinctum, Satrapæ eius pendent è iudicio Saulis. Et quanquam Ionathas filius Saulis mihi ex animo fauet, tamen ſolus non poteſt me iuuare, & longè nunc à me abeſt. Philiſthæi proſequuntur me extremo odio, & cum hæream captiuus in manibus ipſorum, quid ſpei mihi relictum eſſet? Solum igitur verbum Dei habeo, quo confido & glorior: & hoc ſolum mihi ad ſalutem ſufficit. Huc pertinet etiam exemplum Pauli, qui cum à nuncio ſatanæ colaphis cæderetur, & ter rogaret DOMINVM, vt diſcederet, non audit, niſi illud: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem perficitur. Quid eſt: Sufficit tibi gratia mea, niſi illud, ſufficit tibi verbum meum, quo meam erga te beneuolentiam teſtatus ſum? Dixi de te: Organon electum mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael: de hoc verbo gloriare, hoc verbo confide, & nuncius ſatanæ nullum afferet tibi incommodum, etiamſi maioribus plagis te affligat. Diſcamus igitur his exemplis, vt ſi in aduerſis nulla alia ſpes affulgeat, contenti ſimus verbo promiſſionis diuinæ, & credamus ei præter ſpem ſub ſpe, certiſ-

2. Cor. 12.

ſima

sima fiducia concepta, quòd etiamsi omni humano auxilio destituamur, tamen non defuturum erit nobis diuinum.

5. *Assiduè verba mea calumniantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.*

6. *Conspirant, insidiantur, & calcaneum meum obseruant, dum expectant animam meam.*

7. *In iniquitate (contingit) eis liberatio. Deijce, Deus, populos iratus.*

Post captatam consolationem redit ad narrationem illorum periculorum & ærumnarum, propter quas implorat misericordiam Dei. Inimici mei (inquit) siue Saul & satellites eius, siue Philisthæi, qui me nunc captiuum tenent, cupiunt me demersum & oppressum, quoquo modo fieri potest: obseruant omnia verba mea, vt habeant, quod calumnientur: omnes conatus, omnes cogitationes suas eò dirigunt, vt me malis afficiant. Conspirant inter se in mei perniciem, & insidiantur vitæ meæ: obseruant omnes vias meas, & omnem captant occasionem, vt animam meam è medio tollant. Quicquid ego vel dixero, vel fecero, quantumuis honestum & pium, in pessimam partem interpretantur: quicquid autem ipsi dixerint, oraculum, scilicet, Dei est. In iniquitate contingit eis liberatio, (hoc est) quicquid fecerint, quantumuis impium & crudele, hoc impune ferunt. Ego solus sum sceleratus ille homo, indignus, quem terra ferat: ipsi autem

autem ſanctiſsimi illi ſunt, qui cœlum humeris ſuis ſuſtentent. Quid igitur dicam? Quid aliud, quàm quod Spiritus ſanctus, & zelus DOMINI ſuggerit: Perde, ò Deus, nefarios illos homines, vt iram tuam, quam meriti ſunt, reipſa experiantur? Ex his verſiculis diſcamus, quæ ſit ſors piorum & impiorum in hoc ſeculo. Etſi enim Deus conſtituit, vt pijs ſit benè, impijs autem malè, tamen hic ordo ſolet, conniuente Deo, inuerti, vt impij proſperrimam ducant vitam, & in peſsimis ſuis inſtitutis felicem habeant euentum, pij autem omni genere maledictionis obruantur, & quod impij delirant, pij plectantur. Sed nondum ſol omnium dierum occidit. Etſi enim in hoc ſeculo aliquandiu bonis eſt malè, & malis benè, tamen hæc inuerſio non erit perpetua. Eſt enim Deus in cœlo, qui iſtam iniquitatem conſiderat, & alta mente reponit, vt ſuo tempore vindicetur. Et eſt reliquum aliud ſeculum, in quo abundè penſabitur pio, quod in hoc ſeculo ab impio pertulit: Reputo, inquit Paulus, non eſſe pares afflictiones præſentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quod autem dicitur: Deijce Deus populos (homines impios) iratus, non eſt imprecatio carnis, ſed vaticinium Spiritus. Nam, ſi quis in impietate ſua felix fuerit, & non reſipuerit, nihil ei certius expectandum eſt, quàm ſeueriſsimum iudicium Dei, quo perpetuò interibit. Quare tantùm abeſt, vt Dauid hac impiorum imprecatione peccet, vt potius ſit cœleſtis iuſtiſsimæ iræ Dei præco.

Rom. 8.

8. *Fugam meam numeras tu, collocas lacrymas meas in*

vtri

vtre tuo, an non ſunt in libello rationum tuarum (conſcriptæ?)

9. *Tunc conuertentur inimici mei retrorſum, quocunq; die inuocauero te, ecce cognoſco, quòd tu ſis Deus meus.*

Quemadmodum paulò antè, poſtquam captaſſet conſolationẽ, rediit ad cõmemorationem periculorũ & afflictionum, ita nunc, iis commemoratis, redit ad captandam conſolationem, vt ſciamus, & reipſa cognoſcamus, quòd in hoc ſeculo aduerſa & proſpera, afflictio & cõſolatio ſint reciproca, donec poſt hanc vitam, cœleſte regnum cõſequamur: Inimici mei, inquit, cõſpirant quidẽ contra me, & omnia cõſilia ſua ad opprimendum me cõferunt, ſed Deus eſt, cui ego curę ſum. Tantã. n. rationẽ mei habet, vt et oẽs greſſus fugæ meæ numeret, & omnes lacrymas meas in vtrẽ ſuũ colligat, ac eas in libellum rationũ ſuarum, quem vulgo regiſtrum vocare ſolemus, referat: idq; non hoc cõſilio, vt ibi areſcãt & euaneſcãt, ſed vt opportuno ſuo tempore in memoriam reuocet, & ſeueriſsimè vlciſcatur. Tunc enim omnia ita inuertẽtur, vt ego, qui paulò antè neceſſe habui mille paſſus inimicos fugere, mox fugarem eos decem millibus paſſuum: & cum ego in aduerſis meis effunderem cochlearium lacrymarum, ipſi neceſſe habeant vnam & alteram metretam effundere. Nunquam enim à Deo ita deſertus ſum, vt cum inuocaui nomen eius ex fide, non manifeſtè cognouerim, quòd ſit Deus meus, (hoc eſt) quòd me ſummo fauore complectatur, & me in extremis malis mirando modo conſeruet. Sciamus igitur, quòd hi verſiculi

teſtificentur, quo affectu Deus populum ſuum, hoc eſt, credentes, & inuocantes nomen eius ex fide, proſequatur.

In Deuteronomio cap. 32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, ita Deus aſſumit populum ſuum, atq; portat in humeris ſuis.

In hoc Pſalmo numerat paſſus fugæ, & congregat lacrymas in vtrem ſuum, & conſcribit numerum earum in regiſtrum ſuum.

In alio Pſalmo, Ne gemitus quidem noſtri ſunt abeo abſconditi.

In Eſaia cap. 49. Sicut mater non poteſt obliuiſci infantis ſui, vt non miſereatur filij vteri ſui. Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen, inquit DOMINVS, non obliuiſcar tui.

In Matthæo cap. 10. Noſtri etiam pili capitis omnes numerati ſunt.

Hæc omnia ſignificant populum Dei tantæ curæ eſſe Deo, vt ſuperet omnes naturales affectus (quos στοργὰς vocant) parentum erga liberos, & omnem hominum ſollicitudinem in rebus ſuis vel minutiſſimis, vel maximis & dilectiſsimis conſeruandis. Quid ergo in aduerſis trepidas? quid de tua ſalute dubitas? ſi Deus colligit etiam lacrymas tuas, ſi numerat paſſus fugæ tuæ, ſi numerat pilos capitis tui, ſi afficitur erga te, ſicut mater erga filium vteri ſui, ſi denique portat te in humeris ſuis, quid illud eſt, quod te poſsit ab humeris eius abripere, & ex intimo affectu eius tollere? Fortia quidem

quidem verba hæc sunt, (inquies,) sed quid si de populo Dei non fuero? Cura ergo, vt sis de populo eius. Curabis autem, si confessus fueris ore tuo DOMINVM Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus excitauit illum à mortuis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Deinde nonus versiculus docet, quis sit effectus inuocationis Dei, videlicet, quòd inuocatio faciat nos certiores, Deum esse Deum nostrum, (hoc est) Deum nobis fauere, & clementia sua ita nos complecti, vt in omnibus afflictionibus nos conseruet. Inuocatio enim perquirit & scrutatur promissiones Dei: hæ autem cognitę confirmant fidem: fide autem confirmata, permouetur Deus, vt inuocationem exaudiat: exaudita autem inuocatione, datur beneficium: acceptum autem beneficium testificatur Deum esse nostrum Deum, hoc est, Deum esse nostrum seruatorem. Inuocemus igitur Deum in omnibus nostris aduersis, vt verè cognoscamus, & re ipsa experiamur, quòd ipse sit Deus noster. *Rom. 10.*

10. *De verbo Dei glorior, de DOMINI (inquam) verbo glorior.*
11. *In Deum spero, non timebo, quid faciat mihi homo.*

Repetit quartum versiculum ijsdem penè verbis, non quòd delectetur otiosa & superuacanea ταυτολογία, sed vt quæ ad confirmandam fidē necessaria sunt, sæpè inculcentur. Est autem consideranda antithesis. In aduersis & ærumnis, alij gloriantur de sua & amicorum potentia, alij de sua iustitia,

alij de ſua ſapientia, qua ſperant ſe inuenturos rationem euadendi. Ego verò de nulla humana velij virtute, vel prerogatiua glorior, ſed de ſolo verbo Dei. Omnia humana me deſtituerunt: ſolum verbum Dei mihi reliquum eſt: de verbo DEI, de verbo, inquam, DOMINI glorior. Non arbitreris verbum DOMINI, quo pius gloriatur, eſſe rem euanidam, & ſonum ſine mente, quale ſolet eſſe verbum hominis. Etſi enim verbum DOMINI ſolet humano modo, literis & ſyllabis, ſicut & hominis verbum, pronunciari, tamen non eſt in ordine humanorum verborum collocandum: Agimus Deo gratias, inquit Paulus, indeſinenter, quod cum acceperitis a nobis verbum, quo Deum diſcebatis, accepiſtis, non verbum hominum, ſed ſicut erat verè, verbum DEI, quod & agit in vobis credentibus. Et iterum: Non pudet me Euangelij Chriſti, (quod eſt verbum Dei) potentia ſiquidem Dei eſt, ad ſalutem omni credenti. Quare, etiamſi deſtituaris ope omnium aliarum creaturarum, tamen ſi habueris verbum DOMINI, habebis à parte tua DOMINVM Deum ipſum, omnipotentem rerum creatorem & adminiſtratorem: quid ergo tibi à carne, ab homine, imò à ſatana ipſo metueres? Videamus aliquot exempla. Iacob Patriarcha, tam iniquè & veteratoriè tractabatur à ſocero ſuo, vt neceſſe habuerit fugere eum, & patrias ſedes repetere. Sed multa minabãtur ei internitionẽ vnà cum familia ſua, quæ erat & copioſa, & imbecillis. Socer Labã inſequebatur eũ infectiſsimo animo. Frater Eſau, qui antè iuraverat ei mortẽ, procedebat ipſi obuiam, cũ inſtructo exercitu,

1. *Theſ. 2.*

Gen. 31.

exercitu. Itaque Iacob non ſolùm deſtituitur omni humano auxilio, verùmetiam videt omnia humana, cum ſua & familiæ ſuæ ſalute pugnare. Quò igitur ſe verteret? Non habet hominem à parte ſua, vt vi- debatur, ſtantem, ſed habet verbum DOMINI: Ero *Gen.28.* cuſtos tuus, inquit Deus, quocunq; perrexeris, & re- ducam te in terram hanc. Hoc verbo munitus, hoc verbo confiſus, cur metueret, quid ſibi faceret vel homo vel diabolus? Moſes mittitur diuinitus in Æ- gyptum, & obiicitur maximis afflictionibus, habet enim aduerſarium Regem Pharaonem vnà cum v- niuerſa Ægypto: Habet & aduerſarios ſuos ipſius cognatos, qui inuehebantur in ipſum & fratrẽ Ahe- ronem hoſtiliter: Videat, inquiunt, DOMINVS, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrũ co- ram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladi- um, vt occideret nos. Deinde, cum Moſes peruenis- ſet vnà cum Iſraelitis ad mare rubrum, & Ægyptij inſequerentur eos, coniicitur in tantas anguſtias, vt videretur non ſolùm humana, verùmetiam diui- na ope deſtitutus. Iſraelitæ ſui dicebant: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Ægypto? Ægyptij imminebat à tergo, & valido exercitu inſtructi, & animo infeſtiſ- ſimo: mare rubrum obſtabat, ne potuerint progre- di & fugere. Quid igitur faceret? Habebat verbum DOMINI: Ego ero tecũ. De hoc verbo glorians, hoc *Exod.3.* verbo vel ſolo confiſus, non habuit quicquam, vt metueret, quid ſibi, vel homo Iſraelita, vel tyrannus Pharao, vel mare rubrum faceret. Hieremias Pro-

pheta mittitur à Deo, vt vaticinaretur Israelitis defo-
lationem vrbis Hierusalem, & captiuitatem Baby-
lonicam. Dum autem susçipit vocationi Dei obedi-
endum, ecce tibi, nunc à Pseudoprophetis percuti-
tur, nunc vt vrbis proditor, & transfuga accusatur,
nunc in carceres conijcitur, nũc in lutum ita demer-
gitur vt nulla sit spes vitę eius reliqua, num ergo de-
sponderet animum? Nihil minus, habebat enim ver-
Hiere.1. bum DOMINI: Ne timeas à facie eorum, quia tecũ
ego sum, vt eruam te, dicit DOMINVS. Hoc verbo
munitus, cur timeret, quid faceret ipsi homo? Habet
quidem homines aduersarios, sed habet etiam De-
um defensorem. Quid? superat ne cœlestem De-
um, carnalis homo? Dices autem: Scio quidem Pa-
triarchas & Prophetas fuisse verbo DOMINI mu-
nitos, sed hoc est personale, non vniuersale. Mose-
audijt à DOMINO: Ego ero tecũ. Similiter & Hie-
remias. Ego verò homo abiectus nihil tale audio à
DOMINO. Quid? qui hæc obijcis, intelligis ne con-
ditionem & vocationem tuam? agnoscis te homi-
nem Christianum, & tamen dubitas, quid DOMI-
NVS Deus noster tecum & publicè ac generatim,
& priuatim ac peculiariter collocutus sit? Extat e-
nim publica, & generalis promissio Dei: Quisquis
inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Extat
& priuatum Dei colloquium, nam, cum susce-
sti Baptismum, collocutus est tecum Deus pater, fi-
lius & Spiritus sanctus, & promisit se tuum fore pa-
trem, & te adoptare in suum filium, ac donare Spi-
ritu suo sancto, hoc enim est dicere: Ero custos
tuus, quocunque perrexeris. Similiter, cum sumis
cœnam

cœnam dominicam, filius ipſe Dei tecũ loquitur, per os miniſtri, & affirmat ſe tibi dare corpus ſuum, ac ſanguinem ſuũ, vt ſcias te hoc alimento conſeruari in omnibus periculis, ad æternam vitam. Eſt & hoc dicere: Tecum ego ſum, vt eruam te. Quid ergo conquereris? Si nõ gloriaris de verbo DOMINI, tua eſt culpa, non Dei, Deus enim, & colloquitur tecum, & promittit tibi omnẽ ſalutem, & tuetur te in omnibus periculis, & numerat omnes greſſus fugæ tuæ, & colligit omnes lacrymas in vtrem ſuum, vt eas in numerato & in conſpectu ſuo habeat. Agnoſce igitur tantam curam Dei, fide, & perge ſemper confidere ac ſperarẽ, vt quoad in hoc ſeculo tibi hærendum & ambulandum fuerit, in omnibus periculis conſerueris, & cum ex hoc ſeculo migrandum fuerit, per mortem ipſam ad æternam in cœleſti regno felicitatem, clementia Dei, perducaris.

12. *Super me ſunt, Deus, vota tua, reddam laudationem tibi.*

13. *Quoniam liberas animam meam à morte, & pedes meos à lapſu, vt ambulem coram Deo, in lumine viuentium.*

In fine Pſalmi additur vſitato more gratiarum actio: Reipſa comperi, inquit, quòd tu DOMINE Deus, ſerues me in tot, & tantis afflictionibus, ne peream morte, & ne pedibus meis à recta via mandatorum tuorum aberrem: ſed efficias, vt ambulem coram te, in lumine viuentium, (hoc eſt) proſperè

prosperè & feliciter, iuxta benedictionẽ quam hominibus in hac terra degẽtibus promisisti. Etsi enim sæpenumero incidunt tenebræ afflictionum, tamen mox emicat iterum lumen felicitatis, vt reipsa præsentissimam tuam opem, & salutem sentiam. Quid ergo rependis Deo, pro tam amplo & liberali beneficio eius? Super me, (inquit) ô Deus, sunt vota tua, & reddam laudationem tibi, (hoc est) in libro Le-
Leuit.7. uitico vsitatum est, vt pro acceptis beneficijs definiantur sacrificia, vel sponte & ex voto suscepta, vel ad laudem & celebrationem nominis Dei instituta, quorum alterum vocatur נדר Neder, quod est votum, alterum תודה Thoda, quod est laudatio seu confessio, quemadmodum aliâs & sæpè & copiosius exposuimus. Cum igitur tu, DOMINE Deus, contuleris in me maxima beneficia, agnosco super me esse vota tua, agnosco me debere tibi sacrificia ex voto, & ad laudem nominis tui, sicut lex tua ea describit, offerre, ac persoluere, vt testificer erga te quoquo modo possum, animi mei gratitudinẽ. Intelligit aũt Spiritus sanctus, nõ præcipuè Leuitica illa & externa sacrificia, quæ legitimo suo tempore in gratiarum actionem etiam externo cultu offerenda erant: sed his Leuiticis verbis intelligit veram & spiritualem gratitudinem, videlicet, vt pro immensis beneficijs Dei, debeamus nos totos DOMINO Deo nostro, & studeamus eum diligere ex toto corde, tota anima, & ex omnibus viribus, ac commendemus nomen Dei toto vitæ nostræ tempore, & in omnibus tam actionibus, quàm passionibus nostris, ac in prosperis &
Colos.3. aduersis: Quicquid egeritis, (inquit Paulus) sermone au-

ne aut facto, omnia in nomine DOMINI Iesu facite, gratias agentes Deo & patri per illum. Hoc enim verè est coram Deo sacrificia ex voto, & sacrificia laudis persoluere.

VSVS HVIVS PSALMI.

Inuocatur Deus ad præstandum beneficium aliâs ordinarium, aliâs extraordinarium, & mirandum. Voco autem beneficium ordinarium, cum Deus dat incrementum suæ ordinationi, vt, cùm iacto bono semine in agrum, petitur à Deo benedictio & incrementum seminis: non enim sufficit, vt & semen sit bonum, & ager sit fœcundus, nisi etiam ad ferendum fructum accesserit benedictio Dei. Extraordinarium autem & mirandum beneficium Dei voco, cum petitur auxilium Dei, præter & contra omnem rerum creatarum ordinem atque conditionem, vt cum Abraham centenarius speraret è Sara sterili & nonagenaria sobolem: aut cum Israelitæ sperarent in deserto fruges & alimenta, absque semente & agro. Erit igitur huius Psalmi opportunus vsus, cum res tuæ ad tantas angustias redactæ fuerint, vt in aduersis nullum prorsus habeas ordinarium auxilium, sed omnia potius cum eo pugnare videantur. Iosaphat rex Iudæ, multitudine hostium suorum, Moabitarum, Ammonitarum & Syrorum, ex improuiso ita obruitur, vt nullam prorsus regno suo, quod ad ordinaria auxilia attinebat, salutem sperare potuerit. Quid igitur? abijciat ne hastam, & relinquat hostibus regnum, 2. *Paralip.* 20.

à Deo ſibi traditum? Nihil minus, ſed ſumat inma-
nus hunc Pſalmum, & dicat: De DEI verbo glo-
riabor, de DOMINI verbo gloriabor, in Deum
ſperabo, & non timebo, quid faciat mihi homo
Moabita & Ammonita. Saneherib rex Aſſyrio-
rum incurrit in fines regni Ezechiæ, exercitu lon-
gè omnium maximo, & minatur etiam vrbi Hieru-
ſalem tam præſens exitium, vt nec ſocij nec ciues
videantur poſſe eam tueri. Quò ergo ſe verteret
Ezechias? num deſponderet animum? Nihil minus,
non videt opem ordinariam, ſumat ergo hunc
Pſalmum in manum, & cum non affulget vlla ſpes
ordinaria, ſperet & expectet extraordinariam, &
mirandam, quam & paulò pòſt aſſecutus eſt. Cum
enim homo ceſſaret in terris opem conferre, venit
4. *Reg.* 19. Angelus de cœlis, & percuſsit in caſtris hoſtium
vna nocte centum octoginta quinque millia, vt
& rex Saneherib turpiſsimè fugeret, & Ezechias
vnà cum regno magna gloria conſeruaretur. Vta-
mur ergo hoc Pſalmo in ſummis noſtris angu-
ſtijs, & cognoſcemus re ipſa, quòd DO-
MINVS ipſe, ſicut Pſalmus
dicit, ſit verè Deus
noſter.

Pſalmus

Psalmus 57.

Miserere mei Deus, miserere mei, &c.



INscriptio testificatur Dauidem accepisse occasionẽ huius Psalmi componendi, cum fugeret metu Saulis in speluncam. Incertum autem est, vtrum ne intelligenda sit illa spelunca, quã prior liber Samuelis vocat Adullam, an ea, cuius in eodem libro, cap. 24. fit mentio, ad quam Saul ad purgandum ventrẽ secesserat. Quod vtcunq; se habeat, certe Psalmus ipse haud obscurè significat, Dauidem ad preces huius Psalmi excitatum fuisse, cum reputaret cum animo suo grauitatem calumniarũ, quibus à Sycophantis nõ tam coram Saule, quàm in vniuerso regno Israelitico traducebatur. Fama. n. post fugam eius sparsa erat, insidiari ipsum vitæ Saulis, & illud vnum agere, vt vel eiecto, vel occiso Saule, rerum ipse Israelitica-rum potiretur. Quod cum videretur iniquissimum, patefactæ sunt cogitationes hominum, præsertim adulatorum regis, & imperitorum, & laxatę sunt linguæ eorum, vt nullum nõ sceleris genus in exulem & miserum Dauidem diuulgarent. Alius indignabatur, pastorem ouium tantum facinus audere: alius accusabat eũ immanitatis, quòd tot beneficijs à Saule ornatus, ac in generum etiã eius electus, exuisset omnem humanitatis affectum: alius vocabat

1. *Reg.* 22.

eum virum sanguinum & Belial: breuiter, ille regi & regno Israelitico optimè fauere videbatur, qui pessimis quibusque conuitijs in Dauidem sæuiret. Quæ, cum Dauid exul, & omnium ope destitutus, secum cogitaret, & expenderet, tanta animi ægritudine affectus est, vt facilius ei fuisset, mortem, quàm tot calũniatrices linguas perferre. Oppressus igitur tot malis, tã exilij quam calumniarũ, attollit oculos suos, quod vnum reliquum habebat, in cœlũ, & ait.

1. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, sub vmbra alarum tuarum confido, donec prætereat peruersitas.*
2. *Clamo ad Deum altissimum, ad Deum rependentem mihi (vel quæ promisit, vel quæ aduersa patior.)*

Quod Dauid initio precationis suæ proponit, hoc ex antithesi clarius intelligitur. Hæc enim est sententia eius: Ah DOMINE Deus meus, vides me in his terris, ab hominib. nulla prorsus misericordia, & compassione tractari audis me sermonibus cuiusuis, extremi etiam nebulonis, absq; vlla humanitate contumeliosissimè proscindi. Cum igitur nulla mihi misericordia, nulla clementia, nulla humanitas possit in hac terra, & inter homines contingere, attollo ad te oculos meos in cœlum, vt tu mei misereris, tu, inquam, mei misereris. Hæc enim verbi huius ingeminatio non est otiosa, aut temerè repetita, sed est indicatio vehemẽtissimi affectus, quo misericordia Dei imploratur. Homines sunt in me crudeles, tu igitur DOMINE Deus meus, sis in me misericors,

misericors, misericors, inquam, vbi enim aliâs misericordiam inquiram, aut inueniam? Implorat autem miser misericordiam Dei, non carnis suæ figmento, sed Spiritus sancti hortatu & præcepto. Nam, cum Moses peteret, vt Deus patefaceret ipsi viam, voluntatem & gloriam suam, commemorat epitheta sua, quibus & voluntatẽ & maiestatem suam cognoscẽdam proponit. Inter hæc autem præcipuum locum tenent, miserator, misericors, longanimis & multùm misericors. Quare, qui agnoscit in Deo misericordiam, & implorat eam, is Deum rectè cognoscit, & inuocat eum, iuxta voluntatem eius. Si quid autem petierimus, inquit Ioannes, secundum voluntatem eius, audit nos. Inuocemus igitur misericordiã Dei, vt & misericordiam consequamur. *Nume. 14. Psalm. 103. 1. Ioan. 5.*

Sed qua præterea ratione, & quo impulsu implorat tanta vehementia misericordiam Dei? Recenset igitur præter illud misericordiæ epitheton, aliquot causas, cur misericordiam Dei inuocet. Harum prima est: Quia, inquit, in te confidit anima mea, & cõfido sub vmbra alarum tuarum, (hoc est) te solo DOMINO, nõ alieno Deo, & tua solius protectione, (id quod metaphora vmbræ alarum significatur. Deut. 32. & Matth 23.) confido. Manifestum autem, & certum est, quod qui solo DOMINO confidit, ac in sola Dei protectione fiduciam & spem suam collocat, non pudefiat, quemadmodum suprà, Psalm. 31. multis scripturæ testimonijs comprobatum est. Quare certo mihi persuasum est, quòd misericordiam Dei non implorem frustra. Quòd autem in recensenda inuocatione, dicat se tantisper confidere protectione

Dei, dum transeat iniquitas, aut prætereat peruersitas, non significat, se tum à fiducia cessaturum, cum assecutus fuerit liberationem & tranquillitatem, sed significat se perseueraturum in fiducia & spe, etiamsi aduersarij pergant in ipsum sæuire, & iniquè ac peruerse agere, vt liberatio in lõginquũ differatur. Nã, quemadmodũ Deo non est præscribendũ liberationis tempus, aut locus, aut modus, aut aliæ id genus circũstantiæ, ita semper est Deo fidendum, nec vnquam defatigandum, vt quò diutius protrahitur beneficium, eò vehementior reddatur fiducia, & confirmatior fiat, etiam in futuris periculis & aduersis.

Altera ratio sperandæ misericordiæ Dei: Quia clamo, inquit, ad Deum altissimum, ad Deum rependentem seu reddentem ea, quæ vel promisit, vel quæ aduersa immittit. Non est enim dubium, quin quisquis inuocauerit nomen DOMINI, saluus fiat. Et alius Psalmus ait: Propè est DOMINVS omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate. Ac iterum: Clamauerunt ad DOMINVM cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Quare, cum & ego clamem ad Deum in meis afflictionibus, repulsam à misericordia Dei haudquaquàm patiar. Sed & epitheta illa Dei, quæ in hoc versiculo adduntur, non sunt superuacanea: Clamo, inquit, ad Deum, non simpliciter, sed ad Deum altissimum. Quo epitheto significat, se clamare ad illum Deum, non qui homines abiectos despiciat, & afflictos aspernetur, sed qui cum sit altissimus, humilia tamen & abiecta respicit. Deinde, clamo, inquit, ad Deum, non qui humanas res non curet,

Ioel. 2.
Rom. 10.
Psalm. 145.
Psalm. 107.
Psalm. 113.

sed

ſed qui rependat mihi, quicquid promiſerit, & qui compenſet mihi, quicquid aduerſi patior. Deus enim, vt eſt ſeruantiſsimus promiſsionum ſuarum, ita etiam eſt liberaliſsimus compenſator omnium afflictionum, quas ipſe homini pio ſufferendas imponit.

3. *Mittet (ergo) de cœlo, & liberabit me opprobrio deglutientis me. Mittet Deus miſericordiam, & veritatem ſuam.*

Concluſio illius precationis, & duarum rationum, quas hactenus commemorauit. Cùm ego in hac mea miſeria, in qua miſericordiam Dei imploro, ſolo Deo, & in vmbra alarum eius confidam, clamem quoq; ad ſolum Deum altiſsimum, & retributorem meum, ſequitur, quòd non patiar in precibus meis repulſam, ſed quòd Deus certò mihi miſſurus ſit auxilium, ſi nullũ fuerit in hac terra, certè è cœlis mirando modo, & me liberaturus opprobrio illorũ, qui me calũnijs ſuis deglutire, & opprimere cogitant. Non enim dubito, quin Deus manifeſtè teſtificaturus ſit, in me ſeruando, ſuam miſericordiam erga me, & veritatem ſuarum promiſsionum. Conſideremus ergo, vnde Dauid hanc ſuam πληροφορίαν & certitudinem hauſerit. Non eſt dubium, quin hauſerit eam è Spiritu ſancto, ſed in præſentia quæritur de organo, per quod Spiritus ſanctus fuerit in Dauide efficax. De hac re ſuprà nonnihil dictum eſt. Dauid enim fuit animo confirmato de cœleſti ope, non è ſomnio carnis ſuæ, ſed

ſed è certiſsimis promiſsionibus Dei. Nam præter generales promiſsiones, quibus Deus ſuſcipit tuendos omnes ambulãtes in vocatione & in inuocatione eius, erat Dauid vnctus & vocatus diuinitus ad gubernacula regni Iſraelitici. Qua ipſa vnctione, Deus manifeſtè teſtificatus eſt, ſe euecturum ipſum, contra omnia aduerſariorum conſilia, ſtudia, conatus, & calumnias in regiam maieſtatem. Extabant etiam exempla maiorum, quibus comprobatum erat, quòd Deus ſoleat innocentes, cœleſtibus etiam miraculis, ex aduerſariorum calumnijs, illæſos liberare, & conſeruare. Vide mihi Ioſephum filium Patriarchæ Iacob. Hic, quamuis innocentiſsimus, accuſabatur adulterij, & conijcitur, vt adulter, in carcerem. Sed cum non haberet in terris defenſorem aduerſus calumnias, mittit Deus è cœlo, & liberat eum. Illuſtrat enim eum cœleſti dono cognoſcendi occulta, & interpretandi ſomnia. Quo fit, vt non ſolùm è calumnijs liberetur, verùmetiam in principatum Ægypti euehatur. Moſen calumniabãtur quòdam Chora, Dathan & Abyron, nõ tantùm tyrannidis in populum Iſrael, verùmetiam carnalis affectus, in ordinandis ſummis Pontificibus. Dicebant ipſum maiorem habere rationem conſanguinitatis, quàm diuinæ veritatis. Cum igitur non eſſet in terris homo, qui defenderet Moſen, mittit Deus è cœlo, & declarat diuinis miraculis, innocentiam Moſi, repentino videlicet & inuſitato interitu calumniatorum, ac miranda virgæ Aheronis germinatione. Et hæc quidem exempla extiterunt ante Dauidem. Extant & alia poſt eũ. Naboth Iezrahelita accuſatur

Num. 16.

Num. 17.

blaſphe-

blaſphemiæ in Deum, & in regem, ac teſtimonijs e- 3.Reg.21.
tiam, ſed falſiſsimis, conuincitur, & morte condem-
natus, lapidibus obruitur. Paulò pòſt autem inno-
centia eius, tam regum ſanguine luitur, quàm in to-
to orbe diuulgatur: Præſtiterat, inquies, vt impij
reges pœnas dediſſent, antequam Naboth lapidibus
obrutus eſſet. Sic quidem humano iudicio videtur,
ſed aliud viſum eſt Deo, gubernatori rerum lon-
gè omnium ſapientiſsimo & iuſtiſsimo. An non lice-
bat Deo ſuam longanimitatem his exemplis teſtifi-
cari? Et quid, quæſo, incõmodi accepit Naboth? A-
miſit pauco tempore famam hominis innocentis,
ſed non longè pòſt ita ei reſtituitur, vt prædicetur
in orbe terrarum, quandiu hoc ſeculum ſteterit, in-
nocentiſsimus. Amiſit vitam corporis, quam fortaſ-
ſis vel propter morbum aliquem, vel propter ſeni-
um, non potuiſſet diu retinere, ſed ſi in fide benedi-
cti ſeminis Abrahæ ex hac vita exceſsit, accepit
cœleſtem & perpetuam vitam ac felicitatem: non
igitur fecit hoc caſu vllam ſalutis ſuæ iacturam. Pu-
diciſsima & ſanctiſsima virgo Maria, cum eſſet præ-
gnans vnigenito filio Dei, inſimulabatur, à ſuo ipſi-
us ſponſo, nefandi ſtupri, qui & cogitabat eam, vt
deteſtandã adulteram deſerere, nec erat vllus homi-
num, qui innocentiam eius tueretur: venit igitur
Angelus de cœlo, & liberat eam opprobrio. Qua-
re non deipondeamus animum, in ſufferendis ca-
lumnijs, ſed confirmemus eum exemplo Dauí-
dis & aliorum, qui calumnijs ſunt vexati, vt re-
uocemus in memoriam promiſsiones Dei, quibus,
tanquam organis, Spiritus ſanctus vtatur, ad re-

tinendos nos in officio, & conſeruandos in omnib
bus opprobrijs calumniarum.

4. *Anima mea commoratur in medio leonum, filij A*
dam, ſunt (ſicut) flammæ, dentes eorum ſunt lan
cea, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus,

Exponit tandem diſertè, quo afflictionis genere, in præſentia præcipuè excrucietur. Et eſt tertia ra tio, cur tanta vehementia imploret miſericordiam Dei: Miſerere mei, inquiens, Deus, miſerere mei. Quam ob cauſam? Quia commoror, inquit, & ver ſor in medio leonum. Num illorum leonum, quo rum faciebas mentionem apud Saulem? Paſcebat, in
1.Reg.17. quiens, ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietē de medio gregis. Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum? Nihil certè minus. Etſi. n. hi leones, qui inſi diabantur gregi patris mei, nōnihil negotij mihi fa ciebant, tamen multò mitiores & tollerabiliores e rant, quàm illi, qui mihi in præſentia moleſti ſunt. Hi enim, euomunt ex ore ipſorum flammas, dentes eorum ſunt lanceæ, & ſagittæ, lingua eorum gladi us eſt acutiſsimus. Non ſunt beſtiæ ſylueſtres, ſed domeſticæ: ſunt filij Adam, ſunt ſycophantæ & ca lumniatores, qui in Aula regis Saulis, in omnibus conuiuijs & tonſtrinis, in toto denique regno me, vt ſeditioſum, vt inſidiatorem vitæ regis, vt fidefra gum, vt virum ſanguinarium, denique vt humani generis hoſtem, traducunt, & virulentiſsimè pro ſcindunt. Hæ calumniæ grauiorem mihi dolorem afferunt,

afferunt, quàm si quis gladio ceruicem meam dissecaret, aut pectus meum lancea transuerberaret. In medio horum crudelissimorum leonum, necesse habeo commorari, si non corpore, (non enim patet mihi in regno Saulis tuta habitatio,) attamẽ animo, vt, quoties recordor, quantis maledictis & conuitijs sycophantæ in me grassantur, toties me confodi existimem. Promisit autem Deus, se habere rationem illorum, qui sunt contrito & humiliato corde, & viuificare mortificatos, ac reducere deductos ad inferos, qualis ego calumnijs sycophantarum factus sum. Quare, non dubito, quin Deus in his tantis meis angustijs, me misericordia sua clementer amplectatur.

Hic versiculus est insignis descriptio calumniatorum, & docet, quantum mali designent sycophantæ. Mirantur nõnulli imperiti homines, cur Christus in explicanda hac lege: Non occîdas, commemoret inter homicidiorum genera, si quis dixerit fratri suo Raha, & arbitrantur hanc esse vel nouam legem, vel nouam veteris legis interpretationem. Sed hic versiculus perspicuè explicat, quòd iuxta veram legis, de non cõmittendo homicidio, sententiam, inter homicidia referendum sit, non tantùm, si quis proximum suum gladio in cor infixo occiderit, verùmetiam, si quis eum cõuitijs & calumnijs læserit: Filij Adam (inquit) sunt flammiuomæ: dentes eorum sunt lancea & sagittæ: lingua eorum est gladius acutus. Nihil igitur coram Deo refert, quocunque vel instrumento, vel mẽbro in vitam proximi grassatus fueris. Verbũ enim virulentum, & maledicũ multò *Matth. 5.*

altius penetrare ſolent cor hominis, quàm lancea aut gladius: & homicida eſt, non tantùm, qui configit fratrem enſe, ſed etiam, qui fratrem odit, quemadmodum Ioannes ait. Caueamus igitur tam ab homicidio linguæ, quàm ab homicidio manus.

1. *Ioan.* 3.

5. *Exaltare ſuper cœlos, Deus, (exaltetur) ſuper omnem terram gloria tua.*

Eſt & hæc concluſio præcedentis verſiculi quarti: Ego verſor (inquit) in medio, non hominum, qui conditi ſunt ad mutua officia charitatis, ſed ferociſſimorũ leonum, qui, etſi nondũ ſæuiunt in me ferro, quippe qui diuino inſtinctu cõſulam ſaluti meæ fuga, ſed ſæuiunt, quod mihi lõgè omniũ moleſtiſsimũ eſt, in me lingua, maledictis, conuitijs & calumnijs, quod mihi grauius eſt ipſa corporis morte. Peto igitur DOMINE, vt exalteris ſuper cœlos, & vt exaltetur ſuper omnẽ terram gloria tua. Gloria Dei eſt, inuocantes nomẽ eius exaudire: gloria Dei eſt miſeris ſuccurrere: gloria Dei eſt calumnijs oppreſſos liberare: gloria Dei eſt calumniatores pudefacere. Obſecro igitur te, DOMINE Deus, vt & in me exẽplum ædas, quo hæc gloria tua, quaqua patet cœlũ, quaqua patet terra, illuſtretur. Videtur aũt hic verſiculus mutuò acceptus, & huc accõmodatus, è Numeris cap. 14. cuius ſentẽtia repetitur etiã in Pſalmo cẽteſimo tertio, cũ Moſes intercedẽs pro populo, ait: Magnificetur fortitudo Dñi ſicut iuraſti, dicens: DOMINVS patiẽs, & multę miſericordię, &c. Nã in inuocatiõe Dei nõ potes animũ Dei certius expugna-

re,

re, quàm si cõmemoraueris firma fiducia epitheta eius, & ostendas gloriæ nominis eius maxime omniũ interesse, vt iuxta cognomina, quib. ipse se agnosci et celebrari voluit, misericors sit erga miseros, et clemens adiutor in necessitate. Quare in inuocatione Dei non illud agamus, vt simus humana eloquentia multiloqui, sed vt cœlesti lingua vtamur, & ijs verbis Deum alloquamur, quibus Spiritus sanctus nobis præiuit.

6. *Laqueum parant gressibus meis, deprimẽdæ animæ meæ, fodiũt coram me foueam, sed cadunt ipsi in mediũ eius.*

Alia ratio, cur imploret misericordiam Dei: Laqueum, inquit, parant gressibus meis, vt quemadmodum venatores tendunt laqueos & retia, quibus feras capiant, ita illi insidiantur mihi, vt animam seu vitam meam opprimant. Non solum enim proscindunt me conuitijs, & sæuiunt in me calumnijs, verumetiam illud vnum præcipuè agunt, vt mihi vitã adimant, & me ex omni hominum memoria deleãt, tantum abest, vt regnum diuinitus promissum mihi faueant. Sed benè habet, quam fodiunt mihi foueam, in eam ipsi incident: quam perniciem in me moliuntur, ea ipsi peribunt. Hoc enim est iustissimum Dei iudicium, vt quod mali tu alteri inferre cogitas, in tuum ipsius caput recidat: & hoc iudicium comprobatum est, tam dictis, quàm factis seu exemplis Spiritus sancti.

Psalm. 7. Lacum aperit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertitur dolor eius in ca-

put eius, & in verticem ipsius, iniquitas eius de scendit.

Saul perit gladio, quem in Dauidem strinxerat; satrapæ Persarum obijciuntur Leonibus, quos Da ieli cogitarant. Amen pendet è cruce, quã Man dochæo parauerat. Diligenter igitur memineris, te malum illud tibi ipsi accersere, quod in alterum co gitas, vt discas timorem Dei, & retinearis in officio, si non ipsa iustitiæ pulcritudine, at saltem supplicij seueritate.

7. *Paratum est cor meum Deus, paratum est cor meum ad cantandum & psallendum.*
8. *Euigila gloria mea, euigila psalterium & cithara: euigilabo diluculo.*
9. *Gratias agam tibi Domine, inter populos, psallam tibi inter nationes.*
10. *Quia beneficentia tua tam latè patet, quàm cælum, & veritas tua, quàm latè dispersæ sunt nubes.*

Petis quidẽ multa & magna beneficia à Deo, quo rum nonnulla iam accepisti, nõnulla speras te certo accepturum, sed quid pro tantis beneficijs Deo re pendes? Hîc iam offert se his versiculis, toto pectore ad gratitudinem: Paratum est, inquiens, cor meum Deus, paratum est, inquam, cor meum, &c. Hi dem versiculis vtitur à principio Psalmus centesi mus octauus. Et est sententia: Fateor me petere à Deo beneficia maiora, quàm quæ dignus sim accipe re, sed cum nihil habeam, quo ea compẽsare possim, ecce tibi animum meum cupidissimum, promptissi mum,

mum,& paratiſsimum ad omne genus gratitudinis. Et cum in præſentia non aliud queat, quàm laudem nominis Dei decantare & pſallere, age, inquit,gloria mea,(hoc eſt,)vel lingua,qua Deum glorificare, vel inſtrumentũ muſicum, quo nomen Dei celebrare ſoleo,age Pſalteriũ, age cithara,euigila,expergiſcere,exurge,idq́ nõ oſcitanter,nõ tardè,ſed ſummo mane, vt decantandis laudibus nominis Dei,teſtifiſcer,quoquo modo poſſum,gratitudinẽ meã erga Deum,corã omnibus populis et gentibus. Beneficentia enim Dei, perſpicua eſt in toto orbe terrarum: quocunque circumtuleris oculos, ſiue in cœlum, ſiue in terram, intueberis exempla beneficentiæ & miſericordię eius. Similiter & veritas promiſsionum eius, ac cõſtantia in ſeruandis pactis ſuis tam clarè patet, vt nihil ſit nec ſub cœlo,nec in terra, quod nõ teſtimonium de ea ferat. Longum eſſet,& infinitum alia enumerare: dicam ſaltẽ de meipſo. Deus in me vnũ tam beneficus hactenus fuit,& tam verax,ac promiſſi ſui ſeruãs, vt exempla eorũ,nec verbis complecti, etiamſi mihi centum linguæ eſſent, nec ſcriptis explicare poſſem, etiamſi libris hunc mundũ implerẽ. Quare,cum non poſsim,quod cupio,& quod dignitas rei exigit, præſtare, faciam quod poſſum: celebrabo carminibus meis nomen DOMINI,& cithara mea laudem eius, vt vel aliquam ſaltem gratitudinis ſignificationem exhibeam. Obſeruanda autem eſt hoc loco iucunda Proſopopœia, & Apoſtrophe, qua Dauid ſuam ipſius linguam, pſalterium, & citharam alloquitur, & hortatur, vt accingant ſe ad illuſtrandam gloriam nominis Dei. Etſi enim inſtrumenta muſica ſunt ἄλογα, quibus nihil rei eſt cum

humano

humano ſermone, tamen Spiritus ſanctus ſignifica hac proſopopœia, quòd omnes creaturæ in hum vſum ſint conditæ, vt laudent & celebrent nome DOMINI, quemadmodum teſtatur Pſalm. 148. Lau date eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Ac mox: Laudate DOMINVM de terra, dra
Daniel. 3. cones & omnes abyſsi. Et Pſalmus, quem tres ado leſcentes in fornace ignis Babylonici cantaſſe di cuntur: Benedicite, (inquit,) ſol & luna DOMINO laudate & ſuperexaltate eum in ſecula, &c. Benedi cite omnis imber & ros Domino, &c. Cæterùm, quòd ad gratiarum actionem vtamur Pſalmis & laude nominis Dei, (quemadmodum ſæpenumer demonſtratum eſt) nō illud agitur, vt Deo ipſi ali quid ornamenti, ex humano præconio accedat, De us enim ſibi ipſe ſufficientiſsima laus eſt, nec indi get, vt humana voce celebretur, ſed laudatur, vt ho mines cognitione nominis eius excitati, fidem ver bo eius adhibeant, & ſperent opem eius in omnibus aduerſis, ac officium ſuum faciant. Hi ſunt cultu Deo gratiſsimi, hæc ſunt ſacra Deo acceptiſsima, nil ſui alicuius compendij, quid enim vtilitatis poſſet Deo ex homine accedere? ſed noſtræ ipſorum ſalu tis gratia, qui fide iuſtificati, & ſpe confirmati, ſer uamur clementia DOMINI in omnibus aduerſis, ad æternam cœleſtis regni hæreditatem.

11. *Exaltare ſuper cœlos, Deus, (exaltetur) ſuper omnem terram gloria tua.*

In fine repetit quintum verſiculum, loco epipho nematis,

nematis, vt commonefaciat nos, quantum referat, gloriam nominis Dei esse vbiq; sub omni cœlo, et in tota terra illustratã. Vbi enim misericordia, quæ est nominis Dei gloria, imò Deus ipse cognoscitur, ibi inuocatio Dei excitatur & inflãmatur. Vbi veritas eius, quæ & ipsa est gloria Dei, manifesta redditur, ibi fides & spes confirmantur. Vbi omnipotentia eius nota fit, ibi animus tanta securitate in fide & spe munitur, vt etiamsi fractus illabatur orbis, non tamen metuat interitum, quòd Deus, cuius promissis credit, sit verax, imò veritas ipsa, & cuius virtute fidit: sit omnipotens, imò omnipotentia ipsa. Quare hoc vnum sit opus nostrum, hic vnus sit labor noster, vt gloria nominis Dei rectè celebretur, & promoueat, quò tã nostram, quàm aliorũ salutẽ operemur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Est & hic Psalmus remedium aduersus morsus sycophantarũ, & linguas calumniatrices. Etsi enim lingua calumniatrix nocentior est lancea, sagitta & ancipiti gladio, tamen gloria nominis Dei, qua innocens defenditur, potentior est omnium sycophantarum linguis. Serapion Archidiaconus Constantinopolitanus non assurrexit quondam prætereunti Seueriano Episcopo quidem Gabalensi Syriæ, sed tũc Constantinopoli commoranti. Seuerianus igitur indignatus, vociferatur: Si Serapion (inquiens) Christianus moritur, Christus non est mortuus. Propter hoc dictum accusatur coram Ioanne Chrysostomo Archiepiscopo, perinde ac si simpliciter dixisset,

Sozomenus in hist. Ecclesiast. lib. 7. cap. 10.

d

ſet, Chriſtus non eſt mortuus. Nam teſtes affirmabant ſe hoc dictum ex ore Seueriani audiuiſſe, data opera obticentes priorem conditionis partem, & tantùm poſteriorem recitantes. Pellitur ergo ex vrbe Seuerianus, tanquam impius. Quid ad hæc Seuerianus faceret? Quid, niſi elato in altum capite expectaret è cœlo auxilium, & diceret: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, ſub vmbra alarum tuarum confido, donec prætereat peruerſitas.

Theodoritus in Eccleſiaſt. hiſt. lib. 1. cap. 20. & 21.

Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, vir & eruditione & pietate inſignis, accuſabatur ab æmulis adulterij. Producitur in teſtimonium adultera ipſa, quæ & iureiurando affirmabat, ſe ex Euſtathio puerum concepiſſe. Quò ſe verteret innocẽs? Reclamabat pietas eius, & anteactæ vitæ honeſtas. Sed prævaluerunt ſycophantæ, & Epiſcopus in exilium ejectus eſt. Reliquum igitur erat, vt è cœlo peteret auxilium, et diceret: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te cõfidit anima mea, ſub vmbra alarum tuarum confido, donec prætereat peruerſitas. Nec vana fuit precatio: Miſerrima. n. mulier, compulſa grauiſsimo morbo, diuinitus immiſſo, cõfeſſa eſt ipſa, ſe pecunia corruptam, innocentẽ virum falſo accuſaſſe, vt Pſalmus veriſsimè de calũniatoribus dicat: Laqueum parant greſsibus meis, ad deprimendam animam meam. Fodiunt coram me foueam, ſed cadunt ipſi in medium eius.

Pſalmus

Psalmus 58.

Si verè vtiq; iuſtitiam loquimini.



Nterpretes, in explicando hoc Psalmo, ſolent ferè theſin ad hypotheſin, à genere, videlicet, ad ſpeciem transferre, & quod generatim dicitur de impijs, hoc ſpeciatim ad ſatrapas, & conſiliarios regis Saulis, & aduerſarios Dauidis accommodare. Nos autem primùm omnium theſin tractabimus, qua expoſita, liberum erit cuiuis pio, hunc Psalmũ, vel ad ſuos priuatos, vel ad publicos Eccleſiæ hoſtes aptare. Sunt enim ſemper in his terris, donec hoc ſeculum ſteterit, duo hominum genera: Alterum, piorum, & in hoc mundo afflictorum: Alterum impiorum, pios affligentium. Ac horum quidem magna eſt multitudo, illorum autem mira paucitas, ſi cum alijs conferantur, vt & Chriſtus ipſe fateatur, multos eſſe vocatos, paucos autem electos. In hoc igitur Psalmo opponuntur inter ſe pij & impij: ac initio deſcribitur impiorum ingenium, mores & interitus, deinde deſcribitur etiam piorum cõditio, quòd impijs, vel tandem diuinitus oppreſsis, veram & æternam tranquillitatem à DOMINO conſequantur.

1. *Num verè, ô cœtus, (hominum) iuſtitiam loquimini? num recta pronunciatis ô filij Adam?*

2. *Etiam in corde iniquitatem operamini, & in terra iniquitatem manus veſtræ concinnant.*

3. *Peruerſi ſunt impij ab vtero, errant à ventre mendaces.*

Inſtituit Pſalmus, quemadmodum diximus, collationem impiorum cum pijs. Orditur ergo à grauissima impiorum obiurgatione: Num verè, inquiens, o cœtus hominum impiorum, iuſtitiam loquimini? num recta pronunciatis ò filij Adam? Fateor, vos videri aliquoties iuſtiſsima loqui, & rectiſsima sentire ac diſſerere: ſed num verè iuſtum & rectum est, quod de iniuſto & prauo corde promanat? Vos enim adeò corrupti & deprauati eſtis, vt tam ore & lingua mendacia loquamini, quàm corde iniquitatem operemini, & manu, in terra, (hoc eſt,) palam iniuriam concinnetis & ſtruatis. Nec hoc malum adeò recens in vobis exortum eſt, ſed peruerſi eſtis iam inde ab vtero matris veſtræ, & cœpiſtis ab eo tempore, quo in lucem æditi eſtis, errare ac mendacia loqui. Quid poſſet de corrupta hominum natura magis perſpicuè dici? Et conuenit cum illo dicto Geneſeos: Cogitatio cordis humani mala eſt a pueritia ſua. *Gen.8.* Dicit & alius Pſalmus: Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Dices autem: Non ſolum impij homines, ſed & pij, ſi naturam eorum intuearis, tales ſunt ab vtero matris peccatores, quales hîc impij deſcribuntur. Quid ergo eſt, quòd hoc ad ſolos impios referatur? Hîc obſeruandum eſt diſcrimen inter homines renatos & non renatos. Qui enim in Chriſto

pa

per fidem sunt renati, hi etsi natura sua pari impietate cũ non renatis sorditati sunt, tamen quia in Christo sunt renouati, naturalis eorum impietas non imputatur eis. Qui autem non renascuntur, sed pergũt naturali suæ impietati indulgere, hi, vt maximam humani generis paginam implent, ita merito nomen impiorum soli reportant. Quare, etsi pij quoque ipsi peccato, natura sua, corrupti sunt, tamen cum habeant peccati condonationem propter Christum per fidem, & versantur iuxta spiritum, non iuxta carnẽ, peccatum impietatis, non ipsis, sed solis impijs, qui versantur iuxta carnem, non iuxta spiritum, imputatur.

4. *Furor eorum similis est furori serpentis, & aspidis surdæ, quæ obstruit aures suas.*
5. *Vt non audiat vocem exorcistarum, incantatoris incantationum periti.*

Pergit in descriptione impietatis vulgi seu multitudinis hominum. Impij enim non solum peccant corde, ore & manibus, verùmetiam tantis furijs exagitantur, vt benè monentem, ne quidem æquo animo audire sustineant. Nam quemadmodum serpens aut aspis, cum senserit, se à perito exorcista peti & adiurari, vt aut subsistat, aut è cauerna sua prodeat, aut innocuum venenum gestet, solet vnam aurem, vt dicitur, allidere terræ, & alteram obstruere cauda, ne audiat carmen incãtatoris: ita & impij eo sunt ingenio, vt quos sciunt instructos esse verbo Dei, & cohortationibus ad veram pietatem, eos vel con-

Augustinus in explicatione huius Psalmi.

tento cursu fugiant, vel aures suas obturent, ne audi-
ant, quę ad salutem ipsorum cognitu necessaria sunt.
Itaque, vt sunt ab antiquo serpente, qui est satan, se-
ducti & corrupti, ita etiam moribus suis ingenium
serpentum referunt, dignissimi, qui veneno suo ab
infantia hausto pereant.

Cæterùm, quod in his versiculis de exorcistis &
incantatoribus serpentum dicitur, manifestum qui-
dem est, quid Autores de Psyllis & Marsis prodide-
rint, quæ Gentes terrori serpentibus, & tactu ipso
ac suctu leuasse percussos dicuntur. Num autem ex-
orcistæ euocent è cauernis suis serpentes physica a-
liqua ratione, an magico carmine, peritis disputan-
dum relinquo. Ac video quidem hos versiculos af-
firmare, quòd serpentes obstruant aures suas, ne au-
diant carmen exorcistarum, nec dubitandum est,
quin reipsa fiat: num autem hoc fiat in serpentibus
naturali instinctu, an operatione satanæ, haud scio
num aliquid certi ea de re apud autores extet. Illud
certissimum est, quòd etsi similitudo ducitur à ma-
gica incantatione serpentum, non tamen liceat ma-
gicas artes exercere. Nam quemadmodum Chri-
stus ipse, etsi ducit parabolas & exhortationes ab
iniquo villico, & à crudeli iudice, non tamen com-
mendat iniquitatem, impostura, & crudelitatem,
sed potius detestatur. Ita cum Psalmus compara
impios serpentibus arte magica incantatis, non lau-
dat Magiam, sed commemorat tantùm quid hac in
parte fieri soleat, non quid recte fieri debeat. Nam
aliâs Spiritus sanctus abominatur & damnat omnes
magicas incantationes: Caue, inquiens, ne imiteris
abomi-

Plinius lib. 7. Naturalis histo. ca. 2. Plutarchus in vita Catonis minoris. *Lucanus lib. 9.*

Lu. 16. *Lu. 18.* *Deut. 18.*

abominationes illarum gentium. Non ſit in te maleficus, non incantator, neque qui Pythones conſulat, neque diuinos, nec qui quærat à mortuis veritatem. Et quia in eodem loco ſtatim ſequitur cõcio de Propheta diuinitus mittendo, hoc eſt, de Chriſto Domino noſtro, ſignificat Spiritus ſanctus, non vt illam Magiam ſectemur, qua externi ſerpentes incantantur, ſed vt Chriſtum DOMINVM noſtrum per fidẽ agnoſcamus, cuius Euangelion docet nos artem, qua antiquum ſerpentem ſeu draconem, ita incantare & conculcare queamus, vt non poſsit amplius caput ſuũ attollere, et nos venenato ſuo morſu extinguere.

6. *Deus, contere dentes eorum, in ore ipſorum: molares catulorum leonum confringe DOMINE.*

Poſtquàm ingenium & mores impiorum deſcripti ſunt, deſcribitur nunc ſupplicium eorum. Siue autem hæc legas indicatiuè futuri temporis, ſiue imprecatiuè, certè oracula ſunt Spiritus ſancti, quibus ſignificatur, impiorum exitio nihil eſſe certius: & quanquam extrema quæque mala aduerſus pios cogitent, inſtitutum tamen ſuum, ne quidem ad dimidium vſque perducere, tantum abeſt vt optatum finem aſſequantur: Domine, inquiens, contere dentes eorum in ore ipſorum. Solenne eſt in Pſalmis, vt impij hoſtes piorum conferantur cum Leonibus, & catulis eorum: Aperuerunt, inquit, ſuper me os ſuum, *Pſalm. 22.* ſicut leo rapiens & rugiens. Et in cantico Ezechiæ: Quaſi leo, ſic contriuit omnia oſſa mea. Quos igitur hic commemorat dentes & molares catulorum leonum, intelligit potentiam, tyrannidem & ſæuitiem, qua

qua impij & crudeles aduersarij pietatis in pios & innocentes grassantur, nec videntur ab instituto re cessuri, donec eos opprimant. Petit autem, vt omn ipsorum crudelitas & immanitas conteratur & confringatur. Non petit, vt qui resipiscunt & con uertuntur, (sicut Paulus ab immanitate sua conuer sus est,) pereant, sed petit, vt qui cõiurarunt in e itium piorum, & in pertinacia sua perdurant, diui no supplicio afficiantur. Non enim est dubium, qu Deus sit iustissimus iudex, qui tantum abest, vt immanitatem impiorum perpetuò conniueat, & p os opprimi sinat, vt visitet, iuxta Decalogum, in quitates patrum, etiam in filijs, in tertia & quar generatione eorum, qui oderunt ipsum: & faciat m sericordiam in millia, his, qui diligunt ipsum, & c stodiũt mandata eius. Quare, cum Spiritus sanct petẽdo internetionem impiorum, vt pij liberentu intercedat pro sanctis, secundum Deum, ac secund naturam & voluntatem eius, non est dubium, qu fiat voti sui compos, & verè impetret, vt dentes, f robur & seuities impiorum conterantur, & mola eorum confringantur. Illud autem nostri est offic vt nos non definiamus nec modum, nec tempus, nec locum, nec alias id genus circumstantias liberatio nis, quas Deus in sua constituit potestate, sed exp ctemus in vera patientia patefactionem diuini i dicij obedienter.

7. *Diffluent, sicut aqua, quæ dilabitur, Dirigit sagittas, sed quæ sunt perinde ac si essent concisæ.*

8. *Sicut Cochlea liqueſcendo perit, sicut abortiuum mul*

ris, non vident (impij) solem.

9. *Priusquam sentiant spinæ vestræ futuri Rhamnus, vt adhuc sunt teneræ, ita falce demetet eum (impium.)*

Exposita impiorum contritione, & supplicio, cõmemorat in his tribus versiculis quinq; similitudines, quibus hypotiposi quadam ob oculos pingit, quòd impij non solùm pereant inexpectato interitu, verùm etiam institutum suum non ad dimidium vsq; facti perducant, adeoq; illud eis accidat, quod in alio Psalmo dicit, impios nõ dimidiare dies suos.

Prima similitudo est: Sicut aqua effusa dilabitur, vt nescias, quò diffluat, ita impius peribit, vt ne vestigium quidem eius reliquum maneat. Hac similitudine vtitur etiam mulier Thecuitis, 2. Samuel. 14. Omnes morimur, & quasi aquę dilabimur, quę non reuertuntur. Et Christus ipse, Psalmo 22. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Similitudine igitur aquę diffluentis significat hic Psalmus, impijs euenire, quod 36. Psalmus dicit: Vidi impiũ superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, quæsiui eum: & non est inuentus locus eius.

Secunda: Dirigit sagittas suas, sed sunt, perinde ac si essent concisæ. (hoc est,) Quemadmodum sagittarius tendit arcũ suum, & imponit sagittam, vt scopum, ad quẽ dirigit, feriat: sed aliquoties fit, vt sagitta in medio cursu dissiliat, & quasi esset concisa, sic decidat, vt ad scopũ nõ perueniat: ita & impij instituunt multa & magna aduersus pios efficere, & eos sagittis suis ad internitionem vsque confodere, sed

priusquam dimidium instituti sui absoluunt, neces-
se habent ipsi diuinitus perire. Sic direxit sagittas
suas Pharao aduersus Israelitas, tanquam ad sco-
pum, vt opprimeret eos: sed priusquam Pharao-
nis sagitta ad hunc scopum peruenit, suffocatur ip-
se, liberatis Israelitis, in mari rubro. Sic Iulia-
nus Imperator, cognomine Apostata, direxit sa-
gittas suas aduersus Christianos, & minatur, se,
posteaquam è Persia victor domum redierit, Gal-
læos (sic enim vocabat Christianos) omnes oppres-
surum: sed priusquam hæ sagittæ scopum attigis-
sent, iacet Iulianus diuinitus oppressus.

Theodoretus lib. 4. cap. 25.

Tertia: Quemadmodum Cochlea, dum profert ca-
put suum extra testam, minatur cornibus suis, gra-
dem, nescio quam, punctionem, & tamen, cum ve-
stramentum vel aliam quandam rem minutissimam
attigerit, mox sese retrahit, ac tandem in testa sua,
nulla re læsa, exarescit, & perit: ita & impij minan-
tur pijs maxima quæq; mala. Sed cum DOMINVS
obijcit manum suam cornibus eorum, tantùm abest
vt aliquid detrimenti afferant, vt potius ipsi contere-
rantur & conculcentur. Aptissima similitudo, qua
potentia, tyrannis, & crudelitas impiorum aduersus
pios, conferūtur cum cornibus Cochlearum. Vide-
tur quidem, si iuxta externam speciem iudicaueris,
impiorum immanitas, esse vngues & dentes leonū,
è quibus nemo queat saluus euadere, sed si respexe-
ris iudicium, sententiam, & tutelam DOMINI, qua
pij defendūtur, nō sunt nisi cornua Limacis seu Co-
chleæ. An non Christus ipse, iuxta exinanitionē su-
am dicit: Circundederunt me vituli multi, tauri pin-
gues

gues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Et talis quidem videbatur externa ſpecies, qua Phariſęi et Pōtifices in Chriſtum graſſabantur, ſed intende oculos tuos in tertiū diem, qui eſt reſurrectionis, & reipſa comperies, horum vitulorū & taurorum cornua, ac leonum dentes & vngues, nō fuiſſe, niſi cornua Cochlearum. Quod in Chriſto accidit, hoc ad omnia mēbra eius pertinet. Nam quemadmodum Chriſtus, non ſibi tantùm, ſed maximè omnium nobis violentiam vitulorum, taurorum, & leonum ſuorum paſſus eſt, ita non ſibi tantùm, ſed & nobis à mortuis reſurrexit: Sepulti ſumus, inquit Paulus, vnà cum Chriſto per Baptiſmū in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ābulemus. Nā ſi inſititij facti ſumus illi per ſimilitudinē mortis eius, nimirum & reſurrectionis participes erimus. Et mox: Si mortui ſumus cū Chriſto, credimus, ꝙ & viuemus cū illo. Quare admoniti ſimilitudine à cornibus Cochleę ducta, benè in omnibus aduerſis confidamus, ꝙ etiamſi minæ aduerſariorum ſint grauiſsimæ, tutela tamen Dei, qua pij conſeruantur, potentior eſt cœlo & terra. *Rom. 6.*

Cęterū, vbi nos traduximus: Sicut Cochlea liqueſcēdo (ſeu euaneſcēdo) perit, ibi Græcus & Latinus traduxerūt, ſicut cera, quę fluit. Non eſt autē in Hebræo textu cera, ſed Limax ſeu Cochlea. Arbitror igit ſimilitudinem, quæ eſt in Pſalmo 68. huc tralatam: Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereāt peccatores à facie Dei. Et tamē eſt etiā ipſa ſimilitudo aptiſſima: Cera ab igne aut ſole remota videt ad duriciā

lapidis proximè accedere: ſed ſi propius ignem admoueris, continuò incipit molleſcere & fluere. Sic & impij, dum ſibi relinquuntur, duri ſunt & inflexibiles erga pios. Poſtquam autem ignis diuini iudicij exarſerit, vt non amplius conſtare poſſunt, ita pereant, neceſſe eſt. Non igitur metuamus ſæuitiem eorum, ſed cogitemus eam eſſe ceream, non calybeam nec ferream.

Quarta: Sicut abortiuum mulieris nõ vident (impij) ſolem, (hoc eſt,) quemadmodũ fœtus abortiuus concipitur quidẽ in vtero materno, ſed priuſquã in lucem venit, morte extinguitur, ita impij multa cõcipiunt animo aduerſus pios, ſed non vident ſolem, quia antequam propoſitum ſuum ad finem perducunt, in medio conatu concidunt. Saul, rex Iſrael, cogitat Dauidem interficere, & regnum Iſraelis ad ſuam ipſius poſteritatem tranſmittere, ſed fuit abortiuus, & non vidit ſolem: quia priuſquam Saul voti ſui compos factus eſſet, iacet ipſe in montibus Gelboë proſtratus & interfectus. Aman parat Mardochæo crucem, & vniuerſo populo Iudaico exitium, ſed non vidit lucem: tantùm enim abfuit, vt aſſecutus ſit finem ſui inſtituti, vt ſtatim pẽdẽret ipſe in ea cruce, quam ipſe Marchochęo parauerat. Satrapæ regis Darij inſidiantur vitæ Danielis, & accuſant eum coram rege criminis læſæ maieſtatis, vt conijceretur in lacum leonum, ſed conſilium eorum fuit fœtus abortiuus, nec vidit lucem, Daniel enim euaſit leones, & ſatrapæ in lacum leonum cõijciuntur, & diſcerpuntur. Non igitur metuamus crudelitatẽ impiorum, ſed confidamus clementia & miſericordia

ſericordia Dei, qui efficit, vt quem lacum impíj effo-
diunt píjs, in eum impíj ipſi præter omnem ipſorum
expectationem cadant.

Quinta: Priuſquàm ſpinæ veſtræ fiant rham-
nus, &c. Rhamnus genus eſt fruticis, magnarum
ſpinarũ, & habet prælongos aculeos. Et vbi nos trã-
ſtulimus, teneræ, ibi Hebræus legit, viuentes, quaſi
dicas ſpinas iamprimum enaſcentes, ac nondum
maturas, ſed adhuc teneras. Sic vbi nos interpretati
ſumus, falce, ibi Hebræus habet, iram, quòd falx,
ſeu raſtrum, ſeu ſecuris, ſeu aliud ruſticum inſtrumẽ-
tum, ſit velut ira ſeu ſupplicium ſpinarum, videlicet,
quo teneræ plantæ aut demetũtur aut euelluntur &
eradicantur, priuſquàm in ſuam iuſtam magnitudi-
nem adoleuerint & excreuerint. Sententia igitur
huius ſimilitudinis hæc eſt. Sicut ſpinæ ſolẽt demeti
& abſcindi falce aut ſecuri, priuſquàm excreuerint
in rhamnum ſpinoſam & aculeatam, ita impíj deme-
tuntur, & eradicantur à Deo, antequam abſoluerint
ſuum inſtitutum, & intulerint píjs extremam perni-
ciem. Saneherib, rex Aſſyriorum minatur regno 2. *Paralip.* 32.
Ezechiæ excidium, (hoc eſt) ſummam vniuerſæ Ec-
cleſiæ Dei calamitatem: ac videbatur è ſpina fieri
aculeatiſsima rhamnus: ſed priuſquàm matureſcit,
miſit Deus angelum in exercitum eius, qui percuſ-
ſit vna nocte centum octoginta quinque millia for-
tiſsimorum virorum, & coëgit Aſſyrium cum ma-
gna ignominia domum reuerti.

Antiochus Epiphanes prophanat templum Dei 1. *Macha.* 1.
in Hieruſalem, comburit librum legis, prohibet cir-
cumciſionem, celebrationem Sabbati, oblationem

holocauſtorum in templo Dei, iubet immolare carnes ſuillas, & deſignat crudeliſsima quæque ſcelera in Iudæos, qui tunc erant Eccleſia Dei, adeoq; iam non amplius tenera ſpina, ſed aculeatiſsima rhamnus videbatur. Quid ergo fit? Cum minaretur ſe vrbem Hieruſalem, congeriem ſepulcri Iudæorum facturum, ecce præſto adeſt hortulanus cum ſua ſecuri, & hanc ſpinam ita concidit, vt non niſi igni comburenda traderetur. Antiochus enim, qui ſibi videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in ſtatera appendere, tanto cruciatu torquetur, vt & vermes de corpore eius ſcaturirent, & in ſummo dolore vitam miſerrimè finiret. His & id genus alijs exemplis admoniti, meminerimus in aduerſis hortulani, ac falcis ſeu ſecuris eius, vt etiam ſpinæ videantur acutæ, tamẽ nihil certius eſt, quam quòd ſint demetendæ & extirpandæ, antequam in rhamnum adoleſcant.

2. *Macha. 9.*

10. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, lauabit pedes ſuos in ſanguine impij.*
11. *Et dicet vnuſquiſque, certè eſt fructus iuſto, certè eſt Deus iudex in terra.*

Hactenus de impiorum ingenio, iniquitate & ſupplicio. Nunc de pijs & iuſtis, qui ab impijs in hac terra ſceleratè tractantur: Iuſtus, inquit, cum viderit vindictam, lætabitur. Etſi enim impij tam immaniter ſæuiunt in pios, vt nulla humana ratione conijci poſsit, quòd ſint illæſi euaſuri, nec quiſquam ſit, qui iniuriam ipſis illatam vindicare queat, nihil tamen

men certius est, quàm quòd Deus ipse ita sit vindicaturus, vt & pij ac iusti summo gaudio propter mirandam liberationem afficiantur, & pedes suos in sanguine impiorum lauent, (hoc est) maior & grauior futura sit vindicta, quàm quisquam ratus esset. Vbi enim parum est vltionis, ibi parum etiam sanguinis effunditur, vt vix extremum plantæ pedis sanguine tingatur. Vbi autem multum est vltionis, ibi tam copiosus sanguis effunditur, vt in eo totos pedes lauare queas, & in sanguine vsque ad genua ambules. Quare cum pij ac iusti dicuntur lætari de vindicta impiorum, & pedes suos in sanguine eorum lauare, non significat, pios carnali modo de alienis malis gaudere, & temerè eis insultare, qualis est illorum affectus, de quibus in alio Psalmo dicitur: Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, Euge: sed significat, pios spirituali lætitia propter immensam Dei clementiam, qua ipsi in aduersis conseruantur, affici, & Deum non solùm seueriorem vltionem de impijs sumere, quàm vnquam cuiquam, ne per somnium quidem in mentem venisset, verùm etiam maiora liberationis beneficia, quàm ne sperari quidem potuisset, in iustos & pios ab impijs oppressos, conferre. Vnde & additur in vltimo Psalmi versiculo: Et dicet vnusquisque, certe est fructus iusto, certè est Deus iudex in terra. Postquam enim Deus animaduertit in impiorum crudelitatem seueriſsimè, & liberat pios mirandis modis, necesse habet quisq; qualis qualis sit, palam & ingenuè confiteri, quòd sit fructus iusto, quòd etiamsi iustus & pius diu & immaniter affligatur,

auferat

auferat tamen & reportet vel tandem mercedem, fructum,& compensationem suæ afflictionis:ac manifestum in toto orbe fiat, quòd Deus non sit cessator, aut officij sui neglector, sed quòd verè curet res humanas,& verè sit iudex in terra, qui & impios severiter puniat,& pios clementer ac mirabiliter servet. Vide mihi exemplum Pharaonis & Israelitarū. Pharao & Ægyptij tam crudeliter opprimunt Israelitas, qui erant populus & Ecclesia Dei, vt & senio res sub intolerabili iugo ingemiscerent, & iuniores in flumen proijcerētur, adeoq; nulla prorsus spes salutis humanitus affulgeret. Sed iudicāte DOMINO, Pharao & Ægyptij tanta seueritate opprimuntur,& Israelitæ liberantur, vt summa alacritate gratulatorium carmē canant: Cātemus, inquiunt, DOMINO, glorioſe enim magnificatus est. Equum & ascensorē deiecit in mare. Hoc verè est lętari, cum videris vindictam,& lauare pedes suos in sanguine impij. Tū quoque patefactum est, quòd iusto compensetur ab unde sua afflictio, & quòd sit Deus iudex in terra qui retribuat vnicuiq; iuxta opera sua.

Iudi.6. In libro Iudicum, Israelitæ traduntur in manus Midianitarum, septem annis, & tractantur immanissimè. Etsi autem Israelitæ meriti erant afflictionem, propter idolomaniam suam, tamen, postquam resipuerunt, & iustificati sunt, Deus tyrannidem Midianitarum tanto zelo vindicauit, vt Israelitæ non tantùm leuiter tingerent, sed etiam lauarent pedes suos in sanguine Midianitarum: & palàm vidit vniuersus orbis, quòd & iusto sit fructus, seu afflictionis compensatio, & Deus sit iustus iudex, qui etiam

etiamsi aliquandiu ad sæuitiem impiorum conniueat, tamen quod cessatum videtur, grauitate supplicij erga impios, & magnitudine beneficij erga pios rependatur.

Dicet autem quispiam: Fateor, Multa extant exempla in Propheticis & Apostolicis, ac in alijs quoque scriptis, quibus probatur, quòd impij seuerissimè propter impietatem à Deo puniantur, & pij clementer ac mirabiliter seruentur: sed plura extant exempla dissimilia, & planè contraria, quibus re ipsa videmus, quòd impij felicissimè viuant, & in bono, vt apud Iobem dicitur, producant dies suos, vsque ad extremum suspirium, pij autem vsque ad mortem affligantur & opprimantur. Herodes est tyrannus & adulter, Ioannes autem Baptista vir est sanctissimus: & tamen hic ab Herode è vita tollitur & interficitur, Herodes autem voluptati indulget, & regnat. Nero omne genus crudelitatis exercet, Paulus autem omne genus fidelitatis, Christo, in vocatione sua præstat: & tamen hic neci datur, ille autem felici vita longius fruitur. Puniti sunt (inquies) tyranni, vel tandem. Sed an non melius fuisset, si tyranni interfissent, priusquam tantam sæuitiem in pios exercuissent? De hac re dictum est aliquid aliàs, sed & in præsentia quædam, quantum quidem ad hunc locum satis videtur, dicamus. Sciamus igitur, quòd etsi vniuersus mundus obnoxius est peccato, & propter peccatum, supplicio tam corporali, quàm spirituali, tã externo, quàm æterno, tamen suæ sunt causæ, propter quas Deus, vt est liberrimum agens, & iustissimus ac sapientis-

simus omniũ rerũ gubernator, aliquoties in hoc quidẽ seculo, ad impiorũ felicitatẽ, et ad piorũ infelicitatẽ cõniueat, aliquoties etiã impios atrocissimè puniat, pios verò amplissimo honore euehat. Nam quod ad alterũ seculum attinet, omnia ibi iustissimè & ordinatissimè administrabuntur, vt impij, qui nõ resipuerunt, perpetuò sint maledicti & infelices, pij aũt perpetuò, sine vlla mutatione, benedicti & felices. Quod verò ad hoc præsens & mundanũ seculũ attinet, Deus donat nõnunquam impios mundana felicitate, & prospero rerum successu, singulari cõsilio, videlicet, partim, vt admoniti bonitate Dei, resipiscant, (quẽadmodum Paulus ad Romanos testatur) *Rom. 2.* & publicum de gratuita clemẽtia Dei testimonium ferant, ꝙ Deus tam bonus sit, vt sinat solẽ suum exoriri super bonos & malos, & pluuiã mittat super iustos et iniustos: partim vt vnàcũ bonitate, etiã longanimitatẽ suam declaret. Cum. n. longanimitas sit diuina virtus, oẽs autẽ virtutes sint in Deo perfectissimè, reliquum est, vt Deus ædat etiã in tolerãdis impijs, exẽplum longanimitatis. Nõnunquam punit & affligit impios atrocissimè, id quod etiã singulari eius consilio fieri solet. Affligit. n. eos seueriſsimè, nõ quòd significet, corporales afflictiones in hoc seculo esse expiationes impietatis coram Deo, ad expianda n. corã Deo peccata, requiritur, aut innocẽs sanguis Dñi nostri Iesu Christi vnigeniti filij Dei, aut perpetuũ ignis inferni supplicium: sed affligit eos in hoc seculo, vt vel ipsi, cùm bonitate Dei hactenus abusi sint, seueritate ad pœnitentiã excitentur, vel alij exemplum seueritatis Dei capiant, & timorem Dei discant,

scant, quod & Psalmus affirmat: Iustus, inquiẽs, cum viderit vindictam, dicet: Certè adhuc est Deus iudex in terra. Quare siue impij beneficijs Dei fruuntur in hac terra, siue seueriter puniuntur, semper commendanda est œconomia Dei, quòd quæ humanæ rationi videntur partim temere, partim iniustè fieri, ea iustissimo & prudentissimo Dei consilio administrentur. Idem sentiendum est de piorum conditione. Nam & hi aliquoties crudeliter in hoc seculo non tractantur tantùm viuentes, verùmetiam ad mortem vsque mactantur: aliquoties multis & magnis beneficijs Dei fruuntur: vtrunque iustissimo & optimo Dei consilio. Nam si afflig̃untur, clementia Dei est, qui cogitat eis per afflictiones benefacere, de qua re aliàs copiosè: si autem bonis huius seculi honorantur, misericordia Dei est, qui cogitat his bonis, gustum eis præbere futuræ & cœlestis hæreditatis. Quicquid igitur acciderit, attollamus capita nostra, laudemus nomen DOMINI, ac dicamus cum Iobe: DOMINVS dedit, DOMINVS abstulit. Sicut DOMINO placuit, ita factum est: sit nomen DOMINI benedictum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod initio diximus, opponuntur inter se in hoc Psalmo impij, & pij. Et impios quidem etiamsi diu felicitate fruuntur terrena, tamen manet eos certissimus interitus: pios autem, etiamsi diu oppressi iacent, tamen vel tandem, deletis impijs, emergunt, si non in hoc seculo, certè in

futuro, ad ſummam & perpetuam felicitatem. Qua re confirmemus animum noſtrum in aduerſis recitatione huius Pſalmi, & imprimis obſeruemus, quibus ſimilitudinibus Spiritus ſanctus admoneat nos de impiorum interitu, vt iſs muniti inſultus eorum fortiter perferamus, & liberationem DOMINI patienter expectemus.

Pſalmus 59.

Eripe me ab inimicis meis, Deus meus, &c.

IN Propheticis vaticinijs, præſertim in Pſalmis explicandis ſemper nobis ob oculos poſitum eſſe debet, quod Petrus Apoſtolus ſcribit: Spiritus Chriſti, inquiens, qui in Prophetis erat, teſtabatur ventu-
1. Pet. 1. turas, priuſquam acciderent, in Chriſtũ afflictiones & quæ eſſent conſecuturæ, glorias. Et Chriſtus ipſe
Luc. vltimo. Neceſſe, inquit, fuit impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & Prophetis, & PSALMIS de me. Et n. Prophetica ſcripta, quorum Pſalmi nõ poſtremi locũ obtinẽt, variis argumentis conſtant, tamẽ inprimis teſtimoniũ dicũt de afflictionib. & de gloria ac maieſtate DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, vnde & in
Luc. 9. transfiguratione Chriſti, Moſes ac Elias, qui ſunt legis & Prophetarum Coriphæi, viſi in maieſtate, col-

loquebantur

loquebantur cum Christo, & dicebant excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis, significãtes, hanc esse proram, (quod aiunt) & puppim legis & Prophetarum, quòd de afflictionibus, de cruce & morte Christi, ac de resurrectione, & sessione eius ad dextram Dei patris sui, (hoc est,) de maiestate eius concionetur. Quod cùm in multis Psalmis, tum etiam in hoc quinquagesimo nono Psalmo obseruandum est. Tametsi enim inscriptio eius, significat eum conditum esse, cum Saul mitteret satellites ad custodiendam domum Dauidis, vt interficeret eum, quæ historia scripta est in priori libro Samuelis, cap. 19. tamen Psalmi ipsius contextus, & rerum euentus testantur, Dauidem excitatum quidem fuisse ad cantandum hunc Psalmum, recordatione periculi, quod ei in fuga, cum ab vxore sua Michol per fenestram demitteretur, acciderat: sed Spiritum sanctum imprimis respexisse in Christum, & in Iudæos, coniuratos Christi hostes, vt hic Psalmus sit præcipuè vox Christi, conquerentis de immanitate Iudæorum, qui ipsum extremo odio extinctum, ac omnino perditum cupiebant. Hæc est etiam sententia Pauli Apostoli, quem non dubito ex hoc Psalmo illa sua epitheta sumpsisse, quæ ad Philippenses scribens, Iudæis attribuit: Cauete, inquiens, canes, cauete malos operarios, (sic enim vocantur Iudæi in hoc Psalmo,) cauete concisionem. Et ad Thessalonicenses: Quemadmodum & nos ipsi, (inquit,) à Iudæis, qui vt & DOMINVM occiderunt Iesum & proprios Prophetas, ita & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur. Qui *1. Thes. 2.*

obsistunt nobis, ne loquamur gentibus, quò saluifiant, vt expleant sua peccata semper. Peruenit autem in illos ira in finem. Peruenit (inquit) in illos ira in finem. Hæc est ira illa, de qua Psalmus ait: Dele eos in ira, dele eos, vt nihil sint. Sentiamus igitur hunc Psalmum esse precationem Christi contra Iudæos, qui implacabili odio Christum persequebantur: & esse vaticinium Spiritus sancti de calamitatibus ipsorũ, quibus Deus mox à resurrectione Christi cœpit eos horribiliter affligere, & adhuc hodieq; inter omnes Gentes affligit.

1. *Eripe me ab inimicis meis, Deus meus, ab insurgentibus in me protege me.*
2. *Libera me ab ijs, qui operantur iniquitatem, & à viris sanguinum serua me.*

Inimici Christi, & insurgentes in eum, similiter operantes iniquitatem, & viri sanguinum, sunt Iudæi, Pontifices, Scribæ, & Pharisæi, qui, vt summo ac virulentissimo odio in Christũ ferebantur, ita illud vnũ conabantur, vt nomẽ, vitam, famã, gloriam, & omnem maiestatem eius delerent, ac radicitus extirparent. Attollit igitur Christus oculos suos ad Deum patrem suum cœlestem, & cum inter homines nullus esset adiutor, petit ardentissimo affectu, vt à Deo defendatur: Eripe me, inquiens, Deus meus, ab hostibus meis, Iudæis: protege me à Pontificibus, qui aduersus me collatis omnibus viribus suis insurgũt: libera me à Scribis, qui pertinacissima iniquitate in me sęuiunt: serua me à Pharisæis, qui sunt viri sanguinum, nec aliud sitiunt, nisi sanguinẽ meũ.

Sed

Sed quomodo hæc precatio conuenit cum officio & vocatione Christi, quòd Christus in hoc vocatus fuerit, & ad hoc venerit in hunc mundum, vt morte sua expiaret peccatũ humani generis, & per mortẽ à Iudæis illatã aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolũ, & liberos redderet eos, qui- *Heb. 2.*
cunq; metu mortis, per omnem vitam obnoxij erant seruituti? In hoc aũt Psalmo videtur precari, vt non sæuiant in ipsum Pontifices ac Pharisæi, nec inferant ipsi mortẽ? De officio igitur & de vocatione Christi rectè iudicandum est. Vocation. Christi non fuit, vt nihil aduersi patiatur, sed potius, vt ad expiãda peccata nostra corã Deo, omnia aduersitatis genera in hoc seculo patiẽda suscipiat. Etsi enim erat in forma
Dei, quemadmodum Paulus loquitur, & omni ma- *Philip. 2.*
iestate Dei ornatus, ac illustris, tamẽ officij eius erat, vt tempore carnis suę exinaniret semetipsum, forma serui sumpta, & præberet sese humilem ac obedientem vsq; ad mortẽ crucis. Ad hanc autem exinanitionem & obendientiam, etiam illud pertinet, vt in afflictione Deum inuocaret, & aduersa coram Deo deprecaretur, non vt non affligeretur, & non moreretur, sed vt in afflictione & morte non periret, & vt per afflictionem & mortem efficeret illud, quod est principalis sui officij, videlicet, expiationem peccatorum, & liberationem à morte & inferno. Nã Põtifices & Pharisęi illud instinctu satanę agebãt, vt Christus prorsus periret, nec assequeretur suum in liberando humano genere institutum. Quare, cum Christus petit seruari à viris sanguinũ, non petit, vt non affligatur, & non moriatur, sed petit, vt

institu-

inſtitutum ſatanæ in Pontificibus & Phariſæis, non promoueat, hoc eſt, petit, vt cum ſibi ſit ex obedientia moriendum, non illud fiat, quod ſatan expetit, vt regnum Chriſti prorſus è medio tollatur, ſed quod Deus inſtituit, vt humanum genus morte Chriſti ſeruetur, & regnum eius perpetuò ſtabiliatur. Hoc idem exponunt aliæ Chriſti precationes. Apud Ioan. cap. 12. ait: Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater ſerua me ex hora hac. Hoc illud eſt quod in Pſalmo dicitur: Eripe me ab inimicis meis Deus meus, & ſerua me à viris ſanguinum. Mox autem in Ioanne ſequitur: Sed propterea veni in horam hanc. Pater illuſtra nomen tuum. Et iterũ apud Matthæum: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Hoc eſt dicere: Protege me ab inſurgentibus in me. Libera me ab operarijs iniquitatis. Sed confeſtim ſequitur: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Quare Chriſtus ita deprecatur afflictiones, & mortem, vt teſtetur quidem exinanitionem & humiliationem ſuam, non autem vt detrectet veram obedientiam, ſed potius vt inuocatione & paſſione abſoluat expiationem peccatorũ, ſalutem humani generis, & gloriam patris ſui, quod eſt in officio eius præcipuum.

3. *Quia ecce inſidiantur animæ meæ, congregantur aduerſus me robuſti, abſq; mea culpa & abſq; meo peccato DOMINE.*

4. *Abſq; mea iniquitate concurrunt, & accinguntur. Exurge (ergo) ad occurrendum mihi, & vide.*

Ratio

Ratio precationis: Non temerè inuoco nomẽ tuum DOMINE, vt me tuearis: ſummum periculum, extrema neceſsitas adigit me ad hanc precationem. Inſidiantur.n. vitę meæ, & conſpirant aduerſum me, non abiecti homines, ſed robuſtiſsimi. Conueniunt, & cõferunt contra me omnia cõſilia, oẽs vires ſuas, homines ſumma autoritate præditi, vt me opprimãt & extinguant. Et quod eſt lõgè omniũ iniquiſsimũ, & immaniſsimum, cupiunt me perditũ, nulla legitima cauſa, nulla mea culpa, nullo meo merito. Nõ ſolùm.n. nihil vnquam in eos peccaui, nihil in eos iniquitatis aut ſceleris admiſi, ſed etiã cõtuli in eos omnia genera beneficiorũ. Docui eos verã viã ſalutis, leproſos eorũ ſanaui, cæcis viſum reſtitui, paralyticis integritatem virium reddidi, ſurdos audire feci, & quod maximum omnium eſt, mortuos ad vitam excitaui. Quid amplius facere debui? Fateor, reprehẽdi nonnunquam genus eorum docendi, & hypocriſin vitæ: non feci autem hoc gentis aut perſonarum odio, ſed officij, & ſalutis eorum gratia: non feci detrimento, ſed maximo eorum emolumento: & tamen, nulla prorſus tum meæ innocentiæ, tum ſalutis ipſorum ratione habita, cupiunt me, quoquo modo fieri poteſt, extinctum. Peto igitur DOMINE, vt exurgas, & mihi ſuccurras, ac vel tandem cum animo tuo conſideres & expendas, quàm indignis modis me tractent. Sciamus autem cauſam, cur Iudæi nulla prorſus iuſta cauſa Chriſtum DOMINVM noſtrũ tam virulento odio proſecuti ſint. Sed cauſam ipſe apud Ioannem commemorat: Si opera, inquiẽs, nõ feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, *Ioh. 15.*

peccatum nō haberent. Nunc aūt, & viderūt & oderunt, nō ſolùm me, verùmetiã patrem meũ. Sed hoc accidit, vt compleat ſermo, qui in lege eorũ ſcriptus
Pſal.35. eſt: Odio habuerunt me gratis. Primùm ergo, Iudæi oderunt Chriſtum, quia ſic ſcriptum erat. Quid amplius requiris? ſcriptum eſt, quod Iudæi ſint odio habituri Chriſtum: ſcriptura autem eſt oraculum Spiritus ſancti. Credamus igitur Spiritui ſancto, & ſententiamus, quòd ſi Iudæi Ieſum Chriſtum nō odiſſent, et perſecuti eſſent, nō eſſet pro vero Chriſto habendus, non. n. ſatisfactũ eſſet Spiritus ſancti oraculis. Nunc autẽ, quia Iudæi hac in parte Prophetica de Chriſto oracula, inſigniter impleuerũt, idcirco habemus præter infinita alia, etiã quod ad hanc rẽ attinet, certiſſimum teſtimoniũ, Ieſum Nazarenũ, filiũ Mariæ virginis, eſſe verum Chriſtũ, per Prophetas promiſſum & adnunciatum: nec eſſe aliud nomẽ ſub cœlo hominib. datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hæc nī eò dicuntur, ꝙ Iudæi coacti ſint odiſſe Chriſtum, ſed quòd ſua ſpōtanea impietate impleuerint, neſciẽtes oracula Spiritus ſancti. Deinde, etſi noſtri officij eſt, vt ſolo Spiritus ſancti oraculo, de odio Iudęorum in Chriſtum, contenti ſimus, nec aliam odij cauſam requiramus, tamen quia Chriſtus ipſe aliã quoꝙ recitat, audiamus eam: Memẽtote, inquit, ſermonis, quẽ
Ioh.15. ego dixi vobis: Nō eſt ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonẽ meũ ſeruauerunt, et veſtrum ſeruabunt: ſed hæc omnia facient vobis, ꝓpter nomen meũ, quia nō NOVERUNT EVM, QVI MISIT ME. Et paulò poſt: Oderũt nō ſolum ME, verumetiã PATREM MEVM. Habes alterã cauſam, cur Iudæi oderunt Chriſtũ &

Apoſtolos

Apostolos eius, quia oderũt, inquit, Patrem meum. Accusat Iudæos manifestæ in Deũ impietatis. Quid ergo dicemus? Illa ne gens, quæ audiuit vocem Dei loquentis in monte Sinai, quæ accepit legem à Deo, quæ vidit tot miracula Dei, quæ audiuit tot Propheticas conciones de Deo, quæ tantis beneficijs affecta est à Deo, quæ præ omnibus alijs populis gloriatur de Deo, non solùm non nouit Deum, verùmetiam odio habet eum? Si gens à Deo in peculiarẽ suum populum electa, tanta ignoratione, & odio Dei tenetur, quid sentiendum est de alijs gentibus, à Deo expresso alienis? Quid, nisi vt fateamur vniuersum humanum genus, si naturã eorum respexeris, esse coram Deo reum omnis peccati, incredulitatis & impietatis? Quod eò respicit, vt si quid infelicitatis nobis contigerit, non miremur, quippe qui impietate nostra, non solùm corporalia, verùmetiam spiritualia & æterna supplicia meriti simus. Si autem contigerit nobis aliquid felicitatis, agnoscamus gratuitã Dei clementiam, & gratificemur Deo, quoquo officij genere possumus.

5. *Et tu DOMINE Deus Zebaoth, Deus Israelis, excitare ad visitandas omnes gentes, ne miserearis omnibus præuaricantibus iniquitate.*

In superioribus versiculis petijt Christus liberationem, vt tam in aduersis suis seruetur, quàm ab aduersarijs suis Iudæis eripiatur. Nunc autem non arbitratur sibi satisfactum, si ipse manus hostium suorum saluus euadat, sed cogitat, se tum verè & perfectè saluum, si hostes quoque, qui aduersa

intulerunt, fuerint ſupplicio affecti, & pro merito ſuo ita oppreſsi, vt nunquam poſtea caput attollere, & priſtinas vires, ad nocendum recuperare queant. Quare ſicut Chriſtus antea ſui liberationem petijt, ita nunc incipit ab hoc verſiculo petere, adeóque vaticinari extremam hoſtium ſuorum Iudæorum in ternitionem, vt liberatio ſui, exciſis etiam & oppreſsis hoſtibus perfectè abſoluatur: Tu DOMINE (inquit) Deus Zebaoth, Deus Iſraelis, excitare ad viſitandas omnes gentes, &c. Primùm, DOMINVS Deus noſter vocatur Deus Zebaoth, (hoc eſt) exercituum. Zebah enim exercitum ſeu militiam ſignificat. Reportat autem hoc cognomen ex eo, quod ſcribitur in Geneſ. cap. 2. Perfecti ſunt cœli & terra & omnis exercitus ſeu militia eorum. Exercitus verò ſeu militia cœli & terræ, ſunt in cœlo quidem tam Angeli, quàm aſtra, & oēs virtutes cœleſtes, tam corporales, quàm ſpirituales: in terra autē omnia, quæ in terra naſcuntur, ſimiliter homines & beſtiæ, vnà cum omnibus ſuis regnis, virtutibus, potentia & maieſtate. Cum igitur Deus dicitur DOMINVS Zebaoth, ſignificat Deum eſſe omnipotentem creatorem cœli & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt. Vocatur etiam peculiariter Deus Iſraelis propterea quòd Deus promiſerit Iacobo Patriarchæ, (qui & Iſrael dicitur, Gen. cap. 32.) ſe daturum poſteritati eius, in poſſeſsionem hæreditariam, terram Canaan, & elegiſſe populum Iſraeliticum, in primogenitum ſuum filium, Exod. cap. quarto: & quod maximum omnium eſt, miſſurum ſe è poſteritate eius vnigenitum filium ſuum, Chriſtum DOMINVM

MINVM nostrum. Dicit ergo: DOMINE Deus, creator cœli & terræ, & dilectissime mi pater, expergiscere, quæso, exurge & euigila ad visitandas omnes gentes: sed interea, quęso etiam te, vt non miserearis illorum, qui scelerate me auersantur, & in malitia ac impietate sua sunt obstinati. Hîc initio precatur Christus, vt Deus pater seruet ipsum in morte, ad quam adigunt ipsum Pontifices ac Pharisæi: & excitet ipsum a morte, ac exaltet in maiestatem suam, quò Apostolos suos mittat in vniuersum mũdum, ad prędicandum & adnunciandum Euangelion suum, inter omnes Gentes. Hoc enim est omnes Gentes visitare, Euangelion videlicet in vniuerso mundo, omni creaturæ, siue Iudæis, siue Ethnicis, adnunciare: vt qui crediderit Euangelio, siue Iudæus, siue Ethnicus, siue circumcisus, siue incircumcisus, saluus fiat: qui verò non crediderit, condemnetur. Deinde, precatur, siue vaticinatur, quòd Iudæi, qui Euangelio semper pertinacissimè restiterunt, sint excæcandi & in extremas tenebras abijciendi. Prædicatione enim Euangelij visitantur omnes gentes, in toto orbe terrarum, non autem omnes agnoscunt, nec credunt Euangelio: imprimis verò Iudæi non solùm auersati sunt Christum, & condemnauerunt eum, sed persecuti sunt Euangelion eius crudelissimè. Quare vaticinatur, quòd Iudæi, in impietate sua obstinati, & pertinaces, nullam vnquam misericordiam coram Deo sint consecuturi: Non miserearis, inquit, eorum. Deus quidem, qui est ipsa misericordia, non potest non misereri eorum, qui pœnitentiam agunt, & misericordiam eius fide amplectuntur.

tur. Illorum autem, qui non solùm Christum virulento odio persequunt, verùmetiã obstinauerũt animis aduersari Euangelio, & oculos manifestæ luci claudere, non miseretur. Cum igitur hoc ingenio maxima pars Iudæorum sint præditi, non est mirum, quòd ita excæcati & à Deo abiecti sint, vt nullam
Rom. 11. misericordiam consequantur, sicut scriptum est: Dedit eis spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant, vsq; ad hodiernum diem. Ac misertus quidem est Deus aliquorum, qui initio reuelati Euangelij agnouerunt Christum, & crediderunt in eum: miseretur etiam adhuc nonnullorum, qui ex Iudaismo conuertuntur ad Christum: multitudini autem, & maximæ eorum parti nunquam ita fauet, & miseretur, vt restituat eos suæ patriæ, & reddat eis gloriam Patriarcharum suorum: sed necesse habent in terris exules, & longè omnium miserrimi vagari, ac omnibus reliquis gentibus abominationi esse. De quibus rebus audiamus versiculos, qui sequuntur.

6. *Reuertentur ad vesperam, vlulabunt sicut canis, & circumcurrent ciuitatem.*

Postquam Christus vaticinatus est, DOMINVM non miserturum Iudæorum, sed abiecturum eos, commemorat nunc, quæ mala sint abiectionem eorum secutura. Ac primùm: Reuertentur, inquit, ad vesperam, &c. Sententia huius versiculi petenda est è. 14. & 15. versiculis huius Psalmi, in quibus apertius habetur, quod hîc paucis dicitur. Deus enim dedit Iudæis, seu posteritati Abrahæ terram Canaan, ter-

ram

ram lacte & melle fluentem: instituit in ea sacerdotium & regnum, Ecclesiastica sacra, & politica iura: dedit eis rerum omnium abundantiam: contulit in ipsos victoriam in bellis, aduersus Gentes finitimas. Et quanquam dispersit eos postea, in Monarchia Babylonica inter varios populos, tamen restituit eos post aliquot annos auitæ suæ possessioni: ac nihil omnino beneficiorum omisit, quin in eos clementissimè conferret. Sed nunc, postquam obstinauerunt odisse Christum, & Euangelion eius delere, benedictiones eorũ mutãtur in maledictiones. Antè ornati fuerunt regno, & habitauerũt sub ficu & vite sua, vt Prophetæ loquuntur, confidenter: nunc autẽ ita ejicientur è regno suo, vt nusquã habituri sint certã & firmã sedẽ. Nam, quemadmodũ famelici canes vlulant, præ fame, & circumcursitant ciuitatẽ, à mane vsq; ad vesperã, ac subinde eunt & redeunt, si alicubi inueniant, quod edãt: ita & Iudæi habẽtur pro famelicis canibus, nusquam habent fixam sedẽ, non habẽt terrã, quam colãt, & e qua victũ quærãt, vbiq; Gẽtiũ sunt exules: & quanquã alicubi tolerẽtur, necesse tñ habẽt, quouis momẽto exiliũ expectare: interim victũ quærunt sicut canes, toto die, ad vesperã vsq; circumcursitando, & tamen ne sic quidem voti sui cõpotes fiũt. Quid plura? omnibus Gẽtibus sunt odiosi & execrandi. Nec mirũ: Cum. n. omnis diuina gratia proueniat ex merito sanguinis Christi, Iudæi autem repulerint huius sanguinis meritum, & susceperint in se & posteros suos vindictã eius, vociferantes: Sanguis eius super nos & super filios nostros, iustissimo Dei iudicio fit, vt qui reiecerunt à se omnem gratiam Dei, amittant etiam omnem hominum

gratiam,

gratiam,& tractentur vt canes. Fruamur ergo alie-
na insania, & admoneamur maledictione Iudæorũ,
vt sanguinem Christi reuerenter honorantes,bene-
dictionem consequamur.

7. *Ecce effutiunt ore suo,gladij sunt in labijs ipsorum,Quo-*
niam,quis (inquiunt) audit?

Alterum ornamentum Iudæorum, fuit sacerdotio-
um. Dicit ergo Christus: Iudæi non solum amiserũt
regnum,& electi sunt in exilium,inter omnes Gen-
tes, verùmetiam amiserunt sacerdotium . Nuper e-
nim,dum polité eorum adhuc incolumis staret,cõ
uenerunt in templo , fecerunt sacra diuinitus insti-
tuta,& cantarunt Psalmos seu carmina,quibus lau-
dem nominis Dei celebrarent. Nunc autem disper-
si inter gentes,& discurrentes vt canes, non canunt
laudem Deo,sed effutiunt summam ore suo vanita-
tem. Etsi enim adhuc conueniunt aliquoties in sui-
synagogis , & Psalmos cantant , tamen hæc cantica
non sunt laus Dei,sed futilia hominum nugamenta.
Vtuntur Dauidicis Psalmis,sed non vtuntur Dau-
dica fide. Quod enim de Christo in Psalmis dicitur,
hoc ipsi contra Christum interpretantur : & hoc so-
lum agunt,vt quicquid in sacris literis scriptum est,
miris modis peruertant,tantummodo, vt vel contra
Christianos faciat, vel ne pro Christianis. Quare,e-
tiamsi diu multumq; è Psalmis aut reliquis scriptis
Propheticis sacra fecerint,tamen non sunt nisi futi-
lia sacra,quæ iracundiam Dei super ipsos magis in-
ritãt,quàm mitigant. Deinde, sunt & in labijs ipso-
rum

rum gladij, ſicut in ore ipſorum, non ſunt niſi vana, & futilia ſacra, ita in labijs eorum, non ſunt niſi gladij, (hoc eſt,) virulentiſsima maledicta, & acerbiſsimæ execrationes aduerſus Chriſtum, & omnes, qui in Chriſtum credunt. Tenentur enim immani odio Chriſti & populi eius, adeò, vt virulentiam ſuam etiam oculis prodant, ac ſi quando occaſionem nanciſci poſſent, dubium non eſt, quin execrationes, quas nunc verbis vſurpant, gladijs exequerentur. Eccleſiaſtica hiſtoria tradit, quòd ſub Imperio Adriani, Cochab Iudæus, iactarit ſe eſſe Meſsiã per Prophetas promiſſum, & congregato ingenti Iudæorum exercitu, conatus ſit Iudęos in priſtinã libertatem vindicare. Hic etſi bellum gerebat aduerſus Ethnicos, tamen in ſolos Chriſtianos grauiſsimis ſupplicijs, niſi Chriſtũ negaſſent & blaſphemaſſent, cruDeliter animaduertit. Sed cũ Iudæi oppreſsi ſint vnà cum ſuo Meſsia, & adẽpta eis ſit omnis poteſtas, manum quidẽ continent, animum autem homicidam nõ mutarunt, & quod manu perficere non poſſunt, verbis peragũt. Hodie.n. omnes, qui aliquid de Ieſu Chriſto audiuerunt, benè illi cupiunt, & illum aliquo modo veneranť, Agareni, idololatræ, hæretici. Soli Iudæi, tam acerbo odio eum perſequuntur, vt in omnib. ſacris ſuis, & vbicunq; occaſionem nacti fuerint, cõſpuant ipſum, maledicãt, & execrẽtur: vt nihil dicam, de virulentiſsimis calũnijs, et de impudentiſsimis mẽdacijs, quę de ipſo cõfingunt, & inter ſuos ſuſurrãt & effutiũt. Et cum hæc ſint impietatis plena, audent tamẽ in tam atroci iniuria ſibi inpunitatem policeri. Quis (inquiũt) audit iſta? Vbicunq;

Euſeb. Eccleſ. hiſt. lib. 4. cap. 6. & 8.

quidem inter Christianos cõmorantur, non solent publicè in Christũ, metu magistratus, & externorũ suppliciorũ contumelioſi aut blaſphemi eſſe, in ſeruptis aũt ſuis, & in angulis cœtuũ ſuorum nullũ non genus extremæ maledicentiæ in Ieſum Chriſtũ proiiciũt, idq; nulla prorſus peccati cõſcientia, ſed diuino, vt arbitrantur, zelo. Quis audit iſta? Execramur quidẽ Ieſum Chriſtum virulẽtiſsimè, ſed ſi homines Chriſtiani nõ audierint, præclarè nobiſcum agitur. Nam, quod ad Deum attinet, tantum abeſt, vt Deus audiat, requirat, & vindicet, vt ſentiamus nos iſtis blaſphemijs præſtare Deo cultũ gratiſsimum, & ſperemus cœleſtia beneficia. Quanta, obſecro, hæc eſt ignoratio, quãtę tenebrę, quãta excæcatio, in medijs apertiſsimis, & manifeſtiſsimis virulẽtijs ac blaſphemijs, aduerſus Deũ, nõ videre virulentiã & blaſphemiã, ſed inſuper gratiã etiam Dei ſibi policeri? Quid igit̃ ad hæc Deus? Quid eſt, q̃ in homines tam blaſphemos non torquet ſuas grandines & fulmina? Sed qui hæc obijcis, an neſcis Deum non ſolum eſſe miſericordem & clementem, verùmetiam eſſe patientem, & longanimem? Et videtur quidem aliquan diu ad tam blaſphemas execrationes conniuere, ſed ſuum eſt tempus, quo ira Dei eò grauior pateſiet, quò ſit tardior. Vnde & ſequitur.

8. *Sed tu DOMINE rides eos, ſubſannas omnes gentes.*

DOMINVS Deus noſter videt quidẽ tantos furores gentis Iudaicæ, audit tã execrandas blaſphemias eorũ aduerſus Chriſtũ, nouit tam cõtumelioſa con-

uitia,

uitia, non autem approbat ea, nō laudat ea, ſed ridet, & ſubſannat, idq; non tantùm cæcatos Iudæos, verùmetiam omnes impias gentes, quæ Chriſtū, ſicut Iudæi, blaſphemijs ſordidant. Non ſoli.n. Iudæi peccarunt in Chriſtum, ſed, etſi Gentes vocatæ ſunt per Euangeliū Apoſtolorum, ad cōmunionem cœleſtium bonorum, tamen multæ earum eadē inſania, qua Iudæi, in Chriſtum ſæuierūt. Nero, Gentium Imperator, Chriſtum et populū eius, primus inter Imperatores, publicè & crudeliter perſecutus eſt. Et nō eſt ignotū, aliquot alios, qui Neronē ſecuti ſunt, Imperatores, in doctrinā Chriſti immaniſsimè graſſatos eſſe. Confinguntur à Gentibus, tēporibus Imperatoris Maximini, acta Pilati aduerſus Chriſtū, plena blaſphemię, & ex mandato Imperatoris inſtituit, vt vbiuis locorum in vrbibus & agris ſpargātur, & per ludimagiſtros pueris tradātur. Hęc certè Dñs vidit & audiuit. Sed ſicut impiorum Iudæorū vanos conatus riſit, ita & impiarum illarum Gentiū cōſilia ſubſannauit. Sicut & in alio Pſalmo dicitur: Conueniunt reges terræ & principes conferunt inter ſe conſilia, aduerſus DOMINVM & aduerſus Meſsiam eius. Et mox ſequit: Qui habitat in cœlis, irridet eos, & Dñs ſubſannat illos. Vbi aūt DOMINVS ridet & ſubſannat, ibi nō agitur res ludicra, ſed maximè omnium ſeria. Ridet.n. primùm, extremam impiorū miſeriā, & calamitatē, quòd adeò ſint furioſi, vt quod exitiū Chriſto inferre cogitant, ſibi ipſis inferant. Hoc eſt, quod Chriſtus ipſe dixit, cōtra ſtimulū calcitrare. Et aliàs ridet Dñs peccatorē ſtridentē dentib. ſuis ſuper iuſtū: Quoniā, (inqt), pſpicit, q̄ veniet dies eius.

Euſeb. Eccleſ. hiſt. li. 9. cap. 5.

Pſal. 2.

Act. 9.

Pſal. 36.

Deinde ridet insignem eorum stultitiam, quòd quibus blasphemijs arbitrantur se obscuraturos & extincturos gloriam & maiestatem Christi, ijs eam illustrent. Nam quemadmodum fratres Ioseph sperabant se dignitatem eius cœlesti oraculo ostensam, venditione inter exteros, abolituros, & tamen ea ipsa re iuuabant: ita & blasphemi Iudæi & crudeles Ethnici, reddiderunt, virulentia & immanitate sua, Christum illustriorem. Nihil autẽ certius est, quàm quòd iudicante DOMINO, furor & stultitia impiorum, vniuerso mundo patefiant, & seueriſsimè puniantur. Deus.n. vbiq; prædicat iustus iudex, qui reddat vnicuiq; secundum opa sua. Quare, etsi risus Dei nõ videtur, in præsentia calumniarũ & immanitatis, serius, tamẽ reuelante Deo iudiciũ suum, res ipsa testificabitur eum esse longè omniũ seueriſsimum. Quid autem tu Christe fili Dei? quid interea, dum Iudæi blasphemijs te proscindunt, & DOMINVS eos ridet ac subsannat, tecum agitur? De hacre audiamus versiculos, qui sequuntur.

9. *Fortitudinẽ eius tibi reseruo, quia Deus est exaltatio mea.*
10. *Deus beneficentiam suam abundè mihi præstat, Deus efficit, vt videam (vltionem) aduersus hostes meos.*

Sententia horum versiculorum petenda est è duobus vltimis huius Psalmi versiculis. Et obserua primùm, quòd hoc vocabulum עז Vz, quod significat robur seu fortitudinẽ, (est autem hîc sermo, non de humana, sed de diuina fortitudine,) ter repetatur, in hoc Psalmo, semel, in hoc nono versiculo, & adiungitur

ſungitur ei Pronomẽ tertiæ perſonæ עזו Vzo, (hoc eſt) fortitudo eius: & iterum, in 16. verſiculo, & adiũgitur ei ſecunda perſona עזך Vzecho, (hoc eſt) fortitudo tua: ac tertiò, in 17. verſiculo, & adiungitur ei Pronomen primæ perſonæ עזי Vzi, (hoc eſt) fortitudo mea. Et tamen vna eſt Dei fortitudo, ſed in tres vnius diuinitatis perſonas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, (vt ita dicam) diſperſa. Habes igitur hoc loco certum de τῆς τριάδος myſterio teſtimonium. Deinde, obſerues & illud, quòd etiam in hoc nono verſiculo, Spiritus ſanctus admoneat nos, in tribus primis verbis, de myſterio Trinitatis. Dicit. n. Fortitudinẽ eius, videlicet Spiritus ſancti, (de quo Chriſtus ipſe apud Eſaiam ait: Spiritus DOMINI ſuper me, eò quòd vnxerit me, &c.) reſeruo, videlicet ego filius, tibi, videlicet, Deo patri. Habes iterũ diſcrimen trium perſonarum in vna diuinitate. Dicit ergo Chriſtus, fortitudinem eius (ſpiritus) tibi (Deo patri) reſeruo (ego filius,) quia Deus eſt exaltatio mea, (hoc eſt,) Iudæi pergunt quidem me execrandis blaſphemijs (quod in ipſis eſt) ſordidare, & Deus pater meus videt̃ ceſſare, ac ridere potius, quàm iraſci & vlciſci, ego autem refero Deo acceptam ſpiritus fortitudinem, qua in cœleſtem gloriam exaltatus ſum. Ego laudo, ô pater, fortitudinẽ tuã, (vt habet 16. verſiculus) ſeu robur & potentiam tuam, qua ſum in ſummam ſublimitatem exaltatus. Ego fortitudinem meam (vt habet 17. verſiculus), qua exaltatus ſum, ad te, ô Deus pater, carmine meo defero. Ac vt paucis, & perſpicuè dicã, ego exaltatus ſum dextera Dei, quę eſt fortitudo & potẽtia Dei, & ſedeo ad *Eſa. 61.*

dextram eius, (ſicut alius Pſalm. dicit), donec ponantur inimici mei ſcabellum pedum meorum. Conuitientur ſanè, execrentur, & blaſphement me ſiue Iudæi, ſiue aliæ impiæ gentes, ego tamen conſedi ad dextram Dei, & data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ad hanc gloriæ altitudinem, ad hanc cœleſtem ac diuinam maieſtatem, extulit me non homo quiſpiam ſiue Monarcha ſiue Oligarcha, ſed Deus omnipotens, qui & beneficentiam ſuam tam abundè mihi præſtat, vt donet mihi nomen ſuper omne nomen, ſiue in hoc ſiue in futuro ſeculo, vt in nomine meo omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & inferorum. Quare, qui conuitijs, calumnijs, mendacijs & blaſphemijs in me ſæuiunt, mihi quidem nihil detrimenti afferunt, ſibi autem ipſis perpetuum exitium, quod coram vniuerſo mundo patefiet, inferunt.

11. *Non occîdas eos, ne fortè obliuiſcatur populus meus, diſperge illos potentia tua, & deijce eos, protectio noſtra, Domine.*

Chriſtus redit ab expoſitione maieſtatis ſuæ, ad precationem contra Iudæos: Domine, inquiens, qui es protectio noſtra, ſeu ſcutum noſtrum, (dicit autē ſignificāter, ſcutū NOSTRVM, & nō MEVM tātùm, quod coniungat ſibi in precatione Eccleſiam ſuam, cuius ipſe eſt caput, & qua cum, vnum cōſtituit corpus, ac teſtificetur ſe cum ipſa protectionem Dei habere communem: Domine, (inquiens) ſcutum noſtrum, non peto, vt Iudæos, coniuratos hoſtes meos, occîdas,

occidas, & simul vnà è terra tollas ac perdas, sed vt robore tuo deijcias eos è maiorum suorum gloria, & dispergas ipsos inter omnes Gentes, ne forte populus seu Ecclesia mea res illas à Iudæis gestas obliuioni tradat. Hoc est manifestum vaticinium de dispersione Iudæorum inter gentes, quod & Christus ipse hortatur, vt alta mente reponamus. Multi enim mirantur, quî fiat, quòd Iudæi, genus hominum omnibus Gentibus odiosum & detestabile, tanto tempore, inter reliquos incolas terræ, incolumes viuere, & perdurare queant? Excluduntur ab omnibus publicis administrationibus, excluduntur ab agricultura, ejiciuntur in exilia, quoties magistratui visum est, & siquando nonnihil pecuniæ aut aliarum rerum è laboribus, è fœnore, ex mercatura, ex imposturis, quoquo modo potuerunt, congesserint, expilantur: & tamẽ viuunt, miserrimè quidẽ, viuunt tamen, & vigitant. Quid est, quod ipsos in tanto omnium odio conseruat? Paulus quidem ad Romanos scribens, *Rom. 11.* significat Iudaicam gentem conseruari, propter illos, qui ex ea gẽte ad agnitionem Christi, diuina clementia, conuertentur, sicut scriptum est: Veniet ex Zion ille, qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Iudæi enim non ita sunt excæcati, vt tota omnino gens, è cœlesti hæreditate excluſa sit: Nam & ego, inquit Paulus, Israelita sum, ex semine Abraham. Et postea: Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorũ illum pœnitere non possit. Quare & nonnulli ex Iudeis Christum agnoscent, & qui eum verè agnoscũt, à Christo recipiuntur, propter quos etiã Deus gentẽ ipsam tuetur. Sed Psalmus hoc loco aliam quoque causam

cauſam conſeruationis eorum commemorat: Non occîdas, inquiens, eos, nõ funditus eos eradices, ſed diſpergas eos inter omnes Gẽtes. Quo conſilio? Vt populus meus, (inquit) qui eſt Eccleſia Dei, rerũ geſtarum non obliuiſcatur. Primùm enim conſeruantur Iudæi, ſed humiliati & diſperſi, vt cum à paſſione & reſurrectione Chriſti, & à diuulgatione Euangelij eius in totum orbem terræ, deiecti ſint ab omni maiorum ſuorum gloria, & diſſipati inter omnes Gentes, certum extet teſtimonium, quòd Ieſus filius Mariæ virginis, paſſus ſub Pontio Pilato, & à mortuis excitatus, verus ſit Meſsias ille, quem Prophetæ venturum adnunciauerunt: nec ſit alius, qui populum ſuum à peccatis ſuis ſaluet, expectãdus. Prophetæ enim prædixerunt, fore, vt in aduentu Chriſti, Iſrael carnalis, humilitate eius offenderetur, & ex Eccleſia DOMINI excluderetur, ac aſſumptis Gentibus incircumciſis in Eccleſiam Dei, inter omnes nationes diſpergeretur, quemadmodum docet Paulus ad Romanos cap. 9. 10. 11. & 15. Quare, cum videmus præter alia certiſsima argumenta, Iudæos inter omnes Gentes tot annis diſſipatos, & conſeruatos videmus etiam Ieſum filiũ Mariæ eſſe verum Chriſtum DOMINVM noſtrum. Deinde, ex illa Iudæorum diſſipatione peculiariter admonemur, de certitudine paſſionis DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, qua paſſione expiata ſunt peccata noſtra: vt cum nobis Iudæus quiſpiam ob oculos verſatur, ſciamus non quaſi literam, (vt ita dicam,) aut ſyllabam hiſtoriæ paſſionis Chriſti, intueri & legere. Conſeruantur igitur Iudæi in hac ipſorum diſſipatione, vt popu-

Ius ma-

lus meus (inquit) non obliuiſcatur, hoc eſt, vt Eccleſia ſemper admoneatur de paſsione mea & excitetur, ad agendas Deo ſummas gratias, quòd ad expianda peccata filium ſuum in hanc terram mittere ſit dignatus.

12. *Peccatum oris eorum, eſt verbum labiorum ipſorum, ac mordicus inhærent in ſuperbia ſua, de execratione & mendacio loquuntur (ſeu ſcribunt.)*

13. *Abſume (eos) in ira, abſume, vt non ſint, & cognoſcant, quòd ſit Deus dominans in Iacob, vſq; ad fines terræ.*

Pergit Chriſtus in precatione contra Iudæos. Et cum antè precatus ſit, vt nõ omnino tollantur è medio, ſed vt inter omnes gentes diſpergantur, nunc precatur, vt Deus abſumat eos ſine omni miſericordia. Et vt ſciamus verbum abſumendi, nõ eſſe ei natum in bucca, ſed ſe rem ſeriam agere, repetit illud, dicens: Abſume eos in furore, abſume, inquam. Sed quomodo conueniunt, quod antè precatus eſt, vt diſpergantur, non occidantur, (hoc eſt) non vniuerſi abſumantur: nunc autem precetur, vt omnino abſumantur & pereant? Sentiamus igitur, quòd alter verſiculus alterum interpretetur. Precatur enim, vt Iudæi ſine vlla clementia abſumantur, quemadmodum 13. verſiculus ait: ſed ita, vt paulatim deficiant, (quemadmodũ ex vndecimo verſiculo intelligitur) & non ſint, videlicet, tam illuſtris populus, quales fuerunt temporibus Patriarcharum, & vt cognoſcatur, quòd Deus, qui eſt Chriſtus Dominus noſter, do-

minetur in Iacob, vſque ad fines terræ, (hoc eſt) inter Iudæos & Gentes, vbicunque in terris habitauerint. Ex hoc enim, quòd initio reuelati Euangelij aliquot Iudæi, qui ex Patriarcha Iacob originem duxerunt, agnouerunt Chriſtum, & poſtea Euangelion Chriſti vulgatum eſt in vniuerſo mundo, inter omnes Gentes, vt fortitudo Gentium (quemadmodum Eſaias loquitur) ad Chriſtum venerit, cognitum & manifeſtum eſt, quòd Deus, qui eſt Chriſtus, dominetur in Eccleſia, in toto orbe terrarum, & data ſit ei poteſtas in cœlo & in terra. Quare Iudæi, poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, delebuntur quidem, ſed non omnino è medio vſque ad conſumationem ſeculi, tollentur. Reſeruantur enim, ſicut paulò antè commemorauimus in ſuum vſum. Agè verò, quod eſt illud eorum peccatum, & ſcelus, propter quod internitioni traditi ſint? Peccatum oris eorum (inquit) eſt verbum labiorum ipſorum. Iudæi multa quidem & horrenda ſcelera deſignarunt aduerſus Deum, inter quæ longè omnium maximum eſt, quòd Chriſtum, vnigenitum filium Dei crucifixerint. Et tamen poſt tantum & tam atrox ſcelus reliqua adhuc erat ſalus, ſi ad Chriſtum per fidem conuerſi eſſent. Multi enim inter ipſos Chriſti crucifixores egerunt pœnitentiam, & conſecuti ſunt ſalutem. Precatio ſiquidem Chriſti pro crucifixoribus ſuis, nõ fuit vana & inanis. In Actis Apoſtolicis, accuſat Petrus audiores ſuos Iudæos Chriſticidij: Certò ſciat (inquiẽs) tota domus Iſrael, quòd DOMINVM & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum, quem VOS crucifixiſtis. Et

Eſa. 60.

Act. 2.

tamen

tamen multi eorum compũcti corde, quærunt de remedio, & accipiunt obediẽter Baptiſmũ, in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorũ. Quare, etſi Chriſtũ crucifixiſſe, immane eſt ſcelus, tamẽ potuit adhuc iniri ratio, qua crucifixor ſalutẽ conſequereẽ. Peccatum autem & ſcelus, propter quod Iudæi ſunt abiecti à Deo, & internitioni traditi, illud eſt, primùm, oris ſeu labiorum, videlicet, quòd non fuerint contenti crucifixione Chriſti, ſed addunt etiã ſermonibus ſuis virulenta conuitia, & horribiles blaſphemias in Chriſtum. Poſtquam enim reſurrexit à mortuis, & miſit de cœlo Spiritum ſanctum, tantum abeſt, vt adhuc reſipiſcant, vt etiam contumelioſiſsima quæque probra in Chriſtum, impuriſsimo ore ſuo, proĳciant: nullum eſt virulentiæ aut conuitĳ genus, quo eum in Synagogis, ſeu veſperus, ſterquilinĳs ſuis non proſcindant. Deinde mordicus inhærent in arrogantia ſeu ſuperbia ſua. Semen ſunt Abrahæ, Patriarchæ ſanctiſsimi: ducunt originem ſuam à præſtantiſsimis Patriarchis & heroibus: ſucceſſores & poſteri ſunt illius populi, qui audiuerunt Deum ipſum in monte Sinai recitare Decalogum: &, vt Paulus ait: Iſraelitæ *Rom. 9.* ſunt, quorum eſt adoptio, gloria, teſtamenta, legis conſtitutio, cultus, & promiſsiones. Quanta hæc eſt nobilitas? quanta prerogatiua? Sed hanc nobilitatẽ ita mordicus tenent, & hac ita ſuperbiunt & gloriãtur, vt arbitrentur ſibi corã Deo impunè eſſe, quicquid ſceleris, quicquid impietatis, quicquid immanitatis deſignent. Ac reliquas gẽtes præ ſe ita cõtemnũt et faſtidiũt, vt exiſtimẽt eas indigniores eſſe,

quàm quæ Iudæo, tam nobili, scilicet, creatura, corrigiam calciamenti soluant. Tam impotens iactantia & superbia non erat ferenda, sed digna erat extrema ignominia & pudefactione. Postremò, blasphemis suis vocib. & impotẽti sua iactantia nõ contenti, etiam scriptis suis mandant de Christo virulentissimas calumnias, & non pudet eos impudentissima ac manifestissima mendacia ad posteros suos propagare. Qui autem ita est affectus, & in eo perdurat, quomodo potest ei ianua salutis patere? Solus enim Christus est salus nostra: & non est nobis aliud nomen sub sole datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Illi autem repellunt Christum, tam corde, quàm ore, tam opere, quàm labijs, tam factis, quàm verbis: & quæ lux per Euangeliõ eis offertur, suis ipsorum manib. retrudunt & extinguunt. Sua igitur ipsorum culpa in horribiles & extremas tenebras coniiciuntur: Hæc est (inquit Christus) cõdemnatio, quòd lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

Ioh. 3.

14. *Et reuertentur ad vesperam, vlulabunt, sicut canis, & circumeursitabunt ciuitatem.*

15. *Ipsi discurrent, vt victum quærant, si non fuerint saturati, vlulabunt.*

Repetit sextum versiculum, vt explicet, quod antea breuius dictum est, & vt sciamus eum rem seriò agere, ac certò euenturũ, quod de Iudæis vaticinatur. Nec diu oculi circũferendi sunt, vt impletionẽ huius vaticinij cognoscamus. Res .n. ipsa testificatur,

tur, Iudæos iam inde à deuastatione metropolis eorum Hierusalem, & dispersione inter omnes Gentes, quæ facta est, Vespasiano & Adriano Imperatoribus, ad hoc vsque tempus, circumuagatos esse exules, & totis diebus, à mane vsque ad vesperã circumcursitare, sicut canes, vt parent sibi victum: ac ne sic quidem fami suæ consulere posse, sed pergunt murmurare, & instar canum vlulare.

Cum hoc vaticinio conuenit etiã illud quod Esaias cap. 8. scribit: Transibit, inquiens, (Iudæus) per terrã, corruet, & esuriet. Et cum esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo, (Christo) & Deo suo, & suspiciet sursum. Et terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, &c. Quid autem his Iudæorum ærumnis miserius? Hoc enim non est semel tantùm, sed semper mori, idq; non solùm in hoc seculo, verùmetiam in futuro, eoq; nunquam finiendo. Tale supplicium meretur pertinax & obstinata impietas. Cum enim rabies Iudæorum aduersus Christum sit perpetua, non est incongruens, vt & supplicium eius sit perpetuum. Et quia extremo odio abijciunt summum bonum, quod est Christus, rectè conuenit, vt & ipsi summo malo obijciantur, & perpetuis tenebris inuoluantur. Ad conspectum igitur Iudæi contremiscamus, & memores simus grauitatis iræ diuinæ, aduersus obstinatam impietatem, vt excitemur ad agnitionem Christi, & confirmemus Euangelio eius fidem nostram in Christum. *Esa.8.*

16. *Et ego cantabo fortitudinem tuam, celebrabo mane clementiam tuam, quoniam mihi es protectio, & refu-*

gium in die tribulationis meæ.

17. *Fortitudinem meam tibi carmine meo acceptam feram, quoniã tu es Deus protector meus, Deus clemẽs meus.*

Concludit Christus seu precationem, seu vaticinium suum gratiarum actione: Tu, ô DOMINE cœlestis pater, confers in me plurima & maxima beneficia, eripis me ab inimicis meis, protegis me à ludeis, qui insurgunt in me, seruas me à viris sanguinũ, qui insidiantur vitæ meæ sine vlla legitima causa: excæcas aduersarios meos, dispergis in exilium hostes meos, affligis eos omni genere calamitatis, vt tutus sim à furore eorũ: breuiter, tu maiora in me beneficia collocas, quàm alius quisquam optare, nedũ sperare posset. Quid igitur pro tantis beneficijs rependam? Cantabo (inquit) fortitudinem tuam, celebrabo manè clementiam tuam: non differam exigua nauia & ingratitudine, vsq; ad vesperam, aut in longum tempus laudem beneficiorum tuorum, quæ in me collocasti, sed summo manè, quamprimum à me fieri potest, gloriam nominis tui prędicabo. Tuentem me cœlesti & diuina tua fortitudine, quam etiam ego ea fruar, in me clemẽter confers. Reliquum igitur est, vt quam in me confers fortitudinem, in te referam, & tibi eam acceptam feram. Hæc est vetus & vsitata in Psalmis, adeoq; in omnibus precationibus gratitudo, quę & idcirco toties repetitur & inculcatur, vt sciamus, quòd post accepta beneficia, nõ quotamus Deo gratiorem cultum præstare, quàm vt nomen eius tam verbis, quàm factis celebremus. Obserua autẽ in his versiculis dulcissima epitheta Dei

Vnum

Vnum est, Protectio, seu Eleuatio aut Exaltatio, quòd DOMINVS in incursione hostium, populum suum protegat, seu eleuet & exaltet, vt ab hostibus non opprimantur Alterum est, Refugium, seu vexillum, ad quod milites in prælio dispersi confugiãt. DOMINVS enim Deus, vexillum est populi sui, vt quoquo modo satan in ipsos grassetur, habeant tutissimum asylum, ad quod se conferant. Tertium: Deus Clemẽs, seu clemẽtiæ meę, quòd exponat se summa clementia, ad præstanda plura beneficia, quàm quisquam petere aut sperare audeat. Dices: Talis quidẽ est Deus Christo vnigenito filio suo, iustissimo, & innocentissimo, sed haud scio, nũ etiã talis sit mihi, homini, multis & magnis peccatis sordidato. Quid aũt hæc sibi velit obiectio, tu cũ animo tuo ipse cõsideres. An nescis vocationem & professionem tuã? An nescis te Christo per fidem, vt ita dicã, incorporatũ? Quicunq; inquit Paulus, baptisati estis, Christũ induistis. Et mox: Quòd si estis Christi, igitur Abrahæ semen estis, & iuxta promissionẽ, hęredes. In aduersis igitur nostris, non solùm simus bono, sed etiã magno animo, quòd Deus nõ sit tãtùm Christi, verùm etiam propter Christum nostra quoq; protectio, vexillum, eleuatio, refugium, fortitudo & clementia.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum hic Psalmus sit vaticinium de excæcatione & exhæredatione Iudæorum, nemo rectius vsum eius explicabit, quàm Apostolus Paulus, qui idem argumentum, ad Romanos scribens, cap. 9. 10. & 11.

& 11. copioſe tractat, & docet, quòd ſicut ex aſſumptione & vocatione Gentium in hæreditatem Dei, agnoſcitur gratuita Dei miſericordia, vt notæ fiant diuitiæ gloriæ Dei erga vaſa miſericordiæ, ita etiam ex abiectione & excæcatione Iudæorum agnoſcatur ſeueritas iræ Dei, vt nota fiat potentia eius erga vaſa iræ. Diſcamus igitur hoc exemplo, primùm, timorem Dei, & agnoſcamus bonitatem, & ſeueritatem eius, in illos quidem, (vt Pauli verbis vtar,) qui ceciderunt, ſeueritatem, in te verò bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. Alióqui & tu excideris: & illi rurſum, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Deinde, quia ad prædicationem Euangelij Chriſti, & diuulgationem eius in totum orbe terrarum, Iudæi abiecti ſunt, vt non ſint amplius Eccleſia Dei, idcirco confirmatur, (de quo & ſuprà admonuimus,) fides noſtra, quòd non ſit expectandus alius Chriſtus, ſed is ſolus ſit verus Chriſtus, qui Apoſtolico Euangelio adnunciatus eſt, nec ſit aliud nomen ſub ſole nobis datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Pſalm. 6

Psalmus 60.

Deus repulisti nos & destruxisti nos, &c.

INter multas & varias victorias, quas Dauid, postquam rerum in Israel potiretur, ex hostibus suis reportauit, nullæ fuerunt illustriores & magis insignes, quàm quæ descriptæ sunt in priori libro Samuelis, capit. 8. & 10. & in priori libro Paralip. capit. 18. & 20. His enim regnum suum stabiliuit, & factus est omnibus finitimis regibus ac gentibus ita formidabilis, vt aut amicitiam, missis regijs donis, peterent, aut tributa penderent. Quare, agit hoc Psalmo DOMINO Deo gratias, cuius beneficio tot victorias consecutus est, & petit, vt DOMINVS pergat regnum tueri, & tranquillum conseruare. Vt autem sententia Psalmi magis perspicua fiat, considerandum est, quis fuerit eo tempore, quo Dauid regnare cœpit, Israelitici regni status. Primus enim rex in Israel fuit Saul, qui etsi initio rempub. feliciter administrabat, & aliquot victorias ex hostibus reportabat, tamen degenerauit postea in impietatem & tyrannidem: Reducamus, inquit aliàs Dauid, arcam Dei nostri ad nos, non enim requisiuimus eam in diebus Saulis. Ex quo manifestum est, quòd cum neglecta fuerit, temporibus regis Saulis, arca DOMINI, neglecta etiam sit & contem- 1 *Paralip.* 13.

pta ſana doctrina religionis, & legitimus cultus Dei, quippe quòd ad arcam DOMINI ſacrificandum erat in Iſrael. Perſequitur etiam Saul Dauidem, eumq; genetum ſuum innocentem, & iubet trucidare ſummum Sacerdotem, ac octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo, ac Noben, vrbem Sacerdotum, viros & mulieres, paruulos & lactantes, boues, aſinos & oues percutere gladio. In tanta immanitate regis, erga innocentes ſacerdotes & ciues, quod potuit eſſe ſtudium, quæ cura religionis? & quæ tranquillitas regni? Poſtremò, rex ipſe vnà cum ſuis Iſs ſuis miſerè opprimitur, & Iſraelitæ fœdiſſima fuga dilabuntur. Et quanquam filius Saulis, nomine Iſboſeth, adhuc ſuperſtes, regnum, parentis loco, inuadit, tamen hic conatus cedit ei infeliciſſimè. Quid ergo potuit regno Iſraelitico eſſe perturbatius, & miſerius? Religio neglecta iacet, Politia, occubitu regis, & diſſipatione exercitus Iſraelitici, concuſſa eſt, hoſtes victores triumphant. Quis non arbitraretur, Gentem Iſraeliticam, prorſus à Deo abiectam, & repudiatam? Interea Dauid redit ab exilio, & vngitur quidem in regem ſed ab vna tantùm tribu, (nam reliquæ agnoſcebant regem Iſboſeth,) & tamen Dauid, beneficio Dei, tam felicem facit progreſſum, vt & extincto Iſboſeth, gubernacula vniuerſi Iſraelis conſequeretur, & hoſtes finitimos, qui ad ipſum opprimendum, tanquam ad extinguendum commune incendium, omnes vires ſuas conferebant, magna gloria ſuperaret. Quare ad agendas DOMINO Deo gratias, & ad illuſtrandum nomen clementiæ Dei, ſuſcipi

ſuſcipit hunc Pſalmum decantandum. Et ait:

1. *Deus, repuleras nos, diſſipaueras nos, & ſuccenſueras, (ſed) reuérteris ad nos.*
2. *Concuſſeras terram, conturbaueras eam, ſana (quæſo) fracturas eius, quia commota eſt.*
3. *Oſtenderas populo tuo dura, potaueras nos vino, quo vacillabamus.*
4. *Dediſti metuentibus te ſignum, quod erigatur ad teſtificandam veritatem.*
5. *Vt liberentur dilecti tui, ſerua (nos) dextera tua, & exaudi nos.*

Prior pars Pſalmi, in qua commemorat miſerrimum ſtatum reipublicæ Iſraeliticæ. Hoc enim illud eſt, quod paulò antè dicebamus, videlicet, regnum Iſraeliticum fuiſſe tyrannide Saulis, Philiſthinorum victoria, diſcordia tribuum in ſectandis regibus, & incurſione finitimorum hoſtium, ita conuulſum & perturbatum, vt Deus videretur illud prorſus abieciſſe & deſeruiſſe: Deus, (inquit) comperimus reipſa, te nos repuliſſe, diſſipaſſe & nobis grauiſsimè ſuccenſere. Videmus, te terram noſtram concuſsiſſe & perturbaſſe, ac oſtendiſſe nobis dura, & potaſſe nos vino, quo vacillaremus, & cõtremiſceremus, nõ quo lætificaremur: ſed ſummas tibi DOMINO Deo noſtro gratias habemus, q̃ qui antè videbaris nos deſeruiſſe, nũc ad nos clementer reuertaris, et incipias ſanare fracturas noſtras. Oſtẽdis. n. nobis ſignum ſeu vexillum bellicum, (hoc eſt)

confers in nos insignes victorias aduersus hostes nostros, vt instituamus & erigamus signa victoriæ, & vexilla triumphalia, quibus rebus testificaris veritatem tuarum promissionum, & declaras erga nos pristinum tuum fauorem, quo dilectum populum tuum complecteris, vt liberemur & seruemur in omnibus periculis, dextera tua, ac nos in inuocatione nominis tui clementer exaudias. Nam quartum versiculum, quem nos ita iuxta Hebræam veritatem reddidimus: Dedisti metuentibus te signum, quod erigatur ad testificandam veritatem, Græcus interpres sic vertit: Ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σὲ σημείωσιν, τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τόξου, hoc est, Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Quæ interpretatio prorsus contraria est veritati Hebrææ. Græcus enim interpres deduxit verbū התנוסס Hithnoses, à vocabulo נוס Nus, quod significat quidem fugere, sed rectius deducitur à vocabulo נסס Nasas, quod significat leuare, seu exaltare & erigere, sicut signa bellica aut vexilla erigi solent, ad quæ militer dispersi se recipiant. Deinde, cum transtulit: A facie arcus, falsus est interpres similitudine literarum. In Hebræo enim textu est נסשט Koschet, quod scribitur per literam ט Thet, & significat veritatem seu rectitudinem, Græcus autē legit נסשת Koscheth, per literam ת Thau, & significat arcū. Vera igitur trāslatio est: Dedisti metuentib. te vexillum, vt erigant, à facie veritatis, seu vt veritas (videlicet promissionum Dei) illustretur, & confirmetur. Deus enim promittit se timentibus ipsum, & dilectis suis affuturum in omnibus periculis, & preces eorum exauditurū: Nō

eli

est alia (inquit) natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cũctis obsecrationibus nostris. Et iterum: Quoniam in me sperauit, liberabo eum: Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Etsi autem Deus solet aliquoties exauditionem precum populi sui non solùm differre, verùmetiam, contraria specie occultare, tamen quia nihil minus committit, quàm vt mendax habeatur, veritatem promissionum suarum nũquam ita differt & occultat, vt retractet aut obliuiscatur eius, sed vt interea maius beneficium, & admirabiliorem liberationem meditetur. Quare, quò duriora nobis contingunt, eò certiorem speremus salutem. *Deut.4.* *Psalm.91.*

6. *Deus locutus est in sanctuario suo: Lætabor, distribuam Sicimam, & vallem Succoth dimetiar.*
7. *Mea est, Gilead, & meus est Manasses, & Ephraim est robur capitis mei, Iuda legislator meus.*
8. *Moab, olla lauacri mei, super Edom proferam calciamentum meum, erga me ô Philisthæa iubila.*
9. *Quis deducet me in ciuitatem munitam? Quis ducet me vsq; in Ædumæam?*
10. *Nonne tu Deus, qui proieceras nos, & non egrediebaris Deus in exercitibus nostris?*

Altera pars Psalmi, in qua Dauid recensет beneficia, quę Deus tam in ipsum, quàm in Israelitas, cum status regni Israelitici iam penè deploratus videretur,

tur, contulit: Deus (inquit) locutus est, in sanctuario suo. In Exodo cap. 25. iubet DOMINVS architectari arcam fœderis, cum propitiatorio: Inde præcipiam, (inquiens) & loquar ad te, supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta, quæ mandabo, per te, filiis Israel. Dictus igitur est Deus, tempore pędagogiæ, habitare in sanctuario, seu in tabernaculo & in templo, quòd se ibi præsentem, verbo suo, testificabatur: & quemadmodum dicebatur mittere afflicto auxilium de sanctuario, & tueri eum de Zion, (sicut è Psalm. 20. notum est,) vt cognosceremus auxilium, non ab alieno, sed à vero Deo, missum esse: in cum oracula æduntur, & cœlestia responsa siue per somnia, siue per sacerdotes, siue per Prophetas dantur, dicitur Deus de sanctuario suo, respondere: vt sciamus ea non esse fictitia, aut ab idolo ædita, sed à vero Deo, qui in sanctuario diuinitus instituto colebatur, responsa.

Quare, cum hoc loco Dauid ait, Deum locutum esse in sanctuario, significat locutionem seu sermonem Dei non esse vanũ hominis somniũ, sed certissimum veri Dei vaticiniũ. Quid aũt locutus est? Hoc facile animaduerti potest ex ijs, quæ sequuntur. Manifestum enim est, quòd Propheta Samuel vnxerit, mandante DOMINO, Dauidem in regẽ. Arbitraris aũt Samuelem, cum Dauidem vngeret, sola tantùm hac externa vnctionis cærimonia vsum esse, ac nõ potius copiosè explicasse conditionem regni, & ex mandato Dei exposuisse amplitudinẽ eius, vt sciret quos populos gubernandos, & quos hostes debellandos susciperet? Certè historia sacra testatur Samuelem in

1. Reg. 16.

explo

explicãdo regni Dauidis ſtatu, officio ſuo probè defunctum: Cõgregatus eſt (inquiens) omnis Iſrael ad Dauid in Hebron, dicens: Os tuũ ſumus & caro tua. *1. Paralip. 11.* Ac mox: Tibi dixit DOMINVS Deus tuus, (videlicet per Samuelẽ,) tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Princeps ſuper eum. Et iterum: Vnxerũt Dauid, Regẽ ſuper Iſrael, iuxta ſermonẽ DOMINI, quem locutus eſt in manu Samuel. Sentiamus igitur DOMINVM locutum eſſe per Samuelem, & promiſiſſe Dauidi, quòd cum electus ſit in regem Iſraelis, non tantùm dominaturus ſit in tribu Iuda, verùmetiam, in omnib. alijs tribubus Iſraelis, ac ijs quoq;, quæ ſunt trans Iordanem. Nec id ſolùm, ſed quòd & finitimi populi, Moabitæ, Idumæi, & Philiſthæi ſubijciantur ei, & tributarij eius fiant.

Hæ promiſsiones eò incredibiliores erãt, quò ſtatus regni Iſraelitici perturbatior videbatur. Poſtquã n. Saul, amiſſo exercitu ſuo, interfectus eſſet, vagabãtur Philiſthęi in finib⁹ Iſraelitarũ victores, & magna pars Iſraeliticarũ tribuũ, agnoſcebãt Isboſeth filium Saulis, regem, ſola aũt tribus Iuda, Dauidẽ in regem vnxerat: & quãto odio Saul antea perſecutus fuerat Dauidẽ, tanta rabie finitimi hoſtes cupiebant eũ oppreſſum, & extinctũ. Quis igitur inter tot difficultates ſperaret, vel regnum Iſraeliticum incolume fore, vel Dauidem emerſurum? Quod autem Deus locutus eſt, & promiſit, multo certius fuit Dauidi, quàm quod externa rerũ ſpecies præ ſe ferebat: Deus (inquit) locutus eſt in ſanctuario ſuo, & lætabor. Vſque adeo non deijcit animum meum, quòd Philiſthęi ſint victores, quod Isboſeth filius Saul dominetur in maxima parte Iſraelis, quod hoſtes finitimi

coorians

cooriantur in me, collatis omnibus viribus ſuis, hoſtiliter, vt potius è certitudine promiſsionis Dei magna lætitia afficiar. Miſeret quidem me ærumnarum Iſraelis, quod autem ad promiſsiones de me dictas attinet, intantum non perturbor, vt etiam de certitudine earum ingenti gaudio exultem. Quid ergo tibi promiſſum eſt? Primùm, diſtribuam Sichimam. Sichem ſeu Sichima locus eſt in ſorte Ephraim, vbi apparuit DOMINVS Abrahæ, & promiſit ei & ſemini eius terram Canaan in hæreditatem, in quo etiã loco Abraham ędificauit DOMINO altare. Gen. 12. & vbi Iacob emit partem agri, Gen. 33. Habes de eodem loco etiam Ioſuæ 20. & Iudi. 9. ac ſentiunt in eo, Iſboſeth filium Saulis in regem Iſraelis ab Abner inſtitutum. Dicit ergo: Diſtribuam Sichimã, hoc eſt, etſi nihil minus in præſentia videtur, quàm vt mihi in hæreditatem diſtribuatur Sichima, quæ eſt in montanis Ephraim, quòd eam nunc hoſtis meus, Iſboſeth, occupauerit, tamen quia poſſeſsio eius mihi diuinitus eſt promiſſa, non dubito, quin in hæreditatem meam ſit ceſſura.

Deinde dicit: Vallem Succoth dimetiar. Succoth latinè dicuntur tabernacula, qui locus nomen ſuum ſortitus eſt à Patriarcha Iacob, quòd in eo, poſtquã cũ familia ſua rediit ex peregrinatione, fixerat ędificata domo, tabernacula ſua, Gen. 33. Fuit autem in regno Sehon regis Amorrhæorum, ac ceſsit in ſortem tribus Gad, Ioſuæ. 13. Dauid ergo ait: Vallem Succoth dimetiar, hoc eſt, adijciam ad regnum meum, etiam vallem Succoth, quæ eſt trans Iordanem, vt nõ includar in anguſtos fines tribus Iuda, ſed pro-

feram

feram terminos eius vltra Iordanem, in sortem filiorum Gad.

Ad hæc: Mea est Gilead. De Gilead, vide Gen. 31. & significat aceruum testium: sunt autem montana vltra Iordanem, in tribu Manassæ, Ios. 17. Sed & accensentur tribui Gad. Ios. 13. Significat ergo Dauid sibi, etiam Gileaditē regionem trans Iordanem, aut iam in hæreditatem cessisse, aut adhuc cessuram, etiamsi hoc tempore ab alio occupetur. Deinde meus (inquit) est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei. Manasses & Ephraim fuerunt duo filij Ioseph, Genes. 41. Hinc sunt duæ notissimæ tribus in Israel. Et describuntur sortes earum, Ios. 16. & 17. Affirmat igitur Dauid, harum quoque tribuum sortem ac terram ad regnum suum pertinere, & inprimis terram Ephraim, quam vocat fortitudinem seu robur capitis sui, quòd fuerit tribus populosissima & potentissima, quemadmodum in Iosua cap. 17. scribitur. Vnde & altera pars regni Dauidis, postquam, tempore Rehabeami, nepotis eius, diuisum est in duas partes, dicta est regnum Ephraim, quòd & primus eius rex, nomine Ieraboam, fuerit Ephraimita, quemadmodum scriptum est 3. Reg. 11. & Ephraim fuerit in eo regno præcipua tribus. Additur: Iuda, legislator meus. Hoc sumptum est ex Gen. cap. 49. Non auferetur, inquit Iacob, sceptrum de Iuda, & legislator (vbi translatio nostra habet, Dux,) de femore eius, donec veniat Silo. Significat igitur Dauid, tribum Iuda, è qua ipse natus est, præcipuè ad regnum suum pertinere, quòd iam olim à Patriarcha Iacob dictum sit, consiliarios,

filiarios, legislatores, senatores, principes & duces nunquam è tribu Iuda defuturos, donec Christus DOMINVS noster nascatur. Sequitur: Moab, olla lauacri mei. Pro, lauacri mei, Græcus interpres transtulit, τῆς ἐλπίδος μου, (hoc est) spei meæ. Miror autem, quid interpreti in mentem venerit, quòd pro lauacro, reposuerit spē, nisi forte pro רחצי, Rachzi, quod significat lauationem seu lauacrum meum, legerit, מחסי Machsi, quod significat spē meam. Dicit ergo Dauid, regnum suum non tantùm terminis Iuda, Ephraim, Manassæ & aliarum tribuum definiendum, sed etiam vsque ad finitimum regnum Moab proferendum: Moab (inquit) olla lauacri mei, hoc est, Moabitæ regno meo ita subijcientur, vt ipsis vtar ad seruilissima opera, quale est, lauare pedes ex pelui. Hoc autem impletum esse, testatur sacra historia in priori libro Samuelis, capit. 8. & in priori libro Paralip. capit. 18. Factum est, inquiens, vt Dauid percuteret Moab, & fierent Moabitæ serui Dauidis, offerentes ei munera. Præterea: Super Ædom (inquit) proferam calciamentum meum. Est & hæc descriptio subiectionis Ædomitarum. Proferre enim calciamētum, est proferre imperium, & subijcere sibi terram, quam pedibus tuis calcaueris. Cum igitur dicit, se prolaturum calceum suum super Ædom, significat se non solum
2. *Samuel.* 8. Moabitas, verùmetiam Ædomitas regno suo subie-
1. *Paralip.* 18. cturum: Posuit (inquit scriptura) Dauid custodes in Ædom statuitq; præsidium, & facta est vniuersa Ædomæa seruiens Dauid. Postremò additur: Erga me, ò Philisthæa, iubila. Hoc significat, quòd etiam Philisthæi,

liſthæi, alioqui anniuerſarij Iſraelitarum hoſtes, daturi ſint manum ſuam Dauidi, & ipſi, vt domino & regi ſuo, acclamaturi, ac ſe victos confeſſuri. Poſt hæc, (inquit ſcriptura in priori libro Samuelis, capit. 8.) percuſsit Dauid Philiſthæos & humiliauit eos, & tulit frenum tributi de manu eorum. Quare, etſi ſtatus regni Iſraelitici videtur in præſentia eſſe perturbatiſsimus, tamen, quia futurum eſt, vt non ſolum in vnum corpus iterum coaleſcat, verùmetiam acceſſuræ ſint finitimæ gentes, quæ nunc videntur victrices, non habeo, quòd vlla animi ægritudine & mœſtitia afficiar, ſed potius, quod gaudeam & exultem.

Quis autem ille eſt, qui in me tot, & tam inſignes victorias confert? qui mihi tot munitas ciuitates ſubijcit? qui me Ædomææ, & alijs exteris gentibus præficit? Num mea ipſius ſapientia? num fortitudo exercituum noſtrorum? Nihil minus, ſed tu DOMINE Deus ſolus, qui cum hactenus nos videbaris proiecisſe, & deteſtari noſtros exercitus, nunc tandem expergefactus es, & nos priſtina beneuolentia ita complecteris, vt cum antea vnus hoſtium fugaret noſtrum mille, & duo fugarent noſtrum decem millia, nunc viciſſim vnus noſtrum fuget mille hoſtes, & duo noſtrum fugent hoſtium decem millia: & ſicut antea lætatus eſt Deus in nobis ſubuertendis & diſperdendis, ita nunc lætetur, in nobis iuuandis & conſeruandis. Ex his animaduertendum eſt initio, quod ſit ingenium veræ fidei in promiſſionem, ſeu, vt Dauid ait, locutionem Dei: Deus

Deut. 32.

Deut. 28.

(inquit) locutus est in sanctuario suo, lætabor. Etsi enim Dauid nondum possidebat has regiones, & vrbes, quas commemorauit, tamen quia promissæ erant ei diuinitus, non aliter afficitur, & gaudio perfunditur, quàm si eas in manu sua teneret. Hoc illud est veræ fidei ingenium, quod & in Abrahamo intuendum proponitur: Abraham (inquit Paulus) credidit præter spem sub spe, se fore patrem multarum gentium, iuxta id, quod dictum erat: Sic erit semen tuum. ac non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cùm centum ferè natus esset annos, & reliqua quæ sequuntur, notus enim est locus. Quare, in expectatione cœlestis beneficij, ante omnia curandum est, vt certam, & rectè ac piè intellectam habeamus promissionem Dei, & vt firmam ei fidem adhibeamus. Sic enim tantum aberit, vt cor tristitia absorbeatur, vt potius summam lætitiam, in medijs aduersis concipiat. Nam si quid mœstitiæ reliquum fuerit, meminerimus, non spiritus, sed carnis esse mœstitiam, quæ assidua consideratione promissionis Dei cohibenda est & per Spiritum sanctum expurganda. Deinde, in nono & decimo versiculo docet, non bella tantùm infelicia esse, quæ non, autore & gubernatore DOMINO Deo nostro, geruntur, verùmetiam nihil aliarum rerum prosperè succedere, nisi manu DOMINI administretur. Quare in rebus aggrediendis & gerendis, prima omnium cura sit, vt Deus stet à parte nostra, & sit nobis propitius: Si Deus pro nobis, inquit Paulus, quis contra nos? Stat

Rom. 4.

Stat aũt Deus pro nobis, si conuersi ad DOMINVM, agnouerimus Iesum Christum, vnicum nostrum seruatorem, et ambulauerimus in vocatione: certa fiducia concepta, quòd qui nos ad res gerendas vocauit, daturus etiam sit euentum, vt quæ sunt vocationis nostræ, feliciter perficiamus.

11. *Da nobis auxilium, de tribulatione, quia vana salus, quæ expectatur ab homine.*
12. *In Deo designabimus fortia, & ipse conculcabit hostes nostros.*

In fine Psalmi additur precatio, vt cum omnis rerum benedictio & felicitas in sola DOMINI manu cõstet, seruet ipse nos in aduersis nostris, salus enim, quæ expectatur ab homine, quamuis prudente, & potente, vana est. In solo igitur Deo collocanda est fiducia nostra, cuius etiam solius virtute designabimus, si quid prȩclari feliciter gerendum fuerit. Non enim armis nostris, non fortitudine nostra, non industria nostra, nõ iustitia nostra conculcabimus aduersarios nostros, sed Deus ipse est, qui conculcat eos. Hæc non eò dicuntur, vt nos simus ocioſi & ignaui rerum spectatores, sed potius, vt faciamus nostrum officium, pro virili: benedictionem autem, & felicem euentum, à solo Deo expectemus. Meminerimus in omnibus nostris periculis cohortationis Ioab, qua fratrem suum Abisai ad capessendum cum Ammonitis prælium, excitat: Esto (inquiens) vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri, DOMINVS autem faciet, quod bonũ est 2. *Samuel.* 10.

2. *Paralip.* 20. in conſpectu eius. Huc pertinet etiam precatio Ioſaphat, qui in incurſione Moabitarum & Ammonitarum proſternit ſe coram Deo, & ait: In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſsimus huic multitudini reſiſtere, quę irruit contra nos, ſed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reliquum, vt oculos noſtros AD TE dirigamus. Cæterum, vt & illud adiiciamus, Pſalm. 108. videſ partim ex fine Pſalmi 57. partim ex hoc 60. Pſalmo cõpoſitus. Quod idcirco commemoro, vt ſcias, Spiritum ſanctum non dedignari repetere ea, quæ iudicat nobis eſſe vtilia, ſed admonere nos de illo prouerbio, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ: Quæ pulcra ſunt, bis & ter ſunt repetenda.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quæcunque, inquit Paulus, præſcripta ſunt, in noſtri doctrinã præſcripta ſunt, vt per patiẽtiam & cõſolationem ſcripturarũ, ſpem habeamus. Cum igitur promiſsiones Dei videntur in longum extrahi, & interea longe alia, quàm nobis promiſſa ſunt, accidunt, vt tẽpeſtates animi, dubitatio videlicet, impatientia, & perturbationes in nobis exurgant, ſummendus eſt hic Pſalmus in manus, vt exemplo Dauidis, ad patientiam & conſolationem excitemur. Dauidi n. promiſſum erat regnũ Iſraelis, ſed obſerua mihi, quas interea temporis ærumnas non viderit? Obiicitur Philiſthinis occidendus, eiicitur ex aula regis Saulis in exilium, periclitatur quouis momento de vita, accuſatur ab iis, apud quos exulat, prodi-

tionis

tionis, & cum iam interfecto Saule regnum adiret, vna tantùm tribus agnoscit eum regem, aliæ tribus alium regem sequuntur, vt nihil dicam de frequenti hostium incursione, in terram Israel, & omnino de miserando statu rerum Israeliticarum. Et tamen, nō solùm inter omnes illas ærumnas, incolumis, beneficio Dei, conseruatur, verùmetiam feliciter enatat ex omnibus difficultatibus, & consequitur promissum regnum. Hoc autem non propter Dauidem tantùm factum & scriptum est, sed etiam propter nos, vt si crediderimus in Christum, filium Dauidis, non dubitemus de promissa nobis salute tam corporali, quàm spirituali, etiamsi interea omnibus aduersis obruamur.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Iohanne Brentio.

DECAS SEPTIMA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1567.

PSALMI SEPTIMÆ DECADIS.

61 *Exaudi Deus deprecationem meam,&c.*
62 *Nonne Deo subiecta erit anima mea?*
63 *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.*
64 *Exaudi Deus orationem meam.*
65 *Te decet hymnus Deus in Sion.*
66 *Iubilate Deo omnis terra.*
67 *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis.*
68 *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.*
69 *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt.*
70 *Deus in adiutorium meum intende.*

Psalmus 61.

Exaudi Deus deprecationem meam, &c.

NOn est quidem obscurũ, quòd hic Psalmus sit precatorius, & quòd ex maximo animi mœrore, & ingenti cordis angustia opem Dei imploret. Quid autem illud sit, quod conijciat precatorem in tantam afflictionem, ex ipsis Psalmi versiculis petendum est. Meminit enim inimici, meminit etiam habitationis in tabernaculo Dei, ac sperat, se non tam ab insidijs inimici tutum fore, quàm perpetuò in habitaculo Dei commoraturum. Ex hoc facilè colligi potest, angustiam animi eius hinc adeò ortam esse, quòd cùm habeat homines inimicos & hostes, ac ab ipsis abijciatur, & condemnetur, cogitet, ne fortè à Deo quoque ipso sit abiectus, & exhæredatus. Coporales enim afflictiones sollicitare nos solent ad dubitationem de fauore Dei, quasi quibus nullus amplius sit relictus locus in tabernaculo Dei, tam in Ecclesia, quàm in cœlo, & quorum Deus nullam amplius habeat rationem. In tantis ergo & tam periculosis tentationibus vertit se precator ad DOMINVM Deum nostrum, non tacita tantùm mentis cogitatione, aut occultis gemitibus, sed aperto etiam, quo affectus sui vehementiam testificetur, cla-

more, non quidē indecoro illo, & impudenti, qualis est vinolentorum & furiosorum, sed qualis fuit Mo-
Exod.14. si, cùm, imminente exercitu Pharaonis ad mare rubrum, & minitante vniuersis Israelitis præsentē interitionem, ad DOMINVM Deum suum ita clamaret, vt & Deus ipse diceret: Quid clamas ad me?

1. *Audi, Deus, clamorem meum, attende ad precationem meam.*
2. *Ab extremitate terræ ad te clamo, in angustia cordis mei. In petram excelsiorem me deducito me.*

Propositio Psalmi, non simpliciter enuntiata, sed repetitionibus explicata & exaggerata: Audi (inquit) Deus clamorem meum. Absoluisset iam sententiam instituti sui, & satis significasset propositum animi sui, sed vt instet & vrgeat, addit: Attende ad precationem meam. Non illud rogo, vt simpliciter, aut oscitanter audias, sed vt attentissimè & summo studio audias: & clamo ad te, non è propinquo, quasi sim tibi proximus, & leuiter affligar, sed clamo ab extremitate terræ, (hoc est, vt alius Psalmus habet de profundis, ex ima terra, & ab extremis calamitatibus, quibus videor mihi tam longè ab auxilio tuo abesse, quàm terra distat à cœlo: clamo quoque non in latitudine, sed in angustia cordis mei. Multæ mihi calamitates acciderunt, in quibus reliqua adhuc erat humana spes euasionis, idcirco clamabam quidem tum, ad te, sed in latitudine adhuc aliqua cordis, & in spe ex humanis coniecturis concepta.

Nunc

Nunc autem clamo ad te in anguſtia cordis, nullam enim in hac calamitate aliam video ſpem, præter te, DOMINVM Deum meum.

Sed dubitas fortaſsis, quid illud ſit, quòd precator tam ſollicitè admoneat Deum, vt preces ſuas attentè audiat? Nunquid, qui plantauit aurem, (vt alius Pſalmus ait) non audiet? aut qui finxit oculum, non videbit? Deus natura ſua, vt omnia videt, eſt enim æternus & omnipræſens oculus, ita & omnia, etiam non admonitus, audit. Sed aliud eſt audire Dei, natura, aliud, gratia. Deus audit quidem omnia, natura ſua, nihil enim eſt ab auribus eius abſconditum, & nullum latet eum arcanum: non autem audit omnia, gratia & fauore ſuo. Impiorum preces, nullo audit fauore, maledicta ſceleratorum nulla audit gratia, quia deteſtatur ea. Precatur ergo Pſalmus, vt nõ ſimpliciter audiat clamorem ſuũ, ſed vt audiat eum, cum bona gratia, & clementia. Admonet autem huius rei Deum, non quòd Deus ipſe indigeat tali cohortatione, quippe qui promptior ſit ad audiendum clamorem ſupplicum & miſerorum, ac ad benefaciendum omnibus inuocantibus ipſum in veritate, quàm nos ad clamandum, & ad beneficia accipienda: ſed quòd oſcitantia & ſomnolentia carnis noſtræ indigeat hoc calcare, quo incredulitas eius excutiatur, & fides in precatione noſtra inflammetur. *Pſalm. 94.*

Sed quid clamas? quid vociferaris? quid eſt, quod tanto animi ardore petis? Peto igitur, vt deducas me in petram, excelſiorem me, (hoc eſt) in petram, non terrenam, ſed cœleſtem, in petram, non huma-

nam, ſed diuinam, quæ tu es, Deus ipſe. Anguſtiæ enim animi mei grauiores mihi videntur, quàm quę ab humana aut terrena petra ſuſtentari queant, ſed neceſſe habent à cœleſti petra ſuffulciri. Quare illud clamo, illud peto, vt me ex his anguſtijs, in cœleſtem latitudinem & petram transferas.

3. *Tu enim es ſpes mea, & turris fortitudinis, à facie inimici.*

Ratio, cur ſe in precibus ſuis tantùm ad Deum conferat: Quia TV es, inquit, ſpes mea, & turris fortitudinis, à facie inimici. Hîc vno inimici vocabulo ſignificat, quid ſit, quod ipſum ad preces excitârit, & in quibus anguſtijs verſetur: A facie (inquit) inimici. Inimicum habeo, nō autem vnum tantùm hominem, ſed magnam hominum colluuiem, qui in me clandeſtinis conſilijs, & inſidijs, deinde etiam manifeſta tyrannide, & crudelitate ita graſſantur, vt arbitrer, Deum ipſum quoque à parte eorum ſtare, ac me è cœtu ſuorum excluſiſſe. In tantis anguſtijs, nō habeo aliam petram, ad quam confugiam, & in qua conſiſtam, aut conquieſcam, niſi te DOMINVM Deum meum: tu ſolus es ſpes mea, tu ſolus es turris fortiſsima, & tutiſsima, in qua conſiſtens, non timebo, quid faciat mihi homo inimicus. Vnde ergo precator hauſit tantam animi fiduciam, & πληροφορίαν vt certò profiteatur, Deum ſolùm eſſe ſpem ſuam, & turrim fortitudinis? Multæ extant promiſsiones, quibus Deus recepit ſe fore omnium in ſe ſperantium

tium asylum, refugium, scutum, & propugnaculum, quas aliâs suo loco commemorauimus. In præsentia autem, sufficiat nobis vna saltem præfatio Decalogi, & primum eius præceptum: Ego sum DOMINVS Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo seruitutis: Non habeas Deos alienos coram me. Etsi enim hoc dictum ad legem pertinet, tamen continet etiam in se manifestam promissionem præsentiæ Dei in omnibus aduersis, & cohortationem ad spem & fiduciam Dei, in quauis calamitate: Ego sum, inquit, DOMINVS Deus tuus, TVVS, inquam, in quem solùm credas, quo solo confidas, in quem solùm speres, quem solum inuoces, quem solùm ex toto corde, ex tota anima, & ex omni tua fortitudine diligas. Atque hæc non temerè, nec frustrà à te exigo, sed vicissim recipio me fore seruatorem & liberatorem tuum, in omnibus tuis calamitatibus. Cuius rei exemplum, ac testimonium habes in liberatione Ægyptiaca. Quantis ibi ærumnis oppressus iacebas? & tamen seruaui te, idq; magnis miraculis. Quare, vt præcipio tibi, ne habeas alienos Deos coram me, nec alienis dijs confidas, aut eos inuoces: ita etiam promitto tibi, me tibi præstiturũ, omnia ea, quæ verus, beneficus, misericors, clemens, & omnipotens Deus populo suo, siue publicè vniuersis, siue priuatim singulis præstare debet. Nunquam cõmittam, vt in meis pollicitis mendax inueniar: tu saltem age, vt non habeas coram me alienos Deos. Vides, quam salutaribus admonitionibus & cõsolationibus prægnans sit, vel illud vnum dictum Decalogi, si recte, iuxta sententiam Spiritus sancti, intelligatur.

Sed

Sed cum DOMINVS fuerit ſpes tua, & turris fortitudinis, nunquid illud tantùm beneficij accipies, vt ſis tutus à facie & incurſu inimici? Non hoc tantùm beneficium à Deo expecto, ſed etiã illud, quod præcipuum eſt, & iam in quarto verſiculo ſequitur.

4. *Habitabo in tabernaculo tuo in æternum, & tutus ero, ſub tegumento alarum tuarum.*

DOMINVS eſt mihi ſpes, & turris fortitudinis. Spero igitur me non tantùm tutum fore ab omnibus inimicis meis, verùmetiam habitaturũ perpetuò in tabernaculo tuo, vt protectione alarum tuarum ſemper ſaluus conſiſtam. Inimici mei minantur mihi grauiſsima quæque, & ita me vrgent, vt quia ipſi me odio habent, & meditantur in me extrema mala, exiſtimem mihi planè pereundum eſſe. Ac de iactura quidem corporalium & mundanorum bonorum non admodum ſollicitus eſſem: ſatis opulentus, & ſanus, ſatis etiam potens, & glorioſus eſſem, ſi haberem Deum propitium. Nunc autem illud mihi intolerabile videtur, quòd inimici, cùm me eiſciunt tabernaculo externo, ſuſcipiunt me etiam è tabernaculo æterno eiſciendum, vt me cœleſti hæreditate priuent. Sed hoc, vtcunque ſe habeat, certè de ſalute mea nondum conclamatum eſt. Etſi enim inimicus meus fremit, & cupit me prorſus extinctum, tamen, quemadmodum pulli Aquilarum ab impetu aliarum auium ſatis tuti ſunt, ſub alis matris ſuæ: ita, cum DOMINVS receperit me in ſuam tutelam, & cu-

& collocet me, iuxta certiſsimam ſpem meam, in cœleſti petra, nulla aduerſaria poteſtas, ſiue humana, ſiue ſatanica, poteſt mihi vllum incommodum afferre. Quare, confido me, inuitis etiam inferorum portis, in æterno habitaculo Dei commoraturum, & cœleſti hæreditate fruiturum. Libet autem iterum quærere, quid illud ſit, quod te ad tantam fiduciam excitat? Sequitur.

5. *Tu enim audis vota mea, & das hæreditatem timentibus nomen tuum.*

Magna impudentia videri poſſet, quòd precationem mea, ad tuum thronum, ô Domine Deus, accedã, & ſperem ac petam illa beneficia, quæ omnem humanum captum ſuperant: ſed tuipſe, huius ſeu petitionis, ſeu, ſi ita vocare libet, impudentiæ autor es. Audis enim vota mea, & promittis cœleſtem hæreditatem omnibus timentibus nomen tuum: Promiſiſti, te exauditurũ vota & precationes meas: promiſiſti te daturum cœleſtia beneficia omnibus colentibus nomen tuum: notum eſt dictum Moſi, imò Spiritus ſancti: Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris: notum eſt & illud: Si ambulaueritis in præceptis meis, ponam tabernaculum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ERO DEVS VESTER, VOSQVE ERITIS POPVLVS MEVS. Hoc, quid aliud eſt, quàm quòd Deus promittat timentibus ipſum, non tantùm terrenam, iuxta vete-

Deut. 4.

Leuit. 26.

ris Teſtamenti interpretationem, ſed etiam cœleſtem, iuxta noui Teſtamenti ſententiam, hæreditatem? Quare, quòd precator audeat ſperare & petere tanta beneficia, quæ Deus cultoribus ſuis promiſit, non eſt impudentia, ſed obedientia, non eſt temeritas, ſed fidelitas.

Sed heus tu? Quid, quæſo, illud eſt, propter quod ſperas cœleſtem opem, contra inimicos tuos, & confidis, te promiſsionum diuinarum, de exaudiendis precibus, & percipienda hæreditate Dei, fore participē? Petis collocari in cœleſti petra, vocas Deum ſpem tuam, & turrim fortitudinis, putas ne Deum blanditijs verborum tuorum perſuaderi, vt te in periculis tuis ſeruet, & retineat te in tabernaculo ſuo, ac donet te cœleſti & æterna ſua hæreditate? Vbi eſt iuſtitia tua, quam ille, in te exaudiendo, reſpiciat? vbi merita tua, propter quæ ille tibi faueat? Promiſit, fateor, hæreditatem ſuam, ſed timentibus & colentibus nomen ſuum, & diligentibus ipſum, ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus ſuis: tu autem ab hac iuſtitiæ perfectione & rectitudine, teſte tua ipſius conſcientia, tantum abes, quantum oriens ab occidente diſtat: quomodo igitur polliceris tibi, tanta fiducia, beneficium commorationis in cœleſti petra, & æternæ hæreditatis? Ad hanc obiectionem reſpondent duo verſiculi, qui ſequuntur.

6. *Dies addis diebus Regis, anni eius, ſicut generatio, & generatio.*

7. *Sedet*

7. *Sedet perpetuò coram Deo. Beneficentiam & veritatem præpara, quæ custodiunt eum.*

Etsi in his versiculis videtur, nomine Regis, intelligendus, vel Dauid, vel alius quiuis politicus Magistratus, pro quo etiam Apostolus Paulus deprecationes, obsecrationes & gratiarum actiones fieri iubet, vt placidam, & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate: tamen, vt hîc non Dauidem ipsum filium Isai, sed potius Messiam, seu Christum Dauidis filium, intelligamus, non sunt vanę coniecturæ. Dicitur enim: Addis dies diebus Regis, (hoc est) tribuis Regi lõgam vitam, & anni eius sunt, sicut generatio & generatio, (hoc est) anni eius sint continui, semper durantes, & æterni. Ac sedet ipse perpetuò coram Deo, (hoc est) sedet ad dextram Dei, & regnum eius perpetuò constat. Hæc certè non conueniunt Dauidi filio Isai, cuius regnum fuit temporarium, nec sedet ipse ad dextram Dei, nisi quatenus est membrum Christi, per fidem: sed conuenit tantùm DOMINO nostro Iesu Christo, cuius regni non est finis, & qui ita sedet ad dextram Dei, vt sit elatus super omnem principatum, potestatem, & virtutem ac dominium, adeoque super omne nomen, quod nominatur, tam in hoc, quam in futuro seculo, ac datum sit ei nomen, in quo omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & infernorũ. Quare sentiam° hos versiculos loq de Messia seu Christo, & de regno eius, vt sit sententia: Clamo ad te, DOMINE Deus, de profundis, de extremis meis, quas in hac terra sustineo, afflictionibus, vt me

tuearis ab incursu inimicorum meorum,& colloces me in cœlesti petra, quò commorer perpetuò in tabernaculo,& hæreditate tua. Clamo autem,non fiducia vel meæ iustitiæ, vel meæ potentiæ,vel aliarum mearum prærogatiuarum aut meritorum, sed tantùm fiducia Regis illius Messiæ, quem tu tanto fauore complecteris, vt primùm quidem colloces eum ad dexteram tuam, & tribuas ei æternum regnum: deinde autem perpetuò serues illos, qui in ipsum credunt. Vnde & additur: Beneficentiam & veritatem præpara,quæ custodiunt eum. Pro (præpara)Hebræus habet מן Man, à verbo מנן Minna, quod significat constituere,ordinare seu præparare, & exhibere. Græcus autem interpres Transtulit τις (hoc est) quis, pro מן enim, legit מי Mi, quod est Quis? Sentẽtia autem huius dicti petenda est è Psalmo 89. qui est de Christo & regno eius, vbi & alioquoties hæc duo vocabula, beneficentia & veritas, coniunguntur, & ad Christum referuntur: Beneficentia (inquit) & veritas præcedent faciem tuam. Et iterum: Veritas mea, & beneficentia mea cum ipso. Ac rursus: Beneficentiam meam,non auferam ab eo,neq; mendax ero in veritate mea. Deus enim clementer recepit, se è posteritate Dauidis mirum Christum DOMINVM,quem non solum ipsum ornaturus sit omni genere cœlestis benedictionis, & perpetua regni maiestate tam in cœlo, quàm in terra, verùmetiam tantam beneficiorum abundantiam in ipsum effusurus, vt quotquot in ipsum credũt,& nomen eius inuocant, sempiternam salutem in ipso,& per ipsum consequantur. Hæc est beneficentia

centia. Deinde, non ſimplicibus tantùm verbis, ſed etiam pacto, & iuramento recepit, ſe hanc promiſſionem impleturum: Iuraui, inquit aliâs, Dauidi ſeruo meo, inæternum propagabo ſemen tuum. Et iterum: Semel iuraui, per ſanctitatem meam, non mentiar Dauidi. Ac rurſus: Iurauit DOMINVS, & non pœnitebit eum, &c. Hæc eſt veritas, conſtantia, & certitudo diuinæ promiſsionis, quæ facta eſt Dauidi, de Chriſto Domino noſtro: & quod promiſſum erat ſuperioribus ætatibus, hoc ſcribit Ioannes Euangeliſta, in plenitudine temporis impletum eſſe: Verbum, (inquiẽs,) caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Ac mox: De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia. Chriſtus enim, qui eſt Verbum Dei incarnatum, plenus eſt gratia, ſeu beneficentia, quòd ornatus ſit omni genere benedictionis & maieſtatis: Plenus etiam eſt veritate, quòd verè & firmiter præſtitit, quæ in ipſo promiſſa fuerunt, & quòd omnes Dei promiſsiones ſunt Etiam & Amen. Quibus bonis tanta copia abundat, vt & nos de plenitudine eius accipiamus, & gratia ſeu beneficẽtia Dei propter ipſius gratiam fruamur. Quare, cum in ſeptimo huius Pſalmi verſiculo dicitur: Gratiam, ſeu beneficentiam & veritatem præpara, quæ cuſtodiunt eum, ſignificat precator, ſe cupere & petere, vt Deus pater mittat Chriſtum ſuum, primo quoq; tempore, in mundum hunc, & cumulet in ipſum beneficẽtiam ac veritatem ſuam, hoc eſt) ornet eum, iuxta veritatem & certitudinem promiſsionis ſuæ,

Pſalm. 89.

Pſalm. 110.

Ioan. 1.

2. Cor. 1.

omni genere beneficiorum. Quibus rebus thronus regni eius ita custodietur, & stabilietur, vt & ipse & reliqui omnes, qui credunt in eum, felicitate & maiestate eius fruantur. Nam quæ gratia, seu beneficentia & veritas à Deo patre in Christum conferuntur, non eò conferuntur, vt solus ipse ijs fruatur, sed vt omnes, quamuis peccatores, (si modo in ipsum verè crediderint) participes eorum fiant. Quod & Psalm. 89. diserte exponit: Si filij eius, inquiens, derelinquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, si statuta mea prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo virga peccata eorum, & verberibus delictum eorum. Sed gratiam, misericordiam seu beneficentiam meam, non auertam ab eo, nec mendacem faciam veritatem meam, nec prophanabo fœdus meum, nec mutabo, quæ egressum est de labijs meis. Hęc est insignis et obseruabilis concio de Christo, & credentibus in Christum. Etsi enim illi, qui amplectuntur Christum fide sua, si relapsi fuerint in peccata, & obsequantur desiderijs carnis, fiunt obnoxij irę Dei, & reijciũtur à Deo, vt non sint amplius gratia & beneficentia Dei obligni, Deus tamen nunquam auertit gratiam seu beneficentiam suam à Christo, nec retractat veritatem suam propter peccata hominum, sed pergit Christum perpetuò fauore complecti, & veritatem promissionũ suarum tueri: Sit, inquit Paulus, Deus verax, & omnis homo mendax. Quare, cum gratia & veritas Dei semper constent in Christo certa & firma, si peccator ad Christum iterum reuersus fuerit, fiet ipse quoque illius fauoris, quo Deus Chri-

Rom. 3.

ſtum proſequitur, particeps, vt habeamus in Chriſto & per Chriſtum, non ſemel tantùm, ſed ſemper, quoad in hoc ſeculo vitam agimus, receptum ad gratiam Dei, ab iniuſtitia, videlicet, ad iuſtitiam, & à condemnatione, ad veram & æternam ſalutem. Quod & Paulus ſuis verbis, ad Timotheum ſcribens: Si negamus, (inquit) & ille negabit nos. Si increduli ſumus, ille fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt, videlicet, ſi conuerſi fuerimus ad Chriſtum. Et aliâs: Dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum illum pœnitere non poſsit. 2. Tim. 2.

8. *Sic celebrabo nomen tuum inæternum, vt reddam vota mea aſsiduè.*

Vſitata cõcludendi Pſalmos ratio per gratiarum actionem: Magna, inquit, beneficia petij, eaq; non in nomine mearum virtutum, aut meritorum, agnoſco enim me peccatorem, & quod ad corruptionem meæ naturæ, & impietatem carnis meæ, attinet, beneficijs Dei indignum: ſed peto ea beneficia, in nomine tantùm Regis Meſsiæ, ſeu Chriſti, & propter Chriſtum, quem Deus pater collocat ad dextram ſuam, vt pro nobis intercedat. Quare, DOMINE Deus, ſi mihi ea clementer præſtiteris, quemadmodum non dubito, nunquam committam, vt ſim ingratus, ſed in hoc ſtudium totus incumbam, vt nomen tuum, quibus poſſum Pſalmis & laudibus celebrem, & quæ vota ac officia tibi debeo, aſsiduè perſoluam. Etſi enim minor ſum cunctis miſerationibus tuis, tamen ſummam dabo operam, vt gratitudinem, quoquo modo poſſum, teſtificer.

Vſus

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Psalmus est obseruabile exemplum inuocandi Domini Dei nostri, non per nomen nostrarum virtutum, sed tantùm per nomẽ Christi. Quod enim Christus apud Ioannem dicit: Amen, amen dico vobis: Quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: hactenus non petistis quicquam in nomine meo (videlicet apertè, & desertis verbis, nam alioqui nulla fit oratio pia, in qua Christus, spiritu, non comprehendatur) petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum, hoc visum est Spiritui sancto, longè antè, quàm Christus carne nasceretur, in hunc Psalmum conferre, & Ecclesiam admonere, vt si quid à Deo petendum sit, in solo nomine Regis Christi, petamus. Cum enim non sit aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, præter nomen Christi, necessarium est, vt hoc solo nomine Deum patrem inuocemus. Quid autem sit, Deum in solo nomine Christi inuocare, aliâs copiosè explicatum exstat.

Psalmus

Psalmus 62.

Nonne Deo subiecta erit anima mea?

AD cognoscendam verã & propriam Psalmorum sententiam, plurimũ refert, scire, qua quisq; occasione cõscriptus sit, & quo argumento constet. Nam vulgatæ inscriptiones, aut tituli, (quos ita vocant) non videntur ab autoribus ipsis Psalmum, sed à scribis, pro suo cuiusq; iudicio, adiecta & maxima eorum pars nihil ferè præter instrumenta musicæ, aut carminum genera, illis seculis notantinent. Quare, si volueris genuinam Psalmi sententiam assequi, versiculi ipsi considerandi, & diligenter expendendi sunt, vt ex ipsis occasionem & argumentum eius colligas. In hoc igitur Psalmo, qui Hebræis sexagesimus secundus numeratur, si attrinxeris versiculos eius, ac inprimis, tertium & quartum, haud obscurè intelliges, Dauidem ad hunc Psalmum cantandum, persecutione Saulis, & insidiatam amicorum, quàm inimicorum suorum, argumento etiam plærisq; alij Psalmi constant, fuisse factum esse. Dauid enim, quem in aula regis Saulis extulerat virtus, & iterum ex aula eiectus Dauid, vagatur in exilio, nunc in eremo, nunc in alteros, eosq; hostes, non solum incertis sedi-

bus, verumetiam præsentissimo vitæ suæ periculo: necesse habet singulis penè momentis, aut proditorem aut insidiatorem, aut etiam percussorem, expectare. Inter tanta pericula, exurgunt interea in animo eius multæ & variæ tempestates. Nunc enim caro suggerit ei indignationem aduersus omnes, qui sunt exilij autores, nunc suggerit ei vltionem, nunc etiam execrationem, cum Deo quoq; ipso expostulationem, si nõ & de prouidẽtia & veritate promissionum eius dubitationem. In aduersis igitur rampericulosis, Dauid vincit affectus carnis suæ spiritu, & procumbens ad genua DOMINI Dei nostri, implorat cœlestem opem.

Continet autem hic Psalmus insignem antithesin fiduciæ in Deum, & fiduciæ in humana præsidia. Itaq; duæ sunt partes eius. Prior, de fiducia in Deum, ad quam Dauid omnes afflictos suo exemplo cohortatur: posterior, de fiducia in humana præsidia, à qua nos seueriter dehortatur. De priori igitur prius.

1. *Certè, ad Deum silet anima mea. Ab ipso (expecto) salutem meam.*
2. *Certè, ipse est petra mea, & salus mea, protectio mea, non magnopere perturber.*

In maximis versor difficultatibus, & veniunt mihi in mentem variæ cogitationes ac deliberationes, quas affectus carnis meæ in me excitãt. Sed vtcumque se hæc habeant, certè anima mea silet ad Deum. Absit, vt coram Deo virulenter vociferer, & de iniuria

iniuria, quæ mihi infertur, odiosè tumultuer, sed cohibeo os meum, & sileo, vt debeo, ac subijcio me obedienter voluntati Dei, ac patienter fero, quicquid ille mihi ferendum imponit. Salus enim mea non pendet ab vllo humano præsidio, sed à solo DOMINO Deo meo, ipse solus est petra mea, salus mea, scutum, seu protectio mea, qua ita confido, vt etiamsi aduersarij mei multa mala in me cogitent, nō tamen magnopere cōmouear & perturber.

Primùm vide mihi, quæ epitheta tribuat Deo, & quibus fidem suā in Deum tam confiteatur, quàm confirmet.

1. Petra mea. Hoc est vsitatum epitheton, quod tribuitur Deo. Deu. 32. & Psal. 18. significat autem fortitudinem. Vocatur ergo DOMINVS petra, quòd qui eo cōfidit, fortius cōsistit, & stabilius perdurat, quāsi in durissima, & immota petra collocatus esset.

2. Salus mea, & aliâs, cornu salutis meæ, quòd quēadmodum animalia cornupeta, non tam se cornibus defendant, quàm cōtra pugnantia repellant, ita DOMINVS submoueat aduersa, & afferat veram ac præsentem salutem omnibus ijs, qui ipso confidunt.

3. Protectio seu exaltatio mea, quòd DOMINVS sit velut altissimus locus, ad quem qui se receperit, nullo potest incommodo ab inimicis suis affici.

Deinde considerandum est, ex quo fonte Dauid suauissima hæc epitheta Dei hauserit. Non enim hausit ea ex lacunis humanæ suæ rationis, quippe quod humana ratio, etsi aliquam Dei cognitionem, natura impressam habet, quemadmodum Paulus Rom. 1. docet, tamen illa tam imbecillis & incons-

ſtans eſt, vt leuiſsima quadam tentatione exercitatur: ſed hauſit ea è ſcaturigine diuinæ promiſsionis per fidem. Generalis promiſsio eſt: Filius meus primogenitus, Iſraël. Cum igitur Dauid ſit Iſraëlita, & circumciſus, pertinet & ipſe in catalogum primogenitorum filiorum Dei, & curæ eſt DOMINO, ſicut filius parenti ſuo. Peculiaris promiſsio eſt: Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus mea confirmabit eum, & brachium meum confortabit eum. Huc enim pertinent omnia illa, quę Deus, vnà cum vnctione Dauidis in regem, promiſit ei, & poſtea per Samuelem & alios Prophetas peculiariter explicata ſunt. Nouit autem Dauid, DOMINVM in promiſsis ſuis adeò non eſſe mendacem, & inconſtantem, vt citius cœlum & terra ruerent, quàm vt promiſſa Dei fallerent. Quare cùm Dauid credat promiſſa Dei eſſe certiſsima oracula Spiritus ſancti, vocat DOMINVM, petram, ſalutem, & protectionem ſeu eleuationem ſuam, ſignificans, ſe tum certiſsimè in tutela Dei eſſe, cùm fide in promiſsione eius conſtiterit, quippe quòd eiuſcemodi epitheta ſunt tanquam epitome, & breuiarium promiſsionum Dei. Vnde cum Moſes poteret, vt faciem & gloriam DOMINI coràm videret, recitat ei DOMINVS epitheta ſua: DOMINVS Deus, miſericors, & clemens, & patiens, & multæ miſerationis, & alia quæ illic ſequuntur, videlicet illud teſtificans, quòd ſicut facies & gloria Dei cognoſcuntur epithetis ſeu cognominibus eius, ita & cognomina ſint promiſsionum eius certiſsima compendia. Singula igitur epitheta Dei, ſingula ſunt

Exo. 4. *Pſal.* 89. *Exo.* 33. & 34. *Num.* 14. *Pſal.* 103.

promptuaria

promptuaria promiſsionum Dei, vt ijs in omnibus tam aduerſis, quàm precibus fidem noſtram confirmemus.

3. *Vſq; quò (igitur) inſidiamini contra virum (vnum,) vt interficiatis eum vniuerſi vos, tanquam parietem inclinatum, & maceriem impulſam?*

4. *Certè illud vnum cogitant, vt deijciant excellentiam eius, delectantur mendacio, ore ſuo benedicunt, corde autem maledicunt.*

Vbi nos interpretati ſumus, Delectantur mendacio, ibi Græcus (quem ſequitur Latina interpretatio,) tranſtulit, ἐδιψησεν ἡ ψυχή, hoc eſt: Cucurri in ſiti. Quid autem, quæſo, illud ad Hebræum textum? niſi forte Græcus traduxerit verbum רוצו Iirzu, non à רצה Raza, quod ſignificat placere aut delectari, ſed à verbo רוץ Roz, quod ſignificat currere: & pro vocabulo כזב Cazab, quod ſignificat mendacium, legerit, בצמא Bezama, quod eſt, in ſiti. Sed quàm craſſus hîc eſſet error? Etſi autẽ Chriſtianiſmus nullam faciet ſalutis iacturam, ſi vnus & alter ſcripturæ, præſertim in ijs, quæ non ſunt magni momenti, locus, ex Hebræa lingua, in Græcam aut Latinam, perperam tralatus fuerit, tamen deteſtanda eſt ſeu oſcitantia ſeu temeritas Tridentinæ colluuiei, (non enim dicam, Synodi œcumenicæ) quod nuper adeò vulgatam Bibliorum tralationem, in qua tam craſſa interpretum errores inueniuntur, tanquam ſacroſanctam & inuiolatam, Eccleſiæ Chriſti obtruſerit, vt nihil dicam, quòd damnarit etiam præcipuum &

ſummum caput Chriſtianæ doctrinæ, videlicet, certam peccatorum remiſsionem, in ſolo Chriſto, per fidem, abſq; vlla hæſitatione ſperandam eſſe.

Sed de his non eſt in præſentia locus dicendi, nos ad Pſalmum noſtrum reuertemur. Poſtquam enim Dauid confirmauit epithetis Dei, fidem ſuam, in aduerſis, & plenus eſt fiducia, inuehitur grauiſsimè in aduerſarios, & quaſi inſultat eis, quòd etiam inſidientur vitæ ſuæ, & cupiant eum prorſus è medio ſublatum, tamẽ certiſsimam ſibi ſalutem, in DOMINO, polliceatur: Quouſque, inquiens, vos multi, magni, infimi pariter & ſummi, inſidiamini mihi viro vni, vt me interficiatis, qui antea ſic ſatis ſum calamitoſus, vt meritò conferendus ſim parieti ruinam minitanti, & maceriæ iam ad caſum impulſæ? Certè, niſi vos non probè nouerim, illud vnũ omnibus veſtris cogitationibus et cõſilijs agitis, vt ſi quis excellentium donorum Deus in me clementer contulerit, opprimatis & conculcetis, idq; nulla honeſtatis ratione, ſed tantùm ſimulationibus, dolis, mendacijs, calumnijs, & malis quibuſcunque artibus. Delectat vos, non veritas, ſed mendacium: & aliud lingua loquitur, aliud cor meditatur: os benedicit, cor maledicit. Vſque quò igitur pergetis vani & malitioſi eſſe? Putatis ne Deum perpetuò ad ſcelerata veſtra inſtituta conniuere, & impunè laturum? Videor autem his verſiculis, penè audire verba, quæ 1. Samuel. 24. Dauid coràm ad Saulem dixit: Anima duerte (inquiens) & vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te. Tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Et mox:

Quem

Quem persequeris, rex Israël? quē persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. Sed nec illud surda aure transeundum est, quibus coloribus hoc loco impij hypocritæ, & persecutores piorum depingantur, vocantur enim insidiatores, homicidæ, mendaces, simulatores, aliud ore loquentes, aliud corde meditantes, altera manu panem, altera lapidem gestantes. Hæc pictura nobis idcirco spectanda proponitur, vt siquando à talibus hominibus affligimur, consolemur nos exemplo Dauidis, quòd cum similes persecutores in nos grassentur, similem quoque conseruationem & liberationem à DOMINO speremus. Etsi enim nobis non est terrenum regnum, sicut Dauidi, promissum, tamen promissum est nobis, in Christo Domino nostro, regnum cœleste. Quare, quicquid nobis aduersi ab impijs pietatis persecutoribus acciderit, necesse habet adiumento esse in bonum, & in salutem nostrā cedere.

5. *Certè sile Deo anima mea, quoniam ab ipso est expectatio mea.*
6. *Certè, ipse est petra mea, & salus mea. Protectio mea, non perturbor.*
7. *Apud Deum est salus mea, & gloria mea, petra fortitudinis meæ. Spes mea est in Deo.*

Reuertitur ad confirmationem fidei suæ, ac repetit, non solùm epitheta, quæ antea commemorauit, verumetiam addit quædam alia, idq; nec ociosè, nec superuacuè, sed vt fidem, quam prius cōfirmauit, nūc vehementius accēdat, & inflāmet. Cor. n. afflictum,

& gras

& grauitate ærumnarum perturbatum, indiget copioso Dei verbo, vt tempestates eius sedentur, & tranquillũ reddatur: Certè, inquiens, sile Deo anima mea. Antè hortatus sum ego ipse meum animũ, vt nõ tumultuetur in aduersis, contra DOMINVM, sed sileat coram Deo, & patienter ferat, quod visum est ei imponere. Nunc planè idem repeto, vt quantum tempestates animi crescere videntur, tantum etiam fiducia erga Deum, & consolatio crescat. Obserua igitur iterum mihi, quibus rebus fiduciã suam erga Deum inflammet.

Recensetepitheta Dei.

1 Expectatio mea,
2 Petra mea,
3 Salus mea,
4 Protectio seu Eleuatio mea,
5 Gloria mea,
6 Petra fortitudinis meæ,
7 Spes mea,

Quæ, cum omnia ducta sint è certissimis promissionibus Dei, quemadmodum suprà exposuimus, sciamus ea esse apta & propria organa, quibus Spiritus sanctus fiduciam, & consolationem in afflicto & perturbato corde excitare & confirmare solet. Dices autem, licuit quidem Dauidi, cum Deo tam humaniter, tam suauiter colloqui, quòd Dauid fuerit vir secundum cor Dei electus, mihi autem, qui agnosco me peccatorem longè omnium miserrimũ, fortasis non licet, nec si fecero, & simili formula in precatione mea vsus fuero, Deus agnoscet? Ad hanc seu cogitationem seu tentationem, respondet versiculus, qui sequitur. 8. Spe-

8. *Sperate in eo, omni tempore, ô populi, effundite coram eo cor vestrum. Deus est spes nostra.*

Hîc iterum vide mihi seu oscitantiam seu insciatiam interpretis Græci, quem & Latina vulgata translatio sequitur. Pro eo enim, quod est apud Hebræos ע֫ד Eth, & significat, tempus, Græcus legit עֵדָה Eda, quod est συναγωγή, seu congregatio. Hoc igitur versiculo testatur Dauid, non se tantùm respici à DOMINO in aduersis, & exaudiri, verùmetiam hortatur omnes homines ad sperandum in DOMINVM, & ad inuocandum nomen eius, in omnibus afflictionibus, certò significans, cœlestem opem, tam alijs afflictis, & inuocantibus nomen DOMINI in veritate, patere, quàm sibi.

Sperate, inquiens, in Deum, omni tempore, ô populi, & effundite coram eo cor vestrum. Nullum repellit DOMINVS, sed omnes ad se vocat, omnibus se promptum exponit: Omnis, OMNIS, inquam, siue Hebræus, siue Græcus, siue Barbarus, omnis, siue vir, siue mulier, omnis, siue senex siue iuuenis, qui inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Nec vno tantũ tempore clementem et exorabilem se exhibet, sed OMNI tempore: nõ habet certa tempora, quibus aures eius afflictorũ precibus pateant, sed quocunq; tempore ad supplicandum accesseris, gratus & acceptus aduenies: nec illud quærit, vt onustus muneribus venias, quod in offerendis supplicationibus in hoc seculo fieri solet, sed tantùm vt speres: Sperate, inquit, in eum, & effundite coram eo cor vestrum. Exponite tantùm corã eo omne animi vestri desiderium, *Rom.10. Galat.3.*

rium, confidenter, ac nihil minus, quàm de clementia eius dubitetis, neq; enim habetis vllam vel dubitandi, vel desperandi causam. Alienus es à populo Dei, sed aperta est ianua, idq; patentissime, qua ad Ecclesiam populi Dei ingrediaris, & fias membrum eius. Peccator es, sed viuo ego, inquit DOMINVS, nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat: & Christus non venit ad vocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. Miser es, & afflictus,
Psalm.34. sed iuxtà est DOMINVS ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Breuiter, Quis intenta-
Rom.8. bit crimina, vt Paulus ait, aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat, quis ille, qui cõdemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus, qui etiam est ad dextrã Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? & quæ sequuntur, notus enim est locus Pauli. Quare gratia & clementia, qua Deus David complexus est, in tantum non deterreat nos ab inuocatione, vt exemplum eius potius nos tam inuitet, quàm confirmet & inflammet. Huc pertinet etiam illud Psalmi 34. Quæsiui DOMINVM, & exaudiuit me, & ex omnibus terroribus meis eripuit me. Ac mox: Iste afflictus clamauit, & DOMINVS exaudiuit, ac eripuit eum ex omnibus afflictionibus eius. Hactenus prior pars Psalmi, quæ est de fiducia in Deum. Sequitur nunc posterior, de fiducia in humana præsidia.

9. *Certè vanitas sunt filij Adam, mendacium sunt filij Heroum. In stateras, si ascenderint, sunt simul vanitati (leuiores.)*

10 Nolo-

10. *Nolite fiduciam collocare in opibus calumnia partis, & ne fiatis in rapina euanidi: diuitiæ si excreuerint, nolite cor apponere.*

Quantum anteâ cohortatus est Dauid ad collocandam fiduciã in solo DOMINO, tantum nunc dehortatur à fiducia in humana præsidia. Solet enim hac in re dupliciter peccari. Alij collocant fiduciam suam in multitudine & potentia amicorũ suorum, alij in magnitudine diuitiarũ suarum. Vtrobiq; autẽ grauiter peccatur. Primùm, quod ad fiduciã, quæ in hominibus collocatur, attinet, idolomania est, nõ solùm, si procubueris ante ligneã aut lapideam statuam Iouis, & adores eam pro Deo tuo, sed etiam, ac multò magis, cum omnem spem salutis tuæ collocas in multitudine, & potentia amicorum tuorum. Idolomaniam enim designare propriè est, veram suam salutem non vni soli, & vero DOMINO Deo nostro per Iesum Christum, sed aut homini, aut alteri creaturæ, acceptã ferre: hoc autem nihil aliud est, quàm se certissimæ confusioni & internitioni exponere. Quæso enim te, quid homo, si naturam eius corruptam intuearis, aliud est, quàm miserrima & fragilissima creatura? Externæ literæ vocant hominem bullam & vmbram, imò quod vilius est, somnium vmbræ: nostræ, hoc est, sacræ Literæ vocant homi- *Iob. 25.*
nem carnem, putredinẽ & vermem, & hoc loco, vanitatem & mendacium, idq; intelligendum est, non tantum de vulgo hominum, quos vocant filios Adam, sed etiã de præstantissimis inter homines, quos vocant, Heroes. Ac vide, obsecro, quanta infamia

omnes in vniuersum homines notentur: Si, inquit, omnes homines simul in statera collocentur, ac ex vna quidem parte ponantur homines, in altera autem vanitas ipsa, certè vanitas vinceret pondere suo omnes homines: quid de hominum vilitate abiectius dici potest? Quare, non est mirum, quòd qui fiduciam suam collocat in hominibus, pudefiat, multò magis mirum esset, si constaret, & seruaretur. Inspiciamus saltem exemplum Dauidis. Hic fuit insignis heros, & cùm in monomachia sua Goliathem vicisset, factus est adeò gratiosus omnibus hominũ ordinibus, vt non solùm vulgares homines insinuarent se in amicitiam eius, verùmetiam anima Ionathæ filij Regis, conglutinaretur, (sicut Scriptura loquitur) animæ Dauidis, & diligeret eum quasi animam suam, vt nihil dicam de alijs principibus & heroibus in Israël. Sed postquàm incurrit in odium Regis Saulis, & ejicitur in exilium, vbi sunt amici, qui ipsum tuentur? Quòd si confisus esset multitudine & potentia amicorum, quàm insigniter fuisset pudefactus? Hortatur igitur nunc omnes homines, suo ipsius exemplo, vt nec collocent spem suam in hominibus amicis, nec fiducia amicorum aduersus Deum peccent, sed sperent tantùm & confidant in la clementia & bonitate DOMINI Dei nostri, per promissionem patefacta, vt si in vocatione eius ambulauerimus, habeamus præsentissimum tutorem, & conseruatorem, quem habuimus certum vocatorem & mandatorem. Deinde, sicut non est confidendum amicorum potentia, ita nec est confidendum opum ac diuitiarum multitudine: Nolite, inquit,

quit, fidere opibus, calumnia, impoſturis, aut rapina partis, ne, quemadmodum illę opes ſunt vanæ, ita & vos euaneſcatis, ac pereatis, opes enim iniquitate partæ ſunt maledictæ. Quæ autem poteſt eſſe benedictio in maledictione? aut quomodo tales opes poſſent confidentem ipſis ſeruare, quæ ne ſeipſas quidem conſeruare poſſunt? Et alioqui etiam opes, quamuis iuſtè partæ, malè audiunt in ſacra Scriptura, vocantur ſpinæ, vocantur Mammon iniquitatis, vocantur laqueus diaboli: Qui volunt diuites fieri (inquit Paulus) incidunt in tentationem, & in laqueum. Si tales ſunt opes iuſtè partæ, quales erunt partæ iniuſtè? Literæ huius ſeculi dicunt: Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. Quid ergo? Num diuitiæ illa ſunt conditione, vt nullus dives poſsit veram & æternam ſalutem conſequi, niſi diuitias abijciat? Hoc quidem docuerunt hypocritæ Monachi, nos autem ſciamus, diuitias per ſe non eſſe malas, ſed eſſe donum Dei, pernitioſum quidē poſſeſſori, ſi abutatur, & ipſis confidat, vtile autem, ſi pietatem colueris: Diuitiæ, inquit Pſalmus, ſi affluant, nolite cor apponere. Et Paulus: His, qui diuites ſunt, (inquit) in præſenti ſeculo, præcipe, ne elato ſint animo, neq; ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo viuente, &c. Hîc iterū reuocemus nobis ob oculos exemplum Dauidis. Cum enim adhuc eſſet in aula Regis Saulis, & fieret gener Regis, facilè intelligi poteſt, quòd tunc non quæſierit victum mendicitate, ſed fuerit opibus illuſtris. Quid autem hæ opes profuerunt ei, aduerſus inimicum ſuum Saulem? Si ijs conſilius eſſet, quàm egregiè ſibi fuiſſet impoſitum? Mo-

1. Timo. 6.

1. Timo. 6.

net igitur omnes, suo exemplo, vt si DOMINVS deficerit opes, vtamur quidem ijs sicut & amicorum opera, ad pietatem, ad gloriam Dei, & ad proximi vtilitatem, non autem ijs cor apponamus, seu confidamus, sed collocemus omnem nostram fiduciam, in DOMINO Deo nostro, qui solus est petra, (quemadmodum prior pars huius Psalmi exposuit,) salus, protectio, gloria, fortitudo, & spes nostra.

11. *Semel locutus est Deus. Iterum hoc audiui, quòd robur sit Dei.*

12. *Et tibi Domine, beneficentia, quoniam tu reddis vnicuique secundum opus suum.*

Concludit Psalmum insigni elogio, quo summa Dei maiestas, (hoc est) Omnipotentia & Beneficentia eius prædicatur. Et est sententia: Hactenus commendaui in hoc Psalmo fiduciam in solum Deum, & detestatus sum fiduciam in humana præsidia, sed quid multis opus? conferam hæc omnia in pauca. Deus semel quidem locutus est, ego autem iterum atque iterum hoc audiui, ac etiamnum reipsa expertus sum, quòd Dei sit robur & beneficentia, (hoc est) quòd Deus sit omnipotens & beneficus, ac reddat vnicuique secundum opus suum. Ac siquidem collocaueris fiduciam tuam in sola gratuita eius clementia, vt Deus est omnipotens, qui possit te seruare, ita etiam est beneficus, qui velit, & reddat tibi secundum fidem tuam, vt sit tibi petra, salus, protectio, & turris fortitudinis. Si autem collocaueris fiduciam tuam in potentia amicorum, & in multitudine diuitiarum, & harum rerum possessione, vel aduersus proximum insteris, vel aduersus Deum peccaueris:

reddetur

reddetur etiam tibi ſecundum opus tuum, vt cum res illæ ſint vaniſsimæ, euaneſcas etiam tu, & pudeſias. Quæramus ergo primùm, vbi Deus locutus ſit de ſua omnipotentia & beneficentia ſemel, (hoc eſt) certò, conſtanter, firmiter & irretractabiliter, non neceſſe enim habet Deus ad exponendam ſententiam animi ſui, multa verborum circuitione & repetitione, ſed quod ſemel dixerit, hoc ſtabile eſt, & firmum: DOMINVS exercituum, inquit Eſaias, decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam? Et in Pſalmo: Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Semel iuraui per ſanctitatem meam, ſi Dauid mentiar, &c. Vbi igitur de hac ſua maieſtate locutus eſt? Dixit quidem ad Abraamum: Ego Deus omnipotens. Et ad Moſen: Ego ſum DOMINVS Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Hæc eſt deſcriptio omnipotentiæ & beneficentiæ Dei. Arbitror autem Pſalmum præcipuè loqui, de illo colloquio, quod Deus cum Moſe habuit in monte Sinai, & poſtea in deſerto Cades, quo patefecit ei gloriam ſuam. Et extat deſcriptum in Exo. cap. 34. & in Numeris cap. 14. ac repetitur in Pſalm. 103. vbi gloria Dei, quæ conſtat robore, ſeu omnipotentia, & beneficentia eius, ſemel quidem recitatur, nunc in monte Sinai, nũc in deſerto Cades, ſed poſtea tam Propheticis concionibus, quàm admirãdis factis, in toto orbe illuſtrata eſt. Quod igitur Pſalmus dicit, Deum de maieſtate omnipotentiæ & beneficentiæ ſuæ locutum, nõ de Arithmetico numero collocutionis diuinæ, ſed de certitudine & firmitate veritatis eius intelligendum eſt. Ac profecto nihil nec maius

Eſa. 14.

Pſalm. 89.

Geneſ. 17.

Exod. 20

nec

nec excellentius de Deo prædicari potest, quàm quòd sit omnipotens & beneficus: quod enim promisit, omnipotentia facit, vt possit, beneficentia autem facit, vt velit præstare, nec vnquam retractare: Dona enim Dei, inquit Paulus, eiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere non possit. Deinde, est & illud
Rom. 2. dictũ, quod etiam aliàs in scriptura repetitur: Reddet vnicuique secundum opus suum, obseruabile, & rectè intelligendum. Nam si νομικῶς, seu legaliter intellexeris, quid quæso aliud nobis indicat, nisi iram Dei, & perpetuam nostri condemnationem? Nostra enim opera, non respondent perfectioni & integritati legis diuinæ, sed tam longè absunt ab ea, vt Propheta exclamet: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis
Gala. 2. viuens. Et Paulus: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Quare, si Deus iudicauerit nos secundum opera nostra, νομικῶς, intereundum est nobis perpetuò: sed si intellexerimus εὐαγγελικῶς, (hoc est) iuxta interpretationem Euangelij de Iesu Christo, non est alia sententia eius, nisi quæ est illius dicti Christi: Prædicate Euãgelion omni creaturæ: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, opera enim, secundum quæ iudicabit Deus iustus iudex, sunt fides & incredulitas. Ac siquidem inuenerit in homine fidem in Christum, sententia iudicij erit, iuxta illud
Ioan. 3. dictum Christi: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eũ, non pereat, sed habeat vitam æternam: si autem non inuenerit fidem in Christum, fiet, quod mox in eo-

dem

de loco sequitur: Qui non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei. Hæc non eò dicuntur, quòd liceat mala opera facere, de qua re in Epistola Pauli ad Romanos copiosè dicitur, sed vt sciamus, bona nostra opera, coram tribunali Dei, per se non posse constare, quippe quòd seueritatem iudicij diuini, propter imperfectionem suam, ferre non queant: ad salutem autem, necessariam esse fidem in Christum, quæ, si vera est, vt teneri non potest, quin bona opera profe-rat, ita facit Christum nobis proprium, cuius solius fiducia coram Iudicio Dei constamus.

Quare illud dictum: Reddis vnicuiq; iuxta opera sua, etsi iuxta sententiam legis, quæ operatur iram, & occidit, testificatur nos omnes reos esse æternæ maledictionis, tamen, iuxta sententiam Euangelij, quod fide nostra amplecti iubemur, pronunciat participes æternæ salutis, omnes illos, qui in Iesum Christum DOMINVM nostrum credunt, & in hac fide, ex hac vita excedunt.

VSVS HVIVS PSALMI.

Tam varij sunt rerum humanarum casus & discrimina, vt nunquam non sit nobis opus fide in Deum, spe inter aduersa, consolatione, patientia, & timore DOMINI. Hæ autem virtutes, non nascuntur in nostra carne, nec acquiruntur humana disciplina. Etsi enim Philosophi huius seculi multa erudita argumenta excogitant, quibus conantur efficere, vt in aduersis, non solùm simus bono, sed

etiam magno animo, tamen hæ Philosophicæ rationes, vt maximè sint speciosæ & iucundæ, in rerum tranquillitate, animum certè in præcipuis & summis tempestatibus sedare non possunt. Ad hos motus, fide, spe, patientia & reliquis virtutibus vel mitigandos, vel componendos, opus est Spiritu sancto. Inter organa autem, quibus Spiritus sanctus dona virtutum suarum in nos effundere solet, non
Ephes. 5. postremum locum obtinent Psalmi, & imprimis hic sexagesimus secundus Psalmus, in quo recitantur epitheta Dei longè omnium suauissima, & consolatione plena. Quare, si nobis inimici minantur exitium, si extrudimur in exilium, si diripiuntur facultates nostræ, si molestus est nobis morbus corporis, si concutimur terrore mortis, si denique in aduersis sollicitamur ad impatientiam, vel in prosperis ad carnalem confidentiam, properemus ad hunc Psalmum, & versemus eum diligenti & pia meditatione, vt ex eo remedia vtriusq; fortunæ, per Spiritum sanctum hauriamus.

Psalm

Psalmus 63.

Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, &c.

NOn solùm inscriptio, verùmetiam versiculi huius Psalmi testantur, Dauidem, occasionem eius componendi, ex illa commoratione ipsius in deserto Iudęę, quæ in priori libro Samuelis, cap. 22. & aliquot sequentibus capitibus, descripta est, sumpsisse. Inscriptio sic habet: Psalmus Dauidis, cum esset in deserto, (non Idumææ, vt aliquot Latina exemplaria habent) sed Iudææ. Versiculus autem sic habet: Caro mea desiderat te in terra deserta & arida, vbi non est aqua: in hoc enim secessu, in quem Dauid se, post fugam à Saule, receperat, altera calamitas alteram excipit. Primùm, venerunt ad Dauidem in desertum parentes & fratres eius, quòd nec ipsi tuti essent à crudelitate Saulis. Quantum, putas, animi mœrorem Dauidi attulit, quòd & charissimi parentes, & vniuersa ferè cognatio eius, periclitati fuerint, propter ipsum, de sua vita? Deinde conferunt se ad Dauidem in desertum multi inopes, qui erant constituti in angustia, & amaro animo, ac oppressi ære alieno, hi tantum abest, vt aliquod solatium Dauidi attulerint, vt potius fuerint ei tam oneri, quàm periculo:

metuendum enim erat, ne inter ipsos essent aliquot insidiatores, aut proditores, qui in hoc subornati essent à Saule, vt Dauidem vel clam interficerent, vel eum lanienæ traderent. Postremò necesse habuit ita exulare, vt propter persecutionem Saulis, non licuerit, in tabernaculo Dei, dies festos celebrare, concionnes verbi Dei audire, Deum vnà cum Ecclesia laudare, & nomen DOMINI Psalmis in publico cœtu commendare. Hoc visum est Dauidi, qui in hoc studium totus incumbebat, vt gloria nominis Dei illustraretur, longè omnium grauissimum. Suscipit igitur hunc Psalmum decantandum, vt mœrorem animi sui Deo exponat, & ab eo opem expectet.

Constat autem duabus partibus. In priori commemorat, quòd tametsi iucundissimum sibi esset, nomen Dei coràm in tabernaculo, vnà cum Ecclesia celebrare, tamen, cum sibi in præsentia, propter persecutionem Saulis non liceat publica sacra in tabernaculo Dei facere, non obliuiscatur inuocationis Dei & laudis nominis eius in deserto, sed celebret Deum mane & vesperi, noctes atq; dies, à quo solo etiam opem & liberationem expectet. In posteriori parte grauiter inuehitur in persecutores suos, qui sunt autores, vt non liceat ei publicè vnà cum Ecclesia conuenire, & sacra diuinitus instituta, ad propagationem gloriæ nominis Dei peragere.

1. *Deus, Deus meus es TV. Manè quæro te, Sitit ad te anima mea, concupiscit ad te caro mea, in terra deserta & arida, vbi non est aqua.*

Me

Me miserum, quòd necesse habeam, non tantùm in exilio & in deserto versari, verùmetiam omni ibi ærumnarum genere affligi, sed quid vociferor? Me potius felicem, quòd tu Domine, sis Deus meus, si enim tu pro me, quis contra me? Quare, quo maiores sunt miseriæ meæ, eo maiori studio te quæro, & eo citius ac vehementius opem tuam imploro. Nam quemadmodũ terra, in qua nunc exulo, deserta est, et arida, ac præ aquę penuria fathiscit, vt quodãmodo aquam sitire videatur, ita & anima mea ad te DOMINE Deus meus sitit, & caro mea ad te concupiscit, hoc est, ego totus, tam animo quàm corpore à te, DOMINE, pendeo, & cœleste tuum auxilium expecto. Sciamus igitur, quòd in ærumnis & afflictionibus summum & optimum artificium sit, ad Deum sitire, & toto mentis ac corporis affectu ad Deum cõiugere. Deus enim ipse, non solùm vocat nos in aduersis, ad inuocationem nominis sui, verùmetiam iubet nos, se inuocare, vt sciamus nos non posse ei hoc cultu gratius officium præstare. Et ne quid animo eius dubitemus, addit etiam certissimas exauditionis suæ promissiones. Ac multi quidem videntur Deum inuocare, non autem inuocant eum ex vera fide, multi item, qui inuocant eum ex vera fide, videntur non exaudiri, sed illorum inuocatio, non est inuocatio, quia non est ex fide: horum autem inuocatio, non potest esse vana, quòd etsi non exaudiuntur iuxta ipsorum voluntatem, tamen exaudiuntur iuxta ipsorum vtilitatem, spiritus enim intercedit, vt Paulus ait, pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.8.* At ille, qui scrutatur corda, nouit, quis sit sen-

ſus ſpiritus, quoniam ſecundum Deum intercedit pro nobis. Quare properandum eſt in quibuſuis aduerſis ad inuocationem nominis Dei, certiſsima fiducia concepta, quòd qui iuſsit nomen ſuum inuocare, idem etiam eo ipſo receperit, ſe nos ad noſtram ſalutem exauditurum, & ſeruaturum.

2. *Sicut in ſanctuario contemplatus ſum, vt cum voluptate viderem tuam fortitudinem & tuam gloriam.*
3. *(Melior enim eſt beneficentia tua, quàm vita, idcirco labia mea laudant te.)*
4. *Sic benedico tibi in vita mea, in nomine tuo leuo manus meas.*

Dicet quiſpiam, Deus inſtituit tabernaculum, & *Exod. 25.* iuſsit in eo collocari arcam teſtamenti, cum propitiatorio, vt ibi nomen eius inuocaretur, & ipſe re- *3. Reg. 8.* ſponſa daret, quod & Salomon, poſtquam templum Hieroſolymis excitaſſet, precibus ſuis confirmat: Oculi tui (inquit) DOMINE, ſint aperti ſuper domum hanc nocte ac die, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, vt exaudias deprecationem ſerui tui & populi tui Iſraël. Quodcunq; orauerit in loco iſto, exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cum exaudieris, propitius eris. Tu autem Dauid in præſentia longe abes à tabernaculo Dei, & ab arca eius, & vagaris incertis ſedibus in deſerto, & in vaſta ſolitudine, vbi locus ipſe teſtatur, nullam ibi eſſe benedictionẽ Dei, quomodo igitur ſperare poſſes, quòd Deus exaudiret ibi preces tuas, & eſſet tibi propitius? quomodo inuenies Deum, in eremo tam horrida, etiamſi ſummo

mo mane eum quæsieris? quomodo extingues ibi sitim tuam spiritualem, cum propter aquæ penuriam, ne quidem corporalem sitim extinguere queas? Ad hoc respondet Dauid his tribus versiculis, quos iam recitauimus. Verum quidem est, & certum, quòd diuinitus sit ordinatum, vt Deus ad arcam testamẽti, & propitiatoriũ inuocetur, & sacrificia illic peragantur: non est etiam dubium, quin Dauid maximo animi dolore à tabernaculo & propitiatorio, in deserto, longè abfuerit, & illud imprimis queratur, quòd necesse habeat exulare, nec liceat ipsi in legitimo suo loco, & in Ecclesia DOMINI, sacra facere: sed non idcirco cessat ab inuocatione, nec despondet animum. Nam quemadmodum (inquit) in sanctuario contemplatus sum, vt cum voluptate viderem fortitudinem tuam, & gloriã tuam, ita benedicto tibi in omni vita mea, & leuo vbicunq; terrarum fuerim, ad te manus meas. Illud vult dicere: Doleo ipse, vt qui maximè, quòd præ persecutoribus meis, non sit mihi integrum, legitimum Dei cultũ in sanctuario eius peragere: sed non ideo absum à Deo, quia absum ab externo illo tabernaculo, nec ideo minus spero me in inuocatione mea exaudiri, quia non inuoco Deum, in Mosaico illo sanctuario, sed quod in sanctuario illo per verbum Dei, & sacrificia, ac reliquos ritus cognoui & didici, hoc nunc spiritu exerceo. Quemadmodũ. n. contemplatus sum in sanctuario varios ritus Ecclesiasticos & multa genera sacrificiorum, quæ veritatẽ ex diuina iustitutione adumbrant, & audiui in eo insignes conciones verbi Dei, de rebus diuinitus in populo Israël, imò in vniuerso

orb-

orbe terrarum gestis, & de promissionibus Dei, vt ex ijs summa animi voluptate cognoscerem fortitudinem & gloriam Dei, ac omnipotentiam, beneficentiam, & maiestatem eius: beneficentia enim Dei melior est quàm vita, (hoc est) nihil est in omni vita nostra iucundius, melius, vtilius, & magis salutare, quàm audire & cognoscere explicationem & illustrationem beneficētię Dei, ex qua homines ad verā laudē nominis Dei excitant. Quemadmodū (inquā) hęc contēplatus sum typis & vmbris, et didici ex cōcionibus verbi Dei in sanctuario, ita nunc reipsa exerceo. Non edoctus sum ea, vt tantùm in sanctuario, coram arca propitiatorij confidam in DOMINVM, inuocem nomen Domini, implorem opem eius in aduersis, & sperem salutem & liberationem ab omnibus malis, quod Leuitica sacra adumbrant, sed vt hos cultus Dei reipsa exerceam, & benedicam tibi DOMINO, attollamq; manus meas ad te DOMINVM in omni, in OMNI, inquā, vita mea, siue commorer in agro, siue in eremo, siue sim domi, siue peregrè, siue viuam, siue moriar. Quare etsi ingenti desiderio teneor inuocandi DOMINI in tabernaculo eius, & coram arca propitiatorij, tamen cùm hoc non datur, tanto maiori vehementia precibus meis ad DOMINVM propero, quanto pluribus & grauioribus aduersis concutior. Discamus autem ex his versiculis, quòd sacra Leuitica, quæ facta sunt in tabernaculo seu habitaculo Dei, non fuerint per se cultus Dei, sed dilinearūt tātùm, & admonuerūt de vero cultu Dei: Contemplatus sum (inquit) in tabernaculo, sacra videlicet Leuitica, vt delectarer tua fortitu-

fortitudine & gloria. Non contemplatus sum ea sacra, vt arbitrarer me verum cultum Dei his operibus absoluisse, sed vt admonerer de tua fortitudine & gloria, de tua omnipotentia, & maiestate, de tua clementia & beneficentia: idq; non vt hîc gradum sisterem, sed vt concipierem fidem, & spem, ac excitarer ad inuocationem nominis tui, in omnibus aduersis, & ambularem in vocatione tua, hi enim sunt veri cultus, quibus Deus delectatur, & qui semper & vbiq; præstandi sunt Deo. Cum igitur aut festum diem egeris, aut agnum obtuleris in sanctuario, aut aliud genus Leuiticorum sacrorũ absolueris, nõ existimes te hoc opere defunctum esse tuo munere, sed admonearis ex ijs, vt Deum fide, spe, & inuocatione nominis sui omni tempore & loco, vbicunq; terrarũ fueris, colas. Hoc ipsum vult Salomon, cum, ędificato templo, dicit: Ergo ne putandũ, quòd verè Deus habitet super terrã? Si enim cœlum, & cœli cœlorũ te capere nõ possunt, quanto minus domus hęc, quã ædificaui? Et Esaias: Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorũ. Quæ est ergo ista domus, quam ædificabitis mihi? Et Christus ipse: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Deinde, quod dicit: Melior est beneficentia tua, quàm vita, memorabilis est κατ' ἐξοχήν, quam vt rectè intelligamus, cõsiderandũ est, quòd in hoc loco cõferantur inter se sacra Leuitica, & prædicatio omnipotentiæ, maiestatis, & beneficentiæ Dei, & hæc prędicatio præferatur omnibus Leuiticis sacris, quę in tabernaculo Dei perage bantur. Quare, cum dicitur: Melior est beneficentia

3. Reg. 8.

Esa. 66.
Actor. 7.
Ioan. 4.

Dei, quàm vita, nomine beneficentiæ intelligenda est prædicatio, expositio, decantatio, & illustratio beneficentiæ Dei, quam beneficentiam Deus exhibet humano generi, & imprimis credentibus & invocantibus nomen eius. Est & illud cõsiderandum, quòd nomine vitæ intelligendũ sit omne genus studiorum, actionũ, sacrorũ & exercitiorum, quibus in hac vita, & in hoc seculo, ad colendum Deum, occupamur, vt cum dicitur: Melior est beneficentia tua, quàm vita, sententia sit, inter omnia sacra, studia, & exercitia, quibus suscipis Deum colendum, & honorandum, non potes Deo gratiorem cultum, & Ecclesiæ Dei vtilius officium in omni vita tua præstare, quàm si beneficentiã Dei prædicatione, aut Psalmis seu canticis celebres, commendes, & illustres, iuxta illud Psal. 69. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eũ laude. Et magis placebit Deo quàm oblatus vitulus cornua producens & vngulas. Hic autem cultus tantopere placet Deo, non quòd prædicatio maiestatis Dei, siue verbis siue Psalmis aut canticis fiat, per se placeat Deo, quemadmodũ paulò antè indicauimus, & aliâs copiosè explicuimus, sed quia est ordinarium & legitimum organon, quo Spiritus sanctus vtitur, ad excitandã in nobis fidem, spem, inuocationem nominis Dei, patientiã, charitatem, iustitiã, conscientiæ tranquillitatem, & omne genus cœlestium virtutũ, quæ sunt præcipua & summa sacra, quibus Deus delectatur & colitur: Regnum Dei, inquit Paulus, non est cibus ac potus, sed iustitia, & pax, & gaudiũ in spiritu sancto. Qui per hæc seruit Christo, acceptus est Deo, & probatus hominibus.

Rom. 14.

minibus. Illud igitur vnum, maximè omnium, in hac vita agamus, vt celebratione maiestatis ac beneficē-tiæ Dei, Spiritui sancto suum organon exhibeamus, quo tam in nobis ipsis quàm in alijs creet, conseruet, & perficiat illa sacra, quibus Deo accepti sumus, & ad veram ac æternam vitam perducimur.

5. *Sicut adipe & pinguedine, saturatur anima mea, cum os meum laudat te labijs exultantibus.*

6. *Cum meminero tui, in cubili meo, & in vigilijs meis meditatus fuero de te.*

Pergit in cōmendanda prædicatione beneficen-tiæ Dei, & probat suo ipsius exemplo, nihil esse iu-cundius & magis salutare, quàm celebrare beneficē-tiam Dei, vel prædicatione, vel carmine, vel cogita-tione, idq; seu noctu seu interdiu, vt, etsi molestum est, non adesse sanctuario DOMINI, externa habita-tione, tamen ad laudandum nomen DOMINI, & ad consequendā cœlestem animi lætitiam nō sit neces-sariū: Cum ore meo, inquit, decantauero Psalmum, aut labijs exultantibus, (hoc est) iucunda melodia recitauero canticum, siue id fiat, cum iuero cubitū, siue cum euigilauero, siue interdiu, siue noctu, tunc anima mea exhilaratur, perinde ac si adipe & pin-guedine saginarer. Psalmi enim & hymni, seu can-tiones spirituales, constant ferè laudatione nomi-nis Dei, & explicatione beneficentiæ eius. Vbi au-tem nomen DOMINI laudatur, & beneficentia tius illustratur, ibi Spiritus sanctus implet corda auditorum, vt concipiant fidem & spem, & exhi-larentur cœlesti consolatione. Quemadmodum *Ephes. 5.*

enim corpus hominis ſaginatur ſuaui cibo, vt reddatur vegetum, & alacre, ita anima paſcitur Pſalmis & cantionibus ſpiritualibus, vt exhilaretur, & fiducia in omnibus aduerſis confirmetur. Quare, quod Paulus ad Epheſios ſcribens: Ne inebriemini (inquit) vino, in quo eſt luxus, ſed impleamini Spiritu, loquentes vobiſmetipſis per Pſalmos, & hymnos, & cantiones ſpirituales, canentes & pſallentes in corde veſtro DOMINO, gratias agentes ſemper de omnibus, in nomine DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri, hoc Dauid affirmat in ſe, reipſa factum eſſe, quòd recitatione Pſalmorum impletus ſit ſpiritu, & conceperit, quàmuis in exilio afflictiſsimus, cœleſte gaudium, & diuinam conſolationem. Quo exemplo hortatur nos, vt in omnibus noſtris afflictionibus properemus ad Pſalmos & cantiones ſpirituales, tanquàm ad organon diuinitus ordinatum (quemadmodum paulò antè dicebamus) quo donis Spiritus ſancti, (hoc eſt) fiducia, ſpe, conſolatione, & gaudio perfundamur.

7. *Quia tu es adiutor meus, & in vmbra alarum tuarum exulto.*
8. *Adhæret tibi anima mea, me ſuſtentat dextera tua.*

Benedicam (inquit) te in omni vita mea. Leuo in nomine tuo manus meas, & laudat te os meum. Quam ob cauſam? quia TV es adiutor meus, te ſolum agnoſco ſeruatorem in omnibus meis aduerſis, in ſola alarum tuarum vmbra & protectione exulto, & glorior, anima mea in te ſolo acquieſcit, tibi ſoli

soli affixa est, neque enim est alius quispiam, qui me hactenus seruauit, & defendit, & adhuc seruabit ac defendet, sed tua solius dextera, & potentia me sustentat. Habes præcipuam & maximam omnium causam, cur DOMINVM Deum nostrum laudibus celebrare debeamus: Quia TV (inquit) es Adiutor meus, TVA dextera me sustentat. Quæso autem te, vnde cognoscis, quòd solus Deus sit adiutor tuus, & quòd sola ipsius dextera te sustentet? Quid, si casu quodam humano potius adiutus esses, quàm consilio & auxilio diuino, sunt enim, qui dicũt apud Hieremiam: Ex ore altissimi non egrediuntur nec mala nec bona. Sed absit à pijs mentibus tanta impietas. Primùm enim, cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedum eius, & qui implet cœlum & terram, arbitraris ne quicquam absque ipsius & potestate & voluntate fieri posse? Nonne duo passerculi minuto asse veneunt? & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro: vestri verò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Deinde promissiones, quibus Deus recepit se afflictos respicere, & inuocantes nomen ipsius exaudire, testificantur, liberationes è periculis & aduersis non contingere nobis fortuito casu, sed gratuita beneficentia Dei. Quare, sicut liberationes nostras ex aduersis debemus soli DOMINO Deo nostro, & tam dexteræ quàm clementiæ eius acceptas ferre, ita solus Deus, vt verus adiutor, laudibus celebrandus est, vt & soli ipsi fide adhæremus, & à solo ipso veram salutem expectemus. Solet quidem aliquoties fieri, vt contingat afflictis liberatio per hominem, aut per aliam creaturam, De-

Hier. in Threnis cap. 3.

us autem ipse semper liberationis & salutis autor est, qui pro bona sua voluntate, nunc hoc nunc illo instrumento vtitur, sed ad quod non sit necessario alligatus. Quare, qualicunque instrumento vtatur, certè liberatio ipsa seu salus, soli DOMINO Deo nostro, & dexteræ eius, accepta ferenda est. Habes priorem huius Psalmi partem.

9. *Ipsi autem quærunt animam meam, vt perdant eam. Descendent in inferiora terræ.*
10. *Ruent in gladium, præda vulpibus erunt.*
11. *Rex verò lætabitur in Deo, laudabitur omnis qui iurat per eum, & obstruetur os loquentium mendacium.*

Posterior pars Psalmi, in qua inuehitur grauiter in persecutores suos, & opponit calamitates & ærumnas ipsorum, felicitati Regis, ac omnium eorũ, qui regem agnoscunt. Tu (inquit) DOMINE Deus, adiutor meus es, tua dextera sustentat me: aduersarij autem & persecutores mei, qui autores sunt mei exilij, nõ cessant insidiari animæ seu vitæ meæ, vt eam è medio tollant, sed cadent ipsi in foueam, quam alteri effodiunt: cupiunt me deijcere in extremas ærumnas, & opprimere perpetua internitione, sed descendent ipsi in inferiora terræ, (hoc est) in sempiternum exitium: grassantur in me gladio suo, sed suo ipsi gladio peribunt: conantur me capitalibus meis hostibus dilaniandum obijcere, sed ipsi præda vulpibus erunt, hoc est, obijcientur rapacibus & voracibus feris (quæ sunt vel Philistini, vel alij hostes,) deuorandi. Breuiter, aduersarij & persecutores mei

mei peribunt extremo interitu, Rex verò lætabitur cœlesti gaudio in Deo: nec ipse tantùm, verùmetiam omnes, qui per eum iurant, (hoc est) agnoscunt eum, Regem & Dominum suum (homines enim iurant, inquit Epistola ad Hebræos, per eum, qui sit maior) ornabuntur summa laude, cum interim ora omnium eorum, qui eum reijciunt & condemnant, ac sequuntur vanitatem & somnia cordium suorum, obstruentur, vt obmutescant, desperent, & pudefiant. Porro, in hoc vltimo versiculo, Interpretes solent ferè nomine Regis, Dauidem intelligere, vsitatum enim est, de se ipso aliquoties in tertia persona loqui. Et quanquam Dauid nondum vnctus erat publicè in Regem, erat tamen diuino mandato, & Samuelis Prophetæ vnctione Rex designatus. Sed & Saul ipse agnoscit eum Regem, in priori libro Samuelis, cap. 24. Et Abigail vxor Nabalis, Dauidem, vt Regem, alloquitur: Ne ponat, inquiens, Dominus meus Rex, cor suum, super virum istum impium Nabal, cum tamen Dauid adhuc vagaretur in deserto exul. Sed quia in hoc versiculo dicitur: Laudabitur omnis, qui iurat per eum, videlicet Regem. Et Esaias cap. 45. loquitur ex hoc, vt videtur, versiculo, de Christo, (interprete Paulo Rom. 14.) & dicit: Mihi (Christo) curuabitur omne genu, & iurabit (per nomen meum) omnis lingua, idcirco rectè icntes si nomine Regis, in hoc versiculo (sicut & in Psalmo 60. versiculo 6. & 7 nō Dauidem filium Isai, sed Christum Dauidi promissum, intellexeris, vt sit sentētia. Aduersarij mei illud vnum cogitant, & nocte diuq; meditātur, vt me e terra viuentiū eradicēt & deleāt,

Hebræ. 6.

1. Samu. cap. 25.

satan

ſatan autem non præcipuè me ipſum petit, & in me
am perſonam tam immaniter graſſatur, ſed in Re
gem Meſsiam ſeu Chriſtum, è mea familia venturũ,
quem, quia ab initio mundi audíjt caput ſuum con
triturum, non poteſt non extrema rabie odiſſe &
perſequi, adeo, vt etiam in omnes illos ſæuiat, è quo
rum genere carnem ſuam accepturus ſit, & qui in
illo ſolo fiduciam ſalutis ſuæ collocent. Vtcunque
autem in me, per aduerſarios meos, graſſetur, & cu
piat in me, Meſsiam, ſeu Chriſtum ipſum extingue
re, certè aduerſarij deſcendent in inferiora terræ, &
peribunt inæternum, Rex autem Meſsias aſcende
ſuper omnes cœlos, & exaltabitur ſupra omnem
principatum, & conſequetur nomen ſuper omne no
men, vt in nomine eius omne genu ſe flectat, cœle
ſtium, terreſtrium et infernorum: Rex (inquit (Me
ſsias Dominus noſter, lætabitur, perfundetur cœleſti
& æterno gaudio: non ſolùm autem ipſe, ſed etia
omnes, qui iurant per ipſum, (hoc eſt) qui agnoſcun
ipſum DOMINVM & ſeruatorẽ: qui verò loquun
tur mendacium, qui odio quídem habent veritatem
euangelij Chriſti, ſectantur autem mendacium, va
nitatem, & impietatem, horum ora in Iudicio Dei
obſtruentur, vt animum ſuum deſpondeant, & in
extremas tenebras abíjcientur. Quod enim Pſal
mus hîc dicit: Obſtruetur os loquentium mendaci
um, hoc illud ipſum eſt, quod poſtea Chriſtus ſuis
verbis dixit: Qui non crediderit, condemnabitur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Sitit

Sitit in te (inquit Psalmus) anima mea, in terra deserta, & arida, vbi non est aqua, significans, se in vasta solitudine exulare, & necesse habere longè abesse à sanctuario Dei, vt non liceat ipsi vnà cum cœtu Ecclesiæ legitima sacra facere, & nomen Dei publicè in Ecclesia celebrare. Non solùm autem exules, verùmetiam ægroti, captiui, & multi alij, alijs casibus, necesse habent aliquoties longè à Leuitico Dei tabernaculo abesse. Numquid igitur longè etiã à Deo ipso abesse censendi sunt, & nõ licet ipsis vera sacra facere, ac Deum, quamuis in deserto commorantes, & aut morbo, aut carcere detenti, colere? Absit. Non licet quidem ipsis sacra Leuitica facere, quippe quorum actio ad externum tabernaculum Dei alligata erat, sed non solùm licet, verumetiam officium veræ pietatis exigit, vt semper & vbique illa faciamus sacra, quæ per Leuiticum cultum adumbrata sunt. Docet igitur hic Psalmus, quæ sint vera illa sacra, quæ tam in exilio, quàm in morbis, in carceribus, & in alijs, siue prosperis siue aduersis rebus Deo præstanda sunt. Primùm, agnoscendus est Deus, quòd sit Deus NOSTER: Deus, (inquit) Deus meus es TV. Hic cultus animi, Deo longè omnium gratissimus est, & nobis quoq; maximè salutaris, si enim Deus, est Deus noster, & stat à parte nostra, quis contra nos? Deinde credendum est, Deum esse veracem in omnibus suis promissionibus, & spectandum in omnibus aduersis, ac expectandum auxilium Dei obedienter, etiamsi in longum differri videatur: Tu es, inquit, adiutor meus, & in vmbra

alarum tuarum exulto, adhæret tibi anima mea, me ſuſtentat dextera tua. Etſi enim nihil minus mihi in præſentia apparet, quàm cœleſte auxilium, tamen quia tu Deus promiſiſti mihi opem tuam, & liberationem, ac non dubito, quin ſis in promiſſis tuis veraciſsimus & conſtantiſsimus, non dubito etiam, quin ſis adiutor meus, & tuearis me vmbra alarum tuarum, ac dextera tua me ſuſtentes, vt cunq; nunc tempeſtates afflictionum in me ſæuiãt. Non potes autem Deo cultum vel gratiorem vel præſtantiorem præſtare, quàm ſic credere, ſperare, & expectare. Ad hæc, inuocandum eſt nomen DOMINI, ex hac fide, ſpe, & expectatione, vt teſtifeceris inuocatione tua, te non alium agnoſcere ſeruatorem, nec ab alio expectare ſalutem, quàm ab eo, quem inuocas, uero DOMINO Deo tuo. Præterea, celebrandum eſt nomen DOMINI, vel meditatione, vel recitatione, vel prædicatione tua, vt & fidem ac ſpem tuam confirmes, & alios ad fidem & inuocationem nominis Dei excites: Benedicam tibi, inquit, in vita mea. Et: Labia mea laudant te, videlicet, vt ex laudibus nominis tui, & ego confirmer in fide, & alij laude nominis Dei excitati, credant etiam ipſi Deo, & inuocent nomen eius. Hi ſunt veri cultus Dei, hæc ſunt vera ſacra eius, quæ per Leuitica ſacra adumbrata ſunt. Et hæc quiuis præſtare, & poteſt, & debet, quamuis longiſsimè ab externo Dei tabernaculo abfuerit. Si exulas in vaſta eremo, & non licet tibi ad tabernaculum adducere bouem in holocauſtum,

licebit

licebit per Christum offerre hostiam laudis semper Deo, (hoc est) fructum labiorum confitentium nomini eius. Si morbo detineris in lecto, & non potes pedibus proficisci ad externum Dei tabernaculum, certè potes corde tuo per fidem & inuocationem suscipere profectionem ad cœlum, & consistere ad thronum gratiæ Dei. Quare nullus locus, nullum tempus potest pijs impedimento esse, quo minus semper & vbiq; Deum veris sacris colere queant. Postremò, hic Psalmus concionatur in fine de Rege Messia seu Christo, & ponit antithesin piorum, & impiorum, vt admoneamur, cùm de multis sacræ scripturæ dictis, quibus recitatur discrimen inter pios & impios, tum imprimis de illo Ioannis dicto: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum: Qui credit filio, habet vitam æternam, qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Heb.13.
Osea.14.
Ioan.3.

Psalmus 64.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, &c.

IN priori libro Samuelis cap. 26. Dauid expostulat cũ Saule persecutore suo: Si DOMINVS, inquiens, incitat te aduersum me, olfaciat sacrificium, si autẽ filij hominum, maledicti sint in conspectu DOMINI, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate DOMINI. Qua expostulatione, Dauid exul haud obscurè significat, multos esse in aula Regis Saulis Sycophantas, calumniatores, adulatores & insidiatores, qui calumnijs, & mendacijs suis excitent & inflamment animum Saulis aduersus Dauidem innocentem, ac efficiant, vt Dauid necesse habeat exoris esse, & aut in desertis, aut inter extraneos, summo vitæ & salutis suæ periculo commorari. Cum igitur Dauid hæc cum animo suo consideraret, procumbit in genua sua ante DOMINVM, & petiti tanto rerum suarum discrimine cœleste auxilium, hoc 64. Psalmo. Ac post propositionem precationis suæ, narrat primùm cruenta consilia, & fraudulentas insidias, quas struunt aduersus ipsum Sycophantæ, & hostes eius, vt expositа magnitudine periculorum suorum expergefaciat & confirmet fidem suam, de præsentia & certitudine cœlestis auxilij: quo enim

nim maiora sunt pericula, eo præsentius solet esse auxilium Dei. Deinde vaticinatur de stupendo adversariorum suorum interitu, vt etiam hac in parte consoletur afflictum suum animum, quòd impij persecutores necesse habeant, vel tandem horribiliter perire, vt non solùm ipse, verùmetiam omnes alij pij liberentur & seruentur.

1. *Audi, Deus, vocem meam, in precatione mea, à terrore inimici serua vitam meam.*
2. *Absconde me à cœtu prauorum, à tumultu operantium iniquitatem.*

Hi duo versiculi sunt propositio Psalmi, in qua Dauid petit, vt Deus vocem precationis suæ audiat. Quid ergo precatur? Serua (inquit) vitam meam à terrore inimici. Vnum quidem præcipuum habeo inimicum Regem Saulem, sed is vnus est instar decem millium. Ab hoc enim pendent reliqui penè omnes tam principes, quàm subditi, iuxta vulgatum illum versiculum: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Serua igitur me, quæso, ab inimico illo tam formidato, & tam crudeli: absconde seu protege me, à clandestinis & insidiosis prauorum hominum consilijs, & vt vocant, practicis: defende me à fremitu, & tumultu operantium iniquitatem, qui illud vnum agunt, vt vel ad captandam sui regis benevolentiam, vel ad obsequendum suis affectibus, ne collatis viribus opprimant.

3. *Qui acuunt sicut gladium, linguam suam, dirigunt virulenta sua verba, sicut sagittas.*

4. *Vt sagittent occultè (hominem integrum seu innocentẽ) Ex improuiso sagittis iaculantur eum, nec metuunt.*
5. *Conferunt vires suas (ad designandam) rem execrabilem, deliberant, vt abscondant laqueos, dicunt, quis videat ipsos?*
6. *Scrutantur iniquitates, deficiunt quisque scrutando scrutationẽ, in latebris animi, & in recessibus cordis.*

Propositionem sequitur descriptio virulentorum consiliorum, quæ inimici aduersus ipsum excogitant. Sed priusquam in nostro instituto pergamus, visum est Grammaticam obseruationem adnotare. Vbi nos transtulimus: In latebris animi, & in recessibus cordis, ibi Græca & Latina tralatio habent: Προσελεύσεται ἄνθρωπος, καὶ καρδία βαθεῖα: Accedet homo, & cor altum. Quod respondet quidem aliquo modo literæ Hebræi textus, קרב Kereb enim significat approximquare seu accedere, hoc autem loco transferendũ erat, intimum, seu penetrale, aut latebras cordis, quia, quod sequitur: Cor profundum, est interpretatio illius, quod præcedit: Intimum, vt sit sententia: Inimici & hostes mei, tam sollicitè inuestigant prauua aduersus me consilia, vt in perscrutatione eorum propemodum deficiant, & absumant excogitandis contra me consilijs, omnes vires ingenij sui, & omnem reconditam animi & cordis ipsorum prudentiam. Describit enim, quemadmodum paulò antè diximus, his versiculis, quanta cura, quanto studio inimici eius, Sycophantæ & calumniatores, instituerint excogitare rationes nocendi, & artes opprimẽdi ipsum: Acuunt, inquit, linguam suam, perinde ac si quis

Scriba quispiam Latinus corrupit textũ, ac pro (Et cor altum) posuit (Ad cor altum.)

si quis gladium exacueret, dirigunt sermonem suum in meam pernitiem, non aliter, quàm si quis sagittas in scopum tendat, vt occultis iaculis suis hominem innocentem petant, idq; ex improuiso, & nullo Dei metu, imò tam securi sunt, vt arbitrentur se in me persequendo & interficiendo, cultum Deo præstare. Ad hæc, insidiantur vitæ meæ tam pertinaciter, & tam obfirmato animo, vt ad designandum in me crudelissimum homicidium, omnes vires suas, & vt ipsi loquuntur, omnes facultates & sanguinem suum, conferant, adeóque illud vnum agant, vt clam & ex insidijs capiant me laqueis suis, quos tanta arte mihi nectunt & abscondunt, vt existiment, neminem esse tam circumspectum, qui deprehendere queat. Quid plura? Tanto studio perscrutantur & inuestigant iniquitates, seu iniquissimas nocendi mihi rationes, vt in excogitandis illis consilijs, seu practicis, deficiant intimo animo & corde suo, ac absumãt omnes ingenij sui vires. Hîc mihi iterum obserua, quæ sit vera sententia Legis illius: Non occidas, quemadmodum suprà, Psalmo. 57. indicauimus. Homicidium enim designatur, non tantùm gladio, verumetiam lingua & sermone, calumnijs, videlicet, & mendacijs, atque conuitijs: Acuunt, inquit, linguam suam, sicut gladius acuitur, & dirigunt verba sua, sicut sagittæ in scopum diriguntur. Nihil igitur coram tribunali Dei refert, siue hominem gladio aut sagitta, siue lingua, aut sermone interfitas. Deinde, nota, quale ingenium Sycophantarum & calumniatorum in his versiculis describatur. Sycophantæ enim sunt insidiosi, fraudulenti,

consilios

consiliorum suorum dissimulatores, contemptores iudiciorum Dei, securi, & si susceperint innocentem opprimendum, nihil agunt oscitanter, sed eò conferunt omnes tam corporis, quàm animi vires, & omnem suam prudentiã, quam in intimis cordis sui penetralibus habent, adeoq; inquirendo, scrutando, inuestigando, & excogitando dolos & fraudes deficiunt potius, quàm vt somnolenter cessent innocenti insidiari, & quoquo modo possunt, nocere. Hæc autem precator in precibus suis coram Deo, non eò recitat, vt insimulet Deum ignorantiæ, qui nesciat, quali sint ingenio sycophantæ intus & in cute: Ego enim (inquit) sum Deus, scrutans renes, & corda, sed, vt commemoratione malitiæ eorum, exuscitet, accendat & inflammet fidem suam, de certitudine & seueritate iudiciorum Dei aduersus ipsos, & de liberatione sua, ex insidijs eorũ: quo enim fraudulentiores & sceleratiores sunt impij sycophantæ, eo citius instat supplicium eorum, & propior est salus & liberatio Dei. Recitat etiam illa in nostri admonitionem, vt cognito fraudulento & virulento sycophantarum ingenio, muniamus nos aduersus ipsos inuocatione nomînis Dei. Vulgò quidem dicitur: Aduersus sycophantæ morsum, nullum est remedium, nulla autem est afflictio tam grauis, nulla calamitas tam molesta, aduersus quam inuocatio nominis Dei, per Iesum Christum, non sit præsentissimum remedium: Quicquid, QVIDQVID (inquit) petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et: Venite ad me, omnes, OMNES, (inquam) qui laboratis & onerati estis, & ego re-

focillabo vos. Laborant autem & onerati sunt, vt qui maximè, in quos sycophantæ calumnijs & mendacijs grassantur. Quare, qui sic laborant, non habent certius & tutius asylum, quàm vt precibus suis ad DOMINVM Deum properent, & ab ipso opem petant.

7. *Sed sagittabit eos Deus sagitta subitò, & mox erunt plagæ eorum.*
8. *Et præcipitabunt seipsos sua ipsorum lingua: obstupescent, quicunq; viderint ipsos.*
9. *Et metuent omnes homines, ac palàm prædicabunt, hoc esse opus Dei, & factum eius intelligent.*

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua commemoratur horribile supplicium sycophantarum. Etsi enim sycophantæ & calumniatores videntur magnam gratiã, apud illos, ad quos calumnias deferunt, inire, & in instituto suo feliciter promouere, tamen felicitas eorum subitò & præter omnem expectationem in extremam infelicitatem ita mutabitur, vt mox reipsa plagã suam sentiant. Et hîc vide mihi mirandam, imô stupendam rerũ inuersionem. Sycophantæ enim, conantur summo studio innocentem lingua sua, tanquam acuto gladio perdere, sed ipsi sua ipsorum lingua præcipitabuntur, & euertentur. Sycophantæ dirigũt sagittas calumniarũ suarum in hominem iustum, & insontem, sed his sagittis seipsos conficiunt. Sycophantæ abscondunt summa cum laqueos homini innocenti, sed his laqueis capiuntur ipsi. Breuiter, sycophantæ conferunt omnia

ſua conſilia, omnem prudentiam ſuam vt innocenti fodiant foueam, in quam cadat, & pereat. Sed ecce miranda, in ea ipſa fouea, quam alteri parant, neceſſe habent ipſi perire. Deus enim, qui eſt ſeueriſsimus calumniarum vltor, & iuſtiſsimus innocentiæ vindex, tam manifeſtum ſeueritatis ſuæ exemplum ædet in ſycophantis, vt quotquot viderint, cohorreſcent, quotquot aſpexerint, contremiſcent: ac non ſolùm ad timorem Dei excitabuntur, verùm etiam fatebuntur ipſi palàm, quòd hoc exemplum non contigerit humanitus, ſed diuinitus, & diligenter ſecum expendent, hoc opus ſingulari Dei conſilio factum eſſe, videlicet, vt agnoſcatur ſeueritas Dei erga ſycophantas, & vt homines diſcant metuere Deum, atq; magno ſtudio cauere, ne in innocentes calumniis ſuis graſſentur. Nihil enim certius eſt, quam quod calumniæ præſtò adſit ſupplicium Dei, idq; & repentinum & ſtupendum, quod probant, cum dicta tum etiam exempla, quæ paſsim in ſacris literis extant, quemadmodum & ſuprà, Pſalmo 57. dictum eſt, ſimiliter Pſalmo 52. de Doeg. Deinde quod dicit, omnes eos metu corripi, qui viderint horrendum ſupplicium ſycophantis diuinitus illatum, hoc etiam illud eſt, quod Pſalmo 52. dicitur: Videbunt iuſti ac timebunt, & ſuper eum ridebunt. Quæ enim Deus ſupplicia impijs calumniatoribus immittit, ea non tantùm hoc conſilio immittit, vt impietas puniatur, verùm etiam, vt ſint exempla, quibus alij homines excitentur, partim ad agnoſcendam ſeueritatem Dei, & ad agendam pœnitentiam, partim ad laudandum

dum iuſtum iudicium Dei, qui etſi videtur aliquoties, pro longanimitate ſua, impiorum ſupplicium diutius differre, tamen nunquam committit, vt iniuſtè iudicet, & impœnitentiam inultam relinquat. Habes, quid ſupplicij maneat ſycophantas. Nunc videamus, quid de iuſtis ſeu innocentibus & rectis corde, quos ſycophantæ calumnientur, fiat.

10. *Lætabitur, (inquit) iuſtus in* DOMINO, *& ſperabit in eo, & gloriabuntur omnes recti corde.*

Antitheſis eſt, qua impij ſycophantæ cum iuſtis conferuntur. Sycophantæ acuunt linguas ſuas, vt ſagittent iuſtos & innocentes, & dolorem eis inferant: iuſti autem dolebunt quidem grauiter, ſed dolor eorum mox mutabitur in lætitiam, lætabuntur enim in DOMINO. Sycophantæ inſidiantur ſaluti iuſtorum, ſed præcipitant ſeipſos in foueam, quam alteri foderunt: iuſti verò ſperant in mediis inſidijs in DOMINO, & euadunt inſidias. Sycophantæ horribiliter pereunt, iuſti autem tam mirabiliter conſeruantur, vt de ſalute DOMINI gloſrientur.

Cęterùm, cum hic verſiculus ſolet etiam aliâs, præſertim in Pſalmis repeti, ſuſcipiemus eum paulo copioſius explicandum. Pſalm. 32. Lętamini in DOMINO, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Et Pſalm. 97. Lætamini iuſti in DOMINO, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Obſerue-

mus igitur primùm hoc loco, qui dicantur iusti & recti corde. Etsi enim sæpenumero hoc vocabulum explicuimus, tamen, quia in promissionibus, quæ de iustorum felicitate in scriptis Propheticis & Apostolicis extant, auditor semper ferè, nomine iustitiæ fingit sibi, nescio quam absolutam iustitiæ perfectionem, ideoque non audet sperare sese earum promissionum participem fore, quòd sentiat se ab ea iustitiæ perfectione, in carne sua longissimè abesse, non solum non superuacaneum, verùmetiam necessarium videtur, vt de recto nominis, iusti, intellectu ac vsu, in his promissionibus sæpe admoneamur. Duplex igitur est vsus nominis iusti, seu recti corde in sacra scriptura. Alter est legis, alter Euangelij. Vsu legis, iustus seu rectus, & mundus corde dicitur, non qui externa tantùm honestate insignis est, sed qui legem Dei perfectè implet, & ne iota quidem, aut apicem legis transgreditur. Lex enim Dei nullum
Deut. 27. Galat. 3. hominem iusti nomine dignatur, nisi qui permanserit in omnibus sermonibus legis, & eos reipsa, perfectè, absolutè, ac sine vllo vitio fecerit. Talem autè iustũ, nullum in vniuerso humano genere inuenies, nisi Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui solus legem Dei ita impleuit, vt venerit quidem princeps mundi huius, & perscrutatus sit eum, sed non
Ioan 15. habuit in ipso quicquam repræhensione aut damnatione dignum, nullum enim vnquam peccatum fecit, nec est inuentus in ore eius dolus. Quare, si hic legis iustitiam intuearis, nullus alius, præter Christum, homo, potest sibi promissiones beneficiorum, de iustis dictas, accommodare. Vsu autem Euangelij,

gelij, iustus & rectus corde dicitur, qui etsi adhuc peccatum habet in carne, & reipsa sentit cordis immundiciem ac prauitatem, credit tamen in Iesum Christum, quod propter hunc non imputetur ipsi peccatum, sed habeat remissionem peccati, & hæreditatem iustitiæ in Christo, per fidem. Sic enim definit Paulus iustum, in Epistola ad Galatas: Non iustificatur, inquiens, homo, ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propterea quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro. *Galat. 2.* Et ad Rom. cap. 4. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Ac mox ex Psalmo: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat DOMINVS peccatum. Non igitur sentias, promissiones Dei de iustis & rectis corde dictas, pertinere ad iustos illos, ex omni parte perfectos in hac vita, quales, præter Christum, in humano genere, & in hoc seculo nullos reperias, sed ad eos, qui sunt per Christum iustificati, (hoc est) qui credunt in Christum, quod propter hunc habeant condonationem suę iniustitię & habeantur propter eum iusti coram tribunali Dei. Non arbitreris autẽ hanc fidei iustitiam, esse in homine ociosam, & infrugiferam, sed quia est donum Spiritus sancti, fieri non potest, quin Spiritus sanctus excitet credentem ad omne genus obedientiæ, & efficiat, ne secundum carnem ambulet, de qua re aliâs in suo loco copiosè admoneri solemus.

Deinde, sciamus, quid sit lætari in DOMINO.

lætantur enim etiam homines carnales, non autem in DOMINO, sed alij in voluptatibus corporis, alij in diuitijs, alij in honoribus huius seculi, alij in conuiuijs. Lætari igitur in DOMINO, est lætari in promissione DOMINI, imprimis illa, quæ extat de semine mulieris, seu de filio virginis, contriturocaput serpentis, & de semine Abrahæ, in quo gentes sint benedicendæ. Hæc enim est præcipua omnium promissio, quæ testatur, Deum nobis esse gratuita sua clemẽtia propitium, tantùm propter Christum DOMINVM nostrum, & conferre in nos omne cœlestis benedictionis genus, si crediderimus in eum. Vbi autem Deus est propitius, & effundit suam benedictionem, nõ est, cur ingemiscas & doleas, etiamsi extrema huius mundi calamitate, adeóque mortis horrore obruaris. Lætentur ergo sycophantæ in calumnijs suis, & gaudeant, ac rideant in sinu suo, cum lædunt & tristitia afficiunt innocentes, centè iusti, hoc est, credentes in Christum, iustum, lætãtur in DOMINO: quia etsi opprimuntur à calumniatoribus in hoc seculo, tamen lætantur in DOMINO, quòd ex Euãgelio de Christo, certò cognoscãt, se propter Christũ, Deo esse acceptos, & gratuita eius clementia saluos cõseruari. Similiter, iustus sperabit in DOMINO. Calumniatores sperant quidẽ & ipsi, sed in calumnijs suis, in potentia sua, & in astutis suis cõsilijs, ac in fauore eorum, quos sibi aliorum calumnijs demerentur: Iustus autem sperat in DOMINO, qui etsi in præsentia necesse habet iniuriã sufferre, & deuorare, tamẽ quia credit se à DOMINO in gratiã receptũ, propter Christũ, & cõstare in tutela DOMINI, non repugnat voluntati Dei, in sufferẽdis aduersis,

sis, sed expectat patiẽter opem DOMINI, certissima spe concepta, quòd DOMINVS, qui discerpsit, iuxta Prophetæ dictum, idem etiam sit sanaturus, & qui percussit, idem etiã sit curaturus. Spes. n. quę nititur promissione DOMINI, intantum non pudefacit, vt etiam, qui sperant in DOMINO, certissimis Spiritus sancti oraculis, beati prædicentur. Postremò, dicit: Gloriabuntur omnes recti corde. Dicũtur aũt recti corde, quemadmodum paulò antè indicabamus, non qui ex omni parte sunt mũdo & puro corde, dum. n. in hoc seculo vitã agimus, non est, qui possit dicere, mundũ est cor meum, sed recti corde dicuntur, qui credunt in Christũ rectũ & mundum, & confidunt, prauitatẽ cordis sui, propter Christũ, sibi non imputari. Quicquid igitur aduersi his contigerit à sycophantis, tantum abest, vt virulento animo ferant, vt etiã de aduersis glorientur: Nõ solùm gloriamur, inquit Paulus, sub spe gloriæ Dei, verumetiã gloriamur super afflictionibus, scientes, quòd afflictio patientiam, patientia probationem, probatio autem spem pariat. Habes, quis in his & similibus locis scripturæ dicatur iustus, & rectus corde, & quid sit lætari, sperare & gloriari in DOMINO. *Osee. 6.* *Rom. 5.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Reliquum igitur est, vt trãsferamus eũ in nostrũ vsum, & discamus ex eo, in sustinẽdis calumnijs aut alijs iniurijs obedientiã & patientiã. Admoneamur etiam illius dicti, quod extat apud Hieremiam: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs *Hiere. 9.*

diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum DOMINVS, qui facio miſericordiam, & iudicium & iuſtitiam in terra. Et ilLuc. 10. lius apud Lucam: Nolite in hoc gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubijciantur, ſed gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Fingamus enim, adimi nobis per calumnias ſycophantarum, aut per aliam occaſionem, omnem noſtram ſapientiam, fortitudinem, diuitias, aut alia illuſtria dona, (quale eſt, poteſtas eijciendi ſpiritus immundos) addo etiam, vitam ipſam, conſidera autem mihi, quàm exilem rerum iacturam facias, ſi ea, ad præſtandum Deo obſequium, obedienter reliqueris, hæc enim non ſunt vlla verę felicitatis pars, ſed etiamſi affuerint, non eſt ipſis vel gloriandum, vel lętandum, vel confidendum. Vera autem & ſumma noſtra felicitas eſt, ſcire & noſſe, DOMINVM Deum noſtrum illum eſſe, qui faciat in terra miſericordiam, iudicium & iuſtitiam, (hoc eſt) qui gratuita ſua clementia tanta beneuolentia complectatur credentes in ipſum, propter Ieſum Chriſtum, vt conſeruet eos in omnibus aduerſis, ac ſeueriter quidem in aduerſarios eorum animaduertat, ipſos autem, ex omnibus periculis liberaliter, & mirabiliter eripiat. Ac breuiter, illa vera eſt noſtra felicitas, quòd nomina noſtra ſcripta ſunt in cœlis, (hoc eſt) quòd in Chriſto & propter Chriſtum habeamus propitium Deum, qui in manu ſua ita nos deſcriptos contineat, vt nos in æterna memoria habeat, & perpetuò ſaluos conſeruet. Quare non eſt nobis aduerſus calumnias virulenter inſaniendum, ſed gaudendum potius

eſt,

est, & gloriandum, quòd imaginis Christi conformes facti, tanto acceptiores Christo simus, quanto nocentiores nobis sycophantæ videantur.

Psalmus 65.

Te decet hymnus Deus in Zion.

CHristus DOMINVS noster in cœlum ascensurus, & maiestatem suam ad dextram Dei Patris sui testificaturus: Data est mihi, inquit, omnis potestas, in cœlo & in terra. Quod igitur Christus, de regno & de beneficijs suis, quę non solùm in Ecclesiam suam, verùmetiam in totum humanum genus confert, breuissimis dixit, hoc iste sexagesimus quintus Psalmus copiosè exponit. Nam hunc Psalmum de regno & maiestate Christi intelligendum esse, extant non obscura argumenta in versiculis eius. Alloquitur Deum Zionis, qui videlicet in Zione colitur, & cui in Zione sacrificatur: Tibi (inquiens) est silentium laudis, ô Deus, in Zion. Hic autem Deus, est Christus, propterea quòd in Zione adnunciabatur, & sacrificijs adumbrabatur, ac Euangelion eius, è Zione in vniuersum orbem terrarum diuulgandum erat, sicut in alio Psalmo dicitur: Virgam virtutis tuæ emittet DOMINVS ex *Psal.* 110.

Zion, dominare in medio inimicorũ tuorum. Accedit huc, quod in tertio versiculo dicitur: Scelera nostra maiora sunt quàm vt ferre queamus, sed tu expiabis ea: expiationis autem officium pertinet ad Christum. Vt non addam & illud, quòd Deus ille Zionis dicatur spes omnium finium terræ, & eorum, qui extremas oras maris incolunt. Hic autem est Christus, de cuius Euãgelio dicitur: In omnẽ terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sentiamus igitur, hunc Psalmum concionari de maiestate Christi, & commemorare beneficia, quæ Christus tam peculiariter in Ecclesiam suam, quàm vniuersaliter, in totum humanum genus confert.

1. *Tibi est silentium laudis, ô Deus, in Zione, & tibi redditur votum.*

Hic primus versiculus, est loco propositionis, qua Dauid suscipit maiestatem Christi, qui in Zione laudibus & sacrificijs colitur, illustrandam: Tibi, inquit, ô Deus, ô Christe, silentium laudis est in Zione, (hoc est) tu Psalmis, hymnis, & laudibus in Zione ita celebraris, vt laus nominis tui habeat in eo loco quasi securam, tutam, tranquillam & quietam sedem, ac firmum domicilium. Quod enim apud Hebręos est דמיה Dumiiach significat quidem propriè silentiũ, sed transumptiuè significat etiam quietem, tranquillitatem, aut, vt ita dicã, pausationem. Cum ergo dicit, Christo esse silentium laudis in Zione, significat, quòd in Zione ita commendetur & ornetur,

tur, vt laus nominis eius videatur ibi certam & qui- *Psal.131.*
etam habitationem fixisse, & (quod est in alio Psal-
mo) dicere: Hæc requies mea, in seculum seculi, hîc
habitabo, quoniam elegi eam. Et apud Esaiam: Di- *Esa.31.*
xit DOMINVS, cuius ignis est in Zion, & cami-
nus eius in Hierusalem.

Similiter, cum dicitur: Tibi redditur votum, (vi-
delicet, in Zione) loquitur de sacrificio, quod ex vo
to, vel sponte offertur, de quo sacrificij genere scri-
ptum est Leui. 7. Intelliguntur autem hoc nomine
omnia reliqua sacrificiorū genera, quibus Christus
apud veteres adumbratus est, vt sit sententia. Susci-
piam, ô Christe, quem populus Dei reuerenter colit
in Zion, & tā hymnis celebrat, quàm sacrificijs ad-
umbrat, tuam laudem illustrandā, vt qui audierint,
excitentur ad fidem, & confirmentur in spe æternæ
suæ salutis. Nam, cū in Christo sint omnes Thesauri *Colo.3.*
sapientiæ & scientiæ Dei, ac inhabitet in eo omnis
plenitudo Deitatis corporaliter, nec sit aliud nomē,
sub cœlo, inter homines datum, in quo oporteat nos
saluos fieri, summa nobis opera danda est, vt Christus
sit nobis longè omnium notissimus, præsertim, cum
Christus ipse apud Ioannem dicat, hanc esse vitam
æternam, vt cognoscant te solum Deum verum, &
quem misisti, Iesum Christum.

2. *Audis orationem: ad te omnis caro veniet.*

Duplicia sunt beneficia, quæ per Christū humano
genericonferuntur, & quibus maiestas Christi illu-
stratur. Alia sunt spiritualia, & cœlestia, quæ præci-
puè in Ecclesiā populDeiconferuntur, & vocātur

opera redemptionis. Alia ſunt corporalia & mundana, quæ ſunt opera creationis, in toto orbe conſpicua. Propoſitionem igitur, qua Dauid recepit ſe maieſtatem Chriſti explicaturum, ſequitur enumeratio beneficiorum maieſtatis eius. Ac initio commemorat ſpiritualia & cœleſtia beneficia, quæ ſunt opera redemptionis, inter quæ tribuit principē locum, exauditioni precationum: Audis, inquit, orationem, idcirco omnis caro ad te veniet, hoc eſt, Tu Chriſte, autor es, vt Deus pater in cœlo exaudiat propitius & placatus preces noſtras. Nemo enim hominum nec poteſt, nec audet ſua vel virtute vel iuſtitia vel merito precibus ſuis ad thronum Dei accedere, & nomen eius inuocare, quippe quod tanta ſit hominum, natura ſua impietas & iniuſtitia, vt ipſis nulla ratione cum Deo, qui eſt iuſtitia ipſa, conueniat. Solus autem Chriſtus eſt mediator inter Deum & homines, ac reconciliator noſter, qui & conſedit ad dextram Dei patris, vt intercedat pro nobis. Quare, Chriſtus ſummum beneficium præſtitit Eccleſiæ ſuæ, quòd impetrauerit ipſi, vt non ſolùm ipſi liceat ad thronum Dei accedere, verùm etiam Deus exaudiat promptiſsimus omnes preces eius. Hoc illud beneficium eſt, cuius Moſes meminit: Non eſt alia (inquiens) natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, videlicet, propter ſemen benedictum Abrahæ, ſeu propter Chriſtum. Et Eſaias: Erit, (inquit) antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et Zacharias: Effundam ſuper domum Dauid,

Deut. 4.

Eſa. 65.

Zach. 12.

uid, & ſuper habitatores Hieruſalem, ſpiritum gratiæ & precum. Quod autem Prophetæ de tanto Chriſti beneficio ſuis auditoribus promiſerunt, hoc Chriſtus ipſe apud Euangeliſtas, à ſe impleri, perſpicuè affirmat: Quicquid, inquiens, petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt pater glorificetur per filium. *Ioan.14.* Ac iterum: Amen amen dico vobis, quęcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et mox: *Ioan.16.* Non dico vobis, quòd ego rogaturus ſum patrem pro vobis, ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis. Cum igitur Chriſtus ſit autor tanti, & tam cœleſtis beneficij, vt preces noſtræ exaudiantur, nõ eſt mirandum, quòd ad eum omnes gentes certatim cõtendant. Poſtquam enim Euangelion de Chriſto, & de Deo, per Chriſtum propitio reddito, diuulgatum eſt in mundo, nõ potuerunt gentes teneri, quin ad eum ex omni natione confluerent: Ad te, inquit Pſalmus, omnis caro venit. Et apud Eſaiam: Videbis & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi. Etſi enim non ſingulí homines in his terris, & in omnibus gentibus agnouerunt Chriſtum, quippe quòd non ſit omnium fides, & nũquam cum rebus humanis tam benè agatur, vt optima plurimis placeant: tamen Euãgelion Chriſti, in ſingulis gentibus, ſuum fructum attulit: Audieratis, inquit Paulus, Euangelion, quod peruenit ad vos, quemadmodum & IN TOTO MVNDO etiam fructificat. Agnoſcamus igitur grati hoc beneficium Chriſti, & cum pateat nobis non ſolùm apertus aditus ad Deum patrem, verùmetiam prom- *Eſa.60.* *Coloſ.1.*

ptiſsima exauditio per Chriſtum, non committamus, vt poſtremi omnium gentium, inuocatione noſtra ad eum accedamus, ſed vt ſine intermiſsione tam in proſperis, quam in aduerſis noſtris ei adhæreamus.

3. *Opera iniquitatum prævalent mihi, ſed tu expias præuaricationes noſtras.*

Aliud beneficium Chriſti, quod eſt expiationis peccatorum noſtrorum coram Deo patre ſuo: Opera, inquit, iniquitatum prævalent mihi, peccata mea ſuperant me, & maiora ac grauiora ſunt, quàm quæ ferre queam: ſed tu Chriſte ſuſcipis expiandũ, quicquid eſt præuaricationum noſtrarum. Huc enim reſpiciũt omnes Propheticæ promiſsiones de Chriſto, & omnia Leuitica ſacrificia, videlicet, quòd & ſolus Chriſtus ſit expiator peccatorũ noſtrorum, & quiſquis crediderit in ipſum, conſequatur eorum remiſsionem. Ac vt non neceſſe habeamus circumferre oculos in conquirendis Propheticis de hac re teſtimonijs, Apoſtolus Petrus breuiſsimo dicto omnia ea complectitur: Huic, inquiens, Chriſto, OMNES Prophetę teſtimonium ferunt, quòd remiſsionẽ peccatorum accepturus ſit, per nomẽ eius, quiſquis crediderit in eũ. Oſtendimus aũt aliâs, quòd non poſſit nobis maius & vtilius beneficiũ contingere, quàm expiatio & cõdonatio peccatorũ, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrũ: ſicut & econtra, non poſsit nobis maior ſalutis iactura cõtingere, quàm ſi hoc beneficio deſtituti fuerimus. Vbi.n. eſt peccatorũ expiatio & cõdonatio ibi eſt propitius Deus, & omnis cœleſtis

Actor. 10.

cœlestis benedictio, in media etiam morte. Vbi aũt hoc beneficium abfuerit, ibi non iuuat hominem vel summa carnis sapientia, vel opulentia, vel etiam terrenæ Monarchiæ potentia. Quare, cum Christus prædicatur expiator & condonator peccatorum, sentiamus eum commendari nobis, vt summum benefactorem, & cœlestem seruatorem, cui sit omni officiorum genere gratificandum.

4. *Beatus, quem elegeris, & (tibi) adiunxeris. Habitabit in atrijs tuis. Satiabimur beneficio domus tuæ, sancti templi tui.*

Aliud beneficium Christi, quòd Christus seligat sibi ex humano genere Ecclesiã, & eã sibi tam arcto nexu adiũgat, vt & ipsam beatã reddat, & faciat omni genere cœlestiũ beneficiorum, quę in domo Dei, & in templo sancto eius credentibus promittuntur: Beatus (inquit) est, quem tu eligis, & tibi adiungis. Quę ergo est beatitudo illa, quã consequetur? Habitabit (inquit) in atrijs tuis, (hoc est) erit membrum Ecclesiæ tuæ. Si aũt fuerit membrũ Ecclesiæ, erit & particeps omnium beneficiorum, quæ Ecclesiæ promissa sunt. Hoc Christus ipse, apud Ioannem ita explicat: Oues meæ, inquiens, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, neque rapiet eas quispiam e manu mea. Et Paulus: Idem spiritus (inquit) testatur vna cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi. Cæterùm *Ioan. 10.*

quod

quod dicitur, ſatiabimur, in prima perſona plurali, cum præceſſerit, Habitabit, in tertia ſingulari, ſignificat, Eccleſiã Chriſti per Euãgelion eius colligi, non ex vna tantùm gente, & vno tantùm tempore, ſed tam ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, quàm omnibus temporibus, ſiue præteritis ſiue præſentibus, ſiue futuris: Reipſa comperio, inquit Petrus, quòd nõ ſit perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in quauis gente, qui timet ipſum & operatur iuſtitiam, is acceptus eſt illi. De qua re, verſiculus, qui mox ſequitur, concionatur.

Actu. 10.

5. *Rem mirandam. In iuſtitia exaudis nos, Deus ſalutis noſtræ, ſpes omnium finium terræ, & eorum, qui procul degunt in mari.*

Aliud beneficium Chriſti, quod vt explicetur, conſideranda ſunt epitheta, quæ Chriſto in hoc verſiculo attribuuntur. Vnum eſt, Deus ſalutis noſtræ, à quo enim alio expectanda eſt vera & æterna ſalus noſtra, præterquam à Chriſto DOMINO noſtro, qui & in alio Pſalmo, Deus, cuius Thronus perpetuò conſtet, vocatur. Thronus tuus, ô Deus, ſemper & perpetuò cõſtat, ſceptrum rectum, ſceptrum regni tui. Vnde Petrus: Non eſt, inquit, in alio quoquã ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Alterum eſt, ſpes omnium finium terræ, & eorum, qui procul degunt in mari, hoc eſt, in inſulis maris procul à terra diſtantibus. Hoc Chriſti epitheton ſumptum eſt è vaticinio Patriarchæ Iacob: Ipſe erit exſpectatio

Pſalm. 45.

Actu. 4.

Geneſ. 49.

pectatio Gentium. Et interpretatur Esaias: Ambu- *Esaia.60.*
labunt, inquiens, Gentes in lumine tuo, & reges in splendore vultus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Omnes hi congregati venerunt ad te: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Et mox: Me insulæ expectant, & naues Tharsis seu maris, & quæ sequuntur. Christus enim non est spes tantùm Israëlitarum, sed etiam Gentium, non finitimarum tantùm, verùm etiam longinquarum, tam in terris, quàm in mari, quippe quòd in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quod igitur hic versiculus dicit, hãc habet sententiam. Tu ô Christe, qui es Deus salutis nostræ, & spes omnium finium terræ & maris, non solùm exaudis nos Israëlitas circumcisos, de externo semine Abrahæ, de quibus tantùm Iudæi carnales intelligunt promissionem illam, quam suprà ex Deuteronomio cap. 4. commemorauimus: Non est alia natio tam grandis, &c. verùm etiam, exaudis quoq; (quod mirandum & stupendum est) omnes alios, quamuis Gentes incircumcisas, in omnibus finibus terræ, & in insulis maris habitantes. Exaudis autem eos in iustitia, (hoc est) verè probè, rectè, iustè, fideliter, & constanter, iuxta promissionem verbi tui. Dictum enim est ad Abrahamum: In semine tuo (qui es tu ipse, Christus DOMINVS noster) benedicentur omnes gentes. In hac autem promissione, & benedictione, non continentur tantùm Israëlitæ externi & circumcisi, in terra Canaan habitantes, verùm etiam Gentes incircumcisæ, quocunq; terræ loco commorentur. Nec hæc promissio sic intelligenda

telligenda est, quòd incircumcisæ Gentes tunc demum ad populum Dei pertineant, & priuilegijs populi Dei fruantur, cum accesserint ad externã rempub. Israëliticam, & circumcidãtur, (sic enim intelligebant eam Pharisæi, qui in Actis Apostolicis, ad gentes in Christum credentes dicebãt: Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis esse salui) sed quòd Gentes, etiamsi nõ circumcidantur, nec fiunt externi Iudei, credunt tamen in Christum, fiant participes Christi, & omnium beneficiorum eius, atq; adeo exaudiantur à Deo, (quod videtur carnalibus Israëlitis mirandum & horrendum) autore Christo, in omnibus precationibus earum. Deinde exaudis in iustitia, non tantùm iustos & sanctos, sed exaudis etiam, ô rem mirandam, & stupendam, iniustos & peccatores, etiamsi non fuerint carne, sed tantùm FIDE in Christum purificati & iustificati: Omnis enim, inquit Paulus, qui fidit illi (Christo) non pudefiet, seu non frustrabitur salute, quam expectat, Non est distinctio vel Iudæi, vel Græci, nam idem Dominus omniũ, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim (siue circumcisus, siue incircumcisus, siue sanctus, siue peccator, sed fide iustificatus) inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Habes maxima omnium beneficia, quæ Christus in Ecclesiam suam confert, & vocantur opera redemptionis, quibus maiestatem suam ita testificatur, vt in nomine eius merito omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Actor. 15.

Rom. 10.

6. *Qui firmat montes virtute sua, & accinctus est robur.*

Altera pars huius Psalmi, qua commemorantur corporis

corporalia & mundana beneficia Christi, & sunt opera creationis, Christus enim, qui est redēptor humani generis, idem etiam est creator cœli & terræ. Nondum assumpserat quidem hominem, cum cœlū & terram crearet, postquàm autem venit plenitudo temporis, etsi assumpsit, quod nō erat, mansit tamen semper, quod erat, omnipotens rerum omniū creator: Qui firmat (inquit) montes virtute sua, & accinctus est robore, (hoc est) Apparuit quidē Christus in assumpta humanitate abiectus & imbecillis, vt humilitate & exinanitione sua absolueret mysteriū redemptionis nostræ, erat autem reuera Deus omnipotens, qui, vt terram potentia sua creauerat, ita etiā robore ac fortitudine sua montes firmat ac stabilit, vt nulla humana virtute dimoueri queāt. Accedit huc & illud 104. Psalmi: Ascendunt montes & descendunt campi, in locum, quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem nō transgredientur, neq; conuertentur operire terram. *Philip. 2.*

7. *Qui compescis cōmotionem maris, commotionem fluctuum eius, & fremitum populorum.*

8. *Et metuunt finitimi accolæ à signis tuis. Egredientes manè & vesperi lætificas.*

Aliud beneficiū Christi, & testimoniū maiestatis ac omnipotētię eius: Cōpescit (inquit) cōmotionem ac strepitū maris, & fluctuū eius. Nec cōpescit tantùm maris, seu aquarū strepitū, sed etiā populorū, qui per aquas significātur, fremitū. Nam cū mare ventis perturbat, & fluctibus tumultuatur, (quæ sunt manifesta diuinæ irę signa) cohorrescunt præ metu, nō

solum qui in mari nauigant, verùm etiam, finitimi, qui mare accolunt. Similiter, cum vulgus populorum ad seditionem concitatur, & fremit aduersus duces suos, dici non potest, quanto terrore contremiscant, non tantũ homines imbelles, verùm etiam fortissimi heroes. Sed Christus ea est maiestate & robore, vt tam aquarum, quàm populorum fluctus potenti manu sua compescat. De hac maiestate eius concionatur Psalmus 89. Tu dominaris potestati maris, tu sedas motum fluctuũ eius. Et mox: Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexterã eius. Ac iterum Psalmus 107. Dicit, & excitat ventum procellosum, qui attollit fluctus. Hic iam (nauigantes) ascendunt in cœlum, iam descendunt in abyssum, vt præ angustia tabescat anima eorum. Iactantur, & motantur, vt ebrius, ita vt nihil consilij sit reliquum. Et clamant ad DOMINVM in tribulatione, & ipse ex angustijs eorum liberat eos, & reddit pro tempestate tranquillitatem, vt subsidant fluctus maris. Quam autem maiestatem Psalmi tribuunt Christo in cõpescendo mari, eam Christus ipse iam incarnatus, manifestis miraculis comprobauit. Apud Matthæum, sedent discipuli soli in naui, nauis autem afflictabatur in medio maris ab vndis, postquàm igitur Christus ingressus esset nauim, statim conquieuit ventus. Apud Marcum, Christus dormit in naui, & cum orta esset magna venti procella, vt fluctus in nauim irruerent, excitatur à discipulis: excitatus igitur, increpauit ventum, dixitq; mari: Tace, obmutesce. Et conquieuit ventus, ac facta est tranquillitas magna, vt homines exclament:

Matt.14.

Mar.4.

Luc.8.

Quisnam

Quisnam hic est, quia & ventus & mare obediunt ei?

Quòd autem Christus non solùm compescat strepitum aquarum, verùmetiam fremitum populorum, testatus est iam olim, nõdum carne indutus, in compescendis seditionibus, quæ ortæ erant inter Israëlitas, de quibus in Numeris cap. 14. & 16.

Præter hæc autem beneficia, & argumenta maiestatis eius, accedit & illud, quòd lætificet, & ad laudem Dei excitet egredientes manè & vesperi. Hoc illud est, quod in Psalm. 104. dicitur: Oritur sol, & egreditur homo ad opus suum, & ad laborem suum, vsque ad vesperam. Solenne enim est, vt homines oriente sole egrediantur læti & alacres, cantantes, & psallentes, ad vineas & agros suos, aut ad alia opera, vesperi autem domum iterum cum gaudio & lætitia redeant. Hoc autem non fit casu quodam temerario, sed benedictione, & dono DOMINI nostri Iesu Christi, qui, sicut excitat volatilia cœli, vt iuxta bestias agri resideant, & de medio frõdium dent vocem suam, ita etiam exhilarat agricolas, vinitores & alios operarios, vt siue egrediantur manè ad opera sua facienda, siue reuertantur vesperi à suis laboribus, cum gaudio domum suam, ad quietem se composituri, repetant. Agnoscamus igitur grati, etiam hoc beneficium Christi, & cum videmus operarios lætos & alacres, ad sua opera accedere & redire, exurgamus in laudem nominis eius, & agnitione gratuitæ eius clementiæ confirmati, bene, in omnibus siue prosperis siue aduersis, speremus. *Psalm. 104.*

9. *Visitas terram, & irrigas eam, abundè ditas eam: riuus Dei plenus est aqua, præparas frumentum eorum, quoniam sic visum est tibi præparare eam.*

10. *Sulcos eius inebrias, demittis (pluuiam) in liras eius, stillis liquefacis eam, germini eius benedicis.*

11. *Coronas annum beneficio tuo, & vestigia tua stillant pinguedinem.*

Aliud beneficentiæ & omnipotentiæ Christi testimonium. Quod enim Paulus & Barnabas ad Lycaones in Actis Apostolicis concionantur: Deus, inquientes, in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi viis suis, quanquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo ac lætitia, (hoc est) vino, lętificante corda nostra, hoc Spiritus sanctus in isto Psalmo concionatur de Christo: Visitas, inquiens, terram, & irrigas eam. Beneficentiam & omnipotentiam tuam testaris, non tantùm quòd compescas tumultum aquarũ & populorum, & exhilares homines operarios exeuntes ad laborem suum, & inde reuertentes, verùm etiam quòd exhilares terram ipsam, & irriges eam, vt fiat fœcunda, & diues opum, seu frumentorum. Riuus enim Dei impletus est aquis. Hoc autem nomine significantur, vel fontes aquis copiosi, sicut & mons magnus dicitur mons Dei, vel terra ipsa Cananaan, de qua scriptum est Deut. 8. quòd sit terra montium, terra torrẽtium, aquarum, fontium, & voraginũ, egredientium per valles & per montes, & Deut. 11. quòd sit terra, nõ sicut terra Ægypti, vbi iacto semine, in hortorum morem, aquæ ducuntur irrigue, sed montuo-

Acto. 14.

montuosa & campestris, de cœlo expectãs pluuias, quã DOMINVS Deus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt, à principio anni vsq; ad finem eius. Cũ igitur terra Canaan, non sit sicut Ægyptus, quæ excrescẽte & exuberãte Nilo irrigatur, sed expectet pluuias de cœlo, è manu Christi, filij Dei, mirandũ non est, quòd sit maximè omniũ fœcũda, & proferat omnia genera frumentorũ abundantissimè. Nam, quẽadmodum, cum Christus filius Dei hominem assumpsisset, & quinq; panes in manum suam accepisset, tãta eos copia benedixit & multiplicauit, vt ijs, quinq; millia hominũ, præter mulieres & pueros largiter pascerentur, ita & eadem potentia, cùm homine nõdum assumpto, accepisset terrã Canaan manu sua benedicendã, non potuit ea teneri, quin tantã frumentorum copiã proferret, vt sufficeret ad alendam illã hominum multitudinẽ, quæ numero suo stellas cœli & arenã maris superaret. Nam tantã multitudinem posteritatis Abrahæ futuram, filius ipse Dei promiserat: TV (inquit Psalmus) præparas frumẽtum eorum, quia sic visum est præparare terram. Posses quidem, pro absoluta tua omnipotentia, frumẽta & panes dare, absq; vel agro vel pluuia, si enim cœlum & terram, ac omnia, quæ in ipsis sunt, solo mandati tui verbo ex nihilo condidisti, quomodo nõ etiam posses frumẽta aut panes, ex nihilo, creare? sed sic visum est tuæ inexhaustæ sapientiæ & industriq;, vt frumẽta ad alendos homines, ex agris, cœlesti pluuia irrigatis exhiberes. Inebrias igitur, iuxta tuam ipsius ordinationem, sulcos terræ, demittens pluuiam in liras eius, cuius stillis liquefacis glebas, vt germen

men eius incrementum accipiat, & copiosum fructum ferat: Quid multa dicam? Coronas seu ornatum totum annum beneficijs tuis. Singulis anni mensibus testificaris tuam beneficentiam, vt quocunque incedas, aut quemcunque locum terræ propitio vultu respexeris, sequatur tanta pinguedo seu fertilitas, vt iuxta Prophetam, arator compræhendat messorem, & calcator vuæ mittentem semen, ac montes stillent pinguedinem, et omnes colles sint culti. Idem de fertilitate terræ prædicant etiam vltimi duo versiculi, qui in Psalmo sequuntur.

Amoz 9.

12. *Stillant (pinguedinem) habitacula deserti, & exultatione colles accingentur.*
13. *Vestiuntur campi pascui ouibus, & valles abundant frumento. Iubilatur & cantillatur.*

Beneficio Christi, non tantùm agri, alioqui in loco natura fertili positi, verùmetiam habitacula seu montes deserti, stillant pinguedinẽ, (hoc est) proferunt vberes fructus, & colles, alioqui steriles, fiunt vndiq; fœcundi: similiter loca pascua implentur, & quasi vestiuntur ouibus, quarum lana nos etiam homines vestimur, vt prouidentia Christi tam victum, quàm amictum habeamus: valles quoque frumento abundant: ac breuiter, terra, beneficio Christi, tanta vbertate benedicitur, vt tam homines, quàm iumenta exultent, & præ gaudio cantillent. Hîc diligenter mihi obserua, quod fœcunditas terræ, copia frumenti & vini, ac abundantia aliarum id genus rerum, non sit attribuenda vel constellationibus astrorum,

rum, vel bonitati agrorum. Etsi enim Deus suum instituit ordinem, quo effundit in homines rerum benedictionem, tamen siue vtatur, siue non vtatur eo ordine, solus ipse omnis benedictionis, & incrementi autor est, & soli ipsi omnis vbertas accepta ferenda est: Omnia (inquit alius Psalmus) à te expectãt, vt des illis escam in tempore opportuno. Dante te illis, colligunt, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente autem te faciem tuã, turbantur. Et Paulus: Neq; (inquit) qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementũ, Deus. In abundantia igitur rerum agamus Deo patri, per DOMINVM nostrum Iesum Christum, gratias, non verbis tantùm, sed etiã factis, hoc est, pio rerum vsu, siue in propaganda gloria nominis Dei, siue in adiuuãda necessitate proximi: in penuria autem rerum, non despondeamus animum, sed optimè confidamus, quòd qui nos sanguine suo redemit à iure mortis & inferni, idem etiam conseruaturus sit nos, pro sua erga nos beneuolentia, & nostra vtilitate, in omnibus tam animi quàm corporis aduersis.

Psalm. 104.

1. Cor. 3.

VSVS HVIVS PSALMI.

In Genesi cap. 22. dicit DOMINVS ad Abrahamum de Christo domino nostro: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Etsi autem hæc benedictionis promissio maximè omnium intelligenda est de benedictione spirituali, & cœlesti, videlicet, de remissione peccatorũ, de adoptione in filios Dei, de liberatione à morte, & de æterna vita, ac felici-

tate, qua benedicuntur illi, qui in Christum credũt: tamen hic Psalmus interpretatur hanc benedictionem, non tantùm de spirituali, verùmetiam de corporali & mundana benedictione: & proponit nobis Christum, imprimis quidem, vt spiritualem & cœlestem redemptorem, qui expiet corã Deo patre peccata nostra, & reddat nobis eum ita propitiũ, vt faciat voluntatem omnium credentiũ in ipsum, & exaudiat omnes preces eorum, cõferens in ipsos cœlestis regni hereditatem. Deinde proponit eum nobis, etiam vt omnipotentem rerum conditorem, & autorem omnis terrenæ benedictionis ac felicitatis, qui conferat nobis etiam mundana beneficia, è cœlo nobis dans pluuias ac tempora fructifera, (vt Paulus & *Actor. 14.* Barnabas inquiunt) implens cibo, & lætitia seu vino, corda nostra. Agnoscamus igitur, ex hoc Psalmo, Christum DOMINVM nostrũ, vt cœlestem redemptorem, ita quoq; vt omnipotentem rerum omnium creatorem, & benedictorẽ, è cuius solius manibus omnia, siue cœlestia, siue terrestria beneficia expectemus. Ac siquidẽ nobis in his terris longè alia, quàm promissa videntur, euenerint, non sentiamus Deum in promissis suis esse mẽdacem, sed sciamus illam esse regni Christi rationem, vt necesse habeamus in ipsum, ad cõsequenda bona eius, per multas afflictiones, intrare, quæ tamen afflictiones, mire *2. Corint. 5.* supra modum æternum pondus gloriæ, sicut Paulus loquitur, ita pariunt, vt interim nobis, rerum adcorporalem salutem necessariarũ beneficio Christi nihil desit: Amen dico vobis, inquit Christus, quòd nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem,

vxorem, aut liberos, propter regnũ Dei, qui non recepturus ſit multò plura IN HOC TEMPORE, & in ſeculo venturo, vitam æternam. Et Paulus: Laboramus, at non deſtituimur, perſecutionem patimur, at nõ in ea deſerimur, deijcimur, at nõ perimus. Et iterum: Quaſi morientes, & ecce viuimus, quaſi correpti, & non occiſi, quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes, quaſi pauperes, multos tamen ditantes, VT NIHIL HABENTES, & tamen OMNIA POSSIDENTES.

Pſalmus 66.

Iubilate Deo omnis terra, &c.

MVlta ſunt & magna opera manuum Dei in toto orbe terrarũ, ſumma admiratione digna: ſed nulla ſunt magis mirãda & ſtupenda, quàm quibus Deus fruſtrat cõſilia impiorum aduerſus pios, & liberat, ac ſeruat pios in omnibus afflictionibus ſuis. Impij enim valent multitudine, magnitudine, autoritate, potentia, ſapientia, & opulentia, quæ omnia ad opprimendos pios ita conferunt, vt nulla planè via ad euadendum pateat. Et quanquàm impij inter ſe nullo modo conueniunt, tamen in illo ſolo vnanimes ſunt, vt collatis omnibus viribus ſuis pios oppugnent, & ſi queant, de terra viuentiũ eradicent. Pij vero, in tãtas ſæpenumero anguſtias redigũtur, vt nõ

tantùm corporalibus aduersis afficiantur, verùm etiam ad portas vsq; mortis & inferni impellantur. Assultum autem & impetum impiorum frangere, & pios è tantis angustijs eripere, ac in tuto collocare, non est humanæ imbecillitatis, sed diuinæ omnipotentiæ, nec est minoris admirationis, quàm mundũ ex nihilo cõdere. Quæ exempla tam publica, quàm priuata, postquam autor huius Psalmi cum animo suo consideraret, teneri non potest, quin non solùm ex corde gaudeat ipse, & Deum laudibus ornet, sed etiam vniuersum mundum ad concipiendam cœlestem lætitiam excitet, & ad commendandum nomen DOMINI, cohortetur, vt & pij consolationem in omnibus aduersis accipiant, & impij maiestatem ac seueritatem Dei metuant, & resipiscant.

1. *Iubilate (inquiens) Deo omnis terra.*
2. *Cantate gloriam nomini eius, date gloriam magnificentiæ eius.*
3. *Dicite Deo, quàm reuerendus es operibus tuis, propter magnitudinem potentiæ tuæ fruſtrantur (ſpe ſua) coram te hoſtes tui.*
4. *Omnis terra adoret te, & pſallat tibi, pſallat nomini tuo.*

Hi quatuor versiculi sunt propositio Psalmi, in qua Psaltes hortatur initio, nõ Iudæam tantùm, aut Galilæam, verùm etiam omnem terram, hoc est, omnes terræ incolas, & omnes Gentes, siue circumcisas, siue incircumcisas.

Hortatur autem eas, non ad colendam terram, quod & suo tempore, & suo loco faciendum est, non ad

ad congregandas & cumulandas opes terrenas, quæ sunt euanidæ, non ad celebranda conuiuia, in quibus opus DOMINI, iuxta Prophetam, non respicitur, nec opera manuum eius considerãtur, sed ad iubilandum, (seu potius iobilandum, à Iobel, quod est clangor, seu sonitus cornu arietini, vnde & annus Iobilæus dicitur) ad decantandam gloriam nominis Dei, ad celebrandam gloriam magnificentiæ eius, ad illustrandã laudẽ eius, qua est insignis & reuerẽdus propter admiranda sua opera, & qua, omnipotentiæ suæ magnitudine, impia cõsilia & violentos conatus hostium suorum frãgit ac pudefacit. Et breuiter: Omnis, inquit, terra, omnes terræ habitatores, adorent DOMNVM, exhibeant ei quibuscunq; decet gestibus diuinum & congruentem honorem, ac celebrent eum, tam lingua & voce, quàm Psalmis, & instrumentis musicis. Dubitas autem fortè, quid illud sit, quòd Spiritus sanctus tam copiosè, & sollicitè exigat & vrgeat, vt laudemus Deum, & celebremus gloriam nominis eius, num Deus laborat ambitione, & quærit auram popularem, qui est affectus hominum huius seculi? Absit, Deus, ipsa vera est gloria, & summa maiestas, vt quod ad se attinet, non indigeat, nec hominum, nec angelorum laude: sed nos potius homines laude & gloria nominis eius indigemus: sumus enim in peccatis concepti & nati, ac propter hoc natura obnoxij iræ Dei, & æternæ condemnationi: nec vlla nobis reliqua est salus, nisi in agnitione DOMINI Dei nostri, per Iesum Christum, vt credamus in Deum, quòd sit nobis propitius, propter Christum, & speremus in eum, quòd sit

Esa. 5.

seruator noster in omnibus aduersis, ac liberator, ad consequendam veram et æternã felicitatem, in Christo Iesu DOMINO nostro. Quare celebratio nominis, & gloriæ Dei, nobis, nobis, inquam, ipsis necessaria est, vt ex ea per Spiritum sanctum inuitati, & excitati, Deum verè agnoscamus, & fidem ac spem cõcipiamus, & finem fidei, quæ est æterna salus, reportemus. 1. Pet. 1.

Sed quę sunt insignia illa opera, propter quæ Deus sit celebrandus, & nomen eius glorificandum? Animaduerte ergo mihi, quòd Spiritus ipse sanctus, inuitet nos ad ea cognoscenda.

5. *Venite, (inquiens) & videte opera Dei, quàm reuerendus (seu mirificus sit Deus) studio inter filios hominum.*

Etsi enim admiranda Dei opera manifesta & cõspicua sunt, in toto orbe terrarum, tamen, quia homines sunt cessatores, & ignauiores, quàm vt multum operæ in ijs rectè considerandis ponant, libet, non solùm vos ad ea cognoscenda cohortari, verùm etiam præcipua ex ijs nominatim commemorare, vt reipsa percipiatis, quàm reuerendus & mirificus sit DOMINVS Deus noster, in studijs, consilijs, institutis, & factis suis, in vniuerso humano genere, ideoque haud immeritò debeatur ei omnis laus, & celebratio nominis eius. Pertinet autem hic versiculus ad mouendam attentionem, & ad excutiendam ociosam tantiam in considerandis miraculis Dei. Deus enim ædit miranda sua opera, non in priuatum tantùm vnius

vnius aut hominis aut temporis, sed in publicũ omnium hominum, & temporum vsum. De qua re monet nos Christus ipse, cum discipulorum suorũ somnolentiam in intuendis miraculis, quæ quinque & septem panibus ædita fuerant, grauissimè repræhenderet: Quid disputatis, inquiens, inter vos, quòd panes non habetis? nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes, non cernitis? aures habentes, non auditis? & non meministis, cùm quinque panes fregissem in hominum quinq; millia, & septem panes in septem millia, quot cophinos fragmẽtis plenos sustulistis? Arrigamus igitur aures, & intendamus oculos in miracula Dei, vt ex his cõcipiamus timorem DOMINI, & alamus fidem & spem nostram in omnibus aduersis. *Mar. 8.*

6. *Conuertit mare (rubrum) in aridam, & per fluuium (Iordanem) transierunt pede (sicco,) Ibi lætabamur in ipso.*

Narratio, qua commemorantur præcipua & insignia Dei miracula, propter quæ Deus sit laudandus. Ac initio recensetur mirandũ illud opus, quod, egressis Israëlitis ex Ægypto, editum est in mari rubro, deinde etiam in Iordane: Conuertit, inquiens, mare in aridam. Cum enim Moses extendisset, iuxta verbum DOMINI, manum super mare, abstulit illud DOMINVS flante vento vehementi & vrente, tota nocte, & vertit in siccum, diuisaq; est aqua. Et ingressi sunt filij Israel per mediũ sicci maris. Erat. n.

aqua,

aqua, quasi murus, à dextra eorum & læua. De transiectu autem Iordanis dicit scriptura: Ingressis sacerdotibus, qui portabant arcam fœderis, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, (Iordanis autem ripas aluei sui, tempore messis impleuerat) steterunt aquæ descendētes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe. Et mox: Populus incedebat contra Iordanem, & sacerdotes, qui portabant arcam fœderis DOMINI, stabant super siccū humum in medio Iordanis accincti, omnisq; populus per arentem alueum transibat. Hęc duo sunt memorabilia miracula, quæ meritò principem locum obtinent. Etsi enim alia quoque illustria miracula, ab initio conditi orbis, in liberandis & conseruandis Patriarchis, ac in augendis & tuendis familijs eorum, ædita sunt, qualia sunt, quòd Noha cum suis conseruatus sit saluus in diluuio, & Loth cum filiabus in conflagratione Zodomæ: tamen illa de transitu maris rubri & Iordanis erant recentiora, & incurrebant in oculos, non tantùm vnius populi Israëlitici, verùmetiam omnium aliarum finitimarū gentium. Et quia Paulus Apostolus affirmat, inuisibilia Dei, quæ sunt æterna eius potentia, ac diuinitas, cognosci per visibilia, idcirco Deus testificatus est per illa miracula, primùm omnipotentiam suam, qua omnia tam in cœlo, quàm in terra, non semper pro ordinaria naturæ rerum conditione, sed pro voluntatis suæ arbitrio, gubernat. Natura enim aquæ, vt deorsum vergat, nec possit se, sua virtute, in altū, instar muri sustollere & immobilis consistere, Deus autem tantæ est potentiæ, vt sicut aquas fluidas solo

Rom. 1.

verbo

verbo condidit, ita etiam ſolo nutu efficere queat, vt aquæ fluidæ ſint ſtabiles, & vel præbeant ſe viatori firmas, quò ſuper ipſas, tanquàm in arida terra ambulare poſsit, vel cedant pedibus, quò terram contingant, & iter ſuum, ſtantibus vtrinq; aquis immobilibus, tutò conficiant: Interrupit mare, inquit alius Pſalmus, & perduxit eos, & ſtatuit aquas, quaſi in vtre. Et iterũ alius: Tu dominaris poteſtati maris, motum fluctuum eius tu mitigas. Et Eſaias: Nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſsi vehementis, qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſirent liberati? Agnoſcamus igitur omnipotentiam Dei, & celebremus nomen eius, vt ſiquando nobis auxilium Dei in aduerſis expectandum fuerit, non dubitemus de potentia eius, etiamſi ordinaria rerum natura aliud præ ſe ferre videatur. Deinde Deus teſtificatus eſt his miraculis clementiam & miſericordiam ſuam, qua Eccleſiam populiſui complectitur. Maluit enim in mari rubro, & Iordane rerum naturam inuertere, quàm Eccleſiam ſuam in periculis deſerere, & hoſtibus mactandam obijcere. Adhæc, teſtificatus eſt etiam veritatem, & certitudinem promiſsionum ſuarũ. Extant enim multę promiſsiones, quibus Deus recepit ſe poſteritatem Abrahę benedicturum, & in poſſeſſione terrę Canaan collocaturũ. Cum igitur his promiſsionibus Dei obſiſterent, tam Ægyptij, quàm Cananæi, & obſtarent tam mare rubrum, quàm Iordanis, viſum eſt Deo Ægyptios potius aquis obruere, & Cananæos, gentes impias delere, ac mare & Iordanem exiccare, quàm in promiſsis ſuis mendax

Pſal. 78.

Pſalm. 89.

Eſa. 51.

Deut.7.& 9. haberi: Non propter iustitias tuas, inquit DOMINVS, & æquitatem cordis tui, ingredieris, vt possideas terras earũ, sed vt DOMINVS compleret verbum suum, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis. Postremò, testificatus quoq; est his miraculis non veritatem tantùm promissi sui, erga electam suam Ecclesiam, verùmetiã seueritatem suam erga Gentes impias, & impœnitentes. Nam, vt Ægyptij, persecutores Ecclesiæ Dei, & Cananæi, hostes eius, dignis supplicijs afficerentur, necesse habuit mare rubrum admirabilem præbere transitũ Israëlitis, vt liberarentur, & iterum in suum alueum redire, vt Ægyptij punirentur, Iordanis autem conuerti retrorsum, vt Israëlitis via, ad opprimendos & delendos Cananæos, iuxta mandatũ Dei, patéret. Mentione igitur miraculorũ, quæ sunt in mari rubro, & in fluuio Iordane ædita, excitemur ad laudandum nomen DOMINI, & ad agnoscendã omnipotentiã, clementiam, veritatem, & seueritatẽ eius, vt concipiamus, per Spiritũ sanctum, timorem Dei, & fidem, ac confirmemur spe in omnibus aduersis nostris, hi enim sunt cultus, vt maximi, ita DOMINO Deo nostro acceptissimi. Quod autem in fine huius versiculi additur: Ibi lætabamur in ipso (videlicet, vel DOMINO, vel admirando illo facto) admonet nos de insigni illa lætitia, qua Israëlitæ, postquàm salui euaserunt mare rubrum, affecti sunt: quam etiam lætitiam testati sunt, tam viri quàm mulieres, tam maiores, quàm minores publico carmine, (Cantemus DOMINO, Gloriosè enim magnificatus est &c.) quod descriptum est in Exodo, cap. 15.

7. Domina-

℣. *Dominatur fortitudine sua orbi, oculi eius intuentur Gentes, defectores autem non exaltabunt se.*

Sequitur aliud mirandum opus, propter quod Deus sit laudandus, & reuerendus: Dominatur (inquit) fortitudine sua orbi. Singula verba expendenda sunt.

Dominatur. Deus nō simpliciter administrat orbem sicut prefectus quispiã, aut officialis, regionem, sed dominatur, vt Rex, aut Monarcha in regno suo.

Fortitudine sua. Dominatur in orbe, non aliena virtute, sicut reges mundani, qui, quod ad priuatam ipsorum personam attinet, imbecillitate non differunt ab alijs hominibus, nec potest horum quisquam per se solus gubernaculũ regni sui sustinere, vt hac in parte verum sit, quod vulgò dicitur: Vnus vir, nullus vir: sed necesse habent regna sua, aliena videlicet, seruorum, præfectorum, militum & equitum virtute administrare. Deus autem dominatur in mundo, sua ipsius fortitudine & virtute, & Monarcha est sibi ipse sufficiens. Etsi enim in gubernatione orbis vtitur etiam ipse ministerio angelorum & hominum, tamen non vtitur ijs aliqua sua ipsius necessitate, sed gratuita sua ordinatione, quòd cum visum fuerit eos singulari consilio condere, voluerit etiam aliquem eorum esse vsum, in gloriam nominis sui, & in cooperationem dominationis eius. Et quod Paulus de Apostolorum ministerio, in ædificanda Ecclesia dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incremen- 1. Cor. 3.

crementũ, Deus, Et mox: Dei ſumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio eſtis, idem nobis de totius orbis adminiſtratione dicendum eſt. Angeli ſunt in ſuo vſu, ad q'tẽ diuinitus ſunt ordinati ſpiritus adminiſtratorij, homines ſunt in ſuo quoq; vſu cooperarij Deus autem eſt creator, & rerum omnium conditor. Itaq; neq; adminiſtri, neq; cooperatores ſunt aliquid, ſed ſolus Deus creator. Et cooperarij quidem Dei ſumus, Dei autem ſolius eſt potentia, creatio, dominatio, & gubernatio.

Orbi. Pro (Orbi) apud Hebræos eſt עולם Holam, quod nunc ſignificat æternum, ſeu infinitum, nunc durationem ad tempus, idq; ſecundum materiam ſubiectam, nunc ſeculum ſeu mundum, aut orbem. Quare, ſi hanc dictionem pro æterno intelligas, ſententiam eius exponit Pſalmus 145. Regnum tuum, inquiens, regnum in omnia ſecula, & poteſtas tua in generationem & generationem. Si autem pro mundo aut orbe intelligas, ſignificat DOMVNVM non in vna tantùm parte huius mundi, ſed in vniuerſo mundo, omnipotẽtia ſua dominari. Vnde & additur: Oculi eius intuentur gentes, & deſectores, ſeu peruerſi, contumaces, & increduli, non exaltabunt ſe, non emergent, non promouebunt in inſtituto ſuo. Deus enim non tantùm dominatur in vniuerſo mundo potenter, ſed etiam gubernat vniuerſas gentes prouidenter: Oculi eius, inquit, intuentur Gentes, vt non ſolùm curam habeat ſalutiſpiorum in Iſraël, & puniat impios inter Iſraëlitas, verùm etiam ſeueriter animaduertat in peruerſos, & incredulos inter omnes Gentes. Non enim eſt

reſpectus

respectus personarum, (vt Paulus ait) apud Deum: sed quicunq; sine lege peccant, sine lege & peribũt. Quicunque autem in lege peccant, per legem iudicabuntur. Huc pertinet etiam illud Psalmi 94. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantauit aurem, non audiret? qui formauit oculum, non aspiceret? qui erudit gentes, non argueret? qui docet hominem scientiam. DOMINVS scit cogitationes hominum, quod sint vanæ. Agnoscamus igitur omnipotentiam & prouidentiam Dei, in vniuerso mundo, vt sciamus omnes etiam pilos capitis nostri numeratos esse, & nihil temerè nobis in hoc mundo accidere.

8. *Benedicite populi Deo nostro, & proclamate laudem eius.*

Hic versiculus, aut est cõclusio prioris Enthymematis. Deus ædidit maxima miracula, & dominatur in orbe summa potentia & prouidentia. Benedicendus igitur est, & quo fieri potest, præconio laudandus. Aut est repetitio propositionis, vt iterum excitet auditorem ad attentionem, & transeat ad commemoranda alia miracula, propter quæ nomen Dei sit celebrandum.

9. *Qui conseruat animam nostram, in vita, & non permittit, vt labantur pedes nostri.*

Prosequitur narrationem antea cœptã de miran-

dis Dei operibus in humano genere, quorum illud non est postremum, quod conseruet animam nostrã invita, & non conniueat, vt pedes nostri in incessu suo vacillent. Postquam enim satan proturbatus est è cœlo, & factus est sua ipsius malitia, ab initio mendax & homicida, ac vidit hominem ad similitudinẽ & imaginem Dei, qua ipse priuatus erat, conditum, tanto odio humani generis tenetur, vt primùm quidem summo astu operam dederit, quo hominem è cœlestibus bonis deiiceret. Quod, postquam ei succesisset, & imperium in eum assecutus esset, teneri non potest, quin quaqua occasione vitæ & saluti eius insidietur, ac diu noctuq; circumeat, sicut leo rugiens, quærens, quem deuoret. Sed Deus tanta
Dani.10. est clementia in hominem, vt iuxta Danielem, op-
Heb.1. posuerit initio satanæ & angelis eius spiritus administratorios, qui incursum eius frangant & cohibeant, ne pro sua libidine grassetur in humanum genus. Nam, si suo ingenio & voluntati relinqueretur, tam inuidus & virulentus spiritus est, vt nihil, nec in cœlo, nec in terra, saluum constaret. Visum igitur est Deo, pro sua clementia, statuere tyrannidi & crudelitati eius terminum, vt quemadmo-
Iob.38. dum concluſit mare ostijs, & vectibus, ne transgrediatur definitos suos limites, ita posuerit satanæ & angelis eius terminos, intra quos contineantur. In
Iob.1. Iobe, permittit Deus satanam sæuire in facultates eius, sed arcet eum ab inferenda violentia in
3.Reg.22. tam eius. In libris Regum, etsi satan natura sua, spiritus est mendax, tamen non potest decipere, & mendaces reddere Pseudoprophetas Ahabi, nisi ac-

accepta à Deo potestate. Apud Matthæum, non potest satan in gregem porcorum grassari, nisi permissu Christi. Quare, quòd satan non misceat cœlum terræ, & non statim hominibus à conceptu, & ortu vitam abrumpat, Dei manus & munus est, defendentis nos, per bonos suos angelos, ab immanitate sataneæ, & conseruantis animas nostras, in vita. Etsi enim Deus per se sufficientissimus est, vt nos saluos & incolumes ab omni diabolorum incursu conseruet, tamen visum est ei, quemadmodum paulò antè dicebamus, angelorum ministerio vti, quòd maiestati diuinæ intantum nihil adimit, vt eo illustrior reddatur. Deinde opposuit satanæ vnigenitum filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui in hoc apparuit, (sicut Ioannes ait) vt opera diaboli soluat. Diabolus enim in illud vnum studium intentus est, vt ablata iustitia, iniustitiam inducat, vt extincta vita, mortem inferat, vt adempta felicitate, infelicitate opprimat, denique vt sublata tranquillitate omnia perturbet. DOMINVS igitur Deus noster, tanta est bonitate, vt opposuerit diabolo primùm seipsum, sua omnipotentia, deinde Angelos, suo ministerio, postremò vnigenitum filium suum Iesum Christum, sua autoritate, qua defensi, non tantum conseruaremur in hac corporali vita, iuxta suam cuiusq; periodon, verùmetiam perduceremur in æternam, beatam & cœlestem vitam. Cæterùm, quòd in hoc versiculo additur: Non permittit, vt labantur pedes nostri, habet etiam testimonium

Matth. 8.

1. Ioan. 3.

Psalmi

Psalmi nonagesimi primi: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Sed si DOMINVS, inquies, non permittit, vt labantur pedes nostri, & angeli custodiunt nos, vt non offendamus pedem ad lapidem, quid est, quòd multi non solùm collabuntur & offenduntur pedibus, verùmetiam ita concidunt, vt ex hac vita excedant, & animam exhalent? Vbi est DOMINVS Deus sustẽtans eos? vbi Angeli spiritus administratorij custodientes eos? vbi Christus saluans eos? Sciamus igitur, quòd nihil temerè fiat: non cadit, ne passer quidẽ in terram, sine Deo patre nostro: & nostri etiam pili capitis omnes numerati sunt: nec angeli sunt cessatores, & officij sui desertores, sed pendent omnes à volũtate Dei. Quare, si fuerit pius, cui illud accidit, adiumento est in bonum: His enim, qui diligunt Deum, (teste Paulo) omnia simul adiumento sunt in bonum, nimirum his, qui iuxta propositum vocati sunt. Si autem fuerit impius, iusto Dei iudicio accidit, vt quem bonitas Dei non reuocauit ad pœnitentiam, is seueritate Dei iustè puniatur.

Rom. 8.

10. *Probasti nos Deus, & examinasti nos, sicut examinatur argentum.*
11. *Induxisti nos in nassam, imposuisti onus in lumbis nostros.*
12. *Inuexisti homines super caput nostrum, peruenimus ignem & aquam, sed eduxisti nos in refrigerium.*

Hos versiculos, Pontificia & Monastica superstitio

tio detorserunt ad comprobandum ignem purgatorium, in quo finxerunt, animas mortuorum magno cruciatu affligi, donec expient peccata illa, de quibus in hac vita non egerunt sufficientem pœnitentiam. Sed vanitas ipsorum manifesta est. Neq; enim talis est ignis purgatorius, in rerum natura, qualem illi somniarunt: & hi versiculi concionãtur quidem de afflictionibus populi Dei, sed quæ accidunt ei in hac vita, & è quibus mirando modo liberantur. Pergit enim Psalmus commemorare mirabiles liberationes populi Dei, propter quas nomen DOMINI sit omni laude dignissimum. Videntur autem maximè omnium epitome esse libri Iudicum, in quo recitantur, nunc grauissimæ & horribiles Israëlitarum ærumnæ, quas ab impijs, & finitimis gentibus sustinuerunt, nunc admirandæ liberationes, quibus, diuina clementia, præter omnem expectationem seruati sunt: Probasti (siue probaueras) nos, (inquit) ô Deus, examinasti nos, sicut examinatur argentum. Hoc illud est, quod in libro Iudicum, cap. 2. scribitur: Fecerunt filij Israël malũ in conspectu DOMINI, & seruierũt Baalim. Ac mox: Iratus DOMINVS contra Israël, tradidit eos in manus diripientiũ, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere aduersarijs suis. Et iterum: Quia irritum (inquit DOMINVS) fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorũ, & vocem audire contempsit, & ego non delebo Gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est, vt in ipsis experiar Israël, vtrum custodiant viam DOMINI, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres

eorum, an non. Dicitur igitur DOMINVS probasse Israëlem, & examinasse eum igni, sicut examinatur argentum, cum obiecit eos reliquijs Gentium Cananæarum, & finitimis populis diripiendos, opprimendos, & in seruitutem redigendos, vt reuocarentur ab Idolomania, & impietate sua, ac excitarentur ad capessendum verum cultum Dei, quem Moses, diuino mandato, præscripserat. Dicitur etiam induxisse eos in nassam, seu rete, vt caperentur, sicut pisces capi solent, & circumdedisse lumbos eorum grauissimo onere, seu catena, qua in captiuitatem abducti fuerunt, ac imposuisse homines super caput eorum (hoc est) subiecisse eos tyrannis, vt crudelitate eorum immaniter affligerentur, cum traditi sunt in manus *Iudi. 3.* Chusan Risathaim Regis Mesopotamiæ, & seruierunt ei octo annis. Similiter in manus Eglon Regis Moab, cui necesse habuerunt seruire, hoc est, extremas miserias sufferre, decem & octo annis. Quid dicam de Iabin Rege Canaan in Asor, de Midianitis, *Iudi. 4. 6. 10. & 13.* de Ammonitis, de Philistinis, deq; alijs finitimis populis, quorum tyrannide Israëlitæ, nunc viginti, nunc septem, nunc decem & octo, nunc quadraginta annos crudeliter vexati, & oppressi sunt: quas ibi miserias non viderunt? quas calamitates non sunt perpessi? Quid multis opus? Peruenerunt in ignem & aquam, (hoc est) in omnia extremarum afflictionũ genera, vt de salute Israëlitici populi prorsus conclamatum esse videretur. Sed in tantis malis, ecce tibi admiranda opera Dei. Etsi enim Israëlitæ impietate & Idolomania sua meriti erant

extremam

extremam παραλογίαν, tamen Deus excitatus resipiscentia eorum, & inuocatione nominis sui, eripuit eos semper, mirandis modis, è tyrannide hostium suorum, & eduxit eos iterum in refrigerium: ac nunc quidem misit eis seruatorem Athnielem, nunc autem Deboram Prophetissam quidem, sed mulierem, nunc Gideonem, nunc Iepte, nunc Samsonem, quorum ministerio vsus, maxima ædidit miracula, vt populum suum seruaret. Obseruemus autem verba Psalmi diligenter. Cum enim recenset aduersa, quæ Israëlitis acciderunt, non adscribit ea virtuti hostium, sed dispensationi diuinæ: non dicit, hostes suis ipsorum viribus probarunt nos, & induxerunt in nos hæc mala, sed: Tu Deus, inquit, probasti nos, induxisti nos in nassam, inuexisti tyrannos in nos, vt peruenerimus in ignem & aquam. Quid igitur? Hoc certè artificium omnino discendum est, vt afflictiones, quæ nobis inferuntur, non accipiamus è manu vel Satanæ, vel hostium, aut inimicorum, sed tantùm è manu DOMINI Dei nostri: Ego DOMINVS, inquit apud Esaiam, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, seu bellum. Et apud Hieremiam: Quis est iste qui dixit, vt fierent, DOMINO non iubente? Ex ore altissimi non egredientur, nec mala, nec bona? Et Iob, cum spoliatus esset facultatibus suis, non ait, Sabæi & Chaldæi abstulerunt mihi, sed ait: DOMINVS dedit, DOMINVS abstulit: sicut DOMINO placuit, ita factum est: sit nomen DOMINI benedictum. De hac autem

Esai. 45. *Hiere. Thre. 3.*

re ideirco admoneniur, vt cum è manu DOMINI aduersa accipimus, sciamus ab eadem petendam etiã opem in aduersis, & certò sperãda esse prospera: Ve-
Oseæ 6. nite, inquit Oseas, & reuertemur ad DOMINVM, quia ipse discerpsit nos, & sanabit, ipse percussit nos, & curabit, viuificabit nos post duos dies, &c. Illud etiam obseruandum est, quale videlicet sit consilium Dei, in affligendo populo suo. Quod enim DO-
Hiere. 29. MINVS dicit apud Hieremiam, de captiuitate Babylonica: Ego scio, inquiens, cogitationes, quas ego cogito super vos, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem & patiẽtiam, hoc idem sentiamus à DOMINO dici, in singulis calamitatibus, quibus Ecclesia Dei, vel priuatim vel publicè affligitur. In Hosea ait: Quomodo dabo te Ephraim? &
Hose. 11. tradam te Israël? Nũquid sicut Adamã, & Zeboim? Conuersum est intra me cor meum, pariter succensę sunt pœnitudines meæ. Nõ faciam furorẽ iræ meæ, nõ conuertar, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus. Et Hiere-
Thre. 3. mias in Threnis: Non repellet in sempiternum DOMINVS. Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Quare, nomen DOMINI, vel hac causa, maximè omnium commendandum, & sua laude ornandum est, quòd etsi succenset populo suo, propter peccatum, tamen non ita succenset, vt perdat, sed vocet ad pœnitentiam, & conferat in pœnitentes omne genus beneficiorum. Nec longè petenda sunt exempla, vel liber ille Iudicum, cuius epitomẽ hic Psalmus commemorat,

memorat, ſuppeditat nobis exemplorum copiam. Traditi ſunt Iſraëlitæ, propter Idolomaniam, ſicut paulò antè dicebamus, in manus Regis Meſopotamiæ, ſed poſtquam egerunt pœnitentiam, & clamauerunt ad DOMINVM, excitatus eſt eis diuinitus ſeruator, Athniel. Deinde, cum redirent ad ingeniũ ſuum, & ad veterem impietatem, traditi ſunt tyrannidi Moabitarum affligendi non certè, vt opprimerentur, ſed vt reſipiſcerent, & ſeruarentur. Vnde, poſtquam reſipiſcerẽt, miſſus eſt ſeruator Ehud. Sed cum ne ſic quidem diu continerentur in officio, & iterũ propter impietatem, crudelitati hoſtiũ obijcerentur, Deus tamen teneri nõ potuit, quin ad clamorem agentium pœnitentiam excitaret liberatorem Heroinam Deboram. Breuiter, totus liber Iudicum illo præcipuè argumento conſtat, quòd Deus perſpicuis exemplis teſtificetur veritatem illius cœleſtis dicti, quod apud Ezechielem extat: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem impij, ſed magis, vt conuertatur, & viuat. Cum ergo Deus ad hunc modum, erga peccatores, calamitatibus obiectos, affectus ſit, quid eſt, quòd animũ de cœleſti ope deſponderemus? cur aliena auxilia quæreremus? Quin potius agamus pœnitentiam, & reuertamur ad DOMINVM, vt qui afflictionis autor eſt, idem etiam ſit autor liberationis & ſalutis. *Iud. 3.*

13. *Ingrediar in domum tuam, cum holocauſtis, reddam tibi vota mea.*

14. *Quæ promiſerunt labia mea, & locutum eſt os meum, in tribulatione mea.*

25. *Holocausta pinguia offeram tibi, cum suffitu arietum, sacrificabo boues cum hircis.*

In superioribus versiculis, narrauit Psaltes multa admirãda opera, quibus Deus ingentẽ, ac plane diuinã laudẽ assequitur, & nomẽ eius reuerẽdũ ac augustũ reddit. Nunc aũt recitat suum ipsius exemplum, quippe in quẽ Deus tãta beneficia, & tã admirabilẽ salutẽ, in omnibus aduersis contulerit, vt agnoscat se multò minorẽ, quàm qui ipsi dignas gratias persoluere queat. Et tamẽ recipit se gratitudinẽ suã, quoquo modo posit, testificaturũ: Ingrediar, inquiens, in
Deut. 16. domũ tuã, nõ vacuus, Lex. n. iubet, ne quis in cõspectu DOMINI vacuus appareat, sed cũ holocaustis, et reddã, in gratiarũ actionẽ, sacrificia, quæ ex voto, in aduersis meis suscepi, & meis ipsius verbis me obla-
Mala. 1. turũ promisi, & obstrinxi. Offerã aũt holocausta, nõ cæca, non clauda, nõ languida, nõ mutila, nõ macilẽta, nõ ex rapinis, quæ lex DOMINI à sacrificijs submouet, sed immaculata, pinguia, integra & perfecta.
Leui. 1. 3. & 7. Breuiter, offerã sacrificia boum, hircorũ & arietum, vnà cũ suis adipibus, incensis, & suffimentis, non pro carnalis prudẽtię meę arbitratu, sed iuxta omne Leuiticę, ac diuinæ legis prę scriptũ. Etsi verò hęc sacrificiorũ genera fuerũt in Ecclesia Israëlitica diuinitus ordinata, & vel pro impetrãdis, vel pro impetratis à Deo beneficijs, vsitata: tamẽ nõ fuerunt veritas ipsa, quẽadmodũ aliàs suo loco demõstrat, sed tãtùm qualiscũq; veritatis adumbratio. Nec Psaltes arbitratus est, se operibus horũ sacrificiorũ, Deo, pro acceptis beneficijs satisfacere, etiãsi multas hecatombas, Leuitico

tico ritu, offerret, ſed ſignificat tantùm his verbis, ſe prorſus nihil carũ rerũ, quod in ſe eſt, omiſſurũ, quibus gratitudinẽ animi ſui erga Deum declarare queat: Si voluiſſes, inquit Dauid aliàs, ſacrificiũ, certè dediſſem: holocauſtis aũt nõ delectaris: ſacrificiũ Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritũ & humiliatũ, Deus, nõ deſpicies. Et in Epiſto. ad Hebræos: Per ipſum *Heb. 13.* offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructũ labiorũ confitentiũ nomini eius. Beneficẽtiæ aũt & cõmunicationis ne obliuiſcamini. Talibus. n. victimis placat Deus. Quare, ſi quis his temporibus, quibus patefactũ eſt & illuſtratũ Euãgelion Chriſti, ac abrogatus Leuiticus cultus, ſuſceperit Deo, pro acceptis beneficijs, gratias agendas, nõ properet ad hoc locauſta boũ, arietum et hircorum, ſed ad fiduciã in Chriſto collocãdã, ad ſpẽ in aduerſis confirmadã, ad nomẽ DOMINI, tam corde, quàm verbis & factis, adeoq; omni genere obedientiæ & virtutis cõmendãdum & celebrandum. Hoc enim gratitudinis genere non poteſt Deo acceptius officium præſtari. Sed agedum, quod eſt inſigne illud & eximium beneficium Dei, propter quod recipis te tantum holocauſtorum offerendum, & nomen DOMINI laudandum? Sequitur.

16. *Venite, audite, & narrabo, (vobis) quotquot timetis Deum, quæ fecerit animæ meæ.*

Iterum hortatur auditorem ad attentionem, vt quemadmodum antea, verſiculo quinto, admonuit eum ad diligentem conſiderationem publicorum operum

operum & miraculorum Dei, ita nunc etiam admoneat, ad expendendum priuatum beneficium, quod Deus in ipsum contulit. Deus enim non solum testificatus est suam maiestatem publicis miraculis, sed etiam priuatis in ipsum beneficijs. Agite igitur, venite, audite, & commemorabo vobis, quotquot estis timentes Dei, quantis beneficijs Deus me priuatim affecerit, quantaue admiranda animæ meæ, (hoc est) mihi ipsi præstiterit. Optarim quidem, vt liceret mihi cohortari non tam pios, timentes Dei, quam impios, contemptores Dei, ad horum beneficiorum considerationem, sed hi arbitrantur tales admonitiones, partim stultas & ridiculas, partim supervacaneas & inutiles: verto igitur me ad illos, qui sunt studiosi verbi Dei, & ad pios, quibus admiranda opera Dei habentur obseruatione dignissima, vt consequantur ex ipsis cœlestem vtilitatem.

Quod ergo est illud admirandum Dei beneficiū, ad cuius considerationem homines pij aures attigere, & oculos dirigere debeant? Sequitur.

17. *Ad ipsum ore meo clamaui, & glorificaui eum lingua mea.*

18. *Iniquitatem si instituissem in corde meo, non exaudiuisset* DOMINVS.

19. *Exaudiuit autem Deus, & attendit ad vocem orationis meæ.*

20. *Benedictus (igitur) Deus, qui non reiecit orationem meam, nec (abstulit) suam beneficentiam à me.*

Hoc est illud excellens & admirandum beneficium,

tium, quod præstitit mihi DOMINVS, & propter quod summis eum laudibus effero, ac omni gratiarum genere dignum censeo, videlicet, quòd cum in aduersis meis clamarem ore meo ad DOMINVM, & glorificarem eum lingua mea, exaudiuerit inuocationem meam, & liberauerit me ex omnibus tribulationibus. Fateor quidem, quòd DOMINVS non exaudiuisset me, si vel corde non credidissem, & ex fide ipsum non inuocassem, vel ad idolum respexissem, vel confisus essem mea ipsius iustitia, vel proposuissem facere rem iniquam, & scelus aliquod aduersus Deum, aut proximum designare. Non enim est dubium, quòd Deus non exaudiat peccatores, videlicet impœnitentes, & incredulos: Clamauerunt, inquit alius Psalmus, nec erat, qui saluos faceret, ad DOMINVM, nec exaudiuit eos, quia sequitur: Filij extranei negant me: Filij extranei contabescunt. Et in Prouerbijs Salomonis: Inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me. Et additur: Eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem DOMINI non susceperint. Et apud Esaiam: Cum extenderitis, dicit DOMINVS, manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quid ita? quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. Ac iterum: Ecce non est abbreuiata manus DOMINI, vt saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt, inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Manus enim

Ioan. 9.
Psalm. 18.
Prouer. 1.
Esa. 1.
Esa. 59.

veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, &c. Deus igitur, etſi natura ſua clementiſsimus eſt, tamen auerſatur preces impij peccatoris, & non exaudit illos, qui in peccatoris ſuis præfractè, ac impœnitenter ambulant. Exaudiuit autem Deus (inquit) preces MEAS, & attendit ad vocem orationis meæ. Tantum enim abeſt, vt auerſatus ſit inuocationem meam, & abſtulerit beneficentiam ſuam à me, vt ſubinde nouis & mirandis beneficijs affecerit me. Manifeſtum igitur eſt, quòd in inuocatione mea, nullam impietatem meditatus ſim, nec aliquid ſceleris inſtituerim, ſed quòd ex vera fide orauerim. Quid ergo? iactat ne Pſaltes iuſtitiam ſuam, & puritatem manuum ſuarum coram Deo? Nihil minus, ſed iactat tantùm gratuitam Dei clementiam, & diſcernit inuocationem ſuam, ab inuocatione impiorum, ac impœnitentium. Etſi enim & ipſe eſt peccator, non tamen eſt peccator impius & impœnitens, ſed pius, credens & pœnitens, Deus autem omnem clementiam, miſericordiam, & precum exauditionem promiſit POENITENTIBVS. Pſaltes igitur neceſſariò ſeparat ſe ab impœnitentibus, vt & includat ſe in promiſsionem Dei. Quod cum ita ſe habet, reliquum eſt, vt exclamemus cum Pſalmo: Benedictus ſeu laudandus ſit Deus, & quod eſt in principio Pſalmi: Omnis terra adoret te, & pſallat nomini tuo. Tot enim extant admiranda opera diuinæ maieſtatis, tam publica, quàm priuata, vt ſi nobis eſſent centum ora, & ſexcentæ linguæ, non poſſemus nomen DOMINI, pro ſua dignitate, ſatis ornare, & celebrare.

VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Vsum eius suprà, in expositione Psalmi attigimus. Iubemur enim laudare & glorificare nomen DOMINI, non quòd Deus delectetur humanis blanditijs, sed vt nos ad fidem, spem, & charitatem, qui sunt summi Dei cultus, & gratissima officia, excitemur. Nomen enim Dei est, omnipotentia, clementia, misericordia, veritas, longanimitas, iustitia & seueritas, quemadmodum recensentur in Numeris cap. 14. & in Psalmo 103. Vbi autem hæ virtutes de Deo prædicantur, ibi Spiritus sanctus habet organon, quo accendat in nobis fidem, spem, patientiam, tollerantiam, timorem DOMINI, & omne genus virtutum, quibus Deus verè colitur. Cantemus igitur nomen DOMINI, & celebremus gloriam eius, vt & nos vicissim cœlesti gloria ornemur.

Psalmus 67.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, &c.

IN libro γενέσεως cap. 22. dicitur ad Abrahamum de Christo: In semine tuo (qui est Christus) benedicentur omnes Gentes terræ. Et cap. 49. dicit Patriarcha Iacob: Iuda, te laudabunt seu confitebuntur fratres tui, Ac mox: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat Silo, (qui est Christus) & ipse erit expectatio Gentium, seu ad quem erit Gentium congregatio.

Psaltes autem, considerans cum animo suo, & expendens spiritu sancto, has de Christo promissiones, videt impletionem earum in longinquum tempus reiici & differri: videt etiam benedictionem spiritualem (de hac enim sermo est) in Christo promissam, intantum non contingere Gentibus, vt exceptis Israëlitis, qui hanc promissionem agnoscebant, OMNES aliæ Gentes (præ quarum multitudine, Israëlitæ videbantur longè omnium minima terræ portio) sordidatæ essent impietate Idolomaniæ, & horrendis sceleribus vitæ: adhæc reipsa comperit, tantum abesse, vt reliquæ omnes Gentes laudent Iudam, expectent Silo, seu Christum, & congregen-

tur

tur ad ipsum, vt potius nihil sit vel nomine vel religione Iudæorum, in conspectu earum abominabilius. Suscipit igitur hunc sexagesimum septimum Psalmum recitandum, vt confirmet tam se quàm alios pios, de veritate diuinæ promissionis, quæ dicta est ad Abrahamum, & de certitudine aduẽtus Christi, ac benedictionis eius inter omnes Gentes per Euangelion diuulgandæ.

Licebit autem hoc Psalmo, pro formula seu precationis seu expositionis vti, quòd Hebræa phrasis ita ferat vt his verbis possis: vel inuocare Deum, pro impletione promissionis, quæ de Christo dicta est ad Abrahamum: vel commemorare vaticinium, de certissima & indubitata eius impletione, quo in fide eius confirmemur.

1. *Deus miserebitur nostri, & benedicet nobis, illuminabit nos vultu suo.*
2. *Vt cognoscatur in terra via tua, & in omnibus gentibus salus tua.*

Principiò, nomine Dei intelligendus est, filius Dei, qui iuxta promissionem assumpturus erat humanam naturam, è posteritate Abrahæ. Deinde, benedictio, de qua hic Psalmus loquitur, est benedictio illa, quæ promissa est in semine Abrahæ, hoc est, in Christo, filio illo Dei & homine. Videbatur autem promissio illa, quemadmodum antea dicebamus, in longum differri, & quasi euanescere: confirmat igitur Psalmus veritatem eius, & consolatur nos, vt non dubitemus, quin certissimè impleatur.

DOMINVS, inquiens, miserebitur nostri, (hoc est) nolite dubitare de certitudine illius benedictionis, quæ nobis in Deo, in filio Dei, in semine Abrahæ promissa est. DOMINVS enim Deus noster nō committet, vt verbum promissionis suæ sit mendax, & vanum. Nos quidem propter ingratitudinem nostram meriti essemus, vt promissio retractaretur, sed incredulitas nostra fidem Dei nō facit irritā: & Deus tanta est clementia ac liberalitate, vt nobiscum agat, non secundum nostram iniustitiam, sed secundum suam immensam misericordiam: ne dubitemus igitur, quin misereatur nostri. Ad hęc, benedicet nobis, recepit enim se benedicturum nobis, in semine Abrahæ. Ac alij quidem contenti sunt benedictione corporali, & externa multiplicatione posteritatis Abrahæ, quæ nobis in præsentia ob oculos posita est, hæc autem, etsi magnum est beneficium Dei, tamen non est vera illa benedictio, quæ in promissione ad Abrahamum dicta, intelligitur, sed vera est, quam spiritus requirit, videlicet, remissio peccatorum, reconciliatio Dei patris, adoptio in filios Dei, liberatio ex omnibus aduersis, & æterna vita ac felicitas, sic enim interpretatur hanc benedictionem spiritus Apostolicus. Petrus, vnà cum reliquis Apostolis, prædicans Euangelion Christi Iudæis in die Pentecostes: Delictorum pœnitentiam, inquit, agite, & baptisetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim facta est promissio, (videlicet quæ dicta est de benedictione in semine Abrahæ) & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscūq; aduocauerit DOMINVS Deus

Actu. 2.

noſter. His verbis Petrus perſpicuè teſtatur, promiſ-
ſionẽ de benedictione in ſemine Abrahæ, intelligẽ-
dã eſſe de remiſsione peccatorũ in Chriſto Ieſu DO-
MINO noſtro. Ac rurſus: Vos eſtis filij Prophetarũ,
ac teſtamenti, quod teſtatus eſt Deus ad patres no- *Actо.3.*
ſtros, dicens ad Abrahã: In ſemine tuo benedictionẽ
cõſequent̃ omnes familiæ terræ. Vobis primùm De-
us, cũ ſuſcitaſſet filiũ ſuum Ieſum, miſit eũ BENEDI-
CENTEM vobis, ita vt vnusquiſq; veſtrum conuer-
teret ſe ab iniqtatibus ſuis. Hîc iterũ docet Petrus,
benedictionẽ in ſemine Abrahæ, eſſe illã ſpiritualẽ,
quæ eſt de remiſsione peccatorũ, & æterna felicita-
te, in Chriſto Ieſu DOMINO noſtro. Cum Petro cõ-
ſentit & Paulus: Præuidet, inquiens, ſcriptura, quòd
ex fide iuſtificet Gẽtes Deus: prius adnunciauit Euã- *Gala.3.*
gelion Abrahamo: Benedicent̃ in te omnes Gentes.
Itaq; qui ex fide ſunt, benedicũtur, cũ fideli Abrahã.
Quotquot.n. ex operibus legis ſunt, maledictioni
ſunt obnoxij. Ac mox: Chriſtus redemit nos à male-
dictione legis, dum pro nobis factus eſt maledictio.
Scriptũ eſt.n. Maledictus omnis, q̃ pendet in ligno,
vt in Gentes benedictio Abraami veniret, PER IE-
SVM CHRISTVM, vt promiſsionẽ ſpiritus accipe-
rem' per fidẽ. Et iterũ: Cõcluſit ſcriptura omnia ſub
peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur
credentibus. Habes Pauli quoq; teſtimonio, benedi-
ctionẽ, quæ promiſſa eſt Abrahæ in ſemine ſuo, in-
telligendam eſſe tam de Chriſto, quàm de ſpirituali
benedictione, quæ contingit nobis per fidẽ in Chri-
ſtum, (hoc eſt) de remiſsione peccatorum, & de ado-
ptione in filios Dei, & in cœleſtem hæreditatem
per Ieſum Chriſtum, DOMINVM noſtrum.

Quare,

Quare, cum Psalmus dicit: Benedicet nobis, significat Christum afferre ad nos omnem cœlestem benedictionem, vt in ipso habeamus condonationem omnium peccatorum, iustitiam, adoptionem in filios Dei, & hæreditatem cœlestis regni. Vnde & additur: Illuminabit nos vultu suo. Tenebræ enim, sunt peccata, aduersa, afflictiones, dolores mortis & inferni: lumen autem est remissio peccatorum, & liberatio ex afflictionibus, morte & inferno. Christus igitur illuminat nos vultu suo, cum aspicit nos propitius, & condonat peccata nostra, ac conseruat nos in omnibus aduersis saluos, ad æternã vitam. Quod autem beneficij genus nobis deerit, Christo sic nos illuminante? Etsi enim præmimur aduersis grauissimè, tamen, quod Christus ad Paulum, satanicis colaphis cęsum, dicit: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea per infirmitatem perficitur, hoc idem ad nos dictum sciamus, vt in præssura nostra certissimam salutem expectemus.

2. Cor. 12.

Sed agedum, quo consilio, tu DOMINE, misereberis nostri, benedices nobis, & respicies nos propitius? Sequitur: Vt cognoscatur in terra via tua, & in omnibus gentibus salus tua. Posterior pars huius versiculi interpretatur priorem. Nam, quod dicitur: Vt cognoscatur in omnibus gẽtibus salus tua, idem est, quod in priori parte dicitur: Vt cognoscatur in terra via tua. Via enim DOMINI est salus, & quõ admodum etiam alius Psalmus dicit, misericordia, (seu beneficentia) & veritas. Quacunque enim via DOMINVS incedat, quicquid instituerit, proposuerit, studuerit, statuerit, & fecerit, non est, si consilium

Psalm. 25.

&

& finem eius consideraueris, nisi clementia, bonitas, & salus: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Vides, ne mortem quidem ipsam esse apud Deum meditationem mortis, sed vitæ. Nec mirũ, Deus enim essentia & natura sua, non est nisi vita & salus, vt, si qui morte perierint, non pereant Dei, sed suo ipsorum vitio, quòd beneficiũ Dei non agnoscant fide, sed incredulitate repellãt. Quare Deus seu filius Dei miserebitur nostri, benedicet nobis, & respiciet nos propitio suo vultu, hoc est, assumet iuxta promissionem suam, hominem, ad expianda peccata nostra, & ad reconciliandum nos cum Deo patre, vt cognoscatur via & salus eius in terra, idq; non tantùm in terra Israëlitica, sed etiam in terris omnium Gentium. Etsi enim Christus in sola Israëlitica terra natus, & in ea sola Euangelion suum, cum hominem assumpsisset, concionatus est, tamen iussit hoc suum Euangelion vulgare inter omnes Gentes, & salutẽ eius, per Apostolos, adnunciare in vniuerso orbe terrarum, vt quotquot siue circumcisi, siue incircumcisi, siue Iudæi, siue Ethnici, siue in Asia, siue in Aphrica, siue in Europa, crediderint, salui fiant, & cœlestem hæreditatem consequantur.

3. *Confitebuntur tibi populi Deus, confitebuntur tibi populi vniuersi.*

4. *Lætabuntur, & exultabunt nationes, quoniam iudicabis populos in æquitate, & diriges gentes in terra.*

Pergit amplitudinem regni Christi explicare:

Confitebuntur, inquiens, tibi populi, Deus, confitebuntur tibi populi vniuersi. Hoc illud est, quod in vaticinio Iacobi Patriarchæ dicitur: Iuda te laudabunt seu confitebuntur fratres tui. Et: Ipse erit
Heb.7. expectatio Gentium. Laus enim & confessio Chri-
Apoca.5. sti, qui est exortus è tribu Iuda, non concludetur intra angustos tantùm terminos terræ Israëliticæ, sed spargetur etiam in vniuersum orbem terrarum: nec solùm laudabitur & celebrabitur Christus inter fratres suos in populo circumciso, verùmetiam inter externos & alienos in populo, videlicet omnium Gentium incircumcisarum, vt in Christo & propter Christum afficiantur lætitia, & felicitate nationes, hoc est, tam Israëlitæ, quàm reliquæ omnes nationes, siue propinquæ, siue longinquæ. Quam ob causam? Quia tu Christe, iudicabis populos in æquitate, & diriges Gentes, in vniuersa terra. Hæc est descriptio sceptri, quo Christus administrat & gubernat regnum suum. Quid ergo causæ est, quòd Christus celebretur, & commendetur in omnibus Gentibus, & quòd omnes nationes, summa in regno Christi lætitia, afficiantur? Illud in causa est, quòd Christus gubernet populum suum, qui ipsum agnoscit, in æquitate, & regat eum, non gladio carnificis, τυραννικῶς, sed virga seu baculo pastoris, ποιμενικῶς, quemadmodum pastor so-
Psalm.77. let ducere oues suas. Virga autem seu baculus, quo Christus gubernat populum, in regno suo, est sceptrum illud, quod iuxta Psalmum 110. emittit ex Zion, & quod Psalmus 45. vocat virgam, seu sceptrum rectitudinis, videlicet, Euangelion suum, quod

vulgatum

vulgatum per Apostolos in vniuersum orbem terrarum. Itaq; quod hoc loco de iudicio æquitatis, & directione Gentium in terra dicitur, antithesis est regni Christi, ad regnum Mosi. Moses enim gubernat populum suum lege, quæ est iugum, quemadmodum Esaias loquitur, oneris, virga humeri, & sceptrum exactoris, quo, sicut peccatum ostenditur, ita & ira Dei illustratur, & homines in omnia afflictionis genera conijciuntur, ac morte & inferno opprimuntur. Christus autem gubernat populum seu Ecclesiam suam, Euangelio, quod est bona & iucunda adnuntiatio, qua prædicatur gratuita peccatorum condonatio, propter Christum, placatio iræ Dei, liberatio ex omnibus afflictionibus, denicq; conseruatio in morte, ad vitam, & in hiatu inferni, ad cœleste ac perpetuum gaudium. Quibus beneficijs, quid posset homini gratius & optabilius contingere? Quare, cum Christus iudicet seu gubernet populum suum in æquitate, seu rectitudine (hoc est) Euangelio, quod non est tyrannicum, & distortum sceptrum, sed æquum, planum, & rectum, & regat, ac ducat Ecclesiam suam, non crudeli gladio, sed pastoritia, imo paterna manu, merito dicendum est regnum lætitiæ & exultationis. *Esai. 9.*

5. *Confitebuntur tibi populi, Deus, confitebuntur tibi populi vniuersi.*

6. *Terra dabit fructum suum, benedicet nos Deus, Deus noster.*

7. *Benedicet nos Deus, & metuent eum omnes fines terræ.*

Iterum repetit priores, de Confessione Christi, & benedictione eius diuulganda inter omnes gentes, versiculos: idq; non ociosa παυπολογία, sed vtili admonitione, vt iuxta prouerbium, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, certitudo amplitudinis regni Christi, & benedictionis eius, hac repetitione cõfirmetur. Etsi enim, quod de Christo promissum est, videtur in longum differri, tamen hoc nõ erit fraudi populo Dei, nec quisquam, si modò certam promissioni fidem adhibuerit, faciet aliquam suæ salutis iacturam. Vulgò aiunt: Quod differtur, non aufertur. Primùm enim, etiamsi ætate tua nõ attigeris aduentum seu incarnationem Christi, tamen si apprehenderis fide tua promissionem, quæ de benedictione Christi ad Abrahamum dicta est, non minus fructum Christi percipies, *quàm si* temporibus Apostolorum, aut nouissimæ huius seculi horæ, vitam in his terris ageres: Abraham, pater vester, (inquit Christus) exultauit, vt videret diem meum. Vidit, & gauisus est. Et Paulus: Vnus Deus, inquit, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Ac iterum: Abraham credidit Deo, & imputatum est ei in iustitiam. Non scriptum est autem propter illum tantùm, imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum DOMINVM nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostram. Ac Petrus: Non est in alio quoquam

Ioan. 8. *Rom. 3.* *Rom. 4.* *Actor. 4.*

quam ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum, (vel vetuſtati, vel poſteritati) inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quare, nihil refert, ſiue temporibus Abrahæ aut Moſi, ſiue Petri, aut Polycarpi fueris in his terris, certè conſequeris æternã ſalutem, ſi credideris in Chriſtum. Scriptum quidem eſt in Epiſtola ad Romanos: Nunc propius nobis *Rom. 13.* eſt ſalus, quàm cùm credebamus, hoc autem, non eſt intelligendum de ipſa ſalutis eſſentia, quæ æqualiter omnibus, ſiue maioribus, ſiue poſterioribus præſtò adeſt, ſed de ſalutis patefactione & diuulgatione. Salus enim per Chriſtum, illuſtrior facta eſt, & latior ſparſa, poſtquam Euangeliõ de Chriſto diuulgatum eſt, inter omnes Gentes, quàm cum prædicatio eius contineretur apud Patriarchas intra anguſtos tantùm fines terræ Canaan: & tamen, quod ad ſalutem ipſam attinet, non minus de ea accepit, qui in ſemen Abrahæ, apud Patriarchas, credidit, quàm apud Apoſtolos, aut ſucceſſores eorũ. Deinde, quanto diutius impletio promiſsionis de aduentu Chriſti & de reuelatione eius inter omnes Gentes differri videtur, tanto maiori gloria patefiet, vt dilatio eius non ſit niſi illuſtrioris maieſtatis meditatio. Exponam hanc maieſtatem non vulgaribus, ſed Prophetícis verbis: Super te (Hieruſalẽ) inquit Eſaias, orietur DOMINVS, & gloria eius ſuper te videbitur. Et venient gentes ad lumen tuum, & reges ad ſplendorem ortus tui. Leua per circuitum oculos tuos, & vide: omnes hi congregati, venerunt ad te: filij tui de longè venient. Et mox: Obſtupeſcet, & dilatabit ſe cor tuum, quòd conuerſa fuerit ad te multitudo *Eſa. 60.*

maris, opes gentium venerint ad te Ac iterum: Exstruent filij alieni muros tuos, & reges eorum seruient tibi. Percurre, obsecro, totum illud Esaiæ caput, & videbis, quanta maiestate & benedictione Christus dilationem aduentus sui compensarit. Non est autem sentiendum, quòd quæ Esaias & Psalmus, de maiestate regni Christi, de benedictione & fructu terræ per Christum exhibendo vaticinantur, de externis & corporalibus bonis intelligãtur. Etsi enim, etiã corporalia beneficia, dantur nobis gratuita clementia Christi, tamen propria regni Christi beneficia sunt spiritualia & cœlestia, quemadmodũ suprà admonebamus: Terra, inquit Psalmus, dabit fructũ suũ, & benedicet nobis Deus, Deus noster. Fructus, quem terra, temporibus Christi datura erat, est fructus ille, de quo Christus ipse, apud Ioannem loquitur: Constitui vos, inquiens, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quicquid petieritis patrem in nomine meo, det vobis: Significat. n. Christus, quod Apostoli circumlaturi sint Euangelion suum in toto orbe terrarum, vt Ecclesia cõgregetur per Euangelion ex omnibus gentibus quæ iustificetur ex fide in Christũ, ac celebret Deum, glorificet & inuocet nomẽ Dei, ac per Christũ cõsequatur cœlestẽ & æternam salutẽ. Hæc est benedictio, hic est fructus, quem Christus dabit in terra, idq; ũ vbertim & copiosè, vt omnes fines terræ obstupescãt, maiestatẽ DOMINI admirentur & metuãt: de qua re concionatur etiã Ioel. DOMINVS, inquiẽs, rugiet de Zion, & emittet vocẽ suã ab Hierosolymis, & contremiscẽt cœli & terra. Quod cum ita se habeat,

Ioan. 15.

Ioel. 3.

cohors

cohortatus est Spiritus sanctus hoc Psalmo Patriarchas & maiores nostros, qui fuerunt ante aduentum Christi in carnem, vt nō defatigentur expectatione reuelationis eius, sed perseuerent constanter in fide & spe, non dubitantes, quin quæ de benedictione & regno Christi promissa sint diuinitus, suo tempore certissimè & cumulatissimè impleantur. Nos autē, quibus diuinitus concessum est, vt, postquam Euangelion Christi vulgatum est in vniuersum mundum, videamus reipsa, luculēter & magnificè impleta esse, quæ de primo aduentu Christi & vocatione Gentium in Ecclesiam. DOMINI, promissa fuerunt, non defatigemur ipsi quoq; expectatione secundi aduentus Christi, nec simus consortes illorum illusorum, qui iuxta Petrum, dicunt: Vbi est pollicitatio aduē- 2. Pet. 3.
tus eius? sed summam demus operam, vt immaculati & incontaminati ab illo, in pace, reperiamur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod initio interpretationis huius Psalmi dicebamus, hoc in fine eius repetere visum est, videlicet, quòd liceat hoc Psalmo vti, vel pro simplici cōmemoratione seu narratione, qua promissio ad Abrahamū, de benedictione omniū gentiū in semine eius, (qui est Christus) dicta, explicat, vel pro precatione, vt Deus cōstanter implere dignetur, q̄ liberaliter promisit. Nec est Spiritui sancto inusitatū, implectionē eius rei petere, quę, vel absq; nostra petitione, per se impleri solet. Nomē Dei, sua natura, sanctum est: & tamen in Oratione dominica iubemur petere, vt sanctificetur. Voluntas Dei, inuitis etiā omnibus

portis

portis inferi, promouebit & fiet: & tamen oramus in solenni nostra precatione, vt fiat DOMINI voluntas, in cœlo, & in terra. Ita & tẽporibus Patriarcharũ nihil erat certius, nihil firmius, quàm quòd Christus aduenturus esset suo tempore in hunc mundum, & vulgaturus Euangelion suum in vniuersam terram, vt salus DOMINI omnibus gẽtibus offerretur: & tamen ardentissimo affectu petendum erat, vt quod de aduentu Christi, & benedictione eius, inter omnes Gentes diuulganda, promissum fuit, reipsa impleretur. Quod enim ad nos attinet, potest quidẽ extare promissio Dei, sed cuius beneficio non fruëris, nisi credideris, & nomen Dei ex fide inuocaueris. Israëlitis promissa erat diuinitus liberatio ex Ægypto, & possessio terræ Canaan, & tamen, cum multi ex his non solùm non crederent, nec inuocarent DOMINVM, verùmetiam pro nihilo haberent terram desiderabilem, dicit DOMINVS: Omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quę feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, nõ videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxerunt mihi, intuebitur eã. Et in Psalmo: Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi, semper hi errãt corde: nec cognouerunt vias meas, & iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Quare, etiamsi certum sit verbum Dei, et promissio eius, tamen credendum est, & nomen DOMINI ex fide inuocandum, vt fructum eius capiamus. Quod vero ad aduentum Christi attinet, non est nec ignotum, nec obscurum, quòd

Psalm. 106.
Nume. 14.
Psalm. 95.

duplex

duplex sit publicus eius aduentus, in hunc mundum, alius in carnis humilitate, alius in maiestatis sublimitate. Ac nobis quidem, in quos termini ætatum inciderunt, non est precandum, vt Christus iterum aduenìat in carnis humilitate, ne videamur de priori eius aduentu, iam peracto, dubitare, & alium quendam Messiam, sicut Iudæi, expectare: omnino autem credendum & precandum est, vt Christus citò aduenìat in ea maiestate, de qua dixit ipse apud Matthæum: Cum venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Quod enim in priori aduentu eius per Euangelion inter omnes Gentes humiliter, ac etiam, iuxta humanam sapientiam, stultè adnunciatum est, hoc in illo posteriori aduentu, summa ac cœlesti maiestate patefiet. Confirmemus igitur hoc Psalmo certitudinem posterioris aduentus Christi, in cœlesti maiestate, vt, cum nihil certius sit, quàm Christum in carne iam aduenisse, & perspicuè præstitisse, quod in hoc Psalmo commemoratur, credamus & sciamus, nihil etiam certius esse, quàm suo ipsum tempore, in cœlesti maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos aduenturum, & vnicuique, iuxta sua opera. his quidem, qui crediderunt Euangelio Christi, & veritati obedierunt, æternam gloriam, illis autem, qui Euangelion aspernati sunt, & concupiscentijs suis indulserunt, perpetuam interfectionem redditurum. Faxit DOMINVS Deus pa-

Matt. 25.

1. Cor. 1.

ter cœlestis, vt seruemus præceptum immaculatum, & irreprehensibile, vsq; ad apparitionē (vtar enim
1. Tim. 6. verbis Pauli) DOMINI nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est beatus ille, & solus princeps, rex regnantiū, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quam nemo hominum vidit, neq; videre potest, cui honor, & imperium sempiternum.

Psalmus 68.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, &c.

IN Numeris cap. 10. testatur sacra Scriptura, Mosen, cùm Arca testamenti in castris Israëlitarum, eleuaretur à Leuitis, & progrederetur, exclamasse. Surge DOMINE, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Excipit igitur Psaltes hæc verba Mosi, & orditur ipsis hoc triumphale carmen alacri mente & voce, in quo celebraturus est insignem illam & nullis vnquam seculis satis laudatam victoriam, quam Iesus Christus DOMINVS noster, ex omnibus hostibus suis miserè reportauit, & summam ac cœlestem salutem vniuersæ suæ Ecclesiæ in toto orbe terrarum attulit. Non enim sentiendum est, quòd hic Psalmus instituat encomium seu epinicion illarum victoriarum, quas

quas Dauid è ſuis hoſtibus reportauit, & quibus Iſraëlitas ſuos ab incurſione finitimarum Gentium redemit, ſed quibus DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus humanum genus à peccato, & ſatana liberauit, ac in morte & ærumnis dolorum inferni, ad veram & æternam vitam ac felicitatem conſeruauit. Cui rei teſtimonium fert, non vulgaris quiſpiam autor, ſed ille maximorum arcanorum conſcius, Paulus Apoſtolus, qui aſcenſum Chriſti in cœlum, imò ſuper omnes cœlos, & ſeſsionem eius ad dextram Dei probaturus, vtitur teſtimonio huius Pſalmi, & perſpicuè ſignificat, ipſum, non niſi de Chriſto, & maieſtate regni eius intelligendum eſſe. Ad Epheſios enim ſcribens: Vnicuiq; (inquit) noſtrũ, data eſt gratia iuxta menſurã donationis Chriſti. Quapropter dicit: Cum aſcendiſſet in altũ, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. *Ephe. 4.* Hic eſt decimus octauus verſiculus huius Pſalmi, quem Paulus nõ ſimpliciter recitat, verùmetiã ſuſcipit eum interpretandũ: Illud, inquiens, (Aſcendit) quid eſt, niſi quod etiam deſcenderit prius in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſupra omnes cœlos, vt omnia impleret. Et idem dedit alios quidẽ Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autẽ Euangeliſtas, &c. Cum igitur luculentum habeamus teſtimonium Apoſtoli, quòd ſicut hic verſiculus, ita etiam totus Pſalmus (in toto enim Pſalmo non de alio DOMINO Deo fit ſermo, quàm de quo hic verſiculus loquitur, videlicet, de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto) intelligendus ſit de Chriſto, & maieſtate regni eius, nullo modo nobis

committendum est, vt aliam, & huic dissimilem, aut cum ea pugnantem interpretationem, quamuis angelicam, agnoscamus.

1. *Exurgat Deus, dissipabuntur inimici eius & fugient, qui eum odio habent, à facie eius.*
2. *Sicut propellitur fumus, propelles, (eos) sicut liquescit cera, à facie ignis, (ita) peribunt impij à facie Dei.*
3. *Iusti autem lætabuntur, exultabunt coram Deo, & gestient præ gaudio.*

Exordium, celso & heroico animo congruentissimum, & ad excitandam attentionem aptissimum, in quo Dauid magno fidei spiritu petit, vt Deus expergiscatur, & vel saltem conspiciendum se exhibeat: hactenus enim videtur Deus obdormiscere, & ad humanos in his terris casus ita conniuere, vt impij opprimant pios, & pij conculcentur ab impijs. Nunc autem, cùm malitia impiorũ, & erumnæ piorum ad summũ peruenerint, omnino futurum sperat, vt Deus euigilet, ac præsentiam suam tam seueritate erga impios, quàm clementia erga pios testificetur. Illud enim vult dicere, Non peto, DOMINE Deus noster, vt magno apparatu tribunal tuum conscendas, & illustri maiestate ius inter homines dicas, quod Reges huius seculi facere solẽt, quo sententia ipsorum maiorem habeat autoritatem: sed illud tantùm peto, vt saltem oculorum tuorum aspectu aut nictu humanas res intuearis: tunc enim non est dubitandum, quin omnes inimici & hostes tui, qui sunt impij, tam homines, quàm diaboli, subito dissipentur,

diſsipentur, & quemadmodum fumus à vento propellitur ac diſsijcitur, & cera, admoto igni, liqueſcit, ita impij inſpecta tantùm vultus tui ſeueritate, derepente diſpergantur, & quaſi diffluant ac euaneſcant. Iuſti verò & pij tam homines, quàm angeli, lætẽtur ex animo, ac præ gaudio geſtiant & exultent, ſi non coram hominibus, mundano modo, at certè coram Deo patre, cœleſti modo. Nam quemadmodum pij concipiũt, è reuelata, propitia, & clementi facie Dei ſummum ac cœleſte gaudium, ita impij neceſſe habent à ſeuera facie DOMINI, & à gloria fortitudinis eius, ſicut Paulus loquitur, pœnam luere, interitum æternum. 2. Theſſa. 1.

Hîc initio obſeruandum eſt, quòd Deus ille, quẽ Pſalmus ad iudicium expergefacit, ſit filius Dei, DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, qui, etſi eo tempore, quo hic Pſalmus initio recitatus eſt, nondum aſſumpſerat humanam naturam, ſemper tamen, ab initio orbis, geſsit curam Eccleſiæ ſuæ, ac defendit, & ſeruauit eam, in omnibus aduerſis. De illo enim fit ſermo, de quo poſtea dicit: Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem. Intelligit autem hoc dicto, interprete Paulo Apoſtolo, Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei patris ſui. Et, vt hoc paulò altius repetamus, de illo fit ſermo, qui per arcam teſtamenti, apud veteres adumbrabatur. Hic autẽ eſt Chriſtus filius Dei, propitiator noſter, quemadmodum Epiſtola ad Hebræos haud obſcurè explicat, & Moſes ipſe ſignificat, dum in eleuatione, & profectione arcæ, exclamat, ſicut ſupra dictum eſt: Exurge DOMINE (Iehoua) Hebr. 9.

houa,)& dissipentur inimici tui,& fugiant,qui oderunt te, à facie tua. Arca enim ipsa non erat DOMINVS Iehoua, sed adumbrabat Christum, qui est verus DOMINVS Iehoua noster. Et aliás in Exodo cap.23. vocatur Angelus: Ecce ego, inquit DOMINVS, mitto Angelum ante faciem meam, vt custodiat te in via, & introducat in locum,quem præparaui. Obserua eum,& audi vocem eius,ne sis illi rebellis, neq; enim impunè feret, præuaricationes vestras,quoniam nomen meum est in illo. Vocatur autem Christus, Angelus,(hoc est) nuncius seu legatus, non quòd sit angelicæ naturæ creatæ, sicut Gabriel aut Raphael, sed quod sit æternus ipse quidem Creator,(vnde & dicitur nomen Iehoua in illo esse, sicut paulò post dicetur) ordinatus autem sit à Deo patre suo, in protectorem, & seruatorem Ecclesiæ suæ,ac in nouissimis diebus mittendus in has terras, vt assumpta humana natura, expiaret peccata hominum,& seruaret perpetua salute,quotquot in ipsum crederent. Sentiamus igitur Dauidem in hoc Psalmo,nomine Dei, intelligere DOMINVM nostrum Iesum Christum, verum quidem ab æterno Deum, extremis autem temporibus, hominem factum,& mortuum, ac tertia die iterum à mortuis resurrexisse,& in cœlum ascendisse, consedisseq; ad dextram Dei patris sui, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Deinde,quòd Dauid expergefactus, & exuscitet Deum, vt suscipiat iudicandos impios, & seruandos pios, non est arbitrandum, Deum humano more iacere somno obrutum: non enim dormitat, neq; dormit, qui custodit Israelem. Etsi enim

Psalm.121.

Christus

Christus homo factus, dormiuit in nauí, & excitatus est à discipulis, tamen, quod ad diuinam eius naturam attinet, non est corporali somno obnoxius, sed quod Dauid hoc loquendi modo significet se optare, vt Deus curam, quam semper pro Ecclesiæ suæ salute habet, & iram, qua semper contra peruicaces impios ardet, aliquo insigni exemplo & facto patefaciat & testificetur. Obseruandæ præterea sunt similitudines, quibus repentinus impiorum interitus, in his versiculis describitur: Sicut fumus, inquit, à vento ita propellitur, & disijcitur, vt ne vestigium quidem eius reliquum fiat, & quemadmodum cera, admoto igni, ita dissoluitur, & diffluit, vt in tenues auras euanuisse videatur, ita impij iudicante DOMINO, ex improuiso, præter omnem expectationem, perire solent. Extant & aliæ id genus similitudines, in sacris Literis, præsertim Psalm. 37. quibus inopinatus impiorum interitus nobis ob oculos pingitur: idq; illo consilio, vt diuturna impiorum felicitate non frangamur animo, sed retineamur in officio vocationis nostræ, certissimi, quod etsi necesse habemus aliquandiu infelices esse, propter impiorum crudelitatem, Deus tamen daturus sit euentum, vt nõ solum queamus sufferre, sed vt etiam mirando modo liberemur & seruemur.

4. *Cantate Deo, psallite nomini eius, laudate illum, qui vehitur in cœlis,* DOMINVS *est nomen eius, & exultate coram eo.*

Exordiũ, quo excitata est attẽtio auditorũ, sequit cohortatio

cohortatio ad commendandum & celebrandum nomen DOMINI nostri Iesu Christi, & expositio manifestatis regni eius, ac victoriæ, quam ex deuictis hostibus suis reportauit, & triumphalis illius pompæ, quæ victoriam illam coram cœtu omnium cœlestium ciuium insecuta est: Cantate (inquit) Deo, videlicet, Christo: psallite nomini eius: laudate seu celebrate & exaltate eum, qui vehitur in cœlis.

Pro eo, quod nos transtulimus, (In cœlis) Hebræus habet בערבות Baaraboth, quod vocabulũ πολύσημον est, & iuxta varia sua significata, variè etiam ab interpretibus traducitur: ערב Arab enim nunc significat iucundum & amœnum, nunc vesperum, & occasum, nunc desertum & solitudinem, nunc etiam supremum cœlum omnia alia ambiens, quòd vel desertum aut destitutum sit stellis, vel solus Deus in eo commorari dicatur, quem Paulus dicit habitare lucem inaccessam. Alij igitur interpretati sunt hunc locum: Qui vehitur iucundè, vel placidè, quòd Christus (de hoc enim fit sermo) non incedat, duriter sicut Moses lege sua, sed iucundè, molliter & suauiter, pro natura Euangelij sui. Alij interpretantur: Qui vehitur in supremis cœlis, vt sit eadem sententia, cum 32. & 33. versiculis, qui in hoc Psalmo sequũtur: Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit in cœlos cœlorum ab initio, (hoc est) qui fuerunt ante conditum mundũ. Christus enim ascendit & commoratur in illa ipsa gloria, quam habuit ab æterno: Glorifica me (inquit) pater apud te, ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus esset. Et Paulus: Ascendit super omnes cœlos, vt omnia

1. Timo. 6.

Ioan. 17.

Ephe. 4.

omnia impleret. Et in Epistola ad Heb. Habentes Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos. Ac iterum: Sublimior cœlis factus. Vtraq; autem sentẽtia pia est, & illustrat maiestatem Christi. Postquã enim Dauid cohortatur in hoc quarto versiculo vniuersam Ecclesiã, vt Christũ omni, qua potest, laude celebret, incipit etiã in eo exponere maiestatem personæ, regni, victorię, & triumphi eius, propter quã laudes dignissimus sit, & omnibus seculis decantandus. *Ad Heb. 4. & 7.*

Ac primùm, de persona Christi: Laudate, inquit, exaltate, viam parate, ornate, seu honorificenter excipite (hæc enim omnia vno verbo סלו Sollu, apud Hebræos significantur) Christũ, qui ascendit in cœlos, (hoc est) cœlestem & inaccessam lucem inhabitat, & cui nomen est in DOMINO, seu cuius nomen est DOMINVS. Hæc est descriptio personæ Christi, Christus enim non est tantùm homo, natus secundum carnem, ex semine Dauid, sed etiam est verus Deus, natus ab æterno, ex vero Deo patre suo, vnigenitus filius eius, qui vnà cum patre, & Spiritu sancto, eiusdem, semper ab æterno, essentiæ est, & gloriæ ac maiestatis. Videtur autem hoc vsurpatum è libro Exodi, vbi dicitur, (quemadmodũ paulò antè indicauimus) quòd DOMINVS sit missurus Angelum suum, (videlicet Christum) in quo, inquit, est nomen meum. Nomen enim DOMINI, est in Christo, non quòd DOMINVS Deus habitet tantùm in Christo, sicut cœlum & terrã implet, aut sicut etiam habitat in sanctis, sed quòd Christus ipse verus sit ab æterno Deus, Iehoua, qui assumpto, in plenitudine temporis, homine in eandem personã, euexit etiam *Exo. 23.*

ipsum in summã sublimitatem, supra omnem princi-
Phil.2. patum ac potestatem, & dedit ei nomen supra omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, verùmetiam in futuro, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestiũ terrestriũ, ac inferorũ. Nec
Col.1.& 2. mirum: In illo enim (inquit Paulus) complacitum est patri, inhabitare omnem Deitatis plenitudinem corporaliter. Quo igitur ore, quibus verbis, quo carmine, quo Psalterio, quo decachordo, qua cithara, tantùm, non dico, Heroa, (hoc enim multò abiectius est, quàm conueniat) sed Deum & DOMINVM laudabis ac celebrabis?

5. *Pater est pupillorũ, & iudex viduarum, Deus in habitaculo sancto suo.*

6. *Deus collocans solitarios, vt sint (copiosa) familia, educens vinctos, opportunis temporibus, desertores autem permanent in arido.*

Pergit, quod cœpit, in expositione maiestatis Christi, & cum antea diuinitatem personæ eius commemorauerit, nunc commemorat actiones & opera eius. Inter opera autem diuinæ maiestatis præcipuũ est, ferre opem miseris, & inter miseros primum locum obtinent, pupilli, viduæ, steriles, seu orbi, & vincti. Christus igitur Deus, in habitaculo sancto suo (hoc est) vel in cœlo, quod Esaias vocat sedem seu thronũ Dei, vel in tabernaculo aut templo, cuius sacris adumbratur, Deus, inquam, ille, Christus DOMINVS noster, pater est pupillorum. Magnæ enim & multæ sunt ærumnæ pupillorum seu orphanorum, qui sunt parentibus suis, vel morte, vel bello orbati. Et inter summas calamitates, quæ contigerunt

runt ciuibus Hierosolymitanis, eo tempore, quo vrbs Hierusalem à Babylonijs direpta & vastata est, Hieremias illam etiam de pupillis recensèt: Pupilli, inquiens, facti sumus absq; patre. Et alius Psalmus, cùm impio imprecaretur maximã maledictionem: Fiant, inquit, filij eius orphani. Et: Non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pupillis eius. Sed nũc optimè confidamus. Tametsi enim liberi destituuntur parentum suorum ope, tamen Christus DOMINVS noster succedit in locum eorũ, & vt palàm testetur, se pupillos in curam & tutelam suam assumere, vult celebrari illo epitheto, quòd sit pupillorum pater: Facit iudicium (inquit Moses) pupillo. Et cum iam hominem assumpsisset: Non relinquam (inquit ad discipulos) vos orphanos. Quanto igitur miseriores sunt orphani in regno huius mundi, tanto feliciores sunt in regno Christi, quòd habeant Christum DOMINVM nostrum, non tutorem tantùm, verùmetiam patrem.

Thre.5.

Psal.109.

Deut.10.

Deinde Christus est iudex viduarum. Continentur etiam viduæ in catalogo miserorũ hominum. Et cũ muliebre genus per se sit σκεῦος, vt Petrus loquitur, ἀσθενέστερον, hoc est, vasculũ infirmius, si accesserit viduitas, duplicatur malũ. Sed benè habet, tanta habetur ratio viduarum in regno Christi, vt Spiritus ipse sanctus prædicet Christum esse earũ iudicem, vindicẽ, & protectorem. Et in Exo. cap. 22. Viduæ & pupillo nõ nocebitis: Si læseritis eos, vociferabunt ad me, & ego audiã clamorẽ eorũ, & indignabitur furor meus. Adhæc; Christus collocat vnicos & solitarios (hoc est) orbos seu steriles, in domo: efficit, vt orbi aut

steriles copiosam domum, seu numerosam familiam consequantur. Idem dicit & Hanna in suo carmine: Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat liberos, infirmata est. Et alius Psalmus: Qui ex sterili facit matremfamilias, vt sit læta filiorum mater. In regno enim Mosi, sterilitas habita est magni probri, & maledictionis loco. Vnde & Sara, & Rachel, & Hanna mater Samuelis, & Elizabet mater Ioannis Baptistæ, arbitrabantur se esse infelices & miseras mulierculas, quòd essent steriles. In regno autem Christi steriles fiunt fœcundæ, & maledictio vertitur in benedictionem. Præterea, Christus educit vinctos è vinculis suis, & compeditos è compedibus suis, idq; opportuno suo tempore. Habent & vincti non postremum locum inter miseros & afflictos homines. Cum igitur Christus sit miserorum seruator, dubium non est, quin etiam habeat rationem eorum, qui coniecti sunt in vincula, & tenentur compedibus captiui. Etsi enim non educit eos, mox vt ad cœlum suspexerint, & nomen DOMINI inuocauerint, è vinculis suis, tamen dat euentũ opportuno suo tempore, vt liberentur, cum interim desertores, perfidi, & abnegatores Christi, necesse habeant in siccitate, hoc est, in summa rerum omnium inopia & miseria, vitam transigere, etiamsi corpore liberrimi fuerint. Cæterùm, vbi nos, iuxta Hebræum vocabulum, זחיחא Zechicha, vertimus aridum seu siccitatem, ibi Græcus interpres vertit in foueis (hoc est) in foueis seu sepulchris. Videtur enim pro זחיחא Zechicha, legisse שחת Shachath, quod significat foueam, aut sepulcrum. De qua re idcirco admonemus,

1. Reg. 2.
Psalm. 113.

admonemus, vt videas in explicandis Psalmis, Hebræi textus veritatem singulari studio cõsulendam, & cum aliorum interpretatione conferendam esse.

Porrò autẽ, quæ in his duob. versiculis, de Christo, ac de tutela eius, quam viduis & orphanis præstat, & de liberatione, quam sterilibus, & captiuis exhibet, commemorantur, describunt initio diuinitatem Christi, & generalẽ eius omnipotentiam, quã habet eandem ab æterno, cum Deo patre suo cœlesti, quòd sit eiusdem cum eo essentiæ & maiestatis. Sicut enim Deus pater, ita & Deus filius, similiter & Deus Spiritus sanctus, facit iudicium pupillo & viduæ, (vt Moses inquit) & custodit peregrinos, & pupillos, ac sustentat viduas, (vt Psalmus ait) et facit matrem multitudine filiorum lætantem, (vt alius Psalmus inquit) & soluit compeditos, (vt iterum Psalmus inquit) vna enim est diuinitas, vna omnipotentia, & vna maiestas Dei patris, & filij, & Spiritus sancti, quare sunt & eadem veneratione colendi & adorandi. Deinde, quæ in his versiculis de Christo commemorantur, non tantùm intelligenda sunt, secundum generalem eius omnipotentiam, verùmetiam secundum peculiarem regni eius, quod non est de mundo, rationem. Si enim hanc rationem consideraueris, Christus defendit pupillos & viduas, reddit è sterilibus fœcundas, & educit vinctos è compedibus, etiamsi sinat illos quidem esurire & algere, hos autem in sterilitate & vinculis suis morte extingui. Nam ratio regni Christi, non consistit proprie in hoc, vt pupilli & viduæ externo semper miraculo à creditoribus liberentur, quemadmodum liberata

Deut. 10.
Psalm. 146.
Psalm. 113.

berata est vidua per Prophetam Elizam, de qua scriptum est, 4. Reg. 4. aut steriles fiant fœcundæ, sicut Sara & Elizabeth, aut captiui è carceribus per Angelos educantur, sicut Apostoli Hierosolymis educti sunt: sed in illo consistit, vt habeas in Christo & propter Christum condonationem peccatorum, iustitiam, conseruationem in morte, & vitam ac felicitatem æternam. Quare, quicquid fiat de corporali ex ærumnis liberatione, certè Christus verè est pater orphanorũ, iudex viduarum, conseruator & propagator familiarum, ac liberator captiuorum, (hoc est) redemptor ex omnibus miserijs & afflictionibus, cum effecerit, vt miseri & afflicti, credentes in ipsum, habeant propitium Deum, remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam sempiternam, etiamsi in miserijs ipsis videantur coram hoc mundo interire. Ac breuiter, (quid enim multis opus?) cũ Christus prædicetur pater orphanorum, iudex viduarum, auctor familiarum, & redemptor captiuorum, quid aliud de eo prędicatur, quàm quòd sit pater, iudex, auctor & redemptor electæ & dilectæ suæ Ecclesiæ, quæ est in his terris orphana, deserta, sterilis & captiua? Sicut enim oues direptioni & mactationi luporum, ita & Ecclesia tyrannidi impiorum hominum, & immanitati diabolorum patet, sed Christus, bonus est pastor ille, qui ponit animam suam pro ouibus suis, nec quisquam potest eas de manibus suis rapere. Celebremus igitur nomen Christi, & hoc in omnibus aduersis confidamus, quòd quæ nobis aduersa accidunt, Christus sibi accidere deputet.

Acto. 4.
Acto. 12.

7. Deus,

7. *Deus, cum egrediebaris coram populo tuo, & incedebas in deserto.*
8. *Terra tremuit, etiam cœli distillauerunt à facie Dei illius Sinai, à facie Dei, Dei Israel.*
9. *(Nunc autem) pluuiam gratiosam effundis Deus hæreditati tuæ, & molestia affectam tu recreas.*

Nomine Dei in his versiculis iterũ intelligas DOMINVM nostrũ Iesum Christũ: & cum Dauid antè expoſuit maiestatẽ diuinitatis Christi, & beneficentiã eius, erga miseros & afflictos, commemorat nunc alia beneficia eiº, quæ in Ecclesiã suã confert. Est aũt antithesis ministerij Legis & Euangelij. Christus. n. testificaturus curã suam, pro salute Ecclesiæ, instituit duo ministeria, per quæ, tanquam organa, salutẽ Ecclesiæ suæ operaretur. Vnũ est ministeriũ Legis, per quod venit agnitio peccati. Alterũ est ministeriũ Euangelij, per quod venit agnitio Christi, & confertur fides in Christũ, qua sola iustificamur coram Deo, vt seruemur. De priori igiť ministerio, quod est legis, dicit: Deus, cum egrediebaris coram populo tuo, & incedebas in deserto, terra tremuit, cœli quoque distillauerunt à facie Dei. Nõ est obscurũ, quanta maiestate filius Dei (qui, etsi illo tempore, quo Israelitæ profecti sunt ex Ægypto, nondum erat incarnatus, tamen fuit semper comes itineris eorum, & gubernauit, ac tutatus est eos in omnibº aduersis) promulgauerit legem seu Decalogũ in mõte Sinai. Initio. n. cũ Israëlitæ veniſſent ad mare rubrũ, filius Dei perduxit eos saluos per mare, deinde obruit Ægyptios, Israëlitarum hostes, aquis marinis, vt suffocarentur. Ad hæc, cùm aqua in deserto amarior esset, quàm vt potui

potui conueniret, ostẽdit eis lignum, quo aqua temperaretur. Postea, cum deesset cibus & potus, misit eis Manna de cœlo, dedit coturnices, & aquam de petra. Præterea, DOMINVS præcedebat eos ad ostendendam viam per diem, columna nubis, & per noctem, columna ignis, vt dux esset itineris, vtroq; tempore, hoc enim illud est, quod hic versiculus Psalmi dicit: DOMINVS egrediebatur coram populo suo, & incedebat coram eis in deserto. Sicut enim multis stupendis miraculis eduxit eos ex Ægypto, ita nec paucioribus nec minoribus defendit eos & conseruauit in deserto. Deinde, cum venissent ad montem Sinai, vbi daturus erat DOMINVS Legem, tanta ibi miracula ædita sunt, vt Psalmus meritò dicat, terram tremuisse, & cœlos distillasse à facie Dei illius, qui in monte Sinai se patefecit, à facie, inquam, & præsentia Dei Israelis. Nam terra dicitur tremere, vel cum fiunt horribiles terræ motus, vel cum homines in terra, præ admirandis & stupendis Dei operibus, cohorrescunt & contremiscunt, quod in egressu Israëlitarum, & profectione eorum per desertum contigit, partim Gentibus finitimis, de quibus dicit canticum Mosi: Dolores obtinuerunt habitatores Philistijm: conturbati sunt principes Edom: robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaan: partim Israelitis ipsis, cum Deus promulgaret eis Decalogum in monte Sinai, & ipsi perterriti, ac pauore concussi starent procul, ac dicerent ad Mosen: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis DOMINVS, ne forte moriamur. Cœli quoq; distillare dicuntur,

Exo.15.

Exo.20.

cuntur, vel cum ingens est tempestas, & magna pluuiæ copia è nubibus descendit: vel cum homines vehementer perturbantur, vt est in libro Iudicum: DOMINE, cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillauerunt aquis: vel cum sermo inter auditores spargitur. Sermonem enim, aut doctrinam & eloquium cum pluuia conferri, vsitatum est: Stillet, inquit Moses, veluti pluuia, doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Et apud Iobem: Super illos stillabat eloquiũ meum. Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, sicut ad imbrem serotinũ: Cum igitur Deus recitaret de cœlo Decalogum in monte Sinai, cœli aptè dicũtur à facie Dei distillasse. Sed, quod hi versiculi docent, maximũ est discrimen inter stillas Legis, quæ in monte Sinai deciderunt, & stillas Euangelij, quæ in monte Sion descenderũt, inter eloquiũ, videlicet, Decalogi, quod est per Mosen administratum, & inter eloquium doctrinæ, quæ est per Christum diuulgata. Lex enim seu Decalogus est administratio peccati, Euangelion autem administratio iustitiæ: Lex est administratio mortis, Euangelion administratio vitæ: Lex est apertio inferni, Euangelion apertio cœli. Hoc enim illud est, quod Psalmus dicit: Deus, cum egrediebaris coram populo tuo & incedebas in deserto, terra mota est, (hoc est) filius Dei eduxit quidem Ecclesiam suam quondam ex Ægypto, & promulgauit ei Decalogum in deserto Sinai per seruum suum Mosen, in tabulis saxeis, sed Decalogus est pluuia horrendæ tempestatis, & ministerium iræ ac mortis. Nunc autem, cum filius Dei

Iudi. 5.

Deut. 32.

Iob. 29.

1. Cor. 3.

factus est homo, & ingressus est in regnum suum, & mittit è cœlo pluuiã gratiosam, & instituit ministerium, non iræ ac mortis, sed fauoris diuini, & vitæ æternæ. Hoc est ministerium Euangelij sui, quod in die Pentecostes manifestis miraculis confirmauit, & per Apostolos suos in vniuersum orbem terrarũ diuulgauit, vt perfundat hæreditatem suam, (quæ est ecclesia,) & recreet eam in omnibus molestijs & aduersis suis, ac seruet eam ad æternã felicitatem. Prædicatio enim Euangelij, est potẽtia Dei, (vt Paulus
Rom.1. inquit) ad salutẽ omni credenti. Vides, quanti beneficij autor sit Christus ecclesiæ, quòd præter ministerium legis, quæ est molestissima pluuia, quia operatur iram, & occidit, instituerit etiam ministerium Euangelij, quod est pluuia gratiæ & viuificat. Etsi enim ecclesiæ veteris Testamenti, si promissiones de Christo respexeris, ad veram salutem consequendam, nihil defuit, quippe quòd per fidem earum particeps facta sit omnium beneficiorũ Christi, tamen, si impletionem earum, & diuulgationem Eu-
Rom.13. angelij de Christo consideraueris, propius nunc adest nobis salus, quàm cum credebamus, vt merito
2.Cor.6. exclamet Paulus: Ecce nũc est, inquiens, tempus acceptum, ecce nunc est dies salutis.

10. *Grex tuus commoratur in ea (hæreditate seu Ecclesia) cumulas beneficijs tuis pauperem, Deus.*

11. *Dominus dat verbum, magnum exercitum Euangelistarum.*

Cum antea commemorasset, quòd Christus effun-

dat

dat ſuper hæreditatem ſuam, pluuiã gratioſam & acceptiſsimam, exponit nunc his verſiculis quæ ſit hereditas illa, & quæ pluuia, per quã hęreditas Chriſti recreatur, & conſeruatur: Grex, inquiens, tuus commoratur in ea, videlicet, hęreditate ſeu eccleſia. Per gregem autem intelliguntur armenta, & greges ouium, de quibus Chriſtus ipſe apud Ioannem concionatur: Ego ſum, inquiẽs, paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor ab eis. *Ioan.10.* Et mox: Habeo alias ouès, quæ nõ ſunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & vocem meã audient, & fiet vnũ ouile, & vnus paſtor: hæc eſt hæreditas illa, de qua & alius Pſalmus ait: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuã, & poſſeſsionem tuã, terminos terræ. De populo enim Iſraël dictum eſt quondam: TE elegit DOMINVS Deus tuus, vt ſis ei populus *Deut.7.* peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Et aliâs: Hæreditas mea, Iſraël. Nunc autem, poſtquam Chriſtus aduenit, & intrauit in regnũ ſuum, excæcatus eſt Iſraël, & abiectus. Electæ verò ſunt Gentes, & facti ſunt Greges ſeu armenta eccleſiæ eius, in qua & commorantur, ac impletum eſt, quod apud Lucam paterfamiliâs, cum inuitati ad cœnam, *Luc.14.* recuſarunt venire, ad ſeruum ſuum iratus dixit: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, claudosq; & cæcos, introduc huc: Ac mox: Exi in vias & ſepes, (hæc eſt vocatio Gentium) & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico enim vobis, quòd nemo virorũ illorũ, qui vocati ſunt, guſtabit cœnã meam. Hæc eſt abiectio ludęorũ. Sed nunquid Chriſtus relinquit illã Gentiũ hæreditatẽ,

sterilem,& infœcundam,sicut eam inuenit? Nihil verò minus: Cumulas, inquit, pauperem, beneficentia
Ephe.2. tua. Inuenis quidem Gentes abalienatas, vt Paulus ait, à republica Israëlis, extraneas à testamentis promissionis, spem nõ habentes, Deoq; carẽtes in mundo, quod, quid aliud est, quàm esse longè omnium miserrimum, & pauperrimum? Sed Christus non reliquit eas in tanta paupertate. Cumulat enim eas omni genere beneficiorum, & effundit super eas pluuiam gratissimam, qua fœcundentur, & recreentur. Habes hæreditatem Christi, post aduentum eius in toto orbe terrarum. Videamus nunc, quæ sit pluuia, qua hæreditas illa fœcundatur, & in virore suo conseruatur: Dominus (inquit) dat verbum, magnũ videlicet exercitum Euangelistarum. Pluuia enim, qua hortus Ecclesiæ irrigatur, est verbum Euangelij, cuius ministerium instituit & confirmauit Christus DOMINVS noster in die Pentecostes, maximis miraculis, & diuulgauit in orbem terrarũ, multo numero Euangelistarum & Apostolorum. Nec hoc temerè & ex improuiso accidit, sed longo antè tempore à Prophetis adnunciatum est. Dauid in hoc huius Psalmi versiculo, dicit Christum dare verbũ, quod est verbum Euangelij, idq; non per vnum tantùm, & alterum Apostolum aut Euangelistam, sed per maximum Apostolorum & Euangelistarum exercitum. In Esaia, & Micha dicitur: In nouissimis
Esa.2. *Mich.4.* diebus erit præparatus mons domus DOMINI in vertice montiũ, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem DOMINI, & ad domum

mum Dei Iacob, & docebit nos vias suas,& ambulabimus in semitis eius, QVIA DE ZION EXIBIT LEX,ET VERBVM DOMINI DE HIERVSALEM. Hoc cœptum est impleri in die Pentecostes, quo tẽpore Euãgelion Christi exiuit de monte Zion seu Hierusalem, & propagatum est ex eo loco in vniuersum orbem terrarum, inter omnes Gentes,vt irriget Ecclesiam,vsque ad extremum huius seculi diem. Huc accedit etiam Prophera Ioel, qui & ipse vaticinatur, interprete Petro, de his diebus,& ait: *Ioel 2.* *Actu.2.* Post hæc dicit DOMINVS, effundã de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c. Quod autem versiculus de magno exercitu Euangelistarum dicit, hoc interpretatur postea Esaias:Super montem excelsum,inquiẽs, *Esa.40.* ascende tu Euangelisatrix Zion: exalta fortiter vocem tuam Euãgelisatrix Hierusalem,ne timeas. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester. Iubet Prophera,Zionẽ & Hierusalem esse Euangelisatrices, quia videt Spiritu sancto futurum, vt ex vrbe Hierusalem egrediatur, à die Pentecostes,ingens exercitus Euangelistarum & Apostolorum, qui initio facto *Actu.1.* à Hierosolymis,eritis mihi testes, (inquit Christus *Luc.24.* ipse) non solum Hierosolymis,verùmetiam in vniuersa Iudæa, Samariaq;, denique vsque ad extrema terræ. Etsi enim Apostoli ipsi,& Euangelistæ,(qui sic vocabantur,)videbantur numero suo non admodum multi, tamen horum nomine comprænduntur omnes illi, qui & Apostolicæ prędicationi fidẽ adhibuerunt,& qui etiam ipsi postea nomen Christi adnuntiauerunt, ac dixerunt de Christo, quod est

apud Esaiam : Ecce Deus vester, vt tot fuerint turbę Euangelisatrices, quot fuerunt Hierosolymis nationes, in die Pentecostes, (fuerunt autem ibi viri religiosi ex omni natione earum , quæ sub cœlo sunt) & cœperunt Euangelion Christi prædicare apud vniuersam creaturam, ac fructū ferre in toto mundo.

Colo.1.

12. *Reges exercituum complectuntur se mutuò , ardenti amore, & pulcritudo domus diuidit spolia.*

DOMINVS (inquit) dat magnum exercitum Euangelistarū. In quouis autem exercitu, sui sunt Principes, duces, & Reges. Consideremus igitur, qui sint Principes & Reges, in hoc, de quo nunc est sermo, exercitu , & quo animo sint erga se inuicem affecti: item quæ sit illa domus pulcritudo, quæ diuidit spolia. Ac initio, Reges horum exercituū, non sunt mundani, sicut nec exercitus ipsi sunt mundanæ conditionis, sed sunt Apostoli , quos & aliâs Spiritus sanctus vocat Principes : Constitues eos , inquit alius Psalmus , Principes super omnem terram. Et in hoc Psalmo: Principes Iuda cū cœtu suo, Principes Zebulon, Principes Naphthali. Sed & Christus ipse significat, Apostolos esse Principes & Reges : Amen dico vobis, inquiens, quòd vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ , sedebitis & vos super sedes duodecim, (hoc enim est Principum & Regum) iudicantes duodecim tribus Israel. Deindè, hi Reges , (qui sunt Apostoli,) non sunt dissolutæ (vt aiunt) scopæ, sed sunt mutuo amore inter se coniunctissimi.

Psalm.45.

Matt.19.

Vbi

Vbi noſtra translatio legit, Dilecti, dilecti, & alij, Fugerunt, fugerunt, ibi Hebræus habet duas dictiones ſimiles, ידדין Iidodun Iidodun, & ſignificant, Dilecti erunt, dilecti erunt, vnde & Salomon dictus eſt Idida, (hoc eſt,) dilectus Dño. Duplicatur aũt dictio, vt pro Hebrẽo more, ſignificetur dilectionis vehemẽtia, ſicut aliâs apud Hieremiã: Ficus bonas, bonas, (hoc eſt) ficus optimas. Et in Pſal. Exinanite, exinanite, (hoc eſt) valde exinanite, aut nudate. Significat ergo hic verſicul⁹, ꝙ hi Reges (Apoſtoli videlicet) cõplectantur ſe inuicem, non frigido, non leui, ſed maximo & vehemẽtiſsimo amore, quod, vt de ardenti mutuo charitatis affectu, ita etiã de ſumma doctrinæ eorũ concordia intelligendum eſt. Dixit quidam è ſapientibus huius ſeculi: Concordi collegio, nihil eſt firmius. Et alius: Concordia paruę res creſcunt. Sed multò efficatius commendat Chriſtus ipſe Apoſtolis ſuis cõcordiam & mutuã dilectionẽ: Hoc, inquiens, eſt prẽceptum meum, vt diligatis vos inuicẽ, ſicut dilexi vos. Et iterum: In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatẽ inter vos habueritis mutuam. Quin etiam Chriſtus ipſe patrẽ ſuũ pro Apoſtolorũ cõcordia & charitate interpellat: Pater ſancte, inquiens, ſerua eos per nomen tuũ, quos dediſti mihi, vt ſint VNVM, ſicut nos. Miranda autem fuit Apoſtolorum, beneficio Chriſti, non ſolùm in animis, verùmetiam in doctrina Euangelij de Chriſto, concordia. In die Pentecoſtes, conſtitit Petrus, vnà cum reliquis vndecim Apoſtolis, nõ iã clauſis ianuis, ſicut prius, ſed in media vrbis Hieruſalẽ frequẽtia, inter tot nationes, et extulit vocem ſummo collegarum ſuorum conſenſu, ac teſtificatus

2. *Reg.* 12.

Hiere. 24.

Pſalm. 137.

T. Liuius.

Saluſtius.

Ioan. 15.

Ioan. 13.

eſt

est veritatem Euangelij de Christo confidentissimè, quæ & deinceps concordi & vnanimi testimonio diuulgata est, per ipsos, in totum orbem terrarum. Accesit eis paulò pòst Paulus Apostolus, qui illud ipsum Euãgelion de Christo, quod duodecim Apostoli à Christo acceperant, non ab hominibus, neque per hominem, in his terris, humana voce, sed per reuelationem Iesu Christi, qui iam ad dexteram Dei patris exaltatus & illustratus erat, didicit, & circumtulit illud inter Gentes, maxima omnium, cum reliquis Apostolis concordia. Etsi enim inciderat initio diuulgati Euangelij, controuersia de circumcisione, tamen ea non ab Apostolis ipsis, sed à Pharisæis, qui ad Euangelion accesserunt, orta erat, & confestim, autoritate tam Prophetica, quàm Apostolica concorditer cognoscebatur & definiebatur, quemadmodum Acta Apostolorũ testantur. Quare Reges Ecclesiæ, qui sunt Apostoli, sicut post acceptum Spiritum sanctum fuerunt concordes animis, ita etiam concordes fuerunt doctrina Euangelij, vt non sit dubium, quin Spiritus sanctus voluerit Ecclesiæ Christi, in hoc huius Psalmi versiculo, de tanta Apostolorum charitate & concordia concionari, & eam commendare. Postremò, nomine pulcritudinis domus, quæ diuidit spolia, hoc loco intelligenda est honesta materfamiliâs, quæ est ornamentum domus ac totius familiæ, qualem Salomon in Prouerbijs describit. Significat autem Ecclesiam seu Sponsam Christi, cui Apostoli commendarunt spolia diuidenda. Apostoli enim collegerunt Ecclesiam è toto orbe terrarum, per Euangelion, quod & post se relis-

Act. 15.

Prouer. 31.

se reliquerunt Ecclesiæ conseruandum & propagandum. Et quia Euangelio dispensantur beneficia Christi, reportata ex direptione satanæ, mortis & inferni, idcirco Ecclesia, quæ est pulcritudo domus, & sponsa Christi, & cui post Apostolos credita est dispensatio Euangelij, dicitur diuidere spolia. Ex auditu enim Euangelij, quod in Ecclesia adnunciatur, sicut distribuitur donum fidei in Christum, ita etiam distribuitur condonatio peccatorum, adoptio in cœlestem hæreditatem, victoria mortis, & æterna vita. Ac præter hæc dona, singulis ad veram salutem necessaria, distribuuntur quoq; alia ad ædificationem ecclesiæ vtilia: Diuisiones, inquit Paulus, donorum sunt, sed idem spiritus: diuisiones ministeriorum sunt, & idem DOMINVS: diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Et mox: Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo scientiæ, &c. Hæc & id genus alia dona spiritualia, veniunt nomine spoliorum, quæ per prædicationem Apostolici Euangelij in ecclesia dispensantur. Audiamus igitur summa cura & studio Euangelion Christi, vt & donorum eius participes fiamus. 1. Cor. 12.

13. *Si castrametamini inter limites, (exercitus vester splendet sicut) alæ columbæ, quæ obducta est argento, & plumæ eius instar flauedinis auri.*

De Regibus ecclesiæ, qui sunt Apostoli, in præcedenti versiculo. Nunc de exercitibus eorum, Reges enim suos habent exercitus. Quales autem sunt

hi reges, quorum hîc fit mentio, tales etiam ſunt exercitus eorum. Exercitus igitur ſunt, eccleſiæ ipſæ, quæ collectę ſunt verbo Apoſtolico e toto orbe terrarum. Etſi autem hi exercitus, cum caſtrametantur inter agrorũ limites, non videntur vel multitudine vel magnitudine inſignes, ac illuſtres: tamen, ſi propius inſpexeris, videbis eos non aliter ſplendeſcere, quam alæ columbæ, quæ præ candore pennarũ videtur quaſi argento obducta, & plumæ eius, quaſi auro rutilãtes. (hoc eſt) Etſi eccleſiæ (hæ enim ſunt Apoſtolorum exercitus) Apoſtolico verbo, in ſuis quæcq; locis ędificatæ, videntur in oculis huius mundi, abiectiſsimæ & cõtemptiſsimę, ac etiam, ſi humanum ingenium expendas, turpes ac fœdæ, tamen ſi conſideraueris cœleſtia dona, quibus in conſpectu Dei, & totius cœleſtis militiæ, per Spiritum ſanctum ornatæ ſunt, tanto ſplendore fulgent, vt non tam candore ſuo pennas columbarum, quàm nitore argentum & aurum ſuperent. Videntur autem duplici nomine turpes & abiectæ. Altero, quòd omni genere calamitatũ, paupertate, fame, exilio, perſecutione, oppreſsione, ſupplicijs, & mortibus obruãtur: Altero, quòd geſtent adhuc in carne ſua grauiſsimũ onus peccati, propter quod alius exclamat: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuens. Et alius: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed benè habet. Multæ quidem ſunt & magnæ afflictiones eccleſię, non aũt extremæ & perpetuæ:

Rom. 8. Propter te, inquit Paulus ex Pſalmo, morti tradimur tota die: habiti ſumus, velut oues deſtinatæ mactationi:

ctationi: verùm in his omnibus ſuperamus, per eum, qui dilexit nos: Et iterum: Laboramus, at non deſti- 2. Cor. 4.
tuimus: perſecutionem patimur, at non in ea deſeri- mur: deijcimur, at nõ perimus. Quod autem ad pec- catum, carni adhuc inhærẽs, attinet, etſi eccleſia tur- pis, & fœda videtur, tamen quia peccatũ non impu- tatur propter Chriſtum, & non verſatur ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritũ, ac facta corporis ſpi- ritu mortificat, idcirco ſuperat venuſtate iuſtitiæ, quam poſſidet in Chriſto coram Deo patre, omnem niuis, argenti & auri candorem. Quam rem clarius exponit verſiculus, qui mox ſequitur.

14. *Cum diſtribuit omnipotens Reges, in ea (videlicet Eccleſia) candeſcit, (velut nix) in tenebris.*

Eccleſia enim non nitet, non ſplendet ſua ipſius virtute, aut natiua iuſtitia, (omnes enim peccaue- Rom. 3.
runt, & deſtituuntur gloria Dei) ſed cum Deus om- nipotentia ſua exuſcitat, diſtribuit, conſtituit, & or- dinat in eccleſia ſua Reges, (hoc eſt) Apoſtolos, & Epiſcopos, qui Euangelium Apoſtolicum fideliter & ſynceriter adnunciant, tunc eccleſia incipit, per fidem, propter Ieſum Chriſtum, ſuper niuem de- albari & ſplendeſcere, vt homines pij, qui Euange- lion Chriſti per fidem amplectuntur, qua parte car- nem quidem adhuc geſtant, non differant fœdita- te iniuſtitiæ, ab alijs hominibus: qua autem parte Chriſtum per fidem poſsident, illuſtriores ſunt co- ram Deo, luminaribus huius mundi: Noui, inquit Paulus, quòd non habitet in me, (hoc eſt) in carne Rom. 7.

mea bonum. Et mox: Gratias ago Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum. Ac iterum: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: qui igitur fieri potest, vt non & cũ eodem omnia nobis donet? Commẽdat præterea hic versiculus dignitatem & vtilitatem ministerij ecclesiæ: Quando (inquit) omnipotens distribuit & constituit in ecclesia Reges, (hoc est) rectores, administratores, seu concionatores, tunc candescit ecclesia in tenebris. Tenebræ sunt peccata, tenebræ sunt ærumnæ & calamitates. Ex his tenebris eluctatur ecclesia, & illustratur, cùm per Euangelij prædicationẽ accipit remissionem peccatorũ, propter Christum, per fidem: & cum eruditur, ex Euangelio Christi, quòd crux sit per Christum ita sanctificata & consecrata, vt diligentibus Deum omnia sint adiumento in bonum, & vnà cum Christo glorificemur, siquidem cum eo patimur. Nam ministerium prædicandi Euangelij Christi in ecclesia, institutum esse in hunc vsum, videlicet, vt ecclesia è tenebris peccatorum & ærumnarum, ad lucem iustitiæ & felicitatis transferatur, testatur Christus ipse, Paulum Apostolum è cœlo alloquens: Ad hoc apparui (inquit) tibi, vt constituam te ministrum, ac testem, & eorum, quæ vidisti, & eorum, in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo, & gentibus, in quas nunc te mitto, vt aperias oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, vt accipiant peccatorum remissionem & sortem inter eos, qui sanctificati sunt, per fidem, quæ est erga me: VT APERIAS (inquit)

Rom. 8.

Act. 26.

(inquit) OCVLOS EORVM: ET, VT CONVERTANTVR A TENEBRIS AD lucem, &c. Hoc maximum est encomium ministerij Euangelij. Non enim ad aliud ministeriũ Paulus missus erat, quàm ad prædicandum Euangelion Christi, nec Paulus alio defunctus est. Sentiamus igitur Ecclesiam tunc vera luce illustratam esse, cum in ea Euangelion, ab Apostolis in orbem terrarum diuulgatum, fideliter & synceriter adnuntiatur, ac obedienti fide agnoscitur.

15. *Mons Dei, est mons fœcundus, mons excelsus, mons fœcundus.*

16. *Quid exilitis montes excelsi? Hic est mons Dei, in quo beneplacitum est Deo habitare, imo hîc habitabit* DOMINVS *perpetuò.*

Dictum est in versiculo proximè præcedenti, de ministerio Euangelij, in Ecclesia, per Christum instituto, quo è tenebris in lucem vocamur: dicamus nũc de Ecclesia ipsa, qua sit coram Deo excellentia & dignitate: Mons Dei, (inquit) est mons fœcundus. Sciamus igitur initio, quòd hîc fiat sermo, non de quouis monte, sed de monte Zion, in quo collocatũ erat tabernaculum DOMINI, & postea ædificatum templum. Vsitatum autem est, quòd nomine montis Zion, intelligatur Ecclesia: DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? (hoc est) in Ecclesia tua? Et iterum: Quis ascendet in montem DOMINI, aut stabit in loco sancto eius, hoc est, in Ecclesia eius? Et in Esaia: Non *Psalm. 15.* *Psalm. 24.* *Esa. 11. 15.*

ia : Non nocebunt , neque occident in vniuerſo monte ſancto meo , (hoc eſt) in eccleſia mea . Dicitur autem eccleſia , mons , vel quòd tabernaculum Dei , ac templum eius fuerit in monte extructum , quemadmodum paulò antè dicebamus , vel propter ſtabilitatem ac perpetuitatem eccleſiæ , quia etſi eccleſia Chriſti variis procellis conſutitur , tamen non ſubmergitur , & quanquam multis & magnis calamitatibus affligitur , tamen non perit : Portæ inferi (inquit) non prævalent aduerſus eam . Et in Pſalm : Qui confidunt in DOMINO , ſicut mons Zion , non comouebuntur , ſed inæternum permanebunt . Fingamus autem montes huius ſeculi commoueri , & colles contremiſcere , tamen DOMINVS apud Eſaiam ait : Miſericordia mea non recedet à te , (eccleſia mea) & fœdus pacis meæ non mouebitur. Deinde , eccleſia Dei non dicitur ſimpliciter, mons, ſed mons DEI , vel propter magnitudinem, quòd quæ magna & admiranda ſunt, dicantur Dei eſſe: Iuſtitia tua (inquit Pſalmus 36.) ſicut montes Dei , hoc eſt , iuſtitia Dei maxima eſt , certiſsima & firmiſsima: vel , quòd Deus ipſe in hoc monte, ſeu in eccleſia commoretur , quemadmodum mox ſequitur . Ad hæc , eccleſia dicitur mons Baſan, (hoc eſt) pinguis ſeu fertilis & fœcundus, quòd terra Baſan fuerit apta paſcuis , & alendis pecoribus. Num. 32. Eccleſia enim , etſi videtur in oculis huius mundi ſterilis & infœcunda , propterea quòd vel præ magnitudine & multitudine regnorum huius ſeculi nulla eius ratio, inter homi-

Pſalm. 124.

Eſa. 54.

nes

nes habeatur, vel non sit insignis humana autoritate, dignitate, sapientia & potentia, vel inutilis iudicetur, ad gerenda bella & ad administrandam politicam rempublicam, tamen si vel gratiam, qua Deus ecclesiam complectitur, vel dona spiritualia ac cœlestia, quibus Christus eam exornat, vel vocationem eius ex omnibus gentibus, respexeris, longè omnium fœcundissima est: Lauda, inquit Esaias, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quia multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. *Esa.54.* Præterea, ecclesia est mons גבנונים Gabnunim, hoc est, Gibborum, seu iugorum, & collium, sic dictus, quòd assurgat in iuga seu colles, ac sit excelsus. Ecclesia igitur est excelsus ille mons, qui, etsi apparet in oculis huius mundi humillimus, imò vix colliculus, altitudine tamen sua, hoc est, dignitate & maiestate coram Deo, superat omnes huius seculi montes, & regna, quemadmodum etiam Prophetæ Esaias, Michæas & Daniel significant. *Esa.2. Mich.4. Dani.2.* Christus enim tantam habet rationem suæ ecclesiæ, vt propter eam initio cœlum & terram condiderit, & regna in terris constituerit, ac etiam regna, nisi ipsi seruierint, deuastet, denique conseruet propter eam orbem terrarum, donec filij Dei omnes, & nati, ac per Euangelion renati, & in ecclesiam eius congregati fuerint. *Esa.60.* Qua dignitate, quid potest esse insignius, & excellentius? Deinde, iterum repetitur de ecclesia, quòd sit mons Basan, hoc est, fertilis seu fœcundus. Repetitur autem non ociosè, sed asseueranter, vt repetitione

tione certificetur, cõfirmetur, & inculcetur. Fœcun-
ditate enim ecclesiæ nihil est certius, quòd quomo-
Esa.55. do descendit imber, (iuxta Esaiam,) & nix de cœlo,
& illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, &
perfundit eam, & germinare eam facit, & dat semen
seminanti, & panem comedenti, sic erit, inquit DO-
MINVS, verbum meũ, quod egreditur de ore, (hoc
est verbum Euangelij, cuius ministerium Christus
in ecclesia instituit) non reuertetur ad me vacuum,
sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his,
ad quæ misi illud. Et apud Ioannem: Constitui vos,
inquit Christus ad Apostolos suos, vt eatis, & fru-
ctum afferatis, ET FRVCTVS VESTER MANE-
AT. Fieri ergo non potest, quin, cũ ecclesia sit mons
ille, qui irrigatur cœlesti, Apostolici verbi imbre,
fiat longè omnium fœcundissimus, & proferat fru-
ctum nunquam periturum.

Sed, in tanta montis Dei commendatione, quid
faciunt alij montes? Alij montes, sunt regna huius
seculi, quemadmodum suprà dicebamus. Videt igi-
tur Spiritus sanctus, quòd omnia alia regna pugna-
tura sint cum regno Christi, quod est mons Zion, &
multitudo omnium gentium dimicatura sit, (sicut
Esa.29. Esaias loquitur) contra montem Zion. Etsi enim in-
ter regna huius seculi nunquam benè conuenit, sed
alterum conatur alterum subuertere, Persicum (exe-
empli gratia) vastat Babylonicum, Macedonicum
vastat Persicum, Romanum, nunc hoc, nunc illud
regnum aggreditur, vt in suam potestatem redigat,
omnia tamen in hoc conueniunt, & cunctam operã
suam vnanimi consensu conferunt, vt montem Zi-
on

on,(hoc est)regnũ Christi, & ecclesiam oppugnent, ac opprimant. Solus mons Zion, sudes est in oculis omnium reliquorũ montium. Ad huius montis regnum demoliendum, tanquam ad cõmune incendiũ extinguendum,concurrunt omnia alia huius mundi regna. Facit igitur Spiritus sanctus Apostrophen ad ea regna, & hortatur ea,vt à vano suo instituto, & ab irrito conatu desistant:Quid ixilitis,inquiens, montes excelsi? Vos potẽtissima huius seculi regna, vos excellentissimę in hoc mundo Monarchię,quid superbitis? quid insolescitis? quid exultatis,aut potius insultatis? quid vobis arrogatis,vt montem Zion demoliamini, vt regnum Christi, quod est ecclesia,è medio tollatis, & deleatis? Ego enim dico vobis,non erit istud,nõ erit,inquam,istud,sed vos quidem peribitis, regnum autem Christi stabit & perdurabit. Huc pertinet, quod Propheta Daniel postea Regi NebucadNezari exposuit: Videbas, inquiens, donec lapis abcissus est de monte sine manibus,& percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum,& redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento,nullusq; locus inuentus est eis. Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.Hoc est,Regnum Christi demolietur vniuersa alia regna huius seculi, ipsum autem stabit perpetuò, in toto orbe terrarum. Quare omnis conatus & labor, quem illa regna ad vastandum regnum Christi suscipiunt, erit irritus, & vanus. Quid ita? Quia,hic est(inquit Psalmus) *Dan.2.*

mons Dei, in quo beneplacitum est Deo habitare, imo hîc habitabit DOMINVS perpetuo. Cum hoc
Psalm. 132. dicto planè conuenit, quod est in alio Psalmo: Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. Ecclesia enim populi Dei, quæ est mons Zion, & regnum Christi, idcirco constat contra assultus omnium hominum & diabolorum, quia Christus DOMINVS elegit eam in habitaculum suum, & commoratur in ea, ac tuebitur & conseruabit eam perpetua salute. Quæ igitur esset illa vis, quæ potentia, quod robur, quo regnum Christi, seu ecclesia expugnaretur, & deleretur? Cæterum, cum dicitur Regnum Christi demoliri, & subijcere sibi alia huius seculi regna, non est intelligendum de Romano Pontificatu, quod is ius habeat ejiciendi Reges mundanos è suis regnis, & occupandi ea pro patrimonio, vt vocant, Petri. De Petro enim, & collegis eius, seu præsentibus seu successoribus dicitur: Reges Gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocãtur, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut iunior, & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nec est intelligendum, quod approbet vel superstitionem hypocritarum, vel tyrannidem principum, vel seditionem vulgi. Regnum enim Christi, non exigit, vt Reges huius mundi necesse habeant, ad consequendam æternam salutem, deponere regnorum suorum administrationem, & secedere in monasticũ genus vitæ, quemadmodum hypocritæ sentiunt, nec commendat, vt alter princeps, prætextu Euangelij, inuas-

dat

dat alterius principis ditionem, & proturbet eum è suo principatu, violenter: nec permittit, vt vulgus, prætextu tuendæ æquitatis & libertatis, cooriatur seditiose in legitimum suum magistratum. Sed regnum Christi tunc dicitur sibi subijcere regna huius seculi, primùm, cùm inuitis etiamnum ac repugnantibus principibus & regibus, colligit ecclesiã suam, ex toto orbe terrarum, & ex omnibus huius seculi regnis. Deinde, cum Reges & Principes necesse habeant ecclesiæ seruire, etiamsi eam crudeliter persequantur. Seruiunt autem ei, dum vel publicam tranquillitatem officio suo tuentur, vel sua persecutione ecclesiam, præter omnem suam voluntatem, augent. Tantum enim abest, vt ecclesia sanguine Christianorum minuatur, vt potius incrementum ex eo accipiat. Postremò, cum vel tandem, regnum Christi, abolitis omnibus huius seculi potestatibus & principatibus, patefiet, & perpetuò incolume constabit. In aduersis igitur, & in persecutionibus, simus non tantùm æquo, sed etiam magno animo, quòd etsi in mundo afflictionem habemus, tamen Christus DOMINVS noster, qui est in regno suo semper præsentissimus, iubet nos benè confidere: Quia EGO, inquiens, VICI MVNDVM.

17. *Equitatus Dei, myriades, millia multa, Dominus inter eos, Sinai, in Sanctuario.*

A descriptione ecclesiæ, & stabilitatis eius, transit ad descriptionem maiestatis & potentiæ Christi, qui ecclesiam conseruat. Ecclesia enim, mons Zion,

seu mons Dei est, & quemadmodum mons Zion nõ cõmouetur, ita nec ecclesia deiícitur, aut pessundatur. Nec mirum: Habet enim potentissimum protectorem & conseruatorem, Dominũ nostrum Iesum Christum, cuius currus bellicus seu equitatus, non cõstat vno tantùm milite aut equite, sed multis mil-
Dan.7. libus, adeoq; infinitis myriadibus: (sicut & in Daniele, de maiestate antiqui dierum dicitur) nec hi soli sunt, sine duce, sine capitaneo, vt vocant, sed Dominus Christus est inter ipsos, ille videlicet, qui in monte Sinai, cum Decalogum promulgaret, stupendis miraculis sese patefecit, & in sactuario seu templo suo multis sacrificijs adumbratur, multisq; oraculis præsentiam & clementiã suam declarat. Quis igitur tantam maiestatem & potentiam non reueretur? quis tantæ maiestatis præsentia & clementia non confideret? Etsi enim non vides eam corporalis-
2.Thessa.1. bus oculis, tamen, vt est certissima, ita & patefacit se aliquoties in hoc seculo manifestis argumentis, & patefaciet se in futuro seculo immensa gloria. In Ge-
Gen.32. nesi maiestas filij Dei reddit se manifestam Patriar-
4.Reg.6. chæ Iacob, missis Angelis, qui ipsum in periculis tueantur. In libris Regum reuelat se seruo, Prophetæ Elizæi, in monte pleno equorum & curruum igneorum, qui Elizæum munirent. Sentiamus igitur, maiestatem Christi filij Dei multis & magnis argumentis ita comprobatam esse, vt etiamsi remota sit ab oculis nostris corporalibus, tamen semper sit præsentissima, & conseruet quidem pios, in omnibus aduersis, ad veram salutem, reseruet autem obstinatos impios in perpetuum interitum.

18. Ascen-

18. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, ac cepisti dona in hominibus, quamuis rebellibus, vt commoretur (in ipsis) DOMINVS Deus.

Hic est versiculus ille, quem Apostolus Paulus de ascensu Christi in cœlum, & de efficacia eius interpretatur. Et quia Paulus cœleste testimonium habet, quòd sit raptus in paradisum, adeoq; in tertium cœlum, sentiamus hanc interpretationem non esse terrenam, sed cœlestem, nō humanam, sed diuinam. Ac initio, quem Psalmus antea dixit, אדני Adonai, hoc est, Dominum, & אלהים Elohim, quod est Deus, & יהוה Iehoua, quod est DOMINVS, ad eum conuertit nunc in hoc versiculo sermonem suum, & palàm testatur, Christum, de quo loquitur, esse verum DOMINVM Deum nostrum, vt habeamus, interprete Paulo, perspicuum æternæ diuinitatis Domini nostri Iesu Christi testimonium. Deinde, etsi, quo tempore Dauid hunc Psalmum de Christo cecinit, Christus nondum assumpserat humanam naturam, nec ascenderat externo spectaculo in cœlū, tamen quemadmodum Propheta Esaias differit de natiuitate Christi, perinde ac si iam præterijsset: Paruulus, inquiens, natus est nobis, & filius datus est nobis, cum hæc natiuitas, post septingentos demum annos, futura esset: ita & Dauid hoc loco de ascensu Christi in cœlum, quasi iam dudum præterijsset, concionatur: Ascendisti, inquiens, in altum, captiuam duxisti captiuitatem, cum tamen hic ascensus, post mille, plus minus, annos, impleretur. Visum enim est Spiritui sancto in Prophetis, vt in describendo regno Chri-

sti, vteretur aliquoties verbis præteriti tẽporis, pro
præsentibus, aut futuris, vt significaret promissiones
illas, tam veras, certas & firmas esse, quàm si iam
manibus, vt ita dicam, palparentur, & tenerentur.
Præterea, quod Psalmus de Ascensu Christi in al-
tum canit, sciamus tunc quidem patefactum, & ex-
terno spectaculo confirmatum esse, cùm in Actis
Acto. 1. Apostolicis Christus sublatus est in altum, & sub-
ductus nube ab oculis discipulorum: sed tunc inui-
sibiliter quidem, attamen verè & proprie ascen-
disse in altum, & in cœlum, cum filius Dei assum-
psit humanam naturam, in vnitatem personæ suæ:
vt vanissimum sit, quod ματαιολόγοι nugantur, Chri-
stum ita ascendisse in cœlum, vt peruenerit corpora-
li progressu à nubibus, ad cœlum illud corporale,
quod fingunt supremum, & vocant Empyreum, &
collocauerit se in corporali sede, è qua, in vniuer-
sam cœli amplitudinem, corporali modo deam-
bulet. Hæc sunt puerilia & anilia ociosorum homi-
num commenta, ac si serio contenderint, hæc fig-
menta cœlestem esse veritatem, contumelia sunt
in diuinam Christi maiestatem. Sentiamus enim
Christum, visibiliter quidem & corporali modo,
quadragesimo, à resurrectione sua, die, sublatum es-
se, videntibus discipulis, in altum, & nube ab ocu-
lis eorum subductum, non autem tum primùm in-
trasse in cœlum, & Deum patrem dixisse: Sede à
dextris meis, sed cùm virgo Maria ad Archange-
lum ait: Fiat mihi secundum verbum tuũ, (hoc est)
cum filius Dei assumpsit humanam naturam in vni-
tatem personæ suæ. Filius enim Dei commoratur in
illo

illo cœlo, in quo ab æterno commorantur Deus pater & Spiritus sanctus, vnde & à nonnullis vocatur cœlum Trinitatis. Cum autem assumeret humanam naturam, dicitur descendisse de cœlo, & cum hanc naturam adiungeret, & vniret sibi tam arcto vinculo, vt vna esset cum ipso persona, dicitur iterum ascendisse in cœlum, quippe quod tanta sit huius personæ vnitas, vt inæternum nunquam diuidatur ac separetur, & vbicunque sit diuinitas filij Dei, ibi quoq; sit humanitas eius. Quare Christus non tum primum ascendit in altum & in cœlum, cùm admirando spectaculo sublatus est coram discipulis suis, versus hoc visibile cœlum, sed cùm in incarnatione sua, Deus assumeret humanam naturam, in vnitatem personæ suæ, & efferret, ac subueheret eam in tantam altitudinem, & sublimitatem, in quanta ipse erat, hoc est, in cœlum Trinitatis, quo nec est altius, nec sublimius, nec insigniori maiestate ornatius. Cum item filius Dei sit ipsa Dei patris sui dextera, manifestum est, quòd cum assumeret humanam naturam in vnitatem suæ personæ, eo ipso subuexerit eam, & extulerit ad dextram patris. Reliquum igitur est, quòd Christus non tum primum ascenderit in cœlum, & consederit ad dextram Dei patris, cùm quadragesimo, à resurrectione sua, die, in monte Oliueti, ad cœlum visibiliter ascenderet, sed cum incarnaretur.

Quid igitur dicemus de externo, & visibili ascensu Christi in cœlum? Num hic ascensus ociose & superuacanee factus est? Nihil verò minus.

Christus

Christus non suscepit eum temerè, sed optimo, eoq; diuino consilio. Primùm enim, voluit hoc manifesto & mirando spectaculo testificari, se iam antè, in incarnatione sua subuectum esse in altum, & in cœlestem maiestatem. Non enim potuisset sua virtute in cœlum, hoc externo miraculo conscendere, nisi antea in cœlum inuisibiliter conscendisset, (hoc est) in vnitatem personæ assumptus esset, à filio Dei:

Ioan. 3. Nemo, inquit Christus apud Ioannem, ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Deinde, ascendit externo spectaculo in cœlum, vt significaret, se deinceps non conuersaturum in his terris terreno & humano modo cum hominibus, qualiter ante passionem suam, & post resurrectionem, cum discipulis quadraginta dies conuersatus est, sed ducturum cœlestem vitam, cœlesti modo, donec iterum in hoc mundo publicè *reuele-*

Act. 1. tur, ad iudicandum viuos & mortuos: Sic enim veniet, inquiunt angeli ad discipulos, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Postremò, voluit hoc externo spectaculo nos admonere, de insigni suo triumpho, quem propter crucem & resurrectionem suam, coram vniuersa cœlestium ciuium multitudine egit. In oculis quidem Apostolorum, & eorum, qui vnà cum ipsis præsto affuerunt, in monte Oliueti, non alia magnificentia visa est, quàm quòd Christus eleuatus sit in altum, nullo externo adminiculo, ac nubes subduxerit eum ab oculis eorum, quòd etiam duo viri albis vestibus amicti astiterint ipsis, & dixerint, quod iam recensebamus: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus, qui

assumptus

assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodũ vidistis eum euntem in cœlũ. In oculis autem cœlestis curiæ longè præclarius & magnificentius spectaculũ fuit. Quod, quale fuerit, verbis Apostoli Pauli dicam: Sustulit (inquit ille) è medio chirographum, quod erat contrariũ nobis, per decreta, affixũ cruci, expoliatosq́; principatus, & potestates ostẽtauit palàm, triumphãs de illis per semetipsum. Et hoc illud est, quod Psal. dicit: Cepisti captiuos, seu captiuam duxisti captiuitatem. Nam Christus in hoc suo cœlesti triũpho, primùm duxit secũ ciues suos liberos, qui antea ab hostibus captiui detenti fuerant. Liberauit enim per crucem, mortem & resurrectionem suã, vniuersam suam ecclesiã à satana, peccato, morte, & inferno, qui sunt capitales totius humani generis hostes, & restituit eam iustitiæ, vitæ, & cœlesti felicitati: Consepulti, inquit Paulus, simul cũ illo per Baptismũ, in quo simul etiam cum illo resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis. Ac mox: Simul cũ illo nos viuificauit, cõdonans nobis omnia delicta. Et iterum: Deus conuiuificauit nos vnà cum Christo, (per gratiã estis seruati) simulq́; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus opulentiã gratiæ suæ. Hæc est vna triumphi Christi magnificentia, videlicet, quòd Christus vnà secum omnes in ipsum credentes liberauit è vinculis satanæ, & secum resuscitauit, ac in cœlesti beatitudine collocauit, vt ea perpetuò fruerentur. Deinde, non duxit tantùm in triumpho suo, ecclesiam, seu ciues suos liberos,

Colo. 2.

Colo. 2.

Ephe. 2.

qui prius captiui erant, sed etiam duxit captiuitatem ipsam captiuam, hoc est, duxit captiuos hostes illos, qui ecclesiam suam hactenus captiuam detinuerant. Vicit enim satanam ipsum, & coniecit eum in vincula, vt, etsi adhuc fremit & rugit, non possit tamen, nolente Christo, cuiquam nocere: *Ioan.12.* Nunc iudicium (inquit) est mundi huius, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Ac aliâs: Postea quam pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Vicit etiã peccatũ, quia expiato sua passione peccato, restituit nos iustitiæ, vt quotquot in ipsum credunt, habeãt condonationem peccati, & iustificentur in ipso. Vicit mortem, & infernũ: De manu mortis, inquit, liberabo eos, de morte redimã eos. Ero mors tua, ô mors, morsus tuos ero *Osee.13.* inferne. Quotquot enim in Christum credunt, tantũ *1. Cor.15.* abest, vt in morte & inferno detineãtur, vt per mortem & infernũ ad veram & æternam vitam, ac cœleste gaudium euadant: Ego sum, inquit, resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, nõ morietur inæternum. Hæc est altera triumphi Christi magnificentia, qua omnes omnium Monarcharum & Heroum triumphi, quos vnquam in his terris egerunt, ita superantur, vt contumelia sit, his illi conferre.

Cæterum, quemadmodũ triumphatores mundani, non

non ſolent triumphos ſuos agere κενοφοι & vacui, ſed diſpenſant amicis & militibus ſuis donatiua, ita Chriſtus, cœleſtis triumphator, diſtribuit eccleſiæ ſuæ, cœleſtia dona: Accepiſti, inquit Pſalmus, dona in hominibus, aut, ſicut Apoſtolus Paulus, vel Hebræum textum interpretatus eſt, vel ex quadam Græcorum tralatione (ſcripſit enim Paulus Epiſtolas ſuas Græcè) legit, dedit dona hominibus, videlicet ſignificans, quod triumphator Chriſtus, primum quidem acceperit à Deo Patre ſuo Spiritum, *Ioan.3.* eumq; non ad menſuram, ſed Spiritum (quemadmodum Eſaias ait) ſapientiæ & intellectus, Spiri- *Eſai.11.* tum cõſilij & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, ac timoris DOMINI, (hoc eſt) omnem Spiritus plenitudinem: deinde acceperit hanc plenitudinem Spiritus, non vt ſibi tantùm ſoli retineret, ſed vt effunderet eam inter homines, & diſtribueret dona ſpiritus, vnicuiq;, prout vult. Quæ aũt ſint illa ſpiri- *1.Cor.12.* tus dona, in eccleſiam effuſa, Paulus ipſe exponens: Alios, inquit, dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, ac Doctores, ad in- *Ephe.4.* ſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti. Poſtquam enim Chriſtus aſcendit triumphans, in cœlũ, non reliquit eccleſiam ſuam orphanam, ſed miſit ei in die Pentecoſtes, inuſitato miraculo, paracletum, Spiritum ſanctum, & inſtituit miniſterium prædicandi Euangelij ſui, in toto orbe terrarum, vt colligeret ſibi eccleſiam, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Dona igitur de quibus Pſalmus hoc loco concionatur, & quæ Chriſtus tam accepit à Deo patre ſuo,

quàm dedit hominibus in terra, sunt dona illa spiritus, quibus institutũ & confirmatum est ministerium Apostolicum, quo diuulgatum est Euangelion Christi in vniuerso mundo, & quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Hæc autem dona collata sunt diuinitus, non tantùm credentibus, è populo Israëlitico, verùmetiam incredulis, & ijs, qui sunt è populo Gentium: Dedit, inquit, dona hominibus, quamuis rebellibus, & incredulis, vt & ipsi fierent participes Spiritus, & commoraretur in ipsis, DOMINVS Deus. Inter hos rebelles fuerunt aliquot ex Apostolis, & imprimis Thomas, qui etsi viderũt maxima Christi miracula, & audiuerunt perspicuas conciones eius de sua resurrectione, ac postea cognouerunt manifesta resurrectionis argumenta, nõ tamen crediderũt. His accẽsendi sunt alij ex populo Israëlitico, præsertim illi, quos in die Pentecostes alloquitur Petrus: Certò sciat, inquiens, tota domus Act. 2. Israël, quòd DOMINVM & Christum fecerit Deus hunc Iesum, QVEM VOS CRVCIFIXISTIS. Hi enim non simpliciter fuerunt rebelles Christo, sed etiam exercuerunt immanitatem aduersus eum & crucifixerunt ipsum. Accedit his etiam Paulus Tarsensis, qui initio ita incredulus & rebellis fuit, vt non solùm non agnosceret Christum, sed etiam ecclesiam eius crudeliter persequeretur: & tamen tanta est clementia Christi, vt receperit eos in gratiam, & ornarit ipsos admirandis donis Spiritus sancti. Quod autem ad populos à repub. Israëlitica alienos, quales fuerunt omnes incircumcisæ gentes, attinet, tanta fuit incredulitas, & rebellio eorum aduersus

uersus Christum, vt iudicauerint Euangelion eius stultitiam & insaniam, ac etiam maleficam impietatem, dignam, quæ omni suppliciorum genere, è medio tollatur: & tamen Christus hoc quoq; hominum genus in gratiam ita recepit, vt cum Petrus haberet cõcionem ad eos in domo Cornelij, de Iesu Christo, confestim eo adhuc loquente, ceciderit Spiritus sanctus, super omnes, qui audiebant sermonem, & locuti fuerint linguis, ac magnificarint Deum. Sed hoc beneficium Christi, non constitit tantùm intra terminos vnius domus Cornelij, verùmetiam vulgatum per Apostolos in totum orbem terrarum, inter omnes Gentes, quamuis incredulas & rebelles. Etsi enim non omnes peculiariter ornati sunt mirando Spiritus sancti dono, vt loquerentur varijs linguis, & excitarent mortuos, tamen per Christum ad dextram Dei exaltatum, effectũ est, vt DOMINVS Deus cõmoraretur in omnibus, qui agnoscunt ipsum per fidem, & conferret in eos omnem salutem: Si quis (inquit Christus) diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et Paulus: Vos (inquit) templum Dei estis viuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo. Et ero illorum Deus, & ipsi mihi erunt populus. Vbi autem DOMINVS Deus clementer commoratur, & inhabitat, quid ibi cœlestium bonorum deesset? quę beneficia tantus incola secum non afferret? Merito igitur exclamat Psalmus, quod mox sequitur.

A.Io.10.

Ioan.14.

2.Cor.6.

19. *Benedictus Dominus singulis diebus. Onerat nos Deus salutis nostræ.*

20. *Deus noster, est Deus salutis, & DOMINI Dei sunt egressiones mortis.*

Postquam enim commemorauit, quàm insigni triumpho Christus, Dominus Deus noster ascenderit in cœlum, & quanta Spiritus sancti beneficia cõtulerit in ecclesiam suam, teneri non potest, quin exclamet: Benedictus Dominus quotidie, siue, Deus dignissimus est omni laude & commendatione, non vno tantùm die, sed singulis diebus, adeóque in omne æuum, propterea quòd cum resurrexisset à mortuis, & ascendisset in altum, non sibi tantùm cœlestem suam beatitatem, celsitudinẽ ac maiestatem retinuit, sed communicauit eam quoque ecclesiæ *suæ*, vt quotquot in ipsum credunt, ornentur variis donis Spiritus sancti, & consequantur æternam salutem. Hoc certè summum est beneficium, & propriũ Messiæ seu Christi promissi, videlicet, non vt dominetur in terris, terreno modo, & distribuat inter suos terrena beneficia, sed vt sedeat ad dexteram Dei patris sui in cœlestibus, & distribuat cœlestia ac æterna bona. Quare nunquam est cessandum à laude nominis Christi DOMINI Dei nostri, vt testificemur, quoquo modo possumus, erga tantum benefactorẽ, gratitudinem nostram, & excitemus etiam alios ad agnitionem, & laudationem eius. Et quia Psalmus dicit, Christum esse Deum benedictum, seu laudandum in omne æuum, idcirco exponit etiam qualis sit Deus, vt sciamus causam, cur sit benedictus seu laudan-

laudandus: Nulla est gens, (inquit quispiam sapiens huius seculi) neq; tam immansueta, neq; tã fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualẽ habere Deũ deceat, tamẽ habendum sciat: hic aũt Psal. non patitur nos ignorare, qualem habeamus. Primùm. n. talẽ habemus DOMINVM Deum, qui sit Christus, Dominus noster, & sit à Iudæis crucifixus quidẽ & morti traditus, sed qui tertia die iterũ resurrexerit à morte, & ascẽderit in altũ, consederitq; ad dextrã Dei patris sui, ac miserit in populũ suũ admiranda dona Spiritus sancti. Deinde habemus talẽ Deũ, qui oneret quidẽ populũ suũ multis ęrumnis & afflictionibus, sed sit Deus salutis nostrę, qui videlicet quos onerat, eos rursus mirando modo liberet ac seruet. Deus. n. ille Christus Dñs noster, autor est omnis salutis, vt rectissimè dicat̃ אל למושעות El lemoschaoth, Deus omnis salutis, & cuius DOMINI Dei sint egressiones mortis, (hoc est) liberationes à morte, & cõseruationes in morte. Quod & aliâs, de DOMINO Deo nostro prędicatur: DOMINVS, inquit Hanna, mortificat et viuificat, deducit ad inferos & reducit. DOMINVS pauperẽ facit, & ditat, humiliat & subleuat. Et aliâs: Venite (inquit Propheta) & reuertamur ad DOMINVM, quia ipse mordicus appræhendit nos, & sanabit, percussit & curabit nos. Quare, etsi DOMINVS noster Christus obiicit ecclesiã suã multis calamitatibus, & onerat eã grauissima cruce, tamẽ est Deus omnis salutis, vt quemadmodũ cũ ipse subiret crucẽ, & mortem, meditatus est resurrectionẽ & vitã: ita cùm ecclesiã suã periculis obiicit, & onerat eã cruce, meditatur liberationẽ & salutẽ, ac ea est, pro salute suorũ, sollicitudine, vt nisi antè cognouisset & cõstituisset

Cicero li. 1. de legibus.

1. Samuel. 2.

Ose. 6.

rationem,

rationem, qua suos periclitantes seruaret, quàm in pericula coniecti essent, nunquam committeret, vt sineret eos pericula adire, aut in afflictiones incidere. Hæc est obseruabilis concio, ex qua cognoscimus, non solùm, quòd sit Deus, verùmetiam qualem habeamus Deum, videlicet Christum DOMINVM nostrum, in cuius manu sunt afflictio & consolatio, mœstitia & gaudium, mors & vita, infernus & cœlum, vt per afflictionem consoletur, per mœstitiam in gaudium ducat, per mortem viuificet, & per inferni dolores, ad cœlestem felicitatem transferat. Cum igitur talem habeamus Deum, quis nunc doleat in aduersis? quis cohorrescat ad mortem? quis trepidet ad horrores inferni? Si enim Christus pro nobis, quis contra nos?

21. *Veruntamen Deus percutiet caput inimicorum suorum, verticem cæsariei illius, qui ambulat in delictis suis.*

22. *Dicit (tamen) Dominus, de pinguibus conuertam (aliquos,) conuertam (eos) de profundis maris.*

23. *Idcirco intingetur pes tuus in sanguine, & lingua canum tuorum (tingetur) ab ipso inimicorum sanguine.*

Christus, DOMINVS Deus noster, autor quidem est omnis salutis, & natura sua non est nisi salutaris, quemadmodum præcedens versiculus vicesimus eũ describit: hoc tamen non est intelligendum, quòd is discriminatim omnium sit seruator, sed illorum tantùm, qui ipsum fide agnoscunt, & confidunt. Nam, quod ad hostes, & inimicos suos, ad incredulos & contem-

contemptores suos, præsertim impios Israëlitas, attinet, non est, quòd Christus eos sit seruaturus, sed transfiget potius capita ipsorum, & decaluabit verticem cæsariei eorum, eorum, (inquam) qui obstinatè ambulãt in delictis suis, qui pertinaciter pergunt impietatem suam tueri, & Christum persequi. Etsi enim conuertentur aliquot ex pinguibus, (hoc est) *Ioan.12.* ex principibus, & Pharisæis Iudæorũ, ad Christum, & adducẽtur ad fidem Euangelij Christi, vt liberentur de profundis maris, ne in peccatis suis suffocentur, sed per Christum seruẽtur, tamen Christus cum reliqua Iudæorũ multitudine belligerabitur, & prælium inibit, in quo tantum sanguinis inimicorũ suorum profundet, vt pedibus suis in eo sanguine, tanquam in flumine vel ambulare, vel eos lauare, & canes, tanquam aquam, ad restinguendam sitim lambere possent. Hęc est descriptio abiectionis & excęcationis Iudęorum. Etsi enim Christus, suos sibi electos inter Iudęos reseruauit: Num repulit Deus (inquit Paulus) populum suum? Absit. Nam & ego *Rom.11.* Israëlita sum, ex semine Abraham, tribus Benlamin. Et mox: Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere nõ possit: tamen maxima eorum multitudo, excluſi sunt propter incredulitatem, è cœlesti hæreditate, & abiecti, ne sint amplius populus Dei: Quod quærit (inquit iterum Paulus) Israël, hoc non est assecutus, electio autem consecuta est, reliqui verò excæcati sunt. Quod autẽ Christus tantum sanguinis in prælio contra Iudæos effudisse dicitur, vt pedes in eo lauari, & canes lambere queant, nõ est intelligendum, quòd Christus belli-

geratus sit cum impijs Iudæis mundano modo, sed quòd metaphora horum verborum describatur tale Christi prælium, qualis ipse rex est & bellator. Non est aũt bellator mũdanus, sed spiritualis & cœlestis, prælium igitur eius, quod cum incredulis & impijs Iudæis gessit, non est mundanum, sed spirituale & cœleste. Vsitatum enim est in Scriptura sacra, quòd regnum Christi, & bella, quæ in regno Christi contra hostes geruntur, describantur verbis mutuatis
Psal.110. à regnis & bellis mundanis: Confregit, inquit Psalmus, in die iræ suæ reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum: de torrente in via bibet, (hoc est) Christus, cum est belligeraturus cum regibus, cũ impijs Gentibus & hostibus suis tantã stragem faciet, vt campũ cadaueribus impleat, & tantum sanguinis effundet, vt ex
Esa. 63. eo fiat torrens, è quo bibere posses. Et apud Esaiam: Calcaui Gentes, inquit Christus, in furore meo, & cõculcaui eas in ira mea, & aspersus est sanguis earũ super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Hæc sic dicũtur, perinde ac si Christus gessisset mundanũ prælium, ex quo sanguinolenta vestimenta reportasset. Sed fuit prælium spirituale, quo dimicauit, & subiecit sibi Gentes spirituali modo, videlicet, prædicatione Euãgelij sui, qua vocatæ sunt Gentes in obedientiam fidei; vt quotquot siue Iudæi, siue Ethnici crederent in Christum, seruarentur perpetua salute, quotquot autem non crederent, inæternum perirent. Vnde, cum & Psalmus hoc loco concionetur de abiectione & interitu Iudæorum, dicit, Christum percussurum & transfixurum capita ita-

ta inimicorum ſuorum, & decaluaturum verticem cæſariei populi illius, qui perſeuerat in impietate, non ſignificat, ſe externum bellum cum Iudæis geſturum, ſed ſignificat ſe abrogaturum omnem potentiam eorum, & aboliturum omnem dignitatem ipſorum, vt & regnum, & ſacerdotium ſuum amittant, & ex omnibus cœleſtibus bonis exhæredẽtur. Sciamus igitur Chriſtũ talem eſſe Dominũ & Deũ, qualis etiam in Decalogo deſcribitur, qui ſit Deus Zelotes, viſitãs iniquitatẽ patrũ, in filijs, vſq; ad tertiam & quartã generationẽ eorũ, qui ipſum odio habent, & faciens miſericordiã, vſq; ad mille generationes eorũ, qui diligunt illum, & cuſtodiunt præcepta eius. Quid igitur dicemus? Num Chriſtus illorũ tantum ſaluator eſt, qui ipſum diligunt, & præcepta eius cuſtodiunt? Quis ergo ſaluabitur? Nullus certè hominũ, ſi exactam & ex omni parte perfectã dilectionem Dei, & cuſtodiam præceptorum eius, quæ lege exigitur, reſpexeris: Omnes enim homines declinarunt. Et: Non iuſtificatur in cõſpectu Dei omnis viuens. Si autem Chriſtum, perfectum legis impletorem reſpexeris, ſaluabitur, quisquis ad ipſum fuerit conuerſus, & crediderit in eũ: Quod enim lex, inquit Paulus, præſtare non poterat, ea parte, qua *Rom. 8.* imbecillis erat, per carnem, hoc Deus, proprio filio, miſſo ſub ſpecie carnis, peccato obnoxiæ, præſtitit, ac de peccato condemnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecũdum carnem verſamur, ſed ſecũdum ſpiritum. Quare, quod in Chriſto eſt, ſeruator eſt omnium hominum. Quod autem in hominibus eſt, alij quidem, do-

no Spiritus ſancti, amplectũtur Chriſtum per fidem, & hi, quia fiunt per fidem populus & eccleſia Dei, ſine omni dubio ſeruantur: alij autem ſunt incredu li, ac inimici & hoſtes Chriſti, & hi, niſi ad Chriſtum conuerſi fuerint, ſine controuerſia pereunt, idq; non vitio Chriſti, qui ipſa eſt ſalus, nec aliam habet na turam, quàm ſaluandi, ſed vitio incredulorum & contemptorum, qui per incredulitatem faſtidiunt, & repellunt ſalutem, de qua re aliâs copioſius dictum eſt.

24. *Viderunt inceſſus tuos, Deus, inceſſus (inquam) Dei mei, Regis mei, in ſancto.*

25. *Præcedunt cantores, ſequuntur citharœdi, in medio ſunt puellæ tympana pulſantes.*

Progreditur Pſalmus in deſcriptione pompæ triumphalis Chriſti. Poſtquam enim aſcendit Chriſtus, deuictis hoſtibus, in altum, & miſit ex alto, ducta captiuitate captiua, Spiritum ſanctum, ac cœpit, abrogato regno & ſacerdotio impiorum Iudæorum, eccleſiam ſuam, per miniſterium Euangelij, colligere, nõ iam abſcondit ſe in occulta, nec abdit ſe in latebras cœli, quod nugatores fingunt, Empyrei, ſed incedit manifeſtus & illuſtris: Viderunt, inquit, inceſſus tuos, Deus, inceſſus Dei mei, regis mei, in ſancto. Deus & Rex ille, eſt Chriſtus Dominus noſter, qui nuper adeo in ſanctuario, & ſacris eius adum brabatur. Is incedit in triumpho ſuo omnibus conſpicuus, & ſuſpiciendus. Vident palàm, & reipſa experiuntur heroicum & triumphalem inceſſum eius, quoc-

quotquot oculos ſuos intenderint, & animũ aduerterint. Quod enim in triũphalibus pompis fieri ſolet, vt non ſolùm viri & adoleſcentes, ſed etiam mulieres & puellæ ſuos choros ducant, & inſtrumenta Muſica pulſent, quales quidem duxerunt Iſraëlitæ, ſubmerſo Pharaone in mari, & trucidato Goliathe Philiſtino, idem etiã ſit in triumpho Chriſti. Ibi enim præcedunt cantores, ſequuntur Citharœdi, ſeu (quos ita vocant) Organiſtæ, quibus etiam cõiunctæ ſunt, mulieres & puellæ, quæ nec ipſæ tacitæ ac ociosæ incedunt, ſed tympana pulſant, & alijs id genus muſicis inſtrumentis ludunt. Hic eſt apparatus triumphi Chriſti, ſed mutuatitijs verbis deſcriptus. Cantores enim, qui in hoc triumpho præcedunt, ſunt Prophetæ, qui de futuro Chriſti aduentu, & de maieſtate regni eius vaticinati ſunt. Citharœdi autem & Organiſtæ, ſunt Apoſtoli, & ſucceſſores eorum, qui Chriſtum iam adueniſſe & regnum ſuum intraſſe, prædicatione ſua cecinerunt, & vniuerſo orbi adnuntiauerunt. Mulieres verò & puellæ, his coniunctæ & immixtæ, ſunt eccleſiæ, quæ Prophetarũ vaticinijs, & Apoſtolorum prædicationibus, ex Iſraëlitis quidem primùm, deinde ex Gentibus quoque ſunt collectæ, quæ etiam nomẽ Chriſti magnis laudibus celebrant, adeóque in omne æuum celebrabunt. Et hic triumphi Chriſti apparatus, non eſt in occulto abſconditus, ſed toti orbi patefactus. Miſſus enim eſt initio Spiritus ſanctus Apoſtolis, non in obſcuro loco, ſed in vrbe celeberrima, Hieruſalem: nec paucis tantùm diſcipulis conſcijs, ſed cum in die Pentecoſtes congregatæ eſſent Hieroſolymis mul-

Exod.15.
1.Samue.18.

tæ hominum myriades, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt: & miſſus eſt manifeſtiſsimis miraculis, vt Apoſtoli loquerentur variſs & nouis linguis, eiſcerent dæmonia, tollerent ſerpentes, ſanarent claudos, reſtituerent Paralyticos incolumitati, adeóque ſuſcitarent mortuos. Deinde propagatum eſt ex illo Euangelion Chriſti in totum orbem terrarum, idq; vt breuiſsimo tempore, (adhuc enim ſuperſtite Paulo Apoſtolo, prædicatum eſt apud vniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt) ita etiam admirabili modo. Pugnarunt enim aduerſus Apoſtolicam Euangelij doctrinam, cunctus penè orbis, Iudæi, Gentes, Reges, Principes, proceres, milites, Philoſophi, & quicquid mundus eximium habuit, ſapientia, erudítio, potentia, ſanctitas, & autoritas, & pugnarunt odiſs, inuidentia, rabie, maledictis, inſectatione, tormentis, occidione: nihilominus tamen perrupit illa, & vicit, conſtabitq; etiam perpetuò, aduerſus omnes inferi portas. Hic eſt triumphalis inceſſus Chriſti, de quo hic Pſalmus loquitur, progreſſus videlicet, & auctus eccleſiæ Chriſti, contra omnem humanam potentiam & ſapientiam, in vniuerſo mundo. *Colo. 1.*

Sed vt ſciamus, quale ſit carmen illorum cantorũ & citharædorum, qui in triumpho Chriſti incedunt, & ex quo populo originem ſuam ducant, audiamus verſiculos qui ſequuntur.

26. *In eccleſijs benedicunt Deum, Dominum, (inquã) de fonte Iſraelis.*

27. *Ibi Ben Iamin paruulus, mente excedens, Principes Iu-*

da,

da, vnà cum cœtu ſuo, Principes Zebulun, Principes Naphtali.

In triumpho Chriſti ſunt cantores, & citharædi. Quid ergo canunt? quod eſt ipſorum carmen triumphale? Benedicunt (inquit) Deum, Dominum (inquam) benedicunt, hoc eſt) Chriſtum verũ Deum & Dominum prædicant. Anunciant enim Chriſtum filium Dei, aſſumpta ſerui forma, præbuiſſe ſemetipſum humilem, & factum eſſe obedientem vſque ad mortem crucis, vt peccatum humani generis expiaret, & nos cum Deo patre reconciliaret: ac poſtea euectum eſſe in ſummam ſublimitatem, & donatum nomine, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium, ac terreſtriũ & inferorum. Hæc eſt breuiter ſumma cantationis, benedictionis, laudationis & prędicationis, de Chriſto Deo & Domino noſtro. Sed vbi nam fit illa ſeu cantatio ſeu benedictio? In eccleſijs, inquit: non fit in ſpeluncis latronum, non in latebris Magorũ, ſed publicè, in eccleſijs, in cœtibus hominum, quaqua orbis patet. Vnde autem ſunt illi cantores? ex quo populo ducunt originem ſuam? Non certè ſunt alij, quam Apoſtoli, qui deſcendunt ex fonte Iſraëlis, è ſcaturigine Abrahæ. Apoſtoli enim omnes, qui accepto, in die Pentecoſtes, Spiritu ſancto, prędicarunt Euangelion Chriſti, & vulgarunt in vniuerſum mundum, duxerunt genus ſuum ex Iſraëlitis. Et inter Apoſtolos, primus recenſetur Benlamin: Ibi Benlamin, inquit, paruulus, mente excedens. Nomine Benlamin, intelligendus eſt Apoſtolus Paulus

Philip. 2.

Rom. 11. Paulus, quòd fuerit è tribu Benlamin : Nam & ego (inquit) Israëlita sum, è semine Abraham, tribus Be-
Philip. 3. Iamin. Et iterum : Circumcisus octauo die, ex genere Israël, tribus Benlamin. Dicitur autem paruulus, vel quòd ætate sua fuerit adolescens , quando post lapidationem Stephani, agnouit Christum, vel quòd
Acto. 7. & 22. postremus accesserit ad chorum Apostolorum, & se ipsum in nouissimum Apostolorum locum abiece-
1. Cor. 15. rit : Ego sum, inquiens , minimus Apostolorum, qui nõ sum idoneus, vt dicar Apostolus, propterea quòd persecutus sim ecclesiam Dei. Excedens verò mente dicitur, partim, quòd in itinere ad Damascum, dejectus sit circumfulguratione cœlestis lucis , interram, & raprus ad tribunal Christi, partim, quòd etiam raptus sit in Paradisum, adeõque in tertium cœlum, vbi didicit Euangelion Christi, & audiuit arcana verba, quæ fas non sit homini loqui . Non mirer mur autem, quòd visum sit Spiritui sancto, Apostolum Paulum in hoc Psalmo, mille plus minus annis, antequam nasceretur , in catalogo Apostolorum, primarium recensere. Non enim vanæ sunt coniecturæ, quòd etiam Spiritus sanctus respexerit in Apostolum Paulum, cùm Patriarcha Iacob diceret de Benlamin : Benlamin, lupus rapax , mane vorabit prædam , & vespere diuidet spolia. Et Paulus ipse: Elegit (inquit) nos Deus in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi . Si Deus vidit Paulum, inter electos suos, priusquam orbis conderetur, mirandum non est , quòd & Spiritus sanctus viderit ipsum , cum mundus iam esset conditus , & aliquot seculis constitisset , in catalogo Apostolorum, præsertim

sertim cum Christus tam illustre de ipso testimoni-
um ferat: Organon, inquiens, electum est mihi iste, Act. 9.
vt portet nomen meum coram gentibus & regibus,
ac filijs Israël. Et cum dignatus sit eum admirando,
de quo antè diximus, raptu in Paradisum, & in ter-
tium cœlum, magnum ne est, si fiat mentio eius in
Psalmis? Nam, quod datur ei primus inter Apostо-
los locus, reportauit hanc dignitatem ex laboribus
suis, quibus seruiuit ecclesiæ Christi, non voce tan-
tùm, & præsenti suæ ætati, sed etiam scriptis suis,
omni posteritati, vsq; ad extremũ huius seculi diem.
Quam enim historiam, Euangelistæ de rebus gestis
Christi, literis mandarunt, hanc Paulus Epistolis su-
is, tanquàm commentarijs illustrauit, & verum eius
vsum demonstrauit. Quare, cum Paulus plusquam Rom. 15.
reliqui omnes Apostoli laborauerit, & non solum
Hierusalem, & circumiacentes regiones, vsq; ad Il-
lyricum, Euangelio Christi impleuerit, sed etiam
scriptis suis vniuersum orbem doceat, haud illiben-
ter cedunt ei Apostoli, in triumpho Christi, & di-
gnantur eum principe loco. Deinde sequuntur &
reliqui Apostoli: Principes, inquit, Iuda, vnà cum
cœtu seu turba ipsorũ, Principes Zebulun, & Naph
thali. Nomine principum iterum veniunt Apostoli,
sicut & suprà capite 12. & 14. vocantur Reges. Alij
autem Apostoli, de alijs tribubus Israëlis originem
ducunt. Nam, quemadmodum Apostolus Paulus
natus est è tribu Benlamin, ita Ioannes, Iacobus, &,
vt aiunt, Simon, ac Lebbęus, fuerunt de tribu Iuda:
plærique autem alij, Petrus videlicet & Andreas, &
qui fuerunt è Galilęa, descenderunt è tribubus Ze-

bulun & Naphthali, in quarum finibus Christus cœpit Euangelion suum prædicare, & discipulos ad Apostolatum vocare. Huc respexit etiam Propheta
Esaiæ 9. Esaias: Superiori, inquiens, tempore, vilis habita est terra Zebulun, & terra Naphthali: posteriori autem tempore glorificata est via maris, trans Iordanem, in Galilæa Gentium. Quod exponens Euangelista
Matth. 4. Matthæus, affirmat hoc Esaiæ vaticiniũ impletum esse eo tempore, quo Christus secessit in Galilæam, & commoratus est in ciuitate Capernaum, vt ibi adnunciaret Euangelion, hoc est, afferret nouã lucem populo sedenti in tenebris, & cooptaret sibi collegas Apostolos, quos ad prædicandũ Euangelion emitteret. Hæc omnia eò pertinent, vt cum videmus ea, quæ Prophetę vaticinati sunt de Messia seu Christo, ac de Apostolis, & doctrina eius, adeoq; de tempore & loco, quibus hæc doctrina esset publicè adnuncianda, & in orbem terrarum vulganda, in Iesu Nazareno filio Marię virginis, & in discipulis eius, impleta esse, certò cognoscamus, hunc Iesum verum esse Messiam, per Prophetas promissum, & doctrinam Euangelij eius, esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

28. *Constituit Deus tuus fortitudinem tuam. Fortifica (quæso) Deus, quod operatus es nobis.*

29. *A templo tuo in Hierusalem, offerẽt tibi Reges munera.*

Recensuit Psalmus Principes & Reges (hoc est) Apostolos, qui in triumpho Christi fuerunt, & per quos regnũ Christi, in orbe terrarum ita dilatatum est,

est, vt non sit fluxum & caducum, sicut terrenæ Monarchiæ, sed perpetuò constet. Miraberis igitur, vnde regno Christi tantũ roboris accesserit, vt maneat inter tot aduersa firmum & stabile, præsertim, cum tã Iudæi quàm Gentes ipsum oppugnauerint? Num ab Apostolis? Sed hi sunt imbecilliores, quàm vt tantum pondus viribus suis ferre potuerint. Respondet igitur hic vigesimus octauus versiculus: Deus, inquiens, tuus, cõstituit fortitudinem tuã. Hoc regnũ non cõstat humana aliqua virtute aut potẽtia, sed DEVS TVVS, qui est Christus, constituit ipse fortitudinem tuam, seu stabilitatem regni huius: Constitui quidẽ vos, inquit Christus ad Apostolos, vt eatis & fructũ afferatis, & fructus vester maneat, hoc est, vt regnũ meũ stabiliatur & corroboretur, sed sine me NIHIL potestis facere. Quod cum Apostoli intelligant, videlicet, quòd suis ipsorũ viribus nihil queant in constituendo & conseruando regno Christi efficere, nec sint idonei ex seipsis cogitare quicquam, tanquã ex seipsis, sed si aliquid idonei sunt, id ex DEO sit, qui & idoneos fecerit eos ministros noui Testamenti, non literę sed Spiritus, hoc, inquã, cũ Apostoli ipsi agnoscant & sciant, procũbunt in genua sua, & precãtur, quod in 29. versiculo sequitur: Fortifica, seu confirma Deus, quod operatus es nobis. Nos quidem Apostoli, fecimus in instaurando regno tuo, ô Christe, officium nostrum, fecimus, quod erat vocationis nostræ, plantauimus, & rigauimus: sed nisi tu dederis incrementum, nisi tu ipse Spiritu sancto tuo fortificaueris, corroboraueris, & confirmaueris, quod per nos cœpisti, & operatus es, vanus & irritus est

Ioan. 15.

2. Cor. 3.

omnis noſter labor: Niſi tu ædificaueris domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Quare, ſi nobis
Actor. 4. gratia tua affulſeris, & ſeruis tuis dederis, vt cum omni fiducia ſermonem tuum loquamur, manum tuam porrigendo in hoc, vt ſanatio, & ſigna, & prodigia ædantur per nomen tuum, Ieſu Chriſte, nō dubitamus, quin futurum ſit, vt ab illo loco, in quo eſt
Acto. 1. excitatum templum tuum in Hieruſalem, diuulgetur Euangelion tuum vſq; ad extrema terræ: ac non ſolùm priuati homines, ſed etiam Reges & Principes offerant nomini tuo munera, & agnoſcant te ſolum verum & æternum ſuum ſeruatorem.

Diſcamus autem ex his verſiculis, exemplo Apoſtolorum, piam, tam coram Deo, quàm coram hominibus, modeſtiā. Apoſtoli enim confecerunt ſuo miniſterio, in hoc ſeculo, negotium, vt maximū, ita etiam ſaluberrimū. Multi quidem fuerunt Principes, Reges & Monarchæ, qui heroica virtute, & rebus geſtis ſuis magnam vtilitatem, in humanum genus ſua ætate contulerunt, alij depulſionem hoſtium, alij publicam pacem, & tranquillitatem, alij in rerum penuria abundantiam, alij alia beneficia, ſed illud demum maximum omnium eſt, quod Apoſtoli, prædicatione ſua, in humanum genus contulerunt. Circumtulerunt enim in toto terrarū orbe, ſuo quidem extremo periculo, ſumma autem hominum, ſiue Iudæorum, ſiue Gentium commoditate, illud Euange-
Acto. 26. lion, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, & quo aperiuntur oculi hominum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à poteſtate ſatanæ, ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, &

ſortem

sortem inter eos, qui sanctificantur per fidē in Christum, quo ministerio, nec est vtilius, nec magis salutare: & tamen iubentur agnoscere & cōfiteri, hæc non esse gesta ipsorum virtute, sed gratuita tantùm clementia Domini nostri Iesu Christi. Hoc illud est, quod & Christus ipse ad Apostolos dixit: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus. Et Paulus: Copiosius, inquit, laboraui, quàm illi (Apostoli) omnes: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest. *Luc. 17.*

30. *Increpa gregem acquisitum, congregationem taurorum cum vitulis populorum, conculcantem, propter ramenta argenti, disperge populos, quibus placent bella.*

Apostoli, agnoscunt quidem progressum & incrementum regni Christi, non esse humanarum suarum virtutum, sed diuinæ benedictionis, & precantur Christum, vt quod feliciter per ipsos cœpit, potenter absoluere pergat. Interea autem Spiritus sanctus videt, nullam gentem esse capitaliorem hostem Euāgelij Christi, nullum populum virulentius grassari in regnum Christi, quàm carnales Israëlitas, & inter hos, Sacerdotes & Leuitas, Scribas & Pharisęos. Quare precatur, non solùm, vt Christus progressum regni sui adiuuet, ac det incrementum, verùm etiam vt aduersarijs obsistat, & hostes, seu oppugnatores regni Christi opprimat: Increpa, inquiens, gregem acquisitum, congregationem taurorum, cum vitulis

tulis populorum. Hæc est descriptio impiorũ Israelitarũ, ac imprimis Scribarum & Pharisæorum, qui regnum Christi maximè omnium, perditum & extinctum cupiebant. In Exodo enim Israëlitæ vocantur peculium Dei, seu populus acquisitus, præ cunctis populis, regnum item sacerdotale, & gẽs sancta. Ac inter Israëlitas, Sacerdotes & Leuitę, peculiariter dicuntur possessio & hæreditas Dei. In Numeris, dicitur ad Aheronem: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël. Et in Iosua: Tribui Leui (inquit) non dedit possessionem, quoniam DOMINVS Deus Israël ipse est possessio eius. Ex his & similibus locis, Israëlitæ, & inter hos, Sacerdotes, Leuitę, Pharisæi & Scribę, dicuntur in hoc Psalmi versiculo, Grex, seu populus acquisitus, aut possessus. Et quia hi persequebantur Christum & Euangelion eius virulentissimè, ac sæuiebant in ecclesiam eius immani rabie, idcirco vocantur cœtus seu congregatio taurorum, & vituli populorum, seu inter populos, sicut & Christus ipse tribuit eis in Psalmo vicesimo secundo, hæc & similia epitheta: Circumdederunt, inquiens, me vituli multi, tauri pingues circumxerunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Et iterum: Circumdederunt me canes, & concilium malignantium obsedit me. Ac rursus: Salua me ex ore leonis, & a cornibus vnicornium libera me. Obserua mihi, quibus epithetis Christus hostes suos, carnales Israëlitas, Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos insigniat, vt crudelitatem eorum adumbret: vocat eos, tauros, vitulos, canes, leones,

Exod. 19. *1. Pet. 2.* *Num. 18.* *Ios. 13.* *Psalm. 22.*

nes, & vnicornes, vt sciamus, quanta illi immanitate, in Christum & Euangelion eius grassati sint. Orat igitur spiritus Apostolicus contra sæuitiem eorum: Increpa, inquiens, gregem acquisitum, hoc est, cœtum illum, qui quondam dicebatur peculium Dei, gens sancta, & hæreditas seu possessio Dei, nunc autem conuersi sunt in tauros, & vitulos, in canes & leones qui, cum fuerint initio: ab omnibus gentibus segregati, vt essent ecclesia Christi, & sacris suis Christum adumbrarent, nunc primi ac præcipui sunt, qui Christum persequuntur, & regnum eius abolere studeant. Hunc (inquam) gregem, hunc cœtum oramus DOMINE Iesu Christe, vt increpes, arguas, opprimas, & disperdas. Ob quam causam? An non videntur gens sancta, & populus à Deo electus? Tales quidem erant quondam, nunc autem turpiter degenerarunt. Recensentur verò in hoc versiculo duæ præcipuæ causæ, cur sint increpandi & opprimendi. Vna est, quia conculcant, videlicet, puram & sanam doctrinam pietatis: Increpa (inquit) congregationem conculcantem, propter ramenta argenti. Nam quemadmodum bestiæ, equi, (exempli gratia) aut boues, conculcant & pedibus suis turbant puram aquam fontium aut fluuiorum, vt non sit apta potui, ita Scribæ & Pharisæi conculcarunt & corruperunt veram & sanam doctrinam pietatis, vt non esset amplius auditoribus salutaris. Hoc autem fecerunt, propter ramenta argenti, hoc est, ex auaritia, vt sibi opes cumularent.

Hoc

Hoc illud est, quod & Christus ipse eis exprobrat: Vę vobis, inquiens, Scribæ & Pharisæi, quia claudi-
Matth. 23. tis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare, id quod fieri solet, cũ nec ipsi sana docẽt, nec alios sana docere permittunt. Et de auaritia eorum: Vę vobis (inquit) Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia comeditis domus viduarum, idq; prætextu prolixæ precationis. Et mox: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia decimatis mentam, & anethum, & cyminũ, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis. Auaritiam autem intelligas non tantùm studium cumulandæ pecuniæ, sed etiam studium conseruandæ, & augendæ autoritatis, dignitatis & potentiæ. Cum igitur hoc fuerit præcipuum studium eorum, qui restiterũt Christo, & oppugnarunt Euangelion eius, imprecatur ipsis spiritus Apostolicus internitionem *iustissimo* zelo. Altera causa, quia Scribis & Pharisæis, placent bella, & delectantur bellis, non enim simpliciter pugnant cum Christo & Euangelio eius, sed toto pectore inhiant bellis seu persecutionibus, aduersus Christum, & ecclesiam eius: non suscipiunt oscitanter regnum Christi oppugnandum, & delendum, sed in hoc studium cõferunt omnes suas vires, omnem suam industriam, sapientiam, eruditionem, & potentiam, vt hoc tantùm seu bello, seu oppressione seu occidione delectari, & summa voluptate affici videãtur. Tanto.n. in Christũ & ecclesiã eius odio, tanta virulentia, tanta rabie ardent, vt malint ipsi perire, quàm non perdere. Sed precatio spiritus Apostolici efficax est: Dispergе (inquiũt) populos, qui

qui delectantur bellis. Iudæi enim, postquàm reiecerunt Christum, vociferantes: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et: Nō habemus Regem, nisi Cęsarem, ita dissipati, & dispersi sunt, vt non solùm nullum habeant in terris locum, quo se tutò recipiant, sed nec in cœlis, quippe quòd excluſi sint ab omni cœlestium bonorū hæreditate, Hoc autem dictum: Dissipa Gentes, quæ bella volunt, non pertinet tantùm ad Iudęos peculiariter, quibus summæ fuit voluptati belligerari cōtra regnum Christi, verùmetiam ad omnes Reges, Principes, populos, & priuatos homines generaliter, qui temerè suscipiunt bella gerenda, publicam tranquillitatem perturbandam, & rixas mouendas. Etsi enim nonnulli Principes necesse habēt, ex legitima vocatione, bella, ad tuendam pacem, suscipere, tamen, qui studiū bellandi, mera animi libidine sectantur, suum habent, iuxta hanc Apostolicam precationem, iudicium, videlicet, quòd dissipentur, & in suo instituto pudefiant.

31. *Venient Principes ex Ægypto, Æthiopia cursim exhibebit manus suas, Deo.*

32. *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino.*

33. *Insidenti in cœlis cœlorum, ab initio, Ecce dat tonitruo suo vires.*

34. *Date fortitudinem Deo, in Israël magnificentia eius, & fortitudo eius in nubibus.*

In triumpho Christi incedunt Apostoli, comitati non tantùm reliquijs Israëlitarum, quæ ex abiectione & excæcatione impiorum Iudæorū seruatæ sunt,

sed etiam regibus, & principibus Gentiũ vnà cum suis populis. Ecclesia enim Christi collecta est prædicatione Apostolica, tam ex Israël, quàm ex Gentibus, adeoq; ex omni natione, quæ sub cœlo est. In his igitur versiculis disserit Psalmus de vocatione Gentium: Venient, inquiẽs, Principes ex Ægypto, ad triumphũ videlicet Christi. Quondam Ægyptij fuerant Israëlitici populi tortores & carnifices, & in Ægypto obtinuerat cultura alienorũ Deorum, tam illorũ, qui humana impietate, ex hominibus in Deos constituti, quàm eorum, qui ex bestijs volatilium, quadrupedum & reptilium confícti sunt. Nunc aũt, ô rem omnibus seculis decantandam, postquam Christus decreuit triumphum agere, Ægyptus mittit ad hunc celebrandum, non priuatos tantũ homines, sed viros suos Principes, vt quorũ maiores susceperant quondam ecclesiã Dei opprimendam, horũ posteritas omne studiũ suum ad eam augendã & propagandam cõferat. Notæ sunt Ecclesiasticæ historiæ, de incremento ecclesiæ in Ægypto, ac præsertim Alexandriæ, quanta ibi studia piæ doctrinæ? quanta exercitia piæ vitæ? quàm insignia testimonia martyrum partim contra Ethnicos, partim contra Arianos? Ægyptus igitur meritò suum, in triumpho Christi, locũ obtinet. Non sola autem Ægyptus, sed huic etiam vicina Æthiopia, comitatur triumphum Christi: Æthiopia (inquit Psalmus) cursim, seu celeriter exhibet manus suas Christo, Domino nostro. Er

Eusebius lib. 2. cap. 16. & lib. 8. cap. 3. & alijs. Socrates, lib. 4. cap. 24.

Actor. 8. Actis Apostolicis nota est historia de prefecto Candaces, reginę Æthiopum, qui à Philippo eruditus & baptisatus, auexit, vt ita dicã, curru suo Euangelion

de

de Christo, in Æthiopiam, & autor fuit, vt & Æthiopes ad peragendũ triumphum Christi celeriter properarent. Sed quid duo tantùm regna commemoro? Regna terræ, inquit Psalmus, cantate Domino, illi videlicet Domino, qui sedet in cœlis cœlorũ ab initio. (hoc est) Non vnum tantùm, & alterũ regnum, sed omnia huius terræ regna admoneo & cohortor, vt ad hunc triumphum agendum accedant, & cantent, ac celebrent nomen illius Domini, qui sublimior factus cœlis, ascendit supra omnes cœlos, vt omnia impleret. Obserua igitur hîc, primùm, quòd Psalmus repetat illam maiestatis Christi descriptionem, cuius etiam suprà versiculo quarto, mentionem fecit. Iesus Christus enim, Dominus ille est, qui commoratur in cœlis cœlorum ab initio, (hoc est) qui non solùm est verus homo, sed etiam verus Deus, & qui ascensu suo in cœlum, non acquisiuit nouam maiestatem & gloriam, sed habuit eam ab initio, iuxta illam precationem, qua Deum Patrem suum alloquitur: Glorifica me, inquiens, pater, apud te, ea gloria, quam habui apud te, priusquàm hic mundus esset. Deinde exponit vocationem Gentium, quòd ecclesia Christi, quæ vnà cum Christo triumphat, collecta sit Apostolica prædicatione, non tantùm ex vno populo Israëlitico, quorum tamen maxima pars sint abiecti, & ex hereditate cœlestium bonorũ exclusi, verùmetiã ex omnibus populis, & regnis huius terræ: Eritis, inquit, mihi testes, non solùm Hierosolymis, verùmetiam in vniuersa Iudæa, Samariaq; deniq; vsq; ad extrema terræ: Ecce dat (inquit) tonitruo suo vires, aut, si ad verbum

Eusebius lib. 2. cap. 1.

Ioan. 17.

Acto. 1.

transtuleris: Ecce dat voci suæ vocem robustam. Euangelion enim Christi (quod est vox Dei, adeoq; tonitruũ, vnde & Iacobus ac Ioannes dicti sunt filij tonitrui, quòd destinati fuerint ad Euangelion prædicandum) ab Apostolis, in vniuerso orbe, & in omnibus terræ regnis diuulgatum, non est nec propagatum, nec conseruatum, humana, sed tantùm diuina virtute. In hanc enim vocem, in hoc Euangelion grassati sunt immanitate sua tam Iudæi, quam Ethnici: & tamen perrupit omnes Gentes, & ita constitit, vt ecclesiam Christi, ex omnibus regnis colligeret. Date igitur, seu adscribite, & attribuite hoc robur & hanc fortitudinem non hominibus, siue Apostolis, siue Regibus, & Principibus, sed soli Domino Deo nostro Iesu Christo, qui magnificentiam, & fortitudinem suam, primùm quidem in Israël, in populo Israëlitico, deinde in nubibus, (hoc est) in omnibus regnis, quæ sunt sub cœlo, seu nubibus, testificatus est. His versiculis admonitus Apostolus Paulus, solet ferè Epistolas suas à gratijs Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi agendis inchoare, quòd patefecerit Gentibus Euangelion, & vocauerit ipsas in communionem eius, quod fructificat, in- *Mar. 3.* *Colo. 1.* quit, in TOTO mundo, & prædicatum est apud VNIVERSAM creaturam, quæ sub cœlo est. Agamus & nos Deo & Patri DOMINI nostri Iesu Christi summas, quas possumus, gratias & feramus ei soli hanc gloriam, magnificentiam, & fortitudinem acceptã, quòd eripuerit nos his temporibus, luce Euangelij sui è crassissimis humanarum traditionum tenebris; & oremus supplices, vt hanc lucem inter nos

nos inuiolatam, tam clementer, ac potenter conseruet.

35. *Reuerendus es Deus, de sanctuarijs tuis, Deus Israel, ipse dat fortitudinem & robur populo, Benedictus Deus.*

Conclusio Psalmi, qua breuiter comprehendit, quis sit ille, quem hoc carmine descripserit. Quid multa? inquit, quis sit, cuius triumphum hoc Psalmo descripsi, paucissimis dicam. Primùm, homo quidem est, in forma serui apparens, non autem est homo tãtùm, sed etiam Deus reuerendus, adeóque is Deus, qui apparuit Patriarchę Iacob, cũ proficiscereturin Mesopotamiam Syriæ, & videret in somnis scalam stantem super terram & cacumen eius tangens cœlum, & expauescens diceret: Quàm reuerendus seu terribilis est locus iste: non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Vnde & additur in hoc versiculo: Reuerẽdus Deus, de sanctuarijs tuis, quòd & apparuerit Patriarchæ de cœlo, quod est vnũ Christi sanctuarium, & adumbratus sit sacris, ac cerimonijs tabernaculi, quod est alterum eius sanctuarium, de vtroque videlicet sanctuario propositus nobis Deus reuerendus, colendus & adorandus. Deinde Deus est Israëlis, nimirum ille, qui luctatus est cum Patriarcha Iacob, & cognominauit eum Israëlem, de quo & Iacob dixit: Vidi Deum facie ad faciem & salua facta est anima mea. Ad hæc, Deus est non impotens quispiam Deus, quales sunt dij gentium, sed est Deus dans populo robur & fortitudinem, (hoc

Gen. 28.

Gen. 32.

est)qui omnipotentia sua tuetur populum seu eccle-
siam suam,& ita corroborat eam,vt,quemadmodum
Patriarcha Iacob prævaluit Deo in lucta sua,(vnde
& dictus est Israël, hoc est, dominator Dei,) ita &
ecclesia Christi prævaleat omnibus suis aduersarijs,
adeóque portis ipsis inferi. Postremò, Deus est be-
nedictus,videlicet,Christus DOMINVS noster, qui
promissus est Patriarchis, Abraamo, Isaaco & Iaco-
bo, quòd in ipso benedicendæ sint cunctæ tribus
terræ. Habes breuissimis,quis sit ille, quem Dauid
Deut.33. hoc triumphali carmine celebrauit, de quo & Mo-
ses dixit: Non est Deus alius, sicut Deus rectissi-
Matth.16. mi,ascensor cœli, auxiliator tuus. Et Petrus: Tues
Ioan.20. Christus ille,filius Dei viuentis. Et Thomas: DOM-
NVS meus, & Deus meus. Similiter & Paulus: Ex
Rom.9. quibus est Christus,quantum attinet ad carnem,*qui*
est in omnibus Deus benedictus in secula Amen.

VSVS HVIVS PSALMI.

Perpetua nobis est cõtrouersia & pugna,cum Iu-
dæis,de vero Messia seu Christo. Ac de illo quidem
facilè inter nos conuenit,quòd ab initio orbis terræ
promissus sit diuinitus Messias, qui sit benefacturus
humano generi, & liberaturus homines è suis mise-
rijs ac ærumnis,& quòd Messias ille descensurus sit
è familia Abrahæ,& stirpe Dauidis. Sed quis sit ille
Messias, & quo officio functurus in orbe terrarum,
hoc demũ semper fuit in cõtrouersia positum. Iudæi
enim, genus hominum excæcatum, & obstinatum,
tentiunt, Messiam, insignem quidem hominem, &
heroa

heroa potentissimum, tantùm autem hominem, non item Deum. Ad hæc, arbitrantur regnum eius fore in his terris mundanum, & dominaturum in hoc seculo, regio more, vt reducat populum suum, qui ipsum agnoscat, è tyrannide reliquarum Gentium, & restituat eos suæ patriæ, in qua vitam agant securã & tranquillam, ac fruantur in ea omnibus corporalibus bonis, cõmodis & voluptatibus. Sed hi fœdè, & impiè errant, tam in persona, quàm in officio Messiæ, seu Christi. Hic igitur Psalmus, vtramque vanitatem & impietatem refutat. Non enim dubium est, quin autoritate Apostoli Pauli, quemadmodum suprà dicebamus, hic Psalmus concionetur de Christo, ac de regno & triumpho eius. Primùm igitur describit Christum, quòd non sit tantùm homo, de familia Abrahæ & Dauidis natus, sed etiam sit verus Deus: DOMINVS, (inquit) est nomen eius. Et: Deus in habitaculo sancto suo. Ac rursus: Deus, cum egredereris corã populo tuo, cũ incederes per desertum. Manifestum autem est, quòd Christus filius Dei, comitatus sit Israëlitas in deserto, & defenderit eos: Bibebant, inquit Paulus, de spirituali, comitante petra. Petra autem erat Christus. Et iterum in Psalmo: Benedictus Dominus singulis diebus. Ipse est Deus noster, Deus salutis, & DOMINI Dei sunt egressiones mortis. Agnoscamus igitur Christũ, quod ad personã eius attinet, nõ solùm hominẽ, sed etiam verum Deũ. Deinde, regnũ Messię & officiũ eius in hoc seculo, non est mundanum, aut politicũ, sed est spirituale ac cœleste. Messias enim venit in hoc, non vt dominetur, quemadmodũ vel Dauid 1. Cor. 10.

vel

vel Salomon, vel Alexãder Macedo, vel Iulius Cæsar politicè dominatus est, nec vt reducat populum suum è manibus Gentium, & restituat eum patriæ, aut terræ Canaan, sicut vel Moses, vel Iosua, vel Esdras aut Zorobabel, sed vt dominetur peccato, morti & inferno, & restituat populum suum, expiatum à peccato, & liberatum morte, cœlesti patriæ, ac æternæ felicitati. Vnde & dicitur in hoc Psalmo, Deus salutis, & Dominus mortis, ac liberationis ex morte. Describitur quidem triumphus Christi in hoc Psal. perinde ac si esset mundana põpa, in qua incederent tribus Benlamin, Principes Iuda, Principes Zebulũ, & Naphthali, Principes ex Ægypto & Aethiopia, sed res gestæ per Christum DOMINVM nostrũ interpretantur rationẽ huius triumphi, quòd hæc sit processio Apostolorũ, qui prędicatione sua circũtulerunt Euangelion Christi, in orbe terrarum, & accessio Ægypti ac Æthiopiæ, (hoc est) Gentium ad Euangelion Christi per fidem & ad ecclesiam eius. Hic autem non est mundanus triumphus, sed spiritualis, non est externa pompa, sed cœlestis, in oculis DOMINI Dei nostri. Quare, cum vexamur magnitudine & multitudine peccatorum, aut affligimur meditatione mortis, & horrore inferni, aut perturbamur alijs vel corporalibus vel spiritualibus incommodis, suscipiamus hunc Psalmum in manus, & simus spectatores triumphi Christi, vt cõsideremus, & quis sit hic triumphator, & quæ, quanta beneficia triumpho suo nobis afferat. Nam, vt maximè sinat nos in his terris, paupertate, morbo, infamia, & morte affligi, non tamen sinit nos in his perire,

sed

sed dat euentum, vt queamus sufferre, & excogitat rationem, vt mirando modo ad æternã salutem conseruemur. Hoc sibi vult tam persona triumphatoris, quòd sit Deus & homo, (hoc est) omnipotens & clementissimus, quàm triumphus ipse, quod idcirco institutus sit, vt fide nostra in omnibus aduersis cõfirmemur, & cœlestibus bonis vnà cum triumphatore fruamur. Est & illud in hoc Psalmo singulari obseruatione dignum, quòd Christo tribuitur cognomen patris orphanorum, & iudicis viduarum, quo significatur Christum in hunc vsum venisse, vt opem ferat orphanis & viduis, quo hominum genere nõ est vllum in hac terra miserius, & calamitosius: itaque Christus venit propter homines miseros & calamitosos, vt ijs succurrat. Succurrit autem eis pro officij sui ratione, non mundano, sed cœlesti modo, eoq; quem paulò antè explicuimus, videlicet, quòd in hoc quidem seculo det euentum, vt aduersa ferre possimus, & tandem salui ex omnibus aduersis ad æternam beatitudinem euadamus. Postremò, quia, quæ in hoc Psalmo prædicãtur de Messia, seu Christo, & de regno ac triumpho eius, nulli hominum conueniunt, præterquàm Iesu Nazareno, filio Mariæ, passo & crucifixo sub Pontio Pilato, præside Iudææ, euidens testimoniũ est, quòd non sit alius Messias, (hoc est) redemptor & saluator, per Prophetas adnunciatus, nec sit alius expectandus, quàm Iesus ille Nazarenus, quem Apostoli in toto orbe terrarum, inter omnes Gentes prædicarunt, quem & expectamus iudicem viuorum & mortuorum, credentium, & incredulorũ, ac illorum quidem, credentiũ

videlicet, perpetuũ ſeruatorem, incredulorũ autem condemnatorẽ. Muniamus igitur hoc Pſalmo fidem noſtram, non ſolum aduerſus Idolomanitarũ impietatem, & Iudęorũ rabiem, verùmetiã aduerſus Mahumetiſtarũ furores, vt in ſolo Ieſu Chriſto conquieſcamus, & in morte ipſa, ad æternam ſalutem ſeruemur.

Pſalmus 69.

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, &c.

I Pſalmi, ſingulari Spiritus ſancti conſilio, illo ordine, qui nobis eſt vſitatus, vel per Eſdram, vel per alium autorem, diſpoſiti ſunt, non dubito, quin id imprimis factum ſit in ordinandis & coniungendis his duobus Pſalmis, ſexageſimo, videlicet, octauo, & ſexageſimo nono. Quemadmodum enim in ſcriptis Euangeliſtarum commemoratur quidem inſignis illa, & admiranda transfiguratio Chriſti in maieſtate, coram Petro, Iacobo, & Ioanne, vt in ore duorum aut trium firmum ſtet teſtimonium, ſed additur etiam, quòd in eadem transfiguratione, viſi ſint in maieſtate, Moſes & Elias, idq; minimè muti, ſed adnuntiantes Chriſto exceſſum ſeu mortem ſuam, quam completurus erat in Hieruſalem. Quo ſignificarunt diſcipulis auditoribus, Chriſtum & regnum

Mat. 17. Mar. 9. Luc. 9.

regnum eius maxima quidem maiestate ornatum, sed in hoc seculo passioni & cruci obnoxium esse: & admonuerunt nos, vt si quando in hoc seculo contigerit nobis aliqua felicitatis pars, memineri-mus, reliquas adhuc esse ærumnas & afflictiones, quæ dum in hac carne vitam agimus, sufferendæ sint, Ita coniunguntur etiam hoc loco duo insignes Psalmi, quorum alter, quem paulò antè interpreta-tione nostra qualicunq; percurrimus, describit ob-seruabilem illum, & cœlestem triumphum, quem Christus parta, de omnibus inimicis suis, victoria, egit: alter autem, quem in præsentia, propitio Deo, interpretandum suscipimus, tractat de passione & morte Christi, vt exponat, triumphum, quem prior Psalmus commemorauit, non fore mundanum, & doceat nos, quòd etsi Christus vicit mundum, nos tamen habituri simus in hoc mundo afflictionem, donec deuicta, per Christum, morte, veram vitam as-sequamur.

Nam quòd hic Psalmus concionetur de passione, cruce & morte Christi, extant in ecclesia Dei testi-monia omni exceptione maiora.

Apud Ioannem Euangelistam, facit Christus fla- *Ioan. 2.*
gellum de funiculis, & eijcit è templo omnes pro-polas & numularios, ac subuertit etiam mensas eorum. Quod factum, cum discipuli, tanquam in-solens mirarentur, ac obstupescerent, recordati sunt, inquit Ioannes, quòd scriptum sit: Zelus do-mus tuæ comedit me. Hic est versiculus nonus in hoc Psalmo. Et significat Euangelista, quòd non solùm Christus excitatus sit diuino zelo, vt

ejiceret è templo numularios, sed etiam, quòd hic Psalmus sit precatio Christi, qua exponit Deo Patri suam passionem & crucem, ac petit cœlestem opem.

In eodem Euangelista dicitur: Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Scriptura igitur, cuius hîc fit mentio, extat (sicut omnes circumstantiæ testantur,) in hoc 69. Psalmo, versiculo 21. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Hic versiculus tam disertè concionatur de passione Christi, vt non videatur de ea futura tanquam Propheta, sed de præterita, tanquam historicus narrare. Vnde & Euangelistæ dicunt: Dederunt ei vinum myrrhatum, seu acetum, cum felle mixtum, bibere. Similiter, Christus apud Ioannem cap. 15, dicit: Hoc accidit, vt compleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est: Odio habuerunt me gratis. Hoc continetur in versiculo quarto huius Psalmi, sicut & in Psalmo 35. Significat igitur Christus ipse, hunc Psalmum de se, & sua passione, à Spiritu sancto dictatũ esse.

Ioan.19.

Matth.27.
Mar.15.

Rom.15. Paulus scribens ad Romanos: Vnusquisq; (inquit) vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me. Est & hęc pars versiculi noni in hoc Psalmo, & testatur Paulus eam esse vocem Christi, qua omnes admoniantur, vt exemplo Christi

sti patientissimè ferentis in passione sua opprobria impiorum, non reddamus malum, malo, sed vincamus bono, malum.

Iterum ad Romanos Paulus de abiectione Iudęorum scribens: Fiat mensa eorum, inquit, coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Hi sunt versiculi, vicesimus videlicet secũdus, & vicesimus tertius, quos Paulus ex hoc Psalmo sumpsit, & probat testimonio eorum, quòd Iudæi eiecti sint ex ecclesia Dei, & excæcati, ne agnoscant Christum, & Euangelion eius. Facta est autem hæc abiectio & excæcatio post passionem Christi, in qua negauerunt Christum apertè, & repulerunt suam ipsorum salutem: Sanguis eius, inquientes, super nos & filios nostros. Testatur igitur Paulus, hunc Psalmum de passione & cruce Christi concionari. *Rom. 11.*

Petrus in Actis Apostolicis, admonens suos collegas, vt in locum Iudæ Iscariotis alium Apostolũ eligant: Scriptum est, inquit, in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea. Hic est vicesimus sextus versiculus huius Psalmi. Et quòd præcipuè intelligendus sit, de maledictione proditoris Iudæ, addit Petrus aliud testimonium, ex Psalmo centesimo nono: Episcopatum eius accipiat alter, significans & probans, quòd autoritate Spiritus sancti, alius sit in locum Iudæ proditoris eligendus. Nõ est autem obscurum, quòd Iudas prodiderit Christum tempore passionis suæ. Quare hic Psalmus testimonio etiam Apostoli *Actor. 1.* *Psalm. 109.*

Petri concionatur de passione & cruce DOMINI nostri Iesu Christi. Quod cum ita se habeat, sentiamus de hoc Psalmo, non quod vanitas impiorum Iudæorum nugatur, sed quod veritas Spiritus sancti tradit, videlicet, quòd sit precatio Christi, petentis cœlestem opem contra immanitatem suorum persecutorum, & vaticinantis de horrenda quidem ipsorum internitione, de perpetua autem sua, & ecclesiæ suæ liberatione ac salute.

1. *Serua me Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*
2. *Immersus sum in lutum profundum, vbi non habeo fundum, veni in altitudines aquarum, & alueus inundat me.*

Si hæc est, inquies, precatio Christi, quomodo conueniet cum aliis dictis eius? Dicit aliâs: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & EGO refocillabo vos. Et iterũ: Ego sum resurrectio et vita. Cum igit̃ Christus hoc loco clamet ad Deum: Serua me, an non videtur cum vociferatione impiorum Iudæorum consentire: Alios seruauit, seipsum seruare non potest? Si clamat ad Deum: Serua me, quomodo asseueratis ipsum esse Deum? Deus ne Deum (hoc est) seipsum inuocat? Vnus enim tantùm est Deus, nec est, præter hunc, alius Deus. Sciamus igitur hanc seu cogitationem, seu obiectionem, non esse, nisi aut ignorantium personam Christi, aut prorsus incredulorum. Vnus enim tantùm est Deus, videlicet, essentia: in hac autem vna diuinitatis essentia,

tia, sunt tres proprietates per se subsistentes, quas nos personas dicimus, pater, filius & Spiritus sanctus. Et inter has, solus filius assumpsit, in plenitudine temporis, humanam naturam, & factus est homo, vt sit in vna persona, verus Deus, & verus homo. Ac potuisset quidem statim, initio assumptæ humanitatis, gloriam, maiestatem, & formam Dei ostentare, sed visum est ei, vnà cum humanitate, formam etiam serui assumere, & semetipsum humiliare, vt vocationi Dei patris sui obediret, & seruitute, humilitate, & abiectione sua, humanum genus seruaret, & omnes qui in ipsum crederent, ad participatum suæ beatitudinis eueheret. Sentiamus igitur, Christum DOMINVM nostrum in hoc Psalmo clamare ad Deum, serua me, non in forma Dei, qua se ad tempus exinaniuit, vt Paulus loquitur, sed in forma serui, iuxta quam etiam suscepit omnes humanas imbecillitates, & sensit omne humanorum dolorum tam corpore, quàm animo, genus, ac ex eo sensu, excitatus est, ad inuocandam, in omnibus aduersis suis, cœlestem opẽ: Debuit (inquit epistola ad Hebræos) per omnia fratribus similis fieri, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda. Et iterum: Obtulit in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis.

Philip. 2.

Heb. 2.

Cap. 5.

Sed audiamus ærumnas & calamitates, quę Christum ad hanc precationem excitarunt: Serua me (inquit) Deus. Quo ergo incommodo laboras? Quid tibi molestum est? Non arbitreris, me solenni tantùm

tantùm & cerimoniali more, quod hypocritæ ſolẽt, ad Deum clamare, ſed magnitudo & multitudo ipſa afflictionum extorquet mihi hunc clamorem. Sunt enim variæ cauſæ, cur oculos meos in cœlum attollam. Vna eſt, quòd intrauerint aquæ vſque ad animam meam, & immerſus ſim in profundiſsimum lutum, vbi nullum prorſus fundum inueniã: ac in tantam aquarum altitudinem ſubinde deprimor, vt parum abſit, quin inundatio aluei me totum ſuffocet. Quid? Num Chriſtus aliquando coniectus eſt ab inimicis ſuis in mare, ſicut Ionas? aut demiſſus eſt in lacum lutoſum, ſicut Hieremias? Nihil quidem tale, quod ad externam ſpeciem attinet, contigiſſe eiiles gimus. Etſi enim aliquando ductus eſt à Sympatriotis ſuis Nazarenis, ad ſupercilium montis, vt præcipitaretur, tamen tranſiens per medium illorum, euaſit. Sed paſſus eſt plura & maiora: quod enim hîc dicitur de aquis, de profunditate luti, & de altitudine maris, metaphora eſt, qua deſcribuntur maximæ & extremæ calamitates, quæ Chriſto, præſertim paſsionis ſuæ tempore acciderunt. Nam, quod dicit: Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, illa ipſa vox eſt, qua verſus ad diſcipulos ſuos, & grauiſsimè expaueſcens: Triſtis eſt, inquit, anima mea vſque ad mortem. Quod autem dicit: Immerſus ſum in lutum profundum, vbi nullum queam inuenire fundum, & in altitudines aquarum, in quibus ſuffocationi proximus ſum, illud eſt, quod in cruce clamat: Deus meus, Deus meus, vt quid me deſeruiſti? Aquæ enim ſunt afflictiones, & horrores mortis, lutum verò & altitudines aquarum ſine fundo, ſunt dolores infer-

Hiere. 38.

Luc. 4.

ni,

ni, quibus Christus etiam aliâs cõqueritur se obrutum esse: Circumdant me, inquiens, dolores mortis, & torrentes perditionis conturbant me, dolores inferni circumdant me, occupãt me laquei mortis. Hi autem horrores & dolores aptissimè pinguntur metaphora altitudinis aquarum, & profunditatis luti, sine fundo. Quemadmodum enim in his nullum inuenias fundum, in quo pedes firmentur & cõsistant, sed quotquot in ea ceciderint, aut proiecti fuerint, necesse habẽt perire, quòd aqua & lutum supergrediantur caput hominis, & suffocãt eum: ita quotquot horrore mortis ac inferni cõpræhenduntur, nullum prorsus nec finem, nec euasionem consequi posse videntur. Suscipit igitur Christus hos dolores nec inuitus, nec coactus, sed sua sponte, ad gratificandum voluntati patris sui: & inuocat in ijs cœlestem eius opem, vt experiatur in se ipse, qualis sit affectus illorum, qui compræhensi doloribus mortis & inferni, inuocant Deum, & tamen nullam vident nec precum suarum exauditionem, nec liberationem. Habemus, inquit Epistola ad Hebræos, Pontificem, nõ qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarũ, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem absq; peccato, vt possit & ijs qui tentantur succurrere. Habes vnã causam, cur Christus petat se diuinitus seruari. *Psalm. 18.* *Heb. 2. & 4.*

3. *Defatigatus sum clamando, exaruit guttur meum, deficiunt oculi mei, dum expecto Deum meum.*

Altera causa, propter quã Christus inuocat Deum. Non solùm suffero terrores mortis, & dolores

inferni, verùmetiam inuoco Deum in his ærumnis, tanta vehementia, vt clamando sim defatigatus, & guttur meum exaresçat, seu rauceſcat, ac visus oculorum meorũ deficiat, & tamen nullum vspiam apparet vel cõsilium vel auxilium. Dum inuoco Deum, & expecto exauditionem eius, ecce prę sentissimum imminet exitium. Non est in terris, qui mihi opem ferre possit, in cœlo autẽ Deus ipse videtur me prorsus deseruisse, & abiecisse. Quò igitur me vertam? quid consilij capiam? Hic est affectus grauissimus & periculosissimus, cum calamitates eò progressæ fuerint, vt non tantùm videaris ab hominibus, verùmetiam à Deo ipso desertus, & sentias, omnem nominis Dei inuocationem non tam superuacaneam, quàm Deo odiosam & aduersam esse. Idem conqueritur

Psalm. 22. Christus etiam aliâs: Vociferor quidem, (inquiens) sed longè abest à me salus. Deus meus, inuoco interdiu, ac ne noctu quidem sileo. Ac mox: In te speranuerunt Patres nostri, sperauerũt, & liberasti eos. Ad te clamauerunt & seruati sunt, in te sperauerunt, & non sunt pudefacti. Ego autem sum vermis, & nõ homo, opprobrium hominum & despectio plebis, (hoc est) Inuoco quidẽ te sine vlla intermissione, sed minorem habes mei rationem, quàm vermiculorũ. Hoc

Aba. 1. idem conqueritur etiã Propheta Abacuc: Vsquequo, inquiens, Domine clamabo, & nõ exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & nõ saluabis? Suscepit igitur in se Christus talem affectum, idq; nõ in infimo, sed in summo gradu, ita vt sudor eius fieret, sicut guttæ sanguinis, decurrentes in terram. Quantã, obsecro, & quàm inexplicabilem arbitraris hanc fuisse

horiõ: Ac in nobis quidem, hominibus in peccato conceptis & natis solet talis affectus exurgere, non absq; peccato: in Christo autem, qui peccatum nõ fecit, nec est inuẽtus dolus in ore eius, exortus est sine vllo peccato. Suscepit autem eum in se, vt & peccatum nostrum expiaret, & experiretur, sicut suprà dicebamus, quàm grauis & intolerabilis esset sarcina, eoq; ipso excitaretur, ad succurrendũ ijs, qui similiter tentantur, & afficiuntur. Quare, non abijciamus animũ, etiamsi videamur in precibus nostris ad Deum, repulsam pati, sed pergamus officium nostrũ facere, (hoc est) in vocatione Dei ambulare, & semper orare, nec defatigari, quòd quo similiores simus affectui Christi, eo propior sit nobis salus. Alia enim est expectatio diuini, alia humani auxilij, quippe quòd hæc collocetur in humana & caduca, ideoq; mendaci promissione, illa autem collocetur in cœlesti, & diuina, ideoq; veraci, & perpetuò constanti promissione, quæ sperare & expectare pergentem, nũquam pudefaciet.

4. *Plures sunt, quàm capilli capitis mei, qui me odio habent, absq; causa: & inimici mei, qui me frustra cupiũt perditũ, insignes sunt potentia. Quod nõ rapui, exoluo tamen.*

Tertia causa, cur petã, vt Deus me seruet: Quia tot me summo odio prosequũtur, idq; sine vlla legitima causa, vt superẽt numero suo capillos capitis mei: & qui saluti meæ ad internitionẽ vsq;, idq; nulla ratione, inhiãt, nõ sunt homines abiecti, sed magna potẽtia prẽditi. Cõsideremus igitur primũ, quòd in prẽsentia nõ fiat sermo de spiritualib. Christi inimicis, qui

sunt satan, peccatum, mors & infernus, de quibus
Psal.110. præcipuè loquitur alius Psalmus: Dixit DOMINVS
Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Paulus:
1. Cor.15. Nouissimus hostis aboletur mors: nec fiat præcipuè sermo, de omnibus hominibus indiscriminatim, qui natura carnis suæ sunt inimici & hostes Christi, de quibus aliâs dicitur: Quod natum est ex carne, caro
Ioan.3. est. Et: Affectus carnis, mors est, & inimicitia aduer-
Rom.8. sus Deum: sed fit sermo, de Iudæis, & imprimis, de Scribis & Pharisæis eorum, qui, cùm promissus esset ipsis Christus, & e quorum gente natus esset, videbantur præcipui esse, qui ipsum agnoscerent, & cœlesti doctrinæ eius assentirentur: sed ecce rem mirandam, primi illi erant, qui ipsum odissent, & crudelissimè persequerentur. Obserua autem, obsecro, circumstantias, quæ huius rei indignitatem augent: Qui me, inquit, odio habent, non sunt pauci, sed tam multi, vt superent numerum capillorum capitis mei. Deinde, non sunt abiecti quidam & contempti homunciones, sed qui videntur sapientissimi, & potentissimi. Pugnant enim cum Christo Pontifices, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi & Sadducæi, qui in populo Dei summam habebant autoritatem, & potentiam, & quem illi condemnabant, is videbatur à Deo ipso condemnatus. Et pugnant cum eo, non aliud agentes, sed in hoc solum intenti, idq; ad internitionem vsq;, extremo odio, inuidentia, rabie, maledicentia, armis item tam corporalibus quàm spiritualibus, (hoc est) quibuscunq; modis possunt & valent. Quod autem omnem superat

rat

rat indignitatem, pugnant cum eo, nulla prorsus legitima causa, & ratione: Qualis laus est, inquit Petrus, si cùm peccantes alapis cædimini, sufferetis? 1. Pet. 2. Nam qui propter scelera sua affliguntur, nō habent, quod conquerantur de iniuria. Christus autem nullum vnquam, nec coram Deo, nec coram hominibus scelus designauit: nec vllus fuit hominum, vel proximorum, vel alienorum, qui potuisset aduersus eum, veram accusationem instituere. Et tamen vide mihi, quid fiat, statuitur ad tribunal Synodi ecclesiasticæ, & quanquam nihil illorum criminum, quorum accusabatur, aduersus illum probari potuit, tamen omnes vociferantur: Reus est mortis. Statuitur ad tribunal magistratus politici. Etsi autem magistratus ipse palàm fatetur & testatur, se nullum in eo capitale crimen inuenire, tamen omnes vociferantur: Tolle, tolle, crucifige eum, & si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris: Quid ergo tam immani rabie dignum designauit? quid mali fecit? imò, quid nō boni fecit? Non dicā iam de operibus diuinitatis Actо. 17. suæ, quam non crediderunt, & qua dat omnibus vitam & halitum per omnia, quemadmodum Paulus ait: sed de operibus humanitatis eius, quā & coràm videbant, & cuius opera clariora erant sole, cùm obambulauit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quorum non dubium est, quin multi fuerint in ea turba, quæ vociferata est: Tolle, tolle, crucifige eum. Quare nihil indignius, nihil execrabilius est, quàm quòd tam virulento odio prosecuti sint, non solum immerentem, sed etiam, tam de se,

quàm de vniuerſo humano genere optimè meri-
tum.

Sed ſi Chriſtus (inquies) fuit innocens, ſi immeritò afflictus eſt, ſi abſque iuſta cauſa crucifixus eſt, cur Deus pater ad tantam Iudaicæ rabiei immanitatem conniuit? cur paſſus eſt, vt à ſceleratiſsimis nebulonibus tã crudeliter tractaretur? Ad hoc reſpõdet Chriſtus ipſe in hoc verſiculo: Quæ non rapui, (inquiens) exoluo, hoc eſt. Non plector propter mea aliqua propria delicta, ſed propter aliena: alius peccauit, alius punitur: alius rapuit, alius rapinam luit. Adam rapui. (quod in ſe erat) Deo gloriam ſuam, ac veraciorem arbitratus eſt ſatanam, quàm Deum ipſum, ego autem hanc rapinam exoluo: Adam traxit ſecum imprudentia & præuaricatione ſua vniuerſum humanum genus, in ruinam, peccatum, & in-
ternitionem, ego autem ſuſtineo culpam huius im-
prudentiæ: alij homines omnes peccauerunt, ego ſupplicium peccati eorum ſolus ſuffero. Quæ eſt ergo (iterum inquies) illa iuſtitia, quòd alius peccauerit, alius plectatur? O miram æquitatem (exclamat quiſpiam è ſapientibus huius ſeculi) deorũ. Ferret ne vlla ciuitas latorem iſtiuſmodi legis, vt condemnaretur filius aut nepos, ſi pater aut auus deliquiſſet? An nõ lex ipſa veri & æterni Dei dicit: Nõ occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, (hoc eſt) innocentes pro nocentibus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur? Et aliâs apud Prophetas ait DOMINVS: In diebus illis non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dẽtes filiorum obſtupeſcunt, ſed vnuſquiſq; morietur in iniquitate

Cicero li. 3. de natura deorum.

Deut. 24.

Heire. 31.

Ezech. 18.

quitate ſua. Omnis enim homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius. Quid ergo eſt, quòd Chriſtus filius Dei innocentiſsimus, exoluit ea, quæ ipſe non rapuit? De hac re audiamus verſiculum, qui ſequitur.

5. *Deus, tu noſti ſtultitiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.*

Hic verſiculus, nihil minus videtur, quàm vt cõueniat in Chriſtum, quippe quòd tantum abſit, vt imputanda ipſi ſit ſtultitia, & delicti iniquitas, vt ſit ipſa ſapientia & iuſtitia: Factus eſt, inquit Paulus, nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaq; & ſanctificatio & redemptio, quomodo igitur adſcribemus ei ſtultitiam, & iniquitatem? Sed idem Apoſtolus, etiam hanc rem nobis perſpicuè explicat: Eum, inquiens, qui non nouit peccatum, pro nobis fecit PECCATVM, vt nos efficeremur iuſtitia Dei per illum: ita & verè dicimus, eum, qui non nouit ſtultitiam, pro nobis fecit ſtultitiam, vt nos efficeremur ſapientia Dei per illum. Vnde & aliâs ſcribit: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam. In oculis enim huius mundi ſtultiſsimum iudicatur, velle ſeruire, cũ poſſis regnare, velle affligi, compræhendi, alapis cædi, flagellari, crucifigi, & mori, cum poſsis feliciſsimè agere, liberrimus eſſe, ab omnibus honorari & adorari, in ſumma tranquillitate, iucunditate, & maieſtate viuere: & tamen Chriſtus hanc ſtultitiam & inſipiẽtiam in ſe recepit. Deinde iniquiſsimum etiã, iuxta humanum captum, videtur, ſi quis innocens, pro

1. Cor. 1.

2. Cor. 5.

1. Cor. 1.

pro nocenti, pius pro impio affligatur & puniatur, quemadmodum suprà commemoratum est. Et tamẽ Christus hanc quoque iniquitatem in se recepit. Dicit ergo: Deus, TV nosti stultitiam meam, & delicta mea à TE non sunt abscondita, (hoc est) fateor quidem me, iuxta hunc mundum stultè facere, quòd cũ possim dominari, subijciam me pedibus sceleratissimorum hominum: fateor me videri humanæ rationi delinquere & peccare, quòd patiar me innocentissimũ, pro nocentissimo ad crucẽ & mortẽ rapi: sed TV, Dñe cœlestis pater, optimè nosti, quod in hac re meũ sit institutum, & à TE haud quaquã abscõditum est, quo consilio id fiat, non enim fit mea temeritate, sed tua voluntate, sicut & mox sequitur: Propter te, propter TE (inquam) sustinui opprobrium, & operuit confusio faciem meam: TV NOSTI, inquit, & non est absconditum TIBI. Quid? videlicet, quòd hanc insipientiam & iniquitatem susceperim ferendam, TVA ipsius voluntate, nõ mea temeritate. Voluntas enim Dei patris erat, vt Christus filius eius, ad redimendum humanum genus stulteſceret, & iniqua ferret, (hoc est) vt ludibrio exponeretur, & crucem ac mortem pateretur. Et hanc suam voluntatem testificatus est ab initio orbis terrarum, partim vaticinijs Propheticis, partim sacrificijs, partim aduersis & afflictionibus piorum in Christum credẽtium, postremò etiam ipsa filij aperta & perspicua voce: Cœpit (inquit Christus) ostendere discipulis suis, quòd oportere ipsum proficisci Hierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis & principibus sacerdotum, & occîdi. Et aliâs assumit duodecim discipulos

Matth. 16. *Lu. 18.*

pulos,& ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus,& illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur,& poſtquàm flagellauerint, occident eum. Ac rurſus, ad Petrum: Mitte gladium tuum in vaginam: calicem,quem dedit mihi Pater,an non vis,vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri? Cum igitur Chriſtus paſſurus erat tam probroſam mortem crucis, non ignorante, ſed optimè ſciente, & ſic volente Deo Patre ſuo, haud immeritò precatur eum, vt nõ ſolùm ſe in tantis ærumnis ſeruet, verùmetiam efficiat,vt eccleſia eius, à tam ſtulta, contumelioſa, & deſpectiſsima ſpecie non offendatur, aut ſpe ſua fruſtretur, & pudefiat. Sic enim in Pſalmo ſequitur.

6. *Non pudefiant in me,qui expectant te Domine,* DOMINE *Zebaoth,non confundantur in me, qui quærunt te Deus Iſraël.*

7. *Quoniam propter te ſuſſero opprobrium,operit confuſio faciem meam.*

Hæc planè eſt precatio illa Chriſti pro Apoſtolis & eccleſia ſua,quæ extat apud Ioannẽ: Pater ſancte, (inquit)ſerua eos(Apoſtolos)per nomen tuũ, quos dediſti mihi,vt ſint vnũ,ſicut nos. Et mox: Non pro eis tantùm rogo, ſed & pro his, qui crediturí ſunt, per ſermonem eorum in me, vt omnes vnum ſint. Manifeſtum enim eſt,quòd prophetica ſcripta teſtificentur, Chriſtum venturum in hunc mundum de- *Ioan.17.*

formi ſpecie, & plurimos hac ſpecie ita offenſos iri, vt arbitrentur ſe ſpe ſua, quam de benedictione ſeminis Abrahæ, ſeu Chriſti, tanto tempore conce-
Eſai.53. perunt, prorſus eſſe pudefactos: Non eſt ſpecies ei, inquit Eſaias, neque decor: vidimus eum, & non erat aſpectus, vt deſideraremus eum, deſpectum, nouiſſimum virorum, virum dolorum, &
Eſa.8. ſcientem infirmitatem. Ac iterum: Erit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum & ruinam habitantibus in Hieruſalem. Huc etiam Chriſtus ipſe reſpicit, cum
Matth.11. apud Matthæum inquit: Beatus, quisquis non fuerit offenſus ſuper me. Orat igitur Chriſtus: Non pudeſiat, inquiens, in me, qui expectant te Domine, DOMINE Zebaoth, Non confundantur in me, qui quærunt te Deus Iſraël. Plurimi quidem ſunt, qui maximo deſiderio expectant impletionem illius promiſſionis, quam tu DOMINE Deus Zebaoth, ad Abrahamum de Chriſto dixiſti: In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Et plurimi ſunt, qui quærunt te, Deus Iſraëlis, vt aſſequantur benedictionem illam, quam Patriar-
Gen.28. chæ Iacobo, apparens ei, ſcalæ innixus, promiſiſti. Poſtquàm autem vident me tam deformi ſpecie incedentem, & turpificatum, teneri non poſſunt, quin offenſi retrocedant, & ſe fœdiſſimè pudefactos querantur. Obſecro igitur, Deus Pater cœleſtis, vt in iſtis ærumnis, & offendiculis non me tantùm ſerues, ſed etiam illos, qui te ex-
Ioan.17. pectant, & quærunt, in officio contineas. Non
& 14. pro mundo rogo, (mundus enim Spiritum veri-

tatis

tatis non poteſt accipere,) ſed pro his rogo, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Nec iniuſtè peto, vt nos in iſtis offendiculis conſerues, ſuſcepi enim hanc deformitatem, hoc opprobrium, & hanc confuſionem, ac ignominiam, PROPTER TE, (hoc eſt) non mea temeritate, ſed tua ipſius voluntate, vt & meam erga te obedientiam teſtificer, & gloriam nominis tui vindicem, ac illuſtrem. Voluiſti enim, vt ego, ad redimendum humanum genus, formam ſerui aſſumerem, voluiſti, vt ad aſſerendam gloriam nominis tui, videlicet, gratuitæ tuæ clementiæ & miſericordiæ, crucem ſubirem. Quare, cùm hac deformitate tuæ voluntati gratificer, & tuo nomini ſeruiam, non dubito, quin in ea, tam me, quàm in me credentes ſis ſeruaturus. Non dubitemus & nos de harum precum exauditione & efficacia: Pater enim diligit filium, & dat illi omnia in manus. Nam, quem iuſſit ad dextram ſuam ſedere, arbitraris ne fieri poſſe, vt eum à facie ſua repellat, & preces eius aſpernetur? Confidamus igitur in omni deformitate, in omnibus videlicet aduerſis, vt quemadmodum Chriſtus in ijs à Deo Patre ſuo mirandis modis ſeruatus eſt, ita & nos, qui expectamus DOMINVM Deum Zebaoth, & quærimus Deum Iſraëlis, (hoc eſt) qui credimus in Chriſtum, ſeruemur. *Ioan. 3.*

8. *Alienus factus ſum fratribus meis, & ignotus filijs matris meæ.*

9. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Pergit in enumeratione afflictionum, quæ ipsi à Iudæis illatæ sunt, cum attestatione innocentiæ suę. Non solùm alieni & inimici grassantur in me extremo odio, sed etiam cognati, adeoq; fratres mei, & filij matris meæ auersantur me, & metuunt, ne, si me, vt cognatum & fratrem, alloquio dignentur, necesse habeant eadem pericula, quæ ego sustineo, adire. Num verò id mihi scelere aliquo meo contingit? Nihil minus: non scelere, sed zelo, quem habeo propter domum Dei, inuidiam sustineo: Zelus (inquit) domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Videamus ergo zelum Christi erga domum Dei, seu ecclesiam eius, propter quem incurrit in tam immane odium suorũ Iudæorum. Non dicam iam de generali zelo eius erga ecclesiam, quo suscepit humanam naturam, & coniecit se in omnes infirmitates, & in omnia genera ærumnarum, vt peccata humani generis expiaret, & ecclesiam cœlesti patriæ restitueret, sed de personali, quo singulari, & heroico, vt vocant, Spiritu excitatus est, vt etiam externam domum Dei, seu templum, ab impio abusu vindicaret. Apud Ioannem ingreditur templum, & reperit in eo, illos, qui vendebant boues & oues, & columbas, & numularios sedentes: accensus igitur zelo Dei, propter abusum templi, quum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit e templo, oues simul ac boues, & numulariorum effudit æs, mensasq; subuertit. Similiter apud Matthæũ postquam ingressus esset vrbem Hierosolyman ac templum, intrat in templum Dei, & inflammatus zelo, propter domus Dei prophanationem, itẽ

Ioan. 2.

Matth. 21.

rum

rum eiecit omnes vendentes & ementes in templo, ac subuertit cathedras vendentium columbas: Scriptum est, inquiens: Domus mea, domus deprecationis vocabitur. Apud Marcum, ne permittit quidem, vt quisquam deportaret vas per templum. Hic est zelus ille, qui, iuxta Psalmum, dicitur, Christum comedisse, hoc est, accendisse & inflammasse, vt susciperet templum, singulari spiritu, extra ordinariam suam vocationē, (non enim erat externus magistratus templi, cuius hoc erat officium) expurgandum. *Mar.11.*

Iterum apud Marcū: Venit in Sabbato in Synagogam, homo aridam habens manum. Christus igitur iussit eum surgere in medium, & interrogat Pharisæos, vtrum liceat Sabbatis benefacere, an malefacere, animam seruare, an occidere? Sed cum illi tacerent, indignatus & heroico spiritu accensus, iussit eum extendere manum, & restituta est ei sana, sicut altera. Est & hic singularis zelus Christi, quo non solùm grauiter indignatus est Pharisæis, verumetiam manifestè violauit, non dico, Sabbatum ipsum, iuxta veram eius intelligentiam, sed Pharisaicas tātū de Sabbato traditiones. Hactenus de zelo Christi. Videamus etiam de opprobrijs exprobrantium Deo, quę super Christum ceciderunt. Paulus ad Romanos scribens: (sicut & suprà commemorauimus) Debemus, inquit, nos potentes, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobis ipsis. Vnusquisque autem nostrum placeat proximo in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non placuit sibi ipsi, sed quemadmodum scriptum est: Opprobria exprobrantium tibi inciderunt in me, hac allegatione *Mar.3.* *Rom.15.*

tradit nobis Paulus sententiam huius dicti in manus. Nam, vt in præsentia nihil dicam de generalibus opprobriis, quibus omnes impij peccatores impietate & sceleribus suis contumelioſi sunt in Deum, quę & in Christum ceciderunt, vt ea, cruce & morte sua expiãda susciperet, consideremus peculiaria opprobria, quibus Pharisæi, & reliqua Iudaicæ gentis turba, Deum contumelia affecerunt. Primùm enim blasphemarunt Deum, impia sua doctrina, & hypocritica sua religione, seu potius superstitione: docuerunt peruersè de lege Dei: senserunt prophanè de Christo & regno eius: proposuerunt & multa alia dogmata suis auditoribus tenenda, quæ pugnant cum verbo Dei, & quorum aliquot capita commemorantur apud Matthæum, cap. 5. 6. 7. & 23. ac in aliis scriptorum Apostolicorum locis. Hæ blasphemiæ, & impietates aduersus Deũ, cadebant in Christum: & ita vrebant eum, vt teneri non potuerit nec debuerit, quin inueheretur in eas, pro sua vocatione, seueriſsimè: Væ vobis, inquiens, Scribæ & Pharisæi. Et: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?

Deinde, cum Christus iam affixus esset cruci, Pontifices, Sacerdotes, Pharisæi, & reliqua Iudæorũ turba, sunt aperte contumelioſi in Deũ ipsum, dicunt. n. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum: quasi quòd Deus aut non sit tantę potentię, qui Christum, in media vel cruce vel morte possit seruare: aut tantę sit perfidię, qui confidentẽ in ipsum, iuxta sua promissa, non velit seruare. Ceciderunt & hæ blasphemiæ in Christum, quæ etsi vrebant & exedebant eũ

in animo ſuo grauiſsimè, tamen excepit eas ſumma obedientia, & patientia: & cum potuiſſet ipſas præſenti fulmine, aut hiatu terrę vindicare, maluit vocationi Dei patris ſui gratificari, quàm ſibi placere, & maieſtatem ſuam importunè oſtentare. Quid igitur illo heroico zelo, & hac humili obedientia conſecutus eſt? Apud Deum patrem quidem conſecutus eſt, vt eueheretur in ſummam ſublimitatem, & collocaretur ſuper omnes cœlos: apud impios autem Pontifices & Phariſęos illam iniſt gratiam, vt excommunicaretur, proſcriberetur, crucifigeretur, adeóq; immaniter tractaretur, vt & cognatis & fratribus ſuis fieret abominabilis, & notis eius execrabilis.

10. *Si fleuero in ieiunio animæ meæ, vertitur mihi in opprobrium.*
11. *Si induero ſaccum, ſum ipſis in prouerbium.*
12. *Fabulantur de me, qui ſedent in porta, & carmina canunt, qui bibunt ſiceram.*

Non ſolùm, inquit Chriſtus, pecco Pontificibus, Scribis et Phariſęis, zelo meo, et ęquitate animi mei, in ſufferendis opprobrijs, ſed etiam quicquid vel dixero, vel egero, vertitur mihi in opprobrium, et rapitur mihi in calumniam: Si fleuero in ieiunio animæ meæ, ſi afflixero me ieiunijs & fletibus, ſi duxero vitam religioſam & irrepræhenſibilem, imò ab omnibus cõmendabilem, qualẽ ſolent ducere, qui in ieiunio & fletu publicam agunt pœnitentiam, tantum abeſt, vt Pontifices & Phariſæi approbent, & laudent, vt potius interpretentur mihi pro hypocriſi, *Ioel. 2.*

&

& vertant in opprobrium. Si mutauero veſtimenta mea, & induero ſaccum, hoc eſt, veſtes lugubres, quaſi qui mortuos vel parentes vel liberos lugeam, ne ſic quidem Põtificibus & Phariſæis officium meum fecero, ſed potius irrideor, & ſubſannor: idq; nõ tantùm priuatim, ab hominibus priuatis, ſed publicè, à Magiſtratibus in porta, (hoc eſt) in prætorijs, & conſiſtorijs, (in ſacris enim literis, vſitatum eſt nomine portarum ſignificare publica prætoria, vt Prouer. 31. Nobilis vir eius in portis, hoc eſt, in prætorijs, ſeu conſiſtorijs) Nec in portis tantùm, vbi publica iudicia exercentur, irrideor, & iudicor omni opprobrio dignus, verùmetiam, in publicis conuiuijs, vbi non ſunt contenti fabellas de me, quibus ſeſe oblectent, confingere, ſed etiam componunt in me carmina, quæ ad captandam animi voluptatem cantillent. Hoc prorſus illud ipſum eſt, quod poſtea *Matth. 11.* Chriſtus, iam incarnatus, apud Matthæum dixit. Generationem Pontificum, Scribarum & Phariſæorum ſimilem eſſe pueris, qui acclamant ſodalibus ſuis: Tibia cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lugubria cecinimus vobis, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes, nec edens, nec bibens, & aiunt, dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibens, & dicunt, en hominem comedonem, & vinipotorem, publicanis & peccatoribus amicũ. Et iuſtificata eſt ſapiẽtia à filijs ſuis. Nam apud hoc hominum genus Chriſtus in tanto eſt odio & inuidia, vt nulla nec dicta eius, quamuis rectiſsima, nec facta eius, quamuis iuſtiſsima, nec conſilia & inſtituta eius, quamuis ſapientiſsima, approbare, aut in meliorem partem inter-

interpretari queant. Siue læteris, siue lugeas, semper inueniunt, quod vel calumnientur, vel reprehendant. Quid igitur facias? quo te vertas? Facias, quod Christus in hoc Psalmo de se prædicat, & postea, carne indutus, exemplo suo præstitit. Sic enim sequitur.

13. *Ego autem oro ad te* DOMINE, *tempore accepto, Deus propter multitudinem beneficentiæ tuæ, exaudi me, propter veritatem salutis tuæ.*
14. *Erue me de luto, vt non demergar, vt liberer ab his, qui me odio habent, & ex profundo aquarum.*
15. *Non inundet me alueus aquarum, & non absorbeat me profundum, neq; claudat super me puteus os suum.*
16. *Exaudi me* DOMINE, *quoniam benigna est beneficentia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me.*
17. *Et non abscondas faciem tuam à seruo tuo, quoniam in magnus sum angustijs, velociter exaudi me.*
18. *Accede ad animam meam, libera eam, propter inimicos meos eripe me.*

In tantis igitur afflictionibus, inter tot inimicos, inter tanta ludibria, & opprobria, quid facit Christus? & quò se vertit? Ego, inquit, ad te DOMINE, ORO: Rideant illi sanè, recitent de me iucundas sibi fabellas, cantillent de me suauia carmina, ego autem verto me precibus meis ad TE DOMINE. In aduersis enim siue illis corporalibus, siue spiritualibus, non est alia compendiaria via ad consequendam salutem, nisi conuersio ad inuocationem

nominis Dei, & ad petendam precibus opem cœlestem: Omnis, OMNIS, inquam, quicunque inuocauerit (inquit Paulus ex Ioële) nomen DOMINI, salutem consequetur. Pauca verba, sed si quis ea diligenter expenderit, maximi momenti. Ac leuiculum quidem videtur, inuocare nomen DOMINI, quippe quòd vulgare sit tam Ethnicis, quàm Iudæis, tam Mahumetanis, quàm Christianis, tam peccatoribus, quàm iustis: sed inuocare nomen DOMINI, ex fide, non quacunque ex homine conficta, sed ex fide DOMINI nostri Iesu Christi, hoc demum verè est salutare: Nemo, inquit, potest dicere DOMINVM Iesum, nisi per Spiritum sanctum. Facilè quidem est, hæc verba, aut similia, sermone recitare, sed serio corde credere, Spiritus sancti, non Spiritus prophani, Spiritus diuini, non carnis humanæ opus est. Petamus igitur exemplum inuocationis nominis diuini, ex ipso filio Dei DOMINO nostro Iesu Christo, vt in omnibus aduersis properemus, non ad execrationem, sed ad obsecrationem. Et quia fieri non potuit, vt filius Dei, à Patre Deo, non exaudiretur, inuoluamus nos per fidem, in orationem Christi, vt & vnà cum ipso exaudiamur. Deinde dicit se orare, in tempore placito, seu accepto. Queramus igitur, quod sit illud placitum & acceptum tempus. Principio, nullum est in his terris DOMINO Deo nostro opus aut sacrificiũ gratius, quàm quod Christus filius Dei suo ipsius corpore, passione videlicet, & morte sua peregit. Hoc enim sacrificio Deus Pater reconciliatus est mundo, & adeo delectatus fuit, vt & condonaret peccata omnibus

Rom.10. Ioel.2.

nibus credentibus in Christum, & adoptaret eos in filios, ac hæredes suos. Quare etiã tempus illud dicitur Deo Patri acceptissimum, & ad inuocandum nomen eius aptissimum, quo vel passio Christi reipsa peragitur, vt cum ad gratificandum voluntati Patris, Christus susceperit pro peccatis nostris mortem: vel sacrificijs Leuiticis adumbratur, quod factum est in veteri Testamento: vel publica prædicatione diuulgatur, & celebratione Cœnæ dominicæ, ad commemorationem eius adnunciatur, vt in nouo Testamento fieri solet. De quo tempore concionatur Apostolus Paulus ex Esaia: Tempore (inquiens) accepto exaudiui te, dicit DOMINVS, & in die salutis adiuui te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Deinde quia in alio Psalmo dicitur: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus, nõ despicies, idcirco perspicuum est, quòd tunc sit congruentissimum tempus offerendi Deo supplicationes, & inuocandi nominis eius, pro cœlesti ope, cum sumus afflictissimi, & maximis ærumnis obruti, hoc est, cum sumus spiritu contribulato, & corde contrito ac humiliato. Nam, cum Deus promiserit se affuturum ijs, qui tribulato sunt corde, & saluaturum humiles Spiritu, dubium non est, quin pro veritate promissionis suæ, præstò adsit, illo præsertim tempore, præsentissimus, quo in afflictione, & amaritudine animæ, ex fide inuocatur. Vtrunq; tempus maximè omnium in Christum filium Dei competit. Nam hic Psalmus continet historiam passionis, crucis & mortis eius, hoc est, illius sacrifi-

Esa.49.
2.Cor.6.
Psalm.51.
Psalm.34.

eij, quod est Deo Patri longè omnium acceptissimũ, & quod Christus in plenitudine temporis reipsa peregit. Et tempore huius sacrificij intrauerũt aquæ, vsq; ad animam Christi, ac venit ipse in altitudinem maris, ita vt inundatio aquarum obrueret eum, ac videretur absorberi à profundo, concludi ore putei, submergi & suffocari, sic enim describuntur in hoc Psalmo summæ & extremæ ærumnæ Christi. Quare, cum Christus ipse absoluerit per semetipsum sacrificium suum, & fuerit longè omnium afflictissimus, congruentissimè affirmat, se orare ad DOMINVM, tempore placito & accepto. Discamus & nos huius temporis opportunitatem, vt in nostris aduersis credamus, quòd passio & mors Christi sit expiatio peccatorum nostrorũ, & agnoscamus, quòd quo maiores sint ærumnæ nostræ, eo propinquior nobis sit Deus Pater cœlesti sua ope, propter filium suum DOMINVM nostrũ Iesum Christum, in quem credimus, & quem nobis Pater ita donauit, vt cum ipsum in summo ærumnarum gradu obedientissimum inuenerit, ac mirificè liberauerit, omnem vnà cum illo salutem etiam nobis dederit. Præterea obseruandũ est illud quoq;, quòd Christus inuocet Deum Patrem suum, non propter sua aliqua merita, sed propter multitudinem, inquit, beneficentiæ, seu misericordiæ tuæ, & secundum multitudinem miserationum tuarum. Etsi enim Christus, propter perfectam & summam obedientiam suam, optimè de Patre suo meritus est, tamen non iactat sua merita coram Deo Patre, nec obtrudit ea ipsi in precibus suis, sed meminit tantùm beneficentiæ, seu gratuitæ misericordiæ,

Philip. 2.

diæ, clementiæ, & miserationum, vt qui assumpserat formam serui, (sicut & paulò post in hoc Psalmo se ipse vocat seruum) & susceperat peccata seruorũ expianda, vteretur etiam forma precandi seruorum, quorum officium est, vt cum omnia fecerint, quæ præcepta sunt, dicãt, serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus, nec quicquam nobis amplius, præter dona merè gratuita expectandum est. Hac igitur precandi formula repræhenditur & refutatur iactantia hypocritarum, qui confisi meritis suæ ipsorum iustitiæ, audent cum Deo expostulare, & dicere: Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Si enim Christus, qui peccatum non fecit, & non est dolus in ore eius inuentus, appellat in inuocatione sua, non ad sua merita, sed ad gratuitam Dei patris sui clementiam, quanta à nobis, qui sumus in peccatis concepti & nati, humilitas in precibus nostris exigitur? Postremò, nec illud oscitanter prętereundum est, quòd non vno tantùm verbo, sed plurimis exponat Deo affectum suum, nec vna tantùm ratione opem Dei imploret. dicit: Exaudi me. Et addit: Erue me. Nec illo contentus, adijcit: Respice ad me. Et: Non abscondas faciem tuam à seruo tuo. Et vt vehementiam affectus sui intelligamus, vrget: Velociter, inquiens, exaudi me. Nec dum est vrgendi finis: Accede, inquit, ad animam meam, vt liberes, & eripias eam. Quid, obsecro, sibi vult tam frequens eiusdem rei repetitio? An non Deus, vel vno verbo, imò, vna tantùm cogitatiuncula intelligeret affectum precatoris? Ego sum, inquit, Deus, scrutans corda & *Lu.17.* *Esa.58.*

Hiere.17. renes. Et iterum: Erit, antequam clament, ego exau-
Esa.65. diam: adhuc illis loquentibus, audiam. Quid igitur neceſſe eſt, vt Deo tot verba, eãdem penè rem ſignificantia, obtrudantur? præſertim, cum Chriſtus ipſe dicat: Orantes, ne ſitis multiloqui? Vt reſpondeam, ſciamus, Deum quidem, quod ad ipſum attinet, non indigere copioſa expoſitione noſtri affectus, ac voluntatis, nouit enim, quibus rebus indigeamus, priuſquam vel verbum protulerimus, vel cogitationem in animo conceperimus: nobis autem ipſis aliquoties neceſſarium eſt, vt ſimus in precatione noſtra multiloqui, idq; non Ethnicè, putant enim Ethnici fore, vt ob multiloquium exaudiantur, ſed Chriſtianè, quippe quòd magnitudo doloris & afflictionis ſoleat multitudinem verborum, quibus fides accendatur & inflammetur, extorquere. Nam, quemadmodum, ſi carbonem, vtcunque ſcintillantem, ſpiritu tuo inſufflaueris, fit, vt ſubinde magis exardeſcat, ita ſi in oratione, verba è cœleſtibus promiſsionibus accepta, in medium produxeris, fides tantò magis ali, foueri & conſeruari ſolet, quanto ſæpius ea verſurpaueris, repetieris, & iteraueris: Oro, inquit, ad te DOMINE, tempore accepto, propter multitudinem beneficentiæ ſeu clementiæ tuæ, propter veritatem ſalutis tuæ, propter veras & certas, de conferenda in nos ſalute, promiſsiones, benigna eſt beneficentia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. In magnis ſum anguſtijs, &: Propter inimicos meos, item: Exaudi, erue, libera, reſpice ad me, non inundet fluxus aquarum, non abſorbeat me profundum, non claudat ſuper me puteus os ſuum,

ſuum, (hoc eſt) non ita demergar in profundum, vt queam iterum aſcendere & euadere, & reliqua, quorum nihil prorſus ociosè dicitur, aut enim teſtificantur grauitatem ærumnarum, aut admonent precatorem de certitudine exauditionis, quorum vtrunque ſuas habet promiſsiones, quòd quo maior & periculoſior eſt afflictio, eo propinquior ſit liberatio à Deo: & quo illuſtrior eſt beneficentia, clementia, & miſeratio Dei, eo certior & confirmatior fiat ſpes de ſalute noſtra. Nam, quod additur: Velociter exaudi me, non eſt feſtinantia incredulitatis, ſed fidei, quæ eo citius & velocius expectat liberationem, quo grauior (quemadmodum iam dicebamus,) eſt calamitas. Sequamur igitur in inuocatione noſtra, tam fiduciam, quàm formulam precum Chriſti, vt & exauditionis eius participes fiamus.

19. *Tu noſti opprobrium meum, confuſionem meam, & ignominiam meam: in conſpectu tuo ſunt omnes aduerſarij mei.*

20. *Opprobrium frangit cor meum, & affectus ſum mœrore, expectaui, ſi quis condoleret, ſed nullus erat, neque conſolatores inueni.*

21. *Dant in eſcam meam fel, & in ſiti mea potant me aceto.*

Hi verſiculi ſunt quaſi concluſio præcedentis precationis. Illud enim vult dicere: Quid pluribus opus? Quid multa dicam? Calamitas mea maior eſt, & grauior, quàm quæ humanis verbis enarrari queat: ſed TV DEVS pater cœleſtis, ſolus es, qui noſti, & verè, ac dignè expendis magnitudinem, & acerbitatem illius doloris, quem capio ex oppro-

opprobrio, confusione, & ignominia, qua ab hostibus, imò etiam ab amicis & cognatis meis afficior. Tu etiam solus nosti, quot & quantos habeam aduersarios, & quàm dira, quàm acerba, quàm crudelia in me cogitent. Hoc opprobrium, & hæc contumelia ita frangit & deijcit animum meum, ac tãto mœrore me afficit, vt nullis verbis eloqui possim. Nam, quod longè omnium indignissimum est, negantur mihi sic mœsto & afflicto, etiã vulgaria officia, quæ alioqui hominibus, quamuis sceleratissimis, præstari solent. Publicis moribus receptum est, vt ijs, qui ducũtur ad mortem, adhibeantur consolatores, qui, qua possunt verborum lenitate dolorem & mœstitiam ipsorum subleuent ac mitigent. Ego autem tam abominabilis & execrabilis habeor, vt nusquam nec inter amicos nec inimicos consolatorem, aut saltem commiseratorem & condolentem inueniam, itaque etiam solenni humanitatis officio indignus iudicer.

Prouer. 31. Vulgò extat dictum: Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: & hoc approbat humani generis cõsensus. Quid aũt mihi in his meis extremis calamitatibus accidit? Tantum abest, vt in fame & siti mea, exhibeatur mihi aliquid cibi aut potus ad refocillationem, vt etiam potum, quem mihi præbent, misceant felle & aceto: quo, quid crudelius & immanius excogitari potest? Appello igitur ad te solùm, Deus pater cœlestis, qui & solus laborẽ

Psalm. 10. & dolorem consideras, in cuius etiam solius manum reijciuntur pauper & orphanus, vt seruentur. Hic iterum admoneamur, quòd tunc maximè omnium nobis speranda sit salus, cum omnia adiumenta ad

salutem

ſalutem nobis adempta videantur, & ſolus Deus nobis ſit relictus adiutor. Tribuitur enim Deo, à Spiritu ſancto illud epitheton, quod ſit adiutor in neceſſitatibus, in tribulatione, quem etiam titulum multis promiſſionibus teſtatus eſt, & magnis miraculis confirmauit. Quare, ſi in extrema pericula perueneris, & Deum huius epitheti ſeu tituli admoneris, teneri non poteſt, quin qua eſt veritate, præſentem opem conferat, & periclitantem mirando modo ſeruet. Deinde cogites mihi, quantis opprobrijs perferendis, quantis ærumnis tolerandis, quantis iniurijs & contumelijs deuorandis conſtiterit Chriſtum DOMINVM noſtrum expiatio peccatorum noſtrorum. Non poteſt, ne vulgaria quidem humanitatis officia, quæ etiam homicidis & incendiarijs, ad mortem damnatis, præſtari ſolent, conſequi, ſed pro ſicera aut vino, potatur felle & aceto. Nam hanc eſſe Chriſti in paſſione ſua querelam de potu fellis & aceti, ſuprà in initio huius Pſalmi oſtendimus. Excitemur igitur admonitione eius, vt Chriſto pro tanto beneficio, tam verbis, quàm rebus ipſis, ſummas, quas poſſumus, gratias referamus, videlicet, vt non abutamur nomine paſſionis eius ad maledicta, & execrationes, & vt abſtineamus à crapula & ebrietate, quo gratitudinem noſtram pietate & honeſtate vitæ declaremus. *Pſalm. 9.*

22. *Sit menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in offendiculum.*

23. *Obtenebrentur oculi eorum, ne videant, & lumbi eorum iugiter nutent.*

24. *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor indignationis tuæ apprehendat eos.*

25. *Sit commoratio eorum deſolata, in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.*

Oſtendimus ſuprà, hunc Pſalmum deſcribere paſſionem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & precationē eius pro cœleſti ope, in tantis, & tam grauibus ærumnis, quibus mirificè afflictus eſt. Mirabitur ergo quiſpiam, has diras execrationes, quas nunc in his quatuor verſiculis recitauimus, audiens, quomodo cum hiſtoria paſſionis Chriſti cōueniant? In ea enim
Luc.23. Euangeliſta teſtatur, quòd Chriſtus pro perſecutoribus ſuis Deum Patrem ſupplex orauerit, tantum abeſt, vt eos ſit execratus: Pater, inquiens, remitte illis,
Eſai.53. quia neſciunt, quid faciūt. Et Propheta Eſaias, ſuperiori ætate, recenſet inter opera humilitatis Chriſti, etiam precationem pro inimicis eius: Ipſe (inquiēs) peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Quid igitur eſt, quòd in hoc Pſalmo perſecutores & inimicos ſuos tam diris deuoueat? Non eſt ignotum, aliam eſſe vocationem generalem, aliam perſonalem, & illā quidem eſſe omnibus cōmunem, hanc verò non egredi perſonam, nec trahendam eſſe in exemplū. Generalis igitur omniū hominum voca
Matth.5. tio eſt, quòd Chriſtus ipſe apud Matthæum de dilectione proximi concionatur: Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniātibus vos. Et in hac generali vocatione Chriſtus ſe ipſe compræhenſum a-
Luc.9. gnoſcit, cum prohiberet Iacobo & Ioanni, ne ignem

in

in inhospitales Samaritanos iniiciãt: & cum in cruce pro crucifixoribus suis oraret, imò, cùm pro salute hominũ omnia calamitatis genera susciperet, & crucem ac mortẽ summa obediẽtia & patientia subiret. Personalis autem vocatio est, cũ quis peculiari quadam vocatione aut prærogatiua, è cõmuni & generali vocatione eximitur. Generalis (exẽpli gratia) vocatio est: Non occidas. Magistratus autem legitimus, cuius officiũ est, punire sontes, (Gladiũ, inquit Paulus, non frustra gestat, Dei enim minister est, vltor ad irã, ei, qui quod malũ est, fecerit) eximit diuina autoritate, ex hac generali lege, vt liceat ei impunè occidere, nõ quidẽ quoslibuis, sed illos, quos ipsi legitima ordinatio occidẽdos tradit. Sic & generalis vocatio est, nõ resistere malo, sed si quis te percusserit in dextrã maxillã, præbe illi & alterã. Personalis autem vocatio erat, cum Noha malediceret filio suo Cham, & Elizeus diris deuoueret pueros, qui ipsum ludibrio habebant. Cum igitur Deus soleat non tam Prophetas, quàm Magistratum ab illis legibus: Non maledicas proximo tuo, & : Non occidas, eximere, quomodo non conueniret, vt & filius ipse Dei, DOMINVS noster Iesus Christus, ab ipsis exemptus esset: præsertim, cum non sit homo tantùm, verùmetiam Deus ipse, & execrando impios, sceleratos ac impœnitentes, sedeat pro tribunali, ac non tam maledicat, quàm quid impijs & impœnitentibus euenturum, vaticinetur. Quare, quòd oret pro persecutoribus, generalis est vocationis, & obedientiæ, quam se præstiturum patri suo cœlesti recepit: Quòd autem execretur impios, personalis est,

Gen. 9.

4. Reg. 2.

& iuſtæ ſeueritatis, quæ ipſis cœleſti & diuina ordi-
natione debetur.

Sed percurramus nunc execrationes, quibus ob-
noxij ſunt impij Iudæi, quòd tam immaniter ſæuie-
rint in Chriſtum, vt præter alias immanitates, pota-
uerint eum, in ſummis & extremis calamitatibus,
felle & aceto: Sit menſa eorum, inquit, in laqueum.
Menſa eſt, è qua cibum & potum, ad ſuſtentandam
vitam noſtram corporalem ſumere ſolemus. Cum i-
gitur impij Iudæi, Phariſęi & Scribæ propinauerint
mihi in ſiti mea, è menſa ſua, fel & acetum, iuſtiſſimũ
eſt, vt viciſſim menſa, hoc eſt, cibus & potus ipſorũ
fiat ipſis fel & acetũ, vt quod eſt hominibus datum,
ad cõſeruandam vitam, fiat Iudæis in laqueum, quo
ſuffocentur, & quo vita eorum abrumpatur: Per
Sap.11. quæ (inquit ſapiens) quis peccat, per hæc & tor-
quetur. Peccarunt illi admouendo mihi in ſiti mea
fel & acetũ, æquum igitur eſt, vt viciſſim felle & ace-
to torqueantur.

Sit etiam menſa eorum ipſis in retributionem.
Solenne eſt, vt qua menſura menſus fueris, alij re-
metiantur tibi. Quare, cum Iudæi porrexerint mihi
è ſua menſa fel & acetum, omnis iuſtitiæ regula exi-
git, vt viciſſim ipſis fel & acetum retribuatur.

Sit & menſa eorum ipſis in offendiculũ, in decipu-
lam, pedicam, & ruinam. Vſus menſæ in hoc eſt in-
ſtitutus, vt ex ea cibo & potu enutriti ac refocilla-
ti, negotia, quæ nobis ſunt conficienda, expeditè ab-
ſoluere queamus. Sunt & panis ac vinum in hunc v-
ſum à Deo condita, vt panis confirmet, & vinum læ-
Pſal.104. tificet cor hominis, ac in libro Iudicum, vinum dici-

tur

tur Deum, (quòd vsus eius sit in sacrificijs, quæ Deo offeruntur) & homines lætificare. Iudæi autem pro pane & vino obtrudunt mihi fel & acetum, non vt refocillent, confirment & lætificent me, sed vt offendant, cruciatum afferant, & tristitiam tristitiæ addant. Congruentissimum igitur est, vt vicissim mensa seu cibus & potus eorum non sint ipsis adiutorio, sed offendiculum, non lætificatio, sed tristitia, non confirmatio sed decipula & pedica, qua irretiantur, & in perpetuum exitium ruant.

Metaphora autem mensæ hoc loco significantur, cùm omnia viuifica, iucunda, & vtilia, tum imprimis sacra veteris Testamenti scriptura, seu, quæ vocant, scripta Prophetica, quæ tradita sunt diuinitus Israëlitis, ad doctrinam, ad correctionem, ad erudi- 2. Timo. 3.
tionem in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, adeoque tradita sunt, ad viuificationem: Scrutamini, inquit Christus, scriptu- Ioan. 5.
ras, in quibus putatis vos vitam æternam habere. Hæc enim scripta, vt paucis & summatim dicam, continent duas præcipuè partes, alteram legem, per quam est agnitio peccati, alteram Euãgelion de aduentu Messiæ seu Christi, expiatoris peccati. Hæ sunt partes, quibus homo consequitur iustitiam & vitam æternam. Vide autem mihi, quàm longè in diuersum scripta Prophetica Iudæis ceciderint, & adhuc cadant. Etsi enim ea adhuc hodieq; diligenter legunt, audiunt, & canunt, tamen excæcatum est cor eorum, vt non solùm non intelligant, verùmetiam in longè diuersam sentẽtiam, quàm Spiritus sanctus tradiderit, torqueant. Arbitrantur ea esse ipsis a iu-

mentum ad ſalutem, ſed ſunt offendiculum, ad ruinam: arbitrantur ea eſſe ipſis lucem, & illuſtrationem, ſed ſunt ipſis tenebræ & obſcuratio, adeóque excæcatio: arbitrantur ea eſſe ipſis via ad æternam vitam, ſed ſunt ipſis via ad æternam mortem: vt verè in ipſis compleatur, quod *Eſa. 6.* & Eſaias prædixit: Excæca, inquiens, cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Sed de hac re concionatur etiam verſiculus qui ſequitur: Obtenebrentur, inquiens, oculi eorum, ne videant, & lumbi eorum iugiter nutent. Poſtquam enim Iudæi abiecerunt Chriſtum, & crucifixerunt eum, oculi eorum, in ſcriptis Propheticis ita obtenebrati ſunt, vt iam in ijs, nec veram legis intelligentiam videant, nec vllum, aut ſaltem falſum videant Chriſtum. Lumbi etiam eorum ſemper nutant, & vacillant, quia ablata eſt ab ipſis omnis fortitudo eorum, vt ſint tam ad politica, quàm ad eccleſiaſtica negotia tractanda elumbes, & inutiles, nec aliud ſint, quàm ſal infatuatus, qui foras proijciatur, & ab hominibus conculcetur. Quid autem pluribus opus? Effunde, quæſo, Deus pater cœleſtis, iram tuam ſuper tam impios & ſceleratos homines. Non ſtillas ſuper eos, guttatim, ſed effundas, tanquam copioſum imbrem, iram tuam ſuper eos, eámque non leuem, aut fluxam & caducam, ſed pertinacem, & ſemper perſeuerantem: Apprehendat, inquit,

quit, eos indignationis tuæ furor, (hoc est) firma, fixa, & perpetuò ad internitionem vsque durans indignatio, qua fiat, vt commoratio eorum desoletur, nec sit, qui inhabitet in tabernaculis ipsorum. Hic est ille versiculus, quem Apostolus Petrus in Actis Apostolicis allegat, & de Iuda proditore exponit. Et addit aliud de interitu Iudæ testimonium è Psalmo 110. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum, seu Apostolatum eius, accipiat alter. Non est autem sentiendum, quòd hi Psalmi loquantur de solo Iuda proditore, sed quemadmodum Petrus ipse interpretatur, de totâ cohorte, & de tota gente Iudaica, cuius Iudas, ad comprehendendum Iesum, dux fuit. Quod igitur à crucifixione Christi, in Iuda inchoatum est, vt Iudas sit è dignitate sua ejectus, nec vnquam sit restitutus, sed suspensus, crepuerit medius, ac alius Apostolus in locum eius surrogatus sit, hoc etiam in tota impia gente Iudaica luculenter impletum esse videmus. Iudæi enim ita abiecti sunt à Deo, vt nunquam amplius redeant ad pristinam suam commorationem, & dignitatem, nec vllum habeant receptum ad sua tabernacula, siue politica, siue ecclesiastica. Eiecti enim sunt tam è regno quàm è sacerdotio suo. Nec id solùm, verumetiam exhæredati sunt ab omnibus cœlestibus bonis, & detrusi in æternas tenebras & damnationes. Quare, quemadmodum Iudas suspensus, medius sic crepuit, vt effunderentur omnia viscera eius, ita Iudæi à Deo abiecti, ita tam terrenis, quàm cœlestibus bonis

Actor. 1.

bonis euacuati sunt, vt nullum amplius salutis locũ apud Deum habeant. Quid hac ira Dei grauius, quid hac indignatione Dei horribilius dici potest? Huc pertinet parabola de vinea & patrefamiliâs, apud Euangelistas. Et quod Psalmus dicit: In tabernaculis eorum non sit qui inhabitet, hoc Christus dicit: Malos malè perdet, & vineam locabit alijs agricolis: similiter parabola de rege, qui fecit filio suo nuptias, apud Matthæum cap. 22. Videamus ergo causam tantæ indignationis. Etsi enim Psalmus impiam Iudæorum immanitatem in Christum, quæ abiectionis eorum causa est, paulò antè commemorauit, tamen visum est Spiritui sancto iterum repetere, vt cognoscamus, Iudæos non esse temerè ex hæreditate cœlestium bonorum abiectos.

26. *Quia illum, quem tu percussisti, persequuntur, & addolorem vulnerum tuorum adijciunt.*

Quid ergo causæ est, quòd Deus tanta indignatione aduersus Iudæos fertur, aut sicut parabola dicit, quòd rex iratus, missis exercitibus suis, perdat homicidas istos, & ciuitatẽ illorum succendat? Quia illum, inquit, quem TV percussisti, persequuntur, & ad dolorem vulnerum TVORVM adijciunt. Hæc sunt verba Christi, (sicut & totus hic Psalmus precatio Christi est) quæ vt rectè intelligamus, obseruandum est, quòd etsi Iudas tradidit Christum Pontificibus affligendum, & Pontifices tradiderunt eum Pilato iudicandum, ac puniendum, Pilatus autem tradidit eum militibus flagellandum & crucifigendum,

Matth. 22.

dum, tamen Christus non adscribit hoc nec Iudæ, nec Pontificibus & Iudæis, nec Pilato & militibus, sed refert acceptum Deo patri suo cœlesti: Quem, inquiens, TV, videlicet, Deus Pater, percussisti, & ad dolorem vulnerum TVORVM, videlicet, non quæ vulnera tu Deus Pater habes, aut ab alijs accepisti, Deus enim natura sua est inuulnerabilis, sed quæ tu mihi inflixisti. Quem enim dolorem suscepi, quæ vulnera accepi, non attribuo vel industriæ Iudæ, qui me tradidit, vel potestati Pontificum, & Pilati, qui me crucifigendum iudicarunt, nihil enim in me potestatis hi habuissent, nisi de cœlo eis datum fuisset, sed attribuo soli Deo Patri meo cœlesti, cui sic visum est, vt pro peccato humani generis percuterer, & dolorem mortis ac inferni susciperem: DOMINVS (inquit Esaias) posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Hoc certè est à DOMINO percuti, & vulnerari. Etsi enim apud eundem Prophetam dicunt homines: Nos putauimus eum à DOMINO percussum & humiliatum, hoc tamen nō eo dictum est, quòd DOMINVS non percusserit Christum, sed quòd nō percusserit eum, sua aliqua propriȷ sceleris culpa aut merito. Nam, si rectè iudicaueris, etsi Deus non percussit Christum propter suum ipsius peccatum, quemadmodū coram humano iudicio videbatur, tamen percussit eum propter alienū peccatum. Sicut idem Propheta testatur: Ipse vulneratus est propter NOSTRAS iniquitates, & attritus est propter NOSTRA scelera, verè enim NOSTROS languores ipse tulit, & nostros dolores ipse portauit. Quare, quas plagas Christus sustinuit, & quę vulne- *Esa.53.*

ra accepit, non ab hominibus, ſed à Deo ipſo Patre cœleſti accepiſſe dicitur, qui ait ipſe: Propter ſce-
Eſa.53. lus populi mei percuſſi eum. Et Petrus ad incolas Hieroſolymitanos: Accepiſtis hunc (Ieſum) per
Actor.2. manus iniquorum, & crucifixum interemiſtis, ſed addit, definito conſilio, & præſcientia Dei traditum. Ac Paulus: Deus, inquit, proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus TRADIDIT illum. Diſcamus & nos hoc artificium a Chriſto, vt quas plagas & afflictiones inferunt nobis vel homines vel dæmones, non accipiamus, tanquam ab hominibus aut dæmonibus, ſed è manu DOMINI Dei, cœleſtis noſtri Patris, vt & ex ipſius manu liberationem ac ſalutem ſperemus.

Nunc ergo vide mihi immanem Iudæorum crudelitatem erga Chriſtum. Deus percuſſit eum, & vulnera ei inflixit, non propter ſua aliqua peccata, ſed propter peccata totius humani generis, (hoc eſt) tam Iudæorum quàm Gentium, vt ipſorum peccata expiarentur coram Deo, & liberarentur ipſi à morte & inferno, & conſequerentur perpetuam vitam ac felicitatem: quod vt eſt ſummum beneficium, ita nullæ pro eo ſatis dignæ gratiæ ab hominibus referri poſſunt. Iudæi autem tanta fuerunt ingratitudine, & immanitate, vt afflictiones Chriſti, quas Deus ei ad parandam ipſorum ſalutem, ferendas impoſuerat, non ſolùm non agnoſcerent grati, aut vel ſaltem compaterentur, & mitigare conarentur, verùmetiam afflictiones afflictionibus cumularent: Quem (inquit) TV percuſſiſti, ipſi tantum abeſt, vt percuſſuræ medeantur, vt potius

tius ad internitionem vsq; persequantur, & nouas plagas inferant: dolorem vulnerum, quæ tu mihi inflixisti, tantum abest, vt mitigent, vt potius augeant: mors mihi ex definito Dei consilio sufferenda est, sed tantum abest, vt in ea aliquid solatij mihi afferant, vt quo eam mihi amariorem reddant, in extrema mea siti, felle & aceto me potent. Quid est immanitas, si hæc non est? DOMINVS Deus noster tanta est clementia, & misericordia, vt etiamsi populum tradat propter impietatem, hostibus affligendum, non tamen ferat inultum, si hostes miserum & afflictum crudeliter tractauerint. Ad Babylonem apud Esaiam dicit DOMINVS: Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua, sed tu non posuisti eis misericordias: super senem aggrauasti iugum tuum valdè. Additur ergo supplicium: Veniet (inquit) super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repentè miseria, quam nescies. *Esa.47.* Et apud Zachariam: Zelatus sum Hierusalem, & Zion zelo magno: & ira magna ego irascor super Gentes opulentas, quia ego iratus sum parùm, ipsæ verò cooperatæ sunt in peius. *Zacha.1.* Si Deus irascitur aduersus Gentes, crudeliter in populum Israël grassantes, quibus tamen tradiderat eum propter impietatem affligendum, quid fiet Iudæis, qui in Christum, non solùm innocentem, sed etiam optimè de ipsis meritum tanta crudelitate sæuierunt? Certè digni sunt, non vno

tantùm, & ſimplici ſupplicio, ſed omnibus maledictionis & execrationis generibus. Vnde & ſequitur.

27. *Trade eos de peccato in peccatum, vt non perueniant in tuam iuſtitiam.*
28. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.*

Pergit in execrationibus aduerſus Iudęos. Et quẽ admodũ Pſalmus centeſimus nonus execratur præcipuè Iudam, qui fuit ὁσιώτατος, vt Petrus ait, iſs qui compræhenderunt Ieſum, ita hic Pſalmus execratur vniuerſam colluuiem Iudæorũ, qui Chriſtum tam conſenſu, voto, virulentia, rabie, clamore, & vociferatione, quàm opere ipſo crucifixerũt, & tanquam catharma, in vltimas terras deportandum, aut potius ex omni rerum natura exterminandum, abiecerunt. *Acto. 1.* Ac profectò, nihil grauius, nihil horribilius in hominem cogitari aut dici poteſt, quàm quod hoc loco aduerſus Iudæos dicitur, videlicet, vt de peccato in peccatum ruant, ac tradantur in reprobum ſenſum, & ad iuſtitiam Dei nunquam perueniant, nec vllum vnquàm locum inter iuſtos & beatos habeant, ſed de libro viuentium prorſus deleantur. Hoc enim, quid aliud eſt, quàm in extremã & perpetuam damnationem abijci? & ſatanæ in æterno barathro cruciandum tradi? Quod, etſi crudelius & immanius videtur, quàm quod alter alteri imprecari debeat, tamen memineris, primùm, quòd hoc iudicium aduerſus impios & impœnitentes, non ſit carnis, ſed Spiritus

Spiritus ſancti, non hominis, nec angeli, ſed Dei ipſius, qui vt eſt iuſtiſsimus, ita etiam ſapientiſsimus omnium rerum gubernator. Deinde, quòd impij & impœnitentes, habeant æternam peccandi & impiè agendi voluntatem, ac auertant ſe impietate & impœnitentia ſua à Deo, qui eſt æternum bonum: cõgruentiſsimum igitur eſt, vt etiam æterno malo, ac ſupplicio puniantur. Ac hactenus quidem de impijs Iudæis, & diris, quibus deuouentur. Quid autem de Chriſto, à Iudæis contumelioſiſsimè tractato, & horribiliter afflicto? Sequitur.

29. *Ego quidem affligor & doleo, ſed ſalus tua, Deus exaltat me.*

Breuiſsimus verſiculus, ſed qui, ſi explicueris, continet in ſe, priori ſua parte, vniuerſam ſummam paſsionis Chriſti, poſteriori autem parte, totam hiſtoriam reſurrectionis, aſcẽſionis, & ſeſsionis Chriſti ad dextram Dei patris ſui. Etſi enim Iudæi cogitarunt Chriſtum ad internitionem vſque opprimere, ſalus tamen Dei exaltauit illum. In paſsione, aquę intrauerunt vſque ad animam Chriſti: demerſus eſt Chriſtus vſque in profundum limum, in quo non potuit pedem figere, & acciderunt ei reliqua, quæ in hoc Pſalmo ſummatim commemorata ſunt, ac in hiſtoria paſsionis copiosè deſcribuntur. Tantum autẽ abeſt, vt in his malis, quæ cogitauerunt de eo impij Iudæi, & quæ etiam afflictus & dolens ſuſtinuit, perierit, vt quanto maiora fuerunt aduerſa, tanto illuſtriora ſecuta ſint proſpera: Deus enim, (inquit) exaltat

altat & protegit me. Nam initio, non dereliquit animam meam in inferno, nec caro mea vidit corruptionem, sed resuscitauit me tertia die à morte: deinde ascendi super omnes cœlos, vt omnia implerem: postremò collocatus sum ad dextram Dei patris omnipotentis, vt æquali potentia & maiestate omnia tam in cœlo quàm in terra, vnà cum Deo patre gubernarem, & tandem iudicaturus essem viuos & mortuos. Quid hac gloria maius? quid hac maiestate illustrius? Quas igitur gratias, pro tantis beneficijs, quæ cœlestis tuus pater in te contulit, referes?

30. *Laudabo (inquit) nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude.*

31. *Quod acceptius erit* DOMINO, *quàm bos iuuenculus, cornu habens & vngulam.*

Vsitatum fuit Propheticis temporibus, Deo pro beneficijs suis & gratiarum actione mactare & offerre sacrificia boum, ac imprimis iuuenculorum: vnde & Salomon immolauit DOMINO, in dedicatione templi, viginti duo millia boum, & centum viginti millia ouium. Et hæc quidem sacrificia (quæ vocabantur Leuitica) fuerunt suis temporibus Deo non ingrata, siquidem ex fide in venturum Christi sacrificium, oblata essent. Postquam autem Christus, qui Leuiticis sacrificijs adumbratus est, aduenit, non iam Deo agendæ sunt gratiæ sacrificijs veteris, sed noui Testamenti, quæ competunt Christianis seu Apostolicis temporibus. Quare, cũ Chris-

3. *Reg.* 8.

stus

ſus ſuſciperet Deo patri, pro beneficijs in ipſum collatis, gratias agendas, non dicit: Mactabo tibi boues aut vitulos, Deus enim non delectatur per ſe bobus aut vitulis cornutis & vngulatis, ſed delectatur laude nominis ſui, hoc eſt, vitulis (ſicut dicit Oſeas) labiorum noſtrorum, & fructu (ſicut interpretatur Epiſtola ad Hebræos) labiorum confitentium nomini eius: Laudabo, inquit Chriſtus, nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude. Non ſacrificabo iam boues & vitulos, quippe quòd vmbra, reuelata veritate, præterierit, ſed ſacrificabo canticum laudis, & celebrabo DOMINVM Deum patrem meum, prædicatione nominis eius. Sciamus igitur, vbi & quando Chriſtus hanc gratiarum actionem Deo patri ſuo perſoluerit. Sed res ipſæ geſtæ, poſt reſurrectionem, non ſinunt nos de hac re dubitare. Poſtquam enim Chriſtus aſcendit in cœlum, imò ſuper omnes cœlos, & conſedit ad dextram Dei patris ſui, nõ ſedit illic, nec ocioſus, nec mutus, ſed miſit diſcipulis ſuis, in die Pentecoſtes, Spiritum ſanctum, & ornauit eos cœleſtibus donis, vt egrederentur in vniuerſum mundũ, & prædicarent in nomine Chriſti, inter omnes gentes, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, vt quotquot crederent, conſequerentur æternam ſalutem. Hoc Euangelion eſt canticum laudis, quod Chriſtus in vniuerſo orbe per Apoſtolos, Spiritu ſancto excitatos, cecinit, & illuſtrauit nomẽ Dei patris ſui, videlicet, quòd Deus pater ita dilexerit mundum, vt filiũ ſuum vnigenitũ daret, vt omnis, qui credit in eũ, nõ pereat, ſed habeat eternã vitã: & quòd ita tradiderit eũ pro omnib. nobis,

Oſe.14.

Heb.13.

Ioan.3.

vt

vt cum eodē nobis omnia donauerit. Qua dilectione, quid de Deo patre maius, quid illustrius dici, aut prædicari, aut etiā cogitari potest? Euāgelion igitur de Iesu Christo, quod prędicatione Apostolorū vulgatum est in toto terrarum orbe, & quo patefactus est paternus animus Dei erga humanum genus, canticum illud laudis est, quod Christus recipit se pro gratiarum actione, & pro acceptis beneficijs, Deo patri suo relaturum, sicut & in alio Psalmo ait: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ glorificabo te. Ac mox: Te laudabo in ecclesia magna, vota mea reddam coram ijs, qui timent te.

Psalm. 22.

Sed quale hoc est gratitudinis genus, pro maximis omnium beneficijs carmen canere, & nomen DOMINI ore celebrare? An non cuiusuis est verba recitare, & sermone laudem nominis Dei commemorare? Fateor, cuiusuis quidem, etiam hypocritæ est, de gloria Dei declamare, & Deum labijs suis honorare, Euangelion autem, per Prophetas in scripturis sanctis promissum, in vniuersum mundū diuulgare, contra omnes aduersarios tueri & conseruare, stupendis miraculis confirmare, ac per illud afflictos exhilarare, & Spiritu sancto viuificare, vt ad cœlestem vitam regenerentur, non est cuiusuis, ac ne Prophetæ quidem & Apostoli, (nisi si de ministerio loquaris) sed solius Christi, Dei & hominis. Vnde & sequitur.

Esa. 29.
Matth. 15.

32. *Vident afflicti, & lætantur, quærentes Deum, & viuet cor vestrum.*

33. *Audit*

33. *Audit enim inopes* DOMINVS, *& vinctos ſuos non deſpicit.*

Hæc ſunt opera, quæ Chriſtus cantico Euangeliĳ ſui, quod per Apoſtolos in orbem terrarum diuulgauit, miſſo Spiritu ſancto effecit. Primùm enim: Vident, inquit, afflicti, & lætantur. Hoc illud eſt, quod poſtea Chriſtus ipſe apud Eſaiam, & Lucam dicit: Spiritus DOMINI ſuper me, propterea quòd vnxerit me: ad Euangeliſandum manſuetis ſeu pauperibus & afflictis miſit me. Poſtquam enim miſeri, & propter peccatum afflicti homines vident res geſtas Chriſti, & audiunt prædicationem Euangelĳ, maximam concipiunt lætitiam, quòd condonationem peccati, quam ex prædicatione legis, nunquam ne ſperare quidem potuerunt, ex Euangelio Chriſti conſequantur. *Eſa.6.* *Luc.4.*

Deinde: Quærentes Deum, videlicet, vident & audiunt Euangelion Chriſti, & viuet cor veſtrum. Eſt enim ſubita perſonæ mutatio, pro more Hebraicæ phraſis. Significat autem, quòd, qui quærunt Deum, (hoc eſt) qui in aduerſis ſitiunt diuinã opem, & excipiunt Euangelion Chriſti fide, (hi enim ſoli vera & recta ratione Deum quærere dicũtur, quòd Deus non poſſit alio modo, niſi per fidem in Chriſtum, inueniri) viuant corde ſuo, conſequentes videlicet veram & æternam vitam. Sic & Chriſtus alĳàs ait: Amen, amen dico vobis, qui ſermonem meum (hic ſermo eſt Euangelion Chriſti) audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in con- *Ioan.5.*

demnationem non veniet, sed transibit à morte ad vitam. Præterea, DOMINVS audit inopes, (hoc est) prædicatione Euangelij per fidem accepta, fit, vt DOMINVS Deus noster audiat omnium miserorum & afflictorum hominum preces. Inopes enim hoc loco dicuntur, non solum, qui externarum rerum penuria laborant, sed etiam & maximè omnium, qui agnitione peccati perturbati, laborant penuria iustitiæ coram Deo. Hos exaudit DOMINVS, & præsentem eis opem fert, postquam ex prædicatione Euangelij congnouerint per fidem, quòd cum Deus non pepercit proprio filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit eum, donauerit nobis cum eodem OMNIA, omnem videlicet iustitiam, salutem, & felicitatem. Cùm enim Deo Patri complacitum sit, (vt Paulus ait) vniuersam plenitudinem *Colo. 1.* in Christo habitare, fieri non potest, quin, qui Christum per fidem possidet, possideat etiam in Christo plenitudinem iustitiæ & salutis. Postremò, vinctos suos, inquit, non despicit. Vincti Dei dicuntur, initio, qui lege Dei in agnitionem peccatorum ducti, sentiunt se vinctos iudicio mortis, & horrore inferni. Adhæc vincti Dei dicuntur, qui propter confessionem nominis Dei captiui tenentur. Vnde & *Eph. 3. & 4.* Paulus vocat se vinctum Christi, quòd propter Christum in vincula esset coniectus. Sunt & vincti Dei, quotquot aduersis affliguntur, siue iustè, propter scelera, siue iniustè, propter iustitiam. Nam, si iustè, propter scelera affligeris, vindicta Dei est, qui sua ipsius lege sceleratis supplicium decreuit,

vel

vel vt te ad pœnitentiam inuitet, vel vt exemplo alios à sceleribus deterreat. Si autem iniustè, propter iustitiam, affligeris, œconomia Dei est, vel testantis suam maiestatem, coram qua nullus est innocens, vel probantis nostram fidem. Horum autem vinctorum Deus nullum aspernatur & despicit, sed potius complectitur eos summo fauore, & seruat eos perpetua salute: si modò canticum laudis, hoc est, Euangelion Christi vera fide agnouerint. Hæc sunt illa miranda opera, quæ Christus recipit se cantico laudis suæ, pro gratiarum actione effecturum. Quare, sentiamus eum, cum affirmat se laudaturum Deum cantico, & magnificaturum eum laude, hoc est, Euangelio suo illustraturum nomen Dei, in toto orbe terrarum, maius opus, & gratius officium Deo Patri suo præstare, quàm si multas myriades boum in sacrificium mactaret, & infinitas hecatombas offerret. Et quia beneficia, quæ Deus vniuerso mundo, per Euangelion Christi filij sui exhibet, longè omnium maxima sunt, idcirco cohortatur Christus omnem creaturam ad laudem Dei, & ait, vt sequitur.

34. *Laudent illum cœli & terra, maria, & omnia, quæ mouentur in eis.*

35. *Quia Deus saluabit Zionem, & ædificabit ciuitates Iudæ, & habitabunt ibi, ac possidebunt eam.*

36. *Et semen seruorum eius hæreditabunt eam, atq; qui diligunt nomen eius, commorabuntur in ea.*

Epilogus Pſalmi. Et quia hic Pſalmus præcipuè conſtat argumento paſſionis Chriſti, idcirco exponit Chriſtus in epilogo eius, quis fructus & quæ vtilitas redeat ex ea ad eccleſiam: Laudet, inquiens, & celebret Deum omnis creatura, cœlum, terra, maria, & omnia, quæ mouẽtur in eis. Mouetur autem cœlum ipſum, & vnà cum ipſo Sol, Luna, & reliquæ ſtellæ: mouentur in aëre (qui & ipſe cœlum dicitur) aues: mouentur in terra, non ſolùm beſtiæ, iumenta, & reptilia, ſed etiam homines: mouentur in mari, grandia cete, & piſces. Et quia variæ ſunt ſpecies maris, quæ recipiunt appellationes à regionibus, quas alluit, vt mare Mediterraneum, mare Atlanticum, mare Indicum, mare Adriaticum, & reliqua, idcirco Pſalmus non dicit mare, ſed maria, quæ omnia excitantur ad laudandum Deum. Sicut enim omnis creatura congemiſcit, ſimulq; parturit nobiſcum, vt Paulus ait, vſq; ad tempus liberationis, ita & ſuo modo laudat Deum. Ob quam cauſam? Quia, ſaluabit (inquit) Zionem, & ædificabit ciuitates Iudæ, vt Iſraëlitæ in ijs ſecurè & confidenter commorari queant. Porro, Zionem & ciuitates Iudæ hoc loco, non intelligas externa & terrena illa loca vrbis Hieruſalem, & ciuitatum in regione Canaan, ſed eccleſiam in toto terrarum orbe diſperſam. Deus enim excitatus obedientia & paſſione DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, qua ſe humiliauit vſq; ad mortem crucis, non ſolùm extulit Chriſtum ipſum in ſummã ſublimitatem, ſuper omnes cœlos, & ſuper omnes principatus & poteſtates, verùmetiam ſeruat propter

Rom. 8.

pter Christum, perpetua salute, ecclesiam eius, quæ dicitur semen seu posteritas seruorum eius, & quæ prædicatione Apostolica, ex omnibus gentibus, in toto terrarum orbe colligitur. De qua re concionatur etiam Propheta Hieremias ex hoc Psalmi versiculo: In diebus illis, inquiens, saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Zion enim, seu Hierusalem, tunc saluatur, & ciuitates Iudæ ac Israëlis tunc habitantur, cùm ecclesia Christi, in vniuerso mundo, audit Euangelion de Christo, & regeneratur ex eo, per Spiritum sanctum, vt consequatur propter Christum, condonationem peccatorum, adoptetur in hæreditatem cœlestium bonorum, & seruetur in omnibus aduersis, ac in morte quoque & terroribus inferni, ad æternam vitam, ac felicitatem. Quare, cùm beneficio Dei patris, passio seu obediẽtia Christi, tantam vtilitatem & salutem, ecclesiæ ex toto orbe per Euangelion collectæ, attulerit, meritò excitanda est ad laudandum & celebrandum nomẽ Dei vniuersa creatura, vt cùm vnà cum ecclesia laudat Deum, fruatur etiam vnà cum ipsa, liberatione, quã expectat à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Hiere. 23.* *Rom. 8.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Ostendimus aliquoties in expositione huius Psalmi, quòd commemoret passionem & crucem DOMINI nostri Iesu Christi. Vtamur igitur eo, vt com-

monefaciamus nos, quomodo paſsio Chriſti, quæ eſt ſalus noſtra, in veteri Iſraëlitarum eccleſia adnunciata ſit. Non enim poſita eſt ipſis ob oculos, typo tantùm agni paſchalis, & vmbris aliorum ſacrificiorum, verùmetiam prædicata eſt diſertis Prophetarum verbis, & publicis carminibus ac Pſalmis, quemadmodum ſæpenumero indicauimus. Tametſi enim multitudo Iſraëlitarum, qui caruerunt Spiritu ſancto, retulerunt, ſacrificia, pro hypocritarum more, ad merita potius operum, quàm ad vmbram paſsionis Chriſti, & expoſuerunt Prophetica, de paſsione Chriſti, ſcripta, de afflictionibus potius vel Patriarcharum, vel Dauidis vel aliorum hominum, quàm de afflictionibus Chriſti, tamẽ hoc Propheticis illis temporibus, & tenebris haudquaquam mirandum fuit, quandoquidem idem in luce Apoſtolicorum temporum accidere ſoleat. Chriſtus, apud Lucam, concionatur ſuis ipſius Apoſtolis apertè & diſertè de paſsione ſua: Tradetur, inquiens, filius hominis gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur. Et poſtquam flagellauerint, occident eum, ac tertia die reſurget. Quid de paſsione Chriſti & de reſurrectione eius magis perſpicuè dici poterat? Et tamen Euangeliſta de Apoſtolorum ſtupiditate addit: Ipſi (inquiens) horum nihil intellexerunt, & erat verbum abſconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicebantur. Si hoc illis accidit, qui tamen concionibus Chriſti nonnulla ſpiritus luce illuſtrati erant, & de Petro dicebatur: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt

Luc.18.

Matth.16.

in

in cœlis, quid factum esset de his, qui adhuc in tenebris legis versabantur, & carne prorsus cæcati erant? Consideremus & nostra tempora. Quotusquisque est, etiam inter auditores Euangelij diuinitus patefacti, qui veram Euangelij de Christo virtutem intelligat? & interrogatus de ratione æternæ nostræ salutis in Christo, non videatur asinus ad lyram? Quicquid enim dicatur, quicquid quamuis summa perspicuitate explicetur, certè animalis homo, non accipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, vt Paulus ait, quod spiritualiter dijudicatur. 1. Cor. 2. Et tamen, quod ad Spiritum Dei attinet, nunquam defuit ille orbi, per clementiam Dei, ad salutem. Quare, etsi magnæ fuerunt tenebræ apud veteres, nondum patefacto Christo & Euangelio eius, tamen, qui fuerunt electi, & Spiritu Dei donati, (sua enim semper fuit, ab initio conditi mundi, ecclesia Dei in his terris) semper potuerunt, ex vmbris & sacrificijs legis, ac è Psalmis & Propheticis concionibus, autore & doctore Spiritu sancto, virtutem passionis Christi cognoscere, & veram ac æternam ex ea iustitiam coram Deo, & felicitatem consequi. Deinde vtamur hoc Psalmo ad confirmandam fidem de Iesu filio Mariæ virginis, quòd sit verus Messias seu Christus, per Prophetas promissus, nec sit in alio quoquam salus. Videmus enim reipsa, quòd sit in eo verè impletum, quod de passione Messiæ, vaticinati sunt Prophetæ, & imprimis hic Psalmus.

Non

Non igitur vel expectemus vel requiramus alium ſaluatorem, præterquam hunc Ieſum filium Mariæ, verum Meſsiam ſeu Chriſtum DOMINVM noſtrum. Poſtremò admonemur ex hoc Pſalmo, quod & ſuprà attigimus, de ſeueritate iræ Dei aduerſus peccata, & de gratitudine, quam Deo, propter immenſam eius erga nos clementiam, præſtare debemus. Nam, cum videmus Deum maluiſſe vnigenitum filium ſuum, horrendis illis & grauiſsimis afflictionibus ſufferendis, quæ in hoc Pſalmo commemorantur, propter peccata humani generis, obijcere, quàm ea impunita dimittere, intelligimus, ſeueritatem Dei aduerſus peccata, non eſſe aut puerilem aut iocoſam, ſed prorſus ſeriam. Niſi enim eſſet ſeria, certè, cum vnigenitus ideoque dilectiſsimus eius filius ſuſcepiſſet ea expianda, remiſiſſet eam, & conniuiſſet, vt peccata impunita dimitterentur. Nunc autem, cum ne huic quidem, quamuis alioqui innocenti parcat, ſed tantis eum calamitatibus, quantas hic Pſalmus deſcribit, vexandum pro nobis omnibus, tradat, immane, quanta hæc eſt aduerſus peccata ſeueritas: Et tamen hîc quoque exerunt ſeſe ineſfabiles diuitiæ miſericordiæ Dei, erga humanum genus, quòd maluerit conniuere, vt vnigenitus filius ſuus extremis malis affligeretur, quàm vt humanum genus periret. Teneri igitur non debemus, quin effundamus nos in omne genus gratitudinis, quam declaremus, tam verbis, quàm factis, vt & nomen DOMINI celebremus, & in timore eius ambulemus, non ſolùm obedientia præceptorum eius, verùm

verùmetiam patientia malorum, quæ ipſe nobis vel ad glorificandum nomen eius, vel ad teſtificandam obedientiam noſtram, ferrenda imponit.

Pſalmus 70.

Deus in adiutorium meum intende, &c.



Ic Pſalmus, vt eſt breuis, (conſtat enim quinq; tantùm verſiculis) ita eſt collectus è Pſalmo triceſimo quinto, & quadrageſimo: ac videtur eſſe horum Pſalmorum epitome, & in hunc vſum collatus, vt, cum hi duo ſint peculiares precationes, quibus Chriſtus ipſe exponit Deo Patri paſſionem ſuam, & conqueritur de crudelitate inimicorum & hoſtium ſuorum, ille ſit breuis & generalis formula precandi, non Chriſti tantùm, ſed etiam vniuerſæ eccleſiæ contra perſecutores ſuos. Inuocat igitur in hoc Pſalmo pius quiſq; precator, cœleſtem in aduerſis ſuis opem: ac ſtatim poſt propoſitionem, inuehitur grauiſsimè in aduerſarios, ſuos quidem nomine, ſed reuera vniuerſæ pietatis. Deinde conſolatur pios, quòd etſi plurimùm affliguntur ab im-

pijs ecclesiæ persecutoribus, tamen liberentur vel tandem, & perfundantur cœlesti gaudio & salute.

2. *Deus, ad liberandum me,* DOMINE, *ad opem ferendam mihi, propera.*

Hæc est propositio Psalmi, qua petitur à DOMINO Deo, non tarda, & in longinquum tempus dilata, sed cita, præpropera & festina liberatio. Quid ita? Num licet homini pio, DOMINVM Deum tam importunè adoriri, & quodammodo violenter inuadere, vt nulla dilatione opem ferat? An
Esa.5. non apud Prophetam dicitur: Væ ijs, qui dicunt, acceleret, festinet opus eius, vt videamus: approp
Esa. 28. pinquet & veniat consilium sancti Israël, vt sciamus? Et iterum: Qui credit, non festinet? Non est quidem dubium, quin homines impij & incredduli, si in aduersis suis Deum verbis inuocauerint, & non statim voti sui, pro ipsorum arbitratu, compotes facti fuerint, conuertant se ad quærenda aliena auxilia, vel apud idola, vel apud dæmones, & dicant, quod vulgò dici solet: Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo, sed non omnis in precibus festinatio, est incredulitas. Festinat & Da
Psal. 102. uid: In quacunque, inquiens, die inuocauero te,
Psalm.31. velociter exaudi me. Festinat & Christus ipse: Inclina, inquiens, ad me aurem tuam, accelera, vt e
Psal.69. ruas me. Et: Ne auertas faciem tuam à me, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Nam, quemadmodum

admodum credulus & incredulus aliquoties iisdem vtuntur verbis, quorum tamen huius verba sunt ex incredulitate, illius autem ex fide, Zacharias parens Ioannis Baptistæ dicit ad Archangelum: Quomodo illud cognoscam, cum sim senex? Maria virgo dicit: Quomodo erit istud, cum virum non cognoscam? audis eadem penè verba, & tamen ille punitur mutitate, propter incredulitatem, hæc autem eruditur & confirmatur fide, Ita & in precibus festinare solet aliquoties tam pius, quàm impius, sed ille ex pietate, hic autem ex impietate. Non igitur de hac re iudicandum est, iuxta verborum sonum, sed iuxta animi affectum, & rei circumstantias, quòd impius festinet, quia non credit, nam si crederet, non confestim, vt non fit voti sui compos, properaret ad quærenda aliena auxilia: pius autem festinet, quia credit. Etsi enim non continuò iuxta sensum carnis assequitur, quod precibus petit, tamen non deflectit ad idola aut incantationes, sed expectat patienter opem cœlestem: & festinatione sua, aut testificatur magnitudinem & grauitatem afflictionis suæ, aut confirmat fidem suam, quòd quo grauior sit afflictio, eo certius & propinquius sit auxilium Dei. Sed de hoc argumento dictum est etiam aliâs, præsertim Psalmo 38.

2. *Confundantur, & probro afficiantur, qui quærunt animam meam, vertantur infugam, & pudefiant, qui delectantur malis meis.*

3. *Reſpondeat eis viciſsim opprobrium ipſorum, qui dicunt, Euge, Euge.*

Poſt propoſitionem inuehitur mox in impios ſuos aduerſarios: Qui quærunt (inquiens) animã meam, ſeu vitam, vt eam perdant, qui delectantur, malis ſeu aduerſis meis, & qui inſultant mihi, ac non tantùm in ſinu ſuo gaudent, verùmetiam non verentur palàm in me contumelioſi eſſe, ac ſibi de meis afflictionibus applaudere, & gratulari, dicentes: Euge, euge, (de qua voce, vide ſuprà in Pſalmo quadrageſimo) omnes hi, inquam, confundantur, probro afficiãtur, vertantur in fugam, (hoc eſt) pudefiãt, ſicut fugitiui, notentur ignominia: & ſicut extrema probra in me congerũt, ita ipſi viciſsim ſummis probris affi-ciantur. Hæ ſunt grauiſsimæ imprecationes. Dices ergo: Facile quidẽ crediderim, quòd licuerit Chriſto, tantis diris & execrationibus hoſtes ſuos deuouere, quippe qui fuerit ille, cui pater omne iudicium dedit, & quem pater ad dexteram ſuam collocauit, ſed haud ſcio, num conueniat, vt homo priuatus tale exemplum Chriſti, ſuopte arbitrio imitetur: an non rectius eſſet, cum Stephano dicere: DOMINE, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quàm cum Pſalmo: Confundantur & probro afficiantur, qui quærunt animam meam? De hac re diximus in præcedenti Pſalmo, & aliâs ſæpenumero. Si enim generalem regulam & vocationem reſpexeris, charitatis eſt, non maledicere, ſed benedicere, non execrari, ſed obſecrare: ſi autem Spiritus ipſe ſanctus exeme-

Acto. 7.

exemerit hominem, è communi & generali vocatione, & collocauerit eum in tribunali Dei, ac iubeat eum, nomine Dei, iudicium eius aduersus impios pietatis hostes pronunciare, quis est qui prohibere posset? Sentiamus igitur has execrationes, non esse prophanæ carnis, sed cœlestis & diuini Spiritus, cuius, cum sit de ventura in impios maledictione vaticinari, eius etiam est maledicere, & execrari eos.

4. *Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper: Magnificetur Deus, qui diligunt salutem tuam.*

Execrationibus, quibus impij maledicuntur, opponit pro more suo, benedictiones, quibus pij donãtur. Omnes quidem, qui quærunt animam meam, & delectantur malis meis, ac insultant mihi, & lætãtur aduersis meis, (hoc est) omnes impij (qui enim quærunt animam meam, & delectantur malis meis, non propriè in me grassantur, sed in Deum ipsum & Christum eius, hi autem verè sunt impij) digni sunt execratione, confusione, & extrema ignominia. Sed econtra, omnes, qui quærunt te DOMINVM nostrum, exultabunt & lætabuntur: & omnes, qui diligunt salutem tuam, quæ est perpetua, semper dicent: Magnificetur Deus, (hoc est) Deum semper glorificabũt & celebrabunt. Vt enim impiorum ingenium est, vitæ quidem piorum insidiari, & affli-

ctionibus eorũ insultare, sed horũ nomine, in Deum ipsum sæuire, & gloriã eius inuadere, ideoq; necesse habent confundi & pudefieri, ita & piorum ingeniũ est, in laude nominis Dei exultare, & Deum semper, quoquo modo possunt, celebrare, ideoque vicissim & ipsi æterna lætitia perfundentur, & celebrabuntur. Quare, etiamsi pij maximis calamitatibus in hoc seculo ab impijs afficiantur, tamen euadent vel tandem, non solùm illæsi, verùmetiam perpetuò salui. Quid igitur tibi metuis, ab impiorum opprobrio & crudelitate? Da operam vt sis pius, hoc est, quæras DOMINVM, & diligas salutem eius, agnoscas Christũ, & ames Euangelion eius, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti: & siue tum viuas, siue moriaris, eris DOMINI: In hoc enim, inquit Paulus, Christus mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. *Rom.14.*

5. *Et ego afflictus sum, & miser, Deus festina ad me. Auxiliator meus & redemptor meus tu es,* DOMINE *ne tardaueris.*

Conclusio, in qua repetit propositionem precationis, & vrget iterum exauditionem: Festina, inquiens, ad liberandum me, & ne tardaueris, aut in longum tempus opem tuam præstandam reijcias, te enim solum agnosco auxiliatorem & redemptorem meum. Etsi autem Spiritus sanctus non est alligatus regulis dialecticis, faciemus tamen pericu-

lum,

lum, num hic breuis Psalmus ferre velit, vt in dialecticum Syllogismum conferatur.

Precor te DOMINVM *Deum meum, vt ad liberandum me, & opem mihi ferendam festines.*

Ratio in Syllogismum collata.

Omnis, qui quærit animam afflicti & miseri hominis, quærentis DOMINVM, & diligentis salutem DOMINI, ac delectatur malis eius, impius est, & confundetur, ignominia afficietur, & pudesiet. Et viciſsim, omnis, qui quærit DOMINVM, & diligit salutem DOMINI, exultabit & lætabitur in DOMINO, propterea quòd velociter à DOMINO exaudiatur, & festinam redemptionem consequatur. *Maior.*

Ego autem sum afflictus & miser, & quæro DOMINVM, ac diligo salutem eius, neque enim alium agnosco seruatorem & redemptorem, præter DOMINVM Deum meum. *Minor.*

Ego igitur non dubito, sed certissimè spero, quòd impij, quærentes animã meam, & applaudentes sibi de aduersis meis, cito pudesiant, & pereant, vt ego mirando modo, sine vlla dilatione liberer, & veram salutem consequar. *Conclusio.*

Hìc facile vides, ex quo fonte πληροφορία ac παῤῥησία illa scaturiat, qua sancti tam considenter de interitu impiorum suorum hostium, & de sui liberatione pronunciant. Nam, cum certò sciant, & reipsa comperiãt, quòd impij quidẽ persecutores pugnent cum Deo,

ipsi autem propter pietatis doctrinam & professionem, persecutionem patiantur, nõ est dubium, quin persecutores calcitrent contra stimulum, & properent ad interitum, pij autem à persecutoribus afflicti, defendantur diuinitus, & cõseruentur, quippe quòd iam antea cœlestis sententia lata sit, DOMINVM non dare inæternum fluctuationem iusto, impios autem deducere in puteum interitus: & viros sanguinum ac dolosos non dimidiare dies suos. Non est quidem humanæ industriæ, præscribere tempora, temporum articulos, & alias circumstantias interitus impiorũ, & liberationis piorum, quas pater in sua ipsius potestate constituit: sed illud diuini est iudicij, pijs per Spiritum sanctum patefacti, quòd certissima sit impiorum cõfusio & internitio, piorum autem liberatio & salus. Quare, cum causæ tuæ iustitiam ac pietatem, persecutorum autem tuorum impietatem & crudelitatem certò cognoueris, potes sententiam de euentu, ex iudicio verbi Dei, securè pronunciare.

Psalm.56.

VSVS HVIVS PSALMI.

Idem est, qui & aliorum id genus Psalmorum, in quibus Spiritus sanctus concionatur, de interitu impiorum, & de salute piorum. Afflicto enim & multis ærumnis oppresso omnis mora longa est, ac variè in ea afficitur. Nunc tentatur de promissione Dei, num sit oraculum cœleste, an somnium carnis: nunc

nunc tentatur de ſententia eius, num verum intellectum eius aſſequatur, etiamſi nullum dubium reliquum eſt, quin ſit verè cœleſte oraculum: nunc, cum impium perſecutorem videat eſſe in magna auctoritate, metuit ne conſilia & conatus eius feliciter promoueant: nunc expendens ſuam ipſius vilitatem, arbitratur Deum nullam habere ſui rationem, adeoq; multæ & graues ſunt tempeſtates, quibus animus afflicti concuti ſolet. Hic igitur Pſalmus, vnus eſt ex iſs, quibus animi tranquillitas paratur. Manifeſtum enim eſt, quòd cum ſit Dauidis, ſit etiam oraculũ Spiritus ſancti, & vera eius ſententia è Pſalmis 35. & 40. perſpicua eſt. Nec autoritas impij tanti eſt momenti, vt ſuperet veritatem verbi Dei, quod execratur impium, & affirmat eum æterno exitio obnoxium: nec vilitas tua tam abiecta eſt, vt cum ſis in Chriſto per fidem, Deus te deſpiciat: ſed quo fueris in conſpectu vel tuo ipſius, vel huius mundi, vilior, eo maiori ſis curæ DOMINO Deo noſtro: Quis eſt (inquit) ſicut DOMINVS Deus noſter? qui in altis habitat, & tamen humilia reſpicit in cœlo & in terra. Et iterum: In excelſo & ſancto habitans, & cum contrito & humili Spiritu, vt viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Quare ſiue impius exaltetur, ſicut cedrus Libani, ſiue tu omnium pedibus conculcatus fueris, expecta DOMINVM, & cuſtodi vias eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias tam terram, quàm cœlum, quippe quòd nihil certius ſit, quàm quod iniuſti ſimul deleantur, & vel

2 Reg. 23. Acto. 1.

Pſalm. 113.

Pſalm. 37.

tandem exterminentur, ſalus autem iuſtorum ſit à
DOMINO, qui eſt fortitudo eo-
rum, in tempore tribu-
lationis.

ERRATA SEPTIMÆ Decadis.

Prior numerus paginam, posterior versum denotat.

Pagina 3 versu 18. lege, corporales. 10. 26. obiectionem. 13. 20. & quod in ipso omnes. 16. 8. differtis. 27. 30. Heroas. 37. 20. ne quid de animo. 40. 30. delinearunt. 106. 4. peccatis. 133. 24. de hoc. 152. 7. ore meo. 162. 30. hos 177. 25. pro (capite) versiculo. 196. 16. ei. 249. 3. ferenda.

IN SEXTA DECADE.

Pagina 227 pro (pios) lege pñ.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Ioanne Brentio.

DECAS OCTAVA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1568.

PSALMI OCTAVÆ Decadis.

71. *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, &c.*
72. *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuã filio regis.*
73. *Quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde.*
74. *Vt quid Deus repulisti in finem.*
75. *Confitebimur tibi Deus.*
76. *Notus in Iudæa Deus.*
77. *Voce mea ad Dominum clamaui.*
78. *Attendite populo meus legem meam.*
79. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam.*
80. *Qui regis Iſrael, intende.*

Pſalmus 71.

In te DOMINE ſperaui, non confundar in æternum.



N triceſimo primo Pſalmo, qui non paucis verſiculis cũ hoc Pſalmo conuenit, precatur Chriſtus filius Dei, vt Deus pater conſerat ipſi, in ærumnis, in paſsione & morte ſua, cœleſtem opem, & cõſeruet ipſum perpetua ſalute. In hoc autem ſeptuageſimo primo Pſalmo, precatur pius, in Chriſtum credens, vt & ipſe in ſuis aduerſis cœleſti ope iuuetur, & ex his propter Chriſtum ſaluus euadat. Nam vt cognoſcamus, quòd in afflictionibus, quas Chriſtus pertulit, contineantur etiam afflictiones omnium piorum, in Chriſtum credentium, vtitur precator in hoc Pſalmo aliquoties iiſdem penè verbis, quibus Chriſtus in viceſimo ſecundo, & in triceſimo primo Pſalmo vſus eſt: vt Deus pater, agnoſcens eadem verba vnigeniti filij ſui, reſpiciat etiam afflictum, & variis aduerſis perturbatum, iiſdem clementiæ ac miſericordiæ oculis, quibus filium ſuum reſpexit. Porrò, hic Pſalmus apud Hebræos quidẽ ἀνεπίγραφος eſt, ſed apud Græcos inſcribitur, ψαλμὸς τῶν υἱῶν ἰωναδὰβ, καὶ τῶν πρώτως αἰχμαλωτισθέντων (hoc eſt) Pſalmus filiorum Ionadab, (de quibus Hiere. cap. 35.) & illorũ, qui primi in captiuitatem abducti ſunt. Qua inſcriptione autores ſignificare voluerunt, hunc Pſalmum eſſe ge-

neralem precandi formulam, qua, ſicut filij Ionadab, & illi, qui primùm omniũ in Babylonem captiui abducebantur, vſi ſunt, ita afflicti quicq, ſiue Dauid, ſiue Ioſaphat, ſiue Ezechias, ſiue Stephanus, ſiue Iacobus Apoſtolus, ſiue Laurentius, ſiue alij martyres, in aduerſis ſuis vterentur.

Sed priuſquam verſiculos eius perſtringamus, conſideranda eſt occaſio, qua precator ad effundendas coram DOMINO huius Pſalmi preces, excitatus eſt. Hæc autem facilè ex ipſis Pſalmi verſiculis animaduerti poteſt.

In quarto verſiculo dicitur: Deus meus, eripe me de manu impij, de manu iniqui & tyranni. Significat ergo precator, ſe manu vel vnius impij & crudelis inimici, vel plurimorum, ita teneri & affligi, vt nullam ſalutis ſpem, iuxta humanum quidem ſenſum, concipere queat.

In ſeptimo verſiculo dicitur: Tanquam prodigium factus ſum multis. Apertè igitur ſignificat, ſe tantis aduerſis obrutum, vt non tàm hoſtibus ſuis, quam amicis ſit abominatio & execratio.

Nonus verſiculus, & decimus octauus, teſtantur, quòd precator præter alias ærumnas, etiam ſenectutis, quæ ipſa eſt morbus, incommodis laboret: Ne abijcias me in tempore ſenectutis, cum defecerint vires meæ, &c. Et iterum: Etiam in ſenecta & canicie ne deſeras me.

In decimo & vndecimo verſiculis, hoſtes precatoris conferunt conſilia ſua ad opprimendum ipſum, & inſultant ei ſumma ſecuritate: Deus (inquiunt) deſeruit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia nemo

nemo eſt, qui eripiat eum. Vides igitur magnitudinẽ periculorum, quæ precatori, non ab inimicis tantùm, verùmetiam à ſenectute impendebant, dediſſe ad hunc Pſalmum coram DOMINO recitandum, occaſionem.

1. *In te, DOMINE, ſpero, non pudeſiam in æternum.*
2. *In iuſtitia tua libera me, & erue me, inclina ad me aurem tuam, & ſerua me.*

Idem eſt initium huius Pſalmi, quod & triceſimi primi. Quod igitur in explicatione hîc deſiderabitur, ex eo loco petendum eſt. Diligenter autem diſcernendum eſt inter petitiones ipſas, & inter rationes earum. Inter tot (inquit) & tanta pericula verſor, vt parum abſit, quin pudefiam & peream. Quæſo igitur te, DOMINE Deus noſter, vt inclines ad me aurem tuam, ac liberes, eruas, & ſerues me, vt ſiquidem omnino, tam pro generali & ſolenni humani generis conditione, quàm pro ſingulari tuo conſilio, adeunda ſint mihi magna pericula, & ferenda multa aduerſa, non me deſtituas ope tua cœleſti, nec ſinas me perpetuò pudefieri. Habes petitionem, quam mox non repetit tantùm, ſed etiam varijs precandi formulis vrget. Nunc vide mihi, huius petitionis ſeu cauſas ſeu rationes, quibus precator ad fiduciam impetrandi excitatur, & Deus ad has preces exaudiendas, permouetur, ac, vt ita dicam, perſuadetur. Qua ergo fiducia, qua prærogatiua, & quibus rationibus audes tu, ſi nihil aliud, certè homo peccator, & ſceleratus, oculos in cœlũ attollere, & ad thronum Dei accedere, vt inde auxilium conſequaris? Ra-

tio prima: Quia, DOMINE (inquit) in TE SPERO. Quid? Hæccine tanta & tam efficax ratio eſt, cur Deus precatorem exaudiat, & opem ei conferat? Quid ni? Deus enim eſt verax, & in promiſsis ſuis conſtans: *Pſalm. 89.* Quæ procedunt, inquit, de labijs meis, non faciam irrita. *Eſa. 46.* Et iterum: Conſilium MEVM ſtabit, & omnis voluntas MEA fiet. Promiſit autem, ſe ſperãtes in ipſum, ſeruaturum, & beatos eſſe omnes, qui confidunt & expectant ipſum, cuius rei multa & manifeſta teſtimonia, ſuprà, in explicatione Pſalmi triceſimi primi, commemorauimus. *Rom. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.* Et Apoſtolus Paulus, ad Romanos ſcribens, euidentiſsimis argumentis probat, ſpem, (illam videlicet, quæ habetur in Deum, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum) non pudefacere. Quare, niſi precator iudicet Deum mendacem, (quod non tam dictu horrendum, quàm nefas cogitatu eſt) nec credat promiſsis eius, certò ſtatuat, neceſſe eſt, ſe, quòd omnem ſpem ſuam in Deo collocet, non pudefactum, nec in aduerſis ſuis deſertum iri.

Secunda ratio: Libera me IN TVA iuſtitia, ſeu propter TVAM iuſtitiam. Eadem ferè ratio cum priori. Iuſtitia enim Dei, propter quam ſe exaudiri confidit, dicitur hoc loco (ſicut aliàs ſæpenumero,) probitas, veritas & conſtantia Dei, in ſeruandis promiſsis ſuis. Accedo igitur (inquit precator) ad thronum tuum precibus meis, non fiducia meæ, ſed tuæ ipſius iuſtitiæ, non fiducia mearum virtutum, ſed fiducia tuæ ipſius veritatis, & probitatis, qua non eſt dubium, quin, quod verbis promiſiſti, reipſa præſtes & impleas. Vulgò dici ſolet: Omne promiſſum cadit in debitum.

debitum. Cum igitur promiſsione & pacto tuo teipſum in debitorem conſtitueris, certiſsimam concepi perſuaſionem, quòd inclines ad me aurem tuam, & preces meas exaudias. Habes duas rationes, quibus precator fidem ſuam confirmat, & πληροφορίαμ concipit, altera eſt, ſpes in Deum, quæ non pudefacit, altera eſt iuſtitia ſeu veritas Dei, quæ non fallit. Transferamus igitur hanc precandi formulam, in vſum, & exemplum, vt acceſſuri ad inuocationem nominis Dei, animum noſtrum fiducia iuſtitię ſeu veritatis Dei, & virtute ſpei in Deum confirmemus & muniamus.

3. *Eſto mihi in petram fortem, ad quam ſemper confugiam, qui mandaſti, vt me ſerues, quoniam petra mea, & arx mea, TV es.*

Pergit in precatione, & vt exuſcitet, ac inflammet fidem ſuam, repetit è Pſalmo Moſi, in Exod. 15. & è Pſalmo decimo octauo, ac triceſimo primo epitheta, quæ ab excellentijs huius ſeculi ducta, Deo attribuuntur: Eſto, inquiens, mihi in petram fortem. In hoc enim ſeculo, domus, quæ ædificatur ſuper fortem petram, non proſternitur, (vt Chriſtus loquitur,) etiamſi imbres, flumina & venti irruant in eam, fundata eſt enim ſuper petram. Etſi autem Deus omnes terrenas & humanas, ac etiam angelicas excellentias, longè poſt ſe relinquit, à firmitudine tamen fortis petræ, vocat & Deum fortem petram, quòd quiſquis ſpem ſuam in ipſo collocauerit, & quaſi domum ſuam fundauerit, ac ad ipſum in omnibus ſuis periculis & aduerſis confugerit, tantum abeſt, vt à ventorum & imbrium tempeſtas *Matth. 7.*

tempeſtatibus lædatur, vt potius in omnibus firmus conſiſtat, & eas ſaluus euadat.

Deinde additur: Qui mandaſti, vt me ſerues. Hæc particula plurimùm facit ad confirmandam & ſtabiliendam fidem precatoris: Mandaſti (inquit) vt me ſerues. Non ſimpliciter promiſiſti, vt me ſerues, ſed etiam mandaſti, præcepiſti, ordinaſti, conſtituiſti, adeoq; omnino decreuiſti me in meis periculis & aduerſis ſeruare, vt nihil mihi tua ſalute certius ſit. Quæramus igitur, vbi Deus hoc mandauerit ſeu præceperit? Et vnde precator hãc πληροφορίαν, ac fidei ſuæ certitudinẽ attulerit? Principiò, conſideranda eſt natura Dei, & expendendum eſt ingenium eius. Nam, ſi naturam ipſam Dei & ingenium eius intuearis, Deus non eſt niſi ſalus ipſa, vt ſi dixeris, Deum eſſe ſaluatorem, minus dixeris, niſi eum ſalutem ipſam vocaueris: Deus noſter, inquit Pſalm. 68. Deus eſt ſalutis, & DOMINI Dei ſunt egreſsiones mortis, ſeu liberationes ex mor-
Ioan. 3. te. Et Chriſtus: Sic Deus, inquit, dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus, vt condemnet mundum, ſed vt ſeruetur mundus per eum. Vides, naturam & ingenium Dei eſſe, ſeruare. Vnaquæque autem res, iuxta naturę ſuæ ingenium operatur. Quid ergo à Deo aliud expectaueris, niſi ſalutem? Et cum hæc ſit natura eius, certè etiam voluntas eius ſit neceſſe eſt.
1. Tim. 1. Hinc eſt & illud Pauli: Deus cunctos homines VVLT ſaluos fieri. Et, quia hæc eſt voluntas eius, haud immeritò etiam dicitur mandatum ſeu præceptũ eius, quippe quòd quemadmodum Reges ac Principes, ita imprimis

primis Deus ipſe voluntatem ſuam mandatis & præceptis patefaciat ac teſtificetur. Quare, cùm natura & volũtas Dei ſit, ſeruare, rectè & congruenter dicitur, mandare ac præcipere, vt homines ſeruentur. Quid ergo tot homines pereunt? Hoc non fit vitio Dei, cuius natura eſt, vt iam dicebamus, ſeruare, ſed fit vitio hominum incredulorum, qui non præbent ſe naturali Dei ingenio & operationi ſeruandos. Præterea, quòd precator concipiat tam certam ſalutis fiduciam, excitatur ex promiſsionibus Dei tam generalibus, quàm peculiaribus: Statuam pactum meum, inquit DOMINVS ad Abrahamum, inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Et iterum: Filius meus primogenitus Iſrael. Ac rurſus: Ego ſum DOMINVS Deus TVVS, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Hæ ſunt manifeſtæ promiſsiones, quibus Deus teſtatus eſt ſe propitium & ſeruatorem eſſe, non ſolùm vniuerſæ familiæ Abrahæ, Iſaaci & Iacobi, ſed etiam priuati cuiuſcũ de poſteritate eorum, hæc enim erat illo tempore electa Dei Eccleſia. Precator autem huius Pſalmi, ſiue ille Dauid, ſiue Ioſaphat, ſiue Ezechias, ſiue exules & in captiuitatem abducti, ſiue alij Iſraelitæ, fuerunt de ſemine Abrahæ, & ij, de quibus Deus dixerat: Filius meus primogenitus Iſrael. Quomodo igitur non potuiſſent certam ſalutis fiduciam, de Deo, vt filij de patre ſuo, concipere? Quod dictum eſt de Eccleſia Iſraelitica, hoc etiam intelligendum eſt de Eccleſia Chriſtiana, ex Iſraelitis & Gentibus collecta. De hac enim dicitur: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et: Ego vobiſcum

Gen. 17.

Exod. 4.

Exod. 20.

ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Ac rurſus: Inhabitabo in illis, & inambulabo. Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Quem igitur Deus agnoſcit pro membro populi ſui, quomodo de clementia eius dubitaret? 2. Cor. 6.

Deinde certitudo ſalutis confirmatur ex miraculis, quibus Deus tam vniuerſam Eccleſiam populi ſui, quàm priuatim plurimos, in extremis ſuis periculis. mirando modo liberauit & conſeruauit. Cœleſtia enim miracula (qualia ſunt, liberatio ex Ægypto, manna de cœlo, potus ex petra, tranſitus per mare rubrum, & Iordanem, deiectio murorum Ieriho, mirandę liberationes Dauidis, Ioſaphati, Ezechiæ, & infinita id genus alia,) non ſunt diuinitus in hoc ædita, vt tantùm illis vel populis vel priuatis hominibus, quorum fit nominatim mentio, ſint vtilia, ſed vt proſint tam vniuerſis, quàm ſingulis, tam præſenti ætati, quàm poſteritati, & confirment fidem eorum, in omnibus aduerſis: Quæcunque (inquit Paulus) præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Et Chriſtus ipſe monet, vt è ſuperioribus miraculis fidem in præſentibus periculis confirmemus: Non meminiſtis, inquiens, cũ quinq; panes fregiſſem in hominum quinq; millia, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuliſtis? Quare ſentiamus, ſingula miracula ſingulas eſſe teſtificationes diuinæ voluntatis, de certitudine noſtræ ſalutis. Rom. 15. Mar. 8.

Poſtremò idem teſtificantur etiam ſacramenta, quę in hũc præcipuè vſum diuinitus ſunt inſtituta, vt quod publicè vniuerſis à Deo promittitur, priuatim ſingulis

sis applicetur, de qua re aliâs, cùm vera sacramentorũ ratio explicatur, copiosè dici solet. Quare, quod Psalmus dicit: Qui mandasti, vt me serues, sciamus eum respicere in naturam & ingenium Dei, in promissiones Dei, tam generales quàm peculiares, in miracula, & in sacramenta diuinitus instituta, quibus omnibus DOMINVS Deus noster significat, mandat, præcipit, constituit, decernit, & testificatur, quòd sit Deus, non interitus, sed salutis, non perditionis, sed saluationis, vt quotquot inuocauerint nomen eius, seruentur. Porrò, vt fides precatoris magis inflamẽtur, repetit, quod antè dixit: Petra mea. Et addit: Arx mea TV ES, quòd DOMINVS sit petra, in qua, (quemadmodum paulò antè dicebamus) qui per fidem consistit, nullis tempestatum procellis proturbari potest: & arx, ad quam, qui se in pericul s receperit, tutissimum habet asylum. Non est igitur, quòd metuat assultum siue hominum siue Diabolorum.

4. *Deus meus, eripe me de manu impij, de manu iniqui, & oppressoris.*

Prosequitur precationem, significans interim, quæ sit illa afflictio & calamitas, qua ad hanc precationem excitatus sit: Deus meus, inquit. Eripe me de manu impij, de tyrãnide iniqui & oppressoris. Quid? Vnus ne tantùm est hostis, & persecutor eius, qui intantũ sit ipsi molestus, vt vniuersam cœlestẽ curiã ad ferendã ipsi opem excitet? Certè, vnus & alter est præcipuus, multi aũt sunt σύμμαχοι, & socij. Sic enim sequitur: Tanquã prodigium factus sum MVLTIS. Ac mox: Dixerunt inimici mei mihi, & qui obseruarunt animam meam,

inierunt vnà consilium, dicentes: Deus dereliquit eũ, persequimini, & comprehendite eum. Et rursus: Detrahunt animæ meæ, & quærunt mihi mala. Vides igitur precatorem, nomine vnius aduersarij comprehendere multos, eosq; sceleratos, crudeles, immanes, ac minimè cessatores & ignauos, sed omnem diu, noctuq; captantes occasionem, qua ipsum omnibus facultatibus, omni nominis sui gloria, omni denique vita & salute sua exuant. Quò igitur inter tot mala, & tanta aduersa se verteret? cuius opem imploraret? Cuius? nisi DOMINI Dei sui. Sequitur enim.

5. *Quoniam, TV es expectatio mea, Domine DOMINE, spes mea ab adolescentia mea.*
6. *TE nitor ex vtero, de ventre matris meæ tu eductor meus, in te gloriatio mea semper.*

Obserues iterum epitheta, quæ Deo attribuit, & quibus fidem suam in inuocatione sua confirmat. Hæc autem epitheta, non sunt è vanitate somniorum concepta, sed è cœlestibus oraculis & promissionibus deprompta. Obsecro igitur, (inquit) vt me eripias è manibus, è tyrannide impiorum. Quam ob rem? Quia: Tu es EXPECTATIO mea. Extat enim cœleste ora-
Psalm.25. culum: Omnes, qui te expectant, non pudefient. Et:
Esa.30. Beati omnes, qui te expectant. Psaltes autem expectat DOMINVM, DOMINVS est expectatio eius, quia credit, se in solo semine Abrahæ, (quod semen est Christus) habere benedictionẽ, seu remissionem peccatorum & iustitiam. Nec arbitratur hostes suos temerè in ipsum incurrere, sed à DOMINO Deo suo, idq;

non

non irato, ſed propitio immiſſos. Nec properat ad idola, & ad illegitima auxilia, ſed obedienter expectat cœleſtem opem. Reliquum igitur eſt, quòd in expectatione ſua intantum non pudefiat, vt potius ſit beatus, & cõſequatur finem, quem ex promiſsionibus Dei ſperat & expectat. Deinde, tu dominator DOMINE, es ſpes, ſeu fiducia mea, idq; non ab heri & nudiuſtertius, ſed à pueritia & adoleſcentia mea. TE nitor, te confido, non nuper adeo, ſed ab vtero, à ventre matris meæ. In te ſolo gloriatio mea ſemper: nunquam glorior de alio ſeruatore, quàm de te ſolo: ſemper illud ago, vt tibi ſoli deferam gloriam omnis ſalutis meæ. Te enim ſolum agnoſco, ſicut conditorem meum in vtero matris, ita etiam eductorem meum è ventre, è viſceribus matris: cui ſemper curæ fuerim, non ſolùm, vt homo crearer, verùmetiam vt ſaluus conſeruarer, & in nouum hominem, ad conſequendam æternam vitam, recrearer. Hoc illud eſt, quod & in alio Pſalmo dicitur. Gratias ago tibi, quòd mirabiliter formatus ſim, mirabilia ſint opera tua, & anima mea cognoſcit valde. Non eſt occultatum os meum à te, quãdo factus ſum in occulto, & formatus ſum in inferioribus terræ (hoc eſt) in vtero matris. Cum eſſem adhuc informis maſſa, videbant me oculi tui, & omnes dies mei, quorum nullus adhuc aderat, ſcripti erant in libro tuo. Et Chriſtus ipſe, in Pſalmo 22. Tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu. Sic & hoc loco precator commemorat tam epitheta ſpei & expectationis, quàm beneficia, quæ in ipſum ab ineunte ætate, iam ab initio ſuæ conditio-

Pſalm. 139.

nis, diuinitus collata sunt, vt confirmet fidem suam in præsentibus aduersis, & in expectatione futurorum periculorum, quòd cum DOMINVS conseruauerit ipsum in tot superioribus periculis & ærumnis, ac mirificè liberauerit, nõ dubitet, quin & ipsum in præsentia, ac futuris temporibus sit clementer conseruaturus.

7. *Tanquam portentum factus sum multis, sed tu spes mea fortissima.*

Amplificatio afflictionum, sed in quibus non dubitet, se diuinitus defendi: Tantæ, inquit, calamitates, tanta pericula me obruunt, vt non solùm inimici insidientur vitæ meæ, & cogitent mihi pessima quæque inferre, sed etiam amici fugiant à me, & abominentur ac detestentur me, tanquam portentum ad extremas terras deportandum. Sed quem homines fastidiunt & abijciunt, eum Deus gratia & fauore suo dignatur. TV es, inquit, spes mea robustissima. Etsi enim homines negant, mihi fas esse, lucem intueri, DOMINVS tamen euocat me in lucem clarissimam, & de cuius salute desperant homines, eius certissima & fortissima spes est DOMINVS. Sed quî scis, DOMINVM esse spem tuam fortissimam? Num ascendisti aliquando in cœlum, & scrutatus es ibi librum vitæ, quem vocant, librum prædestinationis, in quo nomen tuum inscriptum inueneris? Nihil opus est mihi inperscrutabili illa ratione inuestigãdi arcana Dei, sed contentus sum certis & perspicuis promissionibus, ac sacramentis, (vt paulò antè dicebamus) quibus Deus voluntatem suam erga me manifestè patefecit, & sese Deum MEVM, (hoc est) mihi

mihi propitium, & ſeruatorem teſtificatus eſt. Non igitur dubito, quin ſit ſpes mea certiſsima, & fortiſsima. Sed quid pro tanto beneficio rependes ei?

8. *Impleatur (inquit) os meum laude tua, omni tempore magnificentia tua.*

(Hoc eſt) laudabo te pleno ore, & cantabo ſeu celebrabo omni tempore maieſtatẽ ac gloriã nominis tui. Vetus hoc eſt, & vſitatum genus gratitudinis, quo etiam non poteſt Deo acceptius rependi, ſi modò hoc non externis tantùm verbis, & hypocriticè, ſed reipſa & verè peregeris, quemadmodum ſæpenumero expoſuimus.

9. *Ne proijcias me tempore ſenectutis meæ, cum defecerint vires meæ, ne deſeras me.*

Qui hunc Pſalmum de Chriſto ipſo interpretantur, ſentiunt hũc nonum verſiculum, & decimum octauũ, qui ſequitur: Vſq; in ſenectã & canitiem, Deus, ne deſeras me, intelligendum eſſe de ſenecta Eccleſiæ Chriſti, quæ poſtremis temporibus in maius periculum & diſcrimen, quàm vnquã aliâs, ventura ſit. Alij arbitrãtur, Chriſtum, paſsionẽ & crucem ſuam ſubijſſe, non in virili ætate, ſed in ſenectute. Irenæus, inter vetuſtiſsimos adoleſcentis Eccleſiæ ſcriptores, non poſtremus, ſcribens aduerſus hæreſes, exiſtimat, Chriſtũ progreſſu ætatis ſuę, peruenisſe vſq; in ſenectã, in qua et paſſus ſit, vt omnem ætatẽ ſanctificaret. Ad cuius rei probationẽ abutitur etiã dicto Iudęorum apud Ioannem: Quinquaginta

Irenæus aduerſus hæreſes Lib. 2. cap. 39. & 40.

quaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Sed hæc opinio suo autori relinquenda est. Nos autem sentiamus, Christum sanctificasse quidem sua ætate, omnes humanæ ætatis gradus, (quod Irenæus rectè dixit,) passum verò esse, iuxta publicum Ecclesiæ consensum, cùm ætate sua nondum tricesimum quartum annũ excessisset: & non solum hos de senectute & canitie versiculos, verùmetiam totum Psalmum esse precationem, tam vniuersæ Ecclesiæ, quàm priuati cuiusq; hominis pij, qui sit Ecclesiæ membrum, & inuocet nomen DOMINI, vt seruetur, cùm in omni aduersariorum assultu, tum in ærumnis etiam, & molestijs senectutis. Senectutem aiunt esse θανατοῦ προοίμιον, mortis procœmium. Et: Senectutem esse quandam malorum omnium Aram, ad quam cuncta recurrant. Et: Vitam nostram, quàm simillimam esse vino, vbi paululum restet, in acetum vertatur. Quare, cum Psaltes antea precatus sit, vt Deus tueatur ipsum in medio impiorum, & in tyrannide iniquorum, precatur nunc, vt conseruet ipsum inter tot aduersa senectutis: Ne proijcias, inquiens, me in tempore senectutis meæ, ne deseras me, hac mea prope iam exacta decursaq; ætate, qua omnes vires meæ deficiunt & langueſcunt. Conseruasti me hactenus in infantia, pueritia, adolescentia, & in ætate virili, non igitur dubito, quin me etiam conseruaturus sis in senectute, in qua opus est mihi tanto præsentiori ope tua, quanto maiora & plura sunt senectutis incommoda. Non arbitremur autem eum precari, vt in hac corporali vita incolumis seruetur, ne moriatur, omnino enim, vel tandem nobis moriendum, & ex hac vita excedendum est: sed, siquidem

Antiphanes.

plane

planè nobis ferenda ſunt incommoda & aduerſa, precatur, vt in his diuino beneficio non ſuccumbat, & vt Deus ponat ipſis terminum, quem non tranſgrediantur, ac det euentum, vt & ferre, & ſuo ipſe officio ac vocatione defungi queat, præſertim, cum ſenectutis incommoda non ſimpliciter ipſum affligant, ſed accedant inſuper inimicorum inſidiæ, inſultationes, & perſecutiones grauiſsimæ. Vnde ſequitur.

10. *Quoniam inimici mei loquuntur contra me, & qui obſeruant animam meam, ineunt vnà conſilium.*

11. *Dicentes, Deus deſeruit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quoniam non eſt, qui eripiat.*

Senectutis mala, per ſe quidē ſic ſatis moleſta ſunt, & grauia, ſed quæ ſi ſola eſſent, vtcunque tolerari poſſent. Nunc autem illud grauiſsimum eſt, quòd præter illa mala, accedant crudeliſsimi mei hoſtes, qui intantum non patiuntur me ocio illo, quod aiunt ſenectuti eſſe belliſsimum ſubſidium, frui, vt etiam me immaniter perſequantur. Loquuntur aduerſus me dira, inſidiantur vitæ meæ, quoquo modo poſſunt, conferunt inter ſe, nō tantùm conſilia, verumetiam omnes opes, & potentiam ſuam, vt me opprimant, & perinde ac ſi Deus abiiceret, quem homines abiiciunt, alter alterum mutuis cohortationibus in me ita incitant & exacuūt, vt arbitrentur, nullum facere officium honeſto viro dignum, niſi in me ſæuiat: Agitedum, inquiunt, perſequimini, & comprehendite eum, quia & DOMINVS in cœlo abiecit eum, & homines in terris abominantur, ac deteſtantur eum. Sed hoc eſt vetus impiorum

Cicero de oratore.

ingenium, quòd quem Deus percutit, (ſicut Chriſtus ipſe in Pſalmo ſexageſimo nono conquæſtus eſt,) impij perſequantur, & vulnera vulneribus cumulent. Quid ergo? Num Deus ſequitur humana iudicia, & imitatur mores impiorum? Num, quem homines condemnant, Deus etiam ipſe condemnat? Nihil certè minus. Non eſt Deus, vt homo. Et: Sicut exaltantur, in-
Eſa. 55. quit DOMINVS apud Eſaiam, cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ, à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Quare, non ſentiamus, quòd quem homines abijciunt, Deus etiam ipſe abijciat, & quem Deus percutit ac affligit, liceat etiam hominibus eum percutere & affligere. Homines quidem ſceleratì puniendi ſunt legitimè, quia Deus iubet eos iuxta leges punire: innocentes autem condemnare, quia homines eos condemnant, non eſt iudicij rectitudo, ſed peruerſitas: & pro ſua libidine percutere, quem Deus percutit, non eſt æquitatis, ſed immanitatis: Iratus
Eſa. 47. ſum, inquit DOMINVS, ſuper populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſericordias. Et iterum aliàs: Ego iratus ſum parùm, ipſi verò iuuant ſeu augẽt afflictionẽ. Cur ergo Deus perſequitur, & affligit. Nõ affligit, vt tu quoq; priuata tua temeritate affligas, non perſequit, vt tu pro tuo arbitratu perſequaris, ſed vt tu vel ad cõmiſerationẽ excitẽris, vel vt alieno exemplo, de ira Dei admonnearis, vel vt gloria nominis Dei illuſtretur. Denique multæ ſunt cauſæ, cur Deus vel nocentes vel innocentes affligat, quæ & aliàs copioſè commemorari poſſunt, & tamen inter has nulla eſt, quòd liceat afflicto addere afflictionem, & perſequi,

quem

quem Deus perſequitur. Quid igitur faciendum, ſi inimici non ſolùm ipſi te perſequuntur, verumetiam alios ad te perſequendum incitant, & inflammant? Sequendum eſt exemplum Pſaltæ. Dicit enim.

12. *Deus, ne longè fias à me, Deus meus ad opem mihi ferendam propera.*

Non properat ad idola, & fictitios ſeu Deos, ſeu cultus deorum, non ad illegitimam vindictam, non ad ineptas, & muliebres de illata iniuria vociferationes, ſed ad DOMINVM Deum noſtrum, ad piam nominis eius inuocationem: Deus, inquiens, ne longè à me diſcedas. Quid? precatur ne, quod non poteſt non fieri? Deus, inquit Paulus, non longè abeſt ab vnoquoq; noſtrûm. Per ipſum enim viuimus, mouemur & ſumus. Si ergo Deus ita propè adeſt, vt ipſo diſcedente & abſente nulla creatura conſiſtere poſsit, quomodo petit Pſaltes, vt Deus non longè abſit? Sed facilis & obuia eſt reſponſio. Deus propè adeſt, imò vbiq; eſt natura, non autem gratia, eſſentia, non autem clementia. Non igitur precatur, vt Deus propè adſit eſſentia ſua, cùm ea impleat cœlum & terram, ſed vt propè adſit ope & auxilio ſuo. Vnde & additur: Ad ferēdam mihi opem propera. Inimici enim mei tanto impetu in me cooriuntur, & tanta felicitate in me perſequendo graſſantur, vt Deus videatur me gratia ſua deſeruiſſe, & inimicorum partibus fauere. Quare, obſecro te, DOMINE Deus meus, vt in tantis anguſtijs me gratia tua complectaris, & me præſenti auxilio tuo adiuues. Sed cuius rei fiducia ſic precatur? Non

Actо. 17.

certè fiducia humanæ vel iuſtitiæ vel induſtriæ, ſed de qua re ſæpè admonuimus, fiducia diuinæ & gratuitæ promiſsionis. Primùm enim Deus promiſit ſe ope ſua adfuturum inuocantibus nomen eius: Propè eſt, *Pſalm.145.* inquit, DOMINVS omnibus inuocantibus ipſum, inuocantibus eum in veritate. Deinde promi- *Pſalm.34.* ſit ſe adfuturum miſeris & afflictis: Iuxtà eſt, inquit, DOMINVS his, qui tribulato ſunt corde, & humiles *Pſalm.91.* ſpiritu ſaluabit. Et: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Adhæc, recepit DOMINVS, ſe gratia ſua eò propiorem eſſe, quò grauior eſt *Pſalm.113.* afflictio, iuxta illud: Quis ſicut DOMINVS Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, in cœlo & in terra: hoc eſt, quò altior eſt Deus, eò clementius reſpicit humilia, abiecta, & contrita, ſiue in cœlo, ſiue in terra. Cum igitur Pſaltes inuocet nomen DOMINI, & ſit afflictus, idq; non in infimo ſed in ſupremo gradu afflictionis, eò certiorem ſperat à DOMINO ſalutem, quò grauiorem ſuſtinet afflictionem.

Sed quid fiet, cum DOMINVS appropinquauerit ad me, & properauerit ad ferendam mihi opem? Num ego ita ſeruabor diuinitus, vt tamen inimicis meis nihil incommodi acciderit? Nihil minus, ſequitur enim.

13. *Pudefient & peribunt aduerſarij animæ meæ, operientur opprobrio & ignominia quærentes malum mihi.*

Optârim quidem me ita ſeruari, vt etiam impij inimici mei reſipiſcerent & ſeruarentur, ſed quia ſunt impœnitentes, & pergunt obſtinatè in ſua impietate, manifeſtum eſt iudicium Dei, quòd qui aduerſantur animæ

mæ meæ, ſeu inſidiantur vitæ meæ, pudeſiant & pereant, & qui cogitant ac ſtatuunt me opprimere, obruantur, & ceu veſtimento, vndiquaq; circundentur ac operiantur opprobrio, & ignominia. Scio enim me hac in parte eſſe innocentem, & habere iuſtiſsimam aduerſus eos cauſam: ſcio me luculenta iniuria affici, DOMINVS autem Deus noſter teneri non poteſt, quin non ſolùm innocentem tueatur, verùmetiam nocentem puniat: & tantùm abeſt, vt conſilijs & conatibus nocentis aduerſus innocentem, det felicem ſucceſſum, vt potius neceſſe habeant extrema ignominia notari & pudefieri: Cuſtodi (inquit) innocentiam, & ſpecta quod rectum eſt: tali enim viro tandem benè erit. Tranſgreſſores autem delebuntur, et impij tandem exterminabuntur. Ac iterum: Iniuſti punientur, & ſemẽ impiorum peribit, iuſti autem hæreditabunt terram. Et in alio Pſalmo: Confundentur ac vnà pudefient, qui quærunt animam meam, vt perdãt eam. Ac mox: Gaudebunt autem & lætabuntur in te, quotquot quęrunt te, & quotquot diligunt ſalutem tuam, dicẽt ſemper, magnificetur DOMINVS. Nõ dubito igitur, quin, qui quærunt animam meam, & inſidiantur vitæ meæ, ac cupiunt me oppreſſum & perditum, ſpe ſua intantum fruſtrentur, vt neceſſe ipſi habeant opprimi & perire.

Pſalm. 37.

Pſalm. 40.

14. *Ego autem ſemper ſperabo, & pergam iugiter te in omnibus laudare.*

15. *Os meum prædicabit iuſtitiam tuam, tota die ſalutem tuam, quam (tamen) noui eſſe innumerabilem.*

16. *Ingrediar in (exponendas) potentias dominatoris DO-*

MINI, commemorabo ſolummodo tuam iuſtitiam.

Dices. Audio quidem; quid euenturum ſit inimicis tuis, & quòd maneat eos opprobrium & ignominia, ſed quid interea tu faciendum ſuſcipies? Non eſt tibi huius ſeculi curſus ignotus, in quo ſolet bonis male, & malis benè eſſe. Quare, etſi non nego, quin futurum ſit, vt inimici tui afficiantur opprobrio & pudeſiant, tamen hoc differetur in longum tempus, & fortaſsis diutius, quàm tu ferre queas. Quid igitur facies? Reſpondeo. Non committam, vt propter inimicorum ſæuiciem, deſpondeam animum, ſed potius pergam ſemper ſperare, & nomen DOMINI laudare. Si pergit inimicus in me graſſari, pergam ego opem DOMINI expectare. Si viſum eſt DOMINO, me diutius affligere, viſum eſt mihi diutius in laude nominis Dei perſtare, idq; non in proſperis tantùm rebus, ſed in omnibus, ſiue proſperis ſiue aduerſis: quicquid acciderit, os meum prædicabit iuſtitiam tuam, & ſalutem tuam DOMINE, non vno tantùm die & hora, ſed iugiter, omnibus & totis diebus. Etſi enim infinita ſunt exempla tuæ iuſtitiæ, (hoc eſt) probitatis, fidei, veritatis & conſtantiæ tuæ in ſeruandis promiſsis tuis,) & innumera ſunt teſtimonia tuæ ſalutis, quam in miſeros & afflictos contuliſti, vt non ſit humanæ vel induſtriæ vel memoriæ ea percenſere, tamen celebrabo ea, quoad eius fieri poteſt, & ingrediar in potentias DOMINI, hoc eſt, accedam & ſuſcipiam, ſiue publicè ſiue priuatim, exponenda & ornanda exempla omnipotentiæ tuæ,

aut

aut ſi nihil aliud, (quid enim virtutum tuæ maieſtatis, ſatis pro dignitate explicari poteſt?) ſolummodo tuam iuſtitiam, (vt id iterum repetam) hoc eſt, tuam probitatem, veritatem & conſtantiam in ſeruandis promiſsis prædicabo.

Hi verſiculi docent nos, quid in diuturnis aduerſis & afflictionibus ſit faciendum, vt Deo gratum officium præſtemus. Remedium enim aduerſæ fortunæ non eſt vel impatientia, vel amarulentia, vel maledicentia, vel Magia, vel cultus idolorum, hoc eſt, ſacra humanarum traditionum, vel alia illegitima & impia humanæ prudentiæ conſilia, ſed eſt primùm, ſpes & expectatio cœleſtis auxilij, in fide DOMINI noſtri Ieſu Chriſti: Ego (inquit) ſemper ſperabo, ſeu expectabo: etiamſi diutius affligar, quàm mihi par videatur, tamen non abijciam ſpem, quam de clementia Dei, per promiſsionem eius concepi, ſed humiliabor ſub potenti manu Dei, & expectabo cœleſtẽ opem: de ſpe autem & expectatione, quàm neceſſarius, & quàm gratus ſit cultus Dei, alias copioſè dictum eſt. Deinde, laus, celebratio, & prædicatio nominis Dei: Pergã (inquit) ſemper te in omnibus & ſuper omnia laudare, ac iuſtitiã & ſalutem, inprimis aũt iuſtitiã tuam, quam in ſeruãdis promiſsis prẽſtas, prędicare. Et cũ plurimùm ea prędicauerim, nũquã tñ me ſatisfeciſſe putabo. Plura.n. extant, & maiora diuinę maieſtatis, omnipotẽtię, clementię, beneficẽtię, miſericordię, lõganimitatis, ac prẽcipue iuſtitię ſeu veritatis teſtimonia, miracula, documenta & exempla, cũ publica tũ priuata, quàm quæ vel enumerari vel explicari queant. Hęc aũt grata mẽte agnoſcere, & prædicare, vt DOMINO Deo noſtro

gratiſsi-

gratiſsimum eſt, ita & Eccleſiæ vtiliſsimum, quippe quòd ex horum prędicatione agnitio & timor Dei, fides in Deum, inuocatio nominis Dei, ſpes, charitas, patientia, caſtitas, & quicquid eſt virtutum, quibus Deus colitur, in humanis cordibus, per Spiritum ſanctum creentur, excitentur & conſeruentur. In diuturnitate igitur afflictionum properemus certa ſpe ad commemorandam laudem nominis Dei, & fieri non poteſt, quin ſalutem conſequamur.

17. *Deus docuiſti me ab ineunte ætate, vſque ad hanc (ætatem,) vt adnuntiem mirabilia tua.*
18. *Quare etiam vſque ad ſenectam, & caniciem, Deus, non deſeras me, donec adnuntiem brachium tuum hominibus meæ ætatis, & omni poſteritati potentiam tuam.*
19. *Et iuſtitiam tuam, Deus, vſque in altum (efferam.) Qui facis magnalia, Deus, quis ſimilis tibi?*

In proximis verſiculis recepit Pſaltes, ſe in aduerſis ſuis ſemper ſperaturum & celebraturum nomen DOMINI. Nunc in his verſiculis pergit in eodem inſtituto, docens, ſe non hoc primùm tempore incipere laudare DOMINVM, ſed hoc fuiſſe ſtudium ſuum iam inde à pueritia & adoleſcentia ſua: Deus, inquiens, docuiſti me ab ineunte ætate vſq; in præſentē adnūtiare miranda tua facta. Exercuiſti me à puero, variis caſibus, quibus docuiſti & erudiſti me, quàm mirādo modo ſoleas illos, qui te ac tuis promiſsionibus confidūt, & nomen tuum inuocant, in ſummis periculis iuuare ac ſeruare, vt reipſa didicerim gloriam nominis tui, quam non vulgaribus tantùm factis, ſed etiam cœleſtibus

ſtibus miraculis aſſecutus es, celebrare & pro virili ornare. Quæſo igitur te, vt quod in adoleſcentia cœpi, hoc etiam liceat mihi in ſenecta & in canicie proſequi. Non peto à te longitudinem dierum, vt diu fruar dulcedine corporalis huius vitæ, non enim ſunt mihi ignotæ ærumnæ humanæ conditionis, ſed ſiquidem omnino mihi, tuo beneficio, in hoc ſeculo ad ſenectam vſq; vita conceſſa fuerit, illud peto, vt ætatem meã in adnuntiando brachio tuo, in illuſtranda maieſtate & potẽtia tua, & in extollenda inprimis ad cœlũ vſq;, iuſtitia tua tranſigam. Tu enim ſolus es, Deus, qui facis admiranda, ſtupenda, & omni prædicatione digna: nec eſt vel in cœlo vel in terra tui ſimilis. Hoc cupio prædicare, hoc celebrare, hoc laudibus efferre, hoc pro virili ornare & amplificare, donec ſpirauero, idq; non ſolùm præſenti meæ ætati, ſed etiam omni, quoad eius fieri poteſt, poſteritati. Hîc initio diſcendum eſt conſilium Dei, quo adoleſcentes & iuuenes variis caſibus & ærumnis exponuntur. Deus enim obiicit eos periculis, non quòd meditetur exitium & internitionem eorum, ſed vt exerceat & erudiat ipſos ad veram Dei agnitionem, ad timorem Dei, ad fidẽ, ſpem & expectationem cœleſtis auxilij in omnibus aduerſis, & ad omnia virtutum genera, quo deinceps adnũtient mirabilia Dei, & ferant teſtimonium, ſuo exemplo, veritati promiſsionum eius, atq; cohortentur tam æquales, quam poſteros ad veram pietatem. Vetus dictum eſt: παθήματα, μαθήματα: Afflictiones, ſunt eruditiones. Et iterum: Quæ nocent, docent. Ac rurſus: Quæ dolent, docent. Quibus omnibus ſignificatur, miſerias & calamitates, non eſſe inſtrumenta deiicien-

di animi ad triſtẽ expectationem interitus, ſed excitãdi ad exercitium virtutis, & conſecutionem ſalutis: Qui non eſt tentatus, inquit Syracides, quid ſcit? Et
Eccleſ.34. Paulus: Afflictio parit patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non pudefacit. Nõ igitur auerſemur afflictionem, ſed agnoſcamus in ea conſilium Dei, quo per eam ad vera noſtra commoda vocamur. Deinde, Deus eodem conſilio multos deducit ad canitiẽ & ſenectutem, videlicet, non vt omnem ætatem terant in ſectandis conuiuijs, aut cognoſcendis nugis, ſed vt, quemadmodum ipſi didicerunt à maioribus ſuis cognitionem ſapientiæ, clementiæ, iuſtitiæ, ſeueritatis, potentiæ, & aliarum virtutum Dei, ita vicißim tradant eam adoleſcentiæ & propagent
Pſalm.78. ad poſteritatem: Statuit, inquit Pſalmus, teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael, quæ mandauit patribus docere filios ſuos, vt poſteri diſcant, & filij naſcituri, vbi adoleuerint, narrent ea filijs ſuis. In quem vſum? Num, vt tempus fallant, & ignaui ſtertant? Nihil minus, ſed vt ponant in Deum ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius cuſtodiant. Seniores igitur ſciant illud ſui eſſe officij, non vt iuuentutem ineptis fabulis, aut ſceleratis & impijs exemplis offendant & corrumpant, ſed vt tam verba quàm facta eorum, coram natu iunioribus, ſint veræ pietatis documenta, & educent eos, quemadmodum
Epheſ.6. Paulus loquitur, per eruditionem & correptionem DOMINI. Nec illud oſcitanter prætereundum eſt, quòd in his & alijs huius Pſalmi verſiculis toties fiat mentio iuſtitiæ Dei: Os meum (inquit) prædicabit iuſtitiam tuam, Et iterum: Commemorabo ſolummodo

do tuam iuſtitiam. Ac rurſus: Iuſtitiam tuam in altum efferam. Et paulò poſt: Lingua mea tota die meditatur iuſtitiam tuam. Nomine autem iuſtitiæ, in his & ſimilibus locis, non intelligenda eſt ſeueritas iudicialis, quæ opponitur miſericordiæ, & qua ſcelerati propter improbitatem ſuam puniri ſolent, ſed beneuola probitas ſeu bonitas, & conſtans fides ſeu veritas, qua Deus ſeruat, quod promiſit. Etſi enim plures & maiores ſunt virtutes in Deo, (vt ſic docendi gratia loquar, nam ſi exactè loquendum eſſet, nullum eſt in Deo accidens, ſed Deus eſt ſimpliciſsima eſſentia, & ne ſic quidem dignè Deo, tantæ videlicet & tam immenſæ maieſtati, ac excellentię, loqueremur,) plures, inquam, & maiores ſunt in Deo virtutes, quàm quæ vel enumerari, vel pro dignitate explicari queant, tamen inprimis iuſtitia illa Dei, qua promiſsis ſuis ſatisfacit, commendatur, & ſuper omnia extollitur. Sapientes huius ſeculi definiunt, iuſtitiam virtutem eſſe, quæ vnicuiq; quod ſuum eſt, diſtribuit. Hæc quidem non eſt nec abſurda nec reiſcienda definitio, ſed niſi eam, Euangelion DOMINI noſtri Ieſu Chriſti interpretetur, vniuerſum humanum genus perpetuę cõdemnationi obnoxium fit, neceſſe eſt. Omnes enim homines peccato ita ſunt contaminati & ſuffocati, vt non, niſi æterna mors & interitus eis debeatur. Cum igitur iuſtitiæ ſit, vnicuiq; quod ſuum eſt diſtribuere, iuſtiſsimum erit, vt omnes homines moriantur & perpetuò intereant, hoc enim eſt ſuum hominis peccatoris meritum, & hæc eſt iuſtitia, quæ peccatori debetur. Sed Euangelion addit & explicat, quòd iuſtitia ſit, peccatori tribuere non ſolùm quod ſuum eſt, ex

lege Dei, verumetiam, quod ſuum eſt, ex Euangelio Chriſti. Chriſtus autem palàm & perſpicuè in Euangelio ſuo affirmat, quòd Deus pater ſic dilexerit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Ioan.3.* Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt cõdemnet mundum, ſed vt ſeruetur mundus per eum. Ac *Matth.18.* iterum: Filius hominis venit ſeruare, quod perierat. *Gala.4.* Et Paulus: Vbi venit (inquit) plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Hoc, quid aliud eſt, quàm ſi diceretur, Chriſtum veniſſe in hunc mundum, vt quod hominibus, iuxta definitionem iuſtitiæ legis debebatur, in ſuo ipſius corpore exolueret, & quod ipſis, iuxta definitionem iuſtitiæ Euangelij promittebatur, redderet? Certus ſermo, (inquit aliàs Paulus,) & dignus, quem modis omnibus amplec- *1.Tim.1.* tamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret. Quare, cum ſalus & æterna vita, promiſſa & exhibita ſit homini peccatori, in Chriſto Ieſu DOMINO noſtro, non iam attendendum eſt ipſi, coram tribunali Dei, quid ipſi ex iuſtitia legis, quæ per Chriſtum eſt perſoluta, ſed quid ex iuſtitia Euangelij, quæ per Chriſtum eſt inſtaurata, debeatur. Hæc eſt iuſtitia illa, (quam & aliàs iuſtitiam fidei, quòd per fidem ſit agnoſcenda, vocare ſolemus) qua ſola iuſtificamur coram Deo, & ſeruamur. Digniſſima igitur eſt, quam prædicemus, celebremus, in cœlum vſq; extollamus, & cùm Deus exhibeat nobis illam in Chriſto vnigenito filio ſuo, meritò exclamemus:

mus : Quàm magnifica facis, quis ſimilis eſt tibi?

20. *Qui oſtendis mihi afflictiones multas & graues, conuerſus autem viuificas me, & de abyſſis terræ iterum reducis me.*

21. *Multiplicas magnitudinem meam, ſed conuerſus, conſolaris me.*

Paulò antè, Pſaltes, admirabundus, & ad granditatem maieſtatis Dei quaſi obſtupeſcens, exclamauit: Qui facis, inquiens, magnalia, Deus, quis ſimilis tibi? Nunc igitur admirabilitatem operum Dei ſuo ipſius exemplo probat: Oſtendis (inquiens) mihi afflictiones multas & graues, obruis me tribulationibus plurimis & triſtiſsimis, vt videar in profundiſsimam terræ abyſſum coniectus, multiplicas magnitudinem meam, (hoc eſt) granditatem mearum ęrumnarum, (nam vocabulũ גדלה Gedulla, quod hoc loco ponitur, & ſignificat magnitudinem, refertur non tantùm ad magnitudinem rerũ corporalium, verumetiam afflictionum, & aliarum rerum, quemadmodum in priori libro Samuelis, cap. 20. de mutuo fletu Ionathæ & Dauidis dicitur, Ionathan vehementer quidem fleuiſſe, Dauidem autem multò fortius, vehementius & grandius,) multiplicas (inquit) magnitudinem & grandiſtatem mearum afflictionum, ſed iterum, quaſi facti pœnitens, conſolaris me. Inter opera enim Dei, nullum ferè admirabilius eſt, quàm quo ſancti Dei ſeu pij & credentes in Deum tractantur. Ac de impijs quidem ſeu impœnitentibus, manifeſta eſt ratio operandi Dei,

quòd cum non reuertantur ad percutientem ſe, quò magis affliguntur, eò magis pereant, donec in ſempiternum exitium conſciantur: Deus (inquit) non ſaluat impios. Et iterum: Iniqui exterminabuntur, ſimul, nouiſsimum impiorum ſuccidetur. De pijs autem & pœnitentibus longè alia eſt ratio. Deus enim hos ſanaturus vulnerat, exaltaturus deiſcit, ſeruaturus opprimit, viuificaturus mortificat, ducturus in cœlum deducit ad inferos. Quid hac ratione, quid hoc conſilio admirabilius? vt non ſit certius cœleſtis ſalutis argumentũ, quàm afflictionũ multitudo & magnitudo. Nã quò plures et maiores ſunt piorũ tribulationes, eò glorioſiores ſunt liberationes & ſalutes: Ad punctum, inquit, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſereor tui, dicit redẽptor tuus DOMINVS. Et Paulus: Non reputo, inquit, afflictiones præſentis temporis eſſe pares ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Ac iterum: Momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum, ęternum pondus gloriæ parit nobis. In eandem ſententiam dicit & Pſaltes hoc loco. Oſtendis ſeu immittis mihi multas quidem afflictiones, ſed plures ſunt recreationes, quibus me iterum viuificas. Conſcis me in profundas terræ abyſſos, ſed in celſiorem reducis me altitudinem. Multiplicas magnitudinem ærumnarum mearum, ſed viciſsim maiori conſolatione me ſuſtentas. Obſeruemus hîc initio artificium, quo ad conſequendam liberationem in aduerſis vtendum eſt:

Iob.36. *Pſal.37.* *1.Reg.2.* *Oſee.6.* *Eſa.54.* *Rom.8.* *2.Cor.4.*

eſt: Oſtendis, inquit, mihi tribulationes multas. Et: Multiplicas magnitudinem ærumnarum mearum, videlicet, agnoſcit ſe tribulationes ſuas accipere, non è manu ſceleratorum hominum, nec diabolorum, ſed è manu DOMINI Dei noſtri. Hæc eſt compendiaria via conſequendæ ſalutis, vt aduerſa tua ſoli DOMINO Deo noſtro accepta feras. Iob cum eſſet omnibus facultatibus ſuis exutus: DOMINVS (inquit) dedit, DOMINVS abſtulit. Non dixit, hoſtis abſtulit, malus dæmon abſtulit, ſed, DOMINVS abſtulit. Et Dauid, cùm conuitijs proſcinderetur à Simei, & audiret vir ſanguinum, & vir Belial, dixit ad amicos, graſſaturos iam in maledicos: Dimittite eum, vt maledicat, DOMINVS enim, DOMINVS inquam, (non malus dæmon,) præcepit ei, vt malediceret Dauid: Quis eſt iſte, inquit Hieremias, qui dixit, vt fieret DOMINO nō iubente: Ex ore altiſſimi non egredientur, nec mala, nec bona? Deinde obſeruemus etiam conſilium DOMINI in immittendis afflictionibus. Non enim conſilium & inſtitutum eius eſt, vt afflictum afflictionibus perdat, ſed vt ſeruet. Vulnerat, quemadmodum paulò antè dicebamus, vt ſanet, mortificat, vt viuificet. Deducit ad inferos, vt reducat. Hoc autem conſilium ſuum teſtificatus eſt, & quaſi certiſsimo pignore confirmauit, in vnigenito filio ſuo DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, vt ſciamus, quòd ſicut Deus pater impoſuit ei crucem & mortem, denique omnia genera afflictionum, non vt perderet ipſum, ſed vt exaltaret eum ſuper omnes cœlos, & collocaret eum ad dexteram ſuam, ita non imponat aduerſa, credentibus in Chriſtum,

2. Reg. 16.

Thre. 3.

Christum, vt opprimat ipsos, sed vt erigat eos ad æternam salutem. Agnoscamus igitur hoc consilium Dei in aduersis, vt manum eius obedienter feramus, & mirabiliter seruemur.

22. *Gratias igitur agam tibi (siue laudabo te) instrumentis musicis, propter veritatem tuam, Deus meus, cantabo tibi in cithara, qui es sanctus Israelis.*

23. *Exultabunt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti.*

24. *Insuper & lingua mea meditabitur singulis diebus iustitiam tuam, quia pudefiunt, & contempti redduntur, quærentes mihi malum.*

Concludit Psalmum gratiarum actione. Postquam enim inter petendum commemorauit beneficia Dei, quæ contulit in ipsum ab ineunte ætate, professus, ea plura & maiora esse, quàm quæ numerari queant, & exposuit admirandam illam rationem, qua Deus pios in medijs aduersis, iuuare & seruare solet, instituit, pro solenni suo more gratiarum actionem. Ac primùm recenset, quibus organis seu modis suscipiat gratias agendas: Agã, inquit, gratias, tibi ô sancte Israelis. Sic enim proprie vocatur filius Dei, quòd non solùm patefecerit se Iacobo Patriarchæ, qui dictus est Israel, admirabili visione scalæ ad cœlum vsq; erectæ, verumetiam sanctificauerit sese, & addixerit, promissione sua, Israelitis: TE (inquit Moses) elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Et apud Esaiam: Dicit DOMINVS, redemptor Israelis & sanctus eius. Agam autem gra-

Gen. 28.

Deut. 7.

Esa. 49.

tias

tias vasis seu instrumentis musicis, videlicet, Nablis seu Psalterijs, aut Lutina, (vt vulgò vocant,) & cithara. Nec id solum, sed & labijs & lingua, tota denique anima, quam tuo gratuito fauore, ex tot malis redemisti, &, vt tibi gratias agere possit, recreasti. Quid ergo? Num Deus, ad celebrandam laudem nominis sui, delectatur musicis instrumentis? Num Deus delinitur modulato & numeroso humanæ vocis sonitu? Per se quidem, Deus nec musica instrumenta, nec humanę vocis carmina requirit, imò in impijs abominatur ea: Væ inquiens, qui canitis ad vocem Psalterij, excogitantes exemplo Dauidis vasa cantici: sed requirit veram fidem cordis, & synceram ac ingenuam animi gratitudinem. Ea, quoquo modo sese declaret, (si modò hoc fiat καθ' ἐπίγνωσιν,) Deo grata est. Vnde & Dauid, cum coram arca totis viribus saltaret, præstitit Deo officium haudquaquam ingratum, quòd hæc saltatio non proficiscebatur, nec ex impietate, nec è superstitione, quales sunt cultus hypocritarum, sed ex vera fide, & syncera lætitia Spiritus sancti, eratq; argumentum seu testificatio summæ erga Deum gratitudinis. Cum igitur precator recipit se Deo gratias acturum psalterio, cithara, labijs & lingua, non significat, se merito huius externi operis Deum placaturũ, & beneficia Dei in se gratuito fauore collocata compensaturũ, quod est hypocritarum institutum, sed se nomen benefactoris Dei, vsitato eius temporis more, & quocunq; modo possit, grata memoria, idq; ex fide prosecuturum. Deinde: Agam, inquit, gratias, tota die, seu quotidie, & singulis diebus. Hæc gratiarum actio complectitur non vnius tantùm diei particulam, nec

Amos, 6.

Rom. 10.

2. Reg. 6.

vnum tantùm diem, ſed vniuerſum vitæ noſtræ tempus: nec peragitur verbis tantùm & ſermonibus oris, ſed continuis obedientiæ noſtræ erga Deum officijs.

εὐχῖται ſiue εὐχῖται vtrumq; enim ſcriptum inuenitur. Vide Auguſt. To. 6.

Non illud exigitur a nobis, vt ſimus εὐχῖται, hoc eſt, precatores, qui noctu diuq; continuas preces ore ſolebant recitare, ſed, vt nunquam aduerſus Deum peccemus, & nulla intermiſsione, ſiue vigilantes, ſiue dormientes, ſiue edentes ſiue abſtinentes, ſiue manibus operantes, ſiue ocioſe ſedentes, DOMINO Deo officia noſtra probemus. Quid autem illud eſt, propter quòd gratiæ Deo ſunt agendæ, ſiue propter quod Deus ſit laudandus? Etſi in toto hoc Pſalmo recitantur admiranda Dei opera, propter quæ nomen DOMINI ſit celebrandum, & gratiæ ei agendæ, tamen repetuntur iterum in hac poſtrema Pſalmi parte, tanquam in epilogo, præcipua, Veritas videlicet, & Iuſtitia, & Liberatio ab inimicis: Laudabo, inquit, veritatem tuam, ſiue, agam gratias, propter veritatem tuam. Hæc eſt certitudo promiſsionum Dei, quòd nulla nec angelica nec humana vel potentia, vel induſtria, vel ſapientia, vel alia virtus, veritatem & certitudinem promiſsionum Dei reddat incertam, & faciat irritam aut mendacem. Sic & lingua mea (inquit) meditabitur, hoc eſt, loquetur & adnuntiabit IVSTITIAM tuam. Hæc iuſtitia eadem eſt cum veritate, quemadmodum antè dictum eſt, quòd Deus iuſtè, probè, & conſtanter ſeruet omnia ea, quæ promiſit, nec quicquam ſit, quod ipſum ab hac iuſtitia auertere poſsit. Laudat poſtremò Deum, ſeu gratias agit, quòd inimici eius, etſi inſidiati ſunt vitæ eius, & multa mala aduerſus ipſum deſignauerunt, tamen neceſſe habeant,

habeant, diuina clementia vel tandem in consilijs suis confundi & pudefieri. Non illud agit precator, vt inimicorum suorum miserijs virulenter insultet, & de aduersis ipsorum casibus carnali lætitia gestiat, sed vt laudet certitudinem & veritatem promissionis Dei, & gratias agat Deo, propter clementiam & misericordiam eius, qua ab insultu inimicorum mirando modo liberatus est. Optat quidem, vt impij persecutores, & inimici sui resipiscant, & ad Deum conuertantur, ac salutem consequantur, sed quia obstinarunt animis aduersari veritati, & persequi pios, agnoscit iustum Dei iudicium in impios, & exultat spiritu, de inexhaustis diuitijs bonitatis Dei, qua pij mirandis modis seruantur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Qui arbitrantur hunc Psalmum esse precationem Christi, in sua exinanitione, a scopo veritatis non aberrant, nam & Christus multa ijs, quæ in hoc Psalmo recensentur, similia passus est: & afflictiones piorum, credentium in Christum, pro Christi afflictionibus deputantur. Sed quia fit hîc mentio canitiei & senectutis, ad quam Christus corporali sua ætate non peruenit, idcirco existimo eum habendum pro generali precandi formula, senioribus à Spiritu sancto præscripta, vt in molestijs senectutis consolationem accipiant. Sapiens quidam huius seculi senio confectus ait: Amariorem me senectus facit, stomachor omnia. Ad hoc malum, cum præterea ac- *Cicero ad Atti.*

ceſſerint, vel graues perſecutiones inimicorum, vel ſæui morbi, vel exilia, vel paupertas & fames, vel aliæ id genus ærumnæ, quid poteſt homini confecta propè iam ætate, triſtius aut acerbius contingere? Viſum igitur eſt Spiritui ſancto ſenibus peculiarem precandi formulam præſcribere, vt intelligant, quòd etſi obruuntur multis & magnis calamitatibus, è quibus nō vidētur poſſe eluctari, tamē ſingulari ſint DOMINO Deo noſtro curæ, vt qui non ſolùm rationem ipſorum habuerit, cum adhuc eſſent ἔμβρυα, infantes, pueri, adoleſcentes, iuuenes, & viri, verùmetiam inſtruxerit eos cœleſti precandi formula, ad ſenectutem: & eo ipſo teſtatus ſit, ſe, ſicut nec in alijs ætatis gradibus deſeruerit ipſos, ita nec in canicie ſua eos ope ſua deſtituere.

Eſt & illud in hoc Pſalmo inſigne, quòd precator, exemplo ſuo perſpicuè ob oculos ponat cōſilium Dei, in afflictionibus & aduerſis. Oſtendis (inquit) mihi multas & graues afflictiones, ſed conuerſus viuificas me. Nam, Deus, cum immittit (non enim cadit capillus de capite, abſq; Dei voluntate) aduerſa in Eccleſiam ſuam vel publicè, vniuerſis, vel priuatim, vni aut alteri Eccleſiæ membro, non illo conſilio immittit, vt opprimat & perdat eam, ſed vt iuuet, & ſeruet: mortificat, vt viuificet. Si quis coram humano iudicio innocens, affligitur, Deus non meditatur interitum, ſed quò maior eſt afflictio, eò maior erit conſolatio, & illuſtrior liberatio. Notum eſt illud Pauli: Non repu-
Rom. 8. to pares eſſe afflictiones præſentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Si autem nocens affligitur, Deus, ne ſic quidem meditatur interitum, & cogitat

gitat mortem, sed iurat etiam, se meditari vitam: Vi- *Ezech.18.*
uo ego, inquiens, nolo mortem peccatoris, sed magis,
vt agat pœnitentiam & viuat. Memorabile est, quod
in hoc DOMINI dictum Tertullianus, vetustissimus
Ecclesiæ scriptor, adnotat: Bonum est, inquiens, pœ-
nitere an non? Quid reuoluis? Deus PRAECIPIT. At
enim, ille non præcipit tantùm, sed etiam HORTA-
TVR. INVITAT præmio salutem, IVRANS etiam:
Viuo ego, dicens, cupit sibi credi. O beatos, quorum *Tertullianus*
causa Deus iurat. O miserrimos, si nec iuranti DOMI- *de pœnitentia.*
NO credimus. Quod igitur Deus tantopere commen-
dat, quod etiam humano more, sub deieratione testa-
tur, summa vtique grauitate, & aggredi & custodire de-
bemus, vt in assecuratione diuinæ gratiæ permanẽtes,
in fructu quoque eius & emolumento proinde perseue-
rare possimus. Hactenus Tertullianus: Similiter, quod
apud Hieremiam ad captiuos in Babylone dictum est, *Hiere.29.*
hoc idem ad nos, quoquo modo, siue nocentes, siue
innocentes afflictos, dici sentiamus. Ego scio cogita-
tiones, quas cogito super vos, ait DOMINVS, cogi-
tationis pacis, & non afflictionis, vt dem vobis
finem, & expectationem. Inuocabitis me,
& viuetis, orabitis me, & ego exau-
diam, quæretis me & in-
uenietis.

Pſalmus 72.

Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam, &c.

MVlta ſunt argumenta, quibus euidenter probatur, quòd hic ſeptuageſimus ſecundus Pſalmus, non ſit nec de Salomone filio Dauidis, nec de alio quoquam vel Patriarcha, vel Monarcha, præterquam de Chriſto filio Dei, DOMINO noſtro, ſit intelligendus. Dicitur enim verſiculo 5. Timebunt te ſeu colent & reuerebuntur te, donec erit ſol & luna, cunctis ſeculis. Nullus autem eſt terrenorum Regum aut Monarcharum, qui adminiſtrauerit regnum ſeu Monarchiam ſuam in hac terra perpetuis temporibus: ſolum Chriſti regnum, quod non eſt terrenum, ſed cœleſte, perpetuum eſt. Et in verſiculis mox ſequentibus: Dominabitur à mari, vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ. Ac iterum: Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Nec hæc, niſi de Chriſto Domino noſtro, verè intelligi poſſunt. Sed illud maximum omnium eſt, quòd in decimo ſeptimo huius Pſalmi verſiculo recitetur promiſsio illa, quæ ad Abrahamum de ſemine eius dicta eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, & accommodetur ad filium illum Regis, quem hic Pſalmus: Deus, inquiens, iudicium tuum Regi da,

& iuſtitiam tuam filio Regis, celebrat. Nullum autem dubium eſt, quin promiſsio illa, quæ dicta eſt ad Abrahamum de benedicto ſuo ſemine, ſit intelligẽda, de Chriſto Domino noſtro. Quare nullum etiam dubium eſt, quin in hoc Pſalmo deſcribatur Chriſtus, & regni eius. Precatur autem populus veteris Eccleſiæ, vt Deus pater mittat in terram, Chriſtum filium ſuum, quem ante promiſerit Abrahæ & Dauidi, ac tradat ei regnum, quod ab omnibus piis, iam à condito orbe ſummis & ardentiſsimis votis expectatum eſt. Ad Dauidem enim dictum eſt diuinitus: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et in Pſalmo: Poſui teſtamentum electo meo, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque inæternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generatione & generatione thronum tuum ſemper. Hoc vaticinium de filio Dauidis, videlicet, de Chriſto filio Dei, DOMINO noſtro, exceperunt Prophetæ, & celebrarunt regnum eius ſummis laudibus, quòd cum ab initio orbis expectata ſit in regnis huius ſeculi, pax, iuſtitia, trãquillitas & felicitas, nec tamen vnquam hactenus quicquam tale effectum ſit, hoc in regno Chriſti reipſa præſtetur, & abſoluatur. Ac inprimis Propheta Daniel, poſtquam commemoraſſet quatuor Monarchias terræ, ac in nulla earum perfectam pacem, iuſtitiam & felicitatem inueniſſet, concionatur de regno Chriſti cœleſti, & docet hoc fore perpetuum,

2. Samu. 7.

Pſalm. 89.

Dan. 2. 7. & 9.

in

in quo finem accipiat peccatum, & adducatur ſempiterna iuſtitia, & felicitas. Populus igitur veteris Eccleſiæ, pertæſus tot ærumnarum, miſeriarum, & calamitatum, quas ir Monarchijs huius terræ ſuſtinuerat, ſuſpirat ad cœleſte regnum Chriſti, & attollit oculos ſuos ad Deum patrem cœleſtem, obſecrans, vt vel tandem mittat Chriſtum filium ſuum, qui regnum ſuum toties promiſſum, & tanto tempore ab orbis initio expectatum, præſens coràm, adminiſtrandum ſuſcipiat.

1. *Deus, (inquiens) iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.*

Principio, nomine Regis, adeoq; filij Regis, hoc loco, intelligendus eſt (quemadmodum paulò antè dicebamus,) DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, qui, ſiue conſideres eum iuxta diuinitatem, filius eſt, ab æterno, Dei patris regis cœleſtis, ſiue iuxta humanitatem, factus eſt in plenitudine temporis, filius Regis Dauidis: Genitus fuit, inquit Paulus, ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, & declaratus filius Dei, cum potentia, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex eo, quòd reſurrexit à mortuis, Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter. Deinde quòd petatur, vt Deus det iudicium ſuum, & iuſtitiam ſuam Regi, adeoq; filio Regis, petitur, vt Deus mittat in hanc terram Chriſtum filium ſuum, & tradat ei adminiſtrationem Regni ſui, quod antea ipſi per Prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis, (ſicut Paulus loquitur,) promiſerat. Vbi enim agitur de Regnorum adminiſ-

Rom. 1.

administratione, ibi hæc duo vocabula, iudicium & iustitia, complectuntur duas partes officij Regum & Magistratus. Quarum partium altera, est coërcere impios & sceleratos, ne noceant pijs & honestis: & vocatur iudicium. Altera est, tueri & defendere pios ac honestos, vt pro dignitate sua mercedem honestatis & probitatis suæ accipiant: & vocatur iustitia. Sicut & Petrus officium Regum & Præsidum describit: Qui mittuntur, inquiens, ad vindictam quidem nocentium, (hoc est iudicium,) laudem verò recte agentium, (hæc est iustitia.) Cum igitur Ecclesia petit, vt Deus cœlestis pater det Christo filio suo iudicium & iustitiam suam, illud petit, vt mittat Christum filium suum, qui suscipiat gubernaculum regni sui, quo & iniusti coërceantur ac puniantur, & iusti defendantur, ac placidam & quietam vitam cum omni pietate & honestate agant. 1. *Tim.* 2.

Et hoc quidem est iudicium, & iustitia in foro & regno ciuili. In foro autem & regno Christi, quod est spirituale & cœleste, longè aliud est iudicium & iustitia. De qua re audiamus Christum ipsum: Cum venerit, inquit, Paracletus, arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia verò, quia ad patrem vado, & posthac non videtis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Peccatum enim in regno & tribunali Christi est incredulitas, quòd etsi alia multa sunt & horrenda peccatorum genera, tamen solum incredulitatis peccatum damnet homines, etiamsi nullum aliud peccatum accesserit. Iustitia autem in regno Christi, est discessus ad patrem, *Ioan.* 16.

(hoc est) mors Christi, qua expiauit peccatum nostrum, & resurrectio eius, ac sessio ad dextram Dei patris sui, qua & vitam nobis impetrauit, & interpellat pro nobis, ac tuetur nos in omnibus aduersis, vt consequamur æternam salutem. Hæc est vera nostra iustitia. Sic & iudicium in regno & coram tribunali Christi, est, quòd satan sit condemnatus. Etsi enim iudicio illo, quo in ciuili foro condemnantur latrones & homicidæ, nonnulla paratur tranquillitas & honestas inter ciues huius mundi, tamen donec satan, qui circuit sicut Leo rugiens, quærens quem deuoret, incolumis in mundo vagatur, nulla potest esse vera tranquillitas. Quare illud demum verum est iudicium, & veram ac stabilem affert tranquillitatem, quod exercetur in regno Christi, quo videlicet, condemnatur satan, vt non possit amplius in Ecclesia Dei sæuire peccato, morte, & inferno, & si sæuierit, (vt conatus satanæ, donec hoc seculum steterit, nunquam cessabit) non possit tamen Ecclesiam opprimere & perdere. Hæc est iustitia illa, & hoc est iudicium illud, quæ Ecclesia petit institui, aut patefieri, cum petit, vt Deus pater det Regi, adeoq; filio Regis, hoc est, Christo DOMINO nostro iudicium & iustitiam suam.

2. *Iudicabit populum tuum, in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.*

Habes in primo versiculo petitionem, qua Ecclesia populi Dei precatur, vt Christus adueniat, & regnū suum administrandum suscipiat, id quod etiam in oratione Dominica petendum nobis præscribitur: Adueniat.

niat regnum tuum. Nunc ab hoc secundo versiculo incipit cõmemorare, qua futura sit felicitas regni Christi: Iudicabit, inquit, populum tuum iustè, & pauperes tuos rectè. Christus enim, cum venerit, non gubernabit regnum suum, iuxta mores Monarchiarum & Regnorum huius seculi, in quibus ferè solet esse personarum acceptio, & iudiciorum peruersitas, vt & pauperes ac miseri homines opprimantur, & impij primas partes ferant. In regno autem Christi pauperes, afflicti & miseri homines non solùm defendentur ab aliorum iniurijs, sed etiam consequentur prosperrimum rerum suarum successum, & impij, seu tyranni, qui grassantur ferocia sua in miseros & afflictos, seueriſsimè coërcebuntur & opprimentur. Hoc illud est, quod etiam in Esaia de Christo commemoratur: Nõ iudicabit (Christus) secundum visionem oculorum, neq; arguet secũdum auditum aurium, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate, pro mansuetis terræ. Non est autem sentiendum, quòd hoc impleatur in regno Christi, mundano modo. Neq; enim Ioannes Baptista, qui est vnus è præcipuis Heroibus regni Dei, eripitur violenter è carceribus, in quos coniecerat eum tyrannus Herodes, neque tyrannus, statim vt in pium Ioannem iniurius est, cœlesti fulmine percutitur, sed ille quidem pergit felicem in his terris vitam agere, hic autem capite in carceribus truncatur. Neque Paulus Apostolus, qui & ipse vnus est è principibus regni Christi, & à Nerone afflictus, fruitur in hac vita seculi huius voluptatibus: neque Nero, mox, vt crudeliter Paulum interficit, à terra deuoratur, sed dominatur in orbe, et viuit, Paulus autem è nu- *Esa. 11.*

mero viuorum exturbatur. Non igitur ſentiamus pios in regno Chriſti, quod in his terris per prędicationem Euangelij inſtituitur, defendi ab iniurijs, mundano modo, & impios eodem modo coërceri, ſed ſpirituali & cœleſti modo: videlicet, quòd qui crediderit Euangelio Chriſti, habeatur coram Deo iuſtus, & fiat ſaluus, etiamſi in hoc ſeculo extremę iniuſtitiæ condemnetur, & fuerit infeliciſsimus: qui autem nõ crediderit, habeatur coram Deo iniuſtiſsimus, & conijciatur in perpetuam infelicitatem, etiamſi in hoc ſeculo fruatur Imperatoria dignitate, et omnibus huius vitę commodis. Hæc eſt iuſtitia, hoc eſt iudiciũ in regno Chriſti: nulla eſt ibi perſonarum acceptio, nulla iudicij perſ. *Ioan.3.* uerſitas. Omnis, qui credit filio, etiãſi fuerit afflictiſsimus & miſerrimus, ac omni calamitatis genere in hoc ſeculo oppreſſus, habet vitam æternam: qui verò nõ credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, etiamſi fuerit longè omnium in hac terra feliciſsimus, & habeatur iuſtiſsimus. Hic etiam eſt noüiſsimus, vt noſtri loquuntur, Receſſus, quem Chriſtus ipſe in aſcenſu ſuo in cœlum, promulgauit: Ite, inquiens, in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

3. *Afferent montes pacem populo, & colles iuſtitiam.*

Quid hic verſiculus ſibi velit, Eſaias Propheta in- *Eſa.52.* terpretatus eſt. Is enim prævidens Spiritu, cœtum Apoſtolicum è Galilæa per montana, ad vrbem Hieruſalem

salem properare, vt accepto ibi Spiritu sancto diuulgent Euangelion, non in Hierusalem tantùm, sed etiam in totum orbem terræ, exclamat præ ingenti gaudio: Quàm speciosi, inquiens, super montes pedes euangelisantis, diuulgantis seu prædicantis pacem, euangelisantis bonum, diuulgantis salutem, dicentis ad Zion, Regnat Deus tuus. Hæc dicta esse ab Esaia, de Apostolico cœtu, testantur etiam Propheta Naum, *Naum 1.* & Apostolus Paulus, & est sententia. Quàm grati, *Rom. 10.* quàm accepti, quàm iucundi sunt pedes, seu legati pedestres, quos video ad nostram vrbem per montes in circuitu positos accedere, vt afferant nobis nuntium expectatissimum. Primùm enim afferunt PACEM, quæ est reconciliatio, facta per Christum filium Dei inter Deum & homines. Antè enim Deus homini propter peccatum ita infestus erat, vt non solùm abominaretur eum animo suo, verumetiam abijceret eum in perpetuos cruciatus, & vicissim homo non aliter metuebat Deum, quàm immanissimum tyrannum: nunc autem adueniunt legati de montanis, & adnuntiant Deum per filium suum humano generi ita recõciliatum esse, vt quotquot credunt in filium, adoptentur & ipsi in filios & hæredes Dei. Quid his pedibus speciosius? quid his pedestribus legatis acceptius? quid hoc nuntio iucundius? Deinde afferunt & adnuntiant BONVM. Nomine BONI intelligamus dona Spiritus sancti. Homines enim natura sua peccato corrupta, sunt mali, nec habitat in carne eorum bonum. Apostoli autem prædicant Euangelion de Christo filio Dei, per quod datur credentibus Spiritus sanctus, vt habitet deinceps in eis bonum, vt iustificati

per fidem, affectus carnis mortificetur, Deum verè inuocent, & honestam vitam ducant. Adhæc, Apostoli afferunt & adnuntiant SALVTEM. Hæc est liberatio ex omnibus aduersis. Apostoli enim, adnuntiantes Euangelion, docent, filium Dei sanctificasse cruce & morte sua omnes afflictiones, & mortem ipsam, vt qui credunt in filium Dei, non pereant nec in afflictionibus, nec in morte, sed habeant æternam vitam. Quid his nuntijs amabilius? quid exoptatius? Postremò, Apostoli dicunt ad Zionem, (hoc est) Ecclesiam: Regnat Deus tuus. Hæc est summa Apostolicæ doctrinæ. Christus enim, qui est verus Deus, ita regnat in Ecclesia, vt seruet eam in omnibus aduersis, & donet eam æterna felicitate. Hæc est breuiter sententia, qua Esaias interpretatur hunc tertium Psalmi versiculum. Nomine enim montium & collium, quę dicuntur afferre populo pacem & iustitiam, intelligenda sunt montana, per quæ Apostoli è Galilæa properant ad Hierusalem, vt ibi illustrati Spiritu sancto in die Pentecostes, abeant in vniuersum orbem terræ, & adnuntient populo Euangelion de Iesu Christo. Et cùm hoc Euangelion sit potentia Dei ad salutem, omni credenti, ac fructificet, (quemadmodum Paulus loquitur) in toto mundo, haud immeritò, montes & colles, etiam illa ratione dicuntur pacem & iustitiam in regno Christi afferre, quòd per Apostolicam prædicationem, tanquam per sementem cœlestem, non solùm plana, & fertilis terra, (quo nomine significãtur Iudæi, qui quondam fuerunt electa Dei Ecclesia,) verum etiam montes & colles, alioqui steriles, (quo nomine significantur Gentes, quondam populus à Deo abiectus)

Colo. 1.

ctus) fructum pacis & iustitiæ protulerint. Cum igitur tanta sit fœlicitas regni Christi, mirandum non est, quòd Ecclesia populi Dei suspiciat, & suspiret in cœlum, ac petat, vt hoc regnum adueniat.

4. *Iudicabit pauperes populi, seruabit filios egeni, & conteret calumniatorem.*

Etsi sententia huius versiculi in superioribus contineatur, tamen visum est repetere, & quasi explicare, vt beneficium regni Christi diligentius obseruetur. Et est antithesis ad regna huius mundi. In his enim regnis pauperes populi, à diuitibus & potentibus oppressi, nullum videntur habere iudicem, qui ipsos tueatur, & filios eorum ab iniurijs aliorum defendat: & quod viduæ apud Lucam, petenti se vindicari de aduersario suo, accidit, hoc idem solet egenis & pauperibus, in hoc seculo accidere, vt quò sunt miseriores, & pauperiores, hoc minus habent defensionis & consolationis à Magistratibus suis, quin potius Magistratus ipsi augent miserias & æruminas eorum. Sed Christus longè aliter administrabit regnum suum. Iudicabit enim pauperes populi sui. Si quis pauperum detulerit ad ipsum causam suam iudicandam, non respondebit, quod Philippus Macedo mulieri petenti causæ suæ cognitionem, respondit, sibi non esse otium, sed suscipiet eam, sine vlla tergiuersatione cognoscendam, & pauperẽ ac filios egeni, hoc est, egenos ipsos, tuẽdos, & ab iniurijs potentiorum vindicãdos: Conteret, inquit, seu confringet *Luc 18.*

confringet & contundet ſycophantam ſeu calumniatorem, illatorem iniuriæ, & violentum in innocentes, vt opprimatur, & innocentes liberentur. Quomodo ergo hoc fiet? Non certè mundano modo, ſicut paulò antè dicebamus: Regnum meum, (inquit Chriſtus ipſe,) non eſt de hoc mũdo, fiet igitur pro ratione regni Chriſti. Chriſtus enim, primùm, conterit ſub pedibus ſuis ſatanam, qui eſt ſummus & præcipuus ſycophanta aut calumniator noſter, (vnde & nomen διαβόλου, hoc eſt, calumniatoris reportat) & abolet omnem potentiam eius, vt etſi videtur adhuc caput ſuum, ad inferendum hominibus exitium, attollere, neceſſe tamen habeat retrahere, & vt ſcriptura loquitur, ſuper pectus gradi, & terra cunctis diebus vitæ ſuæ veſci. Deinde, dat, oppreſſo ſatana, in omnibus aduerſis, adeoq; in morte ipſa euentum, vt quotquot credunt in ipſum, ſufferre queant, & æternam ſalutem aſſequantur. Sic Chriſtus iudicat pauperes populi ſui: ſic ſeruat filios egeni, (hoc eſt) egenos ipſos: ſic conterit calumniatorem, in regno ſuo.

Gen.3.

5. *Timebunt te, quamdiu ſol & luna fuerint, cunctis ſeculis.*

Alia felicitas regni Chriſti, præ mundanis regnis. Hæc enim ſunt fluxa, caduca, & temporaria, regnum autem Chriſti erit perpetuum. Timebunt, (inquit) te Chriſtum, colent te, reuerebuntur te, non vno tantùm, aut altero, aut etiam ſexcentis annis, ſed tantiſper, dum ſol & luna in cœlo conſtiterint, cunctis ſeculis & perpetuò: Stabiliam, inquit DOMINVS, thronum regni eius vſq; in ſempiternum. Et Eſaias: Super ſolium

2. Sam. 7.

lium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confir- *Eſa. 9.*
met illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, à modo, & vſque in ſempiternum. Quod autem de perpetuitate regni Chriſti dicitur, non tantùm intelligendum eſt de duratione eius, verumetiam de ſtabilitate bonorum eius. In regnis enim huius ſeculi, nihil eſt ſtabile & firmum, ſed magna eſt omnium rerum mutatio & viciſſitudo. Aliquoties iudicatur iuſtè, magna autem ex parte iniuſtè: nunc eſt ſerenitas, nunc cœli perturbatio: nunc eſt rerum tranquillitas, nunc bellatur: viuitur modò, modò moritur: denicq; nulla eſt rerum in hoc ſeculo firmitas & conſtantia. In regno autē Chriſti omnia, ſiue iuſtitia, ſiue pax, ſiue vita, ſiue felicitas, in perpetua, & ſtabili ſunt continuatione. Quare, non eſt illud nobis agendum, vt in regnis huius ſeculi ſimus diuites & felices, ſed vt in regno Chriſti diuitias & felicitatem conſequamur, hoc eſt, vt in Chriſtum credamus, qui eſt inexhauſtus omnium ęternorum bonorum theſaurus.

6. *Deſcendet, ſicut pluuia, ſuper deſectam herbam, & ſicut ſtillæ ſuper herbam exciſam terræ.*

Pertinet & hoc ad felicitatem regni Chriſti. Cum enim Chriſtus ſuſceperit adminiſtrationem regni ſui, tam feliciter veniet, quàm opportunè de cœlo deſcendit pluuia ſuper gramen falce fœnaria detonſum, & quàm commode cadunt ſtillæ ſuper herbam terræ deſectam. Poſtquā enim gramen fuerit detonſum, & herba terræ deſecta, niſi humectentur & irrigentur guttis aut ſtillis pluuiæ, non pergunt creſcere, ſed potius

ardore ſolis exareſcunt. Si autem ſtillauerit ſuper ea, pluuia, ita recreantur, & quaſi reuiuiſcunt, vt copioſam producant herbam. Quod igitur eſt pluuia gramini detonſo, & herbæ defectæ, hoc Chriſtus DOMINVS noſter, & Euangelion eius, eſt vniuerſo orbi terrarum. Antequam enim Chriſtus aduenirет, & Euangelion ſuum diuulgaret, hic totus mundus videbatur tanquam mons & collis incultus, & quaſi pratum, cuius gramen ſit detonſum, & ardore ſolis penè exuſtum, vt nec paſcua, nec frumenta ex eo ſperari potuerint. Etſi enim extabant adhuc aliquot reliquiæ, de cognitione legis & Euangelij, ſeu promiſsionum de Chriſto, tamen hæ ita erant obſcuratæ ac penè extinctæ, vt ne in Iſrael quidem, qui erat electus Dei populus, multum lucis, & fructus appareret. Poſtquam autem venit Chriſtus, & patefecit orbi terrarum Euangelion ſuum, ibi tum cœperunt non ſolum detonſa prata reuireſcere, verumetiam montes & colles paſcua optima præbere, adeoq; deſerta ipſa copioſiſsimum fructum proferre. Euangelion enim Chriſti prædicatum eſt, non tantùm in Iudæa, ſed & inter omnes Gentes, in toto mundo. Et quia hoc Euangelion adnuntiat gratuitam peccatorum remiſsionem, propter Chriſtum per fidem, ac teſtatur Deum patrem nobis in Chriſto reconciliatum, & recepiſſe nos in gratiam, idcirco veriſsimè dicitur Chriſtus tam opportunè, vna cum Euangelio ſuo in hunc mundum veniſſe, quàm commodè pluuia deſcendit in defecta prata, propterea quod tam Iudæi quàm Gentes in toto orbe terrarum peccato ita obruti fuerint, vt de ſalute eorum conclamatum fuiſſet, niſi Euangelion Chriſti, gratuitam

tuitam peccati remissionem, (quæ sola est iustitia nostra,) & reconciliationem cum Deo patre, (quæ sola est vera pax nostra,) adnuntiasset. Vnde & mox sequitur.

7. *Florebit in diebus eius iustus, & multitudo pacis, donec non fuerit amplius Luna.*

Tanta erit felicitas pluuiæ Euangelij in diebus regni Christi, vt iustus semper floreat, & multitudo pacis nunquam desinat. Vides ergo longè aliam esse rationem regni Christi, quàm regnorum huius seculi. In his enim regnis iustus non floret, sed vastatur & conculcatur, nec est multitudo pacis aut tranquillitatis, sed potius est multitudo turbarum & afflictionis. In diebus autem regni Christi, iustus semper florebit: *Psalm. 92.* Florebit (inquam, sicut alius Psalmus loquitur,) vt palma, & crescet, vt cedrus in Libano. Similiter, tanta erit multitudo, seu constantia pacis, vt donec Luna constiterit, nunquam deficiat. Miraberis autem, quomodo hæc in regno Christi impleantur, cùm reipsa comperiamus, quòd etiamsi adnuntietur Euangelion, quod dicitur Regnum cœlorum, seu Regnum Christi, nihilominus tamen homines sint iniusti, & quò quis maiorem operam dederit iustitiæ, eò minus floreat, & fortunetur. Quid autem de multitudine pacis dicamus? Christus ipse ait: Non veni vt mitterem pacem, sed gladium. *Matth. 10.* Et Paulus: Ostium, inquit, mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarij multi, significans, quòd quò dilucidius prædicatur

Euangelion Christi,& quò latius propagatur regnum eius,eo plures excitentur hostes,& aduersarij. Quid ergo est, quòd Psalmus affirmet multitudinem pacis in regno Christi tantisper duraturam,dum Luna constiterit? Non est quidem dubium, quin,postquam regnum Christi fuerit in nouissimo die patefactum, iusti perpetuò in eo floreant, & sempiterna pace fruantur,sed quomodo hoc interea temporis impletur,dum regnum Christi in his terris prædicatur? Dicamus ergo primùm, de iusto, deinde, de multitudine pacis. Alia enim est iustitia legis, iuxta quam iustitiam nullus verè est iustus, nisi vniuersam legem perfectè, & sine vllo vitio impleuerit: sed in vniuerso humano genere nullum talem iustum inuenias, præter Iesum Christum DOMINVM nostrum. Nam de omnibus alijs hominibus dicitur: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et iterum: Non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Alia est iustitia Euangelij, quæ est remissio iniustitiæ, propter Christum, per fidem. Iuxta hanc iustitiam,iustus est, cui remissa est iniustitia, & cui non imputatur peccatum.Hoc autem nulli hominum contingit,nisi illi qui credit in Christum,quòd propter ipsum solum habeat gratuitam peccati seu iniustitiæ condonationem:quare solus ille, qui in Christum credit, habetur coram Deo iustus: & quia iustus, idcirco & beatus. De hoc igitur iusto,Psalmus dicit: Florebit in diebus eius iustus: quia temporibus regni Christi adnuntiatur in his terris Euangelion eius, de gratuita remissione peccati,& qui crediderit,absolutus iam est à peccato,propter

*Psalm.*14.

pter Christum. Qui autem ab hoc coram Deo est absolutus, plura & maiora consequitur beneficia, quàm quæ commemorari queant. Vbi enim peccatum est condonatum, ibi nulla afflictio incommodare, ac ne mors quidem ipsa nocere potest. Deinde confertur etiam Spiritus sanctus, qui & reliquias carnis expurgat, & optimos quosq; fructus iustitiæ in homine credente profert. Denicq; ad extremum perducitur homo propter Christum, per mortem ad æternam vitam, & per horrores inferni ad cœlestia gaudia. Hoc illud est, quod Psalmus dicit: Iustum in diebus regni Christi florere. Nec vnus tantum talis iustus erit, sed populus tuus, inquit Esaias, OMNES iusti erunt, & in perpetuum hæreditabunt terram: OMNIS enim qui fidit illi, non pudefiet. Non est distinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in OMNES inuocantes se. Quisquis enim, QVISQVIS (inquam) siue Israelita, siue Ethnicus, siue circumcisus, siue incircumcisus inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Quid igitur subditis regni Christi felicius? quid ijs beatius? Quod de iustitia in dieb⁹ regni Christi dictum est, idem etiam dicendum erit de multitudine pacis. Alia enim est pax mundi huius, alia regni Christi. Ac illa quidem suos habet terminos, sicut nec hic ipse mundus est perpetuus. Pax autem regni Christi, nullum habet terminum: Florebit (inquit) multitudo pacis, donec Luna constiterit, (hoc est) perpetuis temporibus. In regno enim Christi prædicatur Euangelion eius, quo adnuntiatur, quòd inter Deum & homines instituta sit per Christum filium Dei æterna pacificatio, vt qui in Christum credunt, nullis vnquam

Esa.60.
Rom.10.

perturbationibus ac tempestatibus, quantumcunque turbulentis succumbant, adeoq; illud impleatur, quod
Esa.54. DOMINVS per Esaiam dixit: Montes inquiens, commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Quid enim ibi tumultuum, quid perturbationum relinqueretur, vbi peccatum est expiatũ, & condonatum, vbi mors est deuicta, & iacet conculcata, vbi is, qui mortis habebat imperium, abolitus est,
Heb.2. & extinctus? Hæc autem omnia peracta sunt in ea pacificatione, quæ adnuntiante Euangelio, inter Deum & homines per Christum instituta est. Quare in hoc Psalmi versiculo non simpliciter dicitur, quòd temporibus Regis Christi, floreat pax, sed multitudo pacis,
Esa.9. cuius etiam, quemadmodum Esaias ait, non erit finis:
Ezech.34. Quam pacem Ezechiel quoque celebrat: Suscitabo, inquit DOMINVS, super gregem meum pastorem vnum qui pascat eum, seruum meum Dauid (hic est Christus,) ipse erit eis in pastorem. Ego DOMINVS, ero eis in Deum: & seruus meus Dauid, Princeps in medio eorum. Et faciam cum eis pactum pacis. Nã, quod Christus dicat, se non venisse, vt mitteret pacem, sed gladium, loquitur de persecutionibus, quas impij propter nomen Christi excitaturi erant in orbe terrarum, sed quæ paci Christi intantum non incommodent, vt potius eam augeant & confirment, siue publicè, sanguis enim Christianorum, semen est, siue priuatim: Gloriamur, inquit,
Tertullianus aduersus Gentes. super afflictionibus, scientes, quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò probationem, probatio autem spem, spes verò non pudefacit. Gladius igitur, quem Christus se missurum affirmat,

mat, non ſolùm non abolet aut extinguit pacem Chriſti, verumetiam accendit & inflammat eam, vt quò magis affligimur in regnis huius ſeculi, eò maiorem tranquillitatem habeamus in regno Chriſti. Hæc non tantùm ſunt audienda aut legenda, ſed in vſum quoq; noſtrum transferenda, vt cùm aduerſis perturbamur, ſciamus nobis veram pacem in Chriſto repoſitã, quòd Deus propter Chriſtum ita nobis faueat, vt det in omnibus afflictionibus euentum, quo ſufferre queamus, & ad cœleſtem ac æternã tranquillitatẽ conſeruemur.

8. *Et dominabitur à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad fines terræ.*

Deſcripſit antea durationem regni Chriſti, nũc deſcribit amplitudinem eius. Iudæa enim ſeu terra Canaan non eſt terminus regni Chriſti, ſed proferet pomœria regni ſui, ab Oceano orientali, vſq; ad Oceanũ occidentalem, à flumine, ſiue illo Iordane ſiue Euphrate, vſq; ad extremos terræ fines. Nã ſi de perſona Chriſti loquendũ eſt, non ſolùm dominatur in his terris, ſed etiam in cœlis. Poſtquam enim aſſumpſit hominem in eandem perſonam, & ſedit ad dextram Dei patris ſui, exaltatus eſt ſuper omnem principatum, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, verumetiam in futuro, & omnia ſunt ſubiecta ſub pedes illius. Si autem loquendum eſt de Euangelio eius, quo dominatur in Eccleſia ſua, prædicatio ſeu diuulgatio eius non conſtitit tantùm intra anguſtos fines Iudææ ſeu terræ Canaan, ſed dilatata eſt à monte Zion vſque ad extremos fines orbis terrarum: Eritis, inquit, mihi teſtes, non ſolùm Hieroſolymis, verumetiam *Epheſ.1. Philip.2. Act.1.*

in

in vniuersa Iudæa, Samariaq́, denicp vsq́ ad extrema terræ. Etsi enim Euangelion Christi oppugnatum est initio totis viribus tam à Iudæis, quàm à Gentibus, tamen nullus vel Rex vel Monarcha prohibere potuit, quò minus perrumperet vniuersam creaturam, quæ sub cœlo est, & colligeret Ecclesiam Christi ex omni natione. Nec id vno tantùm & altero anno, sed omnibus diebus vsq́ ad consummationem seculi. Quare siue hypocritæ dederint operam, vt Euangelion tenebris suis obscurent, siue tyranni susceperint abolendum, & extinguendum, tamen Christus sedet ad dextram Dei patris sui, & retinebit dominationem suam, vt colligat Ecclesiam, per Euangelion, in terris omni tempore, & tueatur eam in omnibus aduersis.

9. *Coram illo procumbent Æthiopes, & inimici eius terram lingent.*
10. *Reges Tharsis & insularũ, munus afferent, Reges Scheba & Seba donum offerent.*
11. *Et adorabunt eum omnes Reges, vniuersæ nationes seruient ei.*

Post descriptionem amplitudinis & magnitudinis regni Christi, describitur etiam multitudo populi, seu subditorum eius. Agnoscent enim Christum, & subiecti eius erunt, non tantùm populi Cananæi, aut Israelitæ, sed etiam propinqui & longinqui indigenæ & exteri, amici & inimici, circumcisi, & incircumcisi, terrestres & insulares, Principes & vulgus, Reges & Monarchæ, adeoq́ omnes gentes & nationes: Coram illo, inquit, procumbent Æthiopes, &c.

Pro

Pro Æthiopibus Hebræus habet ציים Ziim, pro quo tanſtulit Græcus Æthiopes. Et quia ציה Ziiah ſignificat ſolitudinem aut deſertum, interpretantur alij pro incolis deſerti, quòd Chriſtum agnoſcant, & coram eo venerabundi procumbant, non ſolùm, qui incolunt terram cultam, verumetiam loca horrida, vaſta & deſerta. Nec amici tantùm colent Chriſtum, verumetiam inimici eius neceſſe habebunt terram lingere, (hoc eſt) ſubiecti & oppreſsi eſſe. Non diſsimili phraſi de Serpente in Geneſi dicitur: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, hoc eſt, deiectus & oppreſsus eris. Sic & apud Micham, Gentes lingent terram ſicut Serpens, (hoc eſt) abiectæ & depreſſæ erunt. *Gen.3.*

Pro Tharſis, alij interpretantur Indiam, alij Tharſum vrbem Ciliciæ, patriam Pauli, alij mare. Narrat igitur Pſalmus, quòd non tantùm Reges terræ, ſed etiam reges maris, & inſularum in mari agnoſcant Chriſtum: Reges, inquit, maris & inſularum munus afferent, quo agnoſcent Chriſtum ſuperiorem ſuum & Dominum, ſe autem ipſi ſubiectos.

Similiter Reges Scheba & Seba donum, ſeu tributum offerent. Duæ ſunt diuerſæ dictiones, quarum altera ſcribitur apud Hebræos per literam Schin, שבא Scheba, fuit autem is, filius Rahmæ, neporis Cham, Gen. 10. Et ſentiunt nomine Scheba ſignificari Arabiam felicem, cuius Regina peregrinationem ſuſcepit ad Regem Salomonem, vt coràm audiret ſapientiam eius. Altera autem dictio ſcribitur per literam Samech, סבא Seba, qui fuit filius Chus, filij Cham. Gen. 10. A quo Seba, dicti ſunt Sabæi, gens Æthiopica. Dicit ergo Pſalmus, non tantùm Reges finitimos maris *3.Reg.10.* *Verg.* *Centumq; Sabæo* *Thure calent* *aræ.*

& insularum, verumetiam Reges Scheba & Seba, hoc est, Arabiæ & Æthiopiæ dona & tributa sua Christo oblaturos, vt testificentur se agnoscere ipsum Regem & Dominum suum. Sed quid de harum tantùm regionum Regibus dicam? Certè, vt breuiter comprehendam, OMNES Reges, siue terræ, siue maris, adorabunt Christum, omnes nationes siue terrestres, siue insulares colent eum, & seruient ei.

Ac siquidem de cœlesti & diuina maiestate Christi sermo est, (quemadmodum etiam paulò antè attigimus) non est obscurum, quòd Paulus ad Philippenses scribat: Deus (inquiens) extulit illum (Christum) in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum. Si autem sermo est, de sceptro suo seu Euangelio, quo gubernat regnum suum, quod est Ecclesia, in his terris, etsi non omnes Reges, nationes & populi adorant, & agnoscunt illud, nec seruiunt ei, mundano modo, tamen profertur in vniuersum mundum, & in omnia regna eius: ac siquidem fide recipitur, potentia Dei est ad salutem omni credenti. Si autem non recipitur fide, sed repellitur & abijcitur, nihil quidem incommodatur Euangelio, quippe quòd, quantum in se est, omnibus salutem offerat, sed qui vel Reges vel Populi resistunt, sibi ipsis sunt exitio, & nihilominus necesse habent ei, vel inuiti, vel aliud agentes, aut nescientes seruire: Gens, inquit Esaias, & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes (quæ tibi repugnant) solitudine vastabuntur. Seruiunt autem regno Christi, inuiti, aut nescientes, vel crudeliter persequen-

Esa. 60.

perſequendo, (Eccleſia enim perſecutionibus creſcit,) vel moderatè gubernando, vt qui pij ſunt, placidam ac quietam vitam cum omni pietate & honeſtate ducant, niſi fortè negaueris, Neronem & Diocletianum regno Chriſti, ſeu Eccleſiæ ſeruijſſe, cum tamen terram multitudine verè piorum illuſtrauerint, & cœlum martyribus repleuerint. Quare Principes & Reges terræ à DOMINO Deo noſtro ita gubernantur, vt ſiue credant in Chriſtum, ſiue perſequantur Chriſtum, Eccleſia ſuam ſemper reportet vtilitatem.

12. *Quia eruet pauperem vociferantem, & afflictum, cui non eſt adiutor.*

13. *Miſerebitur egeni & pauperis, & animas pauperum ſaluabit.*

14. *Ex vſura & iniuria redimet animam eorum, & pretioſus erit ſanguis eorum coram oculis ſuis.*

Quid ergo eſt, quòd Chriſtum tot Reges veneren-tur, & tot Gentes ſeſe ei ſubijciant? Quid beneficij conferet in populos & nationes, propter quod agnoſcant ipſum Dominum & Regem ſuum? Quia eruet, inquit, pauperem, onere paupertatis ita oppreſſum, vt vociferetur & eiulet, Liberabit afflictum omni humana ope deſtitutum, ſubueniet clementer egenis & inopia omnium rerum laborantibus, recreabit afflictiſsimum animum eorum, & ſicubi fuerint iniquis vſuris, aut rapinis grauati, redimet eos, Breuiter, ſanguis eorum erit pretioſus coram ipſius oculis, hoc eſt, ſi quid iniuriæ ipſis inferatur, vt vel facultates ipſorum

diripiantur, vel etiam ſanguis eorum effundatur, non aliter afficietur, quàm ſi ipſe pateretur iniuriam, aut ſuus ipſius ſanguis profunderetur, adeoq; quicquid mali miſero populo contigerit, ſibiipſi contigiſſe deputabit. Immane, quanta hæc ſunt beneficia, quæ nullus vnquã Rex aut Princeps populo ſuo præſtare potuit? Daniel vocat regnum Babylonicum, aureum, ſed *Dan.2.* nullus fuit in eo, Monarcha tam potens, tam opulentus & diues, qui potuerit, vel omne æs alienum ſuorum ſubditorum perſoluere, vel eos ex omnibus eorum ærumnis & miſeriis liberare, & in firma ac ſtabili felicitate collocare. Imò, quod mireris, nec Salomon ipſe, de quo ſcriptura dicit, quòd effecerit, vt eſſet tanta *3.Reg.10.* abundantia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum, regnum ſuum tam feliciter adminiſtrauit, vt nihil cuiquam rerum in eo defuerit. Incolæ regni eius *3.Reg.12.* dicunt ad filium ſuum Rehabeamum diſerte: Pater tuus duriſsimum iugum impoſuit nobis. Si Salomon, Rex tanta ſapientia & opulentia, non potuit præſtare, vt nullus apud ſubditos ſuos locus querelæ relinqueretur, quid ab aliis ſiue Regibus ſiue Monarchis ſperares? Et tamen hoc prædicatur de Chriſto & regno eius. Quid ergo eo regno felicius? quid ſubditis eius beatius? Eandem felicitatem regni ſui prædicat etiam *Eſa.60.* Chriſtus ipſe apud Eſaiam: Pro ære, inquiens, afferam aurum, pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, hoc eſt, in regno meo tanta erit copia auri, quanta in aliis eſt copia æris, & tanta copia argenti, quanta eſt in aliis copia ferri, &c. Et mox: Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis. Non eſt autem vlla

ratione

ratione dubitandum, quin hæc omnia in regno Christi veriſsimè & certiſsimè, idq; non tantùm in futuro, verumetiam in præſenti ſeculo impleantur. Sed quo modo? Hoc opus, hic labor eſt, cognoſcere modum, quo hæc impleri ſolent. Non enim eſt modus externus, terrenus aut mundanus, ſed ſpiritualis, cœleſtis, & regno Christi congruens. Chriſtus enim venit in hunc mundum, non vt omnium marſupia numis impleat, ſed vt omnium peccata coram Deo patre ſuo expiet. Peccato autem expiato, & expiatione eius, per fidem accepta, quid eſt, quod homini ad veram felicitatem vel in his terris vel in cœlis deſit? quid eſt, quod ei nocere poſsit? Quis intentabit, (inquit Paulus) aduerſus electos Dei? (hoc eſt,) credentes ſe habere cõdonationem peccatorum propter Chriſtum,) crimina? Deus eſt, qui iuſtificat. Qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos ſeparabit à dilectione, qua Deus nos proſequitur? Num afflictio? num perſecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? addo etiam, quod in hoc Pſalmo commemoratur, num paupertas? num egeſtas? num vſura? num iniuria? num crudelitas effundentium noſtrum ſanguinem? Fateor, videntur hæc, ſi cui accidunt, in hoc mundo, grauiſsima, ſed ſi habueris expiationem peccati in Chriſto, perſuaſum habemus, vt iterum verbis Pauli vtar, quòd neq; mors, neque vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione, qua Deus nos in Chriſto Ieſu DOMINO noſtro

Rom. 8.

ſtro complectitur. Quare, cùm Pſalmus dicit, ꝙ Chriſtus liberet populum ſuum à paupertate, afflictione, inopia, vſuris, & iniurijs, illud vult dicere, quòd Chriſtus expiet peccata populi ſui, qua expiatione per fidem agnita, & accepta, nihil poteſt amplius incommodi afferre vel paupertas, vel inopia, vel vſura, vel iniuria, vel etiam mors ipſa.

15. *Et viuet, & dabitur ei de auro Scheba, fiet precatio pro eo ſemper, tota die benedicetur ipſi.*

Expoſuit, quæ beneficia Chriſtus conferat in regno ſuo hominibus pauperibus, egenis, miſeris & oppreſſis. Nũc hoc verſiculo exponit, quam felicitatem Chriſtus ipſe poſſideat, & quo hominum affectu colatur. Chriſtus enim, (vt in pauca conferam,) erit in vita ſua longè omnium feliciſsimus, ditiſsimus, gratioſiſsimus, & laudatiſsimus. Hæc enim ſunt, quæ in hoc verſiculo de Chriſto prædicantur. Ac primùm dicit: VIVET. Non eſt ſimpliciter intelligendum, de vita, qualem omnes homines, ſiue liberi ſiue captiui, ſiue ſani ſiue ægroti, ſiue pauperes ſiue diuites, ſiue ſaturi ſiue famelici ducunt, ſed de vita iucunda, felici & beata. Viuet igitur Chriſtus, cum aduenerit, feliciſsimè, viuet in ſumma beatitudine. Conatus quidem eſt rex Salomõ, in Eccleſiaſta ſuo, inuenire vitam iucundam & beatam, in ſapientia & diuitijs huius mundi, in delitijs & voluptatibus corporis, in excitandis magnificis ædibus, in plantandis hortis, in multitudine ſeruorum & ancillarum, in pretioſa ſupellectili, ac in multis alijs rebus, ſed ſpe ſua fruſtratus, non niſi ſollicitudinem, laborem

laborem, afflictionem, ærumnas, & vanitatem reportauit. Christus autem ducet vitam verè felicem & beatam. Non iam loquor, de ea beatitudine, qua Christus ab eo initio, quo humanitas eius assumpta est in Deum, ineffabili & humano captu imperscrutabili modo fruebatur, sed de illa loquor, qua beatus dicitur, cui omnia ex sententia succedunt, omnia secunda eueniunt, qualem beatum, nullum in hoc seculo, nec Monarcham, nec priuatum hominem inuenias: quocunq; in his terris diuerteris, spinas & tribulos reperies: solus autem Christus hac beatitudine potiebatur. Instituit peccatum humani generis expiare. Hoc institutum, ita feliciter successit, vt Deus pater ipse fateatur: Propitiabor (inquiens) iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. *Hier. 31.* Instituit afflictiones huius seculi consecrare in organon benedictionis & salutis. Hoc consilium ita promouit, vt Paulus dicat: *2. Cor. 4.* Momentanea leuitas afflictionis nostræ mirum supra modum æternum pondus gloriæ nobis parit, dum non spectamus ea quæ videntur, sed ea, quæ non videntur. Instituit non oppugnare tantùm, sed etiam expugnare satanam & mortem. Hoc institutum tam prosperum habuit euentũ, vt Epistola ad Hebræos scribat: *Heb. 2.* Posteaquam pueri cõmercium habent cum carne et sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundẽ, vt per mortẽ aboleret eum, qui mortis habebat imperium; hoc est, diabolũ, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis, per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Cum igitur is, cui omnia ex animi sententia succedũt, verè, ac beatè viuere dicatur, Christus aũt omnium suorũ consiliorũ in hac vita prosperũ semper euentũ habuerit, reliquum

quum est, quòd de nullo alio homine, vel priuato, vel Rege aut Monarcha, præterquam de Christo, rectè dici possit, quod Psalmus de ipso concionatur, VIVET. Accedit huc, quòd etsi Christus multa passus est aduersa, & quæ videbantur infelicissima, ac tandem quoq; crucifixus sit & mortuus, hæc tamen non euenerunt ei cõtra animi sui sententiam, sed ex voluntaria sua obedientia, quam ad gratificandum voluntati Dei patris sui, & ad redimendum humanum genus, in se promptissimo animo suscepit. Dixit quidem de passione sua: Pater, transeat à me calix iste, hoc autem dixit sine vllo peccato, rebellione & inobedientia, sed ex forma serui, qua se, ad suscipiendam humanam imbecillitatem, Deo patri suo volens subiecerat. Vnde & confestim addit: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut TV vis. Iam, si etiam huius infelicitatis euentum respexeris, tantum abest, vt ea parùm prosperè cesserit, vt fuerit potius compendiaria via, qua in summam sublimitatem peruenit, & ad dextram Dei patris sui, hoc est, in excellentissimam Dei maiestatem, & gloriam perpetui regni eius euasit.

Illud autem de Christo & vita eius imprimis considerandum est, quòd non viuat ipse tantùm, sed etiam alios viuificet. Resurrexit enim tertia die à morte, non vt solus ipse frueretur vita, sed, cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà secum, simulq; cum ipso resuscitauit, & sedere fecit inter cœlestes. Quare, cum per Christum sit resurrectio mortuorum, & vita, Psalmus meritò prædicat, præ omnibus huius terræ Monarchis, de ipso, quòd VIVAT. Deinde addit: Dabitur ei de auro Scheba. Diximus autem per Scheba significari

Ephes. 4. Coloss. 2.

ſignificari Arabiam felicem, quæ regio, fertilitate & opulentia ſua, non ſolùm nomine ſuo, (εὐδαίμων enim, hoc eſt, felix vocatur) ſed etiam donis, quibus Regina Scheba Salomonem honorauit, nobilis eſt. Regina Scheba, inquit ſcriptura, venit in Hieruſalem, cum multo comitatu, cum Camelis portantibus aromata, & aurum plurimum, atque gemmas pretioſas. Et ex Eſaia: Omnes de Scheba venient, Aurum & Thus afferent. Ac paulò antè, verſiculo decimo: Reges Scheba & Seba tributum offerent. Cum igitur hîc dicitur, Chriſto dandum eſſe de auro Scheba, ſeu Arabiæ, ſignificatur, eum fore longè omnium ditiſsimum. Sed quomodo arbitrabimur illum præ reliquis Regibus terræ, diuitijs inſignem, quem ſcimus non habuiſſe in terris, vbi caput reclinaret, & qui à Propheta deſcribitur adeo pauper & inops, vt in profectione ſua, ad vrbem Hieruſalem neceſſe habuerit aſino cõmodatitio vti? Sciamus igitur hîc non fieri ſermonem de Crœſi, aut Craſsi cuiuſdam, ſed de veris ac cœleſtibus diuitijs: Cognoſcitis (inquit Paulus) beneficentiam DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, quòd propter vos pauper factus ſit, cum eſſet DIVES, vt vos illius paupertate diteſceretis. Et iterum: Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc, vt inter gentes euangelizem imperueſtigabiles diuitias Chriſti. Et tamen, Chriſto ne externæ quidem & mundanæ diuitiæ defuerunt, quoties viſum eſt ijs vti. An non ſatis dives erat, qui, cum ablegaret Apoſtolos ſuos ſine pera, ſine pecunia, ſine vllo commeatu, effecerit tamen, vt nihil vnquam eis defuerit? An non ſatis opulentus erat, qui quinque tantùm panibus hordeaceis & duobus piſcibus

3. *Reg.* 10.

Eſa. 60.

Zacha. 9.

2. *Cor.* 8.

Epheſ. 3.

paſceret in deſerto multa virorum millia? Quare non definiamus diuitias Chriſti mundana menſura, ſed omnipotenti dominatione eius in cœlo & in terra. Adhæc: Fiet, inquit, precatio pro eo ſemper. Hoc non idcirco commemoratur de Chriſto, quòd indigeat apud Deum patrem ſuum aliena interceſsione, ſed quòd ſit apud homines ita gratioſus, vt nemo, qui eum verè agnoſcit, non precetur & optet ei optima quæq;. Hoc enim illud eſt, quod alius Pſalmus Chriſto fauet & optat: Accinge, inquiens, gladium tuum, ad latus, ô heros. Hæc eſt laus tua, & magnificentia tua. In hac tua magnificentia feliciter promoue & progredere. Et iterum in alio Pſalmo: Obſecro, DOMINE, Hoſianna, obſecro, DOMINE, proſperare, obſecro. Non omnes quidem homines optant Chriſto felicem ſucceſſum regni ſui. Quantum enim blaſphemiarum in Chriſtum extitit inter incredulas Gentes, & inter execrabiles Iudæos? quantum adhuc extat inter omnes impios? ſed quod faciunt, ignorantes faciunt, per incredulitatem. Et ſi cognouiſſent, haudquaquam DOMINVM gloriæ crucifixiſſent. Nam quod ad ipſum attinet, certè tanta gratia perfuſus eſt, vt quotquot ipſum verè cognoſcunt, teneri non poſsint, quin optent & faueant ei ſummam ſemper felicitatem. Poſtremo: Tota die (inquit Pſalmus) benedicetur ei, (hoc eſt) Chriſtus erit longè omnium laudatiſsimus. Alij Reges & Principes, nunc laudantur, nunc vituperantur, partim benedicuntur, partim maledicuntur, quia nunc laude nunc vituperationedigna deſignant. Hic autem Rex Chriſtus tanta beneficia in humanum genus confert, tam inſignia ſtratagemata conficit, vt omni ſemper laude

Pſalm. 45.

Pſalm. 117.

1. *Tim.* 1.

1. *Cor.* 2.

laude & benedictione ſit celebrandus. Celebrandus autem eſt, non quòd ipſe carnali affectu humanam laudem quærat, ſed vt nos benedictione & laude nominis ſui excitemur ad fidem & ſpem in omnibus aduerſis, ac per ipſum ſeruemur. Habes igitur in breuiſſimo huius Pſalmi verſiculo cumulatiſsimum Chriſti præconium, quòd ſuperet omnes huius terræ Monarchas felicitate, diuitijs, gratia, benedictione & commendatione. Nunc noſtri eſt officij verè eum agnoſcere, & omni obſeruantia venerari.

16. *Erit pugillus frumenti in terra, in vertice montium (tam fructuoſus) vt agitetur, ſicut Libanus, fructus eius, & florebunt de ciuitate, ſicut herba terræ.*

Pergit exponere felicitatem illius temporis, quo Chriſtus aduenier, & dominabitur: Erit, inquiens, pugillus frumenti, in agro, in vertice montium, (hoc eſt) tanta erit fertilitas, tanta vbertas agrorum, vt, ſi quis proiecerit pugillum frumenti in terram, non admodum fertilem, adeoq; in cacumen montium, vbi ſegetes non ſolent eſſe fœcundæ, copioſiſsimum proferat fructum. Et quemadmodum cedri in Libano, vento agitatæ, ſtrepitum excitant, ita ariſtæ, multitudine granorum oneratæ & inter ſe colliſæ, crepent. In ciuitatibus quoq; tantus erit hominum prouentus, vt ſicut herba terræ multiplicentur. Hæc eſt deſcriptio fœcunditatis, quæ tempore aduentus & regni Chriſti ſit in orbe terrarũ futura, cui haud abſimilis eſt, illa, quę à Propheta Amos deſcribitur: Ecce dies venient, di- *Amos 9.*

Amos 9. cit DOMINVS, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et apud Ioëlem: In illa die montes stillabunt dulcedinem, &
Ioël. 3. colles fluent lacte. Hæc autem non intelligenda sunt de externa rerum fœcunditate, quæ etsi est singulare Dei beneficium, tamen, si abfuerint bona regni Christi, magis oberit, quàm proderit: sed de cœlesti rerum fœcunditate, pro ea ratione, quæ regno Christi in his terris congruat. Postquam enim Christus, absoluto suo sacrificio pro peccatis, resurrexit à mortuis, & intrauit in gloriam regni Dei, iussit prædicari Euangelion suum de gratuita peccatorum condonatione, in vniuerso mundo. Per hanc prædicationem collegit primùm Spiritus sanctus Ecclesiam tam ex Iudæis, quàm Gentibus, (hoc est) ingentem, aut potius innumerabilem hominum multitudinem, qui agnito Christo, per Euangelion, cœlestem salutem consecuti sunt. De hoc multitudinis hominum prouentu loquitur etiam DOMINVS apud Esaiam: Effun-
Esa. 44. dam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt, sicut herba, & sicut salices iuxta præterfluentes aquas. Et iterum: Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Isti
Esa. 60. omnes congregati sunt, venerunt tibi, Filij tui delonge venient, & filiæ tuæ de latere surgent, & quæ sequuntur. Deinde, quod ad prouentum frugum terræ, & fertilitatem eius attinet, etsi Ecclesia Christi rerum penuria, & fame, sicut & omnibus alijs afflictionum generibus, plurimùm laborare solet, tamen quia, accepta ex prædicatione Euangelij gratuita peccatorum

rum remiſsione, propter Chriſtum, per fidem, omnia ei ſimul adiumento ſunt in bonum, multò rectius & verius dicitur, quòd in Eccleſia, pugillus frumenti, in agrum proiectus, fructuoſior ſit, quàm ſi impij è ſuis terrenis agris, horrea frumentorum plena reportent. Notum eſt illud Pauli. Quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes, quaſi pauperes, multos tamen ditantes, vt nihil habentes, & tamen omnia poſsidentes. Et illud Hieronymi: Credenti, totus mundus diuitiarum eſt. Infidelis autem etiam obolo indiget. Non eſt igitur fertilitas ſupra fertilitatem, in Eccleſia Chriſti, in qua, qui ſeminat chœnicem, cum Chriſto, plus frumenti accipit, quàm qui ſeminat modium, ſine Chriſto. Quod enim dicitur in lege: Apprehendet meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pauore, habitabitis in terra veſtra, hoc in Eccleſia Chriſti verè impletur, dum condonatis peccatis, poſsidemus Chriſtum per fidem, qui, cum ſit omnium cœleſtium bonorum theſaurus, teneri non poteſt, quin, cùm nobiſcum communes habeat cœleſtes ſuas diuitias, aut largiatur nobis, etiam terrenas, ſi prouiderit eas, nobis ad veram & æternam ſalutem profuturas, aut det euentum, vt tranquilliori animo penuriam rerum & famem feramus, quàm impij diuites omnem ſuam terrenam fertilitatem & opulentiam.

2. Cor. 6.

Hiero. in epiſtola ad Paulinũ.

Leui. 26.

17. *Erit nomen eius perpetuò durabile, donec ſol permanſerit, propagabitur ad poſteros nomen eius, & benedicentur in eo omnes gentes, quæ & prædicabunt eum beatum.*

Eſt & illud diſcrimen inter Reges huius terræ, & Chriſtum, quòd nomen & fama illorum non ſit durabile in hoc ſeculo, nomen autem Chriſti, & fama eius tantiſper durabit, dum hic ſol conſtiterit, & propagabitur vſque ad poſteros. Etſi enim ſua eſt Chronologia, in qua Regum & Monarcharum nomina, ab initio penè conditi orbis recenſentur, tamen ea non ſunt, niſi nuda nomina, Reges autem ipſi, morte ſint extincti, & regna eorum, aut ſint ad alios translata, aut funditus abolita, nomen verò Chriſti ita extat, vt & ipſe in ſumma ſemper maieſtate viuat, & regnum eius perpetuò conſtet, & gloria nominis eius ſubinde magis & magis, prædicatione Euangelij ſui, ad poſteros ita propagetur, vt dum hic ſol luxerit, nunquam obſcuretur, aut extinguatur: nec id ſolùm, verumetiam benedicantur in eo omnes gentes. Hic eſt verſiculus ille, qui fert certum teſtimonium, quòd hic Pſalmus intelligendus ſit (quemadmodum ſuprà indicauimus) de Chriſto DOMINO noſtro, & de benedictione, quam in ipſo conſequuntur omnes, qui credunt in ipſum. Neque enim eſt alius quiſpiam, propter quem Gentes benedicuntur, niſi Chriſtus, neque eſt alia vera benedictio, in ſemine Abrahæ nobis promiſſa, niſi quam Chriſtus nobis de cœlo attulit, ſicut aliâs copiosè & perſpicuè demonſtratum eſt. Et quia talis & tantus eſt Chriſtus, haud iniuria Gentes prædicabunt eum beatum, quòd non ſolùm ſit in ſe beatus, verumetiam omnes illos, qui in ipſum credunt, æterna iuſtitia & ſalute beatos reddat.

Vide ſuprà, interpretationem Pſalmi 67. Deus miſereatur noſtri.

18. *Benedictus DOMINVS Deus, Deus Iſraelis, qui facit mirabilia*

mirabilia ſolus.

19. *Et benedictum ſit glorioſum nomen eius inæternum, ac re-*
repleatur gloria eius vniuerſa terra, Amen & A-
men.

Concluſio Pſalmi, in qua admonetur Eccleſia, ad gratiarum actionem, & celebrationem nominis Chriſti. Hactenus enim commemorauit Pſalmus, quòd Chriſtus afferat populo ſuo iuſtitiam & pacem, quòd ſeruet pauperes & afflictos, quòd benedicantur in ipſo omnes gentes, quòd dominetur à mari, vſque ad mare, quòd adoretur ab omnibus regibus, adeoq; quòd omni maieſtate, præ cunctis huius terræ Monarchis, ſit ornatus. Reliquum igitur eſt, vt gloriam nominis Chriſti, quo poſſumus ſtudio, celebremus. Etſi enim videtur tantùm homo, filius Dauidis, non tamen eſt ſimplex homo, ſed eſt etiam benedictus DOMINVS Deus noſter, videlicet, is, qui hactenus dictus eſt, Deus Iſraelis, quòd & Patriarchæ Iacob (qui eſt Iſrael,) promiſſus fuerit, & populum Iſrael in peculium ſuum elegerit, ac in omnibus ſemper periculis conſeruauerit. Denicq; is eſt, qui ſolus facit miranda, vt hac in re habeas longè omnium maximum à dijs Gentiũ diſcrimẽ. Hi enim, nec poſſunt ſuos cultores iuuare, nec eos in periculis cõſeruare, & liberare, quippe quòd ſint opera manuum humanarum, & os habeãt, ſed nõ loquũtur, aures habeant, ſed nõ audiunt, oculos habeant, ſed nõ vident. Chriſtus aũt DOMINVS noſter, ſolus is eſt, qui, vt hominẽ, imò vniuerſum mũdum, & quæ in ipſo ſunt, imperſcrutabili ſua potẽtia & ſapientia condidit, ita

Pſalm. 114.
Pſalm. 134.

ita & Ecclesiam populi sui, multis semper, & magnis ac stupendis miraculis conseruat, & tuetur, donec ex hoc seculo ad æternam felicitatem perducat. Quare, nihil nobis sit prius, nihil posterius, quàm vt benedictum & glorioſum nomen Christi prædicatione nostra semper celebremus, & omne studium nostrum eò conferamus, vt, quod in nobis est, fama & gloria nominis eius, in vniuersa terra diuulgetur.

Cæterùm, in fine huius Psalmi, duæ sunt apud Hebræos appendices, quæ videntur à collectoribus Psalmorum adiectæ. Altera est: Amen, Et Amen. Vocabulum autem Amen, in Ecclesia vsitatissimum est, & significat verum, seu firmum. Ac solemus eo vti in dictorum approbatione, & confirmatione, quemadmodum manifestum est, è vicesimo septimo capite Deuteronomij, & è capite octauo Nehemiæ, similiter è posteriori Epistola Pauli ad Corinthios, capite primo. Videtur igitur hæc dictio ad finem huius Psalmi, duplicata adiecta esse, vt significetur, non solùm hunc Psalmum, verumetiam omnes qui præcedunt Psalmos diuinitus approbatos, & pro certissimis Spiritus sancti oraculis habendos esse. Altera appendix est: Completæ sunt, vel: Hactenus precationes Dauidis filij Isai. Mirandum autem est, quo consilio hoc apud Hebræos sit adiectum. Etsi enim illi, qui sequuntur Psalmi, inscribuntur partim Asapho, partim filijs Korah, partim Ethan Esraitæ, partim etiam Mosi, tamen multi quoq; inscribuntur Dauidi, vt manifestum sit, quòd nondum omnes Psalmi, qui à Dauide sunt compositi, & qui extant, hactenus sint enumerati. Fortassis, qui collegit Psalmos Dauidis in vnum librum, non habuit

habuit in præsentia plures à Dauide compositos, quos adijceret, sed cum postea plures inuenti sunt, quorum autor sit Dauid, visum est & ipsos in aliorum, qui sequuntur, Psalmorum catalogum referre. Quod, vtcunque se habeat, nos vsum huius Psalmi considerabimus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Manifestum est, hunc Psalmum continere descriptionem, & encomium maiestatis Christi DOMINI nostri, & regni eius. Apud Euangelistam Matthæum, cum Christus interrogaret discipulos suos, quem homines se esse dicant, respondit Petrus, suo & collegarum suorum nomine: Tu es Christus ille filius Dei viuentis. Quod autem Petrus paucissimis verbis de Iesu Nazareno filio Mariæ virginis confessus est, hoc Psalmus iste pluribus exponit, docens, quid sit esse Christum, filium Dei viuentis, videlicet, quòd data ei sint à Deo patre suo, iudicium & iustitia, vt sit rex æternus, dominetur à mari vsque ad mare, adoretur ab omnibus regibus, liberet miseros homines ab omnibus ærumnis suis, & conferat in illos, qui credunt in ipsum, omnem cœlestem benedictionem, adeoq; sit ipse Deus Israelis, verus DOMINVS Deus noster, benedictus in secula. Versemus igitur hunc Psalmum diurna & nocturna manu, vt confirmata ex ipso fide nostra in Iesum Christum, reportemus verum huius fidei finem, (sicut Petrus loquitur,) animarum videlicet salutem.

Matth.16.

1.Pet.1.

Psalmus 73.

Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde, &c.

QVi sequuntur Psalmi vndecim, non inscribuntur Dauidi, sed Asapho, cui etiam inscriptus est Psalmus quinquagesimus: Deus deorum DOMINVS locutus est. Fuit autem Asaph, vnus ex archimusicis & cantoribus, tempore Dauidis, qui ex institutione eius laudarent & celebrarent DOMINVM Deum Israel coram arca, Psalteriis, citharis, cymbalis & carminibus, quemadmodum scriptum est, in priori libro Chronicõp cap. 16. & 17. Et in eodem libro cap. 26. Similiter, in posteriori libro Chronicõp, cap. 35. Etsi autem sunt, qui sentiunt, non Asaphum, sed Dauidem ipsum fuisse illorum Psalmorum qui sequuntur, autorem, & Asapho tantùm à Dauide decantandos traditos, tamen longè alius stilus est in his Asaphi, quàm in Dauidis Psalmis: & è locis scripturæ iam commemoratis, manifestum est, quòd & Asaph suum habuerit locum inter Videntes seu Prophetas Dauidis, ac Psalmi, qui nomini eius inscribuntur, sint Prophetica oracula. Apud Euangelistam enim Matthæum, cum assignaretur ratio, cur visum sit Christo, parabolis magis, quàm aperto sermone, ad turbas loqui, recitatur testimonium (quanquam videatur è margine in contextum tralatum potius, quàm

Matth. 13.

quàm ab Euangelista adscriptum) è Psalmo septuagesimo octauo, qui inscriptus est Asapho. Similiter Christus, apud Ioannem, vtitur testimonio Psalmi octuagesimi secundi, qui & ipse extat in catalogo illorum Psalmorum, qui Asapho attribuuntur. Quare, siue Dauid, siue Asaph sit horum Psalmorum autor, certè non est dubium, quin pro oraculis Spiritus sancti agnoscendi & amplectendi sint. *Ioan. 10.*

Sed suscipiamus hunc septuagesimum tertium Psalmum, diuina clementia adiuti explicandum.

Est autem eiusdem planè argumenti, cum Psalmo triceſimo septimo: Noli æmulari in malignantibus, & describit cœleste remedium aduersus grauissimum inter homines offendiculum. Cum enim sint plurima & maxima offendicula, quibus homines, non solùm ad dubitationem, verumetiam ad desperationem de Deo, & prouidentia eius sollicitari solent, illud inter præcipua haud immeritò commemoratur, quòd viderant eum esse vulgarem & solennem humanarum rerum cursum, vt malis sit benè, bonis autem malè. De hac re conqueruntur, non tam impij, quàm etiam pij, quemadmodum suprà, in explicatione Psalmi triceſimi tertij indicauimus: Et in tanta fortunæ varietate, ac vt ita dicam, temeritate, alij quidem prorsus negant esse Deum: Si enim (inquiunt,) Deus est, vnde mala? alij, etsi non negant esse Deum, tamen dubitant: Si non est, inquiunt, Deus, vnde bona? Et eò tandem euadunt, vt etsi non sunt tam impudentes, vt negent palàm Deum esse, tamen negent Deum curare, quid agat humanum genus. Nec hoc mirandum est de hominibus impijs & incredulis, quòd habeant quidem

Rom.1. naturalem προόλψιν de Deo, vt Paulus docet, sed quia sunt captiua satanæ mancipia, eò, quò fert libido eius, impelluntur: mirandum autem est de pijs, quòd & hi suos habeant, de hac rerum varietate & dissimilitudine, querelas. Abacuc ait: Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorem se? Hieremias inquit: Iustus quidem es tu DOMINE, si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? Sed meminerimus magnam esse reliquam carnis imbecillitatem, etiam in renatis & sanctis, quæ tamen non est tam grauis, quin, Spiritu sancto duce, compescatur, ne in impietatem ruat. In hunc igitur vsum Psalmus iste Ecclesiæ commendatur, vt in tanto offendiculo remedium afferat, & doceat nos, ne in impiorum felicitate præsentem rerum euentum intueamur, sed in finem eorum, adeoq; in iudicium Dei respiciamus.

Aba.1.
Hiere.12.

1. *Certè beneficus est Deus Israeli, (videlicet) ijs qui mundo sunt corde.*
2. *Ego autem penè vacillassem pedibus meis, propemodum collapsus fuissem gressibus meis.*

Initio Psaltes confitetur quidē fidem suam de prouidentia & beneficentia Dei, sed interim ingenuè etiam confitetur fidei suæ imbecillitatem, & quod parēs pueri dæmonio muto correpti, apud Marcum, Christo respondit: Credo Domine, (inquiens) succurre incredulitati meæ, hoc & Psaltes initio huius Psalmi de se ipso asseuerat. Certè, inquiens, non tam incredulus

Mar.9.

& impius sum, vt negem, te DOMINVM Deum nostrum curare res humanas, ac inprimis bonum ac beneficum esse erga Israelem, hoc est, erga eos, qui puro & recto sunt corde, sed interim negare etiam non ausim, nec possim, tantam esse huius meæ fidei imbecillitatem, vt vix mente consistere queam, & non in diuersam partem abripiar. Firmiter credo, quantum ego quidem arbitror, Deum summo fauore pios quosque complecti, & ipsos omni beneficiorum genere prosequi, sed video aliam legem, alium affectum in membris meis, rebellantem legi mentis seu fidei meæ, & reddentem me penè captiuum incredulitati, vt deflectam & delabar in illorum sententiam, qui arbitrantur Deum non consulere rebus humanis.

Priusquam autem progrediamur, & causam huius seu imbecillitatis seu offendiculi cognoscamus, obseruandum est, quomodo nomen Israelis in hoc primo versiculo definiatur, vt sciamus, quibus Israelitis Deus sit clemens, bonus & beneficus. Non enim omnes, qui sunt ex Israel, inquit Paulus, sunt Israel, neque quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. Porro, Israel, quo cognomine vocatus est Patriarcha Iacob, significat alioqui victorem Dei. Nemo autem potest Deum, sicut videre, ita & vincere, nisi puro & mundo fuerit corde: Beati, (inquit) mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In hoc igitur primo Psalmi versiculo exponitur nomen Israelis, pro ijs qui puro & mundo sunt corde, vt significetur, non esse quidem dubium, quin Deus sit clemens, & beneficus Israelitis,

Rom. 9.

Gen. 32.

Matth. 5.

non autem quibuſuis, (ſunt enim & carnales ac falſi Iſraelitæ,) ſed legitimis & veris, (hoc eſt) iis qui mundo ſunt corde. Quis autem poteſt dicere, (inquit Salomon) mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato? De hac re, non eſt, vt diu ſolliciti circumferamus oculos noſtros, ſi concionem Apoſtoli Petri, quam in Synodo Hieroſolymitana habuit, diligenter conſideraverimus: Qui nouit corda, (inquit Petrus) Deus, teſtimonium præbuit illis, (Gentibus) dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, nihilq; diſcreuit inter nos & illos, quum fide purificauerit corda illorum. Quum FIDE, inquit, purificauerit illorum corda. FIDES igitur eſt, qua cor purificatur, illa nimirum fides, qua credimus, quòd DOMINVS Deus noſter condonet nobis gratuitò peccata noſtra, tantùm propter Ieſum Chriſtum, filium ſuum, qui ea morte ſua ita expiauit, vt Deus ipſorum non amplius meminiſſe velit, ſicut Hieremias ait, ſed potius donet nobis Chriſtum, vnà cum omni ſua iuſtitia. Quis autem habens Chriſtum & iuſtitiam eius, non poſſet dicere, purum & mundum eſt cor meum? Etſi enim hærent in nobis reliquiæ peccati, donec inhac carne ſuperſtites fuerimus, præ quibus etiam reliquijs, exclamandum nobis eſt: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? tamen Chriſtus, qui ſe nobis totum dedidit, impetrauit nobis gratuitam peccati remiſsionem, & dat Spiritum ſanctum, quo reliquias eius peccati mortificemus, & expurgemus. Quare, qui credit in Chriſtum, vt habet cor mundum, per fidem propter Chriſtum, ita etiam verus eſt Iſrael, & verè habet Deum propitium ac beneficum.

Prouer. 2.

Act. 15.

Hier. 31.

Sed

Sed videamus nunc cauſam, cur Pſaltes ita offendatur, vt penè vacillaſſet pedibus ſuis, & collapſus eſſet greſsibus ſuis, (hoc eſt,) conceſsiſſet in illorum ſententiam, qui arbitrantur, aut non eſſe Deum, aut Deum non curare res humanas.

3. *Quoniam æmulor iactabundis, pacem impiorum videns.*
4. *Non ſunt ægritudines in morte eorum, & firmum eſt ipſorum palatium.*
5. *In ærumnis hominum non ſunt, & cum hominibus non afflguntur.*

Hoc illud eſt offendiculum, quo ego ad æmulationem, & indignationem prouocor, & quaſi inflammor, quòd videam impios non ſolùm eſſe fortunatos, verumetiam de proſpero rerum ſuarum euentu gloriari, & præ ſua felicitate alios contemnere, ac ipſis tantum non inſultare. Impij enim, tam in morte, quàm in vita videntur felices. Si moriendum eſt, (Mors enim, vt omni ætati, ita & omni homini communis eſt) non moriuntur grauibus & diuturnis morbis affecti, ſed tranquillo mortis genere, & vt Iob ait, ducunt in bono dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad ſepulcrum. Si viuendum eſt, habent firmum palatium, ſtabilis eſt habitatio eorum: non eijciuntur, vt alijs hominibus accidere ſolet, in exilium, nonafflictantur ſæuitie morborum, non notantur ignominia, nõ premuntur paupertate, aut alijs incommodis, quibus humanũ alioqui genus obnoxium eſt. Ac breuiter, non eſt virga Dei, vt *Iob. 21.*

iterum

iterum Iob loquitur, ſuper illos. Conqueritur quidem
Eccleſ.9. Eccleſiaſtes Salomonis, quòd eadem eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti, quod fortaſsis aliquo modo tolerabile eſſet, ſed illud demum iniquiſsimum videtur, quòd iuſto & bono accidant infeliciſsima, iniuſto autem & malo feliciſsima. Hoc enim non tantùm pugnat, vt apparet, cum Lege Dei, quæ iuſto
Leuit.26. promittit benedictionem, iniuſto autem minatur ma-
Deut.28. ledictionem, verumetiam auertit homines à pietate, & excitat ad impietatem, ac, vt iterum Eccleſiaſtes dicit, implentur ex eo corda hominum malitia, & contemptu in vita ſua. Quod & confeſtim in hoc Pſalmo ſequitur.

6. *Idcirco circundat eos ſuperbia, tegitur ornatu iniquitas ipſorum.*
7. *Supergreditur adeps oculos ipſorum, ſuperant imaginationes cordis.*
8. *Exterrent, & loquuntur malitiosè calumniam, è ſublimi loquuntur.*
9. *Ponunt in cœlum os ſuum, & lingua ipſorum deambulat in terra.*
10. *Idcirco conuertitur populus eius illuc, & (ſicut) aquæ plenitudinis affluunt ipſis.*
11. *Et dicunt, Quomodo agnoſceret illos Deus? & num eſſent curæ altiſsimo?*
12. *Ecce iſti ſunt impij, & felices ſeculi, aſſequuntur diuitias.*
13. *Certè fruſtra mundaui cor meum, & laui in innocentia manus meas.*
14. *Et ſum flagellatus tota die, & affligor mane.*

Priores

Priores versiculi commemorarunt offendiculum, quod ex impiorum felicitate, & piorum infelicitate oriri solet. Nunc hi versiculi amplificant hoc offendiculum, & significant, quòd videatur pugnare non tantùm cum sapientia Dei, verumetiam cum bonitate eius. Deus enim prædicatur, primùm, quòd sit sapientissimus rerum administrator. Sapientis autem administratoris est, omnia, iuxta legem Dei, rectè gubernare, & nec ad dextram nec ad sinistram ab ea deflectere: Hæc est (inquit Moses de lege DOMINI) vestra sapientia, & intellectus, coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Deinde Deus prædicatur, quòd & sit optimus rerum administrator. Optimi autem administratoris est, non solùm mala, seu scelera prohibere, verumetiam nullam ad facienda mala, & designanda scelera occasionem offerre. Quare, cum Deus aut conniueat, aut (quia apud Prophetam dicit: Ego DOMINVS, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, seu afflictionem,) efficiat ipse, vt malis sit benè, & bonis malè, quis sentiet eum esse sapientem & bonum rerum gubernatorem? Nam, cum impij fruantur prospero consiliorum suorum successu, & succedant ipsis omnia iuxta animi sui sententiam, idcirco, circundat ipsos, inquit Psalmus, superbia, inflantur arrogantia, & redduntur tam insolentes, ac impudentes, vt etiam iniquitatem & scelerata facta sua, non tantùm excusare, sed etiam honesto prætextu, ac specioso tegumento defendere audeant. Nec mirum. Cæcantur enim rerum suarum felicitate, vt quemadmodum adeps aut

Deut. 4.

Esa. 45.

craſsitudo oculos hominum pinguium ſupergredi-tur, ac penè abſcondit, ita ſecundæ res impiorum ſoleant mentem ipſorum, quaſi obducere & excæ-care, vt ſubinde inſolentiores & intolerabiliores fiant. Ac vt intelligas magnitudinem proſperæ fortunæ eorum, ſuperant felicitate ſua imagina-tiones cordis, (hoc eſt) pluſquam quiſquam cogi-tare, aut corde ſuo fingere vel etiam ſomniare queat. Hinc adeo fit, vt inflato & imperioſo ſuo ſermone, exterreant miſeros quoſque, & fingant mera malitia varias contra ipſos calumnias. Quid multa? Loquuntur è ſublimi, præ ſe quoſuis alios faſtidientes, ſiue de rebus cœleſtibus, ſiue terre-nis ſermo fiat, ſummam ſemper ſibi autoritatem vendicant, & dicta ſua, non niſi pro diuinis ora-culis haberi volunt. Non igitur mirum, quòd etiam populus Dei conuertatur illuc, (hoc eſt) coniun-gat ſe cum impijs, & conferat ſe ad ipſos maxima frequentia, non aliter, quàm ſi torrens è montibus rapidè feratur. Obſerues autem hîc, quòd Græcus interpres, pro eo, quod eſt apud Hebræos, מי Me, & ſignificat Aquas, legerit ימי Ieme, & ſignificat Dies, quia tranſtulit, Dies pleni, cum debuiſſet trans-ferre, Aquas plenitudinis, vt ſit ſententia: Popu-lus Dei, offenſus felicitate impiorum, tam cupidè & affluenter ſociat ſe cum ipſis, quàm rapidè tor-rens plenus aquarum de montibus decurrit. Vnde adſcribunt etiam ſe ſententiæ ipſorum, & dicunt: Quomodo agnoſceret Deus illos homines, qui pro-fitentur ſe electam Dei Eccleſiam, cum ſint longè

omnium

omnium miſerrimi? & quomodo eſſent Altiſsimo curæ, cum ſint calamitoſiſsimi, & inter reliquos homines abiectiſsimi? Ecce enim illi, quos ipſi vocant impios, ſunt in hoc ſeculo feliciſsimi, & aſſequuntur, diuino beneficio, in terris, quas animo ſuo concupiſcunt, diuitias, & proſperitates. Quomodo igitur hi felices, Deo eſſent odioſi, illi autem infelices, Deo accepti? Certè idem quoq; mihi videtur, vt arbitrer me planè fruſtra dediſſe operam pietati, & vano ſtudio innocentiam ſectatum eſſe, adeoq; nullo prorſus commodo meo ſuſtinuiſſe hactenus ſingulis diebus, ſine vlla intermiſsione, à ſummo mane, vſq; ad veſperum, flagella, perſecutiones, & omne genus afflictionis. Itaq;, ex hac rerum varietate & diſsimilitudine, qua malis eſt benè, & bonis malè, non impij ſolùm, verumetiam pij in tantum offendi ſolent, vt veniat ipſis in mentem, quòd aut Deus non ſit, aut ſi eſt, ſit vel ceſſator, qui non curet res humanas: vel iniuſtus, qui nunc quidem æqualia, ſeu eadem inter bonos & malos, nunc autem planè diuerſa, bonis mala, & malis bona diſtribuat: vel inuidus, qui non velit, vt bonis bona contingant: vel impotens, & non, ſicut prædicatur, omnipotens, qui cum velit, non poſsit efficere, vt tàm bonis quàm malis, pro ſuo cuiq; meritò eueniant. Quid hoc, quæſo, offendiculo grauius? quid difficilius? præſertim cum & illud accedat, quemadmodum paulò antè expoſitum eſt, quòd impij ſumant ex eo occaſionem gloriandi, inſultandi, perſequendi, & opprimendi pios, vt & Deus ipſe videatur cauſæ

impiorum fauere, & pios, vna cum religione sua reprobare. Quid ergo ad hæc dicendum est? Hîc audiamus Psalmum.

15. *Si dixero, me eiusdem esse sententiæ, ecce generationem filiorum tuorum reprobarem.*
16. *Et suscepi istud cognoscendum, sed hic erat labor coram me.*
17. *Donec intrarem in sanctuarium Dei, & obseruarem nouissima eorum.*

Illud vult dicere. In tãta offendiculi grauitate, vtroque, quod dici solet, cornu premor. Si detestatus fuero impiorum felicitatem, videbor effrenato furore correptus, ac non solùm cum solenni rerum cursu, & manifesta experientia pugnare, verumetiam iudicium Dei, qui est felicitatis ipsorum autor, reprehendere. Si autem adscripsero me sententiæ impiorum, & cogitauero, Deum aut non esse, aut non facere officium suum, cohorresco ipse ad tam impios & detestandos animi motus. Non enim aliud facerem, quàm quòd generationem filiorum tuorum, (hoc est) vniuersam Ecclesiam tuam, quæ est cruci subiecta, damnarem. Quò igitur me vertam? Certè in tam difficili causa, humana ratio me iuuare non potest. Etsi enim aliquoties multo labore conatus sum, hoc, quicquid est difficultatis, humanis meis διαλογισμοῖς perscrutari, tamen ipsa re comperi, quòd superet omnem meum intellectum, nec potui quicquam ingenio meo assequi, donec intrarem in sanctuarium Dei, & diligenter animaduerterem, quo tandem euaderet, & quem finem sortiretur felicitas.

tas impiorum. Oſtendit ergo nobis Spiritus ſanctus duplicem viam, qua offendiculũ, quod hactenus commemoratũ eſt, euadamus. Altera eſt, ingreſſus in ſanctuarium Dei. Altera eſt, conſideratio finis felicitatis impiorum. Dicamus igitur de priori prius. Nam ingredi in ſanctuarium ſeu tabernaculum Dei, hoc loco, eſt audire vocem DOMINI Dei noſtri, quæ in ſanctuario Dei ſonat, & cognoſcere verbum eius, quod in Eccleſia prædicatur. Sola enim vox Dei, ſolum verbum Dei poteſt nos in hac difficultate erudire, & quid ſentiendum, quidue faciẽdum ſit, explicare. Audiamus ergo vocẽ DOMINI, audiamus verbum Dei, vt diſcamus tã periculoſo offendiculo obuiã ire. Ac primùm, quòd malis ſit benè, & bonis malè, ſollicitat hominem ad negationem Dei, vt arbitretur nullum eſſe Deum. Non iam ducam te ad audiendam vocem naturæ, quæ & ipſa, mentibus noſtris impreſſa, vociferatur eſſe Deum: Interroga iumenta, inquit Iob, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpõdebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus DOMINI fecerit? Et Paulus: Deus, (inquit) non expertem teſtimonij ſeipſum eſſe ſinebat, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora frugifera, implens cibo & lętitia corda noſtra. Ac rurſus: Quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in gentibus. Deus enim illis patefecit. Siquidem, quæ ſunt inuiſibilia illius, ex creatione mundi, per opera intellecta, cognoſcuntur, ipſa videlicet æterna eius potentia ac diuinitas. De hac, inquam, voce ſeu cognitione naturæ, qua mens huma-

Iob 12.

Acto. 14.

Rom. 1.

na diuinitus est imbuta, & quæ è singulis visibilibus creaturis clamat, Esse Deum, nihil in præsentia dicam. Cum enim ingressi simus in sanctuarium Dei, & hæc naturæ vox, inter graues tentationes silere soleat, audiamus potius, quæ DOMINVS in sanctuario, seu tabernaculo suo de hac re loquatur. Nec illud nunc curiosè perscrutemur, quid DOMINVS præcipiat & loquatur ex arca testamenti, & propitiatorio, de medio
Exod.25. Cherubim, quod à Mose, diuino mandato institutum fuit. Etsi enim oracula, quæ ex illo edebantur, fuerunt cœlestia, ac diuina, & manifestè testabantur Esse Deum, tamen quia hæc à paucissimis tantùm auditoribus, ad hoc peculiariter selectis cognoscebantur, audiamus nunc illa, quæ in sanctuario, publicè cognoscenda, diuinitus proponi solebant. In Deuteronomio enim Mosi, sic dicitur: Scripsit Moses legem
Deut.31. hanc, & tradidit eam sacerdotibus, filijs Leui, qui portabant arcam fœderis, & cunctis senioribus Israel, præcepitq; eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solennitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex filijs Israel, vt appareant in conspectu DOMINI Dei tui, in loco, quem elegerit DOMINVS, leges verba Legis huius coram omni Israel, &c. Habes scripturam Mosis seu Legis, cui accessit postea scriptura Prophetarum, ac postremò adiecta est scriptura Apostolorum, quæ est scripturæ Mosis & Prophetarum explicatio, & illustratio.

Sunt autem hæ scripturæ tanta autoritate confirmatæ, & tot cœlestibus testimonijs ac miraculis roboratæ,

ratæ, vt ſi angelus de cœlo aliud pugnans, cum illis, quæ in his ſcripturis continentur, vel prædicauerit, vel ſcripſerit, anathema ſit. Spiritus ſanctus igitur, cum iubet nos in hoc Pſalmo, ingredi in ſanctuarium Dei, iubet nos audire illam ſcripturam, & cognoſcere doctrinam eius, vt diſcamus, quid de Deo ſit credendum, & ſciamus, qua ratione offendiculo medeamur. Quid ergo ſcriptura illa nobis de Deo tradit? Initio, etſi ſcriptura proponit nobis, variis argumentis, notationibus, viſionibus, & miraculis, Deum, quaſi viſibilem & ſenſibilem, tamen duæ ſunt præcipuæ, & publicæ demonſtrationes, quibus verè eſſe Deum comprobatur. Altera eſt promulgatio Decalogi, quæ facta eſt quinquageſimo die, poſt egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto, ſtupendis miraculis, & ſpectatoribus ac auditoribus, pluſquam ſexcentis milibus hominum, in monte Sinai. Altera eſt promulgatio Euangelij de Ieſu Chriſto, quæ facta eſt in die Pentecoſtes, poſt reſurrectionem Chriſti à mortuis, maximis omnium miraculis, coram innumerabili multitudine in monte Zion. Hæc duo ſpectacula, ſunt publica, & omni exceptione maiora, in toto orbe terrarum, teſtimonia, quibus manifeſtè comprobatur, quòd verè ſit Deus. Et hæc illa ſunt, quæ nobis in ſanctuario Dei, & Eccleſia eius, audienda & cognoſcenda proponuntur. Quare quicquid in terris acciderit, ſiue bonis malè, ſiue malis benè, conferamus nos ad hæc teſtimonia intuenda & diligenter expendenda, quibus, autore Spiritu ſancto, de diuinitate ita certificabimur, vt nos varie-

tas

tas & diſsimilitudo rerum in his terris, nihil remorentur. Deinde hæc teſtimonia non ſolùm demonſtrant nobis, quòd verè ſit Deus, ſed etiam qualis ſit Deus. Principio enim, Deus non eſt ceſſator, aut rerum humanarum neglector. Qui enim humanum genus è nihilo condidit, quommodo iam conditum negligeret? Qui humano generi legem viuendi dedit, quomodo curam eius gubernandi abijceret? Qui vnigenitum filium ſuum pro ſalute humani generis dedit, & Euangelion eius in toto orbe terrarum promulgauit, vt omnis, qui credit, non pereat, ſed habeat æternam vitam, quomodo interitum eius diſsimulandum ſibi putaret? Qui etiam paſſeres, quorum duo aſſe veneunt, curat? Qui capillos quoq; capitis noſtri numerat, quomodo non in nobis ipſis conſeruandis curam ſuam poneret? Deinde, Deus non eſt, nec iniuſtus, nec inſipiens, ſed eſt iuſtitia & ſapientia ipſa.

Gen. 18. Quid autem abſurdius, quàm iuſtitiæ & ſapientiæ tribuere iniuſtitiam & inſipientiam? Abſit à te, inquit Abraham, vt occidas iuſtum cum impio, fiatq; iuſtus, ſicut impius? Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem

Pſalm. 118. terram. Et in Pſalmo: Iuſtus es DOMINE, & rectum

Pſalm. 145. iudicium tuum. Ac rurſus: Iuſtus DOMINVS in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. De ſapientia autem Dei dicit Iob: Apud ipſum (DOMINVM) eſt ſapientia, & fortitudo, & ipſe habet

Pſalm. 104. conſilium, & intelligentiam. Ac iterum in Pſalmo: Quàm magnificata ſunt opera tua, DOMINE. Om-

Eſa. 40. nia in ſapientia feciſti. Et Eſaias: Non eſt, inquit, inueſtigatio ſapientiæ eius. Adhæc, Deus non eſt inuidus, ſed beneficus, clemens & miſericors. Quomodo enim eſſet

esset inuidus, qui est charitas ipsa? & qui sic dilexit mundum, vt proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum? Præterea, Deus non est impotens, sed omnipotens: Ego Deus, inquit ad Abrahamum, omnipotens. Et: In manu tua, inquit Iosaphat, est fortitudo, & potentia, nec potest tibi quisquam resistere. Quid multa? Deus non solùm EST, verumetiam est æternus pater vnigeniti filij sui, quem in plenitudine temporis emisit factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus, ac vt, accepto Spiritu sancto, clamaremus Abba pater. Ecce, hæc illa sunt, quæ in sanctuario Dei, Propheticis & Apostolicis scriptis explicantur: è quibus per Spiritum sanctum cognoscimus, quòd non solùm sit Deus, verumetiam, qualis sit, videlicet, Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui paterno affectu mittat filium suum, DOMINVM nostrum Iesum Christum, iuxta diuinitatem quidem, à se ab æterno genitum, iuxta humanitatem autem de Spiritu sancto, in virgine Maria conceptum, & ex ea natum, redemptorem humani generis, qui expiatis morte sua peccatis nostris, & resuscitatus, ascendit in cœlum, & sedet ad dextram Dei patris sui omnipotentis, ac misso in Apostolos Spiritu sancto suo, vulgauit Euangelion suum in vniuersum mundum, venturus tandem suo certo tempore, ad iudicandos viuos & mortuos. Offensi igitur felicitate impiorum in his terris, conferamus nos confestim, & properemus ad sanctuarium Dei, hoc est, ad Prophetica & Apostolica scripta, vt ex ijs cœlestem medicinam, aduersus omne genus tentationum & offendicu-

Genes. 17.

lorum petamus. Nam, quòd inter homines, in his terris, piĳ affligantur, & impiĳ felicem vitam ducant, non arguit, vel non eſſe Deum, vel Deum non eſſe Patrem, Filium, Spiritum ſanctum ceſſatorem, iniuſtum, inſipientem, inuidum & impotentem, ſed aliæ ſunt cauſæ, eæq; grauiſsimæ, iuſtiſsimæ & ſapientiſsimæ, cur Deo viſum ſit, vt in hoc mundo piĳs ſit malè, & impĳs benè, quarum multas, cum ſuprà, in explicatione Pſalmi quadrageſimi quarti, & alias commemorauerimus, ſuperuacaneum eſt eas in hoc loco repetere. Cæterùm ingreſſus in ſanctuarium Dei, ſeu ſcripta Prophetica & Apoſtolica, non tantùm docent, quæ ſit vera ratio diuinitatis, ſed etiam, quis ſit finis impiorum felicitatis, & piorum infelicitatis: cuius rei conſideratio, affert & ipſa offenſo plurimum conſolationis, vt in officio pietatis contineatur: Hic labor, inquit Pſalmus, erat mihi, donec intrarem in ſanctuarium Dei, & obſeruarem nouiſsima eorum. Quid ergo didiciſti in ſanctuario Dei, & quæ ſunt nouiſsima impiorum? Quæ nos de Deo doceant Prophetica & Apoſtolica ſcripta, paulò antè breuiſsimo quodam compendio indicatum eſt. Quæ autem ſint nouiſsima impiorum, docent eadem ſcripta, non verbis tantùm & dictis, ſed etiam exemplis. Etſi enim initium, & progreſſus felicitatis impiorum videntur proſperrima, & durabilitate ſua firmiſsima, tamen ex horum ſcriptorum dictis & exemplis, imò etiam noſtra experientia manifeſtum eſt, quòd poſtremum ſeu exitus huius felicitatis ſit infeliciſsimus, & plenus horrore. Vnde & in Pſalmo ſequitur.

Certè,

18. *Certè, in (locis) lubricis collocas eos, conijcis ipſos in interneritionem.*

19. *Certè diſperunt ſubitò, abſumuntur, conficiuntur præ terroribus.*

20. *Sicut ſomnium (euaneſcit) ab euigilante, Domine, in ciuitate imaginem ipſorum deſpectam reddis.*

Hoc iam eſt perſpicuum dictum Spiritus ſancti, quòd impiorum felicitas non ſit diuturna: Collocas eos, inquit, in locis lubricis. Impij videntur quidem ſibi conſtare in petra, à qua non poſsint deturbari, ſed cum rem ipſam conſideraueris, conſiſtunt in luto, eoq; valde lubrico, in quo, ſi prolapſi fuerint, demerguntur in profundum, & in internitionem. Fieri enim nō poteſt, quin cum ſint impij, ſubitò, & ex improuiſo diſpereant, & deficiant, ac præ repentinis terroribus, quibus iudicio Dei, præter omnem ipſorum expectationem obrui ſolent, abſumantur & conficiantur. Nam, quemadmodum dormiens ſolet aliquoties miranda ſomniare, quæ in rerum natura nunquam nec viſa ſunt, nec audita, ſed cum euigilauerit, quicquid id eſt, euaneſcit, & in nihilum recidit: ita omnis impiorum felicitas, non eſt niſi ſomnium pauperis, qui per quietem videtur ſibi ditiſsimus, cum autem excitatus fuerit, non habet, ne atrum quidem panem, quo fami ſuæ medeatur. Huc pertinet, quod Eſaias de multitudine gentium, quæ dimicauerunt contra Zionem ſcribit: Sicut ſomniat, (inquiens,) eſuriens, & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius, & ſicut ſomniat ſitiens, ac bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt, *Eſa. 29.*

sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion. Ac tolerabile fortassis videretur, si felicitas impiorum in nihilum simpliciter euanesceret, nunc autem Dominus Deus tam seueriter animaduertit in impios, vt reddat in ciuitate, seu publicè, etiam imaginem ipsorum, alicubi in parietibus depictam aut suffixam, abominandam, execrandam, adeoq; aut luto conspergendam, aut pedibus cõculcandam. Huc pertinet etiam totus Psalmus 37. Noli æmulari in malignantibus, inter cuius versiculos, etiam ille continetur: Vidi impium potentem, & eleuatum, instar lauri viridis. Et transiui, ecce autem non erat amplius, quæsiui eum, & non inueniebatur. Et
Iob 21. apud Iobem. Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq; diuitijs? Ac mox: Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Simi-
Hiere. 12. liter apud Hieremiam: Quare via impiorum prospe-ratur? bene est omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt? Et mox sequitur: Congrega eos, quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis, hoc est, impij ideo saginantur, vt velut victima mactentur. Quid multis opus? Vniuersa Prophetica & Apostolica scripta plena sunt his dictis, quibus pronuntiatur, felicitatem impiorum esse verè infelicem. Deinde accedunt etiam exempla. Quid felicius videbatur
Luc. 17. illis, qui erant tẽporibus Nohę, & Loth? Edebãt, bibebant, vxores ducebant, et dabãt nuptũ, ad eũ vsq; diem, quo ille intrauit in arcam, & hic exijt è Zodomis, ac venit diluuium, & pluit igne & sulphure de cœlo, &
Exod. 14. perdidit omnes. Pharao, Ægypti Monarcha, videbatur sibi felicissimus, cùm tyrannis eius aduersus Israe-

litas

litas prosperrimè succederet,& diceret de ipsis: Coartati sunt in terra,concluſit eos desertum. Sed ecce,repentinus interitus eius in mari rubro. Saul, euectus est è minima tribu in imperium Israeliticum,& gubernauit ipsum, iuxta omnem animi sui libidinem, quadraginta(quemadmodum testãtur Acta Apostolica,) annis. Sed ecce, post tantam felicitatem coniectus est paulò pòst in tantam infelicitatem, vt euaginato gladio, sibi ipse necem conscíret. Quid dicam de Nebucad Nezare, Monarcha Babylonico,qui cum diceret: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo,audit: Ad infernum detraheris,in profundum laci? Longum esset enumerare, ex historijs tum sacris, tum mundanis, exempla impiorum,qui è summo felicitatis statu in extremam miseriam, præter omnem expectationem, corruerunt. Ponamus igitur nobis ob oculos, tam dicta, quàm exempla felicitatis impiorum, vt admoniti repentinis eorum casibus contineamur in officio pietatis, & sequamur,non quò nos felicitas eorum,sed quò Deus ipse verbo suo vocat. *Actor.13.* *Esa.14.*

21. *Excandescit cor meum,& renibus meis exardesco.*
22. *Quòd ego necesse habeam stulte sentire, præter meam expectationem,& instar iumentorum esse tecum.*

Paulus ad Romanos de corruptione humanæ naturæ scribens:Reperio, inquit,per legem volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum sit. Idem conqueritur Psaltes sibi quoq; accidisse, quòd cum ad quærendum remedium aduersus offendiculum de felicitate impiorum & infelicitate piorum, ingres-

ſus eſſet ſanctuarium Dei, & conſideraſſet impiorum nouiſsima, ſenſerit quidem nonnullam conſolationem, & aſſecutus ſit qualemcunq; animi tranquillitatem: ſed mox recurrerit peccatum in carne inhabitans, & excitarit in ipſo varios motus & perturbationes: Excandeſcit, inquiens, cor meum, & exardeſco in renibus meis. Cœpi quidem in ſanctuario, ex auditu verbi Dei, cùm è dictis Spiritus ſancti, tùm exemplis ſacræ ſcripturæ, & ex conſideratione exitus felicitatis impiorum, bonam conſolationem, ſed quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum, idcirco intuens iterum in felicitatem impiorum, & in infelicitatem piorũ, vehementer incandeſco corde meo, et cogitationes meæ valde inflammantur aduerſus iudiciũ Dei, quòd benefaciat impijs, & affligat pios. Teneri n. vix poſſum, quin pronuntiem, aut Deum non eſſe, aut ipſum eſſe iniuſtum & iniquum rerum gubernatorem. Ad quam cogitationem, vtpote longè omnium impijſsimam, cum ego ipſe toto animo contremiſcam, intelligo mihi nihil aliud reliquum eſſe, quàm vt contra omnem meam opinionem ſtulteſcam, & in arcanis Dei iuditijs fiam, ſicut iumenta, quæ ratione carent. Nam, ſi ſuſcepero iudicandum, iuxta externam rerum ſpeciem, neceſſe habeo, aut manifeſtè impius fieri, aut recedere ab omni humana ratione. Quæ res cum me mirificè perturbet, quò me vertam, prorſus ignoro. Vides, quanta ſit in offendiculis, & periculis pugna Spiritus & carnis, vt quò maior eſt pietas, eò acrius ſoleat eſſe certamen, & reipſa perſpicuum fiat, quòd homini per Spiritum ſanctum renato, & volenti bonum facere, adiunctum ſit, iuxta Pauli ſententiam,

tiam, malum, vt non quæcunq; velit, eadem faciat. In hac ergo pugna, num est ociandum? num cogitationibus carnis indulgendum aut cedendum? Nihil minus, sed sequendum est exemplum illius, qui adduxerat dæmoniacum ad Christum, & cum interrogaretur de fide, respondet: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Idem exemplum videmus etiam in Psalte nostro. Offensus enim felicitate impiorum, sollicitatur putare aut nō esse Deum, aut Deum esse iniquum. Ingressus autem in sanctuarium Dei, & expendens secum nouissima impiorum, concipit consolationem, & confirmat fidem suam. Sed mox recurrit caro, & iniicit ei manum, vt retrahat ad incredulitatem & impietatem. Confugit igitur ad vetus suum asylum, & confert se in sinū DOMINI Dei sui, vt in ipso tutus ab omni tentationum impetu lateat, tantum nō illud dicens: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Sic enim sequitur. *Gal. 5.* *Mar. 9.*

23. *Ego aūt semper tecum sum. Tenes manu dexteram meam.*
24. *Consilio tuo deducis me, & postea gloria excipit me.*

Etiamsi post Spiritus consolationem caro solet recurrere, & horribiles non tàm cogitationes, quàm blasphemias suggerere, tamen semper tecum, ô DOMINE Deus, cōstans perduro. Quippe quòd, sicut parens, extensa manu sua, apprehendit dexteram filioli sui, & deducit eum securè, quò libet, ita tu sustentas me Spiritu sancto tuo, vt non hallucinet, sed firmus cosistam, & pro summa tua sapientia, stultissimas meas cogitationes, ac tentationes sic gubernas, vt tandem gloria me

me excipiat. Obserua igitur, quo consilio Deus conniueat, vt pij deducantur in varias tentationes, ac nonnunquam etiam in graues blasphemias. Non enim fit illo consilio, vt in ijs pereant, sed potius, vt & sibiipsis noti fiant, & honorificè liberentur ac seruentur. Nam, quemadmodum corporales afflictiones immittuntur pijs diuinitus, non vt opprimantur, sed vt subleuentur, ita & spirituales afflictiones, seu conscientiæ tentationes permittuntur, non vt, qui sunt pij, inducantur in interitum, sed vt ex interitu educantur: Dominus, inquit Hanna Samuelis, deducit ad inferos & reducit. Vide mihi exempla Iobis & Hieremiæ. Hi in tantam animi indignationem & excandescentiam conijciuntur, vt etiam maledicant diei, in qua nati sunt. Sed hoc idcirco factum est, vt tam impietatis in sua ipsorum carne latentis, conscij fierent, quàm honorificè seruarentur. Quare, etsi blasphemiæ carnis sunt detestandæ, tamen si in cordibus piorum patefactæ fuerint, magis ibi exuberat gratia, sicut Paulus loquitur, vbi exuberauit peccatum: idq; non peccati seu blasphemiæ merito: sed gratuita Dei clementia, cui visum est hoc modo gloriam nominis sui illustrare. Quod cum ita se habeat, quis non meritò inflammaretur ad dilectionem Dei, & ad fiduciam in Deum; etiamsi fractus illaberetur orbis. Vnde & sequitur.

1. Reg. 2.
Iob 3.
Hier. 20.
Rom. 5.

25. *Quis est mihi in cœlis? Et tecum non desidero (quicquam) in terra.*

26. *Etiamsi deficiat caro mea, & cor meum, tamen petra cordis mei, & pars mea Deus perpetuò.*

Hæc

Hæc eſt concluſio huius Pſalmi, qua, cõfirmato per dextram Dei, ſeu per Spiritum ſanctum animo, teſtificatur, ſe inter tot offendicula & aduerſa nullum alium, nec in cœlo, nec in terra agnoſcere Seruatorem, niſi DOMINVM Deum Iſraelis. Multa, fateor, & magna ſunt offendicula, quibus perturbatur animus meus, vt cum videam pios affligi, impios autem felicem vitam ducere, ſolliciter vel ad negationem Dei, vel ad accuſationem iniquitatis eius. Sed quicquid id ſit rei, certè, reipſa comperio, quòd Deus ſit clemens & propitius, omnibus iis, qui recto, pio & fideli ſunt corde, etiamſi aliquandiu affligantur, & quòd impiorum felicitas non ſit nec conſtans nec diuturna, &, vt in hoc ſeculo ſemper perduret, tamen reliquum eſt aliud ſeculum, in quo felicitas eorum commutabitur perpetua infelicitate. Comperio & illud, quòd Deus priuatim in me maxima quæque beneficia conferat, & teneat me dextera ſua, vt me, per varios caſus, & per tot diſcrimina rerum, ſaluum perducat. Quare, negare nec poſſum, nec debeo, quin ſolus Deus Iſraelis ſit & verus Deus, & vnicus noſter Seruator. Quis mihi eſt, inquiens, in cœlo, qui me poſsit & velit iuuare, ac ſeruare? Non certe alius, niſi Deus Iſraelis. Nec in terra alius eſt, quem tecum, ô DOMINE, agnoſcam, redemptorem & liberatorem. Mihi nihil ſunt cœlum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ſi te habeam & poſsideam. Tametſi enim defecerint, & viribus ſuis deſtituantur corpus & anima mea, tu tamen, DOMINE Deus Iſraelis, es petra, robur & fortitudo cordis mei, & pars ſeu hæreditas mea perpetuò. Si tu Deus mecum, quis contra me? Si tu mecum, non timebo mala, etiamſi am- *Pſal. 23. & 118.*

Psalm. 23. & 118. bulauero in medio vmbræ mortis. Si tu adiutor meus, non timebo, quid faciat mihi homo. Et si tu DOMINE, mihi adiutor, despiciam omnes inimicos meos. Breuiter. Si Tu meus fueris, mea erunt omnia tàm in cœlo, quàm in terra. Si autem tu non fueris meus, nihil habeo, etiamsi cœlum & terram possedero. Hic ergo scire quispiam cupiet, quid faciendum sit, vt Deus sit Deus noster. Sed de hac re erudiet nos Ioannes Euangelista: Deum, inquiens, nemo vidit vnquam, *Ioan. 1.* vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse *Ioan. 14.* enarrauit. Et iterum: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtiq; cognouissetis. Ac rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Quare, si volueris, non solum Deum verè cognoscere, sed etiam facere, vt Deus sit Deus TVVS, ad Christum filium Dei vnigenitum te conferas, necesse est. Conferes autem te ad Christum, principiò, auditu sermonis eius, qui est Euangelion eius, quod tàm ipse coràm adnuntiauit, quàm per Apostolos suos, in toto orbe terrarum vulgauit, quodq; antea per Pro- *Rom. 3.* phetas suos in scripturis sanctis, (sicut Paulus loquitur,) promiserat. Deinde FIDE, dixit enim ipse: Sic *Ioan. 3.* Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam vitam. Qui CREDIT, inquit in eum. Cognitio igitur Dei, & possessio eius, inde adeò venit, vt Christum cognoscas per fidem, & possideas eum in fide. Sic enim fieri non potest, vt cum Deus proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit, non etiam omnia cum eodem nobis donet.

Ecce

27. *Ecce enim, qui longè recedunt à te, pereunt, perdis quemuis, qui fornicatur à te.*

28. *Mihi verò appropinquare Deo bonum, collocare in DOMINO Deo ſpē meā, vt adnuntiem omnia opera eius.*

Additur ratio prioris dicti. Etiamſi defecerint corpus & anima mea, tamen agnoſco perpetuò te DOMINVM Deum, petram cordis mei, & hæreditatem meam. Manifeſtum enim eſt, quòd illos, qui offenſi vel impiorum felicitate, vel piorum infelicitate ita deficiunt à Deo, vt aut Deum eſſe negent, aut Deum eſſe iniquum cenſeant, aut ſe ad alienos Deos conferant, perpetua maneat internitio: Perdis, inquit, quoſuis, qui fornicantur à te, hoc eſt, qui deficiunt ad alienos Deos, ſeu ad Idolatriam. Fornicationis enim nomine, intelligunt ſacræ literæ non tantùm corporalem ſcortationem, verumetiam ſpiritualem, quæ eſt, Idolomania, vt eſt Num. 14. & 15. Et Ezech. 16. Et Oſe. 1. ac aliâs ſæpe. Quod idcirco fieri ſolet, vt cum Deus vocetur Deus Zelotes, omnes homines intelligant, Deum nihil minus ferre poſſe, quàm vt deſerto vero Deo, & legitimis eius ſacris, ſequantur aliena ſacra, quæ pro humana prudentia, abſq; verbo Dei inſtituuntur: & vt admoneantur tam fœdo nomine, quanta in conſpectu Dei ſit turpitudo Idolomanię. Cum igitur DOMINVS Deus noſter perdat omnes, qui recedūt ab ipſo, & qui collocant ſpem ſuam in alienis diis, nullo modo cōmittam, vt ſiue ego affligar, ſiue impij feliciter agant, deficiam à DOMINO Deo meo. Iudico n. & ſentio, haudquaquam eſſe bonū, ſuaue & iucundum, à Deo recedere, et ad Idola deficere, ſed illud demū bonum & iucūdum eſt, Deo appropinquare, ad Deum confugere, in

tanta humanorum casuum varietate, omnem spem & fiduciam suam in Deo collocare, & Deum inuocare, vt vel tandem ex omnibus aduersis clementer & mirabiliter cõseruatus, ac liberatus omnia beneficia Dei, quæ tam publicè in Ecclesiam suam conferre solet, quàm mihi priuatim præstitit, adnuntiem, & gloriam nominis eius celebrem. Habes in his duobus postremis huius Psalmi versiculis, quid faciendum sit offenso felicitate impiorum, & infelicitate piorum. Primùm enim, etsi magna est dissimilitudo & varietas rerum humanarum, vt & bonis malè, & malis benè sit, tamen Deus non negandus, nec à Deo deficiendum ad idola, & impietatem. Nihil enim certius est impiorum interitu, etiamsi diutissimè felices fuerint. Deinde, solo DOMINO Deo Israelis confidendum. Is enim solus verus est Deus, videlicet, qui, cum creasset cœlum & terram, ac omnia, quæ in eis sunt, promisit, lapso homine in peccatum & mortem, Seruatorem, semen mulieris, seu filium virginis, ac benedictum semen Abrahæ, Isaac & Iacobi, seu Israelis. Et quod promisit, reipsa etiam definito suo tempore impleuit. Emisit enim filium suum, vt Paulus ait, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Hoc igitur solo confidendum est, per vnigenitum filium suum, DOMINVM nostrum Iesum Christum, quemadmodum Prophetica & Apostolica scripta explicant. Postremò, gloria nominis Dei, & miranda eius opera semper celebranda sunt, vt fide confirmati, aduersus omnia offendicula, & insultus satanæ stabiles consistamus.

Gala.4.

Vsus

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus, quia eiuſdem prorſus eſt argumenti, cum Pſalmo triceſimo ſeptimo, eundem quoque vſum habet. Affert enim remedium, quemadmodum ſuprà oſtendimus, aduerſus offendiculum, quo perturbantur pij, quòd impij ſint in hoc ſeculo felices, pij autem infelices. Conſideremus igitur argumenta, quæ in verſiculis huius Pſalmi ſparſim continentur, & quibus animus perturbatus conſeruatur, ne huic tentationi ſuccumbat, & officium deſerat.

Ne offendaris felicitate impiorum, & infelicitate piorum.

Ratio.

1. Felicitas impiorum, non eſt diuturna, nec ſtabilis, ſed terminatur æterna infelicitate. *Verſ.* 17. 18. 19. & 20.

2. Infelicitas piorum terminatur defenſione dextræ Dei, & conſeruatione in omnibus aduerſis. *Verſ.* 23. & 24.

3. Piorum robur, & poſſeſsio eſt, Deus ipſe, qui, vt eſt fidelis, ita dat etiam felicem in aduerſis euentum, vt pij non ſolùm ferre queant aduerſa, ſed etiam magna gloria liberentur. *Verſ.* 25. & 26.

Psalmus 74.

Vt quid Deus repulisti in finem, &c.

IN libro Leuitico scribit Moses: Si non audieritis (inquit DOMINVS) me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, redigam vrbes vestras in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam vltrà odorem suauissimum, disperdamq; terram vestram, & stupebunt super eam inimici vestri. Psaltes autem, siue Propheta ille Asaph, siue alius quispiam ex posteritate eius, videt cunctum orbem Israeliticum repletum esse, manifesto contemptu diuinarum legum, & detestabili idolomania, ac horrendis sceleribus, vt non tantùm peccarẽt impudentissimè, verumetiam persequerentur Prophetas, & nollent in peccatis suis reprehendi. Quare admonitus à Spiritu sancto, intelligit futuram esse vastationem, (de qua Moses vaticinatus est,) nõ terræ tantùm Israeliticæ, sed etiã Sanctuarij seu templi eius, in quo sacra peragebãtur, adeoq; vniuersam rempublicã tam politicam, quàm Ecclesiasticã ab hostibus dissipãdam. Sed ne Ecclesia DOMINI desponderet in exilio animũ, & arbitraretur se à facie DOMINI prorsus abiectam, & ab omni salute exturbatam, suscipit Psaltes præscribendam ei formulam precandi in exilio, vt ex

eo

eo intelligeret, ſe adhuc eſſe curæ DOMINO Deo noſtro, et reliquam eſſe ſpem ſalutis, ſi vel tandem in exilio ipſo & ſupplicio pœnitentiam egerit & reſipiſcat. Quod & ipſum Moſes ſignificauit: Ambulabo, inquiens, & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat incircumciſa mens eorũ. Tunc orabunt pro impietatibus ſuis, & recordabor fœderis mei, &c. Extat ſimile exemplum apud Eſaiam, cap. 63. Cum enim Propheta videret imminere Babylonicam captiuitatem, non contentus Prophetica eius prædictione, inſuper addit etiam formulam precandi, qua captiui vterentur: Miſerationum DOMINI (inquiens) recordabor, laudem DOMINI, ſuper omnibus, quæ reddidit nobis DOMINVS, &c.

Hîc verò dices: Præſtiterat, vt DOMINVS daret populo ſuo ſpiritum agendæ pœnitentiæ, quo futurũ ſupplicium effugerent, quàm vt tũ demũ, cum iam ſupplicio afficiũtur, & crudeliter opprimuntur, daret ſpiritum precandi? Tam. n. opus eſt Spiritu ſancto in precando, quàm opus eſt in pœnitentia agẽda. An nõ igitur rectius faceret DOMINVS Deus noſter, ſi in deſignandis ſceleribus daret Spiritũ reſipiſcendi, quàm quòd in ſufferendis ſupplicijs det ſpiritũ precandi? Sed tu viciſsim audi, quid Paulus dicat: O homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo: Num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxiſti ad hunc modum? An non habet poteſtatem figulus luti, vt ex eadem maſſa fingat, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam? Nam, quod ad dandum ſpiritum reſipiſcendi, e peccatis, attinet, non eſt vlla in Deo remora. Facit ille ſuum ſemper officium. Mittebat, (inquit) DOMINVS Deus patrum ſuorum ad illos, per *Rom. 9.*

manum

manum nuntiorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie cõmonens, eò quòd parceret populo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuntios Dei, & parui pendebant ſermones eius. Et aliâs: Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ac rurſus: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis? Quare non eſt imputandum Deo, quòd impij non reſipiſcant, ſed imputandum eſt peruicaciæ humanę, quæ ſuo ingenio permiſſa, non poteſt non reſiſtere Spiritui ſancto. Quòd ſi autem Deus ex mera & gratuita clemẽtia ſuſceperit impœnitenti ſalutem conferendam, peruicaciam eius non foueat, non adiuuet, ſed mortificet, ſed opprimat, neceſſe eſt. Non mortificatur autem, non opprimitur, niſi aduerſis, & ſupplicijs. Velle igitur & optare, quòd Deus ſeruet peruicaces et impœnitentes, priuſquã humiliẽtur & mortificẽtur, eſt velle Deũ in ordinem cogere, vt nõ pro ſuo diuino arbitrio, & pro ſua legitima ordinatione, ſed pro noſtra humana voluntate, ſalutẽ in impœnitentes conferat. Illa enim demum vera & ordinaria conferendæ cœleſtis ſalutis ratio eſt, non, ſi ſerueris, priuſquam humiliatus, & cruce ſubactus fueris, ſed poſtquam aduerſis, & ſupplicijs probè agitatus fueris et exercitatus. Recte igitur et ordine faciũt Prophetæ, vt, cum vident populum eſſe peruicacem & impœnitentem, ac intelligunt è Spiritu ſancto, immiſnere ſupplicia, præſcribant Eccleſiæ formulas precandi & inuocandi DOMINI in ſupplicijs, vt vel in ijs, quòd antè ceſſatum & neglectum eſt, ad reſipiſcentiam

Prouer. 1.

Matth. 23.

am excitentur. Sed accedamus nunc ad explicationem formulæ precationis, quam Propheta nobis in hoc Psalmo præscribit. Ponamus autem eam præscriptam esse, vel ante captiuitatem Babylonicam, vel ante vastationem, & calamitatem, quam Ecclesiæ Dei intulit Antiochus Epiphanes, & quæ descripta est in Macchabæis. Quid igitur faciant vel captiui à Chaldæis, vel oppressi ab Antiocho, vel afflicti alijs ærumnis? Non afficiant contumelia nomen DOMINI, non conferant se ad idola, non despondeant animum, sed attollant oculos & manus suas ad cœlum, & inuocent nomen DOMINI, dicentes.

1. *Quamobrem, ô Deus, deseris perpetuò? excandescit ira tua in gregem pascuæ tuæ?*

Hoc verò, inquies, non est obedienter precari, sed indignanter expostulare? Vrbs nostra ab hostibus direpta est, templum iacet incendio absumptum, ciues partim sunt trucidati, partim in exilium & seruitutem morte duriorem abducti. Vniuersa regio horribiliter vastata est. Quid ergo est, ô Deus, quòd nos ita deseras, vt calamitas nullum vnquam finem habitura videatur? Quid est, quòd tam grauiter excandescas, idq; in gregem tuæ pascuæ? (hoc est) in electum tuum populum, & in sanctam tuam Ecclesiam? Siquidem hæc diceret impius quispiam homo, & virulentus hypocrita, nõ esset nisi execrabilis blasphemia. Deum enim accusare desertionis gregis pascuæ suæ, & populi seu Ecclesiæ suæ, est Deum accusare mendacij, quippe quòd Ecclesia habeat promissionem perpetuæ prę- *Esa. 54.*

O tiæ

Matt.28 tiæ Dei. Sed hæc precatio est hominum piorum. Tantum igitur abest, vt sit impia cum Deo expostulatio, vt potius illa diligentissimè colligat & commemoret, quibus fides in precatione muniri & confirmari solet: Multa sunt, inquiunt, eaq; maxima mala, quæ nos obruerunt. Precamur igitur, DOMINE, vt non deseras nos perpetuò, nec aduersus nos ita succenseas, vt nos à facie tua abijcias: sed vt nos in tot ac tantis aduersis serues, ac liberes. Non detrectamus affligi ad tempus, aut iram tuam sufferre aliquandiu, hoc enim meruerunt, fatemur, peccata nostra: illud autem deprecamur, ne perpetuò nos affligas neue sempiterna nos excandescentia punias, sed clementer nos exaudias, vt quocunq; vel modo vel tempore, liberemur saltem. Quas igitur affertis causas, cur vos liberem? quibus argumentis persuadebitis mihi, vt vobis iram meam remittam? Multæ sunt causæ, magna argumenta. Primùm, Nos sumus grex seu oues pascuæ tuæ. Ouis, animalculum est planè inerme, totum pendens à pastoris sui cura. Vna igitur causa est, cur te, DOMINE, inuocemus, & liberationem speremus, quia non sumus Leones, aut apri, aut lupi, qui seipsos tueri queant, sed sumus Oues tuæ pascuæ, hoc est, homines miseri, à te toti pendentes, & tuę solius curæ relicti. Cum igitur sis miserorum asylum, & receperis clementer, te respecturum afflictos, & oppressos, non dubitamus, quin nos in tantis nostris ærumnis sis seruaturus.

Solenne autē est, vt Ecclesiæ Dei attribuatur à Spi-
Psalm.79. ritu sancto epitheton ouis: Nos, inquit alius Psamus, populus tuus, & oues pascuæ tuæ. Et iterū: Ipse est DO-

MINVS

MINVS Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius. Et Chriſtus ipſe: Ego ſum, inquit, paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Agnoſcamus igitur & nos oues paſcuæ Dei per Chriſtũ DOMINVM noſtrũ, vt in aduerſis ſciamus, ad quem paſtorem nobis ſit confugiendum. Deinde adduntur & aliæ cauſæ. *Pſalm. 99.* *Ioan. 10.*

2. *Memor (inquiens) eſto congregationis tuæ, quam acquiſiuiſti olim, quam redemiſti, virga, in hæreditatem tuam, (Memor eſto) montis Zion, in quo habitaſti.*

Hic vnus verſiculus ſubminiſtrat nobis tres cauſas, cur DOMINVS, in his ærumnis opem ferat. Prima eſt: Memor eſto congregationis tuæ, quam iam olim acquiſiuiſti. Reſpicit autem ad dictum, quod extat in Deut. cap. 7. Te elegit DOMINVS Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Et cap. 10. En DOMINI Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea ſunt, & tamen patribus tuis conglutinatus eſt DOMINVS, & amauit eos, elegitq; ſemen eorum poſt eos. Populus enim Iſraelis non eſt electus in Eccleſiam Dei, tranſactis iam multis annis, à conditione mundi, ſicut gentes incircumciſæ tum demum in populum Dei electæ ſunt, cum plenitudo temporis veniſſet, & Chriſtus hominem aſſumpſiſſet: ſed electus eſt, iam olim, ab antiquis temporibus, cum diceretur ad Abrahamum: Stabo *Gen. 17.* tuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuũ poſt te, in generationibus tuis fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Quare, cum Tu, DOMINE Deus noſter, acquiſieris & elegeris hanc congregationem, in peculiarem tuam Eccleſiam ex omnibus populis huius terræ, idq; nõ heri aut nudius

tertius, sed iam olim ab initio, Patriarcharum temporibus, nunc autem videas eam immaniter vastatam & dissipatam, non possumus, nec debemus in animum inducere, vt credamus, te pactorum tuorum oblitum, & abiecisse eam in perpetuam internitionem. Qua freti fiducia, obsecramus te, per immensam tuam misericordiam & veritatem, vt in his grauissimis angustijs cœlestem tuam opem ferre nobis non dedigneris.

Secunda causa: Memor esto congregationis, quam redemisti virga, seu funiculo, in hæreditatem tuam. Hoc illud est, quod in Deuteronomio cap. 9. dicitur: DOMINE Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. DOMINVS enim non solum elegit posteritatem Patriarcharum, in populum & Ecclesiam suam, verumetiam redemit & liberauit eam è tyrannide Pharaonis, & seruitute Ægyptiaca, idq; non oscitanter, & quasi aliud agens, sed multis, magnis, & stupendis miraculis. Nec contentus fuit, liberasse eos, sed etiam collocauit eos in terra Canaan, & distribuit ipsam tribubus eorum virga, seu baculo aut funiculo mensario, in hæreditatem, vt possiderent eam vsque ad tempus plenitudinis. Sicut & in alio Psalmo dicitur: Eiecit à facie eorum Gentes, & sorte diuisit eis terram, funiculo distributionis. Ac rursus: Memor fuit in seculum testamenti sui, quod disposuit ad Abraham, dicens: Tibi dabo terram Canaan, funiculum hæreditatis vestræ. Cum igitur DOMINVS non tantùm elegerit populum Israel in hæreditatem suam, sed dederit etiam eis in hæredi-

Psalm. 78.

Psalm. 165.

hæreditatem, terram Canaan, iustissimam causam habere videmur, vt inuocemus DOMINVM, & commonefaciamus eum veterum beneficiorum, ne patiatur nos, populum & hæreditatem suam, tam misere, & tam immaniter ab hostibus discerpi.

Tertia causa: Memor esto montis Zion, in quo habitasti. De monte Zion, in quo excitatum fuit templum DOMINI, dicit alius Psalmus: Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Zion, quem dilexit. Et rursus: Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. Quare, cum Deus tanto fauore prosecutus sit hactenus montem Zion, vt constituerit sibi in eo templum & sedem præsentiæ suæ; nunc autem ab hostibus ita sit vastatus, vt vix reliqua sint vestigia habitationis eius, an non habemus grauissimam causam sperādi & implorandi cœlestem opem, vt Deus meminerit huius montis sui, & restituat nobis, instaurato templo eius, legitima sacra, & veram doctrinam religionis? Habes in vno eoq; breui versiculo tria argumenta, quibus & fides inuocantium nomen DOMINI, & spes cœlestis auxilij confirmatur. Videamus & alia.

Psalm. 78.

Psalm. 132.

3. *Leua gressus tuos ad deuastationes perpetuas, omnia vastat inimicus in sanctuario.*

4. *Rugiunt hostes tui in medio tabernaculi tui, ponunt vexilla sua (in) trophæa.*

5. *Manifestum est, quasi qui adducit desuper, in densa sylua, secures.*

6. *Et nunc sculpturas eius pariter bipenni & securibus concutiunt.*
7. *Mittunt in ignem sanctuarium tuum, ad terram prophanant habitaculum nominis tui.*
8. *Dicunt in corde suo: Conficiamus eos simul, incendunt omnia tabernacula Dei in terra.*
9. *Signa nostra non videmus, non est amplius Propheta, nec est nobiscum, qui sciat, vsque quò?*
10. *Vsq; quò, ô Deus, exprobrat aduersarius? blasphemat inimicus nomen tuum perpetuò?*
11. *Quamobrem auertis manum tuam? & dexteram tuam, de medio sinus tui probibendo?*

Alia persuasionis argumenta, ducta ab insolentia & sæuitie hostium, qua in Deum ipsum, in templum & sancta quæq; loca grassantur. Et, vt congruens ad hęc transitio fiat, repetitur precatio: Leua, ô DOMINE, (inquit) gressus tuos, (hoc est) accelera, festina, propera, vel ad sumendam vindictam, de perpetua illa vastatione, quam hostes instituunt, vel ad inferendam ipsis perpetuam vastationem, vt quod ipse nobis inferre cogitant, in caput ipsorum recidat. Hinc iam subijcit copiosam cõmemorationem, & quasi hypotyposin insolentiæ hostium, quam in domum DOMINI, & in alia loca sacra, quæ vel Synagogas, vel Scholas vocant, exercẽt: Omnia, (inquit) vastat inimicus in Sanctuario. Omnia prophanant & conculcant aduersarij. Primùm enim, hostes rugiunt in medio tabernaculi, (quod Moses vocauit tabernaculum fœderis seu testimonij, Exod. 33.) Vbi enim antea audiebantur Psalmi, & carmina, in laudem nominis DOMINI, ibi nunc auditur

auditur rugitus quasi Leonum, & effrænata ac impotens vociferatio hostium. Deinde, vbi antea visebantur signa & momumenta mirabilium beneficiorum Dei, ibi hostes statuunt sua signa seu vexilla in trophęum, idq; faciunt hostes, non propriè nostri, sed quod longè omnium indignissimum est, hostes tui, hostes (inquam) tui. Si nostri tantum hostes essent, deputaremus hanc insolentiam meritis nostrorum scelerum. Nunc autem sunt homines ἄθεοι, impij, magis tui ipsius, quàm nostri hostes. Quid igitur est, quòd ad tam immanem ipsorum furorem conniueas? Ad hæc, exercẽt impudentiam & temeritatem suam, non in occulto, sed manifestè, in loco aperto & propatulo. Nã, quemadmodum mercenarij, qui mittuntur in condensam syluam, ad cædenda ligna, solent securibus suis arborẽ post arborem deijcere, ita hostes attollunt & desuper adducunt secures suas, perinde ac si mercede conducti essent, vt incidant, & demoliantur, quicquid est insignium ædificiorum in templo, adeoq; atrociter sæuiunt, vt ne quidẽ artificiosis sculpturis, seu cęlatis ostijs, (vtrunq; enim significat Hebræũ vocabulũ פתוחיה Pithuchim) parcant. Necdum finis est sæuitiei, absumunt præterea igni Sanctuarium tuum, ac prophanãt habitaculũ nominis tui, deijcientes in terrã. Nec grassantur tantùm in vnum & alterũ tabernaculũ, verumetiã cõspirantes in nostrã omnium internicionẽ cogitant nos prorsus, vnâ cũ omnibus Ecclesijs nostris, è medio tollere. Ac tanta est calamitas nostra, vt interea non videamus vlla signa & argumenta cœlestis fauoris, nec excitetur inter nos Propheta quispiam, aut Vates, qui cõsoletur nos, & ostendat nobis tantorũ malorum finẽ.

Etsi

Etsi enim Deus misit olim in Ægyptiacis ærumnis, Mosen & Aheronem, qui adnuntiarent afflictis liberationem, & in Babylonica vrbis Hierusalem expugnatione, Hieremiam & alios Prophetas, qui excitati Spiritu sancto, certũ captiuitatis terminum definirent, ac præmisit quoq; ante tyrannidem Antiochi, Danielem, qui eius calamitatis finem prædiceret, tamen, quemadmodum Israelitæ, cum premerentur præsenti grauitate seruitutis, non multum afficiebantur consolatione & cohortatione Mosi ac Aheronis, sed potius inuehebantur in ipsos virulentissimè: ita & nos, cùm iam præsenti sensu, vel calamitatis Babylonicæ, vel tyrannidis Antiochi enecemur, non multum requirimus, quid nobis Prophetæ vaticinati fuerint, sed ita afficimur, perinde ac si non esset vllus Propheta, qui nobis euentum illarum ærumnarum exposuisset. Tanta enim est afflictio nostra, vt præ grauitate eius nulla prorsus nobis signa beneuolentiæ Dei appareant. Quò vsq; ergo, ô Deus, impunè ferent aduersarij opprobria & blasphemias suas, quas in nomen tuum virulenter & impudenter euomere pergunt? Quandiu auertis à nobis manum tuam, vt non conferas in nos terq; quaterq; miseros, cœlestem tuam opem? Quid est, quòd prohibeas dextram tuam, vt non extendas eam de sinu tuo, qua è tantis malis extrahamur?

Daniel.12.

In his versiculis duo præcipuè commemorantur, quibus Deus ad conferendam opem in tantis aduersis excitatur, hoc est, quibus fides inuocantium Deũ confirmatur, vt de exauditione precum suarum non dubitent. Alterum est, quòd quos hostes ac inimicos precatores commemorant, demonstrent non esse suos proprie,

prie, ſed maximè omnium DOMINI Dei hoſtes eſſe, & quæ ſacra loca deuaſtent, non eſſe priuata hominum, ſed publica Dei tabernacula & ſanctuaria: Rugiunt (inquiũt) hoſtes TVI, non NOSTRI. Et: Rugiunt in medio tabernaculi TVI. Ac mittunt ignem in ſanctuarium TVVM. Et prophanant habitaculum nominis TVI. Ac blaſphemat inimicus nomen TVVM. Eodem genere loquendi conſolatur & confirmat etiam Deus ipſe Samuelẽ Prophetam: Non te, (inquiens) ſed ME abiecerunt, ne regnem ſuper eos. Quis autem impunè ferret, qui Deum abiſcit? qui Dei hoſtis eſt? qui cum DEO pugnat? qui habitacula, tabernacula & ſanctuaria DEI ſubuertit, & deuaſtat? Sacrilegium eſt, ſi quis, quæ DEO dicata, & ſacrata ſunt, diripit. Quantum igitur illud eſt ſcelus, ſi quis cum DEO ipſo belligeratur? Quare ſimus in tantis ærumnis non ſolùm æquo, verumetiam forti animo, quippe quòd hoſtes noſtri, in nobis oppugnandis, non propriè in nos ipſos, ſed in DOMINVM Deum noſtrum graſſentur. Alterum eſt, quòd precatores magnitudinem & grauitatem malorum, quæ ipſi ab aduerſarijs ſuis contingunt, recenſeant coram DEO, non tanquam ignorante, aut ceſſante & negligente, ſed tanquam verace, & promiſsionum ſuarum certiſsimo impletore. Promiſit enim Deus, ſe in omnibus populi ſui afflictionibus affuturum, & quò grauiora ſint aduerſa, eò propius eſſe cœleſte auxilium: Oſtendis mihi (inquit alius Pſalmus,) afflictiones multas & graues, conuerſus autem viuificas me. Ac mox: Multiplicas magnitudinem ærumnarum mearum, ſed viciſsim maiori conſolatione ſuſtentas me. Et rurſus: Cum

1. Reg. 8.

Pſalm. 71.

Psalm.91. ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quare, quantū precatores amplificant & exaggerant aduersa sua in conspectu Dei, tantum confirmant fidem suam, quod quò grauiores sunt afflictiones, eò propinquior & certior sit liberatio.

12. *Deus autem rex meus ab initio, qui operaris salutes in medio terræ.*
13. *Tu dissipas fortitudine tua mare, conteris capita Cetorum in aquis.*
14. *Tu concutis capita grandis piscis, quem das in escam populo solitudinis.*
15. *Tu producis fontem & torrentem, tu exiccas flumina validа.*
16. *Tuus est dies, & tua est nox, tu ordinas luminare (minus) & solem.*
17. *Tu statuis omnes terminos terræ, æstatem & hyemem tu creas.*

Aliud argumentum, ductum à Dei omnipotentia, & omnium rerum gubernatione, cuius summa hæc est: Tu, ô Domine Deus, omnia creas, gubernas, regis, & ordinas tam in cœlo, quàm in terra & mari, atque adeo, vt ne capillus quidem de capite, absque voluntate tua cadat. Cum autem tibi non sit ignotum, quid hostes nostri, imò TYRANNI, in nos moliātur, nec, quod nobis inferunt, absque tua fiat voluntate & ordinatione, non dubitamus, quin tu antè definieris eis terminum, quò vsque progrediantur, & præuideris rationem,

nem, qua nos sis seruaturus, & liberaturus. Petimus igitur supplices, vt nobis in tot ac tantis aduersis clementer succurras, ac bonam tuam erga nos voluntatem patefacias: Tu Deus, inquit, Rex meus es, ab initio. Non iam primùm cœpisti nobis benefacere, nec iam primùm agnoscimus te Regem, gubernatorem, tutorem, & conseruatorem nostrum, sed agnoscimus te iam inde ab initio rerum conditionis autorem omnis in terra salutis. Quicquid vnquam beneficij vel in humanum genus, vel in posteritatem Abrahæ collatum est, hoc à te profectum esse, ingenuè fatemur, vt alium, præter te, salutis autorem, in vniuersa terra, nec sciamus, nec credamus. Cæterùm, ab hoc duodecimo versiculo, commemorantur multa admiranda opera Dei, in cœlo, in terra, & in mari, quæ, vt exponunt & illustrant omnipotentiam, & maiestatem Dei, in gubernatione omnium rerum, ita solent plerunque ab Interpretibus allegoricè explicari. Nos, quia videmus Psalmum octuagesimum nonum, eorundem ferè operum Dei mentionem facere, τὸ ῥητὸν seu literam horum versiculorum expositione nostra ita retinebimus, vt tamen allegorian eorum non reijciamus: TV dissipas, inquit, fortitudine seu robore tuo mare. Hoc in Psalmo octuagesimo nono sic dicitur: Tu dominaris tumori maris, eleuationem fluctuum eius tu comprimis. Deus enim tantæ est potentiæ, & tantarum virium, vt etsi mare ventorum vehementia intumescit, & tumultuatur, robore tamen Dei fluctus eius dissipentur, compescantur, & sedentur, vt fiat sum-

ma tranquillitas. Hoc verum est, primùm, in externo mari, & in tempestatibus eius. Hę enim, quantũcunq; magnæ fuerint, maior tamen est virtus Dei, qui eas vno verbo compescit, quemadmodum filius ipse Dei, DOMINVS noster Christus reipsa comprobauit. Deinde comprobatum est in mari rubro, quòd, cum ve-
Exod.14. hemens ventus vertisset in siccum, facilimum præbuit transitum Israelitis, vt manum hostium suorum euaderent.

Idem solet etiam admirabili Dei potentia fieri in seditionibus vulgi, quæ etsi sunt grauissimæ tempestates, tamen, vel vno tantùm Dei nutu sedari possunt, quemadmodum testantur exempla in Numeris, cap. 11.14.16.& 21.

Deinde addit: Tu cõteris capita Cetorum in aquis: Tu concutis capita grandis piscis, quem das in escam populo solitudinis seu deserti. Pro Cetis, Hebræus habet Thanínim, quod interpretantur pro Serpentibus aut Draconibus, aut Balænis. Gen.1. Creauit Deus Thanínim, (hoc est) Dracones marinos, seu Cetos magnos. Esa.27. Occidet Thanin, (hoc est) Cetum, qui est in mari. Et aliquoties, nomine Thanim, significatur Princeps magna potẽtia illustris. Ezech.29. Ecce ego contra te, Pharao, rex Ægypti, Draco magnus, &c. Pro grandi autem pisce, Hebræus habet Liuiathan, cuius etiam fit mentio, in Iobe, cap.3. & 40, Item Psal. 104. Et Esa. cap.27. ac exponunt, pro maximo pisce, qui est in mari. Initio igitur Liuiathan significat beluam, (quæ est in mari) omnium maximam. Deinde hoc nomine adumbratur potentia satanæ, quòd sicut inter marina animalia, Liuiathan, bellua est, longè omniũ vastissi-

Vide Plinium li.9.cap.2.& 3. de magnitudine marinarum belluarum.

vaſtiſsima,& humanis viribus indomabilis, ita ſpiritũ ſatanę,nullum humanum robur domare & condocefacere poſsit,quemadmodum apud Iobem cap.40.deſcribitur. Quod aũt apud homines eſt impoſsibile, hoc apud Deũ non tantùm eſt poſsibile,ſed etiã facile. Quare,ſiquidẽ ſermo eſt de corporalibus Cetis, nõ eſt obſcurũ,quòd Deus capita ſeu robora eorum ita comprimat,& contineat,vt etiamſi queant viribus ſuis naues ſubuertere,tamẽ neceſſe habeãt,diuina virtute coacti, naues incolumes dimittere.Nec de Liuiathan dubium eſt,quin diuinitus ita coerceatur, vt etſi eſt tam marinarum, quàm terreſtrium belluarum maxima ac fortiſsima, tamen non ſolùm neceſſe habeat ſe intra ſuos fines continere,& ab hominum nocumento abſtinere, verumetiam hominibus de ſe eſcam præbere,vnde & aliquot hominum genera, ἰχθυοφάγοι (hoc eſt)piſcium comeſtores dicuntur. Et in hoc loco Pſalmus ait,Liuiathan dari à Deo in eſcam populo ſolitudinis. Pro ſolitudine autem apud Hebræos eſt, צִיִּים Ziim, quod alij interpretantur Æthiopes,alij loca deſerta. In Æthiopia enim,ſi tabulis,quę extant,Geographicis creditur,habitant ἰχθυοφάγοι. Teſtatur & Hieronymus, ἰχθυοφάγους, gentem in littore maris rubri errantem, aſſare piſces ſuper petras,ſolis calore feruentes,& hoc ſolo alimento victitare. Hoc idcirco commemorare viſum eſt,vt ſciamus, quid ſibi Pſalmus velit,cum affirmat magnos piſces maris à Deo non ſolùm contineri,ne noceant hominibus,verumetiam præberi in eſcã accolarum maris, & incolarum ſolitudinum,quę ſunt in maris vicinia.Si autem ſermo eſt de grandi illo Liuiathan ſeu Ceto, qui adumbrat ſatanam & potẽtiam

Li.2.aduerſus Iouinianum.

eius, manifestum est, quòd etsi satan, alioqui humanis viribus inuictus est & indomitus, tamen manu Dei ita continetur, vt à prima mundi conditione promiserit semen mulieris, seu filium virginis, qui contereret caput eius, & tandem miserit etiam illum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt opera satanæ dissolueret, & destrueret.

Ad hæc: Tu producis fontem & torrentem. Tu exiccas flumina valida. De origine fontium & fluuiorum Physici suas habent cogitationes, & explicationes. Et qui sunt inter ipsos pij, non commemorant naturales eorum causas, vt verum naturæ autorem excludant, sed potius, vt doceant, quo is ordine soleat fontes & fluuios producere. Deus enim, vt est agens potentissimum, ita etiam liberrimum: nec est alligatus ad ordinem à seipso institutum, sed siquidem libuerit ei vsitatum & consuetum modum seruare, effundit fontes & fluuios è montibus, conuerso intra montes aëre in guttulas aquæ, quæ cum in vnum locum conuenerint, erumpunt, nunc in fontem, si pauciores, nunc in fluuium, si plures confluxerint. Si autem libuerit edere exemplum peculiaris suæ potentiæ & libertatis, non indiget hoc ordine, sed sicut initiò dixit: Fiat lux, & facta est continuò lux, ita etiam dicit ad petram: Effunde aquas, & mox absq; vlla mora effundit, quemadmodum testatur exemplum, quo eduxit DOMINVS riuos de petra durissima, & scriptum est in Exodo capite 17. & in Deuteronomio capite 8. Huc pertinet etiam suo quodam modo, exemplum grandis illius diluuiæ, quæ facta est

Aristote. li. 1. Meteororum cap. 13.

Et Seneca li. 3. naturalium quæstionum.

est temporibus Eliæ, in Carmelo, sicut scriptum est in tertio libro Regum, capite 18. Quare, siue Deus vtatur consueto suo ordine, siue miraculum edendum suscipiat, certè fontes & flumina non oriuntur temere, sed non nisi diuina potentia prorumpunt.

Quod autem additur: Tu exiccas flumina valida, non est ignotum, quòd scriptores rerum memorabilium testentur, flumina alicubi absorberi, quæ alijs locis reddantur, & loca terræ ita mutari, vt vbi prius terræ fuerint, ibi nunc sint flumina, adeoq; mare ipsum semper alias terræ partes aquis priuare, alias occupare. Etsi autem nec hæc temerè fiunt, sed illius tantùm numine & nutu, absq; cuius potestate & voluntate non cadit passer in terram, nec capillus de capite, admirandæ tamen exiccationes maris rubri & fluuij Iordanis testantur, Deum posse, & siquidem necessitas postulauerit, etiam velle, in exiccandis fluminibus non solùm iuxta ordinem à se institutum, sed etiam præter eum ordinem pro sua libertate, quod visum est, agere.

Vide Aristotelem li. 1. Meteororum, cap. 14. Et Plinium li. 2 historiæ mundi, cap. 85. et 86.

Exod. 14. Ios. 3.

Idem sentiendum est de Die & Nocte, de Luna, quod est luminare minus, & de Sole, quod est luminare maius, similiter de finibus terræ, et de æstate ac hyeme. Neq; enim temerè oritur Dies, neq; temerè solet fieri Nox, sed dicunt semper testimonium de omnipotentia Dei. Nam, quemadmodum Deus ab initio ea creauit, ita adhuc hodieq; ea conseruat. Dixit Deus, (vt est in libro Γενέσεως: Fiat lux, & facta est lux. Ac mox: Diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem Diem,

diem,& tenebras noctem. Non eſt autem ad hunc ordinem ita alligatus, & conſtrictus, vt non queat vltra ſepta, quod dicitur, tranſilire. Retinet enim ea in manu ſua tam potenter, vt ſi viſum fuerit, diem vertat in noctem,& noctem in diem. In Exodo, Moſes extendit manum in cœlum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuũ, nec mouit ſe de loco, in quo erat. Vbicunq; autem habitabant filij Iſrael, lux erat. In libro Ioſuæ, ſol ſtetit in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Vides, Deum habere in manu ſua diem & noctem, vt etſi cunctis diebus terræ non requieſcunt, ſicut liber Geneſeos loquitur, ſementis & meſsis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies, tamen manus DOMINI, non ſit abbreuiata, quò minus poſsit diem in noctem, & noctem in diem conuertere.

*Exod.*10.

*Ioſ.*10.

*Gen.*8.

Quòd ſi de curſu ſolis & lunæ loquendum eſt, Tu ordinas (inquit) luminare, (videlicet, minus, ſic enim luna vocatur) & ſolem (qui eſt luminare maius,) Videntur quidem ſol & luna motum habere regularem, quẽ Mathematici deprehenderunt,& ſuis canonibus definierunt, ſed hæc omnia fiunt diuina ordinatione, vt Deus agnoſcatur eorum & conditor & gubernator, quemadmodum exemplum, quod paulò antè de Ioſua commemorauimus, teſtatur. Et quia nomine diei ac ſolis intelliguntur etiam proſpera & felicia, nomine autem noctis & lunæ aduerſa & infelicia, idcirco non tantùm dies & nox, ſol & luna, verumetiam proſpera & aduerſa ſunt in manu Dei, vt etiamſi iuxta ſolennem conſuetudinem aduerſa ad interitum ſpectare

clare videantur, tamen in poteſtate Dei ita continentur, vt ijs, qui pietatem colunt, ſeu in Chriſtum credunt, neceſſe habeant in ſalutem cedere, His qui diligunt Deum, inquit Paulus, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum.

Deinde, Tu ſtatuis (inquit) omnes terminos terræ. Pertinet & hoc ad deſcriptionem omnipotentiæ Dei. Nec intelligendum tantum eſt de diſtributione terræ Canaan, quæ ſorte, ex diuina ordinatione, inter tribus Iſraelis diuiſa eſt, ſed etiam de terminis vniuerſæ terræ, qui vnicuiq; genti diuinitus conſtituti & definiti ſunt. Quando diuidebat, inquit Moſes, altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, (id quod deſcriptum eſt in Geneſi cap. 10.) conſtituit terminos iuxta numerum filiorum Iſrael. Iacob enim Patriarcha deſcendit in Ægyptum cum ſeptuaginta quinq; animabus. Tot autem numerantur gentes, in cap. 10. γενέσεως, quæ deſcenderunt à tribus filijs Nohæ, & impleuerunt vniuerſam terram. Et in Pſalmo 95. In manu eius ſunt omnes fines (ſeu fundamenta) terræ. Huc etiam facit, quod Daniel ait: Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, dabit illud. Et quod de finibus terræ dicitur, hoc etiam intelligendum eſt de finibus maris: Circumdedi (inquit DOMINVS apud Iobem) mare terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi, vſq; huc venies, & non procedes amplius. Et apud Hieremiam: Qui poſui arenam, terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit. Et in Pſalmo: Aſcendunt montes & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis: terminum poſuiſti eis, quem non tranſgredientur, neq; conuertentur

Deut.32. *Act.7.* *Gen.46.* *Deut.10.* *Dan.4.* *Iob 38.* *Hiere. 5.* *Pſalm. 104.*

operire terram. Idem etiam sentiendum est de ætate
Iob 14. & termino hominum: Breues, inquit Iob, dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et
Psalm. 139. in Psalmo: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & omnes dies mei, quorum nullus adhuc aderat, scripti erant in libro tuo.

Ad descriptionem omnipotentiæ Dei accedit & illud, quod additur: Æstatem & hyemem tu creas. Re-
Gen. 8. petit, quod est in Genesi, & quod paulò antè recitauimus: Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Videntur quidem æstas & hyems naturali ordine sibi inuicem succedere, sed hæc successio non fit potentia naturæ per se, sed potentia autoris naturæ, qui est DOMINVS Deus noster, & qui, sicut vertere potest noctem in diem, & diem in noctem, ita etiam vertit, quoties visum est, æstatem in hyemem, & hyemem in æstatem. Habes descriptionem omnipotentiæ Dei, quam Psaltes idcirco recitat, vt fidem suam inter tam grauia aduersa cõfirmet, & se ad vehementiorem precationem excitet. Quò confirmatior enim est Fides, et precatio ardentior, eò certius & propinquius est auxilium Dei. Recitatur ergo potentia Dei, vt sciamus, nos in precibus nostris non inuocare impotentẽ quendam Ethnicorum Deum, sed verum Deum Zebaoth, Deum Israelis, rerum omnium creatorem & gubernatorem, qui, cum omnia in manu sua contineat, potest etiam afflictis, in summis suis aduersis, non ordinariam tantùm, sed etiam admirandam opem afferre, præsertim, cũ hostes, qui ipsos affligunt, non sint propriè ipsorum,

rum, sed potius DOMINI Dei nostri hostes. Vnde & sequitur.

18. *Memor esto huius. Inimicus probro afficit DOMINVM, populus stultus spernit nomen TVVM.*

19. *NE tradas bestiæ animam Turturis tui, & vitæ afflictorum tuorum ne obliuiscaris perpetuò.*

Inuocamus (inquit) te DOMINVM Deum nostrũ, & precamur, vt memineris HVIVS. Cuius? Videlicet, quòd & tu sis omnipotens rerum omnium gubernator, & inimicus, qui nos persequitur, nõ sit propriè noster, sed TVVS inimicus, ac populus ille stultus & furiosus, non grassetur probris suis in nomen nostrum, sed TVVM. Obsecramus igitur te supplices, ne tradas tam insanæ bestiæ in nos sæuienti animã Turturis, seu Ecclesiæ tuæ, vt nos pro animi sui libidine tractet, & ne obliuiscaris perpetuò ærumnarum nostrarum, qui etsi, quod ad nos attinet, meritò, propter multa & magna peccata nostra, affligimur, tamen, quia sumus populus TVVS, & credimus in nomẽ TVVM, idcirco dicimur afflicti potius TVI, quàm vel nostri, vel inimicorum nostrorum. Quare, digni sumus, non quidem propter nostram iustitiam, sed propter gloriam nominis TVI, & propter insolentiam ac immanitatẽ inimicorum nostrorum, qui omnipotẽtia tua seruemur. Respicit aũt Psaltes eôdem, quo & Moses, cum dicit: Nõ propter iustitias tuas & æquitatẽ cordis tui ingrederis, vt possideas terras earum, sed quia illæ impiè egerunt, introeunte te, deletæ sunt. Hæc enim non est postrema persuadendi Dei ratio, vt cum non habeas pro- *Deut. 9.*

priam iustitiam, quam coram Deo prætexas, admones, as eum impietatis & crudelitatis hostium tuorum, qui persequuntur te, non peculiariter propter te, sed propter filium Dei, quem profiteris. Obseruandum & illud, quòd Psaltes vocet populum Dei, seu Ecclesiam, Turturem, & aliàs columbã, quòd quemadmodum hæc auicula destituta est omni præsidio aduersus harpyias, ita Ecclesia Dei nudata est omni humano auxilio, aduersus hostes suos tam corporales, quàm spirituales. Sed quę caret terrena ope, ea cœlesti ope ita munita est, vt neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poterit eam separare à dilectione, qua Deus ipsam in Christo Iesu Domino nostro complectitur. Eodem pertinet & illud, quod in hoc 19. versiculo sequitur: Vitæ afflictorum tuorum ne obliuiscaris perpetuò. Deus enim, qui est æterna ipsa rerum omnium memoria, nullius vnquam obliuiscitur, sed dicitur, pro humana consuetudine obliuisci afflictorum, cum connituet ad ærumnas miserorum, & non videtur eos, pro ipsorum voto liberare. Et tamen tantum abest, vt obliuiscatur eorum, qui in ipsum credunt, & opem eius ex fide expectant, vt interea tanto admirabiliorem & illustriorem liberationem meditetur, quanto ea diutius differtur: Ne obliuiscaris, inquit, perpetuò. Video liberationem in longum differri. Sed quo Deus est ingenio, non differet in perpetuum. Quid ita? Dices enim. Scio quidem quòd Deus tantæ sit potentiæ, vt queat nos in aduersis nostris iuuare, sed quòd velit nos iuuare, hoc demum est ab oculis nostris abscondi-

Rom. 8.

tum.

tum. De facultate Dei omnipotentis nihil dubito, de voluntate autem eius dubito. Ad hanc obiectionem respondet versiculus, qui sequitur.

20. *Respice ad testamentum, quia impleta est terra tenebris, & habitationes violentia.*

Agnoscimus DOMINE Deus noster, non tantùm omnipotentiam tuam, qua potes nos tercq; quatercq; miseros seruare, verùm etiam agnoscimus tuam erga nos voluntatem & certissimam beneuolentiam, qua statuisti nos seruare: Respice, inquit, testamentum. Quod est illud testamentum? Testamentum illud, est pactum, & fœdus, quod DOMINVS iniit cum Abrahamo, & posteritate eius: Statuam (inquit DOMINVS ad Abrahamum) pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus tuis, fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus & seminis tui post te. Quid est, vt sim Deus TVVS, & seminis TVI post te, nisi, vt sim Deus seruator, protector, & liberator vester ex omnibus vestris afflictionibus? Habes ergo facultatem Dei, quia omnipotens, et voluntatem eius, quia in promissis suis, quibus voluntatem suam disertis verbis testificatus est, verax. Etsi enim nos recessimus ab hoc pacto peccatis nostris, tu tamen DOMINE Deus noster, manes fidelis, & teipsum negare pœnitentiam agentibus non potes, quippe quòd tua illa vox publicè extet: Ego sum, inquiens, DOMINVS Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini, quãdo eduxi eos de terra Ægypti, in conspectu gentium, vt essem Deus eorum. Cum igitur tu ipse videas, ter-

Gen.17. *Deut.7.* *Leui.26.*

ram & regionem noſtram impletam eſſe tenebris, hoc eſt, omni genere infelicitatis, et habitationes ac domos noſtras violentia ſeu hoſtili direptione ac vaſtatione, videas etiam nos agere pœnitentiam, ad te reuerti, & nomen tuum ex fide inuocare, non dubitamus, quin nos mirando modo, pro tua clementia ſis ſeruaturus. Habes, quid peccatoribus & precatoribus in aduerſis ſuis ſit ſequendum, vt exaudiantur. Non ſufficit enim, vt verba precationis recites, ſed neceſſe habes, vt veram agas pœnitentiam, hoc eſt, vt conuerſus ad DOMINVM, agnoſcas peccata, & credas Deum non tantùm poſſe, verùm etiam velle te ſeruare, idq; non propter tuorum operum merita, ſed propter teſtamentum, ſeu pactum ſuum, quod Deus iniit cum Patriarchis, in quo teſtamento, continetur quidem, quòd Deus promittat poſteritati eorum poſſeſsionem terræ Canaan, ſed illud præcipuum, & maximi omnium momenti eſt, quòd Deus ſit benedicturus omnes gentes in ſemine ipſorũ, qui eſt Chriſtus DOMINVS noſter. Quare, ſi quid petieris à Deo, propter Chriſtum filium Dei, petas, neceſſe eſt. Amen, Amen, inquit Chriſtus ipſe, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Ioan. 16.

21. *Qui contritus eſt, ne diſcedat (à te) confuſus. Egenus (enim) & pauper laudabunt nomen tuum.*

Poſtquam precator confirmauit fidem ſuam expoſitione omnipotentiæ Dei, & pacti ſeu teſtamenti, hoc eſt, beneuolentiæ eius, pergit nunc confidenti & magno animo in precationibus ſuis. Obſecro te, cum ſis

&

& omnipotens, & misericors, seu beneuolus, ne is, qui est maximis doloribus oppressus, patiatur in precibus suis repulsam, & abijciatur à te confusus, ac pudore affectus: sed serues eum in tot & tantis aduersis. Hoc enim cedet maximè omnium in tui ipsius nominis laudē, quippe quòd si adiuueris egenos & pauperes, miseros & afflictos, dici non possit, quanta laude nomen tuum celebretur. Non laudant te saturi, & in hoc seculo felices, arbitrantur enim se tales esse vel sapientiæ vel iustitiæ suæ merito. Qui autem ærumnis & calamitatibus ita sunt oppressi, vt nullum videant finem & modum afflictionis, & tamen liberantur, ac seruantur, hi agnoscunt summam tuam, & gratuitam clementiam. Nunquam igitur desinunt nomen tuum extollere, & celebrare. Hîc mihi obserua consilium Dei, cur soleat ad afflictionem populi sui conniuere. Non enim conniuet, vt perdat, sed vt liberatione laudem clementiæ assequatur, & alij afflicti excitentur ad inuocationem nominis eius, ac sperent & ipsi certissimam salutem: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

22. *Exurge Deus, defende tuam ipsius causam, memor esto opprobrij, quo te afficit stultus quotidie.*

Amplificat priorem precationem, & repetit quod etiã antea dixerat. Impius videtur quidē nos persequi, & stultus videtur in nos probris suis grassari, non aũt propriè nos persequitur, nec in nos propriè grassatur, sed in TE, Dñe Deus noster, & in nomen tuum. Quare, si non

si non visum est parcere nostro, parcas saltem nomini TVO, & si nos meriti sumus afflictionem propter peccata nostra, defendas saltem causam tuam ipsius, vt ad tuendos nos exurgas. Huc pertinet & illud alterius Psalmi: Non nobis DOMINE, non nobis, sed nomini TVO da gloriam, videlicet, vt TV habearis verax, & certissimus adiutor in afflictionibus.

Psalm.114.

23. *Ne obliuiscaris vocis inimicorum tuorum, fremitus insurgentium aduersus te inualescit semper.*

Epilogus Psalmi, sed eadem precatio, aliis tantum verbis repetita. Inculcat enim Deo, tanquam immemori & obliuioso, vt si noluerit rationem habere nostri nominis, habeat saltem rationem sui ipsius nominis & famæ: Ne obliuiscaris, inquiens, vocis inimicorum tuorum. Qui in nos sæuiunt, non sunt proprie nostri, sed TVI inimici. Vociferantur in nos & vexant nos omnibus contumelijs. Sed hæ vociferationes & vexationes, magis ad TE, quàm ad nos pertinent. Fremunt aduersus nos, sed hi fremitus magis in TE quàm in nos redundant. Insurgunt contra nos, & insultant in miserias nostras, sed id TVO potius nomini, quàm nostro deputatur. Ac tanta est insolentia, vt furor eorum nihil prorsus remittat, sed indies ingraueſcat. Quare, si nos in his ærumnis deseruerís, teipsum deseruisse, & TVO nomine defuisse videberis. Quòd autem precator toties admoneat Deum, vt vel saltem sui ipsius nominis, gloriæ & famæ rationem habeat, non accusat Deum obliuionis, nec insimulat eum neglectionis aut cessationis: sed exuscitat seipsum ad constantiam

ſtantiã fidei. Nihil enim certius eſt, quàm quòd Deus tueatur gloriam nominis ſui, & vindicet contumeliam nomini ſuo illatam: Qui blaſphemauerit, (inquit) nomen DOMINI, morte moriatur. Et iterum: Honorificantes me, inquit DOMINVS, honorificabo, & cõtemnentes me, ignominia afficientur. Ac rurſus: Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam NOMINI MEO, ait DOMINVS Zebaoth, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris. Quò igitur certius cognoueris, quòd impij contumelioſi ſint in nomen DOMINI, eò certiori fide expectabis ſupplicium ac interitum eorum.

Leui. 24.

1. Samue. 2.

VSVS HVIVS PSALMI.

Sicut formula precandi, quæ in hoc Pſalmo continetur, præſcripta fuit à Spiritu ſancto, vel ijs, qui abducendi erant in captiuitatem Babylonicam, vel illis, qui tyrannide Antiochi Epiphanis opprimebantur, ita licebit nobis ea vti, cum vel Pontificij deuaſtant ſua impietate Eccleſias illorum, qui verum Euangelion Chriſti agnoſcunt, vel Mahumetani occupant regna Chriſtianorum Principum, & abolent piam doctrinam de Ieſu Chriſto vero ſeruatore noſtro. Etſi autem ſumma nobis opera danda eſt, vt in rerum tranquillitate, de reſipiſcentia admoniti, veram agamus pœnitentiam, quo futurum ſupplicium, quod Deus nobis per incurſiones externorum hoſtium minatur, effugiamus; tamen, ſi forte tempus viſitationis noſtræ, ceſſatione neglexerimus, & præſenti ſupplicio op-

preſsi iacuerimus, ne ſic quidem animus deſponendus eſt, ſed reuertendum eſt per reſipiſcentiam ad DOMINVM. Maximum enim beneuolentiæ Dei argumentum eſt, quòd pro Eccleſia ſua, non ſolum ſit ſollicitus, vt reſipiſcat, priuſquam ſupplicium ei inferatur, ſed etiam curet per Spiritum ſanctum, vt poſtquam aduenerit ſupplicium, formulas habeat precandi & inuocandi nominis ſui. Nec hoc tantùm, ſed illud etiam, quòd conſtituat ſecum, qua ratione, & quàm mirando modo, ipſam ſit ex aduerſis liberaturus. Quare, etiamſi affligamur propter peccata noſtra grauiſsimè, tamen ne ſic quidem haſtam, quod aiunt, abijciamus, ſed conuertamur, vel in medio vmbræ mortis ad DOMINVM, per Ieſum Chriſtum, & inuocemus nomen eius, certiſsima fiducia concepta, quòd qui iuſsit nos in ſummis noſtris afflictionibus opem eius implorare, non defuturus ſit precibus noſtris, ſed daturus euentum, vt poſsimus & ferre, & tandem ex omnibus ærumnarum fluctibus enatare.

Pſalmus

Psalmus 75.

Confitebimur tibi Deus, &c.

EST & hic Psalmus Asapho inscriptus: ac phrasis quoq; ipsa testificatur alium esse autorem illorum Psalmorum, qui inscribuntur Asapho, quàm qui attribuuntur Dauidi, quippe quòd ille videatur in precationibus suis paulò durior & horridior, Dauid autem suauior & nitidior. Etsi enim vnus est spiritus in Psalmis Asaphi & Dauidis, tamen cum varia sint χαρίσματα spiritus, quemadmodum Paulus ait, non est mirum, quòd etiam varia sint in Prophetis genera dicendi, sicut & aliud est dicendi genus in Esaia, aliud in Osea. Et tamen vnus est spiritus diuidens peculiariter vnicuiq; sicut vult. In hoc autẽ Psalmo, qui est septuagesimus quintus, introducit Spiritus sanctus filiũ Dei colloquẽtem cum Ecclesia sua, & consolantem ipsam contra furores impiorum, siue Iudęorũ illorũ, qui fuerunt in Synagoga, siue aliorum tyrannorũ, inter gentes. In secundo enim versiculo huius Psalmi dicitur: Cum nactus fuero opportunum tempus, ego recta iudicabo. Ac mox in tertio versiculo: Ego confirmo columnas eius. Et in vltimo versiculo: Omnia cornua impiorum confringam. Hoc autem est officium Christi filij Dei, cui Pater omne dedit iudicium, & cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Sentiamus igitur hunc Psalmum esse 1. Cor. 12

colloquium DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, cum Eccleſia ſua, & confirmantis eam aduerſus tyrannidem impiorum, qui illud vnum agunt, vt Eccleſiam opprimant, & è medio tollant: cum viciſsim filius Dei illud iudicium à Deo patre ſuo acceperit, vt omnes impij & impœnitentes, liberatis & æterna ſalute ſeruatis pijs, perpetuò condemnentur. Quod cum ita ſe habeat, procedit filius Dei, vnà cum electa ſua Eccleſia in medium, coram Deo patre ſuo, & ait.

1. *Gratias agimus tibi Deus, gratias agimus, quòd propinquum ſit nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua.*

Rom. 8. Chriſtus eſt, (inquit Paulus,) qui mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Cum igitur Chriſtus filius Dei ſit perpetuus Eccleſiæ ſuæ interceſſor, & vt Ioannes ait, aduocatus, ſuſcipit & in hoc Pſalmo patrocinium eius: Gratias, inquiens, agimus tibi Deus, non ego tantùm, verùm etiam dilectiſsima mea ſponſa, vniuerſa Eccleſia tua. Et vt intelligas nos rem ſeriam agere, iterum repetimus & dicimus: Gratias agimus. Quod eſt ergo beneficium illud, pro quo mihi agitis gratias? Additur: Quòd propinquum ſit nomen tuum. Hèc pro eo quod eſt apud Hebræos: Propinquum eſt nomen tuum, Græcus legit: Inuocabimus nomen tuum. Videtur autem pro קרב Karob, quod ſignificat propinquum, legiſſe קרא Kara, quod eſt vocare ſeu inuocare. Nobis verò ſequendum eſt, non quod turbida aqua lacunæ, ſed quod puritas fontis offert. Sententia igitur hæc eſt. Gratias agimus tibi Deus, quòd nomen

1. Ioan. 2.

men tuum ſit propinquum, hoc eſt, reuelatum & patefactum. Eadem eſt locutio in Epiſtola ad Rom. cap. 13. Nunc propius nobis adeſt ſalus, quàm cum credebamus, (hoc eſt.) Nunc ſalus nobis per Euangelion patefacta eſt, quæ antea ſub vmbra legis latebat. Sic & in hoc Pſalmo Chriſtus cum Eccleſia ſua agit gratias Deo patri, quòd admiranda ſua conſeruatione in omnibus aduerſis, patefecerit afflictis nomen potentiæ, bonitatis, clementiæ & miſericordiæ ſuæ, vt non ſolum confirmentur fide, verumetiam excitentur ad inuocationem nominis Dei, in omnibus ærumnis ſuis, ac certiſsimam concipiant ſpem, ſe etiam in venturis calamitatibus conſecuturos ſalutem, quemadmodum & Paulus ſcribit: Deus, inquiens, eripuit nos ex tanta morte, & eripit, in quo ſpem fixam habemus, quòd etiam poſthac erepturus ſit. 2. Cor. 1.

Agimus autem gratias, non vt otioſi & ignaui beneficio tuo fruamur, ſed vt viciſsim nos prædicatione mirabilium tuorum gratos declaremus. Narrabimus, inquiunt, NOS, Chriſtus, & vniuerſa Eccleſia noſtra, ſeu: Narrabunt (videlicet, qui mirando modo redempti ſunt, ſubita enim perſonarum, ac etiam temporum, & numeri mutatio apud Hebræos ſolennis eſt,) commemoratione ſua miranda tua opera, & inſignia exempla tuarum liberationum, vt alij homines excitati laude clementiæ & miſericordiæ tuæ, diſcant & ipſi te agnoſcere, tibi confidere, te inuocare, & gloriam nominis tui ſemper & vbiq; celebrare. Hoc enim ſpectat, eò tendit, id agit prædicatio nominis Dei, & narratio mirabilium eius, vt & nos Deo confidamus, & alij ad fidem & ſpem in Deo collo-

eandam prouocentur, hoc eſt, vt ſubinde maior fiat ad Eccleſiam Dei acceſsio.

2. *Cum nactus fuero opportunum tempus, ego recta iudicabo.*
3. *(Etiamſi) diſſoluantur terra, & omnes habitatores eius, ego (tamen) firmabo columnas eius.*

Poſtquam filius Dei cœpit ſuo & Eccleſiæ ſuæ nomine gratias Deo patri agere, vertit ſe ad Eccleſiam ſuam, & conſolatur eam commemoratione officij ſui, ac hortatur, vt optimè confidat in aduerſis ſuis: ſe enim non defuturum ſuo officio, etiamſi fractus illabatur orbis: Cum nactus (inquit) fuero opportunum tempus, ego recta, iuſta, & æqua iudicabo. Illud vult dicere. Non ignoro, ſelecta mea Eccleſia, dilectiſſima mea Sponſa, quantis malis, in hac terra, ab impijs affligaris, & quanta mole ærumnarum obruta iaceas, vt arbitreris te non eſſe mihi amplius curæ, ſed iubeo te, non ſolùm eſſe bono, verùm etiam forti animo. Non enim te abieci, non te deſerui, ſed expecto tantùm opportunum & definitum ſuum tempus te liberandi, & impios vlciſcendi. Cum hoc tempus aduenerit, crede mihi, iudicium meum, vt erit rectiſſimum & iuſtiſſimum, ita etiam erit erga illos, qui vos malè afflixerunt, ſeueriſſimum. Interea autem temporis, etiamſi terra vnà cum omnibus ſuis incolis contremuerit, contabuerit, & colliqueſcat, tamen ego columnas eius tam firmas conſeruo, vt corruere non queant. Apud Iobem, habent quidem cœlum & terra columnas, quibus ſuſtinentur, ſed aliæ ſunt columnæ, quarum in hoc Pſalmo fit mentio. In Epiſto-

Iob 9. & 26.

la enim

la enim ad Galatas Apoſtoli, Iacobus, Petrus & Ioanes dicũtur columnæ Eccleſiæ, & ad Timotheum, Eccleſia ipſa dicitur columna & ſtabilimentum veritatis. Et aliâs Prophetæ & Apoſtoli vocantur Eccleſiæ fundamentum. Prophetæ igitur, & Apoſtoli, & homines pij, quotquot credunt Prophetico & Apoſtolico verbo, dicuntur in hoc Pſalmo columnæ terræ, (ſicut & aliâs luminaria mundi,) quòd & propter ipſos hic mundus conſtet, & ipſi quoq; conſtent, etiamſi hic mundus ſit periturus. Quod, cum de columnis ita ſe habeat, dicit filius Dei, ad Eccleſiam ſuam: Hortor vos, vt æquo animo feratis aduerſa. Nam, etiamſi vniuerſus orbis terrarum concutiatur, & ſubuertatur, ego tamen vos, qui eſtis columnæ cœli & terræ, ſaluos & incolumes conſeruabo. Huc pertinet quoq;, quod eſt apud Eſaiam: Montes commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus DOMINVS. Ex his obſeruemus primum, quòd etſi afflictiones piorum ſolent eſſe, vt nobis quidem videtur, diuturnæ, tamen habent certum & definitum ſuum terminum, quem tranſgredi non queant, quemadmodũ aliâs demonſtratum eſt. Quare non eſt ad liberationem properandum iniquitate aut impietate, ſed expectandum eſt in fide: nec dubitandum, quin Deus det euentum, vt ferre poſsimus, donec legitimum, & à Deo definitum tempus aduenerit. Deinde, obſeruemus & illud, quòd etſi videntur in hoc mundo omnia inuerſa, vt ſit bonis malè, & malis benè, tamen, cum filius Dei ſedeat ad dextrã patris ſui, non poſsit hæc rerum inuerſio eſſe perpe-

Gal. 2. *1. Tim. 3.* *Eph. 2.* *Philip. 2.* *Eſa. 54.*

tua.

tua, sed duret tantummodo, donec iniquitates Amorræorum, vt scriptura loquitur, impleantur, & peccatori, vt Psalmus ait, fodiatur fouea. Absit enim à filio Dei, vt occidat iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Non est hoc eius, qui iudicat omnem terram: Ego, inquit, iudicabo recta, seu iusta. Nec illud est oscitanter considerandum, quòd etiamsi terra & omnes incolæ eius dissoluantur & liquefiant, (hoc est) maximæ omnium sint perturbationes & calamitates hominum in hac terra, tamen filius Dei semper conseruet columnas eius, hoc est, Ecclesiam suam, in media etiãm morte. Non igitur timeamus etiamsi turbetur terra, & transferantur montes in cor maris.

Gen.15. *Psal. 94.* *Gen.18.* *Psal.46.*

4. *Dico iactabundis, nolite gloriari: & impijs, nolite exaltare cornu.*
5. *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui erecta ceruice.*
6. *Neq; enim ab oriente, neq; ab occidente, neq; à deserto montano (defendemini.)*
7. *Sed Deus (vbiq;) est iudex, qui hunc deijcit, & illum exaltat.*

In superiori versiculo professus est filius Dei, se inter filios hominum iusta & recta iudicare, ac pios quidem & timentes Dei, qui sunt columnæ terræ, & vera Ecclesia, saluos cõseruare, etiamsi terra contremuerit, & proijciantur montes in medium maris. Quid autem fiet de impijs, qui non solùm præ se fastidiunt pios, verùm etiam gloriantur de sua potentia, & persequuntur pios tyrannide sua immaniter. Quale in hos iudicium

iudicium pronuntiat filius Dei? Respondet, quod sequitur: Dico, inquiens, iactabundis: Nolite gloriari, & impijs: Nolite exaltare cornu, (hoc est.) Etsi impij merentur sua impietate, & crudelitate, qua pios insectantur, repentinum & grauissimum supplicium, tamen non continuo, vt peccauerint, proijcio in eos fulmina, & grandines, memini enim me esse iudicem, non tantùm iustum, verùm etiam longanimem, sed dico, admoneo, cohortor, & excito prius verbis, quàm supplicia admoueam: vt qui sunt iactabundi & insolentes erga pios, abstineant à sua insolentia: & qui sunt in ipsos impij, crudeles, & immanes, desinant exaltare cornu, seu potentiam & immanitatem suam, nec impetant cornibus suis pios, nec loquãtur aduersus eos erecta ceruice, seu cõtumaciter, nec suscipiant eos opprimendos, sed benefaciant eis, & colant ipsos omni genere officiorum. Nam si filius Dei susceperit impios iudicãdos & supplicio afficiendos, priusquam respuerint, nullus hominum, nec ab oriente, nec ab occidente, nec à deserto montano, hoc est, à meridie & septentrione, vbi sunt, magna ex parte, inculta, horrida, & inhabitabilia loca, opem afferre potest. In hac enim causa, Deus ipse, cuius thronus est cœlum, & scabellũ pedum eius terra, imò qui cœlũ et terrã implet, iudex est, nec si tribunal suum conscenderit, quisquã poterit se à iudicio eius subtrahere, & effugere. Hic enim est, qui hunc humiliat, illũ exaltat, qui aliũ è throno regio deijcit, alium in regnũ erigit, & qui alium in imum deprimit, aliũ in summum eleuat. Metuant igitur impij sibi ab hoc iudice, & desinant sæuire in Ecclesiam DOMINI. Non dissimile est, quod Psalmus 139. de præsentia

Dei recitat: Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum ades. Si assumpsero pennas auroræ, & habitauero ad extremum mare, tamen illuc manus tua deduceret me, & teneret me dextera
Iob 34. tua. Huc etiam facit, quod in Iobe dicitur: Oculi eius sunt super vias hominis, & aspicit omnes gressus eius. Non sunt tenebræ, neq; vmbra mortis, vt ibi lic occultentur operarij iniquitatis. Et Amos cap. 9. Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis, non saluabitur. Si descenderint vsq; ad infernum, inde manus mea educet eos. Et si ascenderint vsq; ad cœlum, &c. Discamus igitur ex his Psalmi versiculis maiestatem filij Dei, iudicis viuorum & mortuorum. Primùm enim, non est, qui se possit à iudicio eius abscondere: Omnes, inquit Paulus, statuemur apud tribunal Chri-
Rom. 14. sti. Scriptum est enim: Viuo ego dicit DOMINVS, quòd mihi flectet sese omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Deinde, in manu eius est, hunc deprimere, illum exaltare, quemadmodum etiam Maria virgo in suo carmine agit: Deponit potentes de sede & exaltat humiles. Esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes. Metuant igitur omnes impij arrogantes, & elati, ac resipiscant: confidant autem omnes pij & oppressi, ac certò sperent exaltationem.

8. *Quia calix in manu DOMINI est, plenus infuso vino forti, ac propinat ex eo, veruntamen fœces eius epotabunt & ebibent omnes impij terræ.*

Dices, soli ne impij iudicium Dei subibunt, & affligentur?

ſligentur? Quid igitur fiet de pijs? An non & hi iudicabuntur à DOMINO, & affligentur? Certè affliguntur & ipſi, ſed diſsimilimo euentu. In manu enim DOMINI calix eſt impletus infuſo forti vino, & ex hoc DOMINVS propinat tàm pijs, quàm impijs. Pij ergo potantur ex eo magnis hauſtibus. Sed impij neceſſe habent feces epotare. Porrò, calix in manu DOMINI, eſt demenſum afflictionis, quod Deus pro arbitrio ſuo vnicuique hominum diſpenſare ſolet, id quod vel ipſa Euangeliſtarum phraſi notum eſt: Poteſtis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? hoc eſt, poteſtis ne crucem ferre, quam pater mihi ferendam imponit? Et: Transfer à me calicem iſtum. Et: An non bibam calicem, quem mihi dedit pater? Et apud Hieremiam: Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent, hoc eſt, etiam illi ſuam afflictionis partem capient, quibus non erat deſtinatum, vt affligerentur. Afflictiones igitur & aduerſa, dicuntur calix in manu DOMINI, quòd quemadmodum ſinguli conuiuæ hauriunt è poculo ſibi exhibito ſuum vini hauſtum, ita DOMINVS diſtribuat ſingulis vel gentibus vel hominibus ſuum afflictionis demenſum. Feces autem huius vini ſunt extremæ calamitates, & perpetuæ interniciones. Offert igitur DOMINVS calicem ſuum ebibendum, tàm pijs, quàm impijs, ſed maximo diſcrimine, quòd pij bibant quidem magnos hauſtus, quia multæ ſunt tribulationes iuſtorum: Et: Oportet nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei, impij autem neceſſe habeant feces ebibere:

Matt.20. *Luc.22.* *Hier.49.* *Pſalm.34.* *Act.14.*

quia sic affliguntur, vt perpetuò intereant, cùm pij per suas afflictiones probentur, & ad æternam vitam euadant. Vides diuersissimos esse euentus afflictionis piorum & impiorum quod & adumbratum est in duobus latronibus, in quorum medio Christus crucifigebatur. Alter enim à cruce in paradisum ascendebat, alter à cruce ad infernum descendebat. Idem significauit etiam aliâs Christus: Duo, inquiens, erunt in agro, vnus assumitur, & alter relinquitur. Duæ molentes in mola, vna assumitur & altera relinquitur. Respiscamus igitur, vel in ipsa cruce, vt si quidem omnino nobis bibendum est poculum crucis, abstineamus à fecibus: & si non licet nobis reportare vitam corporalem & terrenam, reportemus saltem vitam spiritualem & cœlestem.

Matt. 24.

9. *Ego autem adnuntiabo in æternum, cantabo Deo Iacob.*
10. *Et omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur autem cornua iusti.*

Conclusio Psalmi: Quid pluribus, inquit filius Dei, opus? Duo sunt præcipuè officia mea, quæ nunquam prætermitto, nec desero. Alterum est, quòd instituam in Ecclesia mea perpetuam memoriam, adnuntiationem, prædicationem, & cantationem gloriæ nominis Dei Iacob, Dei videlicet, qui Patriarchæ Iacob de scala promisit, se daturum ei semen, in quo benedicantur cunctæ tribus terræ. Vnde & in alio Psalmo dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Alterũ officium est, quòd confringam omnia cornua, seu omnem potentiam & maiestatem impiorum,

Gen. 28.

Psalm. 22.

impiorum, exaltem autem cornua iusti. Hoc filij Dei seu officium seu iudicium adeo vulgatum fuit in orbe terrarum, vt etiam prædicatum sit ab Ethnicis. Æsopus interrogatus quondam, quid ageret Iupiter, respondit: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Deprimit excelsa, & tollit in altum humilia. Hoc non idcirco commemoro, quòd sentiam doctrinam veræ pietatis petendam esse ab hominibus huius seculi, & à scriptoribus Ethnicis, sed vt ostendam, quòd quæ de Deo cognosci queant, manifesta fuerint, autore Deo, etiam in Gentibus, quemadmodū Paulus ait. Habent autem ex hoc, tàm impij quàm pij, de quibus rebus admoneantur. Impij quidem, vt non confidant suis cornibus, seu viribus & potentia, nec abutantur ijs aduersus DOMINVM & Ecclesiam eius. Qui enim contulit in ipsos potestatem in his terris, DOMINVS est, & Iudex viuorum & mortuorum. Metuant igitur eum, & resipiscant, vt quæ acceperunt ab ipso dona, conferant vicissim in gloriam nominis eius, imò & in suam ipsorum salutem. Pij autem non abijciant in aduersis suis, & in impiorum crudelitate animum, sed optimè confidant, quòd quæ ipsis aduersa accidunt, non accidant nec inscio, nec irato, sed bene conscio, & fauente Deo, qui & posuit suum aduersis terminum, quem non possunt transgredi: & dat etiam euentum, vt quo grauiora sunt aduersa, eò admirabilior & glorioſior sequatur liberatio.

Laertius.

Rom. 1.

VSVS HVIVS PSALMI.

Vnum hominum huius seculi studium est, vt du-

Iob 21. cāt in bono dies ſuos, (quemadmodum Iob loquitur) & domus eorum ſint ſecuræ. Ac vulgò, interrogati de ſtatu rerum ſuarum, ſatin' ſaluæ? reſpondere ſolent: Rectè, ſi modò ſanitas corporis conſtiterit, omnem videlicet felicitatem ſuam, incolumitate corporis metientes. Sed hic Pſalmus aliò nos vocat. Docet enim Deum geſtare in manu ſua calicem vino, hoc eſt, omni ærumnarum & afflictionum genere impletum, ac propinare ex eo, vniuerſo humani generi bibendum. Nec vllus hominum ſiue pius ſiue impius excipitur. Nam ſi conſideraueris hominem poſt lapſum in peccatum, communis eſt maledictio: In laboribus comedes ex

Gen. 3. terra cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Hæc eſt generalis humani generis crux & afflictio, cui obnoxij ſunt tàm paſtores populorum, quàm paſtores pecorum, ac inuenit ſuas quiſque in ſuo vitæ genere ſpinas, quas ne, ſi velit quidem ac maximè conetur, eradicare, & excutere poteſt. Si autem conſideraueris eum, non tantùm iuxta vulgare & peruagatum peccatum, quod vocāt Originale, verùm etiam iuxta peccata peculiaria, quæ homines ſingulari ſatanæ inſtinctu deſignare ſolent, non eſt obſcurum, quòd peculiaribus & atrocibus peccatis debeantur etiam peculiaria & atrocia ſupplicia, qualia deſignarunt Cain, Gigantes ante diluuium, Zodomitæ, Iſraelitæ idolatræ, Saul tyrannide, Dauid adulterio & homicidio, Manaſſe crudelitate, Iudas Iſcharioth proditione, Petrus Apoſtolus abnegatione, & innumeri alij alijs delictis. Quòd ſi verò conſideraueris hominem, non ſecundum peccata, ſed ſecundum pietatem, qua ex Spiritu ſancto renatus

renatus est, tamen ne sic quidem liber est à cruce & afflictione, sed quo maior est pietas eius, eo plures ærumnas sustineat, necesse est, quòd omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiantur. 2. Tim. 3.
Quare verte & conuolue te, quocunq; volueris, vitare non potes, nec defugere, quin è calice afflictionis, qui est in manu DOMINI, bibas. Quid ergo faciendũ? Siquidem omnino bibendum est è calice DOMINI, siue pius siue impius fueris, certè summa & prima omnium danda est opera, ne necesse habeas feces epotare. Tunc autem cauebis à fecibus, cum vel impietatem abieceris, & veram pœnitentiam egeris, vel pietatem constanti fide colere perrexeris. Nihil enim certius, nihil firmius est, quàm quòd hic Psalmus concludit: Omnia cornua impiorum confringi, cornua autem iusti exaltari, & cùm omnes homines necesse habeant è calice DOMINI bibere, solos tamen impios seu impœnitentes, relicto piis optimo vino, feces epotare. Admoneamur igitur ex hoc Psalmo, & excitemur ad studium veræ pietatis, vt cum in hoc mundo afflictionem sufferamus, in Christo ipso, filio Dei seruatore nostro, qui vicit mundum, pacem habeamus. Ioan. 16.

Psalmus

Psalmus 76.

Notus in Iudæa Deus. &c.

Cicero de legibus.

NVlla est gens, inquit sapiens quispiam huius seculi, neq; tam fera, neq; tam immansueta, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Quod enim de Deo naturâ cognosci potest, hoc Deus ipse, vt Paulus docet, Gentibus ita patefecit, vt nemo sit tam

Rom. 1.

vecors, qui cum suspexerit in cœlum, & consideraverit pulcritudinem mundi, ordinemq; rerum cœlestium, non sentiat, & non cogatur confiteri, Deum esse. Et tamen, quis aut qualis sit ille Deus, perpetua fuit inter homines controuersia. Quæcunq; igitur fuerit occasio conscribendi huius septuagesimi sexti Psalmi, certè manifesta est descriptio, & perspicuum encomium veri DOMINI Dei nostri, vt ex eo cognoscamus, non solùm, quòd verè sit Deus, sed etiam quis & qualis sit Deus, quem colere & inuocare debeamus. Et quod hic Psalmus verbis sui temporis exposuit, hoc idem postea Apostolus Paulus verbis nostrorum temporum apertissimè & planissimè explicauit. Ad Corinthios enim scribens: Nullus, in-

1. Cor. 8.

quit, est alius Deus, nisi vnus. Nam etiamsi sunt, qui dicãtur Dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt Dij multi, & Domini multi (iuxta Ethnicorum

videlicet

videlicet impietatem,) nobis tamen vnus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus DOMINVS Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Vides, quem & qualem habeamus Deum. Et quidem is vnus & verus Deus, Apostolicis scriptis ita explicatus extat, vt qui de eo adhuc dubitat, non iam in hominum, imò ne quidem dæmonum, qui & credunt & contremiscũt, sed in ferocissimarum belluarum catalogo percensendus est. In præsentia autem audiamus nostrum Psalmum.

1. *Celebris in Iuda Deus: In Israel magnum nomen eius.*
2. *In Salem est tabernaculum eius, & habitatio eius in Zion.*

Multa est & magna inter Gentes cõcertatio de Diis. Alius colit Baal Peor, alius Chamos, alius Moloch, alius Iouem, alius Saturnum, alius Martem, alius Venerem, alius etiam bestias: Cum crederẽt, inquit Paulus, se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam immortalis Dei, per imaginem, non solùm mortalis hominis similitudinem effictam, verùm etiã volatilium, quadrupedum & reptilium. Alij coluerũt pro Dijs, magis absurda, & abominanda. Breuiter, nõ tantùm secundum numerum ciuitatum, iuxta Prophetam, sed etiam secundum numerum hominum, erant in terris Dij. Et contenderunt suum quisq; Deum esse verum & certum Deum. In tanta igitur varietate & dissimilitudine, quem dicemus esse Deum verum & certum? Hîc respondet Psalmus: Ille solus verus & certus est Deus, qui est notus seu celebris in Iuda, &

Rom. 1.

Hiere. 2.

Vide Augustinum de ciuitate Dei.

cuius nomen magnum est in Israel, qui & commoratur in Salem & in Zion. Hæc est descriptio veri Domini Dei nostri, quemadmodum & Esaias eum descripsit:

Esa.31. Cuius ignis, inquiens, est in Zion, & caminus eius in Hierusalem. In Iuda enim (quo nomine non vna tantùm pars terræ, nec vna tantum tribus, sed vniuersa terra & populus Israelis significatur) prædicatus est Deus, qui apparuit Patriarchis, Abrahæ, Isaac, & Iacob, & eduxit Israelitas ex Ægypto, & collocauit eos in terra Canaan. Ibi iussit sibi excitare templum, in monte Zion, in vrbe Hierusalem, vt in eo loco esset sedes arcæ testamenti, seu propitiatorij, &

Exod.25. offerrẽtur legitima sacrificia, donec veniret & patefieret in carne, DOMINVS noster Iesus Christus, qui & per propitiatorium & per sacrificia adumbrabatur. Dicit ergo Psalmus, illum solum esse verum Deum, non quem colunt aliæ gentes, sed qui magna nominis sui gloria prędicatur inter Israelitas, & cuius templũ est in Salẽ,

Gen.14. (hoc est,) in Hierusalem, quæ initiò dicta est Salem,

Gen.22. (quod significat pacem,) postea autem, quàm Abraham, Isaaco filio suo quærenti de holocausto, respondit, אלהים יראה Elohim Ireh, hoc est, Deus prouidebit, vocatus est locus iste, aucto nomine, Iirusalem, quippe quòd Abraham dixerat, DOMINVM sibi in eo loco prouisurum & curaturum de holocausto. Nec in Hierusalem tantùm, sed etiam in monte Zion dicitur habitatio Dei, propterea quòd in eo monte, ad quem sita est vrbs Hierusalem, excitatum esset templum, & collocata ibi esset arca testamenti, seu propitiatorium. Atq; hæc quidem est descriptio veri Dei, iuxta Prophetic orum temporum phrasin, si autem eam iuxta

Apostolica

Apostolica tempora, quibus progressa est nox, & appropinquauit dies, explicare volueris, alia phrasi vtendum est. Templum enim in Hierusalem, & in monte Zion excitatum, significat vnigenitum filium Dei, DOMINVM nostrum Iesum Christum. Eundem etiam significat arca testamenti, seu propitiatorium, quòd & in Christo habitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & per Christum factus sit Deus pater humano generi propitius. Huc etiam respiciunt omnia genera sacrificiorum, quæ in templo, ad arcam DOMINI offerebantur, quòd vnico sacrificio Christi, ira Dei patris cœlestis ita sit placata, vt quotquot in Christum credunt, habeant certissimam omnium peccatorum condonationem, & æternam vitam.

Quare verus Deus, iuxta Apostolicam phrasin ita definiendus est, quòd sit Deus pater cœlestis, (quemadmodum paulò ante, ex Apostolo, aliqua ex parte recitauimus) qui ab initio conditionis mundi, & lapsus hominis in peccatum, promisit se missurum vnigenitum suum ipsius filium, ex muliere virgine, & semine Abrahæ, & quod promisit, etiam in plenitudine temporis impleuit, ac emisit eum factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Et quia adoptauit homines in filios, emisit etiam spiritum filij sui in corda eorum clamantem Abba Pater, vt propter eum acciperent hæreditatem cœlestis regni. Habes Apostolicam definitionem veri DOMINI Dei nostri, videlicet, quòd verus Deus sit pater, filius & Spiritus sanctus, ac diuisiones quidem sint

1. *Cor.* 8.

Gala. 4.

1. Cor. 12. donorum, sed idem spiritus: & diuisiones ministeriorum, sed idem Dominus Christus: ac diuisiones operationum, sed idem Deus pater, efficiens omnia in omnibus. Hunc solum & vnum esse verum ac certum DOMINVM Deum nostrum docent tam Prophetica, quàm Apostolica scripta, nec esse alium Deum siue in cœlo siue in terra quærendum. Sed audio quidem (inquiet quispiam) de Deo tuo, qui in Israele celebratur, & in Hierusalem ac Zion commoratur, præclara iactari, nondum verò audio quicquam rerum gestarum, quibus veritatē suæ diuinitatis probauerit. Gloriantur etiam Gentes de veritate suorum deorum, sed quod verbis tantùm, absq; certis & firmis argumentis ac testimonijs dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua affirmatur. Quid igitur de Deo tuo Israelitico & Zionico sentiemus? De hac seu cogitatione seu obiectione respondent versiculi, qui in hoc Psalmo sequuntur.

3. *Illic conterit sagittas, arcus, scutum, & gladium, & bellum.*

Age igitur, quisquis hæc obieceris, non verbis tantùm iactabo, sed etiam factis declarabo veritatem Dei mei, qui in Israele celebratur. Etsi enim Deus ille verus, postquam condidit mundum, implet cœlum & terram, ac gubernat omnia, nec sinit seipsum esse testimonij expertem, vt Paulus loquitur, dum beneficia
Actu. 14. confert, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra, tamen ex eo tempore, quo elegit sibi habitaculum in Zion, collocata

cata ibi arca teſtamenti, & propitiatorio, rebus ipſis geſtis teſtificatus eſt, ſe non ſolum certam & firmam ſedem ibi habere: ſed etiam populum ſuum tueri ac ſeruare, (hoc eſt) ſe verum eſſe Deum, & omnibus inuocantibus ipſum, in aduerſis ſuis præſentiſsimam opem ferre.

Rex Ierobeam, qui abduxerat, inſtitutis ſuis vitulis aureis, Iſraelem ad idolatriã, belligerabatur aduerſus Abiam regem Iudę, & ſuſcipiebat Zionem, vbi verus Deus colebatur, delendam, ſed Deus Zionis, ſagittas, ſcutum, gladiũ, & bellum Ierobeami, et militum eius tam manifeſto miraculo conterit, vt nemo inficias ire potuerit, quin ea diuinitus geſta eſſent. Vide in poſteriori libro Chronicῶν cap. 13.

Serah, rex Æthiopum, incurrit cum innumerabili exercitu in fines Aſæ regis Iudæ, ad oppugnandam vrbem Hieruſalem, & Zionem. Sed DOMINVS de Zion ita exterruit Æthiopes, vt cæderentur & contererẽtur vſq; ad internicionem. Vide in eodem libro Chronicῶν cap. 14. & 15.

Quid dicam de Ammonitis & Moabitis? qui cùm incurrerent ex improuiſo in regnum Ioſaphat, regis Iudæ, cum maxima multitudine, & viderentur vrbem Hieruſalem ac Zionem, habitaculum DOMINI Dei noſtri, funditus euerſuri, ſed Deus ſedem ſuam tàm mirando modo tutatus eſt, vt cùm cantores in exercitu populi Dei cœpiſſent laudes Deo canere, hoſtes verſi in ſemetipſos, mutuis ſe vulneribus interficerent. Vide in eodem libro Chronicῶν cap. 20.

In hunc catalogum referendus etiam eſt Sanherib rex Aſſyriorum, qui cum euomeret horrendas blaſ-

phemias, aduersus Deum Zionis, ac minaretur vniuerso populo Dei præsentissimam internicionem, misit Deus ex Zione Angelum, in castra Assyriorum, qui percussit vna nocte centum octoginta quinque millia hostium. Vide in posteriori libro Regum, cap. 19.

At enim, multa id genus exempla (inquies) extant etiam inter impias gentes, quòd victoria nunc in hanc, nunc in illam partem inclinet, nec minus attribui possunt, vel casui, vel alijs Dijs, quàm Deo Israelis aut Zionis. Solet & illud fieri, quòd ferè maior pars vincat meliorem. Quomodo igitur ex his bellorum euentibus veritas Dei Zionis comprobaretur? Sed quod de casu dicitur, iam olim, etiam gentibus, quamuis impijs, cognitum perspectumq; est, quòd hic mundus non fortuita temeritate feratur, sed diuina prouidentia gubernetur. De qua re in præsentia non est dicendi locus. Quòd autem dicitur, has victorias, non minus alienis Dijs Gentium, quàm Deo Zionis adscribi posse, haud negauerim impios, qui obstinauerunt, nolle credere, suos semper habere prętextus, sed nulla verisimili aut probabili ratione. Nam, vt verus Deus his impiorum tergiuersationibus obuiam iret, non ferè solet admirandas victorias in populum suum ex improuiso conferre, nisi antea verbo suo, per Prophetas suos, promissas, & prædictas. Israelitæ erant quondam oppressi tyrannide Ægyptiaca. Liberauit autem eos Deus magnis miraculis, & collocauit eos in terra Patriarchis promissa. Sed ne hæc liberatio adscriberetur Dijs Gentium, visum est Deo eam longè antè patefacere Patriar-

chæ

chæ Abrahæ, & prædicare per Prophetam ſuum *Gen.15.*
Moſen. Erant & ijdem Iſraelitæ ante Babylonicum *Exod.3.*
exilium multis ſordibus Idolomaniæ, & alijs impie-
tatibus contaminati, ac futurum erat, vt etſi terra
eorum vaſtaretur, & ipſi in exilium abducerentur,
tamen iterum reſtituendi eſſent libertati. Sed ne quis
hæc vel temeritati fortunæ, vel Dijs Gentium adſcri-
beret, viſum eſt Deo hæc omnia, antequam accide-
rent, per Prophetas ſuos prdiceere, & publicè expli-
care. Vnde & Deus ille, cuius ignis erat in Zion, &
caminus in Hieruſalem, inſultat hoc argumento apud
Eſaiam Dijs Gentium: Propè facite, inquiens, iudi-
cium veſtrum, afferte ſi quid habetis. Accedant & nun
tient vobis, quæcunq; vẽtura ſunt. Priora, quę fuerũt,
nunciate. Et mox: Annunciate, quæ ventura ſunt, & *Eſa.41.*
ſciemus, quia Dij eſtis vos. Accedit huc & illud, quòd
Deus ille Zionis habet certa & firma teſtimonia an-
tiquitatis, iam inde à conditione mundi, & à tempori-
bus Patriarcharum, ac imprimis Melchiſedeci, qui
fuit rex Salem, (quæ poſtea Hieruſalem dicta eſt,) ac
Sacerdos Dei altiſsimi, illius videlicet Dei, in cuius
nomine, Melchiſedec (quem arbitrantur fuiſſe Sem, *Gen.14.*
filium Nohæ) benedixit Abraamo, in cuius quoq; no-
mine extructum fuit poſtea templum in Zion, vt per-
ſpicuum ſit, quòd is Deus patefecerit ſe Patriarchis,
& propagatus ſit cultus eius ad poſteros, donec etiam
incarnatus fuerit, & confirmauerit veram ſuam diui-
nitatem maximis & cœleſtibus miraculis. Origo
autem Deorum Gentilium, aut prorſus eſt ignota,
aut incertiſsima & fabuloſa, aut ipſis etiam gen-
tibus pudenda & abominanda. Quare, quos euentus
bellorum

bellorum ſuprà, è ſacris Chronicis, retulimus, non poſ-
ſunt adſcribi vel temerario caſui, vel Dijs Gentilium,
ſed ſoli vero DOMINO Deo noſtro, qui in Zione
colebatur & adūbrabatur, (hoc eſt) Domino Ieſu Chri-
ſto, qui eſt vnigenitus & æternus filius Dei patris ſui
cœleſtis, & in plenitudine temporis incarnatus, ac fa-
Gal. 4. ctus legi obnoxius, vt eos, qui legi erant obnoxij, re-
dimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus.

4. *Illuſtrior es tu & fortior montibus prædatorijs.*

Aliud argumentum, quo probatur, quòd Deus qui
celebratur in Iuda & Iſrael, & colitur in Hieruſalem
& Zione, ſit verus Deus: Tu, inquit, es illuſtrior, po-
tentior & magnificentior omnibus montibus præda-
torijs, (hoc eſt,) omnibus terrenis regnis, & Monar-
chijs. Conferuntur enim in hoc verſiculo Mons Zion,
in quo regnat verus Deus, & alij montes ſeu regna, in
quibus regnant terreni reges & monarchæ. Alia enim
regna proferunt in his terris, fines imperij ſui, præda,
rapinis, tyrannide, & finitimarum gentium oppreſio-
ne. Mons autem Zion, (hoc eſt) verus Deus, qui in
Zione colitur, ſuperat potentia, & magnificentia ſua
omnes illos montes, & omnes terrenas Monarchias.
Primùm, quia profert imperium ſuum magis prædi-
Pſalm. 2. cando, quàm prædando. Ego, inquit alius Pſalmus,
conſtitui regem meum, ſuper Zion montem ſanctum
meum. Prædicabo ſtatutum, quod DOMINVS dixit
ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Deinde,
quia Deus, qui in monte Zion colitur, punit & vaſtat
omnia alia regna & Monarchias huius terræ, ſi mon-
ti Zion,

ti Zion, seu populo eius iniuriam intulerint: Sicut som niat sitiens, (inquit Esaias) & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion. Et iterum: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes (quę tibi restiterint) solitudine vastabuntur. Vide mihi exempla: Ægyptus fuit quondam potētissima Monarchia, sed cùm tyrannide sua populum Israel opprimeret, Deus Israelis affligit Ægyptios tanta seueritate, vt necesse habeant ipsi fateri, se diuinitus, à Deo videlicet Israelis puniri: Scient (inquit) Ægyptij, quia ego sum DOMINVS, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum. Et mox: In hoc scies, quòd sim DOMINVS. Ecce percutiam virga, quæ est in manu mea, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem. Ac iterum: Fugiamus (dicunt Ægyptij) Israelem. DOMINVS enim pugnat pro eis. Fuit & Babylon maxima omnium Monarchia, & non solùm tenebat populum Dei captiuum, verùm etiam meditabatur extremam ipsius, vnà cum vera eius religione internicionem. Sed aliud decreuerat verus Deus Israelis: Propter vos, inquiens, emisi in Babylonem, & detraxi vectes vniuersos, & Chaldęos in nauibus suis gloriantes. Quid pluribus opus? Deus Israelis, qui in monte Zion colitur, & qui in plenitudine temporis carnem humanam assumet, ac fiet homo, lapis ille est, qui apud Danielem, abscinditur sine manibus, & percutit statuam, vt cōteratur & comminuatur. Lapis autem ille fit mons magnus, & implet vniuersam terram, quia regnum eius in æternum non dis-

Esa.29.

Esa.60.

Exod.7.

Exod.14.

Esa.43. & 45.

Dan.2.

ſipabitur, nec tradetur alteri populo, ſed ipſum comminuet, & conſumet vniuerſa relíqua regna, & ipſum ſtabit in æternũ. Cũ igitur mons Zion, (hoc eſt) Deus Iſraelis, cuius legitima ſacra, in mõte Zion peragũtur, ſit tantę potẽtię & maieſtatis, quis negaret eũ eſſe illuſtriorem (iuxta hunc Pſalmi verſiculum,) & magnificentiorem omnibus montibus & regnis prædatorĩjs?

5. *Præda fiunt ſuperbi corde, dormitant ſomnum ſuum, nec quicquam iuuantur cuncti viri fortes manibus ſuis.*

Accedit & illud maieſtatis veri Dei in Zion argumentum, quòd cum ſurrexerit ad iudicandum, & ſuſceperit afflictum populũ ſuum liberandũ, (quemadmodum mox ſequitur) neceſſe habẽt omnes elati animo, & ſuperbi corde, omnes videlicet tyranni, & pauperũ oppreſſores prędа, fieri alienis, & dormitare ſomnũ ſuum. Nam quemadmodum dormiturĩẽtes, ſolẽt ſomno ita ſopiri, vt videantur animo deficere, & morte extingui, (nihil enim morti tam ſimile eſt, quàm ſomnus) ſic et elati animo, ſeu tyranni perſecutores populi Dei, neceſſe habent, iudicãte DOMINO Deo Iſraelis, omnibus viribus ſuis deſtitui, & in ſtuporẽ prolabi, vt quãtumcunq; fortes ſint & feroces, nihil tamen roboris in manibus ſuis inueniant. Vnde & mox ſequitur.

6. *Ab increpatione tua ſopiuntur & currus & equus.*

Exempla huius verſiculi extant, Exod. 14. & 15. de Ægyptĩjs. Et quod paulò antè retulimus de Æthiopum exercitu, poſteriori libro Chronicõp cap. 14. Simili-
liter

liter ex eodem libro de exercitu Ammonitarum & Moabitarum, & è posteriori libro Regum de exercitu Sanecherib Regis Assyriorum. Cum igitur verus Deus è Zion tot exemplis probet maiestatem suam, quid reliquum est? Quid aliud, quàm quod statim sequitur?

7. *Tu terribilis es, TV (inquam) Ecquis consistet aduersus te, simulatq; exarserit ira tua.*

Cum hoc versiculo conuenit & illud è Psalmo Mosi: Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia. Et in Deuteronomio: DOMINVS Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium. Deus magnus & potens. Terribilis, qui personam nõ accipit nec munera. Etsi autẽ innumera sunt exempla, quibus Deus terrorem nominis sui comprobauit, tamen nos in præsentia paucis cõtenti erimus. Primùm enim Deus testificatus est terrorem nominis sui, cum tutatus est Patriarchas, qui paucissimi erant numero, inter gentes infestissimas, de qua re alius Psalmus ait: Cum essent numero pauci, transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, non permisit cuiquam, vt noceret eis, sed corripuit pro eis Reges. Vide Gen. 12. 20. & 21. Deinde testificatus est etiam terrorem nominis sui, cum promulgaret in monte Sinai Decalogum. Quantus enim ibi fuerit terror, quãta trepidatio ad vocẽ DOMINI Dei, excitata, notius est, quàm vt hoc loco pluribus explicari debeat. Accedit huc & illud terroris exemplũ, quo Gẽtes ad ingressum Israelitarũ in terrã Canaã, diuinitus perculsę sunt.

Exod. 15.

Deut. 10.

Psalm. 105.

De quo terrore DOMINVS ipse apud Mosen concionatur: Hodie, inquiens, incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam, in populos, qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur: Quis ergo (inquit Iob) restitit ei, & pacem habuit? Et iterū: Quis resistere potest vultui meo? Quod si illud, quod nos legimus, (Simulatq; exarserit ira tua,) ad verbum interpretari volueris, legendum erit: Ex tunc ira tua. Est autem sententia: Tu DOMINE adeò terribilis & formidabilis es, vt nullus nec hominum nec angelorum tibi resistere queat. Quòd si autē quispiam tibi resistendum susceperit, ex tunc, seu ab eo tempore ira tua ita exardescit, vt nemo amplius eam extinguere queat, & quò magis ille tibi restiterit, eò fortius cū ipso pugnes, donec ipsum totum opprimas et perdas. Ira enim Dei non remittitur resistendo, sed cedendo, non mitigatur repugnando, sed subijciendo, videlicet, si dederis ei locum, & subijciaris. Tunc autem das ei locum, & subijceris ipsi, cum agnito peccato, propter quod Deus irascitur, conuerteris te fide, ad Christum DOMINVM nostrum expiatorem peccati, & placatorem diuinæ iræ, quem solum habemus παράκλητον, vt Ioannes ait, apud Patrem.

Deut. 2.

Iob 9.

Iob 41.

1. Ioan. 2.

8. *De cælo adnuntias iudicium, terra pauet, & tacet.*

9. *Cum exurgit ad iudicandum Deus, vt seruet omnes affectos super terram.*

Aliud maiestatis Dei ex Zione argumentum. Etsi enim maiestas veri Dei illustrior est, quàm quæ humano

mano captu comprehendi queat, tamen si quando res exigit, videlicet, cum Deus exurgit ad iudicandos & puniendos impios, vt seruet afflictos & oppressos homines in his terris, solet seueritatẽ iudicij & irę suę aduersus impios, de cœlo ipso ita patefacere, vt vniuersa terra, vniuersi incolæ terræ contremiscant, & necesse habeant à facie Dei conticescere, & obmutescere. Huius diuinæ maiestatis extat manifestum exemplum in priori libro Samuelis capite septimo. Philistini enim susceperunt, temporibus Samuelis, bellum aduersus Israelitas gerendum. Erant autem Israelitæ in maximo metu, & vociferabantur ad Samuelem: Ne cesses, inquientes, pro nobis clamare ad DOMINVM Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum. Ecce igitur admirandum & stupendum spectaculũ. Samuel offert holocaustum DOMINO, & interim ineunt Philistini prælium contra Israel. DOMINVS autem intonuit fragore magno, in die illa super Philistijm, & ita exterruit eos, vt penè vsque ad internicionem à filijs Israel cæderentur. Hoc prorsus illud est, quod hi duo versiculi dicunt: Cum exurgit Deus ad iudicandum, siue puniendum impios (Philistinos,) vt liberet & seruet afflictos (Israelitas,) iudicium suum de cœlo ita adnuntiat aduersus Philistinos, vt terra ipsa, ex horrendo tonitru contremiscat, & Philistini ita cohorrescant, vt non apponant, ijs temporibus, vltrà venire (sicut scriptura loquitur) in terminos Israel.

10. *Quoniam furor hominis reddit te celebrem, & residuum furoris cinges.*

Repetit & apertius explicat, quod paulò antè dixit. Quis consistit aduersus te? Ex tunc ira tua. Tanta enim est maiestas Dei, vt quò plus ei resistiteris, eò celebrior reddatur, & maiorem laudem reportet, & quò pertinacius aduersus eum furere perrexeris, eò gloriosius furorem cinget, seu comprimet, & compescet: Furor, inquit, hominis reddit te, DOMINE Deus noster, celebrem. Quia quò magis homo impius aduersus te furit & sæuit, eò celebrius & illustrius fit nomen potentiæ tuæ. Et reliquias furoris cingis, quia si quid furoris in impio iam debellato reliquum fuerit, etiam hoc tu, Domine Deus, cingis, quasi funiculo, comprimis, cohibes, & prohibes, ne quicquam detrimenti homini pio afferat. Videtur autem hoc sumptum, è libro Iosuæ. Etsi enim, post captam Hierichuntem, & debellatos quinq; Reges Amorræorum, quos conturbauerat DOMINVS à facie Israel, & contriuerat magna plaga in Gibeon, remansit plurimum furoris & minarum in reliquis Regibus Cananæis: tamen DOMINVS etiam horum furorem & insaniam mirifice compescuit & cohibuit. Egressi enim, cum turmis suis, cum equis, & curribus immensæ multitudinis, vt pugnarent aduersus Israelem, ita oppressi sunt, vt ne reliquiæ quidem eorum remanserint. Tanta enim est maiestas, tanta seueritas iræ Dei, vt cum cœperit in impios animaduertere, non tollat manum suam, nisi impij, aut contriti fuerint, aut conuersi ad DOMINVM, pœnitentiam egerint. Quòd si verò libeat seueritatem iræ diuinæ in vno magis & eodem hominis exemplo, quàm in diuersis agnoscere, en, accipe mihi Pharaonem regem Ægypti. Hic, etsi magnis

Iosuæ 10.

Ios. 11.

gnis miraculis & ſupplicijs vocatur ad obediendum Deo & dimittendum Iſraelem, tamen peruicaciter reſiſtit: Quis eſt, inquiens, DOMINVS, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio DOMINVM, & Iſrael non dimittam. Sed cum poſt multas & graues plagas pergeret adhuc retinere furorem ſuum, & Deo ac vocationi eius reſiſtere, pergit etiam Deus in grauitate ſuæ iræ, & ita tandem exardeſcit, vt confeſtim videas equum & aſcenſorem in aqua maris rubri innatare, & ſuffocari. Agnoſcamus igitur ſeueritatem Dei, non eò, vt fugiamus Deum, & deſpondeamus animum, ſed vt ad Deum ipſum confugiamus, & agnito iræ eius conſilio, tantò arctius eum complectamur, quantò iratior nobis videtur. Non enim iraſcitur, (ſi rectè & piè de inſtituto eius iudicaueris,) vt perdat, ſed vt emendet, ac in viam reuocet: Viuo ego, inquiens, nolo mortem impij, ſed magis, vt conuertatur & viuat. Ac eo ipſo, quo iraſcitur & affligit, offert ſeipſum ſeruatorem & liberatorem. Hoc teſtatur Spiritus Propheticus, in Hoſea: Venite, inquiens, & reuertamur ad DOMINVM, quia ipſe apprehendit, & ſanabit nos, ipſe percutit, & curabit nos. Cum igitur ſciamus Deum illo eſſe ingenio & inſtituto, vt eo ipſo, quo nos vulnerat, medicum ſeſe exhibeat, agitedum, non pergamus iræ eius reſiſtere, & impœnitentes eſſe, ſed conuertamur ad percuſſorem noſtrum, vt & medicina eius fruamur.

Exod. 5.

Oſe. 6.

11. *Vouete, & reddite DOMINO Deo veſtro, omnes, qui eſtis in circuitu eius. Offerant munus terribili.*

12. (*Illi*

12. *(Illi videlicet,) qui aufert Spiritum principibus, formidabili regibus terræ.*

Concludit Psalmum cohortatione. Hactenus enim exposuit, quem & qualem habeamus Deum, & quibus argumentis, aut potius stratagematis veritatem suæ diuinitatis comprobauerit. Nunc igitur cohortatur omnes, qui sunt in circuitu eius, (hoc est) qui sunt membra Ecclesiæ eius, (sicut enim Israelitæ circumuallabant per circuitum, in castris suis tabernaculum DOMINI, quod erat in medio eorum, ideoq; dictus est DOMINVS Deus noster in medio eorum habitare, ita & quotquot credunt in DOMINVM, dicuntur esse in circuitu DOMINI, quòd filius Dei de Ecclesia sua dicat: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi,) cohortatur, inquam, nunc Psaltes omnes pios, vt cum agnoscant verum Deum, & maiestatem eius, colant etiam, venerentur & glorificent eum, vt verum Deum. Colebatur autem quondam Deus iuxta Leuiticum ritum, votis, sacrificijs, obla-

Leuit. 7.

Heb. 10.

tionibus, & alijs id genus sacris, quæ quidem non fuerunt vera sacra, sed tantùm vmbra verorum. Vera enim sacra sunt Fides, Inuocatio & celebratio nominis Dei, Spes in aduersis, tolerantia, charitas, & quicquid est bonarum virtutum, quas DOMINVS ad gratificandum voluntati eius, verbo suo exigit. Quare, cum Psaltes hortatur, vt Ecclesia ad agendas Deo gratias voueat & reddat vota, ac offerat dona, non reuocat nos post aduentum Christi in carnem, ad Leuitica, sed ad vera sacra, vt Euangelio Iesu Christi fidem habeamus, nomen DOMINI ex fide in Iesum Christum inuocemus,

inuocemus, et glorificemus, ac gratitudinem noſtram, quibus poſſumus officijs, teſtificemur. Hæc enim ſunt ſacra, quæ per Leuiticos ritus adumbrata fuerunt. Deinde, hortatur nos ad vouendum & reddendum vota noſtra, hoc eſt, ad gratificandum & ſeruiendum, non quibuſuis Dijs, ſed tantùm illi vero Deo, qui in hoc Pſalmo deſcriptus eſt, videlicet, illi terribili, qui aufert principibus ſpiritum ſeu animum, & formidabili cunctis regibus terræ. Hæc eſt periphraſis Dei omnipotentis, qui non tantùm cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, condidit, verùm etiam cuncta adhuc ita conſeruat & adminiſtrat, vt ſi viſum fuerit, auferat principibus, quamuis inſigni potentia prædi-tis, omne corporis & animi robur, & exterreat, ac de thronis ſuis deijciat etiam fortiſsimos terræ Monarchas: quemadmodum exempla, quorum nonnulla ſuprà commemorauimus, palàm comprobant. Cum igitur Deus ille verus, qui in Zione colitur, tantæ ſit maieſtatis, & potentiæ, digniſsimũ eſt, vt voueatis, inquit, ei, & reddatis vota, ac offeratis ei ſacrificia, (hoc eſt) vt veneremini eum ſummo, qui verum Deum decet, cultu, ac præſtetis ei omnem, iuxta verbum ſuum, obedientiam, quo viciſsim vobis omne beneficiorum genus clementer exhibeat.

VSVS HVIVS PSALMI.

In Decalogo ſeueriſsimè præcipitur, ne habeamus alienos Deos. Quæritur ergo, qui ſint Dij alieni, quos abijciamus, & quis ſit verus Deus, quem colamus. Ac ſi quidem humanam rationem de hac re conſulue-

rimus, respondebit illa, si modò sana fuerit mente, se
Rom. 1. non ignorare, Esse Deum, (Deus enim, inquit Paulus, manifestauit illis) sed dubitare, quis sit verus Deus. Apud Ionam nautæ in periculis constituti, clamant
Ionæ 1. ad Deum quisque suum, & hortantur etiam Ionam,
Euse. li. 9. cap. 9. vt & suum Deum inuocet. In historia Ecclesiastica, Maximinus Imperator permittit publico edicto, vt tàm Ethnici, quàm Christiani, Deũ, suis quique ritibus colant, illud videlicet sentiens, quòd nihil referat, quibus ritibus, aut sacris Deũ colas, modò cogites te colere Deũ. Sed, cum sciamus quidem natura, quòd sit Deus, nemo autem vnquam Deum viderit, necessarium est, vt obseruemus, quod sit discrimen, quo verus Deus ab alienis & fictitijs internosci queat. Discrimen igitur in illo constat, quòd verus Deus patefecit se verbo suo, & cœlestibus miraculis, alieni autem Dij & fictitij, sunt muti, & habent incertam originem, nec possunt vera & certa miracula edere. Et quia externa sacra, quibus Deus colitur, incurrunt in oculos humanos, idcirco iuxta hæc sacra de Dijs iudicari & pronuntiari solet, vt verus Deus dicatur, qui colitur ijs sacris, quæ verbo Dei instituta, & cœlestibus miraculis confirmata sunt: Dij autem alieni & fictitij dicantur, quorum sacra nullo certo verbo Dei instituta, & confirmata, sed ab euentu quodam incertissimo, & ab humana vel ratione vel superstitione excogitata sunt. Vnde & iuxta phrasin scriptorum Prophieticorum, Dij alieni dicuntur sacra, quæ nullum habent certum verbum Dei, & cœleste miraculum, qualis cultus fuit vitulus aureus in deserto, & omnes cultus tàm Ethnicorum, quàm Iudæorum,

rum, absq; verbo Dei vsitati, & econtra, sacra verbo Dei destituta, dicuntur alieni Dij, & qui ea sectatur, dicitur Idolomaniam sectari, & alienos Deos colere. Quod ergo Decalogus præcipit, ne habeamus alienos Deos, coram vero Deo, illud præcipit, ne sectemur aliena, & à certo & confirmato verbo Dei abhorrentia sacra, sed vt agnoscamus & colamus illum Deum, qui veritatem suam certo verbo, certis sacris, & certis miraculis patefecit, & confirmauit. Quod cùm hic septuagesimus sextus Psalmus insigniter præstet, & demonstret nobis verum Deum, qui sit colendus & adorandus, amemus eum, & discamus ex ipso certam notam, qua verum Deum à Dijs fictitijs & alienis discernamus. Nam, vt quod necessarium cognitu est, iterum breuiter commemoremus, verus Deus est, non qui colitur inter Philistinos, inter Moabitas, inter Ammonitas, inter Ægyptios, & inter alias Gentes, sed qui colitur in Iuda, qui celebratur in Israel, qui commoratur in Hierusalem, qui habitat in Zion, seu qui adumbratur sacris, quæ peraguntur in templo Hierosolymitano, aut Zionico. Recedamus autem ad longinquiora, & antiquiora, & sciamus quis sit ille Deus. Nullum enim vnquam tempus fuit in hoc seculo, in quo verus Deus non habuerit insignem suam notã, qua cognosci potuerit. Ecce igitur Deus ille est, primum, qui condidit cœlũ & terrã, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo. Hac nota insigniuit eum scriptura sacra: In principio, inquiens, creauit Deus cœlũ & terrã. Et Abraham: Leuo, inquiens, manũ meã, ad DOMINVM Deũ excelsum possessorem cœli & terræ. Deinde, Deus ille est, qui post *Gen. 1.*

lapsum hominis in peccatum, patefecit se primis nostris parentibus, & concionatus quidem eis est, de supplicio inferendo propter peccatum: sed interim promisit quoq; quòd è muliere nasciturus sit, qui conterat caput serpentis. Adhæc, Deus ille est, qui patefecit se Patriarchis, Abrahæ, Isaaco & Iacobo, & promisit se daturum ex semine ipsorum benedictorem omnium Gentium. Præterea, Deus ille est, qui eduxit Israelitas ex Ægypto magnis & stupendis miraculis. Qua nota voluit ipse in publicis suis mandatis celebrari: Ego sum, inquiens, DOMINVS Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Postea, Deus ille est, qui voluit adumbrari ritibus & sacris, quæ diuinitus instituta fuerunt, in sancto tabernaculo, & in templo Zionico, seu Hierosolymitano. Deinde, Deus ille est, qui voluit notari & celebrari nomine filij Dauidis, regis Hierosolymitani: quippe quòd promiserit ipse, se è posteritate Dauidis hominem assumpturum. Postremò, Deus ille est, qui in plenitudine temporis conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, ac tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei patris sui omnipotentis, & venturus est ad iudicandos viuos & mortuos, Iesus Christus, DOMINVS noster, verus Deus, & homo. Habes, quis sit verus Deus, ad quem nos hic Psalmus ablegat, & quæ semper in hoc mundo fuerint publicæ notationes, & animaduersiones, quibus verus Deus descriptus est. Et si quid harum notationum vel neglectum, vel contemptum, vel negatum fuerit, non iam verus Deus, sed alienus & fictitius colitur.

litur. Ex quibus perſpicuè ſequitur, quòd nec Gentes, quæ ſectatæ ſunt Idola, coluerint verum Deum, quia coluerunt Deum, ſine verbo eius, & ſine ſacris, verbo Dei inſtitutis: aliæ coluerunt Deum, non autem conditorem cœli & terræ, quia ſenſerunt mundum non eſſe creatum à Deo, ex nihilo, ſed perpetuò conſtitiſſe. Nec Iudæi, qui ſecuti ſunt Baal, & alios Deos Gentium coluerunt verum Deum, quia etſi viſi ſunt credere Deum creatorem cœli & terræ: tamen quia non coluerunt eum legitimis ſacris, verbo Dei inſtitutis, aberrarunt à vero Deo, & deſignarunt Idololomaniam. Nec Iudæi illi, qui hoc tempore ſunt, Thalmudici, colunt verum Deum, quia etſi videntur ſibi credere, in Deum creatorem cœli & terræ, & in promiſſorem benedictionis in ſemine Abrahæ: tamen quia negant Ieſum Chriſtum, qui eſt verum ſemen Abrahæ, ſed ſequuntur nugas & impietatem ſui Thalmud, non colunt verum Deum. Nec Mahumetiſtæ, quia, etſi profitentur ſe credere in Deum, creatorem cœli & terræ, qui miſerit Moſen, vt educeret Iſraelitas ex Ægypto, & miſerit Ieſum Chriſtum, natum ex virgine, qui editis miraculis excitaret homines ad honeſtam vitam: tamen quia non credunt Ieſum Chriſtum eſſe verum & vnigenitum filium Dei, expiatorem peccatorum noſtrorum, & datorem vitæ, ac iudicem viuorum & mortuorum, ſed ſequuntur nugas, ineptias, & impietates ſui Mahumetis & Alcorani, non colunt nec agnoſcunt verum Deum. Nec Papiſtæ, quia, etſi confitentur verbis ſuis omnia ea, quæ in Symbolo Apoſtolico continentur, tamen quia non ſolum ſectantur ſacra, abſq; verbo Dei inſtituta, et traditiones

ditiones ab hominibus excogitatas, verum etiã ignorant verum officium Christi, & persequuntur crudeliter illos, qui è scriptis Propheticis & Apostolicis illud explicant, tantum abest, vt verum Deum colant, vt nõ minus quàm impiæ Gentes summam Idolomaniam designent. Soli autem illi verum Deum colunt & adorant, qui iuxta hunc Psalmum colunt Deum Iudæ, Israelis, Hierosolymorũ & Zionis, hoc est, DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui cum sit æternus æterni Dei patris filius, & Patriarchis promissus, ac sacris Leuiticis adumbratus, natus est in plenitudine temporis, homo, ex Maria virgine, & expiauit peccata nostra, vt si credimus in ipsum, adoptemur & nos in filios Dei, & hæreditate accipiamus cœlestem beatitudinẽ.

Psalmus 77.

Voce mea ad Dominum clamaui, &c.

Iob 4.

QVod Eliphaz Themanites apud Iobem concionatur: Recordare, inquiens, quis vnquam innocens perijt? aut quãdo recti deleti sunt? vulgaris est humani generis error. Nam, cum homines, pro carnis suæ prudentia, de afflictionibus & aduersis iudicandum susceperint, arbitrãtur ea,

Ioan. 9.

non esse nisi irati Dei signa. In Ioanne Euangelista pręterеunt Apostoli hominem cæcum à natiuitate. Interrogant igitur Christum, num hic cæcus, an parentes eius

eius peccauerint, vt cæcus naſceretur? ſentientes videlicet, quòd afflictio cæcitatis non potuerit ei euenire, niſi vel ipſe vel maiores eius iſtam peculiari aliquo et inſigni peccato cõmeruiſſent. Et in Actis Apoſtolicis, Melitenſes vident viperã pendentẽ de manu Pauli, & conſuſurrãt inter ſe: Omnino homicida eſt homo hic, quem ſeruatum è mari, vltio non ſinit viuere: illud videlicet iudicantes, quòd non accidiſſet ei hæc calamitas, niſi eſſet nocẽs & iniuſtus. Sed Spiritus ſanctus reprehendit huius iudicij vanitatẽ, cùm in multis alijs Propheticorum et Apoſtolicorũ ſcriptorum locis, tum etiã in hoc ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo, & docet non ſolùm, quò in afflictionibus ſit confugiendum, verùm etiam, quid de ipſis, exemplo & teſtimonio veterum miraculorum ſit ſperandum & expectandum, vt in tãtum non ſint ſigna irati Dei, & cupientis internicionẽ hominum afflictorum, vt potius eo ipſo cœleſtem ſuã gratiam & opem offerat. Sunt autem huius Pſalmi tres partes. Vna eſt, propoſitio, qua cõmemorat ſuum inſtitutum, quòd ſuſcipiat inuocandũ Deum, qui et poſsit & velit ipſum iuuare. Altera eſt, expoſitio, qua recitat magnitudinem afflictionis ſuæ, quæ excitauerit ipſum ad inuocationem nominis Dei. Poſtrema eſt commemoratio veterum exemplorum, & miraculorum, quibus ſe conſolatur, & firmam ſpem concipit, quòd affligatur, non vt ab irato Deo opprimatur, ſed vt à propitio, & clementi ſeruetur, ac liberetur. Actor. 28.

1. *Vox mea ad Deum, & clamo, vox mea ad Deum, & auſcultat mihi.*

2. In

2. *In die tribulationis meæ Dominum quæro, manus meæ nocte expanditur, & non delassatur, respuit consolationem anima mea.*

3. *Memor sum Dei, & tamen perturbor, loquor (ad Deum,) & tamen mœstus est spiritus meus.*

Hi tres versiculi sunt propositio, qua Psaltes profitetur, se in afflictione, & aduersis suis, non alio confugere, quàm precibus suis ad Deum: In die, (inquit) seu tempore tribulationis meæ, non conuerto me voce, & clamore meo, vel ad idola, quod est impiarum gentium, vel ad execrationes, quod est virulentorum hominum, sed (quod est veri populi, seu Ecclesię Dei,) ad Deum, ad Deum (inquam) ipsum, qui & iussit me nomen eius inuocare, & recepit se preces meas auribus suis percepturum. Et inuoco Deum, non animo tantùm, aut cogitatione cordis, sed etiam voce, voce, inquam, externa, & clamore oris: nec clamore tantùm oris, sed & gestu manuum. Extendo enim etiam manus meas ad Deum, vt hoc ipso corporis gestu testificer, me non somniculosè, non oscitanter, non languidè, et quasi aliud agendo, sed intentissimo studio cœlestem opem petere, vt, quemadmodum illi, qui in tenebris, quærunt manibus palpando rem amissam, ita ego expansis in cœlum manibus inquiram auxilium DOMINI Dei nostri. Idq; non interdiu tantùm, sed etiam noctu, vt sine vlla intermissione, & defatigatione sustollam manus meas ad cœlum extensas. Et quanquam nullam vspiam, nec in cœlo nec in terra consolationem sentiam: tamen, quò minus consolationis capio, eò magis attollo manus meas. Monumenta maiorum nostrorum

Exod. 17.

noſtrorum teſtantur, quòd cum Iſraelitæ pręliarentur aduerſus Amalecitas, Moſes ſteterit in monte, & tenuerit extentis in cœlum manibus virgam, qua mandato DOMINI aquas maris rubri diuiſerat, Iſraelitæ tantiſper victoriam reportauerint, dum manus Moſi non laſſarentur, aut remitterent. Ego autem, etſi manus meæ ſemper ſunt extentæ, ac ne noctu quidem remittunt aut ceſſant, nihil tamen aut leuationis aut ſolatij percipio. Nec dubito, quin Deus audiat meas preces, & ſciat, quibus rebus egeam: ſed nullam ſentio exauditionem, nullam ſubuentionem. Adhæc, etſi non obliuiſcor Dei, in ærumnis & aduerſis meis, ſed habeo ſemper nominis eius memoriam in inuocatione mea, tamen iurare penè auſim, quòd quò vehemẽtius et intentius eum inuocẽ, eò longius à me abſcedere videat: & quo ſubmiſsius querelas meas in ſinũ eius deponam, eò grauior mœſtitia cor meum inuadat. Breuiter, ego pergo quidem in calamitate mea Deum ſemper inuocare, Deus autem pergit me calamitate cumulare. Quò igitur me vertam? Ex his obſeruemus, quòd in aduerſis & afflictionibus, non ſit certior & tutior via effugiendi, quàm confugere fide & precibus ad DOMINVM Deum noſtrum. Idola non iuuant in extrema neceſsitate homines, ac ne ſe ipſa quidem iuuare poſſunt. Execrationes, tantum abſunt, vt iuuent, vt potius calamitates augeant. Confugiendum igitur eſt, ad ſolum DOMINVM Deum noſtrum: Non enim eſt, inquit Propheta, abbreuiata manus eius, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. Sed in eodem (inquies) Propheta ſequitur; Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & *Eſa. 59.*

Deum vestrum, & peccata vestra abscõderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Quare illud imprimis metuo, ne & ipse propter peccata mea excludar à facie Dei. Et quod hic Psalmus conqueritur, se extendere quidem noctu diuq; manus suas ad Deum, nullam autem percipere consolationẽ, sed quò vehementius Deum inuocet, eò grauiores sentire calamitates: idem plane mihi accidere re ipsa comperio, vt ab inuocatione nominis Dei longè miserior, quàm antea, discedere mihi videar. His seu cogitationibus seu obiectionibus, nonnihil quidem dicitur, & sunt hæ tentationes, ignita iacula satanæ, aduersus quæ nos probè muniamus, necesse est. Primùm enim, si peccata inter te & Deum diuortium faciunt, quid reliquum est, nisi vt peccata agnoscas, & conferas te fide tua ad Christum peccatorum expiatorem? Si quis, inquit Ioannes, peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mũdi. Deinde, etiamsi afflictiones, post precationem, ingrauescere potius, quàm decrescere videantur, tamen, cũ sis Deo patri per Christum filium eius reconciliatus, non est indignatio Dei, nec abnegatio auxilij eius, sed vel fidei probatio, vel ad maiorem gloriam parasceue. Vide mihi exemplum Christi, filij Dei, qui, quò diutius deprecaretur mortem, in horto, eò magis horror mortis in tantum crescit, vt sudor eius esset, sicut guttæ sanguinis decurrentes in terram. Tale horroris augmentum suscepit filius Dei in se, non propter se, sed propter te, vt cognosceres dilationem cœlestis auxilij, & auctionẽ afflictionis, in inuocatione, non esse fraudi,

1. Ioan. 2.

Luc. 22.

fraudi, sed commodo, non detrimento, sed emolumento: Ex hoc, inquit Epistola ad Hebræos, quod ipsi contigit tentatũ esse, potest & ijs, qui tentãtur, succurrere. *Heb. 2. & 4.*

Sed nec illud oscitanter est prætereundũ, quòd Psaltes dicat, se in inuocatione sua, ad Deum CLAMARE, idq; VOCE sua. Quid igitur? An Deus nõ audiret preces eius, nisi alto clamore vociferaretur? An non Elias irridet clamorẽ sacrificulorum Baal: Clamate, inquiẽs, voce maiore, Deus enim vester est, & forsitan loquitur, aut est in diuersorio, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur? Irridet quidem clamorem impiorum, non autem irridet clamorem piorum, inuocantium Deum ex fide. Etsi enim Deus non indiget externa voce, qua excitetur: Qui plantauit aurem, inquit alius Psalmus, nõ audiret? Et DOMINVS apud Esaiã: Erit antequã clament, ego audiam, adhuc illis loquẽtibus, ego exaudiam. Et in Exodo, audiuit clamorẽ Mosi ad mare rubrum, quamuis ore prorsum tacentis, tamen externa vox in precibus ad Deum, suam habet suo tempore & modo vtilitatem. Partim enim retinet precatorem in officio, & attentione, ne cogitationibus suis euagetur extra septa institutæ precationis: partim testificatur vehementiam affectus animi ad petenda & accipienda beneficia Dei: partim etiam prodest proximo, vt & ipse ad inuocationem nominis Dei exemplo accendatur & inflammetur. Dicamus igitur preces nostras, etiam externa voce, si quidem res ita ferat, & ne quid indecenter, et contra ordinem fiat. Imprimis autem & maximè omnium dicamus eas interna & vera fide in DOMINVM nostrum Iesum Christum, & confidamus eas, si non iuxta voluntatem, at verò iuxta vtilitatem nostram, certò exauditas. *Psalm. 94. Esa. 65. Exod. 14.*

4. *Tenes palpebras meas ad vigilandum, debilitatus sum ita, vt non possim loqui.*
5. *Cogito dies antiquos, annos præteritos*
6. *Recordor Psalterij mei nocte: in corde meo loquor, & scrutatur spiritus meus.*
7. *Num in æternum abijciet Dominus? & non habebit vltrà bonam erga nos voluntatem?*
8. *Num deficit penitus misericordia eius? & desijt promissio in perpetuum?*
9. *Num oblitus est misereri Deus? Num recondit præ ira misericordias suas?*

Altera pars huius Psalmi, qua exponitur grauitas & magnitudo afflictionis, quæ Psalte has preces extorquet. Duplex autem est afflictio. Altera est corporis, altera animi. Quod igitur ad afflictionem corporis attinet: Tenes, inquit, palpebras meas ad vigilandum, seu prohibes à somno palpebras oculorum meorum. Tanta est ærumnarum mearum acerbitas, vt præ ea non liceat mihi ad capiẽdum somnum palpebras oculorum claudere, sed necesse habeam, noctes insomnes ducere. Cum autem somnus sit perfugium omnium laborum & sollicitudinum, potes nunc ipse cum animo tuo considerare, quanta tribulationum mole obrutus sim, quòd etiam à somno excludar. Accedit & illud, quòd in perferendo tanto malorum onere, non solùm fiam insomnis, verùm etiam reddar planè stupidus ac elinguis. Eram nuper adeò, beneficio Dei, facundus, & disertus, vt in suauitate componendorum carminum nulli penè essem secundus. Nunc autem tantus me stupor inuasit, vt mihi prorsus sit obmutescendum.

scendum. Et hactenus quidem de afflictionibus corporis. Afflictiones autem animi longè maiores sunt & grauiores. In tantis enim aduersis, reuoco animum meum ad priora vitæ meæ tempora, & ad annos superioris meæ ætatis, quibus non negauerim, me aliquoties in maximis periculis, mirando modo seruatum, & è sæuis tempestatibus saluum quasi enatasse. Recordor etiam Psalterij, aut carminum meorum, idq; noctibus quoq;, (nihil est enim somni,) sed in tantum nullam leuationem malis meis reperio, vt reipsa sentiam dolores accrescere. In tantis enim & tam diuturnis afflictionibus meis exurgunt in corde meo plurimæ & grauissimæ cogitationes, vt incipiam (me miserum) non tantùm dubitare, sed etiam penè desperare, num adhuc reliqua sit apud Deum clementia, aut misericordia? imprimisq; illa sollicitudo spiritum seu animum meum torquere & excruciare solet, vt cogitem, num fortassis Deus ita me proiecerit, vt nulla prorsus me amplius beneuolētia prosequat: nec aliter affectus sim, quàm si bonitas & benignitas Dei erga me tota concidisset, & promissiones verbi sui omnes euanuissent, vt præ pertinaci & confirmata ira eius, nihil porrò de misericordia ipsius reliquum esset. Hæ certè sunt grauissimæ tentationes animi, nec iam amplius sunt terreni sed inferni dolores, vt qui hoc igni comprehēsus fuerit, ardore infernalium flammarum meritò conflagrare dicatur. Nam, qui sic sunt affecti, nusquam alibi commorantur, quàm in terra mortis caligine operta, vt Iob loquitur, in terra miseriæ & tenebrarum: vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, seu ploratus, vt Christus ait, & stridor dentium. *Iob 10.* *Matth. 13.*

tium. Quid igitur? Num, qui hoc igni ardent, ita accensi sunt, vt flamma eorum nunquam possit restingui? Num necesse habent perpetuò interire? Non est nobis in præsentia sermo de illis, quibus filius homi-
Matt. 25. nis, cum venerit in gloria sua, dicet: Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo &
2. Thes. 1. angelis eius. Et Paulus: Quum reuelabitur, inquiens, DOMINVS Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, infliget vltionem ijs, qui non nouerunt Deum, & non obedierunt Euangelio DOMINI nostri Iesu Christi, & pœnam luent, interitum æternum, à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius. De his, inquam, ad perpetuam damnationem, extremo Dei iudicio destinatis, nunc nihil dico: sed
2. Cor. 6. de illis, qui in hoc seculo, dum adhuc est tempus acceptum, & dies salutis, flammis inferni corripiuntur, quales fuerunt Iob, Dauid, Ezechias, Ionas, & hic Psaltes. Hi & multi alij Sancti, etsi habent similes affectus cum desperatis & damnatis, tamen non habent similes euentus, quòd & Christus, filius ipse Dei susceperit in se talem affectum: Deus meus, inquiens, Deus meus, quare me deseruisti, non quidem, vt in eo periret, sed vt per omnia fratribus (absq; tamen peccato) similis redderetur, vt misericors esset & fidelis
Heb. 2. & 4. pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quòd ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere. Et iam olim dictum est in carmine Hannæ
1. Sam. 2. matris Samuelis: DOMINVS mortificat, & viuificat, DOMINVS deducit ad inferos, & reducit. Deducit, (inquit) ad inferos, non vt omnes indiscriminatim in inferis

inferis detineantur, sed vt multi reducantur, illi videlicet, qui in semine Abrahæ, (hoc est) in Christo Iesu benedicuntur. Quare, quod Christus de diuitibus dixit, hoc idem de hominibus in dolores inferni, & in desperationem coniectis, intelligendum est: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia, imò etiam facilia sunt apud Deum. Sed audiamus nunc, quomodo Psaltes reuocetur à desperatione, ad spem, & reducatur ab inferni doloribus, ad cœlestis gaudij participatum. *Mar. 10.*

10. *Dico autem, hæc mea quidem est imbecillitas, sed commutatio est dexteræ altissimi.*

Postrema pars huius Psalmi, quæ exponit, qua via Psaltes redierit ex inferis ad cœlum. Commemorantur autem duo huius viæ gradus. Alter est, agnitio suæ ipsius imbecillitatis seu impotentiæ. Alter est agnitio diuinæ potentiæ & maiestatis. Hos igitur gradus exponit hic decimus versiculus. In tantis malis, in tantis inferni doloribus, in tanta desperatione, quid, obsecro, facerem? quò me verterem? Num indulgerem meis cogitationibus, sollicitantibus me ad abijciendam omnem prorsus spem salutis? Nihil certè minus, sed dico, (inquit) hoc est, ingenuè agnosco, & confiteor, primùm quidem, hanc esse meam imbecillitatem, & hunc esse morbum, qui mihi meritò accidat. Agnosco me peccato ita esse natura corruptum & deprauatum, vt indignus sim misericordia & clementia Dei, dignissimus autem, qui perpetuò à facie Dei abijciar, nec vnquam in æternum beneuolentia

eius

cius fruar. Habes ergo, ô Domine Deus, quod præcipuè requiris, reum confitentem. Deinde, dico, & agnosco etiam illud ingenuè, quòd nullo modo sit mearum virium, vt è tantis malis eripiar, & transferar in feliciorem rerum mearum statum, sed tantùm sit dextræ seu omnipotentiæ Dei altissimi, vt penes me solummodò sit peccatum, & meritũ peccati supplicium: penes te autem tantùm sit, DOMINE Deus, potentia & maiestas, me vel clementer seruandi, vel seueriter damnandi. Similem confessionem exigit etiam DOMINVS per Oseam: Perditio TVA Israel, tantummodò autem in ME auxilium tuum. Et apud Danielem: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Primus igitur gradus ad salutem est agnoscere suam imbecillitatem, quæ digna sit abiectione & damnatione. Secundus autem gradus est agnoscere dextrã Dei, quæ vt potenter, ita & clementer possit & velit imbecillitatem in fortitudinem, & damnationem in salutem commutare. Non enim ideò abijcit, vt conterat, sed vt erigat, non mortificat, vt perdat, sed vt viuificet, non conijcit in infernum, vt opprimat, sed vt ex inferno reducat.

Ose.13.
Dan.9.

11. *Memor sum operum Domini, memor sum præteritorum tuorum mirabilium.*
12. *Meditor omne opus tuum, & cum animo meo considero studia tua.*

In priori versiculo agnoscit Psaltes suam imbecillitatem, agnoscit etiam dexteram Dei, quæ sola possit ipsum, in tantis aduersis iuuare, & seruare. In hisce autem

tem

tem duobus versiculis recipit se reuocaturũ in memoriam opera DOMINI, et vetera miracula, adeoq; solennia & vsitata studia Dei, quibus testatus est, se mirando modo afflictis opẽ ferre, & dextra sua iuuare. Instituit aũt ea commemorare, seu in memoriam reuocare, vt animum ex ijs recipiat, & fidem suam confirmet. Redigam in memoriam admiranda Dei facta: repetam mecum præclara & illustria miracula, quibus Deus iam olim significauit, quòd mortificet quidem, sed vt iterum viuificet, ac deducat quidem ad inferos, sed vt reducat. Illud enim vetus Dei studium & consilium est, vt quem instituit exaltare, dejciat, quem instituit viuificare, mortificet, quem instituit seruare, perdat: Alienum est, inquit Esaias, opus eius, vt operetur opus suum. Affligit enim & perdit, (hoc alienum est opus à Deo, quippe qui natura sua non est, nisi salus & vita,) vt saluet, & viuificet, (hoc enim est proprium Dei opus.) Percipiam igitur animo exempla, quibus Deus manifestam fecit dextram suam, qua soleat quidem in miserias conjicere, sed iterum è miserijs mirando modo eripere, vt ex ijs exemplis admonear, & consolationem capiam, quod & DOMINVS me in his inferni doloribus, quibus mirificè in præsentia affligor, sit pro veteri suo studio conseruaturus & erepturus. Nam DOMINVS longè alia via solet in rebus suis agendis procedere, quàm homines, quemadmodum mox sequitur. *Esa. 28.*

13. *Deus (inquiens) in sancto via tua: quis Deus magnus, sicut Deus?*

14. *Tu es Deus, faciens miranda, ostendis in populis robur tuum.*

Esa.55. Quod DOMINVS in Esaia ait: Nõ cogitationes meę, cogitationes vestrę, neq; vię meę, vię vestrę, dicit DOMINVS. Quia sicut exaltant cœli à terra, sic exaltatæ sunt vię meę à viis vestris, & cogitationes meę à cogitationibus vestris, hoc idem sibi vult hic 13. versiculus: Deus in sancto via tua. Sanctũ enim vocant, quod est à prophano & vulgari vsu, in peculiarem, separatum, & destinatum: sicut & Deus ipse dicitur Sanctus Israelis, non tantùm, quòd in seipso sit ab omnibus sordibus purus & mundus, verùm etiam, quòd sese alienauerit *Deut.7.* ab aliis gentibus, & addixerit se Israelitis: Te, inquiens, elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. *Deut.10.* Ac iterum: En DOMINI Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra & omnia, quæ in ea sunt, & tamen patribus tuis conglutinatus est DOMINVS, & amauit eos, elegitq; semen eorum post eos, de cunctis gentibus. Cum ergo via DOMINI dicitur esse in sancto, significat, DOMINVM longè aliter instituere res suas agendas, quàm vulgus aut prophani homines soleãt, aut humana ratio intelligere queat: sed instituere eas modo cœlesti ac diuino, adeoq; abscõdito, & cõtrà quàm carnalis prudentia arbitratur, videlicet, quòd cum susceperit hominem viuificandum, mortificet eum, & cum cogitauerit hominem ex inferis liberandum, detrudat eum ad inferos, ac breuiter, cum voluerit eum iuuare, videatur ipsum deserere. Hæc est via DOMINI, ab humano captu remotissima, & soli spiritui, ac iis qui

spiritus

piritus dono prædití ſunt, nota. Quid igitur vero DOMINO Deo Iſraelis admirabilius? quid eo potentius? qui, vt è nihilo, aliquid creat, ita è morte in vitam reuocat, & ex inferno, ad cœlum reducit. Nec hæc vana ſunt verba, aut humana ſomnia ſed certiſsimis argumentis comprobata, & publicè, coram omnibus populis, in orbe terrarum confirmata. Vnde ſequitur.

15. *Redemiſti brachio, populum tuum, filios Iacob & Ioſeph.*

Commemorat ordine inſignia quædam & admirãda opera, quibus Deus perſpicuè teſtatus eſt, dexteram ſuam, qua in ſummis & extremis periculis ſeruauit afflictos, & commutauit miſerias eorum, quibus iam periiſſe videbantur, in felicitatem. Ac primùm: Redemiſti, inquit, brachio, ſeu potenti dextera tua, populum tuum, videlicet, filios Iacob & Ioſeph. Non eſt ignotum, quantis malis filij Iſraelis, ſeu Patriarchæ Iacob, qui dictus eſt Iſrael, hoc eſt, victor Dei, oppreſsi fuerint in Ægypto, ſub Pharaone. Dicuntur autem filij, non Iacob tantùm, ſed & Ioſeph, propterea quòd Patriarcha iam moriturus adoptauerit duos filios Ioſephi, videlicet, Ephraim & Manaſſen, in ſuos ipſius filios, vt & ipſi in catalogo liberorum Iacob cõnumerarentur, & conſtituerent ſingulas tribus in familia & poſteritate eius. Cũ igitur dicit, DOMINVM redemiſſe filios Iacob & Ioſeph, ſignificat DOMINVM redemiſſe ex Ægypto, nõ tãtùm illos poſteros Iacob, qui ex alijs ſuis liberis nati ſunt, verùm etiã qui nati erãt è *Gen. 48.*

duobus filijs Ioseph, vt doceat, ex Ægypto non partē tantùm aliquam, sed vniuersos Israelitas redemptos esse. Redempti autem sunt, non cum adhuc viderentur salui & incolumes: sed cum de salute eorum penè desperatum esset, & videretur DOMINVS ipsos deseruisse, & omnis suæ misericordiæ oblitus esse. Pharao enim rex Ægypti, opprimebat seniores Israelitarum tyrannide: de iunioribus autem ediderat edictū, vt quicquid masculini generis natum esset, tolleretur, & projiceretur in profluentem. Itaq; de vniuersa Gente Israelitarum ita actum, & conclamatum esse videbatur, vt nulla humana ratio conijcere potuerit, eam è tantis procellis & tempestatibus enaturam, & euasuram. Brachium tamen Dei, & dextera eius inuenit rationem, qua eam gentem, magnis etiam & stupendis miraculis, è tyrannide illa, aut potius ex inferis illis non solum saluam educeret, verùm etiam conseruaret, & in terra patribus promissa collocaret.

16. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, abyssi etiam perturbatæ sunt.*

Aliud argumentum seu testimonium præsentiæ brachij seu dextræ Dei. Nam cum Israelitæ egressi essent ex Ægypto, & peruenissent vsq; ad mare rubrum, obstabant aquæ, quò minus pergere possent. Ibi ergo videas manifestè, dextram Dei præstò affuisse, & desperatum Israelitarum rerum statum in melius cōmutasse. Excitatur enim diuinitus Orientalis ventus fortissimus, qui cum tota nocte perflaret, diuisit aquam maris, vt media via exiccaretur, & præberet Israelitis facilem

facilem & expeditum ac tutum quoque traiectum: propterea quòd aquæ starent vtrinq; perinde ac murus, à dextra & sinistra eorum. Viderunt (inquit) te, Deus, aquæ, viderũt, inquam, hoc est, senserunt reipsa aquæ, vim, & potentiam manus dextræ tuæ, vt & cõtremiscerent, & necesse haberent ei cedere, non tantum in superficie, verum etiam ex abyssis, & voragi- nibus, quò Israelitæ siccis pedibus pertransirent. Quãtum, quæso, hoc est miraculum? quanta potentia dextræ Dei? Hoc enim non contigit casu aut fortuitò, sed manifesta virtute Dei, quòd ventus non prius exiccauerit aquas maris, quàm Moses, ex mãdato Dei, virga sua aquas percussisset, & aquę sint instar muri ex vtraque parte consolidatæ, & mox, postquam Israelitæ traiecissent, in suum alueum, oppressis Ægyptijs, redierint. Vide ergo mihi, in quantis periculis & difficultatibus Israelitæ, ad mare rubrum hæserint. Mare obstat, quò minus progredi queant. A tergo instat ferox & crudelis ac iratus hostis Ægyptius, nec vlla patet euadendi via, vt necesse habeant ingredi in aquas maris. Quid autem hoc aliud erat, quam ingredi in medias mortis aut inferni tenebras? Et tamen dextera Excelsi manifesta affuit, ac liberauit eos mirando modo, vt testaretur se deducere quidem ad inferos, sed & reducere, ne quis in extremis suis periculis animum despondeat. *Exod. 14.*

17. *Effuderunt aquas nubes, tonitruo concrepuerunt nubeculæ, sagittæ quoq; tuæ discurrerunt.*

18. *Vox tonitrui tui in cælo, fulgura splendescebant in orbe, contremuit & commouebatur terra.*

19. *In mari erat via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & tamen vestigia tua non cognoscebantur.*

Cum adhuc fiat sermo de miraculis dextræ Dei, quæ in egressu Israelitarum ex Ægypto, & in mari rubro edita sunt, intelligendi sunt & hi versiculi de eodem argumento. Postquam enim Israelitæ pertransierunt siccis pedibus mare rubrum, secuti sunt eos Ægyptij, non autem eadem fortuna, seu euentu. Sic enim scriptum est, in Exodo capite 14. Persequentes Ægyptij, ingressi sunt post eos, & omnes equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens DOMINVS super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit, seu turbauit, exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israelem, DOMINVS enim pugnat pro eis contra nos. Et mox: Fugientibus Ægyptijs occurrerunt aquæ & inuoluit
Exod. 15. eos DOMINVS in medijs fluctibus. Ac in Psalmo: Electi principes submersi sunt in mari rubro, Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis. Etsi enim verba ipsa historiæ in Exodo, non meminerunt expresse tantæ tempestatis, quam hic noster Psalmus hoc loco exponit, tamen haud obscurè tàm in Exodo quàm in hoc Psalmo, significatur, Ægyptios, postquam secuti sunt Israelitas, in mare rubrum, pluuijs, tonitruis, & fulgetris, non tantùm exterritos, sed etiam quasi πανικῷ quodam perturbatos, vt nescierint, quò se verterent, donec tandem vniuersi aquis obruerentur & perirent. Nubes (inquit Psalmus) effuderunt aquas, (hoc est) fugientibus Ægyptijs, occurre-

runt

runt eis aquæ, non aliter, quàm si repentinus nimbus incidisset. Accesserunt etiam tonitrua, atq; fulmina, quæ tanquam cœlestes sagittæ in Ægyptios emittebantur, vt de cœlo non audirentur, nisi voces tonitruorum, & in terra non nisi fulgura splendescerent, ac terra quoq; ipsa contremisceret. Ac tua quidem via, Domine Deus noster, erat in mari, & semitæ tuæ in multis aquis maris, dum mirando modo educeres Israelitas per mare saluos & incolumes. Sed dum Ægyptij temerè sequerentur, non cognoscebantur amplius vestigia tua, propterea quòd Ægyptij non potuerint ea via incedere, sed necesse habuerint, in mari turbari & errare, & tandem aquis eius obrui. Paulus Orosius, in suis historiarũ libris tradit vestigia curruum & orbitas rotarum Ægyptiacarum adhuc, tàm in littore, quàm in profundo maris rubri extare. Verba eius adscribam: Tractus curruum, rotarumq; orbitæ, non solùm in littore, sed etiam in profundo, quousq; visus admittitur, peruidentur. Et si fortè ad tempus, vel casu, vel curiositate cuiuspiam turbantur, continuò diuinitus in pristinam faciem, ventis, fluctibusq; reparantur, vt quisquis timorem Dei non docetur propalatæ religionis studio, iræ eius transactæ, vltionis terreatur exemplo. Hactenus Orosius. Etsi verò libenter credo Orosium, hæc vel è fide dignis historiographis transcripsisse, vel ipsum coràm hæc vestigia vidisse, tamen fides sit penes autorem. Nos teneamus vestigia viarum Dei in mari rubro, eatenus non fuisse, iuxta Psalmum nostrum, cognita, quatenus Ægyptij, temerè sequentes, non potuerint assequi Israelitas, sed necesse habuerint in mari diuinitus perturbari, & tandem in aquis suffocari, donec Israelitæ salui euasissent.

Paulus Orosius li. 1. cap. 10

Habes

Habes iterum exemplum in egressu Israelitarum ex Ægypto, quo comprobatur, quòd etsi de afflictis viis deatur conclamatum, & nullam eis spem salutis, coram humano iudicio relictam esse: dexteram tamen Dei adhuc superesse, quæ infelicitatem commutet in felicitatem. Quid autem pluribus opus?

20. *Deduxisti, sicut gregem populum tuum, manu Mosi & Aheronis.*

(Hoc est,) Non vna tantùm liberatio ex aquis maris rubri, sed etiam vniuersa historia egressus Israelitarum ex Ægypto, ducibus Mose, & fratre eius Aherone, plena est exemplorum, quibus confirmatur, quod suprà versiculo 10. dictum est, imbecillitatem quidem esse hominum, commutationẽ autem in meliorem statum, esse dexteræ excelsi. Non enim obscurum est, in quantis angustijs, & rerum difficultatibus fuerint Israelitæ, cum in deserto carerent pane & aqua: & cum Amalecitæ incursionem in ipsos adhuc ex itinere lassos & defatigatos facerent. Nec illud ignotum est, quantam desperationem retulerint ad eos, explorato-res, qui ad terram Canaan ex deserto missi erant. Vt nihil etiam dicam de ijs periculis, quibus obijciebantur, in promulgatione Decalogi, ad montem Sinai, & perspicuè deprecabantur vocem DOMINI: Loquere tu nobis, inquientes, non loquatur nobis DOMINVS, ne moriamur. Ac breuiter, quę adierunt toto illo tempore, quo, ducibus Mose & Aherone, in deserto, incertis sedibus vagabantur. Et tamen, ex ijs omnibus, mirando modo, dextera Dei conseruati sunt, & liberati

Exod.16.17.

Num.13.14.

Exod. 19.20.

rati. Non abijciamus igitur, ne in media quidem rerum desperatione animum, sed sufferamus, quicquid acciderit, obedienter, & admoniti exemplis ac miraculis, quæ in egressu Israelitarum ex Ægypto edita sunt, certissimam ex omnibus periculis salutem in DOMINO speremus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Dices, sperarem quidem his exemplis, & ipse salutem, nisi mihi nonnulla, eaq; meo iudicio, grauissima, obstarent, ac me ab hac tanta spe depellerent. Israelitæ enim fuerunt populus Dei electus, de quo Deus ipse dicit: Filius meus primogenitus Israel. Ego autem non sum filius Dei, sed propter multa & magna peccata mea, à Deo abiectus. Quomodo igitur possem exemplo eorum bene sperare? Hæc non est spiritus, sed carnis, non fidei, sed dubitationis, seu potius incredulitatis obiectio. Nã, cum sis baptizatus in nomen patris & filij & Spiritus sancti, non minus ad te, quàm ad Israelitas dictum est: Filius meus primogenitus Israel. Fingamus autem interim te nondũ esse adoptatum in filium Dei, at certe patet tibi ianua adoptionis. Crede in DOMINVM nostrum Iesum Christum, et iam adoptatus es in filium Dei. Quotquot (inquit) receperunt eũ, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credidissent in nomine eius. Et: Vbi venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptione ius filiorũ acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritũ filij su. in cor-

Exod. 4.

Ioan. 1.

Gala. 4.

da vestra clamantem Abba pater. Itaq; iam non es ser-
uus, sed filius. Quòd si filius, & hæres Dei per Chri-
stum. Nam, quod dicis te propter magna & multa pec-
cata meritum, vt exhærederis, & abijciaris, verè ac re-
cte confiteris, ideoq; patet tibi receptus ad patrem per
filium, qui omnia peccata expiauit: Filioli mei, inquit
Ioannes, hæc scribo vobis, ne peccetis. Et si quis pec-
cauerit, aduocatum habemus apud patrẽ, Iesum Chri-
stũ iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris,
non pro nostris aũt tantùm, sed etiam pro totius mun-
di. An ignoras, quoties Israelitæ, quos fateris esse pri-
mogenitum filium Dei, aduersus Deum peccauerint,
& Deum ad iracundiã sceleribus suis prouocauerint?
Et tamẽ, cum per pœnitentiam reuerterentur ad DO-
MINVM, semper recepti sint in gratiam, vt vbi exu-
berauit peccatum, ibi magis exuberaret gratia. Qua-
re, non habes vllum prætextum excludendi te ab his
Israeliticis exemplis. Si nõdum, (vt ais,) es filius Dei,
confer te ad Christum, per fidem, & mox in filium Dei
adoptaberis. Si peccata perturbant te, habes peccato-
rum expiatorem, Iesum Christũ. Agnosce igitur pec-
cata & crede in Christum, ac scias hunc Psalmum, non
Rom. 15. tantùm propter Israelitas, sed etiam propter te scriptũ
esse, vt per patientiam & consolationem eius spem in
omnibus tuis aduersis habeas, & sentias, afflictiones
non esse signa irati & abalienati à te Dei, sed potius
adhortamenta, quibus Deus te ad se vocet,
opem suam tibi offerat, & omnino
te seruare cupi-
at.

Psalmus

Psalmus 78.

Attendite populе meus legem meam, &c.

APud Euangelistam Matthæum, cap. 13. cum Christus multas recitaret parabolas, additur: Hęc omnia locutus est Iesus per parabolas ad turbas. Et sine parabolis nihil locutus est illis, vt compleretur, quod dictũ fuerat per Prophetam, qui ait: Aperiam in parabolis os meum: Eructabo abscondita, à constitutione mundi. Hic autem versiculus ponitur in principio huius septuagesimi octaui Psalmi. Haud immeritò ergo quęritur, quomodo hic Psalmus exponatur apud Matthæum de persona Christi, cũ tamen in vniuerso Psalmo nihil de Christo dicatur, sed recitentur tantùm res gestæ in populo Israelitico, vsq; ad regem Dauidem. An, quia spiritus Christi erat in Prophetis, (quemadmodũ Petrus ait,) omnia, quæ Prophetæ locuti sunt, personæ Christi generaliter attribuenda sunt, sicut & Israelitæ dicuntur Christum in deserto tentasse, cum tamen Christus nondum esset incarnatus. An verò, quia in fine huius Psalmi fit mentio Dauidis, è cuius familia Christus descendit, dicendum est, Prophetam, non Esaiam, vt nonnulla habuerunt exemplaria, sed Asaphum, cui hic Psalmus inscribitur, recitasse eum in persona

1. Pet. 1.

1. Cor. 10.

Vide Commentaria, quæ Hieronymo adscribuntur, in hunc Psalmum 78. & in caput 13. Matthæi.

Christi? An fortassis, ea, quæ leguntur apud Matthæum, (vt compleretur, quod dictum fuerat per Prophetam) non fuerũt ab initio ab Euangelista scripta, sed à Lectore quodam, occasione accepta, à vocabulo parabolarum, ad marginem adscripta, & postea ab aliis transcriptoribus, e margine in contextum relata? Quid enim opus erat, nunc demum adijcere causam, cur Christus loqueretur turbæ in parabolis, cum paulò antè Christus ipse ex Esaia retulerit causam: Propterea, inquiens, per parabolas loquor illis: Quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Et completur in illis propheria Esaię, quæ dicit: Auribus audietis, &c. Sed huius rei iudicium sit penes pium & eruditum Lectorẽ. Certè hic est insignis & memorabilis Psalmus, qui commemoratione rerum in Israelitico populo gestarum, docet verum vsum sacrarũ historiarũ, imò vniuersæ sacrę scripturæ, vt sciamus, quòd quæcunq; pręscripta sunt, in nostrã doctrinam pręscripta sint, vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus. Et est epitome rerum memorabilium, quæ descriptæ sunt in Exodo, in Numeris, in Deuteronomio, in Iosua, in libro Iudicum, & in priori libro Samuelis. Visum autem est Spiritui sancto hãc epitomen in publicum carmen, etiam propter illam causam conferre, vt extaret vulgatum testimonium quòd nec arca testamenti, nec regnum Israelis pertineat ad tribum Ephraim, quæ affectabat, tam primatum in religione, quam maiestatem regni: sed ad vrbem Hierusalem, & ad tribum Iudæ, è qua descendit Dauid. Repulit, inquiens, tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iudæ,

Matthæi. 13.

Rom. 15. 1. Cor. 10.

Iudæ, montem Zion, quem dilexit. Ac breuiter, recitatione huius Psalmi admoneamur, tam timoris DOMINI, quam fidei in DOMINVM, quod impij & increduli, grauissimè puniantur diuinitus, propter impietatem: pij autem & credentes clementissimè, beneficio Dei conseruentur, & cœlestem felicitatem assequantur

1. *Audi populo mi doctrinam meam, inclinate aurem vestram ad verba oris mei.*
2. *Dicam graues sententias, proferam quæ gesta sunt antiquitus.*
3. *Quæ audiuimus, & cognouimus, & quæ patres nostri commemorarunt nobis.*

Exordium Psalmi, in quo exordio, captat beneuolentiam, (quod in tali orationis parte fieri solet,) & mouet attentionem. Appellat enim populum non superbè, non contumeliosè, sed benignè, & comiter: Mi populè, inquiens. Et affirmat, se non allaturum vana somnia, sed doctrinam, seu legem, præscribentem honesta, & prohibentem contraria. Affirmat etiam se non dicturum commentitias fabulas, & futiles nugas, recens excogitatas, sed grauissimas sententias, & vetustissima monumenta, quæ à maioribus nostris certissimè sint tradita, cognita & perspecta. Ac tradita sunt illo consilio, non vt abscondantur, quemadmodum Ethnici sua mysteria occultant, sed vt palam adnuncientur, & ad posteritatem propagentur. Sic enim sequitur.

4. *Vt non occultemus à filijs, & posteritate eorum.*
5. *Sed vt adnuntiemus laudes* DOMINI, *& fortitudinem eius, & mirabilia eius, quæ fecit.*

Hoc est maiorum nostrorum consilium, cur tradiderint nobis tam voce quàm scripto res superioribus temporibus gestas: videlicet, non vt taciti nobiscum delectemur cognitione vetustatis, sed vt propagemus & diuulgemus eas ad posteritatem, (hoc est) vt ijs cognitis celebretur nomen DOMINI, quòd sit verus Deus omnipotens, & misericors, qui seueriter quidem animaduertat in impios & incredulos, clementissimè autem, & mirando modo seruet & custodiat populum suum, credentem & obedientem. Nec maiores nostri carnali quadam prudentia excitati sunt, vt commemorarent posteris suis res antiquitus gestas: sed excitati sunt à Spiritu sancto, & mandato DOMINI. Sic enim sequitur.

6. *Statuit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, quã mandauit patribus nostris, vt docerent filios suos.*
7. *Vt posteri discant, & filij, qui nascentur, vbi adoleuerint, narrent ea filijs suis.*

Testimonium, seu Lex illa, cuius hoc loco fit mentio, scripta est in Deuteronomio, cap. 6. Erunt, inquit, verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis, (hoc est) acues ea filijs tuis. Et paulò antè, cap. 4: Ne obliuiscaris verborum, seu rerũ, quas viderunt oculi tui. Et ne excidãt de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, &c. Vides ergo maiores nostros tradidisse nobis hanc doctrinam,

ctrinam, non arbitrio humano, sed mandato diuino, vt propagemus res diuinitus in populo Dei gestas, idq; in hunc vsum & finem, vt verus Deus cognoscatur, & recte colatur. Vnde & sequitur.

8. *Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, ac mandata eius custodiant.*

9. *Et non fiant, sicut Patres eorum, generatio rebellis, & inobediens: generatio, cuius cor non fuit stabile, nec fideliter adhæsit Deo spiritus eius.*

Hic est vsus, hic est finis, non solùm veterum historiarum, verùm etiam omnium expositionũ seu narrationũ in vniuersis sacris literis, non vt sciamus tantùm & delectemur: sed vt veram pietatẽ discamus. Vt collocent, inquit, spem suam in Deo, & non obliuiscantur mirabilium Dei, ac mandatorum eius. Cõmemorantur enim res gestæ diuinitus, vt discamus agnoscere verũ Deum, & concipiamus quidem timorem eius, si audiuerimus prædicari seueritatem eius, qua animaduertit in impios: fidem autem & spem, si audiuerimus prædicari clemẽtiam & misericordiam eius, qua complectitur & seruat mirandis modis pios, & inuocantes nomẽ eius in omnibus aduersis, ne exemplo impiorum patrum, qui nec firmi nec stabiles fuerunt in vero timore Dei, sectemur & ipsi impietatem, & mandata Dei posthabeamus. Hunc sacræ scripturæ seu lectionis eius vsum docet etiã Moses. Cum. n. instrueret Regẽ, *Deut. 18.* postquã sederit, inquit, in solio regni sui, describet sibi Deuteronomiũ legis huius, accipiẽs exemplũ à sacerdotibus Leuiticę tribus, & habebit secũ, legetq; illud omnibus diebus vitę suæ. Quã ob causam? Addit: Vt discat timere DOMINVM Deum suum, & custodire verba

verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.

Deut.31. Ac iterum, in alio loco: Leges verba Legis huius, coram omni Israel, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris, quàm mulieribus, paruulis, & aduenis qui sunt intra portas tuas. Sed qua de causa? Vt audientes, inquit, discant, & timeant DOMINVM Deum vestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones legis huius. Et addit: Filij quoq; eorum, qui nunc ignorant, vt audire possint, & timeant DOMINVM Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in terra. Huc etiam pertinet, quod de vsu sacræ Scripturæ, Paulus quoq; Apostolus ad Timotheum

2.Tim.3. suum scripsit: Tu, inquiens, persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere AD SALVTEM, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, & reliqua. Notus enim est Pauli locus. Quod potest præclarius testimonium, quod illustrius præconium de sacra Scriptura, aut lectione eius dici? Hæc scriptura est organon cœleste, quo Spiritus sanctus vti solet, ad excitandam cognitionem veri Dei, ad plantandum in humanis pectoribus timorem Dei, ad concipiendam fidem & spem in Deum, ad inuocandum nomen Dei, ad obediendum mandatis Dei: denique ad conferendam veram & æternam salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Quare amemus, legamus, audiamus, diurna nocturnaq; manu tractemus hanc scripturam, vt Spiritus sanctus suum habeat organon, quo dona sua in nos opulenter

lentè effundat. Hactenus Exordium Psalmi. Sequitur nunc Narratio, seu expositio rerum gestarũ in Ægypto, in deserto, & in terra Canaan, vsque ad tempora Dauidis, vt ostendat, quæ beneficia collata sint populo Israelitico, & qua pœna affecti sint increduli & ingrati.

10. *Filij Ephraim armati, iacientes arcu, desertores facti sunt in die belli.*

Ab hoc versiculo perpetua est cõmemoratio exemplorum & rerum in Israel gestarum, vsque ad finem Psalmi, vt recitatione impietatis, ac ingratitudinis populi, & suppliciorum, quibus impij sunt diuinitus puniti, posteri admoneantur, ne fiant (quod Psalmus suprà dixit,) sicut patres eorum, sed ponant spem in Deo, & custodiant mandata eius. Quid autem causæ sit, cur Psaltes tribuat in hac Narratione principẽ locum tribui Ephraim, cum tamen nõ solùm hæc tribus, verùm etiam vniuersus Israel fuerit generatio rebellis & inobediens, (quemadmodum scriptum est in Numeris, cap. 14. & in cantico Mosi,) fortassis non erit superuacaneum expendere. An, quia Ephraimitæ, etsi fuerunt tribus populosissima, & sagittãdi peritia insignis, primi tamen fuerint, qui violarunt mandatum DOMINI de delendis gentibus in terra Canaan, & nõ interfecerunt Cananæum, qui habitabat in Gazer? quemadmodum scriptũ est, in Iosua cap. 16. & in libro Iudicum cap. 1. An, quia temerè incurrerũt in Gathitas, et oppressi sunt ab eis, iusto Dei iudicio? de qua incursione, legitur in priori libro Chronicõ cap. 7. An *Deut. 32.*

quia Ephraimitæ impietate ſua præcipui autores fuerint, quòd Philiſtini maximam cladem Iſraelitis intulerint, cum occidiſſent triginta millia peditum in Iſrael, & caperent arcam Dei, cuius tabernaculum fixum quidem erat illo tempore in Silo, tribus Ephraim, adducta autem erat Arca ipſa, impio ſeniorum cõſilio, in caſtra Iſraelitarum, vt quam cœleſtem opem contra Philiſtinos, non petebant è præſentia DOMINI Dei noſtri, per veram pœnitentiam, conſequerentur eam, per externam præſentiam arcæ, ſine pœnitentia? Sed quacunq; de cauſa Ephraimitæ, primum locum, in commemoratione Iſraeliticarum impietatum, & ſuppliciorum, in hoc Pſalmo obtineant, certè non eſt obſcurum, quòd cuius pręuaricationis, & impietatis accuſantur Ephraimitæ, eam communem habeant, cum vniuerſo Iſraele. Aptum igitur, & congruens eſt, vt nomine eorum, qui illo tempore erant inter tribus Iſraelis, tàm numero, quàm autoritate præſtantiores, intelligamus omnes reliquas tribus: Filij Ephraim, (inquit) hoc eſt, Iſraelitæ, inter quos erant præcipui Ephraimitæ, etſi erant armati, & arcubus inſtructi, tamen in die belli verterunt terga, & in tempore neceſsitatis defecerunt, & facti ſunt deſertores. Loquitur autem, vel ſpecialiter de bello illo, quod Ephraimitæ geſſerunt cum Gathitis, cuius paulò antè mentio facta eſt, vel generaliter de bello illo, quod Iſraelitæ geſſerunt cum Philiſtinis, in quo & Arca Dei capta eſt, & multa millia Iſraelitarum interfecta ſunt: ac videbatur non tantùm regnum, verùm etiam religio ipſorum concidiſſe. Hæc fuit ingens clades Iſraelitarum,

2. Sam. 4.

Ioſ. 16.

Ioſ. 18.

1. Par. 7.

2. Sam. 4.

raelitarum. Sed num accidit eis temerario casu? Nihil verò minus. Sequitur enim.

11. *Non custodierunt pactum Dei, & noluerunt in lege eius ambulare.*
12. *Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostenderat ipsis.*

Clades accidit vel specialiter Ephraimitis, vel generaliter Israelitis, non cæca quadam fortuna, sed deliberato Dei consilio, & iusto Dei iudicio. Deus enim dedit Israelitis Decalogum, & iniit cum ipsis pactum, vt si audirent vocem eius, & custodirent pactum ipsius, nec colerent alienos Deos, sint ipsi in peculium de cunctis populis, in regnum Sacerdotale, & gentem sanctam. Si autem non audirent nec custodirent pactum eius, sed sectarentur alienos Deos, maledicti sint in ciuitate, in agro, ingredientes & egredientes: Si dimiseritis, inquit Iosua, DOMINVM, & seruieritis Diis alienis, conuertet se, & affliget vos, atque subuertet. Habes pactum DOMINI, cum populo Israelitico. Hoc autem pactum violarunt Israelitæ, ac inprimis Ephraimitæ, quemadmodum testatur liber Iudicum, & haud obscurè significat Samuel, cum ait ad vniuersum Israel: Si in toto corde vestro reuertimini ad DOMINVM, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth, &c. Nec violarunt solùm pactum, seu legem DOMINI, verùm etiam tam ingrati fuerunt, vt obliuiscerentur omnium beneficiorum Dei, & omnium miraculorum, quæ

Exod. 19. *Deut. 28.* *Ios. 24.* *1. Sam. 7.*

Deus ediderat, vt ipsos in extremis suis calamitatibus conseruaret, & liberaret. Quare ad puniendam impietatem & ingratitudinem eorum, Deus haud immeritò excitatus est, vt affligeret ipsos grauissimis supplicijs. Sed, vt magnitudo et grauitas impietatis & ingratitudinis Israelitarum erga Deum, illustrior fiat, instituit Spiritus sanctus catalogum beneficiorum & miraculorum Dei, quæ malefactis eorum opponat.

13. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Zoan.*

Primum genus miraculorum, quę Deus per Mosen edidit in Ægypto, in agro seu campo Zoan. Huius Ægyptiacæ ciuitatis, quam aiunt fuisse metropolin, fit mentio in Numeris cap. 13. Et in Esaia cap. 19. & cap. 30. Similiter in Ezechiele cap. 30. Ac pro ea reponit Chaldæus interpres טאנס Tanes. Tanim autem recensent etiam alij scriptores inter præcipuas vrbes Ægypti. Dicit ergo Psalmus multa & magna edita esse miracula in Ægypto, ac inprimis in præcipua eius, siue vrbe siue regione Zoan, aut Tani, idq; per Mosen: & illo Dei consilio, vt Ægyptij his miraculis excitati, dimitterent è seruitute sua Israelitas liberos, ac concederent eis securam profectionem in terram Canaan, patribus eorum promissam. Quæ autem fuerint illa miracula, notius est, quàm vt hoc loco commemorari pluribus debeat: & sunt in Exodo, cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. conscripta. Quantum igitur hoc est beneficium, quòd Deus tantum Monarcham, regem videlicet Ægypti, ac potentissimum populum suum, tot, & tam

tam horrendis plagis ac supplicijs, mirando modo, idq; propter Israelitas posteros Patriarcharum, afflixerit? An hoc non est manifestum argumentum insignis & singularis beneuolentiæ, qua Deus Israelitas prosequebatur?

14. *Dissecuit mare, & traduxit eos, & statuit aquas, quasi murum.*

Aliud miraculum & beneficium. Cum Israelitæ in fuga sua ex Ægypto peruenissent usq; ad mare rubrũ, & nonp ateret eis, nec transitus per profundum mare, nec receptus in Ægyptum, imminentibus à tergo hostibus Ægyptijs, nec effugium per montana: Deus tãta cura complexus est eos, vt maluerit contra rerum naturam dissecare aquas maris, & consolidare eas vtrinq;, instar muri, quò liberè transgrederentur, quàm vt, accepto incommodo, impedirentur & retraherentur à vocatione sua, ac violaretur veritas promissionum, quas Deus ad Patriarchas dixerat. Quemadmodum describit historia Exodi cap. 14. Si autem hoc non est miraculum, & beneficiũ, quid, obsecro est? Et quid sibi velit, obscurum non est. Primùm enim, testatur illum Deum, cuius nomine hoc editum est, & quem Patriarchæ coluerunt, esse verum Deum, nec alium esse agnoscendum. Deinde testatur eum esse omnipotentem. Adhæc testatur eum esse veracem in promissionibus suis. Præterea clarè significat, non Ægyptios, sed Israelitas esse selectum populum & Ecclesiam Dei. Denicq; quasi manu ducit nos ad cognoscendam maiestatem Dei, qua Ecclesiam suam, in omnibus

aduersis clementer tuetur, & hostes eius seueritèr opprimit. Sed quam gratitudinem Israelitæ vicissim Deo rependerint, mox sequetur. Nos pergemus nunc in recensendis miraculis & beneficijs Dei.

15. *Et duxit eos sub nube interdiu, & noctu præcedente splendore ignis,*

Est & hoc miraculum, inter beneficia Dei, quæ exhibuit Israelitis, haudquaquam postremum. Scriptum autem est in Exodo cap. 13. DOMINVS (inquit) præcedebat eos ad ostendendā viam, per diē in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroq; tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo. Idem testatur Nehemias cap. 9. & Psalmus 105. Expandit, inquiens, nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem. Voluit autem Deus hoc miraculo & beneficio iterum testificari, se Ecclesiam suam in omnibus periculis tueri & conseruare, sicut & in Esaia dicitur: Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego DOMINVS Deus tuus, sanctus Israel, saluator tuus,

Esa. 43.

16. *Dirupit petras in eremo, & potauit eos aqua, abyssis multis, (seu abundè.)*

17. *Et eduxit riuos de petra, & elicuit flumina aquarum.*

Aliud miraculum & beneficium Dei, quod scri-

ptum

ptum est in Exodo cap. 17. & iterum in Numeris cap. 20. & in Deuteronomio cap. 8. Nam, cum Israelitæ in deserto carerent aqua, & Moses percuteret virga sua, ex mandato DOMINI, petras, tantâ aquarum abundantia erupit, vt tam ipsi, quàm iumenta copiosè haberent, quod biberent. Docet & hoc miraculum, quòd Deus tantam habeat rationem Ecclesiæ suæ, vt potius efficiat, quò petræ, præter ingenium & naturam suam, flumina aquarum effundant, quàm Ecclesia pereat. Quam igitur gratiam retulit Deo, populus Israel, (qui tunc erat Ecclesia DOMINI,) pro tantis beneficijs? Sequitur.

18. *Et (tamen) cumulauerunt peccata peccatis, vt prouocarent Excelsum in deserto.*
19. *Tentauerunt Deum in corde suo, vt postularent cibum animæ suæ.*
20. *Et loquentes contra Deum, dixerunt: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
21. *Ecce, percussit quidem petram, & fluxerunt aquæ, & emanarunt riui, nunquid etiam panem poterit dare, aut parare carnem populo suo?*

Rem mirandã. Israelitæ tantis beneficijs, editis etiã stupendis miraculis, à Deo affecti, tantum abest, vt Deum verè agnoscerent, & piè colerent, vt potius impietatem impietate cumularent, & peccatis peccata adderent. Quæ est ingratitudo, quæ peruersitas, si hæc nõ est? Nihil, inquit, moti tot beneficijs, tot miraculis, perrexerũt aduersus Deũ peccare, vt prouocarẽt eum subinde ad maiorem iracundiã; idq; dũ adhuc essent in deserto,

deserto. Videbatur desertum admonere eos, vt quò essent omnibus rebus egentiores, eò magis Deum colerent, & nomen Dei inuocarent: sed ecce quò miseriores, eò insolentiores facti sunt. Etsi enim Deus dedit eis aquam è petris, & Manna de cœlo, tamen his nec contenti, nec grati, postularunt etiam carnes: ac nisi has dederit, cogitarunt in cordibus suis, quòd non DOMINVS Deus, pro suo mandato, sed Moses potius pro animi sui libidine eduxerit ipsos ex Ægypto. *Exod. 17.* Tentauerunt, inquit scriptura, DOMINVM, dicentes: Est ne DOMINVS in nobis an non? Iactat quidem Moses, quòd eduxerit nos ex Ægypto, non suo ipsius arbitrio, sed mandato DOMINI Dei nostri. Cum autem necesse habeamus omni genere ærumnarum in deserto affligi, non est verisimile, quòd educti simus in tantas miserias voluntate DOMINI. Quare, nisi DOMINVS parauerit nobis mensam, panibus & carnibus refertam, qualem habuimus in Ægypto, nunquam persuadebit nobis Moses ille, vt credamus nos vocatione DOMINI Dei nostri è tam opulenta regione, in tam horrendam solitudinem eductos. Facile quidem est, aquam ex petra, & rorem de cœlo dare. Nam & illud reipsa compertum est, quòd aliquoties è saxosis montanis effundantur copiosissimi fontes, & largissima flumina: ac natura fortassis huius deserti ita ferat, *Solinus.* vt terra suo tempore rore rigetur: sed illud visendum & admirandum esset opus, si daretur nobis in hac vasta solitudine copia carnium. Quare nisi DOMINVS eam dederit, non credemus eum nobis præsentem esse adiutorem, & nos voluntate eius à terra Ægypti egressos. Immane, quanta hæc est contumelia, quanta blasphemia

phemia in DOMINVM Deum noſtrum. Re ipſa compererant, ſtupendis miraculis editis in Ægypto, & admirando tranſitu per mare rubrum, quòd DOMINVS etiam hoſtium confeſsione, qui dicebant: Fugiamus Iſraelem, DOMINVS enim pugnat pro eis contra nos, præſentiſsimus eſſet adiutor & defenſor: & tamen, cum deeſſent eis pauciſsimo admodum tempore, carnes, meditabantur defectionem, niſi DOMINVS præter aquam & manna, daret etiam carnes. O impietatem, ſed non tulerunt eam impunè.

22. *Audiens enim hoc DOMINVS, exarſit ira, & ignis accenſus eſt in Iacob, & etiam furor aſcendit contra Iſrael.*

23. *Quòd non crediderunt in Deum, nec ſperauerunt in ſalutem eius.*

Hoc ſumptum eſt è Numeris cap. 11. vbi ita legitur: Ortum eſt murmur populi quaſi dolentium præ labore, contra DOMINVM. Quod cum audiſſet, iratus eſt, & accenſus in eos ignis DOMINI, deuorauit extremam caſtrorum partem. Poſtquam enim Iſraelitæ, non contenti eſſent nec aqua, nec manna, ſed poſtularent etiam carnes, Deus ad tantam indignationem prouocatus eſt, vt extremitas caſtrorum repentino igni corriperetur, ac cœleſti incendio peritura videretur. Etſi autem Moſes, acclamationibus populi excitatus, impetrauit precibus ſuis à DOMINO, vt ignem compeſceret, & in profundum terræ ſubmergeret: tamen in monumentum rei geſtæ, locus ipſe nomen ſuum inde reportauit, & dictus eſt, Tabera, hoc eſt, Incenſio, eò

quòd succẽsus fuisset contra eos ignis DOMINI. Sed quid? an non licet à DOMINO petere, quæ sibi necessaria videntur? Israel autem petijt à DO. MINO, non ab idolo, aut Deo alieno: & petijt carnem, quam arbitrabatur sibi ad sustentationem vitæ, in tam vasta solitudine necessariam esse. Man enim videbatur leuius & tenuius, quàm vt posset ipsos alere. Quid igitur dicemus? Petere quidem à Deo necessaria victui & amictui suo, intantum non est per se impium, vt etiam Christus filius Dei id iubeat, & promittat, dum docet nos petere panem quotidianum. Si fuerit DOMINVS *Gen. 28.* mecum, (inquit Iacob Patriarcha,) & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi *Prouer. 30.* DOMINVS in Deum, &c. Et apud Salomonem: Mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi. Tribue tantùm victui meo necessaria, &c. Hæc igitur à DOMINO petere, per se non est impium, sed est potius officium Deo gratum. Petere autem ea à DOMINO, ex incredulitate, ex impatientia, ex tentatione Dei, ac nisi Deus ea dederit, minari te deserturum vocationem, & inuocationem nominis Dei, ac sectaturum vel alienos Deos, vel imposturas, & alias iniquitates, hæc demum summa est impietas, & digna non tantùm externo, sed etiam æterno & infernali igne: Accensus est ignis (inquit Psalmus) in Iacob, eò quòd non crediderunt in Deum, & non sperauerunt in salutem eius. Deus enim promiserat Patriarchis se liberaturum posteros eorum ex Ægypto & traditurum eis terram Canaan, in possessionem, aç confirmauerat

hanc

hanc promissionem maximis miraculis. Vbi autem Deus promittit sua beneficia, ibi etiam promittit ea, quæ ad consequenda ipsa sunt necessaria. Nisi enim cœlestem suam opem, in assequendis ijs, promitteret & exhiberet, quis in periculis, quæ interea accidunt, constare, & euadere posset? Israelitæ autem, ijs omnibus contemptis & posthabitis, cum Deus non statim satisfaceret cupiditati eorum, abijciunt in suscepta profectione per desertum ad terram promissam, omnem spem salutis, & meditantur receptum in Ægyptum, & ad Idolomaniam eius. Et vt intelligamus, quàm ingens & immanis fuerit eorum incredulitas ac impietas, recenset iterum beneficia, non vetera, quæ ante multos annos collata sunt in Patriarchas, sed recentissima, quæ in ipsos præsentes conferuntur, & quibus adhuc fruuntur, quibus etiam facilè commonefieri possent, Deum esse ipsis propitium, & singulari eos beneuolentia ita complecti, vt in nullis periculis deserat. Sed opera & oleum pereunt. Dicit ergo.

24. *Mandauit supernis nubibus, & ianuas cœli aperuit.*

25. *Pluit super eos Manna, vt comederent, & frumentum cœleste dedit eis.*

26. *Panem Angelorum comedit quisque, viaticum misit eis abunde.*

Quod ad cibum seu viaticum attinet, nihil (inquit)

defuit eis, nec potuerunt quicquam de fame seu inedia conqueri. Tantum enim abfuit, vt DOMINVS in fame ipsorum conniueret, vt potius visum ei esset de cœlo (quia in terra agris carebant,) frumentum ad conficiendos panes pluere: Mandauit (inquit) supernis nubibus, & aperuit portas cœli, vt plueret manna, & Israelitæ acciperent cœleste frumentum, ex quo conficerent panes, & fami suæ mederentur. Hoc in Exodo cap. 16. ita commemoratur: Ecce ego, inquit DOMINVS, pluam vobis de cœlo panes. Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt, per singulos dies. Et mox: Fecerunt ita filij Israel, & collegerunt, alius plus, alij minus, &c. Et in Numeris cap. 11. Erat Man quasi semẽ coriandri coloris Bdellij. Circumibat populus, & colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario, &c. Itaq; Israelitæ pasti sunt diuinitus, non hominum, sed quasi Angelorum pane, vt habuerint in deserto cœleste viaticum, idq; abundantissimè. Vnde &
Sapi. 16. in libro Sapientiæ, apocrypho quidem illo, sed non abijciendo, dicitur: Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Etsi autem miraculum Mannæ multa exhibet documenta, tamen non est panis ille viuificus, qui vescentibus illo, per se vitam exhibuit,
Ioan. 6. sed tantùm significauit illum. Sic enim Christus apud Ioannem dicit: Amen amen (inquiens) dico vobis, non Moses dedit vobis panem (videlicet verũ) de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Et mox: Ego sum panis ille vitæ, qui

venit

venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam: Ac iterum. Ego sum panis ille vitæ. Patres vestri comederunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de cœlo descendens, vt ex ipso edat aliquis, & non moriatur. Hactenus de miraculo Mannæ, & quid interprete Domino Iesu Christo significet. Nunc etiam de miraculo carnium, quæ Israelitis in deserto exhibitæ sunt.

27. *Amouit Eurum sub cœlo, & induxit fortitudine sua Aphricum.*
28. *Et pluit super eos, quasi puluerem carnem, & sicut arenam maris, volucres.*
29. *Et ceciderunt in medio castrorum suorum, in circuitu tabernaculorum eorum.*
30. *Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & cupiditati eorum satisfecit.*

Quæ in his versiculis, de carnibus seu coturnicibus per ventum trans mare in castra Israelitarum allatis, continentur, ea breuissimis quidem commemorantur in Exodo cap. 16. Factum est vespere, (inquit scriptura) & ascendens coturnix cooperuit castra. In Numeris autem capite 11. copiosius, & pluribus narrantur: Ventus (inquit) egrediens à DOMINO arreptas trans mare coturnices, detulit & dimisit in castra, itinere, quantum vno die confici potest, & omni parte castrorum, per circuitum, volabantq; in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Et reliqua, quæ sequuntur.

Grande miraculum, quo Deus testificatus est primum, fortitudinem & potentiam suam, deinde cle-

mentiam, postremò etiam seueritatem suam. Potentiæ enim est, quòd amoto Euro, qui est ventus flans ab oriente brumali, & alio nomine dictus est Vulturnus, excitauit & induxit Aphricum, qui est ventus flans ab occasu Brumali, ac dictus est alio nomine λίψ, qui & ex improuiso detulit trans mare, in castra Israelitarum tantam coturnicum multitudinem, & tam commode in castris volantem, vt Israelitæ non solum abunde haberent, quod ederent, verùm etiam coturnices manibus facilimè comprehendi possent. Clementiæ autem est, quòd etsi Israelitæ murmure & blasphema sua improbitate, non coturnices, sed ignes inferni meriti fuerunt: Deus tamen tam clemens & liberalis est, vt cupiditati eorum satisfaceret: Seueritatis verò est, quòd voluerit tantam eorum, & tam sceleratam improbitatem non omnino impunem dimittere. Etsi enim in præsentia non punit eos extrema internecione, tamen ostendit aliquo modo grauitatem iræ suæ. Sequitur enim.

31. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, Ira Dei ascendit super ipsos, & occidit robustos eorum, & electos Israelis prostrauit.*

Quam cladem hi versiculi commemorant, scripta est in Numeris cap. 11. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus, & ecce furor DOMINI concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis: vocatusq; est ille locus sepulcra concupiscentiæ. Ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat carnes. Exponũt autem hi versiculi eam cladem

eladem, quòd in ipsa diuino supplicio perierint, non tantùm aliqui ex vulgo, verùm etiam multi proceres, fortes, & præstantes viri, qui fortassis, vel vulgi murmura approbarunt, vel vulgum ad seditionem sua cohortatione concitarunt. Quale quid mox in Num. cap. 13. & 14. describitur. Etsi verò omnis ferè populus meritus erat sua impietate mortem & sepulcra, tamē Deus, etiam in ipsa ira & supplicio dat clementiæ suæ specimen, quòd non omnes, sed aliquot tantùm selectos morte affligat. Affligit enim Proceres Israelis, nō quòd hi præ cunctis Israelitis peccatores fuerint, quia talia passi sunt: sed quòd voluerit in ijs exemplum edere, quo alij omnes admonerentur resipiscentiæ, vt nisi agerēt veram pœnitentiam, omnes similiter perirent. Sed vide mihi rem mirandam. Vulgò dici solet: Phryx plagis emendatur. Quo significant, homines barbaros, & seruili ingenio, non honestate, non monitis, sed verberibus fieri meliores. Israelitæ aūt tam prauo sunt ingenio, vt nec benignis monitis, nec duris verberibus, nec beneficijs nec supplicijs emendentur. Sequitur. n.

31. *Nihilominus tamen perrexerunt adhuc peccare, nec crediderunt miraculis eius.*

33. *Idcirco absumpsit in vanitate dies ipsorum, & annos eorum in perturbatione.*

Israelitæ tam corrupti sunt impietate, vt siue benefeceris eis, siue malefeceris, pergant semper aduersus Deum peccare, & impietatem impietate cumulare. Iustissimum igitur est, vt Deus pergat, etiam peccata & impietatem, à qua vel saltem tot miraculis admoniti respi-

ti, resipiscere debuissent, supplicijs punire. Idcirco, inquit Psalmus, absumpsit in vanitate dies ipsorum, & annos eorum in perturbatione, hoc est, necesse habuerunt vitam suam frustra transigere, nec assequi, quod instituerunt, sed toto vitæ tempore affligi. Loquitur autem Psalmus de illa historia, quæ scripta est in Numeris cap. 13. & 14. Cum enim exploratores, qui ex deserto missi erant, ad terram Canaan, retulissent ad suos de incolis terræ & muris ciuitatum eius, nescio quæ grandia & horrenda, auerterunt & deterruerunt Israelitas ab instituta profectione, vt vociferarentur: Vtinam mortui essemus in Ægypto: Vtinam pereamus, & non inducat nos DOMINVS in terram istam. Nonne melius est, vt reuertamur in Ægyptum? Deliberant etiam de constituendo alio duce. DOMINVS igitur tam impijs populi vocibus excitatus: Viuo ego, inquit, sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati estis, à viginti annis, & supra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos in ea facerem, præter Caleb filium Iephunne, & Iosuam filium Nun, &c. Hoc illud est, quod Psalmus dicit: Absumpsit DOMINVS in vanitate dies ipsorum, & annos eorum in perturbatione: quia Israelitæ, quamuis liberati ex Ægypto, tamen non sunt assecuti terram Patriarchis promissam: sed necesse habuerunt, propter impietatem & ingratitudinem suam, dies suos frustra in deserto transigere, & annos vitæ suæ in maximis miserijs ac ærumnis absumere, donec in deserto moriantur, & expectatione sua frustrentur. Obseruemus autem ex hac

historia,

historia magnam quidem & ingẽtem seueritatem Dei erga impios, sed tamen prudentem, & multa clementia erga pœnitentes temperatam. Deus enim punit quidem impios, et rebelles, vt in deserto, priusquam in terram Canaan peruenerint, moriantur: inuenit autem rationem, qua & veritatem promissionis suæ seruet, & pœnitentes veram salutem consequantur. Etsi enim non introducit in terram maiores natu, tamen paruulos vestros (inquit) de quibus dixistis, quòd prædę hostibus forent, introducam, vt videant terram, quæ vobis displicuit. Et qui ex maioribus natu, qui necesse habuerunt in deserto mori, conuersi fuerunt per fidem ad promissionem, Abrahæ dictam: In semine tuo benedicentur vniuersæ cognationes terræ, non solum assecuti sunt remissionem peccatorum per fidem, verùm etiam benedictionem æternæ vitæ. Quare agamus, ad consequendam salutem vel in medio supplicio pœnitentiam, quæ nunquam erit nimis sera, si modò fuerit vera.

34. *Cum occideret eos, quærebant ipsum, & reuertebantur diluculo ad Deum.*

35. *Et recordabantur, quòd Deus esset petra ipsorum, & Deus altissimus redemptor eorum.*

36. *Et adulabantur ei ore suo, ac mentiebantur ei lingua sua.*

37. *Sed cor eorum non erat rectum cum ipso, nec fideliter perstiterunt in pacto eius.*

Reprehẽdit antea peruicaciam Israelitarum in peccando, quòd nec beneficijs nec supplicijs excitarentur

ad obedientiam verbi Dei: nũc reprehẽdit hypocrisin eorum, quòd etiamsi viderentur aliquoties pœnitentiam agere, omnia tamen erant ficta, & simulata: Cum occideret eos, (inquit) DOMINVS, & afficeret eos supplicijs, videbantur religiosuli, sustollebant oculos & manus ad cœlum, implorabant opem DOMINI, & suscipiebant se nunquam impietatem sectaturos. Ibi tum multus erat sermo in ore ipsorum, quòd solus Deus esset petra, turris, liberator, robur, scutum, refugium, & cornu salutis ipsorum: nec inueniebant satis epithetorum, quibus ei blandiebantur. Sed omnia loquebantur fictè & simulatè. Quamprimùm enim offerebatur occasio, redibant ad ingenium & ad veterem impietatem. Quia non resipiscebant serio, & ex animo, nec constanter perstabant in pacto DOMINI, vt crederent promissionibus eius, & obedirent legi eius. Idem conqueritur de Israelitis DOMINVS in Esaia: Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me: cor autem eius longè est à me. Quid igitur hoc populo deprauatius? quid eo corruptius? Beneficijs saginatus, recalcitrat, plagis percussus, non reuertitur ad percutientem se, sed potius longius recedit. Quòd si susceperit pœnitentiam agendam, hypocrisis est, non veritas. Quid multa? ὀνοξηρυγίες. Et tamen tanta est clementia Dei, vt nec sic quidem ab vsitata sua misericordia recederet. Vnde sequitur.

Esa.29.

38. *Ipse autem misericors, propitius erat iniquitati, et non disperdebat eos: sed potius auertebat iram suam, nec excitabat*

citabat cunctum furorem suum.

39. *Recordabatur enim, quòd caro essent, spiritus abiens, & non reuertens.*

Insignis & obseruabilis commendatio summæ cle- *Ose. 11.*
mentiæ & misericordiæ Dei, & quod in Osea dici-
tur: Quomodo dabo te Ephraim, Num te protegam
Israel? Quin dabo te sicut Adama, & ponam te sicut
Zeboim. Conuersum est ad me cor meum, simul fer-
buerunt miserationes meæ. Non faciam secundum
iram furoris mei, non conuertar, vt perdam Ephraim.
Quoniam Deus ego & non homo, sanctus sum in
medio tui. Hoc idem Spiritus sanctus etiam in his
Psalmi versiculis in Deo commendat, quòd Deus gra-
uissimè quidem irascatur peccatoribus, impijs & in-
gratis, ac cogitet se puniturum ipsos seueriſsimè,
non soleat autem magnitudinem iræ suæ semper ad
extremum exequi. Etsi enim populus meritus est sua
impietate internecionem, multa tamen cadunt in-
ter os, vt dici solet, & offam, quibus Deus à concepta
sua ira auertitur: Ipse est, inquit Psalmus, misericors
& propitius, & (quemadmodum apud Ioëlem dici- *Ioël 2.*
tur,) Deus clemens, & misericors, longanimis, &
multum beneficus, ac pœnitens super malo seu afflı-
ctione. Additur autem hîc ratio, cur Deus sit misе-
ricors populo suo: Quia recordatur, inquit, quòd sint
Caro, spiritus abiens, & non reuertens. Atque hæc
quidē non est postrema ratio diuinæ misericordię, sed

sunt etiam aliæ, quæ summa diligentia sunt obseruandæ. Non est ignotum, quòd Deus natura sua sit misericors, & quidem misericordia ipsa. In præsentia autem quæritur, propter quid Deus sit misericors, & remittat iram suam, quam aduersus peccata concepit, & condonet supplicium, quod cogitat peccatori inferre. Vna igitur ratio est, semen benedictum Abrahæ, hoc est Iesus Christus DOMINVS noster, quòd Deus sit clemens, propitius, & misericors propter Christum filium suum, qui solus est propitiatio pro peccatis nostris. Qui igitur petit frui misericordia & clementia Dei, in Christum credat, necesse est, vt propter ipsum habeat peccatorum suorum condonationem. Et hæc est præcipua ratio misericordiæ Dei, in remittenda ira sua aduersus peccatores. Altera est, quæ in hoc 39. versiculo recitatur. Recordatur, inquit, quòd sint caro, spiritus abiens, & non rediens, (hoc est) quòd sint longè omnium miserrimæ & calamitosissimæ creaturæ. Caro enim significat hoc loco summam corruptionem & fragilitatem humani generis, sicut & aliàs in Esaia: Ægyptus homo, & non Deus, equi eorum caro, & non spiritus. Et iterum: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Spiritus autem cum dicitur, spiritus abiens, & non rediens, non sumitur hìc pro anima humana, quia hæc est immortalis, nec abit aut perit in morte hominis, vt non reuertatur: Omnes enim resurgemus à morte: sed sumitur pro vento, vt sit sententia, Deum clementem & misericordem esse Israelitis, quamuis peccatoribus, quòd sint homines miseri & fragiles. Nam, quemadmodum venti sunt fluxi & instabiles, nec vllo certo loco constant, sed huc

Esa.31.
Esa.40.
Ioan.3.
Spiritus vbi vult, spirat.

huc illuc diuagantur, & cum pertranſierint, neſcis quò abierint, aut quando ſint redituri: ita aptè homines dicuntur ſpiritus ſeu ventus abiens & non rediens, quòd vita hominis ſit incertiſsima, & miſeriis pleniſsima, ac cum pertranſierit, nō videas eam redire. Redibit quidem ſpiritus hominis ad corpus ſuum in reſurrectione: ſed in hac miſera & calamitoſa vita, nihil tale videre licet: Memento, inquit Iob, quòd vita mea ſit ventus, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona, nec aſpiciet me viſus hominis. Et mox: Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos, (ſeu ad ſepulcrum) non aſcendet, nec reuertetur vltrà in domum ſuam, neque agnoſcet eum amplius locus eius. Non negat Iob, (ſicut nec Pſalmus) Reſurrectionem mortuorum, ſed deplorat magnitudinem afflictionum ſuarum, quòd intantum excrucietur, vt abiiciat omnem ſpem vitæ ſuæ in hoc ſeculo, nec poſſit ſibi perſuadere, quòd corporali ſuæ incolumitati ita reſtituatur, vt in hac terra iterum commoretur in domo ſua, & fruatur bonis huius ſeculi. Extant etiam aliâs multæ querelæ de inſtabilitate, breuitate & miſeria huius corporalis vitæ. Quæ eſt vita veſtra? inquit Iacobus: Vapor eſt, qui ad exiguum tempus appa- *Iob 7.* *Iacob. 4.*
ret, & deinde euaneſcit. Ac vulgo dici ſolet: Homo bulla. Et:

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorũ.
Quorum hæc ventus humi fundit, rurſum illa vireſcens, *Homer. Iliados. 6.*
Profert ſylua, ſimul veris cùm afflauerit aura.

Dicit igitur Pſalmus, Deum idcirco eſſe miſericordem & propitium Iſraelitis, quòd ſciat ipſos carnem

esse, & spiritum abeuntem & non redeuntem, hoc est, miserrimos & afflictissimos, & quasi vaporem euanidum: aut, vt dici solet, bullam, vmbram, imò somnium vmbræ. Propitius est autem DOMINVS eis, non merito miseriarum & afflictionum per se, sed propter Iesum Christum, & propter promissionem Dei. Respicit enim DOMINVS miserias populi sui, propter Christum, qui & ipse miser factus est, & miseris per omnia (præter peccatum) similis, vt misericors esset, & fidelis pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expianda peccata populi. Promisit etiam se miserorum & afflictorum rationem habere:

Psalm. 24. Iuxtà est DOMINVS, inquit alius Psalmus, ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et:

Esa. 57. DOMINVS habitat in sancto, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & cor contritorum. Quare, quòd DOMINVS Israelitis, quamuis peccatoribus & ingratis sit clemens & misericors, non venit ex merito ipsorum; quippe quòd non sustinerent iram Dei, si Deus iniquitates obseruaret: sed venit ex merito Christi, & ex gratuita Dei promissione. Sunt & aliæ causæ, cur Deus Israelitis, quamuis sceleratissimis, beneficia sua clementer præstet. Harum duas commemorat & coniungit Moses,

Deut. 9. cum scribit: Ne dicas, in corde tuo, cum deleuerit DOMINVS Deus tuus hos populos in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me DOMINVS, vt terram hanc possiderem. Et mox: Non propter iustitias tuas, & æquitatē cordis tui ingredieris, vt possideas terram earum nationum, sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ sunt; & vt compleret verbum

bum ſuum DOMINVS, quod ſub iuramento pollici-
tus eſt patribus tuis, Abraham, Iſaac & Iacob. Habes
hîc duas cauſas, cur Deus præſtiterit beneficia Iſraeli-
tis immeritis. Altera eſt, quòd Gentes Cananeæ im-
pie egerint, & compleuerint eo tempore iniquitates
ſuas, de quibus ad Abraamum iam olim dictum erat:
Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhęorum: *Gen.15.*
Altera, vt Deus verax haberetur, & impleret promiſ-
ſiones ſuas, quę dictæ erant ad Patriarchas. Huc perti-
net etiam, quod Moſes in precatione ſua, pro Iſraeli- *Num.14.*
tis, recitat Deo: Vt audiant Ægyptij & dicant: Non
poterat DOMINVS introducere populum in terram,
pro qua iurauerat. Idcirco occidit eos in ſolitudine. Et
in Cantico ſuo: Ceſſare faciam ex hominibus memo- *Deut.32.*
riam eorum, ſed propter iram inimicorum diſtuli, ne
forte ſuperbirent hoſtes eorũ, & dicerent: Manus no-
ſtra excelſa, & non DOMINVS fecit hæc omnia, (hoc
eſt) DOMINVS idcirco non voluit in Iſraelitas ſæui-
re, vt conſeruaret gloriam nominis ſui, & non argue-
retur mendax in promiſsis ſuis. Vnde & alius Pſal-
mus hanc cauſam clementiæ Dei prætexit: Non no-
bis, inquiẽs, DOMINE, non nobis, ſed nomini tuo da
gloriam, propter miſericordiam & veritatem tuam,
ne dicant Gentes: Vbi eſt Deus eorum. Cum igitur in
aduerſis noſtris inuocamus nomen DOMINI, & ob-
ſtrepunt nobis peccata, & ingratitudo noſtra, confera-
mus nos ad conſiderandas & commemorandas cauſas
clementiæ & miſericordiæ Dei, vt ex ijs fide noſtra
confirmati, non defatigemur in precibus noſtris: ſed
acta vera pœnitentia, confidenter pergamus.

40. *Quoties*

40. *Quoties ad iracundiam prouocauerunt eum in deserto, exacerbauerunt eum in eremo?*

41. *Subinde redierunt ad tentandum Deum, & sanctum Israelis irritauerunt.*

42. *Non recordabantur manus eius diei, qua redemerat eos à tribulatore:*

43. *Nec illius, qui ediderat in Ægypto signa sua, & mirabilia sua in regione Zoan.*

Redit ad exprobrationem ingratitudinis Israelitarum, vt commodè transeat ad commemorationem miraculorum, quæ in Ægypto edita sunt, & quibus Pharao & Ægyptij coacti sunt, vt Israelitas liberos dimitterent. Quoties, inquit, prouocauerunt DOMINVM ad iracundiam in deserto, & exacerbarunt eum in eremo? Quoties conuerterunt se iterum ad tentandum eum? quoties irritauerunt (seu præscripserunt ei, & posuerunt ei terminos intra quos se contineret, nec aliter ageret, quàm pro ipsorum arbitrio) sanctum Israelis, qui est, vt Paulus ait, Christus? Nec; tentemus, inquiens, Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Quod autem Psalmus his versiculis dicit, sumptum est, è Numeris cap. 14. vbi DOMINVS ipse dicit: Omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per DECEM VICES, nec obedierunt voci meæ. Tentauerunt, inquit, me per DECEM vices, hoc est, sæpenumero, & multis modis, vt patet percurrenti historiam egressus eorum ex Ægypto, per eremum, donec venirent ad terram Canaan. Huc etiam facit, quod alius

Exod. 5. 13. 15. 16. 17. 32. *Num.* 11.

Psalmus

Psalmus dicit: Nolite indurare corda vestra, sicut in Meribaet, sicut in die Massa, in deserto. Vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt me, & viderunt opera mea. Tanta enim fuit ingratitudo eorum, vt etsi Deus liberauerat ipsos, & eduxerat ex Ægypto, è tyrannide Pharaonis, manu forti & excelsa, (sic enim scriptura loquitur) ac multis stupendis miraculis, tamen non recordabantur illius manus, & temporis, quo Deus redemerat eos ex afflictione & seruitute Ægyptiaca: nec memores erant admirandarum illarum rerum, quæ gestæ erant in Ægypto, & in regione Zoan, de quo suprà. Vt autem Psalmus hanc incredibilem ingratitudinem explicet, et amplificet, non piget eum commemorare miracula, quæ in Ægypto, ante egressum Israelitarum, diuinitus coram ipsis eorum oculis, edita sunt, vt cognoscamus, tantò esse fœdiorem & execrabiliorem ingratitudinem eorum, quantò maiora & insigniora Deus miracula ediderit, vt eos de manu Pharaonis & Ægyptiorum, si non alia ratione, certè vel extorqueret. *Psalm.* 95. *Exod.* 17.

44. *Conuertit in sanguinem flumina eorum, & riuos ipsorum, ne (ex ipsis) biberent.*

Incipit recensere miracula, quæ Deus edidit in Ægypto, vt extorqueret & eriperet Israelitas è tyrannide Pharaonis. Solent autem hæc miracula aliàs vocari Plagæ Ægyptiacæ. Vnum ergo miraculum visendum est & insigne, quòd cum Aheron, ex mandato DOMINI per Mosen, percussisset virga seu sceptro suo, aquas, conuersæ sint omnes aquæ Ægypti in san-

guinem, vt non essent amplius potabiles, ac computrescerent etiam in ijs pisces. Hoc miraculum descriptum est in Exodo cap. 7. Et mentionē eius facit Psalmus 105. Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Vsum autem huius plagæ & aliarum, quæ sequuntur, exposuimus alias copiosè.

Vide Commentarium in Exodum.

45. *Misit in eos Arob, & depascebat ipsos, & ranas, quæ disperdebant eos.*

Hæc duo miracula descripta sunt in Exodo cap. 8. Arob autem significat mixturam, insectorum videlicet venenatorum, ab ערב Arab, quod significat Miscere, Græcus vertit κυνόμυιαν, hoc est, muscam caninam, seu colluuiem impudentium bestiarum, quæ cæco impetu, ad quæuis obuia deuastanda ferantur. Sunt qui intelligunt hoc vocabulo, non tantùm colluuiem minorum insectorum, sed etiam maiorum bestiarum, vt sunt leones, lupi, vrsi, pardi, serpentes & scorpiones. Mentio autem ranarum fit etiam in Psalmo 105. Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum. Et in libro Sapientiæ: Memores erant adhuc, quæ incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium produxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

46. *Dedit erucæ germen eorum, & laborem ipsorum locustæ.*

Aliud miraculum & supplicium, quo Deus Pharaonem & Ægyptios afflixit: Dedit, inquiens, bruchis seu erucis deuastandum aut depascendum germen eorum, ramos videlicet, & surculos ac frutices, ac quic-

quid

quid iumentis in pastum de arboribus cedere potest. Dedit etiam laborem, sementem, seu prouentum eorum, & quicquid in agris laborauerant, locustis absumendum. Etsi autem in Exodo non fit nominatim mẽtio bruchorum seu erucarum, tamen in cap. 10. fit mentio locustarum, quarum speciem aiunt esse חסיל Hasil, hoc est, bruchum, seu erucam, & solent ferè hæ duæ species coniungi. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. & Ioel. 1. Sentiamus igitur hanc Ægyptiacam plagam, in illo Exodi loco describi, in quo plaga locustarum describitur. *Exod. 10.* Quod genus Ethnici quoq; vocarunt Iram Deorum. *Plin. li. 11. cap. 29*

47. *Vastauit grandine vineas eorum, & Sycomoros eorum pruina.*

48. *Tradidit grandini iumenta eorum, & greges eorum fulminibus.*

De plaga grandinis in Ægypto, vide Exod. cap. 9.

49. *Misit in eos furorem iræ suæ, indignationem, iracundiam & molestiam, immissione angelorum malorum.*

50. *Perrexit rectà ad explendam iram suam, non pepercit vitæ eorum à morte, & iumenta eorum pesti tradidit.*

His versiculis describitur plaga illa et pestis in Ægypto, quæ extat in Exodo cap. 9. Nam cum Pharao pergeret obdurare cor suum, & non dimitteret Israelitas, perrexit etiam DOMINVS ira & supplicio suo, ac subinde maiores & grauiores calamitates immisit in Ægyptum: Dimitte, inquit DOMINVS, populum meum, vt sacrificet mihi. Quòd si adhuc renuis & retines eos, ecce manus mea erit super agros tuos, hoc est, super gregem, qui est in agro, super equos &

asinos, & camelos, & oues & boues, pestis valde grauis. Ac mox: Fecit DOMINVS verbum hoc altera die: mortuaq; sunt omnia animantia Ægyptiorum, quæ videlicet versabantur in agris. Et vt Pharao & Ægyptij manifestè intelligerẽt, quòd hoc supplicium non fieret casu, sed diuinitus, idq; ab irato Deo Israelis: Faciet, inquit scriptura, DOMINVS mirabile inter possessiones Israel, & inter possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad Israel. Ac mox: De animalibus filiorum Israel nihil omnino periit. Factum est autem hoc, inquit 49 versiculus huius Psalmi, immissione malorũ angelorum. Obserues igitur principiò, quòd Deus ipse testificetur palàm hoc miraculo, plagas istas euenire Ægyptijs, non virtute alicuius Magiæ, aut Dei alieni, non temerario casu, sed sola cœlesti & diuina virtute, vt Ægyptij intelligant, Deos ipsorum non esse veros Deos, sed fictitios: solum aũt Deum Israelis esse verum Deum, ad quem agnoscendum & adorandum, etiam Ægyptij conuertere se debeant. Quatuor enim miraculis facit Deus discrimẽ inter Ægyptios & Israelitas, (hoc est) inter se, verum Deum, & inter Deos Ægyptios. Vnum est illud, quod iam cõmemorauimus, quòd in hac grandine nullum iumentum in terra Israelitarum læsum fuerit. Alterum scriptum est in Exodo cap. 8. de Arob seu Insectis: Faciam, inquit DOMINVS, mirabilem in die illa terram Gosen, in qua manet populus meus, vt nõ sint ibi insecta, quoniam ego DOMINVS in medio terræ, ponamq; diuisionem inter populum meum, & populũ tuum. Tertium est de tenebris, quod scriptũ est in eodem lib. Exodi cap. 10. Factæ sunt tenebræ horribiles in

in vniuersa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suũ, nec mouit se de loco, in quo erat. Vbicũq; aũt habitabant filij Israel, lux erat. Quartũ est de morte primogenitorum, quod scriptũ est cap. 12. Hæc dicit DOMINVS: Media nocte ingrediar Ægyptũ, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsq; ad primogenitũ ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum. Ac mox: Apud omnes aũt filios Israel non mutiet canis, ab homine vsq; ad pecus, vt sciatis, quãto miraculo diuidat DOMINVS Ægyptios & Israel. Deinde est & illud hoc loco obseruandum, quòd quam pestem Exodus dicit grassatã in Ægypto, eam hic Psalmus exponit excitatam esse à DOMINO immissione malorum angelorum. Nam & aliâs pestilentiæ supplicium tribuitur Angelis. In posteriori libro Samuelis. Cum extendisset, inquit scriptura, manũ suã Angelus DOMINI super Hierusalẽ, vt disperderet eã, misertus est DOMINVS super afflictionẽ, & ait Angelo percutienti populũ: Sufficit nũc, contine manum tuã. Et in Psalmo 91. Nõ timebis à timore nocturno, A sagitta volante in die, A peste perambulante in tenebris, A dæmonio vastante in meridie. Missus est etiã Angelus DOMINI in castra Sañeherib seu Assyriorũ, qui percussit vna nocte centũ octoginta quinq; milia. Quam cladẽ sentiunt fuisse pestilentiã. Dicitur aũt pestis immitti à DOMINO, per angelos malos, nõ quòd DOMINVS ad affligendos homines per pestem, semper vtatur ministerio malorũ seu prauorũ spirituum, licet enim ei vti vel bonis vel malis spiritibus pro sua volũtate: sed dicuntur mali, quòd DOMINVS

2. *Reg.* 24.

Psalm. 91.

4. *Reg.* 19.

ijs vtatur ad inferendam aduersam & MALAM afflictionem. Neq; in manu eorum situm est, vt pro arbitrio suo pestem vel excitent, vel sedent, sed in solius DOMINI Dei nostri potestate, & voluntate. Quare sæuiente peste non est respiciendum in Angelos, sed in manum DOMINI, vt impetrata ab ipso remissione peccatorum, per fidem in Christũ, seruemur à sæuitia pestis, si non corporaliter, at spiritualiter, videlicet, vt in ipsa morte seruemur ad æternam vitam.

51. *Et percussit omne primogenitum in Ægypto, primitias virtutis eorum in tabernaculis Ham.*

Hæc Ægyptiaca plaga descripta est, in Exodo, cap. 11. & 12. Factũ est, inquit scriptura, in medio noctis percussit DOMINVS omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsq; ad primogenitum captiuæ, quę erat in carcere, & omne primogenitũ iumentorũ. Porrò, quod dicitur, in altera parte huius versiculi: Primitias virtutis eorũ, explicatio est eius, quod in priori parte dicitur, primogenitũ. Liberi n. primogeniti, vocantur primitiæ virtutis parentum suorũ, quòd testificentur palàm, parentes suos esse viros ad generationem aptos, & idoneos. Sic
Gen. 49. Patriarcha Iacob, vocat Rubẽ, robur suũ, & principiũ seu primitias virtutis suæ, quòd esset primogenitus
Deut. 21. eius. Sic in Deuteronomio cap. 21. Lex iubet primogenito odiosæ vxoris dare duplicẽ portionem hęreditatis, quòd ipse sit (inquiens,) principiũ virtutis eius. Tabernacula aũt Ham, sunt tabernacula Ægyptiorũ, propterea quòd Mizraim, qui fuit filius Ham, (quemadmodũ in Gen. ca. 10. scriptũ est) Ægyptũ incoluerit.

52. *Et*

52. *Et migrare fecit, ſicut oues, populum ſuum, & deduxit eos, ſicut gregem in deſerto.*

53. *Deduxitq; eos ſecurè, nec timuerunt, inimicos autem eorum operuit mare.*

Hic eſt exitus Iſraelitarum ex Ægypto, in quo illa duo maximè omniũ admiranda & ſtupenda ſunt. Primum, quòd DOMINVS deduxerit eos ſaluos & incolumes, nõ tantùm per mare rubrũ, ſed etiam per horrẽdum deſertũ, & per medios hoſtes, vt ſumma ſecuritate, & abſq; vllo metu, veluti ſi paſtor quiſpiã minaret gregem ouiũ, proficiſcerẽtur. Etſi.n. horribile videbatur, aquas maris rubri ingredi, & Amalecitæ ac alij hoſtes incurſionẽ in ipſos faciebãt: tamẽ DOMINVS virtute ſua ita eos ſuſtẽtabat, vt cõfidentiſsime ad promiſſas, & auitas ſuas ſedes penetrarẽt. Deinde, quòd non ſolùm ipſos ſaluos è mari rubro eduxerit, verum etiam inimicos eorum Ægyptios, a quis maris obruerit, & oppreſſerit, hæc miracula & beneficia maiora ſunt, quam quæ verbis, pro dignitate, explicari queant. *Exod. 17.*

54. *Et adduxit eos ad terminum ſanctum ſuum, ad montem iſtum, quem acquiſiuit dextera eius.*

Terminus ſanctus iſte, ſunt fines terræ Canaan, & mons, quem acquiſiuit dextera Dei, ſunt vel generaliter montana eius terræ, vel ſpecialiter mons Zion, in quo poſtea templum excitatum eſt. Dicuntur autem hæc ſancta, quòd Deus ſanctificauerit ea, promiſſione ſua, poſteritati Patriarcharum, vt Iſraelitæ in ea terra habitarent, et verum cultum Dei inſtaurarent, ac promiſsiones de Chriſto conſeruarent, donec veniret, & ſuum officium in his terris perageret. Vnde & Angelus,

Angelus, apparens Iosuæ in agro vrbis Ieriho, iubet eum calciamentum suum de pedibus soluere: Quia locus, inquit, in quo stas, sanctus est. Quod autem versiculus dicit, dexteram Dei acquisiuisse sibi hunc terminum & montem, respicit ad mirandas illas victorias, quas Deus, dextera seu potentia sua, in Israelitas contulit, vt opprimerent & delerent gentes Cananæas, ac possiderent ipsi terram. Vnde & sequitur.

55. *Expulit à facie eorum Gentes, & diuisit eis sorte hæreditatem, atque collocauit in tabernaculis illarum tribus Israel.*

Magnum & mirandum beneficium contulit Deus in Israelitas, quòd traduxerit eos incolumes per desertum, vsq; ad terram Canaan: sed maius & mirabilius est, quòd oppresserit coram eis incolas terræ Cananaan, de quibus dixerunt Exploratores: Venimus in terram, ad quam misistis nos, quæ reuera fluit lacte & melle, sed habet cultores fortissimos, & vrbes grandes, & muratas. Et: Nequaquam valemus ad hunc populum ascendere, quoniam fortior nobis est. Ac iterum: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enakim de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. Et tamen DOMINVS Deus dedit euentum Israelitis, vt non solùm has gentes opprimerent, ac delerent, verùm etiam terram earum possiderent, & inter se, tanquam legitimam hæreditatem sorte, aut funiculo mensorio diuiderent. Hæc Gentium Cananæarum oppressio,

Num. 13.

oppreſsio,& terræ earum diſtributio inter tribus Iſrael,deſcripta eſt copioſè,in libro Ioſuæ.

56. *Ipſi verò tentauerunt , & exacerbauerunt Deum altiſſimum,& teſtimonia eius non cuſtodierunt.*

57. *Et retro conuerſi , præuaricati ſunt , ſicut patres eorum: facti ſunt inutiles,ſicut arcus prauus.*

58. *Et prouocauerunt eum ad iracundiam excelſis ſuis,& idolis ſuis irritauerunt eum.*

Quid tanta ingratitudine execrabilius? Quò maiora enim & inſigniora beneficia Deus contulit in Iſraelitas, eò grauiorem impietatem deſignarunt in eũ. Poſtquam enim conſecuti ſunt mirandis victoriis poſſeſsionem terræ Canaan, tantum abeſt,vt exhibuerint ſe erga ipſum gratos,& ſecuti ſint doctrinam veræ illius religionis , ad quam conſeruandam & propagandam tradita eſt eis poſſeſsio terræ , vt potius ſeſe a vero Dei cultu ad manifeſtam idolomaniam , impudentiſsimè auerterint.Neq; enim contenti fuerunt ſimplici & vulgari tranſgreſsione mandatorum Dei,ſed etiã inſtituerunt exemplo impiorum Cananæorum , & finitimarum Gentium , excelſa & idola , de quibus diſertè & perſpicuè eis diuinitus mandatum erat: Aras eorum ſubuertite , & confringite ſtatuas , lucoſq; ſuccidite , & ſculptilia comburite : quia populus ſanctus es DOMINO Deo tuo . Quid plura? Facti ſunt prorſus impij, & quemadmodum arcus putridus fallit expectationem iaculatoris, ita etiam Iſraelitæ fefellerunt conſilium Dei , vt cum expectaſſet ab ipſis inſtitutionem & propagationem veræ & piæ religionis *Deut.7.*

in terrà Canaan, conuersi sint retrorsum, & secuti sint non nisi impia sacra, & manifestam idolomaniam. De qua re extat liber Iudicum, in quo impietas, & varietas rerum Israelitarum, luculenter descripta est.

59. *Hoc audiens Deus, exarsit ira, & detestatus est vehementer Israelem.*

Exarserat quidem Deus antea grauiter contra impietatem & ingratitudinem Israelitarum in deserto, & temporibus Iudicum: sed hactenus nunquam ita excitatus & inflammatus est ad tantam iracundiā, quantam exercuit in Israelitas, sub summo Pontifice Heli. Audiamus igitur, quam cladem Deus intulerit Israelitis sub hoc Pontifice, propter impietatem eorum.

60. *Repudiauit habitaculum in Silo, tabernaculum vbi commorabatur inter homines.*
61. *Tradidit in captiuitatem robur ipsorum, & gloriam eorum in manus inimici.*
62. *Et concluſit gladio populum suum, & exarsit iracundia in hæreditatem suam.*
63. *Robustam iuuentutem eorum vorauit ignis, & virgines eorum non sunt commendatæ epithalamijs.*
64. *Sacerdotes eorum gladio ceciderunt, nec supererant vidua, quæ lugerent.*

Hęc est descriptio horribilis illius cladis, quæ illata est Israelitis diuinitus, propter magnam ipsorum impietatem, & multam eorum ingratitudinem. Illata autem est per Philistinos, & commemoratur in priori libro Samuelis, cap. 4. Quo enim tempore Heli fungebat in Israel dignitate summi Pontificatus, & Magistratu

gistratu Iudiciario, Philistini susceperunt belligerandum cum Israelitis. Sed victoria erat penes hostes Philistinos. Israelitæ igitur curant Arcam testamenti, (quæ eo tempore morabatur in Silo, quæ est in tribu Ephraim, quemadmodum scriptũ est in Iosua cap. 18.) ad se in castra sua adduci, sperantes fore, vt propter præsentiam Arcę certissima victoria potirentur. Sed quia præter veterẽ impietatem, etiã abutebantur Arca noua impietate, nec vllã agebant pœnitentiã, expectatione sua in tantũ pudefacti sunt, & tam horribiliter occubuerunt, vt quicunq; audierint, ambæ aures eius (quemadmodũ DOMINVS ad Samuelẽ loquitur) tinniãt. Primùm. n. plaga magna nimis, vt scriptura loquitur, facta est in Israel: & ceciderunt de Israel triginta milia peditũ. Ac mox: Fugit Israel corã Philistinis, & ruina magna facta est corã populo. Hoc illud est, quod Psalmus dicit: Conclusit gladio populũ suũ, & exarsit in hæreditatẽ suam, robustam iuuentutẽ eorũ vorauit ignis, (videlicet, vel indignationis Dei, vel grauitatis belli,) & virgines nõ sunt cõmendatæ epithalamijs, hoc est, gladius hostiũ Philistinorũ ita grassatus est in populũ Israelitarũ, vt robusta eorũ iuuentus occũberet, nec supererent ex iuuenibus, qui virgines adhuc domi superstites, in coniugiũ ducerẽt: sed necesse habuerint illæ innuptæ manere, vt non pro solẽni more regionis, nuptialibus carminibus celebrarẽtur. Deinde Arca Dei capta est ab hostib⁹, & abducta in regionẽ Philistinorum. Hoc illud est quod Psalmus dicit: Repudiauit habitaculũ Silo, tabernaculum vbi cõmorabatur inter homines. In Silo enim reposita erat eo tempore Arca DOMINI, in qua DOMINVS habitare, & commorari dicebatur, quòd ex ea dabat

1. Samue. 3.

1. Samue. 4.

reſponſa & oracula ſua, quę mandaturus erat per Moſen filijs Iſrael, ſicut Exodi 25. ſcriptum eſt. Capta igitur ab hoſtibus Arca Dei, & abducta, dicitur Deus repudiaſſe & reieciſſe tabernaculum ſuum, quo cõmorabatur inter homines. Vnde & in hoc Pſalmo mox ſequitur: Tradidit in captiuitatẽ robur ipſorum, & gloriam eorum in manus inimici. Robur enim, & gloria Iſraelitarũ dicta eſt Arca Dei, quòd Deus patefaciebat oraculis ſuis, quæ ex Arca teſtamenti dabantur, robur & potentiam ſuam, qua hactenus tutabatur Iſraelitas, in omnibus periculis, & teſtabatur gloriam nominis ſui. Adhæc, interfecti quoque ſunt duo filij ſummi ſacerdotis, vnà cum alijs ſacerdotibus. Ac Heli quoq; ipſe, ſummus ſacerdos, etſi non interfuit prælio, tamẽ cum audiret, Arcam eſſe captam, cecidit de ſella retrorſum, iuxta oſtium, et fracta ceruice, mortuus eſt. Hoc illud eſt, quod Pſalmus ſignificat, cum dicit: Sacerdotes eorum gladio ceciderunt. Poſtremò acceſsit & illa calamitas, quòd nurus ſummi ſacerdotis, vxor Pinehas, prægnans, & vicina partui, audito nũtio, captam eſſe Arcam Dei, ac mortuum eſſe ſocerum ac marítum ſuum, incuruauerit ſe, & pepererit, (irruerant enim in eam dolores ſubiti,) ſed nullam conſolationem acceperit, quin potius & ipſa mortem obierit. Hoc illud eſt, quod Pſalmus dicit: Nec ſupererant viduæ, quæ lugerent. Etſi enim ſermo ſit de vna tantùm vxore Pinehas, quæ, trucidato marito, in partu obierit, tamen ex hoc Pſalmi verſiculo probabile eſt, idem multis alijs mulieribus, (quarum mariti in prælio occiſi fuerunt,) repentino calamitatis nuntio tremefactis, accidiſſe: aut eas animi mœrore ita extinctas eſſe,

Exod.25.

1. Samue.4.

esse, vt nō haberent legitimum tempus defunctos maritos lugendi. Quid ergo de tanta clade dicemus? An non videbatur tunc, non vniuersa tantùm gens Israelitica perijsse, sed etiam tota vera religio concidisse? Abducta erat Arca Dei, quæ tūc summum erat in suo genere sacramentum in Israel, summus sacerdos fregerat ceruicem suam, reliqui multi sacerdotes iacebāt interfecti, præcipua iuuentus occubuerant in prælio. Quid igitur spei aut sanitatis reliquū videbatur tam in religione, quàm in republica Israelis? Ac meriti quidem erant Israelitæ, impietate & ingratitudine sua extremam internecionem, sed Deo pro immensa sua clementia aliud visum est. Sequitur enim.

65. *Expergefactus est, quasi dormiens Dominus, & quasi vir benè potus, cantans præ ebrietate.*

66. *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit eis.*

Tanta quidem erat Israelitarum impietas, vt DOMINVS conniueret Philistinis ad inferendam ipsis horribilem cladem, & quasi obdormisceret, ac videretur ita eos abiecisse, vt nullam amplius rationem eorum haberet: sed postquam Philistini non solum affligerent Israelitas, verùm etiam blasphemarent Deum, & de capta Arca, quasi de Deo ipso capto triumpharent, non fuit amplius conniuentiæ locus. Philistini enim, oppressis Israelitis, & capta Arca, intulerūt eam quasi re optimè gesta, in templum Dei sui Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon, triumphum agentes, & tantùm non exclamantes: (quod Ephesij in Actis Apostolicis

1. Samue. 5.

Acto. 19.

postolicis de sua Diana vociferant,) Magnus Deus Dagõ Philistinorũ, significãtes videlicet, quòd Deus ipsorũ Dagõ maiestate sua longè superet Deum Israelis, & contulerit in ipsos præclarã illã victoriã super Israelitas: Deus aũt Israelis sit tàm imbellis & imbecillis, vt populũ suũ haudquaquam seruare possit. Cum igitur Philistini, nõ solùm crudeliter grassati essent in Israelitas, verùm etiã blasphemia afficerent verũ Deũ ipsum, & acceptã ferrent victoriam Idolo potius suo Dagoni, quàm vero Deo, nõ potuit amplius verus Deus Israelis tãtam blasphemiã sufferre: sed potius expergefactus est, (inquit Psalmus) quasi q ex improuiso excitaretur è profundo somno, aut qui benè potus, de repẽte clamorẽ prę temulẽtia tolleret, & in proximũ quenq; grassaret: ita & DOMINVS Deus noster coortus est & grassatus in blasphemos Philistinos & Dagonẽ eorũ, præter omnẽ ipsorũ expectationẽ, ex inopinato, & vindicauit gloriã nominis sui magnis & stupẽdis miraculis. Primùm. n. cũ statuissent Arcã DOMINI iuxta Idolũ seu simulacrũ Dagonis, ecce Dagon iacebat altera die pronus in terra, ante Arcã DOMINI. Deinde, cũ restituissent Dagonẽ in suũ locũ, arbitrãtes fortasis eũ casu quodã decidisse, & consurgẽtes altera die mane, inuenerũt truncũ eius, abscisis capite, & duabus manuum palmis, seorsim in terra prostratum. Nec sæuijt tãtùm DOMINVS in Idolũ Dagonis, verùm etiã in Philistinos ipsos. In Asdod n. quę erat metropolis Philistinorũ & in qua extructũ fuit templũ Dagonis, ciues, incolæ & accolæ percussi sunt vehementi plaga, (Ficum vocãt) in secretioribus locis natium. Deinde, quocunq; circũferebatur Arca DOMINI, in regione Philistinorũ, inferebat Philistinis magnã cladem, donec tandem

adigeꝝ

adigerentur, vt suã Israelitis arcã restituerent, idq; mi- 1. Samue. 5. & 6.
nime vacuam, sed cũ suis sacrificijs & donis, quinq; vi-
delicet aureis anis & muribus: vt hac cõfessione, Phi-
listini redderent vero Deo gloriam nominis sui, quam
antea blasphemè abstulerãt: & agnoscerẽt publicè sua
am ipsorum infamẽ ignominiam, qua à Deo Israelis af-
fecti erãt. Hoc illud est, quod Psalmus dicit: Percussit
inimicos suos in posteriora, opprobriũ sempiternũ de-
dit eis. Sciamus igitur verũ DOMINVM Deũ nostrũ
solere quidem seueriter punire peccata populi seu Ec-
clesię suæ, nõ aũt illo consilio, vel quòd meditetur ex-
tremam eius internecionẽ, vel quod approbet impia-
rum illarũ gentiũ, per quas populum suum punit, Ido-
lomaniã, & scelera: sed quòd inuitet Ecclesiã ad verã
pœnitentiam, qua seruetur. Viuo n. ego, (inquit) nolo
mortẽ peccatoris, sed magis, vt cõuertatur & viuat: &
quòd reseruet impios, ac deploratos, ad suum vsq; tem-
pus & supplicium, donec iniquitates suas compleant,
sicut in Genesi cap. 15. dicitur.

67. *Et repudiauit tabernaculum Ioseph: & tribum Ephraim non elegit.*

68. *Elegit autem tribum Iudæ, montem Zion, quem dilexit.*

Redit ad expositionẽ rerũ Israeliticarũ. Postquã n. Arca Dei (quę à tempore Iosuę collocata erat in Silo, in tribu Ephraim) capta est et abducta à Philistinis, re-
ducta quidẽ est ad Israelitas, non aũt iterũ collocata in Silo, in tribu Ioseph, et Ephraim: sed cũ cõstitisset apud Bethsęmesitas, ac mox reducta esset ad Kiriath Iearim, quę est in tribu Iuda, (Ios. 15. et Iudic. 18.) reposita est in domo Abinadab in Gibea, quemadmodũ scriptũ est in priori li. Sam. cap. 7. Donec tãdẽ, cũ esset cõmorata in

domo

domo Obed Ædom, Githæi, tribus tantùm menſibus, translata eſt à Dauide ipſo, ad montem Zion, in quo, excitato templo, hæſit vſq; ad tempus exilij Babylonici. Sicut teſtantur poſterior liber Samuelis, cap. 6. & prior liber Chronicῶν cap. 13. Vnde Pſalmus dicit: Repudiauit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda, & montem Zion, quem dilexit: quòd Arca Dei non reducta ſit ad Silo tribus Ephraim, nec ſit ex ea tribu vel electus locus, in quo Arca iterum collocaretur, vel Rex qui adminiſtraret regnum Iſraeliticum: ſed electa ſit tribus Iuda, è qua Rex crearetur, & mons Zion, in quo templum, ſedes Arcæ Dei, ædificaretur. Quem montem DOMINVS ſelegerat ſibi in locum templi, iam inde ab initio, cùm Patriarcha Abraham ſuſceperat
Gen. 22. in eo loco, filium ſuum Iſaac, in victimam holocauſti offerendum, & DOMINVS promiſerat ibi iuramento, quòd daturus eſſet Abrahæ ſemen, (hoc eſt) Chriſtum, in quo benedicendæ eſſent omnes gentes terræ. Vnde & Pſalmus affirmat, hunc eſſe montem illum, quem DOMINVS dilexerit. Quod & verſiculi, qui ſequuntur, clarius explicant. Sic enim ſequitur.

69. *Et ædificauit velut arcem, ſanctuarium ſuum, quod ſicut terra, perpetuò conſiſtat.*

Vbi nos tranſtulimus, velut arcem, ibi Hebræus habet כמו רמים Chemo Ramim: Græcus autem interpretatus eſt ὡς μονοκέρωτος, ſicut vnicornis. Pro Ramim enim, quod ſignificat loca excelſa, in quibus arces ædificari ſolēt, legit Remim, quod ſignificat Monoceros-

tes,

tes, seu vnicornes. Loquitur autem Psalmus de templo in Hierusalem, quod postea per Salomonem ædificatum fuit in monte Zion, velut arx quædam excelsa, & tam firmiter fundata, vt perpetuò, sicut terra ipsa, duratura videretur. Nam & aliâs, mons domus DOMINI, qui est mons Zion, dicitur à Prophetis præparatus in vertice montium, & sublimis super colles. *Esa.2. Mich.4.* Significat autem veram Dei Ecclesiam, non solùm excelsiorem fore in conspectu Dei, omnibus regnis huius seculi, verùm etiam in petra ita fundatam, vt portę inferi non possint aduersus eam prævalere. Habes de sanctuario, seu tabernaculo Arcæ Dei, quod post cladem à Philistinis acceptam, non amplius in Silo tribus Ephraim constitit, sed translatum est ad montem Zion. Audiamus nunc de Rege.

70. *Et elegit Dauid seruum suum, ac tulit eum de caulis ouium.*

71. *A lactentibus ouibus adduxit eum, vt pasceret Iacob populum suum, & Israelem hæreditatem suam.*

73. *Pauit igitur eos in innocentia cordis sui, & in prudentijs manuum suarum gubernauit eos.*

Notum est Dauidem natum esse è familia Iudæ, & electum in Regem Israelis, cum adhuc ageret pastorem ouium patris sui, quemadmodum scriptum est in priori libro Samuelis cap. 16. Gubernauit autem regnum Israelis tam fideliter, tam prudenter & industrie, vt Deus ipse testimonium de eo ferat: Non auferam, inquiens, omne regnum de manu Salomonis, sed ponam eum ducem cunctis diebus vitæ suæ, propter

3 *Reg.*11. DAVID ſeruũ meũ, quẽ elegi, qui cuſtodiuit mandata & præcepta mea. Et iterum: Cor Abia non fuit perfectũ cum DOMINO Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris
1. *Reg.*15. eius. Et mox: Eò quòd feciſſet Dauid rectum in oculis DOMINI, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cũctis diebus vitæ ſuæ, excepto facto de Vria Ethæo. In hac de Dauide hiſtoria, quã Pſalmus breuibus attingit verius, quàm copioſè exponit, illud eſt cùm primis inſigne, quòd Deus excitat paſtorem ouiũ ac citharædum, & creat eũ regem populorum, adeoq; transfert eum à pedo, ad thronum regium, à plectro ad ſceptrũ. Hoc eſt obſeruabile exemplũ gratuitæ clemẽ-
*Pſalm.*113. tiæ & induſtriæ Dei. Quis eſt, inquit alius Pſalmus, ſicut Dominus Deus noſter, qui collocauit ſe in altis, & tamen humilia reſpicit in cœlo, & in terra. Qui eleuat ex puluere egenũ, & è ſtercore exaltat pauperem, vt faciat eum ſedere cum principibus populi ſui. Admiratur & Dauid ipſe tam immenſam Dei clementiã:
2. *Reg.*7. Quis ego ſum, inquiens, DOMINE Deus, & quæ do-
1. *Paralip.*17. mus mea, vt præſtares mihi talia? Deinde, fecit Deus Dauidi etiã illam gratiã, quòd promiſerit, ſe ex familia eius daturum Chriſtũ filium ſuũ, vnicum noſtrum mediatorem, propitiatorẽ, & ſeruatorem. Et quòd promiſit, hoc etiã in plenitudine tẽporis ita præſtitit, vt ſemen Dauidis ſedeat nunc ad dextrã Dei patris ſui, & regnet perpetuò, in cœlo & in terra: Semel iuraui (in-
*Pſalm.*89. quit DOMINVS in alio Pſalmo,) per ſanctitatẽ meã, non mentiar Dauidi, ſemen eius in æternum erit, & ſedes eius coram me, ſicut Sol ſicut Luna ſtabilietur in æternum, & ſicut teſtis cœleſtis erit ipſe fidelis. Inter multa igitur & magna beneficia, quæ Deus in Iſraelitas

tas contulit, illud maximum omnium est, quòd non solùm dederit eis Dauidem in Regem, qui & heroica virtute defenderit eos ab hostibus, & magna prudentia regnum administrauerit, verùm etiam promiserit, se missurum è posteritate Dauidis regem regũ, & Dominum dominantium, Christum, verum nostrum redemptorem. Et tamen ne sic quidem grati fuerunt, sed perrexerunt semper impietatem sectari: & cum adueniisset Christus, tantum abfuit, vt agnoscerent eum, & Euangelio eius obedirent, vt etiam eum cruci affigerent, & morti traderent.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic totus Psalmus est historica expositio rerũ gestarum in Israel, ab initio egressus ex Ægypto, vsq; ad Regem Dauidẽ: & continentur in ea multa obseruatu dignissima. Primùm.n. habes exemplũ gratuitę clementiæ Dei, in electione Israelitarũ. Etsi.n. Israelitæ nõ minus fuerunt impij & peccatores, quàm aliæ gentes idolomanitæ: tamen Deus elegit eos in peculiarẽ suum populũ, & Ecclesiam suam, mera sua & gratuita misericordia: TE, inquit Moses, elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram, non quia cunctas gentes numero vincebatis. *Deut.7.* Et postea: Non propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terram earum, &c. *Deut.9.* Cum igitur nos, qui sumus ex Gentibus, eadem gratuita clementia Dei electi simus, post abiectionem Israelitarum, in Ecclesiam Dei, (eramus enim & nos in tempore illo sine Christo, abalienati à republica Israelis, extranei à testamentis Dei, stulti, inobedientes & errantes,) testemur gratitu- *Ephes.2.*

Ad Titum 3. dinem nostram erga tam insignem beneuolentiam Dei, quibus possumus officijs, vt eam retineamus. Deinde habes etiam in Israelitis exemplum turpissimæ & sceleratæ ingratitudinis, quòd etsi fuerunt gratuita clementia Dei in Ecclesiam eius electi, & maximis beneficijs affecti: tamen nunquam exhibuerunt se gratos: Non custodierunt, inquit Psalmus, testamentum eius: in lege eius noluerunt ambulare: obliti sunt benefactorum eius: auerterunt se, & non seruauerũt pactum, quemadmodum patres eorum. Et multa id genus alia. Agnoscamus igitur, alieno exemplo, etiam nostræ carnis tam imbecillitatem, quàm impietatem: & abijciamus securitatem eius, vt inuocato nomine Dei per Iesum Christum, retineamur Spiritu sancto in veræ pietatis officio. Ad hæc, commendatur quoq; nobis longanimitas Dei. Etsi enim Israelitæ pergebant peccare aduersus Deum, tamen non confestim exhæredat eos, nec excludit statim è testamento suo, sed expectat pœnitentiam eorum. Inuitat quidem eos aliquot supplicijs, nunc incursionibus hostium, nunc captiuitatibus temporarijs, nunc fame, nunc peste, nunc alijs incommodis ad agendam pœnitentiam: nondum autem abijcit eos, vt non sint amplius populus seu Ecclesia Dei, donec ipsi Christum filium suum prorsus abijciant. Non abutamur igitur patientia & longanimitate Dei, nec colligamus nobis ipsis iram in
Rom. 2. die iræ: sed sequamur eò, quò nos bonitas Dei inuitat, vt perseuerantes in benefaciendo, gloriam, honorem, immortalitatem, ac vitam æternam consequamur. Præterea, proponitur nobis in hoc Psalmo exemplũ, quo Deus testatur se recipere lapsos in gratiam, si pœnitentiam

nitentiã egerint, iuxta dicta illa Prophetica: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum, inquit DOMINVS, aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et iterum: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Quoties, obsecro, Israelitæ peccauerunt aduersus Deum in deserto? quoties impietate sua meriti sunt internecionem? Et tamen agentes pœnitentiam recepti iterum sunt in gratiam. Ac ne quid omnino de Deo conqueri possis, tantæ est bonitatis, & indulgentiæ, vt etiam fictam & simulatam pœnitentiam non dimittat irremuneratam. Quoties Pharao in Ægypto agit pœnitentiam, & recipit se dimissurum Israelem? nihilominus tamen DOMINVS placatur, & remittebat supplicium, quamuis non ignoraret eum violaturũ fidem. In hoc Psalmo dicitur: Cum occideret eos, quærebant ipsum, & reuertebantur diluculo ad Deũ. Ac mox: Adulabãtur ei ore suo, sed cor eorum non erat rectum. Et tamen mox sequitur: Ipse aũt misericors, propitius erat iniquitati, & nõ disperdebat eos. In libro Iudicũ, DOMINVS respondet Israelitis seueriſsimè: Non addam, inquiens, vt vltrà vos liberẽ. Ite, & inuocate Deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ. Et tamen cum agerent pœnitentiam, & proijcerent omnia alienorũ Deorum idola de finibus suis, etsi ficta erat pœnitentia, quia statim redierunt ad impietatis suæ ingenium, reportarunt tamen beneficio Dei, victoriam ex hostibus suis. Elias Propheta dicit mandato DOMINI ad regem Ahab: Ecce ego, inquit DOMINVS, inducã super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiã

Hier.18.

Ezech.18.

Iudic.10.

Iudic.13.

de Ahab mingentem ad parietem. Ahab autem, rex alioqui impius egit pœnitentiam. Cum enim audisset
3. Reg. 23. sermonem Prophetæ, scidit vestimenta sua, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Hæc erat quidem in Ahab hypocritica pœnitentia, Deus autem ita ea delectatus est, vt diceret: Quia humiliatus est (Ahab) mei causa, non inducam malum in diebus eius.

Hæc exempla de ficta & simulata pœnitentia, non idcirco recitaui, quòd approbanda sit, per se, ficta pœnitentia: sed vt intelligamus, quanta sit efficacia veræ pœnitentiæ. Nam ficta & hypocritica pœnitentia, etsi affert aliquam salutem, non tamen aliam, (si multùm,) quàm externam & temporariam. Vera aũt pœnitentia affert æternam, cœlestem ac perpetuam salutem, quemadmodum aliàs copiosè exponitur. Collocemus igitur omne nostrũ studium in agenda pœnitentia, sed vera, sed seria, vt & verã & æternam salutẽ assequamur. Iam nec illud oscitanter considerandum est, sed diligentissimè intuendũ, quòd Psalmus deducat narrationẽ rerum in Israel gestarũ tantùm ad Dauidẽ vsq;, & ibi gradum ex improuiso ita figat, perinde ac si deficerent eum res ipsæ, quas deinceps narraret. Sed hoc non sine singulari consilio Spiritus sancti factũ est. Cum enim peruenisset ad Dauidẽ, cui promissus erat CHRISTVS, vnicus, verus & solus Redemptor noster, visum est, non vlterius progredi, sed ibi hærere, vt lectorem seu cantorem ad Christum, filium Dauidis cognoscendũ remittat, ac iubeat eum in hoc solo verã & perpetuam salutem quærere, & in ipso acquiescere. Hactenus enim contulit Deus in Israelitas,

posteros

posteros Abrahæ, summa beneficia: multiplicauit genus Abrahæ, sicut arenas maris: dedit eis, terrã Canaan: instituit in ea Politeiav, & Ecclesiam: fecit eos hostium suorum victores. Et quanquam aliquoties tam scelerate in Deum peccassent, vt mererentur internecionem totius gentis: tamen, clemens & propitius Deus, non abiecit eos, sed perrexit eos semper pro populo suo agnoscere, donec Christus Dauidi promissus adueniret. Hoc igitur exhibito, nihil est, quod vniuerso humano generi, tam Israelitis quàm Gentibus amplius desit. Quotquot, inquit Ioannes, receperunt eũ, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credidissent in nomine ipsius. Si autem filij, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes aũt Christi. Quid hoc beneficio maius? quid eo vel in cœlo, vel in terra excellentius? Maius est, quàm quod vel cogitatione comprehẽdi, vel verbis explicari queat. Quare Israelitis tantisper patuit pœnitentiæ ianua, & receptus ad clementiam Dei, dum expectarent Christum, & acquiescerent in eo. Postquam autem abiecerunt & repulerunt eum, abiecti sunt & repulsi etiam ipsi à Deo, ne sint amplius populus seu Ecclesia eius. Quo exemplo discamus timorem Dei, & admoneamur gratitudinis, vt cùm Christus nobis gratuita Dei clementia donatus sit, retineamus eum obedienti nostra fide, & acquiescamus in ipso, quo fruamur cum ipso cœlesti hæreditate.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Psalmus

Psalmus 79.

Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, &c.

Siue hic Psalmus sit vaticinium de ventura calamitate populi Dei, collatum per Spiritum sanctum in formulam precationis, vt cum aduenire calamitas, miseri haberent consolationem, & cognoscerent, se, quamuis oppressos, adhuc Deo curæ esse: quo etiam consi-
Esa. 63. lio Propheta Esaias præscripsit ijs, qui abducendi erãt in exilium Babylonicum, precandi formulam: siue sit precatio, post acceptam demum cladem composita & recitata: certè, quæ hîc commemorantur, euenerunt Israelitis, tam tempore Babylonicæ captiuitatis, quàm tyrannide Antiochi Epiphanis. Continet autem dũas partes. Altera est querela, de immanitate hostium, siue illorum Babyloniorum, siue horum Græcorum, omnia cùm sacra, tum prophana vastantium. Altera est precatio & inuocatio cœlestis opis, in tantis publicis & priuatis ærumnis ac miserijs.

1. *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, prophanarunt templum sanctum tuum, redegerunt Hierusalem in rudera.*
2. *Obiecerunt cadauera seruorum tuorum, in escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum bestijs terræ.*

3. *Effude-*

3. *Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam, per circuitum Hierusalem, & non erat qui sepeliret.*
4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio ijs, qui circum nos sunt.*

Hæc est prior pars Psalmi, in qua commemorat, & conqueritur coram Deo de sæuitie hostium, qua crudelissimè grassati sunt, tam in templū & vrbem Hierusalem, quàm in homines ipsos pios & sanctos. DOMINE Deus noster, ecce Gentes Ethnicæ, incircumcisæ, & immundæ, ac in conspectu tuo ipso abominandæ, incurrunt in terram illam tuam à te sanctificatam, & solis tuis legitimis sacris dedicatam, quam populo tuo in hæreditatem dedisti: prophanant etiam templum illud tuum, in quo te habitare profiteris, & quod in domum orationis & inuocationis nominis tui consecrasti: ac redigunt vrbem electam tuam Hierusalem in rudera, in aceruum lapidum, ac struem lignorum. Obijciunt præterea, quod est deplorandum, & execrandum, cadauera seruorum tuorum, nullo humanitatis respectu, insepulta & inhumata, volucribus dilanianda, & bestijs deuoranda. Quo quid potest dici horribilius & immanius? Nec est vllus aut modus aut finis trucidandi & effundendi, tanquam aquam, sanguinem miserrimorum ciuium, vel in vrbe ipsa, vel in vniuersa vicinia eius: nec est, qui trucidatos terræ mandet: sed necesse habent, ad incutiendum omnibus spectatoribus horribilem terrorem, insepulti iacere. Quid multis opus? Tam miserè tractamur ab hostibus nostris, vt quotquot nos intuentur, partim obstupescant, partim derideant & illudant. Quid sunt ærum-

næ, quid calamitates, si hæ non sunt? Huc nunc confer mihi vrbis Hierusalem, vel Babylonicam deuastationem, vel Antiochi prophanationem. An non similem vbiuis inuenies euentum? De Babylonicæ vrbis deuastatione vide Threnos Prophetæ Hieremiæ: quos si siccis oculis, seria cogitatione & lectione percurrere possis, haud scio, num hominis vocabulo te digner. De atrocitate autem, quam exercuit Antiochus in vrbe Hierusalem, & in Iudæa, extat non tam historia 1. *Maccabæ. 1.* Maccabæorum, quàm scriptum ipsum Prophetæ Dani- *Danie. 11.* elis. Dubitabis autem, quid sibi velit Psalmus, quòd commemoret has tragicas deuastationes, non coram hominibus, sed coram Deo ipso, quasi aut ignorante, aut obliuioso? Nunquid, qui plantauit aurem, in- *Psalm. 94.* quit alius Psalmus, non audiat? aut qui finxit oculum, non consideret? Aut, qui condidit memoriam, non meminerit? An Deus ignorat, quid vrbi Hierusalem acciderit vel à Chaldæis, vel à Græcis? Non certè ignorat, nec Psalmus recenset ista propter Deum, vt reuocet ipsi res illas gestas in memoriam, sed recenset propter seipsum, vt posito sibi ob oculos tam calamitoso euentu, & tanta temporum illorum tristitia, excitet in seipso grauiorem animi dolorem, & concipiat certiorem fiduciam & spem cœlestis liberationis ac salutis. Extant enim manifestæ promissiones, quòd *Psalm. 34.* iuxtà sit DOMINVS ijs, qui tribulato sunt spiritu, & *Esa. 57.* humiles spiritu seruet. Et quòd habitet cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & *Psalm. 51.* viuificet cor contritorum. Ac rursum: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Subijcere autem sub cogitatione

gitatione animi grauitatem & magnitudinem calamitatis, quæ vel præsens premit, vel futura imminet, est excitare contritionem & afflictionem cordis. Qua excitata, proximum est, vt cor contritum properet ad quærendam cœlestem opem. Non potest autem hanc cognoscere, nisi ex verbo promissionis Dei. Cognita autem promissione Dei, confirmatur fides: Quo autem certior est fides, eò certius & propius est auxilium Dei. Fiat tibi, inquit, sicut credis. Et: Fiat tibi secundum fidem tuam. Quare, quò magis precator ponit sibi ob oculos ærumnas & afflictiones cùm publicas tum priuatas, eò maiori fiducia sperat cœlestem opem: vt Deus quidem ipse non indigeat commemoratione tam tristium euentuum, quippe qui omnia rectius nouerit, quàm quæ verbis explicari queant: sed precator indigeat, vt ad vehementiores preces, & certiorem fiduciam salutis excitetur. *Matt.8.& 9.*

5. *Quousq; tandem iraſceris DOMINE? ardebit quaſi ignis Zelus tuus.*
6. *Effunde furorem tuum ſuper gentes, quæ non nouerunt te, & ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocant.*
7. *Quia deuorant Iacob, & habitaculum eius deuaſtant.*

Altera pars huius Psalmi, quæ est precatio, in qua illud initiò obseruandum est, quòd precator non fert acceptam hanc calamitatem & vastitatem, iræ inimicorum, sed iræ & Zelo DOMINI. Quousq; tandem, inquiens, succensebis? quousq; tandem Zelus tuus ad

vindicanda & punienda peccata, tanquam ignis, exar-
descet? Impiæ gentes, designarunt quidem aduersus
hæreditatem, aut terram & vrbem sanctam tuam, ad-
uersus sanctuarium, & sanctos tuos, multa grauia &
horrenda mala. Non autem ferimus ea accepta pote-
stati & robori earum, sed tuæ tantùm, DOMINE, ira-
cundiæ & Zelo tuo, quo peccatum ita odio habes, vt
visites ipsum in tertia & quarta generatione. Non ig-
noramus, quanta animi virulentia impiæ gentes nos
propter nomen tuum prosequantur: sed nisi TV conni-
ueres, & crudelitati earum indulgeres, nihil mali pos-
sent nobis inferre. Quare oramus & obsecramus te, vt
vel tandem iram tuam aduersus nos conceptam remit-
tas, & Zelum tuum mitiges. Quod si impetrauerimus,
nihil est amplius, quòd immanitatem hostium nostro-
rum metuamus. Ostendimus autem aliquoties in hac
Psalmorum explicatione, quòd sit compendiaria via
consequendæ liberationis ab afflictionibus & calami-
tatibus, si eas vel in manu DOMINI reponas, vel è ma-
nu DOMINI, non è manu satanæ aut aduersariorum
accipias. Iob exutus ab hostibus & à satana omnibus
suis rebus: DOMINVS (ait,) dedit, DOMINVS, (non
satan,) abstulit: sit nomen DOMINI benedictum. Da-
2. Reg. 16. uid eiectus in exilium, & à Simei maledictus, DOMI-
NVS, (inquit) præcepit ei, vt malediceret Dauidi. Et
quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? In aduersis
igitur, non grassemur virulenter in aduersarios, sed
suscipiamus ea obedienter è manu DOMINI, certa fi-
ducia concepta, quod qui percusserit, sit etiam sanatu-
Ose. 6. rus. Cæterùm, quod Psalmus non tantùm deprecatur
iram & Zelum Dei, verùm etiam deriuat eum in gen-
tes

tes impias: Effunde, inquiens, furorem tuum super gẽtes, quæ te non nouerunt, & super regna, quæ tuum nomen non inuocant, dubitabit fortè quispiam, quomodo hoc cum charitate, quę debetur proximo, cõueniat? Charitas, inquit Paulus, est patiens, charitas non inuidet, charitas non quærit quæ sua sunt: Et charitas omnia suffert. Et Christus ipse: Benefacite, inquit, ijs, qui vos odio prosequuntur, orate pro ijs, qui lædunt & insectantur vos. Nunquid ergo illud est benefacere & orare, si quis iram Dei à se amoliatur, & reijciat eam in capita suorum aduersariorum? Certè eadem prorsus precatio extat etiam apud Hieremiam cap. 10. Sciamus igitur, quòd aliud sit, aduersario imprecari mala, ex priuato odio, & carnali affectu, aliud ex publico officio, & spirituali vocatione. Illud est peccatũ aduersus charitatem proximi, hoc autem est officium obedientiæ, & singularis vocationis. Impiæ enim gentes, quæ nullam prorsus habent rationem veræ pietatis, nec est vlla spes resipiscentiæ, quales fuerunt Cananęæ, & regna, quæ ex diametro pugnant cum Deo, & vera inuocatione Dei, quale fuit regnum Balthasaris Babylonici, aut Antiochi Epiphanis, iam olim descripta, & destinata fuerunt diuinitus maledictioni & internecioni. Gens, inquit Esaias, & regnum, quod nõ seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Cum igitur Psalmus & Hieremias execrantur gentes, quæ non nouerunt Deum, & regna, quæ nomen Dei non inuocant, non execrantur ea ex priuato carnis odio, sed ex publico spiritus iudicio, ad quod officium diuinitus sunt excitati & vocati, quemadmodum Israelitæ diuinitus vocati & ordinati erant, vt

Gen. 15.
Danie. 5.
1. Macca. 1.
Esa. 60.
Deut. 7.

delerent Cananæas gentes, & aras earum subuerterẽt, ac sculptilia earum comburerent. Additur autem & ratio, cur gentes & regna illa impia sint digna execratione: Quia, deuorant, inquit Iacob, & habitaculum eius deuastant. Deus enim tanto amoris affectu complectitur populum suum Iacob, (quo nomine significatur Ecclesia DOMINI, siue illa, quæ ex Israelitis, ante aduentum Christi, constabat, siue, quæ post eius aduentũ ex omnibus Gentibus collecta est,) vt quotquot gentes & Regna meditantur exitium eius, & cupiunt eum oppressum, ac extinctum, necesse habeant perpetuò maledici & interire. Sicut somniat esu-
Esa. 29. riens, inquit Esaias, & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion. Et iterum: Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu
Esa. 47. tua. Tu autem (Babylon) non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum valdè, & dixisti, in sempiternum ero domina. Et mox: Veniet super te malum, & nescies ortum eius, & veniet super te calamitas, quam non poteris expiare. Et apud Za-
Zacha. 1. & 2. chariam: Zelatus sum Hierusalem, et Zion Zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parùm, ipsi autem adiuauerunt in malum. Ac iterum: Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi sui. In Matthæo autem ædificat Christus Ecclesiam suam supra petram, aduersus quam nõ prævalent portæ inferi. Et dicit: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Non potest igitur fieri, quin omnes gentes & regna, quæ deuorant

deuorant populum Iacob, & deuastant habitaculum eius, (hoc est) quæ in tantum absunt à vera pietate, vt non solùm nō inuocent nomen Dei, verùm etiā omni studio conētur gloriam nominis eius delere, & Ecclesiam eius opprimere, perpetua internecione pereant.

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum priorum: propera, vt miserearis nostri, quia tenues facti sumus nimis.*

Pergit in precatione. Et antè quidem deprecatus est iram Dei, ac amouit eam in capita impiorum hostium, vt si DOMINVS omnino susceperit irascendum, effundat iram suam potius super vasa irę, in interitum apparata, quàm super vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, (hoc est) magis super impias gentes, quàm super miserum et afflictum populum suum. Nūc aūt precatur pro remissione & cōdonatione peccatorum, propter quæ Deus iratus est, & conniuit, vt populus eius tam immaniter ab hostibus affligeretur. Peccata.n. prouocant Deū ad irā: Ecce, inquit Esaias, non est abbreuiata manus DOMINI, vt saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrū, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Petit igitur condonationem peccatorū, qua impetrata, Deus irā quoq; suā remittit. Quid autē illud est, quòd petat tantùm condonationē peccatorū PRIORVM, seu veterum, & præteritorum? An in præsentia nullum habet peccatum? Atqui, si dixerimus, (inquit Ioannes) peccatū non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Consideremus igitur de peccato, quòd etsi semper circumferimus in carne nostra peccatum, quod vocant Originale, propter

Rom. 9.

Esa. 59.

propter quod iudicamur in conſpectu Dei perpetui, quoad in hoc ſeculo vixerimus, peccatores: & ſi Deus, remota gratuita clementia ſua, obſeruaret illud, quis ſuſtineret? tamen hoc loco, non fit ſermo de eo peccato: ſed precator reſpicit in illud dictum Decalogi:

Exod. 20. DOMINVS Deus tuus fortis Zelotes eſt, viſitans iniquitatem patrum, in filijs, in tertia & quarta generatione. Hinc eſt, quod prouerbio dixerunt: Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Et: Patres noſtri peccauerunt, & nō ſunt, & nos iniquitates eorum portamus. Etſi autem hæc dicta nō ſunt intelligenda iuxta ſententiam impiorum, ſed iuxta ſententiam Spiritus ſancti, ſicut ea explicuerunt Moſes, Hieremias & Ezechiel: tamen precator tam grauibus afflictionibus obrutus, refert ſe cogitatione ſua ad conſiderationem ingenij & morum populi ſui, quòd iam inde ab initio nunquam ferè ſe ad bonam frugem receperint, ſed ſemper perrexerint Deum tentare, & ad iracundiam prouocare. Dicit enim Moſes: Scito, quòd non propter iuſtitias tuas DOMINVS Deus tuus dederit tibi hanc terram optimam in poſſeſſionem, cùm ſis populus duriſsimæ ceruicis. Et iterum: De vinea Zodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ, vua eorum, vua fellis, & botrus amariſsimus. Ac Stephanus: Duri, inquit, ceruice, & incircunciſi corde & auribus, vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto, vt patres veſtri, & vos. Quare, cum precator hæc ſecum conferret, & videret Iſraelitas ſuos, non iam primùm cœpiſſe aduerſus Deum peccare, ſed inde vſq; à patribus & maioribus impietatem ſectatos, & tam atrocia ſupplicia meritos eſſe, procumbit

Hier. 31.

Ezech. 18.

Hiere. Thren. cap. 5.

Deut. 24.

Hier. 31.

Ezech. 18.

Deut. 9.

Deut. 32.

Acto. 7.

ante

ante genua Dei, & quod Daniel confitetur: Propter peccata, inquiens, noſtra, & iniquitates PATRVM noſtrorum, Hieruſalem, & populus tuus in opprobrio ſunt omnibus per circuitum noſtrum: hoc idem etiam hîc precator in Pſalmo affirmat, ſe agnoſcere, tam ſua, quàm Maiorum ſuorum peccata, & ſupplex obſecrat, vt Deus nõ meminerit veterum peccatorum, ſed, cum afflictiones ſint grauiſsimæ, & peruenerint ita ad ſummum, vt niſi cito ſubueniatur, pereundum ſit certiſsimè, properet ad conferendam ſuam miſericordiam, & liberationem. *Dan. 9.*

Quæ autem illa eſt, inquies, impudentia, quòd precator auſit petere, vt Deus obliuiſcatur peccatorum, quæ vel maiores vel minores deſignarunt? Facta infecta fieri nequeunt. Et Deus memoria eſt ipſa rerum æterna. Qua igitur fronte, audebis ab ipſo peccatorum obliuionem poſtulare? Impudentiæ quidem & temeritatis eſſet, hoc à Deo, abſq; verbo Dei poſtulare. Non enim poſſet ex fide poſtulari. Quod autem nõ eſt ex fide, peccatum eſt. Sed extat verbum Dei, quo docemur, quòd petere à Deo obliuionem peccatorum, non ſolùm non ſit temeraria impudentia, verùm etiam ſit neceſſaria obedientia. Primùm enim apud Hieremiam dicit DOMINVS: Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et iterum: Omnes cognoſcent me à minimo eorum, vſq; ad maximum, ait DOMINVS, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Et apud Ezechielem: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus *Hier. 18.* *Hier. 31.* *Ezech. 18.*

est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiã, vita viuet, & non morietur. Omniũ iniquitatũ eius, quas operatus est, non recordabor. Ex his Propheticis, & alijs id genus dictis habes testimoniũ verbi Dei, quòd Deus ipse recipiat, se non amplius recordaturũ peccatorũ, si modò veram egeris pœnitentiã, & agnoueris DOMINVM Deum tuũ. Quare, cum Psaltes susceperit agendã pœnitentiam, (alioqui.n. ne has quidẽ preces inchoasset fideliter & vtiliter,) nõ est impudentia, quòd petat à Deo obliuionẽ peccatorum, sed officiũ & obedientia. Deinde, Deus recepit se habitaturũ cum contrito & humili spiritu, quemadmodũ aliâs copiosè ostẽdimus. Psaltes aũt hoc loco affirmat, se & populũ suum valde attenuatos esse: Quia tenues, (inquiens) facti sumus nimis. Cum igitur se & populũ suum proponat cõspectui Dei, vt afflictos, attenuatos, & oppressos, potest confidenter petere, vt Deus in extremis ipsorum periculis, citò misereatur, & peccatorum eorum obliuiscatur, ne pereant.

9. *Adiuua nos Deus, Iesus noster, propter gloriã nominis tui, & libera nos, & ignosce peccatis nostris, propter nomen tuum.*

In præcedenti versiculo implorauit afflictus cœlestẽ opem, propter tenuitatẽ seu afflictionẽ suã, propterea quòd Deus nõ despiciat cor contritũ & humiliatũ, sed potius promiserit ei salutem. Nũc in hoc versiculo implorat opẽ diuinã, ppter nomẽ Dei, & propter gloriã nominis eius: Adiuua, inquiens, nos Deus, Iesus, (hoc est) saluator noster. (In Hebræo.n. textu idem vocabulum

sũ habetur, quo Christus DOMINVS noster ab angelo vocatus est, ישעיה Iischeenu, quod est Iesus seu saluator noster. Is. n. saluũ faciet, inquit Angelus, populũ suum a peccatis suis.) Adiuua (inquã) nos propter nomen, propter gloriam nominis tui. Quod ergo est nomẽ illud, quæ gloria nominis eius, propter quam petit se iuuari? Etsi Deus varijs nominibus explicatur, tamẽ hoc loco fit præcipuè sermo de illo Dei nomine, quod Deus ipse patefecit Mosi, in Exodo cap. 34. & in Numeris cap. 14. & repetitur in Psalmo. 103. Nam, cum Moses peteret à Deo, vt ostenderet sibi gloriam suam, cõmemorauit coram ipso epitheta & cognomina sua, videlicet, DOMINVS, DOMINVS, Deus, misericors & clemẽs, lõganimis, multus pietate & veritate, custodiẽs misericordiã in mille, tollens iniquitatẽ, impietatẽ & peccatum. Ecce, hoc est nomẽ Dei, hæc est gloria nominis Dei. Deus enim summam gloriam inde adeò reportat, quòd sit misericors, clemens, longanimis, & verax. Viuo ego, inquit ad Mosen, & implebitur gloria DOMINI vniuersa terra, hoc est, ita me geram, & tale exemplum edam, vt in vniuersa terra cognoscatur, quòd sim clemens, misericors & verax in promissis meis. Quod igitur Psaltes propter nomen Dei precatur, hanc habet sententiam. Versamur his temporibus in maximis omnium difficultatibus, periculis & angustijs. Tu autem, DOMINE Deus noster, vocaris misericors, clemens, & verax, & reportasti iam inde ab initio orbis terræ, multis & magnis miraculis gloriam horũ epithetorum. Petimus igitur, vt quod audis, in nobis quoq; misserrimè oppressis, clementer testificeris. Sic. n. fiet, vt quã misericordię et veritatis gloriã,

Matth. 1.

Num. 14.

cum magna nominis tui laude hactenus possediſti, cumulatiorem & insigniorem reddas. Agnoscimus quidem, nos extrema quæq; meritos, sed vicissim agnoscimus etiam nomen & epitheton tuum, quòd voceris & sis misericors, clemens, & in promissis tuis verax. Quare si in præsentia nos deserueris, vt pudefiamus, an non amittes nominis tui gloriam? Et quis deinceps nomine tuo confidet? quis nomen tuum inuocabit? Certè talis precandi formula, si ex fide processerit, non potest non expugnare animum Dei: quippe quòd Deus teneri non potest, quin gloriam nominis sui tueatur, & conseruet. Vnde & sequitur.

10. *Quare dicant Gentes: Vbi est Deus eorum? Innotescat potius inter gentes coram oculis nostris, vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est.*

Celebrauimus hactenus nomen tuum inter Gētes, gloriati sumus, nos habere Deum clementem, propitium & veracem, nec esse aliā nationem Deo tam acceptam, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Si igitur nūc destitueris nos tua ope, quid reliquum erit, nisi vt Gentes nobis insultent, & contumeliosè nobis exprobrent, dicentes: Vbi est Deus eorum? Hæc contumelia redundat potius in tui nominis ignominiam, quàm in nostram. Gentes enim eo ipso, quo arguent nos vanitatis, arguēt te crudelitatis, & mendacij. Nāsi viderint, nos tuo auxilio destitutos, & in inuocatione nominis tui pudefactos, quid aliud iactabunt, nisi te nec esse verum Deum, nec esse clementem, nec veracem?

Deut. 4.

cem? Quid? Patieris ne æquo animo tantam nominis tui ignominiam? Tali tanquam machina aliqua admota, expugnauit quondam Moses animum Dei, vt non deleret internecione Israelitas: Vt audiant, inquiens, Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, *Num. 14.* & habitatores terræ huius, qui audierunt DOMINE, quòd tu sis in populo isto, & facie videaris ad faciem. Ac mox: Et dicant: Non poterat introducere populũ in terram, pro qua iurauerat. Idcirco occidit eos in solitudine. Et in Psalmo 114. Non nobis DOMINE, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam & veritatem tuam, ne dicant gentes, vbi est Deus eorum? Precamur igitur te DOMINE Deus noster, vt potius ad vindicãdam gloriam nominis tui, vindices sanguinem seruorum tuorum, qui tam immaniter à gentibus effusus est, quàm vt ad turpificandum nomen tuum diutius conniueas. Sed obijcere posset quispiam. Non negliget quidem Deus famam & gloriam nominis sui. Non minus autem glorificatur nomen eius, cum seueriter animaduertit in impios, quàm cùm populo suo nimis indulget. Vt enim Magistratus politicus tam reportat suam laudem, cum pro seueritate legum punit homines sceleratos, quàm cum defendit innocentes: ita & Deus, non minorem laudem meretur, cum visitat iniquitates patrum in filijs, in tertia & quarta generatione, quàm cum facit misericordiam in mille. Respondeo. Non est vna tantùm pars gloriæ nominis Dei. Alia enim est gloria omnipotentiæ, alia est gloria clementiæ, alia gloria longanimitatis, alia seueritatis eius: sed inter has omnes gloriæ partes præcipuum locum obtinet gloria veritatis. Nisi Deus

æſſet verax,& promiſsi ſui ſeruans,non eſſet Deus.Cũ enim Deus ſit ipſa veritas,et mendacium ex diametro cũ veritate pugnet,perſpicuũ eſt,quòd vt Deus ſit verè Deus, verax ſit,neceſſe fuerit. Quare,ſi in afflictionibus, & rebus noſtris perditiſsimis, obijciatur nobis vel ira Dei iuſta,& ſeueritas eius, quæ & ipſa non eſt ſua laude& ſuo loco fraudanda, vel etiã noſtra indignitas, quæ ſit diuina gratia & liberatione indigna: & tamen habuerimus interim certã & recte intellectam promiſsionem Dei,haudquaquam dubitandum eſt de cœleſti ope & ſalute ,propterea quòd ira & ſeueritas Dei, ac noſtra indignitas neceſſe habeant veritati & certitudini promiſsionis Dei cedere. Hoc autem impetrauit coram Deo nullus nec hominum nec angelorum, ſua iuſtitia,ſapientia,aut virtute: ſed ſolus vnigenitus filius Dei, DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, *Ioan.15.* vt quicunq; crediderit in ipſum, adoptetur in filium & hæredem Dei,ac petat,quicquid voluerit,& fiet ei, Ex hoc fundamento, & ex hac fide audet etiam Pſaltes, in hoc decimo verſiculo oculos ſuos ad Deum attollere, & audacter libereq; petere, vt Deus, remiſſa ira erga populum ſuum, ſeueriter puniat impias gentes, & vindicet in ipſis ſanguinem ſeruorum Dei, quem crudeliter effuderunt:idq; fiat, non clàm, ſed manifeſtè, quò omnes intelligant, Deum complecti *Deut.32.* ſummo fauore ſuum populum, & eſſe veracem,ac promiſſorum ſuorum ſeruantem, impiorum autem & impœnitentium immanitatem extremo odio proſequi. Extat enim promiſsio Dei: Laudate, inquit Moſes, gentes populum eius, quoniam ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur: & vindictam retribuet in hoſtes eorum,

eorum,& propitius erit terræ populi sui. Et aliâs: Ecce ego,ait DOMINVS, iudicabo causam tuam, (Hierusalem)& vlciscar vltionem tuam. Ex fide igitur harum & aliarum id genus promissionum Dei, licuit Psaltæ ad Deum accedere,& cùm Deus sit verax,certissimam in hostibus vindictam expectare. Ex eodem fonte promanat etiam precatio, quæ mox sequitur. *Hier.51.*

11. Ingrediatur sub conspectum tuum gemitus captiuorũ,secũdũ magnitudinẽ brachij tui cõserua filios morti destinatos.

12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum contumeliam,qua te affecerunt DOMINE.

Extant enim etiam de hac re promissiones & exempla, quibus Deus testatus est,se miserorum & captiuorũ gemitus audire. In Exodo Moses dicit: Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt, ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum,ac recordatus est fœderis,quod pepigerat cum Abraham,Isaac & Iacob. Et in Psalmo: Prospexit DOMINVS de excelso sanctuario suo, de cœlo in terram conspexit, vt audiret gemitum vincti, vt solueret filios morti destinatos. Et apud Prophetam: Hæc dicit DOMINVS aduersus omnes vicinos meos pessimos,qui tangũt hæreditatẽ,quam distribui populo meo Israel: ecce ego euellam eos de terra sua,& domum Iuda euellam de medio eorũ. Ex his & alijs scripturę locis manifestũ est,quòd Deus non solum significauerit se habere rationem captiuorum, & illorum qui sunt ad mortem destinati, idq; secundum magnitudinem brachij sui, quod est secundum omnipotentiam suam, (brachium enim robur & potentiã significat) *Exod.2.* *Psalm.102.* *Hier.12.*

ficat) qua recipit se adiuturos ipsos potenter & clementer: verùm etiam promiserit se vicinis populi sui, (qui vt sunt propinquiores, ita solent esse amarulentiores & nocentiores hostibus,) cumulatè, quod cogitarunt ei inferre, redditurum, ac contumeliam, qua DOMINVM ipsum affecerunt, vindicaturum. Orat igitur DOMINVM, vt quod clementer promisit, re ipsa veraciter præstet: Redde, inquiens, vicinis nostris, qui nobis sunt manifestis hostibus grauiores, in sinum eorum septuplum, hoc est, cumulatè, plenè, perfectè, (iuxta illud Leuitici: Addam plagas vestras vsq; in septuplum. Et mox: Percutiet vos septies, propter peccata vestra, explete videlicet, & maxima mensura.) Etsi autem pugnat cum dilectione proximi, & cum mandato Dei, petere vindictam: Mea est, inquit DOMINVS, vltio, & ego rependam: tamen cum DOMINVS ipse iubet eã petere, & promittit, se opem suam affuturum, præsertim cum faciat ad vindicandam gloriam nominis Dei, non solum est impune, verùm etiam officium, Deo tam debitum quàm gratum. Male-
Hier. 48. dictus, (inquit Hieremias) qui facit opus DOMINI, (hoc est, mandatum DOMINI, de deuastatione Moab) fraudulenter, & prohibet gladium suum à sanguine. Non igitur iudicemus de præceptis Dei, iuxta externam operis speciem, sed iuxta veram & rectam eius voluntatem.

13. *Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, gratias agemus tibi perpetuò, cunctis generationibus celebrabimus laudem tuam.*

Conclusio Psalmi, in qua precatores duo adhuc argumenta

gumenta recitant, quibus Deo (vt ita dicam) persuadeant, aut (vt rectius loquar,) fidem suam confirment, vt Deus in tantis ærumnis & aduersis seruet ipsos, ac liberet. Alterum est, quòd commemorent, se esse populum eius & oues pascuæ eius, hoc est, se esse populum illum, de quo dixerit: Filius meus primogenitus Israel. Et: TE elegit DOMINVS Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui sunt super terram. De quo etiam postea Propheta dixit: Ipse (DOMINVS) quasi pastor, gregem suum pascit, & brachio suo congregat agnos, portatq; in sinu suo, & fœtas suauiter ducit. Quid ergo? deseres ne in præsentia, in summis aduersis populum tuum peculiarem, de cunctis populis electum? destitues ne tua cœlesti ope gregem TVVM, & oues (quæ non nisi à te pendent) pascuæ tuę? Alterum est, quòd polliceãtur, se pro tanto beneficio gratissimos fore. Et quæ erit illa gratitudo? Celebrabimus, inquit, te perpetuo in omnem æternitatẽ, & narrabimus laudes nominis tui. Hæc gratiarum actio, si ex fide præstita fuerit, Deo est acceptissima: Laudabo, inquit alius Psalmus, nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude. Quod acceptius erit DOMINO, quàm bos iuuenculus, cornu habens & vngulas. Non est igitur dubitandum, quin Deus preces, ex tanta, & tam confirmata fide effusas, in cœlo, & in firmamento habitaculi sui, (vt scriptura loquitur) exaudiat.

Exod. 4.
Deut. 7.
Esa. 40.
Psalm. 69.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod Israelitis fuerunt Assyrij, Babylonij & Antiochi, hoc Christianorum regnis & regionibus sunt Mahumetistæ seu Turcę. Hi enim incurrunt impune

in hęreditatem DOMINI, (hoc est) in illorum regna et principatus, qui Christianam religionem profitentur, & habentur Ecclesia Christi: polluunt quod Psalmus dicit, templum sanctum Dei, non tantùm deuastatione externorum templorum, verùm etiam abolitione veræ & piæ doctrinæ: redigunt vrbes & vicos in rudera: & aut abducunt miserrimos captiuos in alienas regiones, & in perpetuam seruitutem, aut trucidant quosuis obuios crudelissimè, & effundunt sanguinem eorum, tanquam pecudum, ac obijciunt cadauera eorum bestijs dilaniandа, nec est, qui sepeliat. Exempla notiora sunt, quàm quæ pluribus recitari debeant. Quid igitur reliqui adhuc intacti & superstites faciamus? Reges quidem & Principes, quibus ob id vectigalia soluuntur, & tributa numerantur, vt rempublicam tueantur, suo quodam seu consilio seu torpore (ô rem deplorandam) cessant. Nos autem priuati homines, sequamur concionẽ & consilium Regis Ezechiæ, quæ concio extat in posteriori libro παραλειπομένων cap. triceſimo. Nã cum Salmanasar rex Assyriorũ, deuastasset Samariã, seu Regnũ decem tribuũ Israel, & multos abduxisset captiuos, Ezechias rex Iudæ, misit Legatos vnà cum literis suis ad reliquias Israelitarũ, & hortatur eas ad pœnitentiam: Filij Israel, inquiens, reuertimini ad DOMINVM Deum Abraham, Isaac & Israel, & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus regis Assyriorum. Et mox: Si vos reuersi fueritis ad DOMINVM, fratres vestri & filij habebunt misericordiã corã Dominis suis, qui duxerũt illos captiuos, & reuertentur in terrã hanc. Pius.n. & clemẽs est DOMINVS Deus vester, & non auertet faciem suam

4. Reg. 17.

à vo-

à vobis, si reuersi fueritis ad DOMINVM. Hactenus Ezechias. Cum igitur nos similem habeamus causam, agnoscamus hanc regis cohortationem diligenter: reuertamur ad DOMINVM Deum Abraham, Isaac & Israel, hoc est, ad veram & veterem religionem, quæ nobis tradita est Euangelio Apostolico, patefacto per Apostolos in toto orbe terrarum: non fiamus, sicut patres nostri, & fratres, qui seducti humanis traditionibus, & Pontificijs somnijs, recesserunt à DOMINO Deo patrum suorum, à vera videlicet religione, scriptis Propheticis & Apostolicis commendata: non induremus ceruices nostras, sed cognita verè pia doctrina, abijciamus sordes Pontificiarum traditionum: credamus in solùm DOMINVM Iesum Christum, vnicum nostrum propitiatorem & redemptorem: & inuocemus in solo nomine Christi Deum patrem nostrum: ac recitemus coram eo hunc Psalmum confidenti animo, certa fiducia concepta, quòd si iuxta concionem Ezechiæ, reuersi fuerimus, per veram pœnitentiam ad DOMINVM, fratres nostri, & filij, qui è suis patrijs captiui à Turcis abducti sunt, consequantur misericordiam coram Dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & aut reuertantur in hanc terrenam suam patriam, incolumes, aut si visum fuerit DOMINO, vt in aliena terra extinguantur, & constiterint in vera fide Christi, pro terrena patria, omnibus ærumnarum generibus plena, recipiant cœlestem, omni felicitate cumulatam.

Psalmus 80.

Qui regis Israel, intende, &c.



IN fine præcedentis Psalmi dicitur: Nos populus tuus, & oues pascuæ tuæ. Hoc igitur dicto Psaltes de ouili & pastore eius admonitus, sumit ab his initium huius Psalmi. Nam vbi vetus & vulgaris tralatio legit: Qui regis Israel, intende, quid deucis, velut ouem, Ioseph, ibi iuxta hebraicum textum legendum est: Qui pascis Israelem, ausculta, qui ducis, velut gregem, Ioseph. Alloquitur autem & inuocat Christum DOMINVM nostrum, ac precatur, vt Ecclesiam suam, tot modis afflictam & oppressam, cœlesti sua ope, clementer tueatur. Non enim est obscurum, quòd Spiritus sanctus sæpe ac multùm tribuat Christo cognomen pastoris: Suscitabo, inquit DOMINVS apud Ezechielem, super ea (pecora) pastorem vnum, qui pascat ea, seruum meum Dauid, (Hic est Christus DOMINVS noster, è familia Dauidis natus,) Ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Hinc & Christus ipse, cum iam hominem assumpsisset, vocat se pastorem, & Ecclesiam suam oues: Ego sum, inquiens, pastor bonus. Et: Pasce oues meas. Et literæ Apostolicæ vocant eum, non solùm ποιμένα τῶν προβάτων μέγαν, pastorem ouium magnum, verùm etiam ἀρχιποιμένα, principem pastorum. Sunt & alia huius rei argumenta, quòd Psaltes alloquatur in hoc Psalmo,

Ezech. 34.

Ioan. 10. & 21.

Psalmo Christum DOMINVM nostrum, de quibus mox in duobus primis huius Psalmi versiculis. Dices autem, Quid opus est de hac re lectorem admonere, cum per se notum sit, quòd qui inuocauerit DOMINVM Deum suum, inuocet non solùm Deum patrem, sed etiam filium & Spiritum sanctum? Nam, cum sit vnus tantùm Deus, perspicuum est in vera Dei Ecclesia, quòd qui Deum dixerit, is simul & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ dixerit. Sed etsi vnus tantùm est Deus, si essentiam consideraueris, interim tamen in hac vna Deitatis essentia, sunt tres distinctæ personæ, quarum singulæ sua habent officia, propter quæ licebit in inuocatione, aliam atq; aliam personam, in diuinitate, sine vlla impietate, & alterius personæ contumelia compellare. Stephanus, excessurus iam ex hac vita inuocat Iesum, DOMINE Iesu, inquiens, suscipe spiritum meum, cum tamen Iesus Christus ipse commendauerat antea spiritum suum Deo patri. Quòd autem Stephanus in eadem causa compellaret, nõ Deum patrem, sed DOMINVM Iesum, filium eius, admonitus fuit è spectaculo, quo videbat Iesum stantem à dextris Dei, & offerentem seipsum auxiliatorem & redemptorem in morte. Sic & precator in hoc Psalmo vertit se inuocatione sua ad Christum filium Dei, quòd cum rogaturus esset pro salute Ecclesiæ, cuius Christus pastor est, & quam acquisiuit sanguine suo, excitet eum Spiritus sanctus, vt peculiariter Christum alloqueretur. Act. 20.

1. *Qui pascis (inquiens) Israelẽ, auscultа, qui ducis, quasi gregẽ, Iosephũ, qui sedes super Cherubim, conspicuus appare.*

2. *Qui es ante Ephraim & Benlamin, & Manasſen, excita potentiam tuam, & veni vt ſerues nos.*

Multæ & grauiſsimæ ſunt afflictiones Eccleſiæ, nec poteſt ea in tantis aduerſis, quæ paulò pòſt cõmemorabuntur, conſeruari, niſi cœleſti ope. Attollimus igitur oculos noſtros ad TE. Ad quem? Ad te, (inquit) qui paſcis Iſraelem, qui minas ſeu ducis, quaſi gregem ouium, Ioſephum, (hoc eſt) regnum Ioſeph ſeu Iſrael, e quo Deus ante incarnationem Chriſti collegit Eccleſiam ſuam. Quis autem eſt ille? Quis, niſi Chriſtus, DOMINVS noſter, quem tam Propheticæ quam Apoſtolicæ literæ paſtorem, & ductorem Eccleſiæ ſuæ vocant. Attollimus præterea oculos noſtros ad TE, qui ſedes ſuper Cherubim. Ecquis eſt ille? Non certè alius eſt, niſi idem Chriſtus DOMINVS noſter. In Exodo enim cap. 25. inſtituitur Arca teſtamenti cum propitiatorio, ornato duobus Cherubim, (hoc eſt) alatis imaginibus, de quorum Cherubim medio dabantur oracula Dei. Inde præcipiã, (inquit ſcriptura) & loquar ad te. Hinc & aliâs Pſalm. 99. & Eſa. 37. ac in alijs ſcripturæ locis Deus dicitur ſedere ſuper Cherubim. Significat autem Arca teſtamenti cũ propitiatorio ſuo DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, qui, interprete Paulo, propitiatorium noſtrũ eſt, quod interueniente ipſius ſanguine, iuſtificemur gratis, per illius gratiam, per redemptionẽ, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Cum igitur Pſalmus alloquitur illum, qui ſedet ſuper Cherubim, ſentiamus ipſum alloqui DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Quid aũt illud? Qui eſt ante Ephraim, Benlamin & Manaſſen? Hîc vide mihi ordinationem caſtrorum Iſraelis, quæ deſcribitur in Numeris

Exod. 26.

Rom. 3.

meris cap. 2. Israelitæ enim castrametabantur per gyrum tabernaculi fœderis, in quo collocata erat Arca cum suo propitiatorio, ad partem tabernaculi occidentalem: ad quam etiam partem excubabant filij Ephraim, Manassæ & Benlamin. Itaq; dicebatur DOMINVS ante has tribus esse, quòd essent proximiores Arcæ DOMINI, & propitiatorio eius, & haberent ea in prospectu suo. Cũ igitur hæc adumbrauerint Christum DOMINVM nostrũ, quemadmodũ antè dicebamus, manifestum est, quòd cum Psalmus alloquitur eum, qui est ante Ephraim, Benlamin & Manassen, alloquatur Christum DOMINVM nostrum. Quid aũt petit? quid poscit à Christo? Auscultа, (inquit) conspicuus appare, excita robur tuum, & veni, vt serues nos. Nihil petendum, nihil poscendum suscipimus, quod pugnet, vel cum tua voluntate, vel cum tuo officio. Petimus, vt auscultes, & aures ad preces nostras diligenter adhibeas. Hæc tua est voluntas, hoc tuipse te facturum recepisti. Sic enim è Spiritu sancto tuo dixit seruus tuus Moses: Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos tam appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et apud Esaiam: Erit antequam clament, (inquit DOMINVS) ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Petimus, vt conspicuus appareas, vt tuam præsentẽ opem nobis patefacias. Est & hæc tua voluntas. Sic. n. promisisti: Inuoca me, inquiens, in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me, (hoc est) iuuabo te tam perspicuè, vt tuipse cõfitearis te cœlesti ac miranda auxilio seruatum. Petimus, vt excites robur tuum: Nec hoc à maiestate tua abhorret. In priori lib. Chron. cap. tua est, inquit Salomõ, DOMINE, magnificentia et potentia. *Deut. 4.* *Esa. 65.* *Psalm. 50.*

2. παραλ.20. potentia, seu robur, gloria, victoria & honor. Et in posteriori libro: In manu tua, inquit rex Iosaphat, est virtus & robur, & nemo est, qui tibi resistere potest. In tantis igitur ærumnis, in quibus versatur Ecclesia, petimus, vt hoc robur tuum, Christe, exeras, & testificeris, ac opem tuam, qua seruemur, patefacias. Cæterum vt significet, quanto studio, & quanto affectus ardore inuocet Christum, addit ad illos priores duos versiculos, quos loco propositionis posuit, adhuc vnum versiculum,

3. *Deus, (inquiens) consolare nos, ac ostende faciem tuam, & seruabimur.*

Hic versiculus tertiò repetitur in hoc Psalmo: & cũ antea periphrasi quadam descripserit, quem inuocat, eum nunc disertis verbis exprimit: DEVS, inquit. Et mox: Domine Deus Zebaoth. Ac iterum in vltimo versiculo: DOMINE (Iehoua) Deus Zebaoth. Christus enim ille, quem inuocat, non est simpliciter homo, sed etiam est DOMINVS Iehoua, verus ab æterno Deus noster. Qui idcirco dicitur DOMINVS Zebaoth, (hoc est) militiarum, quòd in Genesi scriptum sit, perfectos esse à Deo conditore cœlos, terram, & omnem militiam, (hoc est) exercitum, potentiam, virtutem, et fortitudinẽ eorũ. Significat igitur, quòd Christus sit verus Deus omnipotens, & habeat omnem potestatẽ in cœlo & in terra, præditus nomine, super omne nomẽ, (vt Paulus ait,) quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & inferorum: idq; nõ tantùm

Gen.2.

Philip.2.

tantùm secundum diuinitatem suam, quam ab ęterno, à Deo patre suo habuit, sed etiam secundum humanitatem, quam suo tempore, à virgine Maria, in vnitatē personæ assumpsit. Hunc CHRISTVM, verum Deum & hominem dicit se inuocare, & petere, vt consoletur Ecclesiam suam, ac ostendat ei faciem suam, qua seruetur. Respicit autem Psaltes his verbis ad illud dictum, quod in Genesi cap. 32. Patriarcha Iacob ait: Vidi DOMINVM facie ad faciem, & salua facta est anima mea, quando videlicet reportauit ex lucta cum angelo, cognomen Israelis, quod significat victorem Dei, quoniam victor euasisti (inquit Deus ipse) super Deum & super homines, & prævaluisti. Petit igitur Psaltes, vt Christus, quemadmodum olim ostendit, & illustrem exhibuit faciem suam Patriarchę Iacob, in summis suis angustijs: ita nunc exhibeat eam illustrem & iucundā Ecclesiæ suæ, in extremis suis periculis. Sic enim non erit dubium, quin veram & æternam salutem consequatur.

Sed quæ sunt graues illæ afflictiones, quibus Christus Ecclesiam suam liberare debeat? Sequitur.

4. *Domine Deus Zebaoth, quousq; tandem succenses orationi populi tui?*

Propositioni inuocationis & precationis, subiecit enumerationem ęrumnarum, quibus laborat Ecclesia, & quarum præcipua est, quòd Christus non exaudiat preces Ecclesiæ suæ, quamuis multas & frequentes, sed videatur potius eas auersari. Quousq; tandem succenses orationi populi tui? Ieiunamus, animas nostras

humiliamus, & ad te precibus noſtris intentiſsimè cla-
mamus, ſed afflictiones noſtræ intantum non minuũ-
tur, vt potius cumulentur, & tu ad noſtrum clamorem
indignari, & quaſi fumare ac exardeſcere videaris.
Habes vnum genus afflictionis, quod certè grauiſsi-
mum eſt. Si enim Deus preces noſtras, quas tamen ſe-
ueriter exigit, & earum exauditionem promittit, ira-
cunde auerſatur, quò confugiemus? quid ſpei nobis
relinquitur? Sed nondum deſpondendus eſt animus.
Cognoſcendum autem eſt, & probè expendendum
ingenium Dei, quoad ipſe nobis verbo ſuo patefecit.
Deus enim, aut auerſatur preces noſtras, propterea
quòd effundamus eas abſque vera pœnitentia: Cum
Eſa. 1. extenderitis (inquit) manus veſtras, auertam oculos
meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem,
non exaudiam. Quam ob cauſam? Quia manus ve-
ſtræ (inquit) plenæ ſunt ſanguine, (hoc eſt) impœni-
tentes eſtis, & non eſt, qui verè à peccatis ſuis reſipi-
ſcat. Quare, ſi Deus auerſatur preces noſtras indi-
gnanter, non illud cogitandum eſt, vt & nos auerſe-
mur Deum, & confugiamus ad aliena auxilia, ſed aga-
Hier. 18. mus veram pœnitentiam. Tunc & ego, inquit DO-
MINVS, agàm pœnitentiam ſuper malo, quod cogi-
taui vt facerem ei. Aut auerſatur preces noſtras, eti-
amſi veram pœnitentiam agendam ſuſceperimus, ibi
tum non ceſſemus, nec defatigemur. Deus enim non
idcirco auerſatur faciem ſuam à nobis, quòd non ex-
audiat preces noſtras, ſed vt tentet nos, ac pericu-
lum de fide noſtra faciat, num conſtanter in ea perſe-
In Thren. cap. 3. ueremus, & in vera pietate pergamus: Bonum eſt, in-
quit Hieremias, præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.

Et

Et mox: Non repellet in sempiternum DOMINVS. Quia si abiecit, & miserebitur, secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et quod Moses de Pseudoprophetis dicit, hoc etiam nobis de aduersis in precatione nostra obseruandum est, vt non seducamur ab inuocatione: Quia tentat vos (inquit) DOMINVS Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Quare, siue Deus auersetur preces nostras, propter impœnitentiam nostram, conferamus nos, sine vlla mora, ad agendam pœnitentiam: siue auersetur eas, vt tentet nos, perduremus in inuocatione, quòd qui cepit, etiam sanabit, & qui percussit, etiam curabit. Sed vnde cognoscitis, quòd auerser vestras preces? Sequitur. *Deut. 13.* *Ose. 6.*

5. *Cibas eos pane flebili, & potas eos lachrymis copiosis.*
6. *Ponis nos prædam vicinis nostris, & inimici nostri subsannant nos.*

Etsi Deus non videtur coràm, humano more, tamen res ipsa testificatur, quòd auertat faciem suam à nobis, & abominetur preces nostras. Tantis enim aduersis & afflictionibus nos, Ecclesiam suam, obruit, vt necesse habeamus panem nostrum, si quis nobis supersit, & potum, in summo mœrore, cum multis lacrymis, in maximo plangore & lamentatione sumere. Accedit præterea & illud incommodi, quòd non nobis tantùm ipsis, apud nosmetipsos simus miseri et calamitosi,

verùm etiam ſimus vicinis noſtris prædę ac direptioni, ac inimicis noſtris ludibrio, & ſubſannationi. Quid ergo nobis afflictius? quid ærumnoſius? Si nos domi tantùm miſeriæ & erumnæ, quamuis grauiores, premerent, deuoraremus hoc, quicquid eſt calamitatum, taciti, ſuſpiriis & gemitibus: nunc autem, ô rem veris lacrymis deplorandam, etiam à vicinis noſtris, quos ſperauimus nobis amiciſsimos, diripimur et vaſtamur, vt ab his maiorem cladem accipiamus, quàm ab inimicis, & hoſtibus ipſis.

7. *Deus (igitur) Zebaoth, conſolare nos, & oſtende faciem tuam, & ſeruabimur.*

Hîc iam ſecundò repetit eundem verſiculum, qui ſuprà, in hoc Pſalmo, tertius fuit. Repetit autem, vt precatores iterum commonefaciat hiſtoriæ, cuius paulò antè mentionem fecimus, de Patriarcha Iacobo, quò fiduciam ſuam confirment, & certam ſalutem in periculis, quamuis extremis, expectent. Gen. 32.

8. *Vitem de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam.*
9. *Expurgaſti locum ante eam, & ſtabiliuiſti radices eius, vt impleuerit terram.*
10. *Cooperti ſunt montes vmbra eius, & ramis eius cedri Dei.*
11. *Extendit palmites ſuos, vſq; ad mare, & vſq; ad flumen propagines ſuas.*

Redit à precatione ad querelam, & vt reddat eam illuſtriorem, confert per antitheſin, priorem ſtatum populi Dei, ſeu Eccleſię eius, cum præſentibus calamitatibus.

tatibus: Vitem, inquiens, de Ægypto transtuliſti. Hęc eſt prior pars Antitheſeos, in qua ſignificatur, quantis miraculis Deus liberauerit Iſraelitas ex Ægypto, & trāſtulerit in terrā Canaan, quātiſcȝ eos beneficijs afſecerit. Solet autem ſcriptura ſacra, metaphora vitis & vineæ ſignificare populum Iſraelis, è quo Chriſtus initio Eccleſiam ſuam collegit, donec Euangelion eius inter gentes diuulgaretur. Vnde & apud Eſaiam dicitur: Vinea DOMINI Zebaoth, domus Iſrael eſt, & viri Iuda, germen delectabile eius. Et in Matthæo paterfamiliâs plantat vineam, circundat ei ſepem, fodit in ea torcular, ædificat turrim, & locat eam agricolis. Hæc eſt Eccleſia, quæ primùm collecta eſt ex populo Iſrael, deinde etiam ex Gentibus. Quod igitur Pſalmus metaphora vitis, & ramis ac propaginibus eius dicit, hoc nos ſimpliciter exponemus: TU DOMINE Deus noſter, inueniſti Iſraelitas in Ægypto, longè omnium miſerrimos, ac prorſum oppreſſos, ſed redemiſti eos multis ac ſtupendis miraculis è domo illa ſeruitutis, & è tyrannide Pharaonis, & conſeruaſti eos in deſerto mirandis modis, donec tandem oppreſsis & eiectis impijs Gentibus, collocaueris eos in terra Canaan, quemadmodum liber Ioſua commemorat, & tradideris eam, ſubactis regibus & principibus illius, Iſraelitis poſsidendā. Nec hoc tantùm beneficiū contuliſti in eos, verùm etiam poſſeſsionem eorum ita ſtabiliuiſti, vt & finitimis hoſtibus (ſicut habet liber Iudicum & libri Samuelis) eſſent formidabiles, & longè lateȝ fines imperij ſui proferrent, ac vniuerſam terram illam ita implerent, vt & montana, & cedros Dei, (quo nomine mons Libanus, in quo ſunt altiſsimæ ce-

Eſa. 5.

Matth. 21.

dri, significatur) occuparent, & maiestatem ac potentiam suam vsque ad mare occidentale, & ad fluuium Euphratem prorogarẽt. Hæc enim fuit terræ Canaan & dominationis eius amplitudo, quemadmodum Mo-
Deut. 11. ses scribit: Omnis locus, inquiens, quem calcauerit pes vester, vester erit: à deserto & à Libano, & flumine magno Euphrate, vsq; ad mare occidentale, erunt termini vestri. Habes priorem partem Antithesis, de beneficio, quod Deus contulit Israelitis, in tradenda eis possessione terræ Canaan. Sequitur nunc posterior pars, de præsentibus calamitatibus.

12. *Quare (ergo) destruxisti sepem eius, vt vastent eam omnes, qui prætergrediuntur.*

13. *Euertit eam aper syluestris, & fera agrestis depascit eam.*

Perseuerat in eadem metaphora vineæ: Et cum vineæ muniuntur sepibus, deuastantur autem, his dirutis, ab apris syluestribus & feris agrestibus, idcirco horum nomine intelliguntur inimici & hostes Israelitarum, qui incurrunt in terram ipsorum impune, & grassantur in eam crudeliter, vt sit sententia, Regnum nostrum in terra Canaan erat quondam florentissimum & firmissimum. Nunc autem iacet, miserandum in modum, ab hostibus fœdissimè vastatum & protritum. Quò ergo nos vertemus? Quò nisi ad pastorem nostrum, & ductorem, qui sedet super Cherubim, vt sua fortitudine nobis succurat.

14. *Deus (igitur) Zebaoth, reuertere obsecro, respice de cælo, & vide, ac visita vitem istam.*

15. *Confirma*

15. *Confirma eam, quam plantauit dextera tua, & (respice) super filium, quem roborasti tibi.*
16. *Combustio ignis, (&) excisio ab increpatione faciei tuæ pereant.*
17. *Sit manus tua super virum dexteræ tuæ, super filium hominis, quem roborasti tibi.*
18. *Et non discedemus à te, viuifica nos, & nomen tuum inuocabimus.*

Vbi nos interpretati sumus, super filium, quem roborasti tibi, pro filio exponunt alij ramum, seu germen, seu palmitem, vt perseueret adhuc in metaphora vitis, & petat, vt respiciat super palmitem, quem ex vite produxit, & firmum effecit, hoc est, super populum Israel, quem forti manu collocauit in terra Canaan, & auxit. Nã & aliâs hoc vocabulũ בן Ben, quod cõmuniter significat filiũ, significat etiã id, quod ab alio deriuat aut producitur, vt filius vitis, hoc est, palmes qꝫ à vite oritur: filius Areæ, hoc est, frumẽtum, seu palea: filius arcus, hoc est, sagitta, quæ ex arcu emittitur. Sed cum mox, versiculo 17. dicitur: Super virum dextræ tuæ, & super filium hominis, ibi vocabulum, filius, redit, propter adiunctum hominis, ad natiuam significationem. Etsi autem nonnulli intelligunt nomine filij hominis, Christum DOMINVM nostrum, cui cognomen filij hominis solenne est: tamen quia precatio huius Psalmi dirigitur magis ad Christum, (quemadmodum suprà exposuimus,) quàm quòd vaticinetur de Christo, sentiamus hoc loco filium hominis, sicut & virum dextræ Dei, significare Israelitas, quos dextra Dei inter medios hostes defendit, auxit, & hactenus ita

Gen. 49.

Esa. 21.

conser-

conſeruauit, vt, quamuis verè filij hominis, (hoc eſt) abiectiſsimi, conſecuti tamen ſint magnam potentiam & gloriam. Inuocat igitur Pſaltes Deum Zebaoth, hoc eſt, DOMINVM noſtrum Chriſtum vnigenitum filium Dei, & verum paſtorem Eccleſiæ ſuæ, vt qui hactenus viſus fuerit, fauore ſuo diſcedere ab ipſis, & auerſari preces eorum, ac deſeruiſſe vineam ſuam, nunc propitius reuertatur, & placatus reſpiciat eam, & cum ipſe dextera ſua plantauerit ipſam, & corroborauerit, conſeruet eam incolumem. Vides enim, ô DOMINE, quòd hæc vitis, tua ipſius dextera ac potenti manu plantata, iaceat in præſentia igni combuſta, & exciſa. Obteſtamur igitur te, vt horribilis iſta combuſtio, & exciſio, aboleantur, vel tandem finiantur, & ceſſent ab increpatione vultus tui. Hactenus increpuiſti nos iratus vultu tuo ſeueriſsimè, nunc autem quęſumus, vt placatus nobis, conuertas vultum tuum ad increpandam combuſtionem & ſucciſionem vitis tuæ, quò priſtinæ viriditati reſtituatur. Ac, vt expreſsis & ſimplicibus verbis fateamur, quod petimus, ſit obſecro, manus tua, ſuccurras omnipotentia & clementia tua miſerrimo populo tuo Iſraelitarum, vt quem hactenus multis miraculis fouiſti, & dextera tua in omnibus periculis conſeruaſti, nunc eadem dextera in integrum reponas. Pro quo beneficio, etſi non poſſumus debitam & meritam gratiam, pro dignitate referre, tamen faciemus, quod tuo ſpiritu adiuti poſſumus. Non recedemus, non deficiemus amplius à te, ad Idolomaniam, ſicut patres noſtri fecerunt: ſed conſtantes in tua vocatione perdurabimus, & à te viuificati, ac confirmati, nomen tuum, quo vocamur, (vocamur autem populus ſeu Eccleſia Dei) inuocatione noſtra, perpetuò celebrabimus.

celebrabimus. Hæc vera est gratiarum actio, videlicet, vt resipiscamus, & nomen DOMINI ex vera fide inuocemus, ac celebremus: Omnis enim, (inquit Ioel) qui inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Postremò, concluditur Psalmus illo versiculo, qui antea bis fuit recitatus.

19. *DOMINE Deus Zebaoth, consolare nos, & ostende faciem tuam, & seruabimur.*

Etsi autem Deus est simplicissimus, & quod ad naturam suam attinet, semper sui similis, tamen tribuimus ei docendi gratia duplicem faciem. Altera est severa, & irata, quam ostendit nobis per legem suam, & per supplicia, quæ propter peccata infligit, in quo significato paulò ante, versiculo decimo sexto accipitur. Altera est, serena, iucunda, suauis & gratiosa, quæ nobis ostenditur per Euangelion, & quæ est Christus ipse filius Dei vnigenitus. Precatur ergo Psalmus, vt Christus, DOMINVS Deus Zebaoth, etsi omni calamitatis genere obruti & oppressi sunt, ostendat saltem ipsis suam faciem, ostendat seipsum vel consolatione verbi sui, vel patefactione incarnationis, & Euangelij sui. Quod si factum fuerit, nihil amplius reliquum est, quod ipsis ad veram ac æternam salutem desit. Non *Act. 4.* enim aliud nec nomen, nec facies alia data est sub cœlo inter homines, in qua oporteat nos saluos fieri. Et: Euangelion est potentia Dei, ad salutẽ omni credenti.

VSVS HVIVS PSALMI.

Duo sunt populi, è quibus Christus filius Dei suam Ecclesiam colligere solet. Alij sunt Israelitæ, seu circumcisi,

cumcisi, qui è posteritate Abrahæ descenderunt. Et ex his filius Dei collegit Ecclesiam suam, priusquam hominem assumpsisset. Hoc autem non est intelligendum, quòd in veteri testamento nullus alius seruatus sit, nisi fuerit externus Israelita, aut omnes in vniuersum Israelitæ seruati sint. Nam & multi Niniuitæ, ex prædicatione Ionæ Prophetæ, & multi Babylonij, ex prædicatione Danielis, & ex edictis Monarcharum, quæ apud Danielem extant, ac plærique alij, non quidem absque fide in semen Abrahæ, incircumcisi autem, seruati sunt, ac multi Israelitæ seu circumcisi, si fuerunt increduli & impœnitentes, damnati sunt. De
Hiere. 9. quibus Hieremias ait: Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircũcisi sunt corde, sed quòd filius Dei, priusquam incarnatus est, Ecclesiam suam, generaliter, & præcipuè, è gente circumcisa, seu carnali posteritate Abrahæ selegerit. Alij autem populi sunt incircumcisi, quæ sunt Gentes, in toto orbe terrarum dispersæ. Et ex his, quamuis incircumcisis & à republica Israelitica alienis, cœpit filius Dei Ecclesiam suam generaliter colligere, postquam iam hominem assumpsisset, & Euangelion suum, per Apostolos, in totum orbem terræ diuulgasset. Habet autem semper Ecclesia Christi, siue illa in veteri testamento, siue in nouo, hoc est, incarnato iam Christo, & diuulgato Euangelio, suos hostes & inimicos tam corporales, quàm spirituales. Ac veterem quidem Ecclesiam ex Israelitis collectam infestarunt Ægyptij, Philistini, Syri, Moabitæ, Ædomitæ, & multi alij. Recentem autem, quę è gentibus colligitur, infestarunt initiò impiæ aliæ Gentes, & Iudæi, nunc autem infestant eam Turcæ, vt nihil iam de spiritualibus hostibus dicam,

de

de hæreticis videlicet, & Antichristianis, & adhuc spiritualioribus, de satana, peccato, morte & inferno. Contra hos omnes hostes propositus est nobis à Spiritu sancto hic octogesimus Psalmus. Quare, si quis horum fuerit nobis molestus, siue priuatim, siue publicè, properemus ad Christum, & qua debemus fide, dicamus: Qui pascis Israelem, ausculta, qui ducis Ioseph quasi gregem, qui sedes super Cherubim, conspicuus appare. Et: DOMINE Deus Zebaoth, consolare nos, ostende faciē tuam, & seruabimur. Nisi enim Deus pater vellet nos per Christum filium suum seruare, non præscripsisset nobis, nec exigeret à nobis hanc precandi formulam: Spiritus sanctus, qui cum nouerit mentem DOMINI, non est metuendum, ne quod à sententia animi eius abhorreat, nobis præscribat.

Errata octauæ Decadis, sic corrigenda.

Folio 91. linea 3. lege dispereunt. 103. 23. mensorio. 118. 31. pluuiæ. 128. 25. nomini. 138. 21 ait. 142. 9. humano. 160. 10. qui deducis. 180. 13. enataturam. 248. 9. vuam.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Ioanne Brentio.

DECAS NONA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi.
Anno 1568.

PSALMI NONÆ DECADIS.

81. *Exultate Deo adiutori noſtro, &c.*
82. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum.*
83. *Deus quis ſimilis erit tibi.*
84. *Quàm dilecta tabernacula tua DOMINE.*
85. *Benedixiſti DOMINE terram tuam.*
86. *Inclina DOMINE aurem tuam, & exaudi me.*
87. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.*
88. *DOMINE Deus ſalutis meæ.*
89. *Miſericordias DOMINI in æternum cantabo.*
90. *DOMINE, refugium factus es nobis.*

Psalmus 81.

Exultate Deo adiutori nostro, &c.

TRibus partibus constat hic Psalmus. Prima pars cohortatur ecclesiam Dei, vt dies festos in lege Mosi institutos ritè & diligenter peragant. Non enim vnum tantùm dierum festorum genus Moses populo suo præscripsit. Aliud enim fuit Hebdomadarium, quale est Sabbatum: aliud singulis mensibus celebrandum erat, quale est Nouilunium: aliud singulis annis, idq; suis certis anni temporibus, qualia fuerunt dies Paschæ, Pentecostes, Tubarum, Expiationis, & Tabernaculorum: & singulis erant singuli sui ritus, ac sacrificia definita. Hi Dies festi certè erant in Politeia Mosi religiosè obseruandi. Secunda pars huius Psalmi exponit causam, cur hi dies festi fuerint in republica Mosaica celebrandi, videlicet, quòd sint instituti, non humano somnio, sed diuino oraculo. Postrema pars tradit verum & legitimum vsum, ac finem horum festorum dierum. Instituti enim sunt, non quòd Deus externo ocio per se delectetur, nec quòd satisfiat voluntati eius humano gaudio, & carnali iubilatione, sed vt ecclesia his diebus festis admoneatur de præcipuis beneficijs Dei, & retrahatur ab Idolomania, ac contineatur commemoratione & inculcatione diuinæ legis, in officio veræ pietatis. Finis enim præcepti, (hoc est) diuinæ

Exo. 23.
Leui. 23.
Num. 29.
Deut. 16.
Deut. 31.

1. *Tim.* 1. uinæ legis, & omnium legitimarum ordinationum est charitas, (sicut Paulus paucis verbis complectitur) ex puro corde, & conscientia bona, & Fide non simulata. Huc respiciunt Lex & Prophetæ. Hoc vrgent Euangelion & Apostoli, videlicet, vt vnum verum & æternum Deum Patrem inuocantes per vnigenitum filium eius DOMINVM nostrum Iesum Christum, in Spiritu sancto, credamus syncero & integro corde, nos cum Deo Patre, per Christum reconciliatos: & habeamus bonam, alacrem, & tranquillam conscientiam firma spe suffultam, in omnibus siue actionibus siue passionibus, in omnibus rebus nostris siue lætis siue tristibus: habeamus quoq; charitatem erga proximum nostrum. His enim sacris, fide scilicet, spe & charitate absoluitur, quicquid à nobis, vel circumcisio, vel sacra Leuitica, vel dies festi, vel Decalogus, hoc est, vniuersa lex tam moralis & Politica, quàm etiam Ecclesiastica seu Leuitica exigit.

1. *Exultate Deo, Adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.*
2. *Assumite Psalmum, & afferte Tympana, iucundas citharas, cum Psalterio.*
3. *Clangite, in Nouilunio, buccina, in tempore constituto festiuitatis nostræ.*

Prima huius Psalmi pars, & est exhortatio ad rite peragendos dies festos in republica Israelitica: Admoneo, inquiens, vniuersam nostram ecclesiam, vt exultet, & iubilet. Cui? Non idolo alicui Baal, aut Moloch, sed vero Deo, Adiutori, seu Fortitudini, & Robori nostro, adeoq; vt nomen eius expresse indicẽ, Deo Iacob.

Duo

Duo ſunt epitheta, quæ in hoc primo verſiculo, Deo tribuũtur. Alterum eſt, Adiutor, ſeu fortitudo & robur. Hoc eſt ſolenne epitheton Dei, præſertim in Pſalmis, vt Pſalmus 24. Quis eſt iſte rex gloriæ? DOMINVS fortis & potens. Et Pſalmus 27. DOMINVS fortitudo vitæ meæ, quem formidabo? Et iterum Pſalmus 28. DOMINVS fortitudo mea, & ſcutum meum. Ac in multis alijs locis. Dicitur autẽ Deus Fortitudo ſeu Robur noſtrum, quòd cum imbecilles facti ſimus per peccatum, aduerſus mortem & infernum, Deus reddat nos per Chriſtum filium ſuum, ſi in ipſum credimus, fortes & robuſtos, adeoq́ Heroës, vt mortem & infernum in Chriſto vincamus. Alterum eſt Deus Iacob. Eſt & hoc vulgare Dei epitheton, quòd Deus ſingulari fauore complexus ſit Patriarcham Iacobum, & prætulerit eum adhuc in vtero matris exiſtentem, fratri ſuo Eſau. Vnde & poſtea cumulauit eum multis & varijs benedictionibus. Apparuit ei in Bethel, & promiſit ei de ſcala, primùm vniuerſam terram Canaan, & dilatationem ſeminis eius in quatuor orbis partes. Deinde promiſit ei ſemen, in quo cunctæ tribus terræ benedicerentur. Hic eſt Chriſtus DOMINVS noſter. Adhæc, recepit ſe conſeruaturum ipſum, quocunq́ perrexiſſet. Præterea, cum rediret in Patriam, miſit ei obuiam cohortem angelorum, qui tuerentur ipſum, à ſeuicia fratris eius. Adde & illud, quòd Chriſtus ipſe, nondum incarnatus, colluctatus ſit cum eo. In quo certamine, Iacob tam heroica fortitudine contendit, vt reportauerit ex ea lucta cognomen Iſraelis, quod eſt victor Dei, quemadmodum aliâs ſæpè explicatum eſt. Denicq́, Deus maximis & plurimis cœleſti-

bus visionibus, oraculis, & miraculis, testificatus est, se non solùm Iacobum Patriarchã ipsum, verùmetiam familiam & posteritatem eius summo fauore prosequi,
Exo. 4. vt haud immeritò voluerit cognominari Deus Iacob, & vocauerit posteritatem eius, filium suum primogenitum.

Quod si autẽ proprijssimè explicare volueris, Deus
Lu. 1. Iacob, non est alius, nisi Christus DOMINVS noster, quòd & promissus sit venturus è posteritate Iacob, & regnaturus super domum Iacob in æternum, & regni eius non sit finis.

Cæterùm, in diebus festis, nõ est Deo exultandum, & iubilandum voce tantùm simplici, sed etiam, Assumite, inquit, Psalmum seu carmen musicum, & iubete vobis porrigi tympana, similiter alia musica instrumenta, Citheram videlicet & Nablum, quod transferunt interpretes, nunc quidem Lyram, nunc Chorum, nunc Psalterium decahcordon. (etsi alij sentiunt, Psalterium, & decachordon, diuersa esse instrumenta.) Et additur: Clangite etiam Tuba, seu buccina, sicut solet fieri in Neomenia, seu in Nouilunio, & in alijs solennibus festiuitatibus, in lege constitutis, & definitis. In Numeris enim, cap. 10. In die, inquit, lætitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris, & in Calendis, seu Nouilunijs vestris clangetis tubis, super holocaustis, & pacificis vestris, vt sint vobis in recordationem coram Deo vestro. Sed quibus musicis instrumentis vsi sint Israelitæ in ecclesia sua, exponit ferè Psalmus 150. Dies autem festi, qui iuxta constitutionem legis, in Israelitica Politea obseruandi erant, recensentur Exo. 23. Leui. 23. Num. 29. Deut. 16. Quid ergò est, quòd Spiritus sanctus iubeat

iubeat hos festos dies religiosè, & suis ritibus ac cerem-
monijs celebrare? An non Paulus dicit: Ne quis vos Col. 2.
iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut no-
uilunij, aut Sabbatorum? De hoc loco Pauli postea.
Nunc progrediemur in explicatione Psalmi.

4. *Quia legitima ordinatio Israëlis est, iudicium Dei Iacob.*
5. *Testimonium in Ioseph posuit illud, cũ egrederetur de terra Ægypti, in qua linguam, quã non nouit, audiuerat.*
6. *Cum subducerem ab onere humerum eius, & manus eius, à lateribus (faciendis) liberarentur.*
7. *Cum in tribulatione inuocares me, & liberarem te, cum exaudirem te, in tempestate, in qua eram absconditus, cum probarem te ad aquas Meriba.*

Secunda pars Psalmi, qua redditur ratio, cur dies festi celebrandi sint in Israel. Celebrandi enim sunt, non ex humano somnio, non è carnali figmento, sed è diuino statuto, & cœlesti oraculo. Hæc, inquit, festorum dierum celebratio, legitima est ordinatio, iudicium est Dei, & testimonium diuinitus in Ioseph, seu inter Israelitas constitutum. Lex enim à Deo ipso lata iubet dies illos festos sanctè obseruare. (Nam quòd nominibus legitimæ ordinationis, seu statuti, iudicij, testimonij, iustificationis, & alijs id genus vocabulis, Lex Dei significetur, è Psalmo 119. notius est, quàm vt hoc loco pluribus explicetur.) Ac de Sabbato quidem, qui erat dies festus hebdomadarius, extat lex Dei perspicuè in Decalogo: Memento, vt diem Sabbati sanctifices, &c. Et Exod. 16. De institutione autem Paschæ, Exod. 12. & 13. De institutione Pentecostes, hoc est, quinquagesimi

mi diei à festo die Paschæ, Exodi .19. De Neomenijs seu Calendis. Num. 10. & 28. De diebus festis in mense Septembri celebrandis. Num. 29. Vides ergo observationem dierum festorum in Israël, nec temerè, nec humanitus, sed diuinitus constitutam, ac proinde magna religione & sanctitate, iuxta veram sententiã diuinæ legis custodiendam esse. Quo autem tempore hæc obseruatio instituta sit à Deo, consequenter exponit Psalmus: Cũ ingrederetur (inquiens) Ioseph seu Israël de terra Ægypti. Hæc est Chronographia, cum suis aliquot circumstantijs, qua describitur tempus institutionis dierum festorum, vt cognoscamus eam non esse temerè effictam, quales sunt dies festi Ethnicorum, sed singulari consilio Dei commendatam. Ac primùm, etsi obseruatio Sabbati indicata fuit iam inde ab initio conditi orbis, cum dicitur, Deũ compleuisse die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuisse eo die ab omni opere quod patrârat, ac benedixisse, & sanctificasse eum, vt verisimile sit, Patriarchas cœpisse statim ab eo tempore, priusquam Decalogus ferretur, Sabbatum colere: tamen tum primùm collata est obseruatio illa in publicam legem, cũ Israël egrederetur ex Ægypto, & Deus promulgaret Decalogũ suũ in monte Sinai. Sic & de alijs diebus festis notissimũ est, quòd circa tempora egressus Israëlis ex Ægypto, & profectionis eius in deserto, instituti fuerint. Nam cum Israëlitæ adhuc cõmorarentur in Ægypto, Politia eorum nondum erat publicis legibus confirmata, sed hærebant & exulabant in aliena terra, inter incolas, quorum ne linguam quidem rectè cognoscerent, quemadmodum & alius Psalmus testatur: Cum egrederetur, inquiens, de

Psalm. 114.

de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. In hac igitur alieni populi barbarie, non fuit populo Dei integrum, peculiarem instituere rationem gubernandæ reipublicæ, & celebrandi publicè dies festos, vnde Moses & Aheron postulant à Pharaone: Dimitte, inquientes, populum meum, vt festum celebret, seu sacrificet mihi in deserto: sed tum demum cepit Israël in peculiare corpus Politiæ coalescere, & publicis legibus constitui, cum ex Ægyptiaca seruitute liberarentur. Cæterum non est silentio prætereundum, quòd vbi nos transtulimus: Linguam quã non nouit, audierat: ibi Hebræus legit in prima persona, labiũ seu linguam, quam nesciebam, audiui, perinde ac si populus ipse Israël loqueretur. In Hebræo enim sermone, personarum mutationes, vt sunt crebræ & vsitatæ, ita sententiam, pro eius linguæ consuetudine, non solent corrumpere, vt recte transferas, siue dicas in tertia persona, Ioseph audiuit linguam seu sermonem in Ægypto, quem antea non cognouerat, siue in prima persona: Ego populus Ioseph, audiui sermonem, quem antea non cognoueram. Deinde in hac Chronographia, non tantùm dicitur: Cum egrederetur Ioseph de terra Ægypti, verùmetiam additur: Cum subducerem, inquit DOMINVS, ab onere humerum eius, & manus eius à faciendis lateribus liberarentur, Non est enim obscurum, quàm graui seruitute & tyrannide, Israelitæ oppressi sint in Ægypto: Oderant, inquit scriptura, filios Israel Ægyptij, & affligebant, illudentes eis, inuidentes atq; ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti & lateris, omniq; famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Et paulò post: Ingemi-

Exod. 5.

Exod. 1.

Exod. 2. scentes filij Israel, propter opera, vociferati sunt. Ac iterum: Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter
Exod. 5. imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum. Accedebat & illud, quòd non solùm viri opprimerentur laboribus, verùmetiam obstetricibus manderetur, vt masculos Israelitarum in partu interficerent, & publico edicto caueretur, vt quicquid masculini sexus natum esset, in profluentem proijceretur. Cum autem hæc tyrannis aduersus Israe-
Exod. 3. litas ingraueſceret, ascendit clamor eorum, inquit scriptura, ad Deum ab operibus, & audiuit gemitũ eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, & respexit filios Israel, ac liberauit eos. Dicit ergo Psalmus hoc loco: quòd celebratio dierum festorum in Israel instituta sit diuinitus circa illa tempora, quibus subducerem ego DOMINVS humeros vestros ab oneribus Ægyptiacis, & liberarem manus vestras ab implendis luto cophinis, ac conficiendis lateribus. Hæc est periphrasis liberationis Israelitarum à durissima illa tyrannide, qua in Ægypto cogebantur, lutum in cophinis seu corbibus, ad coquendos lateres, humeris suis asportare, & vilissimis quibusq; operibus occupari. Adhæc additur in hac chronographia: Cũ in tribulatione inuocares me, & liberarem te, cum exaudirem te in tempestate, in qua abscondatus eram, cum probarem te ad aquas Meriba. Hæc omnia sunt periphrasis exitus ex Ægypto, & illius temporis, quo Deus Decalogum promulgauit, & Israel cõmoratus est in deserto. Nam quod dicit: Cum in tribulatione inuocares me, & liberarem te, illud ipsum est, quod paulò antè è scriptura cõmemorauimus:

Respexit

Reſpexit DOMINVS filios Iſrael, & liberauit eos. *Exod.2.*
Quod autem dicit: Cum exaudirē te in tempeſtate, in qua abſconditus eram, de illa tempeſtate loquitur, qua Deus, alioqui abſconditus & inuiſibilis, patefecit præſentiam ſuam in monte Sinai, tàm horrendis tonitruis, vt Iſraelitæ conterriti, non ſolùm totis corporibus contremiſcerent, verùmetiam repentinam mortem ſibi imminere arbitrarentur, & ad Moſen exclamarent: Loquere tu nobis, & audiemus. Nō loquatur nobis DOMINVS, ne moriamur. In quo etiam terrore, etſi populus pudefactus, & obſtupefactus, neſciret, quò ſe verteret, Spiritus ſanctus tamen interceſsit proeis, gemitibus inenarrabilibus, & petijt à Deo, verum mediatorem, & ſeruatorem DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum: vt in extrema ſua neceſsitate & internecione ſeruarentur. Sic enim dicit Moſes ipſe ad populum Iſrael: Prophetam inquiens, de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi DOMINVS Deus tuus, IPSVM AVDIES, vt petijſti à DOMINO Deo tuo, in Oreb, quando concio congregata eſt, (Exo.20.) & dixiſti: Vltrà nō audiam vocem DOMINI Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Quod igitur dicit: Cum exaudirem te in tempeſtate, in qua abſconditus eram, hanc habet ſententiam: In promulgatione Decalogi, deſcendi de cœlo, & reuelaui præſentiam meam tanta maieſtate, vt vniuerſus populus animo cōcideret. Etſi enim nullam externam mei formam videbant, tamen audiebant vocem verborum meorum, ad quam ita trepidabant, vt non aliter afficerentur, quàm ſi gladius ceruici eorū immineret, & ipſos ad inferni ignes contruderet. Quantacunq; autem fuerit trepidatio & cōfuſio animi

Exod.20. *Deut.5.* *Deu.18.* *Deut.4.*

Rom.8. corum, tamen ego, qui scrutor corda, audiui vocem spiritus, intercedentis pro ipsis, inexplicabili gemitu, & petentis longè alium mediatorem, quàm Mosen, propterea quòd Moses erat quidem ordinatus inter me & populum, vt ferret legem & constitueret externam Politiæ formam in Israel, nõ erat autem verus ille mediator, qui peccata per legem ostensa expiaret, & populum ab æterna morte liberaret. Quare exaudiui gemitum spiritus eorum, & promisi eis, post promulgationem Decalogi, Prophetam, Christum videlicet, vnigenitum filium meum, qui suo tempore ex muliere homo factus, liberaret homines, decalogo obnoxios, & donaret eos æterna vita ac salute. Postremò additur & alia temporis circumstantia: Cum probarem, inquit, te ad aquas Meriba. Hæc historia scripta est Exod.17. & Num.20. Postquam enim Israelitæ posuerunt castra in Raphidim, & caruerunt aqua, iussit DOMINVS excitatus murmure populi, Mosen, virga sua percutere Petram. Ecce igitur rem mirandam. Petra continuò effundit tantam aquæ copiam, vt tàm populus, quàm iumenta haberent abundanter, quod biberent. Et quia in eo loco Israelitæ contenderunt contra Mosen, & tentauerunt Deum, idcirco in monumentum rei gestæ, locus dictus est Massa (hoc est) tentatio: & Meriba (hoc est) contentio seu contradictio. Meminit autem huius historiæ Psalmus, singulari consilio Spiritus sancti, in hoc loco. Paulo enim antè fecit mentionem illius exauditionis, qua exauditus est Israel, in petitione veri mediatoris DOMINI nostri Iesu Christi. Addit igitur confestim historiam illam, quæ est ad petram Meriba seu contradictionis gesta, & qua exponitur

reiectio

reiectio Mosi ab officio veri mediatoris, propter incredulitatem, vt cognoscamus, quòd etsi Moses habet suam gloriam, in promulganda lege, & in ducendo populo Israelis per desertum: tamen quod ad veram redemptionem & salutem attinet, non est ipse, nec redemptor, nec seruator, quòd & ipse fuerit incredulus: sed hæc gloria pertineat ad solum Prophetam illum DOMINVM Iesum Christum, qui in tempestate promulgationis Decalogi promissus est. Hæc autem omnia ideo commemorantur, vt describatur tempus, quo dies festi in Israel instituti sunt, & manifestè cognoscatur, quòd instituti sint non humano somnio, sed diuino spiritu, & cœlesti oraculo, ideoq; necesse sit eos, in sua Politeia, & pro ratione suæ institutionis, religiosè & sancte obseruare.

8. *Audi populo mi. Admoneo te, ô Israel, vt obedias mihi.*
9. *Non sit in te Deus extraneus, & non adores Deum alienum.*
10. *Ego sum DOMINVS Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Dilata os tuum, & implebo illud.*

Hæc est tertia pars huius Psalmi, in qua exponitur verus & legitimus vsus dierum festorũ. Instituti enim sunt dies festi diuinitus, non vt populus ignauo otio indulgeat, & delitijs studeat, sed vt sint monumenta beneficiorum Dei, & vt ecclesia populi Dei in vera doctrina de Deo conseruetur, ac ab idolomania abstrahatur. Nam præcipua, & maximè omnium obseruabilis, doctrina de Deo, & vero cultu Dei, extat in primo præcepto Decalogi, quæ & in his verbis commemoratur: Ego sum, inquit, DOMINVS Deus tuus, qui

Exod. 20. te eduxi de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non ha-
Deut. 6. bebis alienos Deos coram me. Et iterum: Audi Israel, DOMINVS Deus vester, Deus vnus est. Diliges DOMINVM Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Ad hanc autem doctrinam & legem conseruandam, inculcandam, instillandam, infundendam, & animis nostris infigendam, instituta est de cœlo obseruatio dierum festorum. Vt enim eos breuiter perstringamus, dies festus Sabbati institutus fuit, vt conseruetur beneficium & memoria creationis cœli & terræ, ne quis arbitraretur, pro Ethnicorum ingenio, hunc mundum ab æterno constitisse, & vt solus ille Deus, qui cœlum & terram condidit, coleretur, ac adoraretur. Sic enim verba Decalo-
Exo. 20. gi monent: Memento, vt diem Sabbati sanctifices. Et mox: Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt: Et requieuit die septimo. Idcirco benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit
Exod. 12. eum. Dies festus Paschæ institutus fuit, vt esset monumentum insignis illius beneficij, quo Israelitæ multis & stupendis miraculis ex Ægyptiaca tyrannide liberati erant, & vt admonerentur memoria tanti beneficij, de sectando vero cultu Dei, & fugienda idolomania: Mementote, inquit Moses, diei huius, in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam manu forti eduxit vos DOMINVS de loco isto.
Exod. 13. & 12. Et mox: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, ET VT LEX DOMINI SEMPER sit in ORE TVO. Dies festus Pentecostes institutus fuit, vt esset monumentum promulgationis Decalogi in monte Sinai, & commonefaceret Israelis-

tas

tas obedientiæ ſuæ, quæ diuinæ legi ſemper eſſet præſtanda: Habebitis, inquit lex, hunc diem celeberrimum & ſanctiſsimum. Omne opus ſeruile non facietis in eo, legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus veſtris. Ac aliâs: celebrabis diem feſtum hebdomadarum DOMINO Deo tuo. Et mox: Epulaberis coram DOMINO Deo tuo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuites, qui eſt intra portas tuas, & aduena, & pupillus & vidua, qui morantur vobiſcum, in loco quem elegerit DOMINVS Deus tuus: vt habitet nomen eius ibi, & recordaberis, quoniam ſeruus fueris in Ægypto: CVSTODIESQVE AC FACIES, QVAE TIBI PRAECEPTA SVNT. Idem ſentiendum eſt de inſtitutione reliquorum dierum feſtorum, qui celebrabantur in menſe Septembri, & deſcribuntur in Numeris cap. 29. ac imprimis de feſto Tabernaculorum, de quo illa peculiariter obſeruanda ſunt. Primùm, quod Leui 23. ſcriptum eſt: Menſe ſeptimo feſtum celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus. Omnis qui de genere Iſrael eſt, manebit in tabernaculis, vt diſcant, poſteri veſtri, quòd in tabernaculis habitare fecerim, &c. Deinde notandũ eſt & illud, quod in Deu. cap. 31. ſcribitur: Poſt ſeptem (inquit lex) annos remiſsionis, in ſolennitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex filijs Iſrael, vt appareant in conſpectu DOMINI Dei tui, in loco, quem elegerit DOMINVS, LEGES verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis, & in vnum OMNI populo congregato, tàm viris, quàm mulieribus, paruulis & aduenis, qui ſunt intra portas tuas VT AVDIENTES DISCANT, & TIMEANT DOMI-

Leuit. 23.

Deut. 16.

DOMINVM Deum veſtrum, & cuſtodiant, impleantq; omnes ſermones legis huius. Filij quoq; eorum, vt audire poſsint, & timeant DOMINVM Deum ſuum cunctis diebus, quibus verſantur in terra, &c. Habes igitur ex his perſpicuè, quòd dies feſti in Iſrael inſtituti fuerint, non temerè, ſed diuino Spiritu: idq; non quòd DOMINVS per ſe delectaretur otio corporali, ſed vt celebrationibus eorum, memoria præcipuorũ & inſignium miraculorũ conſecraretur, & doctrina de vero cultu Dei, non tàm apud præſentem ætatem conſeruaretur, quã ad poſteritatem propagaretur. Et quia in lege DOMINI, illa vna eſt è præcipuis: Audi Iſrael DOMINVS Deus tuus, Deus vnus eſt, &, non ſit inte, vel extraneus, vel alienus Deus, ſed ille tantùm Deus colatur, qui te eduxit de terra Ægypti, &c. Idcirco, ſciamus omnes dierum feſtorum obſeruationes illud vnũ vrgere, vt caueamus ab Idolomania, & ſectemur verum veri Dei cultum religioſiſsimè. Cæterum, quod in decimo verſiculo additur: Dilata os tuum, & ego implebo illud, non eſt otiosè adiectum. Dies enim feſti ſunt monumenta (quemadmodum dictum eſt) inſignium miraculorum & beneficiorum Dei, & ſunt teſtimonia ſummæ Dei beneuolentiæ, erga eccleſiam ſuam, vt quotquot eos ex fide celebrauerint, & doctrinam Dei, quæ in ijs commemorari ſolet, cuſtodierint, tàm accepti ſint DOMINO Deo noſtro, vt quacunq; de re Deum inuocauerint, & opem eius imploraue rint, voti ſui compotes fiant: Dilata, inquit, os tuum, & ego implebo illud, (hoc eſt) Hortatus ſum te, vt dies feſtos, quos præcepi, ſanctè obſerues, & doctrinã eorum, præſertim illam, quæ eſt de cauenda idolomania, diligen-

diligẽtiſsimè cum animo tuo conſideres. Quòd ſi ergo monitis meis obſecutus fueris, nihil iam erit, quod non precibus tuis à me impetraueris. Dilata ſaltem os tuum, pete à me, quæcunque volueris beneficia, quamuis multa, quamuis magna, ego petitionem tuam exaudiam, & deſiderio tuo ſatisfaciam. Obſeruabilis promiſsio, quæ tamen non nunc primùm eccleſiæ Dei cognoſcenda proponitur. Deus enim iam ab initio tàm beneuolenter erga eccleſiam ſuam, & verè in ipſum credentes, affectus eſt, vt promptior ſit ad conferendam ei opem in aduerſis, quàm ipſa ad petendam: & plura ac maiora beneficia accipienda offerat, quàm quiſquam vel ſperare, vel etiam optare audeat. Quæ eſt alia natio tàm grandis, inquit Moſes, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deos noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Et in Pſal. 145. Propè eſt DOMINVS omnibus inuocantibus eũ, inuocãtibus eũ in veritate. Voluntatem timentiũ ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Et apud Eſaiã: Antequã clament, inquit DOMINVS, ego exaudiã, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Huc etiam faciunt promiſsiones, quæ de precum piarum exaudi-tione, in nomine Chriſti, apud Euangeliſtas extant. Quare illud ſit vnum ac præcipuum noſtrum ſtudium, vt ſimus populus, ſeu eccleſia Dei, & inuocemus DOMINVM Deum noſtrum, in nomine vnigeniti filij eius DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Sic enim fiet, vt quantumcunque dilatauerimus os noſtrum, & quæcunque precati fuerimus, exudiat nos clementiſsimus Deus Pater noſter, ſi non iuxta carnalem noſtram voluntatem, certè iuxta ſpiritualem noſtram vtilitatem, & ve-

ram ſalutem. Atque hæc quidem de feſtorum dierum celebratione in Iſrael, quos hortatur Pſalmus obſeruare, in exultatione, iubilatione, in canticis, tympanis, citharis, Pſalterio, & buccina: nō certè in hunc finem, vt ſentiamus, quemadmodū ſupra aliquoties admonuimus, Deo ſatisfieri, & Deum placari noſtra carnali lætitia, & gaudio, ſed vt his ritibus, & ceremoniis doctrina verè pia, de vero cultu Dei, in illuſtri loco collocetur, et inſigniatur, quò eccleſia Dei excitetur et inflammetur: vt quod debet obſequium, obedienter ei præſtet. Quid autem dicemus de diebus feſtis in Chriſtianiſmo, de feſto natiuitatis Chriſti, de paſchate, de aſcenſu Chriſti in cœlum, de Pentecoſte, & id genus aliis diebus feſtis in Chriſtianiſmo vſitatis? Hi quidem dies feſti, non idcirco celebrandi ſunt, quòd lex Moſi aliquot eorum inſtituerit, aut quòd ſint iuxta Moſaicos ritus obſeruandi. De his enim dicit Paulus, q̄ antè recitauimus: Ne quis iudicet vos in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbatorū quę ſunt vmbra rerū futurarū, corpus autem Chriſti. Et tamen doctrina de natiuitate Chriſti, de paſsione & reſurrectione eius, deq̄ aliis articulis, qui in verè catholico & orthodoxo religionis noſtræ ſymbolo continentur, valdè neceſſaria eſt: vt non tantùm præſenti eccleſiæ rectè explicetur: ſed & ad poſteritatem tranſmittatur. Quare, cum in eccleſia, iuxta Paulum, omnia debeant fieri ad ædificationem, decenter, & ſecundum ordinem, charitas ipſa, & vtilitas, adeoq̄ vt ſunt hominum mores, neceſsitas etiam exigit, vt hi feſti dies, iuxta Chriſtianam libertatem, tantiſper religiosè

Col. 2.

1. Cor. 14.

religiosè obseruentur, dum piæ doctrinæ conseruandæ & propagandæ seruiunt.

Sed reuertamur ad Psalmum. Deus promulgauit legem in Israel, ac seueriſsimè præcepit: vt vnum solum verum Deum colerent, ac fugerent idolomaniam. Et hanc legem ita inculcauit, vt proponeret eam non verbis tantùm, sed etiam fulguribus & tonitruis. Nec his contentus: Verùmetiam commendauit eam publicis festis, ac insignibus solennitatibus. Quid ergo factum est? Num Israel morem gesit, & legi ac voluntati Dei obedienter gratificatus est? Nihil verò minus. Sic enim sequitur.

1. *Non audit populus meus vocem meam, & Israel non acquieſcit mihi.*

Hæc non est noua, sed vetus querela de rebellione & impietate populi Israelitici: Ex eo die, inquit Moses, quo egressus es ex Ægypto, vsque ad locum istum, SEMPER aduersus DOMINVM contendisti. *Deut. 9.* Et Stephanus: Duri, inquit, ceruice, & incircumcisi corde & auribus, vos SEMPER Spiritui sancto resistitis: vt Patres vestri, & vos &c. *Acto. 7.* Quid est effrenata recalcitratio, si hæc non est? Israelitæ nec beneficijs, nec supplicijs, in officio continentur. Quid ergo vicissim DOMINVS? Num dimittet eos impunes? Nihil minus. Etsi enim non continuò grassatur in eos, aut fame, aut bestijs, aut gladio, aut pestilentia, quæ Ezechiel vocat iudicia Dei pessima, tamen affligit eos grauiori supplicio. Additur enim. *Ezech. 14.*

12. *Dimisi eos in obstinatione cordis sui, vt ambulent in suis ipsorum consilijs.*

Hoc est supplicium longè omnium grauissimum, ac planè illud, quod & Paulus testatur idololatris gentibus, propter idolomaniam suam euenisse: Cum Deum, inquiens, cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Ac mox: Tradidit Deus illos per cupiditates cordium suorũ in immundiciam, vt ignominia afficiant corpora sua inter se mutuò. Et iterum: Tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent, quæ non conueniebat, repleti omni iniustitia. Quod Paulus dicit: Tradidit illos Deus in cupiditates cordium suorum, & in reprobam mentem, hoc Psalmus dicit: Dimisi eos in obstinatione, seu duricia, & prauitate cordis sui, vt ambulent iuxta sua ipsorum consilia. Quo certè supplicio nihil potest grauius & seuerius cogitari. Cor enim hominis natura sua deprauata, plenum est impietate, idolomania, & omni genere scelerum: Cogitatio, inquit DOMINVS in Genesi, cordis humani, mala est ab ineunte ætate. Et Christus: Ex corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, falsa testimonia, cõuitia. Cum igitur cor humanum relinquitur suo ingenio, & traditur suis cupiditatibus, consilijs & studijs, nihil aliud, præter malorũ lernam, ex eo scaturire & emanare videas, vt homines reipsa declarent, se esse, quod Paulus dicit, repletos omni iniustitia, scortatione, versutia, auaritia, malitia, plenos inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, susurrones, obtrectatores, Dei

Rom.1.

Gen.8.

Matth.15.

Rom.1.

Dei oſores, contumelioſos, & quis hoc Augiæ ſtabulum, æquo animo, vel ſaltem verbis paulò copioſius attingere, vel oculis aſpicere poſſet? Vbi autem tàm multa, tàm horrenda ſcelera deſignantur, fieri non poteſt, quin Deus ad ſeueriſsimã iram, & ad immittenda grauiſsima ſupplicia excitetur. Quare nihil poteſt homini exitialius contingere, quàm ſi à DOMINO relinquatur cupiditati ſui cordis, & animi ſui deſideriis.

Sed nunquid illis, qui ſic diuinitus puniuntur, nulla reliqua eſt apud Deum ſalutis via? Donec quidem ambulant in cupiditatibus cordium ſuorum, ſemper in peius proficiunt, vt Paulus ait: Sed ſi conuerſi fuerint ad DOMINVM, tantum abeſt, vt reſciantur, & pereant, vt potius ambabus, quod aiunt, vlnis, magno gaudio, reuertentes ad Patrem, excipiantur, & prolata prima ſtola, ac dato annulo, (quod Lucas de adoleſcente luxu perdito commemorat,) ornentur. Sic enim ſequitur. 1. *Tim.* 3.

13. *Si populus meus audiret me, ſi Iſrael in vijs meis ambularet.*
14. *Breui inimicos eorum humiliarem, & aduerſus hoſtes eorum verterem manum meam.*
15. *Oſores DOMINI fruſtra conarentur aduerſus eum, tempus autem ipſius (hoc eſt) populi mei, eſſet æternum.*
16. *Et cibarem eos optimo frumento, & ſaturarem eos melle de petra.*

Hi vltimi verſiculi ſunt cohortatio ad conuerſionem ab idolomania, & ad agendam veram pœnitentiam. Repetuntur autem promiſsiones ex lege, quibus *Leuit.* 26.

Deu.28. impij ad pœnitentiam excitentur: Si audieris, inquit lex, vocem DOMINI Dei tui, dabit DOMINVS inimicos tuos, qui consurgent aduersus te, corruentes in conspectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Ac rursus: Persequentur quinq; de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia. Et iterum: Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum: vt sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Sententia igitur horum versiculorum est: Si populus meus Israel ageret veram pœnitentiam, & ambularet, abiecta idolomania, in vero cultu Dei, nihil de benedictionibus, quas promisi eis, subtraherem, sed præstarem cumulatius, quàm sperare possent. Efficerem enim, vt hostes eorum, si quos haberent, breui tempore opprimerentur, & conuerterem omnem iræ meæ impetum in caput aduersariorum eorum. Efficerem etiam, vt impij illi osores DOMINI Dei (hoc est) populi mei, frustrà susciperent, quicquid consiliorum aduersus eum conarentur: populus autem meus Israel, perpetuò tempore feliciter, in summa tranquillitate, vitam ageret. Cibarem enim eos medulla tritici, seu optimo frumento, & saturarem ipsos abundantissimè, ac si non aliundè alimentum suppeteret, exhiberem vel è durissima petra, non aquam tantùm, verùm etiam lac & mel. Vsitatum autem est, nomine benedictionum legis intelligere benedictiones Euangelij. Etsi enim non est dubiũ, quin agentibus pœnitentiam, seu pijs, promissa sint diuinitus etiam bona corporalia: tamen quæ benedictio promissa est in semine Abrahæ, hoc est, in Christo: intelligenda est de benedi-

Deut.23.

ctione

ctione ſpirituali, ſeu de remiſsione peccatorum, & de vita æterna: quemadmodum ſæpenumerò explicatum eſt: Quòd ſi aliquid corporalis benedictionis contigerit pijs in hoc ſeculo, id deputandum eſt in lucro: & ſciendum, quòd cùm Chriſtus apud Euangeliſtas promittit, illos, qui ſua & Euangelij cauſa, reliquerint domos, agros, fratres, & alia corporalia beneficia, recepturos, etiam in hoc tempore & ſeculo, centupla, *Marc. 10.* diſertè addat: μετὰ διωγμῶν, cum perſecutionibus. Pij enim duplici nomine ſubiecti ſunt cruci in hoc ſeculo. Altero: ex generali maledictione, cui vniuerſum humanum genus obnoxium eſt, iuxta illud: Terra proferet tibi ſpinas, & tribulos: in laboribus comedes ea cunctis diebus vitæ tuæ. Altero, è ſpeciali ſententia in eccleſiam Chriſti lata: in mundo, inquit Chriſtus, afflictionem habebitis. Et: Oportet nos per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum. Ac iterum: Omnes, qui piè voluerint viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Quare, ſicut in promiſsionibus corporalium benedictionum, ſemper nobis reſpiciendum eſt, in benedictiones ſpirituales & cœleſtes, quæ ſunt propriæ regni Chriſti, ita in poſſeſsione corporalium benedictionum, ſemper meminiſſe debemus regulæ Pauli, qui ad Corinthios ſcribens: Tempus, inquit, contractum eſt: ſupereſt, vt qui *1. Cor. 7.* habent vxores, ſint tanquam non habeant, & qui plorant, tanquam qui non plorent, & qui gaudent, tanquam non gaudeant, & qui emunt, tanquam non poſsideant, & qui vtuntur mundo hoc, tanquam non vtantur.

VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Duo insignia continentur in hoc Psalmo: quorum vnum est, verus & legitimus vsus dierum festorum in Israel, quem suprà copiosè expositimus. Sunt enim dies festi monumenta veterum miraculorum, quorum admonitu cognosamus verum Deum, & colamus eum ijs sacris, quæ nobis doctrina verbi eius præscribit. Sanctificatio igitur horum dierũ, non tàm constat corporis ocio, quàm mentis vocatione, vt intenti in doctrinam Dei, seruiamus ei ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine nostra, (hoc est) credamus in eum, confidamus clementiæ eius, inuocemus nomẽ eius, speremus in eum, expectemus æquo & forti animo in omnibus aduersis opem eius, & diligamus proximum nostrum, in gloriam eius, per DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Alterum est cohortatio ad agendam veram pœnitentiam, cui conueniunt tàm Propheticę quàm Apostolicę conciones:

1. *Cor.* 1.

Esa. 1 Si volueritis, inquit DOMINVS per Esaiam, & audie-
Hier. 3. ritis me, bona terræ comedetis. Et per Hieremiã vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: TAMEN reuertere ad me, dicit DOMINVS,

Ezech. 18. & EGO SVSCIPIAM te. Et per Ezechielem: Si impius egerit pœnitẽtiã ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, & custodierit omnia prȩcepta mea, & fecerit iudicium

iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor. Et in Matthæo: Non veni, inquit Chriſtus, ad vocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Ac iterum: Gaudium erit coram angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Quomodo autem vera agatur pœnitẽtia, ſuo loco copiose explicatur. Quare ſi defecerimus à Deo vel impietate, vel iniquitate, reliquum eſt, vt reuertamur ad eum per pœnitentiam, & cibabit nos, quod Pſalmus ait, de adipe frumenti, & ſaturabit nos melle de petra.

Pſalmus 82.

Deus ſtetit in Synagoga Deorum, &c.

HIc Pſalmus non ſolùm inſignis eſt publica autoritate, quòd contineatur in catalogo canonicorum Pſalmorum, verùmetiam allegatione DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Nam, cùm Chriſtus apud Ioannem accuſaretur à Iudæis blaſphemiæ, quòd Deum, patrem ſuum dixiſſet, defendit ſe ex hoc Pſalmo: Nonne, inquiens, ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, dij eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura? Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos ne me dicitis blaſphemare, quia dixerim, filius *Ioan. 10.*

Dei ſum? Sit igitur hic Pſalmus nobis de meliori nota commendatus.

Inſtituit autem Spiritus ſanctus in hoc Pſalmo grauem querelam, aduerſus magiſtratum & iudices, quòd cùm Deus ornauerit ipſos illuſtri maieſtate & potentia, vt tueantur quidem iuſtos, & miſeros, iniuſtos autem & petulantes coerceant, ipſi planè inuertant, & potentia ſua ad opprimendos iuſtos, & ſubleuandos iniuſtos, tyrannicῶs abutantur. Deorum enim nomine, hoc loco intelligendi ſunt principes ſeu magiſtratus & iudices, qui diuina ordinatione vocantur, vt quod iuſtum eſt iudicent: Siue ciuis ſit ille (inquit lex) ſiue peregrinus, nulla ſit diſtantia perſonarum. Ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia DEI iudicium eſt. Vnde & Moſes dictus eſt Deus Pharaonis, quòd electus eſſet, vt, quod de Pharaone iudicaret, & decerneret, re ipſa compleretur. Et aliῶs publici & ordinarij iudices, vocantur Dij: Si ſeruus dixerit, diligo Dominum meum, vxorem & liberos, non egrediar liber, offerat eum Dominus Dijs, hoc eſt, legitimis & ordinarijs iudicibus. Ac mox, cap. 22. Dijs (hoc eſt) magiſtratui ſeu iudicibus, non detrahes, & principi populi tui non maledices. Vocantur autem magiſtratus Dij, non quòd natura ſint Dij: ſed primùm, quòd officium ipſorum ſit vocatio Diuina, iuxta illud Pauli: Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Deinde, vt admoneantur hoc epitheto ſui officij: Videte (inquit Ioſaphat ad magiſtratus regni ſui) quid faciatis, Non enim hominis exercetis iudicium, ſed DOMINI, & quodcunq; iudicaueritis, in vos redundabit.

Deut.1.

Exo.7.

Exod. 21.

2.Chro.19.

dabit, &c. Quare magiſtratus non habet hoc epitheto, quòd ſibi blandiatur & arroget, ſed habet potius, quod metuat, & timorem DOMINI concipiat: ne, ſi dignitate, & potentia, ſua abutatur, tantò turpius corruat, quanto altius euectus eſt.

1. *Deus ſtat in cœtu Dei, in medio Deorum iudicat.*

Paulò antè dicebamus, quòd nomine Deorum hoc loco intelligendi ſint principes, magiſtratus, & iudices. Et cœtus, ſeu ſynodus & concilium Dei, dicitur congregatio magna Procerum, aut Principum, & Heroum, ſicut & aliâs Montes Dei dicuntur montes magni: & Cedri Dei, cedri proceriſsimæ & altiſsimæ. Inſtitutus enim eſt hic Pſalmus contra Principes & Iudices, qui potentia & magiſtratu ſuo abutuntur ad tyrannidem, ad corruptionem iudiciorum, & ad oppreſsionem pauperum ac miſerorum hominum, & minatur eis, niſi iuſtè rempublicam adminiſtrent, extremam internecionem. Multa enim ſunt, quæ ſolent Magiſtratum ad tyrannidem & crudelitatem inuitare, ac quodammodo ſollicitare. Primùm, quòd homo natura ſua ita corruptus ſit, vt efferat ſeſe ſupra alios, & in eos dominari cupiat. Deinde, ſi hæc cupiditas armata fuerit autoritate, dignitate, & potentia, tantò magis ſeſe profert, quanto maiorem habet occaſionem. Accedit & illud, quòd tanta ſit vulgi moroſitas, vt vix fieri poſsit, quin in eo gubernando animus principis, alioqui æquiſsimus, vltra ſepta officij ſui tranſiliat. Sed Spi- *Pſalm. 80.*

ritus ſanctus retrahit eos hoc Pſalmo ad ſuas metas, & admonet, vt meminerint, ſe non eſſe ſupremos terræ dominos, ſed habere DOMINVM Deum noſtrum ſuperiorem, cui ſint adminiſtrationis ſuæ rationem reddituri: Deus, inquiens, ſtat in ſynodo ſeu congregatione Dei, in medio Deorum iudicat. Illud vult dicere: Vos Principes, Magiſtratus, & Iudices, qui poteſtate veſtra ad opprimendum populum abutimini, alloquor. Arbitramini, vos ſummam habere in terris poteſtatem, imo arbitramini vos ſolos eſſe homines, quibus pro ſuo quodam iure liceat, quod libeat: nec neceſſe habeatis cuiquam factorum veſtrorum rationem reddere? Sed ne erretis. Vos non eſtis domini iſti αὐτοκράτορες, quibus conceſſa ſit poteſtas faciendi, quod velint. Eſt alius, Rex videlicet regum, & Dominus dominantium, verus DOMINVS Deus noſter, qui vt ſuperat vos omnes ſapientia & potentia, ita etiam ſubſiſtit, & conſtat firmus in ſua maieſtate, inter omnes Principes, Reges, & Monarchas, qui diuinitus ſunt ad gubernandam rempublicam conſtituti, & in quorum medio primas ipſe ſemper iudicandi ac dominandi partes tenet. Habes igitur in hoc primo verſiculo deſcriptionem maieſtatis Dei, quòd etiamſi communicet cum principibus & regibus huius terræ cognomen Dei, & ordinauerit eos, vt iudicent terram, hoc tamen non eò intelligendum eſt, quòd ipſe abdicauerit ſe maieſtate ſua, & deſeruerit gubernationem regni, ſed vt admoneat eos ſui officij, ne ſua poteſtate ad perniciem humani generis, cuius

cuius ſalutem procurare debent, abutantur. Interim autem ſuam ſemper ſibi autoritatem iudicandi, & maieſtatem dominandi retinet, vt Principes & Iudices non fiant ex vocatione ſua magiſtri, ſed miniſtri, non domini, ſed ſerui, qui neceſſe habeant DOMINO Deo, exactam miniſterij & ſeruitutis ſuæ rationem reddere: Stat DOMINVS, inquit Eſaias, ad iudicandum, & ſtat ad iudicandos populos, DOMINVS ad iudicium venit cum ſenibus populi ſui, & principibus eius. Et in Daniele: Sapientia (inquit) & fortitudo, eius ſunt. Et ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit. Ac iterum: Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Quare non eſt ſentiendum, DOMINVM Deum noſtrum deſeruiſſe gubernationem regnorum, quòd inſtituerit Reges, Principes, & Magiſtratus in adminiſtros, ſed potius, quia hos inſtituit, curam eorum, pro diuina ſua maieſtate, ſemper ſuſtinere pergat. *Eſa.3.* *Danie.2.* *Dan.4.*

2. *Quouſque iudicatis iniquè, & perſonas impiorum ſuſcipitis?*

In Deuteronomio (quod paulò antè commemorauimus) ſcriptum eſt de Principibus & Iudicibus: Audite cauſam fratrum veſtrorum, & iudicate iuſtè inter virum & fratrem eius, atque inter peregrinum eius. Nullam perſonam in iudicio accipiatis. Ita paruum audietis, ſicut magnum: nec agnoſcatis cuiuſquam perſonam, quia DEI iudicium eſt. Repetitur autem hoc *Deut.1.*

Leuit. 19. præceptum ſæpenumerò, in Lege DOMINI. Exe-
Deut. 16. probrat igiť Pſalmus Magiſtratui & Iudicibus, quòd,
2. *Para.* 19. quæ tàm ſeueriter in Lege diuina exiguntur, temerè ipſi & improbè violent: Quouſq; inquiens, iudicatis iniuſtè? quouſq; peruertitis iudicium, quod tamen non eſt veſtrum, ſed DEI? Quouſq; tandem accipitis perſonam impiorum? Cogitatis fortaſsis, vos peruerſo & prauo veſtro iudicio, & perſonarum acceptione, non in DEVM ipſum, ſed tantùm in homines abiectos, qui nullius ſint, vel ſortis, vel momenti, peccare. Et quia hi homines non ſunt in hoc ſeculo multa autoritate, ac magna dignitate ornati, nec diuitijs inſignes, arbitramini eos coram DEO eſſe tàm protritos & conculcatos, quàm ſunt coram hoc mundo contempti? Sed ne erretis. Quos vos iudicatis omnium viliſsimos, horum DEVS tantam habet rationem, vt quicquid mali, peruerſis veſtris iudicijs, in eos deſignaueritis, in caput veſtrum recidat: Quodcunq; iudicaueritis, inquit rex Ioſaphat, in vos redundabit. Quid igitur faciamus? Sequitur.

3. *Præſtate iudicium pauperi & pupillo, defendite afflictum & egenum.*

4. *Eripite inopem & pauperem, liberate eum de manu impiorum.*

Quid breuius ſimul & explicatius de boni Magiſtratus officio dici poteſt? Magiſtratus enim inſtitutus eſt diuinitus, non propter ſeipſum, ſed propter pupillos & viduas, propter pauperes, afflictos, egenos, inopes, & miſeros: vt ab iniuria potentiorum

orum, diuitum, & impiorum defendantur: Quærite, inquit Esaias, iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et Hieremias: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & viduam, nolite contristare, neq; opprimatis iniquè, & sanguinem innocentem ne effundatis, &c. Quid multis opus? Officium boni magistratus, vt perspicuè extat tàm in Propheticis quàm in Apostolicis scriptis explicatum: Ita publica est querela, pauciſsimos esse magistratus, qui suum faciant officium. Non omnino vanum est, quod quondam ex Ethnicis quispiam dixit: in vno annulo, bonos principes omnes sculpi posse. Et alius: multos esse Tyrsigeros, paucos verò Bacchos. Quibus dictis significabatur, multos quidem esse reges, principes, & magistratus, sed qui fungantur suo munere perpaucos admodum. Hoc idem & Psalmus noster queritur. *Esa.1.* *Hier. 22.*

5. *Non agnoscunt (inquiens) nec intelligunt, qui in tenebris ambulant (ideoq;) mouentur omnia fundamenta terræ.*

Etsi enim extant in sacris literis pulcerrimæ leges, & perspicua documenta de officio principum & magistratuum, ac in primis Regi ipsi mandatur, vt habeat secum volumen Legis, legatq; illud omnibus diebus vitæ suæ, quò discat timere DOMINVM Deum suum: tamen, quos quæso inuenias inter eos, qui ista requirant, agnoscant, curent, & studeant, vt tàm rectè intelligant, quàm probè, quod debent, efficiant, & non potius pergant vsq; in tenebris, in imperi- *Deut. 17.*

imperitia, in ſtupiditate, in peruicacia ſua ambulare? Hinc eſt, quòd cum Principes & Magiſtratus officium ſuum tàm negligenter, tàm oſcitanter, & tàm malitiosè faciant, omnia terræ fundamenta moueantur: hoc eſt, tota ipſa regna concidant, & reſpublicæ interean. Rex iuſtus, inquit Salomon, erigit terram: Auarus autem (hoc eſt) rex exactor & crudelis, deſtruet eam. Et mox: Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Ergò rex iniuſtus, & pauperum oppreſſor, ſubuertet tam thronum, quàm regnum ſuum: & apud Eſaiam: Principes tui infideles, ſocij furum: Omnes diligunt munera, inhiant donis, pupillo non iudicant, cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait DOMINVS Deus Zebaoth, fortis Iſrael: Heu, ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis, &c. Et apud Hieremiam: Cauſam viduæ non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit DOMINVS? aut ſuper Gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea? Breuiter: Pleni ſunt Prophetarum libri hac querela, quòd peruerſa & iniqua Magiſtratuum iudicia ſubuertant fundamenta terræ, (hoc eſt) ſint authores interitus regnorum & rerumpublicarum. Quare Magiſtratus impius & crudelis tantò grauius & horribilius à DEO puniri ſolet, quanto altius & illuſtrius eſt dignitatis & poteſtatis faſtigium, in quo diuinitùs ſunt collocati. Vnde & Pſalmus addit.

Pro. 29.

Eſa. 1.

Hiere. 5.

6. *Ego dixi (quidem,) Dij eſtis, & filij excelſi omnes vos.*

Sed

7. *Sed ſicut Adam moriemini, & ſicut vnus quiſpiam tyrannorum cadetis.*

Ornaui quidem vos reges, principes, & magiſtratus inſigni epitheto: vocaui vos Deos, & filios altiſsimi, (quemadmodum ſuprà dictũ eſt) ſed quia aburimini veſtra poteſtate ad tyrannidem & ad oppreſsionem pauperum, idcirco eò turpius & fœdius de maieſtate veſtra deijciemini. Primùm enim moriemini, ſicut Adam. Non eſt ignotum, in quanta maieſtate Deus collocauerit initio Adamum. Condidit eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quod quid aliud erat, quàm quod ipſum condiderit Deum, non quidem NATVRA, ſed, vt ita dicam, contrafactura. Adhæc, benedixit eum, vt multiplicaretur, & fecit eum dominum terræ, & omnium animantium. Collocauit præterea eum in Paradiſo, vt veſceretur quouis fructu arborum, etiam vitæ, tantummodo, vt abſtineret à fructu arboris ſapientiæ. Quanta hæc erat maieſtas? quanta felicitas? Sed cum peccaret aduerſus Deum, & obediret Satanæ, deiectus eſt in tantam turpitudinem & fœditatem, vt & ſimilis ſatanæ, & omni maledictioni ac morti obnoxius fieret. Vos igitur reges & principes, niſi veſtro officio recte defungamini, non amplius eritis controfactura Dei, ſed ſatanæ, non eritis filij Dei altiſsimi, ſed mancipia diaboli. Deinde, cadetis (inquit) ſicut quiſpiam tyrannorum. Quotquot enim reges & magiſtratus, ſunt aut ceſſatores, aut neglectores, aut iudiciorum peruerſores morientur quidem & interibunt, non autem ſimpliciter, ſed horribiliter, non vſitato aliorum hominum more, ſed ſi-

cut tyranni interire solent. Noti sunt veteres versiculi.

Ad generum Cereris, sine cæde & vulnere, pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Exempla passim extant, tàm in externis, quàm in sacris literis. Quid ergo? Num, si nulli essent tyranni in his terris, omnia rectè & feliciter gererentur? Tolerabiliores quidem, fateor, res humanæ se haberent. Sed non est sperandum, quod è terra fieret cœlum, & omnis infelicitas ex hoc mundo tolleretur, etiamsi nulla reliqua esset inter homines tyrannis, & pauperum oppressio. Donec enim hic mundus steterit, & satan per peccatum factus sit mundi dominus, ac, vt Paulus ait, Deus huius seculi, firma stat sententia Dei: Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & reliqua, quæ sequuntur. Quare, cum in hoc seculo nulla vera tranquillitas & felicitas sit speranda, etiamsi omnes reges & principes essent sapientissimi, & clementissimi, attollit Psalmus oculos suos è terra in cœlum, vt suspirat regnum cœleste.

3. *Surge (inquiens) Deus, iudica terram. Quoniam tua est hæreditas inter omnes gentes.*

In Daniele quatuor enumerantur Monarchiæ in his terris, quarum prima est aurea, secunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea: & tamen in nulla harum Monarchiarum inuenitur vera & constans felicitas. Etsi enim

Dan. 2.

enim inter has terrenas Monarchias altera est moderatior & temperatior altera, tamen suæ semper sunt in ijs afflictiones, & ærumnæ, donec Deus suscitauerit regnum cœli, quod est regnum Christi, in quo non audietur vltrà iniquitas, non erit amplius (sicut Esaias dicit) vastitas & contritio: sed omnis populus erunt iusti, ac in æternum felices. Commemoratur quidem aliâs magna felicitas regni Salomonis: Fecit, inquit Scriptura, vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum: audias tamen maximam de eo regno querelam: Pater tuus, inquiunt, durissimum iugum imposuit nobis. Quare, cùm ne in Salomonis quidem regno, nec in alijs huius terræ Monarchijs, vera & constans felicitas inueniri potest, suspicit Psalmus in cœlũ, &: Surge, tu Deus, (inquit) & iudica terram, (hoc est) suscipe tu DOMINE regnũ tuum administrandum. Adueniat, DOMINE, TVVM regnum. Expectauimus toties, & tàm diu felix aliquod in his terris regnum, in quo omnia prosperè & iustè gererentur: sed vt reipsa comperimus, vanissima est expectatio nostra. Quare precamur te, DOMINE Deus noster, vt tuipse suscipias gubernaculum regni, & cum non succedant nobis, pro animi nostri sententia, regna terrena, quæ per homines administrantur: (quantumcunque enim prouiderimus, solent ea in tyrannidem & perniciem degenerare, nec possunt nos in veris periculis iuuare) obsecramus te, vt vel tandem patefacias nobis regnum tuum cœleste, in quo tuipse es gubernator, & in quo nulla amplius erit vastitas, & contritio. TV enim legitimus hæres es regnorum in omnibus gentibus. Hæc autem est manifesta

Esa.60.

3.*Reg.*10.

3.*Reg.*12.

precatio, vt Christus adueniat, & Euangelion suum ad omnes gentes diuulget. In Psalmo enim secundo hæreditas omnium gentium decernitur DOMINO nostro Iesu Christo: Postula à me, (inquit) & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Sciamus igitur, nos in regnis huius terræ nullam vnquam stabilem felicitatem inuenturos, sed aspirandum esse ad cœleste regnum DOMINI nostri Iesu Christi, quod vt per fidem Euangelij eius inuenitur & accipitur, ita exhibet nobis omnis veræ & perpetuæ felicitatis copiam & abundantiam.

VSVS HVIVS PSALMI.

Dices, si fieri nõ potest, vt in regnis huius seculi consequamur firmam & stabilem tranquillitatem, & imperia plærunq; degenerent in tyrannidem & crudelitatem: quid est, quod iubemur orare pro Regibus & 2. *Tim.* 2. Magistratibus? Adhortor, inquit Paulus, vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Et addit: Vt placidam & quietam vitam ducamus, cum omni pietate & honestate? Si certũ est, quòd in hoc mundo simus subiecti cruci, & tyrannis, quid proderunt nostræ deprecationes & obsecrationes? Certè plurimum prosunt, nec vnquam sunt intermittendæ. Primum enim hoc bonum est, inquit Apostolus, & acceptum coram seruatore nostro Deo, qui cunctos homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Deinde, etsi non omnes reges aut tyranni conuertuntur precatione.

catione noſtra ad DOMINVM: tamen vel ſaltem aliqui gratificantur voluntati Dei, & ſubijciunt ſe Deo. Adhæc, ſi non omnes afflictiones, quibus humanum genus obnoxium eſt, tolluntur e medio, tamen ſolent precibus piorum mitigari, vt Deus det euentum, quò ſufferre queamus. Poſtremò, etiamſi nobis crudelitate tyrannorum pereundem eſt: tamen ſi agnouerimus regnum Chriſti per fidem, & fuerimus membra eius in Chriſto, nulla tyrannis tàm grauis eſt, nulla mors tàm crudelis eſt, quin homini pio cedat in cœleſtem felicitatem. Non ſunt, inquit Paulus, pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum, æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non ſpectamus ea, quæ videntur, ſed ea, quæ non videntur. Quare faciamus nos, deprecationibus, & obſecrationibus, pro regibus & magiſtratibus, noſtrum officium. Reliqua DOMINO Deo noſtro ita curæ erunt, vt etiamſi aſperitate impiorum huius ſeculi premamur: tamen, cùm regno Chriſti, per fidem, incorporati ſimus, perpetuo exitio non opprimamur.

Rom.8.

2.Cor.4.

Psalmus 82.

Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, &c.

Videtur & hic Psalmus, sicut pleriq; alij, cũ charitate proximi pugnare. Hæc enim illo est ingenio, vt proximum, quamuis inimicum & hostem, non solùm non execretur, verùmetiam pro ipso DOMINVM ad salutem precetur, & optet pro eo anathema à Christo esse. Psalmus autem iste inuehitur in hostes suos grauissimè: Pone, inquit, Principes eorũ, sicut Oreb & Zeb, Zebee & Salmana, quos Ephraimitæ & Gideon ferro atrociter trucidârũt, quemadmodum testatur liber iudicum. Et iterum: Erubescant, & conturbentur, in seculum seculi: confundantur & pereant. Quid hoc aliud est, quàm hostes extremis diris deuouere, & execrari? Sed sæpenumerò ostendimus, aliam esse publicam, aliam priuatam vocationem: & aliam esse carnis humanæ, aliam spiritus cœlestis execrationem. Quòd igitur hic Psalmus execratur impios & crudeles hostes populi Dei, non est carnalis, sed spiritualis execratio, illorum videlicet, quos iam antè Spiritus sanctus ad interitum destinauerat, & proscripserat. Repetitur autem in hac precatione, vt miser & afflictus populus Dei, è certitudine sententiarũ, quam Deus aduersus impios hostes tulit, cõsolationem accipiat, & confirmet fidem suam, de liberatione è manibus impiorum.

Rom. 9.

Iudi. 7. & 8.

1. *Deus*

1. *Deus, ne taceas (quæſo) tecum, ne ſileas, & non quieſcas Deus.*

Inſtituit enim Pſalmus inuocare cœleſtem opem aduerſus immanitatem hoſtium eccleſiæ Dei. Cùm igitur Deus videatur afflictis, ad inſolentiam hoſtium quaſi conniuere, & obmuteſcere, ſuſcipiunt eum his verbis admonendum, vt vel tandem reſpiciat ad ærumnas ipſorum, quas ab impijs ſufferunt, & ſeueriter in eos iuxta ſuam ipſius promiſsionem, qua recepit ſe eccleſiam ſuam clementer defenſurum, animaduertat. Miraris autem fortaſsis, quid ſibi vulgata tralatio Pſalmorum velit, quòd principium huius Pſalmi faciat: Deus, inquiens, quis ſimilis erit tibi? At ſi inſpexeris Hebræum textum, nulla te admiratio capiet. In Hebræo enim, vbi nos tranſtulimus: Ne taceas, pro (Taceas) habetur דמי Dami. Quod ſi deduxeris à verbo דום Dom, ſignificat tacere ſeu ſilere: ſi verò deduxeris à verbo דמה Dama, ſignificat, aſsimilare, ſeu ſimilem factum eſſe. Græcus igitur interpres deduxit illud ab hoc poſteriori verbo: ὁ θεὸς (inquiens) τίς ὁμοιωθήσεταί σοι; Et hunc ſecutus eſt Latinus: Deus, quis ſimilis erit tibi? ſed rectius eſt, vt deducas à priori verbo, & legas: Deus, ne taceas, præſertim, cum Pſalmus mox ſeipſum interpretetur, & addat: Ne ſileas. Sed audiamus cauſam, cur precatores excitent Deum, ab obmuteſcentia & ſilentio, ad locutionem, ſeu ſeueram increpationem.

2. *Quia, ecce inimici tui fremunt, & qui oderunt te, extollunt caput.*

3. Contra.

3. *Contra populum tuum callidè ineunt consilium, & consultant aduersus absconditos tuos.*

4. *Dicunt, agite, extirpemus eos, ne sint amplius gens, & non relinquatur memoria nominis Israelis vltrà.*

Non excitamus te temerè ad seueram increpationem nostrorum hostium: vrget nos extrema necessitas. Primùm enim, quos habemus inimicos, hostes, & osores, non sunt propriè inimici NOSTRI, & osores NOSTRI, sed sunt inimici TVI, & odio habent TE, TE ipsum, inquam, odio habent. Deinde non simpliciter habent nos odio, sed FREMVNT, & sustollunt caput suum: non vt gentem aliquam impiam, & à Deo abiectam, leui quadam molestiola affligant: sed vt populum tuum, TVVM inquam, quem elegisti, prorsus opprimant, & de vniuersa terra eradicent: Conferunt inter se cōsilia callida & astuta, ineunt clandestina fœdera, aduersus absconditos tuos, TVOS inquam, absconditos: sic enim Psalmus vocat populum, seu ecclesiam Dei: quemadmodum aliâs peculium de omnibus populis, regnum sacerdotale, & gentem sanctam. Vocantur autem absconditi, maximè omnium propter illam causam, quòd Deus susceperit eos sub alas suas, & tueatur ipsos cœlesti modo, in omnibus aduersis. *Exod. 19.*

Psalm. 31. Vnde & in alio Psalmo dicitur: Quàm multa est bonitas tua, quam reposuisti timentibus te, & quam præstas sperantibus in te, coram filijs hominum. Abscondis eos in abscondito apud te, ab elationibus cuiusq; abscondis eos in tabernaculo, à contentiosis linguis. Habes & hoc loco vsitatum artificium Spiritus sancti. Nam vt excitet Deum ad conferendā cœlestem opem afflictis,

afflictis, aduerſus hoſtes & perſecutores, aut potius, vt confirmet fidem precatoris, in perſecutionib. Non vocat perſecutores, hoſtes, aut inimicos, & oſores Iſraelis: ſed inimicos, & oſores DEI: Ecce, inquiens, inimici TVI, & qui oderunt TE, videlicet, DOMINVM Deum noſtrum, fremunt, & ſuſtollunt caput ſuum. Quis autem impunè ferret, qui inimicitiam exerceat cum DEO? & qui odio habeat DEVM? Eodem reſpicit Deus ipſe, cum conſolatur Samuelem, ne deſiciatur animo, quòd populus eum deſpiciat: Non te, inquiens, abiecerunt, ſed ME, ne regnem ſuper eos. Illud vult dicere: Ne ſis, Samuel, triſti animo, quòd Iſraelitæ extrudant te contumeliosè, à iudiciaria tua functione: hæc enim contumelia in ME redundat, non in te hæret. Tu igitur ſis æquo & forti animo: erit tempus, quo dabunt huius ſuæ ingratitudinis & inſolentiæ iuſtas pœnas. Idem & de hoc Pſalmi loco ſentiendum eſt. Qui cupiunt vos oppreſſos & extinctos, non ſunt veſtri, ſed mei, MEI, inquam, DOMINI Dei veſtri, inimici & oſores. Non poteſt igitur fieri, vt inſtitutum ipſorum feliciter promoueat. Quis enim cum DOMINO Deo, proſpero ſucceſſu belligeraretur? Deinde, aduerſarij non tantum ſunt hoſtes Dei, ſed etiam ſunt hoſtes & inimici populi Dei, illius videlicet populi, de quo Deus ipſe dixit: Filius meus primogenitus Iſrael. Et iterum: Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, & vos eritis populus meus. Etſi enim additur conditio: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, eritis videlicet populus meus, &c. tamen,

1. Samue. 8.

Exod. 4.

Leui. 26.

si non ambulauerint, patet eis receptus ad gratiam, per resipiscentiam, vt restituantur veteri suo iuri. Tunc orabunt (inquit) pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei, quod pepigi cũ Iacob, Isaac & Abraã, &c. Quare, cùm illa sit conditio populi Dei, vt siue peccauerint, Deus recipiat eos, per pœnitentiã, in gratiã suã, siue non peccauerint, Deus semper curã eorũ agat, & insolentiã ac sęuiciem hostiũ ipsorum seueriter puniat, vt si dixeris populum Dei, dicas populum diuinitus custoditum, & cœlesti ope munitum. Adhæc aduersarij non cogitant nobis mediocrem aliquam cladem inferre, sed deliberant, conferunt consilia, & ineunt interse fœdera, vt Israelem prorsus è medio tollant, & radicitus extirpent: Agite, inquiunt, eradicemus eos, & ita deleamus, vt etiam memoria nominis ipsorũ extinguatur. Conferamus nunc hæc in vnũ, quòd hostes, nõ sint proprie NOSTRI, sed DEI hostes: quòd sint hostes, nõ impij & à Deo abiecti, sed à Deo electi populi, & quòd tàm scelerato & crudeli sint instituto, vt cupiant vniuersam gentem Israeliticam oppressam & extinctam: quis, obsecro, nostrum, non magno animo insultum hostium exciperet, certissima fiducia concepta, quòd in suo instituto pudefiant, & ipsi potius deleantur, quàm vt populum à Deo electum deleant? Porrò, vt adhuc maior & certior fiducia concipiatur, suscipit Psalmus impios hostes nominatim commemorandos.

5. *Quia consilio vnanimiter inito, contra TE fœdus pepigerunt.*

6. *Tabernacula Ædomitarum & Ismaelitarum, Moabitarum, & Hagarenorum.*

7. *Geba-*

7. *Gebalitarum, & Ammonitarum, & Amalecitarum, Philiſtinorum, vnà cum incolis Tyri.*

8. *Etiam Aſſyrij iunguntur cum ipſis, & veniunt auxilio filijs Loth.*

Quod paulò antè dixit, hoſtes ſuos, non eſſe propriè ipſorum, ſed DEI hoſtes, hoc nunc repetit: Pepigerunt, inquiens, fœdus, non propriè contra NOS, ſed contra TE DOMINVM Deum noſtrum. Et vt exaggeret rei indignitatem, recenſet nomina illarum gentium, quarum, etſi magna pars fuerunt Iſraelitis cognatæ & conſanguineæ, tamen erant perpetui ferè ipſorum hoſtes, & crudelius eos perſequebantur, quàm aliæ gentes. Sic enim fieri ſolet, vt fratrum iræ ſint acerbiſſimæ. Extabant etiam nonnulla in eos Iſraelitarum beneficia: Pepigerunt, inquit, fœdus contra TE, tabernacula Ædomitarum ſeu Idumæorum. Horum Patriarcha fuit Eſau, vterinus frater Patriarchæ Iacobi, Eſau autem cognominatus eſt Ædom, à rubra coctione, pro qua vendiderat primogenita ſuo Iacobo, & cõmoratus eſt cum familia ſua in montanis Seir, quemadmodum ſcriptum eſt in Geneſi cap. 36. & in Ioſ. cap. 24. & Deut. 2. Sicut ergo Eſau ſemper proſecutus eſt odio fratrem ſuum Iacob, qui dictus eſt Iſrael, ita & poſteri eius nunquam non hoſtiliter inſectati ſunt Iſraelitas.

Iſmaelitarum. Notum eſt Iſmaelem fuiſſe filium Abrahæ ex ancilla Agar, cuius genealogia deſcribitur in Geneſi cap. 25. Notum eſt & illud, quod Iſmael perſecutus ſit Iſaacum, & transfuderit quaſi hæreditarium odium in poſteros ſuos erga Iſraelitas. *Gal. 4.*

Moabitarum. Vnde Moabitæ, & Ammonitæ, qui

& ipſi mox ſequuntur, deſcenderint, exponit Geneſis, cap. 19. Moab enim & Ammon fuerunt filij Loth, è filiabus ſuis. Etſi autem & horum poſteri fuerunt cognati Iſraelitarum, (Loth enim fuit patruus Abrahæ) & Iſraelitæ pepercerant eis in egreſſu eorum ex Ægypto, tamen diſſidebant ab ipſis capitali odio.

Deut.2.

Agarenorum. Hos deſcendiſſe ab Agar, quæ fuit ancilla Abrahæ ex Ægypto, & mater Iſmaelis, nomen ipſum teſtari videtur.

Gen.15.&21.

Gebalitarum. Hieronymus in Prophetam Abdiam cap.1. ſcribit Eſau poſſediſſe eam regionem, quæ nunc Gebalena dicatur, & ſit in finibus ἐλευθεροπόλεως ſita.

Amalecitarum. Amales fuit filius Eliphaz, filij Eſau, Geneſis 36. Ab hoc deſcendunt Amalecitæ, veteres & aſsidui hoſtes Iſraelitarum, Deut 25. & Iudi. 6. 1. Samuel. 15.

Philiſtinorum. Vide Gen. 20. de Philiſtinis: fuerunt & hi perpetui Iſraelitarum hoſtes, dicti Paleſtini. Vnde & regio vocata eſt Paleſtina.

Incolæ Tyri. Tyrus & Sidon vrbes ſunt nobiles: nõ tantùm in Prophetícis & Apoſtolicis, verumetiam in prophanis ſcriptis.

Aſſyrij: Sic dicti ab Aſſur, vide Gen. 10. ſunt & hi in hiſtorijs, tàm ſacris, quàm externis, celebres.

Filij Loth. Hi ſunt Moabitę & Ammonitæ: de quibus paulò antè.

Hæ omnes gentes maximum ſemper odium habuerunt, nulla vel vicinitatis vel cognationis ratione habita, aduerſus Iſraelitas: & cupiebant eos ſummo animi ſui deſiderio extinctos. Quid ergo ſibi vult tàm diſerta harum gentium in Pſalmo, (hoc eſt) coram

DOMINO

DOMINO Deo noſtro commemoratio? Num ſunt Deo ignotæ? Nihil minus. Sed eccleſia Dei indiget inter tot, & tam potentes ac virulentos aduerſarios conſolatione, & fidei ſuæ confirmatione. Extant enim tam generales, quam ſpeciales promiſsiones, quibus Deus recepit ſe, eccleſiã ſuam cuius eo tempore Iſraelitæ erant præcipua membra, defenſurum, & hoſtes eius oppreſſurum.

Geneſis 12. ad Abraamum dicitur: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.

Exod. 4. Filius meus primogenitus Iſrael.

Exod. 23. Si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

Deut. 7. TE elegit DOMINVS Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis gentibus, quæ ſunt ſuper terram, &c.

Deut. 20. Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem, quàm tu habes, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia DOMINVS DEVS TVVS TECVM eſt, qui eduxit te de terra Ægypti, &c.

Habes generales promiſsiones, quæ dictæ ſunt de Iſraelitis, & comminationes, quæ dictæ ſunt de hoſtibus & inimicis Iſraelitarum.

Audiamus etiam ſpeciales Prophetias & comminationes, quæ nominatim aduerſus gentes, quas Pſalmus commemorauit dictæ ſunt.

De Ædomitis, Moabitis, Amalecitis, & Aſſyrijs, Num. 24. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq; omnes

filios Seth, & erit Idumæa possessio eius. Hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget. Et mox: Principium Gentium, (illarũ videlicet, quæ persecutæ sunt Israelitas) Amalec, ad extremum perdentur. Ac iterum: Venient naues è Cithim, superabunt Assyrios, & vastabunt Eber.

De Ismaelitis. Horum Patriarcha fuit Ismael, quemadmodum suprà dictum est. Regio eorũ dicta est, Regio Sarracenorum: cum potius dici debuisset Agarenorum, quippe quòd descenderint non à Sara domina & libera, sed ab Agar ancilla Abrahę. Cum igitur semper fuerint hostili animo in Israelitas, populum & ecclesiam Dei, continentur etiam in catalogo illorum, de quibus dixit DOMINVS: Maledicam maledicentibus te. Et: Ero inimicus, inimicis tuis.

De Moabitis & Ammonitis, Deut. 23. His etiamsi DOMINVS eò vsq; fauet, vt prohibeat Israelitis, ne
Deut. 2. in egressu ipsorum ex Ægypto, noceant eis, tamen sua decernitur diuinitus maledictio: Ammonites (inquit) & Moabites etiam pòst decimam generationem
Deut. 23. non intrabunt in ecclesiam DOMINI, in æternum. Quia noluerunt vobis occurrere, cum pane & aqua, quando egressi estis de Ægypto, & quia conduxerunt contra te Bileam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi, &c.

De Philistinis, Tyrijs & Sidonijs. Hi iam olim descripti erant à DOMINO, in interitum, & adscripti sortibus Israelitarum, Ios. 13. Recensentur autem hæ impiæ gentes in Psalmo, non tantùm vt precator confirmet fidem suam, verùmetiam, vt significet suam maledictionem,

ledictionem, & execrationem, qua mox eas deuouebit, non proficiſci è carnali odio, ſed è ſpiritu Dei, qui iam antè eas, propter impietatem & crudelitatem ipſarum, execratus fuerat. Cæterùm, cùm dicimus has gentes fuiſſe maledictas, non intelligamus eas ita maledictas, vt nullam vnquam coram Deo ſalutem conſequi potuerint, (quotquot enim ex ipſis pœnitentiam egerunt ab iniquitatibus ſuis, & agnouerunt benedictum ſemen Abrahæ, (hoc eſt) DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, per fidem, vel ante, vel poſt incarnationem eius, recepti ſunt propter Chriſtum in gratiam DEI, & conſecuti ſunt remiſsionem peccatorum ac vitam æternam,) ſed intelligamus, quòd hæ gentes non fuerint publicè & generaliter in eccleſiam DEI electæ: In Iſaac enim, inquit, (non in Iſmael) vocabitur tibi ſemen. Ac Deus non abſtulit quidē ab his gentibus omnem benedictionem, quia contulit in eas multa & magna beneficia corporalia & terrena, ſed non contulit in eas præcipuum omnium beneficium. Non enim miſit ex eis, Chriſtum DOMINVM noſtrum, ſed ex Iſaac & Iſraelitis, nec ſelegit eas in peculiarem ſuum populum, è quo ante incarnationem Chriſti colligeret electam ſuam eccleſiam, ſed elegit Iſraelitas. Poſtquam autem Chriſtus incarnatus eſt, & diuulgauit Euangelion ſuum, per Apoſtolos, in toto orbe terrarum, colligit eccleſiam ſuam, non iam ex Iſraelitis tantùm, verùmetiam ex omnibus gentibus, vt quiſquis crediderit & baptiſatus fuerit, ſiue Iſmaelita, ſiue Philiſtinus, ſiue Moabita, ſiue Ammonita, ſaluus fiat. Quare iuxtà refert hoc tempore, è qua gente natus fueris, ſed

Gen. 16. & 17.

sed da tantùm operam, vt in Christo per fidem renascaris, & assequeris, si non corporalem, at certè spiritualem, si nõ externam, at certè æternam benedictionem. Sed audiamus nunc execrationes.

9. *Facito illis, sicut Midianitis, sicut Sisaræ, sicut Iabin, in torrente Kison.*
10. *Qui contriti sunt in Endor, facti sunt stercus terræ.*
11. *Pone Principes eorum sicut Oreb, & sicut Zeb, & omnes duces eorum sicut Zeba, & sicut Zalmuna.*
12. *Qui dicunt, possideamus nobis habitacula Dei.*

Confirmata fide de interitu impiorum & crudelium hostium, erumpit magno animo in execrationes: Facito illis, sicut Midianitis. Impij hostes nostri illud vnum meditantur & cogitant, vt nos, populum tuum, extirpent, & nobis è medio sublatis, possideant ipsi terram nostram, quæ nobis à te in hæreditatem itadata est, vt tu in ea, excitato templo, habites, & nos tueaaris. Obsecramus igitur te, vt tractes eos illa sæuaritate, qua anteà hostes nostros, Midianitas, tyrannum Sisseram, & alios, tractasti. In hac autem Psalmorum explicatione aliquoties exposuimus, quæ sit ratio spiritualium maledictionum & execrationum, quòd non sint trahendæ in exemplum hominum carnalium, sed sint magis vaticinia spiritus, quàm virulentia carnis. In præsentia igitur non hærebimus in hoc loco explicando, sed ostendemus tantùm, in quibus scripturæ locis historiæ, quarum Psalmus meminit, contineantur.

De

De Midianitis scribit liber Iudicum capite 6. quòd crudelissimè oppresserint Israelitas. Sed DOMINVS misertus populi sui excitauit Gideonem, de tribu Manasse, qui oppressit Midianitas tàm mirando modo, vt etiam Propheta Esaias vaticinetur, Christum DOMINVM nostrum, tali certaminis genere victoriam è suis hostibus reportaturum: Iugum, inquiens, oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Midianitarum. Oreb autem & Zeb fuerunt duo Principes Midianitarum, qui capti ab Ephraimitis occisi sunt, & capita eorum relata ad Gideonem trans Iordanem. Vide Iudicum cap. 7. Similiter, Zeba & Zalmuna fuerunt duo Reges Midianitarum, qui & ipsi capti à Gideone, spoliati sunt ab eo regijs suis ornamentis, & trucidati. Iudicum 8. *Esa. 9.*

De Sissera, qui fuit dux exercitus: & Iabin, qui fuit rex Cananæus: ac de torrente Kison: & de Endor (cuius loci meminit etiam prior liber Samuelis cap. 28.) Vide librum Iudic. cap. 4. & 5. Iabin enim rex Cananæus, exercuit magnam crudelitatem & tyrannidem erga Israelitas, sed DEVS respexit eos clementissimè, ac excitauit eis Deboram Prophetissam, & Baracum, qui cœlesti ope exercitum Iabin & Sissaræ ita contriuerunt, quemadmodum stercus in plateis conculcari solet: Perterruit (inquit Scriptura) DOMINVS Sisseram, & omnes currus eius, vniuersamq; multitudinem in ore gladij, ad conspectum Barac in tantum, vt Sissera de curru desiliens, pedibus fugeret, &c. vnde & extat carmen triumphale Deboræ & Barac, in libro Iudicum cap. 5.

13. *Deus meus, pone eos, sicut rotam, sicut stipulam coram vento.*
14. *Sicut ignis comburit syluam, & sicut flamma succendit montes:*
15. *Ita persequere eos tempestate tua, & turbine tuo perturba eos.*
16. *Imple facies eorum ignominia, vt quærant nomen tuum DOMINE.*
17. *Erubescant & conturbentur adhuc magis, confundantur & pereant.*
18. *Vt cognoscant, quòd tu nomine tuo voceris DOMINVS solus, altissimus in omni terra.*

Perseuerat in execratione, vsq; ad finem Psalmi: & quemadmodum antea posuit, & depinxit nobis ob oculos interitum impiorum hostium, exemplis superioris ætatis, quæ contigerunt temporibus iudicum: ita nunc proponit eum similitudinibus, quarum vna est: Mi Deus, pone eos sicut rotam. Rota in præcipitio collocata, & impulsa, nullo consistit loco. Precatur ergò, vt hostes populi DEI percutiantur spiritu vertiginis, & fiant in omnibus consilijs ac institutis
Syr. 33. suis instabiles. Sic depingit etiam Syracides animum fatui: Præcordia, inquiens, fatui, quasi rota currus, & quasi axis versatilis cogitatus illius. Altera est: Pone illos, sicut stipulam coram vento. Stipula enim seu palea à vento arrepta nullo loco consistit, sed in orbem circumuoluitur, & hinc inde disijcitur: ita
Iob. 21. impij, inquit Iob, erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Huc pertinet etiam, quod in primo Psalmo dicitur: Non sic impij, sed sicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Tertia:

Tertia: Perſequere illos, ſicut ignis comburit ſyluam, & ſicut flamma ſuccendit montes, (videlicet ſylueſtres). Nam ſi quãdo ignis fortè corripuerit ſyluam, aut ſylueſtria montana, ſolet tàm atrociter in ea graſſari, vt nullum finem faciat, donec vniuerſas arbores & ligna abſumat, ac in cinerem redigat. Cum enim ignis, iuxta Salomonem, non extinguatur, niſi *Pro.26.* cùm defecerint ligna, & loca ſylueſtria ſemper ligna, dum reliquæ fuerint arbores, ſuppeditent, non conquieſcit, donec omnia deuorauerit. Precatur igitur Pſalmus, imò magis per Spiritum ſanctum vaticinatur, iram Dei tanta vehementia aduerſus impios hoſtes populi DEI exardeſcere & inflammari, vt non remittat, donec vniuerſi perierint. Et vt Spiritus ſanctus affectum ſuum erga impios adhuc clarius explicet, addit: Imple facies eorum ignominia. Ac mox: Erubeſcant & conturbentur etiam atq; etiam, cõfundantur & pereant. Sed quo conſilio, & in quem finem petit, vt impij conturbentur & pereant? Num vt perpetuò in ignominia, confuſione, & in interitu maneant? Non eſt quidem dubium, quin impij, qui pergunt eſſe impij & impœnitentes, perpetuò intereant. Deus autem, qui eſt ſalus & felicitas ipſa, non meditatur (quòd ad propriam ipſius naturam attinet) ignominia & confuſione eorum, ſempiternum interitum: ſed meditatur reſipiſcentiam & ſalutem ipſorum: Viuo ego, inquit DOMINVS alias, nolo mortem impij, ſed magis, vt conuertatur, & viuat. Pſalmus igitur dicit: Imple facies eorum ignominia, (hoc eſt) pudefiant in propoſito ſuo, ac pereant. Quomodo? num in æternum? Hoc quidem meriti ſunt impij, ſua impietate & immanitate erga

populum Dei: Deus autem nõ vult perpetuam ipsorum internecionem, sed vult potius, vt admoniti seueritate diuini iudicij, quærant nomen tuum DOMINE. Et mox: Vt cognoscant, quòd tu Deus solus vocaris nomine tuo DOMINVS, & altissimus in tota terra, hoc est, quòd tu solus sis verus & æternus DEVS, creator omnium visibilium & inuisibilium, ac altissimus & omnipotens rerum in vniuersa terra, non solùm inter Iudæos, verùmetiam inter omnes gentes, gubernator, qui ecclesiam populi sui aduersus insultum impiorum hostium mirando modo tueatur & conseruet, qui etiam tantæ sit clementiæ, & erga humanum genus beneuolentiæ, vt ne hostes quidem ipsos, vel suos vel populi sui, in æternum perire cupiat, sed velit cunctos homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quare, si impij pereunt, non pereunt DOMINI Dei nostri, sed suo ipsorum vitio, & non propter impotentiam Dei, sed propter suam ipsorum incredulitatem.

VSVS HVIVS PSALMI.

Multa extant tàm in Propheticis, quàm in Apostolicis scriptis vaticinia, exempla, similitudines & comparationes de interitu impiorum, ac imprimis illorum, qui cogitant opprimere ecclesiam DEI, & persequuntur eam.

Iob 20. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ instar puncti: Si ascenderit vsq; in cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant,

rant, dicent, vbi est? velut somnium auolans non inuenietur, transibit sicut visio nocturna.

Psal.37. Ne succenseas propter malignos, nec æmuleris propter facientes iniquitates. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum viride gramen marcescent.

Ac iterum: Vidi impium potentem, & eleuatum instar viridis lauri: & transiui, ecce autem non erat amplius, quæsiui eum, & non inueniebatur.

Et Psal.108. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Esa.29. Erit sicut somniū visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel, (hoc est) contra Zionem seu Hierusalem. Et mox: Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, &c. sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Zion.

2. Thes.1. Iustum est apud Deum reddere ijs, qui affligunt vos, afflictionem, vobis, qui affligimini, relaxationem nobiscum, quum reuelabitur DOMINVS Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit vltionem ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio DOMINI nostri Iesu Christi, qui pœnam luent, interitum æternū, à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius, &c.

His & alijs testimonijs de interitu impiorū persecutorum ecclesiæ Dei, hic Psalmus octogesimus tertius concionatur, & adumbrat nobis impiorum sæuientium in ecclesiam Dei felici, vt videtur, successu, repentinam & inexpectatam internecionem, memo-

rabilibus exẽplis & similitudinibus. Quare, si quando persequuntur nos, vel Pontificij, vel Hæretici, vel Schismatici, vel Turcæ, vel alij hostes, non simus dejecto, sed forti animo, & vt possimus esse forti per Spiritum sanctum animo, intueamur in hunc Psalmum, consideremus exempla & similitudines, quibus impiorum interitus describitur, vt fide ex ijs confirmata, certissimam à Deo liberationem obedienter & patienter expectemus.

Psalmus 84.

Quàm dilecta tabernacula tua DOMINE virtutum, &c.

HActenus perstrinximus aliquot Psalmos, qui Asapho (de quo suprà Psal. 73.) inscripti sunt. Nũc sequuntur nonnulli alij Psalmi, qui inscribuntur filijs Chorę, qui & ipsi numerantur inter cantores à Dauide constitutos, quemadmodum scriptum est in priori libro Chronicõn, cap. 7. Etsi autem Chorah, parens eorum, fuit in deserto seditiosus aduersus Mosen & Aheronem, & perijt horribiliter, sicut testatur scriptura, Num. 16. tamen filij eius conseruati sunt diuinitus ingenti miraculo, ne vnà cum parente interirent, (vt est scriptum in Numeris, cap. 26.) & admoniti supplicio parentis, bonam postea operam in ministerio tabernaculi nauârunt.

nauârunt. Vtrum verò ſint horum Pſalmorum, qui ſequuntur, autores ipſi, an cantores tantùm, incertum eſt. Illud autem certum eſt, hos Pſalmos eſſe oracula Spiritus ſancti, quòd contineantur in eo libro, qui habet cœleſtem autoritatem. Porrò hic Pſalmus cõſtat duabus partibus. Prior eſt encomion prædicationis Euangelij de Chriſto, quod diuulgandum erat per Apoſtolos, in vniuerſum orbem terrarum. Poſterior, eſt precatio, vt Deus det huic prædicationi incrementum, & conſeruet eam, ad ſalutem vniuerſæ eccleſiæ, incorruptam & inuiolatam.

1. *Quàm amabilia ſunt tabernacula tua, DOMINE Zebaoth?*
2. *Concupiſcit, & flagrat anima mea deſiderio atriorum DOMINI, cor meum & caro mea exultant ad Deũ viuũ.*

Pſaltes, Prophetico ſpiritu inflãmatus, de diuulgatione Euangelij, in orbe terrarũ, & de colligenda eccleſia Chriſti per Apoſtolos, ex omnibus gentibus, occupatur aliquãdiu cogitationibus de magnitudine & multitudine beneficiorum, quæ vniuerſæ eccleſiæ Chriſti, è prædicatione & diuulgatione Euãgelij proueniunt. Poſtquam igitur talibus cogitationibus ſic ſatis indulſiſſet, erumpit tandẽ magna admiratione in hanc vocem: Quàm amabilia, quàm iucunda & ſuauia ſunt tabernacula tua DOMINE Zebaoth? Teneri igitur non poſſum, quin ardeam & flagrem magno deſiderio atriorum tuorum, & tàm corpore quàm animo properem ad Deum viuentem, qui in his atrijs & tabernaculis adnunciatur. Porrò autem tabernacula & atria

atria, similiter etiam altaria, quorum mox fit mentio, non sunt propriè Leuitica illa, quæ per Mosen in deserto instituta sunt, sed ecclesiæ, quæ prædicatione Apostolica, inter omnes gentes in toto orbe terrarum fundatæ sunt. Et hæ quidem ecclesiæ non putantur magni esse momenti in oculis huius mundi, in oculis autem Dei maioris sunt ponderis, quàm vniuersæ metropoles & regiæ sedes Monarcharū huius seculi, Babylon videlicet, aut Susæ, aut Roma, aut Constantinopolis. Propter has ecclesias Deus condidit initiò mundum: propter has filius Dei descendit de cœlo, & assumpsit hominem, vt eas seruaret: propter has differt hactenus reditum suum è cœlo, vt filios Dei, qui adhuc reliqui sunt, & dispersi, congreget in vnum. *Ioan.11.* Hæ ecclesiæ adumbratæ sunt quondam per scalam, quæ ostensa fuit Patriarchæ Iacob in somnis, & in qua angeli Dei ascenderunt & descenderunt, vt & Patriarcha ipse obstupesceret, ac diceret: Quàm terribilis est locus iste: Non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cœli. *Gen.28.* Dicitur autem locus ille domus Dei, & porta cœli, non propter locum ipsum per se, quia Deus habitat vbiq; : Cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINVS: & vbicunque constiteris, patet tibi ingressus in cœlum, sed propter verbum Dei, quod in eo loco patefactum est Patriarchæ, & quo promissus est ei Christus: Benedicentur, inquiens, in te, & in semine tuo (qui est Christus) cunctæ tribus terræ. Sentiamus igitur, quòd vbicunq; prædicatur Euangelion de Christo, quod Apostolico verbo diuulgatum est, inter omnes gentes, ibi sit tabernaculum Dei, cum hominibus do-

mus

mus videlicet Dei, & porta cœli, ſiue locus ſit humilis & deſpectus, ſiue excelſus & illuſtris, ſiue ſit ciuitas magna, ſiue villa, aut caſa parua. Etſi ad illa loca properaueris, ſcias te ad Deum viuentem, qui in illis locis per Euangelion de Chriſto adnuntiatur, properare.

3. *Auis enim inuenit ſibi domum, & hirundo nidum, vbi reponit pullos ſuos. Altaria tua DOMINE Zebaoth, qui rex meus es & Deus meus.*

Quæ antea dixit tabernacula & atria, nunc vocat Altaria: & mox, domum Dei. Loquitur autem iterum de eccleſijs, quæ per Euangelion ab Apoſtolis prædicatum, fundatæ ſunt. Et ducitur ſimilitudo ab auibus, & imprimis ab hirundinibus. Nam quemadmodum aues, etiamſi hinc inde in aëre vagentur, tamen ſeligũt ſibi certa loca, ad quæ in tempeſtatibus ſeſe conferant: & præcipuè hirundines conſtruunt ſibi in tectis domorum nidos, in quos reponunt pullos ſuos, & ſi quando opus fuerit, confugiant: Ita, ô DOMINE Zebaoth, ô Chriſte, rex meus & Deus meus, refugium, & receptaculũ noſtrum, ſunt Altaria tua, (hoc eſt) Euangelion tuum, & eccleſiæ, quæ ex omnibus gentibus, per Euangelion Apoſtolicũ colliguntur. Ibi eſt domicilĩ noſtrũ, ibi nidus noſter, in quo, ſicut nos ex luſi & foti ſumus, ita etiã alios excludimus & fouemus. Huc nos, quicquid acciderit, conferimus, & tanquã ad tutiſsimũ aſylum, ac receptaculum confugimus: Hîc inuenimus omnia genera bonorum, & omnem felicitatem. In vera enim eccleſia adnuntiatur verum Euangelion de

Christo DOMINO Deo, & rege nostro. Qui autem Euangelion illud fide accipit, is accipit Christum ipsum, & fit membrum eius, ex carne, & ex ossibus eius. Qui autem habet, & possidet Christum, quem non thesaurum habet? quę non bona possidet? Christus factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaq́, & sanctificatio, & redemptio. In Christo complacitum est patri vniuersam
1. Cor. 1. plenitudinem inhabitare. In Christo sunt omnes the-
Col. 1. & 2. sauri sapientiæ & scientiæ reconditi. In Christo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Nihil igitur deesse potest illi, qui Christum habet: & qui in aduersis suis ad Christum, ad ecclesiam Christi, & ad Euangelion eius confugit, is confugit ad illud tabernaculum, ad illud atrium, & altare, in quo tutus est ab omnibus malis. Etsi enim aduersa solent adhuc exitium minari, tamen ijs, qui in Christo sunt, & in Ecclesia eius, Deus dat vnà cum tentatione euentum, vt ferre possint, & tandem mirando modo seruentur.

4. *Beati, qui habitant in domo tua: perpetuò laudant te.*
5. *Beati, qui agnoscunt te fortitudinem suam, & ex corde ambulant post te.*

Hi duo versiculi seu epiphonemata, sunt conclusio trium priorum versiculorum. Nam, si tabernacula DEI sunt amabilia, si toto pectore aspirandum est ad atria DOMINI, si properandum est corpore & animo ad Deum viuum, qui in tabernaculo DEI adnuntiatur, si tabernacula Dei sunt, velut domus & nidus, refugia, ad quæ nos in omnibus aduersis conferamus: quid sequitur? certè illud sequitur, quòd

BEATI

BEATI sint, qui commorantur in domo DOMINI, & constant semper in celebranda laude nominis DOMINI: qui etiam agnoscunt solum DOMINVM fortitudinem suam, ac toti à DOMINO ita pendent, vt in semitis eius ex corde ambulent, nec à viis eius vsquam declinent. Cæterùm, cum Psalmus mox concionaturus sit de ministerio Apostolorum, quo susceperunt, ex mandato Christi, Euangelion in tabernaculo, in domo DOMINI, hoc est, in vniuersa ecclesia, & in toto orbe terrarum, adnuntiandum, sentiamus hæc duo epiphonemata, imprimis quidem ad Apostolos pertinere, qui beati prædicãtur, quòd habitent in domo Dei, & quòd non solùm sint membra veræ ecclesiæ, sed etiam laudent nomen DOMINI perpetuò, quia prædicatione Euangelij de Christo celebrant gloriam Dei, in toto mundo, idq; vsq; ad consummationem seculi. Accedit & illud, quòd Apostoli agnoscant se imbecilliores, quàm qui Euangelion Christi sua ipsorum virtute, in hoc mundo propagare & conseruare queant: sed petant omnem suam fortitudinem à Spiritu Christi, & in adnuntiando Euangelio semitas eius ita obseruent, vt nihil addant, nihil minuant, nec vel ad dextram, vel ad sinistram declinent, sed in viis eius recta ambulent. Hoc sibi voluit Christus, cùm Apostolis promisit Spiritum sanctum, & cohortatus est eos, vt maneant & constent in ipso, nec aliud adnuntient in mundo, quàm quod ab ipso acceperunt: Rogabo, inquit, patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Et iterum: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi

Ioan. 14.

Ioan. 15. nisi in me manseritis. Ac mox: Sine me nihil poteſtis facere. Et rursus: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis. Non vos me elegiſtis, ſed EGO elegi vos, & conſtitui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, vt quicquid petieritis Patrem nomine meo, det vobis. Deinde pertinent hæc epiphonemata nō ad Apoſtolos tantùm, ſed etiam ad omnes eos, qui per ſermonem eorum credunt in Chriſtum. Nam & hi habitant in domo DOMINI, & laudant nomen eius, ac pendent è ſola fortitudine DOMINI, ambulantq; ex animo in ſemitis eius. Beati igitur ſunt, etiamſi in hoc ſeculo habeantur miſerrimi & Ioan. 17. afflictiſsimi. Non pro eis tantùm, videlicet Apoſtolis, (inquit Chriſtus) rogo, ſed & pro his, qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me. Et aliâs: Quia vidiſti Ioan. 20. me Thoma, credidiſti: Beati, qui non vident, & tamen credunt.

6. *Qui tranſeunt per vallem lacrymarum, & ponent eam, in fontem, adeoq; doctor ornabitur benedictionibus.*

7. *Reportant victoriam poſt victoriam, vt palàm cognoſcatur, quòd Deus ſit in Zion.*

Proſequitur quod inſtituit de Apoſtolis, & miniſterio eorū, ac vaticinatur eos perambulaturos, mandato Chriſti, vniuerſum orbem, quem vocat vallem lacrymarum, quòd hic mundus plenus ſit ærumnis & miſeriis. Quid ergo Apoſtoli in hac lacrymarum valle facient? Non ociabuntur, non tranſigent vitam ſuam in ignauia, ſed ponent eam, fontem, hoc eſt, inſtituent in hac valle, in hoc mundo, miniſterium prædicandi

Euangelij

Euangelij de Christo, tanquam publicũ fontem, è quo homines hauriant aquas æternæ salutis. Et, vt autoritas huius ministerij confirmetur, ornabitur doctor, seu cœtus Apostolicus, ad docendum Euangelion ablegatus, benedictionibus, hoc est, Spiritu S. & varijs donis Spiritus sancti, in die Pentecostes, vt profecti, initio facto à Hierosolymis, in vniuersum mundum, reportent alteram post alteram victoriam. Apostoli enim, donis Spiritus sancti ornati, primùm reportârunt victoriam in vrbe Hierusalem, cùm prędicatione Euangelij accederent ad agnitionem & fidem in Christum, animæ circiter mille, & DOMINVS adderet quotidiè, qui salui fierent. *Actor. 2.* Deinde reportârunt victoriam à Samaritanis, cum adnunciasset eis Philippus Christum, ac baptisaret in nomine Christi viros simul ac mulieres, & cum Petrus ac Ioannes eò missi, donarent ipsos Spiritu sancto. *Actor. 8.* Posthæc, cœperunt etiam ex gentibus reportare victoriam, initio facto à familia Cornelij centurionis, donec vniuersus gentium orbis traderet manus, imò animos & corda sua Apostolicæ prædicationi, vt impleretur, quod in alio Psalmo scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Actor. 10.* Ex tantis rebus gestis, manifestè (inquit Psalmus) apparet, aut cognoscitur, quòd sit Deus in Zion. Nam, cùm, iuxta Prophetica vaticinia, Spiritus S. collatus sit Apostolis in Zione seu in Hierusalem, & Apostoli circumtulerint Euangelion de Christo in toto orbe terrarum, ac innumeris miraculis cõfirmârint, perspicuum est: Primùm, quòd omnes Dij Gentium, sint Dij fictitij, nec est ab ipsis vlla salus, siue terrena, siue cœlestis, speranda. *Ioel. 2.* *Psalm. 19.* *Psal. 110.* *Esa. 2.* Deinde,

quòd solus ille Deus, qui ab initio se patefecit verbo suo, Patriarchis, & adumbrari voluit legitimis sacrificijs, in Zione, ac ex eo loco, in vniuerso mundo adAct.4. nuntiari, sit verus DOMINVS Deus noster Iesus Christus, nec sit in alio quoquam salus, quippe quòd non sit aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Incumbamus igitur toto animo, & studio omni, in hanc curam, vt Christum DOMINVM nostrum rectè cognoscamus, ac vera membra corporis eius per fidem fiamus.

8. *DOMINE Deus Zebaoth, audi orationem meam, attende Deus Iacob.*

9. *Deus, scutum nostrum, vide, & respice faciem Christi tui.*

Altera pars huius Psalmi, in qua cœtus Apostolicus, imò vniuersa ecclesia precatur, vt DOMINVS Deus cœlestis Pater, det incrementum Apostolicæ prædicationi, & conseruet eam incorruptam, propter Christum filium suum. Ac planè eadem est precatio, cum illa, quæ extat in Actis Apostolicis cap. 4. DOMINE (inquiunt Apostoli) aspice in minas eorum, & da seruis tuis, vt cum omni fiducia loquātur sermonem tuum, manum tuam porrigendo in hoc, vt sanatio, & signa, & prodigia edantur per nomen sancti filij tui Iesu. Quod enim Psalmus dicit, DOMINE Deus Zebaoth, & Deus Iacob, Deus scutum seu clypeus
Act.4. noster, hoc Apostoli dicunt: DOMINE, tu es, qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Et mox: Da seruis tuis, vt cum omni fiducia loquantur sermonem tuū, &c. Quod autem Apostoli & reliqui

reliqui discipuli dicunt: Vt edantur signa & prodigia, per nomen sancti filij tui Iesu, hoc illud ipsum est, quod Psalmus dicit: Respice faciem Christi tui. Non enim fit hoc in loco sermo, vel de Dauide, vel de alio rege, qui & ipsi aliquoties, Christi (hoc est) vncti DOMINI dicuntur: sed de Iesu Christo, DOMINO, vnico nostro seruatore, quem Apostoli prædicarunt, & qui dixit: Amen amen dico vobis, quæcunq; petieritis Patrem in NOMINE meo, dabit vobis. Hactenus non petijstis quicquam in nomine meo: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum. Petere enim, vt Deus Pater cœlestis respiciat faciem Christi filij sui, est petere, vt Deus Pater sit nobis propitius, & remittat nobis peccata nostra, conseruetq; in ecclesia verbum Euangelij sui, non propter merita nostrorum operum, quæ nulla sunt, sed propter merita, propter nomen, propter faciem seu personam Christi filij sui. Vnde & Deus Pater recte reportat epitheton & cognomen Scuti seu Clypei, eo quod propter Christum filium suum tueatur Ecclesiam in omnibus aduersis suis, & obijciat se, tanquam scutum & Clypeum omnibus hostibus seu persecutoribus eius. *Ioan. 16.*

Sed audiamus causam, propter quam Psaltes tanta laude celebret tabernaculum, & atrium DOMINI, & tàm ardenter cupiat ipsum saluum & incorruptum vnà cum Euangelio suo, quod in eo prædicatur. Sequitur ergò.

10. *Quoniam melior est dies (vna) in atrijs tuis, quàm alibi mille. Malo esse ostiarius in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis impij.*

Anima

Anima mea non temerè flagrat desiderio tabernaculorum, & atriorũ DOMINI. Nam alia quidem sunt tabernacula & atria huius seculi. Hæ sunt aulæ Regum & Principum mundanorum. In his sui sunt honores & splendores. Qui in his commorantur, solent fieri illustres, & habentur beati. Alia etiam sunt tabernacula & atria Ethnicorum, Pontificum, & Sacrificulorum. Hæc sunt templa, in quibus aut idola colunt, aut impia docentur. Et in his suæ quoq; videntur commoditates, ac tranquillitates. Sed hæc omnia superat atrium, seu aula DOMINI Dei nostri, quæ est templum seu ecclesia eius, in qua prædicatur Euangelion Christi. Melius enim est & tutius, ac beatius, vel vno saltem die commorari, in aula DOMINI, in ecclesia Christi, quàm mille diebus, imò toto vitæ huius tempore, in tabernaculis & aulis terrenorum Regum, ac Ethnicorum Pontificum. Ac, vt dicam, quod sentio, malo in vera ecclesia DOMINI abiectissimus esse incola, quàm in aulis impiorum hominum illustrissimus haberi: siue, vt adhuc apertius, & pro more nostrorũ temporum loquar, malo in ecclesia, in qua prædicatur Euangelion Christi incorruptè, ædituus, quàm inter Pontificios, & hæreticos aut sectarios, inter quos corruptela piæ doctrinæ obtinet, episcopus esse. Quid ita? quia in atrijs seu aulis principum huius seculi maiora sunt pericula, & incommoda, quàm vt quispiam paucis verbis explicare queat. In aulis seu templis impiorum Pontificum, vbi regnat impia doctrina, certissimus, & nisi resipiscas, æternus est interitus: in sola autem Ecclesia Christi, in qua vera doctrina Euangelij DOMINI nostri Iesu Christi, sicut à Prophetis & Apostolis

ſtolis tradita eſt, obtinet, vera etiam inuenitur tranquillitas & felicitas. Sic enim ſequitur.

11. *Quia ſol & ſcutum* DOMINVS *Deus eſt, gratiam & gloriam dabit* DOMINVS, *nec priuat bono, illos, qui ambulant in innocentia.*

Cogitemus ergò, quæ nobis beneficia in aula DOMINI, in eccleſia Chriſti, in qua Euangelion eius ſyncerè prædicatur, contingant. Primùm, in hac aula, in eccleſia videlicet Chriſti, DOMINVS Deus noſter eſt ſol & ſcutum. In hoc verſiculo, haud ſcio, quid ſibi Græcus, & poſt eum, Latinus interpres voluerit, quòd pro ſole & ſcuto repoſuerint, ἔλεον καὶ ἀλήθειαν, miſericordiam & veritatem: cùm Hebræus textus conſtanter habeat, ſolem & ſcutum. Quibus epithetis ſeu cognominibus celebratur DOMINVS Deus noſter: ſicut .n. ſol cuncta ſua luce luſtrat, & calore ſuo fouet, ita DOMINVS Deus noſter ſemper inuiſit eccleſiã ſuam, in qua Euangelion Chriſti adnuntiatur, & fouet eam Spiritu ſancto ſuo. Similiter, ſcutum in hunc vſum paratur, vt excipiat tela, & defendat hominem, ne ab aduerſarij iaculis lædatur: Ita & DOMINVS Deus noſter eſt ſcutum noſtrum, per Euangelion Chriſti, vt tutiſsimus ſis in omni incurſu, vel malorum dæmonum, vel impiorum hominũ, vel aliarum afflictionum. Nam, qui per Euangelion crediderit in filium Dei, DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, is habet Deũ patrem, à parte ſua ita ſtantẽ, vt nemo poſsit ipſum auertere. Si autem Deus pro nobis, quis contra nos? Quis intentabit aduerſus nos crimina? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis *Rom. 8*

ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Deinde, DOMINVS dat ecclesiæ suæ, per Christum, gratiam & gloriam. Quid
Ioan.1. est ergò gratia? quid est gloria? Quod de gratia dicitur, illud est quod Euangelista ait: E plenitudine eius, nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, (hoc est) Deus pater ita fauet Christo filio suo, vt propter ipsum faueat etiam omnibus, qui in ipsum credunt. Et sicut agnoscit eum naturalem suum filium ac hæredem, ita etiam agnoscat omnes illos, qui amplectuntur ipsum fide sua, adoptiuos suos filios & hæredes. Gloria autem, vita
Rom.2. est æterna, iuxta illud Pauli: Redditurus est vnicuiq; iuxta facta sua: his quidem, qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt, VITAM æternam. De hac gloria Petrus quo-
1. Pet.5. que ait: Cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcesibilem gloriæ coronam. Sed quid multis opus? DOMINVS non priuat vllo bono hos, qui in innocentia ambulant, nec deerit eis, beneficio DOMINI, quicquam felicitatis. Vide ergo mihi, quàm amabilia sint tabernacula Dei? quàm iucundũ sit commorari in atrijs? seu in Ecclesia Christi? quàm beatũ sit, habere agnitionem Euangelij DOMINI nostri Iesu Christi? Sed quibus, inquies, istud contingit, vt commorentur in tabernaculis DOMINI? Addit: Qui ambulant in innocentia. Sed quis potest dicere, mundũ seu innocens est cor meum? Siquidem respexeris naturam carnis nostræ, necesse habemus confiteri, quod alius Psalmus ait: Non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Si autem respexerimus Christum DO-

MINVM

MINVM nostrum, FIDE à nobis apprehensum, in innocentia ambulant, quotquot fide in Christum ambulant: Cor enim, inquit Petrus, purificatur FIDE. Opportunè igitur additur ad finem epiphonema. *Actо.15.*

12. *DOMINE Zebaoth, BEATVS homo, qui confidit in TE.*

Memorabile dictum, quod sæpè, tàm in Propheticis, quàm in Apostolicis scriptis repetitur, & docet primum, beatitudinem non consistere in circumcisione. Etsi enim circumcisio fuit, suo tempore, vtile sacramentum, tamen non est illa res, propter quam, per se, iudicamur beati. Deinde docet, beatitudinem non consistere in sacrificijs Leuiticis. Hæc suum suo tempore vsum habuerunt, sed sanguis taurorum, & hircorum, non potest peccata auferre. Adhæc docet, beatitudinem non consistere, nec in operibus legis, nec in meritis operum: In conspectu enim Dei, inquit Paulus, non iustificatur omnis caro. In quo ergo consistit beatitudo? Beatus (inquit) homo, qui in TE confidit. Non est ibi vllus, vel personarum, vel meritorum respectus. Omnis, OMNIS, inquit Paulus, qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio, vel Iudæi, vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes se. Quid igitur tabernaculo Dei, hoc est, ecclesia Christi amabilius, in qua, omnis qui credit in filium Dei, non perit, sed habet vitam æternam? Et quis non mallet in hoc tabernaculo, vel extremæ esse sortis, quàm in tabernaculo regio huius mundi, supremus esse Monarcha? *Rom.10.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod paulò antè attigimus, in hoc Psalmo est antitheſis & collatio tabernaculorum DOMINI Dei noſtri, cum tabernaculis ſeu aulis Regum & Principum huius ſeculi, & cohortatur nos Spiritus ſanctus, vt neglectis aulis Principum, quæramus, & conferamus nos ad tabernaculum, ſeu aulam Dei. Ac initio admiratur iucunditatem ſiue amœnitatẽ aulæ Dei, & prẹfert eam omnibus terrenis aulis. Magna quidem & iucunda videtur amœnitas aularum Principum in hoc ſeculo, & quibus illa felicitas contingere poteſt, vt ſiant in atrijs ſeu tabernaculis Principũ aulici, arbitrantur, ſe factos eſſe beatos ac ſemideos. Sed multo iucundius & amabilius eſt tabernaculum ſeu atrium (quod nos noſtro more Aulam vocamus) DOMINI Dei noſtri. In hoc ſeculo, beati habentur, quibus contigit commorari & honeſtum locum ſortiri, in aulis Principum. Beatiores autem ſunt, qui habitãt in domo ſeu aula Dei. Bonum videtur, & vtile, in magno eſſe pretio, & verſari inter proceres aulicos huius mundi. At melius & vtilius eſt, eſſe oſtiarium in domo Dei, quàm eſſe Regem aut Principem in hoc ſeculo, & in atrijs impiorum. Quid ita? Primùm: Qui in domibus Regum ſunt, veſtiuntur quidem mollibus, vt Chriſtus loquitur, ſed tandem experiuntur duriſsima & aſperrima, nec habent certum & firmum nidum, in quem ſe in tempeſtatibus recipiant. Qui autem in domo Dei ſunt, hi habent nidum & aſylum, in quo ſunt in omnibus periculis tutiſsimi. Qui ſunt in aulis Principum huius,

huius seculi, habent fortasis aliquoties propitium quidem Principem, hominem tamen, animal natura mutabile. Qui autem commorãtur in aula Dei, hi habent propitium DOMINVM Deum nostrum. Qui sunt aulici mundanorum Principum, ornantur & muniuntur clypeis & scutis, quibus corpus tutum esse videtur. Qui autem sunt aulici tabernaculi seu atrij Dei, his DOMINVS Deus ipse est clypeus & scutum, quo sunt muniti, tàm corpore quàm animo, aduersus omne genus afflictionum. Breuiter: Qui in aulis Principum vitam agunt, hi, si fuerint homines prudentes, & rerum experti, se ne viuere quidem arbitrantur. Hoc loco libet commemorare, quod extat de Simili, prefecto Adriani Imperatoris. Hic enim Similis, cum vixisset in aula Adriani, & in præfectura, vsq; ad sexagesimum septimum annum ætatis suæ, impetrata tandem à publicis & aulicis negotijs vacatione, septem annos in agro, quod reliquum vitæ fuit, in otio & quiete transegit. Ac moriens, sepulcro inscribi iussit. SIMILIS HIC IACET, CVIVS AETAS QVIDEM MVLTORVM ANNORVM FVIT, SEPTEM TAMEN DVNTAXAT ANNIS VIXIT. Significans videlicet, vitam aulicam in his terris, ne vitam quidem esse. Qui autem agunt vitam in atrio seu tabernaculo & aula Dei, hi, etiamsi videantur in hoc seculo miserrimam vitam ducere, tamen quia ex prædicatione Euangelij agnoscunt Christum, *Ioan. 11.* per fidem, viuunt, quamuis mortui, imò ne moriuntur quidem in æternum. Illud ergo vnum sit nostrum studium, non vt illustres fiamus in aulis Principum huius seculi, sed vt simus incolæ in aula DOMINI Dei

nostri, (hoc est) vt credamus Euangelio de Iesu Christo: quò fiet, vt iuxta hunc Psalmum, nihil nobis cœlestium bonorum defuturum sit.

Psalmus 85.

Benedixisti DOMINE terram tuam, auertisti captiuitatem, &c.

Hieronymus.

Augustinus.

PLærique interpretes exponunt hunc Psalmum de aduentu DOMINI nostri Iesu Christi, in hunc mundum. Veritas de terra orta est. Quæ est (inquiunt) veritas, quæ de terra orta est? Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Veritas de terra orta est. Christus de fœmina natus est. Filius Dei de carne processit. Quid est veritas? Filius Dei. Quid est terra? Caro. Interroga, vnde natus est Christus, & vides, quia veritas de terra orta est. Sed hæc veritas, quæ orta est de terra, erat ante terram, & per ipsam factum est cœlum & terra, &c. Hæc expositio analoga quidem fidei est, & valdè plausibilis. Quis enim non daret plausus differenti de aduentu, de regno, & de beneficijs DOMINI nostri Iesu Christi? NAM hæc aliâs in scriptis Propheticis tàm clarè & perspicuè extant, vt nullus de ipsis dubitandi locus relinquatur. Sed quia ipse Psalmi contextus præ se fert generalem precandi formulam, in aduersis,

fis, nos etiam generalem interpretandi formulã ſequemur. Primùm igitur Pſaltes confirmat fidem ſuã, è ſuperioribus, & anteactis beneficijs, quę Deus prioribus temporibus Eccleſiæ populi ſui clementer exhibuit. Deinde commemorat beneficia tàm ſpiritualia, quàm corporalia, quę in præſentia petat populo ſuo præſtari.

1. *Diligis (inquiens) DOMINE terram tuam, reduxiſti captiuitatem Iacob.* (eorum.
2. *Remiſiſti iniquitatem populo tuo, operuiſti omne peccatum*
3. *Mitigaſti omnẽ indignationẽ tuã, auerſus à furore iræ tuæ.*

Hæc eſt prior pars Pſalmi, in qua commemorantur vetera beneficia, quæ Deus eccleſię ſuæ exhibuit. DOMINE, inquiens, agnoſcimus te mirifico quodam affectu proſequi terram tuam, quòd etiamſi ita aduerſus populum tuum Iacob, ſeu Iſrael, inflammatus fueris, vt eijceres eos, propter impietatem eorum è terra, quam tradideras ipſis in exiliũ, tamen clementer eos è captiuitate reduxeris, & patriæ ſuæ reſtitueris. Cęterũ, vbi nos interpretati ſumus, Diligis ſeu dilexiſti terrã tuã, ibi Latinus interpres habet, Benedixiſti, Hebræus autem habet רצית Razitha, voluiſti ſeu complacentiam habuiſti, & Græcus εὐδόκησας, quod idem ſignificat, Latinus autem traduxit Benedixiſti. Non eſt igitur dubium, quin pro εὐδόκησας, legerit εὐλόγησας. Etſi autem hic error non eſt magni momenti, tamen viſum eſt adnotare, vt intelligamus iniquum eſſe, quòd nonnulli exigunt, vt in Eccleſia oſcitantia interpretum habeatur ſacroſancta. Dicit ergo Pſaltes: Illud, DOMINE, inſigne argumentum eſt beneuolentiæ *Synodus Tridentina.*

tuæ,

tuæ, qua affectus es erga terram tuam Canaan, quam dediſti quondam Iſraelitis tuis in hæreditatem: quòd etſi impietate ſua meruerunt, vt ab hoſtibus expellerentur ex ea, & in captiuitatem abducerentur, tamen placatus & propitius eis redditus, reduxiſti eos è captiuitate, & reſtituiſti eos terræ ſuæ. Primùm enim, cùm iuxta promiſsionem tuam, quæ extat Leuiti. 26, reſipiſcerent in terra hoſtili, & rogarent pro peccatis ſuis, memor fuiſti terræ tuæ, & condonaſti eis, gratuita tua clementia, iniquitatem eorum, (quod eſt beneficium longè omnium maximum,) ac texiſti & operuiſti ſingulari gratia tua, peccata ipſorum, vt iam tùm adhuc exules, per fidem eſſent beati, iuxta alium Pſal-
Pſalm. 32. mum: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Deinde, auerſus à furore iræ tuæ, mitigaſti omnem indignationem tuam, vt in libertatem reſtituti patriam ſuam tutò incolerent. Loquitur autem, de liberatione Iſraelitarum, è captiuitate vel Moabitica, Iudi. 3. vel Midianitica, Iudic. 6. & 7. vel Ammonitica, Iud. 10. vel Paleſtina Iudic. 13. Nam, vt non addam etiam liberationem è captiuitate Babylonica, in quam coniecti ſunt Iſraelitæ, temporibus Regis Zedekiæ, & poſtea iterum liberati ſunt per Cyrum regem Perſarum, ac ſedibus ſuis auitis reſtituti, idcirco fit, quòd arbitrer hunc Pſalmum conſcriptum eſſe, priuſquam Iudæi in Babylonicum exilium abducti eſſent. Meminit verò illarum liberationum, vt confirmaret, e ſuperioribus beneficijs, fidem ſuam, & excitaret ſpem ſuam, ad accipiendam à Deo liberationem è præſentibus aduerſis, quemadmodum paulo ante admonebamus.

Solenne

Solenne enim est pijs, ex anteactis miraculis, & acceptis beneficijs, fidem & spem suam confirmare. Supra modum, inquit Paulus, grauati fuimus supra vires, adeò, vt desperauerimus etiam de vita. Quin ipsi in nobis ipsis sententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo, qui ad vitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit: in quo spem fixam habemus, quòd & posthac eripturus sit, &c. 2. Cor. 1.

4. *Consolare nos Deus, saluator noster, & dissolue iram tuam aduersus nos.*
5. *Nunquid in æternum irascêris nobis? perges indignari perpetuò?*
6. *An non tu conuersus viuificabis nos, vt populus tuus lætetur de te?*
7. *Ostende nobis DOMINE misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis.*

Altera pars Psalmi, in qua, confirmata iam fide, è superioribus beneficijs & liberationibus, deprecatur præsentem iram, & petit clementem restitutionem illorum beneficiorum, quæ hactenus ablata fuerunt. Consolare nos, inquiens, Deus, saluator noster, & dissolue iram tuam aduersus nos. Experti sumus sæpe ac multùm insignem tuam beneuolentiam erga nos, qua re ipsa testificatus es, te nos ecclesiam tuam, summo charitatis affectu prosequi. Reuocasti enim exules nos & captiuos in patriam, è qua propter impietatem nostram eiecti, aut saltem oppressi eramus: condonasti nobis peccata nostra, operuisti clementia

tua ſcelera noſtra, remiſiſti omnem iræ tuæ furorem. In præſentia autem non minor incumbit in humeros noſtros afflictio & miſeria, quàm olim, cùm captiui abducebamur inter gentes, aut ab ipſis opprimebamur. Speramus igitur te veterem tuam beneuolentiam non abieciſſe, ſed potius adhuc firmiſsimè retinere. Obſerua autem, quòd etſi Pſaltes confirmauit fidem ſuam in ſuperioribus verſiculis, è veteribus beneficijs & miraculis: tamen pergit etiam in his verſiculis, fidem ad huc firmiorem reddere, propterea quòd magnitudo præſentium calamitatũ, requirebat quoq; magnitudinem fidei. Dicit enim: Conſolare nos Deus, ſaluator noſter: g..udes vocari ſaluator, cupis celebrari nomine & epitheto ſaluatoris: Ego ſum in, quiens,

Eſa. 43. DOMINVS Deus tuus, ſanctus Iſrael, SALVATOR tuus. Et mox: Ego ſum, ego ſum DOMINVS, & non eſt

Matth. 1. præter me ſaluator. Vnde & voluit vnigenitum filium ſuum inſignire nomine Ieſu, hoc eſt, ſaluatoris. Quare, cum hoc ſit proprium tuum epitheton, non dubito, quin quòd nomine vocaris, reipſa quoque fideliter præſtes, & conuerſus ad nos, conſolatione tua nos ſuſtentes. Deinde dicit: Nunquid in æternum iraſceris nobis? perges indignari perpetuò? Vocatur enim Deus miſericors, clemens, multæ miſerationis & verax. Hæc non ſunt nuda Dei epitheta,

Exod. 34.
Num. 14.
Pſal. 103.

nec tribuuntur Deo propter vnum tantùm & alterum beneficium miſeris præſtitum, ſed quòd clementia, miſericordia, & miſeratio, ſint ipſa Dei natura, eſſentia, & naturale, vt ſic loquar, ingenium. Etſi enim tribuitur Deo aliquoties pro humano more, ira, indignatio, & furor, tamen hæc non eſt propria eius natura,

tura, ſed aduentitia, & vt Eſaias loquitur, aliena & peregrina. Et in Pſal. 30. Momentũ in ira eius, vita autem in beneplacito eius: Veſperi pernoctat fletus, ſed manè redit lætitia. Vide ibi alia quoq; teſtimonia ſcripturæ, quòd non ira, ſed clementia & miſericordia ſit natura Dei. Huc facit, quod & Pſalmo 103. dicitur: Non in perpetuum iraſcetur, neq; in æternum comminabitur. Et apud Hieremiam: Sanctus ſum ego, dicit DOMINVS, & non iraſcar in perpetuum. Pertinet & illud ad confirmandam fidem: An nõ tu conuerſus viuificabis nos? Nam & viuificare, propria Dei natura eſt, quòd etiamſi DOMINVS mortificare dicatur, tamen illo conſilio mortificet, vt viuificet. Quæ cum ita ſe habeãt, reliquũ eſt, vt cum in præſentia, inquit Pſaltes, iraſcaris nobis, & mortifices, certiſsimam ſpem concipiamus, te meditari erga nos fauorem & lætitiam, ac demonſtraturum nobis miſericordiam & ſalutem tuam. *Eſa. 38.*

8. *Audiam, quid loquatur Deus DOMINVS. Quoniam loquetur pacem ad populum ſuum, & ad ſanctos ſuos, ne conuertantur ad ſtultitiam.*

Petitioni additur enumeratio beneficiorum, quæ hactenus adempta fuerunt. Precatur autem Pſaltes, vt clementer reſtituantur. Ac primum, idq; præcipuum eſt: Audiam, inquit, quid loquatur Deus DOMINVS. Caruimus enim hactenus multo tempore Propheticis concionibus, ac ſyncera verba Dei adnunciatione, ambulauimus in tenebris idolomaniæ, & humanarum traditionum: neſciuimus, quà ſit eundem ad veram iuſtitiam & felicitatem. Sed

errauimus ſicut oues, quæ perierunt. Precamur ergò, vt reſtituas nobis lucem verbi tui, & audiamus, non quæ Pſeudoprophetæ, non quæ homines ſomniatores: ſed quæ Tu DOMINE Deus noſter loquaris. Nam quæ homines, pro ſuo arbitrio, & ſuis ſomnijs, loquuntur, non ſolùm vana ſunt nugamenta, verùmetiam pernitioſa ſunt & mortifera figmenta. Non afferunt pacem & tranquillitatem conſcientiæ, ſed perturbant populum, ac ita affligunt Sanctos ſeu eccleſiam DEI, vt potius perducant eos ad ſtultitiam, quàm ad ſapientiam: ad impietatem, quàm ad verã pietatem: ad internecionem, quàm ad ſalutem. Quæ autem DOMINVS loquitur, ea demùm verè ſunt pacifica & ſalutaria. Cum enim duo ſint piæ doctrinæ, quam DOMINVS loquitur, genera: alterum Lex, alterum Euangelion de Meſsia: etſi Lex ducit in agnitionem peccati, ideoq; perturbat conſcientiam & occidit, tamen non idcirco occidit, vt in morte & in perditione detineat: ſed vt præparet hominem ad Euangelion, & transferat eum ad pacem, & ad vitam, eamq; æternam: ac redimat eum à ſtultitia impietatis, & perducat ad ſapientiam pietatis, & iuſtitiæ. Quare, quod DOMINVS ad populum, ſeu eccleſiam ſuam ſanctam loquitur, illo tantùm conſilio loquitur, vt iuſtificati ex fide (libet enim hoc verbis Pauli exponere) pacem habeamus ad Deum, per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & contigit nobis, vt fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ DEI. Itaq; hic verſiculus concionatur de duobus maximis beneficijs: quæ nobis per prædicationem verbi DEI, à Spiritu ſancto exhiberi ſolent.

solent. Alterum est, quòd qui credit verbo DEI, reconciliatur cum DEO, & redditur conscientia eius tranquilla: Loquetur, inquit, pacem ad populum, & ad Sanctos suos. Siue enim loquatur Legem, meditatur pacem: Lex (inquit) Pædagogus noster est ad Christum, *Gal.3.* vt ex fide iustificaremur: siue loquatur Euangelion, loquitur potentiam DEI, ad salutem omni credenti. Deinde continet populum suum in officio: Ne conuertantur (inquit) ad stultitiam, seu ad impietatem. Verbum enim DOMINI, vt alius Psalmus ait, immaculatum, conuertens animas, testimonium DOMINI fidele, sapientiam præstans paruulis. Siue igitur perturbaris in conscientia propter peccata, siue sollicitaris offendiculis ad impietatem: ad audiendũ verbum, quòd DOMINVS loquitur, non quòd homines somniant, conferas te necesse est. *Psalm.19.*

9. *Certè, propinqua est timentibus ipsum, salus eius, vt commoretur gloria in terra nostra.*

Aliud beneficium, quod ex adnunciatione verbi DEI prouenit. Propinqua, inquit, est salus DOMINI timentibus ipsum: vt commoretur gloria in terra nostra. In præsentia enim commoratur in terra, in regione nostra, fœda, turpis, & horribilis vastitas, hostes nostri incurrunt in agros nostros impunè, & aut abducunt incolas captiuos, aut relinquunt post se omnia penè inculta & deserta, vt quantò glorioſior fuerit hactenus regio nostra, tantò nunc videatur abominabilior. Nihil autem certius est, quàm quod salus DOMINI nõ longè absit ab his, qui timent DOMINVM: sed propin-

qua adsit omnibus colentibus & inuocantibus eum in veritate. Cum igitur nos pœnitentiam agamus, & timeamus ac inuocemus DOMINVM ex fide, obsecramus te, vt præstò adsis precibus nostris, & restituas nobis pristinam gloriam terræ nostræ, ne transeuntes per viam plaudant super eam manibus suis, sibilent, & moueant capita sua, & dicant: Hæccine est terra perfecti olim decoris, & gaudium omnibus incolis?

Hier. Thren.

10. *Vt misericordia & veritas mutuò sibi occurrant, iustitia & pax sese osculentur.*

Misericordia seu beneficentia, & veritas, sæpenumerò, præsertim in Psalmis, & aliâs quoq; coniungi solent, vt Psalm. 89. Misericordias DOMINI in æternum cantabo, & perpetuò adnunciabo veritatem eius ore meo. Et mox: Misericordia & veritas sunt coram facie tua. Ac rursus: Veritas mea, & misericordia mea cum ipso. Et Prouerbiorum 20. Misericordia & veritas custodiunt regem. Describitur ergò in hoc versiculo aliud beneficium, quod oritur ex adnunciatione verbi DEI. Vbi enim DEVS loquitur, & patefacit verbum suum, ibi inter homines occurrunt sibi mutuò beneficentia, & veritas, ibi etiam osculantur se inuicem iustitia & pax. In silentio quidem verbi DEI, & in tenebris humanarum traditionum, nulla est hominum inter se beneuolentia, nulla charitas, nulla veritas, nulla iustitia, nulla pax, sed suo quisque commodo, quod sibi fingit, studet: non est ibi vlla pactorum constantia, non promissionum veritas

ritas. In mutuis contractibus non est iustitia aut æquitas: in ciuili familiaritate non est pax aut tranquillitas: Semper fortior opprimit imbecilliorem, adeoque illud fieri solet, quod in Osea dicitur: Non est veritas, non est misericordia, non est scientia DEI in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tangit. Cum autem DEVS loquitur, solent beneficentia & veritas sibi occurrere, & iustitia ac pax se inuicem osculari. Homines enim excitantur verbo DEI per Spiritum sanctum, vt sibi inuicem, iuxta caritatis regulam, benefaciant, & misericordiam exhibeant, vt pacta & promissa constanter seruent, vt iustè inter se negotientur, vt pacem colant, & placidam ac quietam vitam degant, cum omni pietate & honestate. Breuiter: Vbi verbum DEI patefactum fuerit, ibi Spiritus sanctus efficax est, omni genere officiorum & virtutum. Etsi enim homines natura sua peccato ita corrupti sunt, vt non possint, quamuis per Spiritum sanctum renati, in hac vita, perfectam beneuolentiam erga proximum, caritatem, & iustitiam, præstare: tamen, qui ex verbo DEI per fidem renascuntur, hi, vt possident in semine Abrahæ, hoc est, Christo DOMINO nostro, perfectam iustitiam, ita mortificant per Spiritum sanctū carnem suam, vt peccatum non dominetur in corpore ipsorum. Quare, cùm diuino beneficio verbum Dei, in Ecclesia populi Dei restituitur, fieri non potest, quin in ea omnia mutuæ caritatis & virtutū genera restituantur, vt rectè dicatur: quòd beneficentia, & veritas ibi mutuò sibi occurrant, & iustitia ac pax sese osculentur: vbi DOMINVS loquatur. Vs

Osea. 4.

11. *Vt veritas de terra germinet, & iustitia de cœlo prospiciat.*

Ecce veritas (inquiunt alij interpretes, quemadmodum antea admonuimus) hoc est, saluator, de terra (hoc est) de Maria ortus est, Iustitia, qui ipse saluator est, de cœlo prospexit, quoniam Deus semper in cœlis est, &c. Verissima quidem sententia, sed an huic versiculo propriè apta sit, cogitari potest. Commemorat enim Psalmus beneficia verbi Dei, inter quæ illud eximium est, quòd vbicunq; DOMINVS loquitur, & verbum eius perspicuè ac syncerè adnunciatur, ibi oritur de terra veritas, quia homines in his terris vitam agentes, & ex verbo Dei renati, non amplius dant operam mendacijs & impostoris, sed sunt veraces, & pactorum ac promissionum suarum seruantissimi: similiter etiam iustitia de cœlo prospicit, quia patefacto diuinitus verbo Dei, patefit etiam, & illustratur, quasi cœlesti luce, iustitia. Siue enim intelligas de iustitia fidei, certè ea per verbum Dei ita vulgatur & spargitur, vt manifestos, & luce meridiana clariores afferat fructus: Siue intelligas de iustitia operum, seu de honestate externæ vitæ, ea in renatis ita lucet, vt homines videant ipsorum bona opera, & glorificent patrem nostrum, qui est in cœlis. De hac iustitia concionatur etiam Esaias: Cum videris, inquiens, nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet, quasi aurora, lux tua, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuã iustitia tua, & gloria DOMINI colliget te. Maximum igitur omniũ beneficium est, si DOMINVS nobis loquatur: vt ex verbo eius iustitiam, tàm fidei, quàm bonorum operum per Spiritum sanctum concipiamus.

Esa.58.

12. *Vt*

12. *Vt & DOMINVS benefaciat nobis, & terra noſtra det fructum ſuum.*

13 *Vt iuſtitia ante ipſum ambulet, & ponat in via greſſus ſuos.*

Quid pluribus opus? inquit Pſalmus: conferam .n. in pauca, quæ petimus. Precamur enim DOMINVM, vt conferat in nos, non tantùm ſpiritualia & cœleſtia, ſed etiam corporalia ac mundana beneficia, vt & DOMINVS (inquit) nobis benefaciat, & reddat noſtrã regionem fœcundã ac feracem, nihilq; nobis, nec in eccleſia, nec in politeia, nec in œconomias deſit: ſed iuſtitia ambulet coram eo, & ponat in via greſſus ſuos, hoc eſt, vt iuſtitia publicè, non tantùm coràm hominibus, verùmetiam coràm Deo obtineat & figat greſſus ſuos, ſeu permaneat firma & ſtabilis. Sed quid? An non eſt impudentiæ, cum peccaueris, & propter peccatum puniaris, tantum bonorum tàm corporalium quàm ſpiritualium, à Deo petere? Conſideremus igitur, quòd quemadmodum DEVS poteſt cumulte facere vltrà omnia, quæ petimus aut cogitamus, ita petere à DEO, quæ diuinitus ſunt promiſſa, non ſit impudentia, ſed obedientia. Promiſit autem DEVS timentibus ipſum, & pœnitentiam agentibus omnia genera tàm ſpiritualium quàm corporalium beneficiorum. Certè (inquit noſter Pſalmus) propinqua eſt timentibus ipſum ſalus eius, vt commoretur gloria in terra noſtra. Et aliâs: Si audieris vocem DOMINI, Dei tui (hoc eſt) ſi egeris pœnitentiam (hoc enim eſt vocem DOMINI Dei audire) abundare te faciet DOMINVS OMNIBVS bonis. Et aperiet theſaurum ſuum optimum, cœlum, vt tribuat

pluuiam terræ tuæ, in tempore suo, benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum. Et iterum de iustitia:

Deut. 24. Si pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei antè solis occasum, vt dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas IVSTITIAM coram DOMINO Deo tuo. Iustitiam videlicet, non quidem ex merito operis tui, quia vera iustitia coram Deo, quæ est remissio iniustitiæ nostræ, & donum æternæ vitæ, tantùm est ex merito DOMINI nostri Iesu Christi, per fidem: sed iustitiam, quæ est testimonium publicum coram Deo & hominibus. Cum igitur propter peccatum affligimur, primùm omnium timeamus DOMINVM, hoc est, resipiscamus, & veram pœnitentiam agamus, vt & aperta fronte liceat nobis tàm corporalia quàm spiritualia & cœlestia beneficia, & à DOMINO Deo nostro iuxta promissionem eius postulare.

VSVS HVIVS PSALMI.

Generalis est precatio ad DOMINVM: vt, postquam aduersis excitati, agimus pœnitentiam, clementer restituat nobis tàm ecclesiastica quàm politica & œconomica beneficia, multis hactenus cladibus labefactata & conuulsa, ac conseruet ea firma ac inuiolata.

Psalmus

Psalmus 86.

Inclina DOMINE aurem tuam, exaudi me, &c.

NOn est dubium, quin hic Psalmus sit iuxta inscriptionem suam, precatio Dauidis, eiusq; perturbatissimi & afflictissimi. Nec est obscurum, quòd inuocet verum DOMINVM Deum nostrũ. Sed quia sunt tres vnius diuinitatis personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quarum singulas honore inuocationis venerari, non solùm pium est, verùmetiã non venerari impium est, & in hoc Psalmo disertè dicitur: Omnes gentes, quascunq; feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabũt nomen tuum, quod de Christo filio Dei, & de vocatione gentiũ, ad fidem in Christum, propriè intelligendum est: idcirco sentiamus, precationem huius Psalmi peculiariter ad secundam diuinitatis personam, quæ est filius Dei, DOMINVS noster Iesus Christus, à Dauide dirigi. Quid autem illud sit, quod Dauidem ad huius Psalmi precationem excitârit, haud obscurè exponit decimus quartus versiculus: Deus, iniqui surrexerunt super me, & synagoga potentium quæsiérunt animam meam, nec proposuerunt te in conspectu suo. Promissum enim erat Dauidi regnum Israelis diuinitus, & erat iam ipse, prophetica vnctione, in regnum à Samuele sanctificatus. Sed multa obstabant, quò minus, quod promissum erat, assequeretur.

Malebat enim Saul tyrannus, regnum Israelis ad posteros suæ familiæ transmittere, quàm Dauidi cedere. Deinde, diuturnum exilium, in quod Dauid à Saule eijciebatur, periculosius fuit, quàm vt potuerit, pro humana ratione liberationem, & aditum ad regnum sperare. Necesse enim habebat in exilio, inter alienos incertis sedibus ita vagari, vt quouis tempore, proditoribus & hostibus expositus esset. Adde, quòd cum iam assecutus esset regnum, & à suo ipsius filio iterum expelleretur, desertus fuerit à præcipuis suis amicis, quos ipse euexerat. Quare, cum tanta sibi pericula ob oculos poneret, & cum animo suo consideraret, nec esset ei vlla humana spes relicta, confugit ad cœlestem opem, & inuocat filium Dei, quem ex promissionibus, quæ ad ipsum dictæ erant, certò credebat familia sua carnem seu humanam naturam assumpturum, vt afferret omnibus gentibus benedictionem, & dominaretur in cœlo & in terra, quippe qui sessurus erat ad dextram Dei Patris sui: nihil dubitans, quin is, cui omnis potestas in vniuerso mundo danda esset, daturus etiam clementer esset euentum, vt tanta pericula sufferet, & ad regnum in his terris definito suo tempore peruerire posset.

Sed audiamus nunc non solùm, quibus verbis filium suum, verum Deum inuocet, verùmetiam quibus rationibus vtatur, hoc est, fidem suam in ipsum confirmet, vt ipsum ad conferendam opem in aduersis excitet.

1. *Inclina DOMINE aurem tuam, exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.*

Hic

Hic est status, hæc est propositio huius precationis. Orat enim Dauid, vt DOMINVS preces suas exaudiat, & succurat ipsi in grauissimis suis afflictionibus, quas ab iniquis, & crudelibus tyrannis sufferat. Repetitur autem hæc propositio aliquoties, sed mutatis subinde verbis: idq́ non inani βαττολογία aut ταυτολογία, sed vt testificetur vehementiam affectus sui, & habeat occasionem subiungendi rationes, quibus Christus Dominus suus permoueatur, aut potius fidem suam ipse confirmet, vt ipsi terq́ quaterq́ misero clementer subueniat: Inclina inquiens, DOMINE aurem tuam, & exaudi me: Sic quidem alloquitur filium Dei, perinde ac si natura perpetuæ suæ diuinitatis, aures, humano more, haberet: interea autem significat haud obscure eum incarnandum, & humanam naturam, quæ aures, oculos, manus, & pedes habet, assumpturum. Et additur mox precationis ratio: Quia miser, inquit, afflictus, egenus, pauper, & omnium hominum ope destitutus sum ego. Inuoco te, non consuetudinis, non honoris tantùm, sed necessitatis gratia. Hæreo enim in extremis periculis & ærumnis. Insurgunt aduersus me iniqui, iniusti & superbi. Quærunt animã meã: Insidiantur vitę meæ; non vnus tantùm infimæ sortis homo, sed magna & multa hominum potentum, & tyrannorum caterua: idq́ nullo DEI timore: imò arbitrantur se potius hac persecutione præstare Deo cultum gratissimũ. Quis igitur me miserior et afflictior? sed quantò sum ærumnosior, tantò maiori fiducia filium Dei inuoco. Promisit enim, se inopes, egenos, pauperes, afflictos & ærumnosos exauditurum. Cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo

eum. Et iuxta est DOMINVS ijs qui tribulato sunt corde, & humiles Spiritu saluabit. Quare, cum & ego continear nunc in catalogo tribulatorum, inopum, & afflictorum, non habeo causam, cur animum despondeam: Sed potius cur optimè confidam, & certissimam liberationem sperem. Habes vnam rationem, qua filius Dei tacitè admonetur suæ promissionis de afflictis, & qua precator fidem suam, in inuocatione sua, confirmat. Audiamus & alias.

2. *Custodi animam meam: Quoniam sanctus sum: Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te.*

Repetit propositionem, sed alijs verbis. Et addit in hoc vno versiculo, tres rationes, quibus stabiliat fidem suam. Custodi, inquit, animam meam, hoc est, inclina ad me aures tuas: & exaudi me, vt animam seu vitam meã custodias, & ab impijs persecutoribus incolumem serues. Quæso igitur te, quid est illud, quòd te ad inuocationem, & ad spem consequendi cœlestis auxilij excitat? Audi tres rationes. Vna est: Idcirco inuoco te, & spero auxilium tuum: quia sanctus sum ego. Pro (sanctus) Hebræus habet חסיד Hasid: Quòd nunc significat, pium beneficum, & misericordem: nunc opprobrio & ignominia sordidatũ. Iuxta varia igitur significata, huius vocabuli, varia etiam est sententia loci huius. Dauid enim precatur, vt filius DEI orationem suam exaudiat: Quia ego, inquit, misericors sum: Videor igitur mihi, non quidem iure & merito meæ iusticiæ: sed benignitate & clementia tuæ gratuitæ promissionis, postulare, vt & mihi præstetur misericordia.

Quam

Quam enim misericordiã Dauid exhibuerit Sauli, capitali suo hosti, cum deprehenderet ipsum solum in deserto Engaddi, & inuenisset postea eum dormientem in tentorio, e priori libro Samuelis manifestius est, quàm vt hoc pluribus commemoretur. Quare, cùm pronunc*ientur beati, qui sunt misericordes, confido, me non frustrà expectare, vt & ipse misericordiam consequar. Si aũt vocabulum, Hasid, iuxta alterã significationem exponas, sententia est: Peto in precibus meis exaudiri, quia expositus sum omnium hominum ludibrio, & opprobrio. Nam cùm Saul persequatur me, vt seditiosum & regni affectatorem: nemo ferè est, qui non idem de me suspicetur, & ad exemplum regis sui, me tàm diris deuoueat, quàm è terris sublatum cupiat. Quem autem homines innocentem maledictis inceſſunt, & condemnant, eum DEVS benedictione sua prosequitur, & absoluit. Non igitur dubito: quin DOMINVS sit me è tantò ludibrio & opprobrio, cum gloria & laude nominis mei, liberaturus. Deinde, saluum, inquit, fac seruum tuum. Vocabulum serui, correlatiuum est, ad vocabulum Domini. Vsitatum autem est, vt Dauid vocet Christum filium suum: Dominum. Dixit DOMINVS, (inquit) domino meo, sede à dextris meis. Vicissim igitur vocat se seruum suum: Saluum fac (inquiens) seruum tuum. Est & hoc vocabulum fidei confirmatio. Notum enim est, quæ fuerit apud veteres seruorum conditio. Seruus totus pendet à domino suo. Ecce, inquit alius Psalmus, sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad DOMINVM Deum nostrum: donec misereatur nostri: Dicunt & Legum tabulæ. Apud omnes peræquè gentes animad*

1. *Sam. ca.* 24. & 26.

Psalm. 122.

Iusti: lib. 1. de his qui sui vel alieni iuris.

animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ necisq; potestatem esse. Et quodcunque per seruum acquiritur, id domino acquiritur. Cum igitur serui sint alieni, non sui iuris, perspicuum est, quòd cum Psaltes vocet se seruum DOMINI Christi, significet se totum à cura, defensione, & protectione eius pendere, nec aliunde auxilium expectare. Qui autem solius DOMINI gratia & ope nititur, fieri non potest, vt pudefiat. *ô* DOMINE inquit iterùm alius Psalmus, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et rursus: Propter misericordiam tuam dispersas inimicos meos, & perdas omnes hostes animæ meæ. Quia ego SERVVS tuus sum, (hoc est) Non dubito, quin me in medio inimicorum & hostium meorum seruaturus sis. Quia totus sum tui iuris, & à te solo seruatore meo tutelam & salutem expecto. Additur postremò & illud: Speranten in te: Profiteor me seruum tuum, de clementia tua erga me, haud quaquam dubitantem: sed in te solo sperantem. Beatus autem homo, qui sperat in TE. Et quoniam sperauit in me, liberabo eum, protegam eum, quoniam conoguit nomen meum. Nihil aliud igitur reliquum est, quàm vt certissimam salutem à te DOMINO Christo Domino nostro, expectem.

Psalm. 84.
Psal. 91.

3. *Miserere mei DOMINE: quoniam ad te clamo assiduè.*

Iterum repetitur propositio, cui & sua adijcitur ratio. Obsecro te DOMINE, vt inclines ad me aures tuas, & præstes mihi misericordiam. Quoniã clamo ad te. Nõ musito in precibus meis, perinde ac si essem ἐγγαστρίμυθος seu ventriloquus quispiam: sed expono eas

eas perſpicuè: tàm clara voce, quàm firma fide. Et clamo non ad idolum quoddam, aut alienum Deum: ſed ad te, filium Dei, verum & æternum DOMINVM Deum noſtrum. Et clamo non vno tantùm momẽto, non vna hora: ſed tota die: non ſemel tantùm & iterũ: ſed aſsiduè, dies atq; noctes. DOMINVS autem Deus noſter promiſit pio & aſsiduo clamori exauditionem, imò tàm propinquꝰ eſt obſecrationibus noſtris, vt dicat: Erit, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, audiam. Et: DOMINVS (inquit) exaudiet me, cum clamauero ad eum. Quid ergo mihi obſtabit, quò minus exaudiar? *Eſa. 65.*

4. *Lætifica animam ſerui tui: quoniam ad te DOMINE animam meam leuo.*

Rurſus proponit, & rurſus adnectit ſuã rationem. Lætifica, inquit, animam SERVI tui: propter quam cauſam? quia leuo, inquit, animam meam ad TE. Non leuo animam meam, non expando manus meas, ad Deum alienum. Hoc enim ſi facerem, haud iniuria repulſam paterer. Nunc autem leuo animam meam ad TE tantùm, DOMINVM Deum noſtrum. Ad te ſolùm toto animi mei deſiderio feror. In te ſolo confido. Illud igitur ſupereſt: vt non erubeſcam, neque confundar. Etenim vniuerſi, iuxta alium Pſalmum, qui te ſuſtinent, non confundentur.

5. *Quoniam tu Domine, benignus es, & facilis ad ignoſcendũ: & multùm miſericors in omnes, qui te inuocant.*

Αἰτιολογία ſeu cõfirmatio prioris rationis: Ad te Do-

mine leuo animam meã. Tui ſolius deſiderio teneor. Quid ita? Quoniam tu Domine bonus, & facilis ad ignoſcendum, ac multæ clemẽtiæ. Hæc ſunt tria epitheta, obſeruatione digniſsima. Primùm eſt, טוב Tob, hoc eſt, bonus, benignus, ſuauis, et iucũdus, quod omnia, quę fecit bona ſunt, & aſpectu nõ tàm iucunda, quàm vtilia. Quæcunque igitur nobis, diſponente, ordinante, & immittente DOMINO eueniunt, bona, commoda, vtilia ſint, neceſſe eſt. Alterum eſt, סלח Salach, quod ſignificat propiciabilem, ſeu facilem ad ignoſcendum, qui non retineat iram ſuam longo tempore, ſed facilimè ſit placabilis. Neq; enim Deus eſt, vt homo, qui prouocatus ad iracundiam & excitatus ad amarulentiam, nullis amicorũ precibus flecti poteſt, vt mitigetur, & iram remittat: Deus autem tàm placabili eſt ingenio, vt vel vna lachrymula, aut ſuſpiriolo, ad condonationem, ſeu ad dandam veniã, excitetur. In Euangeliſta Luca, publicanus omni peccati genere ſordidatus, non audebat oculos ad cœlum tollere: Sed tantùm percutiẽs pectus ſuũ, dicebat: Propicius eſto mihi peccatori. Quid ergo factũ eſt? Deſcendit, inquit Euangeliſta, hic publicanus in domum ſuam magis iuſtificatus, quàm ille. Mulier peccatrix riget lachrymis pedes Ieſu, & extergit eos capillis capitis ſui, ac vngebat vnguẽto. Quid his ſeu operibus, ſeu officiolis, præſertim in muliere, magis leuiculum? Et tamẽ filius Dei ita placatur, vt continuo ad mulierem dicat: Remittũtur tibi peccata tua, vade in pace. Non arbitreris autem, Deum patrem eſſe filio ſuo minus placabilem: ſed potius non poteſt filius à ſe quicquam facere, niſi quod viderit patrem facientem,

Luc. 18.

Luc. 7.

Quæ

Quæcunq; enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit. *Ioan.5.*
Et filius est splendor gloriæ, ac expressa imago sub- *Heb.1.*
stantiæ Dei patris. Cum igitur videamus in filio tan-
tam placationis facilitatẽ, fieri non potest, quin & ea-
dẽ natura, idem ingeniũ sit in Deo patre, vt haud iniu-
ria vterq; reportet cognomentũ facilis ad remittenda
seu condonanda peccata. Tertium est רב חסד Rab He-
sed, (hoc est) multùm misericors, seu beneficus. Non
simpliciter vocatur misericors: sed multũ misericors,
vt significetur, affectũ misericordię & beneficẽtię Dei
erga nos homines longissimo interuallo relinquere
post se affectũ illum humanũ, quo homo hominẽ, quã-
uis amicissimũ, complecti solet, quemadmodũ & ali-
us Psalmus testatur: Quàm altius est cœlũ terra, tàm *Psal.102.*
pręualet misericordia eius erga timẽtes eum: & quàm
longè est oriens ab occidente, tàm longè fecit à no-
bis transgressiones nostras.

Hæc & id genus alia epitheta Dei, diligentissimè,
pręsertim in precationibus, considerանda sunt, & in-
tuenda: vt fidem nostram aduersus tentationes con-
firmemus, & contra assultus satanæ de indignatione
nostra, & seueritate diuinæ iræ, muniamus: quòd etsi
Deus grauissimè in nos tàm verbis, quàm verberi-
bus inuehitur, nõ tamen nostrũ exitiũ, sed potius no-
strã salutẽ, et iuxta epitheta (hoc est) iuxta ingeniũ na
turæ suæ, bonitatem, ignoscentiã, et copiosam miseri-
cordiã erga nos meditetur. Sed quibus est bonus, fa-
cilis, & multũ misericors? sequitur: Omnibus inuocã-
tibus te. Certus. n. & indubitatus est sermo Prophetę: *Ioel.2.*
Quisquis inuocauerit nomẽ DOMINI, saluus erit. Re- *Actо.2.*
liquum igitur est, vt nihil patiar me ab inuocatione *Rom.10.*
nominis Dei auocare: sed pergam constanter dicere.

6. *Auribus percipe DOMINE orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.*
7. *In die tribulationis meæ clamo ad te, quia exaudis me.*

Precator fide confirmatus, ex epithetis Dei, quæ paulò antè cõmemorata sunt, repetit propositionem, & pergit in inuocatione: Percipe, inquiens, DOMINE, auribus orationem meam, & attende voci deprecationis meæ. Inuoco enim te, non fallendi temporis, sed necessitatis gratia. Affligor, vt qui maximè, & perturbor grauissimis aduersis. Memini quidem me fuisse aliquandò animo valdè trãquillo: Nunc autem tantæ tribulationes me vexant, & premunt: vt mihi non gemitum tantùm verùmetiam clamorem extorqueant. Cum igitur nunc sit dies tribulationis, & miseriæ: nõ visum est mihi aliud commodius & opportunius tempus inuocandi nominis tui, quàm ærumnæ: quæ me in præsentia obruerunt. Quid ita? Primùm, quòd Deus promiserit, se prẹstò adesse afflictis. Cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, *Psalm. 91.* & glorificabo eum. Et iterum: Inuoca me in diebus tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ac rursus: DOMINVS excelsus habitans cum contrito, & *Psalm. 50.* humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, & cor *Esa. 57.* contritorum. Deinde, quòd Deus non solùm promiserit afflictis præsentiam suam, verùmetiam exaudi-tionem precum eorum: clamo ad te, inquit, in die tribulationis, quia EXAVDIS ME. Quare tantum abest, vt tribulationes auertant me ab inuocatione nominis Dei, vt potius ad inuocationem me excitent: & quò grauiores sunt, eò maiorem fiduciam concipio, quòd

quòd Deus ſit me exauditurus, & ex aduerſis meis eripturus.

8. *Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine: neq; poteſt quiſquam imitari opera tua.*

9. *Omnes gentes, quaſcunq; feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum,*

Oſtendimus ſuprà, quòd cum ſint tres vnius diuinitatis perſonæ, hæc precatio peculiariter ad ſecundam perſonã, quæ eſt filius Dei, Chriſtus DOMINVS noſter, dirigatur. Exponit igitur precator cauſam, cur non inuocet alium Deum, nec ab alio Deo opem petat. Etſi enim multi ſunt Dij, quos impietas Gentium finxit, ad nullum tamen eorum conuerto inuocationem meam, præterquam ad DOMINVM Ieſum Chriſtum, filium Dei. Nullus enim eſt alius inter fictitios Deos, ei ſimilis: nec eſt vllus alius, qui poſsit opera eius imitari: Primùm enim, hic eſt Deus, qui condidit cœlum & terrã, & omnia quæ in eis ſunt. Qui autem eſt alius Deus, qui poſsit hoc opus imitari? Deinde, hic eſt Deus, qui aſſumpta humana natura in vnitatẽ perſonæ ſuæ, redemit humanum genus à peccato & morte, ac reſtituit ipſum iuſtitiæ & vitæ: quod non eſt minus opus, quàm cœlum ipſum & terram condere. Præterea, hic eſt ille Deus, qui diuulgato Euangelio ſuo, colligit eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus. Omnes, inquit, Gentes, quas feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Poſtquam enim ſuperata morte reſurrexiſſet à mortuis, miſit Apoſtolos ſuos in vniuerſum orbem

terræ, & vocauit omnes gentes in ecclesiam suam: vt quotquot in ipsum credunt, adorarent & glorificarent nomen eius, & cõsequerentur æternam salutem. Etsi enim non singuli inter gentes agnouerunt Christum per fidem: tamen in omnem terrã exiuit (quemadmodum alius Psalmus ait) sonus Apostolorum, & in omnes fines orbis terrarum verba eorum: vt, quotquot receperunt eum, dederit eis potestatem filios Dei fieri: videlicet his, qui credidissent in nomine ipsius: quotquot autem reiecerunt eum, abijciantur in extremas tenebras. Cum igitur non sit alius Deus, Christo filio Dei DOMINO nostro similis, nec aliud nomen sub cœlo inter homines datum, in quo oporteat nos saluos fieri: solus ille meritò inter omnes fictitios Deos inuocandus, & solius nomen eius glorificandum est, vt veram & æternam salutem cõsequamur. Vnde & sequitur.

10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, Tu Deus solus.*

Huc etiam facit, quod in Psalmo 95. dicitur: Deus magnus DOMINVS, & rex magnus super omnes Deos: quia in manu eius est, quicquid producit terra, & altitudines montium ipsius sunt. Quod & ipsum describit DOMINVM nostrum Iesum Christum, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quis igitur tantum DOMINVM non inuocaret? Quis salutem suam illi non commendaret?

11. *Doce me DOMINE viam tuam, vt ambulem in veritate tua.* 12. *Conci-*

12. *Contine in vno cor meum, vt timeat nomen tuum.*

Postquam confirmauit fidem suam commemoratione maiestatis Christi, pergit iterũ in precibus suis: Doce me, inquiens, viam tuam, vt ambulem in veritate tua: Quocunq; respexero, plena sunt omnia errorum. Si doctrinas hominum considero, bonam quidem speciem video: sed reipsa non sunt nisi impostura. Si exempla hominum intueor, non sunt nisi erracta & flagitia. Quæso igitur te DOMINE, vt tu Spiritu sancto tuo doceas me viam TVAM, quæ est verbum tuum: vt ambulem, non in mendacijs humanis, sed in VERITATE TVA. Veritas, inquit Christus, est *Ioan. 17.* sermo tuus. Petit igitur precator, vt, inter tot tàm doctrinæ quàm exemplorum offendicula, conseruetur in synceritate & puritate cœlestis doctrinæ, et in sanctitate vitæ, iuxta normam verbi Dei. Et, vt hoc clarius explicetur, additur alius versiculus, alijs quidem verbis, sed eiusdem sententiæ: Contine, inquiens, cor meum in vno, vt timeat nomen tuum. Vnum illud, in quo petit se contineri & cõseruari, est Verbum Dei, *Luc. 10.* quod & Christus ipse necessarium vocat: Martha, inquiens, sollicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui vnum est necessariũ: illud videlicet, quod soror eius Maria elegit, audire & custodire Verbum Dei, seu prędicationem Euangelij. Hoc enim Euangelion, est potentia Dei (quemadmodum Paulus ait) ad salutem *Rom. 1.* omni credenti: & qui in eo continetur, continetur etiam in timore nominis Dei: vt & reuereatur Deum, & ambulet in via eius, per Christum DOMINVM nostrum, in Spiritu sancto.

13. *Gratias*

13. *Gratias agam tibi Domine Deus, toto corde meo: & celebrabo nomen tuum perpetuò.*
14. *Quia misericordia tua magna est super me: & liberasti animam meam ex profundo inferno.*

Dicet DOMINVS Deus noster ad precatorem: Quid tu tàm impudẽter audes postulare plura & maiora beneficia, quàm quæ hactenus tibi clementer, & absq; vllo tuo merito, præstita sunt, cùm nondũ p̃ p̃teritis beneficijs satis dignas gratias retuleris? Quis in tàm ingratum hominem ampliora conferret? Respondet igitur Psaltes: Non ignoro DOMINE Deus noster, quòd contuleris hactenus in me multò maiora beneficia, quàm quæ agnoscere queam: adeoq; liberaueris animam seu vitam meã sæpenumerò ex infimo seu profundo inferno, (hoc est) è maximis omnium & grauissimis afflictionibus, è quibus nulla humana ope seruari potuerim. Nunquam igitur committã, vt non pro virili mea, gratitudinem meam erga te declarem. Agã enim tibi gratias toto corde meo, & dabo quam possum operam perpetuò: vt gloriam nominis tui celebrem & illustrem, quod in me est, reddã. In Psalmis autem vsitatissimum est, & solenne: pro beneficijs à Deo acceptis, reddere laudem nomini eius. Quid enim aliud habemus, quod reddamus? Laudabo, inquit, nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum laude: & placebit Deo super vitulũ nouellũ, cornua producẽtem & vngulas. Et apud Oseã: Omnẽ auferiniquitatem, & p̃sta nobis beneuolẽtiã, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, (hoc est, interprete epistola ad Hæbreos)

Psal. 69.

Osee. 14.

Hebræos) fructum labiorum confitentium nomini eius. Quare, si petituri sumus à DOMINO futura beneficia, demus summam operam: vt simus pro præteritis & ante acceptis grati, & celebremus, quo possumus studio, gloriam nominis Dei.

15. *DEVS, superbi surgunt aduersum me, & cœtus Tyrannorum quærit animam meam: nec proponunt te ante conspectum suum.*

Vel tandem disertè commemorat Psaltes, quibus aduersis prematur, & quas afflictiones, à quibus liberari precatur, sustineat. In præsentia enim nullus corporalis morbus ei molestus est, nulla eum domestica cura torquet, sed homines superbi, crudeles & tyranni cruciant eum. Saul & satellites ipsius, vitæ eius ita insidiantur, vt nullum locum habeat, in quem se tuto recipiat. Omnia aut hostium aut proditorum plena sunt: vt mors ei quotidiè immineat. Insurgunt, inquit, aduersus me, arrogantes & temerarij quique: cœtus tyrannorum tàm præfractè in me grassantur, vt nullam habeant nec Dei nec hominum rationem. Quò ergo me vertam? Nullum certè asylum relictum est mihi in terra inter homines. Conferam igitur me recta in cœlum, & implorabo opem DOMINI Dei nostri. Inuocabo te filium DEI, vt qui ab initio suscepisti ecclesiam tuam in tutelam tuam, me quoque in tantis meis periculis & ærumnis defendas.

16. *Tu enim DOMINE Deus, misericors es & clemens, longanimis, & multæ beneficentiæ & veritatis.*

Iterum repetuntur præcipua epitheta Dei, vt confirmata ex ijs fide, precator certam spem liberationis concipiat. Primum est רחום Rahum, misericors. Significat autem hoc vocabulum eiuscemodi misericordiam, qualem habet pater erga filios suos: quæ videlicet coniuncta est cum summa & ardentissima dilectione. Sicut & Psal. 103. dicitur: Sicut miseretur pater filiorum, miseretur DOMINVS timentium eum. Secundum est חנון Hanun, clemens. Descendit autem à nomine חן Hen, quod significat gratiam & donum. Itaque Hanun significat illum, qui ita est clemens, vt simul etiam sit liberalis, & munificus gratiarum ac donorum largitor. Tertium est ארך אפים Ærech Apaim, hoc est, longanimis seu tardus ad iram, qui etsi odio habet iniquitatem, non tamen citò erumpit & exardescit in iram: sed est longanimis, & expectat
Rom. 2. pœnitentiam, sicut Paulus scribit: An diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ lenitatisq; contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Quartum, רב חסד ואמת Rab Hesed veæmeth, multæ misericordiæ & veritatis. De hoc epitheto Dei etiam suprà, nisi quòd hoc loco sit auctum veritate. Deus enim non solùm est multæ clementiæ & beneficentiæ: sed etiam multæ veritatis. Quæ beneficia clementer promisit, ea etiam constantissimè seruat &
Rom. 3. præstat: Num incredulitas illorum, inquit Paulus, fidem Dei faciet irritam? Absit, imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax. De his epithetis Dei, vide copiosius Exo. 34. Num. 14. & Psal. 103. Commemoratio autem eorum vtilis nobis est: primùm ad confirmandam fidem nostram in aduersis. Nam, si

DOMI

DOMINVS natura sua est misericors, sicut Pater erga liberos suos, si est liberalis donorum suorum dispensator, si longanimis, si multus misericordia & veritate, cur fugitas eum in afflictionibus, vt sæuum & crudelem tyrannum? cur non polliceris tibi de ipso omnia genera beneficiorum? cur tamdiu differs resipiscentiam tuam à peccatis? cur bonitate & veritate eius non confidis? magnitudo afflictionis remoratur te: sed ea autor esse debet, vt ad inuocationem nominis Dei, & ad fiduciam exciteris: multitudo peccatorum obstat tibi, quò minus speraueris in Deum: sed vicissim inuitet, imò cogat te multitudo misericordiæ, & certitudo veritatis eius: Quis ille (inquit Paulus) qui condemnet? Christus est qui mortuus est, *Rom.8.* (pro peccatis videlicet) imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Et iterum: Certus sermo & dignus, quem modis *1.Tim.1.* omnibus amplectamur: quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret. Deinde hæc diuinorum epithetorum commemoratio cohortatur nos: vt sequamur ingenium Dei, & studeamus nos ad mores eius componere & conformare. Estote, inquit *Luc.6.* Christus, misericordes, sicut & pater vester misericors *Ephes.4.* est. Et Paulus: Sitis, inquit, inuicem alius in alium comes, misericordes, largientes vobis inuicem: quemadmodum & Deus per Christum largitus est vobis.

17. *Respice ad me, & miserere mei: Da fortitudinem tuam seruo tuo, & seruæ filium ancillæ tuæ.*

18. *Fac mecum signum in fauorem: vt videant, qui oderunt*

me, & pudefiant, quòd tu DOMINE opem mihi ferat, & consoleris me.

Concludit precationem, non omnino eisdem quidem verbis, sed eadem sententia propositionis, qua initiò ceperat: Respice, inquiens, ad me, & miserere mei, hoc est, Inclina DOMINE aurem tuam, exaudi me. Hoc enim erat initium precationis. Et, vt miseriam ac ærumnas suas inculcet, non solùm repetit vocabulum serui, verùmetiam addit, filium ancillæ tuæ. Duplex enim est seruorum conditio. Alij nascuntur, alij fiunt serui. Nascuntur, ex ancillis nostris. Fiunt, iure gentium, videlicet, captiuitate, aut venditione. Et qui quidem fiunt serui captiuitate, seu venditione, aliquandò fuerunt liberi. Qui autem nascuntur ex ancillis, semper manent in seruorum conditione, etiamsi habeant patrem liberum: quòd partus sequatur ventrem. Quare, cùm dicit: Da fortitudinem tuam seruo tuo, & addit, filio ancillæ tuæ: significat, se eò miseriorem & abiectiorem esse, quò viliori sit conditione, quàm qui facti sint serui captiuitate aut venditione. Exprimit autem his vocabulis magnitudinem suarum ærumnarum & calamitatum, quòd quemadmodum serui nati, in grauiori sint conditione, quàm serui emptitij aut captiui, ita ipse grauiores sustineat afflictiones, quàm è quibus videat (siquidem ad humanam opem respexerit) se eluctari posse. Quæ omnia eò tendunt, & id agunt, vt quò magis amplificatur calamitas, eò plus confirmetur fides de liberatione, iuxta illud Psalm. 94. Multi quidem erant dolores in corde meo; sed quò plures erant, eò maiores erant

erant consolationes & recreationes. Præterea, non simpliciter petit, fortitudine DEI corroborari: sed etiam seruari, idq; mirando modo, vt expectatio hostium suorum, qua sperant, & certò sibi persuadent, ipsum horribiliter interiturum, euanescat & pudefiat. Fac mecum (inquit) signum, testificare manifesto signo, & perspicuo argumento, quòd non tantùm summo odio prosequaris impios meos aduersarios, & pudefacias consilia eorum, quæ in me opprimendo susceperunt: verùmetiam complectaris me singulari tuo fauore, vt si non alia ratione, & ordinaria via, at certè inusitato & mirando modo me serues, & è faucibus crudelissimorum luporum eripias. Quid est igitur quod Dauidem tàm confidentem reddit, vt speret non solùm sui liberationem: verùmetiam certissimum & stupendum interitum suorum aduersariorum? Etsi extant perspicuæ promissiones, quibus DEVS recepit, se spirituale regnum Dauidis in Christo, filio eius, (in quo & omnes promissiones DEI sunt etiam & Amen.) conseruaturum perpetuò, & omnes hostes eius spirituales oppressurum: tamen in præsentia dicemus tantùm de conseruatione corporalis regni eius, & de oppressione corporalium hostium eius. In Psalmo enim 132. dicitur: Elegit DOMINVS Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. Et mox: Illîc crescere faciam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit corona eius. Hæc est promissio illa DEI, cuius fiducia Dauid tantum robur animi concipit, vt non solùm de sui conserua-

tione in DOMINO ſecurus ſit: ſed etiam audeat omnibus ſuis hoſtibus, medium, quod dicitur, digitum oſtendere. Ponamus igitur nobis ob oculus promiſſiones, quas nobis DEVS in Chriſto, redemptore & ſeruatore noſtro dedit: vt iis confiſi, non ſolùm ſimus æquo, ſed etiam magno animo: & penetremus per te-
1. Pet. 1. la, per ignes, ad hæreditatem illam immortalem & immarceſsibilem, quæ in cœlis erga nos eſt conſeruata.

VSVS HVIVS PSALMI.

Generalis eſt formula inuocandi DOMINI, in quibuſuis aduerſis. Et ſi enim inſcriptio præfefert Dauidis precationem, tamen non ſolus Dauid fuit afflictiſſimus, nec ſolus liberatus eſt diuinitus ex afflictoni-
Pſalm. 34. bus ſuis, ſed extat in alio Pſalmo generalis piorum conditio: Multæ, inquit ille, tribulationes iuſtorum, & ex his omnibus liberat eos DOMINVS. Neq; eſt, vt deterreat te ab inuocatione nominis Dei & aſpe liberationis nomen iuſtorum. Alij enim ſunt iuſti Legis, (id quod aliàs aliquoties explicuimus) alij ſunt iuſti Euangelij. Ac ſiquidem legem DEI reſpexeris, exclamandum eſt: non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuens. Et: Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Si autem reſpexeris Euangelion Chriſti: Iuſti ſunt, quotquot credunt in nomen Chriſti: quotquot enim (inquit) receperunt eum, dedit eis, vt liceret filios DEI fieri: videlicet his qui credunt in nomen eius: Si autem ſunt filij DEI, ergo

& hæ-

& hæredes: ergò & iusti: ergò & cohæredes Christi. Iustitia enim pars est cœlestis hæreditatis. Quare si nonsenseris te esse iustum lege, da operam vt sis iustus Euangelio Christi, hoc est, crede in Christum iustum, vt quòd non habes ex te, & tuis operibus, habeas & possideas in Christo, per fidem: quæ vt Paulus ait, imputatur ad iustitiam. Quòd si receptus fueris in catalogum iustorum, nihil aliud reliquum est, quàm, vt, quæ Dauid fuerit in suis aduersis precatus, & sperauerit, ac á DEO acceperit, eadem tu tibi, in tuo gradu, & pro tua vocatione, confidenter pollicearis. Deinde, singulari studio, obseruanda sunt, epitheta & cognomina, quæ DOMINO Deo nostro in hoc Psalmo, ex ijs sacræ scripturæ locis, quæ paulò antè adnotauimus, attribuuntur: bonus, misericors, miserator, propitius, longanimis, multæ clementiæ, & veritatis. Neque enim DEVS, talis tantùm est, Dauidi, aut Abrahæ, aut Petro, aut Paulo: sed est talis omnibus illis, qui in Christum credunt. Non enim est distinctio, vel Iudæi, vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes, inuocantes se: propterea, quòd, QVIS QVIS inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit.

Rom. 4.

Rom. 10.

Psalmus

Psalmus 87.

Fundamenta eius in montibus sanctis, &c.



Habuit aliquando Psaltes vrbem Hierusalem ob oculos positam: & occupatus fuit varijs cogitationibus, de conditione eius. Considerauit enim cum animo suo, quòd sit collocata in medio infestissimarum gentium, tanquàm ouile in medio luporum: nec sit aduersus tantam vim hostium satis munita. Cogitat igitur, vel tandem fore, vt ab hostibus tàm multis, tam potentibus & tàm virulentis expugnetur: ac non solùm diripiatur, verùmetiam funditùs deuastetur. Sed retrahit eum Spiritus sanctus ab his grauissimis & periculosis cogitationibus, & ostendit ei veram & cœlestem Hierusalem: quæ est ecclesia DOMINI nostri Iesu Christi collecta ex vniuerso mundo, non tantùm ex Iudæis, verùmetiam ex gentibus. Etsi autem vrbs illa externa Hierusalem adumbrabat tantùm hanc cœlestem, tamen hac ita fruebatur, vt à fundatione ipsius, ad suũ vsq; definitũ tempus, inter omnium hostium sæuitiem, salua & incolumis constaret, ac si quandò propter impietatem ciuium, diriperetur, & vastaretur, necesse tamen haberet restaurari: donec veniret Christus, & officium suum in his terris ita absolueret: vt tàm Iudæos quàm gentes in vnam cœlestem Hierusalem, seu Ecclesiam, eamq;

eamq; perpetuò durantem, congregaret. Psaltes igitur hac Spiritus sancti consolatione animatus, erumpit quasi ex improuiso & seipsum reprehendens, in hanc Psalmi vocem.

1. *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

Quasi diceret: Quid tu tàm anxio animo solicitus es de incolumitate vrbis Hierusalem? Metuis, credo, ne cœlum ruat? Sed quicquid tu cogitaueris, & humana tua ratione futurum conieceris, certè fundamenta eius collocata sunt in montibus sanctis. Itaque suscipit Psaltes in hoc Psalmo instituendū encomium vrbis Hierusalem: ac initio commendat eam in hoc primo versiculo, à basis & fundamenti eius firmitudine: Fundamenta eius, inquiens, in montibus sanctis. Non est obscurum, quòd vrbs Hierusalem sita sit ad montem Zion, in quo excitatum fuit sanctum templum DOMINI. Vnde & vrbs sancta, & mons sanctus dicitur. Sed Spiritus sanctus, admonitu externæ vrbis Hierusalem, & templi eius, longius respicit. Videt enim certissimè futurum, quòd Christus filius Dei, qui est ab initio orbis promissus seruator mundi, & redemptor humani generis, assumpturus esset in his locis humanam naturam, & peracturus sacrificium suum, ad expiationem peccatorum, vt resurgens à mortuis, mitteret Apostolis Spiritum sanctum, & vulgaret euangelion, ad colligendam ecclesiam suam ex omnibus gentibus, in toto orbe terrarum. Ac breuiter: Videt regnum Christi, quod per Prophetas promissum est, in his locis instituendum: & nullum vnquam finem habiturum, quemadmodum regna terrena: sed perpetuò

firmũ & ſtabile duraturum: iuxta Prophetica illa ora-
culа: Dominabitur à mari vſq; ad mare, & à flumine
Pſal.72. *Eſa.9.* vſque ad terminos orbis terrarum. Et iterum: Multi-
plicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super
ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confir-
met illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, à modo,
& vſque in ſempiternum. Quare, cum futurum ſit, vt
tantæ & tàm cœleſtes res, quæ perpetuò ſint perman-
ſuræ in vrbe Hieruſalem, & in finibus eius gerantur,
& perficiantur, rectè & verè dicitur: fundamenta eius
in ſanctis, firmis, adeoq; perpetuis montibus colloca-
ta eſſe: vt nulla ſit tanta poteſtas. aut fæuicia, quæ re-
gnum Chriſti, hoc eſt, Eccleſiam eius, opprimere & de-
Matth. 16. lere queat. Super hanc Petram, inquit Chriſtus ipſe,
Ioan.10. ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non præua-
lebunt aduerſus eam. Ac iterum: Oues meæ. (Hæ
enim ſunt regnum & Eccleſia Chriſti) vocem meam
audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego
vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum: ne-
que rapiet eas quiſquam è manu mea. Habes commen-
dationem vrbis Hieruſalem, hoc eſt, regni Chriſti, &
eccleſiæ eius, à firmitudine & ſtabilitate fundamenti
eius. Deinde commendatur à dilectione & tutela
Dei.

2. *Diligit DOMINVS portas Zion, præ omnibus taber-*
naculis Iacob.

Portæ Zion, ſunt ipſa vrbs Hieruſalem. Taberna-
cula autem Iacob, ſunt habitacula reliquarum tribuum
Iſraelis. Commendat igitur in hoc ſecundo verſiculo
vrbem

vrbem Hierusalem, præ omnibus reliquis vrbibus & ciuitatibus: propterea, quòd Deus prosequatur eã singulari fauore & susceperit eam præ omnibus alijs locis in suam tutelam. Argumenta autem huius dilectionis Dei, hæc ferè sunt. Primùm, quòd Deus elegerit vrbem Hierusalem præ omnibus alijs, in qua iusserit collocari tabernaculum fœderis sui: seu arcam testamenti sui, & ædificari templum. Reposita quidem erat initiò arca testamenti in Silo, tribus Ephraim: sed repulit DOMINVS (vt alius Psalmus ait) tabernaculum Ioseph, *Psalm. 79.* & tribum Ephraim nõ elegit: Elegit autem tribum Iuda, montem Zion, quem dilexit. Secundum argumentum dilectionis est, quòd DOMINVS sæpenumerò, multis & magnis miraculis defendit vrbem Hierusalem, & aliquoties permisit quidem, vt diriperetur: non autem permisit, vt deuastaretur. Vide posteriorem librum παραλειπομένων cap. 12. aliquoties conniuit: vt oppugnaretur: non autem conniuit, vt expugnaretur: sed repulit hostes ab ea, cum summa quidem hostium ignominia, cum maxima autem nominis sui laude: id quod factum est sub rege Ezechia. Et cum tandem tanta esset impietas ciuium Hierosolymitanorũ, vt extremam *2. Paralip. 32* internecionem mererentur: DOMINVS concesit quidem Babylonijs, vt vrbem Hierusalem vastarent: curauit autem, vt suo tempore iterum instauraretur: idq; hostiũ sumptu, quod erat insigne dilectionis argumentum. Sed illud maximũ omniũ est, quòd visum sit Deo patri, vt filius eius DOMINVS noster Iesus Christus absolueret in ea vrbe sacrificiũ suũ expiatoriũ pro peccatis nostris, & mitteret in ea Spiritum S. Apostolis suis, ac diuulgaret ex ea Euangelion suũ, in vniuersum

orbem terrarum(hoc eſt) inſtitueret regnũ ſuum perpetuò duraturum: quemadmodum paulò antè dicebamus: vt haud iniuria DOMINVS Deus noſter dicatur portas Zionis dilexiſſe præ omnibus tabernaculis Iacob, ac ſuſcepiſſe eas in perpetuam ſuam tutelam.

3. *Glorioſa dicuntur in te, ciuitas Dei.*

Alia commendatio vrbis Hieruſalem. In alijs vrbibus ſolent dici & prædicari terrena, & abiecta: aut ſi multùm, militaria & bellica. In Babylone Chaldæorum prædicantur arma cunctis gentibus formidanda. In Suſis Perſarum, prædicatur pretioſa ſuppellex. Athenis Græcorum, prædicantur ingenioſæ artes. Romæ prædicantur mauortia ſtrategemata. In alijs ciuitatibus, celebrantur alia: non tamen niſi humana, & terrena. In TE autem ô Hieruſalem, (quæ non es hominum, ſed Dei ciuitas) celebrantur verè glorioſa, hoc eſt, cœleſtia & diuina. In te peragitur ſacrificium illud expiatorium, quod ab initio orbis terræ promiſſum eſt. In te reſurgit Chriſtus ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormîerant: in te æduntur ſtupenda miracula: in te mittitur Apoſtolis Spiritus ſanctus, donis linguarũ, in toto terrarum orbe nunquam nec viſis nec auditis. Ac breuiter: in te prædicatur Euangelion DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & egreditur ex te, in vniuerſum mundũ, inter omnes gentes: vt quotquot crediderint, perpetuam & cœleſtem ſalutem conſequantur. Arbitraris ne tu, vllam eſſe vrbem, aut locum, in tota rerum natura, in quo glorioſiora, & celebriora, addo etiam magis ſalutaria adnunciari & prædicari queant? Quare

re nulla alia ciuitas conferenda erit vrbi Hieruſalem. Sed nondum eſt finis encomij.

4. *Efficiam, vt mei meminerint Raab & Babylon: vt cognoſcant me. Ecce Philiſtæa, & Tyrus, ſimiliter populus Æthiopiæ naſcuntur illic.*

5. *Et ad Zionem dicetur, quòd quilibet homines illic naſcantur, & quòd Altiſſimus extruat eam.*

Nomine Raab intelligitur Ægyptus, Eſaiæ cap. 30. & 5. Reliqua gentium & populorum nomina, ſatis nota ſunt. Celebrat autem Pſaltes his duobus verſiculis vocationem gentium, quòd vrbs Hieruſalem tàm inſignis futura ſit, vt non ſolùm Iudæi, verùmetiam gentes, (hoc eſt) Ægyptij, Babylonij, Philiſtæi, Tyrij, & Æthiopes fiant ciues Hieroſolymitani, & naſcantur ibi ciues. Efficiam, inquit, vt mei mentio habeatur, non tantùm inter Iſraelitas, verùmetiam inter exteras gentes. Efficiam, vt non tantùm Iudæi, verùmetiam Ægyptij, Babylonij, Philiſtæi, & reliquæ gentes fiant ciues Hieroſolymitani, adeoq; naſcantur ibi in Zione ciues quilibet homines, tàm circumciſi, quàm incircumciſi: vt reipſa perſpicuum fiat, quòd Deus ipſe altiſsimus extruat, conſtituat, defendat, & tueatur eam. Hoc autem quicquid fuerit, certè fiet per prædicationem & diuulgationem Euangelij. Quotquot enim Ægyptij, Babylonij, & alię gentes, agnoſcunt Euangelion Chriſti, & renaſcuntur per fidem, fiunt omnes ciues Hieroſolymitani. Nam ſi per fidem in nomen Chriſti fiunt filij & hæredes Dei: quantò magis fiũt ciues vrbis Hieruſalem, ſi non terrenæ: certè, quòd eſt longè omnium *Ioan. 1.*

exoptatiſsimum & fœliciſsimum, cœleſtis. Cum hoc Pſalmo cõuenit Propheta Eſaias, cap. 60. Surge, inquiens, illumínare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria DOMINI ſuper te orta eſt. Ac mox: Gentes ambulabũt in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt. Venerunt tibi: Filij tui de longè venient: & filij tui de latere ſurgent, &c. Et cap. 49. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum: & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt &c. Hæc omnia dicta ſunt de vocatione gentium ad eccleſiam Chriſti, per Euangelion, & quod non ſolùm Iudæi circumciſi, verùmetiam gentes incircumciſæ, fiant & naſcantur ciues Hieroſolymitani. Etſi enim Eſaias aliâs cap. 52. de incolis vrbis Hieruſalem dicit: Non adijciet vltrà, vt pertranſeat per te incircumciſus & immundus: tamen, cum gentes incircumciſæ ingrediuntur vrbem Hieruſalem, & fiunt ciues eius, non manent amplius incircumciſæ, & immundæ: ſed purificantur per fidem in Chriſtum, & dicuntur in vrbe ipſa Hieruſalem commorari, etiamſi manſerint habitatione ſua, in Ægypto, in Babylonia, in Æthiopia, & in alijs gentium vrbibus. Circumciſi eſtis, inquit *Col. 2.* Paulus, per Chriſtum, circumciſione, quæ fit ſine manibus. Et Act. 15. Deus purificauit corda illorũ FIDE.

6. *DOMINVS inſtituet prædicationem (Euangelij) in lingua populorum, vt (nonnulli) ibi naſcantur.*
7. *Et (inſtituet) cantores, quaſi choriſantes, omnes melodiæ meæ in te (erunt.)*

In

In prioribus verſiculis celebrauit vrbem Hieruſalem á multitudine ciuium, quòd non ſolùm commorentur illîc ciues indigenæ, qui ibi naſcantur: ſed etiam accedant aduenæ ex gentibus, qui etiam ibi ciues fiant. Nunc ergo his duobus verſiculis exponit: qua ratione, & quomodo tanta ciuium multitudo illîc fiat, & quod ſit eorum exercitium, quodq; habeant ibi negocium, aut quam actionem. DOMINVS, inquit inſtituet narrationem ſeu prædicationem. Cuius rei? non certè, niſi Euangelij de DOMINO noſtro Ieſu Chriſto. Non inſtituet prædicationem legis: hæc enim occidit, & damnat: ſed inſtituet prædicationem Euangelij, quæ viuificat, iuſtificat, & ſaluat, Vbi autem inſtituet eam? In ſcriptura ſeu lingua populorum, (hoc eſt) in omnibus linguis Gentium: vt prorſus illud fit, quod in alio Pſalmo dicitur: Non ſunt loquelæ (ſeu linguæ) non ſunt ſermones, in quibus non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Chriſtus enim Filius DEI, non concluſit Euangelion ſuum intra pomeria externæ vrbis Hieruſalem, nec intra fines vnius linguæ: ſed diuulgauit per Apoſtolos ſuos in vniuerſum mundum, & in omnes linguas ac ſcripturas populorum: vt ſi non omnes hominum nationes, at ſaltem vel aliqui homines è ſingulis nationibus, renaſcantur per Euangelion, & fiant per fidem, ciues cœleſtis vrbis Hieruſalem. Sed quæ erunt actiones, quæ exercitia horum ciuium? Sequitur: Inſtituet cantores, qui ducent choreas, & erunt ibi omnes melodiæ. (hoc eſt) In vrbe Hieruſalem, poſtquam patefactum fuerit Euangelion & vulgatum omnia erunt

genera.

genera alacritatis, hilaritatis, gaudij & lætitiæ. Non autem hîc fit sermo de externo & carnali gaudio, sed de spirituali, seu cœlesti: quale Euangelij prædicatio proferre solet. Vbicunq; enim prædicatur Euangelion Christi, & per fidem agnoscitur, ibi credentes, iustificati ex fide, pacem habent erga Deum, per DOMINVM nostrum Iesum Christum. Iustificatis autem & pacificatis erga Deum, nullum genus cœlestis & perpetuæ felicitatis deerit. Quæ, cùm omnia veris ciuibus Hierosolymitanis contingent, summã certè quisq; operam dare debet: vt & ipse in horum ciuium catalogum adscribatur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum hic Psalmus sit encomion vrbis Hierusalem, & commendet nobis nomine Sionis beneficia, quibus fruuntur ciues eius: hortatur nos, vt studeamus, quod iam diximus, ciues in ea fieri, & in numerum incolarum eius referri. Referemur autem in hunc numerum, non si susceperimus peregrinationem, ad externam Hierusalem, & montem eius Zionem, sed si operam dederimus, vt nomina nostra scripta sint in cœlis. Tũc autem in cœlis scribentur, cùm crediderimus in Christum, quòd habeamus, propicium & placatum Deum Patrem, & quòd Deus Pater remittat nobis peccata, ac agnoscat nos filios & hæredes suos, propter vnigenitum filium suum, DOMINVM nostrum Iesum Christum. Quare eò tendamus, id agamus, ad eum exitum
Rom.6. properemus, vt Euangelion Christi cognoscamus, & Christo per fidem inseramur. Hac enim vna re asse-

quemur

quemur beneficia illa cœleſtia, quæ cùm aliâs in ſcriptis Propheticis ac Apoſtolicis, tùm in primis in epiſtola ad Hebræos copioſè commemorantur: videlicet, quòd accedamus, *Hebr. 12.*

1. ad Montem Zionem.
2. ad ciuitatem Dei viuentis.
3. ad Hieruſalem cœleſtem.
4. ad innumerabilium angelorum cœtus.
5. ad concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.
6. ad iudicem vniuerſorum, Deum.
7. ad ſpiritus iuſtorum perfectorum.
8. ad noui Teſtamenti conciliatorem, Ieſum.
9. ad ſanguinem aſperſionis, meliora loquentem, quàm loquebatur ſanguis Abel.

Pſalmus 88.

DOMINE Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te, &c.

QVas hic Pſalmus miſerias & ærumnas commemorat, non ſunt hominibus pijs & ſanctis inuſitatæ. Iob. cap. 6. Verba mea dolore ſunt plena, quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Dauid in Pſalmo ſexto ait: Sana me DOMINE, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata

est valdè. Et mox: Laborabam gemitu meo, lauabam per singulas noctes lectum meum. At iterum in Psal. 38. Sagittæ tuæ infixæ sunt in me, & premis super me manum tuam. Similiter Ionas Propheta, capite 2. Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt: & ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum. Et Ezechias apud Esaiam cap. 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea, de manè vsq; ad vesperam finies me. Quæ autem ærumnæ incidere solent in homines pios & sanctos, eæ filium Dei DOMINVM nostrum Iesum Christum cumulatissimè obruerunt. Non enim habemus (inquit epistola ad Hebræos) Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem, absq; peccato. Et testatur ipse suis ipsius verbis in Psalmo suo: Tribulatio, inquiens, proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Testatur etiam vox illa: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: & in cruce: Deus meus, Deus meus, vt quid me deseruisti: vt interim nihil dicam de sanguineo sudore in agonia sua. Quæ omnia dicunt testimonium perspicuè, quòd sustinuerit dolores longè omnium acerbissimos. Quare, cùm tàm ecclesia Christi, quàm Christus ipse, ecclesiæ suæ caput, in eodem afflictionis luto (vt dici solet) hæserint, congruentissimum est, vt hunc 88. Psalmum sentiamus esse communem ecclesiæ & Christi, capitis eius, in statu suæ exinanitionis, precationem. Ingens enim est ec-

Hebr. 4.

Psalm. 21.

clesiæ

cleſiæ conſolatio, quòd quas afflictiones ipſa ſuſtinet, eas Chriſtus, filius Dei, caput eius, ſuſtinuerit, ideoq; in ſe ſuſceperit: vt miſericors eſſet (quemadmodum epiſtola ad Hebræos loquitur) & fidelis Pontifex, in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expianda peccata populi. Nam ex hoc, quòd ipſi contigit tentatum eſſe, poteſt (addo etiam, & vult) iis, qui tentantur, ſuccurrere. Sic igitur hunc Pſalmum oremus: vt cotigemus & ſciamus, nos in aduerſis noſtris, non priuatim tantùm, ſed vnà nobiſcum, tam vniuerſam eccleſiam, quam Chriſtum ipſum filium Dei orare. *Hebr. 2.*

1. *DOMINE Deus ſalutis meæ, interdiu clamo, & noctu coram te.*
2. *Intret ante te oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.*

Hi duo verſiculi ſunt propoſitio huius Pſalmi. Petit enim, vt DOMINVS Deus exaudiat ipſum in precibus ſuis. Et alloquitur Deum cognomine ad hoc congruenti: DOMINE, inquiens, Deus SALVTIS meæ. Vocat Deum ſalutis ſuæ, quod cognomen aliàs tanti facit, vt ſi DOMINVS patefecerit & exercuerit in ipſo virtutem eius, certo pollicetur ſibi nihil amplius defuturum. In Pſalmo 27. ait: DOMINVS lux mea, & ſalus mea, quem timebo? Et Pſalm. 35. Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum, ſignificans videlicet, ſe in nullo periturum periculo, nec vllo bono carituram, ſi DOMINVS Deus

fuerit SALVS eius. Deinde, in precibus suis non mussitat, quod est formidantium loqui, sed clamat: Interdiu, inquit, clamo & noctu. Quod non est intelligendum de indecoro clamore, quod est ebriosorum aut furiosorum: sed de illorum clamore, qui magnitudine periculorum, aut calamitate premuntur. Et clamat, non vna tantùm hora, sed diu noctuq́, (hoc est) sine intermissione: vt intelligamus, precationem eius non esse spiritum vadentem (vt alius Psalmus loquitur) sed intentissimam, & quæ non defatigetur. Quæ omnia significant, hunc Psalmum esse precationem vehementissimi & confidentissimi spiritus. Sed quid est, quod precatorem ad tantam vehementiam & intentionem excitat? Sequitur.

Psalm. 78. *Lu.* 18.

3. *Quia repleta est afflictionibus anima mea, & vita mea inferno propinqua est.*
4. *Æstimatus sum cum ijs qui descendunt in foueam: sum sicut vir inualidus.*

Narratio seu expositio illarum ærumnarum & afflictionum, quæ precatorem in inuocationem nominis Dei commouent, non sine causa hunc precandi laborem suscepi: Quia repleta est, inquit, anima mea pessimis quibusq́ afflictionibus: adeò, vt vita mea propinqua sit inferno, hoc est, extremæ internecioni, nec reputer inter viuentes, sed inter eos, qui proijciuntur in sepulcrum omnium hominum auxilio destituti. Porrò, qui propinqui sunt inferno, hoc est, internecioni, nondum prorsus interierunt: sed est ipsis adhuc spes aliqua relicta. Qui autem proijciuntur in sepulcrum, de ijs iam

iam penitus actum & conclamatum videtur, quippe qui terra ita obruũtur, vt nihil aliud eos maneat, quàm vt in cinerem & putredinem reſoluantur, nec poſsint vlla humana ope conſeruari. His igitur verbis deſcribitur extrema calamitas, à qua nemo queat, niſi cœleſti & diuina ope liberari. Quod enim apud homines impoſsibile eſt, hoc apud Deum, non tantùm poſsibile eſt, ſed etiam facilè.

5. *Inter mortuos manumiſſus, ſicut interfecti dormientes in ſepulcro, quorum non eſt amplius memoria, & qui de manu tua abſciſi ſunt.*

6. *Ponis me in puteo infimo, in tenebris, in profundis.*

Pergit deſcribere miſerias & ærumnas ſuas, quibus obrutus eſt. Inter mortuos, inquit, manumiſſus. Sicut enim ſerui, qui à Dominis ſuis manu mittuntur, liberantur ab ipſorum poteſtate, nec amplius curantur ab eis: ſic & ego inter mortuos ita abiectus ſum, vt Deus nullam deinceps mei rationem habeat, ac planè manu miſſus videar. Et ſicut in magna ſtrage, cadauera interfectorum cadaueribus cumulantur, & in ſepulcrum nullo diſcrimine conijciuntur, perinde ac ſi tu DOMINE Deus nullam habeas ipſorum nec rationem nec memoriam, ac à te ipſo, ſeu de manu & tutela tua ſint abiecti & repulſi: ita collocas & proijcis me in altiſsimam foueam, & in obſcuriſsimam profunditatem: vt omni genere calamitatum obruar, nec vllum mei reſpectum habeas. Hæc eſt grauiſsima querela de extremis ſuis ærumnis. Nam qui ſic affectus & afflictus eſt, arbitratur ſe non tam ab homi-

nibus, quàm à DEO ipso abiectum & desertum esse. Ac siquidem de alijs hominibus, quàmuis sanctis sermo fuerit nullus eorum potest hanc tentationem & afflictionem, absq; peccato, ferre. Fieri enim non potest, quin caro, tanto onere pressa, non solùm ingemiscat, sed etiam DEVM blasphemia afficiat, & dicat, quod
Iob.19. Iob vociferatur: saltem nunc, inquiens, intelligite, quia DEVS non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit. Si autem Christum DOMINVM nostrum consideraueris, audis eum exclamare: DEVS meus, Deus meus, vt quid me deseruisti: sed absq; peccato, seu blasphemia. De ipso enim scriptum est: Qui peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius. Et aliâs: Habemus Pontificem tentatum per omnia, iuxta similitudinem: Absq; PECCATO. Confidamus igitur in Christum, vt ex eo in his grauissimis tentationibus remedium petamus.

7. *Super me incubuit furor tuus, & omnes contritiones tuæ affligunt me.*

Interpretatur, quod antè dixit. Ponis me in puteo infimo, in tenebris, in profundis. Quid enim est, ponere in puteo infimo, in tenebris, & in profundis, nisi furore suo grassari, & omni genere afflictionum conterere, ac pessundare? Ad hæc mala accedunt & illa, quæ sequuntur.

8. *Alienas notos meos à me, ponis me abominationem eis: Conclusus sum, nec possum euadere.*

9. *Oculus meus langueſcit præ afflictione mea: Inuoco te DOMINE toto die, expando ad te manus meas.*

Idem

Idem etiam conqueritur sibi accidisse Hiob. Fratres meos (inquiens) longè fecit à me, & noti mei, quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei. Et Dauid: amici mei (inquit) & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt &c. Sic & Hieremias conqueritur vrbi Hierusalem accidisse: Omnes, inquiens, amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Quantam autem arbitraris esse afflictionem, si DEVS non solùm excitat tibi hostes & inimicos, qui in te grassentur verùmetiam reddat tibi ex amicis inimicos, & efficiat, vt sis ipsis abominatio & execratio? Ponis me, inquit, abominationem ipsis, ac ita ab eis circumdatus, & conclusus sum, vt non sperem me posse euadere, Quæ etiam afflictio sic me perturbat, & cruciat, vt oculus meus contabescat, & facies mea tota immutetur. Quare nihil aliud reliquum mihi video, quàm vt te DOMINE Deus meus inuocem toto die, & ad te solùm manus meas expandam. Hæc est compendiaria via euandendi quæcunq; pericula: videlicet, vt properes ad DEVM inuocatione tua. Quisquis enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit.

Iob.19.

Thre.1.

Psalm.38.

10. *Nunquid inter mortuos facies miranda? Num mortui resurgent, vt celebrent te?*

11. *Num commemorabitur in sepulchro? beneficentia tua & veritas tua in perditione?*

12. *Nunquid cognoscetur in tenebris miraculum tuum? & iustitia tua, in terra obliuionis?*

Suprà

Suprà dixit, se morti esse vicinum, Nunc igitur argumentatur à mortis suæ inutilitate, si fortè hoc modo persuadeat DEVM, ne tradat ipsum morti, sed seruet eum à morte: Nunquid, inquiens, inter mortuos facies miranda? num mortui resurgent, vt celebrent te? DEVS enim illud maximè omnium requirit: vt nomen eius glorificetur, & vt laus nominis eius adnuntietur. Quomodo autem hi qui morte extincti sunt, gloriam eius celebrabunt? nunquid efficiet miraculo quodam inter mortuos, vt resurgant, & prædicent nomen eius? Nunquid commemorabitur in sepulcro seu in morte, quantã misericordiam seu beneficentiam præstiterit Deus afflictis, & quanta promissionum eius veritate conseruati sint miseri & calamitosi à perditione? DEVS enim promisit omnibus afflictis, se inuocantibus, salutem; & omnibus miseris, in se sperantibus, liberationem. Nunquid ergò si isti perierint, & extinguantur, reliqui erunt, qui misericordiã & veritatem Dei prædicabunt? nunquid miracula tua, quæ ædis in tuendis perditis, cognoscentur in tenebris, & iustitia probitatis tuæ, qua conseruas ærumnosos, illustrabitur, inter morte extinctos, & obliuioni traditos? certè si ego vnà cum alijs miseris & afflictis hominibus deserimur à Deo, & frustramur nostra expectatione & inuocatione, non erit vllus in terra, qui celebraturus sit laudem nominis DEI. Quare gloriæ Dei interest, vt tueatur & conseruet me in morte. Hoc argumento sæpè spiritus Sanctus vti solet, quo significat non tàm salutis afflictorum, quàm laudis nominis DEI interesse, vt afflicti, in extremis suis calamitatibus à DEO seruentur.

Non

Non est (inquit Psalm. 6.) in morte, qui memor sit tui. In inferno seu sepulcro, quis confitebitur tibi? Et iterū: Quæ vtilitas in sanguine meo, vbi mortuus fuero? Nū laudabit te pulvis, & adnuntiabit veritatem tuam? Ac rursus: Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes, qui descendunt in infernum: sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc vsq; in seculum. Et iterum: Infernus non cōfitebitur tibi, neq; mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Viuens, viuens ipse confitebitur tibi. Hæc non eò dicuntur, quòd mortui non resurgant à mortuis, & nō laudent nomen DOMINI perpetuò. Vt enim mortui resurgunt: sic qui ad ęternam vitam & felicitatem resurgunt, celebrabunt DOMINVM perpetua laude. Sed quòd mortui non agant amplius contubernium inter homines, nec habeant huius corporalis vitæ actiones, quales sunt, concionari de Deo, celebrare inter homines nomen Dei, carmina in honorem Dei cantare, & id genus alia. Mortui enim, etsi viuūt Deo, tamen nō viuunt Deo iuxta rationem huius seculi: sed iuxta rationem ipsi soli cognitam, quam oculus non vidit, neq; auris audiuit, neq; quæ in cor hominis ascēdit. Quare, si celebratio nominis Dei, inter homines, Deo ipsi curæ est, necesse habet miseros & afflictos iuuare, & à morte liberare: vt sint, qui de hoc beneficio Dei prædicare, & de ipso testificari, queant.

Psalm. 30.

Psalm. 115.

Esa. 38.

13. *Ego autem ad te DOMINE clamo, & manè oratio mea accedit ad te.*

14. *Quare DOMINE abijcis animam meam, abscondis faciem tuam à me?*

Perstat adhuc in querela, & , vt ita dicam, in expo-

ſtulatione cum Deo. Ad ea mala, quæ antea commemorauí, accedit etiam illud, quòd cum clamem ad Deum, & ſummo mane Deum precibus meis interpellem, non tamen exaudit me: ſed abiícit animam meam, & abſcondit faciem ſuam à me, vt videatur me prorſus abominari & quodammodo execrari. Quò igitur me vertã? Et vt miſerias ſuas vno faſce cõplectatur, addit.

15. *Miſer ego ſum, & exanimor præ præcipitatione, ſuffero terrores tuos, vt ferè deſperem.*
16. *Super me tranſeunt furores tui, terrores tui opprimunt me.*
17. *Circundant me, quaſi aquæ, tota die, & ſimul concludunt me.*
18. *Longè abalienas à me amicum & proximum, familiares meos, propter hanc miſeriam.*

Hoc eſt: ego, vt ſummatim dicam, miſerrimus & afflictiſsimus omnium ſum: quippe qui iaceo ita præcipitatus, vt tantùm non efflem animam meam. Terrores enim & horrores tui ſic me opprimunt, vt de ſalute mea deſperem: ſic me, quaſi inundatio aquarum, obruunt, & concludunt, vt me incolumen euadere poſſe nulla ratione videam. Propter quam miſeriam & calamitatem etiam illud mihi contingit, vt non tantùm hoſtibus meis ſim exoſus, ſed etiam amicis, proximis et familiaribus meis abominabilis. Hæ ſunt voces plenæ deſperationis, quibus afflictus non ſolum ſignificat ſe ab hominibus, quamuis amiciſsimis, verùmetiã à Deo ipſo deſertum, & abiectum. Quare DOMINE, inquit, abiícis animam meam, & abſcondis faciem tuam à me? Ego, etſi inuoco te in tẽpore neceſsitatis, nõ tamen exaudis

audis me, iuxta tuam promissionem, sed potius abominaris me & preces meas. Quid igitur faciam? aut quò me vertam? Si accessero ad amicos, abominantur me: si venero ad Deum, detestatur me. O igitur me terq; quaterq; miserum. In his tantis çrumnis & angustijs nulla alia medicina reliqua est, nisi Iesus Christus DOMINVS noster. Ipse enim est, qui, quemadmodum supra diximus, in eodem luto hæsit, & visus est, se tàm ab amicis, quàm à Deo ipso desertum, idq; absq; peccato: vt misericors esset, & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quod ipsi contigit, tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. *Heb. 2. & 4.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Vsus eius tàm latè se extendit, quàm lata est ecclesia Christi. Hæ enim tentationes, quòd obruamur à Deo maximis & intolerabilibus malis, quòd Deus repellat et abominetur preces nostras, nec habeat vllam rationē nostri in aduersis, in ecclesia frequētissimæ sunt. Sciamus igitur nos habere tàm ecclesiam, quàm Christum ipsum, in summis istis tentationibus & afflictionibus, compatientem. Si autem portæ inferi non valent aduersus ecclesiam, & princeps huius mundi, qui iam iudicatus est, non habet quicquam in Christo, seu aduersus Christum, quomodo habebit aliquid, & prævalebit aduersus illos, qui sunt Christo per fidem insiti? Paulus ad Colossenses scribens: suppleo,

inquit, in carne mea, quod deerat afflictionibus Christi. Non solus autem Paulus supplet ea, verùmetiam, quotquot cum Christo patiuntur, vt vnà cùm ipso glorificentur. Cùm igitur afflictiones non potuerint Christum opprimere, sed euaserit per eas in summam gloriam & maiestatem, fieri non potest, vt nec illum, qui supplet afflictiones Christi in corpore suo, opprimere possint.

Psalmus 89.

Misericordias DOMINI, in æternum cantabo, &c.

IN posteriori libro Samuelis promittit DEVS Dauidi semen seu filium, cuius thronum sit perpetuò stabiliturus: Cum completi, inquiens, fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Idem repetitur etiã in priori libro Παραλειπομένων, cap. 22. Hanc promissionem carnales Israelitæ intelligebant de Dauide filio Isai, & de regno eius, quod in externo populo Israelis administrauit. Sed spiritus tàm Propheticus quàm Apostolicus interpretatur eam intelligendam de DOMINO nostro Iesu Christo, filio Dauidis, & de spirituali ac æterno regno eius. Multiplicabitur (inquit Esaias) eius imperiũ, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit

Esa. 9.

debit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia, à modo & vſq; in ſempiternum. Et Hieremias: Ecce dies venient, dicit DOMINVS, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam, &c. Et Paulus: Deus è ſemine Dauidis, ita vt promiſerat, eduxit Iſraeli ſeruatorem Ieſum: cùm antè prædicaſſet Ioannes, ante faciem introitus eius, baptiſmum pœnitentiæ Iſraeli. Similiter epiſtola ad Hebræos: Ego ero (inquit DOMINVS) ei pater, & ille erit mihi filius. Non igitur eſt dubium, quin hæc promiſsio, quæ facta eſt ad Dauidem, intelligenda ſit de Chriſto DOMINO noſtro, & de regno eius. Et vt hæc Prophetica & Apoſtolica interpretatio firmius approbetur, ſuſcipit etiam hic Pſalmus, octogeſimus nonus, hanc promiſsionem de Chriſto exponendam. *Actor.*

1. *Beneficia DOMINI in æternum cantabo, in generatione & generatione adnuntiabo veritatem tuam ore meo.*

Propoſitio Pſalmi. Inſtituã celebrare beneficia DOMINI perpetua laude, & prædicabo publicè, in omni poſteritate, certitudinem & veritatem promiſsionum eius. Quæ ergò ſunt illa beneficia, & quæ eſt illa certa veritas? Sequitur.

2. *Quoniam dico, quòd in æternum excitetur beneficiũ, & quòd veritas tua confirmetur in cœlis.*

3. *Pepigi fœdus cum electo meo, Iuraui Dauidi ſeruo meo, vſq; in æternum excito ſemen tuum, & ædifico ad poſteritatem thronum tuum.*

4. *Et celebrabunt cœli mirabilia tua DOMINE, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum.*

Audi ergo: Non enim grauabor tibi commemorare beneficium illud, quod perpetuò constabit, & veritatem illã, quæ tam firma erit, quàm cœli ipsi. Pepigi fœdus cum electo meo, hoc est: certò promisi Dauidi electo meo adeoq; iuramento firmaui, quòd daturus sim ipsi semen seu filium, qui sit perpetuò regnaturus, & cuius regius thronus sit ad omnem posteritatem perduraturus. Hoc tuum miraculum celebrabitur vbiq; sub omni cœlo, & imprimis hæc tua veritas celebrabitur in ecclesia sanctorũ. Primùm igitur sciamus vbi Deus hoc pactum inierit cum Dauide. Obscurum autem non est, quòd Deus hoc pactum inierit cum Dauide, quando dedisset ei requiem vndiq; ab vniuersis suis inimicis, & ipse cogitaret nomini DOMINI ædificare magnificam domum, quemadmodum scriptum est in libris regum, & Paralipomenon, vt paulò antè indicatum est. Et in Psalmo 132. Iurauit DOMINVS Dauidi veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Deinde sciamus, hæc non de Salomone, nec de regno eius, sed de Christo DOMINO nostro, & de regno eius spirituali & cœlesti, intelligenda. Promissio enim seu pactum dicit hunc filium excitandum, post Dauidem: cùm completi, inquit, fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te. Salomon autem suscitatus & electus est in regnum, Dauide adhuc superstite. Adhæc regnum Salomonis non fuit perpetuum. Promissio igitur non est intelli-

genda

genda de regno Salomonis, sed de regno Christi. Hæc autem promissio tàm certæ est veritatis, vt non solùm sit impleta inter Iudæos, verùmetiam in oculis omnium gentium, & implebitur perpetuò, vt Christus à Dauide prognatus, dominetur à dextris Dei in æternum, & cõseruet ecclesiam suam in sempiterna felicitate. Vnde & Psaltes prorumpit in laudem & gloriam nominis Dei, dicens:

5. *Quoniam quis in nubibus æquabitur DOMINO. Quis similis erit DOMINO inter filios Deorum?*
6. *Deus potens in concilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.*
7. *DOMINE, Deus Zebaoth, Quis sicut tu? Potens es domine, & veritas tua, circuitus tui.*

Cum igitur DOMINVS tanta sit potentia & veritate, vt promissa sua de Christo, contra omnium hominum opinionem & expectationem, impleat, quis in nubibus æquabitur DOMINO? quis similis erit DOMINO inter filios Deorum? Parum esset, si Deus haberet similem in vulgaribus hominibus, & inter filios hominum. Nunc autem illud maximum est, quòd nec habet similem in nubibus, hoc est, in cœlis, inter Angelos, nec inter filios Deorum, hoc est, inter heroas, & filios eorum. Sicut & in Gen. cap. 6. dicitur: quòd filij Dei, hoc est, filij summorũ heroum, & Patriarcharũ viderint filias hominũ, quòd essent pulcrę, &c. Et in Psal. 29. Afferte DOMINO filij Deorum, hoc est, filij fortium seu heroũ, gloriam & fortitudinem. DOMINVS enim est Deus potens seu tremendus in cõcilio sanctorum, magnus

magnus & formidabilis ſuper omnes, qui in circuitu
3.Reg.22. eius ſunt. Nam in libris regum dicit Propheta Micha:
Vidi DOMINVM ſedentem ſuper ſolium ſuum, & om-
nem exercitum cœli aſsiſtentem ei à dextris, & à ſini-
Dan.7. ſtris. Et in Daniele: millia millium miniſtrant ei, & de-
cies centena millia aſsiſtunt ei. Hoc eſt concilium ſan-
ctorum, qui ſunt in circuitu Dei. Inter hos autẽ omnes,
DOMINVS eſt potentiſsimus, & maximus omnium,
quem neceſſe habent omnes contremiſcere, & venera-
bundi adorare. Cùm igitur talis ac tantus ſis, DOMINE
Deus Zebaoth, quis ſimilis eſt tibi? qui es nimirũ po-
tentiſsimus & veraciſsimus, & cuius circuitus ſunt ve-
ritas, hoc eſt, quem veritas, tanquam cœleſtis exerci-
tus, circundat, & circumuallat, vt Deus nihil aliud ſit,
niſi veritas ipſa, nec aliud agat, quàm veritatem exer-
ceat.

8. *Tu dominaris tempeſtati maris, motum fluctuum eius tu mitigas.*

Pergit explicare potentiam Dei: Tu, inquiens, domi-
naris ſuperbiæ ſeu tempeſtati maris, & compeſcis tu-
meſcentes fluctus eius. Pſalmus 107. Qui deſcendunt
mare in nauibus, faciẽtes operationem in aquis multis:
ipſi viderunt opera DOMINI, & mirabilia eius in
profundo. Dixit, & extat ſpiritus procellæ, & exal-
tati ſunt fluctus eius: aſcendunt vſq; ad cœlos, & de-
ſcendunt vſq; ad abyſſos, anima eorum in malis tabe-
ſcebat. Et mox: Clamauerunt ad DOMINVM, cum tri-
bularentur: & de neceſsitatibus eorum eduxit eos: &
ſtatuit procellam eius, & ſedata eſt, & ſiluerũt fluctus
eius: & lætati ſunt, &c.

9. *Tu*

9. *Tu contriuiſti, ceu vulneratum Rahab, (ſeu Ægygtum) brachio fortitudinis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.*

Aliud potentiæ Dei Argumentum. Alludit autem ad miracula, quæ in Ægypto ædita ſunt. Deus enim exercuit potentiam ſuam in mari rubro, dum educeret Iſraelitas ex Ægypto (quam hoc loco vocat Rahab, ſicut & Eſa. 30. & ſuprà Pſal. 87.) & diuideret mare, vt Iſraelitæ ſicco pede tranſirent, ac iterum in alueum ſuum reduceret, vt Ægyptij diſpergerentur, & aquis marinis obruerentur. Hoc enim eſt, quod dicit: Tu contriuiſti Rahab (hoc eſt) Ægyptum ceu vulneratum, aut gladio percuſſum ac deiectum, & diſperſiſti brachio fortitudinis tuæ inimicos tuos Ægyptios.

10. *Tui ſunt cæli, tua etiam eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti.*

Aliud potentiæ Dei argumentum. Tu es conditor & creator omnium rerum: tu cœlos, tu terram, tu vniuerſum orbem terræ, & omnia quę in eo ſunt, creaſti. Quare, quicquid eſt vſpiam rerum, tuæ potentiæ & voluntati ſubiectum eſt.

11. *Aquilonem & dextrum (ſeu Auſtrum) tu creaſti, Thabor & Hermon in nomine tuo exultant.*

Quod antè dixit ſummatim, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: hoc nunc in partes diducit. Tu creaſti Aquilonem, hoc eſt, Septentrionem:

Et Auſtrum, hoc eſt, Meridiem: ſimiliter creaſti Thabor, hoc eſt, Occidentem: & Hermon, hoc eſt, Orientem. Hæ enim ſunt quatuor partes huius mundi: Septentrio Meridies, Occidens & Oriens. Sunt autem Thabor & Hermon duo montes in Galilea, quorum alter Occidentem, alter Orientem deſignat fœcunditate, fertilitate, & amœnitate ſua, celeberrimi. Vnde & hoc loco dicuntur in nomine Dei exultare, propterea, quòd à Deo ita ſunt creati, vt amœnitate & paſcuis ſuis, tàm homines quàm iumenta exhilarent.

13. *Tuum brachium eſt robuſtum, potens eſt manus tua, exaltata eſt dextera tua.*

Quid plura dicam? Tuum brachium eſt robuſtiſſimum, tua manus eſt potentiſsima, tua dextera eſt fortiſsima. Hæc eſt deſcriptio omnipotentiæ Dei, qua vt cuncta condidit, ita etiam cuncta conſeruat & adminiſtrat.

14. *Iuſtitia & iudicium ſunt baſis throni tui, miſericordia & veritas ſunt tibi curæ.*

A prædicatione omnipotentiæ Dei deſcendit ad prædicationem bonitatis & clementiæ eius. Deus enim non ſolùm eſt omnipotens, verùmetiam bonus, rectus, clemens & miſericors. Iuſtitia & rectitudo iudicij, ſunt baſis & firmamentum throni ſeu regni eius. Miſericordia ſeu beneficentia, & conſtantia in ſeruandis promiſsis, ſunt ſibi maximè omnium curæ. Vbi ergo Deus iſta teſtificatus eſt? Omnipotentiam quidē

teſtificatus

testificatus est creatione cœli & terræ, & omnium, quæ in eis sunt. Vbi autem testificatus est iustitiam & iudicium suum? vbi misericordiam & veritatem suam? Certè innumera sunt huius rei exempla. Præcipuum autem est, quòd exhibuit mundo promissum Christum DOMINVM nostrum, de semine Dauidis. Iustitia enim & iudicium est: vt, quod promisit, iudicauerit esse iustum & æquum reipsa præstare. Misericordia & veritas est: vt, quod clementer se facturum receperit, constanter seruet & impleat. Verè autem & liberaliter seruare promissa & pacta, hoc demum est conseruare regna, & tueri remp. Quare cùm Deus miserit filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, iuxta promissa & pacta, rectè dicitur firmasse solium regni sui, iustitia & iudicio, & sibi præ omnibus rebus curæ esse misericordiam & veritatem.

15. *Beatus populus, qui nouit iubilationem: DOMINE in lumine vultus tui ambulabunt.*

Epiphonema, quo gratulatur ecclesiæ de tàm potenti & clemente rege, è quo possit haurire omne gaudium & omnem felicitatem: Cum tu (inquit) DOMINE Deus, sis tàm potens & tàm clemens, qui thronum regni tui confirmes iustitia & rectitudine iudicij, ac semper sint in conspectu tuo misericordia & veritas, beatus certè populus est, qui hoc credit, & transfert ad conscientiæ suæ pacem, iubilationem & gaudium. Nam, qui hoc fecerint, hi ambulabunt in lumine vultus tui, & percipient ex visione tua summam felicitatem.

16. *In nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.*

Non erunt beati seu felices ad tempus tantùm, sed exultabunt in nomine tuo, TOTA die, hoc est, semper & perpetuò: & in iustitia tua exaltabuntur, (hoc est) propter tuam iustitiam, qua non imputas eis peccatum, glorificabuntur. Hæc enim est beatitudo, hæc est glorificatio nostra: si nõ in nomine nostro, sed in nomine DOMINI: si non in iustitia nostra, seu nostrarum virtutum, sed in iustitia DOMINI Dei nostri, quæ est remissio iniustitiæ, & exultemus & gloriemur.

17. *Quia gloria fortitudinis eorum TV es, & propter beneplacitum tuum exaltabis cornu nostrum.*

18. *Quia DOMINVS est scutum nostrum, & sanctus Israel rex noster.*

Exultabunt, inquit, in NOMINE TVO, & glorificabuntur in iustitia TVA. Propter quid? Quia TV es gloria fortitudinis eorum: & exaltabis cornu seu robur nostrum, propter beneplacitum, seu propter clementiam TVAM. Nihil adscribendum est NOBIS, nihil fortitudini aut virtuti nostræ: sed TV es gloria nostra. Nihil adscribendum potentiæ nostræ: sed beneplacito TVO, & gratuitæ clementiæ TVAE. DOMINVS enim ipse est scutum nostrum, DOMINVS ipse sanctus Israelis est rex noster. Huic quicquid est exultationis, quicquid est felicitatis, quicquid est roboris, quicquid protectionis, quicquid conseruationis nostræ, acceptum ferendum est. Quare nihil nobis magis

magis cauendum est, quàm vt NOBIS & NOSTRIS viribus aliquid tribuamus: Non nobis DOMINE, inquit alius Psalmus, non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Et in Daniele: Non in iustificationibus NOSTRIS prosternimus preces ante faciem tuam: sed in TVIS miserationibus multis. *Psalm. 114.* *Dan. 9.*

19. *Tunc loquebaris per visionem sanctis tuis: & dicebas: Posui adiutorium super Heroem, exaltaui electum de populo.*

20. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.*

Postquam Psaltes commemorauit, primùm quidem misericordiam & clementiam, quam Deus exhibuit, in percutiendo fœdere cum Dauide, & in instituendo pacto cum ipso: quòd daturus sit è posteritate eius filium, qui sit perpetuò regnaturus: Deinde omnipotentiam, quam DEVS testificatus est, in condendo, conseruando, & administrando hoc mundo: Nunc redit ad fœdus & pactum illud, cum Dauide initum, & suscipit ipsum copiosè explicandum: vt sciamus, pactum illud non intelligendum esse, de carnali aliquo filio Dauidis, videlicet de Salomone, aut Nathane, sed de Christo DOMINO nostro: qui præter hoc, quòd sit natus è familia Dauidis, etiam natus est æternus filius DEI, per quem DEVS clementiam suam, in redimendo humano genere à sempiterna internecione, sit declaraturus, & omnipotentiam suam, in administrando hoc mundo, testificaturus. Tunc loquebaris, inquit, sanctis tuis: Tunc, videlicet, cum promittebas Dauidi, te daturum ei filium è familia sua, significabas

ſanctis Prophetis tuis, per Propheticas viſiones, ſeu interpretationes: quòd longè alium, quàm externum tantùm & corporalem filium, ſed Chriſtum DOMINVM noſtrum, tuum ipſius filium, intelligeres. Poſui, inquiens, adiutorium ſuper Heroem, exaltaui electum de populo, inueni Dauid, ſeruum meum: Oleo ſancto meo vnxi eum. Hîc, Dauid, non eſt Dauid ille filius Iſai, nec Heros ille, qui occidit Goliathem, nec electus ille, qui è tribu Iuda, in externum & corporale regnum Iſraelis exaltatus eſt: Sed eſt Chriſtus filius altiſsimi, ſuper quẽ DEVS Pater poſuit omne auxilium, & adiutorium, humano generi: & vnxit eum oleo ſancto, hoc eſt, Spiritu ſancto, præ omnibus conſortibus ſuis, ac exultauit ipſum ſuper omne nomen, tàm in hoc quàm in futuro ſeculo.

21. *Manus mea confirmabit eum, brachium etiam meum roborabit eum.*
22. *Non prævalebit inimicus aduerſus eum, & filius iniquitatis non affligit eum.*
23. *Sed cædam ante faciem eius aduerſarios eius, & qui eum oderunt, percutiam.*

Pergit exponere, quæ beneficia DEVS ſit collaturus in DOMINVM noſtrũ Ieſum Chriſtum, filium Dauidis. Manus mea, inquit, confirmabit eum: & brachiũ, ſeu potentia mea, roborabit ipſum. Sic deſcribit eum, perinde ac ſi futurus eſſet inſignis & inuictus bellator, quem DEVS adiuturus eſſet contra aduerſarios ſuos externa potentia. Sed quemadmodum regnum Chriſti non eſt de hoc mundo: ita ad conficiendum bellum

lum ſuum, & ad opprimendos aduerſarios ſuos, non indiget externo militum robore, & mundano auxilio. Ad Petrum, dimicantem pro eo externo gladio, dicit: An putas, quòd non poſsim nunc rogare patrem meum & exhibebit mihi, plus quàm duodecim legiones Angelorum? Quod igitur in his verſiculis dicit de adiutorio DOMINI, de inimici incurſu, & de aduerſariorum oppreſsione: non ſunt intelligenda de externis prælijs, & mundana ſtrage, ſed de ſpirituali conflictu Chriſti, aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, vt Paulus ait, rectores tenebrarum huius ſeculi, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Chriſtus enim iniuit certamen cum diabolo, cum peccato, cum morte, & cum inferno, in quo certamine, ita confirmatus eſt manu & brachio DOMINI, vt non præualuerint ei hi inimici, nec oppreſſerint eum hi hoſtes, ſed potius ipſi ante faciem eius cæſi, percuſsi & profligati ſint. Venit, inquit, Chriſtus ipſe, princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Habuit quidem Chriſtus etiam externos aduerſarios: Scribas, Phariſæos & Pontifices. Etſi autem hi adegerunt eum in crucem & mortem: tamen intantum non vicerunt eum, vt eo ipſo victoriam à diabolo, peccato, morte & inferno, reportauerit. Quare, vt mirandum fuit bellum Chriſti cum aduerſarijs ſuis, ita etiam mirandam & omnibus ſeculis celebrandam victoriam reportauit. *Ioan. 14.*

24. *Veritas autem mea, & miſericordia mea, cum ipſo erunt: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.*

Hoc per Antitheſin dictum eſt ad Saulem, anteceſſorē Dauidis, Fuit enim Saul electus rex in Iſrael, ante Dauidem

Dauidem. Sed quia gesit imperium tam impiè quàm tyrannicè, idcirco abiectus est ex imperio: non solùm ipse, verùmetiam omnis posteritas eius. De filio autem Dauidis DOMINO nostro Christo dicit DEVS: veritatem & misericordiam meã non auferam ab ipso, sicut abstuli à Saule: sed complectar eum, perpetuo fauore, & exaltabo regnum eius, meo ipsius nomine, super solium Dauid (inquit Esaias) & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modo & vsq; in sempiternum.

Esa. 9.

25. *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.*

Non concludam regnum eius in angustum angulum Iudææ, sed dilatabo vsq; ad mare & ad flumina, hoc est, in omnes fines terræ. Vnde apud Esaiam dicitur: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsq; ad extremum terræ. Et in Psalmo: Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.

Esa. 49:

26. *Ipse nominabit me, tu es Pater meus. Deus meus, & firma salus mea.*

Christus enim non est tantum filius Dauidis, secundum carnem: sed etiam est filius Dei, secundum spiritum sanctificationis (sicut Paulus ait) vt optimo iure vocet DEVM, Patrem suum, & DEVM suum, & firmam salutem suam. Ascendo (inquit) ad Patrem MEVM,

Rom. 1.

MEVM, & patrem veſtrum: & Deum MEVM, & Deum veſtrum. Nam ſi conſideraueris eum ſecundũ diuinitatẽ, filius eſt Dei, ab ęterno à Deo patre ſuo genitus. *Ioan.20.*

27. *Et ego conſtituam eum primogenitum, altiſſimum inter reges terræ.*

In lege Moſi liberi primogeniti duplicem capiebãt paternæ hæreditatis partem, quemadmodum ſcriptum eſt in Deut. cap. 21. Dicit ergo Deus pater de Chriſto filio ſuo: Ego conſtituam eum primogenitum, hoc eſt, ego ornabo eum iure primogenituræ, vt vngatur oleo lætitiæ (ſicut alius Pſalmus ait) præ conſortibus ſuis. Datus enim eſt ei Spiritus ſanctus, non ad menſuram, & conſtitutus eſt altiſsimus inter omnes reges terræ, quippe quem Deus pater ſedere fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum ac poteſtatẽ, ac virtutẽ, & dominiũ, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in ſeculo hoc, verùmetiã in futuro.

28. *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: & pactum, quod inij cum illo, firmum erit.*

29. *Et propagabo ſemen eius in perpetuum, & ſolium regni eius, tàm diuturnum erit, quàm dies cœli.*

Sunt & hæc dicta de Chriſto & regno eius, per antitheſin ad Saulem & regnum eius. In æternum, inquit, ſeruabo illi miſericordiam meam, & pactum, quod inij cum illo, firmũ erit. Pactum. n. quod videbatur DOMINVS iniſſe cũ Saule, non fuit firmũ, quippe quòd Saul non firmiter adhæſiſſet DOMINO; Stultè egiſti, inquit

1. Samue. 13. Samuel ad Saul, nec custodijsti mandata DOMINI Dei tui, quæ præcepi tibi. Quodsi non feciſſes, iã nunc præparasset DOMINVS regnũ tuũ ſuper Iſrael, in ſempiternũ. Sed nequaquã regnum tuũ vltra conſurget. Pactum aũt, quod iniit DOMINVS cũ Chriſto filio Dauis 2. Paralip. 17. dis, erit firmiſsimũ: Cum impleueris dies tuos (inquit DOMINVS ad Dauid) vt vadas ad patres tuos, ſuſcitabo ſemen tuũ poſt te, quod erit de filijs (quod de Chriſto dictũ eſt) & ſtabiliã regnũ eius: ipſe ædificabit mihi domũ & firmabo ſoliũ eius vſq; in æternũ. Ego ero ei in patrẽ, & ipſe erit mihi in filiũ, & miſericordiã meam non auferã ab eo, ſicut abſtuli ab eo qui ante te fuit. Et mox: Thronus eius erit firmiſsimus in perpetuũ. Hæc promiſsio duo complectitur: Alterũ eſt, quòd Chriſtus naſciturus ſit è familia Dauidis: alterum, quòd regnum Chriſti ſit perpetuũ. Propagabo, inquit Pſalmus, ſemen eius in perpetuum, & ſolium regni eius, tàm diuturnum erit, quàm dies cœli, qui ſunt perpetui.

30. *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint.*

31. *Si ſtatuta mea prophanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint.*

32. *Viſitabo virga ſcelera eorum & plagis iniquitates eorum.*

33. *Miſericordiam autem meam, non auferam ab ipſo, nec mentiar in veritate mea.*

34. *Non violabo pactum meum, & quod egreſſum eſt de labijs meis, non mutabo.*

35. *Semel iuraui per ſanctitatem meam, ſi Dauid mentiar.*

36. *Semen eius in ſempiternum erit, & thronus eius, ſicut ſol coram me.*

37. *Sicut luna ſtabilietur in æternũ, & teſtis in nubibus firmus.*

In

In posteriori libro Samuelis, cap. 7. dicitur de Christo. Ipse ædificabit domũ nomini meo, & stabiliã thronũ regni eius vsq; in sempiternũ. Ego ero ei in patrem & ipse erit mihi in filium. Et additur de iniquitatibus eius. Qui si (inquit) iniquè aliquid gesserit, arguã eũ in virga virorũ, & in plagis filiorũ hominũ. Quid igitur, inquies? Nũ Christus aliquid iniqui gesit? Certe, peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus est, dolus in ore eius. Quid ergo est: si iniquè aliquid gesserit, arguã eũ? Quod in Samuele simpliciter dicitur, hoc Psalmus his versiculis disertè interpretatur. Christus. n. quod ad suã ipsius personã attinet, nullũ vnquã peccatum fecit: Sed quod attinet ad ecclesiam suam, toties peccare dicitur, quoties ecclesia eius peccat. Quare, quod dicitur in Samuele: Si iniq; aliquid gesserit: intelligendũ est, iuxta expositionẽ huius Psalmi, videlicet, si filij eius (hoc est, ecclesia eius) dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si statuta mea prophanauerint, & præcepta mea non custodierint: visitabo virga scelera eorum, &c. Prophetica enim promissio, vt statuit Christum DOMINVM nostrum, extra omne scelus & peccatum, ita statuit eum in perpetua misericordia Dei. Misericordiam meam, inquit, non auferam ab ipso, nec mentiar in veritate mea. Et in alio Psalmo: Iurauit DOMINVS Dauid veritatem, & non frustrabitur eũ. De fructu ventris tui ponã super sedem tuã. Hic fructus vẽtris Dauidis est Christus DOMINVS noster, quem posuit Deus super sedem Dauidis, in sempiternum regem: vt queamdmodum sol in cœlo stat firmissimus, & luna stabilissima, & arcus (quem posuit Deus in nubibus, in signum fœderis inter ipsum & terram) *Psal. 132.* *Gen. 8.*

constantissimus, ita thronus regni Christi perpetuò consistat, & nunquam in æternum aboleatur. Dicitur autem in sede Dauidis collocatus esse, non tàm, quòd è familia Dauidis natus sit, quàm quòd in Zion (quæ fuit sedes Dauidis) prædicauerit Euangelion regni sui, & peregerit ibi sacrificiũ suum, pro peccatis mundi, ac resurgens à mortuis diuulgauerit Euangelion suum in omnem orbem terræ, sedeatq; ad dextrã Dei Patris sui, ac dominetur in cœlo & in terra perpetuò. Atq; hæc quidem est conditio Christi filij Dauidis: videlicet, quòd sit rex æternus, & in æterna Dei Patris sui gratia. Quæ autem est filiorum eius conditio? Si filij eius, inquit, dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, visitabo virga scelera eorum, & plagis iniquitates eorum: castigabo quidem eos, veruntamen in iuditio, non in furore meo: virga parentum, non gladio carnificum: plaga humana, non plaga diuina. Cum enim non auferam misericordiam meam ab ipso, sed complectar eum sempiterna misericordia, semper patet peccatoribus receptus ad ipsum: vt quotiescunq; dereliquerint legem meam, & castigauero eos, propter peccata eorum, liceat eis ad ipsum reuerti, & in ipso peccatorũ suorum remissionem, ac æternam salutem consequi. Nam quod semel, inquit, egressum est è labijs meis, non mutabo. Illud autem iuramentum egressum est è labijs meis, quòd constituerim Christum æternum regem, & sempiternum sacerdotem, hoc est, æternum victorem mortis, & sempiternum propitiatorem peccatorum. Quare quisquis peccator ad ipsum conuersus fuerit, habebit Deum propitium, & fiet victor mortis ad æternam vitam

vitam ac felicitatem. Hoc illud est, quod in alio Psal- *Psal.111.*
mo dicitur: iurauit DOMINVS, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et Christus ipse: Non veni, inquit, ad *Luc.5.*
vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et *1.Tim.1.*
Paulus: Certus, inquit, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret.

38. *Tu autem repulisti & proiecisti, iratus es aduersus Christum tuum.*
39. *Destruxisti pactum serui tui, prophanasti in terra diadema eius.*
40. *Destruxisti omnes macerias eius, & cõteris munitiones eius.*
41. *Diripiunt eum omnes, qui prætereunt, factus est opprobriũ vicinis suis.*
42. *Exaltas dẽxteram hostium eius, lætificas omnes inimicos eius.*
43. *Auertis etiam robur gladij eius, & non subleuas eum in prælio.*
44. *Cessare facis mundiciem eius, & thronum ipsius ad terram detrahis.*
45. *Abbreuias dies adolescentiæ eius, operis eum ignominia.*

Postquam Psaltes exposuit promissionem, quam Deus Dauidi de Christo filio suo fecit, optat nunc eam ad suum institutum, & commemorat, quòd etsi Deus manifestè promiserit Dauidi, & filio eius regnum perpetuum, tamen videatur ea promissio irrita & vana. Promisisti quidem Dauidi & posteris eius regnum æternum, tu autem repulisti & proiecisti à te regnum il-

lud, & iratus es aduersus regem, qui hoc tempore de familia Dauidis regnauit. Dissipasti seu dissoluisti pactum, quod inieras cum Dauide seruo tuo. Profanasti, proijciendo in terrã diadema eius. Destruxisti omnes macerias, omnes muros eius, & conteris omnes munitiones eius. Regnum eius tanto contemptu laborat, vt pateat cuiusuis libidini & direptioni. Omnes, qui prætergrediuntur, conuellunt ipsum, adeoq; opprobrio est omnibus vicinis suis. Ac tantùm abest, vt defendas ipsum potenti manu tua, vt potius adiuues & exaltes dexteram hostium eius, & exhilares omnes inimicos eius. Et nostri satis quidem roboris haberent, si tu fauore tuo adspirares: nunc autem tu reddis aciem gladiorum nostrorum obtusiorem, quàm vt hostem ferire queat. Tametsi enim prælium ineamus, tamen tu partes aduersariorum potius quàm nostras iuuare videris. Breuiter: Tu aboles, deijcis, & pessundas omnem decorem, omnia ornamenta, omnem dignitatem, & maiestatem regni nostri, & præcidis ipsum, priusquam peruenerit ad maturam ætatem, adeoq; summa afficis ignominia. Quærendum autem est, quando hæc regno Dauidis euenerint? Multæ quidem calamitates acciderunt ei ab initio institutionis eius, videlicet, in separatione regni Israelis à regno Iudæ, in incursio-
1. *Parali.* 12. ne Sesac regis Ægyptiaci, in incursione Syrorum, & Assyriorum, & in incursione Ioas regis Israel, quemadmodum scriptum est in posteriori libro Chronicõn cap. 25. nulla autem calamitas maior fuit, quam vastatio Babylonica. Sentiamus igitur ea, quæ Psaltes hoc commemorat, maximè omnium tempore huius vastationis contigisse. Quid ergò? Num accusat Deum mendacij?

dacij? Num arguit promiſsionem Dauidi factam vanitatis? quòd cum Dauidi & poſteris eius promiſſum ſit regnum perpetuum, iaceat nunc vaſtatum: protritum, & conculcatum? nec ſit vlla ſpes recuperandi priſtini ſplendoris? Nihil minus. Non arguit Deum mendacij, nō reprehendit promiſsionem Dei vanitatis: ſed agnoſcit peccatum, & deprecatur iram Dei. Sic enim ſequitur.

46. *Vſq; quò DOMINE abſcondes te perpetuò? exardeſcet, ſicut ignis, ira tua?*

Non eſt Deus mendax in promiſsis ſuis: imò, ſit Deus, inquit Paulus, verax, omnis autem homo mendax. Nec hæc antitheſis, quam Pſaltes commemorauit, & oppoſuit promiſsioni Dauidis, eſt impia expoſtulatio cum Deo: ſed pia querela de grauitate iræ Dei, & inuocatio de mitigatione eius: Vſq; quò, DOMINE, inquiens, abſcondes te perpetuò? Exardeſcet, ſicut ignis ira tua? Hactenus abſcondis tuam opem, & ira tua aduerſus nos, ſicut ignis, exarſit. Numquid ergo perpetuò abſcondes te? nunquid ira tua in immenſum ira creſcet, vt non amplius poſsit extingui? Nihil verò minus. Etſi enim videris in præſentia vna cum tua ope abſconditus, tamen ſolenne eſt Deo, ſub aduerſo ſe abſcondere, & in occulto latere. Alienum eſt, (inquit) *Eſa.* 28. opus eius, vt operetur opus ſuum. Et quanquam ira ad ſummum ita inflammata apparet, vt opprimi amplius non queat: tamen cum iratus (inquit) fueris, miſericor- *Abac.* 3. diæ recordaberis. Recitat igitur deinceps argumenta conſolationis, quibus ſe in præſenti calamitate erigit.

46. *Memen-*

47. *Memento quàm breuis ſim ego vitæ. Cur fruſtrà creaſſes filios hominum?*

48. *Quis eſt vir, qui viuat, & non videat mortem? ſeruet animam ſuam de manu inferi?*

Primùm argumentum conſolationis ducitur à fine creationis hominis. Homo breuiſsimæ eſt vitæ: nec eſt quiſpiam, qui poſsit ſe à morte eripere, aut de manu inferi (hoc eſt) de interitu conſeruare. Neceſſe habent omnes homines, vel tandem mortem appetere, & interire. Non eſt autem homo conditus ad mortem, ſed ad vitam: non ad interitum, ſed ad ſalutem: non ad infelicitatem, ſed ad felicitatẽ. Quare, etiamſi in præſentia deiecti ſumus è throno regni noſtri, & omni genere afflictionis obruti, tamen nondum eſt de ſalute noſtra conclamatum. Non enim fruſtrà conditi ſumus à Deo. Non ſumus creati, vt momentaneam tantùm, aut diariam vitam: ſed, vt æternam vitam ducamus. Non ſumus creati, vt perpetuò ſimus miſeri & infelices: ſed vt perpetuò ſimus beati & felices. Cùm igitur in præſentia ſimus terq́ quaterq́ miſeri, reliquum eſt, vt ſuo tempore beatitudinem & felicitatem aſſequamur.

Dices autem. Si homo eſt conditus ad vitam, quid eſt, quòd moriatur? ſi eſt conditus ad felicitatem, quid eſt, quòd tam infeliciter agat? Reſpondeo. Deus non eſt autor mortis & interitus: ſed ſicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ita etiam per vnũ hominem introiit mors. Et tamen ne ſic quidem res humanę ſunt deploratæ. Sicut enim per vnius delictũ,

(inquit

(inquit Paulus) propagatum est malum in omnes, ad condemnationem: ita per vnius iustificationē propagatur bonum in omnes homines, ad iustificationem vitæ. Et iterum: Postquam per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim per Adam omnes moriuntur: ita & per Christum omnes viuificabuntur. Quare, etiamsi amisimus in Adamo vitam & felicitatem, ad quam conditi eramus, tamen data est nobis potestas recuperandi eam, per Iesum Christum DOMINVM nostrum. *Rom. 5.* *1. Cor. 15.*

49. *Vbi sunt misericordiæ tuæ priores DOMINE, quas iurasti Dauidi per veritatem tuam?*

Secundum argumentum consolationis, ductum à certitudine & veritate promissionum, quæ factæ sunt Dauidi. Vbi sunt, inquit, misericordiæ tuæ priores Domine, quas iurasti Dauidi veras & certas? Nihil enim certius est, nihil verius: quàm quòd superiori ætate iureiurando promiseris Dauidi, te suscitaturum semen eius post ipsum, & stabiliturum thronum regni eius vsq; in sempiternum. Non possunt autem iuramentum & promissio Dei vana & irrita esse. Etsi enim in præsentia nihil minus videtur, quàm quòd regnum Dauidi & semini eius promissum constet: tamen cùm, Deus promissionem fecerit, & iusiurandū accesserit, fieri non potest, vt in his duabus immutabilibus rebus, Deus mentiretur? Quomodo ergò implentur? & vbi manent, cum omnia planè diuersa, imò aduersa, appareant? Quærit autem Psaltes, vbi priores misericordiæ Dei maneant, non quòd de veritate & certitudine earum dubitet: sed vt inusita- *Hebr. 6.*

25. *Benedictus DOMINVS in æternum: Amen, & Amen.*

Concluſio Pſalmi. In hoc enim Pſalmo cõmemorauit primùm, promiſsionem Dei, quæ dicta eſt ad Dauidem, de ſemine ſuo Chriſto, & de perpetuo regno eius. Deinde oppoſuit ei externam rerum experientiam, quòd promiſſum quidẽ ſit Dauidi & ſemini eius æternum regnum, ſed uniuerſa rerum facies videatur cum eo pugnare: & tamen nihil certius, nihil firmius ſit, veritate & certitudine huius promiſsionis. Benedictus igitur DOMINVS in æternũ, quòd veritas eius ſit Amen & Amen, hoc eſt, certiſsima veritas. Etſi.n. in præſentia longè diuerſum apparet, & nihil minus videtur, quàm quòd regnum Dauidis perpetuò ſit duraturum: tamen Deus. vt eſt artifex rerum omniũ ingenioſiſsimus, ita etiam optimè nouit modum & rationem excogitare, qua promiſsionem ſuam ſeruet & adimpleat: vt Deus quidem ſit & maneat verax, omnis autem homo mendax.

VSVS HVIVS PSALMI.

Inſigne eſt in hoc Pſalmo, quòd Deus pater de Chriſto dicit: Miſericordiam meam non auferam ab ipſo, nec mentiar in veritate mea, nec violabo pactum meum: &, quod egreſſum eſt de labijs meis, non mutabo. Significat enim primùm, quòd Euangelion de Chriſto ſit certiſsimum & veriſsimũ: videlicet, quòd Deus pater cõplectatur filium ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, æterno fauore. Deinde ſignificat quòd propter ipſum complectatur etiam ſummo fauore omnes illos, qui in ipſum credunt. Huc enim facit

facit, quod Paulus ad Romanos ſcribens: Perſuaſum mihi, inquit, habeo, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione, qua DEVS nos complectitur, in Chriſto Ieſu DOMINO noſtro. Benè igitur confidamus, quòd ſi in Chriſto cõſiſtimus, aut, ſi ab eo defecerimus, & reuertimur ad ipſum: conſiſtamus etiam in dilectione qua nos DEVS ipſe Pater proſequitur. Deo autem patre nos fauore ſuo proſequente, quis intentabit crimina aduerſus electos DEI? DEVS eſt, qui iuſtificat. Quis ille, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt: imò, qui & ſuſcitatus eſt: qui etiam eſt ad dexteram DEI: qui & intercedit pro nobis.

Pſalmus 90.

Domine refugium factus es nobis, à generatione.

HIc Pſalmus non inſcribitur Dauidi, ſed Moſi, ſiue quòd Moſes ſit autor eius, ſiue quòd ad imitationem Moſi deſcribat fontem & originem humanæ fragilitatis. Continet enim Antitheſin æternitatis DEI & fragilitatis hominis. Et conſtat tribus partibus. In prima deſcribitur conditio humanæ imbecillitatis: in ſecunda, vnde hęc

imbecillitas originem ſuam ducat: in tertia, petitio liberationis.

DOMINE (inquiens) tu factus es nobis habitaculum, in generatione & generatione.

Exordium Pſalmi, in quo captat beneuolentiam DEI, dum tribuit ei epitheton habitaculi ſeu refugij & aſyli, ad quod nos in omnibus aduerſis ſemper recipiamus. Agnoſcimus te DOMINE, aſylum noſtrum, ad quod tutò nos in omnibus noſtris afflictionibus conferamus, idq; non vno tantùm tempore, nō in vnis tantùm aduerſis: ſed in quibuſuis, in generatione & generatione, per continuas videlicet ætates. Quare ſperamus, te in præſentibus quoq; ærumnis, & in hac miſerrima humanæ fragilitatis conditione, nos non repulſurum.

2. *Antequam montes naſcerentur, & formares terram, ac orbem, à ſeculo & in ſeculum, tu es Deus.*

Prior pars Antitheſeos. Tu es DEVS, æternus, priuſquam montes naſcerentur, & terra, ac orbis terrarum formaretur, tu es DEVS ab æterno. Cum hoc Pſalmo conſentit & Pſalmus centeſimus ſecundus. Tu DOMINE, in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generatione. Et iterum: Initio terram fundaſti, & opus manuum tuarū ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: Quaſi pallium, mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

3. *Conuertis*

3. *Conuertis hominem vſq; ad interitum: & dicis reuertimini filij Adam.*

Posterior pars Antitheseos. Deus quidem est æternus & immutabilis: homines autē sunt caduci, & mutationi obnoxij: Tu conuertis, inquit, hominem ad interitum, & dicis, vt iterum reuertantur, (hoc est) alium hominem deducis in mortem, aliū iubes nasci, vt generatio prætereat, & generatio redeat, atq; ita perpetua sit hominum sibi inuicem successio.

4. *Quoniam mille anni, in oculis tuis, sicut dies hesternus, qui præterijt, & vigilia in nocte.*

Pergit, sicut cepit, describere fragilitatem humanę conditionis. Nam si de vita hominis dicendum est, quid ea fragilius? Etiamsi quispiam produxerit vitam suam in mille annos, tamen hi anni non sunt in conspectu DEI, nisi sicut dies hesternus, qui pręterijt: & sicut vigilia in nocte: quarum vna constat tribus tantùm horis, & cum præterierit, nullum post se vestigium relinquit. Porrò, hunc versiculum allegat Petrus in posteriori sua epistola: & docet ex eò, quod cùm mille anni sint, coram DEO, perinde ac vnus dies, Christus non differat aduentum suum longiùs quàm par sit: sed ad salutem hominum: Patiens est, inquiens, erga nos, dum non vult vllos perire: sed omnes ad pœnitentiā recipere. Cùm enim, in conspectu Dei, mille anni sint perinde ac vnus dies: non tardauit Christus DOMINVS, aduentu suo, vnū hactenus & alterū diem, vt impij iniuria accusent eum tarditatis & cessationis. 2. *Pet.* 3.

5. *Facis*

5. *Facit eos diffluere, vt ſint perinde ac ſomnus: manè ſicut herba roboratur.*

6. *Manè floret & roboratur: veſperi autem infirmatur & areſcit.*

Duabus ſimilitudinibus exponit vanitatem humanæ vitæ. Altera eſt: Facis vitam hominum diffluere vel elabi, ſicut ſomnium. Nam quemadmodum ſomniat eſuriens (ſicut Eſaias dicit) & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius, & quemadmodum ſomniat ſitiens & bibit. Poſtquàm autem fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ita etiamſi homo vixerit centum aut mille annos: tamen, poſtquàm tempus vitæ elapſum eſt, omnia, veluti ſomnium euaneſcunt. Atq; hæc quidem de vita hac corporali, in hoc ſeculo, intelligenda ſunt. Nã de vita alterius ſeculi, vt ſua ſunt teſtimonia, ita etiam ſuæ ſunt perpetuæ conditiones. Altera ſimilitudo eſt: Manè ſicut herba roboratur: Manè floret, & roboratur: veſperi autem infirmatur, & areſcit. Nam quemadmodum herba matutino rore excitata, floret & viget, veſperi autem, ardore Solis exiccata, areſcit & flacceſsit: ita vita humana, aliquamdiu vegeta & firma, præſertim in iuuenta, videtur: ſed paulò poſt, omnibus malis obruta, miſerrimè occumbit. Huc pertinet etiam ſimilitudo, quæ de impiorũ felicitate in Pſalmo 36. extat: Tanquàm fœnum, velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.

7. *Quia conſumimur in ira tua, & in furore tuo feſtinanter abripimur.*

Hactẽ

Hactenus percurrimus primam Psalmi partem, de fragilitate humanæ conditionis. Nunc accedit ad secundam partẽ, & docet: vnde hæc fragilitas oriatur: Consumimur, inquit, in ira tua, & in furore tuo citò abripimur. Quòd tàm breuis simus vitæ, & tàm citò morte ex hac vita abripiamur: in causa est ira & furor tuus. Irascēris autem nobis propter peccatum nostrum. Sic enim sequitur.

8. *Posuisti iniquitates nostras coram te: occultum nostrum (peccatum) produxisti in lucem vultus tui.*

En, hæc est origo omnis nostri mali. Destinati. n. sumus morti, ex ira DOMINI. Irascitur aũt DOMINVS nobis propter iniquitates nostras, & imprimis propter occultum nostrum peccatũ, quòd cùm Deus sibi ob oculos ponit, fieri non potest, quin irascatur, & morte puniat. Peccatũ verò illud occultum, est peccatum originale: quod ab Adamo in nos propagatum, autor est omnis mali, tàm culpæ, quàm pœnæ. Postquam enim dictũ est: Quocunq; die comederis, morte morieris: & Adam comedit, lata est & confirmata sententia mortis, aduersus omne humanum genus, vt quotquot propagãtur ab homine, morti sint obnoxij. Per vnum hominẽ, inquit Paulus, peccatũ in mundũ introijt, ac per peccatũ mors: & sic in omnes homines mors peruasit, quatenꝰ omnes peccauimus. Ac mox: Per vnius delictum propagatũ est malũ in omnes, ad cõdemnationẽ. Quare, cũ Deus proponit sibi ob oculos peccatũ humani generis (proponit aũt sibi, quoties hominẽ intuetur) teneri non potest, quin irascatur, & supplicium mortis inferre meditetur. Vnde & additur:

9. *Omnes dies noſtri recedunt propter iram tuam : conſumimus annos noſtros, tanquam vaniloquium (ſeu fabulam.*

10. *Dies annorum noſtrorum, quibus (viuimus) ſunt ſeptuaginta anni, ſi autem multum, octoginta anni : & quod eximium eſt in ipſis, labor eſt & dolor : quoniam reſecatur citò, & (quaſi) auolamus.*

Perſeuerat adhuc in deſcriptione vanitatis humanæ vitæ: Omnes, inquiens, dies vitæ noſtræ recedunt, & quaſi diffugiunt nos propter iram tuam: & abſumimus ſeu peragimus annos noſtros, tanquã vaniloquium. Ira tua efficit, vt dies vitę noſtræ ſint breuiſsimi, & anni quaſi euaneſcãt. Nam, quemadmodũ ſermo hominis, cum prolatus & finitus fuerit, euaneſcit in tenues auras: ita anni vitæ noſtræ abſumuntur, & in nihilum redeunt. Acſi conſiderauerimus tempus annorum noſtrorum, quibus in hoc ſeculo vitam agimus, proferunt ſe ad ſeptuageſimum vſq; annum, aut ad ſummum, vſq; ad octogeſimum. Et in his, aut quod eſt præcipuum & eximium (quale eſt tempus iuuentutis) aut quod vltra octogeſimum annum excurrit: labor eſt & dolor, ærumna & afflictio. Non enim in eodem ſtatu permanemus: ſed vita noſtra ſubinde, quaſi reſecatur, & aliò auolat. Vides igitur, quòd quo diutius hic mundus durat, eò breuiores fiant anni humanæ vitæ. Ante diluuium, anni humanæ vitæ proferebantur vſq; ad annum octingenteſimum, aut etiam noningenteſimum, & vltrà: poſt diluuium autem Iacob Patriarcha fate-
Gen. 47. tur coram Pharaone: Dies, inquiens, peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſq; ad dies Patrum meo-

rum.

rum, quibus peregrinati sunt: Deinde post Iacobum, de Mose scriptum est: Moses centum & viginti an- norum erat, quando mortuus est. Quantum igitur de numero primæ ætatis decesit, donec tandem peruen- tum sit, in septuaginta aut octoginta annos, ad summū? Cum hoc sacræ Scripturæ testimonio, consentit etiam historia Gentium. Herodotus inquit, ὁγδώκοντα δ' ἔτεα ζώης πλήρωμα ἀνδρὶ μακρότατον προκεῖσθαι: spacium viuendi longissimum viro propositum esse octoginta annos. Nec hoc alteri rei acceptum ferendum est, nisi peccato: quòd etsi hic mundus senescit, tamen peccatum ita iuuenescat & reuiuiscat, vt vitam hominis subinde breuiorem reddat, ac tandem morti obiiciat. *Deu.34.* *In Thalia.*

11. *Quis agnoscit vim iræ tuæ, & indignationis tuæ iuxta reuerentiam tibi debitam?*

Exclamatio, admirans stuporem hominum. Etsi enim peccatum hominis tantæ calamitatis autor est, tamen quotusquisq; est, qui cum animo suo iuxta timorē seu reuerentiam, quæ tuæ maiestati debetur, consideret, quāta sit ira & indignatio tua aduersus peccatum? Homines deberēt quidē ex breuitate vitæ, & ex morte agnoscere magnitudinem peccati sui, propter quod meriti sunt mortem, & contremiscere coram maiestate Dei: sed stupidiores sunt, quàm vt malum suum intelligant, & maiestatem Dei pro dignitate sua expendāt. Inuocandus igitur est DOMINVS, vt ipse nos erudiat, & dicendum.

12. *Ostende nobis, vt numeremus dies nostros: & incedamus sapienti corde.*

Tertia pars Psalmi, quę cõstat petitione auxilij diuini, in tãta humani generis imbecillitate & fragilitate. Primùm ergo precatur, vt Deus doceat nos numerare dies nostros, hoc est, vt cõtineat nos in agnitione nostri: vt sciamus nos esse mortales: ne simus aduersus Deum elato animo, neue fastidiamus proximum. Hoc enim est sapienti corde incedere: vt humilieris sub potenti manu Dei, & non arroganter de teipso sentias, suprà quàm oportet de te sentire.

Rom.12.

13. *Reuertere DOMINE ad nos, & miserere seruorũ tuorũ.*

Deinde precatur, vt Deus iterum clementer respiciat humanũ genus. Antè enim, cùm Adam peccaret, auersus est Deus ab homine, & coniecit eũ in mortẽ. Precatur ergo, vt rursus se ad eum conuertat, & sit ei propitius. Quid autem hoc aliud est, quàm precari, vt Deus mittat semẽ illud mulieris, ꝙ ab initio est promissum? De hoc enim semine dictum est ad satanam: Ipsum cõteret caput tuum, hoc est, Christus conteret potentiam mortis & inferni. Nam in hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli, quæ sunt, mors & perditio. Et posteaquàm pueri commertium habent, (vt inquit epistola ad Hebrę.) cum carne & sanguine, ipse similiter particeps factus est eorundẽ, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis, per omnẽ vitã obnoxij erant seruituti. Precatur igitur Psaltes in hoc versiculo, vt Deus iterum respiciat humanum genus propitio vultu, & mittat vnigenitum filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui superata morte, vitam restituat.

1. Ioan.3.

14. *Reple.*

14. *Reple nos manè miſericordia tua, & exultabimus, & lætabimur cunctis diebus noſtris.*

Pergit in precatione ſua. Et cùm anteà orauerit, pro aduentu DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, vt mors aboleatur: orat nunc, vt viciſsim vita reducatur. Quid enim proderit abolere mortem, & non viciſsim reſtituere vitam. Reple, inquiens, nos manè (hoc eſt) tempeſtiuè, citò, propere, miſericordia tua: vt quod morte in Adamo amiſimus, felicitate vitæ in Chriſto nobis clementer & miſericorditer compẽſetur. Neq; enim reliqua eſt alia vera lætitia, & vera ſalus noſtra. Ac alij quidem quærunt ſuam exultationem & lætitiã in ſanitate corporis, alij in diuitijs huius ſeculi, alij in ſapientia mundi, alij in magiſtratibus: quæ fortaſsis poſſunt quidem hominem lætum & exultantem ad tempus reddere, nõ autem cunctis diebus vitę noſtrę. Sola lætitia & ſalus, quæ eſt in Chriſto, & propter Chriſtum, conſtat perpetuò, vnde & pergit precãdo.

15. *Lætifica nos rurſum poſt diuturnam afflictionem, & poſt longas calamitates.*

Hactenus varias, multas & magnas, à primordio vitæ, afflictiones ſuſtinuimus, & neceſſe habemus eas in hoc ſeculo, dum ſpirauerimus, ſuſtinere. Aut enim perturbamur tempeſtatibus animi, aut affligimur morbis & doloribus corporis: nec eſt vllum ærumnarum laxamentum. In tantis autem malis ſiue aduerſis, non eſt aliud remedium, niſi, vt tu DOMINE Deus noſter nos lætifices. Lætificabis autem, ſi nobis vnigenitum filium tuum DOMINVM noſtrum Ieſum

Christum patefeceris, & nos iustitia eius donaueris. Ipse enim factus est nobis à DEO, (vt Paulus ait) sa-
1. Cor. 1. pientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Præcamur ergò te, vt nobis diuturnitatem afflictionum nostrarum patefactione & donatione æterni gaudij in Christo Iesu DOMINO nostro rependas.

16. *Conspiciatur in seruis tuis, opus tuum, & gloria tua in filijs eorum.*

Opus DEI, quòd DEVS operatur per Christum, in ijs, qui credunt Euangelio Christi, est iustitia, sanctificatio, & vita. Gloria autem eius est sempiterna felicitas, per ipsum Christum. Cum igitur precatur, vt opus DEI conspiciatur in seruis eius, & gloria eius in filijs seu posteris ipsorum, illud precatur: vt reueletur in credentibus iustitia, sanctificatio, vita, & sempiterna felicitas, Quamdiu enim in hoc corpore sumus, peregrinamur à DEO, quippè quòd ambulemus
1. Iohan. 3. per fidem, non per speciem. Ac nunc quidem filij DEI sumus, & nondum apparuit ad quòd futuri sumus. Scimus autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.

17. *Et sit nobis DOMINVS Deus noster delectabilis, & opus manuum nostrarum confirma: opus, inquam, manuum nostrarum confirma.*

Vt paucis preces nostras absoluamus, precamur: vt nõ solùm patefacias in nobis opus tuũ, videlicet, iustitiã, vitã, & felicitatẽ tuam, verùmetiã reddas in nobis felix & fortunatũ opus nostrũ, vt placeat tibi tàm œconomia, quàm politéia nostra: adeoq; omne opus manuum nostrarum.

Vsus

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum in hoc Psalmo describatur simul & fragilitas humanæ vitæ, & potentia Christi tribuentis æternã vitam, recitandus est partim in elatione mentis, vt deprimatur: partim in abiectione animi, vt sustentetur. Primùm enim, si caro cristas sustulerit, & animũ extulerit, deprimenda est cogitatione humanæ fragilitatis. Quid enim superbit cinis & puluis? Quid se extollit vermis & putredo? Nam talibus epithetis cohonestat carnem Spiritus sanctus. Deinde, si homo abiectiori fuerit animo, quàm vt spem salutis admittat, erigendus est fide Euangelij DOMINI nostri Iesu Christi, quòd sicut per hominem mors, ita etiam per hominem resurrectio mortuorum. Nam, quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christũ omnes viuificabuntur: vnusquisq; autem in proprio ordine. Et: Veniet, inquit, Christus, hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis: & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.

Gen.18. *Iob.25.* *1.Cor.15.* *Ioan.5.*

FINIS.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

AVTORE

Ioanne Brentio.

DECAS DECIMA.

TVBINGÆ,
Apud viduam Vlrici Morhardi,
Anno 1569.

PSALMI DECIMÆ Decadis.

91. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, &c.*
92. *Bonum eſt confiteri DOMINVM.*
93. *DOMINVS regnauit, decorem indutus eſt.*
94. *Deus vltionum DOMINVS.*
95. *Venite exultemus DOMINO, iubilemus.*
96. *Cantate DOMINO canticũ nouũ, cãtate DOMINO.*
97. *DOMINVS regnauit, exultet terra, lætentur.*
98. *Cantate DOMINO canticũ nouum, quia mirabilia fecit.*
99. *DOMINVS regnauit, iraſcantur populi.*
100. *Iubilate Deo omnis terra, ſeruite DOMINO.*

Pſalmus 91.

Qui habitat in adiutorio altiſsimi.



Ieronymus in Malachiam ſcribens: Pſalmi, (inquit) qui titulos non habent, eorum eſſe credendi ſunt, quorum priores Pſalmi nominibus ſunt prænotati. Hoc, ſi verum eſt, hic nonageſimus primus Pſalmus, qui apud Hebræos eſt ἀνεπίγραφος, adſcribendus erit, non Dauidi, aut alteri cuipiam Pſaltæ, ſed Moſi, quippe quòd prior Pſalmus: Domine, refugium factus es nobis, inſcribatur Moſi. De occaſione quoq; eius, diuerſæ ſunt ſententię. Alij referunt eum ad hiſtoriam illam, quæ ſcripta eſt in poſteriori libro Samuelis, cap. 24. de peſte graſſante in populum. Alij ad tempus liberationis Iſraeliticæ ex Ægypto. Quod, vtcunq; ſe habeat, certè hic Pſalmus nobilis eſt, è tentatione, qua Satan Chriſtum DOMINVM noſtrum in pinnaculo templi eſt aggreſſus. Cùm enim Satan ſtatuiſſet Chriſtum ſupra pinnaculũ templi, dixit illi: Si filius es Dei, præcipita te deorſum. Et allegat teſtimonium ex hoc Pſalmo: Scriptum eſt, inquiens, quòd angelis ſuis mandaturus eſt de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. Quare hic Pſalmus ſit nobis, vel illo nomine commendatus, quòd Chriſtus peruerſam Satanæ allegationem refutet, & veram Pſalmi ſententiam, ex alio ſcripturæ loco, interpretetur. Porrò, quod ad vniuerſum

In Præfatione in Malachiam.

Matth. 4.

uersum Psalmum attinet, generalis est descriptio securitatis & fœlicitatis illius hominis, qui credit promissis Dei, & in fide eorum constat.

1. *Qui habitat in abscondito altissimi, & qui in vmbra omnipotentis commoratur.*
2. *Dicit DOMINO, spes mea es, & munitio mea, Deus meus, confido in ipsum.*

Primum omnium sciamus, quis sit ille, qui habitat in abscõdito altissimi, et qui cõmoratur in vmbra Omnipotentis, vt cognoscamus, quis sit ille, qui hac securitate & fœlicitate, quã hic Psalmus cõmemorat, fruatur. Habitare igitur in abscondito Altissimi, & commorari in vmbra Omnipotentis, is dicitur, qui iuxta Psalmum 37. manet in domo DOMINI omnibus diebus vitæ suæ, & videt amœnum cultum Dei, ac visitat templum eius, videlicet, quem abscondit Deus in tabernaculo suo, in tempore afflictionis, & occultat eum in loco tabernaculi sui, (hoc est,) qui audit verbum Dei, & custodit illud, qui audit promissiones DOMI-
Exod. 25. NI, & credit eis. Dixit enim Deus, se in tabernaculo, de medio duorum Cherubim, supra propitiatorium locuturum, & præcepturum Mosi, quæcunq; Israelitis mandanda susceperit. Quotquot igitur audiunt verbum Dei, quod in tabernaculo adnunciatur, & adhibent ei fidem, hi dicuntur in abscondito altissimi, (hoc est) in loco sancto, ad propitiatorium, habitare, & in vmbra Omnipotentis, quod est, in tutela Dei commorari. Quid autem erit eis? aut quæ beneficia contingent ipsis? Principio ille, qui habitat in abscondito Altissimi,

tiſsimi, & qui commoratur in vmbra Omnipotentis, hoc eſt, qui audit verbum Dei, & adhibet ei fidem, ille, inquam, dicit DOMINO, ſpes mea es, & munitio, ſeu propugnaculum meum, &, te ſolo confidam. Nam qui credit promiſsioni Dei, is agnoſcit ſolum DOMINVM, ſpem ſuam, propugnaculum ſuum, & munitionem ſuam. Qui autem ſic agnoſcit DOMINVM, is tutò inter omnia huius vitæ pericula verſabitur. Ingrediamur ergo in tabernaculum Dei, audiamus verbum Dei, & credamus, vt quæcunq; rerum diſcrimina nos adoriuntur, ſecurè perambulemus. Habes generale beneficium, quod commoranti in tutela Dei, (hoc eſt) credenti promiſsionibus Dei, contingit. Nunc ergò diducit hoc genus in ſuas ſpecies. Sequitur enim.

3. *Quoniam, ipſe liberat te de laqueo venantis, de peſte exitiali.*

Qui habitat in abſcondito Altiſsimi, non tantùm dicit DOMINO: Tu es ſpes mea, munitio mea, &, Deus meus, nec fruſtra ſperat in Deum, ſed, quod ſperat, hoc etiam aſſequitur. Tantum enim abeſt, vt vana ſit ſpes eius & vt ſpe ſua pudefiat, vt DOMINVS ipſe liberet, ac ſeruet eũ de laqueo venatoris ſeu aucupis. Si quando inciderit in retia venatorum, aut in laqueos aucupum, (hoc eſt,) in præſentia pericula, mox præſtò aderit DOMINVS, & exoluet eum mirando modo è periculis, & e peſte exitiali, ſeu ab interitu. Credo quidẽ, (inquies) Deum liberare aliquot homines, è præſentibus periculis, idq; mirando modo, ſed non cuiuis contingit hoc beneficium. Contigit Moſi, inter fluctus

maris in infantia ſua natanti: contigit Dauidi, in medio hoſtium comprehenſo: contigit Prophetæ Elizæo, quem ab hoſtibus circumdatum, defendit cœleſtis exercitus: contigit alijs, multis quidem, ſed benè numerabilibus. Mihi autem tale beneficium non eſt, nec ſperandum, nec expectandum, quippe qui non cõprehendar in catalogo, vel ſanctorum, vel iuſtorum. Et Deus non conſiderat, vt Iob ait, noſtra hæc, videlicet abiecta & humilia, ſed circa cardines cœli perambulat. Hæ quidem ſunt cauſsificationes incredulorum, ſed vaniſsimæ: Si enim nec es ſanctus nec iuſtus, da operam, vt ſis ſanctus & iuſtus. Sanctificamur autem & iuſtificamur per fidem in Chriſtum: Arbitramur enim, (inquit Paulus) hominem iuſtificari FIDE, abſq; operibus Legis. Et quid tibi ſit à Deo vel ſperandum vel expectandum, non eſt ex humana iuſtitia aut ratione, ſed ex diuina promiſsione afferendum. Diuina extat promiſsio, (quemadmodum in hoc ipſo Pſalmo ſequitur) Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Huic promiſsioni adhibe certam fidem, & dicito ex corde: DOMINVS, ſpes mea, munitio mea, & Deus meus: & non erit dubium, quin conſequaris in periculis tuis admirandam liberationem. Nam, quod obijcias, Deum non curare iſta abiecta & contempta, noli DOMINVM Deum noſtrum, iuxta humanos affectus, ſed iuxta diuinum verbum ſuum æſtimare, noli dicere, quod impij apud Hieremiam dicunt: Ex ore Altiſsimi non egrediuntur, nec bona nec mala, ſed memineris verbi DOMINI: Nonne duo paſſerculi minuto aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet

Iob 22.

cadet in terram, ſine Patre veſtro. Veſtri etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Quare, etiamſi fueris peccator abiectus & contemptus, tamen eò magis ſperaueris opem Dei, quò abiectior es in oculis, vel tuis, vel huius mundi. Sed hîc mihi rectè & piè interpreteris opem Dei. Deus enim confert opem ſuam inuocantibus ſe ex fide, aut corporalem aut cœleſtem. Nam in inuocatione pia, certiſsima eſt exauditio. Quare, quod Dauid in profectione in exilium, de arca Teſtamenti dixit: Si inuenero gratiam in oculis DOMINI, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum, Si autem dixerit mihi: Non places, præſtò ſum, faciat quod bonum eſt, coram ſe, hoc idem nobis, in quauis petitione liberationis è corporalibus periculis, ex fide vſurpandum eſt. Nam, cùm DOMINVS duplicem habeat rationem iuuandi periclitantes, videlicet, aut externam, (quod diximus,) & corporalem, aut ſpiritualem & cœleſtem, collocandum eſt in liberrimo ipſius ſolius arbitrio, vtra ratione viſum ſit ei nos iuuare, vt nos nullam prorſus iacturam ſalutis noſtræ, ſiue iuuet nos corporaliter ſiue ſpiritualiter, faciamus.

4. *Pennis ſuis teget te, & ſub alis eius ſecurus eris, ſcutum & clypeus veritas eius.*

Pergit commemorare beneficia, quæ conferuntur in illum, qui commoratur in tutela Dei. Nam quemadmodum aquila prouocans ad volandũ pullos ſuos, ſuper eos volitat, & expandens alas ſuas, protegit eos: ita DOMINVS tegit pennis & alis ſuis cura & cuſtodia eius, cõmorãtes in tutela eius, et ſperãtes in ipſum. *Deut. 32. Pſal. 61. & 63.*

Scutum

Scutum, inquiens, & clypeus, veritas eius. Veritatem intelligas certitudinem, constantiam & firmitatem promissionum Dei: Quod egressum est, (inquit Psalmus 89.) de labijs meis, non mutabo. Et in Esaia: DOMINVS Zebaoth decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet eam? Ac iterũ. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem DOMINI manet in æternum. Sicut ergò scuto & clypeo excipiuntur & repelluntur aduersa iacula, ne noceant, ita certitudine promissionum Dei, quas per fidem excipis, retunduntur omnes afflictiones, ne letaliter feriant: State, inquit Paulus, lumbis circumcinctis baltheo per veritatem, super omnia assumpto scuto fidei, quo posſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere.

5. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante interdiu.*
6. *A peste in tenebris grassante, à lue vastanti meridie.*

Aliud beneficium, quod contingit ambulantibus in tutela DOMINI. Cum enim hi in omnibus periculis tuti & securi ambulant, & sub alis DOMINI conseruantur, tum præcipuè tempore pestilentiæ defenduntur. Nam, quod dicitur, à timore seu pauore nocturno, à sagitta volante interdiu, ab excidio in tenebris ambulante, & à lue vastanti meridie, descriptio est pestilentiæ, quæ cum grassari cœperit, vagatur tàm noctu, quàm interdiu, tam in tenebris, quàm in meridie, vt nescias, vbi sit cauendum. Etsi enim vulgò fertur, quòd pestilentia grassante, fugiendum sit CITO, LONGE, TARDE,

TARDE,(hoc eſt) quòd è locis peſtilentia corruptis, diſcedendum ſit citò,& ad loca longinqua,ac redeundum tardè: tamen DOMINO Deo noſtro iudicante,& aut peccata hominum puniente,aut fidem explorante, non effugies manum DOMINI, etiamſi deſcenderis, (quemadmodum Propheta inquit) vſq; ad infernum, *Amos 9.* ſeu aſcenderis vſq; ad cœlum, aut abſconderis te in vertice Carmeli. Arbitraris ne, ſeptuaginta illa mi- *2. Sam. 24.* lia virorum,qui tempore Dauidis,propter numerationem populi, peſte extincti ſunt, aut centum octoginta quinq; milia,qui tempore Saneherib, in caſtris Aſſy- *4. Reg. 19.* riorum perierunt,temerè, & abſq; ſingulari Dei iudicio & deſignatione occidiſſe? Certè,in Ezechiele interficiuntur omnes illi,qui non ſunt ſigno in frontibus conſignati. Et ſi pili capitis noſtri ſunt numerati, quid innumerati etiam eſſent, qui ad peſtem deſcripti ſunt? Quare, qui ſunt recepti in tutelam DOMINI, vt ſunt tuti in omnibus alijs periculis, ita etiam in lue peſtilentiæ. Vnde ſequitur.

7. *Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis, ad te tamen non appropinquabit.*

Etiamſi peſtilentia tanta rabie circa te graſſatur, vt occubuerint ab vno latere tuo,mille homines,& ab alio latere,decem milia,tamen, tu, qui commoraris in tutela Dei,tutus & immunis eris. Non diſsimilis promiſsio extat apud Eſaiam, cap. 43. Cùm tranſieris per aquas,tecum ero,& flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Sed ſæuiente peſtilentia, (inquies) innu-

meri abripiuntur morte, & multi in eluuionibus ac exuſtionibus miſerrimè pereunt, nunquid ergò dicemus, hos omnes, aut eſſe impios, aut non eſſe in tutela Dei? Nihil minus. Diximus enim paulò antè, duplicem eſſe diuinæ ſalutis rationem. Aut enim eſt corporalis, aut ſpiritualis ſeu cœleſtis. Ac ſiquidem fueris impius, & in impietate perſeueraueris, nihil ad te diuinæ promiſsiones: Impij peribunt, (inquit alius *Pſalm. 37.* Pſalmus) & inimici DOMINI, ſicut pingues agni abſumentur, in fumo abſumentur. Nihil enim proderit impio, etiamſi euaſerit peſtilentiam, aut eluuionem, aut exuſtionem: neceſſe habet vel tandem perire. Si autem fueris pius, certè non fallet te diuina promiſsio: Cœlum, inquit, & terra peribunt, verba autem mea non peribunt. Et: Sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Quare, ſiue te peſtilentia ſuſtulerit, ſiue abundantia aquarum te obruerit, ſiue vorax flamma abſumpſerit, commoraberis in tutela Dei, & malũ ad te non appropinquabit: Siue viuimus, inquit Paulus, DOMINO viuimus: ſiue morimur, DOMINO morimur. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, DOMINI ſumus. In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, reſurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur.

8. *Imò oculis tuis videbis, & vltionem impiorum cernes.*

Videtur quidem peſtilentia rapere homines temerè & indiſcriminatim, ſed ſi rem diligenter cum animo tuo conſideraueris, videbis ipſe magnum diſcrimen. Pij enim conſeruantur, impij autem vltionem accipiunt, & delentur. Hic iterũ non eſt iudicandum ſecun-

ſecundum externam ſpeciem, qua peſtilentia, tàm in pios, quàm in impios graſſari ſolet: ſed ſecundum fidē, & incredulitatem. Pij enim excipiunt ſagittas peſtilentiæ ex fide. Quare, ſicut nec gladius, nec fames, nec nuditas, nec Angeli, nec principatus, nec poteſtates, ita nec peſtilentia, nec alij morbi poſſunt credentem ſeparare ab ea dilectione, qua Deus ipſum in Chriſto Ieſu Domino noſtro complectitur, & conſeruat. Impij autem excipiunt eas ſagittas ex incredulitate. Neceſſe igitur habent non ſolùm corpore, verùmetiam animo perire, & per peſtilentiam in æternas tenebras ingredi. *Rom. 8.*

9. *Quoniam tu DOMINE, ſpes mea es. Altiſſimum poſuiſti habitaculum tuum.*

Non mirum eſt, quòd pius euadat ſæuiciem peſtilentiæ immunis & impunis, impius autem in ea pereat. Pius enim dicit ex animo ad DOMINVM Deum: Spes mea tu es. Et ponit Deum Altiſsimum, pro habitaculo, pro munitione, pro refugio & aſylo ſuo. Quis autem ipſum ex hoc habitaculo & aſylo proturbare poſſet? Et quis eſſet acceſſus peſtilentię ad hoc habitaculum.

10. *Non (igitur) occurret ad te afflictio, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.*

In ſolo Deo collocas ſpem tuam, & in ſolo Altiſsimo collocas habitaculū, & domiciliū tuum. Quomodo igitur vel peſtilentiæ, vel vlli alteri afflictioni,

aut plagæ pateret ad hoc domicilium aditus? præsertim cùm vndiq; munitum sit angelis? Sic enim sequitur.

11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*
12. *In manibus portent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Quomodo non solùm esses tutus in medio pestilentiæ, verùmetiam in omnibus alijs aduersis, cùm Angeli mandatum Dei habeant, vt te in omnibus vijs tuis ita custodiant, & sustentent, vt ne quidem pedem tuum ad lapidem offendas? Hi sunt versiculi illi, quos Satan in tentatione Christi allegat, & quibus abutitur ad persuadendum Christo, vt se temerè de pinnaculo templi demittat. Etsi autem Satan veteratoriè interpretatur hæc dicta scripturæ, tamen, nihil est certius, iuxta veram eorum sententiam, quàm quòd Deus angelis suis mandauerit, vt pios in omnibus vijs suis custodiant, ne offendāt pedes suos ad lapides. Hoc enim testificantur etiā alia scripturæ, cùm dicta, tùm exempla.

Psalm. 33. Immittitur Angelus DOMINI in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Matth. 18. Angeli eorum vident faciem patris mei, qui est in cœlis.

Hebr. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis.

Gen. 32. Obuiam veniunt Iacobo Patriarchæ, Angeli

geli Dei, quos vocat ipſe, caſtra Dei, emiſsi videlicet diuinitus ad tuendum ipſum, aduerſus ferocientem fratrem Eſau.

Exod. 13. & 14. Angelus DOMINI præcedebat Iſraelitas ad oſtendendam viam per diem, columna nubis, & per noctem columna ignis.

In poſteriori libro Regum, cap. 6. apparet in circuitu Prophetæ Elizæi, mons plenus equorum & curruum igneorum. Hi ſunt Angeli defenſores Elizæi. Nihil igitur certius, nihil verius eſt, quàm quòd DOMINVS mandauerit Angelis, vt cuſtodiant pios in omnibus viis ſuis, & curent, ne offendant pedes ſuos ad ſaxa. Sed quid? inquies? Adeone impotens eſt Deus, vt ad conſeruandos & tuendos pios, indigeat ope Angelorum? An non eſt Deus omnipotens, & αὐτάρκης, per ſe ipſe, ad gubernandum & defendendum vniuerſum mundum, ſufficientiſsimus? Nihil eſt impotentiæ in Deo. Nec condidit Angelos, ſuæ ipſius indigentiæ gratia, ſed condidit eos, tùm ad teſticandam maieſtatem ſuam, tùm ad declarandam ſummam ſuam curam erga pios regni ſui hæredes. Dices igitur: Si Angeli ſunt diuinitus deputati, vt nos cuſtodiant in omnibus viis noſtris, agitedum, ruamus temerè in quæuis obuia pericula, & confidamus nos ab Angelis defenſos iri? Hoc illud ipſum eſt, quod Satan in Chriſto quærebat. Admonet enim eum, vt ſeſe de pinnaculo templi, admirando modo, deorſum demittat, idq; non temerè, ſed autoritate DIVINA: Angelis ſuis, inquiens, mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Chriſtus autem refutat, non quidem autoritatem verbi Dei, quod agnoſcit, ſed falſam interpre-

tationem Satanæ, quam reiecit. Satan enim hoc dictũ ſcripturæ, de cuſtodia Angelorum, eò torquet, perinde ac ſi non ſolùm permitteret, verùmetiã iuberet inconſiderantiam & temeritatem. Chriſtus verò opponit Satanæ aliud dictum ſcripturæ, quo veram illius ſententiam explicat: Rurſum, inquiens, ſcriptum eſt: Non tentabis DOMINVM Deum tuũ, (hoc eſt) Quod de cuſtodia Angelorũ dictum eſt, non eò intelligendũ erit, vt Deus tentetur, ſed vt Deus NON tentetur: Sicut enim Angelis mandatum eſt, vt cuſtodiant pios in omnibus viis ſuis, ita hominibus etiam mandatum eſt, vt in viis ſuis Deum non tentent. Quare, ſi voluerint, vt Angeli ſuum faciant officium, in tuendis ipſis, faciant etiam ipſi ſuum officium, in non tentando Deo. De hac re admonent nos verba ipſa Pſalmi: Mandauit, inquit Pſalmus, Angelis ſuis, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. TVIS, inquam, videlicet, ſi ambulaueris in viis TVIS, non à vocatione TVA, ad quam te Deus vocauit, alienis, ſed in viis vocationi tuæ congruentibus, & à Deo impoſitis. Nam ſi aliquid contra legitimam vocationem Dei agendum ſuſceperis, non mandauit Angelis, vt te cuſtodiant, ſed vt te pudefaciant. Nunquid ergò non cuſtoditur ab Angelis temerarius, inconſideratus, & Deum tentans? Certè, iuxta ordinariam Dei promiſsionem, non debetur ei Angelorum cuſtodia. Si verò nihilominus cuſtoditur, attribuendum eſt gratuitæ ac indebitæ
Rom. 9. clementiæ Dei, qui, cui vult, miſeretur, quem autem vult, indurat. An non habet poteſtatem figulus luti, vt ex eadem maſſa fingat, aliud quidẽ vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Quare, ſi ambulaueris

ris in vera pietate, & legitima vocatione Dei, certiſſimam ſperato Angelorum cuſtodiam. Si autem temeritate & inconſiderantia tua Deum tentaueris, & te in præſentia pericula conieceris, ſine vlla mora reſipiſcito, vt quod ſtultitia tua incertum fuit, reſipiſcentia tua certum fiat. Nam, quod Deus generaliter de impio dicit: Viuo ego, nolo mortem impij, ſed magis, vt conuertatur, & viuat, hoc etiam peculiariter de quouis ex inconſiderantia & ſtultitia periclitante intelligendum eſt. Viuo ego, nolo interitum periclitantis, ſed magis, vt reſipiſcat, & periculum euadat. Quid verò illud? Promiſsio dicit, pios in tanta eſſe Angelorum cuſtodia, vt ne pedes quidem ad ſaxa offendant. Quid autem, ſi non pedes ſolum offendant, verùmetiam crura frangant, adeoq; cadant, vt etiam vitam amittant? Vbi manet tunc Angelorum cuſtodia? Num Angeli ceſſant aut ſtertunt? Sicut non ceſſat, nec dormitat, qui cuſtodit Iſrael, ita nec ceſſant nec dormitant Angeli ad cuſtodiam Iſraelis deputati. In hoc enim de cuſtodia Angelorum argumento, ſciendum eſt, quòd Angeli cuſtodiant Iſraelem, non contra, ſed iuxta vocationem Dei. Quare, ſi vocatus fueris à Deo, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem, Angeli ſunt ſpiritus adminiſtratorij. Et cuſtodiuntur animæ (exempli gratia) Lazari, aut Dauidis, ab Angelis, dum ex vocatione Dei fruuntur hac corporali vita: deponuntur autem in ſinum Abrahæ ab Angelis, dum ex vocatione Dei ex hac vita excedunt, vt ſicut oculi ſeruorum ſunt ſemper ad manum dominorum ſuorum, ita oculi Angelorum ſemper ſint ad manum DOMINI Dei noſtri, & imperata faciant. *Pſalm.120.*

13. *Super*

13. *Super leonem & aſpidem incedes, conculcabis catulum leonis & draconem.*

Aliud beneficium, quod contingit commoranti in tutela Dei: Non ſolum enim erit tutus à peſtilentia, verùmetiam à peſtiferis & nocentibus beſtijs. Nam in Lege, peſtiferæ & immanes ac crudeles beſtiæ, ſunt peccatorum ſupplicia: Emittam in vos, (inquit) beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra. Et iterum in Ezechiele: Immittam in vos famem, & beſtias peſsimas, vſq; ad internicionem. Qui autem commoratur in tutela Dei, habet tàm propitium Deum, quàm remiſsionem peccatorum. Quare habet etiam immunitatem & ſecuritatem à malis, & noxijs beſtijs. Iuxta illud Eſaiæ: Delectabitur infans ab vbere, ſuper foramina aſpidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo. Et Ezechielis: Faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam peſsimas beſtias de terra. Quæ enim beſtiæ adhuc nocent & occîdunt, nocent corpori, non nocent ſaluti animæ, imò ne corpori quidem nocent: His, qui diligunt Deum, inquit Paulus, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum, nimirum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Incedent igitur ſuper leonem & aſpidem illæſi, & conculcabunt catulum leonis ac draconem ſecuri.

Leuit.26. *Deut.32.* *Ezech.5.* *Eſai.11.* *Ezech.34.*

14. *Quoniam mihi adhæret, ideo liberabo eum. Exaltabo eum, quoniam agnoſcit nomen meum.*

15. *Inuocat me, ideo exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione, eruam eum, & glorificabo eum.*

16. *Longi-*

16. *Longitudine dierum implebo eum, & oſtendam illi ſalutem meam.*

Epilogus huius Pſalmi. Deus enim, non vno tantùm & altero beneficio afficit illum, qui in tutela eius commoratur, ſed cumulat ipſum omni beneficiorum genere. Primùm enim liberabo, inquit DOMINVS, & conſeruabo eum in omnibus periculis, quia adhæret mihi & amplectitur me ſummo ſtudio. Deinde, exaltabo, & efferam eum ex omnibus ærumnis ſuis, quia agnoſcit nomen meum. Adhæc, exaudiam eum in omnibus precibus ſuis, quia inuocat me. Præterea, præſtò adſum ipſi in quauis afflictione ſua. Et præſtò adſum, non ocioſus, non ceſſator, ſed vt eruam eum ex omnibus aduerſis ſuis, idq; non vulgari, ſed glorioſo & admirando modo. Et donabo eum, non incolumitate tantùm, ſed etiam longæuitate, adeoq; ornabo eum quouis genere ſalutis. Hæ ſunt ampliſsimæ & prolixæ promiſsiones Dei, quæ non dicuntur peculiariter ad vnum tantùm & alterum hominem, ſed vniuerſaliter ad omnes & ſingulos, qui habitant in abſcondito Altiſsimi, & commorantur in vmbra ſeu tutela Omnipotentis, hoc eſt, qui (quemadmodũ hi verſiculi loquuntur) adhærent DOMINO, agnoſcunt nomen DOMINI, & inuocant illud. Omnis enim, qui inuocat nomen DOMINI, ſaluus erit.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus cohortatur nos ad inuocationem nominis Dei, in quauis afflictione. Eſt enim refertus

prolixis & liberaliſsimis promiſsionibus Dei, nec quicquam aliud reliquum eſt, quàm vt eas ad ſe quiſque applicet. Applicantur autem non humana prudentia, non iuſtitia operum, ſed ſola FIDE, eaq; non tantum hiſtorica, aut tali, qualem etiam dæmones habere poſſunt, ſed Chriſtiana, videlicet, vt credamus in eum, qui excitauit Ieſum DOMINVM noſtrum *Rom. 4.* à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtram. Ex fide enim, inquit Paulus, datur hæreditas, vt ſecundum gratiam, vt firma ſit promiſsio. Nihil enim magis nos à fide & inuocatione nominis Dei deterrere ſolet, quàm amplitudo promiſsionum Dei, ac noſtra indignitas: quippe quòd arbitremur, nos indigniores eſſe, quàm vt tam prolixæ promiſsiones Dei ad nos pertinere & pertingere poſsint. In hoc autem Pſalmo extant largiores & liberaliores promiſsiones Dei, quàm in vllo alio. Docet igitur Paulus, quòd hæreditas beneficiorum Dei contingat ex fide, vt ſecundum gratiam, vt firma ſit promiſsio, (hoc eſt) hæreditas beneficiorum Dei non datur nobis à Deo, ex meritis, quia ſic nunquam eſſemus certi de hæreditate, ſed neceſſe haberemus, ſemper de ea dubitare, propterea quòd nulla habeamus merita, & omnia noſtra bona opera ſint corrupta, vitiata & imperfecta: ſed datur ex gratuita Dei promiſsione, & accipitur per fidem, vt non hæſitaremus, ſed eſſemus certi, & in fide firmi. Deus enim non collocauit promiſsiones ſuas ſuper hominum meritis, quæ non tantùm ſunt incerta, verùmetiam coram Deo, nulla: ſed collocauit eas ſuper ſua ipſius gratia, clementia & miſericordia, quæ cùm

ſint

ſint natura ipſa Dei, (vniuerſæ enim viæ DOMINI, miſericordia & veritas) res ſunt longè omnium certiſſimæ. Adhæc, Chriſtus DOMINVS noſter ſuſtulit paſsione & reſurrectione ſua, omnem noſtram indignitatem, & reddidit nos omnium promiſsionum Dei capaces & idoneos. Expiauit enim morte ſua omnia peccata noſtra, & dedit nobis, vt liceret filios Dei, ac hæredes eius fieri. Non deterreamur igitur, nec à fide, nec ab inuocatione nominis Dei, indignitate noſtra: ſed potius excitemur propter Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaq́, & ſanctificatio & redemptio. *Pſalm.24.*

Pſalmus 92.

Bonum eſt confiteri DOMINO, & pſallere, &c.

APVD Hebræos hic Pſalmus inſcribitur: Pſalmus cantici, in die Sabbati. Quæ inſcriptio ſignificat, eum in die feſto Sabbati, publicè in Eccleſia Iſraelitica decantatum eſſe. Conſtat autem argumento, quod Sabbato congruentiſsimum eſt. Inſtitutum enim erat Sabbatum diuinitus, vt ſanctificaretur, hoc eſt, vt eſſet ſignum, (inquit DOMINVS) inter me & vos, in generationibus veſtris, vt ſciatis, quia *Exod.31. Ezech.20.*

Ezech.20. ego DOMINVS, qui sanctifico vos. Non erat institutum, vt ignauo ocio transigeretur, sed vt nomen Dei celebraretur, & vt populus ex ea celebratione agnoscerent, quòd essent populus Dei sanctus, ac deberent DOMINO Deo omnem laudem iustitiæ, sanctificationis & salutis. Ad hoc autem institutum peragendum, hic Psalmus erat aptissimus. Continet enim laudem nominis Dei, ab admirandis operibus eius ductam, quæ Deus non tantùm operatus est in creatione huius mundi, verùmetiam adhuc, hodieq; operatur in administratione Ecclesiæ suæ, quam mirando modo in medio impiorum conseruat. Quare recitatio huius Psalmi conuenit diei Sabbati congruentissimè.

1. *Bonum est celebrare DOMINVM, & psallere nomini tuo Altissime.*
2. *Adnuntiare manè misericordiam tuam, & veritatem tuam noctu.*
3. *Super decachordo, & super psalterio, super Higaion, & cithara.*

Hi tres versiculi sunt propositio Psalmi. Proponit enim, & iubet nomen DOMINI laudibus celebrare, & gratias ei agere. Bonum, (inquiens) iustum, æquum, & pulchrum est, DOMINVM laudare, DOMINO gratias agere, & nomini eius psallere. Bonũ & pulchrum est, adnunciare & prædicare misericordiam ac veritatem eius: idq; non semel tantùm, non vno tantùm tempore, non manè tantùm, non vesperi tantùm, sed manè & vesperi, sed diu noctuq;, vt conueniat cum illo alterius Psalmi: Benedicam DOMINVM in OMNI tempore,

Psalm.34.

pore,

pore, SEMPER laus eius in ore meo. Bonum item & pulchrum est laudare DOMINVM, & celebrare nomen eius, non voce tantùm humana, sed etiam varijs instrumentis Musicis in decachordo, in psalterio, in Higaion, & in cithara. Sentiunt autem Higaion esse instrumentum Musicum, à meditando seu stridendo sic dictum. Nam הגה Haga, meditari, musitare, aut stridere significat. Hortatur ergò hæc propositio, vt laudemus nomen DOMINI, & gratias ei agamus, primùm, non vna tantùm hora, sed toto vitæ nostræ tempore. Deinde, non verbis tantùm & sermonibus, sed etiam instrumentis Musicis. Etsi enim Deus non delinitur suauitate harmoniarum, tamen, cum Paulus dicat: Homines impleri Spiritu per Psalmos, hymnos & cantiones spirituales, manifestum est, quòd carmina modulata & numerosa sint organa, per quæ Spiritus dona in ipsos illabantur & excitentur. Postremò, adnuncianda & celebranda est inprimis misericordia & veritas DOMINI. Hæc enim duo, videlicet, Misericordia, (hoc est) gratuita beneficentia, & Veritas, (hoc est) constantia in seruandis promissis, prædicantur pleno ore de Deo, in vniuersa scriptura, ac præcipuè in Psalmo octogesimo nono. Nec est, quod possit de Deo excellentius & laudabilius prædicari. His enim virtutibus tribuitur Deo, quod maximè suum est, quemadmodum scriptum est in Exodo, cap. 34. & in Psalmo centesimo tertio. *Ephes. 5.*

Quid ergò causſæ est, quod te ad laudandũ Deum, & gratias ei agendas excitat? Sequitur.

4. *Quoniam lætificas me DOMINE in operibus tuis, & in factis manuum tuarum exulto.*

Commemorat cauſas, quæ impellunt ipſum ad laudationem Dei, & ad gratiarum actionem, quarum prima eſt. Meritò te, DOMINE Deus noſter, laudo, & gratias ago, quòd me in operibus tuis ita lætifices, vt in creaturis manuum tuarum geſtiam & exultem. Sunt autem varia & multiplicia opera Dei. Alia ſunt creationis, alia ſunt redemptionis & gubernationis Eccleſiæ. Quocunq; igitur reſpexerit Pſaltes, inuenit, quod animum eius lætificet, & expergefaciat. Si enim cœlum et terram, quæ ſunt opera creationis, intueatur, gaudet ex animo, quòd habeat ob oculos poſitum certiſsimum veſtigium, non tàm eſſentiæ Dei, quàm bene-
Rom. 1. uolentiæ eius: Quæ ſunt, inquit Paulus, inuiſibilia illius, ex creatione mundi (dũ per opera intelliguntur) peruidentur, ipſaq; ęterna eius potentia ac diuinitas.
Actor. 14. Et iterum: Deus, in præteritis ętatibus, non ſinebat ſe ipſum eſſe expertem teſtimonij, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lętitia corda noſtra. Cùm igitur ex intuitu cœli [illegible] terræ admoneamur, quòd & Deus ſit, & quòd nobis gratuita ſua clemẽtia benefaciat, teneri nec debemus, nec poſſumus, quin animus noſter lętitia exultet, & Deo pro beneficijs eius gratias agat.

5. *Quàm magnifica ſunt opera tua DOMINE, nimis profundæ ſunt cogitationes tuæ.*

Secunda cauſa, quæ Pſalten vrget ad laudandum Deum,

Deum, & ad gratias ei agendas: Quàm magnifica ſunt, inquit, opera tua DOMINE, nimis profundæ ſunt cogitationes tuæ. Si opera creationis reſpexeris, omnia ſunt condita, non ſolum omnipotenti virtute, verùmetiam profundo, imperſcrutabili & admirando conſilio. Vt nihil nunc dicam de cœlo & terra, de mirabili diſpoſitione eorum, de magnitudine cœli, de æquabili motu eius, de ſitu ſtellarum in cœlo, de duratione eius, item, de terra, de ſtabilitate, de fæcunditate eius. Vel hominem ipſum, quem non ſolum μικρόκοσμον, verùmetiam, miraculum mundi appellare ſolent, contemplare. Ibi tot inuenies magnifica, quot membra, ſiue interiora, ſiue exteriora: Confitebor tibi, inquit Pſalmus, quia mirabiliter formatus ſum, *Pſalm. 139.* mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Non eſt occultatum os meum à te, quando factus ſum in occulto, & formatus ſum in inferioribus terræ, (hoc eſt) in ventre matris. Informem maſſam meam viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia (membra) ſcripta erant, &c. Sed hîc vide mihi hominum, ſeu ſtultitiam, ſeu ingratitudinem. Cùm enim Deus propoſuerit hunc mundum homini, vt ipſum ex eo agnoſcat, & colere ac gratias pro beneficijs ſuis agere diſcat: attamen

6. *Vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit hæc.*

Horrendus enim eſt hominum inſipientium & ſtultorum, hoc eſt, impiorum ſtupor, vt quæ Deus in vſum & ſalutem ipſorum condidit, ea non ſolùm in vtilita-

vtilitatem ſuam non transferant, ſed etiam in pernicíem ſuam abutantur. Cœlum idcircò conditum eſt, vt eſſet ſchola, in qua homines diſcerent Deum cognoſcere : ſed impíj diſcunt in ea diſputare contra Deum. Terra ideò condita eſt, vt homines beneficijs Dei fruantur,& Deum celebrent: ſtulti autem ſiue impíj,abutuntur beneficijs Dei,vel ad luxum,vel ad impoſturas, vel ad blaſphemiam nominis Dei. O igitur deteſtandam ingratitudinem,& inſanam ſtultitiam.

7. *Impij virent,vt gramen,& florent omnes operarij iniquitatis: ſed tandem pereunt in æternum.*
8. *Tu autem excelſus es in æternum DOMINE.*

Paulò antè dixit de operibus creationis, quòd excitare debeant, ad laudandum Deum, & ad agendas ei gratias,pro beneficijs ſuis. Nunc commemorat opera redemptionis & adminiſtrationis Eccleſiæ, ex quibus etiam ipſis, & Deus cognoſcitur, & Deo gratiæ ſunt agendæ. Nihil autem in præſentia dicam,de illis redemptionis operibus, quibus Chriſtus redemit genus humanum per mortem ſuam, quibus operibus nihil eſt admirabilius, ſed de his aliâs. Dicam autem de operibus, quibus Deus liberat pios ab impíjs. Impíj, inquiens,virent vt gramen, & florent omnes operarij iniquitatis. Non virent autem nec florent, vt perpetuò perdurent in flore & virore, ſed vt tandem in æternum pereant. Solus enim DOMINVS eſt in æternum excelſus,qui,ſicut perpetuò conſtat in ſua celſitudine & maieſtate, ita etiam perpetuò conſeruat pios, vt fiant ſuæ celſitudinis & maieſtatis participes,& cõſortes.

sortes. In gubernatione Ecclesiæ nihil iniquius, nihil à iustitia alienius videtur, quàm vt impij in sua impietate floreant, & fœlicem successum habeant, pij autem vnà cum Deo & religione sua flaccescant, & succumbant. Sed hæc nec est iniquitas, nec iniustitia. Iniqua quidem administratio videretur, si impij pergerent in sua impietate perpetuò fœlices esse: nunc autem solus DOMINVS est excelsus, solus DOMINVS est rerum omniũ iustissimus gubernator, qui, vt opportuno suo tempore visitat iniquitatem impiorum, ita piorum innocentiam summa beneuolentia tuetur. Habes igitur ex hoc quoq; administrationis Dei opere, materiam laudandi nominis Dei, & gratias ei agendi. Sed vt hoc opus Dei magis explicetur & illustretur, repetit alijs quidem verbis, eandem autem sententiam.

9. *Quoniam ecce (inquiens) inimici tui DOMINE, ecce inimici tui peribunt, dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.*

10. *Exaltabitur autem, sicut vnicornis, cornu meum, & vngar oleo recenti.*

11. *Et oculus meus cum voluptate intuebitur inimicos meos, insurgentes in me, de malis audiet (optata) auris mea.*

Antithesis est impiorum ac piorum, & finis eorum. Admirandum quidem est opus creationis Dei, sed nihil minus admirandum est opus administrationis eius inter impios & pios. Nam impij, etsi aliquãdiu virent, vtgramen, & vernant, vt flos, tamen ad extremum

pereunt, & pudefiunt. Pij autem, etsi aliquandiu oppri-
muntur, & succumbunt, tamen cornu eorum exal-
tabitur, sicut cornu Monocerotis, hoc est, magno ro-
bore & potentia seruabuntur. Deus enim est, qui tue-
tur eos, Deus est, qui conseruat eos. Et quanquam
videntur deficere, & omnibus viribus suis destitui,
tamen vnguntur recenti & fragranti oleo, vt subin-
de fiant vegetiores. Donis enim Spiritus sancti (quæ
per oleũ adumbrantur) ita perfunduntur, vt nõ solum
victoriam ab omnibus aduersis reportent, verùmetia-
am aduersariorum interitum, summa cum voluptate as-
spiciant, & famã perditionis eorum audiant. Sed quid?
Hoccine pium est, de alienis malis gaudere, & miseris
insultare? Aliud autem est gaudium carnis, aliud gau-
dium Spiritus. Qui gaudent de alienis malis ex affe-
ctu carnis, hi sunt inuidi, & cupiunt proximum per-
ditum, quoquo iure, quaqua iniuria: quales sunt, de
Psalm.70. quibus in Psalmo dicitur: Auertantur statim erube-
scentes, qui dicũt mihi: Euge, euge. Et apud Ezechie-
Ezech.25. lem: Pro eo quod dixistis, Euge, euge, super sanctua-
rium meum, quia pollutum est. Qui autem gaudent
de alienis malis ex affectu Spiritus, gaudent de iusto
Dei iudicio, & de liberatione eorum, qui iniuste
oppressi fuerunt, quale est gaudium illorum, qui a-
Esa.14. pud Esaiam, de casu regis Babylonici dicunt. Nunquid
iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit rega-
na qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit,
& vinctis eius non aperuit carcerem? Quare tantùm
abest, vt hi gaudio suo aduersus charitatem proximi
sui peccent, vt potius charitatem & iustitiam Dei, er-
ga miseros & oppressos homines approbent & com-
mendent.

12. *Iustus*

12. *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus in libano diffundet se.*

Suprà dictum est: Impij florent sicut gramen, nunc autem dicitur: Iustus floret vt palma. Aliter enim floret & viret gramen, aliter viret palma. Gramen enim viret tantum ad tempus: Exiccatum est, inquit Esaias, fœnum, & cecidit flos, Palma autem semper viret. Vnde affirmant eam reportare illa epitetha, ἐμπεδόφυλλον καὶ ἀείφυλλον, quòd firmiter & perpetuò foliis vireat. Inter cæteras enim arbores, nullam plane videmus eadem custodientem folia, sed decussis prioribus, succrescere alia, Palma autem nil abijcit. Accedit & illud, quòd palma, cum Phœnice aue, (quæ putatur ex huius palmæ argumento nomen accepisse, φοῖνιξ enim, & auem & palmam significat) iterum moriatur, & renascatur ex seipsa, (quod erat prius) pomis referta. Palma item pondus valide sustinet, quoniã in diuersum fornicatur seu curuatur. Sic etiam iustus, radicibus Spiritus sancti subnixus, suum semper retinet virorẽ, et quemadmodũ Psalmus ait: Foliũ eius non defluit, ac dat fructũ suũ in tempore suo. Sustinet etiã, diuina suffultus virtute, maxima afflictionũ pondera, ac tandẽ, etiãsi moriatur, tamen iterũ reuiuiscit. *Plinius lib. 13. cap. 4.* *Plinius lib. 16. cap. 42.*

Præterea, iustus cõparatur etiã cedro: Iustus (inquit) vt cedrus in libano crescit, seu in altũ exurgit. Cedrorũ altitudo seu proceritas, etiã aliàs cõmendatur, iuxta illud Prophetę Amos: Exterminaui Amorræum à facie eorũ, cuius altitudo cedrorũ, altitudo, et fortis ipse quasi quercus. Cõmendant cedri et ab ęternitate, seu duratiõe, quòd nec cariẽ nec vetustatẽ sentiãt. Similiter nec *Amos 2.* *Pli. li. 13. ca. 5. & li. 16. cap. 21.*

Cedris decidunt folia. Eadem est conditio iusti. Iustus enim renatus, non ex semine mortali, sed immortali per sermonem viuentis Dei, & manentis, vt Esaias & 1. Pet. 1. Petrus dicunt, in æternum, crescit & exurgit in altum, hoc est, in cœlum vsq; , vbi etiam assequitur immortalem ac immarcessibilem hæreditatem.

13. *Plantati in domo DOMINI, in atrijs Dei nostri germinabunt.*
14. *Pergent fructificare, etiamsi senuerint, virentes & florentes erunt.*
15. *Vt adnuntient, quòd rectus sit DOMINVS, & petra mea, nec sit vlla in ipso iniquitas.*

Psaltes, admonitu Palmæ & Cedri, quibus iustum cõparauit, pergit in eadẽ metaphora, iustos & conditiones eorũ describere. Iusti, inquiens, non sunt arbores steriles, nec marcescunt, aut cõputrescũt, sed quia sunt plantati in horto DOMINI, in atrijs Dei nostri, idcircò semper germinabunt, & pergent virere ac florere, & fructum proferre, etiamsi senuerint, ac defecisse videantur. Nihil quidem minus, iuxta externã speciem apparet, impij enim pergunt impunè impietatem sectari, pios opprimere, & fœliciſsimum suorum consiliorum successum habere: sed nondum Sol omnium dierum occidit. Etsi enim iusti, qui sunt plantati in domo, seu horto DOMINI, & qui sunt vera Dei Ecclesia, varijs periculis & afflictionibus percelluntur, hoc tamen non est perpetuum. Primùm igitur sciamus, quos Psalmus vocet iustos. Iusti autem dicuntur, non qui ex operibus legis iusti sunt, (hi enim sunt maledictioni,

ctioni, iuxta Paulum, obnoxij) nec qui sentiunt se pro- *Gal.3.*
pter merita suorum bonorum operum, iustos esse, sed qui ex fide, propter Iesum Christum, iustificati sunt. Deinde, hi iusti illam habent prærogatiuam, quòd quamuis affliguntur, tamen, quia sunt vera Dei Ecclesia, nunquã è terra omnes simul extirpentur, sed Deus semper sibi reseruet sua septem millia virorum, qui aut in tenebris impietatis non curuant genua sua ante Baal, aut in tenebris afflictionum, incolumes euadunt. In exilio Babylonico, grauissima accidit calamitas Ecclesiæ Dei, & tamen Propheta dicit: Ecce dies veni- *Hier.23.*
unt, & non dicent vltrà: Viuit DOMINVS, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed, Viuit DOMINVS, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos. Temporibus Maccabæorum, sæuiebatur in Ecclesiam Dei immanissimè: & tamen vera Dei Ecclesia cõseruatur: In tempore illo, inquit Daniel, saluabitur *Dan.12.*
populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Cùm post mortem Christi, Iudæi pariter & Gentes, grassarentur in iustos, hoc est, in sanctam Ecclesiam Dei crudelissimè, dictum tamen est: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas. Ac mox: Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet quisquam eas è manu mea. Hisce temporibus sæuiunt contra iustos, hoc est, contra veram Dei Ecclesiam, ex vna quidem parte Pontificij, ex altera Turcæ, & cupiunt eam extinctam: scriptum tamen *2.Tim.2.*
est: Solidũ fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit DOMINVS, qui sint sui: & discedat ab iniquitate, omnis, qui nominat nomen Christi. Iusti igi-

tur, hoc eſt, plantati in domo DOMINI, & iuſtificati ex fide, propter Chriſtum, etſi in hoc mundo miſerrimè affliguntur, tamen nunquam ita ex his terris exterminantur, vt Chriſto non ſit reliqua ſua iuſtorum & ſanctorum Eccleſia. Poſtremo, vt iuſti maximè crudeliter in hoc ſeculo tractentur, adeoq; morti ipſi obijciantur, tamen habent hanc ſpem certiſsimam, quòd omnia ſint eis adiumento in bonum: Simul cum
Rom. 8. Chriſto (inquit Paulus) patimur, vt & vnâ cum ipſo glorificemur. Nam reputo, non eſſe pares afflictiones præſentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quare, etiamſi hic mundus aduerſus iuſtos, qui ſunt vera Dei Eccleſia, furioſè inſaniat, tamen fieri non poteſt, quin germinare, ac etiam in ſenectute, cùm omnibus viribus deſtituti videntur, florere et fructificare pergant.

Sed in quem vſum iuſti in hoc ſeculo conſeruantur? ſequitur: Vt adnuntient, quòd rectus ſit DOMINVS, quod DOMINVS ſit petra ſeu aſylum, & fortitudo noſtra, & quòd nulla ſit in ipſo iniquitas. Eccleſia enim Chriſti conſeruatur diuinitus in hoc ſeculo, non vt dominetur mundano more, non vt externa fœlicitate fruatur, ſed vt adnuntiet gloriam nominis Dei, videlicet, quòd DOMINVS Deus noſter ſit rectus ſeu iuſtus, ſeruans promiſsi, & quòd ſit petra mea, hoc eſt, omnium ſperantium in ipſum, quòdq; nulla ſit in ipſo iniquitas, pro more iniquorum iudicum. Nullus enim eſt apud Deum perſonæ reſpectus: Si quis iuſtus eſt & pius, DOMINVS eſt petra eius, & ſuſtentaculum in omnibus aduerſis, DOMINVS tuetur eum, ſiue abiectus ſit, ſiue contemptus coram hominibus,

bus, DOMINVS conseruat eum, siue in vita, siue in morte. Si autem iniustus & impius fuerit, DOMINVS animaduertit in eum, siue Patriarcha, siue Monarcha fuerit. Breuiter, nulla est iniquitas apud Deum, & non perdit DOMINVS iustum cum impio. Ad hanc gloriam Dei celebrandam, conseruat Deus iustos, ad hanc laudem nominis eius illustrandam, tuetur DOMINVS Ecclesiam suam in omnibus periculis & aduersis, vt qui sunt increduli, ad fidem inuitentur: qui sunt pij, in fide confirmentur: qui autem sunt impij, de iudicio suo admoneantur, & si fieri potest, resipiscant.

VSVS HVIVS PSALMI.

In hoc Psalmo commendatur Deus, primùm quidem ab admirabili opificio mundi, deinde à stupendo iudicio, quod fertur a Deo inter pios & impios. Commendatur autem, non vt sciamus tantùm, sed vt in vsum nostrum transferamus, videlicet, vt discamus Deum timere, Deum colere, Deo in omnibus aduersis confidere, Deum in omnibus afflictionibus inuocare, & certissimam liberationem sperare. Nouit DOMINVS, quemadmodum Petrus inquit, pios e tentatione eripere, iniustos autem (hoc est) impios & incredulos, ad diem iudicij puniendos seruare. 2. Pet. 2.

Psalmus

Psalmus 93.

DOMINVS regnauit, decorem indutus, &c.

PVblico interpretũ, tàm Hebræorum, quàm Christianorum consensu probatur, quòd hic Psalmus canat de regno Messiæ. Primùm quidem, quòd sit firmum, & perpetuò duraturum. Deinde, quòd etsi habet aduersarios multos, & oppugnatur validissimè: tamen semper reportet victoriam, & triumphet. Postremò, quòd propagetur in hac terra, non armis corporalibus, sed prædicatione Euangelij, quod est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Ac Iudæi, genus hominum carnalissimum, & excæcatum, expectant quidem vanissima spe, hoc regnum adhuc futurum, & in suo fictitio Messia instituendum. Sed, quod fœlix, faustũq; sit, iamdudum in DOMINO nostro Iesu Christo institutum est, & impletum, & adhuc hodieq; impletur. Faceſſat igitur impietas Iudaica, obtineat autem pietas Christiana: & seruemus præceptum immaculati, sicut Paulus loquitur, ac irreprehensibiles, vsq; ad appa-
1. Tim. 6. ritionem DOMINI nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est, ille beatus & solus princeps, rex regnantium, & DOMINVS dominantium.

1. Domi-

1. *DOMINVS regnat, magnificè vestitus est, vestitus est DOMINVS fortitudine, accinxit se, adeoq; firmatus est orbis terræ, ne commoueatur.*
2. *Firmatus est Thronus tuus, ab eo tempore, ab æterno tu es.*

DOMINVS ille, quem Psalmus celebrat, est DOMINVS noster Iesus Christus, qui, si diuinitatem eius respexeris, rex est ab æterno: si autem humanitatem, cœpit quidem regnare vt homo, cum venit plenitudo temporis, & Deus emisit eum factum ex muliere, factum legi obnoxium, semetipsum vero exinaniuit, forma serui sumpta, & factus est obediens vsq; ad mortẽ: sed postquam resurrexit à mortuis, tum declaratus est esse filius Dei, sedens à dextris virtutis eius. Itaq; non iam dicitur tantùm regnare secundũ diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem, & donatus esse nomine, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, ac infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quod DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Primùm igitur, cùm Psalmus dicit: DOMINVS regnat, significat DOMINVM Iesum Christum, verum Deum, & verum hominem, postquam deposuisset formam serui, elatum esse in summam sublimitatem, & gubernare omnia, tàm in cœlo, quàm in terra. Deinde, Iesus Christus non solùm regnat, verùmetiam vestitus est magnificentia. Cùm enim assumptus sit in eandem personam cum filio Dei, assumptus etiam est in eandem maiestatis eius participationem, vt, quemadmodum filius Dei adoratur ab omnibus creaturis, cœlestibus, terrestribus & *Gal. 4.*

infernis, ita & filius hominis, ſecundum humanitatem ſuam, diuinitati perſonaliter vnitam, ab omnibus creaturis adoretur. Adhæc, veſtitus eſt fortitudine, hoc eſt, omnipotentia: Data enim eſt ei omnis, OMNIS, *Ioan.3.* inquam, poteſtas, in cœlo & in terra. Et iterum: Pater diligit filium, & OMNIA dedit illi in manum, vt qui credit filio, habeat æternam vitam, qui verò non credit, non videat vitam, ſed ira Dei maneat ſuper eum. Præterea: Accinxit ſe. Non ſolùm enim omnia habet in manu ſua, verùmetiam ſtat prorſum accinctus & promptus ad ferendam opem omnibus pijs & afflictis, vt ſeruentur. Poſtremò: Firmatus eſt per ipſum orbis terræ, vt non commoueatur. Per orbem terræ intelligendum eſt, regnum Chriſti in toto mundo. Hoc igitur regnum, per Spiritum ſanctum eius ita confirmatum eſt, vt nullus Monarcha, imò nullus ſatan poſſit ipſum euertere aut delere: Portæ inferorum, inquit, non valebunt aduerſus illam. Breuiter: Thronus regni tui firmatus eſt ab eo tempore, hoc eſt, ab æterno. Tu enim es ab æterno, & ſicut Tu es æternus, ita & Thronus regni tui in æternum permanebit. Nam, ſi Chriſtum ſecundum diuinitatem conſideraueris, ſicut Pater eſt æternus, & Spiritus ſanctus eſt æternus, ita & Chriſtus filius Dei eſt æternus, quia eiuſdem ſunt eſſentiæ. Si autem conſideraueris eum ſecundum humanitatem, natus quidem eſt homo, in plenitudine temporis, quemadmodum paulò antè dictum eſt, ſed quia is homo aſſumptus eſt à filio Dei in eandem perſonam, & collocatus ad dextram Dei, idcircò tantiſper nunc durat Thronus regni eius, dum filius ipſe Dei durauerit, hoc eſt, perpetuò, & in æternum: Su-

per

per ſolium Dauid, inquit Eſaias, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodò & vſq; in ſempiternum. Et in Daniele: Dedit ei poteſtatem & honorem, & regnum: & omnes populi, Tribus & linguę ſeruient ipſi. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

3. *Extollunt flumina* DOMINE, *extollunt flumina ſonitum ſuum, extollunt flumina fluctus ſuos.*
4. *Magni quidem ſunt fluctus maris, & ſonitus horribilis, ſed multò maior* DOMINVS *in excelſo.*

Quod Paulus ad Corinthios ſcribens, in Epheſo ſibi accidiſſe affirmat: Oſtium mihi apertum eſt magnũ & efficax, & aduerſarij multi, hoc vniuerſo regno Chriſti, in hoc ſeculo, accidere ſolet. Commendauit enim Pſaltes Chriſtum à maieſtate regni ſui, à fortitudine ac firmitudine eius: ſed interim commemorat etiam oppugnationem eius, qua etſi validè oppugnatur, tamen nunquam expugnatur. Exponit autẽ hanc oppugnationem metaphora fluminum & fluctuum eorum. Extollunt quidem, inquiens, flumina DOMINE, extollunt flumina ſonitum ſeu ſtrepitum, & fremitum ſuum, extollunt fluctus ſuos, hoc eſt, aduerſus regnum Chriſti erigit ſeſe, quicquid eſt in hoc mundo excellens, potens, & eximium, ac, quemadmodum ſecundus Pſalmus ait, fremunt gentes, meditantur populi vana, aſtant reges terræ, & conueniunt principes, vt regnum Chriſti opprimant, & deleant. Etſi autem horribiles ſunt procellæ, turbines & tempeſtates, quibus *1. Corinth. 16.*

regnum Christi percellitur, tamen multò potentior est Christus, qui sedet in excelso, ad dextram Dei patris sui, & Thronum regni sui ita stabiliuit, vt nulla potentia, nec humana, nec Satanica eum subuertere queat. Conciones autem de stabilitate, & perpetuitate regni Christi, suum habent vsum. Primùm enim, confirmant animum imbecillem, in persecutionibus Pontificijs, quòd etsi Pontifices immaniter sæuiunt aduersus Euangelion Christi, hoc est, Regnum cœlorum, tamen nece se habent inuiolatum dimittere. Hanc quidem vitam corporalem multis adimere possunt, veram autem, & æternam salutem adimere credentibus non possunt: quippe quòd Thronus regni Christi, in perpetuum sit firmatus. Deinde confirmant animum imbecillem in furoribus Turcicis, quòd cùm regnum Christi sit firmissimè stabilitum, Turcicæ incursiones Ecclesiam Christi delere non queant. Etsi enim Turca, tàm facultatibus, quàm corporibus piorum vim inferre potest, tamen Christum à dextra Dei patris sui proturbare non potest. Postremò, confirmant priuatim cuiusq; pij hominis fidem, in grauibus tentationibus. Siue enim afflictio, siue angustia, siue persecutio, siue fames, siue nuditas, siue periculum, siue gladius, minatur internicionem, & separationem à dilectione, qua Deus nos in Christo Iesu complectitur, Thronus Christi clementia & veritate ita stabilitus est, vt ab ea dimoueri, & seipsum negare non possit. Gratias igitur agamus Deo, & patri DOMINI nostri Iesu Christi, quòd filio suo tam firmum, tam stabilem Thronum parauerit, vt tutum in omnibus aduersis receptum ad eũ habeamus.

5. Testimo-

5. *Teſtimonia tua certa ſunt, domum tuam ornat ſanctitas perpetuis temporibus.*

Poſtrema pars Pſalmi docet, quomodo regnum Chriſti propagetur & ornetur: Teſtimonia, inquiens, tua certa ſunt, (hoc eſt) doctrina Euangelij tui, (quæ nomine teſtimoniorum Dei venit) vera eſt, certa & firma. Certitudine enim & firmitate doctrinæ Euangelicæ propagatur regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia. Et, quia Chriſtus dicit: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis: idcirco Eccleſia ornatur ſanctitate, propterea quòd audiat teſtimonia Dei, (hoc eſt) prædicationem Euangelij de Ieſu Chriſto, quæ non ſolùm certiſsima eſt, verùmetiam efficaciſsima, vt in omnibus credentibus proferat perpetuis temporibus fructus ſanctiſsimos.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus eſt vaticinium de regno Chriſti. Etſi autem Chriſtus non diſertè & nominatim in eo prædicatur, tamen certiſsimum eſt argumentum, quòd loquatur de regno Chriſti. Apoſtolica enim ſcripta ſunt apocalypſis & commentarius veterum Prophetico-rum Scriptorum. Poſtquam autem Chriſtus intrauit in gloriam ſuam, & conſedit ad dextram Dei patris ſui, Scripta Apoſtolica neſciunt alium DOMINVM Deum noſtrum, præterquam Chriſtum. Norunt quidem duas alias in diuinitate perſonas, Patrem & Spiritum ſanctum, ſed neſciunt alium DOMINVM Deum noſtrum Zebaoth, præter Chriſtum. Huic enim

ſubijciunt cœlum & terram,& vniuerſum orbẽ:hunc exaltant ſuper omnes creaturas : hunc collocant ad dextram Dei : huic dant nomen ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu ſe flectat,cœleſtium,terreſtrium & infernorum : huic ſoli deferunt illum honorem,vt non ſit aliud nomen ſub cœlo inter homines datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quare, vbicunq; Scripta Prophetica deferunt Deo honorem regni,omnipotentiæ,& ſalutis, ſentiamus eum deferri DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt vnà cum Patre & Spiritu ſancto, Deus laudandus in ſecula.

Pſalmus 94.

Deus vltionum DOMINVS,&c.



Ecleſia Dei, quam Chriſtus ipſe vocat puſillum gregem,ſuos ſemper habuit iam inde ab initio cõditi orbis hoſtes, non ſolùm externos, verùmetiã, quod eſt longè omnium periculoſiſsimum,domeſticos.Cum enim filius Dei ſuſcepiſſet, pugnandum cum ſatana, & conterendam potentiam eius, vt humanum genus peccato & morte liberaret,& quotquot fiducia eius Deum patrem in Spiritu ſancto inuocaturi eſſent, ſeruaret : ſatan non potuit teneri,quin quoquo modo poſſet,opprimeret eos, qui filio Dei,per fidem coniungerentur. Itaq;,etſi beneficium

neficium filij Dei oblatum eſt vniuerſo humano generi: tamen cùm ſatan factus ſit, propter hominis peccatum, princeps, & vt Paulus ait, deus huius ſeculi, deſtinet in poteſtate ſua maximam hominũ partem, quos etiam excitare ſolet, vt reliquos, qui filium Dei agnoſcunt & profitentur, immani odio proſequãtur, & perpetuò extinctos cupiant. Nam, vt nihil dicam de crudelitate Caini erga Abelem, Iſmaelis erga Iſaacum, Eſau erga Iacobum: quid poteſt immanius cogitari, quàm quod Pharao rex Ægypti, in Iſraelitas, in quorum gente vera erat illis temporibus Eccleſia Dei, deſignauit? Quantum mali pertulerunt Iſraelitę, cùm iam in ſua terra habitarent, à finitimis gentibus? Sed tranſeamus iſta, quæ ſatis copiosè in libro Iudicum deſcripta ſunt. Veniamus autem ad tempora Prophetæ Samuelis, & regum, Saulis ac Dauidis. Hoſtes Eccleſiæ Dei tum erant, non ſolùm exteri illi Philiſtini, ſed etiam domeſtici ſacrificuli, ac ſatellites eorum. Et qui videbantur Eccleſiæ capita, cum vera Eccleſia pugnabant. Quomodo enim tanto tempore conſtitiſſet inter Iſraelitas cultus idolorum, ſi principes & ſacerdotes hunc non eſſent tutati? Samuel multis annis vix impetrare potuit, vt vel aliqua ſaltem impia ſacra aboleren-tur. Quod manifeſtum argumentum eſt, impios principes, impia ſacra in populo Dei defendiſſe. Inter iſta quæ potuit eſſe pax, quæ tranquillitas piorum, hoc eſt, veræ Eccleſiæ Dei? Vide mihi Saulem ipſum. Hic vt erat Monarcha in Iſrael, ita videbatur ſummus Eccleſiæ Dei tutor. Sed non erat, qui & hypocriſi & tyrannide ſua maiorem internecionem Eccleſiæ Dei minaretur. Scriptura diuina perſpicuè teſtatur, arcam *1. Sam. 7.*

Dei,

Dei, quæ tum ſummum religionis Sacramentum fuit, neglectam, ac ne requiſitam quidē fuiſſe. Quę res haud obſcurè ſignificat, veram Dei Eccleſiam ſub Saule, & ab ipſo Saule maxima accepiſſe incommoda. Quid, quòd Saul tot vno tempore innocentes Sacerdotes, vnà cum magna ciuium multitudine in Nobe immaniſsimè trucidauerit? Non hoc illud ſolum meditabatur Satan in Saule, vt vna tantum ciuitas deleretur, ſed vt Eccleſia Dei opprimeretur. In perſequendo autem Dauide, quale, obſecro, putas fuiſſe Saulis conſilium? In ſummo quidem cordis faſtigio cogitabat ſucceſſorem regni ſui tollere: in receſſu autem & latebris cordis cogitabat, autore Satana, Chriſtum, verum Eccleſiæ ſeruatorem, è Dauide venturum, tollere, adeoq; vniuerſam Eccleſiam Dei perdere.

Quæ pericula Eccleſiæ, cùm Dauid ob oculos mentis ſuæ poſita haberet, ac reipſa quoq; perferret, accenditur & inflammatur Spiritu ſancto, vt erumpat in hunc Pſalmum, qui eſt, iuxta Hebræos, nonageſimus quartus, in quo precatur, vt Deus tueatur Eccleſiam ſuam aduerſus hoſtes eius, & conſeruet eam, oppreſsis hoſtibus, in omnibus periculis.

Commemoratur autem in hoc Pſalmo immanitas hoſtium Eccleſiæ: commemoratur etiam ſecuritas eorum, in tam fœlici rerum ſuarum ſucceſſu. Sed additur quoq; ſeueritas, qua Deus afflicturus eſt eos, præter omnem ipſorum expectationem. Additur & clementia, qua Deus complectitur inuocantes nomen ſuum ex fide, vt Eccleſia conſolationem habeat in omnibus aduerſis: & confidat veram ſibi & perpetuam ſalutem apud Deum patrem, per filium eius, Ieſum Chriſtum repoſitam

repoſitam eſſe. Non enim ſentiendum eſt, quòd Dauid præcinuerit hunc Pſalmum ſuæ tantùm ætati: ſed quòd etiam præcinuerit eum omni poſteritati, & Eccleſiæ omnium temporum: Quæcunq; inquit Paulus, præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarũ ſpem habeamus. Neq; enim Eccleſia tunc tantùm hoſtes habuit, nunc autem hoſtibus caret, ſed vt virulentia Satanæ aduerſus filium Dei, & Eccleſiã eius, nunquam intermoritur: ita ſemper excitat organa ſua, quibus Eccleſiam, martyrio, vt nunc loqui ſolent, afficiat.

Ac profecto, ea nunc ſunt tempora, vt ſatan periculum extremarum ſuarum virium in opprimenda Eccleſia facturus videatur. Poſtquam enim pia doctrina his temporibus, diuina clementia, reſtituta eſt Eccleſiæ, hoſtes primùm quidem conati ſunt, admirabili arte, & aſtutiſsimis conſilijs, curſum Euangelij impedire. Deinde, cum togata conſilia non ſucceſsiſſent, ſumpſerunt arma, prætextu quidem reſtituendæ publicæ tranquillitatis, ſed certiſsimo inſtituto delendæ piæ doctrinæ, id quod res ipſa maximo Reipub. & Eccleſiæ occaſu declarat. Cùm enim fœlicem habuerint ſucceſſum belli, & reportauerint hactenus externam victoriam, nihil eſt, quod non præfractè & impudenter (victoria enim natura ſua inſolens eſt) aduerſus piam doctrinam moliantur. Condunt nouas reformationes, abolent ſacra iuxta verbum Domini conſtituta, reſtituunt veterem idolatriam, eijciunt pios doctores in exilia, conijciunt nonnullos in vincula, cogunt violenter homines impias Miſſas accedere & venerari, graſſantur hoſtiliter in eos, qui impia ipſorum decreta non

Commentarius huius Pſalmi ſcriptus eſt, in incurſu Hiſpanorũ in Germaniam, dum inſtituebatur noua Reformatio, quam vocarunt Interim.

ta non amplectuntur, ac mulierculas etiam & pueros crudeliter trucidant. Quid plura? miserrima est his tristissimis temporibus facies Ecclesiæ, ac Reipub. adeoq; plane id nunc quoq; impletur, quod hic noster Psalmus commemorat: Populum tuum, inquiens, humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.

Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et alius Psalmus:

Psalm.88. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dextram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.

Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.

Psalm.43. Et alius: Nunc repulisti & confudisti nos, & non es egressus Deus in virtutibus nostris.

Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Ac mox: Posuisti nos opprobriũ vicinis nostris, subsannationẽ & derisum his qui in circuitu nostro sunt.

An non hi Psalmi magis videntur texere historiam huius nostri temporis, quàm cõmemorare, quæ quondam in Ecclesia Israelitarũ gesta sunt? Quare, cùm hic 94. Psalmus, quem interpretandum suscepimus, nõ minus ad nostra, quàm ad Dauidis tempora pertineat, excipiamus eũ obuijs manibus. Et quia videmus Ecclesiæ nostræ ætatis plane eadem aduersa contingere, quæ quondam Ecclesię Israelitarum contigerunt, leuemus capita nostra, & concipiamus certissimam fiduciam, in DOMINO Deo nostro, per Iesum Christũ filium eius, seruatorem nostrum, quòd etiam secutura sit glorioſa

redemptio,

redemptio, vt clementiam Domini in Eccleſia eius perpetuò celebremus.

Porrò, hic Pſalmus conſtat, iuxta Hebræorum diſtinctionem, viginti tribus verſiculis. Ac duo primi verſiculi ſunt propoſitio Pſalmi.

1. *Deus vltionum DOMINE, Deus vltionum illuſtreris.*
2. *Exalteris, qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.*

His duobus verſiculis proponitur ſtatus huius Pſalmi. Precatur enim Deum, vt ad vindicandam & illuſtrandam gloriam nominis ſui, non ſinat impios tam impunè & tanto tempore in Eccleſiam graſſari: ſed animaduertat in eos ſeueriter, vt Eccleſia liberata, potentiam & clementiam eius ſemper prædicet.

Tribuit autem Deo duo inſignia epitheta. Vocat eum, Deum vltionum, ſeu vltorem, & Deum iudicem terræ. Tribuuntur quidem Deo aliàs varia epitheta, præſertim ducta à clementia eius. Vocatur enim miſerator, miſericors, patiens, longanimis, & multa id genus alia. In hoc autem loco tribuitur ei epitheton, ductum à ſeueritate eius. Vocatur Deus vltor, ſeu Deus vindex, quod & ad ſignificandam affectus vehementiam, & veritatis certitudinẽ, duplicatur. Deus, inquit, vltor DOMINE, Deus vltor illuſtreris. Maluit autem Pſalmus in præſentia hoc epitheto, q̃ alio vti, propterea quòd ſit aptiſsimũ ad ea quæ hîc eſt precaturus: videlicet, vt Deus vlciſcatur & vindicet gloriam ſuam, & puniat hoſtes Euangelij ſui, ne tanto tempore, maxima diuini nominis contumelia, impunè in Eccleſiam Dei graſſentur.

Sed hoc epitheton congruit Deo, duabus de cauſis. Vna eſt, quòd Deus ſeueriter exigat, ne quiſquam hominum ſuo ſibi arbitrio vltionem vſurpet, ſed eam DOMINO Deo noſtro relinquat. Quare grauiſsimè peccant, & deſignant crimen læſæ diuinæ maieſtatis, qui iniuriam ſibi illatam, priuata ſua libidine ac temeritate vlciſcuntur.

Altera eſt, quòd ſicut Deus reſeruat ſibi vltionem contumeliæ & iniuriæ, vel ſibi, vel ſuis illatæ: ita nihil certius eſt, quàm quòd eam vltionem ſuo tempore ſeueriſsimè inferat, et tarditatem grauitate compenſet. Quare epitheton vltoris cõuenit Deo aptiſsimè. Quo & admoneri debemus timoris Dei & tolerantiæ, vt non ſolùm non vlciſcamur ipſi iniuriam nobis illatam, ſed etiam patienter expectemus vltionem Dei, & perſeueremus interea temporis in officio diuinæ vocationis.

Alterum epitheton eſt, Iudex terrę. Deus enim non ſolùm vlciſcitur, & punit manifeſtos hoſtes ſuę Eccleſiæ: verùmetiam iudicat vniuerſum orbem terræ, & punit omnes impios, in omnibus gentibus: Deus ſtatuit, inquit Paulus, diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarum cum iuſtitia, per eum virũ, per quem decreuerat, fide præſtita omnibus, cùm excitarit illum ex mortuis. Et iterum: Colligis tibi ipſi iram in die iræ, quo patefiet iuſtum iudicium Dei, qui redditurus eſt vnicuiq; iuxta facta ſua. Eſt & hoc epitheton aptum ei argumento, quod in hoc Pſalmo inſtituitut. Precatur enim Deum, vt vel tandem reddat impijs, quod merentur. Hoc enim eſt iuſti iudicis. Quod ergò dicit, habet hanc ſententiam: Tu DOMINE Deus noſter, vocaris Deus

Deus vltor ſeu vindex : quæſo igitur te, vt hoc epitheton tuum illuſtres, ac publicè teſtificeris, in opprimendis hoſtibus Eccleſiæ tuæ, te verè eſſe eum, qui diceris, vltorem & vindicem. Adhæc, tu DOMINE Deus noſter, vocaris iudex terræ : precor igitur, vt exalteris, vt hoc nomen tuum coram omnibus hominibus patefiat, & magnifiat, vt iuſto iudicio tuo retribuas impijs ſuperbè & contumeliosè, Eccleſiæ tuæ inſultantibus, omnem iniuriam, quam tibi & tuis immani ſemper crudelitate inferre pergunt.

Sed quid illud eſt, quòd toties mandatur nobis, vt diligamus non tantùm amicos, verùmetiam inimicos noſtros, ac beneprecemur deuouentibus nos, & tamen hic Pſalmus ex profeſſo petit inimicorum ſuorum interitum, ac vltionem ? Et quidem vſitatiſsimum eſt, præſertim in Pſalmis, quòd petatur, vt pereant aduerſarij noſtri : Confundantur, inquit, & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Et : Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, eijciantur de habitationibus ſuis. An non hoc eſt petere vindictam ? Sed aliud eſt carne, & priuato arbitrio, aliud ſpiritu, & diuino zelo vindictam petere. Nam caro quærit natura ſua, non quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt : & affectus carnis, vt Paulus ait, inimicitia eſt aduerſus Deum. Quare, qui ſunt adhuc carnales, & petunt vindictam ex carne, non quærunt gloriam Dei, ſed potius ſuam ipſorum gloriã, & commodum, contra Deum : ideoq; grauiter peccant, etiamſi aliquoties vindicta, quæ petitur, per ſe non ſit iniuſta. Spiritus autem quærit, quę Dei ſunt : & hoc vnum agit, vt gloria nominis Dei

promoueat, etiamsi id videatur nonnunquam magno nostro incommodo fieri. Quare, qui ex spiritu petunt vindictam, tantum abest, vt aduersus Deum peccent, vt potius voluntati Dei, impietatem ex animo odientis, & punitam cupientis, obedientissimè seruiant. Sume tibi huius rei exemplum ab ira patrumfamilias in peccata puerorum suorum. Si quis enim paterfamilias, adhuc carnalis, viderit puerum suum tale designare peccatum, quod cum rei familiaris dispendio coniunctum sit, tanta ira inflammari solet, vt præ animi impotentia non queat consistere. Etsi autem peccatum pueri dignum est ira, is tamen carnalis paterfamilias, nõ irascitur propter peccati iniquitatẽ coram Deo, sed propter rei familiaris iacturã. Nam si puer sic peccauerit, vt non videatur aliquot domesticum incommodum ex eo accidere: videlicet si abutitur nomine Dei ad execrationes, aut mendacijs & turpitudini assuescat: vix dignum reputat paterfamilias, quod verbis paulò asperioribus reprehendat. Hoc perspicuum est argumentum profani animi: & cuius prior illa ira, alioqui per se non iniusta, sit prorsum carnalis, & coram Deo abominabilis. Alius quispiam pius paterfamilias, inuehitur quidem irato animo in œconomicum pueri peccatum: sed commouetur longè omnium vehementissimè aduersus ea pueri peccata, quæ sunt in DOMINVM Deum nostrum contumeliosa. Hæc est verè spiritualis ira, & Deo grata, qualis fuit ira Mosi in idolatras, ira Phinees in scortatorem Israelitam, & ira Eliæ in sacrificulos Baal. Sic etiam sentiendum est de cupiditate vindictæ. Hæc enim cupiditas tunc accepta est Deo, cùm proficiscitur è spiritu, qui verè gloriam

riam nominis Dei quærit. Tunc autem abominabilis eſt Deo, & carnalis, cùm proficiſcitur è carne: quæ nõ niſi ſua commoda ſpectat, etiamſi gloria nominis Dei obſcuretur aut opprimatur. Accedit huc, quòd alius eſt charitatis, alius fidei affectus. Charitas, vt Paulus ait, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam in æternum veſcitur carnibus, ſi eſca offendit fratrem. Charitas optat anathema à Chriſto eſſe pro fratribus. Quare piį, iuxta charitatis ingenium, nullum hominem, quamuis capitalem hoſtem, & impium, execrantur: ſed precantur cuiuis verã reſipiſcentiam, & perpetuam ſalutem. Fides autem cõparat ſeſe ad ſeueritatem diuini iudiciį, quæ verbo Dei reuelatur. Quare, quos videt verbo Dei maledici & damnari, eos etiam ipſa maledicit & damnat, vt, etſi piį cupiunt, iuxta charitatis ingenium, omnes homines ſaluos: tamen iuxta fidei ingenium, etiam parentes & liberos condemnant, ſi hanc, vt ita dicam, crudelitatẽ, obedientia, quæ verbo Dei debetur, exegerit,

Ac breuiter, neceſſarium eſt, vt diligamus Deum ex corde, & obediamus ei ex animo. Cùm igitur Deus præceperit nobis generali mandato, vt proximum, ſiue amicum, ſiue inimicum, ſiue pium, ſiue impium diligamus, obſequendum eſt diuino mandato, ſine omni tergiuerſatione. Sed ſi perſonali mandato, & ſpeciali ſpiritus vocatione, iuſſerit nos impium execrari, etiam ſic obediendum eſt, vt officium noſtrum, in omnibus, DOMINO Deo noſtro probemus. Hactenus propoſitio Pſalmi.

Sequitur nunc narratio ſeu expoſitio impietatis, crudelitatis, & ſecuritatis hoſtium Eccleſiæ, contra quos precatio huius Pſalmi inſtituta eſt. 3. *Vſque-*

3. *Vsquequo impij DOMINE, vsquequo impij exultabunt?*
4. *Effutient, loquentur fastuosè, gloriabuntur magnificè omnes operarij iniquitatis?*
5. *Populum tuum DOMINE conterunt, & hæreditatem tuam affligunt.*
6. *Viduam & aduenam interficiunt, & pupillos occidunt.*
7. *Et dicunt: Non videt DOMINVS, nec intelligit Deus Iacob.*

Tria sunt, quæ Psalmus exponit de hostibus & persecutoribus Ecclesiæ. Vnum est, diuturnitas fœlicitatis eorũ in impietate. Vsquequo, inquit, impij, vsquequo impij exultabunt? Hæc locutio figurata est duplici schemate, videlicet, interrogatione, & repetitione. Nam simplici loquendi figura diceretur: Impij sunt fœlices multo tempore, & gloriantur arroganter de sua fœlicitate. Maluit autem Spiritus sanctus figuratè quàm simpliciter loqui, vt hoc dicendi modo vehementiam affectus magis exprimeret, & indignationem suam aduersus impios significantius exponeret. Nihil enim indignius est, quàm quòd impijs, & peccatoribus, & operarijs iniquitatis, accidere videmus. Suscipiunt aduersus Ecclesiam Dei cruenta consilia, & in his sunt fœlicissimi. Consequuntur prosperrimum instituti sui euentum, & reportant victoriam glorioſissimam: ideoq; mirum in modum exultant, & gloriantur de sua fœlicitate. Iactant eam in omnibus plateis & tonstrinis. Proijciunt ampullas & sesquipedalia verba. Et quia fœlicitas huius terræ, natura sua insolens est, idcircò non tantùm gaudent & exultant in sinu

in ſinu ſuo: ſed etiã inſultant piis cõtumelioſiſsimè, loquuntur aduerſus eos dura, & minãtur eis grauia. Nec eſt vllus vel finis vel modus iactantiæ & inſultationis eorum. Et hæc agunt, non vno tantùm & altero die, ſed longo tempore, & multis annis. De hac autem impiorum fœlicitate, multa & magna eſt querela piorum, etiam in aliis locis ſcripturæ: Zelaui, inquit alius Pſalmus, ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. *Pſalm.73.* Quia non eſt reſpectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur. Et Abacuc: Quare impius conculcat iuſtiorem ſe? *Abac.1.* Et Hieremias: Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui præuaricantur? *Hier.12.* Extant etiam varia exempla huius fœlicitatis. Pharao vſus eſt multis annis proſperrima fortuna in opprimendis Iſraelitis. Philiſtini graſſantur longo tempore fœliciſsimè in populũ Dei. Saul hypocrita & tyrannus regnat in Iſrael 40. annis. Quod tempus viſum quidem eſt in externa politeia fœliciſsimum, ſed Eccleſia Dei interea miſerrimè affligitur. Negligitur arca Dei. Obtinẽt cultus & ſacrificia, à verbo DOMINI aliena. Dauid & multi alij ſancti viri exulant. Innocentes ſacerdotes interficiuntur. Itaq; impij, oppreſsis piis, fœliciſsimè dominabantur. Sed quid neceſſe eſt vetera exempla repetere, cùm in promptu ſint exempla noſtri temporis? Quid fœlicius conſilijs Pontificum aduerſus piam doctrinam Euangelij? Quàm proſperè ſuperioribus annis bellatũ eſt aduerſus principes, veræ Eccleſiæ nutricios? & aduerſus ciuitates, Euangelij Chriſti hoſpitia? Quàm fœliciter adhuc inſtituta aduerſariorum piæ doctrinæ promo-

uent? Libet igitur & nobis exclamare: Vsquequo peccatores DOMINE? vsquequo peccatores gloriabuntur? Sed quo consilio Deus ista toleret, & quis tandem sit impiorum euentus, Psalmus postea exponet. Nunc pergemus in explicatione eorum versiculorum, quos proposuimus. Alterum enim, quod in his narratur, est crudelitas & immanitas impiorum. Populum, inquit, tuum DOMINE percutiunt, seu conterunt. Hæreditatem, seu Ecclesiam tuam affligunt: & quod omnia humana iura superat, viduas, peregrinos, & pupillos crudeliter trucidant. Nullam habent rationem vel sexus, vel ætatis. Viduæ, & pupilli, inuiolati sunt, & sacrosancti non in lege tantùm Mosi, sed etiam inter exteras gentes, quæ aliquo saltem humanitatis affectu præditi sunt. Hostes autem Ecclesiæ tam immanes sunt, vt erga mulierculas viduas, quarum maritos antea trucidauerunt, & erga infantes, quorum patres interfecerunt, omnem humanũ affectum exuant, Recitatur & alias in scriptura hæc crudelitas. Posuerunt, inquit alius Psalmus, morticina seruorum tuorũ escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret. Et Christus: Tradet, inquit, frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et iterum: Veniet tempus, vt quisquis interficiat vos, videatur cultum præstare Deo. Non recensebo hîc exempla Pharaonis, Saulis, Herodis, qui immanitate sua, qua in Ecclesiam Dei grassati sunt, ne infantibus quidem pepercerunt. Considera mihi exempla nostræ ætatis. Quantam sæuitiam exercue-

Psalm. 79.

exercuerunt, ſuperioribus diebus impij N. in ciues, mulieres & infantes vrbis N. idq; dum hi in media pacificationis tractatione nihil hoſtile metuerent. Quid ergò eſt, quòd homines in perſequenda Eccleſia omnem humanum affectum ſic exuant? Hoc videlicet eſt, quòd ſatan, qui agit in filijs incredulis, fertur perpetuò & inexplebili odio aduerſus filium Dei. Quare teneri non poteſt, quin quoſcunq; viderit eſſe membra filij Dei per fidem, in eos omnia ſæuitię & immanitatis genera expediat. Hæc autem idcirco nobis commemorantur, vt perſecutionum magnitudine non offendamur, nec animo frangamur: ſed contrà audentiores eamus, & in vocatione noſtra perduremus: certò confiſi, quòd cùm qui in nobis eſt, maior ſit, quàm qui eſt in mundo, conſeruemur in medijs etiam ſęuiſſimarum perſecutionum procellis.

Tertium, quod in his verſiculis narratur, eſt ſecuritas impiorum. Etſi enim impij deſignant coram Deo impijſsima, & coram hominibus immaniſsima: tamen in tam horrendis ſceleribus ſunt ſecuriſsimi, & dicunt in receſsibus cordium ſuorum, DOMINVS non videt, Deus Iacob non intelligit. Exiſtimant, quòd Deus, aut non curet res humanas, nec audiat gemitus piorum, nec videat immanitatem impiorum: aut ſi curat, non abominetur, non deteſtetur iſtam immanitatẽ: ſed potius approbet eam, & agnoſcat ipſam pro eximio & ſacratiſsimo cultu. Quomodo enim deteſtaretur illa, ad quæ conficienda tam fœlices præbeat euentus? Et quomodo complecteretur ſuo fauore eum populum, qui iactat quidem ſe eſſe Eccleſiam Dei: ſed quem tradat hoſtibus tam crudeliter mactandum? Non diſſimi-

lis ſecuritas deſcribitur aliàs, apud Moſen in Deute-
Deut.29. ronomio: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et in Pſalm.9. Dixit in corde ſuo, oblitus eſt Deus. Et mox: Dixit in corde ſuo, non requiret. Ac iterum: Dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Et in Eſaia dicunt impij: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno pactum feci-
Ezech.9. mus. Et in alio Propheta: Non videt nos, inquiunt, DOMINVS, dereliquit DOMINVS terram. Huc etiam facit, quod Eccleſiaſtes dicit: Quia non profertur citò ſententia, filij hominum abſq; timore vllo perpetrant mala. In Euangelio quoq; ſeruus nequam, quia videt dominum ſuum tardare, fit ſecurus, & percutit conſeruos ſuos.

Quid igitur dicemus? Num quia impij ſecurè graſſantur in Eccleſiam Dei, & fœliciter peccant, DOMINVS non videt, non obſeruat, nec puniet? Certè videt, certè obſeruat & puniet. Narrationem ergò crudelitatis & ſecuritatis impiorum ſequitur refutatio, ſeu reprehenſio eorum. Sic enim pergit Pſalmus canere:

8. *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*
9. *Qui plantauit aurem, non audiret? qui formauit oculum, non aſpiceret?*
10. *Qui erudit gentes, non argueret? qui docet hominem ſcientiam.*
11. *DOMINVS ſcit cogitationes hominis, quòd ſint vanæ.*

Suprà in verſiculo ſeptimo, impij vocarunt Deum, Deum Iacob: Non intelligit, inquiunt, Deus Iacob. Hoc cognomen debuiſſet eos admonere, quod Deus videat,

videat, & intelligat gemitus piorum, & tyrannidem impiorum. Non enim ignotum est, quæ fuerint occulta consilia Esau aduersus fratrem suum Iacob. Sed ea omnia vidit Deus, & seruauit Iacobum. Quare, nisi impij prorsum essent insipientes, cæcati & stupidi, facile ex ipsa Patriarchæ Iacob mentione intelligerent, Deum non negligere piorum gemitus, nec approbare impiorum tyrannidem aduersus pios.

Sed recensentur admiranda opera Dei in hominis creatione, vt his admoniti, attollamus mentes nostras, & agnoscamus Deum summa cura & solicitudine Ecclesiam suam complecti, & aduersus impiorum consilia tueri.

Primùm enim, admirabile opificium in homine, ac in alijs quoq; animantibus, est auris. Et impositum est hoc organon capiti, non sicut lutum adhæret rotæ, sed sicut radix arboris infixa est terræ, vt non tàm creatum, quàm plantatum esse dicatur. Quid autem dicam de virtute & actione huius organi? Vulgò aiunt, Cõsueta vilescunt, ideoq; miracula & beneficia huius sensus à paucis obseruantur. Sed profectò, si quis rectè perpenderit, omni admiratione plenum est, quòd hoc organon sic constitutum sit, vt discriminatim percipiat omnia genera soni. Et quantum sit beneficium, ex ijs hominibus, qui natura aut casu surdi sunt, ac ex rebus inanimis, intelligi potest. Huius autem tam admirabilis organi, & tam vtilis sensus excogitator, creator & plantator est DOMINVS Deus noster: Aurem audientem, inquit Salomon, & oculum videntem, vtrunq; fecit DOMINVS.

Quare fieri non potest, quin Deus opifex & plan-

tator auris, audiat de cœlo, non solùm tonitrua illa, quæ in aëre sonant, verùmetiam gemitus & voces piorum suorũ clamantiũ ad se diu noctuq́, audiat quoque glorioſas illas iactationes, & graues minas impiorum aduersus pios. Nec est, quòd existimes Deum habitare in cœlo sublimius, quam quòd audire possit ea, quæ in terris, aut etiam in cordibus vel piorum vel impiorum sonant. Dicit enim per Prophetam: Cœlũ & terram ego impleo. Et Paulus: Non longè, inquit, abest ab vnoquoq́ nostrum. Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus. Et in Psalmo dicitur: Prospexit de excelso sancto suo. DOMINVS de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorũ, & solueret filios occisioni destinatos. Quod cùm verè ita se habeat, cur pius, sub cruce ad Deum ingemiscens, & Deum in nomine seu ex fide filij eius Domini nostri Iesu Christi inuocans, dubitaret, aut metueret, ne exaudiretur? Aut quomodo impij possent impunè ferre, quòd coram Deo, omnia audiente, tam glorioſas voces, & tam graues minas aduersus Ecclesiam suam impudenter proijciant?

Deinde, non minus admirabile organon est oculus. Hic paruus est orbiculus, sed ex tam varijs thecis aut tunicis compositus, vt ex eo industria opificis manifestè cognoscatur. Quod autem ad virtutẽ & actionem eius attinet, progredere, quæso te, in latum campum, & suspice cœlum sursum, ac despice terram deorsum, quam immensum spacium, tam minutus orbiculus visu suo comprehendit? Et hoc organon creauit & formauit DOMINVS Deus noster. Quid igitur dicemus? Num is qui tam clarum, tam mirandum videndi

organon

organon creauit, cæcus esset? aut non videret ea quæ in terris, vel ab impijs aduersus Ecclesiam Dei perpetrantur, vel à pijs sufferuntur? In Psalm.33. dicitur: Oculi DOMINI super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem DOMINI super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et aliàs: DOMINVS in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Ac in alio Psalmo: DOMINVS numerat gemitus piorũ, & colligit lachrymas eorũ in vtrem. In Esaia: Super quem, inquit, respiciam, nisi super humilem & trementem sermones meos? Sciant igitur pij, Deum tunc in propinquo esse, & aspicere ipsos clementer, cùm sunt afflicto, contrito, & humiliato corde, hoc est, cùm Deus videtur longissimè abesse. Sciant & impij, Deum, qui est scrutator cordis & renum, tunc maximè omnium aspicere consilia & cogitationes ipsorum aduersus pios, cùm putant se absconditissimè latere. Quare cohorrescant ad præsentiam tantę maiestatis & seueritatis, ac resipiscãt ab impijs suis conatibus. *Psalm.56.*

Præterea, Deus corripit seu erudit gentes. Hoc illud est, quod Paulus ad Romanos scribit, gentes diuinitus habere cognitionem legis, ex qua in conscientia sua, propter malefacta arguantur. Gentes, inquiens, quæ legem non habent, natura faciunt quæ legis sunt, (hoc est, habent natura conscientiam maleactorum.) Hæ legem non habentes, sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis, (quod est accusare male factum, & approbare bene factum) scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. Quod igitur Psalmus dicit, hanc habet sententiã: Deus insculpsit natura

tura in omnes homines iudicium legis, vt etsi carent lege scripta, tamen cùm malefaciunt, reprehenduntur à sua ipsorum conscientia. Quæ reprehensio non temerè in humano corde nascitur, sed est correptio seu eruditio Dei. Si ergò Deus arguit peccati omnes gentes, quamuis simpliciter peccantes, quomodo non argueret tandem peccati hostes Ecclesiæ Dei, qui non simpliciter, vt aliæ gentes, sed immaniter, adeoq; planè satanicè peccant? Aliæ gentes, quæ sunt alienæ à populo Dei, non euadunt impunes in sceleribus, quæ aduersus se inuicem designant: & euaderent impunes hi, qui crudelissima quęq; aduersus Ecclesiam Dei, atq; adeò aduersus Deum ipsum designant? Non euadent, non certè euadent. Exurget enim Deus, & dissipabuntur inimici eius, & fugient, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei.

Adhæc, DOMINVS docet hominem scientiam, hoc est, quidquid homines habent iudicij, scientiæ, & cognitionis, vel de diuinis ac cœlestibus, vel de humanis ac terrenis rebus, non est temerè in humana ratione natum, sed est donum Dei: Quid habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Quòd si Deus est donator cognitionis in homine, quomodo ipse non cognosceret, quid impij conarentur, aut agerent aduersus suam Ecclesiam? Quomodo omnis cognitionis autor ignoraret impiorum scelera, quæ maximè sua, ad vindicandam Ecclesiam, scire & cognoscere interest?

Postremò, DOMINVS, inquit, nouit cogitationes hominis, quòd vanæ sint. Quid ergò dicemus? Num vana fuit cogitatio Mosi, cùm cogitauit Israelitas educere

cere ex Ægypto? Num vana fuit cogitatio Ezechiæ, cùm cogitauit serpentem æneum abolere, & DOMINVM aduersus blasphemias Saneheribi inuocare? Num vana fuit cogitatio Petri, cùm cogitauit, contra edictum Pontificũ, magis obediendum esse Deo, quàm hominibus? Nihil minus. Quod enim hîc dicitur: Nouit DOMINVS cogitationes hominis, quòd vanę sint, non intelligendum est de his cogitationibus, quas homines ex verbo DOMINI, per Spiritum sanctum suscipiunt, (hæ enim sunt sanctæ cogitationes) sed intelligendũ est de his, quas homines suscipiunt è sua ipsorum carne, & è suis humanis viribus, aut etiam ex verbo DOMINI, sed carnaliter intellecto. Hæ cogitationes, etsi plerunq; in recessibus cordiũ ita latêre solent, vt ne ipsis quidem cogitatoribus notæ sint, Deus tamen scrutatur eas, & cognoscit vanitatem & impietatem earum. Sic Deus videt insipientem in corde suo dicere: Non est Deus, quanquam insipiens existimet se Deum maximè omnium colere. Sic Deus prospicit de cœlo super filios hominum, & videt omnes declinare, simul inutiles esse, nec esse qui faciat bonum, ne vnum quidem: quanquam magna hominum pars veram sibi iustitiam & bonitatem, etiam iureiurando tribuat. Sic Deus intuetur omnes homines, & inuenit eos natura mendaces, etiamsi longè aliud de seipsis sentiant. Cùm igitur Deus cognoscat vanitatem omnium hominum, quî fieri posset, quòd non cognosceret etiam crudelitatem & immanitatem hostium Ecclesiæ suæ? Certè cognoscit eam tam perspicuè, vt sit eã suo tempore horrendo supplicio visitaturus.

12. *Beatus vir, quem tu erudieris DOMINE, & de lege tua docueris.*

13. *Vt capiat mitigationem (seu tranquillitatem) à diebus malis, donec fodiatur impio fouea.*

14. *Quia non repellet DOMINVS plebem suam, & hæreditatem suam non deseret.*

15. *Donec iustitia conuertat iudicium, & post hac omnes recti corde (exultabunt.)*

In superioribus versiculis refutauit Psalmus securitatem impiorum, quæ erat posterior pars narrationis. Nunc reuertitur ad priorem partem, in qua inquirebatur, vsquequo peccatores & impij iactantiam & crudelitatem suam impunè ferrent. Ad hanc ergò interrogationem respondet nunc Spiritus sanctus, exponens, definita esse tempora fœlicitatis impiorum, post quæ veniat perpetuus eorum interitus. Sed priusquam hoc exponit, docet pios interea temporis affligi quidem, non tamen suprà quàm ferre queant. Beatus, inquiens, vir, quem tu erudieris DOMINE. Hic mundus iudicat Ecclesiam longè omnium infœliciſsimam esse, quòd cum tam crudeliter ab hostibus suis tractetur, videatur à Deo prorsus deserta & abiecta. Quis enim diceret Deum fauere illi populo, cuius hostibus dat victoriam, & cuius viduas & pupillos sinit tam crudeliter occidi? Sed Spiritus sanctus pronunciat hoc loco contra iudiciũ mundi, Ecclesiam in tantis aduersis fœlicem esse. Etsi enim grauissimè affligitur, tamen habet filiũ Dei doctorem Euangelij sui, & mitigatorem malorum, donec verè ac perpetuò liberetur. Beatus, inquit, vir, quem tu DOMINE erudieris, & do-

& docueris de lege tua. Lex Dei hoc loco non propriè ſumitur pro præceptis, ſeu decretis, de quibus Paulus dicit, quòd oſtendant peccatum & occidant: ſed generaliter pro doctrina verbi Dei, iuxta propriam ſignificationem Hebrææ dictionis Thora, quod à docendo deducitur. Et in Eſaia, nomine legis, doctrina Euangelij intelligitur: De Zion exibit lex, &c. Quod igitur Pſalmus ait: Beatus vir, quem tu DOMINE eruditeris, & docueris de lege tua, vt capiat mitigationem à diebus malis, hanc habet ſententiam: Eccleſia piorum fœlix eſt, quòd etſi multa aduerſa patitur, tamen doctrina Euangelij diuinitus ſic eruditur, vt ex his malis magis capiat conſolationem & mitigationē, quàm dolorem, donec veniat interitus impiorum, & perfecta ſalus piorum.

Obſerua igitur mihi hoc loco, quòd cùm Pſalmus dicit, Deum docere ex verbo ſuo capere tranquillitatem à diebus malis: non autem dicit, docere eum dies malos non contingere: perſpicuè ſignificet, eam eſſe ſortem Eccleſiæ ſuæ in hoc mundo, vt habeat malos dies, & ſit obnoxia omnibus generibus afflictionū. Sententia enim lata eſt, nec retractatur, quòd omnes, qui piè volunt viuere, neceſſe habeant in hoc ſeculo perſecutionem pati, & aduerſis affligi. Multæ, inquit, tribulationes iuſtorū. Et: Ecce, ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et: In mundo afflictionē habetis: idq; fit præcipuè duabus de cauſis. Altera, quòd Eccleſia, etſi non eſt de hoc mundo, tamen habet adhuc in carne communem cum humano genere in hoc mundo conditionem. Omnes enim homines ducunt originem ſuā ab Adamo, qui cùm per inobedientiā à Deo defe-

cerit, propagauit peccatum in omnem ſuam poſteritatem. Propter peccatum autem impoſita eſt crux & afflictio vniuerſo humano generi: Maledicta, inquit, terra in opere tuo. In ſudore vultus tui comedes panē, &c. Quare, cùm Eccleſia ſit pars humani generis, neceſſe habet eadem cum humano genere mala in hoc mundo ferre. Altera eſt, quòd præter hanc generalem conditionem, ſatan ſit infenſiſsimus hoſtis Eccleſiæ, qui hoc vnum noctesq; diesq; meditatur, vt Eccleſiam magnitudine afflictionum offendat: et à fiducia in filium Dei, ad internecionem trahat. Quare non hoc nobis agendum eſt, vt in ſumma tranquillitate, abſq; omnibus aduerſis in hoc mundo viuamus, (hoc enim fieri non poteſt) ſed vt præparemus nos, ad fortiter ferenda, quæcunq; inciderint, aduerſa.

Dices ergò: Si hæc eſt conditio Eccleſiæ Dei, quid ea eſt miſerius? Miſeria enim eius, præ alijs hominibus, duplicatur. Quid ergò ea calamitoſius? Recte diceres, ſi hæc duplicata miſeria non compenſaretur alia ratione. Nunc autem benè habet. Magna eſt Eccleſiæ miſeria in hoc ſeculo: ſed & magnæ ſunt conſolationes ac mitigationes. Filius enim Dei erudit & docet eam de lege ſua, hoc eſt, de doctrina Euangelij ſui, vt etiam gaudium capiat ab afflictionibus: tantùm abeſt, vt ab ipſis deglutiatur. Primùm enim Euangelion filij Dei docet, quòd peccata ſint per ipſum coram Deo expiata, ideoq; afflictiones Eccleſiæ non ſint amplius ſigna irati, ſed propitij Dei. In Geneſi extat Euangelion: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Extat & aliud, ad Abraamum: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Ex hoc Euangelio cognoſcitur, quòd maledictio,

dictio,quæ inuasit humanum genus, vertatur per semen Abrahæ, per filium Dei, in benedictionem, vt quotquot in ipsum credunt, consequantur propter ipsum benedictionem remissionis peccatorum, benedictionem fauoris diuini, benedictionem in omnibus afflictionibus. Vnde & in Prouerbijs dicitur: Disciplinam DOMINI,fili mi,ne abijcias: nec deficias, cùm ab ea corriperis. Quem enim diligit DOMINVS,corripit,& quasi pater filium complectitur. Vides igitur, quod Euangelion docet, aduersa non esse signa tyrannici,sed paterni animi in Deo erga Ecclesiam suam.

Deinde lex Dei,seu verbum & Euangelion filij Dei docet eos,qui,cùm sint populus seu Ecclesia Dei,magnis aduersis affliguntur,in magna esse dignitate coram Deo,tantùm abest, vt propter aduersa sint Deo abominabiles. In Psalmo sic dicitur: Si voluisses sacrificium,certè dedissem: sed holocaustis non delectaris. Sacrificium Deo,spiritus contribulatus,cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Cùm Psalmus dicit, Spiritum contribulatum esse Deo sacrificium, perspicuè significat, afflictiones piorum in magna esse coram Deo dignitate. Et in alio Psalmo dicitur: Iuxtà est DOMINVS his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Hæc est manifesta concio,de afflictionibus Ecclesiæ,quòd Deus iudicet eas dignissimas,quas non solùm respiciat, & quibus præstò adsit, verumetiam quibus medeatur, & quas manibus suis, vt ita dicam, tractet ac mitiget. Sic & in Esaia dicitur: Habitans cum contrito corde, & humili spiritu, vt viuificet cor contritorum, &c. Qui locus docet afflictos fieri habitaculum seu templum Dei. Sicut & in Psalmo ait: Cum

ipſo ſum in tribulatione. Quanta autem dignitas eſt, eſſe templum Dei?

Præterea, verbum Dei docet, afflictiones Eccleſiæ non ſolùm habere ſuam coram Deo dignitatem, ſed afferre etiam maximam vtilitatem, tàm corporalem, quàm ſpiritualem. In Pſalm. 70. dicitur: Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſsis terræ iterum reduxiſti me. Multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me. Vide mihi Ioſephum. Quantam, obſecro, vtilitatẽ conſecutus eſt ex eo, quòd venditus fuerit à fratribus in ſeruitutem, & poſtea coniectus in carcerem? Ecce enim è carcere exaltatur in principatum Ægypti, & alit in fame vniuerſum, tàm genus ſuum, quàm regnum Ægypti. Vide etiam Dauidem, is ab exilio aſſurgit in thronum regium. Itaq; exilium, quod in oculis hominum videbatur caſus è regno, erat coram Deo gradus ad regnum. Dies me deficeret, ſi commemorare vellem omnia exempla ſcripturæ, quibus tanquam ſigillis & pignoribus, Deus palàm teſtificatus eſt, aduerſa eſſe gradus, quibus ad proſpera peruenitur, vt præterea non dicã, ad quas virtutes animi parandas aduerſa iuuẽt. Quę omnia, cùm pij conſiderant, cõcipiunt ex aduerſis tantam mitigationẽ & tranquillitatem, vt in ipſis gaudio magis quàm dolore afficiantur. Sic Moſes potius elegit ſimul malis affligi cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui: maiores arbitratus diuitias, probrum Chriſti, quàm Ægyptiorum theſauros. Sic Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quòd digni habiti eſſent, vt pro nomine Chriſti contumelia afficerentur,

rentur. Sic Hebræi, in Epiſtola ad Hebræos, acceperunt direptionem facultatum ſuarum cum gaudio. Sic & Paulus ait: Gloriamur ſuper afflictionibus, ſcientes quòd afflictio pariat patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, &c. Cùm igitur doctrina Euangelij, ſit organon illud, quo filius Dei erudit Spiritu ſancto ſuo Eccleſiam, vt ex afflictionibus capiat conſolationem & tranquillitatem, ſectandum & complectendum eſt Euangelion filij Dei ſummo ſtudio, vt conſequamur ex eo ἔκβασιν, ſicut Paulus loquitur, qua omnia aduerſa ferre queamus.

Sed humanus animus non petit tantùm mitigationem in malis, verùm petit etiam liberationem à malis. Quantula enim hæc eſt conſolatio, ſi Medicus quiſpiam dicat ad podagricum: Non poſſum à te podagram tuam tollere, neceſſe habes eam toto vitæ tuæ tempore ſuſtinere: ſed dabo operam, vt dolorem nonnihil mitigem? His verbis podagricus aliquantum recreatur quidem, animus autem eius non habet veram & firmam tranquillitatem. Sic et populus Dei dicere poſſet, ſe grato quidem animo accipere malorum ſuorum mitigationem: ſed ſi nõ acceſſerit vera liberatio, quid ipſo calamitoſius? Et, vt Paulus ait, ſi in hac tantùm vita ſpem in Chriſto fixam habemus, maximè miſerabiles omnium hominũ ſumus. Ad hanc ergo ſeu querelam ſeu obiectionem, ac ſimul etiam ad eam interrogationem, quæ ſuprà, de diuturnitate fœlicitatis impiorum propoſita eſt, reſpondet Pſalmus, cùm addit: Donec fodiatur impio fouea.

Obſeruabile dictum, quo docet Spiritus ſanctus, Eccleſiæ diuinitus paratam eſſe, nõ tantùm mitigationem

nem in malis, sed etiam liberationem è malis. Duo enim beneficia promittuntur & præstantur afflictæ Ecclesiæ. Alterum est, quòd Ecclesia etsi affligitur, non tamen opprimitur afflictione, sed datur ei ἔκβασις, vt possit ferre. Alterum, quòd afflictiones Ecclesiæ non sint sempiternæ, sed tantùm temporariæ: & vt maximè sint diuturnæ, non tamen sunt perpetuæ: In te DOMINE, inquit alius Psalmus, speraui, non confundar in æternum. Fieri quidem potest, vt confundar: sed fieri non potest, vt confundar in æternum. Et alius: Non dabit in æternum fluctuationem iusto. Habebit quidem iustus fluctuationem, sed non in æternum.

Porrò, si afflictiones Ecclesiæ non sunt perpetuæ, quæso te, quàm diuturnæ erunt? Vsquequo durabunt? Audi Psalmum: Donec, inquit, fodiatur impio fouea. Foueæ solent in terra effodi, & parari ad capiendos lupos & vulpes. Quæ bestiæ tantisper in gregẽ impunè sęuiunt, dũ parantur foueę, quibus capiantur. Impij autem sunt veri lupi & vulpes, imò & vrsi & leones aduersus Ecclesiã. Quare non diutius possunt in gregem Ecclesiæ grassari, quàm dum effodiatur fouea, in quam incidant, & perpetuò intereant. Sunt & foueæ, sepulchra, quibus mortui conduntur. Et mortui solent tantisper in feretro reponi, dum effodiatur sepulchrum, & obruantur terra. Impij autem sunt coram Deo verè mortui, imò iamdudum inceperunt coram eo computrescere & fœtere. Non feruntur ergò diutius super terram, quàm donec effodiatur sepulchrum eorum, vt sub terram condantur. Est & infernus fouea, atq; adeò profundissima. Vnicuiq; autem impio suus est locus, sua fouea in inferno. Quid ergò fit? Impius non potest

teſt perpetuò in Eccleſiam furere, ſed tantiſper, dum fouea eius in inferno effodiatur. Quo facto, veniet ei repentinus interitus. Habes igitur hoc dicto ſolutionem eius quæſtionis, quam ſuprà Pſalmus propoſuit. Vſquequo impíj DOMINE, vſquequo impíj gloriabuntur? Reſpondetur: Donec impijs fodiatur fouea. Habes & hoc dicto ſolutionem multarum ſimilium quæſtionum & dubitationum in cauſa afflictionum, quas impíj in hac terra pijs inferre ſolent. In Pſalm. 12. dicitur: Vſquequo DOMINE obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam à me? Et mox: Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? Reſpondetur dicto huius Pſalmi: Donec fodiatur peccatori fouea. In Abacuc quæritur: Cur taces impio conculcante iuſtiorem ſe? Reſpondetur dicto huius Pſalmi: Idcircò tacet, quia occupatur in effodienda impio fouea. Sic aliàs quæritur: Cur impíj ſunt in hoc ſeculo tamdiu fœlices, & píj infœlices? Reſpondetur dicto huius Pſalmi, hoc idcirco fieri, quòd impijs nondum ſit effoſſa ſua fouea. Multi dubitant hoc tempore, quid ſit, quòd Hiſpani tanto iam tempore impunè graſſentur in Eccleſias Germaniæ, & deſignent horrenda & abominanda quæuis ſcelera? Cur enim DOMINVS ad hæc tamdiu conniuet? cur fulmina ſua in impios non mittit, vt píj liberentur? Reſpondetur dicto huius Pſalmi: DOMINVS ideò conniuet, quia occupatur adhuc in effodienda Hiſpanis fouea. Quæ poſtquam parata fuerit, ne dubites, quin derepente, & præter omnem ipſorum expectationem in eam precipitentur. Eccleſiaſtica hiſtoria commemorat inſigne reſponſum, quod pius quiſpiam in negotio non diſſi-

Iulianus Imperator.

mili insultanti ethnico dedit. Iulianus enim Imperator, suscepto bello aduersus Persas, grauiter minatus est, se postquam reuersus esset à bello, vniuersam Christi Ecclesiam in imperio Romano deleturum. Ibi tum ethnicus quispiam impius irrisit Christianum, & interrogauit eum, Quid nunc, inquiens, agit fabri filius? Sic autem contumeliæ gratia vocabat Christum. Respondit Christianus, Fabricat, inquiens, Iuliano tuo feretrum. Nec longè pòst Iulianus periit. Hoc responsum planè illud est, quod Psalmus dicit: Foditur peccatori fouea. Impij enim non possunt diutius esse fœlices, quàm dũ fabricatur eis feretrũ, & effoditur ipsis fouea.

Sed quia suum est huius fabricationis & effossionis tempus, idcircò opus est spe & expectatione. Hinc est, quòd Spiritus sanctus toties in scriptura inculcat nobis expectandum & sustinendum esse DOMINVM, & sperandum in DOMINVM. Psalm. 26. Expecta DOMINVM, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine DOMINVM.

Psalm. 36. Expecta DOMINVM, & custodi viã eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram.

Psalm. 41. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & Deus meus.

Esa. 30. Esa. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Et iterum: Beati omnes, qui expectant eum.

Et Abacuc: Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.

Porrò autem, expectare DOMINVM, non est ignauiter stertere, & officium suum deserere: sed est primum, de clementia Dei per Iesum Christum filiũ eius bene confidere, & fidem suam promissionibus Dei confir-

confirmare. Deinde eſt inuocare nomen DOMINI ex fide Chriſti, vt nos in aduerſis conſeruet. Adhæc, eſt ſtationem ſuam tueri, & in vocatione Dei perdurare. Poſtremò eſt, aduerſa patienter & obediẽter ſine murmure & execratione tolerare, vt non quæras euaſionem impietate, ac iniquitate, ſed tantùm inuocatione nominis Dei, & obedientia vocationis eius. Hæc omnia complectitur expectatio, quæ ſi ſectati fuerimus, fieri non poteſt, quin tandem videamus foueam effoſſam, & impiorum ruinam, hoc eſt, veram noſtram liberationem. Nam expectationẽ piorum haudquaquã vanam & irritam eſſe, confirmat verſiculus, qui ſequitur: Quia non repellit DOMINVS plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquit. Hæc eſt manifeſta promiſsio de conſeruatione Eccleſiæ. Ac initiò quidem populus Iſrael dictus fuit hęreditas DOMINI, propterea quòd Deus elegiſſet præ omnibus alijs gentibus poſteritatem Abrahæ, Iſaac & Iacob, in qua conſeruarentur promiſsiones de Chriſto filio Dei vſq; ad aduentum eius. Nunc autẽ Eccleſia ex omnibus gentibus per Euangelion collecta vere dicitur hæreditas DOMINI, quòd ſit filio Dei à patre ſuo in hæreditatem tradita: Poſtula a me, inquit pater ad filium, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Promittit igitur Spiritus ſanctus in hoc verſiculo, quòd DOMINVS ſemper ſit conſeruaturus Eccleſiam ſuam, collectã partim ex carnali poſteritate Abrahę, partim ex alijs gentibus, quę ſi agnoſcunt per fidem, ſemen Abrahę, Ieſum Chriſtum, fiunt & ipſæ poſteritas Abrahæ. Itaq; pertinent etiã ad hanc promiſsionem, quæ ad Abraamum dicta eſt: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Et a-

liàs: Te elegit Deus in hæreditatem ſuam. Ex his & a-liſs id genus promiſsionibus manifeſtum eſt, quòd Ecclesia, etſi affligitur, & conculcatur ab impijs, non tamen deſeratur à Deo.

Quid ergo eſt, inquies, quòd pij, qui ſunt vera Ecclesia & hæreditas filij Dei, toties conquerantur ſe à Deo deſeri? Deus, inquit alius Pſalmus, repuliſti & confudiſti nos, iratus es nobis. Et rurſus: Tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus? Sed & caput ipſum Eccleſiæ, filius Dei, clamat: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Hîc conſiderandum nobis eſt, quòd alia ſit derelictio corporalis ſeu externa, alia derelictio ſpiritualis. Corporalem ſeu externam voco, cùm Deus pios, ſeu Eccleſiam ſuam, in externis & corporalibus afflictionibus, ac etiam in morte ſic deſerit, vt non ſeruet eos externo aliquo miraculo in hac corporali vita: ſed conniueat, vt & diutius affligantur, & tandem morte occumbant. Spiritualem autem voco, cùm Deus hominem ſeu in afflictionibus huius vitæ, ſeu in morte ita deſerit, vt in æternum pereat. Cùm igitur Scriptura aliquoties dicit, Deum deſerere populum ſuum, non eſt intelligendum, quòd deſerat eum ſpiritualiter, ſed tantùm corporaliter. Etſi enim obſcurum non eſt, quantis ſæpè miraculis Deus liberauerit populum ſuum ex periculis, & conſeruauerit eum ſaluum in hac corporali vita, tamen deſerit eum vel tandem, vt corporaliter moriatur: conſeruat autem eum ſpiritualiter, vt in morte non intereat, ſed fruatur æterna fœlicitate. Sic clamat & filius Dei, ſe à Deo deſertum, non quòd ſpiritualiter fuerit deſertus.

In

In cruce enim & morte ita conſeruatus eſt, vt nec viderit corruptionem, nec anima eius derelicta ſit in inferno, ſed reſurrexerit tertia die, magna maieſtate, à mortuis, & conſederit ad dextram Dei. Sed deſertus fuit corporaliter, quòd Deus non adiuuerit ipſum externo miraculo in cruce, vt in ea nõ moreretur, quemadmodum alias Patriarchas adiuuerat & conſeruauerat. Hanc enim eſſe ſententiam clamoris Chriſti, haud obſcurè teſtatur Pſalmus 21. è quo hæc vox ſumpta eſt. Sic enim in eo Pſalmo ſequitur: In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Hæc ſunt intelligenda de externa liberatione & ſalute. Ioſeph clamauit ad Deum in carcere, & liberatus eſt è carcere. Moſes, cum populo ſuo Iſrael, concluſus hoſtibus, montibus, & mari rubro, clamauit ad Deum, & eduxit Iſraelitas per mare rubrum ſaluos. Dauid concluſus exercitu Saulis, clamauit ad Deum, & euaſit mirabiliter. Elias capiendus à quinquagenario regis Iſrael, clamauit ad Deum, & deſcendit ignis de cœlo, ac deuorauit quinquagenarium cum ſatellitibus ſuis, vt Elias ſaluus euaderet. Tres adoleſcentes clamauerunt in fornace Babylonica, ad Deum, & Deus effecit, vt in igne illæſi ſeruarentur. Daniel coniectus in lacum leonum, clamauit ad Deum, & Deus cõcluſit ora leonum, ne Danieli nocerent. Innumera ſunt id genus miracula, quibus Deus adiuuit ſanctos ſuos in extremis periculis. Clamat igitur Chriſtus filius Dei, ſe in cruce ita deſeri, vt nullo tali miraculo diuinitus iuuetur, ſicut Patriarchæ adiuti fuerunt. Oportebat enim eum humiliari vſq; ad mortem crucis. Et tamen

men tunc maximè omnium adiutus & conſeruatus eſt ſpiritualiter, quæ conſeruatio, ſola eſt vera, ſumma & perpetua ſalus. Vide mihi Paulum, præcipuum Apoſtolum Chriſti. Datur ei angelus ſatanæ, qui cædat ipſum colaphis. Clamat igitur ter ad DOMINVM, vt mirabiliter ſeruetur. Etſi autem ſæpe alias magnis miraculis ſeruatus eſt in periculis, tamen hîc audit à DOMINO: Sufficit tibi gratia mea. Deſerit DOMINVS Paulum externa liberatione, non deſerit autem eum ſpirituali liberatione, quia pergit eum ſua gratia complecti, & mitigat ei afflictionem, & dat ei ἔκβασιν, vt poſsit ſufferre, & conſeruat eum tandem in morte, æterna vita. Hoc autem nō eſt propter Paulum tantùm geſtum & ſcriptum, ſed propter vniuerſam Eccleſiam, quemadmodum teſtatur ipſe alias: Ieſus Chriſtus, inquiens, oſtendit in me primò omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturí eſſent in ipſo, in vitam æternam. Quod igitur Pſalmus dicit: Non repellit DOMINVS plebem ſuam, & quod ad Paulum in ſua afflictione dictum eſt: Sufficit tibi gratia mea, ſentiamus ad vnumquemuis noſtrum, clamantem quidem ad Deum, & cupientem externo ſenſu ab aduerſis liberari, non percipientem autem vllam liberationem, dici. Si quis enim, exempli gratia, graui morbo laborat, aut onere paupertatis premitur, aut carcere concluditur, aut mortis periculis comprehenditur, ac inuocat Deum ardentibus votis, per Ieſum Chriſtum, vt iuuetur & liberetur, non ſentit autem vllam externi mali leuationem, cogitet DOMINVM ad preces ſuas reſpondere: Sufficit tibi gratia mea. Sis hoc beneficio contentus, quòd etſi affligeris, ac etiam morte

morte occumbis, tamen adhuc complectar te gratia mea, sum tibi clemens & misericors. Non desero, nec derelinquo meum seruum, meum filium, etiamsi connitueo, vt aduersis vexetur. Quid enim de hac re dubitares? An pater idcirco abijcit, aut deserit dilectum filium, quòd esuriat, quòd algeat, quòd doleat, quòd morbo conflictetur? Nihil certè minus. Sed potius fouet eum, & quanto minus valet filius, tanto magis pater curat, vt valeat. Existimásne Deũ esse hominibus, erga populum suum inclementiorem? Si vos, inquit, cùm sitis mali, nostis bona dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum, postentibus se. Et Psalm. 102. Quomodo miseretur pater filio suo, sic miseretur DOMINVS timentibus se. Et in Esaia: Si mater potest obliuisci infantis sui, vt nõ misereatur filij vteri sui, & ego obliuiscar tui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Huc facit memorabile illud Pauli dictũ, quod ad Romanos scribitur: Quis nos separabit à dilectione Dei, ab ea videlicet dilectione, qua Deus Ecclesiam suam complectitur? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? hoc est, Etsi affligimur, ærumnas patimur, persecutionem sustinemus, fame torquemur, nuditate algemus, periculis obruimur, gladio occidimur: hæc tamen mala non sunt tanti momenti, vt possint Deum auertere, quo minus nos propter Christũ filium suum diligat: sed quanto maiora sunt mala, tanto magis curæ ei est salus nostra. Et sequitur in Paulo: Persuasum mihi est, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, *Esa. 49.*

tia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione, qua Deus nos, propter Iesum Christum DOMINVM nostrum, complectitur. Hoc verè illud est, quod Psalmus noster dicit: Non repellit DOMINVS plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquit.

Priusquam autem ad reliqua Psalmi pergamus, de re vna adhuc admonendi sumus, videlicet, quòd Psalmus non simpliciter dicit: DOMINVS non repellit plebem: sed diserte addit suam, suam, inquam, plebem non abijcit: suam hæreditatem non deserit. Quare, si quis voluerit hoc beneficio frui, vt non repellatur, nec deseratur à Deo, etiamsi varijs incommodis conflictetur, necesse habet pars populi Dei, membrum hæreditatis seu Ecclesiæ Dei, & ouis pascuæ Dei esse. Alieni non fruentur hoc beneficio, sed tantùm domestici Dei. Quomodo ergo fiam pars populi Dei? quomodo fiam membrum Ecclesiæ Dei, & domesticus eius? Hîc nunc obseruanda est doctrina Euangelij de filio Dei. Docet enim Euangelion, quòd adoptemur in filios & domesticos Dei, non nostris meritis, sed tantùm per fidem in Iesum Christum DOMINVM nostrum. Quotquot, inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Docet etiam Euangelion, vt ex hac fide in Christum, bonos fructus feramus, & proximum diligamus. Cooptamur ergo in populum Dei, & in membra Ecclesiæ, per fidem, propter Christum, & profitemur hanc cooptationem per fructus fidei, hoc est, per inuocationem, per confessionem nominis Dei, & per charitatem erga proximum. Quòd si autem peccauerimus, &

per

per peccatum eiecti fuerimus è populo & Ecclesia Dei, reliqua est pœnitentia, qua ad populum Dei redire licet. Cauendum quidem omni studio est, ne peccemus. Sed si quis peccauerit, inquit Ioannes, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Sed hæc copiosius aliàs traduntur. Nam mentionem huius rei idcircò facere voluimus, vt ostenderemus, ad quos pertineat beneficium diuinæ curæ, & conseruationis in omnibus aduersis: & vt toto corde in hoc studium incumberemus, quo simus membra hæreditatis seu Ecclesiæ Dei: aut si per peccatum excidimus, ad Ecclesiam Dei, absq; omni mora, per veram pœnitentiam reuertamur.

Sed sequitur alia responsio ad interrogationem seu querelam, quæ in principio Psalmi posita est: Vsque quo impij, DOMINE, vsquequo impij exultabunt? Respondit enim Psalmus suprà: Donec fodiatur, inquiens, impio fouea. Nunc autem respondet secundò: Quoad vsque, inquiens, iustitia conuertat iudicium. hoc est, impij non exultabunt perpetuò, non erunt in sua impietate in æternum fœlices: sed tantisper, dum iustitia conuertit iudicium. Hæc duo vocabula, iustitia & iudicium, vbi in scriptura coniunguntur, solent ferè in forensi significatione sumi. Iustitia enim est, cùm iustus redimitur & liberatur. Æquum enim & iustum est, vt iustus defendatur, & à violentia iniustorum seruetur. Iudicium autem est, cùm impio seu iniusto infligitur supplicium. Hæ sunt duæ partes officij iusti iudicis, videlicet, vt innocentes tueatur, & nocentes

centes puniat. Hoc est facere iustitiam & iudicium. Quod Petrus & Paulus dicunt, ad laudem bonorum, & pœnam malorum. In hoc igitur seculo, cùm impij fœliciter promouent in consilijs suis aduersus pios, & cum iniusti opprimunt iustos, iudicium inuertitur, & dat quasi tergum. Postquam autem exurrexerit DOMINVS, & sederit, sicut alius Psalmus loquitur, super thronum, ac inceperit pios liberare, hoc est, iustitiam facere, tunc iustitia dicitur conuertere iudicium auersum: quia tunc impij, qui antè fœlices erant, incipiunt esse infœlices, & pro meritis suis puniuntur. Quare sicut antea exultabant impij, & insultabant pijs, cùm iudicium videbatur auersum: ita postea exultant omnes recti corde, & insultant vicissim impijs, cùm iudicium iterum conuertitur per iustitiam: Stabunt, inquit liber Sapientiæ, iusti in magna constantia.

Obseruandum autem est, quòd duplex sit iudicium Dei in impios. Alterum est, externum, mundanum, & quasi priuatum, videlicet, cùm Deus iudicat & punit impios externis supplicijs in hoc seculo, & aut dejicit eos de maiestate et fœlicitate huius seculi, in ignominiam & infœlicitatem corporalem. Quale fuit supplicium Nabuchodonosoris, qui laborauit septem annis insania: & quale fuit Herodis, occisoris Baptistæ, & irrisoris Christi, qui Herodes electus fuit è tetrarchia in exiliũ. Aut tollit impios de hac vita, non vulgari, sed horribili mortis genere. Quale supplicium fuit diluuium, incendium Zodomiticum, submersio Pharaonis in mari rubro, deuastatio vrbis Hierusalem, & id genus multa alia. Ac tali quidem iudicio solet Deus nonnunquam visitare impios, in hoc seculo, vt in secu-

ritate

ritate eorum, declaret se adhuc sedere in throno maiestatis suæ: & probet hoc argumento seueritatem suam erga impios, ac incutiat securis metum. Non solet autem omnes impios hoc modo visitare, nec hæc externa supplicia sunt extremæ pro merito impietatis satisfactiones: sed reliquum est alterum iudicium generale, in nouissimo huius seculi die. Hoc iudicium nullus impius, siue in populo Dei, siue in alijs gentibus, etiamsi à priori illo liber fuerit, & in summa tranquillitate, sicut diues ille in Euangelio, moriatur, euadere potest. Hoc iudicio omnes impij perpetuis supplicijs afficientur. Ad hoc iudiciū omnes pij in hoc mundo afflicti appellant. In hoc enim consequentur æternam ab omnibus malis liberationem.

Sed quod de hoc iudicio Dei dicitur, impij suauiter ridere, imò etiam effuse cachinnari solent. Dicunt, quod est apud Petrum: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Dicunt: Si mihi tam longinquum vindictæ terminum statuis, tunicam tibi cum pallio auferam. Obserua igitur, quòd etsi contemptores verbi Dei, rident hanc doctrinam, tamen nihil certius est, quàm quòd tale generale iudicium suo tempore, vel tandē sit venturum. Hoc testatur vniuersa diuina scriptura: hoc testantur ab initio mūdi Patriarchę, Prophetę, Apostoli, & filius ipse Dei. Hoc testātur omnes piorū afflictiones, in quibus ex hac vita tolluntur: & omnes impiorum fœlicitates, quibus ad extremum vsq; vitæ huius spiritum fruuntur. Quæ enim esset illa æquitas & iustitia Dei, quòd conniueret, vt pij in hoc mundo semper essent infœlices, impij autē semper fœlices, si non reliquum esset generale iudicium, quo hæc iniquitas

corrigeretur? Ac profecto hoc iudicium, ſi rem diligenter perpenderimus, non poteſt longè abeſſe. Etſi enim ignotum eſt nobis tempus aduentus eius, & fortaſsis fieri poteſt, vt adhuc aliquot centenarijs differatur, tamē priuatus vniuſcuiuſq; mortis dies longè abeſſe non poteſt: Dies annorum eius, inquit, ſeptuaginta anni: aut ſi multum, octoginta: & quod eximium eſt in ipſis, labor eſt & dolor. Inter priuatum autem cuiuſque mortis diem, & inter diem generalis iudicij, quātum, quæſo, temporis intereſſe putas? Non de viuentium in hac terra, ſed de mortuorum ratione quæro. Scimus quidem homines in hoc ſeculo ſuam habere numerandi rationem, & computare annos, menſes, dies, horas, & minuta horarum. Alia autem eſt mortuorum ratio. Quod enim ad hos attinet, mille anni ſunt coram ipſis, ſicut vnus dies: & vnus dies, ſicut mille anni, hoc eſt, nulla eſt temporum ratio apud mortuos, ſed omnia ſunt vnum & æternum momentum. Itaq; Petrus & Paulus, qui à Nerone, hoc eſt, annis ab hinc pluſquam mille quadringentis, occiſi ſunt, cùm excitabuntur in extremo die, non ſentient tot annos à morte ſua præteriſſe, ſed exiſtimabunt ſe iamprimum obdormiſſe: quia in altero ſeculo, in quo nunc vitam ſuam viuunt Petrus & Paulus, non eſt talis, qualis in hoc ſeculo, temporis computatio. Sciamus igitur, quòd vnuſquiſq; noſtrûm tanto duntaxat tempore à iudicio nouiſsimi diei abſit, quantum abeſt à tempore mortis ſuæ. Quantum autem, obſecro, abeſt? fortaſsis viginti annos, fortaſsis vnum annum, fortaſsis vnam hebdomadam, fortaſsis vnum diem, fortaſsis vnam tantùm horam, aut ſi quid eſt minutius. Omnia incerta. Quare in

re in hoc vnum ſtudium incumbendum eſt, vt ſine vlla dilatione præparemus nos ad iudicium Dei, hoc eſt, vt ingrediamur ſine macula, & operemur iuſtitiam, quemadmodum alius Pſalmus docet. Quis autem, inquies, coram tam ſeuero tribunali conſiſtere poteſt, cùm diuina lex exigat ab omnibus hominibus perfectam iuſtitiam. Et cùm in iudicio Dei exultent tantùm recti corde, ſicut noſter Pſalmus dicit, quis in tam corrupta natura hominum præſtaret perfectam iuſtitiam? quis poſſet gloriari ſe eſſe recto & mundo corde? In conſpectu tuo, inquit alius Pſalmus, non iuſtificatur omnis viuens. Quomodo igitur ſperabimus nos in iudicio Dei exultaturos? In hac obiectione cõſiderandum eſt, qui ſint illi recti & mundi corde, qui in iudicio Dei exultare & conſiſtere poſſunt. Nam ſi conſideraueris perfectam iuſtitiam, quam lex Dei exigit, recte dicit Pſalmus: Non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis viuens. Et: Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Quare iuxta hanc conſiderationem, vt nullus hominum habet cor perfecte rectum ac mundum, ita nullus hominum poteſt coram tribunali Dei conſiſtere. Etſi enim quædam eſt externa hominum honeſtas, tamen peccatum carni ita inhæret, vt etiam hi, qui ſpiritum Dei acceperunt, non poſsint peccatum perfecte in hac vita expurgare. Si autem conſideraueris filium Dei, Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui nobis per Euangelion offertur, ac donatur, ac per fidem accipitur, & poſsidetur, tunc omnes credentes in Chriſtum, verè dicuntur recti & mundi corde. Filius enim Dei perfectè iuſtus eſt & mundus, ac donatur credenti in ipſum, totus, cũ

omni ſua iuſtitia & mundicie. Cùm enim Deus non pepercerit proprio filio ſuo, ſed pro nobis omnib. tradiderit illum, donauit & omnia nobis cum eodem, vt Paulus ait. Et Chriſtus ipſe: Qui credit in me, inquit, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Quare ſi conſideraueris Chriſtum, homini pio donatũ, & in pio habitantem, etſi homo habet adhuc peccatũ in carne, reputatur tamen iuſtus, rectus & mundus corde, propter Chriſtũ per fidem. Hoc tantùm nobis curandum eſt, ne ſecundũ carnem, ſed ſecundum ſpiritum verſemur, & ne deſignemus peccatum vaſtans conſcientiam, vt nõ amittamus Chriſtum: ſed mortificemus ſpiritu facta carnis, & accõmodemus membra noſtra arma iuſtitiæ Deo, quemadmodum Paulus loquitur.

16. *Quis inſurget mecum aduerſus malignantes? quis ſtatuet ſe mecum aduerſus operantes iniquitatem.*
17. *Niſi DOMINE adiuuiſſes me, parùm abfuiſſet, quin habitaſſet in inferno (in ſilentio) anima mea.*
18. *Si dicebam, mouetur pes meus, miſericordia tua DOMINE ſuſtentabat me.*
19. *In multitudine triſtium mearum cogitationum, quæ intra me erant, conſolationes tuæ exhilararunt animam meam.*

Hæc eſt altera pars huius Pſalmi, in qua Dauid proponit ſuum ipſius exemplum, & docet, in ſe priuatim comprobatum eſſe, quod ſuprà generaliter de Eccleſia commemorauit, videlicet, Eccleſiam affligi quidem grauiter ab impijs, habere autem ſuam non ſolum conſola-

consolationem & mitigationem, verùmetiam liberationem. Quis, inquiens, insurgit mecum aduersus malignantes? Habet & hæc interrogatio suam emphasin, ac vehementius sonat, quàm si simpliciter diceretur: Nullus hominum, aut paucissimi iuuant me in aduersis, & pugnant mecum cum impijs meis hostibus. Hæc fuit fortuna Dauidis. Cum esset fœlix, multos numerabat amicos: postquam autem obrueretur infœlicitate, partim propter professionem piæ doctrinę, partim propter vnctionem in regem, quam à Samuele acceperat, partim propter persecutionẽ filij sui Absolomis, paucissimi erant, qui insurgerent cum ipso, aduersus hostes eius. Ac alij quidem, etsi cupiebant, non tamen poterant eum iuuare, vt Ionathas, & pauci alij. Maxima autem pars eò, quò fœlicior fortuna, inclinabat. Ad exulantem venerunt nonnulli in desertum: sed qui magis à Dauide, quàm Dauid ab ipsis, opem peterent. Postea eiectus è regno à suo filio, congregauit quidem exercitum: sed hic exercitus collatus cum exercitu Absolomis, non videbatur admodum magni momenti, quippe quòd totus Israel, vt scriptura ait, sequebatur Absolomem. Quid plura? Vt maximè Dauid habuerit adiutores quosdam homines in periculis externis & corporalibus, tamẽ in certaminibus spiritualibus, & in terroribus mortis, ac doloribus inferni, nullus hominũ potuit eũ iuuare: Pater meus, inquit, & mater mea dereliquerũt me. Quod habes in exemplo Dauidis, hoc idẽ Christus, verus Dauid, in se quoq; gestũ conqueritur. Tribulatio, inquiens, proxima est, quoniam non est, qui adiuuet. Et iterum: Extraneus

traneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Ac mox: Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Habuit quidem Christus multos assectas, cùm ederet miracula, cùm pasceret multa millia hominum in deserto, & cùm adhuc etiam Pharisæis esset venerabilis: postquã aũt tenebatur captiuus, & acclamabatur: Crucifige, nullus erat, etiam ex Discipulis, ac ijs, quos sanitati restituerat, qui pro eo vel hiscere auderet. Quod contigit capiti Ecclesiæ, hoc etiam corpori contingere solet. Quod Domino accidit, mirandum non est, vt & seruis accidat. Non enim est seruus maior Domino. Nam Ecclesia, quæ est corpus Christi, multos videtur habere amicos & adiutores, cùm à parte eius stant reges & principes, & cùm habet adhuc aliquot huius terræ facultates. Sed postquam reges & principes persequuntur eam, & versatur in maximis periculis, non est qui eam vel sereno vultu aspicere dignetur. Ac in Ecclesiam aptissimè cõpetit, quod Hieremias vrbi Hierusalem accidisse deplorat: Non est, inquiens, qui consoletur eam ex omnibus caris eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Quid igitur dicemus? Num quia Dauid deseritur in suis aduersis, ab hominibus, deseritur etiam à DOMINO Deo suo? Num quia reijcitur ab amicis, reijcitur etiam à Deo? Nihil certè minus. Nisi inquit, tu DOMINE adiuuisses me, parùm abfuisset, quin habitasset in silentio, seu inferno anima mea, quin amisissem vitam meam. Deseruerunt me homines, sed DOMINVS adiuuit me, & liberauit me ex omnibus malis. Quanquam enim tantæ erant aliquoties afflictiones, vt ego ipse confiterer,

pedem

pedem meum moueri: hoc est, me non posse consiste-
re: ac desperarem de vita, & sententiam mortis ipse in
me acciperem: tamen DOMINVS clementia sua sic
me tuebatur, vt admirabiliter, præter expectationem,
seruarer. Habui sæpè ac multùm tristissimas cogita-
tiones, & grauissimos dolores animi, in quibus nullus
hominum me consolari potuit: sed ecce, quemadmo-
dum mater, ludens cum filiolo suo, in gremio, solet eũ
suauissimè exhilarare, ita DOMINVS in medijs terro-
ribus exhilarabat me cœlestibus blanditijs. Sic & aliàs
dicit: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me,
DOMINVS autem assumpsit me. Et Christus: Ego e-
ram pauper & dolens, salus autem tua DOMINE su-
scepit me. Et Paulus: Benedictus Deus & pater DO- 2. *Corinth.* 1.
MINI nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarũ,
& Deus omnis consolationis, consolans nos in omni
afflictione nostra, in hoc, vt possimus cõsolari eos, qui
sunt in quauis afflictione, per consolationem, qua nos
ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant affli-
ctiones Christi in nobis, ita per Christum abundat &
consolatio nostra. Et mox: Nolumus vos ignorare, de
afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia, quoniam
supra modum grauati fuimus supra vires, adeò vt de-
sperauerimus etiam de vita, &c. Sic & Dauid ait: Mul-
tæ tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberat
eos DOMINVS. Quare incumbamus in hanc curam,
vt simus in societate Dauidis: hoc est, vt simus mem-
bra Christi & Ecclesiæ eius per fidem. Sic enim certò
fiet, vt si multæ contingunt nobis afflictiones terrenę,
multæ etiam contingant nobis cõsolationes cœlestes.

20. *Num adhæret tibi cathedra prauitatis, quæ instituit laborem super præceptum?*

21. *Irruunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnant.*

22. *Sed DOMINVS est refugium meum, & Deus meus, petra spei meæ.*

23. *Et reddet illis dolorem, quem ipsi alijs inferunt: & disperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: disperdet illos, inquam, DOMINVS Deus noster.*

Redit ad narrationem impietatis & crudelitatis hostium suorum, vt concludat tandem se diuinitus seruari & liberari, impios autem perpetuò interire: Num adhæret, inquiens, tibi cathedra prauitatis, quæ instituit laborem super præceptum? Iterum figurat sermonem suum interrogatione, vt faciat eum vehementiorem. Cathedra prauitatis fingens, vel instituens laborem super præceptum, est sedes, vt vocant, doctoralis, in qua deprauatur & peruertitur verbum Dei, & docentur pro verbo Dei humanæ traditiones. Fingere enim laborem super præceptum seu statutum, est prætextu diuini præcepti multos, difficiles, molestos & laboriosos cultus Dei instituere, & eos statutis Dei addere, imò hominibus, tanquam vera Dei statuta obtrudere: ex quibus conscientia non redditur tranquilla, sed vt Paulus loquitur, cauteriata, vt concipiat metum, vbi non erat metuendum. Potest & sic legi: Fingens, seu instituens laborem contra præceptum: hoc est, instituens sacra contra verbũ Dei. Omninò enim hîc fit sermo de institutione humanarum traditionum, aut sacrorum cultuum, qui humana prudentia confinguntur,

guntur. Nam impij hypocritæ ſolent inſtituere ſacros cultus Dei, prætextu quidem verbi ſeu præcepti Dei, ſed confictos humana prudentia, & quorum vſus eſt aduerſus verbum ac præceptum Dei. Exempli gratia: Sacrificare aut adolere incenſum Deo, fuit in Moſe ſtatutum verbi Dei, quemadmodum liber Leuiticus teſtatur. Impij igitur agnouerunt hoc ſtatutum Dei, & addiderunt ſuam traditionem. Inſtituerunt enim, vt in gloriam nominis Dei ſacrificaretur in excelſis, in nemoribus, & ſub omni ligno, vt ſcriptura loquitur, frondoſo. Hæc traditio videtur quidem ex verbo Dei ſumpta eſſe, ſed eſt inſtituta contra verbum Dei, & cedit in impium abuſum. Primùm enim manifeſtum extabat verbum DOMINI, Deuter. 12. Non offeras holocauſta in omni loco, ſed in eo quem DOMINVS Deus tuus elegerit. Et: Non addas quicquam, nec minuas. Non declines, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram. Deinde hic cultus in excelſis erat occaſio deſerendi veri & legitimi cultus, lege DOMINI in templo inſtituti. Poſtremò ſentiebant hypocritę, hunc cultum eſſe verè expiationem peccatorum ſuorum. Itaq́, quod pertinebat ad ſolum ſacrificium ſeminis Abrahæ, hoc eſt, Ieſu Chriſti, hoc impiè transferebatur in ſacrificia excelſorum. Quare hæc traditio, etſi videbatur inſtituta ex verbo Dei, ad gloriam nominis Dei: tamen rectè conſiderata, deprehenditur verè impia, & contra verbum Dei confícta. Aliud. Verbum Dei eſt: Sancti ſeu mundi eſtote, quia ego ſanctus ſum, dicit DOMINVS. Et: Mundamini, qui fertis vaſa DOMINI. Ex hoc & aliis id genus ſtatutis Dei nata eſt traditio Phariſaica, quæ extat

Matthæi decimoquinto, de lauatione manuum, ante esum panis. Et Matthæi vigesimotertio, de lauationibus poculorum & patinarum. Hæc traditio videtur per se non solùm tolerabilis, sed etiam verbo Dei de sanctitate & munditie consentanea. Sed profectò pugnat cum verbo Dei. Primùm enim obscurat veros Dei cultus, traditos verbo Dei, de vera & spirituali munditie, vt homines decepti & occupati externa huius operis specie, sectentur corporalem tantùm munditiem, & veram ac spiritualem negligant, adeoq; fieri solet, quod Christus ex Esaia concionatur: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cor autem eorum procul abest à me: sed frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Deinde hæc traditio, dat occasionem, vt non solùm spiritualis mundities negligatur, verùmetiam vt ista corporalis habeatur pro vera, legitima, & coram Deo sufficienti ac perfecta sanctificatione. Hæc est manifesta impietas, constans sumptu & labore, & conscientiam magis turbans, quàm coram Deo pacificans. Aliud, Statutum Dei est, orandum esse: Orate, inquit, ne intretis in tentationem. Et: Oportet semper orare, nec defatigari. Hinc nata est traditio de oratione, seu precibus horarum canonicarum, in monasterijs & collegijs sacrificulorum. Nihil nunc dicam de impijs precibus, & mendacibus legendis, quæ his horis canonicis, de inuocatione mortuorum admixtæ sunt: sed loquor tantùm de ijs, in quibus omnes Psalmi, Lectiones & Orationes è scriptura sumptæ sunt. Habet igitur hæc traditio magnam speciem, perinde ac si esset sacratissimus Dei cultus, & verbo Domini approbatus: sed vt constat

magno

magno sumptu & labore, ita pugnat verè cum verbo Dei. Primùm enim verbum Dei non alligat preces ad certum tempus, sed vult eas quouis tempore liberè obseruari. Hæc autem traditio alligat preces ad certum tempus, & dicit neglectionem earum in tempore suo definito esse peccatum mortale. Pugnat igitur cum verbo Dei, quod Paulus concionatur: In libertate, inquiens, qua Christus vos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Deinde lectio sacræ scripturæ, Psalmi, & precationes, sunt diuinitus in hunc vsum instituta, vt ex his erudiamur ad timorem Dei, ad fidem in Christum, ad charitatem, ad patientiam, & ad reliquas virtutes. Traditio autem de septem horis canonicis non hoc agit, vt erudiamur in his veris cultibus Dei, sed exigit opus ipsum pro cultu: & iudicat sibi satisfactum, si verba, quamuis nec à recitatore, nec ab auditore intellecta, commemorentur. Cùm igitur hic cultus non sit hoc modo diuinitus institutus, sed ab hominibus excogitatus, pertinet ad illum ordinem cultuum, de quibus Christus ait: Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Postremo cultus horarum canonicarum, vsurpari solet pro expiatione peccatorum coram Deo, & pro salute humani generis. Institutores enim harum horarum perspicuè profitentur, se hunc cultum instituere pro salute & redemptione animarum suarum, & omnium suorum amicorum. Hæc autem est impietas, pugnans cum fide in Christum, qua sola propter Christum consequimur remissionem peccatorum, & salutem animarum. Quare cultus horarum canonicarum, est contumelia nominis Dei, tantùm abest, vt sit gloria eius. Aliud, Statu-

tum, seu institutio Christi filij Dei est, cœna Dominica: & diuinitus commendata nobis sunt oratio Dominica, & lectio sacræ scripturæ. Ex his conflata est per humanam traditionem Missa Papistica. Etsi enim initio Missa non constabat tot partibus, & erat quoq; libera ordinatio, qua sanctificaretur & dispensaretur cœna Domini, in Ecclesia: postea tamen à Pontificibus ita aucta & inuersa est, vt tandem nasceretur hoc opus, quod in Papistica Ecclesia summum & sacratissimum habetur: nec maneret amplius cœna Dominica, hoc est, Sacramentum, quod Ecclesiæ ad confirmandam fidem suam dispensaretur: sed fieret sacrificium, quod Deo exhiberetur, et quo meritũ passionis Christi, singulis iuxta arbitrium sacrificuli applicaretur, adeoq; esset sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum. Hic est autem impius abusus cœnæ Dominicæ, & lectionis sacræ scripturæ, atq; precationum. Quanquam enim cœna Dominica sumenda est cum gratiarum actione, ideoq; dici possit sacrificium laudis, sicut alia bona opera: tamen non est instituta à Christo, vt oblatione corporis Christi, quæ fiat Deo à priuato sacrificulo: sed vt dispensatiõe, quæ fiat à publico Ecclesiæ ministro: & sumptione, quæ fiat ab vnoquouis pio, seu membro Ecclesiæ, applicetur ei meritum Christi, & accipiatur ab eo per fidem. Applicatio enim meriti Christi non fit oblatione Papisticorum sacrificulorum, sed fit prædicatione Euangelij de Christo, & dispensatione Sacramentorum, quæ per fidem accepta, afferunt remissionem peccatorum, & vitam æternã, propter Iesum Christum DOMINVM nostrum: Ite, inquit, in vniuersum orbẽ, & prędicate Euãgelion omni

omni creaturæ. Qui crediderit(Euangelio)& baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et: Euangelion eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et: Accipite,edite,hoc eſt corpus meũ Bibite ex hoc omnes. Quare,cùm Miſſa Papiſtica,nec ſit prędicatio Euangelij,nec diſpenſatio cœnę Dominicę, ſed oblatio à ſacrificulis conficta, non conuenit cum inſtitutione Chriſti,ſeu verbo Dei, nec confirmat fidẽ,ſed pugnat cum verbo Dei,& abducit à vera fide in idolatriam. Primùm enim,manifeſtũ eſt, quòd opus Miſſæ Papiſticæ non ſit inſtitutum à Chriſto,ſed conſutum à Pontificibus, ex multis partibus.Hoc igitur opus, eſt cultus humana traditione excogitatus, & pertinet ad eum ordinem ſacrorum, de quibus Chriſtus ait: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas,præcepta hominum. Deinde,in Miſſa Papiſtica, non fit diſpenſatio, ſicut Chriſtus inſtituit: ſed fit oblatio corporis & ſanguinis Chriſti, quod Chriſtus non inſtituit,ſicut paulo antè diximus. Poſtremò,cùm opus Miſſæ habeatur pro organo,quo applicetur meritum Chriſti, viuis & mortuis,obſcurat, ac etiã,quantum in ipſo eſt,tollit ex Eccleſia prædicationem Euãgelij Chriſti, & diſpenſationem ac ſumptionem cœnæ Dominicæ, quibus verè fit applicatio meriti Chriſti. Obſcurare autem, vel tollere hæc ex Eccleſia Chriſti, eſt impiũ eſſe in Chriſtum, & conari opprimere ac delere Eccleſiam Chriſti. Quare nihil vnquam magis impium in Eccleſia Dei vſurpatum eſt, quàm traditio & obſeruatio Miſſæ Papiſticæ. Poſſem id genus multas alias traditiones commemorare. Sed hæc nunc exempli gratia ſufficiant. Talibus igitur humanis traditionibus & doctrinis Pſalmus noſter tribuit tres memo-

rabiles

rabiles conditiones. Vna est, quòd vocet eas cathedram prauitatis: hoc est, doctrinam deprauantem & peruertentem verbum Dei, quemadmodum exemplis iam demonstratum est. Secunda, quòd vocet eas laborem, quia sacri cultus humanis traditionibus instituti, non solùm constant magno sumptu & labore: sed etiam afferunt conscientię molestias, dum ea maiorem dubitationem de clementia Dei post se relinquunt, quo diligentius & sollicitius peraguntur. Tertia, quòd institutores & tutores harum traditionum, sunt viri sanguinum & homicidæ: Irruunt, inquit, seu vt Hebręus propriè habet: Accingunt se ad prælium, colligunt exercitum aduersus animam iusti, & condemnant innocentes tanquam impios. Quos enim cultus impij hypocritæ excogitant & instituunt, eos etiam armis defendunt, & reprehensores tanquā impios trucidāt. Exempla habes in regibus, pontificibus, & sacrificulis Israelitarum, erga Prophetas, in principibus Persarum erga Danielem, in Pharisæis erga Christum & Apostolos: & hoc tempore, in pontificibus ac satellitibus eorum, ac tutoribus Papisticarum Missarum, erga eos qui Euangelion Christi synceriter in Ecclesia docent. Cùm enim ab initio satan sit mendax & homicida, fieri non potest, quin quos mendacijs impietatum suarum captiuos tenet, faciat etiam ex ipsis viros sanguinum & homicidas. Sed ecce mihi rem mirandam. Etsi enim institutores & tutores humanarum traditionum ac impietatum, sunt mendaces & homicidæ, seu vt scriptura loquitur, dolosi & viri sanguinum, ideoq; grauissimè aduersus Deum peccant: tamen in institutis suis sunt adeò fœlices, vt videantur Deo, tanquam

consociati, adhærere: & habeantur non solùm populus seu Ecclesia Dei, verùmetiam summa capita & principes Ecclesiæ. Et contrà, verè pij sunt adeo infœlices, vt videantur prorsus à Deo abiecti, & indigni, quos terra ferat. Quid ergo dicemus? Num, quemadmodum in oculis hominum impij videntur Deo adhærere, & cum Deo coniuncti, pij autem à Deo abiecti, & damnati esse, sic etiam videntur in oculis Dei? Nihil minus. Nunquid adhæret, inquit, tibi cathedra prauitatis? Non certè adhæret. Sed ego potius adhæreo DOMINO, illi autem sunt abiecti. DOMINVS enim meum est refugiũ, & Deus meus, petra spei meæ. In terris non patet mihi vllum asylum, ad quod in tantis aduersis me tutò recipiam. Ad cœlum igitur propero, ibi DOMINVS est mihi tutissimum asylum, refugium & præsidium. In terris, nullam inuenio petram, in qua consistam: nullam arcem, in quam tutò me in tantis periculis conferam. In cœlum igitur conscendo. Ibi inuenio DOMINVM, petram & arcem, qua & cõfidere, & perpetuò conseruari possum. Sic & Psalm. 17. dicitur: Diligo te DOMINE, fortitudo mea, DOMINVS firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Significat autem Dauid his epithetis, quæ tribuit DOMINO Deo nostro, quòd speret DOMINVM Deum non solùm mitigaturum aduersa sua: verùmetiam liberaturum ipsum ab omnibus aduersis, vt fruatur perpetua fœlicitate. Sed facilè, inquis, fuit Dauidi profiteri, DOMINVM esse refugium suum, & petram, qua confidat, propterea quòd Dauid fuit rex

Deo acceptiſsimus, & Propheta Spiritu ſancto ornatus. Ego verò ſum homo miſerrimus, nullo inſigni vel corporali, vel ſpirituali dono illuſtris. Et præterea cõſcius mihi ſum plurimorum & maximorum peccatorum. Quomodo igitur poſſum ad DOMINVM, tanquam ad refugium, ad aſylum, & ad petram meam cõfugere? Aut quid faciam, vt poſsim de Deo, idem quod Dauid, ex animo mihi polliceri? Sic humanus animus naturaliter dubitat de clementia Dei, quòd etſi concedit, Deum alijs hominibus, quos videt magnis donis inſignitos, propitium eſſe: negat tamen ſeipſum, tam multis miſerijs deformatum, Deo curæ eſſe. Hoc inde adeò accidit, quòd homines non rectè ſentiunt de Deo, & clementia eius: ſed exiſtimant eum in electione hominum, eſſe reſpectorem perſonarum & meritorum. Quare diligenter perpendendum eſt, quæ ſit vera ſalutis noſtræ ratio, vt huic dubitationi medeamur. Initiò enim non eſt ſentiendum, quòd inter homines, alter ſit natura ſua altero coram Deo iuſtior & ſanctior. Vniuerſum enim humanum genus, ab Adamo propagatum, vna eſt maſſa, peccato ſic fermentata, vt ſinguli homines æqualis ſint coram Deo corruptionis & cõdemnationis. Non enim minus peccati Iacob quàm Eſau, Dauid quàm Saul, Petrus quàm Iudas, in ſui cõceptione ab Adamo, quaſi hæreditate ſuſcepit: In conſpectu tuo, inquit Pſalmus, non iuſtificatur omnis viuens. Et: Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Et: Omnis homo mendax. Item: Omnes declinauerunt, nõ eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Et Paulus: Propter vnum hominem peccatum in mundum introijt. Et: Per vnius delictum

delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Ac rursus: Eramus natura filij iræ. Quare Deum fuisse refugium Dauidis, & petram spei eius, non ex eo venit, quòd Dauid fuerit naturaliter sanctior aut iustior alijs hominibus. Deinde, promissio de Christo filio Dei, expiatore peccatorum, & reconciliatore humani generis, ac seruatore, non est vni tantùm homini, aut vni tantùm genti proposita, sed pertinet ad omnes gentes & homines. Etsi enim singulariter promissum fuit Dauidi, quòd ex ipsius familia Christus esset nasciturus, tamen beneficia Christi pertinent ex æquo ad omnes homines, inter quos is accipit beneficia Christi, & fruitur eis, non qui hoc meretur propris suis virtutibus, sed qui accipit Christum per fidem: In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Et: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis credit in eum. Et: Omnis, qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes se. Quare qui verè credit in Christum, non minus acceptus est Deo, & reputatur coram eo iustus propter Christũ, quàm Dauid acceptus et reputatus fuit. Sed Dauid, inquies, multa bona opera fecit. Rectè, idẽ & nobis faciendũ est, vt Christum per fidem acceptũ retineamus, & Deo gratos nos pro beneficijs suis exhibeamus. Ac si peccauerimus, resipiscendũ est. Non enim benè conueniunt, nec in vna sede morantur, regnum Christi, & regnum peccati. Bona autem ope-

ra Dauidis, non fuerunt ea merita, propter quæ coram Deo iustus reputatus est, & propter quæ Deus fuit refugium, & petra spei eius. Quia etsi Dauid fecit multa bona opera, ex verbo DOMINI, tamen habuit adhuc multum peccati in carne, propter quod bona eius opera fuerunt vitiata, & designauit etiam multa horrenda peccata, externis factis. Propter quæ omnia necesse habuit, ad solam clementiam Dei in Christo promissam, fide sua confugere, & per fidem, ex solo Christo, iustitiam & salutem reportare. Vnde in alio Psalmo prouocat omnes homines, suo ipsius exemplo, ad spem & inuocationem. Exquisiui, inquiens, DOMINVM, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum, quasi dicat: Ego meo exemplo iubeo omnes homines benè sperare, & Deum ex fide inuocare, quia ego eram hominum miserrimus, & peccatorum maximus. Cùm autem inuocarem Deum ex fide, nõ meorum meritorum, quorum nulla mihi erant, sed misericordiæ in Christo promissæ, exaudiuit me. Quomodo igitur non exaudiret alios, similiter Deum ex fide inuocantes? Et Iacobus ait: Orate pro vobis inuicem, vt sani sitis. Multum enim valet deprecatio iusti efficax. Elias homo erat similiter obnoxius affectionibus vt nos, & precatus est, &c. Et Paulus: Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Sed in me primò exhibuit omnẽ clementiam in exemplũ, &c. Quare si agnitis peccatis verè in Christum credimus,

& vos

& vocationi Dei ex fide ſeruimus, non minus, quàm Dauidis, erit DOMINVS Deus, refugium noſtrum, & petra ſpei noſtræ, ad quæ nos in omnibus aduerſis, fide & inuocatione noſtra, propter Chriſtum tutò conferamus. Atq; hæc quidem de Dauidis & omnium piorum ſalute. Quid autem fiet de impijs? Reddet illis, inquit, dolorem ſeu luctum, quem alijs ſolent inferre: & diſperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: diſperdet illos, inquam, DOMINVS Deus noſter. Hoc eſt non tam perſpicuum, quàm horribile iudicium aduerſus impios latum. Sunt aliquandiu fœlices, & non cogitant, niſi piorum internecionem: ſed temporalis illa fœlicitas cedit ipſis in æternam infœlicitatem: & quod alijs malum cogitant, hoc ipſis diuinitus infertur. Diſperdet, inquit, eos afflictione. Et ne quis dubitet de firmitate & certitudine huius iudicij, repetit idem ſecundò: Diſperdet illos DOMINVS Deus noſter. Homines ſunt partim impotentiores, partim remiſsiores, quàm quòd poſsint aut velint ſatis ſupplicij inferre impijs. DOMINVS igitur Deus noſter, qui eſt & omnipotens, & ſeueriſsimus impietatis vltor, ipſe inferet impijs ſupplicium: idq; haudquaquam momentaneum, ſed perpetuum. Hæc ſententia aduerſus impios lata, ſæpè in ſcriptura, ac præſertim in Pſalmis repetitur. Ecce, inquit Pſalmus, parturit iniuſtitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & offodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in verticẽ eius iniquitas ipſius deſcendet. Et iterũ: Iniuſti diſperibunt, ſimiliter reliquię impiorũ interibunt. Ac rurſus: Virũ ſanguinũ & doloſum abominabitur DOMINVS. Et a-

liàs: Tu deduces eos in puteum interitus. Viri sangui num & dolosi non dimidiabunt dies suos. Cùm igitur hoc sit certissimum iudicium impiorum, cur offensus eorum fœlicitate, abnegares verbi Dei veritatem, & deficeres à pietate ad impietatem? Docet scriptura a liàs, impios exaltari, nõ quòd iustam habeant causam, sed vt grauiori casu ruant. Deiecisti eos, inquit alius Psalmus, dum alleuarentur. An non & fur è cruce su spendendus, in altum ducitur? Ducitur autem in al tum, non vt commendetur ob iustitiam, sed vt ex la queo deñciatur propter iniustitiam. Sic & impij glori ficantur in hac terra, non quòd impietas approbetur, sed vt propter impietatem æterna ignominia affici
Hier.12. antur. Hieremias dicit: Impios congregari seu sagina ri ad victimam vel occisionem. Nam quemadmodum patresfamilias saginant porcos, non quòd delecten tur vita huius tam immundæ bestiæ, sed vt præparent eos lanio ad occisionem, & ad cibum familiæ: ita De us saginat impios multa fœlicitate huius seculi, non quòd delectetur impietate eorum, sed vt tradantur sa tanæ dilaniandi, & perpetuò mactandi. Fugiamus igi tur impietatem, vt & iudicium eius euadamus. Secte mur autem pietatem, vt DOMINVS sit refugium nos strum, & petra spei nostræ.

VSVS HVIVS PSALMI.

Habes qualemcunq; Psalmi huius explicationem. Reliquum nunc est, vt hunc Psalmũ toto pectore cõ plectamur. Multa cõtinentur in eo obseruatu digniss sima. Sed hoc insigne est, quod ait: Beatus vir, quem tu erudie-

erudieris,& docueris de lege tua, vt capiat tranquillitatem seu mitigationem à diebus malis, donec fodiatur impio fouea. Et mox: Donec iustitia conuertat iudicium. Et post hoc: Omnes recti corde exultabunt. Docet enim pios affligi quidem in hoc seculo, sed Deum precipuè duo promittere. Alterum,quòd velit piorum afflictiones,dum adhuc præsentes sunt,& sentiuntur,mitigare,ac euentum dare,vt ferri queant. Alterum, quòd velit postremò afflictiones omnino à pijs tollere, & ita eos liberare, vt nullam in æternum amplius sentiant afflictionem, sed fruantur perpetua fœlicitate. Quid ergo nunc habes, quod conqueraris? Quid habes, quod metuas? & ad quod cohorrescas? Si propter piæ doctrinæ professionem, quæ non tàm verbis,quàm factis fieri debet,imminent aduersa, nullum,si velis,accipies incommodum. Aut enim,diuina clementia, non accident: aut, si acciderint,certissima est primùm quidem mitigatio, vt ferre queas: deinde etiam liberatio, vt per leuem & momentaneam afflictionem consequaris æternum pondus glorię. Hæc tibi Dauid,& rex, & Propheta, legatione Dei fungens, in hoc Psalmo adnuntiat. Si captiuus esses,& accederet ad te potentissimus quispiam princeps,qui non solùm institueret tecum colloquium, verùmetiam polliceretur clementissimè,ac fidem quoq; daret,se effecturum, vt statim mitigetur captiuitas, & paulo post captiuitate omninò libereris, quantum consolationis acciperes? quantum animo gestires? Et tamen humana promissio fallere potest. Nunc autem, en accedit, hoc Psalmo, ad te afflictum, non vulgaris quispiam princeps, sed rex: non profanus quidem homo, sed

Prophe-

Propheta: qui non affert humana quædam somnia, sed diuina oracula: & plenus Spiritu sancto promittit tibi, nomine Dei, auxiliū in aduersis, & liberationem ex aduersis. Quid ergo adhuc sollicitus es? quid tibi adhuc deesse conquereris? Beatos iudicamus Patriarchas & Prophetas, quòd habuerint collocutores angelos. Beatā dicimus Mariā virginē, quòd dignata sit colloquio archangeli Gabrielis. Beatos Pastores, quòd audiuerint angelos natiuitatem Christi adnuntiare. At profectò, non est mediocris pars beatitudinis, mutua habere cum angelis, spiritibus tam sanctis, colloquia. At quoties sumis in manus hunc aut alium Dauidis Psalmum, toties sentias ad te accedere, & tecum colloquium instituere Dauidem, qui tantò maior est angelis, quantò administratorij spiritus minores sunt ijs, propter quos in ministerium emittuntur. Et vt aliquid amplius dicam: Si angeli te accederent, & aliud tibi, quàm Dauid in hoc Psalmo, adnuntiarent, habendi essent pro anathemate, tantùm abest, vt essent audiendi. Quanto igitur præstat colloquium Dauidis, colloquio angelorum? Magna est hominum, curiositásne dicam, an incredulitas. Parùm fidei habent homini adhuc corām in carne existenti, & de cœlestibus rebus differenti. Heus tu, inquiunt, quando descendisti de cœlo? Cupiunt, quod diues in tormentis tartari ab Abrahamo petit, vt Lazarum ad fratres suos mittat. Si quis, inquiens, ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Sed huic curiositati medetur Spiritus sanctus, cùm dat nobis in manus Psalterium Dauidis. Quoties enim suscipis Psalmum Dauidis legendum, toties venit ad te Dauid ex mortuis, imò ex sinu Abrahę, imò ex sinu Christi,

sti, & adnuntiat tibi, quæ Deus te scire, cognoscere & certissimè credere voluerit. Quòd si Dauidi sic venienti non adhibes fidem, certè nullam adhiberes fidem, etiamsi totus Angelorũ, Patriarcharum, Prophetarũ, & Apostolorum cœtus tibi coràm concionaretur. Putásne, sine singulari Dei cura & prouidentia factum esse, quòd Psalmi Dauidis tot annis conseruati, & ad nos vsq; propagati sint? Numerantur iam à Dauide plusquam duo millia annorum, & quingenti, ex quo Spiritus sanctus Dauidem ad tradendos posteritati Psalmos suos excitauit. Et hi conseruati sunt, tanto tempore, tot eluuionibus, tot bellis, tot incendijs, tot rerum omnium in terra mutationibus. Nullum ædificium, nullum regnum, nulla monarchia tot annis in terra constitit. Omnia hæc fuerunt, non mutationi tantùm, verùmetiam internecioni obnoxia. Psalmi autem Dauidis in tot ac tam varijs humanarum rerum casibus reliqui & salui manserunt. Quod certè argumentum est haudquaquam obscurum, hunc Dauidicorum Psalmorum librum singulari consilio Spiritus sancti nobis traditum & commendatum esse, vt voluntatem Dei ex eo perspicuè perciperemus. An non Petrus, cùm iam recens Spiritu sancto donatus esset, ad Psalmos Dauidis, in prima sua concione properat? & è Psalmo Dauidis testimonium resurrectionis Christi allegat? Quid? Christus ipse filius Dei, postquam resurrexisset a mortuis, etsi erat in gloria & maiestate patris sui, suscipit tamen Psalmos Dauidis interpretandos, quemadmodum Lucas testatur. Hoc est luculentum testimonium, Dauidem afferre nobis cœlestem doctrinam, & colloquium eius, quod nobiscum in Psal-

mis ſuis inſtituit, eſſe verè diuinum oraculum. Quare, ſi in afflictione, aut alijs rebus tenemur deſiderio cognoſcendæ voluntatis Dei erga nos, non eſt nobis opus, vt aſcendamus in cœlum, aut curramus trans mare, ſed prope nos, in manibus noſtris ſunt Pſalmi Dauidis: hos amemus, hos legamus, in his dies noctesq; meditemur. Quod cùm faciendum ſuſceperimus, non ignaui ſtertamus, ſed expergiſcamur, & circumſpiciamus. Non ſoli ſumus, cùm Dauidis Pſalmum recitamus, ſed accedit ad nos in conclaue noſtrum Dauid, rex regia maieſtate ornatus, & Propheta Spiritu ſancto comitatus. Quòd ſi angeli, quos certò ſciremus eſſe angelos, nos accederent, & nobiſcum colloquium inſtituerent, quanta, quæſo, veneratione, quanta fide, verba eorum exciperemus? Sed hoc officium multo magis debemus Dauidi, quòd filius ipſe Dei non remiſerit nos ad nouas angelorum apparitiones, ſed ad veteres Dauidis Pſalmos intelligendos, & commemorandos, vt ex ipſis & voluntatem Dei cognoſcamus, & fidem noſtram, qua & iuſtificamur & ſeruamur, confirmemus, Amen.

Pſalmus

Psalmus 95.

Venite exultemus DOMINO, iubilemus, &c.

GEns Hebręa, seu posteritas Abrahæ, iam olim selecta est diuinitus, vt non solùm acciperet in hęreditatem terram Cananæam, & instituere in ea regnum & sacerdotium, verùmetiam, vt ex ea gente nasceretur Christus filius Dei, qui superata morte, tutos nos redderet à morte, & conferret in nos æternam vitam & fœlicitatem. Ac consecuti quidem sunt, post varios casus, & multa rerum discrimina possessionem terræ Cananeæ, & commorati sunt in ea multo tempore, ac habitarunt in ea sub vite quisque sua, & ficu. Cùm autem in plenitudine temporis venisset Christus filius Dei, vt ipsos à mortis iniuria vindicaret, & in possessione æternæ vitæ ac fœlicitatis collocaret, tantùm abest, vt eum agnoscerent, & in eum crederent, vt etiam eum crucifigerent, & de terra viuentium tollerent. Quod hinc adeò accidit, quia non venit in sublimitate maiestatis mundanæ, sed in humilitate exinanitionis: nec videbatur respondere expectationi ipsorum, sed potius omnem eorum expectationem frustrare. Suscipit igitur Spiritus sanctus in hoc Psalmo Christũ DOMINVM nostrũ celebrandũ, & Ecclesiã, siue illam Hebręorũ, siue hanc Gentium, cohortandam, vt Christum DOMINVM nostrum, nihil humili-

tate eius, & abiecta externa ſpecie offenſi, amplectantur, & in eum credant. Etſi enim videturhomo, iuxta externam ſpeciem, contemptus, tamen ſi explicueris eum, eſt DOMINVS Deus magnus, & rex ſuper omnes deos, qui ſit adorandus, & in omnem æternitatem colendus.

1. *Agitedum, exultemus DOMINO, iubilemus petræ ſalutis noſtræ.*
2. *Accedamus ſub conſpectum eius cum gratiarum actione, & in Pſalmis iubilemus ei.*

Hi duo verſiculi ſunt propoſitio exhortationis. Agite, vniuerſa Eccleſia, tam vetus, quàm noua, exultemus DOMINO noſtro Ieſu Chriſto, iubilemus petræ ſalutis noſtræ, accedamus in conſpectum eius, cum gratiarum actione, & cum Pſalmis: nulla hîc ſit animi mœſtitia, nulla anguſtia, ſed omnia perſonent in conſpectu Dei laudibus, iubilis & canticis. Tribuitur autem Chriſto epitheton petræ, quod eſt tàm in Prophetícis, quàm in Apoſtolicis ſcriptis vſitatum: Erit vobis, inquit Eſaias, in ſanctificationem, in petram autem ſcandali duabus domibus Iſrael. Et Paulus: Petra, inquit, erat Chriſtus. Nec immerito reportet hoc cognomen, quòd qui eo confidunt, non pudefiant. *Eſa.8.*

Sed audiamus nunc rationes, quæ nos mouere debeant, vt exultemus Chriſto DOMINO noſtro, & celebremus gloriam nominis eius.

3. *Quoniam Deus Magnus DOMINVS, & rex Magnus ſuper omnes deos.*

Prima ratio, cur Chriſtus ſit laudandus, & celebran-

dus:

dus: quia Christus, inquit, non est simplex homo, nec est tantùm angelus, sed est Magnus ille Deus Iehoua, adeoq; Magnus super omnes deos. Non excellit tantùm Heroës, non tantùm angelos, sed excellit etiam omnes deos. Etiamsi, inquit Paulus, sunt, qui dicantur Dij, siue in cœlo, siue in terra, (quemadmodū sunt multi Dij, et multi Domini) siue iuxta Ethnicorum sententiam, siue iuxta vulgarem opinionem, qua etiam magistratus & iudices dicuntur Dij, & reges ac patresfamilias, dicuntur Domini: nobis tamen vnus est Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Et vnus est DOMINVS Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Et paulo pòst: Nullus per Spiritum Dei loquens, dicit Anathema Iesum, & nemo potest dicere DOMINVM Iesum, nisi per Spiritum sanctum. Diuisiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Quare, siue consideraueris Christum secundum diuinitatis essentiam, Deus magnus est, & rex super omnes deos, siue intuearis eum secundum suam humanitatem, assumptus est in eandem personam, cum filio Dei, & cōsedit ad dextram Dei patris. Itaq; etiam hoc modo, est rex magnus super omnes deos, quòd sit collocatus supra omnē principatum ac potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùm etiam in futuro, & omnia sint subiecta sub pedes illius.

1. Cor. 8.

1. Cor. 12.

Ephes. 1.

4. *Quoniam in manu eius sunt abscondita terræ, & altitudines montium ipsius sunt.*

5. *Quia ipsius est mare, & ipse fecit illud, & Aridam manus eius formauerunt.*

Secunda ratio, cur Christus sit laude celebrandus: Quia Christus (inquit) est creator, conditor & administrator omnium rerum. In manu eius sunt tam abscondita, quàm conspicua terræ, tam infima, quàm suprema, tam metalla, quæ sunt in terræ visceribus, quàm arbores, quas producunt montium sublimitates. Mare quoq; et Arida, hoc est, terra, sunt Christi DOMINI nostri creatura. Etsi enim, quo tempore mundus est conditus, Christus nondum assumpserat humanam naturam, tamen ὁ λόγος erat in principio, ac omnia per ipsum facta sunt, nec sine ipso factum est quicquam. Et postquam assumpsit in plenitudine temporis hominem, in eandem personam, euexit eũ in tantam Maiestatem, vt simul etiam fecerit ipsum omnium rerũ creatorem & seruatorem: Sciat, inquit Petrus, tota domus Israel, quòd DOMINVM & Christũ fecerit Deus, hũc Iesum, quem vos crucifixistis. Quemadmodum ergo ante incarnationem Christi, sine λόγῳ nihil factum aut creatum est, ita post incarnationem absq; hoc homine, quem ὁ λόγος in vnitatem personæ accepit, nihil nec fit, nec creatur. Quid igitur faciamus? quomodo nos erga tantam maiestatem geramus?

Actor. 2.

6. *Venite (ergo, inquit) adoremus, genua flectamus, & procidamus coram DOMINO, qui fecit nos.*

Cùm tanta sit Maiestas Domini nostri Iesu Christi, quòd non sit homo tantùm, sed etiam verus sit Deus,

Deus,& DOMINVS,& Conditor, & Rex noſter, reliquum eſt, vt exhibeamus etiam ei diuinum honorem. Adoremus eum,procumbamus ante eum,& præſtemus ei illa officia, quæ decet præſtari conditori & ſeruatori noſtro.

7. *Quia ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.*

Tertia ratio,cur Chriſtus ſit omnibus officijs colendus,quia non tantùm eſt Deus noſter, creator, ſed etiam paſtor noſter,hoc eſt, tutor,conſeruator,& redemptor noſter:Ego ſum, inquit,paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus.

Hodie, ſi vocem eius audieritis:

8. *Nolite obdurare corda veſtra, vt contigit in Meriba, & in Maſſa,in deſerto.*

Poſtquam deſcripſit DOMINVM Chriſtum,& hortatus eſt,vt eum adoremus & colamus, nunc hortatur, vt vocem, hoc eſt, Euangelion eius audiamus, & fide percipiamus. Suſcipit autem Epiſtola ad Hebræos, capite tertio & quarto,hos verſiculos diligenter & copiosè interpretandos. Ac primùm,ſignificat, autorem huius Pſalmi, non eſſe ſomniatorem quendã hominem, ſed Spiritum ſanctum. Sicut dicit, (inquiens) Spiritus ille ſanctus: Hodie, ſi vocem eius audieritis,&c. Deinde, docet hunc Pſalmum, non niſi de Chriſto DOMINO noſtro intelligendum: Exhortemini vos inuicem quotidiè,quoad appellatur dies hodiernus,

diernus, hoc est, dies reuelati Christi, & tempus nouū
2. Cor. 6. testamenti, Sicut & alias Paulus ait: Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Vnde sequitur in Epistola ad Hebræos: Rursus quendam præfinit diem, HODIE, in Dauid dicens: Post tantum temporis, quemadmodum dictum est: Hodie, si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra. Nam si eis Iosua, (qui eos introduxit in terram Canaan) requiem præstitisset, nequaquam de alio posthac die locutus fuisset. Adhæc, requiem interpretatur, non de requie Sabbathi, de qua in Genesi, capite secundo: Compleuit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo, ab vniuerso opere, quod patrârat. Aut de requie in terra Canaan, sed de requie æternæ fœlicitatis, in quam ingrediuntur sancti, vnà cum Christo, post mortem. Postremò docet, ab hac æterna requie & fœlicitate, neminẽ excludi, nisi per incredulitatem, & neminem in eam ingredi, nisi per fidem: Videte fratres, inquit, ne quando sit in vllo vestrum cor pra-uum, obnoxium incredulitati. Et iterum: Quibus prius adnunciatum erat, non introierunt propter incredulitatem. Ac rursus: Introimus in requiem nos, qui credidimus: vt prorsus cum illo Baptistæ dicto con-
Ioan. 3. ueniat: Qui credit filio, habet vitam æternam. Qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Deterret autem Psalmus ab incredulitate, & inuitat ad fidem, exemplo Israelitarum, petito è libro Exodi, cap. 17. & è libro Numeri, cap. 14. Hodie, inquiens, si vocem eius, si sermonem Euangelij eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut contigit in Meriba, & Mas-

& Massa in deserto. Nam, cùm Israel proficiscereturde deserto Sin, & peruenisset in Rephidim, laborarunt penuria aquæ. Excitati igitur grauitate sitis, rixati sunt aduersus Mosen, & vociferati sunt: Quare sic fecisti nos ascendere de Ægypto, vt interficeres me, & filios meos atq; pecora mea, siti? Hinc nomen loci illius, vbi hæc acta sunt, dictum est in memoriam rei gestæ, Meriba, (hoc est) Cõtentio: & Massa, hoc est, Tentatio, propterea, quòd Israelitæ contendissent, & rixati ibi essent cum Mose, & tentassent DOMINVM, dicentes: Est ne DOMINVS in medio nostri, an non? Huius historiæ meminit hîc Psalmus, & suscipit eam illustrandam, vt auditores Euangelij, alieno periculo admoniti, cauerent sibi ab incredulitate, & amplecterentur prędicationem Euangelij de Christo, per fidem. Vide enim mihi, in quanta pericula, imò in quantam perniciem conijciant sese Israelitæ, tantùm propter duricordiam & incredulitatem ipsorum? Primùm enim, necesse habent quadraginta annis in deserto, incertis sedibus vagari. Deinde omnes, qui ab egressu ex Ægypto, excesserant annum ætatis vicesimum, necesse habent in deserto, morte extingui, vt etsi filij eorum ingrediuntur in terram promissam & optatam, tamen maiores natu hac fœlicitate destituantur. Vnde & Psalmus veterem historiam prosequitur. *Num.14.*

9. *Vbi (inquiens) tentauerunt me Patres vestri, probauerunt me, & viderunt opus meum.*

10. *Quadraginta annis pertæsus sum nationis huius, Et dixi:*

O *Populus*

Populus ſunt errantes corde, nec agnoſcunt vias meas.

11. *Propterea, iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam.*

Hæc hiſtoria copiosè ſcripta eſt in Numeris, capite decimo quarto. Iſraelitæ enim, commoti & excitati vociferationibus decem exploratorum, non ſolùm abiiciunt animum de ingreſſu in terram Canaan, quamuis ſanctè promiſſam, verùmetiam Deum ipſum tentant: Eſt ne, inquientes, DOMINVS in nobis, an non? hoc eſt, dubitamus de vocatione noſtra, num vocatione DOMINI egreſsi ſimus ex Ægypto, & peruenerimus in hoc deſertum? Tantis malis obruimur, vt non credamus nos voluntate DOMINI ſuſcepiſſe hanc profectionem, ſed temerè eductos eſſe ex Ægypto, arbitrio tantùm priuato Moſi & Aheronis. Præterea, parùm abeſt, quin Moſen & Aheronem lapidibus obruant, & alios duces, qui reducant ipſos in Ægyptum, conſtituant. Quid autem eſt, non iam dico, ingratitudo & incredulitas, ſed furor & immanitas, ſi hæc non eſt? Tot extabant promiſſa, iam inde à temporibus Patriarcharum, de terra Canaan, tot ædita erant hactenus miracula in Ægypto, in mari rubro, & in deſerto, quibus Deus perſpicuè ſuam voluntatem ſignificauerat, adeoq; teſtificatus fuerat, & tamen nondum quicquam fidei apud hunc incuruiceruicum populum inuenerat? Probauerunt (inquit) me, viderunt opus meum, reipſa compererunt, me eduxiſſe ipſos ex Ægypto potenti manu, viderunt miracu-

miracula mea, eaq; non ſimplicia, ſed ſtupenda, quibus meam præſentiſsimam opem probaui: & tamen meditabantur receptum in Ægyptum. O impietas: Quare, ego, inquit DOMINVS, pertæſus ſum huius nationis, quadraginta annis. Vbi nos interpretati ſumus, pertæſus ſum, Hebræus habet אקוט Akut, quod eſt futurum pro præterito. Et venit à verbo קוט Kut, quod ſignificat abominari & tædere. Græcus tranſtulit προσώχθισα, à verbo προσοχθίζω, quod ſignificat deſpicere, aut etiam appropinquare. Vnde & nonnulli veteres tranſtulerunt, proximus fui, (hoc eſt) præſentaui me, quemadmodum Auguſtinus interpretatur, in ſignis & virtutibus non vno die, non duobus, ſed quadraginta diebus. Hoc idcircò commemorare viſum eſt, vt rationem veteris lectionis in hoc Pſalmo indicarem, nam propria translatio eſt, pertæſum eſſe, ſeu abominari. Cùm igitur in deſerto Iſraelitæ tanta eſſent incredulitate, vt meditarentur receptum in Ægyptum, Deus quadraginta (inquit) annis, odi hanc incredulam nationem, ac reipſa teſtatus ſum, ipſos impio eſſe corde, nec vllam promiſsis meis fidem habere, ideoq; tot etiam annis circumduxi eos in deſerto, vt non introducerem in terram promiſſam, ſed vt tantiſper in deſerto vagarentur, donec morte extinguerentur. Iuramento enim firmaueram, Si, inquiens, introibunt in requiẽ meam. Hæc fuit vſitata iurandi forma. Pſal. 89. Semel iuraui per ſanctitatem meam, Si Dauid mentiar, hoc eſt, non mentiar. Et 2. Samuel. 3. Iurauit Dauid, dicens: Hęc faciat mihi Deus, & hęc addat, Si ante oc-

casum Solis gustauero panem, hoc est, non gustabo panem. Sic & hoc loco: Quibus iurauí in ira mea, Si introibunt in requiem meam, (hoc est) non introibunt in requiem meam. Illud autem vult sibi Psalmus hoc exemplo: Si Deus tanta seueritate animaduertit in Israelitas, qui non obedierunt verbo eius, loquentis per Mosen, seruum suũ, quanta obsecro seueritate animaduertet in nos, si non obedierimus, & si incredduli fuerimus Euangelio eius, loquentis nobis per filium suum? Eodem respicit etiam Epistola ad Hebræos: Qui aspernatus, inquiens, fuerit legem Mosi, absq; misericordia, sub duobus aut tribus testibus, morietur. Quanto putatis, peioribus afficietur supplicijs, qui filium Dei conculcat, & sanguinem testamenti, ceu rem prophanam habuerit, per quem fuerat sanctificatus, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Non igitur committamus, vt vocem Euangelij DOMINI nostri Iesu Christi, vnigeniti filij Dei, per incredulitatem aspernemur, sed vt eã summa fide excipiamus, atq; DOMINVM ipsum Iesum Christum adoremus, & omni quo possumus officij genere colamus.

VSVS HVIVS PSALMI.

In Pontificia religione, solenne ac vsitatum fuit, sacra horarum, quas ita vocarunt, Canonicarum, ab hoc Psalmo auspicari. Sed ea fuit illorum sacrorum ratio, vt quod Christus de Scribis & Pharisæis ex Esaia concionatur, hoc etiam ad Pontificios Sacrificulos aptissimè transferri queat: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterùm cor eorum procul

Matth.15.
Esa.29.

procul abeſt à me. Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Non igitur imitemur mores horum hypocritarum, nec ore tantùm & labijs honoremus DOMINVM, ſed quod hic Pſalmus verbis monet, hoc reipſa præſtemus. Proponit enim nobis Maieſtatem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti cognoſcendam, quòd & ſit DOMINVS Deus Magnus, & rex Magnus ſuper omnes deos, cui data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quare non ſolum audiamus vocem Euangelij eius obedienter, ſed etiam adoremus Maieſtatem eius, & colamus eum, cùm in omni noſtra vita, tum omni genere officiorum, vt fœlici & æterna requie, quam omnibus dilectis ſuis parauit, fruamur.

Pſalmus 96.

Cantate DOMINO canticum nouum, cantate DOMINO, &c.

EST & hic Pſalmus deſcriptio ſeu encomion Meſsiæ, (hoc eſt) DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & regni eius. In decimo enim huius Pſalmi verſiculo dicitur: Dicite in Gentibus, DOMINVS regnat. Quod haud obſcurè dicitur de vocatione Gentium, quæ tum demum facta eſt, cùm paſſo & reſuſcitato Chriſto à mortuis, Euangelion vulgatum eſt per Apoſtolos, in orbem terrarum, & prædi-

catum est inter omnes gentes, vt qui crederent & baptizarentur, salui fierent. Qui verò non crederent, condemnarentur. Adhæc, in decimo tertio versiculo dicitur DOMINVS venire, & iudicare orbem in iustitia, & populos in veritate. Hoc autem impletum est, cum Christus misit Spiritum sanctum, qui argueret, seu iudicaret mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. Non igitur dubium est, quin hic Psalmus vaticinetur de regno Christi, ac describat conditiones, tam personæ Christi, quàm regni eius.

1. *Cantate DOMINO canticum nouum, cantate DOMINO omnis terra.*
2. *Cantate DOMINO, benedicite nomini eius, adnunciate de die in diem, salutem eius.*
3. *Narrate inter gentes gloriam eius, in vniuersis populis, mirabilia eius.*

Hi tres versiculi sunt propositio, qua admonentur & excitantur omnes populi, ad laudandum nomen Christi, & ad celebrandam gloriam eius. Cantate, (inquiunt) DOMINO nostro Iesu Christo canticum nouum. NOVVM, inquam, Nam vetus illud canticum de exitu ex Ægypto, etsi fuit de rebus admirandis & stupendis, tamen præ illo, de quo in præsentia est cantandum, vix erat vmbra. In egressu enim ex Ægypto, assecuti quidem sunt Israelitæ corporalem quandam libertatem, & terrenam, in hoc autem carmine celebrabitur spiritualis & cœlestis liber-

libertas. In veteri carmine, de egressu ex Ægypto, commendatur redemptio à crudeli quidem tyranno, externo tamen, qui vltra corpus non potuit in homines sæuire. In hoc autem commendatur redemptio ab immanitate Tyranni sæuientis in vniuersum humanum genus, non tam in corpus, quàm in animam, idq; non vno tantùm tempore, sed in omnem æternitatem. In veteri carmine insultatur Pharaoni, qui submersus est in mari rubro, vt Israel à ciuilibus oneribus liber euaderet. In nouo autem insultatur satanæ, qui præcipitatus in tartarum, vinctus est catenis noctis, vt qui habebat imperium mortis, aboleretur per mortem, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Quanto igitur beneficium illud nouum regni Christi excellit beneficium vetus & Ægyptiacum, tanto alacrius nouum carmen decantandum est. Quod Psalmus de nouo carmine intelligit, hoc Propheta Hieremias de nouo fœdere interpretatur: Ecce dies veniunt, dicit DOMINVS, & non dicent vltrà: Viuit DOMINVS, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed viuit DOMINVS, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos. Et iterũ: Ecce dies venient, dicit DOMINVS, & feriã domui Israel, & domui Iuda fœdus nouũ, non secundum pactũ, quod pepigi cum patrib. vestris, in die, qua apprehendi manum eorũ, vt educerẽ eos de terra Ægypti, &c. Deinde, Psalmus nõ iubet tantùm cantare DOMINO nostro Iesu Christo canticũ NOVVM, verùm etiã iubet cantare omnẽ terram, omnes incolas terræ. Quondã cantabat DOMINO in finibus tantũ Israelitis, *Hiere.23.* *Hiere.31.*

cis,

cis;& in anguſtis terminis terræ Canaan. Nunc autem cantet,inquit,DOMINO OMNIS terra, omnes Gentes. Nec ſolùm cantate omnes Gentes, verùmetiam benedicite nomini eius. Nam,cùm omnes Gentes benedicantur in Ieſu Chriſto DOMINO noſtro, iuſtum eſt, vt viciſsim omnes Gentes benedicant, (hoc eſt) laudent & celebrent nomen eius. Adhæc, adnuntiate de die in diem,ſalutem eius,(hoc eſt)prædicate ſingulis diebus,& quouis tempore ſalutem eius,quòd quiſquis crediderit in ipſum, conſequatur æternam ſalutem. Præterea,narrate,adnuntiate,& prædicate gloriam, ſiue Maieſtatem Chriſti inter Gentes, adeoq; in omnibus populis mirabilia eius. Mirabilia autẽ Chriſti ſunt,non ſolùm quæ in his terris ædidit, ſanationes infirmorum,reſtitutione viſus cæcorum,ſolutione linguæ mutorum, apertione aurium ſurdorum, exuſcitatione mortuorum, verùmetiam incarnatione, qua aſſumpſit in vnitatem perſonæ ſuæ humanam naturam, paſsione & morte ſua, qua humanum genus à morte redemit,reſurrectione ſua à mortuis, qua nos viuificauit, aſcenſione ſua in cœlum, & ſeſsione ſua ad dexteram Dei, patris ſui omnipotentis, qua ſubiecit ſibi omnia, tàm in cœlo, quàm in terra. Hæc omnia ſunt admiranda, & in vniuerſis terris decantanda & celebranda. Habes propoſitionem Pſalmi, qua Spiritus ſanctus cohortatur, non tantùm Iudæos circumciſos, verùmetiam omnes Gentes incircumciſas, ad laudem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti,& ad commendationem nominis eius.

4. *Quoniam Magnus DOMINVS, & ſuperans omnem laudem,reuerendus ſuper omnes deos.*

Propo

Propoſitionem ſequuntur αἰτιολογίαι, propter quas Chriſtus DOMINVS noſter ſit laudandus, & decantandus, quarum vna eſt: Quia Magnus (inquit) eſt DOMINVS Chriſtus, ſuperans omnem laudem, & Maieſtate ſua excellens omnes deos. Nam, ſi eum iuxta diuinitatem ſuam reſpexeris, verus eſt Deus, à patre ſuo cœleſti, ab æterno genitus, immenſus & omnipotens. Si autem conſideraueris eum iuxta humanitatem ſuam, verus quidem eſt homo, ex ſubſtantia virginis matris ſuæ, in plenitudine temporis natus, & tempore exinanitionis ſuæ, ad mortem vſq; crucis humiliatus, ſed interea ad ſummam ſublimitatem euectus, & donatus nomine ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium, & inferorum. Cum igitur tanta ſit Maieſtas Chriſti, vt non ſolùm ſuperet omnem humanam laudem, verùmetiam ſuperet omnes Deos, ſiue illos cœleſtes principatus & dominationes, ſiue hos terreſtes Heroas, haud immeritò ſumma laude inter omnes Gentes eſt celebrandus & colendus.

5. *Quoniam omnes Dij populorum ſunt idola, DOMINVS autem cœlos fecit.*

Alia ratio, cur ſolus Chriſtus ſit colendus, quia omnes (inquit) Dij populorum, ſeu reliquarum gentium ſunt idola, ſimulachra, ſculptilia, & vanitates. Solus autem Chriſtus DOMINVS, verus eſt Deus, creator cœli et terrę Cęterum, vbi nos tranſtulimus Idola, ſeu ſimulachra, ibi Hebręus habet אלילים Elilim, Græcus tranſtulit δαιμόνια. Significat aũt אליל Elil, inutile,

vanum, nihil, quòd idola Gentium, ſint inutilia & vana ſimulachra. Etſi enim ſunt argentea & aurea Idola, tamen ſunt factitia hominum opera, quæ, vt alij Pſalmi canunt, os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. DOMINVS autem noſter Ieſus Chriſtus, verus eſt Deus, & verus homo, verus creator & redemptor noſter, non, qui nō poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatus per omnia, iuxta ſimilitudinem, abſq; peccato, vt poſsit & ijs, qui tentantur, ſuccurrere.

Pſalm. 114.
Pſalm. 134.

6. *Gloria & decor eſt in conſpectu eius, potentia & Maieſtas eſt in ſanctuario eius.*

Alia ratio, cur Chriſtus ſit celebrandus & reuerendus, quia Gloria (inquit) & decor in conſpectu eius, & in ſanctuario eius, potentia & maieſtas. In Exodo, cap. 25. inſtituitur Arca, quæ vocatur Teſtamenti, & propitiatoriū aureum, quod imponebatur Arcę. Inſtituuntur præterea duo Cherubim, ex auro cōfecti, obumbrantes alis ſuis propitiatorium. Offeruntur etiam pro ratione eius temporis, coram Arca, varia dona & ſacrificia. Hæc omnia adumbrauerunt DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, qui primùm vera eſt arca Teſtamenti, continens duas tabulas Decalogi, quòd in Chriſto ſint omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Deinde, verum eſt Propitiatorium, quòd propter Chriſtum reconciliatus & propitius factus ſit Deus pater humano generi. Adhæc, DOMINVS ſedere dicitur ſuper Cherubim, quòd in Chriſto inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter. Poſtremò,

offerun

offeruntur ad Arcam ſacrificia, quòd ſolus Ieſus Chriſtus ſit verum ſacrificium, quo expiata ſunt coram Deo omnia humani generis peccata. Cum igitur potentia & Maieſtas DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, tam decorè, & tam gloriosè in Sanctuario, quod à Moſe inſtitutum eſt, adumbretur, & quod adumbratum eſt, in plenitudine temporis, ſit impletum & abſolutum, Chriſtus iure ac meritò laudandus, & omni diuinorum officiorum genere, tanquam verus Deus colendus eſt. Vnde & pergit Pſalmus omnes populos cohortari, vt agnoſcant Chriſtum, & ſua ei dona ac munera præſtent.

7. *Afferte, inquiens, DOMINO vos familiæ populorum, afferte DOMINO gloriam & fortitudinem.*

Iubet non tantùm Iſraelitas ſeu Iudæos, verùmetiam familias Gentium & populorum, agnoſcere DOMINVM Ieſum Chriſtum, & tribuere ei maieſtatem fortitudinis, & gloriam omnipotentiæ. Nam, cùm Deus pater donauerit ei nomen, ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu ſe flectat, cœleſtium, ac terreſtrium & inferorum, cur non etiam omnes omnium gentium familiæ deferrent ei honorem ſummæ maieſtatis? Ac vt videas Spiritum ſanctum rem ſeriam agere, repetit & inculcat idem.

8. *Afferte DOMINO gloriam nomini eius, adducite oblationem, & introite in atria eius.*

Non verbis tantùm tribuite nomini eius gloriam,

sed etiam oblationibus, adeoq; reipsa testificemini ves
strum obsequium. Vbi nos transtulimus Oblationem,
ibi Hebræus habet מנחה Minha, quod significat obla
tionem farinariam, cum oleo & thure apparatam, de
qua in Leuitico, cap. secundo. Et adumbrauit precatio
nem, iuxta illud Psalmi 141. Dirigatur oratio mea, sicut
incensum in conspectu tuo, Eleuatio manuum mearũ,
oblatio seu sacrificium vespertinum. Iubet igitur hic
versiculus, vt non tantùm Iudæi, verùmetiam omnes
Gentes introeant in atria, in templum DOMINI, &
Rom.10. inuocent nomen Christi. Non enim est distinctio, vel
Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, di
ues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocaue
rit nomen DOMINI, saluus erit.

9. *Adorate DOMINVM in ornatu sancto, timeat eum*
vniuersa terra.
10. *Dicite inter Gentes: DOMINVS regnat, & firma-*
uit (regnum suum) per orbem terrarum, ne moueatur,
Iudicat populos in æquitate.

Quid plura dicam? Conferam in pauca: Non so
lum offerte DOMINO nostro Iesu Christo gloriam &
oblationem, verumetiam adorate eum in ornatu san
cto, (hoc est) in fide, vt verum DOMINVM Deum ve
strum, & timeant, atq; colant eum omnes habitatores
terræ. Adnuntiate inter gentes, quòd Deus fecerit
hunc Iesum, quem Iudæi crucifixerunt, DOMINVM
& Christum, & quòd non sit aliud nomen sub cœlo
datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.
Hoc, inquam, Euangelion prædicandum est in toto
orbe

orbe terrarum, aduerſus quod, ne quidem portæ inferorum valebunt, vt maneat Chriſtus, iuſtus iudex viuorum & mortuorum. Cum his Pſalmi verſiculis conuenit, quod Eſaias cap. 40. ſcribit: Exalta, inquiens, vocem tuam, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus veſter. Ecce DOMINVS Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Et iterum, cap. 52. Quàm pulchri ſuper montes pedes adnunciantis & dicentis Zion: Regnat Deus tuus. Ac mox: Parauit DOMINVS brachium ſanctum ſuum, in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ, ſalutare Dei noſtri. In his igitur Propheticis vaticinijs prædicatur Chriſtus. Primùm, quod ad perſonam ſuam attinet, verus DOMINVS Deus noſter. Deinde, quod ad regnum eius attinet, Regnum æternum, perpetuò firmatum. Poſtremò de iudicio eius, quòd iudicet omnes populos in æquitate.

11. *Lætentur cœli, & exultet terra, fremat mare, & quicquid in eo eſt.*
12. *Gaudeat ager, & omnia quæ in eo ſunt, exultent vniuerſæ arbores in ſyluis.*
13. *Coram DOMINO, quia venit, quia venit ad iudicandam terram, vt iudicet orbem in iuſtitia, & populos in ſua veritate.*

Poſtquam Pſalmus deſcripſit perſonam Chriſti, & maieſtatem regni ſui, cohortatur nunc vniuerſas creaturas, ad congratulationem, propterea quòd & vniuerſæ fruantur beneficijs eius: Lætentur, inquiens, cœli. Nam & cœleſtia fruuntur beneficijs Chriſti, &

Col. 1. regni eius. In illo, inquit Paulus, complacitum est pa-
tri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum re-
conciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem
crucis eius, per eundem, siue quæ in terra sunt, siue
quæ IN COELIS, in cœlis, inquit. Postquam enim
Christus placauit iram Dei, reconciliauit etiam An-
gelos, qui sunt cœlestes ciues, cum hominibus, vt An-
geli in natiuitate Christi cecinerint: Gloria in excel-
sis Deo, ac in terra pax in hominibus, bona voluntas.
Exultet etiam terra, Nam & ipsa maximè omniũ frui-
tur beneficijs Christi, & regni eius, quòd homines hu-
ius terræ incolæ, redempti sint per Christum, à pote-
state tenebrarum, ac translati in regnum Dei. Præte-
rea, fremat mare, & quicquid in eo est. Hæc est peri-
phrasis insularum maris. Per fremitum autem & tu-
multum maris, intellige gaudium & iubilationem il-
lorum, qui in insulis maris commorantur. Cum e-
nim hi omnes capiant fructum beneficiorum Christi,
congruens est, vt fremant & tumultuentur, hoc est,
suam, quoquo modo possunt, exultationem & congra-
tulationem testificentur. Gaudeat etiam Ager, & om-
nia quæ in eo sunt. Nec ab hac congratulatione exclu-
dantur arbores syluarum. Breuiter, omnes creaturæ,
tam cœlestes, quam terrestres, tam campestres, quàm
syluestres, tam marinæ, quàm transmarinæ, lætentur
& exultent, idq; coram DOMINO, vt declarent suam
erga illum gratitudinem. Sed ob quam causam exul-
tent & congratulentur? Quia venit, venit, inquam,
DOMINVS Iesus Christus, ad iudicandam terram,
imo totum orbem terrarum, idq; in iustitia & verita-
te. Venit autem DOMINVS Iesus Christus duplici
ratio-

ratione ad iudicium. Altera, cùm diuulgat, missō Spiritu sancto, Euangelion in vniuersum mundum, vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus fiat. Qui verò non crediderit, condemnetur. Altera, cùm omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Cæterum, cùm dicitur in Psalmo, Christum iudicaturum orbem in iustitia, & populos in veritate, cōsiderandum est, quòd duplex sit iustitia. Vna, iustitia legis, quæ est perfecta obseruatio Decalogi. Si igitur Christus, secundum hanc iustitiā iudicaturus esset orbem, omnes homines condemnarentur: In conspectu enim tuo non iustificabitur omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Alia est iustitia Euangelij, quæ est iustitia in Christo, per fidem. Cùm igitur dicitur, Christum iudicaturum orbem in iustitia & veritate, intelligendum est, eum iudicaturum Ecclesiam suam, secundum hanc fidei iustitiam, vt qui crediderit in Christum, siue circumcisus, siue incircumcisus, saluus fiat. Iustitia enim est, vt tribuatur vnicuiq; quod debetur. Veritas est, vt quod promissum est, seruetur. Debetur autem, iuxta promissionem credenti in Christum, salus & vita æterna. Quare res est summo gaudio & congratulatione dignissima, quòd Christus veniat iudicaturus Ecclesiam suam, non secundum iustitiam Legis, sed secundum iustitiam Euangelij, vt qui crediderit in Christū, consequatur salutem & vitam æternam.

Vsus

VSVS HVIVS PSALMI.

Ab initio orbis terrarum, extant promiſsiones de Chriſto vero ſeruatore noſtro: extant & ſacrificia, Chriſtum adumbrantia: extant etiam Propheticæ explicationes, de morte & reſurrectione Chriſti, & de regno ac maieſtate eius. His acceſſerunt multi Pſalmi, (in quorum numero etiam hic nonageſimus ſextus continetur) in quibus vaticinia de Chriſto, tam perſpicuè expoſita ſunt, vt in Iſraelitica Eccleſia, aduentu Chriſti nihil fuerit vulgatius & decantatius. Sed hîc vide mihi ſtupendam & immanem Iſraelitarum excæcationem. Cum enim Chriſtus iuxta Propheticas promiſsiones adueniret, & maieſtatem ſuam admirandis ſignis teſtificaretur, tantum abfuit, vt Iſraelitæ eum agnoſcerent & reciperent, vt etiam eũ crucifigerent, & de terra viuentiũ tollerent. Et, quemadmodũ Paulus ait: Qui habitabãt Hieroſolymis, & principes eorũ, quum ignorarent illum, & voces Prophetarũ, quæ per omne Sabbatum leguntur, condemnato eo, impleuerunt, nullaq; cauſa mortis inuenta, petierunt à Pilato, vt interficerent illum. Vnde ergo tantus ſtupor? vnde tam horribilis incredulitas? Ad hoc reſpondet Euangeliſta & Apoſtolus Ioannes: Propterea, inquiens, non poterant credere, quia Eſaias dixit: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne videant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Fruamur igitur aliena inſania, & agnoſcamus ſeueritatem irę diuinæ, in contemptores Chriſti, ac Euangelij eius, vt ſi vocem eius audierimus, non

Acto.13.

non obduremus, (quod proximè præcedens Psalmus admonuit) corda noſtra, ſed adoremus, & procidamus coram DOMINO Ieſu Chriſto noſtro, vt æternam ſalutem conſequamur.

Pſalmus 97.

DOMINVS regnauit, exultet terra, lætentur, &c.

HVNC Pſalmum intelligendum eſſe de Chriſto & regno eius, teſtatur, præter alia argumenta, etiam Epiſtola ad Hebræos, quæ docens diſcrimen inter Chriſtum & Angelos, allegat ex hoc Pſalmo teſtimonium: Cùm inducit (inquiens) primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli. Hoc hemiſtichium *Heb.1.* continetur in ſeptimo verſiculo huius Pſalmi. Inter Chriſtum enim & Angelos, ſiue (vt habet alia tralatio) Deos (Elohim enim, quod eſt in Hebræo textu, ſignificat & Angelos, & Deos) illud eſt diſcrimen, quòd Chriſtus ſit rerum omnium creator, & adorandus, Angeli autem ſint creaturæ, quæ Chriſtum adorare debeant. Et Chriſtus ſedeat ad dextram Dei patris omnipotentis, Angeli autem ſint ſpiritus adminiſtratorij, qui in miniſterium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. Quare, Chriſtus tanto excellentior eſt Angelis, quanto maieſtate & dignitate

ſuperat creator creaturam, & Dominus ad dextram Dei exaltatus, ſeruos & adminiſtros.

1. *DOMINVS regnat, exultet terra, lætetur multitudo insularum.*

Hic DOMINVS eſt Ieſus Chriſtus, qui dicitur regnare. Primùm quidem diuinitate ſua, qua eſt rex æternus, eiuſdem eſſentiæ cum Deo patre, & Spiritu ſancto. Deinde humanitate, quã in plenitudine temporis aſſumpſit in eandem perſonam, & collocauit eam ad dextram Dei patris ſui omnipotentis, ac data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra. Cùm igitur hic DOMINVS regnum ſuſceperit adminiſtrandum & gubernandum, iuſtiſsimum eſt, vt ſimul & terra exultet, & multitudo inſularum lætetur. In adminiſtratione enim regni huius, peccatum eſt expiatum, Deus pater eſt humano generi reconciliatus, mors eſt deuicta, ſatan eſt contritus, & infernus expugnatus. Loco autem horum introducta eſt iuſtitia, vita & gaudium cœleſte. Cùm igitur his beneficijs fruuntur homines, tàm terreſtres, quàm inſulares, merito ipſis lætandum eſt, & exultandum.

2. *Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium firmamentum throni eius.*

In promulgatione Decalogi, DOMINVS deſcendit de cœlo, magna maieſtate. Cœperunt enim audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem, ac totus mons Sinai fumabat. Si autem promul-

Exo. 19.

promulgatio Decalogi, facta est in maiestate, congruens fuit, vt promulgatio Euangelij fieret in maiestate. Nam, si administratio mortis, inquit Paulus, in literis deformata in saxis, fuit in gloria, cur non potius administratio Spiritus erit in gloria? Et si administratio condemnationis, gloria, multo magis excellit administratio iustitiæ in gloria. Dicitur ergo nubes & caligo in circuitu DOMINI nostri Iesu Christi, quia sicut promulgatio Decalogi facta est in nube & caligine, (hoc est) in maiestate, ita etiam promulgatio Euangelij in die Pentecostes facta est in maiestate, eaq; maiori & illustriori, quanto administratio iustitiæ & vitæ superat administrationem peccati & mortis. In die enim Pentecostes, missus est Spiritus sanctus Apostolis, specie ignearum linguarum: & Apostoli cœperunt magnalia Dei varijs linguis loqui, & in nomine Christi inaudita miracula edere, vt quotquot audirent & viderent, obstupescerent. Quare congruenter dicitur, in circuitu DOMINI nostri Iesu Christi, esse nubem & caliginem, propterea quòd ad exemplum promulgationis Decalogi, quæ facta est maiestate nubis & caliginis, promulgatio Euangelij facta sit in die Pentecostes, multò maiori gloria & maiestate. Deinde, iustitia & iudicium dicuntur firmamentū Throni Christi. Quia, quemadmodum in regnis mundanis, Throni regij stabiliuntur, si Reges tueantur bonos, quod vocatur iustitia, & coërceant malos, quod vocatur iudicium: ita firmamentum Throni Christi, est iustitia & iudicium, quia in eo, qui credunt in Christum, iustificantur & seruantur, qui verò non credunt, condemnātur. Vnde Psalmus septuagesimus secundus petit, vt

2. Cor. 3.

tit, vt Deus det iudicium suum Regi, & iustitiam suam filio Regis, hoc est, vt mittat DOMINVM Christum, qui suscipiat gubernaculum Regni sui, & administret ipsum in iustitia & iudicio, quo credentes seruentur, increduli autem & impœnitentes condemnentur.

3. *Ignis ante ipsum præcedit, & exurit per circuitum hostes eius.*
4. *Affulgent fulgura eius orbi, vidit & contremiscit terra.*
5. *Montes soluuntur sicut cera, à facie DOMINI, à facie dominatoris vniuersæ terræ.*

Cùm DOMINVS Iesus Christus sit Rex, suscepit etiam Regnum suum gubernandum, sed quibus armis? & quo sceptro? Non est regnum mundanum, non regnum corporale, sed regnum spirituale & cœleste. Ad gubernationem igitur regni sui, non vtitur armis carnalibus, aut sceptro mundano, sed virgam seu
Psalm.110. sceptrum virtutis tuæ emittet (inquit) DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et
Esa.2. De Zion exibit Lex, & verbum DOMINI de Hierusalem. Christus enim gubernat Regnum suum in hoc seculo per prædicationem Euangelij, quod est sceptrũ eius, & quod per Apostolos diuulgatum est in totum orbem terrarum, initio facto in Zione, seu Hierusalem. Prædicatio autem Euangelij, non illuminat tan-
2.Cor.4. tùm credentes, nec est odor tantùm vitæ ad vitam, sed
2.Cor.2. etiam excæcat sensus incredulorum, & est odor mor-
Ioan.9. tis ad mortem. In iudicium, inquit Christus, veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vi-

dent,

dent, cæci fiant. Psalmus igitur verè dicit, quòd Chriſtum ſeu Euangelion Chriſti præcedat ignis, qui hoſtes eius non illuminet, ſed exurat. Deinde, præcedunt Chriſtum, etiam fulgura, quæ ita affulgent toti orbi terrarum, vt terra videat & contremiſcat. Hæc fulgura & tonitrua ſunt & ipſa prædicatio Euangelij. Vnde Chriſtus impoſuit Apoſtolis ſuis, Iacobo & Ioanni nomina Boanerges, hoc eſt, filios tonitrui, quòd prædicatione Euangelij, non loqui, ſed tonare & fulgurare viſi ſint. Nam, ſicut in tempeſtatibus, cùm tonat & fulgurat, terra cohorreſcere & contremiſcere videtur, ita ad prædicationem Euangelij, cohorruerunt omnes impij, ſapientes huius mundi, & potentes, & hypocritę, quòd hi metuerunt ſuæ ſanctitati, illi ſuæ potentiæ, & iſti ſuæ ſapientiæ. Adhæc, à facie DOMINI, hoc eſt, ad prædicationem Euangelij montes, inſtar ceræ, diſſoluti ſunt, quia Euangelion deijcit, & demolitur omnem humanam altitudinem & excellentiam. Perdit enim ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reijcit. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi diſputator ſeculi huius? Nónne infatuauit Deus ſapientiam mundi huius? Et iterum: Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus armis conſilia demolimur, & omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto, & in promptu habemus vindictam aduerſus omnẽ inobedientiam. Atq; hæc quidem eſt tempeſtas, quam in orbe terrarum prædicatio Euangelij inter ſapientes, potentes & hypocritas, ſeu illos, qui volunt videri ſancti, excitauit. Sed quid?

Marci 3.

1. Cor. 1.

2. Cor. 10.

Num prædicatio Euangelij in regno Christi, tantùm ad destructionem, non item ad ædificationem patefacta est? Nihil minus. Sequitur enim.

6. *Adnunciant cœli iustitiam eius, & vident omnes populi gloriam eius.*

Euangelij prædicatio, non solùm ciet tumultum inter sapientes, potentes, & sanctulos huius mundi, verùmetiam instaurat sub omni cœlo, iustitiam Christi, vt omnes populi videant gloriam eius. Adnuntiant, inquit, cœli iustitiã eius, (hoc est) Cùm in omnem terram exeat sonus Apostolorum, & in fines terræ verba eorum, instauratur prædicatione Euangelij Apostolici, sub omni cœlo, in vniuersa terra, iustitia Christi. Euangelio enim Christi prædicatur, quòd quisquis crediderit in Christum, iustificetur per fidem in ipsum, vt quam iustitiam, nullus hominum potuit consequi per Legem, & merita operum legis, credentes consequerentur coram Deo propter Christum. Et quia hoc Euangelion prædicatur apud vniuersam creaturam, quæ sub cœlo est, (sicut Paulus dicit) & omnes, qui credunt, coram Deo iusti propter Christum habentur, idcircò etiam vniuersa creatura gloriam Christi videre dicitur, quòd vniuersis conspicienda proponatur, etsi alij quidem per fidem ea fruuntur, alij autem per incredulitatem repellunt.

Colo. 1.

7. *Pudefiunt omnes, qui seruiunt sculptili, qui gloriantur in idolis. Adorate eum omnes Angeli.*

Aliud

Aliud beneficium, quod ex prædicatione Euangelij vniuerso orbi contingit: Quia pudefiunt, (inquit) cultores sculptilium & idolorum. Christus autem in tantam maiestatem euehetur, vt etiam ab Angelis adoretur. Ad prædicationem enim Euangelij de Christo, cecidit Idolomania populorum, quæ in toto mundo, apud omnes gentes obtinebat: in locum autẽ eius succesit inter gentes, cultus DOMINI nostri Iesu Christi. Huc pertinet, quod est apud Esaiam: Zion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia. Et conteret sceleſtos & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Ac iterum: Incurua- bitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Et eleuabitur DOMINVS solus in die illa, & idola penitus conterentur. *Esa.1.* *Esa.2.*

8. *Audiuit & lætata est Zion, & exultant filiæ Iuda, propter iudicia tua DOMINE.*
9. *Quoniam tu es DOMINVS excelsus super omnem terram, valdè exaltatus es super omnes deos.*

Zion & filiæ Iuda, partim sunt externi Israelitæ, quorum multis Euangelion Christi fuit iucundissima concio, & acceptissima prędicatio: partim vera Ecclesia Christi, ex toto orbe collecta. Euangelion enim affert vniuersæ Ecclesiæ, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus vocatæ, summam lætitiam & exultationem. Quis enim non lætaretur & exultaret, ad certam & indubitatam famam expiati peccati, deuictæ mortis, expugnati satanæ, & extincti inferni, ac in locum eorum repo-

repoſitæ iuſtitiæ, reuocatæ vitæ, & reſtituti regni cœ-
leſtis? Hæc autẽ omnia adnuntiat Euangelion Chri-
ſti. Quare, qui audiunt ex fide, teneri non poſſunt, qui
ex animo lætentur, & mirificè exultent, idq; propter
iudicia, inquit, tua, (hoc eſt) propter doctrinam ſeu ad-
miniſtrationem regni tui. Doctrina enim Euangelij,
qua Chriſtus adminiſtrat regnum ſuum, potentia Dei
eſt, ad ſalutem omni credenti. Nec mirum eſt, quòd
doctrina Chriſti ſit tam potens & ſalutaris, cùm Chri-
ſtus ipſe ſit DOMINVS excelſus ſuper omnem terrã,
& ſuperet maieſtate ſua omnes, ſiue Deos, ſiue Ange-
los, quippe quem Deus ſedere fecit ad dexteram ſuam
in cœleſtibus, ſupra omnem principatum ac poteſta-
tem, & virtutem, & dominium, & ſuper omne nomen
quod nominatur, non ſolùm in ſeculo hoc, verùmeti-
am in futuro.

10. *Qui diligitis DOMINVM, odio habete malum, Cuſto-
dit animas ſanctorum ſuorum, de manu impiorum li-
berabit eos.*

Deſcriptionem regis, DOMINI noſtri Ieſu Chriſti
ſequitur cohortatio ad Eccleſiam, hoc eſt, ad ſubdito-
regni eius, qua admonentur, vt qui diligunt DOMI-
NVM Ieſum Chriſtum, odio habeant malum, (hoc eſt)
ducant vitam huic regi & regno congruentem & di-
Ephe.4. gnam. Sic & Paulus: Adhortor vos, vt ambuletis ita
vt dignum eſt vocatione, qua vocati eſtis, cum omni
ſubmiſsione ac manſuetudine, cum animi lenitate, to-
lerantes vos inuicem per charitatem, ſtudentes ſerua-
re vnitatem Spiritus, per vinculum pacis. Et iterum:

Dilecti

Dilectio sit non simulata, sitis odio prosequentes, quod malum est, adhærentes ei, quod bonum est. Non enim sufficit bonum Christum agnoscere, nisi & malũ Antichristum odio habeas & detesteris: non sufficit iustitiam sectari, nisi & iniustitiam fugias: non sufficit Euangelion verbis confiteri, factis autem negare: sed ea demum est vita pio seu renato homine digna, si non iuxta carnem, sed iuxta Spiritum verseris, & Spiritu facta corporis mortificaueris. Neq; id facies absq; singulari quęstu, compendioq;. Qui enim DOMINVM Christum ita diligunt, vt odio habeant malum, hos vicissim DOMINVS seruat in omnibus malis: Custodit (inquit) animas sanctorum suorum. Sancti enim sunt, qui sanctum DOMINVM Christum diligunt, & in eum credunt. Deinde, DOMINVS Christus liberabit eos de manu impiorũ. Quantum autem hoc est beneficiorum cornu? Si enim Christus custodit animas sanctorum suorum, & liberat eos de manibus impiorum, certè conseruantur in morte ipsa, etiamsi mori videantur, & consequentur æternam vitã: Qui credit in me (inquit) etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Nihil igitur incommodi potest illi accidere, qui diligit DOMINVM Christum. Vnde additur. *Rom. 12.*

11. *Lux exoritur iusto, & rectis corde lætitia.*
12. *Lætamini iusti in DOMINO, & gratias agite, prædicantes sanctitatem eius.*

Lux de qua Psalmus loquitur, est fœlicitas, & pros-

ſper rerum ſucceſſus. Iuſtus autem & rectus corde eſt, quod ſæpè diximus, non, qui ex operibus ſeu meritis operum legis iuſtus eſt, (nam talem iuſtum, præter Chriſtum, in toto orbe terrarum non inuenies) ſed qui credit, & habet aduocatum apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, de quo Ioannes Apoſtolus ſcribit: Filioli, inquiens, hæc ſcribo vobis, ne peccetis. Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi. Quare, qui in hunc credit, & hunc habet aduocatum, is, vt eſt iuſtus coram Deo, ita cuncta ei fœliciter, alacriter & lætè eueniunt. Sed quid? Num illa eſt fœlicitas, ſi quis lapidibus obruatur, quod Hieremiæ accidiſſe fertur, aut leonibus diſcerpendus obijciatur, quod Ignatio contigit? aut alijs aduerſis caſibus occubuerint, quod omnibus, qui piè voluerint in Chriſto viuere, expectandum erit? Hæc quidem ingens, & coram mundo horribilis calamitas videtur, ſed his, qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonũ. Primùm enim fidelis eſt Deus, qui non ſinit ſanctos ſuos tentari, ſupra id, quod poſſunt, imò faciet vnà cũ tentatione euentum, vt poſsint ſufferre. Deinde compenſat temporarias afflictiones æterna fœlicitate: Reputo, inquit iterum Paulus, non eſſe pares afflictiones præſentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quare, qui in hoc mundo perſecutionem paſſi ſunt, in tantum nullam ſalutis ſuæ iacturam fecerunt, vt potius magnum lucrum reportauerint. Ideoq; opportunè admonet Pſalmus iuſtos, vt lætentur in DOMINO Ieſu Chriſto, & gratias agant, prædicantes ſanctitatem

ctitatem eius, ex qua hauriant & ipsi sanctitatem, & fruantur ea in perpetuum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Vide mihi, quanto charitatis affectu Deus complexus sit Israelitas. Non enim tantùm adumbrauit eis Iesum Christum oraculis et sacrificijs, verùmetiam inculcauit eis tot Psalmis maiestatẽ eius, si quo pacto permoueret eos, vt agnoscerent ipsum, & adorarent: sed surdis, (vt ita loquar) fabula. Tantùm enim abest, vt receperint ipsum, cùm adueniſſet, vt etiam omnibus contumelijs vexatum occiderint. Quare haud iniuria translatus est ad Gentes. Et rectè è Propheticis vaticinijs dixerunt ad Iudæos contemptores, Paulus & Barnabas: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim nobis præcepit DOMINVS: Posui te in lucem Gentiũ, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terrę. Et quia nos Gentes intrauimus in possessionem Iudæorum, & fruimur beneficijs Christi, idcirco sentiamus hos Psalmos, qui nobis regnum & maiestatem Christi ob oculos ponunt, ad nos pertinere, vt ex ipsis edocti & admoniti, Christum DOMINVM nostrũ agnoscamus, & vt Deum, seruatorem nostrum adoremus.

Psalmus 98.

Cantate DOMINO canticum nouum, quia mirabilia fecit, &c.

Hæret adhuc Psaltes in commemoran dis ijs Psalmis, qui maiestatem regni Christi describunt, è quibus hic Psal mus, qui apud Hebræos nonagesimus octauus numeratur, non est postre mus. Describit enim Regnum Chri sti proferendum in vniuersum mundum, vsq; ad ex trema terræ. Et quia omne genus hominum fruitur be neficijs regni Christi, idcirco hortatur omnes, non ho mines tantum, verùmetiam creaturas, ad laudem no minis Christi, & ad gratiarum actionem.

1. *Cantate, inquiens, DOMINO canticum nouum, quonian admiranda designat. Salutem parat sibi dextera sua, & brachio sancto suo.*

Hîc per DOMINVM iterum intelligendus est, DO MINVS Iesus Christus, cui iubet nouum canticum can tare, quia, & res per eum gestæ sunt nouæ, & hactenus in orbe terrarum inauditæ. Per Admiranda autem, quæ Christus designauit, non intelligenda sunt pro prie hoc loco, miracula illa, quæ Christus ædidit, insa nandis ægrotis, in mundandis leprosis, in suscitandis mortuis, & id genus alijs. Hęc enim, etsi sunt admiran

da &

da & ſtupenda, tamen & alij Prophetæ ædiderunt talia, & alia maiora ſunt, de quibus Pſaltes in præſentia loquitur. Chriſtus enim, primùm ſuperauit ſatanam, quod eſt ſtratagema longè omnium excellentiſsimum: Venit (inquit) princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. *Ioan.14.* Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. *Ioan.16.* Deinde expiauit coram Deo patre peccatum humani generis, vt homo cum Deo rediret in gratiam. Ad extremum vicit mortem & infernum: Ero mors tua, inquit, ô mors, ero morſus tuus, inferne. Hæc ſunt ſtratagemata, non terrena, ſed cœleſtia, non humana, ſed diuina. Et ſunt mirabilia illa, quæ Chriſtus deſignauit, non aliena, ſed ſua ipſius virtute: Salutem, inquit, parat ſibi dextera SVA, & brachio ſancto SVO. Reſurrexit enim ſua ipſius virtute, à mortuis: Declaratus fuit (inquit Paulus) filius Dei cũ potentia, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex eo, quòd reſurrexit à mortuis. Reſurrectione autem ſua reportauit victoriam, à ſatana, morte & inferno. Nec tantùm ſibi ipſe in ſua ipſius perſona victoriam reportauit, ſed habet eam communem cum omnibus in ipſum credentibus. De plenitudine eius, inquit Ioannes, nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. *Ioan.1.* Et Paulus: Vos, cùm mortui eſſetis, per delicta & per pręputium carnis veſtræ, ſimul cum illo viuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduerſum nos erat, chyrographo, quod erat contrarium nobis, per decreta, & illud ſuſtulit è medio, affixum cruci, expoliatoſq; principatus ac poteſtates, oſtentauit palam, triumphans de illis per ſemetipſum. *Colo.2.* Quare Chriſtus ſic parat ſibi dextera SVA, & brachio ſancto SVO, ſalutem, vt & ipſe

ea perpetuò fruatur, & omnes, in ip ſum credente
participes eius reddat.

2. *Notificat DOMINVS ſalutem ſuam, coram Gentib
reuelat iuſtitiam ſuam.*

Chriſtus non tantùm parat ſibi dextera & brachi
ſuo ſalutem, ſed etiam patefacit eam omnibus populi
& reuelat iuſtitiam ſuam in toto orbe terrarum cora
omnibus gentibus. In omnem enim terram exiuit ſo
nus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Se
quibus gradibus reuelat Chriſtus iuſtitiam, ſeu Euan
gelion, de iuſtitia ſua? Sequitur.

3. *Recordatur miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ erga d
mum Iſraelis. Vident omnes fines terræ, ſalutem D
noſtri.*

Chriſtus, in promulgando Euangelio, ſeruat ſuu
gradus & ordinem. Cùm enim incarnatus eſſet, & ve
niſſet in mundum, non ſtatim patefecit ſe Gentibus in
circumciſis, nec miſit ad eas Apoſtolos, qui prædica
rent ipſis Euangelion ſuum, ſed potius prohibuit: I
viam, inquiens, Gentium ne abieritis. Et: Non ſum
miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſraeliticæ. Iſrael
tæ enim primi omnium fuerunt, quorum Patriarchi
Deus ſeſe reuelauit, & quorum (vt Apoſtolus ait) e
adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio
& cultus & promiſsiones, ex quibus etiam eſt Chri
ſtus, quantum attinet ad carnem. Quare congruens o
rat, vt Chriſtus primùm omnium Iſraelitis patefieret
& ab

& adnuntiaretur: Illud dico, inquit Apostolus, Iesum Christum fuisse ministrum circumcisionis pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Et iterum: Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei. Vnde & Psalmus dicit: Recordatur misericordiæ & veritatis suæ erga domum Israelis. Et virgo Maria in suo carmine: Suscepit Israel puerum suum, vt memor esset misericordiæ, sicut locutus est ad patres nostros. Ac Zacharias: Erexit cornu salutis, in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt Prophetarum suorum. Deinde autem, postquam Israelitæ repulerunt Euangelion de Christo, & iudicarunt se indignos æterna vita: ecce conuertimur (inquit Paulus & Barnabas) ad Gentes. Sic enim præcepit nobis DOMINVS: Posui te in lucem Gentium. Et impletur, quod hic Psalmus ait: Vident omnes fines terræ (non Iudæa tantum) salutem Dei nostri.

Rom.15. *Act.13.* *Act.13.*

4. *Iubilate (igitur) DOMINO omnis terra, canite, exultate, & psallite.*
5. *Psallite DOMINO citharis, citharis & psalmis.*
6. *Buccinis & tubis, iubilate coram Rege DOMINO.*
7. *Tumultuetur mare, & plenitudo eius, orbis & habitatores eius.*
8. *Flumina plaudant manu, simul & montes exultent,*
9. *Coram DOMINO: quoniã venit adiudicandam terram, vt iudicet orbem terrarum in iustitia, & populos in rectitudine.*

Concludit Psalmum cohortatione ad laudandum nomen

nomen Christi,& ad gratias ei pro beneficijs,vniuerſi
orbi terrarum præſtitis, agendas. Ac initiò vtitur
verbis,ad excitandam animi lætitiam, & congratula
tionem aptiſsimis: Iubilate,inquit, leuate vocem,ſe
vociferamini,laudate ſeu cantate,& pſallite. Et vt ve
hementiam affectus ſignificet, iterum dicit, pſallite
Deinde recitat inſtrumenta aliquot Muſica, quibus
laus Chriſti celebretur.In cithara, in cithara, inquam
item, voce cantici ſeu Pſalmi: item, buccinis: item
clangore tubæ.His enim inſtrumentis laudes Dei de
cantabantur. Poſtremò,excitatur ad laudem Chriſti
& ad gratiarum actionem, OMNIS terra, ſiue habita
bilis, ſiue inhabitabilis, quia in quauis terra ſunt ho
mines, qui fruuntur beneficijs Chriſti. Item,vniuer
ſum mare, & quicquid in eo commoratur, quia etiam
in inſulis maris ſunt, ad quos beneficia Chriſti pertin
gunt.Tumultuetur igitur præ gaudio mare, & plen
tudo eius, hoc eſt, inſulæ maris declarent lætitiam ſu
am,quibus poſſunt modis.Item,vniuerſus orbis terra
videlicet habitabilis,hoc eſt, Chriſtum laudent & ce
lebrent, quotquot vſpiam in terra commorantur, a
quos peruenit ſonus Apoſtolorum. Euangelion enim
Colo.1. de Chriſto prædicatum eſt apud vniuerſam creaturam
quæ ſub cœlo eſt. Item,plaudant manu, & lætitia ge
ſtiant,tam flumina,quàm montes,tam incolæ vallium
quàm incolæ montium. Ac breuiter,omnis creatura
tam cœleſtis,quàm terreſtris, agat gratias,coram DO
MINO Ieſu Chriſto,vt & confiteatur ipſum ſolũ ſerua
torẽ, & teſtificetur ſe beneficia eius memori mẽte agno
ſcere.Sed qua de cauſa omnis creatura ad celebrandas
laudes Chriſti,& ad gratias ei agendas excitatur? Ea
cau

causa in præcedentibus Psalmis, sæpè ac multùm recitata est, videlicet, quòd Christus sit DOMINVS magnus, & iudex vniuersæ terræ: tamen visum est Spiritui sancto, ea in nouissimo versiculo huius Psalmi repetere: Quia venit (inquit) ad iudicandam terram, vt iudicet orbem terræ in iustitia, & populos in æquitate. Cùm autem sermo est de iudicio Christi super omnem terram, rectè intelligendum est. In Euangelio enim Ioannis dicit Christus: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Iudicat igitur Christus super omnẽ terram, non quòd sit in terra, humano & mundano more dominaturus, sed primùm, cùm diuulgat Euangelion suum, in vniuerso mundo, vt qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus fiat: qui verò non crediderit, condemnetur. Deinde iudicat super omnem terram, cùm omnes, tam viui, quàm mortui stabuntur ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisq; de seipso rationem. Sed quia Christo filio Dei omne iudicium à Deo patre suo datum est, sciamus, obsecro, secundum quam legem Christus DOMINVS noster, sententiam iudicij sui sit pronuntiaturus. Non est autem arbitrandum, quòd Christus pronuntiet sententiam iudicij sui secundum legem naturalem, aut secundum Decalogum, qui est legis naturalis epitome. Si enim Christus secundum hanc legem ferret sententiam iudicij sui, omnes homines damnarentur: Si iniquitates, inquit, obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Et: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Nec secundum alias leges, vel politicas, vel

Canonicas, vel Mahumeticas, neq; enim illis sumus obnoxij, nisi quatenus ad hanc vitam ciuilem attinet, neq; his sumus obstricti, quòd nec Pontifex, nec Mahumetes sint Legislatores nostri. Sed feret sententiam secundum Euangelion, quod Christus ipse adnuntiauit, & Apostoli eius, in toto orbe terrarum diuulgarunt: Sic Deus, inquit Christus, dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum, vt condemnet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Et iterum: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet vitam æternam: qui verò non credit filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et de Apostolis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, (hoc est) sententia extremi iudicij, non feretur secundum legem Mosi aut Decalogũ, sed secundum Euangelion Christi, siue secundum prædicationem Apostolicam, quòd quicunq; crediderit in Christum, quem Apostoli prædicarunt, habeat remissionem peccatorum, & saluus fiat: qui autem non crediderit, perpetuò intereat. Hoc enim est in regno Christi, orbem terrarum iudicare in iustitia, & populos in æquitate & rectitudine. Quid autem hoc iudicio mitius? quid clementius? Siue enim fueris circumcisus, siue incircumcisus, siue fueris mas, siue fœmina, siue fueris rex, siue subditus, siue pauper, siue diues, siue honestus, siue peccator, si tantummodo credideris in Christum, non solum re-

mitte-

mittentur tibi peccata, verùmetiam reputaberis in cõspectu Dei iustus, & consequêris hæreditatem æternæ vitæ. Iustissimum igitur est, vt vniuersus orbis cantet DOMINO nostro Iesu Christo nouum canticum, & ornet eum summis laudibus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Euangelion, inquit Apostolus, potentia Dei est, ad salutem omni credenti, Iudæo simul & Græco. Hic autem Psalmus est Euangelion, (hoc est) adnuntiatio de Iesu Christo Domino nostro, quòd sit Rex, quòd gubernet regnum suum, diuulgato Euangelio suo, in vniuerso orbe terrarum, & quod sit iudex omnis terræ. Potentia igitur Dei est omni credenti. Sed quomodo? Si quis agnitione peccatorum affligitur, & metuit cõdemnationem, habet Christum regem. Hunc agnoscat per fidem, in hunc credat, cuius Euangelio adnuntiatur, quòd peccata gratis, propter Christum condonentur. Si quis metu mortis tenetur, & timet interitum, ad hunc Psalmum se conferat, ex quo cognoscit Christum DOMINVM esse victorem mortis, qui resurrectione sua non solùm ipse euasit mortem, verùmetiam secũ è morte reduxit, quotquot in ipsum credunt. Si quis ad inferni dolores trepidat, sumat hunc Psalmum in manus, qui ostendit Christum iudicem totius terræ, viuorum videlicet & mortuorum, qui ex inferis in cœlum ita ascendit, vt quotquot in ipsum credunt, secum ex inferis, ad cœlum reduxerit. Sic igitur hic Psalmus est potentia Dei ad salutem omni credenti, vt cognita per ipsum maiestate Christi, & confirmata ex

eo fide in Christum, æternam salutem consequamur. Deinde, discamus ex hoc Psalmo, quibus sacris Christus DOMINVS noster præcipuè coli gaudeat. Etsi enim non percrepat, nisi canticis, citharis, tubis, & buccinis, quæ fuerunt organa lætitiæ in veteri testamento, tamen his vocibus intelligitur prædicatio Euangelij, qua gloria nominis Christi illustratur, & fides, & reliqua dona Spiritus sancti, in homines effunduntur. Hæc sunt sacra, quæ vt Christo DOMINO mirifice placent: ita vicissim homines Christo de meliori nota commendant.

Psalmus 99.

DOMINVS regnauit, irascantur populi, &c.

Hic Psalmus constat tribus partibus. Prima docet, quis sit verus DOMINVS Deus noster. Nam 1. Cor. 8. etiamsi sunt, inquit Paulus, qui dicantur Dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt multi Dij, & Domini multi, nobis tamen vnus est Deus. Quæritur ergo, quis sit vnus ille verus Deus? Secunda docet, quale sit illius Dei Regnum. Tertia docet, quibus sacris ille vnus & verus Deus sit colendus.

1. *DOMINVS (inquit) regnat, ideò tumultuantur populi. Sedet super Cherubim, ideò commouetur terra.*

2. DOMI

2. *DOMINVS in Zion magnus, & excelsus est super omnes populos.*

Cùm DOMINVS Deus noster suscepisset Israelitas, ex Ægyptiaca tyrannide liberandos, mittebat Mosen & Aheronem, ad Pharaonem regem Ægypti, qui dicerent: Hæc dicit DOMINVS Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est DOMINVS, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio DOMINVM, & Israel non dimittam. Quem igitur Pharao se nescire ac ignorare affirmat, eum hic Psalmus, quasi digito demonstrat: DOMINVS, inquiens, regnat. Sed quis DOMINVS? Sedens, inquit, super Cherubim. Et: Qui in Zione colitur, magnus & excelsus super omnes populos. Habes demonstrationem veri DOMINI Dei nostri. Ille enim verus est DOMINVS Deus, qui sedet super Cherubim, & qui in Zione colitur, qui videlicet, potentia, dignitate & maiestate superat omnes homines. Qui autem super Cherubim sedet, & in Zione colitur, ac excellentior est omnibus populis, est Iesus Christus, vnigenitus filius Dei. Nam in Exodo mandatur Mosi diuinitus, vt faciat propitiatorium de auro mundissimo, & duos Cherubim, hoc est, alatas imagines, expandentes alas sursum, & tegentes alis suis propitiatorium, de quibus dicit DOMINVS: Testificabor tibi inde, loquarq; tecum de propitiatorio, de medio Cherubim, (qui sunt super Arcam testimonij) quæ tibi præcepturus sum, ad filios Israel. Et quia DOMINVS dabat oracula ac responsa sua de medio Cherubim, idcirco dicebatur super Cherubim sedere, aut habitare. *Exod. 25.*

bitare. Adumbrauit autem propitiatorium vnà cum Cherubim, è quibus responsa Dei dabantur, DOMINVM nostrum Iesum Christum, quòd Christus sit mediator noster, propter quem Deus pater propitius sit humano generi, in quo etiam omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, imò, in quo inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter: Christum (inquit Paulus) proposuit Deus ἱλαστήριον, hoc est, propitiatorium, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Et Ioannes: Deus misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Manifestum igitur est, quòd per propitiatorium, & Cherubim Mosi, adumbratus sit Iesus Christus DOMINVS noster. Quod autem attinet ad cultum Dei in Zione, obscurum non est, quòd in Zione fuerit, diuina ordinatione excitatum templum, in quo peragerentur holocausta & reliqua sacrificiorum genera, quæ non quidem expiarent peccata, (non enim potest sanguis taurorum & hircorum peccata auferre,) sed adumbrarent vnicum sacrificium DOMINI nostri Iesu Christi, quo solo peccata expiarentur. Quare, cùm hîc fiat mentio DOMINI in Zione magni & excelsi super omnes populos, perspicuum est, quòd intelligendus sit DOMINVS noster Iesus Christus, cuius & templum & sacrificia in templo peracta, vmbra fuerunt. Ille igitur verus DOMINVS Deus noster Iesus Christus, qui sedet super Cherubim, & qui colitur in Zione, REGNAT: & regnat, non in terra tantum, verumetiam in cœlo: Data est mihi (inquiens) OMNIS potestas, in cœlo & in terra. Sed quo tempore hic Psalmus initio cantatus est, Iesus Christus nondum humanam naturam assumpserat, quomodo igitur dictus

Rom. 3. *1. Ioan.* 4.

dictus est tunc regnare? Vt respondeam, Christus nõ vna tantùm, sed duabus naturis constat, diuina videlicet, & humana. Ac iuxta diuinitatem quidem, vt est eiusdẽ essentię & maiestatis cũ Deo patre, ab æterno, ita etiam eadem planè maiestate, cum eo ab ęterno regnat. Iuxta humanitatem autem, etsi promissionibus ab initio orbis adnuntiatus, & sacrificijs adumbratus est, tamen tunc primum cœpisse regnare dicitur, cùm Deus, adueniente plenitudine temporis, emisit filium suum, factum ex muliere, hoc est, cùm Verbum caro factum est, cumq; ascendit in cœlum, & consedit à dextris Dei patris sui, misso in Apostolos Spiritu sancto, & diuulgato Euangelio in vniuersum orbem terrarum. Regnat igitur in præsentia DOMINVS noster Iesus Christus, & regnabit, tam diuinitate, quàm humanitate sua, in domo Iacob, & super solium Dauidis in æternum. Quid autem hoc rege regnante, fieri solet in terris? Sequitur: Tumultuantur populi, & commouetur terra. Egregia quidem & insignia de Regno Christi in Prophetis prædicantur, & in hoc ipso Psalmo regnum Christi, singulari encomio commendatur, quòd in ipso iudicium & iustitia promoueant, non est autem sentiendum, quòd Christus regnet in his terris, mundano, sed spirituali & cœlesti modo. Nam, quod ad regnum terrenum, seu mundanum attinet, sicut Christus in passione sua coronatur spinis, & crucifigitur, ita regnat etiam inter spinas, ærumnas & afflictiones, inter tumultus, commotiones & conturbationes: DOMINVS regnat, (inquit Psalmus) ideò tumultuantẽ populi. Sedet super Cherubim, ideò commouetur terra.

ra. Postquam enim ab initio orbis, promissio diuina f
cta est de semine mulieris, hoc est, de Christo, cont
turo caput satanæ, ex eo tempore cœpit satan insidi
ri calcaneo Christi, & tumultuari ac sæuire aduers
Christum. Et quod non potuit in persona ipsa Chri
perficere, (quippe quòd Christus ante plenitudine
temporis nondum humanam naturam assumpsera
hoc semper conatus est in membris eius, qui sunt q
dentes in ipsum, peragere, donec ipse in hunc mu
dum venisset, & administrationem officij sui suscep
set, tunc enim toto impetu in ipsum ita grassatus
vt ipsum in crucem & in mortem adigeret. Quid p
ribus opus est? Satan, & ante incarnationem Chri
à condito orbe, & post incarnationē eius, vel in Ch
stum ipsum, vel in Ecclesiā eius incurrit, vt & pop
tumultuarentur, & terra perturbaretur. In Abele p
tomartyre, persecutus est Christum, per Cainum:
Israelitis, qui fuerunt suo tempore Ecclesia Chri
persecutus est Christum per Pharaonem regem Æg
pti: in eisdem Israelitis sæuijt in Christum per finit
mas gentes, per Moabitas, Ammonitas & Philistino
in Prophetis sæuijt in Christum per impios idolo
nitas: in populo Dei sæuijt in Christum per Anti
chum Epiphanem. Post incarnationem autē Chri
incurrit in Christum, in infantibus Bethlehemitic
per Herodem. Post ascensum eius in cœlum, incu
in ipsum, in Apostolis, per Iudæos. Denicq; in vniu
Ecclesia, per Iudæos pariter & Gentes, adeoq; incu
ret in eum, in omnibus pijs, vsq; ad nouissimum hui
seculi diem, per Antichristum, & impios eius San
2. *Timo.* 3. pas. Omnes enim, qui piè volunt viuere in Christ
perse

persecutionem patientur. Et: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. DOMINVS igitur noster Iesus Christus REGNAT quidem, sed in medio inimicorum, imò in medio diabolorum, quos ita compescit, vt etsi inuehuntur in Ecclesiam eius cruderiter, non tamen sinit eam tentari supra id, quod ferre potest: & compensat afflictiones huius temporis, æterna beatitudine.

3. *Gratiæ (igitur) agantur nomini tuo magno, & admirabili. Sanctum est enim.*

Conclusio primæ partis huius Psalmi, in qua conclusione hortatur Ecclesiam ad agendas gratias DOMINO nostro Iesu Christo, & ad celebrandum nomen eius, cui tribuit tria insignia epitheta, videlicet, Magnum, Admirabile, seu Stupendum, & Sanctum. Hoc enim illud est, quod Paulus ad Philippenses scribens: *Philip. 2.* Deus, inquit, extulit illum, Christum, in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum. Et ad Ephesios: *Ephe. 1.* Sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, potestatem, virtutem, dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verùmetiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius, &c. Cùm igitur Christus ad tantam altitudinem, & nominis maiestatem sit euectus, principiò, nomen eius est Magnum, quia filius altissimi, vt Archangelus dicit, vocabitur. Deinde, nomen eius est Admirabile, seu stupendum, quia ipse est DOMI-

NVS in cœlo & in terra, & collocatus ad dextram Dei patris, ſupra omnem principatum, & omne nomẽ, tam in hoc, quàm in futuro ſeculo. Poſtremò, nomen eius eſt Sanctum, quia non ſolùm ipſe ſanctus, & ab omni profanitate, natura ſua, alieniſsimus eſt, verùm etiam ſanctificat, quotquot in ipſum credunt, vt nomen eius meritò celebretur, & gratię ei agantur, quòd regnet.

4. *Et imperium Regis iudicium diligit: tu gubernas æquitate, iudicium & iuſtitiam in Iacob tu facis.*

Secunda huius Pſalmi pars eſt de Regno Chriſti. Chriſtus enim verus eſt Deus, & regnat in cœlo & in terra. Quale igitur eſt Regnum eius, & quas habet conditiones? Regna quidem & imperia huius ſeculi, quantò ſunt fortiora & potentiora, tantò magis ad tyrannidem inclinant, & propendent. Imperium autem Regis Chriſti, diligit iudicium, & gubernatur æquitate. Etſi enim eſt longè omnium potentiſsimum, tamen tantum abeſt à violentia & tyrannide, vt omnia ſummo iudicio & æquitate adminiſtrentur. Rex ipſe diligit iudicium, & id agit ſumma cura, vt nihil cuiquam, præter æquum & bonum contingat. Tu enim Chriſte, ille ipſe es, qui facis iudicium & iuſtitiam in Iacob. In deſcriptione quidem Regnorum huius mundi, vbi in ſacris literis duo hæc vocabula, Iudicium & Iuſtitia, coniunguntur, ibi hoc ſignificat, cùm nocentes ob malefacta puniuntur, illud autem, cùm innocentes ob innocentiam defenduntur, & honorantur. (Has enim duas eſſe partes officij boni magiſtratus,

tus, teſtantur Paulus & Petrus: Ad vindictam videlicet nocentium, laudem verò rectè agentium.) In deſcriptione autem Regni Chriſti, ibi iudicium ſignificat, condemnationem incredulorum & impœnitentium, ad æterna ſupplicia, Iuſtitia verò ſignificat liberationem credentium & piorum ex omnibus aduerſis, ad æternam ſalutem. Iuxta illud: Qui credit filio, habet vitam æternam: qui verò non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Rex igitur Chriſtus dicitur in Iacob, (hoc eſt) in regno ſuo, & in Eccleſia facere iudicium & iuſtitiam, cùm, condemnatis impijs, ſeruat credentes Euangelio & pios, in omnibus aduerſis, & donat eos æterna fœlicitate. Talis eſt conditio regni Chriſti. Ibi enim non eſt Iudæus, neq; Græcus: non eſt ſeruus, neq; liber: non eſt maſculus ac fœmina: nulla ibi eſt προσωπολημψία: nullus ibi nec perſonarum, nec officiorum reſpectus. Siue enim rex fuerit, ſiue ſubditus, ſiue ſapiens, ſiue deſipiens, ſiue doctus, ſiue indoctus, addo etiam, ſiue honeſtus, ſiue inhoneſtus, ſi quidem crediderit in Chriſtum, ſaluus erit: ſi autem non crediderit, condemnabitur: vt regnum Chriſti, ſumma quidem æquitate conſtet, diſſimilimū autem ſit regnorum huius mundi. *Rom.13.* *1.Petri 2.* *Gala.3.*

5. *Exaltate DOMINVM Deum noſtrum, & adorate ad ſcabellum pedum eius. Sanctus enim eſt ipſe.*

Tertia pars huius Pſalmi, in qua exponitur, quibus ſacris verus ille Rex & Deus, DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus colatur. Quiſquis igitur voluerit hunc Regem & Chriſtum, pro dignitate ſua colere & vene-

rari. Primùm, exaltet eum, prædicatione videlicet no-
Psalm.69. minis, & Euangelij eius: Laudabo, inquit, nomen Dei cum cantico, magnificabo eum laude seu confessione. Et: Placebit DOMINO, plus quàm vitulus, cornua producens & vngulas. Deinde, adoret ad scabellum pedum eius. Scabellum pedum Christi, dicitur, in lege quidem Mosi Arca propitiatorij, cum duobus Cherubim, quòd DOMINVS in ijs sedere ac habitare dicatur, ad quam arcam, Israelitæ necesse habebant in adoratione & inuocatione sua, faciem suam vertere: in Euangelio autem, Christus ipse, seu humanitas, quam Christus, filius Dei, in vnitatem personæ suæ assumpsit. Vt igitur ritè colas DOMINVM nostrum Iesum Christum, adorandus est, non vt Deus tantùm, sed etiam vt homo, non secundum diuinitatem suam tantùm, sed etiam secundum humanitatem suam, (hoc est) totus est & diuinitate & humanitate adorandus. In ipso
Colo.2. enim inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.
Phili.2. Et: Deus extulit ipsum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Obseruabile est, quod Diuus Augustinus in hunc Psalmum scribit: Exponens, inquit, mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursus, timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum eius. Quæro, quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura:

ptura : Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans, conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra, terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm nō peccemus adorando, ſed peccemus NON adorando. Hactenus Auguſtinus. Sed & hic ipſe Pſalmus addit cauſam, cur vel ipſum ſcabellum pedum DOMINI, vel ad ſcabellum pedum DOMINI, ſit adorandum. Dicit enim: Quia ſanctus eſt ipſe, videlicet, Chriſtus. Aut: Sanctū eſt ipſum ſcabellum. Nam ſiue intelliges Chriſtum ipſum, ſiue ſcabellum eius, quod humanitatem eius ſignificat, adores ipſum, neceſſe eſt, propterea quòd humanitas Chriſti ſit ſancta, non qualiter alij homines dicuntur ſancti, ſed qualiter ſanctus eſt vnigenitus filius Dei, qui humanitatem in eandem perſonam, ideoq; coadorandam, aſſumpſit.

Porro, Chriſtus colendus & venerandus eſt, non tantùm exaltatione, ſeu celebratione nominis ſui, & adoratione, verùmetiã inuocatione. Sic enim in Pſalmo ſequitur:

6. *Moſes & Aheron inter ſacerdotes eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomẽ eius: inuocabant DOMINVM, & ipſe exaudiebat eos.*

7. *Per columnam nubis loquebatur ad eos, custodierunt testimonia eius, & præceptum, quod dedit eis.*
8. *DOMINE Deus noster, tu exaudiebas eos. Deus, propitius fuisti eis, & vlciscebaris facta illorum.*

Ne quis enim arbitraretur, Christum adorandũ tantùm, vt Monarcham terræ, sed etiam adorandum, vt Deum cœli, addit de inuocatione. Nam Christus non solum adorandus est externo corporis gestu, sicut Reges huius mundi adorari solent, verùmetiam adorandus est inuocatione, sicut Deus ipse adoratur: & inuocandus, vt verus adiutor in necessitatibus, & auxiliator in omnibus afflictionibus. Probat autẽ illud exemplis trium veterum Prophetarum, qui quondam inuocabant Christum, in suis, & populorum suorum aduersis, & Christus exaudiebat eos, ac opem ferebat, vt citissimè, ita & promptissimè.

Primus est Moses. In Numeris enim, cap. 14. cùm exploratores Israelitarum infamassent terram Canaan, & exposuissent, fieri non posse, vt Israelitæ ingrederentur, & occuparent eam, populus ad seditionem contra Mosen concitatus est, & deliberauit, de reditu in Ægyptum. Deus igitur in tantam indignationem exarsit, vt susciperet Israelitas ad internicionem vsq; delendos: Vsquequo, inquiens ad Mosen, detrahet mihi populus iste? Quousq; non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atq; consumam, TE autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est. Moses verò, misertus calamitatis populi, intercessit pro

ſit pro eis apud DOMINVM, quantis potuit precibus: Dimitte, obſecro, inquiens, peccatum populi tui huius, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto, vſq; ad locum iſtum. Itaq; iram Dei ſic placauit, vt Deus ipſe exclamaret: Dimiſi, inquiens, iuxta verbum tuum. Viuo ego, implebitur gloria DOMINI vniuerſa terra.

Secundus eſt Aheron, frater Moſi, qui & ipſe deprecatione ſua, iram Dei, graſſantis iam ad interitum Iſraelitici populi, ita mitigauit, vt etſi plus quàm quatuordecim millia perierant, & totus Iſrael ad internicionẽ deſignatus erat, plaga tamen ceſſaret. In Numeris enim, cap. 16. cùm in ſeditione Chore, Dathan & Abyron, magna multitudo perierat, & culpa interitus in Moſen & Aheronem reiiceretur, ignis autem à Deo in populum ita ſæuiret, vt videretur vniuerſa Iſraelitarum caſtra deuoraturus, iuſsit Moſes Aheronem tollere thuribulum, & offerre thymiama, ac deprecari pro populo. Ecce igitur, rem non mirandam tantùm, ſed & ſtupendam, Aherone offerente thymiama, & deprecante pro populo, plaga ceſſauit.

Tertius eſt Samuel Propheta, qui etſi non fuit ex ordine Sacerdotali, ſed tantùm Leuitico, erat tamẽ inter illos, qui nomen DOMINI inuocabant, & populo ſuo inuocatione ſua ſalutem impetrabant. In priori enim libro Samuelis, capite ſeptimo, incurrunt ſatrapæ Philiſtinorum in Iſraelitas, & minabantur ipſis extrema mala. Poſtquam autem Iſraelitæ admonuerunt Samuelem, vt non ceſſaret pro ipſis clamare ad DOMINVM, & Samuel votis eorum gratificaretur, vide mihi rem non inſolitam tantùm, ſed & horrendam.

Samue-

Samuele enim offerente holocaustum, & ad DOMINVM clamante, intonuit DOMINVS fragore magno, in die illo, super Philistinos, & ita exterruit eos, vt nõ solùm fœdissimæ fugæ sese darent, verùmetiam ad internecionem penè delerentur. Certè, cunctis diebus Samuelis, non potuerunt coram Israel caput suum attollere. Habes tres Heroas, qui inuocatione sua salutẽ populo suo attulerunt, & in extremis periculis seruauerunt. Videamus autem nunc, QVEM DEVM inuocauerint? Quem verò alium inuocauissent, nisi
Exod.24. DOMINVM Deum, cuius Mose & Aheron Sacerdo-
Leui.11. tes, & Samuel, Propheta fuerunt, qui videlicet collo-
1.Samu.3. cutus erat cum ipsis per columnam nubis, & per visionem nocturnam, aut, vt adhuc explicatius dicam, qui in Zion colebatur, et per propitiatorium adumbrabatur. Is est Iesus Christus DOMINVS noster, verus Deus, creator cœli & terræ, Rex regum, & DOMINVS dominantium, qui etsi illo tempore, quo hæc gesta sunt, nondum humanam naturam assumpserat, tamen colloquebatur cum Patriarchis, tuebatur suam Ecclesiam, educebat captiuos è tyrannide Pharaonis, seruabat Israelitas in mari rubro, ferebat Legem in monte Sinai, dabat Manna de cœlo, & aquam de petra, collocabat, deuictis Gentibus Cananæis, Israelitas in terra Canaan, adeoq; omnia in cœlo & terra administrabat: Patres nostri, inquit Paulus, omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt. Ac mox: Bibebant de
1.Cor.10. spirituali comitante petra: petra verò erat Christus. Et iterum: Neq; tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Et in Epistola ad Hebræos: Iesus Christus heri & hodie, idem

idem est etiam in secula. Cùm igitur Moses, Aheron & Samuel, iam tum Christum inuocauerint, & ab ipso salutem populorum suorum in summis periculis impetrauerint, manifestum est, Christum non tam adoratione ciuili, qualiter mundani Reges, adorantur, quàm inuocatione spirituali, qualiter verus & æternus ipse Deus, colendum & venerandum esse. Inuocabant DOMINVM, videlicet, Christum, & ipse Christus exaudiebat eos. Per columnam nubis loquebatur ad eos, Mosen videlicet, & Aheronem. Iusserat enim DOMINVS Mosen, secum assumere Aheronem, in montem & nubem, è qua DOMINVS loquebatur cum Mose: Vade, inquiens, descende: ascendesq; tu, & Aheron tecum. Testatur etiam liber Leuiticus, cap. 11. 13. & 15. Et liber Numerorum, cap. 2. 4. 18. & 19. DOMINVM, & cum Mose & cum Aherone è nube collocutum esse. Iubebat quidem DOMINVS etiam alias, Mosen secum assumere, non tantum Aheronem, verùmetiam Nadab & Abihu, & septuaginta ex senioribus, sed iubebat eos, vt non propè accederent, sed à longè adorarent. Aheronem vero admisit aliquoties, vna cũ Mose, etiam in secretiora colloquia. Et sequitur: Custodierunt testimonia eius, & præceptum, quod dedit eis. Psalmus autem non loquitur hîc, de personalibus horum Prophetarum erratis & vitijs, sed de generali eorum ministerio. Etsi enim Moses peccauit ad aquas contradictionis incredulitate, & Aheron Architectatione vituli aurei, & Samuel indulgentia liberorum suorum, tamen de his peccatis non fit in præsentia sermo, sed de ministerio eorum in ferenda & explicanda lege DOMINI, & in intercedendo pro populo, iuxta

Exo. 19.

Exo. 24.

officium & vocationem ipsorum. De Mose scriptum
Num.12. est: Moses, inquit DOMINVS, in domo mea fide-
Heb.3. lissimus est. Aheronis ministerium approbat DOMI-
Num.17. NVS de cœlo, virga mirabiliter germinante. Samue-
Hier.15. lis inuocationem celebrat Hieremias. In hoc igitur
ministerio, hi tres summam præstiterunt operam &
fidem, vt verè de ipsis dicatur, quòd custodierint testi-
monia DOMINI, & præceptum, quod dederat ipsis
DOMINVS. Vnde & additur: DOMINE Deus no-
ster, tu exaudiebas eos, Deus, propitius eis fuisti. Quia
DOMINVS noster Christus, delectatus intercessione
eorum pro populis suis, remittit quidem iram suam, vt
non extinguat & deleat ipsos internicione, sed ta-
men seditiosorum & impiorum conatus & studia vl-
ciscatur & puniat: Dimisi (inquit Christus ad Mosen)
Num.14. iuxta verbum tuum. Addit autem: Filij vestri erunt
& 16. vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt forni-
1.Sam.12. cationem vestram. Et in Samuele, Israelitæ, cùm, con-
tempto Samuele, Regem petijssent, cœlesti voce ita
exterrentur, vt repentinam mortem sibi imminere ar-
bitrarentur. Hîc nobis considerandum venit, quate-
nus valeat aliena apud Deum intercessio: Moses &
Aheron intercedunt apud Deum pro populo suo, &
impetrant ei conseruationem. Loth intercedit pro op-
pidulo Seor, & impetrat ei incolumitatem. Samuel in-
tercedit pro Israelitis, & impetrat eis victoriam. Num
quid ergo aliena intercessio profuerit, sine illorum,
pro quibus interceditur, pœnitentia? Dubium qui-
dem non est, quin aliena intercessio multa impetret
beneficia, tam corporalia, quàm spiritualia. Vt autem
remissionem peccatorum, & æternam salutem, quæ

sunt

sunt verè cœlestia & perpetua beneficia, consequaris, nullus est, qui tibi impetrare queat, nisi tuipse pœnitentiam egeris, & credideris. Quare, non est, quòd aliena intercessione confidas. Sed ad consequendam coram Deo peccatorum condonationem, & vitam æternam, necesse habes, tuipse, pœnitentiam agere, & propriam habere fidem, qua coram Deo, per Iesum Christum, DOMINVM nostrum iustificeris.

9. *Exaltate DOMINVM Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quia Sanctus DOMINVS Deus noster.*

Concludit Psalmum versiculo, qui suprà erat quintus, & iterum docet ac hortatur, quo cultu, & quibus sacris DOMINVS noster Iesus Christus sit colendus. Nam si gratum cultū Christo Domino nostro præstare volueris, nō gratificaberis ei, sacris, humana traditione conflictis & institutis: Frustra enim, inquit, colunt me, *Matth. 15.* docentes doctrinas, præcepta hominum. Sed colendus est, primùm, Exaltatione, (hoc est) nominis eius agnitione & glorificatione, videlicet, vt agnoscas ipsum, humiliatum quidem, propter salutem humani generis, vsq; ad mortem crucis, exaltatum autem in summam sublimitatem, ad dextram Dei patris in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùmetiam in futuro. Deinde colendus est Adoratione. Quod enim suprà, versiculo quinto dixit: Adorate ad scabellum pe-

dum eius, hoc nunc dicit: Adorate ad montem, vel in monte sancto eius. Iterum autem loquitur pro tempore pædogagiæ. In Mosaica enim politeia adorandum erat, versa facie, ad arcam Testamenti, & ad propitiatorium, hoc est, ad templum, in monte Zion ædificatum. Hæc autem omnia, Templum videlicet, Arca testamenti, & Propitiatorium, adumbrarunt Iesum Christum DOMINVM nostrum. Cùm ergo in hoc versiculo dicitur: Adorate ad montem, vel in monte sancto meo, significat, Patrem adorandũ in Spiritu & veritate, hoc est, in Iesu Christo DOMINO nostro, vt Adorare in monte sancto, nihil aliud sit, quàm quod Christus ipse apud Ioannem dicit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium: Si quid petieritis per nomen meum, EGO FACIAM. Et quod Paulus dicit: Donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.

3. Reg. 8.

VSVS HVIVS PSALMI.

In Actis Apostolicis, duo extãt dicta Petri Apostoli, quæ exponunt verum vsum huius Psalmi. Alterum est: Certò sciat tota domus Israel, quòd DOMINVM & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Alterum: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

ri. In hoc autem Psalmo proponitur nobis Christus cognoscendus, vt verus Deus DOMINVS noster, sedens ad dexteram Dei, iudicaturus viuos & mortuos. Vociferantur igitur Mahumetani: Non est Deus, nisi Deus, & Mahumet Propheta eius. Nos autem vociferemur iuxta hunc Psalmum: Non est verus Deus, nisi Christus DOMINVS noster, iuxta Prophetica & Apostolica testimonia, per quem adnuntiatur nobis remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus non potuimus per legem Mosi iustificari. Per hunc autem omnis, qui CREDIT, iustificatur, vt non solùm non imputentur ei peccata, verùmetiam ornetur iustitia Christi, qua constet coram tribunali Dei, & donetur Spiritu sancto, qui efficiat, vt non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulemus. *Act. 13.*

Psalmus 100.

Iubilate Deo omnis terra, seruite DOMINO, &c.

Onagesimum nonum Psalmum, peropportunè sequitur centesimus. In illo enim continetur, commendatio DOMINI nostri Iesu Christi, & maiestatis regni eius: in hoc autem continetur adhortatio, breuis quidem illa, sed alacris, ad laudandum & celebrandum nomen Christi, in tota terra, & inter omnes Gentes. Qui enim maiestate sua superat omnia, & beneficentiam suam omnibus fruendam offert, is ab omnibus etiam coli & celebrari meretur.

1. *Iubilate DOMINO omnis terra.*
2. *Seruite DOMINO in lætitia, venite ante conspectum eius, in exultatione.*

DOMINVS autem ille, (quemadmodum antè dixi-mus) cui iubilet omnis terra, cui seruiant omnes huius terræ incolæ, & in cuius conspectum ingrediantur omnes homines, læti & alacres, est DOMINVS noster Iesus Christus, qui est exaltatus ad dextram Dei, supra omnem principatum, & supra omne nomen, quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verùmetiã in futuro.

Et

Et iubilent ei ac seruiant, non tantùm Iudæi, sed etiam Gentes, adeoq; omnis terra, tam Iudæi, quàm Gentes. Seruiant autem, non tristes, non mœsti & sordidati, sed læti & alacres. Quid ergo est, inquies, quod in alio Psalmo dicitur: Seruite DOMINO in timore, *Psalm. 2.* & exultate ei cum tremore? In nostro Psalmo iubemur seruire DOMINO in lætitia, & venire ante conspectum eius in exultatione. In secundo autem Psalmo, iubemur DOMINO seruire in timore, & exultare ei cum tremore. An non timor & tremor pugnant cum lætitia & exultatione? Sed si alterum retuleris ad agnitionem peccati, alterum ad fidem in Christum, in tantum non pugnant, vt alterum, alterius sit Parasceue. Nam si susceperis DOMINO Christo verè, & ex animo seruiendum, principiò agnoscenda sunt peccata: hic est timor & tremor. Quis enim peccata sua agnoscens, & iudicium eorum seriò considerans, non expaueſceret, non trepidaret? Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Deinde, credendum est in Iesum Christum, quòd peccata per ipsum sint expiata, & nobis, propter ipsum, clementer condonata. Hæc est lætitia & exultatio. Quid enim lætius nobis contingere potest, & in quo alacrius exultandum, quàm quòd iustificati ex fide, pacem habeamus erga Deum, per DOMINVM nostrũ Iesum Christũ, per quem & cõtigit nobis, vt fide perduceremur in gratiã hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Sic ergo seruiamus DOMINO nostro Iesu Christo, vt ex agnitione quidẽ peccatorũ trepidemus, ad iudiciũ Dei, sed econtra cõcipiamus ex fide in Christũ, lætitiã et exultationẽ, vt semper

in DO-

in DOMINO gaudeamus, indefinẽter oremus, & gratias in omnibus agamus.

Videamus autem nunc causas, cur DOMINO Christo sit iubilandum, & in lætitia seruiendum.

3. *Scitote, quoniam DOMINVS ipse Deus. Ipse fecit nos, & non nos ipsi: populus eius, & oues pascuæ eius.*

Duæ sunt præcipuæ causæ, quæ nos excitare, imò inflammare debent, vt Christo iubilemus & seruiamus. Altera est, quòd non sit tantùm creator, sed etiam pastor & conseruator noster. Altera, quia tam bonus est erga nos, vt misericordia & veritas eius sit perpetua. Ac de priori quidem prius. DOMINO enim nostro Iesu Christo seruiendum est, non seruiliter, sed liberè, non coactè, sed ingenuè, non tristi, sed læto & alacri animo, qualiter obedientes filij dulcissimo suo parenti seruire solent. Nam Christus, primùm est creator noster: Nec enim nos ipsi fecimus & creauimus nos, sed ipse est factor & creator noster, qui condidit nos ex nihilo. Deinde, ipse est conseruator, seu pastor noster: Non tantùm creauit nos, sed etiam conseruat nos, & alit. Nos enim sumus oues pascuæ eius. Ducit & reducit nos ad læta pascua, sicut pastor gregem suum: Ego sum, inquit, pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Et iterum: Ego sum ostium, per me, si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & PASCVA inueniet. Et iterum: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Dices autem: Fateor quidem, Christum esse creatorem & conseruatorem nostrum, siquidem de

æterna

æterna eius diuinitate loquaris. Quomodo autem sit creator noster, si humanitatem eius respexeris, non video, quippe quòd humanitas eius, ipsa sit creatura, & in plenitudine temporis, de Spiritu sancto in virgine Maria concepta, & ex ea nata. Sed memineris, Christum DOMINVM nostrum, verum quidem Deum esse ab æterno, in plenitudine autem temporis, assumpsisse humanam naturam, ex Maria virgine, idq; non simpliciter, quemadmodum homo quispiam assumit vestem, quam iterum pro suo arbitrio deponat, sed assumpsisse eam, tam arcto (vt ita dicam) nexu & vinculo, vt Deus & homo vna fieret persona. Ex quo factum est, vt cùm humanitas Christi, in eandem inseparabilem personam, cum æterno filio Dei, assumpta, ante incarnationem Christi fuerit creatura, post incarnationem autem fieret etiam ipsa creatrix, idq; non natura sua & essentia, sed propter personalem filij Dei & filij hominis vnionem. Totus igitur Christus, tam diuinitate, quàm humanitate, post incarnationem suam, vt verus DOMINVS, creator & conseruator noster, reuerendus & adorandus.

Sed priusquam altera causa recitetur, Psalmus facit ad eam transitionem, iterum cohortans, vt ingrediamur Sanctuarium, seu tabernaculum eius.

4. *Ingredimini, inquiens, portas eius cum gratiarum actione, in atria eius cum laude: gratias agite ei, benedicite nomini eius.*

5. *Quoniam bonus DOMINVS, in æternum misericordia eius, & vsq; ad generationem & generationem veritas eius.*

Altera causa, cur DOMINO nostro Iesu Christo sit iubilandum, & seruiendum in lętitia: Quoniam Christus (inquit) est DOMINVS, idq; non simpliciter, sed bonus & beneficus, cuius misericordia est sempiterna, & veritas perpetua. Non enim talis est, qui non conferat beneficia in populum suum, nisi benemeritum: sed qui, vt promittit beneficia gratis, absq; vllo meritorum respectu, ita etiam seruat promissa, gratuita clementia, constantissimè. Vt misericordia eius perpetua est, ita etiam veritas promissionum eius, est perpetua. Christus, non est Deus futilis & vanus, quales solent esse Dij Gentium, sed est Deus verax, idq; in generationem & generationem, hoc est, in sempiternum. In
Gene.15. Genesi promittit Christus, filius Dei, se posteros Abrahæ ex Ægyptiaca tyrannide liberaturum, & eis terram Canaan in possessionem traditurum: Semini tuo (inquit ad Abraham) dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vsq; ad fluuium Euphraten. Et hanc promissionem, tam firmiter, tam constanter seruauit, vt cùm obstaret ei rex Ægyptiacus, qui erat terræ Monarcha, & mare rubrum, & horribile desertum, & fortissimę gentes, in terra Canaan, maluerit rerum naturã inuertere, quàm in promissis suis mendax esse. In Esaia promittit se in plenitudine temporis coràm affuturum, humanam naturam assumpturum, & sacrificium suum pro peccatis
Esai.52. facturum: Qui loquebar, inquiens, ecce Assum. Hanc promissionem, e qua omnes aliæ pendent, ita veraciter, definito suo tempore, seruauit & impleuit, vt maluerit crucifigi & mori, quàm non esse verax. Cum veritate & constantia filij Dei, consentit etiam
Hier. 33. Deus pater eius cœlestis: Si irritum, inquiens, potest fieri

fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit, cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes ministri mei. Cùm igitur Christus filius Dei, imò Deus & DOMINVS ipse, sit non tantùm misericors, sed etiam in promissis suis veracissimus & constantissimus, meritò ingrediendum est in portas tabernaculi eius, cum sacrificijs gratiarum actionis, & laudis, (hoc est) coniungendum est se, cum Ecclesia Christi, vt beneficiorum eius participes fiamus, & ipsis perpetuò fruamur.

VSVS HVIVS PSALMI.

In descriptione regni Christi, duæ inprimis siue virtutes, siue affectiones Christo attribuuntur, quarũ altera est Misericordia, altera, Veritas, eaq; non momentanea, sed stabilis et perpetua. Nec hoc loco tantùm, sed cùm in alijs locis, tum præcipuè in Psalmo 89. Iustitia (inquit) & iudicium sunt basis throni tui, misericordia & veritas sunt tibi curæ. Regnum igitur Christi, non est regnum iræ & severitatis, sed regnum Misericordiæ & Veritatis. Nam, si quis iudicio peccati ita perturbatus fuerit, vt metuat æternam iram Dei, is recipiat sese in regnum Christi, (id quod fit, per fidem in Christum) & meminerit se non amplius versari in regno iræ, sed in regno æternæ misericordiæ & gratiæ. Aut si quis obrutus fuerit horrore mortis, & metuat sempiternam mortem, propter peccatum, is conferat se in regnum Christi, (id quod fit per fiduciam nominis Christi) &

certò ſciat, ſe verſari, non in regno mortis, ſed in regno vitæ & veritatis. Aut ſi quis inferni faucibus ita apprehenſus fuerit, vt animum de ſalute ſua deſpondeat, & non videat, niſi æternum interitum, is properet ad regnum Chriſti, (id quod fit, ſi quis crediderit in Chriſtum) & certam concipiat perſuaſionem, ſe non amplius detineri in regno inferni, ſed euaſiſſe in regnum cœli: Lex enim (inquit) per Moſen data eſt, gratia autẽ & veritas per Ieſum Chriſtũ exorta eſt, (hoc eſt) Moſes oſtendit per legem, peccatum ac iram Dei, & conijcit in mortem & infernum, propter peccatũ: Chriſtus autem reſtituit nos gratiæ & miſericordiæ Dei, vt abſoluti à peccato, vera & æterna bona, in cœleſti regno poſsideamus. Quare illud ſolùm agamus, & eò tantùm tendamus, vt è regno Moſi, quod non eſt, niſi regnum iræ, mortis & inferni, ad regnum Chriſti, quod eſt regnum miſericordiæ, remiſsionis peccatorum, veritatis, vitæ & perpetuæ ſalutis, transferamur.

PSALMORVM
DAVIDIS
DECAS VNDECIMA.

IN QVA, CVM SEX PSALMIS PRIO-
ribus absolutis Reuerendus & Clarissimus vir D. IOAN-
NES BRENTIVS *rebus eximeretur humanis,*
reliquos THEODORICVS SNEP-
FIVS D. *breui interpretatione*
persecutus est.

TVBINGÆ,
Apud Osuualdum & Georgium Gruppenbach.
M. D. LXXI.

PSALMI VNDECIMÆ DECADIS.

101. *Misericordiam & iudicium cantabo.*
102. *DOMINE exaudi orationem meam, & clamor meus, &c.*
103. *Benedic anima mea DOMINO, & omnia, quæ intra me sunt.*
104. *Benedic anima mea DOMINO, DOMINE Deus meus magnificatus.*
105. *Confitemini DOMINO, & inuocate nomen eius.*
106. *Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.*
107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*
108. *Deus laudem meam ne tacueris.*
109. *Dixit DOMINVS DOMINO meo, sedè à dextris meis.*
110. *Confitebor tibi DOMINE in toto corde meo.*

REVERENDIS
ET CLARISSIMIS VIRIS, PIETATE, VIRTVTE, SAPIENTIA, DOCTRINA PRAESTANTISSIMIS MONASTEriorum in Ducatu VVirtembergensi Præsulibus dignissimis, Dominis suis omni obseruantia colendis, salutem in Iesu Christo.

QVo consilio Reuerendus vir pię memoriæ D. Ioannes Brentius, socer & pater meus charissimus, suos in Psalmorum Decades Cõmentarios scribere sit aggressus, ex ea Epistola, quam primæ Decadi præfixit, notum est. Voluit enim (vt summa dicam) eos adolescentes, qui studiorũ causa, & quidem liberalitate Illustrissimi Principis nostri, in Cœnobijs aluntur, ad diligens quoddam & accuratum studium eius libri inuitare, cuius singulas sententias γνώμας possis dicere. Quo in genere accommodatissimam esse breuitatem iudicauit. Nam cum ea aliâs gratissima sit (χάρις γὰρ βαιοῖσιν ὁπηδεῖ) tùm verò necessaria est, cùm prima illa ætas de grauissimis rebus docetur. Etenim in tanta consilij imbecillitate, qualis in adolescentia esse consueuit, prodest compendio summas rei, quasi in tabu-

la adumbratas proponere, vt totum negocium tenera ætas in conſpectu habens, & memoriæ infigat melius, & rectius etiam aſſequatur. Itaque in eo ſcripto hoc diligenter egit, vt ſeriem argumentorũ in quolibet Pſalmo, locos Theologicos præcipuos, ſumma breuitate proponeret. Et quia propter linguæ Hebreæ ignorationem, multa videntur eſſe inuoluta, elegantiam peregrinæ linguæ ſuccincta paraphraſi ita expreſsit, vt Pſaltes non iam Hebraicè, ſed Latinè loquutus videatur. Sed cùm in eo negocio ſtudioſius elaborat, & explicationem ſuam ad Pſalmum 107. deducit, ex hac lachrymarũ valle ad illam æternam & beatam vitam, vbi perpetuas Domini laudes cum Patriarchis, Prophetis omnibus, deniq; noſtro etiam Dauide & ſanctis angelis concinit, euocatus eſt: ſuo ſanè maximo commodo, noſtro autem dolore ſummo, qui non ſolùm dulciſsima ipſius conſuetudine, ſed ijs etiam laboribus priuati & deſtituti ſumus, quos cupiebamus eum ad finem deducere. Cùm autem ipſo vita functo, de æditione ſex Pſalmorum Decadis vndecimæ ageretur (neque enim committendũ erat, vt iſti cum ipſius corpore ſepulti viderentur) doctiſ-

doctiſsimi quidam mihiq; coniunctiſsimi viri inſtiterunt, vt non modò huius Decadis Pſalmos, ſed reliquos etiam ad imitationem Soceri (quantum quidem fieri poſſet) interpretarer. Quod conſilium initio ita mihi diſplicuit, vt ne audire quidem eos vellem : propterea quòd conſcius mihi eſſem tenuitatis meæ, & hoc literato ſeculo hominum doctorum iudicia reformidarem. Non tamen illi deſiſterunt vrgere propoſitum ſuum, dicentes hoc obſequium Socero defuncto præſtandum eſſe. Nec eam rem tantũ difficultatis habituram, quòd iam per annos duodecim & amplius in reliquorum Prophetarum interpretatione vtcunque ſim verſatus. Quanquam autem habebam quod reſponderem, tamen autoritate flagitationibusq; ipſorum victus, ceſsi, & breues hoſce commentariolos ædendos iudicaui : partim quidem, ne ſex illi (qui mihi luce digniſsimi videntur) perirent : partim vt amicis ſatisfacerem : partim verò vt qualicunque conatu ad vtilitatem tyronum in Theologia elaborarem. Eo me conſilio fuiſſe adductum, teſtabitur ipſum interpretationis meæ filum. Neque enim latius euagandum putaui, ſed cancellos

methodi mihi ipſe circumdedi, dum argumẽ-torum ſeriem nudis verbis expono, non veritus etiam ex media Dialectica & Rhetorica terminos mutuari, vt adoleſcentes vſum illorum pręceptorum in materia Theologica conſpicerent: qua in re quantum pręſtiterim, aliorum ſit iudicium. Meum verò hunc laborem, Reuerendi & Clariſsimi viri, V. R. dedicandum putaui, vt tantorum virorum patrocinio ab obtrectatorum calumnijs tutus ſit. Quanquam enim ipſe intelligo, quantum ab ea dexteritate interpretationis abſim, quam Socer meus piæ memoriæ longo vſu, exquiſita doctrina, tum felicitate quadam ingenij ſingulari partam habuit: tamẽ cùm ſciam V. R. & D. de meis ſtudijs ſemper candidè iudicaſſe, non dubito eas in hoc declarandæ pietatis ſtudio, & qualicunque conatu meo animum magis meum, quàm aut elegantiam verborum aut ingenij acumen eſſe ſpectaturas. Quod ſi intellexero, primum hunc meum fœtum R. V. non diſplicuiſſe, dabo profectò operam, vt omni ſtudio, cura & diligentia ad profectum in hoc genere elaborem, æditurus in tres reliquas Decades, Deo me iuuante, breues cõmentariolos.

Deum

Deum autem æternum patrem Domini & liberatoris noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, vt vos Eccleſię in hoc Ducatu columnas & clariſsima lumina, ad nominis ſui gloriam, vtilitatem piorum, conſeruationem eorum Gymnaſiorum, quibus ſumma laude præſidetis, clementer tueatur. Bene & feliciter in Ieſu Chriſto valete. Datæ Tubingæ, anno LXXI. menſe Iulio.

V. R. & D.

Obſeruantiſs.

Theodoricus Snepffius D. Paſtor et Profeſſor Thęologiæ Tubingæ.

Psalmus 101.

Misericordiam & iudicium cantabo, &c.

Παραινετικὰ ἢ νουθετικὰ Græci vocant, quæ exhortandi aut admonendi gratia siue scribuntur, siue instituuntur. Vt cùm Philippus Macedo, posteaquam vires Athenienſium apud Cheroneam contriuisset, instituit, vt vnus ex pueris, ad exortum Solis ingressus vociferaretur: Φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ, Philippe, homo es. Qua voce admoneretur, ne nimia felicitate seſe efferret, sed meminisset, se esse hominem, etiam ipsum varijs fortunæ casibus obnoxiũ. Hoc Philippi Regis institutum, νουθετικὸν est. Aut cum apud Ægyptios circumfertur à cœna mortuus quispiam è ligno effictus, cum acclamatione: σὺ τοῦτον ὁρέων, πῖνε καὶ τέρπευ. Ἔσεαι γὰρ ἀθάνατος τοιοῦτος. In hunc intuens, pota & oblectare, talis enim eris, postquam mortuus fueris. Hoc Ægyptiorum factum, νουθετικὸν est. Admonebat enim spectatores tùm modestiæ, tùm mortis. Ad hunc catalogum pertinet etiam illud Regni cuiusdam institutum, in quo, quamprimùm electus esset Rex, primi omnium præstò aderant lapidicidæ, afferentes singuli singula genera marmorũ, & interrogantes Regem, è quo genere velit sibi sepulchrum architectari: illud videlicet significantes, de quo & Moses admonuit, cor Regis nõ debere eleuari super fratres suos in superbiam: sed meminisse, & se mortalem, & rationem administrationis suæ, Regi immortali dandam esse. Nõ dissimili

Herodotus in Euterpe.

Deut. 17.

dissimili consilio (nisi quæ est dissimilitudo inter conciues sanctorum, et extraneos à testamentis promissionis) arbitror Dauidem hunc centesimum primũ Psalmum composuisse, & vel cantandum Ecclesiæ publicè, vel recitandum priuatim familiaribus suis tradidisse, vt admonerẽt ipsum, tam suæ gubernationis regiæ, quàm administrationis suæ domesticæ familiæ, & continerent ipsum hac νουθεσίᾳ & παραινέσει in officio.

1. *Beneficentiam & iudicium cantabo, Tibi DOMINO psallam.*

Primus versiculus est propositio Psalmi, in qua Psaltes statim exponit summatim, quid in hoc Psalmo sit cantaturus: Cantabo (inquit) adeoq; psallam TIBI DOMINO, hoc est, coram te DOMINE Deus noster. Nam, quod ad te attinet, tu quidem nulla indiges admonitione, vt cognoscas, quæ sint officia Regis & patrisfamilias, (sapientiæ enim eius, inquit alius Psalmus, non est numerus) sed ego, ego (inquam) ipse indigeo tam admonitione, quàm cohortatione, ad præstandũ officiũ tam iusti Regis, q̃ boni patrisfamilias. Quare recitabo in hoc Psalmo, nõ tibi, tanquam ignoranti, sed mihi, tanquam auxilio tuo indigenti, vt in hac mea tùm ingenij, tùm virium imbecillitate, opem feras. Deficit enim me tam intelligentia, quàm vires præstandi mei officij. Coram te igitur ista recito, vt quod mihi deest, tua gratia resarcias. Cantat autem & psallit beneficentiam & iudicium. Hæ sunt duæ partes officij Regij seu pij Magistratus. Altera pars est beneficentia, cùm bonis benefit, et benemeriti, à Rege

aut Magiſtratu, gratiam, quam merentur, reportant. Altera pars eſt iudicium, cùm mali iudicantur, & ſceIerati legitimis ſupplicijs afficiuntur. Sic enim Petrus definit Magiſtratum, ſeu Præſides, quòd mittantur, ad
1. Pet. 2. vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium. In hoc ergo Pſalmo, ſuſcipit Pſaltes ſe decantaturum vtramq; partem, officij pij Regis & boni Magiſtratus, non vt Deum doceat, ſed vt ſeipſum officij ſui admoneat, & ad præſtandum ipſum exuſcitet, ac inflammet.

2. *Prudenter ago in via immaculata, cùm veneris ad me, ambulo in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.*

Primum officium boni Magiſtratus & patrisfamiliàs, vt ante omnia ſeipſum rectè gubernet, & ſibijpſe ſit Magiſtratus. Prudenter, inquit, ago, in via immaculata, cùm veneris ad me, (hoc eſt) cùm tradideris te in familiam meam, & volueris aut in domo, aut in regno & ditione mea verſari, primùm omnium meum exemplum inſpicias & ſecteris, neceſſe erit. Ego enim in hanc rem omnem diligentiam adhibeo, vt ambulem in via immaculata, & ducam inculpatam ac integram vitam, ne quo modo fiat, vt cum neceſſe habeam alios regere, & mores eorum gubernare, ipſe reprobus efficiar. Quare, qui voluerit in famulatum meum venire, aut domeſticus & contubernalis meus eſſe, inculpatam & irreprehenſibilem vitam ducat, oportet. Hoc eſt præcipuum officium gubernatoris, ſiue Principis ſiue patrisfamiliàs, vt ſeipſum gubernet, ſuos mores regat, ac ſummam det operam, ne, cùm dominetur hominibus,

minibus, ipse sit suorum affectuum seruus, quæ est seruitus longè omnium fœdissima. Vetus extat versiculus: Regis ad exemplum, totus componitur orbis. Princeps igitur aut paterfamilias, qui turpem & flagitiosam vitam ducit, nō solùm nocet peccato, sed etiam exemplo, vt qui imitantur, iure se peccare arbitrentur.

3. *Non studeo rei iniquæ, odi facientem præuaricationes. Non adhærebit mihi.*

Secundum officium boni Principis & patrisfamilias, vt non solùm ipse nihil sceleris designet, verùm etiam sceleratos homines auersetur. Non studeo (inquit) rei sceleratæ. Animus meus vsq; adeo abhorret à designandis sceleribus, vt etiam odio habeam facientem præuaricationes, ac declinem, quoquo modo possum, contubernium eius, ne sese mihi coniungat, neue mecum versetur. Vulgò dici solet: Si iuxta claudum habitaueris, fies & ipse claudus. Cauendum igitur est Principi & patrifamilias, vt non coniungat se cum impijs, ne vel ipse impietatem contrahat, vel de ipsius moribus, ex impiorum cōsociatione iudicetur. Iosaphat Rex Iuda, coniunxerat se cum impio Rege Achab. Cùm igitur Iosaphat à bello domum rediret, occurrit ei Propheta DOMINI: Impio præbes, inquiens, auxilium, & his qui oderunt DOMINVM, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem DOMINI merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, &c. Et Paulus: Si quis cùm frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum qui- *2. Paralip. 19.* *1. Cor. 5.*

dem capiatis. Si hoc est priuati hominis officium, vt se abstineat à societate impiorum, quantò magis exigitur à Principe & patrefamilias, vt non tantùm ipse honestam vitam ducat, sed etiam, vt inhonestorum & sceleratorum contubernium deuitet. Idem etiam vult versiculus qui sequitur.

4. *Cor peruersum declinet à me, malignum non agnoscam.*

Non tantùm odio habeo, & detestor illum, qui facit operibus suis præuaricationes & impietates, verùm etiam quemcunq; intellexero esse peruerso CORDE & prauo ANIMO. Non opera solùm scelerata, sed etiã cor & animum sceleratum abominor, vt si quando animaduertero, in homine esse saltem animum malignum, eum nec agnoscam, nec digner mea societate. Boni enim Principis & pij patrisfamilias interest, vt cum DOMINVS Deus noster dignetur eos cognomine suo (vocantur enim Principes & Magistratus Dij) comparent etiam se ad ingenium Dei, qui tam detestatur impietatem cordis, quàm prauitatem morum.

Deut.21.
Psal.82.

5. *Diffamantem, in secreto, proximum suum, hunc disperdo, superbum oculis, & elatum corde non feram.*

Aliud Regis ac patrisfamilias officium, ne aures præbeat, aut fidem adhibeat clandestinis criminatoribus aut delatoribus, qualis delator fuit Doeg Idumæus, qui clandestina sua delatione, qua diffamauit Dauidem apud Saulem, effecit, vt non solùm octoginta quinq; innocentes sacerdotes vno die crudeliter trucidarentur,

cidarentur, verùmetiam vniuersa ciuitas Nobe vnà cum ciuibus, mulieribus & paruulis, immaniter deuastaretur: Abominatio hominum, inquit Salomon, detractor. Si detractor abominatio est hominum vulgarium, tantò magis debet esse abominatio Regum & Principum, quantò maiora & grauiora damna dederit detractio & delatio apud Reges & Principes. Nec mirum, quòd Psalmus dicat, se disperdere illum, qui diffamauerit proximum suum, cùm lex Dei falsos testes (in quorum catalogo etiam delatores & detractores comprehenduntur) puniat talione: Reddent ei (inquit) sicut fratri suo facere cogitauit, animam pro anima, oculum pro oculo, dentém pro dente, manum pro manu. Et additur: Non misereberis eius. Quòd verò reijcitur etiam à contubernio Regis & Principis superbus oculis & elatus corde, intelligit Thrasones & Pyrgopolinices, qui magnifica quidem & gloriosa de se iactant, ac sunt lingua valde strenui, opera autem ignaui. Quis ergo in familiam Regis aut Principis admittendus erit? Sequitur. *Prouer.24.* *Deut.19.*

6. *Oculi mei ad fidos in terra, ambulans in via inculpatè, hic ministrat mihi.*

Sicut acetum dentibus, inquit Salomon, & fumus oculis, ita piget his, qui miserunt eum in via. Spiritus sanctus igitur repellit à contubernio Regum, Principum & patrumfamilias seruos pigros, ignauos, ὀφθαλμοδούλους, cessatores, infideles, & sceleratos: sed seligit & vocat seruos strenuos, fideles, operi intentos, vocationi suæ omni studio & fide incumbentes, ac inculpatam *Prouer.10.*

patam vitam ducentes : Oculi mei, inquit, respiciunt ad illos, qui fideliter functioni suæ seruiunt, & ducunt vitam irreprehensibilem. Hos curo, vt in administratione vel regni & ditionis, vel familiæ meæ vocentur, qualis fuit Ioseph in Ægypto, aut Naheman in Syria.

7. *Non commorabitur in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacia, non stabilietur in conspectu meo.*

8. *Sed mane perdo omnes impios terræ, vt excindam de ciuitate DOMINI, omnes operarios iniquitatis.*

Addit adhuc duo hominum genera, à quibus Reges, Principes, & reliqui Magistratus abhorrere, & ijs in suis aulis nullum locum concedere debeant, videlicet impostores & mendaces: Non commorabitur, inquiens, in domo mea faciens dolũ, & loquens mendacium, non consistet coram me. Hæc enim duo hominum genera, non solùm sunt pestes aularum, verùm etiam pernicies tam publicarum rerum, quàm priuatarum familiarum. Quare nihil est tutius, quàm hæc hominum portenta procul, tam ab aulis Principum, quàm à domibus priuatorum abigere. Ac breuiter, si susceperis Rempub. & priuatam prudenter & vtiliter administrandam, necesse habes, impios terræ summo mane, (hoc est) maturè, perdere, & operarios iniquitatis è medio ciuitatis rectè & diuinitus constitutæ, in tempore tollere, ne, si principijs non obstiteris, sero medicinam paraueris. Duobus enim præcipuè officijs constat gubernatio boni & pij Magistratus, videlicet, vt sit terrori malè agentibus, & sit laudi benè agentibus.

1. *Pet.* 3. *Rom.* 13.

VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod initio dicebamus, hic Psalmus ponit Regibus & patribusfamiliàs ob oculos typum seu formam, quam sequantur in gubernatione sua tam politica q̃ domestica. Arbitror igitur eum à Dauide institutum & vsurpatum, vt admoneatur sui officij, quod publicè & priuatim præstare debeat. Quod si Principes & patresfamiliàs sumerent ab eo exemplum, & componerent ex eo mores suos, non dubito, quin res humanæ & rectius & tranquillius administrarentur. Quod aũt de Paræneticis aut Nutheticis populorum moribus, in principio huius Psalmi commemorauimus, tale quid, Constantinum Imperatorem erga aulicũ quendam cyminopristen & auarum præstitisse, Eusebius testatur. Is enim Imperator, tanta fuit pietate ornatus, vt in aula sua non tantùm Regem & gubernatorem politicum, verùmetiam exemplo Regis Salomonis, Ecclesiasten ageret. Cùm enim aliquando aulicos suos ad pietatem grauissimè cohortaretur, vidit in eo cœtu auarum hominem, &, quousq̃, inquit, ô auare, inexplebilem auaritiam extendimus? Deinde hasta, quam manu gestabat, mensuram staturæ virilis tellu- ri inscribebat: Si vniuersas, inquiens, huius vitæ diuitias, & totum terræ elementum possideres, nihil tamen hinc amplius, quàm modicam hanc tellurem auferes, si tamen vel hac potieris. Itaq̃ pius Imperator, hac παραινέσει, externo signaculo inculcata, simul & detestabatur fœditatem auaritiæ, & reuocabat auarum ad modestiam & frugalitatem.

In Salomonem auarum: vim cinxa acuta.

Eusebius in vita Constantini, lib. 4.

Psalmus

Psalmus 102.

DOMINE exaudi orationem meam, & clamor meus, &c.



Epistola, quæ scripta est ad Hebræos, conferens inter se Christum & angelos, citat postremos versiculos huius Psalmi, quibus antefert maiestatem DOMINI nostri Iesu Christi omnibus angelis. Ad angelos quidem (inquiens) dicit: Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos, ignis flammam. Ad filium autem: Tu initiò terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Itaq; hæc Epistola non solùm facit ex angelis creaturas & ministros Dei: ex DOMINO autem nostro Iesu Christo, Deum ipsum, & creatorem: verùmetiam testificatur hunc Psalmum alloqui & inuocare Christum filium Dei, vt instauret suam Ecclesiam, ac tueatur eam. Deinde sunt, qui sentiunt hunc Psalmum dictum esse in captiuitate Babylonica, quo exules deplorarunt suas ærumnas & miserias, ac inuocarunt DOMINVM, vt liberentur ab exilio, & reducantur domum, ac instaurent templum illud suum, quod iam septuaginta annis dirutum & vastatum iacebat. Sed quæ Spiritus sanctus in hoc Psalmo agit, maiora & grauiora sunt, quàm vt petat restituti

tui tantùm terrenæ patriæ, & instaurari lapideam & ligneam domum. Nam quemadmodum Israëlitæ in promulgatione Decalogi, granditate diuinæ vocis conterriti, vociferabantur quidem ad Mosen: Loque- *Exo.20.*
re tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis DOMINVS, ne fortè moriamur: non autem expetebant propriè Mosen sequestrem & aduocatum, qui non poterat ipsos defendere, & ab ira Dei liberare, sed DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui & solus erat idoneus mediator inter Deum & Israëlitas, sicut & Mo- *Deut.18.*
ses ipse exponit: Prophetam, inquiens, de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi DOMINVS Deus tuus, ipsum audies, vt petisti, à DOMINO Deo tuo, in Oreb: ita & in hoc Psalmo, videtur quidem Psaltes precari DOMINVM, vt Israëlitæ liberentur ab exilio Babylonico, & vt instauretur externum ædificium templi in Hierusalem: sed grandiora sunt, quæ Spiritus sanctus respicit, & expetit. Videt vniuersum humanum genus peccato, ac propter peccatum iræ diuinæ, & morti tam externæ quàm æternæ, adeoq; perpetuæ condemnationi obnoxium, nec posse his tantis malis liberari & exonerari, nisi contritione capitis serpentis seu satanæ, per semen mulieris, & per benedictum semen Abrahæ, (hoc est) per aduentum DOMINI nostri Iesu Christi. Instituit igitur nomine totius Ecclesiæ siue illius veteris, siue etiam posterioris, precationem, in qua commemorantur primùm mala & aduersa, quæ humano generi propter peccatũ, ex diuina ira contingunt: A facie, inquiens, iræ indignationis tuæ, quia eleuasti me, & deiecisti. Deinde, quia nulla reliqua est salus, nisi in nomine

Iesu Christi, petitur, vt Christus adueniat, & instauret Zionem, hoc est, Ecclesiam suam, ac seruet eam in omnibus aduersis. Postremò commemorat, quale sit regnum Christi. Non enim est regnum mundanum, in quo nulla omnino sit ærumna & afflictio, sed est regnum spirituale & cœleste, in quo sint quidem in hac terra gemitus, fletus, lacrymæ, & mortes: sed in quibus Deus exaudiat inuocantes ipsum, & det euentum, vt Ecclesia non solùm possit aduersa ferre, verùmetiam liberetur tandem ex omnibus omnino malis, & consequatur æternam salutem, per Christum DOMINVM nostrum.

1. *DOMINE, audi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.*
2. *Ne abscondas faciem tuam à me, cùm tribulor, inclina ad me aurem tuam, cùm inuoco te, velociter exaudi me.*

Non solùm inscriptio, verùmetiam propositio testatur hunc Psalmum esse precatorium. Inscriptio enim sic habet: Oratio afflicti, cum tristis esset, & effunderet coram DOMINO querelam suam. Propositio autem sunt hi duo versiculi, quibus Psaltes vertit se inuocatione sua ad filium Dei DOMINVM nostrũ Iesum Christum, & precatur nomine totius humani generis, vt siquidem ad auerruncanda tanta mala, quæ humanum genus propter peccatum premunt, in nullo alio sit salus, quàm in ipso, properet aduentum suum, & expiet peccatum, quo Deus pater reddatur propitius, & aboleat mortem, ac restituat homini cœlestem & æternam vitæ hæreditatem! Audi, inquiens,

precatio-

precationem meam, audi clamorem meũ. Non enim ſimpliciter inuoco te, ſed quia extrema neceſsitas vrget me, etiam clamo ad te, humillimè obſecrans, ne in tantis meis afflictionibus auertas faciem tuam à me, ſed potius inclines propitius ad me aurem tuam: & cum in ſummo verſer periculo, nullam moram interponendam puto, quin velociter me exaudias, & opem feras. Sed quid vult ſibi, inquies, illa feſtinatio? Velociter (inquit) exaudi me. Siccine decet Deum ipſum vrgere, perinde ac ſi Deus captiuus noſter eſſet, ac neceſſe haberet opem nobis, pro noſtro arbitrio, ferre? An non in Eſaia dicitur: Qui crediderit, nõ feſtinet? *Eſa.28.* Sed ſciamus aliam eſſe feſtinationẽ fidei, aliam incredulitatis. Incredulitas ita feſtinat, vt ſi non ſtatim, pro voto, contigerit ei cœleſte auxilium, vertat ſe ad inquirendum & implorandum terrenum, aut impium, ſeu ſatanicum auxilium. Fides autem, etſi & ipſa clamat: DOMINE ad adiuuandum me feſtina, &: Velociter exaudi me DOMINE, tamen non deficit à DOMINO ad impietatem, ſed expectat manũ DOMINI, aliquoties quidem pro humana imbecillitate, dolenter, non autem inobedienter. Omnino enim ſtudet ſe conformare exemplo Chriſti orantis: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et iterum: Pater mi, ſi non poteſt hoc poculum tranſire, niſi bibam illud, fiat voluntas tua. *Pſal.70.* *Pſal.143.*

3. *Quoniam conſumuntur ſicut fumus, dies mei, & oſſa mea ſicut torris exuruntur.*

4. *Percuſſum eſt, ſicut fœnum, & exareſcit cor meum, ob-*

litus ſum comedere panem meum.

5. *Propter vocem gemitus mei, adhæret os meum carni meæ.*
6. *Similis factus ſum Onocrotalo deſerti, factus ſum ſicut Bubo ſolitudinis.*
7. *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius ſuper tectũ.*
8. *Tota die exprobrant mihi inimici mei, & qui laudare me deberent, per me iurant.*
9. *Quia cinerem vt panem comedo, & potum meum cum fletu miſceo.*

Hæc eſt prima, poſt propoſitionem, pars huius Pſalmi, in qua parte recenſentur aduerſa, quæ accidunt humano generi propter peccatum. Initiò enim peccatũ eſt autor, quòd homines ſint breuis vitæ & mortales: Per vnum (inquit Paulus) hominem, peccatum *Rom.5.* in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Et iterum: Per Adam omnes moriuntur. Et hic Pſalmus: Conſumuntur, ſicut fumus, dies mei. Nam quemadmodum fumus à vento ita diſſipari & euaneſcere ſolet, vt ne veſtigium quidem eius reliquũ *Pſal.90.* fiat, ſic & dies humanæ vitæ conſumuntur: Omnes dies noſtri, inquit alius Pſalmus, recedunt propter iram tuam: conſumimus annos noſtros, tanquam vaniloquium. Dies annorum noſtrorum quos viuimus, ſunt ſeptuaginta anni, ſi autem multùm, octoginta anni, & quod eximium eſt in ipſis, labor eſt & dolor, quoniam reſecatur citò, & quaſi auolamus. Quid plura? Homines propter peccatum non ſunt tantùm breuis vitæ, ſed etiam omnino mortales. Deinde: Oſſa mea, inquit, ſicut torris ſeu ticio exuruntur. Vbi nos legi-

mus

mus ſicut torris, vetus interpres è Græco tranſtulit ὡσεὶ φρύγιον, ſicut cremium, ſeu lignum torridum & aridum. Cum.n. peccatum ſit autor breuis vitæ, adeoq; mortalitatis, fieri non poteſt, quin hominem inuadat ex agnitione peccati, horror mortis. His autem, qui horrore mortis concutiuntur, omnes corporis vires deficiunt, ac veluti torris exareſcunt. Non ſolùm autem corporis, verùmetiam animi vires deficiunt: Percuſſum eſt (inquit) cor meum ſicut fœnũ, et arefactum eſt. Nam quemadmodum herba feruore ſolis icta, exareſcere ſolet, & fit fœnum, ita cor meum ſeu vires animi mei, horrore mortis concuſſæ & perturbatæ, ſic flacceſcunt & langueſcunt, vt non ſolùm nullum cibũ capere poſsim, verùmetiam aſperner & abhorream. Huc conuenit etiam, quod alius Pſalmus ait: Cor meum, inquiens, conturbatum eſt, ſeu variè afficitur, deſerit me robur meum, ipſi etiam oculi mei non lucent mihi lumine ſuo. Adhæc, tantis doloribus conficior, vt præ eiulatu & gemitu meo cutis mea adhereat oſſibus meis, & nihil amplius reliquum ſit ſucculenti in corpore meo. Similis præterea factus ſum Onocrotalo deſerti, & Buboni ſolitudinis. Vigilo, & factus ſum ſicut paſſer fugatus ſuper tectum. Tria auium genera commemorat, quibus ſimilem ſe factum eſſe affirmat. Vnum eſt קאת Kaath, quod alij transferunt Onocrotalum, alij Pelicanum, alij Cuculum. Eſt autem Onocrotalus, auis ſimilis Olori, à ruditu aſini ſic dicta, quòd collo, in aquam immiſſo, vocem inſtar Aſini ædat, incola ſolitudinis, vnde in hoc Pſalmo prædicatur eſſe amator deſerti, alij transferunt Cuculum. Aliud genus eſt כוס Cos, quod alij transferunt Falconem, alij

Pſal. 38.

Nycticoracem seu Noctuam, alij Bubonem. Est au-
Pli. li. 10. cap. 12. tem Bubo auis funebris, & vt Plinius ait, maximè ab-ominata. Incolit deserta, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu. Tertium genus est צפור Zipor, quod aiunt esse generale auium nomen, alij Passerem transferunt, qui mœstus & fugatus sedeat in tecto. Dicit ergo Psaltes, se ex agnitione peccati & mortalis suæ naturæ ita pauidum, consternatum, & abomina-bilem redditum, vt arbitretur se hominum consortio indignum, & quærat instar auium vel pauefactarum, vel lucifugarum latebras & deserta. Accedit & illud, quòd noctes perpetuò insomnes ducã. Ludibria enim & opprobria, quibus me inimici & aduersarij mei af-ficiunt, ita perturbant & torquent me, vt ne noctu quidem conquiescere possim. Aduersarij mei non sunt contenti communibus humani generis calamitatibus, quibus afflígor, sed addunt etiam nouas. Laudatores mei, per me iurant, de quibus optimè sum meritus, & quos summis beneficijs ita affeci, vt meritò me laudare & commendare deberent, hi me, etiam iuramentis, execrantur, & deuouent: quod mihi tantam mœsti-tiam infert, vt mihi ne cibum quidem & potum, sine extremo luctu & lacrymis sumere liceat. Extat autem
Deut. 28. inter maledictiones legis etiam illa: Eris oppressus calumnia, & direptioni expositus cunctis diebus, & non erit tibi liberator. Ac mox: Eris in stuporem, pa-rabolam & fabulam in omnibus populis, ad quos te DOMINVS duxerit. Et iterum: Non inuenies requi-em, sed dabit tibi DOMINVS irrequietum cor, & cõ-sumptionem oculorum, atq; mœrorem animæ, & erit

vita

vita tua ſuſpenſa ante te, & pauebis nocte atq; die, nec credes te victurum. Pſaltes igitur, commemorans ſe eſſe vicinis ſuis abominandũ, tanquam inauſpicatam auem, & inimicis ſuis opprobrium & execrationem, ac ne poſſe quidem præ ſummo animi mœrore, cibum & potum capere, ſignificat ingenuè, ſe maledictionibus legis, & horroribus mortis ac inferni obiectum eſſe. Quæ autem eſt tantæ calamitatis cauſa, quę ærumnarum illarum origo? Sequitur.

10. *Propter indignationem tuam & iram tuam, quia eleuaſti me, & proieciſti me.*

Quid ergo cauſæ eſt, quòd tot malis obruar? & tantis calamitatibus affligar? Propter indignationem tuam (inquit) & iram tuam. Indignatio tua, & ira tua ô DOMINE Deus noſter, in cauſa eſt, cur tanta me premant aduerſa. Etſi enim indignatio & ira non ſunt natura Dei: Momentum, inquit alius Pſalmus, in ira eius, vita in beneplacito eius. Et Ezechiel: Viuo ego, dicit DOMINVS, nolo mortem impij, ſed magis vt conuertatur & viuat: tamen, quia Deus non eſt Deus volens iniquitatem, & peccatum pugnat cum Deo ex diametro, quippe quòd Deus ſit iuſtitia ipſa. Quod autem conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut quæ communio luci cum tenebris? idcirco cùm Deus indignatur & iraſcitur, facit alienum à natura ſua opus, vt hac indignatione peccatum puniatur, & meritis ſupplicijs afficiatur. Peccatum igitur in cauſa eſt, quòd Deus indignetur & iraſcatur: Ecce non eſt, inquit Eſaias, abbreuiata manus DOMINI, vt ſaluare nequeat, neq; *Pſal.30.* *Ezech.18.* *2.Cor.6.* *Eſa.59.*

neq; aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrũ, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Vnde & in hoc Psalmi versiculo dicitur: Eleuasti seu exaltasti me, & proiecisti seu deiecisti me. Dictum enim est, quòd Spiritus sanctus recitet hunc Psalmum nomine totius humani generis. Initiò enim condidit Deus hominem, & extulit eum in magnam sublimitatem. Creauit eum ad imaginem & similitudinem suã. Ornauit eum summis tam corporis quàm animi virtutibus. Constituit eum Dominum terræ: Crescite, inquies, & replete terram, & subijcite eam, ac dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur in terra. Quanta hæc est maiestas? quantum ornamentum? Atque hoc illud est, quod Psalmus ait: Eleuasti seu exaltasti me. Postquam autem homo aduersus Deum peccauit, & defecit à Deo, non solùm priuatus est omni sua originali maiestate, verùmetiam factus est propter peccatum obnoxius satanę, morti, damnationi, adeoq; omnibus tam corporalibus quàm spiritualibus, tam externis quàm æternis maledictionibus. Itaq; quantò altiori maiestate ornatus fuit, in tam turpiores & fœdiores sordes deiectus est, id quod Psalmus dicit: Proiecisti seu deiecisti me. Et repetitur, quod antea etiam de breuitate & miseria humanæ vitæ, hoc est, de supplicio peccati dictum est.

11. *Dies mei sunt velut vmbra inclinata, & ego sicut herba exaresco.*

Deus

Deus enim tam vehementer indignatus est propter peccatū, vt quod ab initio dixit: In quocunq; die comederis de arbore sapientiæ, morte morieris, hoc statim cœpit re ipsa exequi. Etsi enim homo non confestim in ipso peccati momento animam exhalauit, tamen quia sententia de morte lata erat, cœpit ab eo tempore, quo præuaricatus est præceptū Dei, & peccauit, viribus suis tantisper deficere & affligi, adeoq; verè mori, dum tandem totus ex hac vita excederet, & vnà cum angelis peccantibus, in tartarum, ad iudicium seruandus, præcipitaretur. Nam, quemadmodum vmbra serotina assiduè fit maior, et tenebris propinquior, donec tandem euanescat, ita tempus humanæ vitæ continenter labitur, tacitisq; non senescimus tantùm, verùmetiam extinguimur annis, donec nihil prorsus corporalis vitæ remanserit. Et sicut gramen ardore solis percussum, paulatim flaccescit, donec totum exarescat, & fiat fœnum: ita etiam humana vita peccato obnoxia, & diuina maledictione turpificata, non potest diu salua & incolumis constare. Cum igitur tanta sit humani generis calamitas, vt nō solùm maledictum sit propter peccatum breuitate vitæ, verùmetiam obnoxium tam corporalibus, q̄ æternis ærumnis, an nulla est reliqua spes salutis? an non est inuenire tanti mali remedium? Apud homines quidem *Matth. 19.* hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Quare, vt opportunum huic malo remediū inueniamus, ad DOMINVM Deum nostrum conuertamur, necesse est. In Osea afflicti cohortantur sese *Ose. 6.* mutuò: Venite, inquientes, & reuertamur ad DOMINVM, quia ipse lacerauit nos, & sanabit nos: percussit,

cusſit,& medebitur nobis. Viuificabit nos poſt biduum, in die tertio faciet nos ſurgere, & viuemus ante faciem eius. Idem & nobis faciendum eſt, vt in tam triſti calamitate non fugiamus à DOMINO, ſed confugiamus ad DOMINVM, vt qui nos percuſsit, idem & nobis medeatur, & qui nos lacerauit, idem & nos ſanet. Etſi enim homo coniecit ſeſe ſua ipſius culpa in tantam calamitatem, tamen calamitas non temere accidit humano generi, ſed accidit ei diuino iudicio. Et homo non eſt à Deo conditus, vt pereat, ſed vt ſeruetur: Deus (inquit Paulus) nõ conſtituit nos ad iram, ſed ad acquiſitionem ſeu poſſeſsionem ſalutis. Properandum igitur eſt in hac calamitate ad DOMINVM Deum noſtrum, vt qui humanum genus propter peccatum percuſsit, idem etiam remedium oſtendat, & opem ferat. De hac re concionantur nobis verſiculi, qui ſequuntur.

1.*Theſ.*5.

12. *Tu autem DOMINE in æternum permanes, & memoriale tuum in perpetuum.*
13. *Tu exurgens, miſereberis Zion, quia tempus eſt, vt miſerearis eius, & hora præſtò adeſt.*
14. *Quoniam optarent ſerui tui, vt ipſa ædificaretur, & dolent quòd iaceat in puluere.*

Altera pars huius Pſalmi, in qua parte commemoratur, vnde remedium tantorum malorum, quibus humanum genus obrutum eſt, expectandum & petendum ſit. Nos quidem, inquiunt, homines ſumus mortales, & internitioni obnoxij. Tu autem, DOMINE Deus noſter, perpetuò viuis, & verbum tuum, quo prædicas

prædicatur gloria nominis tui, in æternum constat. Hoc non tam intelligendum est de perpetuitate essentiæ Dei in se, quàm de constantia, certitudine, & veritate in promissionibus eius: Non violabo, inquit alius Psalmus, pactum meum, & quod egressum est de labijs meis, non mutabo. Et Esaias: Exiccatur fœnum, & cadit flos, Verbum autem DOMINI manet in æternum. Promisit autem DOMINVS & instituit pactum cum humano genere, quòd semen mulieris contriturum sit caput serpentis. Iniit etiam fœdus cũ Abraamo, quòd in semine eius benedicendæ sint omnes gentes. Præterea instituit testamentum cum Dauide: Semel, inquit, intraui per sanctitatem meam t *Psal.89.* Non mentias Dauidi, semen eius in æternum erit, & sedes eius coram me, sicut sol. Et iterum: DOMINVS iurauit Dauidi veritatem, ab ea non auertetur, fructũ ventris tui ponam super sedem tuam. Ac rursus: Elegit DOMINVS Zion, & ibi cupit habitare, hæc requies mea est in æternum, hîc habitabo quoniam amo eam. Et Esaias: Propè feci iustitiam meam, non *Esa.46.* elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Zion salutem, & in Israël gloriam meam. Ac iterum: Aduenit Zioni redemptor, & omnibus ijs, qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Ac rursus Esaias: De Zion exibit lex, & verbũ DOMINI de Hierusalem. Quod igitur Psalmus dicit: Tu exurgens misereberis Zion, quia tempus est vt miserearis eius, & hora præstò adest, significat, quòd cum nulla in his terris reliqua fuerit salus, qua humanum genus seruaretur, & è malis suis liberaretur, DOMINVS Deus noster misertus humanæ calamitatis, exurrexerit, & respexerit de cœ-

Esa.59. *Rom.11.* *Esa.2.*

lo, ac cœleſtem opem tulerit. Poſtquam enim ab initio conditi orbis promiſit ſe miſſurum ſemen, quod conterat caput ſerpentis, & benedicat omnes gentes, hoc eſt, Chriſtum ſeruatorem, recepit etiam ſe hunc miſſurum ex Zione, quę fuit metropolis Iudææ. Nomine autem Zionis, non intelligimus tantùm locum illum externum, in quo ædificatum fuit templũ, verùmetiam vniuerſam illam regionem, quam Ange-
Ioſ.5. lus coram Ioſua vocat locum ſanctum: Solue, inquiens, calciamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. In qua regione Chriſtus DOMINVS noſter, non tantùm homo natus eſt, ſed etiã abſoluit myſterium redemptionis noſtræ. Itaq; Zionis nomine continetur Bethlehem, in qua natus eſt Chriſtus: Nazareth, in qua fuit educatus: Galilæa, in qua vocauit Apoſtolos, & multa ædidit miracula, & in qua cœpit ipſe quoq; prædicare Euangelion ſuum: item vrbs Hieruſalem & templũ eius. Quibus in locis non concionatus eſt tantùm doctrinam Euangelij ſui, verùmetiam paſſus eſt, & crucifixus, mortuus & ſepultus, ibi quoq; reſurrexit à mortuis die tertia, & aſcendit in monte Oliueti in cœlum. In Hieruſalem autem miſit Apoſtolis ſuis Spiritum ſanctum de cœlo, & ab eo loco emiſit Apoſtolos ſuos in vniuerſum orbem terræ, inter omnes gentes, ad adnũnciandam omnibus populis ſalutem, quæ per ipſum humano generi parta erat. Atq; hoc illud eſt, quod Pſalmus dicit: Tu exurgens miſereberis Zion, quia tempus eſt, vt miſerearis eius, & hora præſtò adeſt, (hoc eſt) humanum genus non deſtituetur cœleſti ſalute, ſed Deus mittet ex gratuita ſua miſericordia, definita ſua hora, in

ra, in plenitudine temporis, ex Zione vnigenitum filium ſuum, è ſemine & poſteritate Abrahæ & Dauidis, qui filius morte ſua expiabit peccata, & abolebit non mortem tantùm, ſed abolebit etiam illum, qui mortis habebat imperium, videlicet diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxij erant ſeruituti. Hæc liberatio & ſalus, ſemper à pijs Patriarchis expectata eſt ab initio orbis & exoptata. Vnde & Pſalmus addit: Quoniam optarent ſerui tui, vt Zion ædificaretur, & dolent quòd iaceat in puluere. Zion, quemadmodum diximus, ſeu Hieruſalem, fuit metropolis Iudææ, in qua ædificatum erat templum, ſignificat aũt Eccleſiam DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Serui verò DOMINI ſunt illi, qui credunt in nomen Chriſti, ſiue illi maiores, Patriarchæ ante incarnationem Chriſti, ſiue minores & poſteri, poſt incarnationem Chriſti. Hi ergo omnes, qui peccatis & morti erant obnoxij, ſummo ſemper deſiderio tenebãtur, vt ædificaretur Zion, & mirificè dolebant, quòd iaceret in puluere, hoc eſt, deuaſtata eſſet. Hoc autem non intelligendum eſt de externi ædificij reſtauratione. Etſi enim pij Iſraëlitæ cupiebant etiam hoc externum templi ædificium reſtitutum, tamen vera & æterna ſalus non conſtabat hoc externo ædificio, ſed aſpirabant maximè omnium ad inſtauratione veræ Zionis, hoc eſt, veræ & æternæ Eccleſiæ, quæ promiſſa erat perficienda & abſoluenda per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Quare, cùm Pſalmus dicat, ſeruos DOMINI optaſſe inſtaurationem Zionis, & doluiſſe Zionem in puluere iacere, intelligit Eccleſiam DOMINI, ex humano genere ſelectam,

Hue facit quod concionatur. Eſaias cap. 46.

ctam, semper Spiritu sancto suo precatã esse, vt Chris stus aduenirẽt, peccatum expiaret, mortem vinceret, æternam salutem afferret, & Ecclesia tandem superatis omnibus afflictionibus, æterna tranquillitate ac felicitate frueretur.

Cæterùm, serui DOMINI non solùm optant instaurationem Zionis propter Iudæos, seu Israëlitas, verùmetiam propter Gentes & Reges earum, vnde additur.

15. *Et timebunt Gentes nomen DOMINI, & vniuersi reges terræ gloriam tuam.*
16. *Quia ædificauit DOMINVS Zionem, apparuit in gloria sua.*
17. *Et respicit ad orationem eius, qui est orbatus, ac non contemnit preces eorum.*

Quid ergo causæ est, quòd serui DOMINI ardeant desiderio instaurandæ Zionis, etiam propter Gentes, & Reges earũ? In promptu causa est. Primùm enim, si DOMINVS ædificauerit Zionem, & apparuerit in gloria sua, hoc est, Si aduenerit DOMINVS noster Iesus Christus, & instaurauerit Ecclesiam prædicatione Euangelij sui, ac patefecerit orbi gloriam suam, timebunt, seu obedienter colent Gentes nomen DOMINI, & omnes reges terræ venerabũtur maiestate eius. In aduentu .n. Christi implebitur promissio, quæ ad Abrahamũ dicta est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Implebitur etiam, quod in Psalmo 138. dicitur: Confitebuntur (seu gratias agent) tibi DOMINE omnes reges terræ, qui audiunt verba oris tui.

Et

Et vaticinium Esaiæ: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter DOMINVM. Etsi enim in diuulgatione Euangelij Christi non omnes Gentes indiscriminatim adhibuerunt fidem Euangelio, nec omnes Reges crediderunt in Christum, tamen Euangelion omnibus gentibus in toto orbe terrarum prædicatum est, & omnes Reges ad seruiendum Christo, ac ad assequendam salutem in Christo per Euangelion vocatæ sunt, vt si quispiam vel Gentium vel Regum nō consequitur salutem, hoc non fit aut Christi, aut Euangelij eius, sed propriè Gentium & Regum culpa, qui lucem super Hierusalem & Zionem exortam, sua incredulitate reijciunt. Quotquot autem inter omnes Gentes & omnes Reges agnoscunt, perpetua benedictione illustrabuntur. Deinde serui DOMINI ardent desiderio instaurandæ Zionis, quia si DOMINVS eam instaurauerit, respiciet ad preces miserorum, & eorum, qui afflicti sunt propter orbitatem, adeoq; deserti ab omni ope humana. Neq; enim DOMINVS amplius contemnet & fastidiet orationem eorum: Erit, inquit DOMINVS apud Esaiam, antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Et in Zacharia: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ & precum. Hoc prorsus illud est, quod Christus ipse apud Ioannem dicit: Amen amen dico vobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Hactenus non petijstis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum. Quod autem maius beneficium hominibus contingere potest, quàm si à Deo impetratum fuerit,

Esa.49.

Esa.65.

Zacha.12.

Ioan.14.

erit, vt præstò adsit omnibus obsecrationibus nostris, & faciat omne desiderium cordis nostri? (hoc est) vt DOMINVS, iuxta Psalmum, respiciat ad orationem orphanorum seu afflictorum, & non spernat preces eorum. Quod, cum impetrauerit nobis DOMINVS noster Iesus Christus, & præter alia immensa beneficia, etiam illud nobis aduentu suo attulerit, vt quicquid à Deo patre petierimus per nomen Christi, fiat nobis, haud immeritò serui Dei ardent desiderio instaurandæ Zionis, aut, vt explicatius loquamur, reuelandi Christi, & diuulgandi Euangelij eius, in totum orbem terræ.

18. *Scribatur hoc ad posteritatem, & populus qui creabitur, laudabit DOMINVM.*
19. *Quoniam prospicit de excelso sanctuario suo, DOMINVS de cœlo ad terram respicit.*
20. *Vt audiat gemitum vincti, & soluat filios morti destinatos.*
21. *Vt prædicetur in Zion nomen DOMINI, & laudem eius in Hierusalem.*
22. *Cùm conueniunt simul populi & regna, vt seruiant DOMINO.*

Tertia pars huius Psalmi, in qua primùm admonetur Ecclesia, vt quod antè dictum est de instauranda Zione, seu de aduentu DOMINI nostri Iesu Christi, & de salute per ipsum conferenda, transmittatur ad posteritatem, quò populus, qui creabitur, seu Ecclesia pòst ventura, habeat occasionem laudandi DOMINI, & gratias ei agendi, quòd quem Christum ab initio orbis

orbis promiſit, cum ſuo tempore miſerit, & vniuerſo humano generi veram ac æternam ſalutem obtulerit. Deinde, deſcribitur quale ſit regnum Chriſti in hoc ſeculo, videlicet non terrenum aut mundanum, ſed ſpirituale & cœleſte. Quæ iam cõmemorauí (inquit) de miſericordia Dei, ex Zione Eccleſiæ præſtanda, & de aduentu Chriſti in Zione reuelandi, diligentiſsimè obſeruentur, & ad poſteritatẽ tranſmittantur, vt cùm reipſa impletum fuerit, agnoſcamus gratuitam Dei clementiam, & excitemur ad gratiarum actionem, & ad laudationem nominis Dei, quòd quæ Patriarchis & Eccleſiæ per Prophetas de Chriſto promiſerit, hoc etiam verè præſtiterit. Non ſolùm autem hoc propagetur ad poſteros, verùmetiam illud, quòd regnum Chriſti non ſit futurum in hac terra terrenum & externum, pro modo felicitatis huius mundi, ſed ſub cruce & afflictione, in ſpe cœleſtis & æternæ felicitatis: Quoniam Chriſtus (inquit) proſpicit de excelſo ſanctuario ſuo, & aſpicit de cœlo ad terram, vt audiat gemitum vincti. Chriſtus enim ſedet ad dextram Dei patris ſui Omnipotentis in cœlo, & audit quidem gemitus ſuæ Eccleſiæ, ac videt lacrymas eius in cruce & calamitate. Videtur autem ita cõniuere ac diſsimulare, perinde ac ſi nullo modo afficeretur: ſed non ſedet ocioſus, nec ſtertit ignauus, interea enim, dum omnia conclamata apparent, primùm quidem non ſinit Eccleſiam tentari ſupra id, quod poſsit, ſed tanta eſt fidelitate, vt faciat vnà cum tentatione euentum, quo ſuſferre queat. Deinde efficit, vt momentum afflictionis noſtræ, pariat nobis non leue aliquod & momentaneum, ſed AETERNVM pondus cœleſtis gloriæ: Non 2. Cor. 4.

Rom.8. reputo, inquit aliâs, pares esse afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quare etiamsi multæ sint tribulationes iustorum in his terris, tamen ex omnibus his liberat eos DOMINVS noster Iesus Christus, & ostendit quidem Ecclesiæ suæ multas & graues afflictiones, conuersus autem viuificat eam, & de abyssis terræ reducit ipsam. Hæc omnia de ratione regni Christi scribenda & prędicanda sunt, vt laudetur nomen Christi in Zion & Hierusalem, hoc est, in Ecclesia DOMINI, cùm populi & regna conuenerint, vt seruiant DOMINO, cùm non Iudæi tantùm, sed & Gentes, ac regna eorũ agnoscant Christum, quòd sedens ad dextram Dei, conniueat quidem ad gemitus & lacrymas suorum, seruet autem eos, etiam in morte ad æternam salutem.

Psal.71.

23. *Affligit in via vires meas, abbreuiat dies meos.*
24. *Dico: Mi Deus, ne tollas me in dimidio dierum meorum, Anni tui perpetuò durant.*
25. *Antea terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cœli.*
26. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur.*
27. *Tu autem idem es, & anni tui non deficient.*
28. *Filij seruorum tuorum permanebunt, & semen eorum coram te stabilietur.*

Repetit quod antea de ratione regni Christi cœperat, vt quod dixit, magis perspicuè exponat, & perpetuitatem ac stabilitatem Ecclesiæ, quæ est regnum Christi,

Christi, collatione ostendat. Cùm enim nobis sit sermo de regno Christi, sciamus (inquit) illam esse eius rationem, quòd etsi ipse sedens ad dextram Dei patris Omnipotentis, audit gemitus suorum, & videt lacrymas ipsorum, tamen deijciat & affligat vires meas in via, hoc est, in cursu præsentis vitæ meæ, & abbreuiat, seu præcidat eas, priusquam assecutus fuero finem fidei nostræ, (hoc est) salutem animarum, quæ vna in vniuersa vita nostra scopus est, & vt prouerbio dicitur, prora & puppis. Oro igitur te, DOMINE Deus meus, atq; obsecro, vt non abripias me morte, nec tollas me in dimidio dierum meorum, antequam veram rationem regni tui, ô Christe, cognouero, & sciam, te idcirco mortificare nos, vt viuifices, deducere ad inferos, vt reducas, adeoq; te affligere, vt serues, & abbreuiare dies nostros, vt longitudinem dierum, seu æternam vitam reddas. Illa enim est regni tui solennis ratio, quòd dilaceres, vt sanes, quòd percutias, vt cures, quòd humilies, vt exaltes, & quòd affligas (vt verbis Psalmi vtar) vires nostras, vt in generationem & generationẽ, (hoc est) perpetuò eas serues. Nam, quemadmodum anni DOMINI nostri Iesu Christi, perpetui sunt, ita etiam perpetua est Ecclesia Christi. Ac initiò condidit quidem Christus filius Dei, ac fundauit terram, & opera manuum eius sunt cœli, quæ adeò firmiter sunt stabilita, vt nullo vnquam tempore videantur, aut peritura aut mutanda: & tamen quasi vestimentum atterentur, & tanquam indumentum mutabuntur. Regnum autem Christi, quod est Ecclesia, nunquam interibit, sed perpetuò constabit: Filij, inquit, seruorum tuorum, habitabunt, hoc est, semper

durabunt in perpetuum, & ſemen eorum nunquam deficiet, ſed in æternum permanebit. Ex his obſerues, primum, quòd regnum Chriſti in his terris non conſtet externa maieſtate, ſicut regna mundana, ſed in cruce & externis afflictionibus, in quibus tamẽ Chriſtus filius Dei det euentum, vt ferre poſsimus, donec tandem ex omnibus aduerſis, ad æternam felicitatem euadamus. Deinde, quod dicitur de mutatione cœli & terræ, Chriſtus ipſe interpretatur: Cœlum & terra, inquiens, præteribunt, verba autem mea non præteribunt. Et Apoſtolus Petrus in poſteriori ſua Epiſtola:

2. Pet. 3. Cœli, inquiens, iam olim fuerunt, ac terra, ex aqua & per aquam conſiſtens Dei ſermone, per quæ, is, qui tum erat mundus, aqua inundatus periit. At qui nunc ſunt cœli & terra, eiuſdem ſermone repoſiti ſunt, & ſeruantur igni, in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. Ac mox: Veniet dies DOMINI ſicut fur in nocte, quo cœli, procellæ in morem, tranſibunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, & terra, & quæ in ea ſunt opera, exurentur. Et iterum: Expectantes & accelerantes aduentum diei Dei, per quem cœli incenſi ſoluentur, & elementa æſtuantia liquescent. Cœlos verò nouos ac terram nouam, iuxta promiſſum illius, expectamus, in quibus iuſtitia inhabitat. Ac manifeſtum quidem eſt, quòd hic corporalis mundus non ſit perpetuus, ſed definito ſuo tempore tranſiturus: num autem ſit periturus ſecundum accidentia tantùm & proprietates inhærentes, an etiam ſecundũ ſubſtantiam, non eſt humani ingenij curiosè perſcrutari, ſed conſtitutum in Dei patris poteſtate. Nos aũt

2. Pet. 3. illud agamus, vt quod Petrus in eo loco monet, immaculati

culati & incontaminati ab illo reperiamini, ne excidamus à propria ſtabilitate, ſed in gratia & cognitione DOMINI noſtri & ſeruatoris Ieſu Chriſti, creſcamus. Cæterùm, quòd Pſaltes orat, vt non abripiatur in dimidio dierum ſuorum, expendenda eſt phraſis ſacræ ſcripturæ. Non enim orat, vt cùm definiti ſint (exempli gratia) quinquaginta anni vitæ eius, non tollatur è vita, in viceſimo quinto ætatis ſuæ anno: ſed illud orat, vt non extinguatur, priuſquam aſſequatur veram cognitionem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti & regni eius. Nihil enim in hac vita nobis magis neceſſarium agendum eſt, nec magis ſalutare agi poteſt, quàm vt verè cognoſcamus Deum patrem, & DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum: Hæc eſt (inquit Chriſtus apud Ioannem) vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et Paulus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Quare, cùm aſſecuti fuerimus cognitionem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, & hoc fundamentum poſuerimus, nihil reliqui habemus, quod in hac vita peragendum eſt, quippe quòd aſſecuti ſimus, quod eſt negociorum omnium in hac vita caput & finis. Si autem Chriſtum adhuc ignorauerimus, nihil eſt, etiamſi ſummam omnium aliarum rerum peritiam habeamus. Petit igitur Pſaltes, vt non extinguatur morte, priuſquam abſoluerit præcipuum negocium, hoc eſt, priuſquam aſſecutus fuerit veram cognitionem Chriſti. Niſi enim hanc aſſequatur, nihil ſe prorſus aſſecutum arbitratur, quippe quòd illo conſilio homo conditus ſit, & illo inſtituto ac propoſito vitam in hoc mundo duxerit, vt

Ioan. 17.

vitam æternam consequatur, & viuat, id quod alia ratione fieri non potest, quàm vt cognoscamus TE (inquit) solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Eadem Phrasi vtitur etiam alias scriptura: *Psal.55.* Viri sanguinum, inquit Psalmus, non dimidiabunt dies suos, hoc est, non assequentur finem consiliorum suorum, & non absoluent, non perficient instituta sua. Postremò confert regnum Christi cum terrenis & mundanis regnis. Hæc enim sunt fragilia, mortalia, fluxa & caduca, Regnum autem Christi est stabile, *Esa.9.* firmum, immortale & æternum: Super solium Dauid, (inquit) & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, à modò *Psal.72.* & vsq; in sempiternum. Et iterum: Nomen eius erit perpetuò durabile, donec sol permanserit, propagabitur ad posteros nomen eius. In hoc autem Psalmo: Tu idem ipse es, inquit, & anni tui non deficient. Etsi enim filius Dei cœlum & terram ita condidit, vt firmissimè constent, tamen multò firmius & stabilius constat regnum Christi, quod est Ecclesia eius: Filij, inquit, seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum ante faciem tuam perseuerabit, hoc est, vniuersus hic mundus corporalis mutabitur, præteribit, & inueteraſcet, sicut vestimentum. Ecclesia autem DOMINI nostri Iesu Christi perpetuò constabit, & non constabit tantùm, verùmetiam æterna fruetur felicitate in Christo Iesu.

VSVS HVIVS PSALMI.

Docet hic Psalmus, quemadmodum suprà exposuimus,

mus, quòd Christus filius Dei, verus sit Deus, & rerum omnium creator. Deinde docet, quòd cum omnia alia sint fluxa & caduca, solum regnum Christi sit stabile & perpetuum, de quo & Daniel concionatur: Aspiciebam, inquiens, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem, & regnum & omnes populi, tribus & linguæ seruient ipsi: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nō corrumpetur. Nec est ociosa concio de perpetuitate regni Christi. Etsi enim sæuit Turca, & grassatur Antichristus in Ecclesiam Dei, quæ est regnum Christi, tamen permanebit in throno maiestatis suæ, quæ est dextra Dei, nec eum quisquam siue in cœlo, siue in terra, siue apud inferos deturbabit è solio gloriæ suæ. Et quia ipse est inuiolatus, inuiolati etiam sunt propter ipsum, omnes qui credunt in eum: Oues meæ vocem meam audiunt, inquit Christus ipse, & *Ioan.10.*
ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego VITAM æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea.

Psalmus

Psalmus 103.

Benedic anima mea DOMINO, & omnia quæ intra me sunt, &c.

CVm Moses educeret Israëlitas ex Ægypto in desertum, vt transferret eos in terram Canaan, supplex petijt, vt DOMINVS Deus comitaretur ipsos, & quo certiores essent de præsentia eius, ostenderet faciem eius, in quo, inquiens, scire
Exo.33. poterimus: Ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram. DOMINVS autem promittit quidem se comitaturum ipsos, ac ostensurum omne bonum, faciem verò meam, inquit, videre non poteris, non enim videbit me homo & viuet. Ac recipit se loco faciei, cõmemoraturum coram ipso epitheta seu cognomina sua, è quibus voluntatem, VOLVNTATEM, inquã, suam, multò maiori perspicuitate cognoscere possit, quàm si externam aliquam faciei suæ figuram conspiciendam proponeret. In hoc igitur Psalmo, cùm propter multa alia & magna beneficia nomen Dei laudatur, etiam epitheta illa Dei repetuntur & commemorantur, quæ Deus coram Mose in Exodo capite
Exo.34. tricesimo quarto recensuit, & quibus voluntatem suam erga humanum genus ita patefecit, vt ea intuentes,

& di-

& diligenter exppendentes, omnem DOMINI Dei noſtri animum & affectum erga nos, cognoſcamus. Cum deſcendiſſet (inquit Exodus) DOMINVS per nubem, ſtetit Moſes coram ipſo, Et DOMINVS ipſe commemorauit ſua ipſius epitheta, dicens: Dominator, DOMINVS, Deus miſericors, & clemens, longanimis, multus miſeratione & veritate: cuſtodiens miſericordiam in mille, condonans iniquitatem, impietatem & peccatum, impunem dimittens, non impunem dimittens, viſitans iniquitatem patrum in filijs, & in filijs filiorum, in tertiam & quartam genrationem. Hæc ſunt epitheta ſeu cognomina Dei, quæ Deus ipſe coram Moſe recenſuit, Et vocantur viæ DOMINI, de quibus hic Pſalmus dicit, Notas fecit vias ſuas Moſi, hoc eſt, epitheta ſeu cognomina ſua, ex quibus affectus Dei erga homines cognoſcitur. Repetuntur etiã in alijs ſcripturę locis. In Numeris cap. 14. Et Pſalm. 86. Item Pſal. 145. Et Hiere. 32. Cùm igitur toties nobis per Spiritum ſanctum ob oculos ponuntur, agite, conſideremus ea magno ſtudio, vt nota fiat nobis via & voluntas DOMINI Dei noſtri.

1. *Benedic anima mea DOMINO, & omnia interiora mea nomini ſancto eius.*
2. *Benedic anima mea, & ne obliuiſcaris omnium beneficiorum eius.*

Quid Pſaltes in hoc Pſalmo agendum ſuſcipiat, ſtatim proponit in his duobus verſiculis. Inſtituit eñ DOMINVM benedicere, laudare, & commendare, propter beneficia, quæ non tàm ſibi priuatim, quàm

vniuerſo humano generi liberaliter præſtare, & exhibere ſolet. Alloquitur autem & vertit ſermonem ſuum ad ſuam ipſius animam, & omnia ſeu viſcera, ſeu interiora eius, per ἀποστροφὴν, quam vocant Auerſionem, vt cohortationem reddat vehementiorem & concitatiorem. Anima mea TE alloquor, TE cohortor, Nec TE tantùm, verùmetiam omnia mea interiora, omnia viſcera, omnia penetralia omnia membra, vt cum omnia fruamini beneficijs Dei, excitemini etiam, ad benedicendum, ad commendandum, & ad laudibus celebrandum DOMINVM Deum noſtrum, qui eſt ſummus & liberaliſsimus omnium beneficiorum autor & donator, Nec illud tantùm volo, vt Deum celebres et collaudes oſcitanter, & quaſi aliud agens, ſed ita contentè, vt tibi nunquam patiaris, memoriam laudis & beneficiorum eius excidere. Ne obliuiſcaris, inquit.

Sed quæ ſunt beneficia illa tam multa, tam magna, propter quæ DOMINVS Deus noſter tantopere & tam contentè benedicendus ſeu laudandus ſit? ſequitur.

3. *Qui remittit omnes iniquitates tuas, ſanat omnes infirmitates tuas.*

Primùm igitur & præcipuum beneficium Dei eſt, Remiſsio omnium peccatorum, & gratuita condonatio omnium imbecillitatum, quæ è peccato contrahuntur. Hoc beneficio nihil poteſt homini, nec maius nec excellentius contingere. Peccatũ enim in homine, autor eſt omnis tam mali, corporalis, quàm ſpiritualis,

ritualis, tam temporalis, quàm æterni. Etenim peccatum excitat iram Dei. Ex ira autem Dei, primùm quidem infirmantur omnes vires hominis tam animæ quàm corporis. Deinde infligitur mors tã corporalis, quàm æterna, vt peccatum totum hominem corrumpat, & perdat. Quare, cum peccatum dicis in homine, omnia corrupta & perdita dicis. Remisso autem & condonato peccato, omnia iterum fiunt incolumia, integra & salua. Primùm enim homo reconciliatur cum Deo, & restituitur gratię ac fauori eius. Deinde renouantur per Spiritum sanctum vires animi. Et quanquam vires corporis aut morbis aut senectute deficiant, & externus homo corrumpatur, internus tamen renouatur in dies singulos. Denięp etiamsi per vnum hominem omnes moriamur, tamen per vnum hominẽ, qui est DOMINVS noster Iesus Christus, omnes, qui in eum credimus, iterũ in vitam ęternam resurgemus. Quare nullum beneficium nobis, Remissione peccatorum, maius contingere potest. Remisso enim peccato, remissa est ira Dei. Vbi autem ira Dei remissa est, ibi Iustitia Dei per Christum donatur, restituitur & vita, eaęp æterna. In ęterna autem vita, nihil aliud reliquum est, nisi æterna tranquillitas, & summa felicitas. Viuent etiam impíj æterna vita. Hæc autem vita, non est propter vita, sed continua & perpetua mors. Qui mala, inquit, egerunt, prodibunt in resurrectionem, non vitæ, sed condemnationis. *Ioan. 5.* Beati autem sunt, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputat DOMINVS peccatum, nec est in Spiritu eius dolus. *Psal. 32.* Summum igitur beneficium, & extrema beatitudo

eſt, habere remiſsionem peccatorum. Proximum autem beneficium, & beatitudo eſt, habere ſanationem omnium ſuarum imbecillitatum: Qui ſanat (inquit) omnes infirmitates tuas. Sunt enim duplices infirmitates, aliæ ſunt corporis, aliæ ſunt animæ. Ac DOMINVS ſanat quidem omnes noſtras infirmitates corporales, dum partim medetur, admota ordinaria medicina, etiam corporalibus noſtris morbis: partim liberat ab ægrotatione, ædito aliquo miraculo, quemadmodum Ezechiam Regem, & multos alios teſtantibus Euangeliſtis, ſanauit: partim dat euentum, vt ægroti poſsint ſuos morbos patientur & piè ſufferre, adeoq; condonat peccatori ægroto ſua peccata, & recipit eum in gratiam, vt etiamſi afflictetur morbo, vſq;
Luc.16. ad extremum ſuum ſpiritum, (quod Eleazaro Euangelico contigit) commendetur tamẽ Angelis deferendus in ſinum Abrahæ. Deinde ſanat etiam omnes infirmitates animæ. Maxima autem & pernicioſiſsima omnium eſt peccatum. Hæc enim infirmitas infert mortem, non corporis tantùm, verùmetiam animæ, eamq; perpetuam. Sanato autem homine ab hac infirmitate, reliqua omnia ſana & ſalua erunt. Quomodo ergo Deus hominem ab hac infirmitate ſanat? Primùm. Deus mittit Filium ſuum vnigenitum, DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, in hunc mundũ, qui aſſumit humanam naturam, & expiat peccatum ſua paſsione et morte, ac ita reconciliat hominem
Hier.31. cum Deo Patre, vt peccati non amplius meminerit.
Michæ.7. Deponet, inquit alius Propheta, iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris, omnia peccata noſtra. Deinde, mittit Spiritum ſanctum ſuum in corda credentium

credentium, vt non tantùm adoptentur in filios, & inuocent nomen DOMINI, Abba Pater, verùmetiam renouentur in nouam vitam vt ambulent in præceptis Dei, & ducant vitam, inculpatam. Sic ergo ſanato homine, nihil eſt amplius quod ei incõmodare poſsit. Sed pergit Pſalmus, in enumeratione beneficiorũ, propter quę Deus ſit benedicendus et laudibus vehendus.

4. *Qui redimit ab interitu vitam tuam, & coronat te gratia & miſerationibus.*

Quod antea generaliter dixit, hoc nunc diducit in aliquot ſpecies. Summum enim beneficium Dei eſt, remittere peccatum, à quo & alia beneficia pendent. Nam, cui remiſſa ſunt peccata, eius vitam redimit DOMINVS ab interitu. Eſt autem duplex interitus, alius corporalis, alius Spiritualis. Et ſatan humani generis perpetuus aduerſarius circuit ſemper tanq; leo rugiens, quærens quem deuoret, aut corporaliter aut ſpiritualiter. DOMINVS igitur redimit primùm vitam hominis ab interitu corporali, ne ab inſidijs ſatanæ pereat. Niſi enim res humanæ DOMINO curę eſſent, ſatan tam inuidus tam virulentus eſt ſpiritus, vt ima ſummis permiſceret, nec eſſent in terris inter homines, niſi cædes, homicidia, & latrocinia. Quare, quòd ſit vel ſaltem qualiſcunq; pax & tranquillitas in terris, & homines ſint ſuperſtites, non eſt, nec humani conſilij, nec Satanicĩ inſtituti, ſed beneficium DOMINI Dei noſtri. Deinde DOMINVS redimit vitam noſtrã ab interitu Spirituali. Peccatum eñ eſt, quod adimit homini vitã, non tantùm corporis, verùmetiam ani-

mæ. Quocunq; die comederis, inquit, morte morieris. Et ſtipendium peccati, mors eſt. Deus autem remittit, & condonat peccatum credentibus in Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum. Redimit igitur vitam credentium in Chriſtum, ab interitu, vt & mors eorum corporalis non ſit mors, ſed ſomnus, & reſuſcitentur ipſi in æternam & cœleſtem vitam. Præterea, coronat te gratia, & miſerationibus. Non ſolùm enim condonat peccatum, & redimit vitam tuam ab interitu, verùmetiam ornat & circundat te gratia & miſerationibus, hoc eſt, multis alijs donis, quæ confert inte gratuita clementia, & miſericordia. Alium enim ornat Magiſtratu, alium diuicijs, alium ſanitate corporis, Et ſi de ſpiritualibus donis loquendum eſt, alium ornat dono ſapientiæ, alium dono ſanationum, alium diſcretione Spirituum, alium generibus linguarum. Semper igitur habes, vnde Deo benedicas, & nomen eius celebres.

5. *Qui ſatiat os tuum, vt renouetur, ſicut aquilæ ætas tua.*

Aliud beneficium, quod Deus clementer præſtat, & propter quod Deus ſit benedicendus & laudandus. Non enim benefacit nobis tantùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter. Nam, quod in Pſal. 144 repetitur, Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illorum, in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, hoc etiam in ipſo Pſalmo commemoratur. Qui ſatiat, inquit, aut replet os tuum ſuaui & iucundo cibo, vt renouetur ætas tua ſicut aquilæ. Cui conuenit & illud in Actis Apoſtolicis,

Apostolicis: Deus non sinebat testimonij seipsum expertem, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lętitia (hoc est) vino lætificante corda nostra. Singulare eñ beneficium Dei est, quòd Deus non solùm pascit corpora nostra, verùmetiam reddit ea cibo & potu tam viuida, & tam viridia, vt videantur quasi reiuuenescere: Vt renouetur, inquit Psalmus, ætas tua sicut Aquilæ. Hinc est, & vulgo iactatum prouerbium. Aquilæ senecta, in senes, non tam bibaces, quàm viuaces. Autor est Diuus Hieronymus, Crebro, inquiẽs, diximus, Aquilarum senectutem reuirescere, mutatione pennarum. Et iterum: Quòd Aquila certo tempore soleat amittere plumas, in Psalterio scriptum est: Innouabitur vt Aquilæ, inuentus tua. Et Comicus in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, Visa est, inquit, vere quod dici solet, Aquilæ senectus. Et Diuus Augustinus. Dicitur (inquit) Aquila, dum senio grauatur, rostri immodicè crescentis vnco, non posse os aperire, nec cibum capere, Vnde langueſcens, naturæ vi, collidit rostrum ad petram, cuius attritu excusso, quod redundabat, ad cibum redit, atq; ita reparatur, vt iuueneſcat omnino. Additur ab alijs etiam illud: Aquilæ, vbi consenuerit, grauantur pennæ, quærit illa fontem, erigitq; pennas, calorem in se colligit, eo modo sanãtur oculi, in fontem se ter mergit, atq; ad iuuentutem redit.

Act. 14

Hiero. in Esa. cap. 4.

Hiero. in Michæam cap. 1.

In Psal. 103.

6. *Facit iustitias DOMINVS, & iudicia omnibus iniuria patientibus.*

Pergit in cõmemoratione aliorũ beneficiorũ, propter

pter quę DOMINVS eſt benedicẽdus et laudãdus. Eſt .n. et illud ſingulare Dei beneficiũ, quòd DOMINVS, ſicut dat eſcam eſurientibus, & ſoluit vinctos, ac tribuit cæcis viſum, & erigit proſtratos, ita iudicat etiam pro ijs, qui calumniam ſeu iniuriam patiuntur, quemadmodum canit Pſalmus 146. Sed quamdiu, inquies, ſufferam iniuriam, donec conſequar liberationem? Quod Chriſtus reſpondit Apoſtolis, percontantibus, quando reſtituturus eſſet Iſraëli regnum, hoc idem reſpondendum erit percontanti de fine ſuarum afflictionum aut iniuriarum, quæ ipſi ab alijs inferuntur: Nõ eſt veſtrũm, inquiens, noſſe tempora, & articulos temporum, quos pater in ſua ipſius conſtituit poteſtate. Sciamus enim nos, quamdiu vitam in hoc ſeculo agimus, obnoxios eſſe duplici nomine ærumnis & aduerſis. Altero generali, propter communem humani generis maledictionem, qua dicitur: Maledicta terra in opere tuo. Et: Spinas & tribulos germinabit tibi. Altero peculiari, propter ſpecialem pietatis vocationem, qua dicitur: Mitto vos, ſicut oues in medio luporum. Et: In mundo afflictionem habebitis. Et: Per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Dei. In his igitur ſingulis ærumnarum generibus, nõ eſt præſcribendum DOMINO Deo noſtro vel tempus, vel modus, (niſi forte Deus ipſe aliquid certi definierit, vt in Ægypto definiuit quadringentos annos afflictionis: in Babylone ſeptuaginta annos captiuitatis: & ſub Antiocho duo mille & trecentos dies deſolationis) ſed reijciendum eſt in manum DOMINI, & expectandum de cœlo auxilium. Interea autem temporis certiſsima fiducia cõcipienda eſt, primùm, quòd

Act. 1.

Dani. 8.

Deus

Deus sit fidelis, qui non sinat nos tentari supra id quod possumus, sed faciet vnà cum tentatione euentū, quo possimus sufferre. Deinde, quòd tentatio non sit perpetua, sed humana, & pariat nobis æternum pondus gloriæ, Non defatigemur igitur aduersa sufferendo, sed humiliemur sub potenti manu DOMINI, cœlestē opem patienter expectando. 2. *Corinth.* 4.

7. *Notas fecit Mosi vias suas, filijs Israël, studia sua.*
8. *Misericors & clemens DOMINVS, patiens, & multæ bonitatis.*

Aliud beneficium, quod peculiariter exhibuit Deus Mosi & Israëlitis, & propter quod Deus imprimis est benedicendus & laudandus, quòd patefecit eis sua epithetha, seu cognomina, è quibus ingenium, natura, studium & via Dei, erga humanum genus cognosci potest. Quæramus igitur, vbinam DEVS hæc reuelauit Mosi & Israëlitis. Ecce autem scriptum est in Exod. cap. 34. quòd DOMINVS iusserit Mosen in montē Sinai ascendere, & recitauerit coram ipso hæc verba: DOMINVS, DOMINVS Deus misericors, et clemens, longanimis, & multæ bonitatis, & veritatis. custodiens misericordiam in mille, condonans iniquitatem, impietatem & peccatum: impunem dimittens, non impunem dimittens, visitas iniquitatem patrum, in filijs, & in filiorum filijs, in tertia & quarta generatione. Hæc sunt verba, non Mosi ad Deum, sed DOMINI Dei nostri ad Mosen, quibus Deus notificauit, patefecit, & reuelauit Mosi & Israëlitis vias suas, hoc est, ingenium, naturam, institutum, consilium, affectum

ctum, voluntatem & propoſitum ſuum erga humanũ genus. Repetuntur autem hæc in prẽcibus Moſi pro populo ſuo in Numeris cap. 14. & in hoc Pſalmo. Oportere præcium igitur erit, vt hæc ſeu epitheta, ſeu cognomina, quæ Deus ſibimet ipſe, audiente Moſe, coram tribuit, percurramus.

1. DOMINVS, DOMINVS. Primum epitheton ſeu cognomen eſt DOMINVS, quod & bis repetitur ac duplicatur, idq; non alterius, ſeu altioris myſterij gratia, quàm propter maiorem ſignificantiam, aut notationem, quaſi diceret, DOMINVS, DOMINVS ille, (inquam.) Sic & in Hieremia duplicatur vocabulum (Ficus) Quid tu vides Hieremia? Et dixi, Ficus, Ficus, bonas, bonas valde. Et in Matthæo: Non quiſquis dicit mihi DOMINE, DOMINE, introibit in regnum cœlorũ. De vocabulo autem יהוה quod vocant τετραγράμματον, hoc eſt, quatriliteram (quod conſtet quatuor literis,) Iudæi multa & varia tradunt. Alij legunt ſimpliciter iuxta literas Iehoua, alij iuxta puncta literis ſubnotata, quaſi eſſet ſcriptum Adonai. Alij deducunt ab eſſentia, quaſi diceretur Ens aut exiſtens, quòd ſolus Deus verè ſit, aut exiſtat: ſed quicquid illud ſit, hoc vocabulum יהוה vſurpatur pro vero, proprio, et genuino nomine Dei. Et ſumptũ eſt ex illa Dei promiſsione, quæ dicta eſt ad Moſen, Ego ERO tecum. Nam, Moſe, vocatus ad ducatum Iſraëlis ex Ægypto, grauatur primò vocationi obedire: Quis ego, inquiens, ſum, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël ex Ægypto? Sed excitatus diuina promiſsione, quæ eſt, אהיה עמך Eie Imach, ERO tecum, non ſolùm confirmatus eſt ad capeſſendam ſuam vocationem, verùmetiam DEVS ipſe vocabulum nomi-

Hier. 24. *Matth.* 7.

nis

nisſui Iehoua ex illa promiſsione accepit. Sequitur enim in Exodo: Dixit Deus ad Moſen, ERO, QVI ERO. Et ait, Sic dices filijs Iſraël, ERO, miſit me ad vos. Quid autem illud ſibi velit, Eſaias cap. 52. explicat: Propter hoc, inquiens, populus meus ſciet nomen meum, in die illa, Quia EGO IPSE, QVI LOQVEBAR, ECCE ASSVM. Hæc ſunt verba Chriſti DOMINI noſtri, qui quondam locutus eſt per Prophetas, & promiſit ſe aduenturum, ac humanam naturam aſſumpturum, vt coràm perſonaliter loquatur. Cùm ergo dicit ad Moſen, ERO, QVI ERO, illud vult dicere, Ego, ſuo tempore adueniam in terram, & fiam homo, vt præſens ipſe perficiam & abſoluam, quod promiſſum eſt. Itaq; Filius Dei DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus vocat ſeipſum, ERO, hoc eſt, adueniam, ſeu venturus ero, ERO inquiens, miſit me ad vos a vt ſignificet, ſe ſanctiſsimè ſeruaturum, quod de adueutu ſeu incarnatione ſua promiſerit. Vnde etiam nomen יהוה deductum videtur, vt ſit vel tertia perſona futuri temporis, ERIT, hoc eſt, fiet ſeu veniet, vel Iod ſit hæmanthi, aut verbale, conſtãs, verax, firmus in promiſsis, qui ſit rebus ipſis impleturus, quod verbis ſe facturum recepit.

2. DEVS, In Hebræo eſt אל El, quod ſignificat fortem, ſeu Angelum, à fortitudine. Hoc cognomine cõmendatur potentia Dei, qua ſuperat omnia ſeu cœleſtia ſeu terreſtria.

3. MISERICORS. רחום Rahum, quod eſt miſericors. Significat autem hoc vocabulum, affectum miſericordiæ haudquaq; frigidum aut tepidum, ſed ardentiſsimum, qualis eſt affectus paternus erga ſuauiſsimos ſuos liberos, quemadmodum Pſalmus ipſe 103.

interpretatur: Quomodo, inquiens, miseretur pater filiorum, ita miseretur DOMINVS timentium se.

4. CLEMENS חנון Hanun, vox deducta à nomine חן quod significat gratiam seu: donum, vt Deus dicatur non simpliciter clemens, sed ita clemens, qui liberalissimè largiatur suis multiplicia dona, eaq; gratuita, nulloq; meritorum respectu.

5. LONGANIMIS, seu TARDVS ad iram, aut patiens. Deus enim etsi grauissimè irascitur aduersus peccata, & impietatem, tamen non est præcipitis iræ. Non properat, ad vltionem aut ad inferendum supplicium, sed, quemadmodum mox sequitur, differt in tertiam & quartam generationem.

6. MVLTAE BENEFICENTIAE & VERITATIS. Deus non tantùm est beneficus, sed etiam verax, atq; adeo tam multæ beneficentiæ & veritatis, vt malit rerum naturam aut mutare aut inuertere, quàm vel mendax vel non beneficus haberi.

7. CVSTODIENS BENEFICENTIAM IN MILLE. Deus tantę est beneficētię et bonitatis, vt propter vnũ aliquem hominem, qui placet ipsi, beneficiat mille posteris eius. Abraham patriarcha placuit Deo, & audit: Per memetipsum iuraui inquit DOMINVS, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris, Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et Deu. 5. Faciens misericordiam in multa millia, diligentibus me, & costodientibus præcepta mea.

8. TOLLENS INIQVITATEM, PREVARICATIONEM & PECCATVM. Deus tantę est clementiæ

& mi-

et misericordię, vt nō solùm nō puniat et tanimaduertat in iniquitates, peccata, & scelera hominum, verùm etiam remittat & condonet ea gratuita beneficentia. Sed quibus hominibus? num indiscriminatim omnibus? Offert quidem omnibus gratuitam peccatorum remissionem, sed non omnes eam gratuitò accipiunt. Primùm enim non accipiunt eam gratuitò Hypocritæ, qui sentiunt, condonationem peccati contingere propter merita humanæ iustitiæ. Deinde, non accipiunt eam impœnitentes. Soli autem pœnitentes, qui & agnoscunt peccata, & credunt sibi peccata propter Christum remissa & condonata esse, accipiunt eam obedienter, et fruuntur ea ad perpetuā suam salutē.

9. NVLLVS APVD TE PER SE INNOCENS EST. Hoc in Hebræo ita legitur: Parcit pœnitentiam agenti, non parcit impœnitenti. Aut, dimittit impunem, non dimittit impunem. In Commentarijs, quos scripsimus in Exodum, exposuimus hanc loquendi phrasin. Significat autem, Deum ita gubernare suam ecclesiam, & administrare regnum suum, vt odio quidem habeat impietatem & scelera, ac puniat ea, non autem gratietur in quosuis impios & sceleratos indiscriminatim, sed quotquot pœnitentiam agunt, hos recipiat in gratiam, & condonet eis peccata, gratuita misericordia: qui verò sunt impœnitentes, illos reseruet in iudicium, vt planè sit illud Apostolicum: Qui crediderit (Euangelio) saluus erit, Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc etiam est, quod hic Psalmus in epithetis Dei explicat. Sed reuertamur, ad epitheta Dei, quemadmodum in hoc Psalmo commemorantur.

9. *Non perpetuò contendit, neq; in æternum retinet iram.*

Non enim est Deus, vt homo, qui aliquoties iram suam dissimulare solet, donec occasionem nactus fuerit. Tunc enim tarditatem vltionis, grauitate compensat, sed est Deus Misericors, qui etiamsi aliquoties succenset propter peccata, tamen non retinet iram suam perpetuò, sed facillimè reconciliatur. Quomodo? Non reconciliatur quidem, perseuerando & pergendo in peccatis, sed resipiscendo à peccatis. Sola enim resipiscentia in Christo Iesu DOMINO nostro, placatur ira Dei, & remittitur: Viuo ego, inquit DOMINVS, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Vnde & in hoc Psalmo sequitur.

10. *Non secundum peccata nostra facit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*
11. *Quanto enim excelsius est cœlum, terra, tanto præualet beneficentia eius erga timentes eum.*
12. *Quàm longè abest oriens ab occidente, tam longè facit à nobis transgressiones nostras.*
13. *Quemadmodum pater miseretur filiorum, ita miseretur DOMINVS timentium se.*

Quid de affectu Dei, & dilectione eius erga humanum genus, dilucidius & expressius dici potest? Tribus similitudinibus exponit vehementiam, & ardorem eius: Deus (inquiens) tantæ est clementiæ & bonitatis erga nos, vt nõ tractet nos pro meritis nostrorum peccatorum, & iniquitatum, sed pro gratuita sua beneficentia & misericordia. Nam, si peccata nostra respiceret,

respiceret, quid non suppliciorum inferret? Et, vt alius Psalmus ait, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Vt autem magnitudinem misericordiæ & clementiæ suæ aliquo modo adumbraret, & vtcunq; exprimeret, proponit tres similitudines. Vna est, Quanto excelsius est cœlum, quàm terra, tanto superat & excellit beneficentia eius, erga timentes eum. Cœlum autem à terra, δὶς διὰ παντῶν distat. Distant igitur inter se, vt qui maximè, affectus beneuolentiæ Dei, & vulgares hominum affectus. Altera similitudo. Quàm longũ est interuallum Orientis ab occidente, tã longè proiecit Deus à nobis iniquitates nostras. Huc etiam conuenit, quod Micha ait: Deponit iniquitates nostras, & proiecit in profundum maris omnia peccata nostra. Tertia: Sicut miseretur pater filiorum, miseretur DOMINVS timentium se. His similitudinibus ponit Spiritus sanctus nobis ob oculis immensam misericordiã & clementiã Dei. Quęramus igitur, erga quos homines Deus sit tantę misericordię & clementiæ. Num erga quosuis indiscriminatim? Deus, vult quidem, vt omnes homines salui fiant, sed idem non est etiam Deus iniquitatem volens. Misericordia Dei, longè superat distantiam cœli à terra, non autem erga contemptores eius, sed erga TIMENTES eum. Miseretur sicut pater filiorum, non autem odientium eum, sed TIMENTIVM eum. Qui ergò sunt timentes Dei, vt sciamus etiam, qui sint participes misericordiæ eius? Verè timentes Dei, non dicuntur illi, qui abscondunt se à facie Dei, & fugiunt Deum, sicut Adam & Eua, postquam peccassent, aut sicut Cain, postquam occidisset fratrem suum, Nec

Micha. 7.

isti

isti dicuntur verè timentes Dei, qui dies noctesq; exercent sese sacris humana ratione aut superstitione excogitatis, sed qui, agnito peccato, verè credunt, peccatum sibi remissum & condonatum esse, tantùm propter benedictum semen Abrahæ, hoc est, propter DOMINVM nostrum Iesum Christum. Hi ergo, sicut soli verè timent Deum, ita etiam soli sunt participes misericordiæ & clementiæ Dei, per fidem. Quid autem est, quod excitat Deum, ad præstendam misericordiam, ijs, qui timent ipsum? sequitur.

14. *Ipse enim nouit, quod nam figmentum simus, meminit, qui simus puluis.*
15. *Homo in vita sua est, sicut fœnum, floret, sicut flos agri.*
16. *Cum ventus peruadit ipsum, non subsistit, & non cognoscit eum amplius locus eius.*

Duæ sunt causæ, cur Deus excitatur ad præstandam misericordiam timentibus se. Altera est gratuita Dei clementia, & bonitas, quæ non est in Deo aduentitia, sed naturalis. Sicut enim pater miseretur (quemadmodum paulò antè dictum est,) filiorum, (qui est naturalis parentum erga liberos affectus) ita DOMINVS miseretur timentium se. Altera est, miseria nostra, cuius DOMINVS Deus noster magis conscius est, quàm nos ipsi. Etsi enim homo videtur externa sua specie, vel corporis vel animi sui viribus, aliquid esse, tamen Deus ipse, qui est conditor noster, nouit quid, & quales simus, videlicet, quòd non aliud simus, quàm puluis, & vt Ethnicorum etiam literæ dicunt, πομφόλυξ, καὶ σκιᾶς ὄνειρος, bulla, & vmbræ somnium, significan-

gnificantes, humana vita nihil esse fragilius, nihil fugacius, nihil inanius. Et hic Psalmus: Ipse (inquit) nouit, quale simus figmentum, & meminit, quòd simus puluis, sicut & in Genesi dicitur: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam, si ipsam hominis vitam considerauerís, quid obsecro est, nisi sicut gramen, quod cum hodie sit, cras in Clibanum mittitur: & sicut flos agri, qui cum mane floreat, vesperi autem duriori & austeriori aliquo vento afflatus, ita emarcescit & exiccatur, vt decidat, & quasi à loco suo auulsus euanescat, ac ne locũ quidem, vbi enatus fuerit, agnoscatur Cum ventus (inquit) peruadit eum flosculum, ita perdit ipsum, vt non possis amplius ostendere, vbi creuerit aut floruerit. Quare, cùm tanta sit imbecillitas fragilitasq; humanæ vitæ, quid est, quòd cornua tollas? *Matth.6.* *Esa.40.*

Dices autem: Quid ergo est stabile, quid est firmum, si humana vita tam fluxa est, & caduca? Nunquid etiam humana anima tam fragilis est, quàm vita eius? Quid igitur in rerum natura constet, & quid firmum sit, sequitur.

17. *Beneficentia autem DOMINI, ab æterno, & vsq; in æternum super timentes eum, & iustitia eius in filios filiorum.*

18. *His, qui custodiunt pactum eius, & memores sunt mandatorum eius, ad faciendum ea.*

Fragilis quidem & caduca est vita hominis, beneficentia autem seu misericordia & iustitia Dei non sunt fragilia & caduca, sed ab æterno vsq; in æternum super timentes eum. Quid ergo est beneficentia, quid

eſt iuſtitia Dei? Beneficentia Dei, eſt gratuita Dei clementia & bonitas, qua Deus omnibus ſe ad benefaciendum exponit. Iuſtitia autem hoc loco, non eſt iuſtitia illa legis, qua Deus ſeueriter exigit perfectam obedientiam, ac niſi præſtiteris eam, condemnat, ſed eſt conſtantiſsima veritas & certitudo, qua Deus ſeruat promiſſa ſua, etiam indignis, attamen credentibus. Siue igitur cœlum ruat, ſiue terra demergatur, certè veritas promiſsionum Dei conſtat ab æterno, vſq; in æternum. Et quia perpetuò conſtat, fruuntur etiam ea perpetuò, timentes Dei, & qui cuſtodiunt pactum eius, ac meminerunt præceptorum eius, vt faciant ea. Dices autem, ſi ad iſtum modum habet cauſa hominis, cum Deo, quis poterit ſaluus fieri? Si enim veritas promiſsionum Dei non contingit, niſi timentibus Deum, & cuſtodientibus pactum eius, ac facientibus præcepta eius, quis obſecro conſequetur ſalutem? Pactum enim Dei eſt quod iniit cũ Iſraëlitis in monte Oreb, videlicet, vt Iſraëlitæ cuſtodiant Decalogum:

Deut.5. Si, inquiens, audieritis vocem meam, & cuſtodieritis
Exod.19. pactum meum, eritis mihi peculium de cunctis po-
Deut.29. pulis. Nullus autem hominum eſt, qui hoc pactum perfectè obſeruauerit, & cuſtodierit. Omnes enim declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Quis eſt igitur, qui ſalutem conſequeretur? Sed meminerimus duplex eſſe pactum Dei cum hominibus. Alterum eſt pactum Legis, alterum, pactum Euangelij. Ac illud quidem Legis pactum, eſt Decalogus, de quo ſcriptũ

Deut.27. eſt. Maledictus omnis, qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Pactum autem Euangelij, ſcriptum eſt Geneſ. 22. Per memetipſum iu-

rauj,

rauí, dicit DOMINVS ad Abrahamum, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Aut illud ad Dauídem: Inæternum ſeruabo illi (Chriſto) miſericordíam meam, & teſtamentum meum ſeruabo illi. Sed vt clarius explicetur, obſeruandũ eſt illud Pauli. Certus ſermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Ieſus Chriſtus venit in mundum, vt peccatores, ſaluos faceret. Aut illud Chriſti apud Ioannem Euangeliſtam: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt OMNIS, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quare, qui pactũ illud legis peruaricatus eſt, & factus eſt obnoxius maledictioni, conferat ſe ad pactum Euangelíj, quod in Chriſto inſtitutum & completum eſt, vt omnis, qui credit in Chriſtum, conſequatur propter ipſum æternam benedictionem & redemptionem. Hoc illud eſt, quod hic Pſalmus concionatur: Miſericordia ſeu beneficentia DOMINI ab æterno & vſq; inæternum, ſuper timentes eum, et iuſtitia ſeu veritas promiſsionum eius, in filios filiorum, his videlicet, qui cuſtodiunt pactum eius, & meminerunt mandatorum eius, vt faciant ea. Timent autem DOMINVM, (quemadmodum paulò antè dicebamus) qui agnito peccato, credunt peccatum ſibi remiſſum, propter Chriſtum. Cuſtodiunt pactum eius, qui, etſi præuaricati ſunt legem DOMINI, & propter hoc ſunt maledicti, tamen ſectantur promiſsionem Euangelíj de Chriſto, & credũt ſibi peccata eſſe condonata propter Chriſtum, meminerunt mandatorum Dei vt faciant ea, qui non obliuiſcuntur, ſed altiſsima mente reponunt illam Dei vocem de Chriſto: HVNC AVDITE. Hic enim eſt fi-

lius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum est. Illi enim soli verè timent & colunt Deum, qui DEVM ita reuerentur, vt de testentur peccata, & sequantur iustitiam fidei. Et illi soli verè custodiunt pactum Dei, qui promissioni Dei de Christo, ita adhærēt, vt malint discerpi, quàm Christum negare. Denicq; illi soli verè meminerunt mandatorum Dei, vt faciant ea, qui Christum per fidem amplexi, non versantur secundum carnem, sed secundum Spiritum. Proximum igitur est, vt qui voluerint beneficentiæ & iustitiæ Dei seu probitatis & veritatis eius participes fieri, timeant Deum, & custodiant pactum eius, ac meminerint mandatorum eius, quæ de fide in Iesum Christum extant, vt etsi non seruauerunt pactum legis, seruent tamen pactum Euangelij, vt credentes Euangelio de Christo veram & æternam salutem consequantur.

Porrò recensuimus iam ab initio huius Psalmi, vsq; huc, multa & magna beneficia, propter quæ Deus est benedicēdus & laudandus. Quod ergo est longè omnium maximum beneficium, quod Deus humano generi præstitit, & propter quod summę gratiæ DOMINO Deo nostro agendæ sunt, vt prosequamur eum perpetua laude? Sequitur.

19. *DOMINVS in cælo stabiliuit thronum suum, & regnum eius omnibus dominantur.*

Beneficium igitur, quòd Deus humano generi summum & præstantissimum exhibuit, illud est, quòd miserit, iuxta promissionem suam, in orbem terrarum vniges

vnigenitum filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum, quem assumptum in vnitatem personę suæ extulit in summam sublimitatem, & dedit ei nomen supra omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium terrestrium, & infernorum & cuius thronum ita stabiliuit in cœlo, vt sedeat à dextris DEI, & data sit ei omnes potestas in cœlo & in terra, ideoque omnibus dominetur. Hoc est longè omnium excellentissimum beneficium, quo non solùm Christus ipse, ad dextram Dei exaltatus fruitur, verùmetiam fruuntur, quotquot in eum credunt, ad perpetuam salutem. Non enim est aliud nomẽ sub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid igitur reliquum est, nisi vt omnes creaturæ benedicant & laudent DOMINVM Deum, & Christum eius? *Act. 4.*

20. *Benedicite (seu laudate) DOMINVM omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius, vt audiatur vox verbi eius.*

21. *Benedicite DOMINVM, vniuersi exercitus eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*

22. *Benedicite DOMINVM, vniuersa opera eius, in omnibus locis dominationis eius. Benedic anima mea DOMINVM.*

Cohortatur ad laudandum Christum & gratias ei agendas, omnes creaturas, tam rationales, quàm rationis expertes. Nam cum omnes creaturæ fruantur beneficijs Christi, æquum est, vt etiam omnes gratificentur Christo, & celebrent gloriam nominis eius: Laudate inquiens, DOMINVM Christum omnes an-

geli eius. Cohortatur ergò primum, Angelos: et vt suo eos elogio celebret, addit epitheton, Præstantes virtute, facientes verbum eius, vt obediant voci verbi eius. Angeli enim, vt sunt potentissimi Spiritus, ita etiam sunt voluntatis Dei obsequentissimi executores. De potentia autem, & fortitudine Angelorum multa extant in sacris literis testimonia. In exercitu Ægyptio-

Exod.14. rum, Angelus DOMINI, præcedebat castra Israël, tollens se, stetit inter castra Ægyptiorũ, & castra Israël, ac efficit, vt aqua stet, a dextra et sinistra eorum, quasi murus, ac DOMINVS respiciẽs Ægyptios interfecit exercitũ eorũ, et subuertit rotas currum, ferebanturq;

4.Reg.19. in profundum. In exercitu Sancherib regis Assyriorum, Angelus DOMINI percussit in castris Assyriorum centum octaginta quinq; millia, vna nocte. A-

Coloss.1. pud Paulum Angeli, ad exprimendam fortitudinem & potentiam ipsorum, vocantur throni, dominationes, principatus, & potestates. De obedientia autem eorum, & promptitudine obsequendi voluntati diuinæ, scriptum est in Psalmis: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, ne offendas ad lapidem pedes tuos. Et in Daniele: Milia miliũ ministrabat ei, & decies milies centena milia assistebant

Heb.1. ei. Et ad Hebræos: Omnes sunt administratorij Spiritus. Deinde hortatur omnes exercitus & ministros ad benedicendum & laudandum DOMINVM Iesum Christum. Siue autem per hos exercitus intelligas crea-

Genes.1. turas rationales, siue stellas cœli, (nam & hæ dicuntur exercitus cœli) certè omnis creatura siue rationalis, siue rationis expers, debet DOMINO nostro Iesu Christo suam laudem & gratiarum actionem. Vn-

de &

de & additur: Benedicite omnia opera eius in omnibus locis dominationis eius. Postremò hortatur iterũ, sicut à principio Psalmi, seipsum, seu animã suam ad laudem Christi: Benedic seu lauda anima mea DOMINVM, vt omnis laus siue à creaturis rationalibus siue à creaturis rationis expertibus tribuatur DOMINO nostro Iesu Christo, & referatur ad eum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Illud in hoc Psalmo, cumprimis insigne & illustre est, quòd commemorantur in eo epitheta seu cognomina Dei, quæ Deus ipse recenset coram Mose, & exponit verum ac naturalem suum affectum erga humanum genus. Ira enim Dei, non est proprius & naturalis affectus Dei erga homines, nec afflictio, qua homines cruciantur, est præcipuum et proprium opus Dei, sed peregrinum & alienum. Proprium enim & naturale opus Dei est, quòd in his epithetis continetur, Misereri & seruare, non irasci & perdere: viuificare & saluare, non mortificare, & opprimere: Notas, inquit Psalmus, fecit vias suas Mosi, filijs Israël studia seu ingenium suum. Quæ ergò sunt viæ DOMINI? quod est ingenium suum naturale? Ingenium suum est, Misericordem & clementem esse, longanimem, et multæ esse miserationis, qui non faciat nobis secundũ peccata nostra, sed longè faciat à nobis iniquitates nostras: qui misereatur nostri, sicut pater miseretur filiorum, qui quantum distat oriens ab occidente, tantum faciat nobis scelera nostra. Huc pertinẽt etiã alia scripturæ testimonia, quæ exponunt affectum & ingenium Dei

Esa.49. um Dei naturale erga homines. Apud Esaiam dicit DOMINVS de Zione: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Hier. in threnis cap.3. Et apud Hieremiam: Non repellet in ſempiternũ DOMINVS, Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum.

Oseæ 11. Et apud Oſeam, Quomodo dabo te Ephraim? protegam te Iſraël? Quomodo dabo te? Sicut Adama? ponam te vt Seboim? Conuerſum eſt ad me cor meum, ſimul ferbuerunt miſerationes meæ. Non faciam ſecundum iram furoris mei, non conuertar, vt perdam Ephraim, quũ Deus ego et non homo. Sanctus ſum in medio tui. Sed ſi adhuc de ardentiſsimo affectu dilectionis Dei erga humanũ genus, ac cumprimis erga eccleſiam ſuam dubitas, obſerua & diligenter intuere dictum DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, qui ait. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat æternam vitam. Et Ioannes. In hoc apparuit charitas Dei

1. Ioan. 4. in nobis, quòd filium ſuum vnigenitum miſit in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas, quòd nõ nos dilexerimus Deũ, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſerit filiũ ſuum PROPITIATIONEM pro peccatis noſtris. Cum igitur Deus pater tanto argumento, miſsione videlicet vnigeniti filij ſui, & traditione eius, in mortem, ad expianda peccata noſtra teſtatus ſit affectum dilectionis ſuę erga nos, ſciamus iram Dei, & afflictionem, qua in nos Deus animaduertit, non eſſe pertinacem & obſtirmatam nos perdendi voluntatem,

tem (niſi fortè obſtinatè fuerimus impœnitentes) ſed eſſe ſummam Dei beneuolentiam, qua ad reſipiſcentiam, ad veram vitam & ad ſalutem vocamur.

Pſalmus 104.

Benedic anima mea DOMINO, DOMINE Deus meus magnificatus &c.

IN proximè præcedenti Pſalmo excitauit Spiritus ſanctus creaturas tam angelicas, quàm humanas ad benedicendum, laudandũ, & gratias agendas DOMINO, propter beneficia ſpiritualia, & cœleſtia, quæ humano generi diuinitus exhibentur. Nunc in hoc centeſimo quarto Pſalmo, excitantur oẽs creaturę ad benedicendũ et laudandũ DOMINVM, eíq; gratias agendas, propter beneficia corporalia et mundana. Nõ ſentiamus aũt hęc in Pſalmis ociosè et ſuperuacaneè recitari. Recitantur enim primùm ad commendandam immenſam ſapientiam creatoris, qui nihil temerè & inconſideratè condiderit, ſed omnia fecerit, ſicut hic Pſalmus canit, in ſapientia, vt eius ſapientiæ (ſicut alius Pſalmus canit) non ſit numerus. Etſi enim in hoc mundo omnia ſurſum deorſum temerè ferri videntur, vt & malis benè, & bonis malè ſit, tamen, quia Deus eſt rerum omnium gubernator, & adminiſtrator ſapientiſſimus, *Pſal. 143.*

sentiendum est, nihil in hoc seculo geri inordinatè & stultè, sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposita & constituta esse. Perturbat quidem satan sepenumero optimas Dei ordinationes, & cœlum terræ, vt dici solet, commiscet, Deus autem tam bonus & prudens est, vt ad has satanæ perturbationes non conniueret, nisi ijs benè sciret vti. Quæcunq; igitur acciderint, æqui bonique, tanquam à Deo optimo & sapientissimè profecta, consulamus. Deinde recitantur ad commendandam infinitã bonitatem Dei, quòd nihil condiderit, nisi quod ad suum quodq; vsum accommodauerit. Agnoscamus igitur bonitatem Dei in singulis creaturis, & celebremus sanctum nomen eius.

Sapien. 11.

1. *Benedic (seu lauda) anima mea DOMINVM, DOMINE Deus meus, magnificatus es vehementer, laude & decore es ornatus.*

Argumentum Psalmi huius primus eius versiculus proponit. Suscipit enim Deum benedicendum seu laudandum, propterea quòd propter magnificentiam, & decorem suum, quo ornatus est, omni laude et commendatione dignissimus sit: Benedic, inquiens, anima mea DOMINVM. Tu enim DOMINE Deus meus, superas maiestate tua omnia, ideoq; meritò, omni cõmendationis genere, ornandus & decorandus es.

2. *Amictus es luce, quasi vestimento, extendis cælum, quasi cortinam.*

Constituta propositione, commemorat nunc ex ordine

dine creaturas, quæ nos imuitare & excitare debent ad laudem Dei, oſtendens interim vſum earum, vt de bonitate Dei & clementia eius erga nos admoneamur. Ac principio, de luce, quæ primo die creata eſt. Dixit enim Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Et Paulus: Deus eſt, inquit, qui iuſsit è tenebris, lucem illuceſcere. Hac luce, Deus quaſi veſtitur & ornatur. Nam, quod Apoſtolus aliàs dicit, Deum habitare lucem inacceſſam, non de luce creata, ſed de increata, quæ Deus ipſe eſt, intelligendum erit. Deinde de firmamento, tu extendis, inquit, cœlum, quaſi cortinam, ſeu pellem. Secundo enim die, Deus creauit firmamentum, ſeu, vt vocabulum ſonat, extenſionem, in medio aquarum, quòd faciat diſtinctionem inter aquas, & aquas. Et vocatum eſt cœlum. Dicit autem hoc extenſum, ſicut cortinam, ſeu velum tabernaculi aut tentorium. Deus enim hanc huius mundi machinam tam artificioſè architectatus eſt, vt eſſet tam ornamento, ad admirandam immenſam ſapientiam Dei creatoris, quàm vſui ad cognoſcendam bonitatem eius, quòd firmamentum, in medio aquarum, tecti loco, collocauerit.

2. *Cor. 4.*

1. *Timoth. 6.*

3. *Qui contiguat aquis ſuperiora eius, ponit nubes, vehiculum ſuum, ambulans ſuper pennas venti.*

Pergit Spiritus ſanctus in deſcribenda regia cœli. Creauit enim Deus non ſolùm firmamentum, in medio aquarum, tecti loco, verùmetiam, contiguauit ſeu contabulauit ſuperiora eius, aquis tanq̃ fornicatum arcum triumphalem, vt diſtingueret, inter aquas,

quæ ſunt ſub firmamento,& inter aquas,quæ ſunt ſupra firmamentum. Quid autem, aut quales ſint aquæ iſtæ,credi quidem poteſt, & debet, quia Spiritus ſanctus teſtatur,cognoſci autem non poteſt, quia à ſenſibus noſtris ſunt remotiſsimæ,Deinde Deus vtitur nubibus,tanq; vehiculis,& ambulat ſuper pennas ſeu alas venti. Pertinet & hoc ad deſcriptionem maieſtatis Dei,quòd quemadmodũ Principes huius ſeculi vehuntur ſublimes in curribus, & equis, ita Deus dicatur vehi in nubibus, & ambulare ſuper alas venti. Quod enim ſunt currus, Principibus, & alæ auibus, hoc Deo ſunt nubes,& alę ventorum,propterea quòd Deus dicatur habitare in ſublimi, & permeare omnia ſumma velocitate,hoc eſt,omnia implere.

4. *Qui facis Angelos tuos, ſpiritus,& miniſtros tuos,ignem flammantem.*

Alia maieſtas Dei. Sicut enim Principes huius terræ habent ſuos celeres, ſeu veredarios, quibus vtuntur,ad conficienda ſua negocia celeriter, ita Deus habet ſuos celeres tabellarios,ſeu veredarios,vt quod inſtituerit,citò perficiat.Hi autem veredarij, ſeu tabellarij Dei, non ſunt nec homines,nec aues,ſed ſunt ſpiritus incorporei. Hos enim Deus condidit, vt eſſent ei,loco Angelorum ſeu nunciorum et veredariorum, quorum opera vtatur,ad ſuas legationes. Nonne omnes,inquit Epiſtola ad Hebræos, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis? Pſalmus igitur dicit: Qui facis ſpiritus, vt ſint Angeli ſeu nuncij & tabellarij

tui,

tui. Et: Qui facis ignem flammantem, vt vtaris ea loco miniſtrorum tuorum. Nam, quòd DOMINVS vtatur ſpiritibus incorporeis, loco nunciorum ſuorũ, teſtatur ipſum nomen Angeli, quod nuncium ſignificat. Quòd aũt flammam ignis in miniſterium ſuum vtatur, extant in ſacris literis perſpicua teſtimonia. In Exodo Angelus DOMINI, apparuit Moſi in rubo ardenti. In eodem libro: Angelus DOMINI comitatur caſtra Iſraëlitica, interdiu columna nubis, noctu autem columna ignis. In Deuteronomio audiunt Iſraëlitæ vocem DOMINI, hoc eſt, Angeli, loquentis in nomine DOMINI, in monte Oreb, de medio ignis. In Actis Apoſtolicis, accipiunt Iſraëlitæ legem per diſpoſitiones Angelorum, de medio ignis maximi, adeoq; omnino vtitur Deus igni flammanti, ad miniſterium, quo negocia ſua in terris conficiat. *Exod.3.* *Exod.14.* *Deut.4.* *Act.7.* *Deut.4.*

5. *Fundas terram ſuper baſem ſuam, vt non commoueatur in ſeculum ſeculi.*

A creaturis incorporeis, tranſit ad creaturas corporeas, vt etiam ex his admoneat, DOMINVM eſſe benedicendum & laudandum: Fundat terram, inquit, ſuper baſem ſuam, vt conſiſtat firmiſsima, nec vllo vnquam tempore loco ſuo moueatur. Quæ ergo eſt baſis terræ? Num ſub hac terra, alia reliqua eſt terra, quæ hanc ſuſtentet, aut cui hæc ſuperincumbat? Nihil huiuſmodi rerum eſt, ſed baſis terræ eſt verbum DOMINI, quo terra hæc ſuſtentatur. Dixit enim Deus: Congregentur aquæ ſub cœlo in vnum locum, & appareat arida, & factum eſt ita. Hoc verbum terrã, ita ſuſti- *Geneſ.1.*

net, vt nec demergatur altius seu profundius, nec a-
quis, quæ altiores sunt terra, obruatur. Est autem in-
gens miraculum. Terra enim, ita condita est, vt iuxta
ingenium suæ naturæ consistat intra aquas, in medio
aquarum, & aquis vndiq; operiatur. Et tamen diuino
consilio, sic sit dispositа, vt primùm quidem multa
eius pars eleuata sit supra & extra aquas, iuxta illud,
quod Deus dixit: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo
sunt, in locum vnum, et appareat arida, congregatio-
nesq; aquarum appellauit maria. Deinde, cum terra,
pro suo centro, deberet inclusa & tecta esse mari, De-
us mare verbo suo ita repellit, vt non possit terram
obruere, sed necesse habeat sese intra terminos suos
continere, & efficere, vt extet planicies, apta habita-
tioni, & vitæ tam hominum, quàm reliquarum ani-
mantium. Hæc sunt duo maxima miracula, vt quem-
admodum Israëlitæ ambulauerunt in mari rubro, in-
ter aquas, tanq; inter duos altos muros, salui & incolu-
mes, ita & nos adhuc hodieq; ducamus vitam, quasi in
medio aquarum, & tamen inter tanta pericula salui
consistamus, et ad suum vsq; tempus perduremus. Vn-
Iob.38. de & apud Iobem dicitur: Circumdedi mare terminis
meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Vsq; huc veni-
es, et non procedes amplius, & hoc confringes tumen-
tes fluctus tuos. Quòd igitur ducamus vitam in ter-
ris incolumen, quòd non obruamur aquis, singulis
momentis, manifestum est tam miraculum, quàm be-
neficium Dei, quod grati agnoscere, et fidem nostram
in omnibus periculis confirmare debemus, propterea
quòd DOMINVS Deus noster, sicut concluſit mare
suis terminis, ne possit vltrà, quàm definitum est, pro-
cedere

cedere, ita etiam posuerit afflictionibus suum modum & finem, ne possit in nos, præterquam eis præscriptum, & permissum fuerit, grassari.

6. *Abyssо, tanquam vestimento, operuisti eam, super montes, stant aquæ.*
7. *Ab increpatione tua fugiunt, à voce tonitrui tui formidant.*

Prosequitur, quod de terra cœperat: Terram, inquiens, operis abyssо, tanq̃ vestimento. Abyssum autem vocat, profunditatem maris, quòd mare videatur nobis ἄνευ βύθου, sine profundo. Operuit igitur Deus terram Abyssо tanq̃ vestimento, quia tegit terram, & involuit eam in aquarum profunditatem, tanq̃ in cooperculum, quo vndiq; ita circumdaretur, vt aquę quasi super montes stare videantur, & tamen interea fugiant ab increpatione Dei, & à voce tonitrui eius, perinde ac si sibi metuerent ac formidarent. Non em̃ hærent in montibus, sed proripiunt sese festinanter in locum, quem eis DOMINVS Deus noster definiuit, vnde & sequitur.

8. *Ascendunt montes, descendunt valles, ad locum, quem fundasti eis.*
9. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, nec reuertentur, vt operiant terram.*

In conditione rerum, illa etiam montium & vallium varietas admiratione & commendatione digna est. Ex alia enim parte montes sunt altissimi, ex alia autem

autem valles ſunt profundiſsimæ & tamen nec montes ſuperincidunt in valles, nec valles impedimento ſunt montibus, quo minus emineant, ſed vtrunq; tam montes quàm valles, ſuum ſeruant tam modum quàm locum, quem non tranſgrediuntur: Terminũ, inquit, poſuiſti eis, quem inuiolatum retinent, nec effluunt in terram, vt quamuis natura aquæ ſit, vt cooperiat terram, tamen intra ſuos fines contineatur, & relinquat ei ſpacium fructificandi.

10. *Qui emittis fontes in conuallibus, vt inter montes labantur.*

11. *Vt bibant omnia animalia agri, vt ſedent onagri ſitim ſuam.*

Aliud miraculum diuinitus conditum. Deus enim ita creauit fontes, vt & in conuallibus profluant, & animalibus potum exhibeant. Phyſici ſuas habent, quas enumerant, fontium cauſas, ſuum quoq; aquarũ vſum. Theologus autem, ad fontium authorem properat: Qui emittis, inquit, fontes in conuallibus, vt inter montes labantur. Etſi enim fontes naturalem habent ordinem, quo fiunt et ſcaturiunt, tamen abſq; authore & emiſſore DOMINO Deo noſtro, aquam è punicè poſtulabis: Qui emittes fontes, inquit, in conuallibus. Solus igitur DOMINVS Deus noſter, emittit fontes, idq; præcipuè in hunc vſum, vt animalia terræ habeant, quod bibant &, ſitim ſuam extinguant.

12. *Super ea volatile cœli commoratur, de medio frondium dat vocem.*

Deus

Deus tanto fauore prosequitur hominem, vt non solùm crearit, quæ ad hominis necessitatem, verùm etiam, quæ ad eius voluptatem faciant. Ornauit enim aërem variis generibus volucrum, vt non circumuolitent mutæ, sed impleant eum cantu, & delectent homines iucundo carmine.

13. *Qui irrigas montes de cœnaculis tuis, tu imples regionem, frumento, quod creas.*

Beneficio Dei, montes rigantur supernis pluuiis, & implentur agri frumento, quod diuina gratia, è terra producitur. Terra enim, propter peccatum maledicta est, & iuxta hanc maledictionem, non deberet proferre, nisi spinas & tribulos. Quòd autem proferat in montibus fœnum, & in agris frumenta, singularis est beneficentia Dei, Vnde & sequitur.

14. *Germinans fœnum iumento, & herbam vsui hominis, vt educat panem è terra.*
15. *Et vinum lætificet cor hominis, ac facies splendeat oleo, & panis cor hominis confirmet.*
16. *Vt fiant arbores DOMINI, plenæ succo, cedri Libani, quas plantasti.*
17. *Ibi aues nidificant, & ciconia, domum habet, abietes.*
18. *Montes excelsi, capreis, petra, refugium, cuniculis.*

Nihil est ociosum aut superuacaneum in hac terra, singula habent suum vsum, & commoditatem. Quid inutilius videtur fœno, aut herba terræ? Fœnum, cum sit hodie, cras in clybanum mittitur, exiccatur fœnum,

& cadit flos. Quis igitur est vsus eius? Videtur tantùm produci, vt conculcetur in terra, aut vt ociosè spectetur. Et tamen, si rectè consideraueris, magnus est vsus eius. Fœnum enim præbet pabulum iumentis. Herba dat pascua omnibus, vt & iumenta, & oues, suas afferant commoditates. Iumenta autem & oues seruiant humano vsui. Quòd verò seruit homini, suum finem, ad quem destinatum est, assequitur. Ad illud enim vtilia sunt vt & panis, & vinum, & oleum è terra educatur. Panis, vt homo nutriatur et sustentetur cibo, Vinum, vt cor hominis lætificetur & exhilaretur. Oleum, vt membra recreentur. Hinc etiam Ethnicorum literæ, duos esse liquores, corporibus humanis gratissimos, intus, vini, foris, olei, testantur. Habent & arbores, quàmuis syluestres, suum vsum, nec frustra fiunt suis temporibus succo plenæ. Ac præcipue Cedri Libani, quæ tanta sunt proceritate, vt videantur, à Deo ipso plantatæ. Et si nullum alium vsum haberent, ad illud tamen vtiles essent, vt aues illic indifferent, ac fœtus suos excluderent. Sunt & abietes tanta altitudine insignes, vt præ ea ad nullam rem commodæ videantur, & tamen sunt miluorum ac ciconiarum domicilia. Quid montes excelsi? Quæ est eorum commoditas? Quæ & altissimarum ac præruptissimarum petrarum? Si nihil aliud, certè sunt caprearum receptacula, & cuniculorum refugia.

19. *Fecit Lunam ad (discrimina) temporum, Sol nouit occasum suum*

A creaturis terrestribus redit iterum ad creaturas cœlestes,

cœleſtes, ad luminaria videlicet magna: Fecit, inquiens, Lunam ad tempora. Hoc illud eſt quod in Geneſi cap. primo dicitur. Dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, ad diſtinguendum, inter diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos &c. Luna enim condita eſt in hunc vſum, primùm, vt faciat diſcrimen inter menſes, Duodecim enim lunationes faciunt duodecim diſtinctos menſes. Deinde Luna diſtinguit dies feſtos. In alia enim lunatione eſt dies feſtus Paſchæ, in alia dies feſtus Pentecoſtes, in alia ſolennitas tabernaculorum. Poſtremò, facit diſcrimen annorum. Suum enim eſt diſcrimen inter annũ ſeptimum, quem vocant annum remiſsionis, & inter annum quinquageſimum, quem vocant Iobilæum. Habet & Sol ſuum officium in cœlo: Sol, inquit, cognouit occubitum ſuum. Nam, præter lucem, qua ſol diuidit diem à nocte, & calorem, quo ſol cuncta vegetat, ſol nouit occubitum ſuum, poſtq; enim attigerit definitum ſuum terminum, non vltra commoratur ſupra terram, ſed mox properat ad occaſum, niſi ſingulari miraculo retineatur id, quod temporibus Ioſuæ factũ eſſe legimus. Properat autem ad occaſum, ne vel nimio calore terræ naſcentia enecet, vel aliud quoddam incommodum mora ſua rebus afferat. *Ioſ. 10.*

20. *Ponis tenebras, & fit nox, in ipſa mouentur omnes beſtiæ ſyluæ.*

21. *Leones rugientes ad prædam, & ad quærendam à Deo eſcam ſuam.*

22. *Oritur Sol, & refugiunt, & in latibulis ſuis cubant.*

23. *Egreditur homo, ad opus ſuum, & ad laborem ſuum, vſq; ad veſperum.*

Habet etiam vicissitudo noctium ac dierum suam non solùm commoditatem, verùmetiam iucunditatẽ, adeoq; necessitatem. Cum enim DOMINVS posuerit tenebras, et induxerit noctẽ, ibi tùm liber patet egressus & euagatio feris syluestribus, vt obambulent in libero campo absq; pauore, & quærant alimenta sua. Quis enim catulus leonum, adeoq; leonibus ipsis vestutis, victum curaret, nisi præda eis, administrante DOMINO Deo nostro, per tenebras contingeret? Nam, orto sole, feræ bestiæ solent se ad sua latibula proripere, & occultare, vt liceat hominibus securè ad suas operationes, ad vesperam vsq; procedere, & eas conficere. Quid autem hoc aliud est, nisi vt intenta voce exclamemus, quod in hoc Psalmo sequitur.

24. *Quàm multiplicata sunt opera tua DOMINE? omnia in sapientia fecisti, impleta est terra opibus tuis.*

Post commemorationem multarum tam cœlestium quàm terrenarum creaturarum, erumpit tandem in laudem & admirationem maiestatis diuinæ, quæ tam multiplices, tã immensæ, tam variæ, tam copiosæ, tanti vsus creaturæ, conditæ sunt. Quàm, inquit, multiplicata sunt opera tua DOMINE, si opera tua DOMINE quę edidisti, in cõdendis creaturis respexero, plura sunt, quàm quę cõmemorare possum. Si magnitudinẽ eorũ considerauero, maiora sunt, quàm quæ exponere licet. Si sapientiã, qua inter se dispositа, et ordinata sunt, intueor, video cũcta sapientissimo Dei consilio, administrari, atq; adeo, nihil est in toto orbe terrarum, vel

vel ocioſum vel ſuperuacaneũ, quod non ſuũ habeat officium,& curationem: Sapientiæ eius, inquit alius Pſalmus,non eſt numerus. Et alius: Qui facit mirabilia ſolus,qui fecit cœlos in intellectu. Sapientia igitur Dei nihil eſt nec maius nec excellentius. *Pſal.146.* *Pſal,136.*

Sed inter creaturas Dei, non eſt prætereundum mare. Quare Pſalmus facit etiam mentionem maris.

25. *Hoc mare magnum,inquiens,et latum manibus,illic ſunt reptilia innumera, animalia parua cum magnis.*

26. *Ibi naues ambulant, Liuiathan iſte, quem formaſti, vt ludat in eo.*

Non fruſtra è mari nata ſunt varia prouerbiorum genera: Mare bonorum, Mare malorum, quòd terra non tam multa,tam magna,atq; adeo tam monſtrifica animalium genera producat,quàm mare. Hoc mare, inquiens, magnum & manibus ſuis latum, quia brachijs ſuis amplectitur vniuerſam terram. Recenſet autem præcipuè duo maris cõmoda. Alterum eſt, quòd nutriat & foueat innumera reptilia, inter quæ ſunt varia genera piſcium,teſtudinum,cochlearum,cetorum maximorum,& paruorum,item margaritarum,vniorum,cancrorum. Alterum eſt, quòd liceat per mare tranſuehere merces,& negociari: Ibi naues, inquit, ambulant. Ibi etiam ambulat Liuiathan, qui eſt maximus in mari piſcis, (de quo in Iob cap 3. & 40. ſimiliter Eſa.27.) adeóq; æquor videtur ei diuinitus conceſſum,tanq; liberrimus campus,in quo ludat.

27. *Omnia in te ſperant, vt des illis alimentum ſuum in tempore ſuo.*
28. *Dante te illis, colligunt, aperiente te manum tuam, implentur bono.*
29. *Auertente (te) faciem tuam perturbantur.*
30. *Auferes ſpiritum eorum, deficiunt, & ad puluerem ſuum reuertuntur.*
31. *Emittes ſpiritum tuum, creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

Dices commemoraſti quidem multa et magna animalia, quæ Deus tam in terra quàm in mari creauit, ſed in quem vſum creauit? Nunquid vt ludant? aut vt fruges abſumant? De his rebus, ne quæſo ſis ſollicitus, Deus, qui cuncta condidit ſapienter, curauit etiam ea prouidenter: Omnia, inquiens, in te ſperant, vt tu des illis alimentum ſuum, in tempore ſuo. Qui curauit ea, vt ſint, curat etiam, vt habeant, quod edant. *Pſal.145.* Oculi omnium, inquit alius Pſalmus, in te ſperant DOMINE, & tu das illis eſcam in tempore oportuno, Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Hic iam Pſalmus effundit plena manu benedictionem. Ac primùm dicamus de authore benedictionis: Omnia, inquit, à te expectant DOMINE, vt des illis cibum in tempore ſuo. Tu DOMINE author es omnis benedictionis. A te ergo ſolo expectamus & ſperamus benedictionem. Et: VT DES, inquit, illis, ET DANTE TE, ET APERIENTE TE, manum tuam. ET EMITTES SPIRITVM TVVM, & creabuntur, Habes igitur benedictionis authorem, qui eſt DOMINVS Deus noſter. Deinde de be-

de benedictione ipsa cognoscamus. Benedictio igitur est tam corporalis quàm spiritualis. Ac corporalis quidem est esca, & alimentum, quæ Deus præbet omnibus creaturis suis affatim, nec committit, vt quicq; earum rebus necessarijs indigeat: spiritualis autem est, incrementum illud, quod Deus vnicuicq; creaturæ liberaliter dispensat, & ad suum vsq; tempus conseruat. Nihil enim nunc dicam, de cœlesti benedictione, quæ propter semen Abrahæ, seu propter Iesum Christum credentibus promissa est, sed tantùm de benedictione physica, quæ corporibus gratuita Dei liberalitate contingit. Postremò, de organo quoq;, quo benedictio Dei effunditur, admonendi sumus. Organon igitur est, spes seu expectatio ad Deum: Omnia, inquit, à te sperant, omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore suo. Sed quę potest esse spes & expectatio rerum ἀλόγων seu inanimatarum? Multa certè, in suo quidem genere. Nam & omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc. Et apud Hoseam, inquit DOMINVS, exaudiam cœlos, & illi exaudient terrã, terra exaudiet triticũ, vinũ & oleum, et hęc exaudient Iezrael. Et in Psalmo: Qui dat, inquit, iumentis escam ipsorũ, & pullis coruorum, inuocantibus eum. Vides, non solùm oẽm creaturam ingemiscere, verùmetiam Deum exaudire pullos coruorũ, vt det ipsis escam. Sed quomodo? Non quidem modo credentium, sed modo naturæ clamat pullus coruorum, ad Deum, quia sperat & expectat, quod sibi in ratione suæ creaturæ diuinitus est destinatum. Non clamat ex fide, non enim consequitur salutem, nisi quæ corpori, pro sua ratione debetur. Quòd si autem Deus tantæ est bonitatis & cle-

Rom. 8.

mentiæ,

mentiæ, vt exaudiat vocẽ naturę, ad ſe in rerum neceſſitate clamantis, multò certè maior eſt bonitas & clementia eius, ad exaudiendam vocem fidei. Ac breuiter, omnia ſunt in manu, in poteſtate, & in diſpenſatione tua DOMINE ſita. Si tu dederis, DOMINE, vel eſcam vel alia beneficia, homines accipiunt. Si tu manum aperueris, et tua beneficia effuderis, homines colligunt. Sin verò tu negaueris, & tuam manum clauſeris, ac faciem tuam auerteris, citius è pumice aquam, quàm è manu DOMINI beneficia accipies. Omnia enim in tua ſolius poteſtate ita ſunt poſita, vt ſi tu abſtuleris ſpiritum, virtutem, efficaciam, & vigorem eorum, deficiant, & ad puluerem, è quo nata ſunt, reuertantur, ac in nihilum recidant. Si autem tu rurſus ſpiritum reddideris, omnia videas renouata & recreata. Cum igitur, TV DOMINE Deus noſter, cuncta tam in cœlo quàm in terra, tanta potentia condideris, tanta ſapientia adminiſtres, tanta cura gubernes, tanta prouidentia conſerues, meritò tibi acclamandum eſt, quod in ſequenti verſiculo dicitur.

32. *Sit gloria DOMINI in ſeculum, lætabitur DOMINVS in operibus ſuis.*

Et cui alteri tantarum rerum deferemus gloriam? Non certè deferenda eſt idolo, non homini, vel monarchæ vel patriarchæ, multo minus, dæmonio, ſed ſoli DOMINO Deo noſtro, illi videlicet DOMINO, qui omnia creauit, qui omnia cœleſtia & terreſtria gubernat, qui in Zione colitur, qui ſacrificijs in templo Hieroſolymitano adumbratur, qui promiſit ſalutem

ſuam

ſuam daturum è Hieruſalem, qui miſit vnigenitum filium ſuum, è Maria virgine, qui paſſus eſt pro peccatis noſtris, qui reſurrexit à mortuis tertia die, qui aſcēdit in cœlos, & ſedit à dextris Dei, venturus ad iudicandos viuos & mortuos, & ad ſaluandos omnes credentes Euangelio eius, ac ad condemnandos omnes incredulos, perpetua morte. Huic, inquam, ſoli æterno DOMINO Deo noſtro ſit GLORIA, non tēporaria, non diurna, ſed æterna, idq; in ſeculum, adeoq; perpetuò, vt fruatur ipſe ſuis operibus, & ad ipſum referatur omnis in omnibus gloria laus & honor. Nam, de potentia eius, conſultius videtur tacere quàm pauca dicere. Ipſe enim ille idem eſt, qui vel ſolo aſpectu faciat terram tremere, vel ſolo attactu faciat montes fumigare.

33. *Reſpicit terram (inquiens) & facit eam contremiſcere, tangit montes, & (quaſi incenſi) fumigant.*

34. *Huic (igitur) DOMINO (tam potenti, tam magnifico tam glorioſo) cantabo donec vixero, & pſallam Deo meo, quàm diu fuero.*

35. *Iucundum ſit ei eloquium meum, vt ego quidem delecter in DOMINO.*

36. *Conſumantur autem peccatores in terra, & impij amplius non ſint. Benedic anima DOMINO, Halleluia.*

Claudit Pſalmum antitheſi. Ac in priori quidem parte Antitheſeos recipit ſe perpetuò, DOMINO Deo noſtro, gratum fore propter beneficia ſua, quæ humano generi, omnipotentia, clementia bonitate, &

misericordia sua præstat: Cantabo, inquiens, DOMINO tam potenti, tam misericordi, tam benefico cunctis diebus meis, quoad vixero: psallam Deo meo, quamdiu fuero: efficiam, pro mea virili, vt eloquium meum sit ei gratum & iucundum, & ego in solo DOMINO delecter. In posteriori verò parte antitheseos execratur impios, ingratos, & impœnitentes peccatores, quos tanta DEI magnificentia, & bonitas non inuitat ad gratitudinem, ad laudem nominis Dei, & ad obedientiã: Consumantur, inquiens, peccatores tam ingrati in terra, & impij, qui non agnoscunt tantam Dei beneficentiã, pereant. Sed quicquid sit de ingratitudine huius mundi, tu certè, anima mea, pergas DOMINVM Deum tuum benedicere, laudare, & omni genere officiorum colere.

VSVS HVIVS PSALMI.

Paulus Apostolus ad Romanos scribens: Quod de Deo, inquit, cognosci potest, manifestum est in illis. DEVS enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas. Dicit: Æternam Dei potentiam, & diuinitatem alioqui inuisibilem, ex creatione mundi, per opera, intelligi, peruideri & cognosci. Inspiciamus igitur, quæ sint illa opera, per quæ æterna Dei potentia ac diuinitas intelliguntur ac peruidentur. Ecce autem non est necesse, vt ad quærenda illa opera Dei oculos diu circumferamus. Intueamur hoc cœlum, intueamur hanc terram, ingrediamur in theatrum huius

ius mundi, & videbimus nobis ea ob oculos posita. Aut si piget nos oculos aperire, & hanc mundi fabricam, cõmemoremus saltem hunc centesimum quartũ Psalmum, in quo singulæ penè creaturæ, tam cœlestes quàm terrenæ ita percensentur, vt æterna Dei diuinitas, hoc est, sapientia & potentia creatoris, nobis longè omniũ conspectissima reddatur. Quare, si quando iuuat hunc mundum ingredi, et in eo admirabilem Dei sapientiam contemplari, hunc Psalmum in manũ suscipiat, & voti sui compos erit.

Psalmus 105.

Confitemini DOMINO, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes, &c.

PRior Psalmus, qui est 104. commẽdauit et laudauit DOMINVM Deum nostrum, à beneficijs, quæ Deus contulit in vniuersum humanum genus. Hic autem Psalmus, qui numeratur centesimus quintus, laudat & commendat DOMINVM à beneficijs, quæ peculiariter contulit in Abrahamum, & familiam eius. Orditur autem à cohortatione ad confessionẽ, inuocationem & laudationem nominis Dei.

1. *Confitemini, inquiens, siue (laudate) DOMINVM,*

inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius.

2. *Cantate ei, psallite ei, narrate omnia mirabilia eius.*
3. *Exultate in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium* DOMINVM.
4. *Quærite* DOMINVM, *& fortitudinem eius, quærite faciem eius semper.*
5. *Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigiorum & iudiciorum oris eius.*
6. *Vos qui semen estis Abrahæ, serui eius, & filij Iacob electi eius.*

Hi sex versiculi sunt propositio cohortationis, in qua Psaltes excitat & admonet familiam Abrahæ, & posteritatem Iacob, vt gratias agant DOMINO, & prædicent nomen DOMINI, ac adnuncient vbiuis gentium, inter omnes populos, gloriam eius propter beneficia, quæ vniuersæ familiæ Abrahami exhibuit, & propter admirandas ac prodigiosas liberationes, quibus dignatus est posteritatem Iacob.

7. *Ipse est* DOMINVS *Deus noster, in omnibus terris extant iudicia eius.*

Propositionem sequitur benè longa narratio seu expositio, qua commemorantur beneficia, quæ Deus exhibuit familiæ Abraami: Narrationem aũt inchoat à commendatione nominis Dei: Ipse est, inquiens, DOMINVS Deus noster: Ipse idem ille est, cuius iudicia, cuius exempla omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, clementiæ & veritatis extant in toto orbe terrarum.

rum. Quocunq; in toto hoc mundo progrediaris, & siue ſurſum ad cœlum ſuſpexeris, ſiue deorſum in terrā oculos defixeris, vbiuis gentium inuenies monumenta maieſtatis Dei. Et vt properem ad principale inſtitutum, quod in hoc Pſalmo ſuſcipiam tractandum, ille DOMINVS Deus noſter, cum ſit illuſtris, infinitis, ac multis & magnis virtutibus, præcipuè tamen enitescit in eo veritas. Quicquid enim promiſit, hoc ſeruat conſtantiſsimè.

8. *Recordatur (inquiens) perpetuò pacti, verbi, verbi (inquam) ſui, quod promiſit ad mille generationes.*

Hoc eſt, vt Deuteronomium cap. 29. quod hodie Deus percutit tecum, vt ſuſcitet te ſibi in populum, ſicut locutus eſt tibi, & ſicut curauit patribus tuis Abraham Iſaac & Iacob. Nec vobis ſolis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, ſed CVNCTIS PRAESENTIBVS ET ABSENTIBVS, hoc eſt, ad mille generationes. Vnde & in Pſalmo ſequitur.

9. *Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti ſui cum Iſaac.*
10. *Et conſtituit illud Iacob in ſtatutum, Iſraëli in teſtamentum perpetuum.*
11. *Dicens: Tibi dabo terram Canaan, funiculum hæreditatis veſtræ.*

Explicat tandem perſpicuè, quòd ſit illud ſtatutum, teſtamentum, iuramentum, & pactum, quod Deus inſtituit cum Abrahamo & Iſaaco & Iacobo. Ac ad Abrahamum quidem dicitur, in Geneſi cap. 12. de terra

Canaan: Semini tuo dabo terram hanc. Ad Isaacū autem, Gen. 26. Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et ad Israëlem, seu Iacobum, Genes. 28. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritq; semen tuum, quasi puluis terræ. Porrò, quod dicit funiculum hæreditatis vestræ, significat sortem seu partem hæreditatis aut possessionis. Qui enim terram antiquitus metiebantur, inopes quidem, mensurabant eam passibus, minus inopes, mensurabant stadijs, multum possidentes, parasangis, quæ est mensura tricenorum stadiorum, plurimum autem possidentes, σχοίνοις, hoc est, funiculis, quod est mensura sexaginta stadiorum. Itaq; solenne fuit, terram metiri & distribuere funiculis. Vnde & apud Iosuam cap 17. dicitur: Ceciderunt funiculi Manasse decem, præter terram Gilead, & Basan, quæ est trans Iordanem. Et quia terra Canaan distributa fuit non passibus, non stadijs, non parasangis, sed σχοίνοις seu funiculis, idcirco apparet eam amplam fuisse regionem, & satis liberalem hæreditatem, quæ sit Abrahæ & semini eius à Deo donata.

Herod. lib. 2.

Nec data tantùm fuit Abrahæ & posteritati eius ampla tantùm possessio terræ, verùmetiam accessit & illa benedictio, quòd cum essent initio paucissimi numero, & exules, tamen non solùm conseruabantur salui & incolumes, inter infestas gentes, sed etiam mirum in modum multiplicabantur. Vnde & additur.

12. *Cum essent viri pauci numero & peregrini in ea,*

13. *Et*

13. *Et ambularent de gente ad gentem, de regno ad populum alterum,*

14. *Non permisit hominem, iniuria afficere eos, & corripuit propter eos, Reges.*

Patriarchæ non tantùm acceperunt terram Canaan, in possessionem, sed etiam defensi sunt diuinitus, in medio aduersariorum, idq; iuxta promissiones diuinas, quas DOMINVS ad ipsos dixerat: Ad Abrahamum dictum est Genes. 15. noli timere Abraham, EGO protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ad Isaacum dicitur Genes. 26: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi & perigrinare in ea, ERO QVE TECVM & benedicam tibi. Ad Iacobum dicitur Genes. 28. Ero custos tuus, quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc. Quòd autem Deus non conniuerit, vt quispiam iniuria Patriarchas, quamuis exules, afficeret, sed corripuerit nomine eorum Reges, habes Genes. 12. Flagellauit DOMINVS Pharaonem plagis maximis & domum eius, propter Sarai vxorem Abrahę. Et Genes. 20. Venit Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait ad illum, En morieris, propter mulierem, quam tulisti. Habet enim virum. Et Genes. 26. Prȩcepit Rex Abimelech omni populo dicẽs: Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur. Nec mirum, quòd DOMINVS tutatus est Patriarchas defensione sua in medio hostium & aduenarum, Muniuerat enim eos verbo suo, & circumsepserat ipsos mãdatis suis, ac seueriſsimis minis, vt essent sacrosancti & inuiolati, quocunq; in vocatione Dei pergerent. Vnde addit.

15. *Ne*

15. *Ne tangatis Christos meos, & Prophetis meis ne malefaciatis.*

Vocat Patriarchas, Christos & Prophetas, quòd etsi non erant externo oleo vncti, quemadmodum Sacerdotes & Prophetæ Leuitici, tamen erant diuina vocatione à Deo redditi inuiolati & sacrosancti, vt quisquis eis benediceret, benediceretur, & quisquis eis malediceret, malediceretur. Et in Genesi, Abraham vocatur Propheta: Redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia PROPHETA est, & viues. Prophetam vocat Abrahamum, quòd sit interpres Dei, & intercessor apud Deum. Sic & Exod. 7. Aheron frater tuus, erit Propheta tuus, hoc est, Aheron frater tuus Leuites, (quemadmodum DOMINVS ipse in Exod. cap. 4. interpretatur) loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis, & ipse loquitur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his, qui ad Deum pertinent. Patriarchæ igitur vocantur Christi, & Prophetæ, quòd sint diuinitus ordinati, & quasi vncti ac consecrati, ad danda responsa Dei, in nomine eius ad populum, in ijs rebus, ad quas conficiendas destinati erant, quos & authoritate venerabiles ac sanctos fecit, vt inter reliquos homines, tanq; columnæ & principes eminerent.

16. *Et vocauit famen super terram, omne fulcimentum panis contriuit.*

17. *Misit ante ipsos virum, in seruũ venundatus est Ioseph.*

18. *Afflixerunt compede pedes eius, ferro afflicta fuit vita eius.*

19. *Vsq;*

19. *Vsq; ad tempus, donec veniret verbum eius, eloquium DOMINI probauit eum.*
20. *Misit Rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit ipsum.*
21. *Posuit eum, Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.*
22. *Vt erudiret principes eius, pro suo modo, & seniores eius sapientiam doceret.*

Alia narratio, de Ioseph, & fame, cuius occasione Ioseph peruenit in Ægyptum, & contulit ei maxima beneficia. Historia autem de Ioseph, multis & optimis doctrinis referta est. Nos ea quidem attingemus, de quibus nos Psalmus admonet. Ac primũ: Vocauit, inquit, famem super terram, & omne fulcimentũ, aut robur, aut sustentaculũ panis contriuit. Fames enim & rerum penuria non temerè inter homines accidit, sed volente & administrante DOMINO Deo nostro. Vocauit, inquiens, famem, videlicet, DOMINVS VOcauit. Et contriuit, idem videlicet DOMINVS. Ex ore enim DOMINI egrediuntur, vt inquit Hieremias tam bona, quàm mala, tam felicia, quàm infelicia. Nam, si quando DOMINVS voluerit, vel terram probare, vel, si peccauerit, supplicio affligere, & aut gladium, aut famem, aut malas bestias, aut pestilentiam immittere, solet vnum aut alterum, ex his quatuor iudicijs, ipse vocat, pessimis, seligere, & seueritatem suam testificari. Deinde: Misit, inquit, ante ipsos virum. Hoc de Ioseph dictum est. Vnde & additur, In seruum venundatus est Ioseph. Etsi enim fratres Ioseph deliberarunt initio se occisuros Ioseph, mutato ta- *Ezech. 14.*

men consilio, vendiderunt ipsum Ismaelitis in seruũ. Hic vide mihi admirandam œconomiam Dei, in familia Patriarchę Iacobi. Deus enim decreuerat se constituere Ioſephum, principem non tantùm familiæ Iacob, verùmetiam seruatorem Ægypti, quod & duobus somnijs significauerat. Cum autem Deus hoc institutum suum absoluere vellet, incipit à venditione, & à seruitute Ioſephi: Venundatus est, inquit Psalmus, in seruum. Et: Afflixerunt eum compede. Et: Afflicta est anima eius ferro. Multa enim aduersa passus est Ioſeph, nunc quidem captiuitate, nunc autem carcere, seu compedibus, quibus constrictus est in carcere, tanq̃ adulter, duobus continuis annis. Sed quid? Num hæc afflictio Ioſephi fuit perpetua? Nihil minus: sed tantùm vsq̃ ad tempus, dum videlicet veniret verbum eius, quod DOMINVS in somnijs significauerat, & dum Ioſeph aduersis tanq̃ aurum in fornace, probaretur. Ad hæc, consideranda est immensa DOMINI solicitudo pro salute ecclesiæ suæ. Anteq̃ enim Israël proficiſceretur in Ægyptũ, curauit DOMINVS eis saluatorẽ. Misit, inquiens, ante ipsum virum. Hic est Ioſeph, quem DOMINVS non illo consilio misit in Aegyptum vt venderetur in seruitutem, sed venditus est in seruitutem, vt fieret Israëlis seruator. Tametsi enim hoc consiliũ Dei non animaduertebatur initio, tamen administrante Deo, hoc tandem euasit, vt Ioſeph fieret Princeps in Aegypto, & seruaret Israëlem.

Esa.28. Alienum enim, vt Esaias inquit, & peregrinum est opus eius, vt operetur opus suum. Præterea, vides, quem finem aut euentum habeant afflictiones piorum. Non enim sunt internicio, sed salus eorum. Quare non

re non eſt iudicandum de ipſis, iuxta aſpectum oculorum, ſed iuxta finem ſeu euentũ eorum: Non reputo, inquit Paulus, pares eſſe afflictiones preſentis tẽporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis noſtræ, mirè ſupra modum, æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non ſpectamus ea, quæ videntur, ſed ea, quæ non videntur. Nunquid autem Deus miſit Ioſephum in Ægyptum, tantùm vt paſceret ventrem Ægyptiorum? Nequaq̃, ſed potius & maximè omnium, vt erudiret principes eius, & ſeniores eius ſapientiam doceret. Nam, cum iſs temporibus regnum Ægyptiacum fuerit Monarchia, nec ſtatus imperij poſsit diu, abſq; vera doctrina religionis ſaluus conſiſtere, Ioſeph non illud tantùm egit, vt frumenta in horrea congregarentur, ſed vt Ægyptij in doctrina veræ religionis erudirentur, & verum cultum Dei cognoſcerent, ac ſectarentur.

Rom.8.

2.Corint.4.

23. *Et ingreſſus eſt Iſraël in Ægyptum, & Iacob aduena fuit in terra Ham.*
24. *Et anxit populum ſuum vehementer, & fortiores eos fecit inimicis ipſorum.*
25. *Vertit cor illorum, vt odio haberent populum ipſius, & dolos meditarentur aduerſus ſeruos eius.*

Sequitur alia narratio de ingreſſu Iſraëlitarum in Ægyptum, & de fortuna ipſorum in Ægypto: Ingreſſus eſt, inquit, Iſraël, in Ægyptum, & fuit hoſpes ac peregrinus in terra Ham. Ham enim eſt Ægyptus, quippe quòd filij Ham fuerint Chus & Miſraim. Miſraim autem autor eſt gentis Ægyptiacæ. Nec Iſraël ſeu Ia-

Geneſ.10.

cob fuit, tantùm hospes in Misraim seu in Ægypto, sed etiam ita auctus est, vt multitudine sua superauerit Ægyptios. Et hoc est, quod in Genesi & Exodo dixit: Habitauit Israël in Ægypto, in terra Gosen, & possedit eam, auctusq; est & multiplicatus nimis. Ac iterum: Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram. Quòd autẽ Psalmus dicit: Fortiorem eum fecit, inimicis suis, illud est, quod Pharao in Exodo dixit: Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit super nos bellum addatur inimicis nostris &c. Sed ecce non est consilium aduersus DOMINVM. Quantò enim Ægyptij magis opprimebant eos, tantò magis Israëlitæ multiplicabantur & crescebant. Hinc odium & inuidia Aegyptiorum aduersus Israëlitas, Deus enim promiserat Abrahæ, Isaaco & Israëli, seminis eorum multiplicationem. Quòd autem Deus decreuit, promouet. Quòd homo, iuxta carnis suæ prudentiam, instituit, pudefieri solet: Vertit, inquit Psalmus, cor illorum Aegyptiorum, vt odio haberent Israëlitas, & meditarentur dolos aduersus ipsos. Sed quid? Deus, author ne est odij & inimicitiarum proximi, contra proximum suum? Deus, non est Deus volens iniquitatem, sed cor hominis peruersum, & natura sua, ab ineunte ætate corruptum, excogitat malum, & meditatur dolos. Non est igitur reijcienda culpa conuersionis animi Aegyptiorum, in Israëlitas, sed reijcienda est in natiuam Aegyptiorum corruptionem.

26. *Misit*

26. *Misit Mosen, seruum suum, Aheronem, quem elegerat.*
27. *Hi ædiderunt inter ipsos signa eius, & prodigia in terra Ham.*

Prosequitur narrationem institutam, & concionatur nunc de missione Mosi & Aheronis. Cum enim DOMINVS liberaturus esset Israëlitas à Tyrannide Aegyptiorum, excitauit eis duos Heroes, alterum Mosem, alterum Aheronem, quorum authoritate Israëlitæ susciperent profectionem in desertum. Et, vt illustres essent, ornauit eos donis ædendorũ miraculorum, quorum alia ædita sunt in terra Ham, seu Aegyptiorum, & vt Psalmus 78. dicit, in Zoan, aut Taneos, alia in mari rubro, alia in deserto. Commemorantur igitur initio, quæ miracula, & prodigia ædita sint, in ipsa Aegyptiorum terra: Misit, inquiens, Mosen, seruum suum, & fratrem eius Aheronem. Hi duo fuerunt Duces Israëlitarum ex Aegypto. Et vt haberent authoritatem coram populo Israël, ornati sunt diuinitus, admirabili dono, ad ædenda signa, miracula, & prodigia. Etsi enim Moses diu multũq; detrectaret vocationem, tamen vel tandem suscepit eam obedienter, cum DOMINVS diceret. Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aheron frater tuus erit Propheta tuus. Ac miracula quidem et prodigia, in Aegypto ædita, alio ordine commemorantur in Exodo, quàm in hoc Psalmo, parum autem retulerit, quocunque ordine recensеantur, modò ea verè & certò ædita esse sciamus.

28. *Misit tenebras, & obtenebrauit, & non repugnauerunt sermonibus eius.*

Quod hic Psalmus de tenebris Aegyptiacis affirmat, hoc Exodus ita commemorat. Extendit Mose manum suam in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles, in vniuersa terra Aegypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat. Vbicunq; autem habitabant Filij Israël, lux erat. Non dissimiles ferè tenebras, narrat Cicero, lib. secundo de natura Deorum, contigisse eruptione Æthneorum ignium, quæ & finitimas regiones quondam ita obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret. Quod autem in hoc versiculo additur: Non repugnauerunt sermonibus eius, intelligendum est, de Mose & Aherone. Hi enim initio, territi difficultate & grauitate vocationis, detrectarunt officium liberandi Israëlitas, & tamen, vel tandem cesserunt, & mandatis Dei obedierunt.

29. *Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.*

Aliud prodigium, quod in terra Aegypti contigit. Hæc prodigia, plagas vocant Aegyptiacas. Sic et Psal-
Exod. 7. mus 78. Conuertit in sanguinem flumina eorum, & riuos ipsorum ne ex ipsis biberent. Et in Exodo. In hoc scies, quòd sim DOMINVS, Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem: pisces quoq; qui sunt in fluuio, morientur & computrescent.

30. *Ebul-*

30. *Ebulliuit terra eorum ranas, in cubilibus Regum eorum.*

Aliud prodigium, seu plaga, in terra Aegypti, multitudo ranarum. Tradunt scriptores, in Cheronesо, & Pœonia & Dardania pluuiam ranarum contigisse tanta multitudine, vt non solum viæ, sed & domus opplerentur, nec aduersus hanc mali vim vsq; salutare compareret auxilium, præterq; in fuga, quando nec aquis, nec cibis vti licebat, irrepentibus & insilientibus ranis in omnia. Sed quod diuino miraculo in Aegypto factum est, causis physicis non est imputandum.

31. *Dixit, & venit examen muscarum & ciniphes in vniuersis terminis eorum.*

Pro Ciniphes, Hebræus habet כנים Kinim, & Græcus σκνῖπες. Dicuntur autem σκνῖπες, animalia parua, e culicum genere, ξυλοφάγα, hoc est, lignum exedentia. Nostra translatio interpretatur, pediculos. Erant, inquit Ciniphes, hoc est, pediculi tã in hominibus, quàm in iumentis. Et quanq; conabantur Malefici Pharaonis, etiam ipsi per suas incantationes facere Ciniphes, tamen ita frustrati sunt, vt ingenuè faterentur, digitũ hunc Dei esse, ac non fieri malefica, sed diuina potentia.

32. *Dedit pluuias eorum, grandinem, ignem flammantem in terra ipsorum.*

Alia plaga, quæ est grando: Extendit, inquit, Mosе virgam

virgam in cœlum, & DOMINVS dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram. Pluit itaq; DOMINVS grandinem super terram Aegypti, quæ tantæ fuit magnitudinis, quanta nunq; antea apparuit, in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa cõdita est. Et percussit grando, in omni terra Aegypti, cuncta quæ fuerant in agris, ab homine vsq; ad iumẽtum, cunctam herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit tantùm in terra Gosen, ibi erant filij Israël, grando non cecidit.

33. *Et percussit vineam eorum, & ficum eorum, & confregit lignum finium eorum.*

Hoc illud est, quod paulò ante dixit: Cunctam herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.

34. *Dixit, & venit locusta, & brucus innumerabilis, et commedit omne fœnum, in terra ipsorum, ac deuorauit fructum telluris eorum.*

Inter Aegyptiacas plagas numeratur etiam examẽ locustarum & brucorum, quæ insecta seu bestiolæ, si diuino supplicio inualuerint, dici non potest, quantũ nocumenti frugibus & alijs, è terra nascentibus, inferant. Vnde & apud Ethnicos infames sunt, & vocantur Deorum Ira.

35. *Et percussit omne primogenitum in Ægypto, primitias omnis virtutis eorum.*

Postre-

Postremùm, inter miracula, prodigia et ostenta, quę Deus, vt inuitaret Aegyptios ad resipiscentiam, inter ipsos ædidit, est interemptio omniũ primogenitorũ, in vniuersa Ægypto: Media nocte, inquit, ingrediar Aegyptum, & morietur omne primogenitum, in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsq; ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum. Hæc est horribilis clades, & longè omnium maxima. Vnde & scriptura dicit: Erit clamor magnus, in vniuersa terra Aegypti, qualis nec antè fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis ab homine vsq; ad pecus. Stupendum tam miraculum, quàm prodigium. Primùm enim, si respexeris Aegyptios, mirum est, quòd horum tantùm primogenita interempta fuerint, & non etiam primogenita Israëlitarum. Sed voluit Deus discrimen seruare, inter populum suum, & alienum, vt manifestè cognosceremus, quanto fauore Deus Israëlitas prosequeretur. Deinde si respexeris Israëlitas, mirum est, quòd hæc clades, nullum eorum, ne minimum quidem attigerit. Sed Deus voluit aperte testificari, quanto odio abominaretur impœnitentes Aegyptios. Postremò, etiam illud DOMINVS significare voluit, quòd omnia promogenita, tam de hominibus quàm de iumentis in filijs Israël sanctificanda essent DOMINO, & ei offerenda, vt testificarentur suam gratitudinem pro admirabili conseruatione suorum primogenitorum: Sanctifica mihi, inquit, omne primogenitũ, quod aperit vuluam, in filijs Israël, tam de hominibus, quàm de iumentis. Mea enim sunt OMNIA. Nec eduxit DO- *Exod 13.*

MINVS Israëlitas, ex Aegypto, egenos & inopes, sed multo argento & auro suffarcinatos, ac bona omnes valitudine præditos. Sic enim sequitur.

36. *Et eduxit eos, cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.*

Quod in hoc versiculo dicitur, hoc scriptura sacra ipsa confirmat: Fecerunt, inquiens, filij Israël sicut præceperat DOMINVS Mosi. Et petierunt ab Aegyptijs, vasa argentea, & aurea, vestemq; plurimam. DOMINVS autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt commodarent eis: & spoliauerunt Aegyptios. Cæterum quod ad spolia, quibus Israëlitæ spoliauerunt Aegyptios, attinet, non est mouenda disputatio, num Israëlitæ, spoliando Aegyptios peccauerint. Etsi enim Spoliare aliena, fas non est, iubente tamen Deo, non solùm fas est, sed nisi feceris, grauiter peccas, & iniurius es in Deum. Diligendus enim est Deus ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Hanc dilectionem non præstabis, nisi toto corde & anima te obsequentem præbueris, & non tam in affligendo, quàm in benefaciendo voluntatem Dei feceris. In tertio libro Regum, vir quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium suum in sermone DOMINI, percute me. At ille noluit percutere. Et ait: Quia noluisti audire vocem DOMINI, ecce recedes à me, & percutiet te Leo. Et additur: Quia dimisisti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Non est igitur claudicandum, quemadmodum Elias

ait,

ait, in duas partes. Si DOMINVS est Deus, sequamur eum, Sin autem Baal, sequamur illum. Nec illud tantum beneficium præstitit DOMINVS Israëlitis, vt educeret eos ex Aegypto, argento & auro onustos, verùmetiam, vt educeret ipsos securos, & diuina protectione tutos. Vnde sequitur.

37. *Lætata est Ægyptus, cum egrederentur, quoniã irruerat terror eorum super eos.*

38. *Expandit nubem in tentorium, & ignem ad illustrandam noctem.*

Hoc illud est, quod & alius Psalmus repetit: Deduxit eos securè, nec timuerant, inimicos autem eorum operuit mare. Et Exod. cap. 13. DOMINVS præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroq; tempore. Nunq; defuit columna nubis per diem, neq; columna ignis per noctem coram populo. Quid autem hæc aliud sunt, nisi cœlestia testimonia fauoris diuini, quo Deus significauit sibi placere egressum Israëlitarum ex Aegypto, & se omni opera & studio, affuturum & adiuturum? *Psal. 73.*

39. *Petijt (Israël) & adduxit (Deus) coturnicem, & pane cœli saturauit eos.*

40. *Aperuit Petram, & fluxerunt aquæ, vt erumperent in aridis flumina.*

Quid multis opus? Deus tanto fauore prosecutus est populum suum Israël, vt non solùm eduxerit eos

ſaluos & incolumes ex Aegypto, verùmetiam præbuerit eis omnia huius vitæ neceſſaria, adeoq; eſcam & potum. Petijt Iſraël carnes, & ſuppeditatæ ſunt abundantiſsimè. Veſpere, inquit, comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus, Scietisq; quòd ego ſum DOMINVS Deus veſter. Factum eſt autem veſpere, *Exod. 16.* & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra. Mane quoq; *Num. 11.* ros iacuit per circuitũ caſtrorum. Et iterum Ventus: egrediens à DOMINO, arreptas trans mare coturnices detulit & dimiſit in caſtra, &c. De potu autem è petra, Exod. 17. & Nume. 20. Et Deu. 8. Eduxit riuos de petra duriſsima, & cibauit te Manna, in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui. Breuiter. Nihil eis in re- *Deut. 8.* rum penuria & neceſsitate defuit. Non panis, non aqua, non veſtimenta. Veſtimentum tuum, quo operiebaris (inquit) nequaq; vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus. Quid ergo eſt, inquies, quòd Deum ad tantam liberalitatem erga Iſraëlem, prouocauit? Non certè iuſtitia & probitas populi, ſed aliæ ſunt cauſæ: Scito, inquit, quòd non propter iuſtitias *Deut. 9.* tuas DOMINVS Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam, in poſſeſsionem, cum duriſsimæ ſis ceruicis populus. Vna ergo cauſa eſt, quia gentes Cananeæ, impij fuerunt, & ad interitum iam olim deſcriptæ, propter impietatem ipſarum. Deinde, vt Deus compleret verbum ſuum, quod ſub iuramento policitus eſt patribus. Additur enim in Pſalmo.

41. *Quia recordatus eſt verbi ſancti ſui, cum Abraham ſeruo ſuo.*

42. *Et eduxit populum ſuum, in lætitia, cum iubilo electos ſuos.*

43. *Et*

43. *Et dedit eis terras gentium, & laborem populorum possederunt.*

Hæc eſt præcipua omnium cauſa, cur Deus liberauerit Iſraëlitas ex Aegypto, & tantis beneficijs eos cumulauerit: Recordatus eſt, inquit, verbi ſui ſancti, quòd Abrahæ promiſerat. In Geneſ. enim cap. 15. pepigit DOMINVS fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſq; ad fluuium magnum Euphratem. Et iterũ: Per memetipſum iuraui, dicit DOMINVS: Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Et mox: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Sed propter quam cauſam deleuit gentes Cananæas, & dedit eam terram Iſraëlitis? Sequitur.

44. *Vt cuſtodirent ſtatuta, & leges eius ſeruarent, Alleluia.*

Breuiſsimis exponit finem & vſum, cur Deus ademerit Cananæis ſuam terram, & dederit eam Iſraëlitis. Non enim introduxit Iſraëlitas in terram Cananæam, vt in ea otiarentur, aut genio ſuo indulgerent, nec vt terram tantùm colerent, multo minus, vt Idola colerent, & alienos Deos adorarent, ſed vt verum DOMINVM Deum noſtrum agnoſcerent, & cultum eius legitimum exercerent, ac ſicut alius Pſalmus canit, vt ponerent in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcerentur operum Dei, ac mandata eius cuſtodirent. Nam propter illam præcipuè cauſam inſtitutæ ſunt, non ſolùm politiæ in Iſraël, verùmetiam Regna in

alijs terris, vt placitam & quietam vitam degeremus cum omni pietate ac honestate. Nam hoc bonum est & acceptum, coram seruatore nostro Deo, qui cunctos homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hic est finis omnis vitæ nostræ in hac terra, hoc agendum nobis est, omni studio & opera nostra, videlicet, vt legem Dei exquiramus, legi Dei studeamus, legem Dei diu noctuq; meditemur, vt finem fidei nostræ salutem animarum, quemadmodum Petrus inquit, reportemus: Time igitur Deū, et mandata eius obseruemus. Hoc enim est, (vt Ecclesiastes suam concionem concludit) omnis homo.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quod in fine huius Psalmi dicitur: Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt. Vt custodiant iustificationes eius, & legē eius requirant, hoc in omni hominū instituto obseruandū est, & huc omnis noster conatus dirigendus. Nam, quæ Deus in nos beneficia confert, hæc omnia siue corporalia siue spiritualia, in hunc finē confert, vt discamus, & timeamus DOMINVM Deum nostrum, & custodiamus ac impleamus omnes sermones legis eius. Lucerna enim pedibus meis, (inquit alius psalmus) verbum tuum, & lumen semitis meis. Hæc autem lucerna, lucet primùm lege Dei, in agnitionem peccati, deinde lucet Euangelio, in agnitionem Christi. Cognito autem peccato & Christo, cognoscitur salus nostra, quæ est vita ęterna. Sequamur igitur hanc lucernam, vt euadamus perpetuas tenebras, et perueniamus in sempiternam lucem.

Psalmus

Psalmus 106.

Confitemini DOMINO, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, &c.

TRibus partibus constat hic Psalmus. Prima, est ingenua confessio peccatorum suorum, et populi sui. Secunda, est exprobratio extremę ingratitudinis erga DOMINVM Deum benefactorem suum, quòd etsi Deus sepenumero remisit iniquitates eorum clementissimè, & liberauit ipsos ex omnibus afflictionibus, nihilominus tamen perrexerunt peccare, & impietatem sectari, vt quo plura eis condonarentur, eo sceleratiores fierent. Tertia, est petitio, vt cum sæpè ac multùm experti summam Dei clementiam & misericordiam in condonandis peccatis, hoc nunc tempore antiquum obtineat, & peccata iterum clementer remittat, recordatus pacti sui, quod cum Abrahamo iniit, videlicet, quòd in semine Abrahæ sit benedicturus omnes gentes, hoc est, quòd quisquis, quocunq; tempore, quantiscunq; sceleribus & peccatis grauatus, crediderit in DOMINVM nostrum Iesum Christum, non veniat in condemnationem, sed consequatur æternam vitam & salutem. Hoc pactum, primùm confirmatum est promissionibus cœlestibus, deinde fœdere, postremò etiam IVRAMENTO: Per memetipsum, inquit DOMINVS

MINVS, iuraui, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſsidebit ſemen tuum portas inimicorũ ſuorum, ET BENEDICENTVR IN SEMINE TVO omnes GENTES terræ, hoc eſt, quisquis crediderit in filiũ Dei DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, habet ęternã vitã, Qui verò non credit Filio, non videbit vitã, ſed ira Dei manet ſuper eum.

1. *Laudate DOMINVM, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.*
2. *Quis loquetur potentias DOMINI, enarrabit omnes laudes eius?*
3. *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam, in omni tempore.*

Orditur autem à cohortatione ad laudem & commendationem nominis Dei, & ſtatim ſubiungit rationem eius: Confitemini, inquiens, ſeu celebrate & laudate DOMINVM, quia bonus eſt & clemens, & perpetuò miſericors. Neq; enim quiſpiam hominum eſt, qui magnitudinem ſeu potentiam, vim, & virtutem clementiæ & miſericordiæ eius explicare queat. Non enim eſt miſericors, ad condonandum vnum tantùm peccatum, aut genus peccati, ſed promptus eſt, et miſericors ad condonanda omnia peccati genera: Nec eſt miſericors ad condonanda peccata ſemel tantùm, ſed ſemper & perpetuò, quoties peccator ingemuerit, & pœnitentiam egerit. Nec eſt miſericors, ad condonanda peccata priora tantùm, ſed etiam poſteriora.

Nec

nec ad præterita tantùm, sed etiam ad futura, ea videlicet, quę Deus ipse futura videt, nec in cor hominis adhuc ascenderunt. Breuiter, DOMINVS est misericors, ad condonanda in vniuersum, OMNIA, OMNIA inquam, peccata condonanda, idcp propter benedictum semen Abrahæ, quod est Iesus Christus, DOMINVS & seruator noster, si in ipsum crediderimus. Cùm igitur tanta sit immensitas misericordiæ Dei, quis est, qui omnes laudes eius enarrare & explicare poterit? Accedit & illud, quòd non tantùm hi sint beati & fœlices, qui semper fecerunt iudicium & iustitiam, nec vllo vncp tempore declinarunt à semita iustitiæ, sed per omnes vitæ suæ dies, quòd æquum & iustum est, fecerunt, verùm etiam illi, qui nunc quidem peccarũt, nunc rursus pietatem sectati sunt, nunc iterum redierunt ad peccata. Beati enim sunt, non tantùm, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam, quouis tempore, sed etiam, qui quouis tempore habent remissionẽ peccati. Sic enim alius Psalmus ait: BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat DOMINVS peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Deus autem illi non imputat peccatum, qui credit in semen benedictum Abrahæ, hoc est, in Iesum Christum DOMINVM nostrum, quòd ipse sit propitiatio pro peccatis nostris, seu traditus fuerit propter peccata nostra, & excitatus sit propter iustificationem nostri. Tanta est magnitudo & immensitas bonitatis ac misericordiæ Dei. Oro igitur te, vt memineris mei, non secundum peccata mea, sed secundum gratiam, populo tuo promissam, & precor, vt nos visites, non secundum me-

Psal. 31.

rita noſtra, ſed ſecundum tuam gratiam & beneuolen tiam. Sic enim ſequitur.

4. *Memento mei DOMINE ſecundum gratiam popu. lo tuo promiſſam, viſita nos, in ſalute tua.*
5. *Vt videam bona electorum tuorum, & læter lætitia gentis tuæ, & gloriemur cum hæreditate tua.*

Nam, ſi nos viſitares, non ſecundum tuam gratiam, ſed ſecundum noſtra peccata, quis ſuſtineret? & quis in conſpectu tuo iuſtificaretur? ac conſiſteret? Memineris igitur noſtri, ſecundum gratiam, & beneuolentiam, qua tuum ipſius populum complecteris, & viſites nos, iuxta ſalutem, quam tu tuo ipſius populo promiſiſti. Promiſiſti autem, adeoq; iuramento confirmaſti, te in ſemine Abrahę, quod eſt Ieſus Chriſtus, benedicturum omnes Gentes, hoc eſt, remiſſurum peccata ſua omnibus credentibus in Chriſtum. Obſecro igitur te, vt concedas nobis hanc benedictionem, & proſperitatem, vt fruamur, cum eccleſia ſeu hæreditate tua, quæcunq; ei in Chriſto DOMINO noſtro promiſſa ſunt, ſed aggrediamur nunc, quod eſt principale huius Pſalmi.

6. *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.*

Paulò ante dicebamus, hunc Pſalmum conſtare tribus partibus, quarum prima eſt ingenua confeſsio peccatorum. In vera enim pœnitentia, non potes conſequi remiſsionem peccatorum, niſi antea peccata ingenuè

genuè confitearis ea DOMINO Deo noſtro, & cum alio Pſalmo ex animo dicas: Tibi, tantũ pecco, & malum coram te facio, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Recitat igitur Pſalmus peccatorum populi Iſraëlitici confeſsionẽ, non vt recitatione eorũ deſperationẽ excitet, ſed vt remiſsionem ipſorum per fidẽ, in benedictum ſemen Abrahæ, hoc eſt, in Ieſum Chriſtum, impetret, & à peccatis abſoluatur: Peccauimus, inquiens, cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Quæ autem ſint peccata quibus Iſraëlitæ ſe polluerunt, ſequitur.

7. *Patres noſtri in Ægypto noluerunt intelligere mirabilia tua, non fuerunt memores multæ miſericordiæ tuæ, & rebelles fuerunt ad mare, mare videlicet rubrum.*

Peccauerunt quidèm aliàs ſæpenumerò Iſraëlitæ aduerſus Deum, priuſq; in Aegyptum, et ad mare rubrum peruenerunt, vt enim non dicam de priuatis eorum peccatis, vendiderunt Ioſephum in Aegyptum. Et in Aegypto, cum Iſraëlitæ peterent commeatum in deſertum, & Pharao eos grauius affligeret, occurrerunt Moſi & Aheroni, inuehuntur in ipſos contumelioſè: Videat, inquientes, DOMINVS, & iudicet, quoniam fetere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis eis gladium, vt occideret nos. Nunc autem dicamus tantùm, de peccatis eorum, quæ deſignarunt in Aegypto, & in deſerto. Ad mare rubrũ vociferantur ad Moſen, forſitan nõ erant ſepulcra in Aegypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine? Et: Nonne iſte eſt ſermo, quem loque-

bamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus Aegyptijs. Multò enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine? Adhæc, patres nostri, inquit, in Aegypto, non intellexerunt mirabilia tua. Multa enim et magna, adeoq; stupenda signa egit DOMINVS coram oculis eorum, in Aegypto. Sed illi adeò hebetes & stupidi fuerunt, vt non solùm non obseruarint, quid sibi vellent illa miracula, & quo Dei consilio æderentur, verùmetiam in pessimam partem, ac planè in contrariam interpretarentur, & tamen Deus perrexit eis benefacere. Sic enim sequitur.

8. *Et seruauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam.*

Vide immensam Dei misericordiam. Etsi enim Israëlitæ, non tantùm meruerant sua impietate, vt abijcerentur à Deo, tamen Deus suo fauore in tantùm est complexus eos, vt seruaret ipsos, idq; in media morte.

9. *Et increpuit mare rubrum, & exaruit, ac deduxit eos per abyssos, sicut in deserto,*
10. *Et seruauit eos, de manu odio habentis, ac redimit eos, de manu inimici.*
11. *Et operuit aqua tribulatores ipsorum, ita, vt ne vnus quidem ex eis reliquus supereſſet.*

Opponit beneficium malitiæ & impietati Israëlitarum. Multa quidem fuit impietas populi Israëlitici, sed etiam magna & multa fuit misericordia Dei. Deus enim in tantùm non respexit impietatem eorum, vt etiam

etiam benefecerit eis. Primùm enim, cum Israëlitæ peruenissent ad mare rubrũ, & constitissent in littore eius, vt progrederẽtur, nec possent, prę aquarũ magnitudine & profunditate, Deus tanta beneuolentia prosecutus est eos, vt mitteret vehementẽ ventum, & exsiccaret mare, quo pateret eis liber incessus per mare: Diuisa est (inquit) aqua, & ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris. Deinde erat aqua à dextra eorũ, *Exod.14.* & leua, quasi murus. Adhæc DOMINVS respiciens super castra Aegyptiorum, qui insequebantur, per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, vt ferrentur in profundum. Postremò, cum fugientibus Aegyptijs occurrissent aquæ, inuoluit eos DOMINVS in medijs fluctibus, reuersæq; aquæ operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, & ita extinxit eos, vt ne vnus quidem ex eis supereslet: Filij autem Israël, perrexerunt, per mediũ sicci maris, & aquæ erant eis pro muro à dextris, & à sinistris. Hoc illud beneficiũ est, quod Psalmus dicit: Increpuit mare rubrum, & exaruit, & deduxit eos per abyssos sicut in deserto, & seruauit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici, videlicet, Aegyptij, & operuit aqua tribulatores ipsorum, Aegyptios. Quid autem Israëlitæ? Initio quidem populus Israël timuit DOMINVM, & crediderunt DOMINO & Mosi seruo eius, ac cecinerunt DOMINO ἐπινίκιον, quod adhuc hodieq; in Exod. cap. 15. extat, sed citò obliuiscuntur beneficiorum Dei. Sic enim sequitur.

12. *Crediderunt verbis eius, cantauerunt laudem eius.*
13. *Citò obliti sunt operum eius, nec obseruarunt consilia eius.*

Declararunt quidem se initio egressus ex Aegypto gratos, erga DOMINVM Deum nostrum, nec tantùm viri, sed etiam mulieres, idq; sumpto tympano, celebrarunt laudem DOMINI: Sumpsit, inquit, scriptura, Maria Prophetissa, soror Aheronis tympanum, in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres, post eam cum tympanis & choris, quibus precinebat, dicens: Cantemus DOMINO gloriosè omnium magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare: Sed citò, inquit, obliti sunt operum Dei, & miraculorum eius, nec considerarunt consilia eius. Quid ergo est, quòd Deus collocauerit beneficia sua in tam ingratos homines, & impios? Liberauit eos ex Aegypto de domo seruitutis, maximis miraculis, & vt scriptura loquitur, liberauit eos ex fornace ferrea, & tamen tanti sunt stuporis, & ingratitudinis, vt non solùm non intelligerent consilia Dei, verùmetiam citissimè se auerterent à Deo, ac vocatione eius? Quid ergo est, quòd Deus eos seruat? & tam clementer eos complectitur? Seruauit eos, (inquit Psalmus) PROPTER NOMEN suum, vt notam faceret potentiam suam. Et scient, inquit, Ægyptij, quia EGO SVM DOMINVS, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in omni exercitu eius, in curribus & equitibus eius. Non seruauit Israëlitas, propter pietatem & iustitiam eorum: sed PROPTER NOMEN, inquit Psalmus, SVVM. Supra enim, cùm Moses & Aheron peterent à Pharaone, mandato DOMINI vt dimitteret Israëlem, respondit Pharao.

Exod. 5.

Pharao: Quis est DOMINVS, vt audiam vocem eius? & dimittam Israël? Nescio DOMINVM, & Israël non dimittam, segregrauit DOMINVS Pharaonem in hunc vsum, vt in ipso manifestaret nomen, maiestatem, potentiam, & vires suas in toto orbe terrarum, Idcirco, inquit DOMINVS, ad Pharaonem, posui te, *Exod. 9.* vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in OMNI TERRA. Seruauit igitur Deus Israëlitas, & affecit eos maximis beneficijs, etiamsi essent impij nebulones, & ingratissimi homines, vt per ipsos illustraret nomen veritatis in promissionibus suis, nomen seueritatis erga incredulos, nomen clementiæ erga credulos, nomen fortitudinis & potentiæ erga obstinatos, ac breuiter, nomen omnipotentię suæ in cœlo & in terra.

Quòd autem Israëlitæ tam citò mutati sunt, & facti è credulis, increduli, è gratis, ingrati, hoc est insidiarum Satanæ & fragilitatis humanæ exemplum. Satan enim insidiatur Ecclesiæ Christi quoq; modo potest, & aggreditur Ecclesiã eius omni genere astus, humana autem fragilitas, natura sua imbecillior est, quàm vt astus Satanæ humano ingenio, cauere possit, (Vigilat enim aduersarius noster, tanq; leo rugiens, quærens, quem deuoret) Mirum igitur non est, quòd Israëlitæ citò obliti fuerint miraculorum Dei, nec habuerint rationem consilij eius.

14. *Et exarserunt concupiscentia in deserto, & tentauerunt Deum in solitudine.*

15. *Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit maciem in animam eorum.*

Sequitur

Sequitur alia præuaricatio, aliud delictum Israëlitarum, in deserto. In Numeris enim cap. 11. Israëlitæ, non contenti beneficio Mannæ cœlestis, flagrabant etiam desiderio carnium: Quis dabit, inquiunt, nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. Et: Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Et: Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? Ac DOMINVS, excitatus quidem murmure eorum, misit eis coturnices, tanta multitudine, vt castra eorum implerentur. Ventus enim egrediens à DOMINO, arreptas trans mare detulit, coturnices in castra. Sed hoc beneficium pessimè eis cessit. Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, & nondum defecerat huiusmodi cibus, ecce furor DOMINI concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis, vt & locus ipse nomen ex eo reportauerit. Vocatus enim est sepulcra concupiscentiæ, quòd ibi sepelierunt populum, quòd desiderauerat carnes: Misit, inquit, in animam eorum maciem, seu tabem & perniciem. Carnes enim illæ, quibus suscipiebant corpus suum reficiendum, & robustius reddendum, reddebant ipsum, non nisi macrius & tenuius. Benedicente enim DOMINO, etiam legumina reddunt corpus vegetius & viuidius, quemadmodum testantur legumina Danielis: Maledicente autem DOMINO, aut cessante, ne splendidissimæ quidem epulæ iuuabunt.

16. *Et zelati sunt Mosen in castris, Aheronem sanctum DOMINI.*

17. *Aperta est terra, & deuorauit Dathan, & opperuit Synagogam Abiram.* 18. Et

18. *Et succensus est ignis, in congregatione eorum, flamma exussit impios.*

Aliud genus præuaricationis, quòd Israëlitæ in deserto designarunt, & scriptum est in Numeris, cap. 16. Et Deut. 11. Korah enim, Dathan, Abiram & vniuersa factio ipsorum concitauerunt seditionem aduersus Mosen & Aheronem, & accusarunt eos, quòd exerceant tyrannidem in Israëlitas: Nunquid non, inquiunt, omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est DOMINVS? Nunquid vos soli, Mose, & Aheron, estis sancti, & DOMINO consecrati, vt arrogetis & vendicetis vobis tantum munus sacerdotale, & priuetis eo reliquos liberos Leui? An non & reliqui sunt de tribu Leui? & sacerdotio digni? sed hanc insolentem Leuitarum arrogantiam non tulerunt seditiosi illi impunè. Primùm enim Mose grauissimè inuehitur in eos, & inuocat contra ipsos DOMINVM Deum: Ne respicas, inquiens, sacrificia ipsorum. Et: Nunquid parum est, quòd DOMINVS fecit ad se accedere te & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam sacerdotium vendicetis? Deinde Deus tanta seueritate animaduertit in seditiosos, vt terra aperiat os suũ, & deglutiat tam seditiosos, quàm tabernacula & omnem substantiam eorum. Postremò ignis egreditur à DOMINO, & tantam stragem facit in castris Israëlitarum, vt primùm quidem interficiat ducentos, quinquaginta viros, qui temerè offerebant incensum. Deinde percutiat quatuordecim millia, & septingentos reliquos, qui seditionis affines fuerunt. Hoc illud est, quod Psalmus ait: Inuiderunt Mosi in castris, Aheroni

roni ſancto DOMINI. Tunc aperuit ſe terra, & deglutiuit Dathan, & operuit congregationem Abiram, & exarſit ignis in congregationem ipſorum, flamma combuſsit impios. Manifeſtum documentum, quòd primùm, ſedicioſi puniantur diuinitus & horribiliter. Deinde, quòd qui aliena à legitima ſua vocatione affectent, & vſurpent, ignominioſè pudefiant.

19. *Fecerunt vitulum in Horeb & adorauerunt ſculptile.*
20. *Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bouis comedentis fœnum.*

Aliud genus ſceleris, quòd Iſraëlitæ in deſerto commiſerunt. Et ſcriptum eſt in Exodo cap. 32. ac prouocauit Deum ad tantam indignationem, vt & Iſraëlitas penitus delendos et extirpandos ſuſciperet. Poſtquàm enim Moſes diutius commoraretur in monte Horeb, vt Decalogum acciperet à DOMINO & populo promulgaret, Iſraëlitæ, moræ impatientes, inſurgunt aduerſus Aheronem: Facito nobis, inquiunt, Deos, qui nos præcedant, Moſi enim, huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit. Itaq; extorquent ab Aherone, datis etiã in auribus aureis, vt formet vitulum conflatilem, & inſtituat illum in diuinum cultum, quem colant & adorent. Non erant Iſraëlitæ tam veſani & furioſi, vt arbitrarentur, Aheronem, magnæ quidem autoritatis virum, hominem tamen fragilem, poſſe reuera nouum Deum creare, & ad colendum inſtituere, Sed illud erat conſilium eorũ, vt Aheron præſcriberet eis formam, et exemplar, quo verum Deum colerent, & gratiam eius conſequerentur,

tur, vt & deinceps ipsos fauore suo prosequeretur, & in omnibus periculis tueretur: Cras inquit Aheron, solennitas DOMINI est. Non ait: Cras est solennitas vituli, sed DOMINI, arbitrantes videlicet se hoc sacro facere DOMINO Deo nostro tam gratum officium, vt ipsos omni beneficiorum genere cumulet. Vociferantur quidem Israëlitæ: Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, nomine autẽ Deorum, intelligunt sacra & cultus diuinos, propter quos Deus faueat ipsis, & conferat in eos omne genus gratiarum, vt sit sententia: Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, hoc est. Hęc sunt sacra, & hi sunt cultus Dei, propter quos Deus liberauit te ex Ægypto, & quorum merito complectitur te summo suo fauore & gratia, Nam & aliàs, alieni Dij proprie non tam dicuntur hi, quos stulta gentilitas, pro veris Dijs finxit & venerata est, quàm sacra à verbo Dei abhorrentia, aut cum eo pugnantia: Vnde, vitulus in Horeb institutus, etsi institutus erat ab Israëlitis in honorem veri Dei, tamen quia pugnabat cum verbo Dei, videlicet, Non habebis Deos alienos in conspectu meo. Et: Non facias tibi sculptile nec similitudinem omnium, quæ in cœlo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra, idcirco non erat legitimus, & verus cultus Dei, nec latria, sed Idolomania, & Idololatria. Nec Israëlitæ adorauerunt eo cultu verum Deum, sed adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam Dei, vt Psalmus ait, ac maiestatem eius, in imaginem bouis comedentis fœnum. Et Paulus ad Romanos, de Gentibus: Cum Deum, inquit, cognouerint, non, vt Deum glorificaue-

runt, neq; grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem, non solùm ad mortalis hominis similitudinem effictam, verùmetiam volatilium, quadrupedum & reptilium.

21. *Obliti sunt Dei saluatoris sui, qui fecit magnalia in Ægypto.*
22. *Mirabilia in terra Ham, terribilia in mari rubro.*
23. *Et dixit, se disperditurum eos, nisi Moses electus eius stetisset medius in ruptura coram ipso, vt auerteret indignationem eius, ne perderet.*

Quid multa commemorem? Israëlitæ in tantùm obliti sunt Dei seruatoris sui, vt etiamsi ediderit maxima signa in Ægypto, & multa admiranda prodigia, in terra Ham, (quæ & ipsa est Ægyptus) sic dicta ab Ham, filio Nohæ, patre Canaan, & maledicto à patre suo, propter irreuerentiam patri exhibitam, ac stupenda miracula, quæ ædidit Deus in mari rubro. Horum omnium Israëlitæ sic obliti sunt, perinde ac si nihil eorum omnino gestum esset. Quare Deus ad tantam indignationem excitatus est, vt proponeret se ad internecionẽ vsq; Israëlitas impios et ingratos deleturum, id quod etiam perfecisset, nisi Mose precibus suis obstitisset, & iram Dei, quæ iam incipiebat, ad conterendum populum grassari, fregisset: Dimitte, inquiens, me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam ipsos. Et iterum: Quousq; detrahet mihi populus iste?

Quos

Quousq; non credent mihi in omnibus signis, quæ fe-
ci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atq; con-
sumam. Te autem faciam Principem super gentem *Nume.14.*
magnam, & fortiorem quàm hæc est. Mose aute, qua
erat pietate, occurrit irę Dei, ac mitigat eam. Ne quæ-
so, inquiens, dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt in-
terficeret in montibus & deleret de terra. Quiescat
ira tua & esto placabilis super nequitia populi tui. Re-
cordare, Abraham, Isaac, & Israël seruorum &c. Pla-
catus igitur est DOMINVS, ne faceret malum, quod
locutus fuerat aduersus populum suum. Insigne exem-
plum, quo discamus, Deum posse ab ira indignationis
suæ, pijs precibus auerti & mitigari.

24. *Et despexerunt terram desiderabilem. Non crediderunt*
verbis eius.
25. *Sed murmurauerunt in tabernaculis suis, non audiue-*
runt vocem DOMINI.

Nondum est finis murmurationis & impietatis
Israëlitarum. Primùm enim, etsi Deus multa & ma-
gna signa ac miracula ediderat, non solùm in Ægy-
pto, sed etiam in mari rubro, & in deserto, non tamen
crediderunt promissis suis. Deinde, non solùm non
crediderunt promissis eius, sed etiam detraxerunt ter-
ræ. Dicebant enim: Nequaq; ad hunc populum vale-
mus ascendere, quia fortior nobis est. Et: Terra, quã *Nume.13.*
lustrauimus, deuorat habitatores suos. Et populus, quẽ
aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra
quidem filiorum Enak, de genere giganteo, quibus
comparati quasi locustæ videbamur. Quibus vocife-

rationibus, Iſraëlitæ ita exterrentur, vt non tantùm terram promiſſam vilipendant, verùmetiam fleant, & deplorent ſuam miſeriam, quòd temeritate Moſi & Aheronis coniecti ſunt in ſumma ac præſentiſsima pericula: Vtinam, inquientes, mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, et non inducat nos DOMINVS, in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum? Conſtituamus igitur nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Sed viciſsim Deus ad tantam iracundiam excitatur, vt iuret, ſe hanc impietatem non impunè laturum. Sic enim ſequitur.

26. *Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt deijceret eos in deſerto.*

27. *Et vt deijceret ſemen eorum in gentibus, & diſpergeret eos in terris.*

Hic eſt geſtus vel iurantis vel ſuſtollentis manum ſuam, vt iuret, aut percutiat reum. Iurat enim Deus ſe vindicaturum tantam impietatem in Iſraëlitis: Viuo ego, inquiens, & implebitur gloria DOMINI vniuerſa terra. Et: Viuo ego, ait DOMINVS, ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſupra quam leuaui manũ meam, vt habitare vos facerem &c. Sed pergunt Iſraëlitæ in impietate ſua, & cumulant eam alijs ſceleribus.

Num. 14.

28. *Et*

28. *Et adhæserunt Baali Peor, & comederunt victimas quas obtulerunt mortuis.*
29. *Et prouocauerunt eum studijs suis, & creuit in eis plaga.*
30. *Stetit autem Pinehas, & supplicium sumpsit de transgressoribus, & cohibita est plaga.*
31. *Et reputatum est illi ad iustitiam in generatione & generatione, vsq; in æternum.*

Alia præuaricatio, qua & ipsa Israëlitæ meruerunt internetionem. Postq; enim Israëlitæ venerunt in deserto ad locum Sittim quemadmodum scriptum est. Num. 25. Primùm quidē scortati sunt cũ filiabus Moab. Deinde, persuasi ab ipsis, adorauerunt Deas earum, & coinquinauerunt se impijs sacrificijs ipsarum. Itaq; designarunt cum ipsis scortatione tam carnalē, quàm spiritualem, adeoq; sectati sunt præter carnalem scortationem, etiam manifestam Idolomaniam, quòd coluerint & adorauerint Deum Midianitarum, qui dictus est Baal Peor. Quibus sceleribus Deus ad tantam iracundiam excitatus est, vt iterum susciperet Israëlitas extinguēdos. Sed placatus heroico stratagemate Pinehas nepotis Eleazari, summi sacerdotis, remisit etiam hac vice iram suam, contentus publico supplicio Principum in Israël, et aliorum quorundā, qui exemplo suo alios offenderant & seduxerant. Iratus DOMINVS, inquit scriptura, & ait ad Mosen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Et iterum ait ad Iudices Israël: Occidat vnusquisq; proximos suos, qui initiati sunt Baal Peor. Ac rursus de Pinehas: Ecce vnus de filijs Israël intrauit coram fratri-

fratribus ſuis ad ſcortum Midianitem, videntē turba & omni turba filiorum Iſraël, qui flebant inter fores tabernaculi. Quòd cum vidiſſet Pinehas filius Eleazari filij Aheronis ſacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum videlicet & mulierem in locis genitalibus. Et iterum: Ceſſauit plaga à filijs Iſraël, & occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum, vel, vt habet textus apud Paulum, conciderunt vno die viginti tria milia. Ac addit Paulus: Hæc omnia figuræ contigerunt illis, ſcripta verò ſunt propter admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderunt, vt non inquinemur ſtupris, ſicut quidam illorum ſtupris polluti ſunt, neq; murmuremus, ſicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti ſunt ab extinctore. Proinde, qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat. In hac hiſtoria multa veniunt obſeruanda. Primum, quòd Deus ſit ardentiſſimus zelotes Idolomaniæ, ac ne ſummis quidē principibus populi ſui parcat, ſi fuerint Idolomanitæ. Deinde, quòd & in ſtupratores ſeueriſſimè animaduertat. Ad hęc, quòd Deus nō ſolùm ſit ſeuerus vltor impietatis, & impudicitiæ, verùmetiā beneficus remunerator iuſtitiæ & diuini zeli. Dixit enim DOMINVS ad Moſen: Pinehas filius Eleazari filij Aheronis, auertit iram meam à filijs Iſraël, quare zelo meo commotus eſt, vt non ipſe delerem filios Iſraël in zelo meo. Et addit liberaliſſimam promiſsionem, de perpetuo ſacerdotio Pinehas ac ſeminis eius: Ecce, inquiēs, do ei fœdus meum, pacem, habebitq; tam ipſe quàm ſemen eius poſt ipſum fœdus ſacerdotij perpetui, eò quòd zelatus

1. Corinth. 10.

Num. 25.

latus sit pro Deo suo, & propitiationem obtinuerit filijs Israël. Addit autem et hic Psalmus: Hoc reputatum est ei in iustitiam, in generatione & generatione vsq; in æternum. Quid igitur ad hoc dicemus? Pinehas designauerat duplex homicidium, Alterum in viro, alterum in muliere, ijsq; principibus. Erat enim Zimri, qui occisus est, princeps domus, et cognationis Simeon. Mulier autem Midianitis, nomine Cozbi, filia Zur, principis populorum de domo & familia Midian. Quid ergo? Num Pinehas meritus est præconium iustitiæ ex homicidio? Num homicidium reputatum est ei ad iustitiam? Certè homicidium per se non est tanti, vt mereatur laudem iustitiæ, Similis autem locutio extat in Genesi cap. 15. sed illic agitur de iustitia remissionis peccatorum, & æternæ salutis. In hoc autem loco agitur tantùm de iustitia bonæ conscientiæ, in hoc stratagemate. Quod enim fecit Pinehas, non fecit malo scelere, sed diuino zelo, non fecit ex affectu carnis, sed ex affectu spiritus: Zelo MEO commotus est, inquit DOMINVS, contra eos, vt ipse non delerem filios Israël. Et: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo. Etsi igitur Pinehas non reportauit per se et simpliciter ex hoc heroico stratagemate remissionem peccatorũ & vitam æternam. Peccata enim remittuntur, & vita æterna donatur, per solam fidem, propter solum DOMINVM nostrum Iesum Christum, reportauit tamen tam ipse, quàm posteri eius perpetuam sacerdotij dignitatem.

34. *Et prouocauerunt eum ad aquas Meriba, & afflictus est Moses propter eos.*

35. *Et exacerbauerunt Spiritum eius, & inconsideratè locutus est labijs suis.*

Alia præuaricatio, qua Israëlitæ prouocarunt ad iram DOMINVM Deum suum. Cum enim Israëlitę peruenissent in desertum Zin, & carerent aqua, conuenerunt, mota seditione, aduersus Mosen & Aheronem: Vtinam, inquientes, perijssemus inter fratres nostros coram DOMINO. Cur eduxistis ecclesiam DOMINI in solitudinem, vt & nos & iumenta nostra moriamur? Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & eduxistis nos in locum illum pessimum, qui seri non potest, qui non ficum gignit nec vineas, nec mala granata, Insuper et aquam non habet ad bibendum? Etsi autem Israëlitæ indigni erant, quibus subueniretur, DOMINVS, tamen, motus veteri & solita sua clementia, iubet Mosen tollere virgam suam, & percutere petram, vt aqua ex ea fluat. Ecce igitur rem mirandam. Moses percutit virga sua petram, et egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Sed quanto admirabilior fuit Deus in operibus suis, tanto magis increduli fuerunt Moses & Aheron. Dixit enim DOMINVS ad Mosen & Aheronem: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Obseruemus igitur DOMINVM Deum nostrum non esse respectorem personarum, sed quicunq; peccauerit ei, peccato & supplicio obnoxius sit, necesse esse, Dices autem: Hoc Israëlis magis peccatum fuit, quàm

Num.20.

Exod.17.

it, quàm Mosi & Aheronis? Cur igitur Mosi & Aheroni imputatur? Verum est, incredulitas fuit Mosi & Aheronis. Sed hi contagione magis insanierunt, quàm impietate. Cum enim vniuersus populus murmuratione peccarent, traxerunt exemplo suo etiam Mosen & Aheronem in incredulitatem, vt simul omnes, tam magistratus, quàm populus peccato incredulitatis inuoluerentur, ac nomen Dei, quasi non esset tam potens, vt è petra aquam daret, sordidarent, cum tamẽ Deus maiora & in mari rubro, & in deserto præstitisset. Quare meritò repelluntur, ne essent duces introductionis populi in terram Canaan, vt Deus hoc exemplo testaretur, se à Magistratu seuerius exigere timorem DOMINI, quàm à vulgo.

34. *Præterea, non disperdiderunt populos, quos iusserat DOMINVS perdere.*
35. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*
36. *Seruieruntq; sculptilibus eorum, & factum est eis in scandalum.*
37. *Et sacrificauerunt filios suos, & filias suas dæmonibus.*
38. *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quos sacrificauerunt sculptilibus Canaan, & infecta est terra sanguine.*
39. *Et contaminauerunt se operibus eorum, & formicati sunt studijs suis.*

Alia præuaricatio, aliud peccatum, quo Israelitæ se polluerunt aduersus Deum. In ingressu enim eorum in terram Canaan, mandatum est eis diuinitus, vt non relinquant incolas superstites, sed percutias eos, inquit

DOMINVS vſq; ad internecionem: Non inibis, cum eis fœdus, nec miſereris earum, nec ſociabis cum eis coniugia. Filiã tuam non dabis filio eius, nec filiam tuã accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, ſed vt magis diis alienis, quin potius hæc facietis eis. Aras eorum ſubuertite, confringite ſtatuas, lucoſq; ſuccidite, & ſculptilia comburite. Et Deut. 12. Diſſipate aras eorum, confringite ſtatuas, lucos igni comburite, & Idola comminuite, diſperdite nomina eorum de locis illis, ſed ipſi nihil horum præſtiterunt. Non diſperdiderunt populos, quos DOMINVS iuſſerat diſperdere. Contraxerunt cum ipſis non ſolùm cõiugia, verùmetiam coluerunt Deos eorum & adorauerunt alienos Deos ipſorum. Contraxerunt familiaritatem cũ gentibus illis, ac non tantùm ſacrificarunt idolis ipſorum, ſed etiam ſuos ipſorum filios & filias immaniter occiderunt, & religionis gratia idolis immolauerunt adeoq; innocentem ſanguinem, ad præſtandum cultùm Deo, vt ipſi arbitrabantur, gratiſsimum, idq; exemplo Patriarchę Abrahæ, quemadmodum Ahaz & Manaſſes 2. Paralip. 28. & Ahaz 33. Ac ſperauerunt quidem ſe his ſacrificijs expiare & purgare terram Canaan. Tantùm autem abfuit, vt purgauerint, vt potius infecerint et contaminauerint, ac ipſam extremæ internecioni obiecerint. Aliud enim eſt exemplum Abrahæ, aliud factum Iſraëlitarum. Quod Abraham fecit, verbo ſeu mandato DOMINI fecit: quod autem Iſraëlitæ fecerunt, impietate, & Idolomania fecerunt, quia non fecerunt mandato DOMINI, nec ex fide. Quare Abraham reportauit ſua obedientia benedictionem ſeminis ſui. Illi autem reportarunt

male-

maledictionē gentis ſuæ interitū. Sed ex quibus verbis incredulitas Moſi et Aheronis obſeruari poteſt? Verba ipſa in promptu ſunt, incredulitatem ipſorum perſpicuè teſtantia: Audite, inquit Moſes, rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eĩcere? Et tamen cum vocationi Dei obſequerentur, ac ſaxum virga percuterent, egreſſæ ſunt aquæ largiſsimè, ita vt populus biberet ac iumenta, quod tamen tam Moſi quàm Aheroni videbatur impoſsibile. Ac etiamſi verba ipſa Moſi incredulitatem eorum non perſpicuè conteſtarentur, tamen Deus ſua ipſius voce affirmat: quia non credidiſtis mihi, inquiens, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſraël, non introducetis hos populos, in terram quàm dabo eis.

40. *Et iratus eſt furor* DOMINI *aduerſus populum ſuum & abominatus eſt hæreditatem ſuam.*

41. *Et dedit eos in manu gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.*

42. *Et afflixerunt eos inimici ipſorum, & humiliati ſunt ſub manu eorum.*

Quid igitur, inquies: Num Iſraëlitæ tantas impietates, & Idolomanias, imò furores & immanitates impunè tulerunt? Tantum abeſt vt impunè tulerint, vt Deus ſupplicium ſupplicio cumulauerit. Primùm enim Deus, imò furor DOMINI, iratus eſt eis, Non ſimpliciter iratus eſt eis, ſed graſſatus eſt in eos cum furore. Deinde abominatus eſt hæreditatem ſuam, quę eſt populus Iſraëliticus. Adhæc tradidit eos in manũ, ſeu poteſtatem externarum gentium præterea. Nec

illud ſolum, verùmetiam, ita tradidit eos in manum externarum gentium & incircumciſarum, vt & illæ dominarentur eis, & affligerent ipſos, ac humiliarent & opprimerent eos. Atq; hæc quidem corporalia tantùm ſunt ſupplicia. Spiritualia autem multò ſunt grauiora. Deus enim proiecit eos inter gentes incircumciſas, à quibus cum diſcerent mores earum & Idolomaniam, factum eſt, vt degenerarent, excęcarentur & exhæredarentur, ne eſſent amplius populus Dei, & Eccleſia illa, è qua Deus ſegregaret electos ſuos ad æternam ſalutem.

Sed nunquid Deus ita proiecit eos, vt nulla amplius ſpes ſalutis eis ſit relicta? Abſit. Hic enim reſpondendum eſt, quod Paulus ad Romanos ſcribens. Nam, & ego (inquit) Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraam, tribus Beniamin. Non repulit Deus populum ſuum, quem ante nouerat. AN neſcitis de Elia, quid dicat ſcriptura? Non ſeruat quidem vniuerſam gentem Iſraëliticam, ſeruat tamen aliquos, quod & ipſum Paulus ſignificat: Veniet, inquiens, ex Zion ille, qui liberat, & auertet impietates à Iacob, & hoc illis à me teſtamentum, quum abſtulero peccata ipſorum. Ac iterum: Dona quidem & vocatio Dei eiuſmodi, vt earum illum pœnitere non poſsit.

43. *Sæpenumerò liberauit eos, ipſi autem exacerbauerunt eum conſilio ſuo & humiliati ſunt propter iniquitatem ſuam.*

IN DOMINO quidē Deo noſtro nulla prorſus culpa eſt, quòd Iſraëlitę non egerint pœnitentiā nec conſecuti

secuti sint salutem. Nam, quod ad DOMINVM Deum attinet, sæpenumerò liberauit eos ex afflictionibus ipsorum, sperans fore, vt plagis emendati, suum officium facerent, sed tantùm abest, vt resipiscerent, vt propter Idolomaniam suam duplo peiores fierent, & humiliarentur. Vt enim hanc rem altius repetam, DOMINVS liberauit Israëlitas ex Ægypto, fornace verè ferrea, & sperauit eos hoc beneficio deuinciendos, vt nunq; alienos Deos adorarent: sed vix potuerunt peruenire in desertum, instituerunt vitulum aureum, quem deserto vero Deo, coluerunt & adorarunt loco Dei. Vide mihi libros Iudicum, in quibus reciproca sunt, Idolomania & supplicium eius, adeoq; alterum alterum, quasi naturali ordine consequitur. Sed & inuocato DOMINO, & per resipiscentiam placato, sequuntur admirabiles liberationes è supplicio. Et cum nullum finem facerent Idolomaniam sectandi, mittebat DOMINVS Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & cottidie commonens, eò quòd parceret populo & habitaculo suo. Etsi autem captiuitas, in quam Israëlitæ propter impietatẽ suam coniecti erant in Babylonem, videbatur perpetua, tamẽ etiam ex illa liberati sunt, per Cyrum. Ad extremum, venit Christus ipse & Apostoli eius, & hortati sunt Israëlitas ad resipiscentiam, sed cum nec sic resipiscerent, & vociferarentur, Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et: Sanguis eius super nos & filios nostros, abiecta quidem est gens Israëlitica, ne sit amplius ecclesia Dei, reliquiæ autem, secundum electionem (vt Apostolus ait) gratiæ sunt. Quid igitur? Quod quærit Israël, hoc non est as-

2. Paral. 34.

Rom. 11.

est assecutus. Electio autem assequitur, Reliqui verò excæcantur. Numquid ergo nulla amplius spes æternæ salutis est Israëlitis relicta? siquidem manserint in obseruata sua Iudaica aut Israëlitica impietate, nulla plane. Si autem conuersi fuerint ad DOMINVM nostrum Iesum Christum per fidem, & inuocauerint eũ, aut vt loquar lingua huius Psalmi, memores sint testamenti eius, & inuocauerint nomẽ eius, plurima admodum. Sic enim sequitur.

44. *Et vidit, cum esset eis angustia, & audiuit orationem eorum.*

45. *Et recordatus est illis pacti sui, ac pœnituit eum, secundum multitudinem misericordiæ suæ.*

46. *Et dedit eos in miserationes coram omnibus, qui abduxerant captiuos eos.*

Obserua immensam Dei clementiam & misericordiam. Etsi Deus fuerit tot modis ad iracundiam irritatus & prouocatus, non tamen abiecit viscera miserationum suarum. Duæ autem sunt præcipuè causæ, cur etiam in summis populi angustijs respexerit populum & liberauerit. Vna est, quòd inuocauerint nomen DOMINI: Extat autẽ promissio Dei. Quicunq; inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Altera est, quòd Deus meminerit testamenti seu pacti sui, quòd cum Patriarchis instituerat, videlicet. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Quare, cũ in Babilonico exilio, pij inuocarent nomen DOMINI, salui etiam facti sunt, et ex eo liberati. Adhęc, cum in eo admoniti fuerint promissionũ Dei, quæ Patriarchis dictæ sunt

Ioël 2.

ctæ sunt,& meminerint earum ex fide, consecuti sunt non tantùm salutem ex afflictione Babylonica,verùm etiam ex afflictionibus vniuersæ huius vitæ, vt & veram & perpetuam salutem reportauerint, quemadmodum testificatur oratio apud Danielem,cap.nono. Meminerimus autem illud exemplum, non esse priuatum aut speciale,sed publicum & generale. Omnis enim, quocunq; tempore, quacunq; ætate, quacunq; conditione,quocunq; genere vitæ,siue senex, siue iuuenis, siue diues, siue pauper, siue deploratæ valetudinis,siue confirmatę, inuocauerit nomen DOMINI, et recordatus fuerit pacti seu testamenti Dei,cum Patriarchis, hoc est, crediderit in Iesum Christum DOMINVM nostrum. (Hoc enim verè est recordari testamenti Dei, quo videlicet promissus est Iesus Christus) Quare, siue fueris Israëlita carnalis, siue Mahumetista, patebit tibi veræ salutis via,si inuocaueris nomen DOMINI, per fidem, & memineris pacti cum Patriarchis, hoc est, credideris in Iesum Christū, Patriarchis promissum. Quod cum ita se habeat vniuersa ecclesia, attollit vocem suam vnanimi consensu,in cœlum, dicens.

47. *Serua nos DOMINE Deus noster,congrega nos de nationibus,vt confiteamur nomini sancto tuo,& gloriemur in laude tua.*

Quæ quidem in hoc Psalmo præcedunt, omnia eò respiciunt, vt confirment fidē peccatoris, quæ enim cōmemorantur, de præuaricationibus Israëlitarum, & de supplicijs eorum, & rursus de liberationibus ac

restitutionibus ipsorum illa cuncta eò tendunt, vt afflictis in præsenti calamitate spem faciant, se quoq;, si inuocauerint nomen DOMINI, & seruauerint Testamentum eius, quod est, crediderint in filiũ Dei DOMINVM nostrum Iesum Christum, salutem consequuturos: Non enim est aliud nomẽ sub cœlo inter homines datum, in quo oporteat nos saluos, siue corporaliter, siue spiritualiter fieri, præter nomen Iesu Christi, & fidem, quæ per eum est. Liberat autem Deus afflictos illo consilio, non vt ocientur, aut carni seruiant, sed quemadmodum versiculus huius Psalmi dicit, vt celebrent nomen Christi, & vicissim nomen Christi celebretur ac beneficijs eius fruantur.

Act. 3.

48. *Benedictus DOMINVS Deus Israël à seculo & vsq; in seculum, & dicet omnis populus, Amen Alleluia.*

Concludit Psalmum, quemadmodum ceperat, à laudatione & cohortatione, vt omnis populus laudet ac celebret nomen DOMINI. Sunt autem Amen & Alleluia duę hebreæ dictiones, quarum altera Amen, significat firmum & certum esse, & est dictio approbantis ac confirmantis sermonem, laudate DOMINVM, vt Num. 5. & Deute. 27. altera Halleluia, & significat laudate DOMINVM.

VSVS HVIVS PSALMI.

Vsum eius paulò ante, versu. 48. exposuimus, videlicet, quòd hic Psalmus inprimis valeat, ad confirman-

dam

dam & roborandam imbecillitatem & pusillanimitatem fidei. Nam, cum sæpè ac multum peccaueris aduersus Deum, & cogitaueris de agenda pœnitentia, ibi tùm repugnat caro, & suggerit pœnitentiam, post tot, tanta & tam grauia, ac toties iterata peccata nimis seram esse, & retrahit te vel ad impœnitentiam, vel ad desperationem. Sed tu macte virtute, non moueris istis satanæ susurris, quin potius capesse hunc Psalmum in manus, imò in os tuum, percense eum toto corde tuo, vt expellas spiritum satanæ, & pares locum Spiritui sancto, & confirmeris in agenda vera pœnitentia. Hic enim habes exemplum in Israëlitis, quòd etsi grauissimè deliquerunt, tamen, cum reuerterentur ad DOMINVM, semper recepti sint in gratiam, quod certè non est scriptum tantùm propter Israëlitas, sed propter vniuersam Ecclesiam Dei, vt quotquot iram Dei propter peccata irritarunt, meminerint dicti illius apud Ezechielem: Viuo ego, nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur, & viuat. Et Hieremiæ, secundo: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata est mulier illa? Tu autem fornicata es, cum amatoribus multis, TAMEN Reuertere ad me, dicit DOMINVS.

Psalmus 107.

Halleluia.

Confitemini DOMINO quoniam bonus, &c.

QVemadmodum sancti in aduersis ardentissimas preces ad DOMINVM fundunt, (nam adest illis DOMINI spiritus, intercedens pro eis gemitibus inenarrabilibus) ita in successu ad gratiarum actionem & ad celebrationē beneficiorum Dei, facunda & ingeniosa est pietas. Quæ res in libris omnibus et Propheticis et Apostolicis cernitur: Sed nullibi luculentius, quàm in Propheta Dauide, qui tot egregias formulas gratiarū actionis proponit, vt merito eius liber תהלים Thillim hoc est, hymni aut Psalmi (hæ .n. græcę voces ita latinis placuerūt, vt vsu eas quasi vernaculas habeant) vocentur, nec in istis laudationibus, verborum duntaxat strepitus & volubilitas linguæ conspicitur, qualis βαττολογία in Ethnicorum scriptis esse solet: sed tractantur res grauissimæ & ea argumenta, quæ ad extimulandos hominum animos ad veram gratitudinem, tacitam & diuinā vim habent. Et vt intelligatur quàm varius, jucundus, elegans noster Propheta in hoc genere sit, quædam exempla proponemus. Psalmo CIII. Gratias acturus DOMINO in genere, ipsius clementiam et misericor-

sericordiam celebrat : quæ in eo maximè cernitur quòd gratis peccata remittit. Mox Psalmo CIIII. laudes clementiæ benignitatisq; diuinæ celebraturus, totam hanc mundi fabricã percurrit, ostendens vbiq; conspici vestigia bonitatis ipsius. Postea à toto genere ad ea beneficia descendit, quę Deus suo populo, et quidem duræ ceruicis maxima, & coniuncta cum ingentibus miraculis exhibuit, qua de re agit Psalmo CV. Præterea CVI. aliam rationem ingreditur, pulcherrima contentione & populi Iudaici, prodigiosam ingratitudinem, & DOMINI beneficia inter se comparat, docens, DOMINVM cum ingratissimi & rebelli populo, beneficijs quasi certasse, & ea ratione bonitatem suam toti mundo reddidisse conspicuam. In hoc autem CVII. Psalmo noua ratione laudationis vsus est (id quod titulus etiam Halleluia, qui omnes ad celebrationem nominis diuini inuitat) ostendit. Nam ab illa, de qua suprà diximus hypothesi, vbi beneficia DOMINI collata in suum populum recenset, ad Thesin reuertitur, ac inter se calamitates humani generis varias, (quæ sunt stipendia peccati) & DOMINI clementiam, qui ex his omnibus & singulis suos eripit, confert. Nihil autem in hoc genere dici potuit lucu lentius, quàm quod Dominus in miserijs etiã nostris, & quidem ijs, quas propter peccata nostra experimur, inueniat materiam declarandę & voluntatis & clemẽtiæ erga nos suæ. De ἐπαριθμοῖσι autem siue enumeratione illarum calamitatum, & DOMINI clementiæ, quæ in illis conspicua est, postea in explicatione dicetur. Sed hæc pręmisi vt initio primas quasi lineas ducerem, et docerem aliquot Psalmos pulcherrimo inter

se nexu cohærere, nunc ad Psalmi interpretationem accedamus.

1. *Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.*

Hic versiculus vt est in hoc Psalmo primus, ita etiam eiusdem est propositio, cohortatur enim omnes homines ad veram gratitudinem & laudandum nomen DOMINI. Non autem nuda cohortatione vsus est, verùm addit rationem, quare DOMINVS laudandus sit, & tantam commendationem mereatur. Quia inquit, bonus est: nec solùm bonus, sed etiam clemens & misericors. Crescit autem laus clementiæ eius, quòd non breuis & temporaria est, sed ad omnem æternitatem constans, dignissimus (inquit) est DOMINVS Deus noster, qui omni celebratione laudum extollatur. Nam quod dicitur verè & optimus & maximus est, quia ipsius bonitas non est momẽtanea, ut sunt humana omnia, sed durat in omnem æternitatem. Etsi enim sæpenumerò propter peccata hominum irascitur, tamen ad veniam dandam facilis est, idq; non semel nec vno tantùm & altero die, sed perpetuam benefaciendi consuetudinem, imò verò naturam habet. Non potes toties pro peccatis verè serioq; ingemiscere quin DOMINVS multò sæpius remittat & condonet. Quid multis? paratior ipse est in omnibus ad succurrendum & ignoscendum, quàm nos ad orandum.

2. *Dicant qui redempti sunt à DOMINO, quos redemit DOMINVS de manu tribulatoris.*

3. Et

3. *Et de terris congregauit eos, ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & à Mari.*
4. *Errauerunt in solitudine, uiam ad habitationem non inuenerunt.*
5. *Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit.*

Propositionem sequitur prolixa enumeratio afflictionum & ærumnarum, quæ hominibus euenire solent, è quibus tamen, beneuolentia Dei euadunt & liberantur. Debent ergò omnes homines Deo gloriam & laudem.

Enumeratur autem in hoc Psalmo catalogus non tantùm afflictorum innocentium, sed sceleratorum etiam, qui supplicia suis facinoribus meriti sunt. Vt intelligamus misericordiam Dei non contingere tantùm iustis, verùmetiam iniustis. Sicut & dulcissimus seruator noster Iesus Christus de patre suo cœlesti dixit: Sinere eum solem suum oriri, super bonos et malos, & pluere super iniustos & iustos. In enumeratione autem calamitatum humanarum hunc ordinem sequitur Propheta. Initio exules, deinde captiuos, præterea ægrotos, postea pericula nauigantium in mari, deinceps ea, qui hominibus ratione metus tristæ accidunt, postremò sæuitiam Tyrannorum recenset. Quibus quasi calamitatum humanarum summis generibus, reliquas hominum ærumnas quæ innumerę sunt, & tamen ad illas superiores reduci possunt, complexus est. Etenim postquam DOMINI misericordiam in genere laudasset, hoc secundo versu & sequentibus ad ipsas species progreditur hoc modo. Cum misericordia & clementia diuina, in omnibus se rebus luculenter *Matth.5.*

culenter ostendat, tùm verò præcipuè in hominum miseriis conspicua est, ex quibus illi DOMINI beneficio liberantur, ac initio DOMINO summam gratitudinem debent exules, qui & miserrimi sunt, & clementer à Deo iuuantur, isti enim passim bestiarum more vagantur, nec vsq; habent certam sedem, sed eiecti sunt, & vndiq; excluſi. Eodem in numero sunt ij, qui captiui ad exteras nationes abducti, ad quatuor orbis partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem & Meridiem (Mare enim cum alioquin in scriptura significet occidentem, hoc in loco pro meridie vsurpatur, id quòd ex partium remotione intelligitur) dispersi sunt. Laborant autem exules & extorres, magnis incommodis. Primùm enim nusq; certam sedem habent, & aut pecudum more vagantur, aut in vinculis carceribusq; detinentur. Errant alij in solitudine ignari locorum hominumq;. Itaq; quamuis labore & magna molestia, multum itineris emetiantur, tamen ad vrbes hominumq; frequentiam peruenire non possunt, maximè cum viæ, vel niuibus, vel arenis confusæ, viatorem dubium & suspensum relinquunt.

Adhæc vagantur exules esurientes & sitientes, vt vires animales in ipsis propemodum deficiant. Idq; eis nõ solùm vsu venit, cum in solitudinibus errant, & molestiam itineris cum inopia experiuntur, sed quando ad peregrinos veniũt, & viatico carent, in ipsa hominum frequentia, necessariis alimentis destituuntur. Quid ergò ad acerbitatem summi doloris, hisce miseris exulibus, accedere grauius potest, cum patria, amicis, alimentis careant: & iam non in hominum, sed

sed belluarum numero esse, imò à Deo ipso abiecti videantur.

Hæc de exulibus Propheta Dauid canit. Nam exilium pœna est peccati, quàm protoplasti nostri, primi experti sunt, cùm spreto DOMINI mandato diaboli consilia sequerentur. Etenim in triste exilium electi sunt, ac nō solùm amœnitate Paradysi, sed ingentibus, & maximis ornamentis ac bonis priuati, omnem posteritatem, in malorum illorum hæreditariam successionem coniecerunt. Eandem pœnam minatur DOMINVS Caino parricidę. Vagus & profugus eris super terram. *Genes. 4.* Et Deut. 28. Omnibus in vniuersum transgressoribus legis interminatur: Dispergette DOMINVS in omnes populos, à summitate terræ, vsq; ad terminos eius &c. Et iterum. In gentibus illis, non quiesces, nec; erit requies vestigio pedis tui.

Quid ergo? an in tali & tā luctuoso exilio desperandum est? Nullo certè modo: sed quanto nos calamitosiores sumus, tanto studiosius confugiendum est ad eum, qui est adiutor in oportunitatibus, cuius etiam clementia tot argumentis, & rationibus sese prodit: quam etiam Dauid sequentibus versiculis expressit. Nam vt initio dixi, psaltes in hac gratiarum actione, hoc agit, vt collatis miserijs cum luculento DOMINI auxilio, eius clementia & bonitas erga nos melius conspiciatur.

6. *Et clamauerunt ad DOMINVM in tribulatione sua, de afflictione ipsorum eripuit eos.*
7. *Et deduxit eos per viam rectam, vt ambularent ad ciuitatem habitationis.*

8. *Confiteantur DOMINO propter misericordiam, & mirabilia eius filijs hominum.*
9. *Quia satiauit animam sitientem, & animam famelicam, impleuit bono.*

Clamauerunt (inquit Propheta) exules in istis angustijs ad DOMINVM, (vult enim Deus, vt in die tribulationis ipsum inuocemus) & ex miserijs istis omnibus eos liberauit. Neq; enim solùm nos ad preces inuitat, sed certissimum auxilium suum promittit, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Initio autem exules illos ab errore & exilio reduxit ad patriam, amicos & notos homines. Deinde etiam quæ ad victum pertinent, suppeditauit, & fame prope enectos recreauit, ac præclarè ostendit, quemadmodũ illa commoda abstulerit, ita ea iam restituisse. Debent ergò exules DOMINO gloriam, debent gratiarum actionem, decet etiam, vt misericordiam & bonitatẽ eius gratis mentibus amplectantur, & scriptis, viua voce, & toto conatu laudes admirandi auxilij eius, ad omnem ppsteritatem transmittant. Hæc Propheta Dauid, nudis quidem verbis, sed gratissima breuitate proposuit: vt digitum nobis intenderet ad eas historias, quibus DOMINVS ὡς ἀληθῶς μηχανᾶς exulibus succurrit. Inprimis autem, eas, quas propria experientia didicit esse veras. Nam quas solitudines sanctissimus Propheta, non adijt? quas latebras nõ quęsiuit? in quibus specubus non latitauit? quas molestias non sensit? Quid quod absq; commeatu, sępè vnâ cum suis, per deserta loca vagatus est, patria, vxore, amicis, & quod ipsi molestissimum erat, cultu & sacris solennibus, caruit.

Sed

Sed vt Dauidis vita in multiplicibus exilij̃ moleſtijs & periculis verſata eſt, ſic liberatio eius luculentum eſt teſtimonium, earum laudum, quas hoc loco DOMINO tribuit. Etenim cum Dauid in periculis iſtis ad DOMINVM, pijs precibus confugeret, non modò in patriam ad amicos, & notos homines reductus eſt, ed rex totius Iſraëlis conſtitutus fuit. Et qui antea ſæpè fame periclitabatur, iam viuit in ſplendore et fortuna regia. Quis autem non intelligit, vitam Prophetæ & regis huius, commentarium eſſe Pſalmi, quem in manibus habemus? Exulabat & ſanctiſsimus Propheta Moſes, tyrannidem Pharaonis fugiens, propter interfectum Ægyptium. At triſtitiã iſtius exilij, DOMINVS egregiè ei compenſauit, dum ductorem eum ac principem facit totius populi. Totus denique populus Hebræus, propter peccata varia, & inprimis multiplicem idolatriam, in miſerrimam captiuitatem, quaſi in diuturnum exilium abductus, cùm Daniel & alij pij, veris gemitibus intercedunt, & liberatus eſt, & patriæ ac libertati reſtitutus. Sic quantum ad ſpirituale Chriſti regnum attinet, maxima pars hominum, in exilio verſabatur, & cibo cœleſti carebat. Gentes enim alienæ, à promiſsionibus diuinis erant, ſed per Euangeliũ, ad ouile DOMINI vocatæ ſunt, reſtitutæ patriæ cœleſti, collocatæ in regnum ipſius, adhibiti menſæ eius. *Matth.8.* Quod Chriſtus voluit dicens: Venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Auſtro, & accumbent in regno Dei. Hoc certè eſt illud ipſum, quòd hoc loco celebrat Dauid dicens: Et de terris congregauit eos, ab Oriente, & ab Occidente, ab Aquilone & Mari. Hoc eſt ſatiare animam ſitientem, & animam famelicam

cam implere bono. Quanquam enim externa reductio ab exilio magnum Dei beneficium est, tamen illa liberatio longè præferenda, quando ex periculosiore, & exilio, & solitudine liberati, ciues esse regni cœlestis incipimus.

10. *Qui sedent in tenebris, & vmbra mortis, constricti afflictione & ferro.*
11. *Quia rebelles fuerunt eloquijs Dei, & consilium altissimi blasphemauerunt.*
12. *Et humiliauit in labore cor eorum. Conciderunt, & non erat auxiliator.*
13. *Et clamauerunt ad DOMINVM in angustia sua, & de angustijs eorum seruauit eos.*
14. *Et reduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit.*
15. *Confiteantur DOMINO pro misericordia eius, & pro mirabilibus eius ergà filios hominum.*
16. *Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos contriuit.*

Totus hic mundus rectissimè appellatur vallis lacrymarum. Nam quemadmodum, si quis per locum aliquem duceretur, in quo videret ordine varia supplicíorum genera, quibus homines afficerentur, eculeos, patibula, rotas, vstulationes, gladios, quod spectaculum sanè foret tristissimum, & hominis etiam fortissimi animum perturbare posset: ita qui animo tacitisq; cogitationibus, huius vitæ rationes omnes contemplatur, nihil ferè præter calamitates, & ærumnas videt. Dauid certè Propheta ab exulibus, qui patria ijsq; locis excluduntur, in quibus esse optarent, nos ad miseros

miſeros captiuos deducit qui vno loco, vbi eſſe nollẽt, includuntur, ac eorũ miſerias ordine deſcribit. Initio caliginẽ et tenebras, in quibus verſantur, deinde angu-ſtias, & ſqualorẽ carceris, quia catenis conſtricti loco ſe mouere nequeant, & quòd triſtiſsimũ eſt, quia ho-minum opem, & interceſsionem implorare non poſ-ſint, quaſi oculis noſtris ſubiſcit. Addit autem cauſam, quare ſæpe homines in vincula coniſciantur, Quia Deo ſint rebelles, & nonnunquã etiam in blaſphemi-as erumpant. Ex his autem miſeriis dicit eripi homi-nes, ſi Dei auxilium implorent, nam DOMINVM & carceres aperire, & rumpere vincula ac catenas. Po-ſtremò hortatur ad gratiarum actionem eos, qui hoc DOMINI beneficium ſenſerunt. Nam verba Prophe-tæ hanc habent ſententiam: Non ſolùm miſeri ſunt qui vagabundi & exules, nullo loco cõſiſtere poſſunt, ſed ij etiam, qui vnum in locum captiui includuntur, vt exire nequeant. Ea autem pœna irrogatur potiſsi-mum his, qui Deo rebelles nullis monitionibus, con-cionibus, nec voluntate diuina, in lege ſcripturiſq; ex-preſſa mouentur. Iſti ſanè vt digni ſunt, his quaſi fre-nis carcerum à DOMINO compeſcuntur, & eorum ſuperbia animiq; elatio cohercetur, cum DOMINVS ſqualore carceris eos humiliat. Ac magna ſanè variéq; captiuorum miſeriæ ſunt. Nam in tenebras abiecti vſu iucundiſsimę huius lucis carent, ita vt iam non in-ter viuos amplius, ſed in ſepulchris inter mortuos con-ſtituti videantur. Sed & libera illis deambulatio nega-tur, nam vinculis & catenis conſtringuntur. Quibus omnibus poſtremò accedit ea miſeria, quòd cùm ho-minibus conferre, opem, auxiliumq; ipſorum implo-

rare non posſint: comparandi ijs, qui absq; comitibus iter facientes, & grauius prolapsi neminem habent, qui ipsos erigat. Summa, ea captiuorum est conditio, vt euadere & recreare se ex ærumnis istis, non posse amplius videantur. Quando autem isti DOMINI auxilium pijs precibus implorant, ex angustijs illis liberantur, ex tenebris in clarissimam lucem, ex vinculis in libertatem asseruntur, catenę, vincula, ianuæ ferreę, compedes, magna Dei potentia, præter opinionem omnium confringuntur. Quæ DOMINI & bonitas, & maiestas æternis laudibus celebranda est. En quanta breuitate & dexteritate regius Propheta, mala ea, in quæ propter peccata conijcimur, describat. Nam cum ea sint aliorum ingentium malorum causæ, carceris etiam molestiam homini creant. Quod sanè fit iusto Dei iudicio. Nam cum homo noluerit, in ea libertate, qua donatus erat, manere, sed & peccati & diaboli
Rom. 7. mancipium factus sit (venundati enim sunt homines sub peccata) dignus est, vt libertate careat, & carceres, vincula, compedes, & alia, quibus fugitiui serui constringuntur, experiatur. Maximè autem ij digni sunt hoc supplicij genere, qui nefandis & atrocibus sceleribus DOMINI in se iram prouocarunt, nam illi diuinitus ad pœnas rapiuntur, & retrahuntur. Achan
Iosu. 7. Anahemata suffuratus, sortibus diuinis, quasi funibus & vinculis constringitur, & ad pœnam rapitur. Insigne autem exemplum huius rei, est populus Iudaicus, qui grandibus sceleribus numinis iram concitans, in seruitutem & captiuitatem, multis, varijsq; rationibus trahitur. Nam decem quidem tribus à Salmanasſere rege Assyriorum, duæ autem à Babylonio abducuntur.

tur. Et qui tùm deleta vrbe in Iudæa, remanſerant ac monitis Prophetæ Hieremiæ, & inprimis Dei, non obedientes, in Ægyptum ſe conferebant, vt liberi eſſent, inde etiam, quinquennio pòſt in ſeruitutem à Babylonio tracti ſunt. Sic hodie videmus ſceleratos, etiamſi magiſtratuum manus effugiant, tamen carcerẽ ſuum circumferre, ac quaſi vinctos ſeipſos illis ſiſtere.

Vt autem in his calamitatibus, ſeueritas DOMINI conſpicitur, ita eius miſericordia & paternus animus, ſæpiſsimè ex his ipſis elucet, Nam quando captiui peccata ſua agnoſcunt, & veniam liberationemq; ex malis petunt, ſæpiſsimè liberati ſunt: & quidem tam claro præſentiſsimæ opis diuinæ indicio, vt nemo non videret eos à DOMINO ipſo ex carceribus, quaſi eductos & extractos eſſe. Manaſſes rex, qui Hieroſolymas innocenti ſanguine (vt ſcriptura loquitur) inundarat, cum in carcere & vinculis ad DOMINVM ſuſpiraret, ex ſqualore carceris ad regnum euehitur, Et thronus regis Ioachin captiui exaltatus eſt ſuper thronum regum, qui in Babylone erant. Ita ſemper verum eſt, quod Eccleſiaſtes dicit: De carcere catenisq; interdum aliquem egredi ad regnum, alium natum regem, in regno inopia conſumi. Quid quod totus populus Hebræus, captiuus in Babylone, in patriam reuertitur? Neq; enim hoc agit DOMINVS, vt ſuos perdat, ſed vt his quaſi ferulis caſtigatos, ad agnitionem peccatorum, & reſipiſcentiam ducat, & liberationibus ſuis admirandis doceat, quanta cura eos, quos ſemel in clientelam ſuam recepit, proſequatur. Cùm autem erga eos, qui fatales pœnas ſunt meriti, tam ſit clemens & benignus, vt clamantes non negligat, quanto magis eos

2. *Paral.* 33.

2. *Reg.* 25.

Eccleſ. 4.

gis eos iuuabit, qui innocentes in vincula conĩciuntur: maximè autem, si id patiuntur propter confessionem veræ fidei, & nomen DOMINI nostri Iesu Christi. Ad eos certè pertinet consolatio DOMINI, quæ extat Psalmo 91. Clamauit ad me, & exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Huius liberationis exempla sunt Ioseph Patriarcha, castitatis nomine celebris, qui ex diuturno carcere, ad summam dignitatem euectus est. Hoc & Daniel ille, constantiæ & παῤῥησίας exemplũ, è faucibus leonum ereptus probat. Hoc D. Petrus, Angelo duce, carcerem, vincula, & custodes effugiens nos docet. Hoc denique D. Paulus testatum nobis fa-
2. Cor. 11. cit, cùm Corinthĩis scribens ostendit, quoties mirando Dei consilio, ex præsentissimis periculis liberatus sit. Quanquam autem Apostoli illi ambo, tandem carceres non effugerunt, & sub carnificis manu mortui sunt, tamen nihil sunt passi, quod cum huius
Zach. 9. Psalmi consolatione pugnet. Nam ex carcere longè periculosiore, è lacu, in quo non est aqua, per Christum educti, & æterna libertate donati sunt. Quæres ad summas nostras vtilitates accõmodanda est. Nam, si propter piam doctrinam, & confessionem, vel in carcere moriaris, vel ex vinculis ad supplicĩũ & cruciatus pertraharis, satis tibi sit effugisse laqueos diaboli, & liberatum esse à nexu peccati, ab æterno carcere infernalium cruciatuum. Denique in hoc exultes, quòd eum agnoscas, qui ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem.

Hactenus de ĩis, qui in carcere dententi, singulari DOMINI clementia liberantur. Sequitur iam in Psalmo. 17. Simi-

17. *Stulti qui propter viam flagitiorum ſuorum, & propter iniquitates ſuas affliguntur.*
18. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſq; ad portas mortis.*
19. *Et clamauerunt ad DOMINVM, cum tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos.*
20. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interecionibus eorum.*
21. *Confiteantur DOMINO propter miſericordiam eius, & mirabilia eius filijs hominum.*
22. *Et ſacrificent ſacrificia laudis, & enarrent opera eius, cum iubilatione, ac cantu.*

A captiuis qui vel carceri incluſi ſunt, vel vincti catenis, ad eos progreditur, quos morbi affigunt lecto, quorum miſeriã paucis ſed grauibus verbis proponit. Nam primũ affliguntur et cruciantur morbo. Deinde plerunq; cum morbis, coniuncta eſt nauſea, vt nec cibos, nec medicamenta poſsint ſumere. Poſtremò diuturnus morbus certiſsimum affert periculum vitæ. Id enim vult, cum dicit eos accedere ad portas mortis, hoc eſt, morti propinquos eſſe. Langer ſiechtag gewiſſer tod.

His miſerijs etiam coniungit cauſam, & radicem omnium malorum, peccata & iniquitates. Emphatice autem additum eſt, homines eſſe ſtultos, qui propter voluptatem & peccata, iacturam valetudinis faciant, imò verò in periculum vitę ſe conijciant. Expoſito periculo quod homines ſubeant maximum, ratione valetudinis, DOMINI clementiam extollit, qui inuocatus, ex hoc quoq; periculo eos liberet. Poſtremò liberatos ad gratiarum actionem adhortatur. Cum autem

Propheta vtatur phrasibus Hæbræis explicemus eas vsitatis verbis.

Magna sanè hominum dementia est, quòd peccatis suis & sceleribus, non modò se in multiplices molestias, sed etiam in morbos conijciunt, quibus vitã suam acerbam reddunt, & noctes & dies cruciatus sentiunt. Quibus accedit etiam aliud malum, Nam aduersam valetudinem plerumq; comitatur fastidium ciborum, & eorum maximè, quibus se ex morbo suo recreare possent: similiter etiam à medicamentis quæ propinantur à medicis valde abhorrent. Denicq; morbis ita exhauriuntur, vt iam iam morituri, & quasi in ipso limine mortis constituti videantur. Tanta autem DOMINI est benignitas, & præterea etiam potentia, vt inuocatus eos exaudiat, morbis imperet vt discedant, illi autem ex summis angustijs, imò è faucibus mortis extrahantur. Quare isti nisi ingratissimi esse velint, summam DOMINI clementiam celebrent apud omnes, et sacrificia (quę DOMINO acceptissima sunt) gratæ mentis, agnoscentis & prædicantis beneficia DOMINI, summa animorum alacritate offerant. His versiculis grauissimas res proponit Psaltes. Initio causam verissimam & προηγουμένην morborum omnium, ostendit esse peccata hominum, quæ pœna cum alibi expressa est, tùm verò inprimis in lege DOMI-
Deut.28. NI: Percutiet (inquit Moses) te vlcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egrediuntur, scabie quoq; & prurigine, ita vt curari nequeas. Hanc maledictionem DOMINVS minatur ijs, qui legem DOMINI & mandata eius negligunt. Et sancti Prophetæ inter fatales pœnas, quæ exercent humanum genus

genus propter peccata, numerant peſtem & morbos, quam comminationem non eſſe falſam, hiſtoriatotius mundi ſtatim poſt homines natos teſtatur. Neque enim ignotum eſt totum populum Iſraëliticum, cum ſeſe & Moſi & DOMINO opponeret lue grandi (quę & loco nomen dedit: Vocatur enim ſepulchra concupiſcentiæ) afflictum. Deinde etiam ſerpentibus ignitis multos è medio ſublatos. Certum eſt ex annalibus ſacris, Dauidem recenſentem populum, peſtem horribilem induxiſſe ſuper vniuerſos. Quid commemorem ſingulorum pœnas, Lepram Miriam, ſororis Moſi & Gehaſi famuli Eliſæi, manum aridam Ieroboami cum aduerſus DOMINI Prophetam eam extenderet, vermes elati & ſuperbi Herodis? Ita verum eſt quod alibi Pſaltes in eandem ſententiam dicit: propter iniquitatem (inquit) corripis filios hominum. Et illud Syracidis: Qui delinquit in conſpectu creatoris, incidet in manus medici. Hæc nos moueant vt à peccato, tanctę præſentiſsimo veneno abſtineamus, cogitemus etiam id, quod hoc loco diuinus ille vates, vno verbo expreſsit, ſtultum eſſe breuem vſuram voluptatis, quæ ex vitio proficiſcitur, emere diſpendio incolumitatis & vitæ, imò verò conijcere ſeſe in æternos cruciatus. At dicet aliquis, quid mihi ſuſcipiendum, cum iam iuſtas pœnas peccati ſubierim, & quotidie cum morbis conflicter? Sequaris conſilium Prophetæ Dauidis qui hortatur, vt ad DOMINVM confugias, & ipſius promptiſsimum auxilium pollicetur. Quod etiam multis ita præſtitit, vt de eius benignitate hac in parte dubitare non debeamus. Ipſe ad interceſsionem & preces Moſi, & à populo Iudaico peſtem, & à ſorore lepram auertit. Ipſe cum po-

Num.11.
Num.21.
1.Paral.21.
Num.12.
2.Reg.5.
1.Reg.13.
Actо.12.
Pſal.39.
Syra.38.

pulus peccatum agnoſceret, & Moſi interceſsionem flagitaret, ſerpentū ignitorū morſus ſolo obtutu, fuſilis illius & ærei ſerpentis curauit. Ipſe ad Dauidis preces angelo mandauit, vt gladium peſtiferum in vaginam reconderet. Hiskiam iam iam animam exhalaturum, & ex morbo recreauit, & vmbram in horologio fecit retrogradam. Hoc certè erat mandata dare, aut (vt Propheta loquitur) verbum mittere, quo morbi auerterentur, ac reſtitueretur ſanitas. At illa nullibi lucu-lentius propoſita ſunt, quàm cum ex arcana ſede ille medicorum medicus, DOMINVS & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, aſſumpta carne prodiret, qui cum ſit ipſe λόγος patris, ſuo mandato omnis generis morbos abegit, non cæcitas, non lepra, non membrorum ſolutio, (quam παράλυσιμ vocant) non vllum genus morbi ipſius imperium detrectare potuit. At hac ſua potentia non ſolùm aduerſus morbos vſus eſt, ſed etiam morti mandata dat, ne noceat. Nam DOMINVS non omnes ex morbis corporalibus & externis liberat, ne pios quidem, nam & Lazarus pauper & egenus morbo conſumitur, & in peſte non abripiuntur duntaxat impij, ſed etiam pij. Moritur enim doctus ſimiliter & indoctus, imò iudicium DOMINI plærunq; incipit à domo DOMINI. Cùm ergò mors tandem omnes abripiat, hoc maximum Chriſti beneficium eſt, quòd non ſolùm eos, qui ad portas mortis acceſſerunt, ſed eos etiam, qui in ipſa ſunt morte, liberat, & morti minatur: Ero ô mors, mors tua morſus tuus ero inferne. Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit non morietur in æternum. Porrò vt in ſuperioribus beneficijs

Eccleſ.2.

1.Pet.4.

Oſe.13.

Ioan.11.

neficijs gratiarum actio requiritur, ita quoq; hoc loco veram animi gratitudinem pro restituta valetudine requirit DOMINVS. Hanc vocat suo more confessionem, vocat & laudes et sacrificia, quibus sancti Dei homines vsi sunt maximè. Pius rex Hiskias egregium carmen concinit DOMINO post restitutam valetudinem & sanitatem. Nos etiam à morbis liberati, non imitemur mores peruersos huius mundi, quem beneficia Dei etiam deteriorem reddunt, quod et prouerbio germanico locum dedit, quo dicitur: **Wann der kranck genaß / so war er erger dann er vor jhe was.** Sed animo tacitisq; cogitationibus, sermonibus, carminibus, omnibus denicq; obsequijs nostris, gratitudinem nostram benefactori nostro declarare studeamus. Sequitur in Psalmo. 3. Reg. 20. Esai. 38.

23. *Qui descendunt in mare nauibus, negociantes in aquis multis.*
24. *Ipsi viderunt opera DOMINI, & mirabilia eius in profundo.*
25. *Dicit enim & excitat spiritum procellæ, & eleuat fluctus eius.*
26. *Ascendunt in cœlum, & descendunt ad abyssos, vt anima eorum ob malum dissoluatur.*
27. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum absorbetur.*
28. *Et cum clamant ad DOMINVM in tribulatione sua, educit eos ex angustijs suis.*
29. *Stare facit procellam in quiete, & tacent fluctus eius.*
30. *Et lætati sunt quod conquieſcunt, & perducit eos ad portam voluntatis eorum.*

31. *Confiteantur DOMINO pro misericordia eius, & pro mirabilibus eius, erga filios hominum.*

32. *Exaltent eum in congregatione populi & in conſeſſu ſeniorum.*

Expoſuit Propheta præcipua mala, quæ in terris exercent homines, morbos, carceres, exilia &c. Iam oſtendit quanta in mari ſint pericula, πλοῖα γαῦα καὶ πλεῖστ' θαλάσσα. Terra mariq; innumerabilia ſunt pericula & mala. Econtra autem DOMINI præſentiſsimum auxilium demonſtrat, Ambo autem capita amplificat. Primùm propoſitionem proponit, ſi qui in mari ſunt, experiuntur mirabilia opera DOMINI, & ſeueritatis & clementiæ. Deinde opera ſeueritatis ſuæ pericula maris deſcribit, nempe tempeſtates. Earum autem, magnitudinem æſtimandam proponit à cauſa, ventis videlicet, qui maximi ſurgunt, vt Virgilius ex vi ventorum tempeſtatis ſecuturæ vehementiam auget, qua data porta ruunt &c. Deinde ab ipſa fluctuum magnitudine: Exaltati, inquit, ſunt fluctus. Præterea à circumſtantia loci amplificat periculi & tempeſtatis grauitatem, nam nunc ſummum locum tenent, nunc ad imum merguntur. Eſt autem ὑπογραφὴ aut ὑποτύπωσις, præterea etiam ὑπάβολὴ, quibus figuris Poëtę etiam vtuntur. Auget etiam à conſequenti trepidatione nauigantium, eam tantam eſſe dicit, vt ſibi vix conſtent, imò ſint veluti ebrij. Liberationis autem modum, operaq; clementiæ etiam proponit, quòd inuocantibus mirabiliter ſuccurrerit, quod tempeſtates ſedarit, lætitiam pro triſtitia, portum pro illa iactatione in fluctibus dederit, quę omnia pulcherrima antitheſi cum ſuperioribus contendit.

Requirit

Rèquirit autem gratiarũ actionem & eam magnam, quæ & apud plebem et seniores, & in dignitate constitutos audiatur, quæ à personis augmentum accipiunt. In hunc modum ingentia sunt in toto terrarum orbe mala & pericula, sed longè maxima in mari, quòd ĩ in primis experiuntur, qui negotiandi gratia mare ingrediuntur, hi testes esse possent, & seueritatis diuinæ & ipsius clementiæ. Nam, quando DOMINVS ventis vehementioribus mare concitat, surgunt fluctus maximi, ita vt nauigantes nunc ad cœlum vsq; extollantur, mox quasi ad imos manes descendere videantur. Quæ res ita perturbat miseros, vt propemodum è potestate sua egredi putentur, nutant, et hinc inde vacillant, quemadmodum ebrij, ita omnis consilij inopes, ac si non tantùm rerum, sed consilij etiam naufragium fecerint, & cum mercibus omnis eorum sapientia absorpta sit. At cum ad DOMINVM clamant, ex summis istis periculis eos liberat, ventos tempestatesq; componit, lætos ad exoptatum portum deducit. Cum autem hoc summum sit beneficium, summa etiam gratitudo debetur, quæ & in frequentia populi, & in consessu lectissimorum hominum, qui principem in republica locum obtinent, declaranda est. Et hactenus quidem Propheta. Est autem, vt Basilius inquit, tota hæc rerum natura βίβλιον ἐγγραφὸν ὑπαγορευόμενον τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν. Sed in primis gloria DOMINI conspicua est in mari, quòd quasi clara voce DOMINI potentiam ac maiestatem illam multiplicem, varietatem piscium, balenarum monstrorum prædicat. Eandē etiam probat magnitudo & moles eorum animalium, quæ in mari sunt, qua de re loquitur Psaltes Psalmo

104. Hoc,

104. Hoc, inquit, mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis. Qua de re, ſi quis Ethnicorum etiam teſtimonia videre volet, legat Plinium lib. Nat. Hiſt. 33. cap. 1. vbi ſcribit cetos 600. pedum longitudinis, & 360 latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe De vaſtitate & magnitudine belluarum marinarum idem ſcribit lib. 9. cap. 3. verum laus bonitatis ipſius egregiè in mari adumbrata eſt. Quod tot animalia tam clementer alit, tot grandes cetos, & deformes balenas conſeruat: Cum enim illarum curam gerat, certa conſequentia, ipſius erga genus humanarum voluntatem, inde colligamus, cum enim pluris ſimus quàm ille balenæ marinæ, nunc̃ certè nos clementiſs. pater ille deſeruit eſt ſicut etiam cum ex floſculis, tùm etiam auium paſtu dulciſſimus ſeruator noſter nos argumentari docuit. Deinde autem & bonitatis & ſimul potentiæ maxima documenta in eodem mari nobis proponuntur, quando & pericula maxima, & liberationem DOMINI mente cogitationibuſc̃ perpendimus. De eo hic Pſalmus loquitur, & Syracides capite 43. his verbis ea repetit: Qui nauigant mare, enarrant pericula eius, & audientes auribus noſtris admirabimur &c. Quam ſuam bonitatem vt teſtatam faceret, ſæpè paſſus eſt ſuos periclitari in mari, & eoſdem tamen cũ viderentur deplorati liberauit. Ionas ille DOMINI mandata per mare fugiens, non modò in profundiſſimum mare præcipitatur, ſed à bellua marina etiam deglutitur, quæ gemina miſeria, & periculum ſummum fuit, nam alij qui naufragiũ faciunt, ſæpè arrepta tabula, ad littus enatarunt, ille ita mari circumdabatur, vt in

Matth. 6.

vt in eo etiam carcerem haberet, sed quàm præclarè DOMINVS eum ex tanto periculo maris liberarit, testatur liber ab ipso scriptus. Passus est etiam discipulos suos nauigantes, & quidem ipso sedente in naui periclitari, vt exclamarent, DOMINE serua nos, perimus. At quàm citò hoc periculum discussum est, nam cum increpasset ventos & mare, statim facta est tranquillitas magna. Vides in his exemplis quasi, cõmentarium quendam eorum, quæ à Psalte hoc loco prædicantur. Sed vel vnus duntaxat Paulus sufficeret ad probandam DOMINI erga suos bonitatem. Nam 2. Corinth 11. ter se fecisse naufragium scribit, & in Actis Apostolicis, prolixè tempestas maxima & naufragium describitur, ex quo non solùm ipse incolumis euasit, sed comites etiam reliqui propter ipsum seruantur. Nam DOMINVS Paulo omnes donabat qui erant cum ipso. Ostendit ergo Deus Opt. Max. se & DOMINVM terrę et maris esse, ac in mari etiã ipso quasi manu prehensos, ex medijs vndis velle extrahere, si modò ad se clamauerimus vera fide. Quod etiam ex ijs colligimus, quę Petro euenerunt, nam cũ ille iussu DOMINI ex nauicula se deijceret in mare, periculum nullum adijt, sed cum dubitaret mergi cepit, attamen rursus DOMINI manu apprehensus, omne periculum euasit. Quare si & nobis vel in mari, vel in flumine magnum periculum obijcitur, semper cogitemus DOMINVM adhuc viuere, qui suis in similibus periculis clementer adfuit, & ex periculis eduxit, qui etiam suam & opem & præsentiam inuocantibus, prolixè in sacris est pollicitus. Sequitur in Psalmo.

Acto. 27.

33. *Qui ponit flummina in desertum, & scaturigines aquarum in locum sitientem.*

34. *Terram fructiferam in salsuginem propter malitiam habitantium in ea.*

35. *Posuit desertum in stagnum aquarum, & terram aridam in scaturigenes aquarum.*

36. *Et collocauit illic esurientes & constituerunt ciuitatem habitationis.*

37. *Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum annuum.*

38. *Et benedixit eis, & multiplicantur valde, & iumenta eorum non minuit.*

A mari transit Propheta ad agros & campos, ac docet in agricultura esse maledictiones sterilitatis propter peccata: sed easdem tolli clementia DOMINI, & terram reddi fœcundam. Ista autem pulcherrimis coloribus exornauit. Nam de sterilitate loquens egregio contrapositio vsus est, cum inquit locum ante irriguum DOMINO volente omnino exaresceré: cui posteà non minus elegenter alteram partem, de fœcunditate per antithesin opponit: volente DOMINO exsterili terra subito fœcundam fieri. Vbi etiam enumeratione earum commoditatum, quas illa DOMINI benedictio secum adfert, vsus est. Dicit enim ibi hominibus habitandi locum dari, agros vineta non modò conseri & plantari, sed magno fœnore respondere suis colonis. Illic & hominum & pecudum copiam esse scribit. Contextum verborum Prophetæ nostris verbis explicemus: Peccata, inquit, homines non solùm affligunt exilio, carceribus, morbis, sed etiam sterilitate,

rilitate, nam Dominus propter scelera hominum, ex locis irriguis, & vbi sunt perennes fontium scaturigines, facit arida & salebrosa loca. At rursus tanta est eius bonitas, vt terræ sterilitatem emendet, fontes & flumina ac pluuias largiatur, quibus terra quasi impregnata commodam habitationem præbet etiam pauperrimis, & eam quidem non modò diuturnam, sed etiam iucundam suauemq; vtilitatibus suis. Nam, vbi ante deserta erant, iam vrbes extruuntur: vbi antè omnia salebrosa & inculta, iam agri vineæq;, quę vberrimos fructus fundunt, conspiciuntur. Solitudines iam frequentia hominum & copia pecudum replentur. Hæc Propheta de terræ & sterilitate & fœcunditate concionatus est, cui concioni omnes promissiones & comminationes DOMINI, historiæ denicq; & exempla astipulantur. Adamo peccanti dicit: Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi &c. *Genes.3.* Hæc comminatio repetita est in Deuteronomio: Sit inquit, cœlum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea. *Deut.28.* Hieremias etiam in hunc modum minatur cap.17. Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachiũ suum, et à DOMINO recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili. Rursus autem extant suauissimæ promissiones factæ pijs & timentibus Deum. Ex multis sufficiat vnam recitasse. Leui.26. ait DOMINVS. Si in præceptis meis ambu-

laueris, & mandata mea cuſtodieritis & feceritis, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur, apprehendet meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem. Has autem & comminationes & promiſsiones veras eſſe, exempla teſtantur. Quæ terra fertilior fuit Ægypto, quam Nilus fœcundat & irrigat, ſed cum DOMINVS vellet punire horum peccata, toto ſeptennio fœcunditas illa ceſſauit, & terra in
1. Reg. 17. ſalſuginem redacta eſt, Econtra terra Paleſtina imbribus fœcundabatur. Sed cum idolatria Baalim polluretur, toto ferè triennio pluuijs caruit, quanta autem hanc ſiccitatem fames ſit conſequuta, ex annalibus ſacris manifeſtum eſt. At cum viſum eſſet DOMINO
1. Reg. 18. pro ſua clementia reſtituere terræ fœcunditatem, imbres ſe largiſsimè orante Elia effundiunt. Et Geneſ. 26. cap. dicitur. Iſaac vno anno centuplum fructum ex agris reportaſſe. Et ſanè experientia noſtrorum temporum, et ſeueritatis et clementiæ exempla habet, nam quot annos omnia feliciſsimè prouenerunt, quæ autem hodie eſt anonæ caritas, quæ terræ maledictio? ita vt non meſsis in herba pereat, ſed in meſſe frumentum ipſum quaſi euanuerit, & expectationi colonorũ minimè reſponderit, itaq; & nobis ad DOMINVM vera fide clamandum eſt. Sed de his poſtea. Videmus etiam hoc loco, falſam eſſe eorum opinionem, qui putant propter multitudinem hominum laborare Reſp. cum hoc loco multiplicatio animalium & hominum vno verſu ponantur. Nam ſi iumentorum & pecorum multitudo nobis videtur theſaurus eſſe, cur non εὐτεκνίαν & bonorum ciuium imò verò fratrum in Chriſto

Christo frequentiam expetendam iudicaremus. Propheta iam alia quadam ratione clementiam & benignitatem Dei erga genus humanum celebrat.

39. *Et pauci facti sunt, & humiliantur à torquente malo & affligente.*
40. *Effundit contemptum super principes, faciet eos errare in solitudine vbi non est via.*
41. *Et subleuat pauperem ab afflictione, & facit familiam eius sicut gregem ouium.*

Dixit de varijs periculis, quibus homines exercentur, nunc de malo quod inter reliqua facile principatum tenet, loquitur, de Tyrannis & oppressoribus subditorum. Nam crudeles illi non vna ratione miseros homines perturbant, sed alios exuunt facultatibus, alios proscribunt, alios occidunt, ita quæ mala supra singula fuerunt, illa quando malos & Tyrannicos magistratus habemus concurrunt. Sed promittit tamen & ex his liberationem, quæ tribus partibus constat, nam Tyrannis eripit autoritatem. Deinde eijcit in exilium, vt paria ipsis referat. Præterea euehit pauperes, auget & conseruat familiam ipsorum pereuntibus Tyrannis. Verba Prophætæ hanc habent sententiam.

DOMINVS quidē suos sæpè pace & quiete externa donat, vt possint ædificationibus culturaq; terræ se oblectare, at permittit interdum, vt ijdem rursus affligantur, & multa acerba patiantur à crudelibus Tyrannis, qui eos premunt seruitute & laboribus, vt ipsorum pauci fiant. Sed DOMINVS illos superbos pri-

mum exuit omni authoritate, vt in contemptu sint, mox efficit vt in exilium eijciantur, & cogantur de-posito sceptro, ex vrbibus in deserta loca concedere vt tuti sint. Quemadmodum autem hos de suo gradu deijcit, ita pauperes & miseros ex ærumnis ad summũ gradum euehit, & qui antea pauci erant propter per-secutiones Tyrannorũ, iam ita multiplicantur, vt pos-sint gregibus ouiũ comparari. Hæc de Tyrannis & li-beratione piorum Psalmographus. Cogitemus autem de rei magnitudine, quam hoc loco regius Propheta proponit. Tyranni quidem vocabulum non tam for-midabile est, quàm lupi & leonis: sed sunt certè tales homines nocentiores & ferociores belluis. Nam illæ dentibus & vnguium aduncitate pugnant, discerpunt paucos quosdam: sed rabies Tyrannica, armata poten-tia & opibus, Imperia, totas vrbes euertit, ac hominis-bus innumerabilibus creat periculum fortunarum & incolumitatis. Quam sæuus leo erat Pharao, qui to-tum ferè populum in laboribus & seruitute attriuit: quàm immanis bellua Saul fuit, qui vno die totũ ordi-nem sacerdotalem interficit: quàm ferox bestia Achab & Isebel vxor scelere nobilis, qui tot Prophetas occi-derat, vt Elias crederet, se ex toto numero solum super-esse. Quàm dirus draco Herodes, Nero, Domitianus, Maximinus & similes? Et quidem sanè isti ad tempus tanta authoritate sunt prædíti, vt ad mentionem ipso-rũ homines expalleſcant. At quando DOMINVS mi-seram suam plebeculam vindicare ab illorũ tyrannide vult, primùm eos exuit autoritate, vt sint in contẽptu, mox eos omnino abijcit. Saul initio formidabilis erat omnibus hostibus suis, sed cum DOMINVS eum spo-liasset

liasset ornamentis illis, statim in contemptu hostium esse cæpit. Multi reges Israëlis vt in regnorum libris videre est, ita honore obsequioq; caruerunt, vt à suis etiam hominibus & subditis interficerentur. Pompeius, ad cuius nutum tota Italia commouebatur, ita in acie Pharsalica perturbatur, vt scribat Plutarchus, eũ vix pro Pompeio magno agnitum, mox miserè obtruncatur. Dionysius Syracusanus, Corinthi in exilio literas docet. Hoc certe est errare in solitudine, vbi nõ est via. Econtra, quando istæ Reipublicæ pestes è medio tolluntur, miseri homines qui antè seruitute pressi fuerunt, exultant, & à DOMINO etiã multiplicantur. Cuius rei exemplũ illustre sunt Hebręi, qui nõ modò seruitutem grauissimam sustinebant, sed etiam videbant pueros infantes ab vberibus maternis rapi ad mortem. At cum in mari rubro cum exercitu suffocaretur Pharao, quanta exultatione egressi sunt? & ipsorum prosapia & familia ita aucta, vt propè cum numero stellarum conferri posset.

42. *Videbunt recti & lætabuntur, & omnis peruersitas continebit os suum.*

43. *Qui sapiens est, obseruabit ista, & intelliget misericordias DOMINI.*

Conclusio Psalmi, quæ ista omnia, quæ dicta sunt quasi in fasciculum conijcit, & ad vsum accommodat hoc modo. Hæc omnia pij homines videntes lætantur, impijs autem, quales sunt Epicurei & reliqui contemptores Dei, qui dicunt, nec Deum, nec prouidentiam esse, os obturatur. Sed quanquam illa clarissima in

luce

luce posita sint, tamen soli sapientes & DOMINI spiritu edocti ea intellecturi sunt, & discent ex his omnibus quæ dicta sunt, clementiam diuinam nulla eloquentia humana explicari posse, quæ miseros mortales ex tot calamitatibus tam clementer eruat.

Videmus & discimus eos demum proficere in sacris literis, quos DOMINVS reddidit sapientes, hoc est, qui sunt θεοδίδακτοι. Nam qui DOMINI spiritu illustrati non sunt, ita clarissimis etiam scripturis cæcantur, quemadmodũ noctuarũ oculi clarissimo & meridiano sole. Quis non videt Hæbræis, qui noctes & dies in sacris versantur, ita velum illud ignorantię esse ante oculos, vt nec de Christo vero Messia, nec de eius officio rectè iudicent, Imò qui primitias spiritus habent, nõ statim omnia assequuntur, sed quotidiè proficiunt, Quòd in Apostolis videre est, quibus omnes scripturæ obscuræ erant, quamuis eas DOMINVS sæpè citaret, donec tandem & euentu ipso & Christo aperiente scripturas & explicante ad omnia dociles fierent. Habemus etiam signum, qui nam in studio pietatis gradum fecerint, nempè ij, qui & sacris literis oblectantur & DOMINI beneficia grata mente celebrant. Qui autem verbum DOMINI contemnunt, ex diabolo sunt.

2. Corinth. 3.

VSVS HVIVS PSALMI.

Rectissimè senserunt patres, qui scripturam dixerunt esse thesaurum medicinarum, & quasi commune pharmacopolion, ex quo peti possint remedia ad omnes animi perturbationes. Imò verò vel hic solus Psalmus,

Psalmus, quantam copiam suppeditat consolationum & doctrinarum? Primùm si vel triste exilium perferendum, vel grauis morbus tolerandus, vel vincula & carceres subeundi, aut quodcunq; tandem periculum terra mariue sustinendum, hic Psalmus non modò generalem illam consolationem, quam & Ethnici nouerunt, suppeditat, esse illa nobis cum multis communia, & nullum esse in terra, vel mari locum à periculis immunem, verùm docet illa paterno animo à DOMINO suscipi, qui ista flagella immittat, vt de peccatis nos commonefaciat, & ad vitæ emendationem inuitet, quod & Solomon cap. 3. Prouerbiorum, & author Epistolæ ad Hebræos confirmant: Quem diligit DOMINVS, corripit, flagellat autem omnem filium, quẽ recipit. *Heb. 12.*

Deinde ratio etiam modusq; ostenditur, quomodo è summis periculis homines euadere possint, videlicet si vera fiducia ad DOMINVM clament. Nam vt multas DOMINI promissiones habemus de exauditione, ita eas confirmat, dum in varijs periculis præter expectationem subitò nobis adest, quæ consolatio sæpè in hoc Psalmo intercalari versu illo repetitur. Et clamauerunt ad DOMINVM, & de necessitatibus eorum liberauit eos.

Postea de misericordia & potentia DOMINI docemur, qui omnibus locis suis assit, nec esse vllum periculum tantùm, in quo non possit & velit inuocantibus succurrere. De ea vtilitate tanquam generali in vltimo versiculo nos monet Propheta: Qui sapiens est (inquit) obseruabit ista, & intelliget misericordias DOMINI. Impij homines quando ex aliquo pericu-

lo seruantur, quàm primum periculum euanuit, memoriam etiam beneficij amittunt, at qui spiritualiter & verè sapientes sunt, singula DOMINI beneficia, quasi commentarios sibi esse sinunt ad confirmandam fidem de Dei bonitate & clementia.

Postremò monemur, vt in omnibus gratias agamus DOMINO, & beneficia ipsius plus quàm paterna celebremus, quod & Psalmo 50. requirit: Inuoca me in die tribulationis, eruam te & glorificabis me. Hæc enim sunt sacrificia, hi vituli gratiores certè DOMINO, quàm iuuencus producens cornua & vngulas. *Psal.59.* Veram illam gratitudinem nobis diuinus hic vates versu sæpè repetito inculcat: Confiteantur DOMINO propter misericordiam eius, & mirabilia eius filijs hominum. Non nati sumus vt cum pecudibus duntaxat pastum & cibum quæramus, sed vt nomen DOMINI celebremus, eius beneficia decantemus per omnem vitam. In quo nobis sanè pro viribus elaborandũ est, vt aliquando in illa æterna felicitate, cum sanctis Angelis alta voce clamemus, Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS Deus exercituum.

Psalmus

Psalmus 108.

Canticum Psalmi Dauidis

Paratum est cor meum, cantabo &c.

PRiores versiculi huius Psalmi ostendunt eum esse εὐχαριστικὸν, hoc est, gratiarum actionem pro beneficijs diuinis, cum quibus coniungit laudem & veritatis & misericordiæ diuinæ. Cæterum interpretes hunc Psalmũ variè exponunt. Alij eum ad Christum & diuulgationem Euangelij in totum terrarum orbem referunt, quia multarum regionum & imperiorum subactorum fit mentio. Alij verò ad externas Dauidis victorias, quas ab hostibus suis reportarit. Quanquam autem Dauid typus est Christi, qui ipsi promittebatur, tamẽ cum verba huius carminis in alijs quoq; Psalmis reperiantur, nullibi rectius interpretatio siue scopus eius, quàm in illis ipsis scripturæ locis inuenietur. Compositum autem est hoc carmen ex verbis Psalmi 57. & 60. nam quæ primo loco hic ponuntur, in fine Psalmi 57. paucis mutatis, leguntur, reliqua ab initio sexagesimi. Inscriptio autem Psalmi sexagesimi, quæ eadem locorum nomina habet cum hoc Psalmo, apertè docet, Dauidem de victorijs diuinitus sibi concessis loqui, talis

enim est Psalmi illius titulus : Michtam Dauidis ad docendum, dum bellum gereret contra eam Syriæ partem, quæ Mesopotamia dicitur, & contra Syriæ partem, quæ vocata est Zoba, & Ioab reuersus percussisset Ædomitarum in valle Salis millia duodecim. Extant autem historiæ illarum victoriarum 2. Reg. 8. vbi insignem victoriam Dauid reportauit à Syrijs, cæsis decem & millibus. Eadem historia scribitur etiam 1. Par. 18. Nam Syri & Idumęi coniunctis viribus, bellum aduersus Dauidem gerebant, à quo (vt dictum est) deuicti, fusi, fugatiq; sunt. Cum ergò in hoc Psalmo eadem materia tractetur, accommodemus hunc Psalmum ad victorias Dauidis, nam sunt alia illustriora loca, quibus Christi regnum à nostro Propheta describitur. Laudat autem DOMINI & Misericordiam & Veritatem. Misericordiã quidem, quòd & ipsi in tribulatione afflictissimo succurrerit, & ex periculis liberarit, Veritatẽ autem quòd promissiones, quas ipsi fecerit de amplitudine regni, luculenter probauerit, dum omnes hostes et propinquos & longissimis itineribus dissitos ei subijcit. In extrema parte Psalmi ex prioribus beneficijs sese etiam in certissimam spem erigit aliarum victoriarum.

1. *Paratum est cor meum Deus, paratum est cor meum ad cantandum & psallendum.*
2. *Euigila gloria mea, euigila Psalterium & Cithara, euigilabo diluculo.*
3. *Gratias agam tibi DOMINE, inter populos, Psallam tibi inter nationes.*

Propo-

Propositio est huius Psalmi: Ego DOMINE gratias tibi agam, quam tamen, vt sanctissimi cordis affectus ferebat, varie exornat et amplificat circumstantijs modi, auxiliorum, personarum, temporis, quibus accesserunt figuræ, Prosopopœia & Apostrophe. Nã non perfunctorie, sed ex corde se gratias acturum dicit, præterea ad laudationem instrumenta musica & se etiam inuitat & excitat. Adhæc pollicetur, se hoc apud omnes populos esse facturum, & quidem mane, aut summo diluculo: Ego, inquit, toto conatu, & animi summa contentione hoc ago, vt carmine meo gloriam nominis Dei celebrem, qua sane in re, vtinam, quemadmodum cupio, elaborare possem, sed cum ea res omnium hominum eloquentiam vincat, euigila ô lingua, exciteris ô Psalterium et Cithara, celebrate vna mecũ DOMINI gloriam, idq; summo studio facite, cũ prima aurora mecum personetis, nulla enim res tanti est momenti, quæ huic anteferenda sit. Ego certe ôD OMINE, vt debeo, non solum nostris hominibus, sed omnibus populis orbis terrarum prædicare tuam clementiam, & gratitudinem erga te meam omni ratione declarare constitui. Hi versiculi grauissimam doctrinam continet. Quemadmodum enim in afflictionibus & animi perturbatione, gemitibus inenarrabilibus sancti Dei homines ad Deum se conuertunt: sic cum de DOMINI beneficijs se commonefaciunt, nihil illis satisfacere ad animi gratitudinem declarandam videtur. Intelligunt enim, quantum pro summis beneficijs DOMINO debeant, & agnoscunt interim, quanta sit tenuitas nostra, quæ nulla ratione respondere ipsius erga nos clementię possit. Et quidem sane

cum hoc loco pro externis beneficijs Dauid tanto ſtudio gratias DOMINO agere conetur, quanta cura nobis adhibenda eſt, qui quotidie ab ipſius benignitate non ſolùm externas, ſed ſpiritualia beneficia accipimus, quæ ſi illis ex aduerſo ponantur, nulla omnino erit proportio. Quid .n. eſt hoſtem vincere, peregrinas gentes domare, proferre imperij pomeria, ſi cum ijs victorijs comparemus, quibus Satanæ potentia domita, peccatum expiatum, patria cœleſtis à Chriſto nobis impetrata eſt. Hæc res ſanctos Patres & Prophetas excitauit, vt in laudatione illorum beneficiorũ omne ſuum ſtudium conſumerent. Iacob moriens, cygnæam cantilenam de Meſsia, quem Schilo vocat, inſtituit: Non auferetur, inquit, ſceptrum de Iuda &c. Eſaias capite 5. Carmen ſe de dilecto ſuo allaturum promittit. Exempla autem in noſtro Propheta tot ferè extant, quot in Pſalterio ſunt paginæ, & vt Dauid fidibus & inſtrumentis Muſicis DOMINI laudes perſecutus eſt: ſic illa magna Eccleſiæ lumina omnes neruos orationis, omnes figuras adhibent, vt ſuo erga DOMINVM ſtudio aliquo modo ſatisfaciant, & alios quoq; ad imitationem gratitudinis inuitent. Studeamus ergo & nos eſſe organa DOMINI, & linguam, calamum, & omnes noſtras cogitationes eò dirigamus, vt verè grati ſimus DOMINO, qua Muſica nulla DOMINO gratior & ſuauior eſt. Nemo verò ſeriò ea in re elaborabit, niſi benè meditata habeat DOMINI beneficia. Videamus ergò cauſas, quæ ad tam accuratam laudationem regium Prophetam impulerint.

4. Quia

4. *Quia magna est super cœlos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua.*

Ratio subijcitur, quare ad eum modum laudare cupiat DOMINVM. Et sanè graues (inquit) causæ sunt, cur & ego & omnes homines omnem nostrum conatum cõsumere in laudatione tua debeamus, quia summa tua misericordia est & tanta constantia promissionum, vt quantum hoc cœlum patet & extenditur, & quantum nubes à terra infima absunt, tam magna sit tua misericordia & veritas erga homines. Videmus hoc loco, quibus rebus potissimùm DOMINI spiritus, in hominibus fidem, inuocationem, & gratiarũ actionem accendat, meditatione videlicet & misericordię & veritatis diuinæ. Quanquam enim non negem & omnipotentiæ, quæ in hac præclara mundi fabrica conspicitur, diligentem considerationem plurimum ad nos confirmandos momenti habere, quod Dauid ijs Psalmis docet, quos de rerum natura & totius mundi opificio egregios scripsit. Et Paulus etiam testatur: Inuisibilia per ea quæ in hoc orbe terrum conspiciuntur, nobis innotescere, tamen misericordiæ & promissionum ipsius veritatis maximam vim habet ad nos consolandos in periculis, & excitandos ad fidem, inuocationem & gratiarum actionem. Is enim demum (vt reliqua duo omittamus) ex animo gratias DOMINO aget, qui intelligit eum summa dilectione prosequi genus humanum, ac velle etiam seruare eas promissiones, quas amplissimas nobis proposuit. Vt in hoc Psalmo noster Propheta externis beneficijs & victorijs, quas & regi & huic populo tribuit, excitatur,

ratur, vt nec linguam, nec instrumenta musica suffice-
re, ad veram gratiarum actionẽ existimet. Et nos sanè,
quando acuratiorem meditationẽ instituerimus, quã
paternè & clementer quotidie DOMINVS nos respi-
ciat, ex quot periculis liberet, & affatim beneficijs cu-
mulet, ac quam certæ & firmæ sint promissiones, quas
passim in scriptura de alimentis, de tutela, denicq; de
indulgentia paterna sua nobis proponit, fieri non po-
test, vt non incendium quoddam (vt ita loquar) no-
stræ erga ipsum dilectionis exoriatur, & toti rapia-
mur ad studium prædicandæ ipsius clementiæ & bo-
nitatis. Etsi autem ea, quæ de rebus corporeis & ex-
ternis illis diximus, quasi adminicula quædam sunt
nostræ fidei, tamen cum DOMINVS solem suum si-
nat exoriri super bonos & malos, & illos etiam sæpe
maioribus beneficijs cumulet, non erit absoluta et per-
fecta illa veritatis & misericordiæ diuinæ meditatio,
nisi à summa illa & certissima, quæ in Christo Iesu no-
bis proposita est, dependeat. Nam cum Deus Opt.
Max. omnium ferè Prophetarum libris promissiones
de Christo venturo nobis proposuerit, eas autem mis-
so filio, omnes præstiterit, & nos, qui alieni eramus à
promissionibus diuinis, in spem certissimam æterna
hæreditatis vocarit, infallibili consequentia colligere
possumus cum Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra
nos &c. Et cum DOMINVS vnigenito filio suo non
pepercerit, sed eum pro nobis in mortem tradiderit,
quas satis magnas gratias agere poterimus pro ineffa-
bili illo beneficio, quod à Prophetis prædictum, tam
constanter nobis præstatur. Hìc certè cum Dauide
Psal.103. nobis dicendum est: Sicut altitudo cœlorum supra
terram,

terram, magnificata est bonitas eius super timentes eum: Sicut distantia ortus ab occasu, longè remouit à nobis transgressiones nostras: Sicut miseretur pater super filios, miseretur DOMINVS super timentes se. Hęc gratia tanta est, vt angeli eam carmine suo decantandam iudicarint, Gloria in excelsis Deo &c. Hanc Zacharias, Baptistæ pater, hanc Simeon cum puerulum Iesum vlnis lætus teneret, hanc omnes Apostoli celebrarunt. Etsi autem & Dauid multis Psalmis illam ipsam DOMINI clementiam prædicat, tamen hoc loco, vt suprà diximus, commendat Dei erga populum suum bonitatem, qui ex miseriis & calamitatibus eum ad summam gloriam euexit, ac subiecit ei populos bellica virtute, omnibus formidabiles, Syros, Philistæos &c. Tenendum autem est eum hoc obliquo ductu facere, non enim dicit DOMINVS, largitus est victorias maximas, sed colloquium cum DOMINO instituit, quem orat, vt populi sui afflictissimi, & prope ab omnibus contempti rationem habeat: è contra autem eum inducit, promittentem amplissimas victorias. Nec nos moueat, quòd illæ iam magna ex parte obtigerant Prophetæ, sed voluit vates seruire dialogo & instituto suo, vt ostendat omnia se beneficia, & illas etiam victorias ex manu DOMINI accepisse. Sed audiamus Dauidem. *Luc.2.* *Luc.1.* *Luc.2.*

5. *Exaltare super cœlos ô Deus, & super omnem terram gloria tua.*

6. *Vt liberentur dilecti tui, saluum fac dextera tua, & exaudi me.*

Videtur non laudationẽ ſed precationem, quaſi obſ
litus inſtituti ſui inſtituere : ſed latet in his amplifica
tio ſiue antitheſis. Viſæ ſunt hactenus res Hebræo
rum deploratæ, & ipſi quaſi à DOMINO deſerti, ſed
DOMINVS præter opinionem omnium, non modo
ex periculis eos liberauit, ſed ornauit etiam varijs vi
ctorijs. Id clarius dicitur Pſalmo 60. qui cum iſto eiuſ
dem eſt argumenti : Deus (inquit) repuliſti olim nos,
diſiecisti, iratus eras, ac exhibuiſti rurſus te nobis pla
catum, concuſsiſti terram, diripuiſti eam : cura fractu
ram eius nam inclinata eſt. Dura ſæpè feciſti experiri
populum tuum, potaſti nos vino toxico. At ſuſtuliſti
rurſus timentibus te, ſignum ſub quo fœliciter vince
rent, idq; propter veritatẽ. Aſcripſi huc verba, vt duo
os hoſce verſiculos rectius intelligamus, nam eandem
quam Dauid Pſalmo 60. ſententiã habet exprimunt,
ſed proponũtur forma precationis hoc modo. Quam
uis nullibi non ſit nota tua ſumma gloria & maieſtas,
tamen iam quoq;, ô DOMINE, tibi latiſsimus apertus
eſt campus, vt in toto orbe terrarum laudes tuas de
clares, imò verò ſupra cœlos eas vehas, quando tuum
illum miſerrimum populum, qui alijs ſeruituti dunta
xat natus videtur, duriſsimaq; Tyrannide premitur,
præter opinionem omnium potenti tua manu libera
ueris, & alios eis populos ſubieceris, ac omnibus mor
talibus probaueris, te nos ſummo amore & dilectione
proſequi, quod vt facias, quemadmodum feciſti ha
ctenus maiorem in modum te oro. Ad hos verſicu
los accommodentur hiſtoriæ ſacræ. Etenim vt in Pro
phanis negocijs hiſtoria lumen eſt rerum omnium, ſic
quoq; inprimis ſacræ hiſtoriæ multa quæ in Pſalmis,

alijſq;

alijsq; Biblicis libris sunt, explicant. Sed ne à gemino ouo, vt dicitur, narrationem instituamus, certè videmus temporibus Dauidis optimos quosq; quasi in seruitute quadã versatos. Nam cum Saul rex hostili odio Dauidem persequeretur, sacerdotes miserè trucidaret, nec essent liberæ voces cuiusquam, ac Tyrannide Saulis subditi premerentur, denicq; populi qui in circuitu Palestinæ erant, immortale odium cum Hebræis gererent, gemina quasi Hebrææ gentis erat captiuitas, videbantur enim non modò ab alijs omnibus, sed suo etiam rege deserti. Dauid autem nouus rex, fuga sibi consulere cogebatur. Accedebant aliæ quoque ærumnæ, quæ genus humanum exercent. Quis autem credidisset populum tot malis septum, posse emergere è periculis, sed DOMINVS inter has calamitates suos conseruat, ac probat Ecclesiam extructam esse super petram, contra quam non possint prævalere portæ infernales. Nam si Deus perpetuo suis hominibus successum largiertur, vt opibus abundarent, societates & confœderationes regum, & studia gentium propinquarum haberent, ac exercitu innumerabili alijs essent formidabiles, gloriam & laudem beneficij omnẽ creaturæ DOMINO præripere viderentur, partem enim hominum opulentia, partem studia amicorum, partem miles ipse sibi vendicaret: sed vt homines intelligant omnia ista à DOMINO proficisci, Deus suos omnibus præsidijs exuit, vt ipsos maiore postea gloria liberet, & eximat è periculis. Cuius rei cum antea sæpè adducta testimonia scripturæ sint, iam ad ea quæ in hoc Psalmo sequuntur, progrediamur.

7. *Deus loquutus est in sancto suo, exultabo et diuidam Sichimam, & vallem Succhot dimetiar.*
8. *Mea est Gileath, & meus est Manasses, & Ephraim robur capitis mei, Iuda legislator (aut rex) meus.*
9. *Moab olla lotionis meæ, in Idumæam extendam calciamentum meum. Erga me ô Philistæa iubila.*

Propheta versiculis superioribus proximis DOMINI clementiam celebrat, nam liberationem ex malis & miseriis certò sibi promittit, dicens: Exaltare &c. Iam DOMINI etiam veritatem laudat, quod promissiones suas seruet, quas Dauidi de regno & principatu dederat, nam cum in regem inauguraretur à Samuele, dubium non est, fuisse additas promissiones de amplitudine regni Dauidis. Seruat autem figuram suprà annotatam, nam DOMINVM quasi respondentem ad priores preces inducit. Deinde vtitur enumeratione locorum, in Iudæa, & præterea finitimorum populorum, quos DOMINVS Dauidi tributarios fecit. Nec contentus est nudis verbis dicere: Deus mihi subiecit populos illos, sed variis notationibus, & verbis emphaticis, liberrimam dominationem describit: Meus est, diuidam, extendam calciamentum, olla lotionis &c. Quia autem nomina locorum & alia nonnulla obscuriora sunt, familiaribus verbis ea explicemus, & cum superiore paraphrasi coniungamus. Quid autem ego de liberatione verba facio? en Deus mihi respondet de sancto oraculo suo, quod fallere nunquam potest. Non enim solùm tristissima tempora illa hactenus admirando suo auxilio mitigauit, verùmetiam victorias antea promissas, iam mihi denunciat, quare posito

posito omni metu, exultabo & ἐπινίκιον canam de triumphis, quos Deus mihi decreuit. Nam teneo iam Sichimam, eum locum sortis Ephraimiticæ, vbi DOMINVS olim Abrahamo sanctissimo patri principatum Iudææ promisit, quæ promissio, quamuis multis sit visa irrita, propterea quòd multa iam secula interposita sint, mihi verò dominium eius prouinciæ omnino negatum videretur, quod ibi loco Saulis Isboseth filius Saulis, rex ab Abner creatus fuerit, tamen nunc ille Ducatus meus est. Præterea & vltra Iordanem in tribum Gad, protuli pomeria imperij mei, nam vallis Succhot, locus vbi olim pater meus Iacob in patriam rediens, cum familia tabernacula fixit, (vnde & nomen ei inditum est) mihi paret. Adhæc montana, quæ vltra flumen sunt, & Gilead appellantur, mihi cesserũt, ita vt in planis & montanis iam dominer. Iam verò et tribus populosissimę et potentissimę Manasse & Ephraim, quę à duobus filijs Ioseph, nomen & originẽ habent, tanquam robur & caput regni mei, quantum quidem ad res bellicas attinet, mihi subiectæ sunt. Tribus verò Iuda, cui vaticinio patris Iacob sceptrum & regia dignitas, legum denicq; totiusq; Reipub. administrandæ potestas promissa est, nunc mea est, vt iure optimo gloriari possim, me regem esse totius Israëlis. Sed & exteras gentes DOMINVS mihi subiecit: nam Moabitæ infesti aliâs populi Iudaici hostes, nunc tributarij mihi facti, ne mutire quidem aduersus me audent, tantaq; securitas ibi est, vt balneis ibi operam dare, & ea, quæ ad animi corporisq; recreationem pertinent, suscipere audeam. Similiter etiam in Idumæa, quæ capitali odio olim nos persequebatur, pedem fi-

Genes.12.

Genes.33.

Ios.13.& 17.

Genes.41.

Ios.16.& 17.

Genes.49.

1.Sam.8.

1.Paral.18.

2.Sam.8.

gere & tuto deambulare poſſum. Id verò admiratione
2. Paral. 18. vel imprimis dignum eſt, Philiſtęos qui multis ſeculis de imperio nobiſcum certant, noſtram gentem funditus exciſam cupiunt, iam deuictos mihi acclamare, & de victoria gratulari. Hæc verborum Dauidis ſententia eſt. Videbitur autem fortaſsis illa enumeratio locorum ignotorum ſuperuacua : & Dauid nimis prolixè de rebus ſuis dicere & gloriari exiſtimari poſſet. Et eſt ſanè ταυτολογία & περιαντολογία moleſta omnibus. Sed tenendũ eſt initio Prophetam non prædicare ſuas victorias, ſed DOMINI, id quod in vltima parte Pſalmi copioſius demonſtrabit, cum dicit: Quis me adducat in ciuitatem munitam &c. Ac ſtatim ſubijcit: Certè tu Deus. Nec eſt inanis βαττολογία in enumeratione tot locorum Paleſtinæ. Vult enim probare Propheta veriſsimas eſſe DOMINI promiſsiones, idq; non ſolùm probat complemento promiſsionum ad ſe facturum, ſed etiam eorum beneficiorum commemoratione, quibus DOMINVS oſtendit, ſe memorem eſſe eorum, quæ olim Patriarchis receperat, ideo Dauid dicit ſibi ſubiecta eſſe ipſa loca, vbi olim DOMINVS & Abrahæ & Iacobo ſpem fecerat terræ Canaan. Quaſi diceret Propheta, tam certæ ſunt promiſsiones DOMINI, vt ijs ipſis locis, vbi illæ proditæ ſint, declaret conſtantiam verbi & promiſsi ſui. Sic Prophetæ Ieroſolymis de Chriſto vaticinantur, & eo ipſo loco multis poſtea ſeculis et exhibitus eſt Chriſtus, & promulgatum Euangelium in totum terrarum orbem. Ea etiam in comminationibus certitudo conſpicitur. Sic 1. Reg. 21. minatur DOMINVS impio Achabo, futurum vt eo ipſo loco, quo canes ſanguinem

nem Nabothi innocentis linxerint, ſanguinem etiam ipſius lingant, id quod poſtea euentus probauit, nam dū ibi currus ſanguine Achabi madidus abluitur, canes eum lambunt. Dominus ergo certitudinem et veritatē ſuarum promiſsionum et comminationum non ſolum verbo, ſed etiam locis, temporibus, & alijs circumſtantijs obſignat. Iam verò quando de promiſsionibus diuinis loquimur, non ſtatuamus qualeſcunq; opiniones de ingenio noſtro confictas, aut neſcio quas reuelationes & ἐντουσιασμὸς eſſe illas certas & infallibiles demonſtationes, ſed eas demum, quæ in verbo Dei expreſſæ ſunt. Ideo noſter Propheta, cum DOMINVM loquentē inducit, audit eū in SANCTVARIO, hoc eſt, Eccleſia, & eo loco, vbi promiſsiones de ſuis beneficijs edidit, loqui, Nam ipſius verbum lucerna pedibus noſtris eſt, & fax quam loco obſcuro, tanquam Cinoſuram aut lucernam tuto ſequi poſſumus. Sed qui ſua ſomnia ſequuntur, & ſibi fœlicitatem ſucceſſum extra verbum DOMINI promittunt, illis accidit quod dormientibus, qui ſæpè per quietem magnas ſe poſsidere diuitias, aut in honoribus conſtitutos putant, ſed cum ſomno tota illa pompa euaneſcit. Ita qui ſuæ fœlicitatis fundamenta, vel in diuitijs, vel amicorum ſtudijs & ſimilibus ponunt, mox intelligent, ſe hactenus ſomnia rerū non res ipſas perſequutos, ſicut diues ille, quem fiducia opum ac diuitiarum ad ſummam ſecuritatem perduxerat, mox videt ſe ſtulta & inani ſpe fuiſſe deceptum, ea enim nocte ab ipſo auferetur vita. Ergo quando oracula diuina quærimus, ad ſanctuarium eius accedamus, & in verbo per Prophetas & Apoſtolos prodito, eum loquentem audiamus,

Pſal. 119. *2. Pet. 1.*

Basi. in Psa. 59. mus, scientes, (vt Basilius loquitur) θεῖα λόγια ἅγια πνεύματος δῶρα, Diuinos sermones esse bona diuinitus missa. Postremò nec temeraria est Dauidis securitas, vbi in medio infestissimorum hostium pacem sibi pollicetur: Moab olla lauacri mei, Ædom locus vbi ponam calciamentum meum. Christus enim dominatur in medio inimicorum suorum, & eo ipso suam potentiam demonstrat, quòd suos, veluti ex ore leonis, vt *Amos 3.* Propheta inquit, eripit. Quod pauperculam destitu- *Esa. 54.* tam auxilio omnium Ecclesiam auget, ornat, conser- *1. Reg. 18.* uat. Elias solus regi Achabo & quingentis sacerdotibus Baal sese opponit. Quem autem putas illi tum fuisse ὑποδραστικὸν, ne subitò ab Iesabele crudelissima bellua, ad cruciatus raperetur? Quis cũ Baalitas publicè irrideret, iuberetq; alta voce clamare, vt à Deo suo exaudirentur, sæuas illorum sacerdotum manus inhibuit, ne sanctissimus Propheta discerperetur? Quid *Dan. 3.* quòd sodales Danielis, securi in fornace obambulant? *Rom. 5.* Quid deniq; quòd sancti de afflictionibus gloriantur, quàm quod DOMINI protectione tuti sunt? nam vt omnium rerum est gubernator, ita pessimorum hominum conatus et impetum solo nutu impedit, vt crudelissimi hostes acclamare Dauidi cogantur. Etsi autem in hoc seculo non semper ea liberandi ratione vtitur, tamen in illo extremo die, in quo vnicuiq; redditurus est secundum opera sua, ibi & impios, & diabolum ipsum subijciet pedibus nostris, & dabit vt non vni alicui regno præsimus, sed perpetuò cum DOMINO regnemus. Vtriusq; autem exempla, & quidem in ijsdem hominibus, suppeditant nobis Ecclesiasticæ historiæ, quibus proditum est Christianos leonibus,

& alijs

& alijs ſæuiſsimis belluis obiectos. Cum autẽ illę impetum in ipſos facerent, non aliter refugiſſe, ac ſi murus eſſet interpoſitus. Quo inditio, luculenter oſtendit DOMINVS, ſe poſſe, ſi vellet, ſuos tueri. Iidem tamen poſtea à Paganis trucidati interfectíq; ſunt, ſed ne tùm quidem protectione diuina caruerunt. Nam poſt martyrium coronam immarceſsibilem illam acceperunt, & ducti ſunt in ſinum Abrahæ æternamq; quietem.

10. *Quis deducet nos in ciuitatem munitam? quis deducet me vſq; in Idumæam.*
11. *Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non egrediebaris Deus in exercitibus noſtris.*
12. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus quæ expectatur ab homine.*
13. *In Deo deſignabimus fortia, & ipſe conculcabit hoſtes noſtros.*

Vltima laudatio de ſpe futurarum victoriarum. Quærit enim quis ſit adducturus ipſum, in munitam ciuitatem, quæ reſtabat expugnanda, quam putant fuiſſe Rabbath, metropolim filiorum Ammon, & ad occupanda quæ reliqua erant in Idumæa. Has victorias futuras etiam aſcribit Deo, Addit autem rationem, hominum auxilia vana eſſe, ideo in ſolo Deo fiduciam eſſe collocandam. Sententiam Prophetæ noſtris verbis exprimamus, & cum ſuperioribus coniungamus. Sed obijciet aliquis nondum confectum eſſe bellum, nam reſtare adhuc vrbem munitiſsimam Ammonitarum Rabbath, nec debellatos eſſe omnino 2. Reg. 12.

Idumæos, dubiam ergo adhuc victoriam esse. Sed ea cogitatio me non perturbat, verùm confugio ad te DOMINE, nam cum tu olim omnino abiecisse & deseruisse nos & copias nostras videreris, tamen tantas victorias largitus sis, in posterum etiam abste auxilium expecto, & in eo certa fiducia acquiesco. Nam nostra & arma & præsidia, si cum hostium viribus & potentia conferantur, nulla sunt: Sed te duce, forti infractoq; animo, hostem aggrediemur, non dubitantes te, qui cætera tam præclarè præstiteris, totum bellum esse confecturum, & conculcaturum hostes nostros. Videmus sanctos Dei homines non solùm præsentia DOMINI beneficia agnoscere & amplecti, sed non minus esse certos de ijs, quæ nondum apparent, imò verò, quæ impossibilia videntur, certò sibi persuadere. Est enim fides rerum non apparentium, argumentum eorum quæ speramus. Ideò sæpè ante victoriam ἐπινίκιον cecinerunt, non temeritate quadam stulta, quę semper est infœlix, & prouerbio etiam locum dedit, sed quia promissiones diuinas intuebantur. Exempla multa sunt in Psalmis Dauidicis, sed insigne est quod 2. Paral. 20. extat. Nam cum Ammonitæ & Moabitæ magnum & periculosum bellum suscipiunt aduersus Iosaphatum regem Iuda, in ipsa acie cantores constituuntur, celebrantes DOMINI bonitatem & misericordiam, ita factum est, vt hostes mutuis armis conciderent, & Hebræi victores abirent. Etsi autem nobis non mittuntur angeli legati, tamen verbum DOMINI habemus, & promissiones de multis victorijs, quæ nostræ rationi videntur impossibiles, videlicet victoria peccati, mortis, inferni, quæ sunt diaboli,

Heb. 11.

diaboli, quasi fortissimæ munitiones, sed cum Dauide dicamus: Quis expugnabit vrbes illas munitas? DOMINVS & seruator noster Iesus Christus, qui cùm in agone mortis sumus, omnino nos deserere videtur, sed ipse iampridem nostra causa victor euasit, captiuamq; duxit captiuitatem, peccatum, mortem, infernum expugnauit, ad quem, si vera fide confugerimus, fortiter, vt Psalmus inquit, agemus, & hostes omnes pedibus nostris subijcientur, ipsa denicq; mors, iam deuicta, læta resurrectione compensabitur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Huius Psalmi multiplex vtilitas est. Nam cum putamus nostras res ita deploratas, vt nihil sit nec auxilij neq; consilij, proxima victoria est. Cum Dauid in summis periculis versatur, Saul cum tota familia sua deletur, & ipse rex Israëlis constituitur, & victorias præclaras & luculentas reportat ab hostibus, quod hoc breui carmine prædicat. Christus in sepulchro constitutus, videtur non solùm perijsse, sed infamiam etiam post mortem habiturus, sed tertia die magna gloria resurgit. Ita & nos, cum in summo discrimine versamur, statuamus auxilium diuinum proximum esse, et vbi desinit humanum, ibi incipere diuinum auxilium. Vsus etiam huius Psalmi in inuocatione & veris ad DOMINVM gemitibus conspicitur. Nam magna fiducia clamat: Exaltare super cœlos DOMINE, & super omnem terram gloria tua &c. quare & nos in animi perturbatione & calamitatibus, certa fide ad Deum clamemus, non dubitantes de exauditione. Sed

ne. Sed Dauid etiam ostendit quid deceat post acceptа DOMINI beneficia, nempe gratiarum actio, quæ ex meditatione beneficiorum diuinorum proficiscitur. Nam quàm ardens studium declarandæ gratitudinis statim ab initio huius Psalmi conspicitur? cùm non solùm ipse omnes cogitationes ad gratiarũ actionem instituit, sed etiam citharam suam & instrumenta Musica ad prædicationem nominis diuini aduocat. Postremò etiam modus & ratio indicatur, quomodo fides & spes in nobis conseruetur, si ex prioribus DOMINI beneficijs & maioribus illis nos in posterum etiam confirmemus. Sic Dauid victorias priores à Deo sibi datas, vult esse quasi obsignationem reliquarum victoriarum. Nos aũt considerantes summa beneficia nobis in nouo Testamento collata, nunq̃ dubitemus de reliquis quæ nondum exhibita sunt. Monemur ad extremum, etiam, de vera humilitate cum Propheta dicit: Da nobis auxilium in tribulatione, quia vana salus hominis, nam nec corporis nec animorum verã recreationem à nobis petere possumus, abiecta ergo omni fiducia propriarum virium, in solo Dei auxilio acquiescamus

Psalmus

Psalmus 109.

Deus, laus mea, (aut Deus laudis meæ) ne taceas &c.

CVm D. Petrus in ea concione quam ad Apostolos in Electione D. Matthiæ habuit, hunc Psalmũ de proditore Iuda intelligat, non possum probare sententiam eorum, qui primò eum de Dauide contra Doëgum improbum orante, accipiunt, et typice de Iuda exponi posse intelligunt, nec tamen negauerim eum primò quidem de Iuda intelligi, interim tamen in genere de omnibus hostibus Christi accipi, inprimis autem de Hebræis, nam & multitudinis numero vtitur, ac de miserijs & exilio liberorum & nepotum copiosè loquitur, quorum in tragico Iudæ interitu nulla fit mentio. Sentiamus ergo imprecationem istam esse institutam cõntra populum Hebræum rebellem & persecutorem Christi, quorum antesignanus fuit Iudas, & easdem diras etiam omnibus Christi hostibus imminere, qui DOMINVM in membris suis hodie persequuntur. Vt autem ratione & via interpretationem huius Psalmi suscipiamus, notandum est quinq; esse eius partes. In prima gens Hebræorum accusatur, quæ doctrinam Enangelicam spreuit, & Christum DOMINVM persequuta est. In secunda maledictiones horrendæ Hebræis denunciantur. Tertia pars ostendit illas quam- *Act. 1.*

uis horribiles imprecationes respondere ipsorum delicto, & iustissimo Dei iudicio ipsis irrogari. Quarta pars, habet ardentem Christi precationem ad Deum patrem, in qua suas miserias proponit, & petit ex his liberationē, vt Dei patris gloria conspicua fiat, & hostes sui confundantur. Duo extremi versiculi habent pollicitationem remunerationis & gratæ mentis pro liberatione & conseruatione illa clementi. Primus versiculus Psalmi est propositio, cui annexum est breue exordium.

1. *Deus, laus mea, (aut Deus laudis meæ) ne taceas.*

Summa breuitate multa complexus est Christus, hoc enim vult dicere: Pater cœlestis, qui mea vnica et gloria, à quo ab æterno natus sum filius tuus vnigenitus, quem etiam in hunc mundum misisti, vt assumpta
Ioan, 5. humana natura, stupendis miraculis me probarem esse Christum, cui omne tradidisti iudicium, quem col-
Psal. 110. locasti ad dextram tuam, positurus omnes inimicos
Ioan. 12. scabellum pedum meorum, qui pollicitus es te illustraturum nomen & tuum & meum, noli conniuere & silere ad Hebræorum summam improbitatem, ac sæuissimam persecutionem, quam contra me meosq; exercent, ac detestandam ipsorum ingratitudinem vlciscere. Hæc Propheta Dauid.

Nemo autem miretur, Christum qui in cruce pro hostibus orauit, & qui nos omnes inimicos profuso proprio sanguine redemit, tanta verborum seueritate insurgere contra aduersarios. Etenim vt erga pœnitentes clementissimus est, sic in impœnitentes maiorem

rem in modum animaduertit, nam qui ſummma humanitate ad ſe omnes peccatores vocauit, is è templo ementes & vendentes, flagello expulit, & die vltimo pios ad cœleſte regnum vocabit, impios autem ad æternos cruciatus ablegaturus eſt.

2. *Quia os impium & blaſphemum ſuper me aperuerunt: locuti ſunt aduerſum me lingua mendaci.*
3. *Verbis odioſis circumderunt me: & oppugnauerunt me ſine cauſa.*
4. *Pro dilectione mea, ipſi aduerſantur mihi: & ego oratio, (hoc eſt mihi preces pro ipſis curæ erant, aut mihi pro ipſis fuit oratio.)*
5. *Et repoſuerunt mihi malum pro bono: & odium pro dilectione mea.*

Propoſitionem ſequitur accuſatio primum quidem blaſphemiæ, quod vituperent & perſequantur doctrinam Chriſti. Deinde calumniæ, quia multa alia conuitia in Chriſtum congerunt, vocantes eum Dæmoniacum Samaritanũ, δαιμονιον. Tertio iniuſtitiæ, innocentem perſequuntur. Quarto ſummę inhumanitatis, Chriſtum enim DOMINVM ſumma dilectione ipſos proſequentem, & pro ipſis orantem, oderunt. Quinto prodigioſæ ingratitudinis, quia pro bono rependunt malum, vno autem vocabulo boni ſiue beneficiorum, exprimit omnia ea, quæ magna & præclara in hunc populum DOMINVS contulit, quę in Euangelica hiſtoria copioſè exponuntur. Si quis cum ſuperioribus vellet connectere, his verbis poſſet exprimere: Digni enim ſunt, in quos, ô pater cœleſtis, ſeueriſsimè animaduera-

maduertas, nam doctrinã Euangelij ſummis blaſphemijs & mendacijs perſequuntur, in me omnis generis conuicia congerunt, & quidem in innocentem, nemo enim me arguet peccati: Non eos mouet ſummus amor quo eos proſequor, non interceſsio mea & preces, non beneficia, quorum innumera in eos contuli, dum ægrotos ſano, leproſos mundo, famelicos cibis reficio, mortuos reſuſcito, denicꝫ ſalutari doctrina à potentia diaboli aſſerere conor: Sed quanto maiora mea in ipſos ſunt merita, tanto acerbiore odio me inſectantur. Iſta Propheta Dauid, ſpiritu præuidens, in perſona Chriſti loquutus eſt. Admirandus autem huius populi ſtupor, et execranda malitia fuit. Nam non dubitant clariſsimæ luci Euangelij ſe opponere, non mouebant ipſos tot miracula, & quod magis eſt admirandum, tot ingentia beneficia. Solent aliàs homines propter commoda & vtilitates expetere ſocietatem amicitiasꝫ aliorum, tantum autem abfuit, vt hoc Chriſtus conſequeretur, vt quotidie maioribus odijs illi flagrarent. Hæc planè Satanica ſunt, qui illorum animos, permittente DOMINO, ita dementauit, vt ne beneficijs quidem placari poſſent, et omnes errores Phariſæorum, Saducæorum, facilius approbarent, quàm doctrinam Chriſti, nam ſummus ille hoſtis humani generis metuebat, ne illi audita voce Euangelij ſe ad DOMINVM conuerterent, & ſeruarentur. Hæc eſt illa excæcatio populi, de qua Eſaias loquitur capite ſexto: Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Hic eſt populus palpans in meri-

Eſa. 59.

die,

die, cui clarissima lux in tenebras conuertitur. Cum autem tantam ingratitudinem Christus à suis sit expertus, nemo miretur, si eadem fortuna doctrinam Euangelij comitetur, nam quę magistri, ea etiam discipulorum ratio est. Audimus Apostolos grauissimorum scelerum insimulatos, quòd ocium & pacem turbarent, homines ad seditiones sollicitarent, Mosi & omnis antiquitatis doctrinam reijcerent, essent denique καταράματα καὶ περικαθάρματα. Quanti contra nostros hodie clamores sint aduersariorum, nemo est qui non audiat, Romanenses ferunt incestos, adulteros, Hebræos fœneratores, parricidas & fœdissimos quosq; homines, pios autem doctores & eam doctrinam, quæ ad bene beateq; viuendum sola sufficit, summo odio persequuntur, multa crimina confingunt, denique eos, qui in confessione constantes sunt, exilio, nouisq; generibus cruciatuum è medio tollunt. Sed sufficiat pijs mẽtibus innocentia, ac ipsorum auribus semper insonet vox Christi: Beati estis cum maledixerint vobis homines mentientes propter me. Oremus autem omni animorum contentione DOMINVM, vt illuminet oculos nostros, nec sinat eos obdormire in morte, ne malus spiritus cor animumq; auferat, & ad eum stuporem rapiat, in quo Hebræos fuisse legimus. Econtra autem imploremus auxilium spiritus DOMINI, vt nostra corda vera erga Christum dilectione accendat, vt summa eius beneficia semper in conspectu habeant, eaq; in omnem æternitatem celebrent.

6. *Constitue super eum impium: & Diabolus stet à dextris eius.*

7. *Cum iudicatur, extat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.*
8. *Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.*

Accusationem superiorem sequuntur cõminationes & pœnæ grauissimæ, quæ primùm quidem de Iuda Christi proditore, deinde de omnibus eius hostibus intelligendæ sunt. Minatur autem extrema quæq; mala hostibus DOMINI, & præterea etiam eorum posteritati, nam ista demum maxima est miseria, quæ non modò vnum hominẽ affligit, sed toti posteritati quasi hæreditaria est. Verùm ea mala, quæ illi authores impietatis experiuntur, ne ipsa quidẽ vnius generis sunt. Nam quædã mala latent, ac ad animũ pertinent, quædam oculis etiam conspiciuntur. Sic hoc loco Iudam & eiusdem farinæ homines, diabolo & pessimorum hominum potestati subiicit, ac damnatos esse vult in hoc & futuro sęculo, ac preces quas ad DOMINVM fundant inutiles, pronunciat. Deinde breuitatem vitæ minatur, & honorum in quibus constituti sunt, diminutionem aut ablationem, quæ ad externa potissimùm referuntur. Nam cum dicit: Constitue super eum impium, & diabolus stet &c. Horrendas pœnas Iudæ, & iis, qui ipsius sunt similes denunciat. Cum inquit: Iudas & tota ferè Hebræorum natio, me Christum DOMINVM summo odio & crudelitate persequentes, digni sunt qui crudelibus & impijs hominibus excruciandi, imò verò ipsi Diabolo toti tradantur, vt ipsis à dextris astans, omnia quę suscipiunt vel consilia, vel facta, infortunijs turbet, & horrendos errores eis persuadeat, ac quasi neruis & vinculis constrictos teneat,

teneat, damnentur illi non modò ab hominibus, sed à Deo ipso, nam acerbissima, & seueriſsima sententia ijs debetur, qui me interceſſorem & iudicem repudiarunt. Et vt patrocinio meo iure optimo destituutur, sic etiam non valeant ipsorum preces, sed sint ijs causa maioris apud DOMINVM indignationis. Equidem vt impiorum omnia DOMINO displicent, sic precatio ipsa à peccato nihil distat, quia à fide non proficiscitur. Denicq; inutilia illa terræ pondera, & vita et sua dignitate priuentur. Et hactenus quidē Propheta. Nemo autem non intelligit, quàm certum complementum illa omnia in rebelli populo habuerint. Nam Hebræi traditi sunt excruciandi Romanis, qui eos obsidione, fame, gladio, afflixerunt. Traditi postea sunt diabolo, qui eos in palpabiles errores deduxit, vt hodie etiam in magna cæcitate versentur, & vt Paulus loquitur, velum habeant ante oculos, ac præter blasphemias in Christum nihil nouerint. Inprimis autem ista pœna conspicua est in Iuda illo miserrimo, quem Satan ad summum scelus proditionis pertraxit, proposito paruo admodum lucello triginta argenteorum. Iam verò quis non hunc populum damnatum, & à Deo & hominibus videat? qui imperio, bonis omnibus exutus, ornamentis quibus antea excellebat, destitutus, in miserrimam & corporum & animorum seruitutem pertractus est, cui omnes maledicunt, quem omnes detestantur. Quàm autem miserè fame, peste, bello, consumpti sint, & dignitatem cum imperio & sacerdotio amiserint, ex historijs tùm sacris tùm prophanis notum est. Sed eminet in his pœnis Iudas, qui propter admissum scelus, non solùm turpi genere mortis vitam

finiuit, sed nouo exemplo seueritatis diuinæ, etiam viscera effudit, & locum Apostolatus reliquit alteri, de qua re copiosè concionatur D. Petrus, in electione Apostoli Matthiæ, quam ego studiò breuitatis hic recitare nolo. At ista nobis diligenter consideranda sunt: Nam si DOMINVS naturalibus ramis non pepercit, quomodo est parsurus oleastris & peregrinis surculis. Consideremus autem quàm simus futuri miseri deploratíq; homines, si non solùm in potestatem sæuissimorum hominum, sed ipsius diaboli tradamur, si à veritate toto cœlo aberremus, si de vita, incolumitate, dignitatibus omnibus fuerimus periclitati. Horribile sanè fulmen est, de quo Paulus loquitur 2. Thes. 2. Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt in hoc vt salui fierent, propterea Deus immittet illis efficaciam illusionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non credunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam. Iam verò de vitæ breuitate impiorum, multa testimonia extant: Erit, inquit Moses, vita quasi pendens ante te, Et Psaltes: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Et rursus: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumen vultus tui. Quoniam omnes dies nostri declinant præ ira tua, consumimus annos nostros sicut fabulam. Sed illud vel inprimis horribile est, non exaudiri si preceris. Saul, quamuis oraret Samuel, pro intercessione, tamen nihil impetrat. Sic & Simon Magus nullam ab Apostolis impetrat. Et hodie Iudei multum precantur, sed cum absq; fide hoc faciant, non exaudiuntur. Quod etiam Esaias capite primo olim Hebræis minatus est: Cum (inquit) extenderis

Deut. 28.
Psal. 55.
Psal. 90.

tis ma

tis manus veſtras, auertã oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Vides preces impiorum non modò non flectere faciem DOMINI, ſed etiam ab ipſis auertere. Nam qui ad Deum accedunt, eos oportet accedere vera fide per mediatorem Chriſtum, at qui iſto aduocato deſtituuntur, & abſq; fide orant, nihil aliud conſequentur, quàm DOMINI indignationem. Econtra autem non putemus vllas piorum preces eſſe irritas, nam illæ à fide profectæ ad ſolium DOMINI, per ipſas (vt Syracides dicit) nubes penetrant. Progrediamur in Pſalmo.

9. *Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua.*
10. *Vagando vagentur filij eius, & mendicent, quærant (intellige victum) in deſertis ſuis (aut deuaſtationibus ſuis.*
11. *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: & diripiant alieni labores eius.*
12. *Non ſit illis adiutor: nec ſit qui miſericordiam præſtet pupillis eius.*
13. *Fiant poſteri eius in interitum: in generatione altera deleatur nomen eorum.*
14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu DOMINI: & peccatum matris eius non deleatur.*
15. *Sint coram DOMINO ſemper: exterminet de terra memoriam eorum.*

Chriſtus non ſolùm Hebræis, qui ſummo ſe ſcelere obſtrinxerant, pœnas decernit, ſed etiam omni ipſorum poſteritati grauiſsimas comminationes denun-

ciat, nempe orbitatem, exilium, paupertatem, direptionem bonorum, desertionem omnium, quòd nullos sint habituri defensores, nullam tutelam, nullam commiserationem, denicq; imprecatur, vt quemadmodum in successionem paternorum scelerum, sic pœnarum, veniant, minatur interitum, & quidem talem, vt etiam memoria ipsorum obliteretur. Quæ quoniam in textu satis expedita sunt, breuissima paraphrasi persequamur, contexentes superioribus. Nec is dies, qui eos ex rebus humanis eximet, à miseriis & calamitatibus liberet: sed omnis ipsorum posteritas, fatales pœnas experiatur. Liberi orbitate, vxores viduitate plectantur, accedat triste exilium filiorum, cogantur stipem quærere vndiq;, etiam in locis propè desertis. At si quid bonorum ex illo naufragio calamitatum reliquum fuerit, id vel auarorum hominum fraude auertatur, vel ab hoste diripiatur. Et cum pupilli eorum summas iniurias fuerint perpessi, nemo sit qui ipsorum causam agat, commiserationem habeat, ablata recuperet, in possessionem bonorum suorum restituat: sed tota illa hominũ natio breui tempore tota aboleatur, luatq; pœnas non modò suorum scelerũ, sed etiã maiorum suorum, (nam DOMINVS memoriam vl-
Exod.20. tionemq; peccatorũ in tertiã & quartam generationẽ extendit) nec cessent illæ calamitates, donec & ipsi & memoria ipsorũ omnis extirpetur. Et hæc quidem de sententia Prophetæ. Quis aũt est qui non videat illa in Hebræis complementum habuisse & etiamnũ hodie habere, nã non modò ipsi periclitati sunt, sed tota posteritas est exemplum calamitosissimæ seruitutis, vagantur sine certis sedibus, vilissimus operis victum quærunt,

quærunt, alij quod corraſerunt amittunt, dum vel magiſtratus eos, tanquàm ſpongias exprimunt & exugunt, vel ab alijs bonis facultatibuſq; exuuntur, deniq; is clamor, vbi ad crucem necemq; vitam DOMINI ſeruatoris expetunt, dicentes: veniat ſanguis ipſius ſuper nos & filios noſtros, hodie etiam viget, nam vltio ſacratiſsimi ſanguinis perpetua eſt, ita vt nulla gens tam miſera afflictaq; hodie ſit, quàm iſta eſt. Sed non tantùm oculos defixos habeamus in Hebræos, verùm etiam ſinguli apud animos ſuos cogitent, ſe impietate ſua non ſolùm ſeipſos, ſed filios & omnem poſteritatem læſuros. Quæ ſi meditata haberemus, nunquam ſanè nos DOMINO ſceleribus noſtris eſſemus oppoſituri, nam parentes propitij, omnia liberorum cauſa ſuſcipiunt, vt benè & feliciter viuant. Sed hic locus minatur poſteritati impiorum hominum extrema mala. Nec hic ſolus eſt locus: nam vt ſuprà verba Moſi citauimus, DOMINVS minatur impiæ poſteritati extrema, in tertiam & quartam generationem, quæ verba Num. 14. repetuntur. Et in Eſaia etiam *Eſa.55.* DOMINVS eadem ſuo populo minatur: Iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum reddam ſimul, (dixit DOMINVS) qui ſuffiuerunt ſuper montes, & ſuper colles probris affecerunt me, & remetiar opus eorum primum in ſinu eorum. Et Chriſtus ſeruator: Veniat ſuper vos omnis ſanguis *Matth.23.* iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, vſq; ad ſanguinem Zachariæ. Hæc oſtendunt liberos puniri propter delicta maiorum. Sed his aduerſari videtur locus Ezechielis 18. capite, vbi DOMINVS refutat Hebræorum temerariam accuſationem inſtitutam

inſtitutam contra ipſum DOMINVM, dicebant enim, patres commediſſe vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuiſſe, his opponit DOMINVS certiſsimam regulam iuſtitiæ ſuæ: Anima, inquit, quæ peccauerit, ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. Hæc, vt dixi, cum locis ſuprà citatis, manifeſtam ἀνθρωπίαν habere videntur. Auguſtinus Epiſtola 75. diſtinguit inter pœnas, quòd innocentes temporalibus interdum pœnis vnà cum reis puniantur, ſed nullas ſpiritales, quæ animæ incommodum afferre poſsint, imponi poſteritati. Et verum quidem eſt hoc, Nam Roboam, vt apertè ſcripturæ teſtantur, propter patrem punitur, verùm cum liberi ſunt pij, non ſunt illæ pœnæ, ſed caſtigationes. Tutius tamen eſt dicere eos potiſsimùm liberos in ſucceſsionem malorum venire, qui in delictorum etiam venerint. Nam diſertè additur in Exodo: Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem EORVM QVI ODERVNT ME. Sæpè etiam DOMINVS iuſto ſuo iudicio à poſteris aufert lumen veritatis ſuæ, vt cæcati, Dominíq; ſpiritu deſtituti, in omne genus ſcelerum ruant, & poſtea condignas peccatis ſuis pœnas accipiant. At legimus repurgante & templum & religionem Ioſia, tamen non ceſſaſſe iram DOMINI propter peccata Manaſſe Regis, quod ita intelligendum eſt, indignationem DOMINI non ceſſaſſe, quòd repurgato etiam templo, tamen Hebræi operam darent idolatriæ, nam Hieremiæ temporibus, prædicant illi ea tempora, quibus reginæ cœli rem ſacram fecerint, ex quo

Vide etiam Aug. in Quæſt. veteris & noui Teſtamenti lib. vno cap. 14.

1. Reg. 23.

quo manifeſtum eſt, eos Idolatrię poſt repurgationem Eccleſię ſtuduiſſe. Et reges qui poſt Ioſiam regnarunt, Ioachatz, Ioacin, Ioiachin, Sedechias, omnes impij & idolatræ fuerunt, deinde etiam ea, quæ de corporalibus & externis bonis, liberis pijs, ſubtrahuntur, & admonitioni iſtis ſunt, vt cautius viuant, & cooperantur, vt cæteræ afflictiones, ipſis in bonum. Hæc de pœnis fatalibus, quæ in poſteritatem deriuantur dicenda eſſe iudicaui, vt DOMINVM timeamus, & certò credamus Deum iraſci etiam poſteritati propter impios maiores. Nunquam tamen abijcere pios, qui veſtigia impiorum non ſequuntur.

16. *Pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam, ſed perſecutus eſt hominem afflictum & pauperem, & compunctum corde vt eum occideret.*
17. *Et dilexit maledictionem, & venit ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*
18. *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſa eius.*
19. *Sit ei ſicut veſtimentum quo inuoluatur, & ſicut cingulum quo ſemper accingat ſe.*
20. *Hoc ſit opus (hæc eſt merces) eorum apud DOMINVM, qui aduerſantur mihi, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam.*

Quantum ad verſionem attinet notandum eſt, vocabulum פעלה Peulath propriè ſignificare opus, à vulgato verbo פעל Poal, ſed metonymicè ſumitur pro mercede, teſtantibus Hebræis, & in his R. Dauid, ſed

ad rem ipſam accedamus. Comminationes ſuperiores poterant videri nimis ſeueræ, ideò hoc loco adduntur rationes æquitatis, & oſtenditur pœna reſpondere delicto. Primum argumentum: Hebræi digni ſunt cum quibus nulla habeatur commiſeratio, quia ipſi non meminerunt miſericordiæ, cum Chriſtus & Apoſtoli eis concionarentur, ſed Vatiniano odio eos ſunt perſecuti. Secundum argumentum: Digni ſunt qui vnà cum poſteritate patiantur perſecutionem, exulent, ſtipem mendicando petant, bona ipſorum auferantur ac funditus extirpentur, quia Chriſtum & Apoſtolos eius, Chriſtianos pauperes et afflictos oppreſſerunt, bonis omnibus exuerunt, & occiderunt crudeliſsimè. Tertium argumentum: Digni ſunt qui omnes maledictiones & pœnas experiantur, quia benedictionem à Chriſto oblatam, repudiârunt, & rependerunt mala pro bonis. His additur complexio: Ergò fatales pœnæ iuſtè eos vrgebunt & exercebunt, ſed complexio illa figuris & ſimilitudinibus illuſtrata eſt, quas facilius quis ex paraphraſi intellexerit. Horribilia ſanè ſunt iſta, ſed nihil ipſis accidit præter meritum, nam cum ſumma inhumanitate, imò verò immanitate, erga me meoſq; vſi ſint, indigni ſunt omni commiſeratione. Adhæc cum viderent me pauperem & afflictũ, & ita flagellis, alapis, & ſputo deformatũ, vt homo etiã Ethnicus eo ſpectaculo permoueretur, dicereteq; eſſe me exemplũ miſeri hominis, non tamen ipſorum adamantina pectora ad miſericordiam flexit, ſed clara voce illi teſtati ſunt, nunquam ſe conquieturos, niſi me in crucẽ egiſſent, ac crudeliter trucidaſſent, id quod factum eſt, eadem erga Apoſtolos meos ipſorum

crudelitas

crudelitas extitit. Iuſtiſsimas ergo pœnas luent, ſi hoſtis Romanus bona illorum omnia abſtulerit, ipſos cum familia in ſeruitutem traxerit, denicꝫ ſatisfactum ſibi non putet, niſi illam gentem, eiuſcꝫ omnem memoriam penitus extinxerit. Poſtremò cum oblatam à me gratiam, & tempus viſitationis ſuæ non agnouerint, digni ſunt, quos omnes maledictiones & fatales pœnæ excipiant, digni qui pro benedictione maledictionem accipiant, & eam quidem non aliter, quàm veſtem quotidianam ſecum circumferant, ea veluti integumento operiantur, & vt cingulo ſic malis vndicꝫ circumdentur, penetret ſenſus illarum calamitatum, & cæcitas qua punientur, ad intimos animi receſſus, haud ſecus quàm aqua epota, aut vnguentum ad intima quæcꝫ peruenit. Hæc demum erit pœna digna his, qui ſe mihi omnium DOMINO oppoſuerunt, & periculum vitæ meæ creare ſtudent, meoscꝫ homines perſequuntur. Prædicit iſta Pſaltes in perſona Chriſti, non aliter, ac ſi iam omnia fuiſſent geſta, ideo & paraphraſin ad hoc Prophetæ inſtitutum accommodaui, mutuatus verba ex paſsione dominica. Proponitur autem nobis rurſus prodigioſus ſtupor, cæcitas, & immanitas populi Iudaici, quem nec Chriſti beneficia, nec oblata in Euangelio gratia, ad obſequium flectere potuerunt: ſed veluti immanes belluæ, in benefactorem omni animorum, & virium contentione irruerunt. Quæ cum ab hominum & conſuetudine & natura aliena ſint, neceſſe eſt eos ab ipſo Satana abreptos fuiſſe, ita vt obliuiſcerentur ſe homines eſſe. Miramur quando hiſtorias Eccleſiaſticas de perſequutionibus primitiuę Eccleſiæ legimus, potuiſſe homines tam im-

mania aduersus homines, & eos quidem benefactores
susscipere. Nam qui tùm erant Christiani, non modò
miraculis, sed vera dilectione erant ornatissimi, et om-
ni obsequiorum & officiorum genere, non solùm a-
micis, sed hostibus etiam probabant se, DOMINI spi-
ritu ad dilectionem minimè fucatam, institutos esse,
Verùm vt diximus ista omnia non mouebant Ethni-
cos: sed quasi omnibus iniurijs affecti forent, in inno-
centissimos ferebātur, nulli ætati nec sexui parcentes,
& tot genera supplicíorum nouorum quotidie exco-
gitabant, vt in ijs cogitationibus solis, noctes diesq;
Luc. 22. elaborare viderentur. Hæc fuit, vt Christus loquitur
Hebræis, hora ipsorum & potestas tenebrarum. Nam
sæuissimus ille draco, natura homicida, non potest nō
sequi antiquas suas rationes, & in omnes nocendi oc-
casiones intentus esse. Nec hodie perturbari debe-
mus, si persequutores Ecclesiæ eodem erga nos inge-
nio sint & animo, nam eodem ludo, & sub eodem ma-
gistro edocti sunt. Oremus autem nos DOMINVM,
ne patiatur nos à spiritu illo homicida abripi ad talem
inhumanitatem. Est etiam iustissima regula diuinæ
vltionis discenda, eos qui benedictionem repudiant,
dignissimos esse qui maledictiones & pœnas experi-
Genes. 25. antur. Esau primogenituræ priuilegium negligit, &
omnem postea benedictionem etiam à patre expeti-
Num. 21. tam, amittit. Populus Iudaicus spernit manna, vilissi-
mum esse cibum dicens, postea varijs pœnis à DOMI-
NO affecti sunt. Hierosolymæ tempus suæ visitationis
non agnoscunt, & postea omnia aduersa experiuntur.
Adhæc picturam hic habemus pœnarum fatalium,
quæ impios comitantur perpetuò, imò ad intima præ-
cordia

cordia penetrant. Variæ autem ſunt maledictiones iſtæ quæ impios exercent. Cainum trepida conſcientia ſequitur, quæ efficit, vt vbicũ vagus ſit, & nullo loco poſsit conſiſtere, eamq́ tanquam veſtem vbicũ circumfert: D. Paulus vocat cauteriatam conſcientiam, quod etiam homines Ethnici aliquo modo viderunt, nam furias & Erynnes dicunt inſequi Oreſtem parricidam. Et Sophocles Oedipum parricidam, & inceſtum ſic inducit loquentem οἶμοι μαλ' ἄνθις, οἷον εἰσέδυ μ' ἄμα κέντρων τε τῶνδε οἴστρημα καὶ μνήμη κακῶν. Oculos ſibi effoderat Oedipus, ſed confirmat ſe nõ tam vngue, quo cœcitatem procurarat, quàm aculeis conſcientiæ perturbari. Certè quemadmodum viator ſpinam in pede habens, quoties veſtigium figit, affligitur: Sic etiam qui ſecum malam conſcientiam circumferunt, ita affliguntur, vt flagella illa & perpetua ſint, & ad intimos animi receſſus penetrent, quod noſter Propheta ſimilitudinibus illis egregijs depingit. Sed habet etiã DOMINVS alias maledictiones, quæ impios in tota vita perſequuntur, quarũ longum Catalogũ texit Deut. 28. Maledictus (inquit) eris in ciuitate, maledictus in agro &c. quaſi diceret, comitabuntur te pœnæ fatales quocunq́ pedem tuleris. Et Amos cap. 5. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Horribiles illæ pœnæ omnibus impijs communes ſunt, ſed præcipuè conſpiciuntur in hoſtibus Chriſti & Eccleſiæ. Hebræos maledictiones perpetuò ſequuntur vt exulent, premantur paupertate, Et inprimis ignorantia rerum ſacrarum, vt oleum ad medullas propè ipſo-

1. Tim. 4.

rum penetrauit. Quanq; enim quotidie Prophetica ſcripta euoluunt, tamen luculentiſsima teſtimonia de Chriſto non intelligunt, alia mirificè deprauant, poſt tot ſęcula Meſsiam expectantes, interim turpi & graui ſeruitute premuntur. Hoc certè eſt maledictione vt pallio indui, eamq; vt aquam intra viſcera recipere. Daniel alia phraſi extremas maledictiones & flagella Hebræis denunciauit: Et propter expanſionem (inquit) abominationum erit deſolatio, & vſq; ad conſumationem & deſtinatam exterminationem, ſtillabit ſuper (populum) qui obnoxius eſt deſolationi. Confert perpetuam huius populi miſeriam ſtillicidio aut pluuiæ, quæ caput populi illius verberet. Hæc paulò fuſius putaui proponenda, vt timorem DOMINI diſcamus, Euangelium Chriſti omni cura & attentione audiamus, denicq; aliorum malo cautiores eſſe diſcamus. Nam audimus hoc loco iram & maledictiones diuinas, poſtquam ſemel exarſerint, extingui vix poſſe, ſed moleſtiſsimas & perpetuas eſſe impiorum comites.

20. *At tu DOMINE Deus fac mecum propter nomen tuum, quia bona eſt miſericordia tua, libera me.*

21. *Quia egenus & pauper ego ſum, & cor meum vulneratum eſt intra me.*

22. *Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.*

23. *Genua mea nutant (aut impingunt) à ieiunio, & caro mea exaruit à pinguedine (hoc eſt, quia pinguedinem omnem amiſi)*

24. *Et ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me & mouerunt capita ſua.* 25. *Ad-*

25. *Adiuua me DOMINE Deus meus, ſalua me ſecundum miſericordiam tuam.*
26. *Et ſciam quòd hæc ſit manus tua, & quòd tu DOMINE feceris iſtud.*
27. *Ipſi maledicant, tu autem benedicas, qui inſurgunt in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur.*
28. *Induantur qui detrahunt mihi ignominia, & operiantur ſicut toga confuſione ſua.*

Quarta pars Pſalmi, in qua Chriſtus ſuo & Eccleſiæ nomine, liberationem à Deo patre petit, & hoſtium interitum, additis rationibus: Prima eſt, vt faciat propter gloriam ſui nominis, & vt intelligatur eſſe miſericors. Secunda, quia Chriſtus eſt afflictiſsimus, quod in partes deducit, enumeratis miſeriis: Pauper eſt, perturbatus, exul, afflicta valetudine, viribus exhauſtis, contemptus, ſpretus. Tertia, vt gloria DOMINI celebretur, dum luculentum auxilium DOMINI conſpicitur. Deinde ita iuuandus eſt, vt interim hoſtes Chriſti confundantur, quod & ipſum ſimilitudine veſtis, ſuprà poſita illuſtrauit. Ego (inquit) ô Pater cœleſtis, vt initio, ſic rurſus mei meorumq; nomine ad te confugio, opem, auxilium, liberationemq; petens, Etenim hoc ſeruiet illuſtrandæ gloriæ tuæ, ac conſpicietur inprimis tua miſericordia, quę ſuperat omnia opera tua, quando tui filij miſertus fueris, & eorum qui fiducia mei ad te confugiunt. Ego ſanè in iis ſum miſeriis conſtitutus, vt præſenti auxilio tuo vel inprimis indigeam: tam ſum miſer & pauper, vt quo reclinem caput, non habeam: animus iram tuam aduerſus peccata hominum intuens, & totam illam indignationis molem ſuſtinens

ſuſtinens, ad mortem vſq; perturbatur, & ita interdum afficitur, vt abs te etiam deſertus videatur. Exilium mihi perpetuum eſt: etſi enim ad meos homines ueni, tamen ab ipſis non ſolùm non honorificè acceptus ſum, ſed vt ſceleratiſsimus eiſcior, & vſu vrbium prohibeor, lapidibus petor, ad præcipitia ducor, denicq; veluti vmbra ſubinde fugiens, aut ceu locuſtæ magna vi hominum agminatim concurrentium propulſæ, nullo loco conſiſtere poſſum: Corpus inedia, cruciatibus, miſeriiſq; omnino exhauſtum eſt, vt nihil *Eſa. 53.* ſit virium, nihil pinguedinis, nulla denique, vt Eſaias meus prædixit, forma, nullus decor, ſed omnia doloribus plena. His omnibus accedunt conuicia, opprobria, ſanni & riſus, quibus me inter ipſos cruciatus afficiunt, idq; non ſolùm verbis, ſed geſtu commotioneq; capitis. Ex his ergo ſummis animi corporiſq; doloribus, clementiſsime pater, pro tua miſericordia & paterna in me voluntate, me libera. Effice quæſo, vt tuum auxilium præſentiaq; ab omnibus luculenter conſpiciatur, & ij qui omnino cæcati non ſunt, intelligant, quamuis tota ferè Hebræorum gens in meam pernitiem conſpirarit, meq; odio conuitiiſq; proſequatur, te tamen mihi adeſſe fauore, benedictione, & ope tua. Denicq; vt ego ex illo auxilio liberationeq; tua, voluptatem capiam, hoſtes verò mei contriſtentur, confundantur, ignominia toti quaſi veſte prolixiore, inuoluantur.

De Eſaia ſcripſit D. Hieronymus, eum non tam Prophetam quàm Euangeliſtam eſſe, quia vniuerſa Chriſti Eccleſiæq; myſteria adeo diſertè proſecutus ſit, vt non de futuris vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere

am texere videatur. Id sanè verissimè de tanto Prophetæ dictum est, sed in descriptione passionis dominicæ, noster certè Propheta illo inferior non est. Nam in 22. Psalmo non solùm genus mortis, sed gemitus etiam saluatoris pendentis in cruce, Hebræorum blasphemas voces, vestiũ partitionem, perinde describit, ac si Euangelista esset. In 69 prętер prolixam commemorationẽ miseriarũ, in quibus sit Christus, etiã fellis aceticq; propinati sit mentio. In hoc verò quem tractamus Psalmo, summos dolores coporis & animi, quos Christus perpessus est, grauissimis verbis exaggerat, præterea etiam depingit gestum Hebræorũ, contemptus gratia, caput mouentium, quæ sanè omnia certissimum complementum habuerunt, & describuntur à Matthæo his verbis: Prætereuntes autem, blasphemauerunt eum, mouentes capita sua et dicentes: Vah qui destruis templum, & in triduo ędificabas &c. Hęc illustria exempla prædictionum Propheticarum, quibus per omnia respondit euentus, magna & fortissima sunt fundamenta nostræ fidei, Iesum filium Mariæ verè Messiam esse, quamuis coram hoc mundo visus sit contemptissimus, eosq; cruciatus, quos acerbissimos in cruce pertulit, diuina præuisione voluntatecq; fuisse decretos. Ideo subinde Christus ad Prophetarum vaticinia suos discipulos reuocat: De me, inquit, ille scripsit, intelligit autem Mosen. Et Luce vltimo: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die &c.

Psal.22.

Matth.27.

Ioan.5.

Sed ex hoc Psalmo alia quoq; confirmandæ fidei nostræ præsidia peti possunt, nam quod Christus orat, vt DOMINI manus & auxilium luculenter cernatur,

& cum Hebręi maledicant, ipſum debere benedicere, id euentus ita comprobauit, vt ſolidam conſolationem inde haurire liceat. Nam ſi totam paſsionis dominicæ hoſtoriam percurras, vides quanto ſtudio Hebręi hoc agant, vt Chriſtū confundant, è medio tollant. Et ſanè tam miſera abiectaq; viſa fuit ipſius ratio, vt diſcipuli de eius ſalute omnino deſperarent, ſed in ipſa etiam paſsione diuinæ maieſtatis indicia quàm plurima conſpiciuntur. Quantis copijs Iudas comitatus aduenit, ſed mox cum tota cohorte, audito duntaxat vno verbulo, proſternitur. Chriſtus in crucem agitur, conuicia & blaſphemiæ in eum conijciuntur, ſed interim apparet DOMINI manus, & potentia, nam vnus ex latronibus laudes innocentiæ & maieſtatis eius prædicat. Chriſtus moritur, ſed morienti, ſol, aër, terra, defunctorum ſepulchra, velum templi, centurio ad crucem aſtans, alijſq; multi teſtimonia perhibent. Sepelitur, & ſepulchrum ſigillis & cuſtodibus ita munitur, vt Iudæi credant ſe iam paratiſsimas habere occaſiones confundendi Chriſtum: ſed potentia eius maieſtasq; tantò fit clarior, reſurrectio certior, hoſtium, & aduerſariorum turpitudo & ignominia maior. Eadem Eccleſiæ Chriſti ratio ſemper fuit, nam quantò maiore odio, inimicitijs, perſecutionibusq; premitur: tantò ſemper magis emerſit, ita vt Eccleſia Chriſti martyrum ſanguine rigata dicatur. Iam verò non modò certiores nos de veritate promiſsionum & euentus hic Pſalmus facit, ſed inprimis enumeratio illa miſeriarum calamitatumq;, quibus Chriſtus fuit exercitus, nobis ſuppeditat eam conſolationem, quam Epiſtola ad Hebræos ſecundo & quarto capitibus habet:

bet: Debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, vt miſericors eſſet, & fidelis pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quòd ipſi contigit tentatum eſſe, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere. Et capite quarto: Non habemus pontificem, qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum per omnia iuxta ſimilitudinem abſq; peccato. In omnibus ergo miſeriis calamitatibusq;, Chriſtum nobis adeſſe, imò verò ſua paſſione omnes afflictiones & calamitates ita mitigaſſe, ſtatuamus, vt non ſolùm nihil incommodi afferre poſſint, ſed ſint etiam ad magna noſtra emolumenta, quaſi medicinæ quædam & materia ad gloriam & confirmationem fidei comparandam. Progrediamur ad Pſalmi concluſionem. *Rom. 5.*

29. *Confitebor DOMINO valde in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.*

30. *Vt ſaluam faceret à iudicantibus animam meam.*

VItima pars Pſalmi, in qua Chriſtus pro ſe & pro vniuerſa Eccleſia gratiarum actionem promittit, & quidem in frequentia hominum, propterea quòd DOMINVS aſtiterit ei à dextris, opemq; tulerit contra iniquos iudices & perſequutores: Ego, inquit, ſummo ſtudio gratias agam tibi ô Pater cœleſtis, & quidem non ſolum Hieroſolymis, ſed in toto terrarum orbe celebrabo nomen tuum per Euangelium meum, quòd mihi adfueris, innocentiam meam contra iniquiſsima Hebræorum præiudicia & criminationes patefeceris, ac velis etiam vſq; ad finem huius mundi conſeruare

Ecclesiam,& pater esse eorum,quos sanguine meo redemi. Tibi ô Pater sit laus & gloria in sæcula Amen.

VSVS HVIVS PSALMI.

Superstitio veterum persuasit hominibus, recitationem verborum huius Psalmi exitialem esse hosti aut inimico, contra quem pronunciatus sit, sed hic non vsus, sed potius abusus huius Psalmi iudicandus est, initio enim vim talem magicam recitationi verborum tribuere,superstitiosum,& impiũ est. Deinde, quemadmodum DOMINVS noluit suos discipulos alijs imprecari mala,sed potius hortatus est, vt sibi à vindicta temperarent, nescire enim eos cuius sint spiritus, & ideo exemplo Eliæ Prophetę vti non debere: Sic non est temerè imitanda imprecatio illa,nam si ea cum animi acerbitate susciperetur,non precatio,sed execrabile et abominabile aduersus proximũ et Deum peccatũ esset. Etenim aliæ imprecationes quæ ab irato & perturbato animo proficiscuntur, pugnant cum quinto præcepto. Sed si accedat etiam prætextus nominis diuini, & sacrosancti verbi abusus, geminum peccatum esse incipit. Ita tamen hostibus Ecclesiæ mala optare licebit, si non ipsos, sed illorum intemperiem & impietatem damnauerimus, orauerimusq; DOMINVM, vt illorum conatus reprimat & irritos faciat. Omnem autem vindictam filio Dei committamus, nam istæ minæ & imprecationes contra hostes Ecclesiæ susceptæ,non sunt friuolæ aut fulgura (vt dici solet) ex pelui, sed fulmina quæ omnes Christi hostes hactenus euerterunt. Etenim vt benedictio DOMINI

ad hunc

ad hunc vſq; diem arbores reddit fructiferas: ita maledictio ſemel à filio Dei pronunciata, hoſtibus Eccleſiæ vt veſtis inhæret, & ad intima penetrat. Cogitemus ergo ſemper de DOMINI mandato quod in Deuteronomio extat: Mea eſt vltio & ego retribuam. Et de Chriſti triumphali verbo: Bono animo ſitis, ego vici mundū. Et Pſalmo proximo audituri ſumus, hoſtes Chriſti & Eccleſiæ poſitos eſſe ſcabellum pedū ipſius, ergo proſtratis hoſtibus, omnem vindictam & vltionem DOMINO committamus, certò ſcientes, quando illi maledicunt, DOMINVM benedicturum, vt in Pſalmo habemus. Porro quas conſolationes trepidæ conſcientiæ ad confirmandam fidem & recreandos animos ex hoc textu petere debeant ſuprà dictum eſt

Deut.32. *Rom.12.* *Ioan.16.*

Psalmus 110.

Dixit DOMINVS DOMINO meo &c.

PSalmus Centesimus decimus ex eorum numero est, qui in arce ponendi sunt: nam lucuienta testimonia habet de Christi persona, officio, sacerdotio, regno, passione deniq; & resurrectione, adhæc de Ecclesia eius. In quibus capitibus cum nostræ religionis & salutis cardo vertetur, omni studio & discendus & amplectendus est. Ad ea verò, quæ in hoc Psalmo præclara sunt, accedit etiam Christi dulcissimi Seruatoris nostri, & D. Pauli interprætatio, ita vt intelligentiam eius certã & indubitatam habeamus. Nam Christus cum Pharisæis de Messia disputaturus, locum huius Psalmi producit, & eos ita conuincit, vt ne hiscere quidem amplius auderent: Quid, inquit, vobis videtur de Christo, cuius filius est? Respondẽtes Pharisęi, Dauidis. Quibus Christus obijcit: quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum DOMINVM, dicens: Dixit DOMINVS DOMINO meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Quis non videt ipsam sapientiam patris, primum huius Psalmi versiculum de diuina et humana natura sic interprætatam, vt nemo omnium contradicere possit. D. autem Paulus Corinthijs scribens, verba ista Dauidis aperte de Christo

1. Corinth. 15.

Christo intelligit: Oportet, inquit, eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Adhæc idem Apostolus in Epistolam ad Hebræos, cum vult ostendere Messiam superiorem esse Angelis, inter reliqua testimonia Dauidica, citat etiam eundem versiculum Psalmi huius: Ad quem autem angelorũ dixit vnquam, sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quæ verba mox cap. 10. iterantur. Capite autem quinto disputans de eius sacerdotio, alium versiculum adducit: Sicut (inquit) & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec: & eundem repetit cap. septimo. Vt ergo de authoritate huius Psalmi, sic nec de eius interpretatione, quisquam dubitare potest, Hebræi quoq; qui alias nil nisi carnem sapiunt, & luculentissima scripturæ loca deprauant, tamen hunc Psalmum de Messia intelligunt. Hic est Psalmi scopus. Nunc ad interprætationem eius accedamus, quæ vt via & ratione suscipiatur, de ordine & capitibus eius primò dicendum est. Propheta autem initio ea describit, quæ ad maiestatem personæ Messiæ & prosapiam pertinent. Deinde de officio etiam vaticinatur, vocans eum Sacerdotem & Regem. Regiam autem maiestatem describit à felicitate regni, & subditorum commoditate & obedientia. Tertiò de rebus gestis & victorijs verba facit. Postremò de passione & resurrectione. Hæc paucissimis quidem verbis, sed ita significantibus proponuntur, vt nihil dici beuius, nihil aptius potuerit. *Heb. 1.*

1. *Dixit*

1. *Dixit DOMINVS DOMINO meo, ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Principiò perſonam & maieſtatem deſcribit, vbi initiò emphaſis pronominis MEVS obſeruanda eſt. Nam cum SVVM dicit, proſapiam regiam & familiam Chriſti intelligit: Nam Meſsias promiſſus eſt ex ſemine Dauidis. Itaq; verus homo eſt ex familia Dauidica. Deinde amplitudinem & maieſtatem eius oſtendit, cum eum vocat DOMINVM ſuum. Nam cum Dauid pater ſit & Rex, Meſsias autem DOMINVS, facilè æſtimari poteſt, quanta eius ſit præſtantia. Adhæc à cauſa efficiente æſtimandam proponit, nam DOMINVS Deus ipſe tribuit ei gloriam & maieſtatem illam, de qua Pſalmus loquitur. Ergo non ſunt humanæ aut confictæ laudes. Præterea facit æqualem Deo, quia pater collocat eum ad dextram ſuam, luculentis verbis docens, Meſsiam non ſolùm hominem, ſed Deum etiam eſſe. Poſtremò ſubijcit illi omnem principatum, & inprimis hoſtes. Verba autem, quibus Dauid vſus eſt, figurata ſunt, nam Deum Patrem inducit quaſi coronantem & renunciantem Meſsiam regem. Poſtea thronum Regium etiam deſcribit, nempè dextram Dei, ſcabellum autem pedum ipſius facit inimicos, qui coram ipſo proſtrati iacent, vt olim per faſtum quidam reges, cum in equũ conſcenderent, loco ſcabelli vſi ſunt regibus deuictis, quorum terga pedibus premebant. Hæ ſunt vel Proſopopœiæ vel Hypotypoſes, quibus maieſtas Chriſti depingitur. Habent autem verba iſta hanc ſententiam.

am. Iucundiſsimum ego Dauid & pulcherrimum in ſpiritu colloquium Dei patris cum Meſsia audiui, quod vt ad omnem poſteritatem perueniat, Pſalmo ſiue carmine complecti libuit. Etenim Deus pater cum Meſsia, qui ex ſemine meo naſcetur verus homo, ſed ſecundum maieſtatem ſuam me multò maior, imò verò DOMINVS meus eſt, admodum amanter loquutus eſt, dicens: Sede mi fili ad dextram maieſtatis meę, parem mecum habiturus potentiam in cœlo & in terra: Tibi dabo nomen quod ſuper omne nomen eſt, vt in nomine tuo flectatur omne genu, cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum: Te in thronum ſublimem illum dextræ meæ collocabo ſupra omnẽ principatum, poteſtatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, verùmetiam in futuro tibi ſubijcietur: Tibi omne iudicium dedi, vt omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Nec ſolùm regiæ tuæ maieſtatis thronus ſublimis erit, ſed ſcabellum etiam pedum tuorum admiratione dignum erit. Nam pedibus tuis omnes hoſtes tuos ſubijciam. Herodem qui te primùm ad ſupplicia querebat, Annam, Caipham, Pilatum, Neronem, Caligulam, & cœteros, qui tibi tuiſq; aduerſabantur, & incolumitatis periculum creabant. Proſternam etiam magnos illos hoſtes, peccatum, infernum, ſathanam, vt ipſis inſultare poſsis, & dicere, vbi eſt, ô mors, aculeus tuus, vbi tua inferne victoria. Iam princeps huius mundi deuictus eſt, Et poſtremum omnium hoſtem mortem abolebo, quando venturus es iudex viuorum & mortuorum. Quanquam autem hoc loco filio non tribuit nomen tetra-

Matth. vlt. *Philip. 2.* *Epheſ. 1.* *Ioan. 5.* *1. Corinth. 5.*

grammaton יהוה sed DOMINI, tamen certo argumento ex eo ipso colligitur, hunc esse natura Deum. Nam si duntaxat homo esset, nunquam Dauid eum DOMINVM vocasset: Absurdum enim est, si pater filium DOMINVM vocet, qua de re, vt suprà diximus, Christus ipse concionatus est, & Pharisæos ad eas angustias adegit, vt interrogare eum amplius non auderent. Sed quæ adduntur de sessione huius DOMINI ad dextram Dei, clariora testimonia sunt ipsius diuinitatis. Nam cum dextra Dei ipsius sit omnipotentia, necesse est eum, qui sedet ad dextram Dei, & omnipotentem & verè Deum esse: euehitur enim supra omnes angelos. Hoc autor Epistolæ ad Hebræos primo vult cum dicit: Ad quem Angelorum dixit vnquam, Sede à dextris meis, certè hanc suam gloriam nec angelis, nec alijs creaturis communicat, quemadmodum ne illam quidem quæ extat Psalmo secundo: Filius meus es tu, hodie genui te, quo docet, Messiam natura Deum esse, quia filius est. Huc accedit quod adoran-
Psal. 96. dum etiam voluit: Adorent eum omnes angeli Dei. Adoratio autem soli Deo debetur, nam ne angeli quidem se adorari patiuntur. Sed inter reliqua Epitheta quæ filio Dei tribuuntur, collocatio ad dextram Dei, societatem potentiæ & honoris significat, imò verò æqualitatem: nam qui sedet ad dextram, non superior nec inferior est. Arius quidem Christum collocabat super omnes reliquas creaturas, sed æqualitatem patris & filij negabat. Sedere ad dextram Dei, vt æqualitatem, sic etiam diuinam maiestatem significat. Præterea autem hoc loco tenendum est, id quod λόγῳ natura habet, vt semper sedeat ad dextram, imo verò sit

ipsa

ipſa dextra patris, id filium hominis poſsidere per gratiam: diuina enim natura, quæ humanam aſſumpſit in vnitatem perſonæ, euexit etiam eam ad dextram Dei. Hoc Paulus vult, dicens: Cum ſuſcitaret eum ex mortuis, & ſedere fecit ad dextram ſuam in cœleſtibus. *Epheſ. 5.* Nam eum qui ſuſcitatus eſt à mortuis, collocat ad dextram Dei, quod certè de natura humana intelligendum eſt. Idem ex Marco colligimus cum dicit: Itaq; DOMINVS poſtquam locutus fuiſſet eis, receptus eſt in cœlum, & conſedit à dextris Dei. Euangeliſta dicit eum, qui receptus ſit in cœlum, conſediſſe à dextris Dei. Sic Stephanus vidit Chriſtum à dextris *Act. 7.* Dei. Et Pet. 1. Pet. 3. inquit: Per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt ad dextram Dei, profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis, poteſtatibus & virtutibus. Ex his teſtimonijs manifeſtum eſt, Chriſti humanam naturam euectam eſſe & collocatam ad dextram Dei, & proinde etiam eſſe omnipotentem, quod Chriſtus his verbis expreſsit: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Nam habere omnem poteſtatẽ, æquipollet ei cũ dicimus: aliquẽ omnipotentẽ eſſe. Et quòd illa attributa ſint humanæ naturę manifeſtum eſt, quia poteſtas data dicitur: Λόγῳ autem nunc̃ data eſt, ſed ſemper eam habuit. Nec hoc loco moueamur clamoribus eorum qui dicunt, dum ad eum modum docemus, nos phyſicam transfuſionem proprietatum facere, & confundere naturas: nam quòd filius Dei aſſumpſit humanam naturam in vnitatem perſonę, illud non phyſica & vſitata ratione contingit, ſed ὑπὲρ τὴν φυσιν. Deinde quòd ipſe filius habet θεία, id per gratiam aſſumptæ carni communicat, manente ſalua

vtraq; natura. Nunquam enim committendum est, vt in eam opinionem veniamus, λογὸν duntaxat per quandam παράσασιν siue assistentiam homini adesse: sed vt in homine anima vitam, motum & alias ἐνέργειας corpori communicat, vnde & corpus animatum dicitur, nec tamen ex corpore anima, nec ex anima corpus fit: ita λόγος conferens humanæ naturæ suam maiestatem & potentiam, non abolet eam, sed ornat, non tollit, sed euehit & extollit. Hæc diligenter tenenda sunt, vt solidam consolationem petere ex hoc Psalmo & alijs locis scripturæ, qui loquuntur de dextra Dei, possimus. Etsi enim magnum lumen intelligentiæ est, nosse, λόγον sedere ad dextram Dei, & esse æqualem patri, tamẽ illud longè iucundius est, scire fratrem nostrum (sic enim Psalm. 22. seipsum vocat) consedisse à dextris Dei, & carnem humanam ad eam maiestatem venisse, vt omnia gubernet, administret, regat, conseruet, per eam potentiam quę tributa ipsi est à λόγῳ. Quæ cogitatio in omni animorum perturbatione nos subleuare potest. Nam cum sciamus eum hominem, qui pro nostra salute acerbissimos cruciatus pertulit, tanta gloria & maiestate ornatum, vbiq; præsentem esse, de eius etiam ope & auxilio nunquam dubitabimus. Pia etiam hæc sententia conseruat thesaurum, quẽ in cœna DOMINI nobis Christus offert: nam qui intelligit humanã naturam in Christo sedere ad dextram Dei, & eandem dextrã esse in cœna, nunquã de præsentia viuificæ carnis & sacrosancti sanguinis dubitabit. De his autẽ alijs locis copiosius dicitur. Sed ad veram consolationem non parum etiam facit, si intueamur scabellum pedum quod hîc depingit. Sedet

det enim Christus, & prostratos sub pedibus habet omnes hostes suos et Ecclesiæ, Diabolum, mortem, infernum, peccatum, tyrannos & persequtores sęuissimos. Cum autem victoriæ Christi nostræ sint, non dubitemus, ita triumphare Christum, vt ad victoriam nihil nobis desit, hostis enim non modò fusus fugatusq; est, sed prostratus, conculcatus, & humilis iacet ad pedes Christi, cuius patrocinio cum nos nitamur, quis est qui periculum nobis creare possit? At obiecerit fortassis aliquis ea vsu experientiaq; non comprobari, nam Diabolus certè vt leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, sæuiunt Ecclesiæ hostes & persequtores, rapientes miseros ad supplicia & cruciatus, non aliter ac si essent oues mactationi destinatæ, mors autem pariter in omnes grassatur: moritur (inquit) sapiens, doctus similiter & indoctus. Quomodo ergo potentissimi illi hostes deuicti dicuntur, cum tanta licentia suam tyrannidem exerceant? Tenendum est scripturam non dicere hostes omninò sublatos, sed deuictos, ita vt nocere non possint, fremit quidem mundus, et reges consilia ineunt contra Christum DOMINVM, diabolus in omnes occasiones nocendi intentus est, minatur mors, sed nullum incommodum afferre possunt sanctis, protegente ipsos filio Dei, imò ea quæ acerba euenire videntur pijs, simul adiumento sunt illis in bonum, ita vt de afflictionibus glorientur, scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò probationem, probatio autem spem quæ non confundit: mors autem transitus est illis ex valle hac lachrymarum in æternam patriam. Tantum ergo abest, vt aliquid incommodi afferre illis hostes

Rom.8.

Rom.5.

posſint, vt etiam cogantur ſummis ipſorum vtilitatibus inſeruire. Sed tandem DOMINVS aduentu ſuo omnes hoſtes & mortem etiam aboliturus eſt, vt Paulus teſtatur in 1. Corinth. 15. cap. Tùm DOMINVS omnes lachrimas ab oculis ſuorum abſterſurus eſt, & ornaturus ſuos æterna gloria.

2. *Sceptrum fortitudinis tuæ emittet DOMINVS ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*

Vocabulum מטה Matteh propriè ferulam ſignificat, ſed vox dominij quæ ſequitur, oſtendit Prophetam loqui de ſceptro regio, ideo non virgam, ſed ſceptrum reddidi. Et quia ſequitur vocabulũ fortitudinis, videmus πδιφραστμ eſſe regni potentis: ſceptrũ .n. metonymicè pro regno ſumitur. Sceptrũ ergo fortitudinis, Hebræa phraſi, potens regnum ſignificat. Hæc de grammatica, ſed quod ad rerũ ſeriem attinet, tenendũ eſt eũ iam de Maieſtate & amplitudine regni Meſsiæ in hoc orbe terrarũ vaticinari, vt doceat Meſsiam eſſe regem. Primum regnũ Meſsię erit potentiſsimũ, hoc vult, dum vocat ſceptrum fortitudinis. Deinde regnũ ipſius tam erit amplum, vt à Sion, hoc eſt, Hieroſolymis incipiat, & extendatur vſq; ad fines orbis terrarum. Poſtremò tam felix, vt in medio hoſtium dominetur. Quæ ſi familiari loquendi modo reddiderimus, hæc erit eorum ſententia. Thronus quidem maieſtatis tuæ in cœlis ad dextrã eſt patris, ſed in terra quoq; potenter dominaberis, ac initia ſanè regni tui erunt in Sion ſiue Hieroſolymis. Nam ibi Apoſtoli virtute Spiritus ſancti ornabuntur, ſed poſtea emittentur in totum terrarum orbem, vt virtute verbi & Euangelij pomeria regni tui dilatent. Singularis autem huius tui regni felicitas erit, nam alia imperia tùm florent, quan-

quando cum propinquis populis & regibus societatem inierint, & fœdera fecerint, sed tu in medio hostium dominaberis, & quanto maiore conatu hostes te adorientur, tanto firmius erit regnum & imperium tuum, ita vt sanguine etiam martyrum & interfectorum Ecclesia & regnum tuum rigetur &c.

Luculentū hoc loco testimoniū habemus de Christi Ecclesia, quam in hoc secundo versu vocat sceptrū, hoc est, regnū. Nā familiare est Prophetis de Ecclesia Christi loqui, vt de externo imperio Psal. 77. Dominabitur à mari vsq; ad mare. Zacha. 9. res gestæ in hoc regno describuntur, & Propheta ad militarē modum, eumq; qui in imperijs cernitur, loquutus est. Et Psal. 24. Christum vocat Regem gloriæ. Sed notandum est hoc regnum non esse mundanum. Christus enim dicit, regnum meum non est de hoc mundo, nō armis, non vi, & virtute militū defenditur, imò coram hoc mundo contemptissimum est, quia sub cruce militat exemplo DOMINI & magistri sui. Quanq; autem non est de mundo, tamen in hoc mundo inuenitur, ac Ecclesia noui Testamenti incepit Hierosolymis, & inde propagata est in omnes terras: Ex Sion, inquit Esaias, exibit lex, & verbū DOMINI de Ierusalē. Christus præcipit Apostolis: Ite in orbem vniuersum &c. Sed, inquis, qua in re dominatio illa posita est, si non est externū dominium? Constat verbo DOMINI siue Euangelio, cui homines parere coguntur, hoc destruūtur falsæ doctrinę & idolomanię, hoc supercilium omniū hominum, qui suis meritis fidunt, deijcitur. Historiæ docent breui admodum tempore magnam partem orbis paruisse Euangelio. Hoc autem sceptrum Psaltes Psal. 45. vocat sceptrum rectitudinis siue Rectum, non so-

non ſolum quòd iuſta ſit adminiſtratio, ſed quòd in hoc regno omnia ſint expedita. Nam in alijs regnis, quæ humana ſapientia conſtituuntur, multa tolerãda ſunt, & nulla lex vnq̃ tam perfecta eſt tradita, cui mores hominum reſponderent, imò ne lex quidem Moſi: Sed in regno Chriſti, vbi gratis abſq; operibus remittitur peccatum, omnes illius gratiæ poſſunt fieri participes, nulla conditio moleſta aut dura, ſicut in lege exigitur, ſed omnia plana, & expedita, & iugum ſuaue eſt, Ideo etiam regnum forte & potens dicitur à Dauide, quia Euangelium eſt doctrina potentiſsima, in obſequium ſui, non modò inuitans, ſed trahens etiam homines. Sed hic verſus etiam docet, quis Eccleſiæ & verbo Euangelij tantam vim tribuat, videlicet ipſe DOMINVS: DOMINVS (inquit) emittet ſceptrum regni tui. Nulla enim humana ſapientia vel potentia tanta eſt, quæ hęc præſtare poſsit. Nam poſſunt quidem armis homines adigi ad aliquod obſequium, ſed interim animi, hoſtiles inimicitias gerunt, & oderunt quem metuunt. At verò in hoc regno animi etiam conciliantur, vt velint parere Euangelio, imò ſolam in eo voluptatem poſitam habeant. Animis autem dominari, ſolius eſt Dei potentiæ, in cuius manu omnium hominum corda ſunt. Ideo D. Paulus, Euangelium vocat potentiam Dei ad ſalutem omni credenti. Vſus quidem eſt DOMINVS Apoſtolorum miniſterio, ſed interim ipſe cooperabatur, vt in Marco ſcriptum eſt: Illi (inquit) egreſsi, prædicauerunt vbiq; DOMINO cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequẽtia. Et Paulus oſtenſurus DOMINVM in ſolidum eſſe conſtituendum authorem eius agricolationis

Marci vltimo.

lationis, quæ eſt in Eccleſia, dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus dedit incrementũ. Hoc volunt Prophetæ cùm dicunt: Meſsiam victorem eſſe, confringere arcus, ſubijcere ſibi populos. Iam verò hoc peculiare eſt Eccleſiæ Chriſti, inter hoſtiles manus emergere, & tanquam palmam aſſurgere contra pondus. Quis animo potuiſſet concipere, D. D. Apoſtolos vnum duntaxat annum ſuperuicturos, cum potentiſsimi in Repub. Hebræorum vnà cum Herode tyranno, aduerſus Chriſti, & nomen, & Eccleſiam coniuraſſent? Quis credidiſſet inter tot perſequutiones Romanorum Imperatorum crudeliſsimas, doctrinam Chriſti vnquam florituram eſſe? Quæ res, in his temporum difficultatibus, nobis ſolatio eſſe debet, & animos noſtros confirmare de eo, doctrinam noſtram veram eſſe, quia tantis conatibus à potentiſsimis hominibus oppugnatur: certò etiam ſtatuamus eam, in turba hoſtium & aduerſariorum, tandem reportaturam eſſe victoriam, hoc enim Eccleſiæ Chriſti, vt hoc loco audimus, ſolenne eſt. Et hæc de Chriſti regno: de victorijs, poſtea plura ſubijcientur. Iam hic rex laudatur à ſubditorum εὐκοσμίᾳ & decentia: nam regna florere non poſſunt, niſi ſubditi pareant ſuis magiſtratibus, eoſq; reuerentia digna proſequantur, &c.

3. *Populus tuus ſpontaneus in die victoriæ tuæ in ornatu ſancto.*

Commendatio ſubditorum eſt ab obſequijs & ornatu ſuo, quo obuiam procedunt ſuo regi in die victoriæ, hoc eſt, cum triumphum agit, magnus ille rex

gloriæ. Hæc ita reddidimus latina phrasi. Vt autẽ in tuo regno omnia præclara sunt: sic subditi tui, ad omnia obsequia præstanda, paratissimi sunt: non carceres, non metus pœnarum, non minæ Imperatoriæ: sed voluntas eos ad omnes pietatis & officij rationes inuitat: illi ouantes et exultantes, tibi victori et triumphatori obuiam eunt, in ornatu sancto, qui non est in puerili ostentatione auri argentiq; & gemmarum positus, sed in vera fide, qua se totos tibi resignant, & ijs donis fruuntur, quæ à tuo spiritu proficiscuntur. Dissidet hoc loco vetus translatio à fontibus Hebræorum. Sic enim illa habet: tecum principium in die virtutis &c. non autem est scriptum עמך Imæcho, tecum, sed עמך Amecho, populus tuus. Nec principij fit mentio, quia Psaltes vsus est vocabulo נדבות quod spontaneos significat, non principium: interim tamen נדיב à liberalitate principẽ significat. Nisi autem LXX. sic vertissent, crederem mendum esse in vocabulo principis & principij. Hæc paucis volui monere, vt intelligamus intempestiuas interpretationes, quæ hoc loco de principio afferuntur, fugiendas. Nam per principium, patrem intelligunt. In principio autem, hoc est, patre filium esse, quæ quam non conueniant cum textu palam est. Lyra putat sic vertendum esse: populi, siue principes, hoc est, tui & Apostoli & discipuli in spiritualibus constituti sunt principes super omnem terram. Sequamur nos veritatem textus Hebraici, sic enim minus aberrabimus. Propheta enim vult rationem dominij Christi explicare, quod non coactione aut minis constat, sed animorum conuersione, & ea quidem vt non modò velint obedire, sed etiam toto proposito hoc agant, vt se approbent DOMINO,

נדב significat sponte aliquid offerre & donare.

MINO, qua in re quantum exiſtere ſoleat piorum deſideriũ, in Pſalmo centeſimo decimo nono clarè conſpicimus. Quoties enim DOMINVM orat, vt cor vera fide imbuat, & ad obſequium Deo placens flectat? Vtinam, inquit, dirigantur viæ meæ ad cuſtodienda ſtatuta tua. Et rurſus: In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut ſuper omnes diuitias. Et iterum: Legem pone mihi DOMINE, viam ſtatutorum tuorum vt cuſtodiam ea ſemper. Arſit Prophetæ cor eo ſpiritu, quem poſtea die Pentecoſtes acceperunt Chriſti diſcipuli, qui eos non ſolùm ad docendi laborem in Eccleſia, ſed ad omnes labores, ad præſentiſſima pericula coniuncta cum vitæ diſcrimine, imò verò acerbiſſimos cruciatus pertrahebat. Vnus Paulus hoc loco vice commentarij eſſe poſſet, qui terra, marique apud ſuos & peregrinos, mille pericula adijt, vt Euangelium Chriſti ad multos propagare poſſet, ac cum intelligeret ſe immolandum (ſic enim ipſi loqui eſt viſum) quàm patienter, quàm conſtanter mortem, & eam quidem violentam & hominum opinione turpem, expectat? Hoc efficit DOMINI ſpiritus, quo omnes pij ducuntur, imò trahuntur, ſed volentes: ad quod ſtudium pro viribus eniti debemus, implorato auxilio diuino, vt in vita & morte ſponte nos DOMINO offeramus hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo, rationalem cultum &c. *Pſal. 119.* *Rom. 12.*

Præterea de ornatu quoque ſancto quem Pſaltes commendat, cogitandum nobis eſt. Per ornatum ſacrum intelliguntur veſtes ſacerdotales, quę Exod. 28. ſanctæ vocantur. Chriſtus etiam Matth. 22. veſtem nuptialem vocat. Dauid Pſalmo 45. Regis filiam di-

cit esse ornatam, & auro & vestibus acu pictis. Per filiam autem Regiam intelligit Ecclesiam, Paulus παρθενίαν vocat. Vestis autem & ornatus præcipuus, est Christus DOMINVS, cuius innocentia & iustitia induimur, vt possimus consistere in conspectu Dei, nostra sanè vestis, hoc est, iustitia, non modò lacera, sed fœda est etiam, ita vt Propheta Esaias panno menstruatæ comparet. Tùm autē Ecclesia Dei rectè ornatur, quando se Deo cōmendat pulcherrima illo veste innocentiæ Christi, de hoc ornatu Paulus loquitur Gal. 3. Quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Sed ornatus ille sunt etiam singularia dona Spiritus sancti, per quę amplificata est Ecclesia Christi, præsertim per Apostolos, qui in die Pentecostes non modò scripturarum intelligentiam exquisitam consequuti sunt, sed dona linguarum & miraculorum reliquorum accepêre. De hoc vestitus genere Christus loquitur Luc. 24. Vos sedete in ciuitate Hierusalem, quo advsq; induamini virtute ex alto. Postremò populi illius ornatus, & quidem varius ille, sunt virtutes, quibus veluti auro argentoq; ornati fuerunt pij, alius quidem charitate insigni, alius animi constantia in periculis, alius tolerantia, alij denicq; alijs ornamentis. De his Paulus suos Colossenses adhortatur & monet: Sitis induti tanquam electi Dei, sancti & dilecti, viscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes vos inuicem, et condonantes vobis mutuo &c. Sed absoluamus hunc virsiculum.

4. *Ex vtero ab aurora tibi ros natiuitatis tuæ.*

Vetus

Vetus & vſitata translatio habet, ex vtero ante luciferum genui te. Nam vocabulum שחר Schachar, propriè quidem auroram, ſed etiam luciferum auroræ comitem, ſignificat, præpoſitionem autem מ quæ ſignificat ab, cõparatiuè ſumpſit interpres pro præ, Ab lucifero, præ lucifero, ſiue ante luciferum. Quod autẽ in Hebræo ſequitur: Tibi ros natiuitatis tuæ, ſiue puericiæ tuę, interpres Metaphoricè, & per πδρίφρασιν de natiuitate intellexit. Hanc verſionem D. Auguſtinus ſecutus, de vtraq; natiuitate filij Dei intelligit. Primùm de æterna, qua à Deo patre ante ſecula natus eſt, ſic interprætatur: Ego pater, te filium genui ante luciferum, hoc eſt, ante tempora, quia aſtra ſunt menſura temporis, præcipuè Sol, & poſt Solem Lucifer prænuncius diei. Putat etiam de natiuitate quæ in tempore facta eſt, poſſe intelligi, ſi verba Dauidi tribuantur hoc modo: Ego Dauid te Chriſtum genui ex vtero virginis Mariæ, & quidem duntaxat vtero non ſemine maris, & generationem mihi tribuo, quia de proſapia mea illa naſcetur, quæ in vtero Chriſtum concipiet, & poſtea pariet, & id quidem ante auroram ſiue luciferum, quia noctu naſcetur Chriſtus. Nolui omnino ſilentio præterire, quid hoc in parte ſenſerit antiquitas: ſed vt amantes eſſe antiquitatis debemus, ita maximè textus Biblicus ſequendus eſt, cuius & antiquitati & authoritati primas deferunt omnes veteres. Sed ne hi quidem, qui verba Hebraica ad amuſsim ſequuntur, eodem modo interpretantur. Alij enim de populi & ſubditorum Chriſti propagatione intelligunt: alij de natiuitate Chriſti ex virgine. De populo, hoc modo, ſi paraphraſi exponere vellemus. Sub-

ditos (ô Christe) habiturus es obsequentes, & ornatu sancto incedentes : Sed illorum generatio mirabilis est. Nam quemadmodum ros generatur, & de cœlo delabitur, nemine animaduertente aut sentiente: sic tuus populus generationem habiturus est Spiritualem & cœlestem, quæ oculis videri nequit. Sed occulta ui à DOMINI spiritu procuratur, renascuntur enim per aquam & Spiritum sanctum. Qui sic interpretantur (vt nostro tempore plerique faciunt) vocabulum ילדות quod est in fine versiculi, intelligunt pro generatione & nepotibus. Nepotes siue generatio tua ex vtero nascetur vt aurora, & ros qui mane duntaxat sub aurora generatur. Sententiam hanc confirmat locus Mich. 5. Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum sicut ros à DOMINO, sicut stillæ super herbam, quæ non expectant hominem, nec confidunt in filios hominum. Etsi autem illa passim apud interpretes variam interpretationē habent, tamen videmus Micheam eadē similitudine vsum qua Dauid: vult enim docere, conseruationem & propagationem populi Dei mirabilem esse, ac iure conferendam rori, qui sine vllo hominum cura aut expectatione interram decidit. Iam verò opus non est copiosè dicere de regeneratione illa, quæ hominum captum superat, nouimus quam disputationē Nicodemus cum Christo habeat, & quanta docti alioquin viri in re tanta sit hallucinatio. Christus autem admirandam illam & nouam regenerationem comparat vento, cuius cum vocem strepitumq; audiamus, tamen ipsum non videmus : quæ similitudo cum illa Dauidica præclarè conuenit. Nam rorem non prius videmus nasci, quā iam

Ioan. 3.

Ioan. 3.

iam nata sit, sic nec ventum ante præsentem scimus, quam suam ἐνέργειαν exerceat. Ita de hominis regeneratione pronunciare non possumus, nisi ipsi hoc effectus doceant, qui in alijs clariores, in alijs obscuriores sunt, sed in omnibus tamen pijs tales, vt coniecturam facere possimus quinam sint filij Dei. Apostolorũ regeneratio multis indicijs declarata fuit, miraculis, concionibus ipsorũ, sed inprimis missione Spiritus sancti in die Pentecostes. Cornelij vocatio & familiæ ipsius *Actu. 10.* ostenditur apertis signis præsentiæ spiritus. Christus aũt in reliquis generale κριτήριον dedit, nempè: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et rursus: Bona arbor bonos profert fructus. *Ioan. 8.* Et ibidem: Bonus homo è bono *Matth. 7.* thesauro cordis expromit bona. Paulus autem in eandem sententiã dicit: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, & spiritus ac regenerationis, quæ per ipsum existunt, fructus recensetad Gal. cap. 5. Et quidẽ hęc de vna interprætatione, quæ nostris hominibus maiorem in modũ probatur. Cæterum nec eorum sententia repudianda est, qui de admiranda natiuitate Christi ex D. Virgine intelligunt. Nam vt in herbis floribusq; ros cœlo delapsus ante cõspicitur, quam animaduertetur, quomodo decederit: ita per Spiritũ sanctum in vtero virginis conceptus est mirabiliter, & supra captum humanũ Christus. Et vt purissima & limpidissima aqua est roris, quę non solùm non noxã, sed recreationẽ herbis affert: Sic Christi cõceptio & natiuitas sine omni labe & virginei pudoris incõmodo facta, vitam & æternam recreationem attulit omnibus hominibus. Hoc mihi Angelus DOMINI videtur voluisse, cum inquit: Ecce concipies in vtero & paries filium, ac si diceret, non naturali & vsitato modo concipies, sed in ipso

in ipso vtero fiet conceptio per Spiritum sanctum. Hanc sententiam videntur requirere verba quæ sunt addita: Oritur, inquit, tibi ros pueritiæ siue natiuitatis TVAE. Quod si ad prosapiã referatur, mihi quidẽ coactius esse videtur, cum possessiui pronominis expressa sit facta mentio. Iam si hanc postremam sententiam amplectamur, pulchra erit reliquorum sanctorũ et Christi antitheſis. Nã sancti quidem incedunt in ornatu sancto, regenerati, & exculti omnis generis virtutibus: Sed non proprius ille ornatus est, nã in peccato cõcepti et nati sunt. Quicquid autem ornamentorum habent, id Christi beneficio acquisitũ est. Christus aũt sanctissimus est conceptione & natiuitate: nã ex vtero ei venit ros natiuitatis per Spiritum sanctum. Quæ autem ex sacris literis testimonia de Christi conceptione & natiuitate produci possunt, quia nota sunt omnibus, studio breuitatis omitto, & ad explicationem reliquorum me versuum confero.

Genes.3. *Esai.7.* *Hier.31.* *Matth.1.* *Luc.3.* *Gal.4.*

5. *Iurauit DOMINVS & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos secundum ordinem Melchizedec.*

Commendatio est Messiæ à sacerdotio. Non enim solùm princeps, sed sacerdos etiam est. Sacerdotium autem summum & egregium hoc loco ponitur: Primùm, quia à Deo ipso est institutum, & iuramento confirmatum. Deinde, quia non Leuiticum est, sed secundum ordinem Melchizedec. Postremò quod æternum, non temporarium vt reliqua sacerdotia. Hæc autem quæ Hebraicè à Dauide proposita sunt, si nostra phrasi explicare vellemus hanc habent sententiam.

tentiam. Non ſolùm præclarus rex es, verùm accedit etiam inſigne ſacerdotium, non ſolùm voce, ſed iuramento etiam confirmatum: Tu, inquit DOMINVS, non eris ſacerdos qualis olim Aaron fuit, vel pontifices maximi ſunt, ſed eris ſacerdos ſecundum ordinem Melchizedec, qui & rex & ſacerdos fuit, à iuſtitia & principatu nomen habens, & imperium tenens in vrbe Salem, hoc eſt, rex pacis. Præterea ipſius parentum nulla omnino in ſacris mentio fit, quaſi omni origine caruiſſet, quæ omnia in te veriſsima ſunt. Nam tu rex es iuſtitiæ, tu ſacerdos, qui proprio ſanguine in ſancta intrabis, remiſsionem peccatorum impetraturus. Tu princeps ille perpetuę pacis. Tu nec in terris patrem, nec in cœlis matrem habes, tu filius es meus, quem hodiè, ſiue ab æterno genui, Quare & ſacerdotium tuum æternum erit. Hæc Propheta in perſona DOMINI loqutus eſt. Sed quæritur cur poſt tantam amplitudinem in quam Meſsiam collocauit, faciat eum ſacerdotem, cum nomen regis, præſertim ſedentis ad dextram patris, ſublimius ſit? In tota ſacra ſcriptura videmus DOMINVM titulos, quos ſibi & filio ſuo tribuit, ita temporare, ne peccatores maieſtate ipſius abſterriti refugiant. Nam cum nihil ſit magis & anxium & trepidum quàm perturbata conſcientia, certè meditatione maieſtatis diuinæ ita per terrentur, vt ad thronum eius accedere non audeant. Ideo DOMINVS cùm in alijs tùm verò in hoc loco, cum appellationibus magnificis, blandas illas coniungit. Nã ſtatim ſacerdotis nomen regio titulo ſubiunxit, quia ſacerdotes & publici miniſtri ſunt, & omnium ſaluti & incolumitati, præcando & ſacrificando, conſulunt.

Videamus autem quantum consolationis in hoc versiculo repositum sit. Initio confirmationem sacerdotij & beneficiorum, quæ nobis per illum summũ pontificem contingunt, certissimo sigillo iusiurandi diuini muniuit: Iurauit, inquit DOMINVS, & non pœnitebit eum, quasi diceret: Ea quæ de Messia pontifice vobis promitto, certissima sunt, & ne dubitetis, iureiurando me vobis obstringo. Sic promissionem clementissimã illam, de sua erga pœnitentes peccatores volũtate, iuramento confirmauit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed volo vt conuertatur & viuat. Itaq; ea omnia quę nobis per Messiam illũ promittuntur, certissima & indubitata sunt, prius fractus illabetur mundus, quam vel minutissimum punctum pereat. Sed in appellatione etiam sacerdotis multũ consolationis reconditum est. Nam notum est sacerdotes & precibus pro populo & victimis intercessisse. Nam vt Epist. ad Heb. habet, omnis pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur in his quæ aguntur apud Deum, Heb. 5. Quod præclarè præstitit Christus, nam vt eadem Epistola testatur, per propriũ sanguinem intrauit in sancta, In Ioanne intercedere pro nobis. Et Heb. 5. precationes & supplicationes apud DOMINVM obtulisse dicitur. Quid autem ad summam consolationem accomodatius quàm hoc ipsum inueniri posset? Iam quod paucis syllabis absoluit Propheta, dicens, eum esse sacerdotem secundum ordinem Melchizedec, multiplicem & ad erudiendos nos & consolandos vim habet. Etenim cum non Leuiticum sacerdotem esse vult, sed secundum ordinem Melchizedec, qui ante legem latam & institutionem

sacerdotij

ſacerdotij Leuitici vixit, oſtendit Meſsiam abolitu-
rum eſſe ſacra Leuitica, & ſimul etiam à ceruicibus
noſtris ablaturum iugum legis, quod ferre non potui-
mus. Id quod factum eſt per Chriſtum DOMINVM
noſtrum. Nam cum tota ratio ſacerdotij illius antiqui,
adumbratio fuerit venturi Meſsiæ, ipſo iam præſente,
vmbræ ceſſarunt. Hoc vult author Epiſtolæ ad He- *Heb.7.*
bræos, dicens: Abrogatur enim quod præceſsit præ-
ceptũ, propter infirmitatem et inutilitatem. Nam ni-
hil ad perfectionem adduxit lex, verùm erat intro-
ductio ad ſpem potiorem, per quam appropinqua-
mus Deo. Et Paulus ad Col. 2. & Heb. 8. legem Mo-
ſaicam vocat vmbram, Chriſtum verò corpus: Ergo
præſente corpore, abolentur vmbræ, id quod author
Epiſt. ad Hebræos cap. 8. copioſius proſequitur, ex
cap. Hier. 31. probans legem antiquandam eſſe. Nec
ſolùm ceremonias ſublatas putemus, ſed moralis eti-
am legis maledictionem. Nam cum Chriſtus ſe ſub-
iiceret legi, eos qui ſub lege erant ab eiuſdem maledi-
ctione liberauit. Vt ergo ceremoniæ Leuiticæ cum
ſacerdotio, ita etiam omnes maledictiones ſublatæ
ſunt. Iam verò ſi & nomen & hiſtoria huius Melchi-
zedec, addita D. Apoſtoli interpretatione, coniun-
gantur, videbimus quàm omnia aptè quadrent ad
Chriſtum eiuſq; beneficia. Narrabo itaq; hiſtoriam
breuiter. Cum Abraham fuſis fugatiſq; iis regibus,
qui reges Zodomorum, Gomorrhæ & Adamæ vici-
noſq; populos ſubegerant, & abduxerant Lothum
propinquum ipſius, victor recuperato conſanguineo
& fortunis ipſius, rediret, obuium habuit Melchize-
dechum, qui ſi latinè nomen eius vertas, rex Iuſticiæ

vocatur, is tùm Salem imperabat, quam plerique putant fuisse Hierosolimas, certè à pace nomen habet, & præterea etiam sacerdos erat Dei excelsi. Is non solùm donaria & commeatum Abrahæ & militibus dedit, sed etiam ei in nomine DOMINI benedixit, quæ omnia in Genes. 14. fusius proponuntur. Hunc Dauid hoc loco, dictante DOMINI spiritu, dicit fuisse typum Christi, & præclarè quidē aptissimēq; ista dicuntur. Nam quod nomen magno illi regi nostro rectius tribueremus, quàm quod sit rex Iustitiæ, sicut & Epist. ad Heb. hoc nomē interprætatur. Nam is certè nobis verā, perfectamq; iustitiam attulit, id quod Iere. prędixerat cap. 31. inquiens: DOMINVS iusticia nostra. Et Paul. 1. Corinth. 1. repetit: Factus fuit nobis sapientia à Deo iustitiaq;, & sanctificatio & redemptio. Nam quamuis & alij sacerdotes iusti suo modo dicerētur, & alios quoq; iustos facturos profiterentur, tamen non potuerunt largiri veram iustitiam, neq; enim sanguis taurorum iustitiam conferebat, sed fides in futurum semen, ideo rectè rex iustitiæ dicitur. Et quia iustitiam illam sequitur vera pax conscientiæ, Paulo teste ad Rom. 5. iure optimo rex pacis dicitur, sicut & Esa. cap. 9. principem pacis vocat. At hic rex & sacerdos benedictionem affert Abrahamo, alioquin patri omnium piorum, & ab eodem decimas accepit, necesse ergo est per eum sanctificatum esse alium, qui omnibus fidelibus & ipso Abrahamo maior esset, sicut author Epist. ad Heb. cap. 7. testatur. Quem autem eum esse dicemus, quàm illud benedictum semen, in quo omnes gentes benedicuntur, qui doctrinam Euangelij, hoc est, promissiones & benedictiones

Rex Iustitiæ

ctiones pertinentes ad totum humanum genus, diuul-
gauit in totum orbem terrarum. Iam quæ de Melchi-
zedeci parentibus ignotis dicuntur, explicat sæpè iam
citata Epistola. Ignoti (inquit) patris, ignotæ matris,
ignoti generis, nec initium dierum nec vitæ finem ha-
bens, sed assimulatus filio Dei, manet sacerdos in per-
petuum. Imò verò ideo etiam perpetuus sacerdos est,
quia successionem non habet, et ipsius sacrificium tam
perfectum est, vt vnica oblatione perfectos effecerit *Heb.10.*
in perpetuum eos qui sanctificantur. Possent plura
afferri similia ex eadem Epistola, sed satis est his bre-
uiter demonstrasse, quare Dauid in spiritu Christum
vocet sacerdotem secundum ordinem Melchizedec.

6. *DOMINVS à dextris tuis, conteret siue transfodiet*
in die iræ suæ reges.
7. *Iudicabit inter gentes, implebit cadaueribus, transfiget*
caput super terram spacioſam.

Neminem turbet versionum varietas. Nam quod
vetus translatio vertit, cõfregit, in Heb. est מחץ, quod
significat transfigere, aut vt Hieron. vertit, confrin-
gere. In altero versu rursus eodem verbo est vsus Da-
uid, sed interpres reddidit verbo conquassandi, nos,
quod melius ad textum materiamq; propositam qua-
draret, vertimus transfixit. Porrò quod in secundo
versu antiqua translatio habet, implebit ruinas, recti-
us vertimus, implebit cadaueribus, & subintelligimus
loca. Hæc de Grammatica & phrasi, vt intelligatur
quare discesserimus à versione vsitata.

Describit autem Spiritus sanctus res gestas huius

regis & successum, adiecta causa. Quantas ergo geret hic rex res? Primùm reges transfiget & vulnerabit. Secundò iudicabit inter gentes, hoc est, imperium inter gentes tenebit. Tertio ita fundet hostes, vt loca repleat cadaueribus. Postremò vulnerabit terram multam, hoc est subacturus est multas regiones. Priora duo capita sunt amplificationes rerum gestarum sumptæ à personis: Reliqua duo à loco per ratiocinationem. Additur causa successus, quia DOMINVS adest illi, is tantas res geret, nam suprà etiam dixit, positurũ eũ inimicos scabellum pedum. Quomodo autem ista intelligenda sunt, postea dicetur. Iam breui paraphrasi hos versus persequamur.

Et quidem tantus sacerdos es, sed maximus interim futurus es rex, cui ad omnes res præclarè gerendas, DOMINVS aderit: is reges pontentissimos, quãdo irascetur, conficiet, gentes tuæ potestati subijciet, & omne tibi iudicium tradet in omnes nationes & populos, inter quos si qui non paruerint, magna strage conficiet, vt vndiq; cadauera hominum conspiciantur. Imò verò in omnibus terris capita potentissimorum franget. Cum in primo huius Psalmi versu satis dictum sit de Christi hostibus, iam breuibus nos absoluamus. Primùm versiculi illi allegoricè & spiritualiter intelligi debent, quia regnum Christi non est de hoc mundo, itaq; non gerit bella, non vi armorum homines sibi subijcit. Et verum sanè hoc est, quanq; enim Prophetæ de Christo sæpè vt de bellatore loquãtur, tamen scimus arma ipsius esse spiritualia, quibus demolitur aduersariorum suorum consilia, falsas doctrinas, id quod Paulus Corinthijs scribens, luculenter testatur

teſtatur, arma militiæ ſua non carnalia eſſe, ſed potentiam Deo ad demolitionem munitionum, quibus armis conſilia demoliantur, & omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducant omnem cogitationem ad obedientiam Chriſto. His armis proſtrati iacent Saducæi & Phariſæi, cũ erroris et hypocriſeos conuincerentur, his omnes idolatræ & hæretici, qui ſe oppoſuerunt Chriſto & doctrinæ Euangelij. Et hodie in omnium piorum ſcriptis iſta DOMINI victoria conſpicitur, inprimis in Epiphanio & Auguſtino, in ijs libris quos contra Hæreticos ſcripſerunt. Nam in ijs fœdiſsimæ opiniones, imò verò monſtra opinionũ reuelantur, quæ certè ita tetra ſunt, vt non minus ex ipſis nauſeam, quàm ex fœdiſsimo cadauere pij concipiant. Sed interim lætantur, DOMINI beneficio technas diaboli detectas. Quanq̃ autem, vt diximus, illa allegoricè potiſſimum intelligenda ſint, tamen DOMINVS etiam externis pœnis in hoc ſeculo, & in futuro æternis cruciatibus rebelles, punit. Pſal. 2. Oſculamini filium ne quando iraſcatur & pereatis in via, quia exardeſcet in breui ira eius. Eſa. 60. Gens & regnum quæ non ſeruierint tibi peribunt, & gentes illæ deſolatione deſolabuntur. Et de pœnis impiorũ ęternis, capite vltimo *Eſa. 66.* ſcribitur. Egredientur et videbunt cadauera virorũ, qui iniquè egerunt contra me, quoniam armis eorum non extinguetur. Id quod in Matth. dicitur, Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti verò in vitam æternam. Sed de hac re aliâs dicitur copioſius.

8. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Hactenus

Hactenus magnificis laudibus Meſsiam extulit: In hac vltima parte de eius fortuna loquitur, quòd & miſerrimus coram hoc mundo ſit futurus, & tamen euehendus ad ſummam maieſtatem, vtrunq; Methaphora exornauit. Nam quòd dicit bibere de torrente, ſignificat eum in maximis afflictionibus conflictaturum. Nam aqua tribulationes ſignificat, præſertim turbida & impetuoſa, qualis eſt Torrentis. In via dicitur bibere, quod dum officio ſuo ſatisfacere vult, omnia mala ſeſe offerunt. Sed ex his miſerijs euadet, & exaltabit caput, quod & ipſum eſt Methaphoricum. Videtur enim reſpicere ad eos, qui ex aquis caput extollunt: Eſt itaq; horum verborum iſta ſententia.

Dixi DOMINVM à dextris futurum Meſsiæ, vt magna gloria vincat ſuos aduerſarios, ſed dum in via eſt, ac id quod à patre exiens, & ad eundum reuertens, perfecturus eſt, magna ei pericula obijcientur, & non vt cæteri pij calicem afflictionũ guſtabit tantùm, ſed quaſi rapido torrenti omnium calamitatum immerſus, aquam turbidam in copia hauriet, hoc eſt, nullo non genere miſeriarum exercebitur, imò omnes credent illam quaſi confluentiam malorum eſſe eum abſorpturam, quemadmodum torrentes obuia quæq; trahunt. Sed triduo poſt, præter opinionem omnium, emerget ex his malis, & quia obediens fuit patri vſq; ad mortem, propterea caput ſuum exaltabit, & collocabitur ſuper omnem poteſtatem & dominationem, & dabitur ei nomen ſupra omne nomen. Breuius & melius compendium paſsionis dominicæ & reſurrectionis dari non potuit, quàm hic vltimus verſiculus. Quid enim potuit dici aptius, quàm Chriſtum non ca-

licem

licẽ aquę afflictionis, ſed tota flumina exhauſiſſe. Nam cum ſe vadem pro peccatis noſtris omnibus ſiſteret, ſimul in ſe omnem DOMINI iram deriuauit. Verè enim vaticinante Eſa. languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros portauit. Et quod hoc loco torrentem vocat, id Chriſtus appellat baptiſmum: Poteſtis ne (inquit ad filios Zebedæi) bibere poculum, quod ego bibiturus ſum, & baptiſmate quo ego baptizor, baptizari. Quibus verbis hoc ipſum quod in Pſalmo eſt propoſuit, ſe in omnium malorum quaſi gurgitem quendam demergendum. Vt autem ſcitè depinxit ingentia mala quæ Chriſtus aditurus ſit: ſic etiam ex ijs liberationem vno verbo ita expreſsit, vt nullus Apelles elegantius aut melius potuerit. Nam exaltaſſe eum caput dixit, quod Pſalmo 8. alijs verbis propoſuit: Siuiſti eum pauliſper indigere Deo, ſed gloria & honore coronabis eum, conſtitues eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius &c. Hanc etiam exaltationem prædicat Eſa. Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: Et paucis interpoſitis, Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam. De eadem etiam, vt in paraphraſi breuiter attigimus, Philippenſibus D. Paulus concionatur. *Eſa. 53.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Vt varij & quidem præcipui loci in hoc Pſalmo confirmantur: ſic multiplex etiam conſolatio ad omnes animi ægritudines, tanquam ex refertiſsimo penu

depromi poteſt. Nam ſi animi perturbantur in his ruinis imperiorum & varijs calamitatibus, quæ bonos & malos exercent, vt prope dubitare incipiant de prouidentia & gubernatione, procliue eſt ex hoc Pſalmo medicinam dolori quærere, Chriſtum præſidere omnibus, gubernare vniuerſa, ſedere ad dextram Dei, eiuſdem cum ipſo eſſe potentiæ & maieſtatis. Ac ſi te conſcientia ſollicitat, quomodo Deo pro admiſsis ſatisfaciendum ſit. En ſacerdos ille pacis & iuſtitiæ, non alienas victimas, ſed ſuum ſanguinem pro te offert, & omnem ſimul benedictionem affert. Adhæc cum ſathan, cum inferni horrores, cum hoſtes aduerſarijq; veritatis tibi inſultant, paratiſsimam in hoc Pſalmo victoriam habes. Nam tuum regem videſ communes hoſtes pedibus calcare, & ipſorum capita iampridem comminuiſſe. Denicq; diſcis ex eodem Chriſtum pro te omnis generis mala ſubijſſe, ſed exaltaſſe rurſus caput, & ſedere ad dextram patris, aduocatum, interceſſorem & mediatorem tuum: qui nunquã commiſſurus eſt, vt meritum ſuum vel fruſtra in ſumptum, aut tu ſine fructu credidiſſe videaris.

FINIS.

ERRATA VNDECIMÆ DECADIS.

Prior numerus paginam, posterior lineam denotat.

Ab initio in catalogo Psalmorum huius Decadis vndecimæ, casu omissus est Psalmus 107. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, hallucinatio ista inde accidit, quia sextus & septimus, idem initium habent, itaq; factum est, vt Psalmus Dixit Dominus Domino meo, qui in hac Decade & vltimus, pro penultimo numeraretur sed perperam. In præfatione pro tres reliquas decades, legendum est quatuor reliquas decades. pag. 36. lin. 23. propriè. 48. 18. ob oculos. 49. 12. quod. 56. penul. faciat à nobis. 63. 15 reliquorũ. 81. 17. loquetur. 85. penul. pro Israëlitas lege Deum. 92. 23. impiæ. 98. 5. condonanda abundat. 117. 5. Deos alienos. 122. 16. desunt, post Iesus Christus, verba illa, salutem consequetur. 128. 22. quæ hominibus ratione victus tristia. 134. 1. vno loco le. vni. 143. 14. eius. 145. 12. humanum. 149. 16. effundunt. 150. 4. externa. 160. 21. veritas. 179. 1. exeat. ibid. eius. 181. Samuelem. 183. vlti. vilissimus.

Breuis & perſpicua explicatio Pſalmorum Dauidis.

DECAS DVODECIMA.

AVTHORE

Theodorico Snepffio D.

TVBINGÆ,
Apud Oſuualdum & Georgium Gruppenbach.
M. D. LXXI.

PSALMI DVODECIMÆ DECADIS.

111. *Confitebor tibi DOMINE in toto corde meo.*
112. *Beatus vir qui timet DOMINVM.*
113. *Laudate serui DOMINVM.*
114. *In exitu Israël de Ægypto.*
115. *Non nobis DOMINE non nobis.*
116. *Dilexi, quoniam exaudiuit DOMINVS vocem meam in precationibus meis.*
117. *Laudate DOMINVM omnes gentes, laudate eum omnes populi.*
118. *Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*
119. *Beati immaculati in via, &c.*
120. *Ad DOMINVM cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.*

Psalmus 111.

Halleluia.

Confitebor tibi DOMINE, &c.

TItulus huius Psalmi est Halleluia, qui etiam argumentum eius ostendit, quod in hoc Psalmo laus & Encomium DOMINI & gratiarum actio contineatur, sicut & in alijs sequentibus videre est. Videmus autem hunc Psalmum sequentem, non modò crebro & quidem publicè fuisse decantatum, sed memoriæ etiam causa singula hemistichia literis notata. Primus versus ab initio habet א, In medio ב Secundus in duabus regionibus sequentes literas ג & ד habet & sic deinceps. Quod etiam in Psalmo proximo 112. obseruatum videmus. Iam autem primum versum qui propositionem huius Psalmi habet videamus.

1. *Confitebor tibi DOMINE in toto corde meo, in concilio & congregatione iustorum.*

Confiteri, & laudare & gratias agere significat, quia gratiarum actio semper coniunctam laudationem habet. Hanc laudationem dicit veram minimeq; fucatam, id enim vult cum dicit, toto corde, & præterea etiam celebrem esse. Nam in concione & consessu

piorum vult eam recitare. Quibus verbis etiam vult excitare attentionem auditorum, vt existiment hoc carmen suo studio dignum esse: Celebrabo, inquit, te DOMINE, & gratias tibi agam, non extremis duntaxat labijs, vt hypocritæ faciunt, sed ex animo & quidem ita, vt cupiam eam omnibus pijs innotescere, & in concione cœtuq; ipsorum recitari.

Cum autem laudes Dei celebrare velit, & gratias dignas agere DOMINO, capita laudationis breuiter exponam, vt metas & seriem eius, quasi in tabula propositam habeamus. Primùm autem commendat opera Dei ex hac mundi fabrica, quam non solùm magnã & admirandam esse dicit, sed iucundissimum spectaculum præbere ijs, qui cum attentione eã intueantur. Altera commendatio, sumpta est à gubernatione omnium rerum, quam & præclarissimam & iustissimam esse dicit. Quę sanè in hominum (maximè potentum) rebus non cernuntur. Nam multi potentia sua ad tyrannidem & oppressionem pauperum abutuntur, sed DOMINVS vt potentissimus est, & omnia gubernat: sic iustissimus etiam est. Tertia laus à miraculis sumitur, cui coniungit laudem misericordiæ. Nam ea miracula quæ edidit, omnia ad magna emolumenta suorum accommodauit. Quartum encomium liberalitatis est, quòd suis præbeat alimenta, id quod maximè in deserto probauit, cùm eos cibaret Manna. Quinta celebratio nominis diuini est, constantia in ijs promissionibus, quas Ecclesiæ suæ proposuit. Sunt autem triplices quas hîc recenset. Primùm promisit se traditurum Ecclesiæ hæreditatem Gentium, illam præstitit, dedit enim ipsis terram Canaan: vult etiam in Eccle-

sia

ſia perpetuò extare doctrinam illam, quantis miraculis eos in poſſeſsionem terræ collocauerit. Deinde ſunt aliæ multæ promiſsiones, quòd velit conſeruare Eccleſiam, iuuare, protegere: illæ omnes promiſsiones à Dauide celebrantur quòd ſint ratæ & firmæ. Summũ beneficium poſt primos homines natos promiſſum, redemptio eſt humani generis, illam tanquam iam præſtitam extollit Propheta Dauid.

Hæc de laudibus DOMINI colligit in ſummam, dicens: Nomen eius ſanctum eſſe, & terribile. Sanctũ, quia ſumma beneficia præſtat ſuis. Terribile, quia potentiſsimus eſt. Ad extremum, vſum etiam Pſalmi adiecit, quòd proſit illa meditatio maieſtatis & honeſtatis DOMINI, vt videlicet inde timorem DOMINI diſcamus. Timorem autem DOMINI dicit eſſe ſummam ſapientiam, & parere æternam laudem et gloriam poſſidentibus eam. Cum iam ſententiam Prophetæ teneamus, breuiter Pſalmum percurremus.

2. *Magna opera DOMINI ijs qui inquirunt omnia deſiderabilia eorum.*

Hoc verſu, vt diximus, initio maieſtatem DOMINI commendat à rebus creatis, quem cum propoſitione ſuperiore ſic connectere quis poſſet. Principio autem ſummis laudibus extollendus DOMINVS eſt, qui tanta & tam præclara opera condidit, quorum ſola contemplatio & artificis admirationem parit, & magnam voluptatem creat hominibus attentis: nihil enim illis vel ad vſum melius, vel ad ſpeciem pulchrius.

Complexus autem eſt Propheta paucis verbis ea,

quæ à Moſe Geneſ. 1. fuſius, à D. Baſilio & Ambroſio in Hexaimero copioſiſsimè tractantur. Nihil enim quod ad externa attinet, hoc mundo vnde & nomen habet, pulchrius, aut magis admirandũ, ex quo etiam æterna Dei potentia & diuinitas intelligitur. Quæ res tàm clara eſt, vt in admirationem etiam homines Ethnicos adduxerit, ſicut Paulus in Romanis teſtatur, & extant etiam libri Ciceronis de Natura Deorum, vbi non tàm copioſè, quàm eleganter pulchritudinem & elegantiam omnium mundi partium depingit, & ex eo certa coniectura colligit mundum non caſu extitiſſe, ſed prouidentia, vt ipſe loquitur, Deorum: Si, inquit, in Scythiam aut in Britanniam ſphæram aliquis tulerit, hanc quam nuper familiaris noſter effecit Poſſidonius, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiunt in ſole & in luna, & in quinq; ſtellis errantibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus, quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione. Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur & fiunt omnia, caſu ne ſit ipſe effectus, an neceſsitate aliqua, an ratione, an mente diuina. Volui iſta, quamuis Ethnici hominis verba aſcribere, vt oſtenderem id, quod hoc loco dicit Propheta, eos qui in contemplanda hac mundi fabrica attenti ſint, intelligere, illa eſſe magna Dei opera. Etenim ſi ij, qui ſpiritu DOMINI illuſtrati non fuerunt, tamen ex huius mundi magnitudine & pulchritudine colligere potuerunt, eſſe aliquam mentem horum omnium architectricem: quanto magis Chriſtianos decet ex commentatione iſta vberrimum fructum petere, ac certam fiduciam in creatorem collocare. Quia verò Pſalmo 104. & alijs,

Dauid

Dauid Propheta ea de re copiosè agit, nunc ad sequentia progrediar.

3. *Quicquid facit celebrè & magnificum est, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Vetus translatio habet confessio & magnificentia. Videtur autem interpres vocabulum הדר, quod gloriam significat, à ידה, quod confiteri est deduxisse. Rectius autem vertimus gloriam & magnificentiam, aut celebre & magnificum.

Cum iustitiæ mentionem facit, non intelligit opera creationis, ad quæ iustitiæ ratio pertinere non videtur, sed opera gubernationis, quibus duas laudes tribuit. Vnam, quòd pulchra & magnifica sunt, sicut egregiè etiam D. Lutherus vertit: **Sein thun iſt Lob vnd Schmuck**. Alteram quòd iusta. Nam ea demum verè sunt pulchra, quæ & cum magnificentia fiunt, & interim iusta sunt & æqua. Vt .n. omnia honesta pulchra sunt: sic vicissim omnia pulchra honesta, id quod Philosophis etiam notum fuit. Sed quæ nam sunt illa opera? Plerique restringunt ad tres ἱεραρχίας, coniugium, ordinem politicum, & ministerium. Sed ad totam gubernationem diuinam referri debent ista, quæ vt pulcherrima, sic iustissima est, nec quisquam iure reprehendere eam potest. Ac initio eius prouidentia & prædestinatio reprehendi non potest, qua alios quidem vocat, alios verò repudiat, nam nihil debet hominibus, sed omnes sunt peccatores, destituti gloria Dei. Ergo nemo est, vt Paulus ad Romanos inquit, qui ex aduerso possit stare Deo & dicere, cur finxisti me ad *Rom. 9.*

hunc

hunc modum? Nam si figulus potestatem habet, vt ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiam, cur hoc non liceret DOMINO omnium creatori? Iam verò si ordinem in tota reliqua gubernatione intueris, quàm omnia sunt iucunda, quàm ordine suo distincta sunt, vt ne Momus quidem reprehendere ea iure possit? At verò quàm iustè omnia administrat, cum potentes deponat de sede, & exaltet humiles, nec sinat inultam vllam improbitatem: videtur quidem interdum conniuere ad hominum scelera, sed tandem re ipsa intelligit DOMINI administrationem iustissimam esse. Non enim Deus est volens iniquitatem, neq; habitabit iuxta ipsum malignus. Nec manebunt iniusti ante oculos eius, sed odit omnes operantes iniquitatem. Videbatur quidem obsitus sanguinis Abelis pij, sed quàm pulchrè postea vltus est innocentem sanguinem. Nabothi mors videbatur DOMINO non esse curæ, sed mox demonstrauit se iustè omnia administrare, cum eodem loco, vbi lapidatus fuerat Naboth, canes Regis sanguinem lamberent. Etsi autem DOMINI illa cunctatio, qua pro sua longanimitate resipiscentiæ tempus & spaciũ largitur impœnitentibus, interdum etiam pijs molesta est, vt Psalm. 4. 37. & 49. tum Ieremiæ 12. Abacuci. legimus, tamen DOMINVS nouit tempus, quando ad pœnas retrahere impios, & iustitiæ suæ specimina dare & exhibere debeat. Iustitiæ autem diuinæ & magnificorum operum, inter cætera hoc præcipuum est specimen, quod eo, quo quis peccat modo, eo etiam punitur. Qui gladiũ sumit, gladio perit. Qua mensura homines alijs metiuntur, eadem compensationem recipiunt

Psal. 5.

cipiunt, & plærunq; id quod in Prouerbio germanico fit: daß die Vntrew jrn Herrn trifft. At rurſus iuſtæ & pulcherrimæ adminiſtrationis exempla ſunt iuſtiſsima & decora ipſius opera, vbi in milleſimam generationem benefacit iſs, qui timent ipſum, & cum viſitat iniquitatem in tertiam & quartam generationē, ſed interim tamen neminem innocentem lędit, verùm eos punit duntaxat, qui imitatione ſuorum maiorum DOMINVM oderunt. Verum ergo eſt quod Pſaltes hoc loco dicit: Glorioſum & magnificum eſſe opus eius. Hunc verſum faciamus latinum, & cum ſuperioribus coniungamus. Vt autem in ipſa rerum creatione omnia plena ſunt admiratione: ſic in gubernatione ipſius nulla reprehenſio eſt. Nam ea omnia quæ facit in hoc mundo magnifica, & glorioſa ſunt, & ſumma iuſtitia & æquitate adminiſtrantur.

4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator DOMINVS.*

Quanquam tota hęc machina mundi vndiq; ingentia miracula nobis ſuppeditat, tamē cum illa vſu apud homines parum attentos vileſcere, & quaſi abire in contemptum ſoleant, DOMINVS ſingularibus miraculis, quæ præter communes naturæ rationes ab ipſo æduntur, noſtram fidem confirmat: propterea hoc quarto verſu DOMINVM celebrat, oſtendens ea multa & memorabilia eſſe, ac plæraq; ita ædita, vt in iſs miſericordia DOMINI conſpiciatur, quam ſuo populo præſtitit. Alij per memoriam mirabilium dies feſtos intelligunt, inſtitutos ad miraculorum, quæ à DO-

MINO ædita ſunt, memoriam refricandam, vt fuit Paſcha, Pentecoſtes, feſtum Tabernaculorum. Quæ ſententia cum noſtra non multum diſſidet. Nam & miracula ædidit, & eorum memoriam feſtis diebus cõſecrauit. Eſt ergo huius verſus hæc ſententia: Ad reliqua, in quibus DOMINI maieſtas & ſummæ laudes cernuntur, accedunt etiam miracula memorabilia illa, & toto terrarum orbe decantata, quæ miſericors & clementiſsimus DOMINVS, ad ſuorum vel protectionem, vel ſummas alias commoditates ædidit. Tenendum autem hîc eſt, miracula non ſolùm maieſtatis, ſed bonitatis etiam indicia eſſe. Maieſtatis quidem, quod DOMINVS in ijs oſtendit, ſe non eſſe alligatum creaturis, ſed omnia quæ velit, etiam repugnante natura, facere: ſic vim ignis ſuſpendit, vt non noceat ſodalibus Danielis: ſic ſolem ſiſtit, vt ſuis victoriam prorogaret: ſic ex duriſsimo ſilice aquam fundit. Bonitatis autem, quòd his, non ſolùm ſuos ex præſentiſsimis periculis eripit, aut maximis commodis afficit, ſed imbecillitati etiam fidei noſtræ conſulit, noſtrum erat ſoli ipſius verbo & promiſsionibus fidem habere, ſed cum deprauata natura noſtra parum ad promiſsiones diuinas docilis ſit, inuſitatis illis & admirandis ſpectaculis, nos ad aſſenſionem etiam reliquorum, quæ non aſſequimur, paulatim adducit. Congeriem miraculorum habet Moſes in Exod. cum deſcribit, qualibus pœnis DOMINVS Ægyptium exercuerit, & in deſerto ſuos cibo cœleſti conſeruarit. Et Dauid repetit Pſalm. 105. Memoria autem ingentium horum miraculorum, poſtea feſtis anniuerſarijs Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, vt diximus, renouata fuit. Huc accedunt

dunt etiam alia miracula, quæ paſsim in libris Regum leguntur. Iam quantis miraculis in nouo Teſtamento doctrina Euangelij & à Chriſto DOMINO, & Apoſtolis confirmata ſit, notius eſt quàm vt recenſeri debeat. Et his omnibus DOMINVS vſus eſt, ad demonſtrandam miſericordiam ſuam, quam cum maximis commodis ſuorum coniunxit. Nam his & infirmitatibus corporum conſuluit, mortuos ex ſepulchris eduxit, deniq; eam doctrinam nobis confirmauit, quæ ſola ad bene beateq; viuendum, viam nobis monſtrat. Ideo addit Pſaltes: Memoriam fecit mirabilium miſerator & miſericors DOMINVS.

5. *Eſcam dedit timentibus ſe.*

Quarta laudatio eſt à DOMINI liberalitate in populum ſuum, quòd eſcam eis præbet. (nam alteram partem verſiculi poſtea interpretabimur) Iſta autem principio intelligantur de generalibus beneficijs: nam DOMINVS ſemper piijs alimenta largitur. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Deinde rectè accipi poteſt de ſpiritualibus illis beneficijs, quæ cum miraculis coniuncta fuerunt: vt cum in deſerto ſeruati ſunt, & Chriſtus paucis panibus quinq; millia virorum cibauit. Vult ergo hoc verſiculo dimidio commendare DOMINI benignitatem, quantum ad eſculenta & poculenta: Cum, inquit, multa miracula ædat DOMINVS, & in iſs ſuam fidelibus & credentibus benignitutem declaret, tum vel inprimis hoc cõſpicitur in eius paterna cura, quam adhibet in ſuis paſcendis & recreandis. Nam ipſorum *Pſal. 37.* *Ioan. 6.*

fortunis ac facultatibus benedicit, & cùm desint omnia humana præsidia, eos magnis miraculis seruat, ne fame periclitentur.

Memor erit in sæculum Testamenti sui.

Alia commendatio & laus DOMINI, quòd Testamentum siue pactum initum cum populo suo, seruet. Notum enim est DOMINVM loquutum patribus, & ampliſsimas ipsis dediſſe promiſsiones de rebus externis & spiritualibus, de terra Canaan, de Messia, de diuulgatione Euangelij in totum orbem. Hæc omnia mihi videtur complexus esse nomine Testamenti, quę postea in partes deducit versiculis sequentibus. Sed antea nostris phrasibus hoc hemistichion explicemus. DOMINVS, inquit, præcipuè laudandus est, quòd promiſsionum suarum, quas de externis & spiritualibus bonis patribus dedit non obliuiscitur, sed eas omnes fideliſsimè seruat. Magnum sanè & misericordiæ & veritatis diuinæ indicium est, quòd promiſsiones suas ei populo seruat, qui beneficiorum diuinorum tam iniquus æstimator fuit, non eos aqua ex petra manans, non panis cœlestis, non liberationes variæ & multiplices ad gratitudinem & æquitatem animi reuocarunt, sed semper fuerunt populus duræ ceruicis, vt scriptura loquitur. DOMINI autem bonitas beneficijs cum ingratitudine summa illius populi certauit, nec incredulitas illorum, vt Paulus loquitur, Dei fidem fecit irritam. Hæc est Dauidis sententia in hoc versiculo. Ista autem nequaquam nos ad desidiam incitare debent, vt cogitemus nostram dissolutionem & impro-

improbitatem non obſtare promiſsionibus diuinis. Quanquam enim DOMINVS non ſtatim abiecit rebellem populum, tamen tandem omnibus ornamentis eum exuit, & tantò grauius in ipſum animaduertit, quantò tardius ad pœnam acceſsit. Interim tamen videmus etiam quot fatales pœnas populus ille ſibi acerſiuerit, dum quotidie veritatem & conſtantiam promiſsionum experirentur, et tamen non cogitarent vel de vitæ emendatione, vel vera gratitudine. Nemo ergo hodie ſeipſum decipiat, (cũ videat DOMINVM ſeruare promiſsiones ſuas, & tam paternè nobiſcum agere,) vt credat ſibi ideo ad licentiam peccandi feneſtram apertam eſſe. & facere ſe velle mala, vt veniant bona: ſed certò ſciat, tantò graviores pœnas futuras contemptus, quanto benignius pater cœleſtis ad reſipiſcentiam & bona cœleſtia vocarit.

6. *Virtutem operum ſuorum demonſtrauit populo ſuo, cùm daret eis hæreditatem Gentium.*

Verbum הגיד annunciare ſignificat & iudicare, & ſententia ipſa ac nexus verborum oſtendit, hoc loco ſumi pro notũ facere aut demonſtrare. Dixerat enim Propheta in genere, DOMINVM conſtantem eſſe in præſtandis iis, quæ promiſerit patribus, iam ea quæ in genere propoſuerat, partibus illuſtrat. Primò autem DOMINVS Abrahamo, Iacobo, & Iſaaco terram Canaan promiſerat. Gen. 15. Abrahamo dicit: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vſq; ad fluuiũ magnum Euphratem. Et Iacobo Gen. 28. Terram in qua dormis tibi dabo, eritq; ſemen tuum quaſi puluis

terræ. Sed multæ interuenerunt difficultates, quæ vi-
debantur ſpem patrum euerſuræ eſſe. Nam poſte-
ritas Abrahami diuturna ſeruitute in Ægypto premi-
tur, & laboribus ita atteritur, vt populus omnino in-
teriturus crederetur. Deinde cum ingredi in terram
deberent, non modò Pharao, ſed potentiſsimi populi
Exo.17. ſe eis opponunt. In ipſo deſerto Amelechitæ ingenti
Num.20. exercitu eos adoriuntur. Ædomitæ tranſitu prohi-
bent, quamuis amanter compellati. Similiter & Cha-
Num.21. nanæus & Og potentiſsimi Reges, armata manu eis
occurrunt. Et notum eſt, quanta trepidatio apud po-
pulum vniuerſum fuerit, cum exploratores in terram
Num.13. miſsi narrarent, quàm potentes & fortiſsimæ gentes
in terra Canaan eſſent, quæ res plærosq; mouit, vt de
victoria deſperarent, & Moſen maiorem in modum
accuſarent, quod in tantum periculum ipſos coniecis-
Num.14. ſet. Et per totam noctem eiulantes dicerent: Vtinam
mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac ſolitudine:
vtinam pereamus, & non inducat nos DOMINVS in
terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi
noſtri ducantur captiui. Et ibidem de reditu in Ægy-
ptum conſultant, dicentes: Conſtituamus nobis du-
cem, & reuertamur in Ægyptum, præterea multa *alia*:
ſed ex his videmus, quantæ molis fuerit occupare ter-
ram Canaan, & eijcere populos & Reges potentiſsi-
mos. Sed DOMINVS demonſtrauit ipſis ſuam poten-
tiam, dum Reges & populos propè infinitos fundit fu-
gatq;, cum ſolo tubarum ſono mœnia vrbis Iericho e-
uertit, cum eos magna potentia eiectis inhabitatori-
bus, in pacatam poſſeſsionem terræ collocat. Hoc in-
gens beneficiũ Propheta iſto verſu proponere voluit:

Quanta

Quanta (inquit) ſit conſtantia promiſsionum, quas patribus fecit, inprimis in ea conſpici poteſt, quam de terra Canaan ædidit. Nam cum aliquot ante ſæculis recepiſſet ſe traditurum florentiſsimam illam regionem poſteritati Abrahami, quãuis innumera impedimenta obſtare viderentur, & potentiſsimi Reges etiã eos aditu illius terræ prohibere conarentur, tamen DOMINVS in ijſdem & debellandis & eijciendis ſuam potentiam luculenter declarauit, & poſſeſsionem illius regni ſuo populo, præter omnium expectationem tradidit.

7. *Opera manuum eius veritas & iudicium, fidelia omnia mandata eius.*

Per opera manuum non intelligit creaturas, de quibus ſuprà dixerat, nec etiam de generali, vt vocant, actione loquitur, ſed de ijs, quæ ipſe in Eccleſia facit, illa dicit eſſe veritatem & iudicium, hoc eſt, promiſsiones eius & comminationes, quas in Eccleſia ſua ædidit, certiſsimas eſſe, & omnes euentu comprobari. Altera pars verſiculi, vbi dicit: Fidelia omnia mandata eius, Epexegeſis eſt ſuperiorum. Nam ne per opera manuum intelligerentur opera creationis, mandatorum mentionem facit, quibus promiſsiones & comminationes additæ, certiſsimum habent complementum. Eſt autem huius verſiculi iſta ſententia: Vt autem in terræ Canaan promiſsione omnia certiſsima fide impleta ſunt, ſic quos DOMINVS in ſua lege vel promiſsiones vel comminationes propoſuit, omnes ſummam certitudinem habent, & euentu ipſo cõprobantur.

tur. Omnes & veteris & noui Testamenti historiæ sunt commentarius huius versiculi. Nam promissiones & benedictiones legis, ijs qui sanctè in ea versantur, certissimæ sunt, promittit fertilitatem terræ, pluuias serotinas & fœcundas, pacem & alia illa in ijs, qui piè & honestè viuunt, manifestam habent veritatem. Econtra autem, si vel solum populum Iudaicum intueamur, seueritatis & comminationum quàmplurima exempla habituri sumus. Nam quàmprimum à lege DOMINI discessionem fecerunt, in omnis generis mala & calamitates inciderunt. Hæc etiam in omni hominum vita conspicimus, & experimur DOMINVM clementer largiri pijs, quod in sua lege pollicitus est: econtra summa aduersus impios & impœnitentes seueritate vti, pro ratione seueriſsimarum comminationum, quæ cùm alibi, tùm verò Deut. 28. & Leui. 26. propositæ sunt.

8. *Confirmata in sæculum sæculi, fiunt & sunt vera & recta.*

Duobus exemplis probauit DOMINVM seruare Testamentum suũ, hoc est, omnes promissiones suas. Iam commendat non modò certitudinem, sed etiam perpetuitatem earum. Non enim semel atq; iterum ea quæ promisit, seruat, sed promissiones illę sunt vt certissimæ, sic perpetuæ. Hanc sententiam Christus ipse expressit: Cœlum & terra transibunt, verbum autem meum nõ transibit. Nam cum Christus sit promissionum & comminationum ac Testamenti illius, de quo Psaltes loquitur, author, certissimæ illæ erunt. Hoc ergo sigillo animũ nostrum obsirmemus, aduersus omnes

nes tentationes, quæ nos de promissionibus diuinis incertos aut dubios reddere conantur.

9. *Redemptionem misit populo suo, promisit in æternum fore Testamentum suum.*

Nonnulli interpretes hunc locum intelligunt de redemptione ex captiuitatibus & seruitute, qualis illa fuit, cum DOMINVS reduceret populum ex Babylone. Cæterum cum sequentibus verbis de æterno Testamento loquatur: populus autem Iudaicus non habuerit constantem pacem, sed cum imperio libertatem sub Romanis amiserit, necesse est, vt de alia quadam libertate ista intelligamus. Illa autem est redemptio Christi DOMINI & seruatoris nostri, quam passim Prophetæ vocant fœdus perpetuum. Et Epistola ad Hebræos dicit, Christum æternam redemptionem inuenisse. Ac Paulus sæpè alludit ad eam redemptionem, qua captiui precio ab hoste liberantur, ideo Christum vocat ἀπολύτρωσιν καὶ ἀντίλυτρον. Scimus autem λυτρὸν pecuniam esse, qua libertas captiuis emitur. Illam præclaram libertatem emit nobis Christus, non auro & argento, sed sanguine suo: Habemus, inquit Paulus, redemptionem per sanguinem eius. Et Pet. Cum sciatis vos non caducis rebus, velut argento & auro fuisse redemptos, sed præcioso sanguine, velut agni immaculati. Si quis ergo priorem partem huius versus vellet verbis noui Testamenti exprimere, rectè ita redderet: Et sic quidem Testamentum siue fœdus cum patribus initum in omnibus, inde ab initio seruauit DOMINVS, sed illud pactum, quod statim post

Esa.61. *Heb.9.* *Ephes.1.* *1.Pet.1.*

homines natos proposuit, deinde Abrahæ renouauit, inprimis seruabit quando missurus in hunc mundum filium suum, qui pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem ingredietur semel in sancta reperta æterna redemptione, qui populum suum redimet à potestate diaboli, & ab execratione legis.

Sanctum & terribile nomen eius.

Oratores in laudationibus initio nomen eius qui laudatur, cum encomio ponunt. Sed noster Propheta in extrema parte Psalmi nominis diuini mentionem facit, quod & sanctum & tremendum esse, siue venerandum dicit: quibus duobus epithetis ea omnia quæ de Deo præclarè dici possunt, includit. Sanctus est, quia iustus, quia in promissionibus suis constans, quia suos seruat, redimit ab æterna damnatione. Terribilis est, quia potentissimus, cuius, vt initio Psalmi dicitur, magna opera in fabrica mundi, in miraculis illis stupendis conspiciuntur, qui quod minatur, certissima executione persequitur. Voluit ergo Propheta his nominibus, reliquis laudibus, veluti coronidem adijcere. Quid multis, inquit, nomen DOMINI sanctissimum est, quia & ipse sanctus, & alijs sanctimoniam tribuit, maximè dum misso filio æternam redemptionem largitur. Est & nomen eius terribile & venerandum, quia si vel maiestatem, vel miracula ædita, vel etiam exempla seueritatis ipsius intuearis, fieri non poterit, vt non meditatio illa, & in stuporem te rapiat, & reuerentiam numinis in te excitet.

10. *Initium*

10. *Initium ſapientiæ timor DOMINI, intellectus bonus omnibus facientibus ea: Laus eius manet in æternum.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Poſtremo verſu Propheta vtilitatem huius Pſalmi proponit, & ad eam capeſſendam tacitè omnes adhortatur. Nam cum omnes debeant ad ſapientiam, tanquam rem vnam omnium pulcherrimam aſpirare, initium ſapientiæ monſtrat timorem DOMINI, qui, vt dictum eſt verſu ſuperiore, ex hoc Pſalmo diſcitur. Vtilitatem etiam eius ſapientiæ ſubiicit, quòd ſit bonus intellectus, & afferat magna commoda, ſed iis qui faciunt, hoc eſt, qui non Theoria ſola, vt hypocritæ, ſed πράξει ſunt ſapientes, FACIENTES voluntatem DOMINI. Addit & tertiam rationem, ſumptam ex fontibus honeſti, ij ſapientes ſunt habituri laudem perpetuam. Cõplectamur ſententiam Prophetæ breui periphraſi. Tota hæc laudum diuinarum meditatio ſuſcipi debet ad veram ſapientiam conſequendam. Nam eius ſapientiæ, quæ vna & ſola hoc nomine digna eſt, initium à timore DOMINI, qui ex hoc Pſalmo diſcitur, proficiſcitur. Hæc incredibiles vtilitates affert cultoribus ſuis, qui non vt hypocritæ de ea gloriantur, ſed ex præſcripto ipſius viuunt, totam vitam ſuam ad DOMINI voluntatem componentes, iſti æternam laudem & gloriam conſequentur. Hic poſtremus verſus ſumma breuitate res maximas complectitur. Omnibus hominibus nomen ſapientiæ & prudentiæ inprimis magnificum & præclarum viſum eſt: ſed plærique pro re ipſa vmbram amplectuntur, & tum ſe ſapientes credunt,

cùm vel obſcuritatibus quibuſdam res alioquin planas inuoluunt, vt Pythagoras feciſſe legitur: aut cum pro prudentia in rebus gerendis aſtutiam, fraudes, circumuentiones ſequunt. Alij, vt hypocritæ, putant ſatis eſſe, ſi ea quæ ad ſapientię rationes pertinent, teneant, & nunc ſeriò cogitant, quomodo vita moribuſq; ſe ſapientes eſſe probent. Sed noſter Propheta, & hūc ſequutus filius ſapientiſsimus Solomon: Initium ſapientiæ dicunt eſſe DOMINI timorem, non quidem eum, qui præter trepidationem & ſeruilem metum nihil habet. Nā multi DOMINVM timere videntur propter formidinem pœnarum, quę eos mouet vt à ſceleribus abſtineant. Sed hęc timoris ſpecies nequaquam digna eſt nomine tam auguſto, nec ſapientia, ſed ſimulatio dicēda eſt, vt egregiè Auguſtinus pronunciauit, ſcribens: Inaniter putat victorē ſe eſſe peccati, qui pœnę timore non peccat, quia etſi nō impletur foris negocium malæ cupiditatis, ipſa tamen cupiditas intus eſt hoſtis. Et rurſus: Inimicus iuſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, ſi eius amori non peccet, tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit ſed ardere: ille autem peccatum metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennam odit. Ex his videmus, non modò ſeruilem timorem repudiari, ſed doceri etiā qui nam ſit ingenuus ille, quem DOMINVS in filijs ſuis probet, nempe vbi non tàm pœnam, quàm ipſum peccatum timuerimus. Quod tùm rectiſsimè fiet, ſi ex hoc Pſalmo & alijs ſimilibus locis, animo cogitationibuſq; diligenter perpenderimus, quāta DOMINI maieſtas & potentia ſit, propter quā meritò reuerendus & colendus, quanta veritas & con-

Prouer.1. & 9.

Auguſt. epiſt.144.

constantia in promissionibus & minis, quæ nullo modo, vt dubiæ aut incertæ, à nobis negligendæ aut contemnendæ sint. Quanta denique bonitas DOMINI, qui vt indulgentissimus pater, victū, defensionem, tutelā, denique redemptionem & promittit, & clementer etiā præstat. Hæ cogitationes, iuuante nos DOMINI spiritu, certè in animo nostro eam reuerentiā creabunt, vt quemadmodum ingenui liberi simus iudicaturi tantum numen nobis esse colendum, metuendas cōminationes, accipiendas promissiones, semper prædicandam eius bonitatem, in qua eminet beneficium salutificæ redemptionis. Recordatio etiam tot beneficiorum paternorum, & seriæ commonefactiones ipsius creabunt in nobis odium peccati, quo scimus patrem clementissimum offendi, nos ab ipsius amore & regno exulare. Cum autem ècontra adoptionem illam per Christum nobis impetratam, omnibus rebus humanis anteponendam iudicemus, ingenuo illo rubore suffundemur, si intellexerimus nos aliquid admisisse, quod adoptione illa præclara indignum sit. Sic Paulus Romanos de ijs nunc erubescere dicit, quæ antea in delitijs habuerant. Hæ ergo cogitationes sunt veluti nerui, quibus à vitijs ad amorem virtutis pertrahimur, vt Solomon testatur Prouer. 8. Timor DOMINI odit malum. Et præclarè scripsit Basilius: Timorem DOMINI instar clauorum esse, quibus homines astringantur ne velint peccare. Hunc ergo timorem, aut reuerentiam potius numinis, noster Propheta vocat initium sapientiæ, & bonum intellectum facientibus. Sed quæ nam sunt illa bona, quæ largitur timor DOMINI? Primùm largitur longam vitam, Prouerb. 10.

Timor DOMINI apponit dies, & anni impiorum abbreuiabuntur. Nec solum externa, sed spiritualia etiã bona affert. Affert & oblectationem cordi, Syrach. 1. Timor DOMINI delectabit cor. Et ibidem multa de timore DOMINI. Denique ea demum vera est sapientia, timorem eum acquirere, vt interim noueris te patrem propitium habere: vt non timore seruili illo affligaris, attamen abhorreas à peccatis, & ijs, quæ animæ periculum creant. Sed illa non sunt posita in otiosa Theoria, sed in perpetuo studio, vt ad pietatem & virtutem enitamur.

Psalmus 112.

Halleluia.

Beatus vir qui timet DOMINVM.

QVæ de numeris & literis in hoc Psalmo dicenda sunt, suprà annotaui: sed vt scopum & argumentum teneamus, sciamus, nonnullos existimasse, Prophetam docendi gratia hunc Psalmum instituisse, Sed tamen si penitius rem consideremus, animaduertimus, eum esse ἐγκωμιαστικὸν, quia prædicat felicitatem piorum, quam partim in rebus externis, partim autem spiritualibus experiuntur, sicut ordine ea videbimus. Interim tamen ostendit etiã, quem vocet pium, & quibus ille moribus præditus sit, quæ

quæ & ipſa ad laudationem, aut certè definitionem beati hominis pertinent. In vltimo verſiculo vituperat impios, & eorum miſeriam & calamitates egregia, ſed breui antitheſi ſuperioribus commodis & felicitati piorum opponit. Et eſt hic Pſalmus eiuſdem ferè argumenti, cuius eſt primus, nam & ibi felicitatis piorũ, & infelicitatis impiorum antitheſis eſt: ſed illic piorum felicitatem ſimilitudine arboris iuxta riuos aquarum enatæ, illuſtrat, quod hîc enumeratione partium conſequitur.

1. *Beatus vir qui timet DOMINVM, qui mandata eius magno deſyderio expetit.*

Propoſitio eſt, & argumentum totius Pſalmi, vult enim deſcribere felicitatem piorum. Non autem dicit, pij beati ſunt & felices, ſed vſus eſt periphraſi, aut ſi ita videtur definitione pij hominis: Beati, inquit, & feliciſsimi homines ſunt qui timent DOMINVM, & qui eius uerbo & mandatis maiorem in modum delectantur. Variæ Philoſophorum de beatitudine ſententiæ & opiniones fuerunt, & hodie plærique felicitatem in voluptatibus, vel honorum appetitione ponũt: ſed noſter Propheta in pietate conſtituit, quæ vero Dei timore, & obſequijs verbi ipſius, ſpe deniq; futurorum bonorum, quæ in verbo Dei proponitur, cernitur. Quæ vtraq; huic mundo diſplicent, nam Lucianus dicit, duos eſſe tyrannos humani generis, ſpem & metum, & impij credunt, felicitatem in diſſolutione vitæ quærendam, Itaq; quæ de timore DOMINI dicuntur, & de ſpe futurorum bonorum, illis hominibus omninò

omninò cum felicitate pugnare videntur. Sed superi-re Psalmo satis dictum est, qualis sit piorum timor, non is, qui seruili trepidatione homines constrictos tenet, sed qui reuerentia & amore mixtus, vltrò deformitatem & vitia fugiat, & se ad voluntatem summi illius boni & pulchritudinis componere studeat. Illud verò alterum, quod huic coniunctũ est, delectari DOMINI mandatis, vt summas commoditates habet, sic etiam voluptatem incredibilem affert, Nam pij verbum DOMINI summa oblectatione audiunt, & in eo, vt primo Psalmo dicitur, versantur dies & noctes, eo se recreant & oblectant, non enim κ᾽ ἐξοχὴν intelligendum est, quod duntaxat in præceptis Decalogi occupentur, sed quod agnita ex verbo Dei, paterna DOMINI voluntate, quam in Christo DOMINO demonstrauit, vnicè studeant se approbare Deo, & sua ei obsequia deferre.

2. *Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur.*

Prima felicitas est εὐτεκνία, in qua commendatur si liberi sint superstites, si obedientes & morigeri, si in honoribus dignitatecq; constituti, nomen & famam maiorum aut conseruent, aut amplificent. Istam felicitatem hoc loco pollicetur Spiritus sanctus, dicens: Pij & fideles initio in œconomicis, DOMINI singularem benedictionem experientur, nam ipsorum posteritas non modò salua erit, sed etiam principatum in patria habitura, & in omnibus quæ suscipiet, successum & singularem felicitatem sensura est. Hæc

voluit

voluit ſecundo verſu exprimere Propheta. Notandum autem hoc loco eſt, quemadmodum in Pſalmo 109. DOMINVS non ſolùm impijs Hebræis, ſed etiam omni ipſorum poſteritati minatur: vagando vagentur filij eius, & mendicent, & quærant victum ex deuaſtationibus ſuis. Et rurſus: Fiant nati eius in interitum, & generatione vna, deleatur nomen eorũ. Item: Diſpereat de terra memoria eorum, & multa ſunt ſimilia loca. Sic econtra, DOMINVM poſteritati fidelium promittere ſuam benedictionem, & hoc non ſolùm in iſto Pſalmo, ſed alijs locis quàmplurimis. Exod. 20. cap. Faciens (inquit) miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Pſal. 37. Iunior fui & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, aut ſemen eius quærens panem. Prouer. 11. Semen iuſtorum ſaluabitur. Teſtantur hæc exempla, Abrahæ poſteritas benedicitur propter patrem Abrahamum, & traditur ei hæreditas: Rechabitæ etiam propter patrem, & obedientiam ſuam euehuntur, vt in Ieremia videre eſt. Et Dauidi promiſsionem DOMINVS fecit: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis, ſtabiliam regnum eius. Sic cum Solomon peccaſſet, & DOMINVS ei minaretur regni diminutionem, tamen propter patrem Dauidem promittit ſe non mutaturum aliquid ipſo viuente, & ſucceſſori filio propter eundem, partem aliquam regni relicturum eſſe. Qui ergo & ſibi, & ſuis conſultum vult, piè viuat, nam nullam meliorem hæreditatem poſteris relinquere poteris, quàm propitium DOMINVM, is enim te mortuo, orphanorum pater eſt futurus, & ſemini tuo benedicturus eſt.

1. *Paral.* 17.

1. *Reg.* 11.

3. *Opes & diuitiæ in domo eius, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Secunda pars felicitatis piorum sunt diuitiæ, & eæ non partæ fraudibus, sed iustis rationibus. Ac sanè iustitia piorum manet perpetuò, quod intelligi potest, vel de benedictione, quæ diuitias iustè partas comitatur, aut præmijs etiam æternis, nam qui ad sustentandos pauperes & egenos diuitijs suis vtitur, is præmia in futura vita, & ea quidem amplissima receptus est. Prouer. 10. Benedictio DOMINI diuites facit, hoc etiam palam est, nam patres in veteri Testamento, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iobem, Dauidem, Solomonem, ingentibus diuitijs ornauit. Et sanè cum optionem Solomoni DOMINVS daret, vt eligeret, quod vellet, & ipse sapientiam cæteris prætulisset, DOMINVS ei ait: Quæ non postulasti dedi tibi, diuitias & gloriam. Sed hoc loco fortasis obijceret aliquis, non omnes pios fuisse diuites, nonnullos etiam in summa paupertate vixisse, vt Prophetas plærosq; , vt Apostolos, & multos Christianos, qui diuitijs suis exuti, in paupertate & egestate mortui sunt. Et Paulus 1. Cor. 2. dicit: Videtis vocationem vestram, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, nõ multi claro genere nati, verùm quæ stulta erant secundum mundum, elegit Deus. Quid quod ipse seruator confirmat: facilius esse camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Notandum autem est promissiones & comminationes diuinas, quæ de rebus externis & corporalibus in sacris literis proponuntur, conditionales esse.

Niniuitis

Niniuitis excidium intra dies 40. per Prophetam prædicitur, sed comminatio absoluta & irreuocabilis non fuit, alias DOMINVS laudem veritatis obtinere non potuisset. Latebat autem conditio tacita, id tum futurum, si non resipiscerent, nam si illorum resipiscentiam non expetiuisset, nequaquam ipsis Prophetam misisset. Sic multæ sunt promissiones passim in scriptura, quæ longam & diuturnam vitam pijs pollicentur, videmus tamen multos è medio cursu vitæ abripi. Necesse ergò est, illam promissionem conditionalem esse, hoc est, DOMINVM tum præstiturum illam promissionem, si suis filijs vtilis & fructuosa sit futura. Nam si vitam largiretur cum detrimento salutis, non vitam, sed mortem largitus esse videretur, quod cum pro sua prouidentia & paterna cura præuideat, & sciat quosdam, si diutius viuerent in peccata prolapsuros esse, è medio eos abripit, ne malitia ipsorum animos mutet. Quis autem non dicet, eius promissionis, quæ de diuitijs hoc loco & alibi extat, eandem rationem esse, nam cum affluentibus diuitijs cor soleant apponere, DOMINVS eos, quos ab hoc periculo eximere vult, in paupertatem conijcit, ne æternarum diuitiarũ iacturam faciant. Sunt & aliæ causæ, quæ faciunt, vt DOMINVS malit suos in paupertate, quàm affluentia rerum viuere, nempe vt maiore gloria, & in hoc & in futuro sæculo ornentur. Sic Prophetas & Apostolos voluit esse pauperes, vt hîc quidem imaginẽ Christi, qui nudus in cruce pependit, circumferrent, & in altero sæculo centuplum reportarent. Egregiè tamen & his in hoc sæculo paupertas compensata est, nam quosdam cum ne cibarium quidem panem haberent, *Sap. 4.*

1. *Reg.* 17. ita ditauit, vt alijs largirentur, nam & Elias Sareptanæ victum procurauit, cum ipse omni comeatu careret.
2. *Reg.* 4. Et discipulus eius Elisæus Prophetæ cuiusdam filium à seruitute liberauit, multiplicato oleo paucissimo,
Luc. 22. quod pueri mater habebat. Apostolos sine sacco & pera emisit, sed de hospicio & victu ita eis prospexit, vt ipsi etiam sint confessi, se necessarijs nunquam caruisse. Ista ideo dicenda sunt, ne pij, quos DOMINVS diuitijs ornare noluit, putent se à Deo abiectos esse, cum in egestate & inopia viuunt.

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis, à misericorde, miseratore & iusto.*

Ne quis putaret felicitatem, quam Spiritus sanctus hoc loco prædicat, nulla tristitia contaminari, sed omnia his beatis ex sententia euenire, hunc versum subijcit, qui docet pios non carituros esse afflictionibus, quas figuratè vocat tenebras, more scripturæ, sed in miserijs etiã dicit, ipsos habere suam felicitatem, nam DOMINVS ipsos & solabitur, & eripiet ex his malis, hoc enim vult, cum per tropum dicit, iustis exortam lucem. Addit autem coniecturam, DOMINVM non deserturum ipsos in calamitatibus. Quia enim miserator & misericors sit, ideo nunquam defuturum filijs, quia iustus, ideo iustorum habiturum rationem. Etsi, inquit, & beati illi interdum nube tenebrisq; calamitatum circumdentur, tamen in ijs DOMINVS ipsis sinit affulgere lucem fauoris & auxilij sui, nam aliter certè facere non potest, nisi discedere ab ingenio suo velit, nam cum miserator & misericors sit, quomodo eam

eam ſuis hominibus negaret, cum iuſtus, quomodo iuſtorum cauſam deſereret? Dulcis in hoc vnico verſiculo concio eſt, quæ nobis depingit, quo interdum loco res piorum ſint, & quàm clementer DOMINVS ipſos reſpiciat, ſoletur, eripiat. Nam ſanctos Dei homines interdum eæ tentationes & miſeriæ circumſtant, vt in denſiſsimis tenebris mortis verſari videantur: Foris, inquit Paulus, pugnæ, intus terrores. Et 2.Cor.7. Dauid: Contriuiſti nos in loco draconum, & coopeRuiſti nos vmbra mortis. Pſal.44. Sed quum videntur omnia deſperata, DOMINVS ipſis ſua ope affulget, ac vt hoc loco Dauid inquit, lucem ſuam exoriri ſinit, & id quidem in corporalibus & ſpiritualibus. Paul. 2. Cor. 1. ita ſcribit: Non enim volo vos ignorare fratres de afflictione noſtra, quæ nobis accidit in Aſia, quoniam ſupra modum grauati fuimus, ſupra vires, adeò, vt deſperauerimus etiam de vita, quin ipſi in nobis ipſis ſententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipſis, ſed in Deo, qui ad vitam ſuſcitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, &c. Incertum eſt de quo periculo Paulus loquatur, ſed grauiſsimis verbis deſcribit magnitudinem periculi, & quod non parum à morte abfuerit, ſed in his prædicat præſens DOMINI auxilium: Sic in ſpiritualibus DOMINVS his, qui ſedent in tenebris, & in vmbra mortis ſinit magnum lumen exoriri non modò notitiæ, ſed etiam conſolationis, Chriſtum DOMINVM, qui lucifer eſt in cordibus noſtris. Spiritus autem ſanctus facem illam nobis in manum dat, non ſolùm promiſsione illa præclara, vt ipſo tandem euentu erudiamur, ſed etiam rationem monſtrat, quomodo in ipſis tenebris arripienda ſit, ne

de DOMINI erga nos voluntate dubitemus. Iubet autem nos cogitare Deum esse misericordem, esse propitium, ergo non defuturum suis liberis. Misericordiam autem suam in tota fere scriptura nobis proponit
Psal.103. & inculcat, dum dicit: Sicut altius sit cœlum supra terram, sic prævalere suam misericordiam super timentes se: Et quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitatem nostram: Quomodo miserea-tur pater filiorum, misertum esse DOMINVM timentibus se. Cum in Esaia dicit: Cogitationes suas non esse cogitationes nostras, nec vias nostras suas, sed eas longè inter se distare, quantum cœlum supremum ab infima terra. Cum in Ezechiele negat se velle mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Inprimis aũt cum filius Dei tam clementer omnes ad se vocat, veniam, medicinam, liberationem, fauorem, adoptionem, vitam denique æternam promittit. Ex qua paterna bonitate & clementia D. Paulus sic argumentatur:
Rom.8. Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis do-
Rom.5. net. Et rursus: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus fuit: multò igitur magis iustificati nunc sanguine eius seruabimur per eum ab ira. Sed ad eam facem accendendam nihil est præclarius, quàm quod Christus dicit: Si vos cum sitis mali, nostis dona bona dare filijs vestris, quantò magis pater vester qui est in cœlis, dabit bona si postuletis ab ipso. Ergo in omni tribulatione certò statuamus exorituram esse lucem, imò iam exortam esse, nam DO-

MINVS

MINVS ſuam miſericordiam tot indicijs nobis teſtatam facit, inprimis autem in filio, in quo omnes promiſsiones ſunt etiam & Amen.

5. *Benè viro qui miſeretur & commodat, & adminiſtrat res ſuas iuſtè.*

Dixi ſuprà Prophetam inſerere deſcriptionem felicis & beati viri, inter laudes felicitatis, quod hoc loco facit, nam oſtendit qualis ſit homo, quem ſibi deſcribendum ſumpſerit, miſeretur & commodat, deinde in omnibus actionibus iuſtè agit. Qui per דבר non rem, ſed verbum vel ſermonem intelligunt, hunc verſum ſic interpretantur: Bonum illum virũ moderari verba ſua cum iudicio. Sed prior ſententia quæ eſt Regis Dauidis, huic præferenda eſt, fidelitatem autem eius, vno verbo expreſsit: Benè viro, hoc eſt, ille in rebus omnibus ſucceſſum habiturus eſt, qui ad eum modum vitam inſtituerit, itaq; verborum Prophetæ hæc eſt ſententia: Non autem ſolùm beatus dicendus eſt ille, quem deſcribimus, quia in affluentia rerum viuit, ſed quòd opibus rectè vtitur, & legitimè eas acquirit, nam egenis liberaliter largitur, alijs mutua pecunia ſubuenit, in parandis autem diuitijs iuſtitiam ſequitur, qui eo modo ſuam œconomiam inſtituit, ſucceſſum in tota vita ſua habiturus eſt. Hæc deſcriptio neceſſariam contra fanaticos doctrinam ſuppeditat, proprietatem rerũ conceſſam eſſe, & laudari œconomiam, ſed eam, quæ cum iuſtitia & charitate proximi coniuncta eſt. Nam primò omnium danda opera eſt, vt in omnibus actionibus, & ijs maximè, quæ ad parandum victum ſpectant,

ſpectant, timorem DOMINI iuſtitiamq; ſequamur, nam diuitiæ malè partæ, maledictionem poſſeſſoribus ſuis accerſunt, & non ſunt ſtabiles. De priore concionatur Michæas cap. 6. Nonne adhuc ignis in domo impij, theſauri impietatis, & modius macilentus ira plenus. De altero verò Hieremias cap. 17. Sicut auis fouet, & non excludit, ita qui facit diuitias nullo iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſsimo ſuo erit deſpectus. Et Prouer. 10. Non proderunt theſauri iniquitatis. At qui iuſtè agit, illi benè erit, nam DOMINVS benedicit toti ipſius œconomiæ, imò alij benedicentur propter ipſum. Iacob Patriarcha in œconomia ſoceri ſui iuſtè & legitimè verſatur, DOMINVS & ſoceri & Iacobi bona ſummis acceſsionibus auget, & cum Laban fraudibus circumuenire Iacobum ſtuderet, tamen res Patriarchæ præter opinionem creuerunt. Viderunt & Ethnici nihil eſſe lucri in opibus iniuſtè partis: κακὰ κέρδεα ἴσα ἀτῆσιν, turpia lucra ſimilia damnis. Quem imitatus Sophocles, dicit: τὰ δεῖνα κέρδη πημονὰς ἐργάζεται, id eſt, mala lucra nocumentum afferunt. Et rurſus admodum ſcitè dehortatur à perſecutione iniuſti lucri: Οὐκ ἐξ ἁπάντου δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν, ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων πολὺς πλείονας ἀτωμένους εἶδοις ἂν ἢ σεσωσμένους, hoc eſt, Non nimium lucro inhiandum eſt, nam turpi quæſtu videas plures lædi, quàm iuuari. Quæ teſtimonia ideo putaui adijcienda, vt intelligeremus maledictionem eorum bonorum, quæ inique acquiſita ſunt, ita claram eſſe, vt Ethnici etiam tales diuitias fugiendas eſſe iudicauerint. Et hæc quidem de bonorum acquiſitione. Sed in eorundem etiam diſtributione rectè nobis verſandum

Heſiodus.

Sophocles in Antigo.

ſandum eſt, nam vt non nobis ſumus nati, ſed patriæ, imò verò omnibus, qui noſtra ope indigent: ita non perſuadeamus in eam nos poſſeſsionem bonorum veniſſe, quorum rationem nullam ſummo illi & optimo œconomo reddere cogamur, ſed partem tuarum opũ ſibi vendicat mendicus, cui eleemoſina ſuccurrendum eſt, partem autem pauper, cui mutua pecunia ſubueniendum eſt. Quæ duo, quanquam impijs hominibus videntur pugnare cum rationibus accuratæ & felicis œconomię, & in ijs detrimentum eſſe iudicant: tamen veriſsimam & certiſsimam credamus ſententiam ſapientiſsimi Solomonis: Fœneratur DOMINO, qui miſeretur pauperis, & viciſsitudinem ſuam reddet illi. *Prouer.19.* Et Eſaiæ Prophetæ: Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſq; duc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris, tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur. Hoc noſter Propheta vnico vocabulo expreſsit: Benè erit viro. *Eſa.58.*

6. *Quia in ſempiternum non mouebitur, in perpetua memoria erit iuſtus.*

Poſſumus hunc verſum cum ſuperiore connectere in hanc ſententiam, eos qui iuſtè agant non commoueri, & illorum memoriam fore perpetuam Et quidem non eſt inconcinna interpretatio, nam qui honeſtè inſtituunt rationes œconomiæ ſuæ, & memores ſunt pauperũ, æterna præmia ſunt habituri ſuæ pietatis, et memoria ipſorum nunquam obliterabitur. Huic ſententiæ aſtipulari videtur cauſalis, quia, qua vide-

tur hunc versiculum cum superiore cõnectere, quamuis Hebræi interdũ coniunctionibus illis propriè non vtantur. At si separatim intelligendus est versus, hanc habebit sententiam: Veræ fidei & pietatis hoc præcipuum prẽmium est, quòd credentes in æternum non cõmouentur, nec detrimentum patiuntur, quia in Dei nõ modò vmbra & protectione, sed adoptione etiam sunt, & eorum memoria et gloria nunquam deleri obliuione poterit, nam vt DOMINVS ipsos interire non sinit: sic eorum gloriam, & in hoc, & in futuro sæculo cõseruat. Hæc de sententia Prophetæ dixisse sufficiat. Duæ aũt sunt res, quæ homines maximè reddunt sollicitos, nempe vt res ipsorũ saluę sint, & memoria æterna sit, in eo ita elaborarunt homines Ethnici, vt nullis laboribus, sumptibus parcerent, libros æderent, pyramides sepulchra magno sumptu extruerent, sed illis præsidijs aut nihil, aut certè parum efficiebant, nam quid præter famam diuitiarum & ingenij sunt consecuti? Verùm hic versus docet, quæ res & immortalitatem nobis & nominis æternitatem conciliet, nempe vera pietas, quæ promissiones habet præsentis & æternæ vitæ, etenim qui vera pietate Deum coluerunt, die vltimo resurrecturi, & cum DOMINO semper regnaturi sunt, nomen etiam & famam ipsorũ, licet ipsi ab hominibus negligantur, persequutionem patiantur, perpetuis laudibus DOMINVS amplificat. Nam si Apostolos spectes, quàm fuerunt iudicio impiorum obscuri, & contempti homines: at quanta ipsorum gloria hodie in toto est mundo, quàm clari, certè ipsorum laus et fama omnes triumphos Imperatorum, Regum pyramides, Philosophorum lucubrationes, omnia

nia antiquitatis monimenta ſuperat: ſed quæ eorum maieſtas in illa altera vita ſit, oculus non vidit, auris non audiuit, nulla denicq; hominum facundia explicare poteſt. Ad illam ergo veram & perennem gloriam toto conatu enitamur, qua re nihil auguſtius & præclarius eſt.

7. *A rumore malo non timebit, paratum cor eius ſperare in* DOMINVM.
8. *Suffultum eſt cor eius, non timebit donec gaudebit de inimicis ſuis.*

Aliud bonum hominis verè felicis recenſet, nempe ſecuritatem in omnibus iſs, quæ formidinem afferunt, cauſam autem addit ab attributo talium hominum. Ideo enim eos intrepidos viuere, quoniam omnem ſpem in DOMINO collocatam habeant. Quando (inquit) triſtia nunciantur, non perturbabitur, nam cor ipſius fiducia auxilij diuini nititur. Similiter cum ab infeſtis hoſtibus impetitur, magno animo, intrepidoq; erit, nec fallet eum ſpes, nam de hoſtibus & inimicis ſuis luculentam victoriam cum exultatione reportabit. Notandum hoc loco eſt, quemadmodum impijs omnis ferè vitæ ſuauitas perit, quia in perpetua trepidatione verſantur, ſicut DOMINVS eis in Deuteronomio minatur: erit vita tua pendens ante te, ſic maximum eſſe donum piorum non timere, non ad quamlibet famam expaueſcere, imò in periculis ipſis excelſo animo eſſe. Hæc autem animi conſtantia à fide proficiſcitur, quæ ſummis periculis certam ſpem auxilij diuini opponit, etenim cũ intelligunt pij DOMINVM

omnium rerũ esse gubernatorem, ac disponere omnia quæ in cœlis sunt, & in terra non dubitant, quanta maxima sint pericula, quę nobis à creaturis imminere videantur, DOMINVM illa omnia mutare posse, & moderari velle etiã, quia pater sit, quia protectionem auxiliumq; suum nobis promiserit. Hoc voluit Dauid, dicens: Hæc poterit mutare dextra excelsi. Item: In DOMINO speraui, quid faciet mihi homo? Et rursus: In te perrumpam turmam hostium, & in Deo meo transgrediar murum. Et iterum: Etsi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo, quia tu mecum es, virga tua, & baculus tuus solantur me. Et Apostolus: Si Deus pro nobis, quis contra nos, &c. Hæc in omni periculo, & summo illo mortis animum addunt. Hæc Simeonem illum solantur, vt intrepidus extremam vitæ horam expetat. Hæc Stephanum confirmant, vt in turba Hebræorum & summo vitæ periculo, tam sereno compositoq; sit vultu, vt angelorum pulchritudini conferatur, imò in ipso cruciatu hostibus benè precetur, placidissimè animam suam commendet in manus DOMINI. Hæc victoria & animi constantia solo Christo nititur, per quem in omnibus malis & periculis triumphamus.

Psal.77. *Psal.118.* *Psal.18.* *Psal.23.*

9. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.*

Aliud attributũ, siue proprietas alia beati hominis, quòd liberaliter iuuat pauperes, & successibus etiam fit mentio, qui tales comitatur. Vsus aũt est ἐμφάσει, nõ ait, dedit pauperib. sed dispersit. Similitudo sumpta est ab

ijs,

ijs,qui ſementem proijciunt,ſic enim hunc locum citauit Paul.2.Cor.9.vt poſtea dicetur. Diſpergendi ergo verbo,liberalem erogationẽ eleemoſinarum intelligit: ſed adduntur præmia, quæ DOMINVS decernit huic beato, nempe quòd iuſtitia eius maneat in æternum, hoc eſt,fructũ huius liberalitatis perpetuum eſſe,quæ à tempore ſumpta amplificatio eſt. Alterum commodũ, quòd cornu eius exaltabitur in gloria, quo ſignificare volunt, beatum illum non ſolùm fructum, ſed etiam gloriam & celebrationem eſſe habiturum, nam per cornu, potentia & ſublimitas intelligitur phraſi Hebræa. Colliganius ergo verba Prophetæ in ſummam. Poſtremò pius ille & verè beatus vir,pauperes liberaliter iuuat, & quemadmodum qui ſementem faciunt, ſemen in copia ſpargunt: ſic ipſius eleemoſinæ non ſunt parcæ, ſed liberaliſsimæ, & quidem hilari fronte erogantur. Quanquam autem iacturam facere ſuorũ bonorum videtur,tamen id ei euenit quod ſeminantibus, nam qui ſementem faciunt libenter & benignè, copioſam reportant meſſem, quamuis abieciſſe frumenta videantur: ſic ille bonus tutam meſſem habiturus eſt ſuæ benignitatis & iuſtitiæ,nam merces eius copioſa erit in cœlis,& DOMINVS eum extollet, & ſumma gloria ornaturus eſt. Hæc Propheta. Suprà breuem duntaxat eius liberalitatis mentionem fecit, vbi dixit: Benè viro qui miſeretur & commodat. Hìc autem non ſolùm eleemoſinas, ſed rationem modumq; liberalitatis deſcribit, vult enim diſpergi diuitias,& dari pauperibus, quod de profuſione non intelligitur, quæ fundum non habet. Nec præcipitur vt nos ipſos fraudemus,& alijs ea demus, vt ipſis quidem 2.*Cor.*9.

sit remissio, nobis verò angustia, quod Apostolo non probatur, sed hilaris in erogando animus requiritur, qui in hoc officio præstando sordidus non sit. Et D. Paulus 2. Cor. 9. egregiè verbum dispergendi non ad quamlibet proiectionem aut dispersionem, sed eam, quæ in conserendis agris fit, applicat. Nam ibi non vnum aut alterum granum proijcitur, sed in copia, verùm ea quæ videtur profusio, nihil habet periculi, nam messis copiosa omnia cum fœnore restituit: ita Paulus hortatur, vt hilari & liberali animo pauperibus succurramus, nam DOMINVM omnia esse restituturum, & quidem cumulatissimè. Et Psalres istam iustitiam perpetuam esse dicit, & quidem cum gloria æterna coniunctã. Nam cum venerit filius hominis in gloria, *Matth. 25.* tum palàm prædicabuntur eleemosinæ: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi edere, sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Et parabola de iniquo dispensatore docet, fructum erogatarum eleemosinarum in futura vita expectandum esse, sed de eleemosinis aliàs copiosius.

10. *Impius videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium impiorum peribit.*

In fine Psalmi vno duntaxat versiculo hominem impium & infelicem describit, & per antithesin illi beato opponit, pingens gestum hominis inuidi: Homo (inquit) pius, aduersis etiam rebus non terretur, quia est erecta in DOMINVM fide cõfirmataq;, item, hęc est eius voluptas dispergere, iuuare alios, misereri.

Impius

Impius autem ne felicitatis quidem piorum poteſt eſſe ſpectator, ſed perturbatur, & inuidet pio homini ſuam felicitatem, dentibus frendens, & toto corporis geſtu animi morbum prodens. Piis in tenebris exorta eſt lux, conſolatio & auxilium, Impij tabeſcent & peribunt. Pijs res ex animi ſententia ſuccedet, & exaltabitur cornu ipſorum, Impiorum verò omnia deſideria & conatus erunt irriti, maximè ij, quos contra pios ſuſcipiunt. Quantum malum inuidia ſit oſtenditur, quæ nihil affert emolumenti ſuo Domino, imò excruciat eum, vt contabeſcat. Salomon Prouerbiorum 14. ſcribit: Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſsium inuidia. Paulus ad Galatas 5. vocat mordere & deuorare inuicem. Hæc egregiè Hieronymus expreſsit, cum in hæc verba ſcribit ad Demetriadem: Oro te, quid delectationis præſtat inuidia? quem ſecretis quibuſdam conſcientiæ vngulis liuor ipſe diſcerpit, & alteram felicitatem eius tormentum facit. Et Chryſoſtomus ſuper Matthæum: O inuidia quæ ſibi ſemper eſt inimica, nam qui inuidet, ſibi quidem ignominiam facit, illi cui inuidet gloriam parit. Et præclarè Iſodorus inuidiam animæ tineam vocat, quia ſenſum comedat, pectus vrat, mentem affligat, cor hominis quaſi quædā peſtis depaſcatur. Ideo Ethnicus Poëta egregiè cecinit: Inuidia Siculi non inuenêre tyranni. Maius tormentum. *Horat. lib. 1. Epiſt. 2.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Vſum huius Pſalmi dulciſsimus ſeruator noſter pauciſsimis verbis ita expreſsit, vt nihil poſsit dici breuius

uius aut elegantius: Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et Paulus: Pietas ad omnia eſt vtilis, vt quæ promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ. Audimus enim pios, qui per veram fidem iuſtitiam regni Dei quæſiuerunt, & fundamentum ſuæ felicitatis fecerunt DOMINVM, omnia quæ ad beatè viuendum pertinent poſsidere: diuitias in temporum difficultatibus, conſolationem in perturbatione, ſecuritatem in periculis, gloriam denique in tota vita, quæ quidem omnia ab impijs auidè expectantur, ſed aut nihil illi omninò conſequuntur, aut certè vmbram pro rebus ipſis præhenſant, nam conſolationes & recreationes petunt ex voluptatibus corporis, quæ nõ minus ſunt fragiles, quàm floſculi, qui leui vento impulſi, decidunt: ſic gloriam ex ijs rebus ſibi comparare ſtudent, quę in hoc mundo pompam & oſtentationẽ habent, ſed cum omnis caro ſit fœnum, & omnis gloria mundi euaneſcat, ſimul etiã perit ipſorum ſpes omnis. Quod ſi ſolida fundamenta iacere felicitatis noſtræ, & ἀυταρκείας noſtræ volueri-mus, pietati ſtudeamus, proximos amemus, iuuemus omni ratione & via, tùm nos gloria, vt vmbra, comitabitur. Deinde multiplex huius Pſalmi vſus erit in afflictionibus, nam quàm primum res aduerſæ nobis obijciuntur, clamamus nos miſeros & infelices eſſe, cum tamen hoc loco Spiritus ſanctus doceat: Beatum illũ quem deſcribit, ſæpè in tenebris, hoc eſt, miſerijs verſari, habere aduerſarios, audire horribiles rumores de ingruentibus malis, ſed in his tamen lucem promittit, conſolationem & auxilium Dei, ac oſtendit ſanctos in ipſis periculis animo eſſe confirmato & excelſo, quia cor eorum vera fide nitatur. Pſal-

Psalmus 113.

Halleluia.

Laudate serui DOMINVM, &c.

ET titulus & contextus Psalmi suculenter ostendunt hoc carmen esse laudationẽ DOMINI. Quidam autem interpretes duntaxat ad Christum & eius regnum referunt, alij verò in genere de laudatione & prædicatione nominis diuini intelligunt, & adducuntur inprimis eo indicio, quòd DOMINVS potissimùm à clementia sua, qua inopes & pauperes respicit, laudetur. Ego verò vtramq; interpretationem locum habere credo, nam & de celebratione nominis diuini, & vero præcipuè de summo indicio clementiæ diuinę in Christo exhibito potest intelligi. Nam DOMINI certè clementia melius celebrari non potest, quàm in filio, nec conspectior est in alijs, quàm in beneficijs, quæ Ecclesiæ suæ præstat, itaq; & in thesi & deinde hypothesi de Ecclesia & Christo interpretabimur.

1. *Laudate serui DOMINVM, laudate nomen DOMINI.*
2. *Sit nomen DOMINI benedictum, ex hoc tempore & vsq; in sæculum.*
3. *Ab ortu solis vsq; ad occasum, laudabile nomen DOMINI.*

Hi tres verſiculi ſunt propoſitio totius Pſalmi, quibus hortatur Dauid ſanctos, vt celebrent & laudent nomen DOMINI, hoc eſt, ipſum DOMINVM, aut certè DOMINI gloriam extollant. Propoſitio autem cum amplificationibus quibuſdam propoſita eſt. A perſonis, omnes ſerui DOMINI, id eſt, pij hoc faciant, nec vno tempore, ſed perpetuò, nec vno loco, ſed ab ortu, &c. hoc eſt, toto terrarum orbe. Eſt etiam cum elegantia repetitum vocabulum laudis: Laudate, ſit nomen DOMINI benedictum. Noſtri homines fortaſsis his verbis propoſuiſſent: Adeſte quotquot eſtis ſerui & veri cultores Dei, & nomen Dei Opt. Max. celebrate, ſitq; illa laudatio non temporaria, ſed perpetua, etenim non ſolùm in hoc ſæculo, ſed in futuro etiam, hoc erit muneris & officij veſtri, vnà cum ſanctis angelis laudare DOMINVM. Nec in hoc orbe terrarum vnus aliquis locus iſtas DOMINI laudes habeat, ſed ad quatuor vſq; orbis partes diuulgetur. Hæc iſto verſu Pſaltes proponere voluit. Tenendum aũt eſt, cum ſancti Dei homines illuſtrati Spiritu ſancto, toties nos ad gratiarum actionem adhortentur, neminem ſine nefario ſcelere gratiarum actionem prætermittere poſſe. Etenim ſi patronum aliquem haberes, qui te ſub Turca captiuum, omni ſua pecunia in libertatem aſſereret, qui pauperem in domum reciperet, in filium adoptaret, hæreditatem ampliſsimam teſtamento tibi legaret, an non tu eum omnibus officijs & beneficijs complectendum & demerendum iudicares? quàm autem portentoſæ, imò diabolicæ ingratitudinis eſſet, eiuſmodi benefactori, cum paribus beneficijs ei reſpondere non poſsis, non vel gratæ mentis ſignificationem

tionem, & ea officia, quæ à te proficiſci poſſent, velle exhibere? Quis autem non videt, eos, qui ingrati erga Deum Opt. Max. ſunt, ſummi illius ſceleris reos eſſe? Obliuiſceris certè te captiuum diaboli fuiſſe, Chriſti ſanguine redemptum, factum Dei domeſticum, imò filium, hæredem Dei, & cohæredem Chriſti. Itaq; ne ad reliqua delicta, quorum innumera ſunt, hoc quoq; accedat, omni animorum & virium contentione nos da veram gratitudinem accingamus, quæ tum vera erit, ſi nullas eius occaſiones neglexerimus, toto animo, viua voce, & virtutibus verè Chriſtianis, docentes nos ad prædicationem ſanctiſsimi nominis diuini, omni noſtro ſtudio paratos eſſe.

4. *Excelſus ſuper omnes gentes* DOMINVS, *& ſuper cælos gloria eius.*

In hoc Pſalmo duabus rationibus probat Deum laudandum, extollendum, glorificandum eſſe ab omnibus & omni tempore. Prima, quia ſumma ipſius maieſtas & potentia. Altera, quòd cum ſummus ſit, tamen non deſpiciat humiles, ſed ſit erga eos clementiſsimus. Quod ad verſiculum iſtum attinet, ita cum ſuperiori paraphraſi cohæret. Et quidem iure optimo hoc fit, nam DOMINVS eſt, quod dicitur verè Maximus, cui omnes gentes, nationes, populi ſubiecti ſunt: quis ergo non diceret tantum regem ab omnibus colendum & laudandum? DOMINI eſt terra, & omnis plenitudo. Filius dominatur à mari vſq; ad mare, quis ergo non diceret omnibus locis eum celebrandum, qui vbiq; dominatur? Nec terrenus rex eſt, cuius glo-

ria & maiestas duntaxat in terra conspiciatur, sed est DOMINVS cœli, & terræ simul, pater æternæ vitæ, & futurorum bonorum, vbi & suam gloriam sanctis & electis demonstraturus est. Ergo ei DOMINO æterna laus & celebratio debetur. Hoc vult versiculus iste. Non autem opus est pluribus de hac re dicere, nam si generalem (vt Theologi loquuntur) actionem considerauerimus, quis non intelligit Deum esse rectorem, gubernatorem omnium, qui facit omnia, quæ sunt in cœlo & in terra. Quod si actionem (vt vocant) specialem intueamur, Ecclesia Christi toto terrarum orbe
Dan.7. diffusa est, ac filio hominis in Daniele omnis potestas, honor, & regnum datur, omnes populi, tribus, & linguæ, seruituti ipsius subijciuntur. Et vt in Paraphrasi est annotatum, Dominium à mari ad mare, hoc est, ab oceano ad oceanum ipsi datum est. Hæc autem nō solùm ad celebrationem nominis diuini nos inuitare debent, sed etiam ad veram fidem, ex qua laudatio illa nascitur. Nam cum sciamus DOMINVM vbiq; præsto esse, certò nobis persuadeamus, nos vbiq; ab ipso respici, exaudiri, iuuari. Deinde quia omniū gentium DOMINVS est, intelligamus & nos ad ipsius regnum vocari, nec vllum excludi, nisi qui se subijcere illi regno noluerit. Et cum audiamus gloriam ipsius esse supra cœlos, & esse patrem æternitatis, non cogitemus in hoc mundo nobis habitandi, sed duntaxat commorandi locum datum esse, cogitemus municipatum nostrum esse in cœlis, vnde & expectamus DOMINVM nostrum Iesum Christum, ibi DOMINVM facie ad faciem videbimus, non in ænigmate & in speculo, sed videbimus eum, vt est, & reddemur similes corpori

ipsius

ipsius glorioso, ibi erit schola veræ & æternæ laudis, & celebrationis, quam cum sanctis angelis in omni æternitate sumus susceputi.

5. *Quis sicut DOMINVS Deus noster, qui in altis habitat?*
6. *Humilia respicit in cælo & in terra.*

Egregiè inter se contendit summam DOMINI sublimitatem, & eiusdem erga infimos quosq; & humiles clementiam. Quæ præclara laus est DOMINI, non velle eum nos negligere, quia maximus & potentissimus est, nec abijcere nos propter miserias nostras, sed descendere, & quasi submittere se ad nostras necessitates & calamitates. Figurauit hunc versum interrogatione: Quis, inquit, sicut DOMINVS Deus noster, &c. & per prosopographiam & topographiam, dicit eum in altis habitare, quo verbo eius potentiam & sublimitatem describit. Et vt paucis verbis sententiam Prophetæ includamus, hæc est mens horum duorum versiculorum: Quanquam autem maiestas DOMINI tanta est, vt nemo ne tacitis quidem cogitationibus assequi eam possit, tamen in illa sublimitatis ipsius meditatione hoc præcipuum est, quòd cum eius infinita sit sublimitas & maiestas, tamen se salutis nostræ causa, ad nos miseros homines demittit, & quò quilibet est humilior, eò eum magis respicit, eiusq; in cœlis & terra multa indicia & argumenta præstitit, dum & angelos obedientes seruat, deiectis superbis illis, & per filium suum vnigenitum omnes qui laborant & onerati sunt, tam clementer vocat, & recrea-

tionem promittit. Docet nos Spiritus ſanctus, quo modo exuſcitandus animus ſit ad veram gratiarum actionem, & qua etiam ratione nos approbare Deo debeamus. Sunt autem præcepta quatuor. Primum, vt conſideremus DOMINI ſublimitatem. Alterum, vt noſtram miſeriam. Tertium, DOMINI clementiam & bonitatem, qua nos reſpicit. Quartum, quales nos eſſe oporteat, vt clementiæ diuinæ poſsimus fieri participes, nempe vt nos humiliemus ſub potenti manu Dei. Circa primum caput diligenter nobis cogitandũ eſt, Deum eſſe immenſum, incorporeum, omnipotentem, creatorem omnium, infinitæ potentiæ & maieſtatis. Præterea eſſe ſanctum, iuſtiſsimum, puritatem & innocentiam ipſam, cui non placeat iniquitas, neq; habitet iuxta ipſum malignus. Econtra autem noſtram & miſeriam & imbecillitatem conſideremus. Sumus enim homines poſt lapſum primorum parentum infeliciter nati, in peccatis concepti, iureq; optimo poſſemus, vt fœdiſsima monſtra, ſtatim ad æternos cruciatus abiici: Nam ſtipendiũ peccati eſt mors, & tranſgreſſoribus legis omnis generis maledictiones debentur. Deinde experimur etiam in hac vita pœnas dignas peccato, vt quòd anni vitę noſtræ abbreuiantur, & nos omnes rapit inclementia mortis. Ideo etiam Hebræi putant hominem à miſeriis nomen accepiſſe, nam אנוש hominem אנעש, dolorem miſeriamq; ſignificat. Iam verò vt ad tertium accedamus, quod maximum pondus habere debet, ad accendendam in animis noſtris gratiarum actionem, quàm admiranda quæſo DOMINI clementia eſt, quòd cùm ſumma maieſtas ſit, nos miſeros vermiculos curat, quòd fœdiſsimos homines

non

non perdit & peſſundat, quantum quod viſitat etiam, & quidem per filium ſuum vnigenitum, quòd eundem propter nos omni contemptus, moleſtiarum & miſeriarum genere paſſus eſt affligi, quòd ad crucia-tus abijcit, quòd ad infimas partes terræ eum vult deſcendere. Hæc tanta ſunt, vt angelorum voce ſatis celebrari nequeant. Quod ipſe Chriſtus voluit, dicens: Sic dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitū daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Nam illa verba per admirationē ſunt propoſita, SIC DILEXIT DEVS MVNDVM, q.d. tam magna fuit dilectio Dei patris erga genus humanū, vt filium daret. Et Paulus: Certus ſermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum, peccatores ſaluos facere. Et D. Bernhardus: Quàm diues eſt in miſericordia? quàm magnificus in iuſtitia? quàm munificus in gratia, DOMINE Deus noſter? non eſt qui ſimilis ſit tibi, munerator copioſiſsime, remunerator æquiſsime, liberator piiſsime, GRATIS RESPICIS humiles, iuſtè iudicas innocentes, miſericorditer etiam ſaluas peccatores. Ad extremum notandum eſt, qui nam ſint illius miſericordiæ participes, qui videlicet non ſolùm ſunt peccatores, ſed qui humiles. Potuiſſet dicere Prophe-ta, DOMINVS reſpicit peccatores, ſed dicit, eum reſpicere humiles. Non enim ſatis eſt ad conſequendam DOMINI miſericordiam, miſerū eſſe, niſi etiam agnoſcatur morbus, & humiliter cōfugiamus ad Chriſtum mediatorē, iſtos demū humiles DOMINVS reſpicit: Ad quem, inquit DOMINVS, reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermo-

Ioan.3.

1.Timo.1.

Bernhard. ſermo.75.

nes

nes meos. Et Christus dulcissimus seruator: Qui se humiliat, exaltabitur. Et Petrus: Humiliamini sub potenti manu Dei. Sic publicanus ille, tundens pectus suum, nec audens oculos ad cœlum extollere, iustificatur. Sic Petrus amarissimas fundens lachrymas. Sic D. Paulus sua omnia pro abiectamentis habens, & soli Deo dans gloriam. Ita nos omnes affectos esse decet, ne nostra aut excusemus, aut de operibus nostris gloriemur, sed soli Deo demus gloriam, & totam spem in ipsius merito collocatam habeamus.

7. *Ipse erigit de puluere egenum, & de stercore extollit pauperem.*
8. *Vt collocet cum principibus, cum principibus populi sui.*
9. *Ipse ponit sterilem in familiam, & in matrem ob filios lætantem, Halleluia.*

Secunda est celebratio nominis diuini propter clementiam. Nam antea quidē (vt diximus) de summis indicijs clementiæ diuinæ, quæ per filiū nobis præstitit, loquutus est, vbi misericors Deus peccatores in gratiam recipit. Nunc de externis beneficijs concionatur, quæ DOMINVS confert in miseros, pauperes, & humiles. Duo autem sunt genera hominum miserorū & humiliū. Vnum, qui ab alijs conculcantur, & vt ipse grandi verbo rem proposuit, IACENT in puluere & in stercore, eos sic euehit, vt non modò erigat è puluere, sed etiam euehat ad summam dignitatem, collocet cum principibus, & quidem sui populi. Alterum genus sunt viduæ, & quidem steriles, quæ tum inprimis quòd sterilitas probrosa esset, in contemptu maximo erant,

erant, eas extollit, vt & honestè domi sua manere possint, & lætentur etiam: DOMINVS (inquit) non solùm humiles peccatores seruat, sed etiam omnes qui contempti abiectiq; sunt, & quasi hominum pedibus conculcantur, erigit & euehit ad summas dignitates in populo suo. Præterea cùm muliere & vidua & sterili nihil sit contemptius, tamen DOMINVS eas ita non negligit, vt & honesta subsidia vitæ præbeat, ac liberis præter expectationem exhilaret. Hæc omnia paucis verbis complexa est D. Virgo: Disposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Nõ autem opus est multa exempla congerere, quomodo illa DOMINVS præstiterit, cum omnes historiæ scateant. Populum suum abiectissimum, quo argumento est scriptus sequens Psalmus, euehit, vt sit inter omnes alios eximius: Non fecit, inquit, taliter omni nationi, Iosephum à fratribus contemptissimum, facit Dominum reliquorum. Dauidem à caulis ouium vocat ad principatum & regnũ, vt est scriptum Psalmo 78. Sic non despexit Hannam, Elizabetham, nec humilitatem (vt D. Virgo præclarè cecinit) ancillæ suæ, sed euexit ad nominis immortalitatem, & quos in hoc sæculo non euehit, eos in futuro extollit, vt, Eleazarum angeli ducunt in sinum Abrahæ, quò significetur, DOMINVM omnes miseros, sed tamen pœnitentes velle respicere, & æterna gloria ornare.

VSVS HVIVS PSALMI.

Qui in animi perturbatione sunt, illi solent DOMI-

NVM ex hominũ ingenijs moribusq; æstimare, nam putant DOMINVM, cum sit infinitæ potentiæ & maiestatis, non curare pauperes & inopes. Huc accedit etiam alia tentatio, si DOMINVS respiceret inopes, non passurum eum, vt sic conculcarentur miseri à potentioribus. Postremò putant etiam se abijci propter peccata sua, cum sciant, DOMINVM esse sanctum & iustum. His grauissimis procellis tentationum, medetur hic Psalmus, nam suauissimam habet consolationem, DOMINVM cum maiestate sua coniunctam habere etiam summam clementiam erga genus humanum, & quòquisq; & propter peccata, & inopiam ac contemptum abiectior sit, si modò se ad veram pœnitentiam rectè comparet, tantò magis eum à DOMINO respici.

Psalmus 114. & 115.

Halleluia.

In exitu Israël de Ægypto, &c.

LAtini hos duos Psalmos coniungunt, Hebræi separant, cum autem videamus eos & argumento & nexu inter se cohærere, nos luimus distrahere, nec nos mouet quòd in Hebræo disiungantur, nam quidam codices Hebrei & 115. in duas partes diuidunt, priorem ab initio vsq; ad verba illa: DOMINVS memor est nostri, &c. alteram

ram ab isto versu ad finem vsq; sumentes. Itaq; verisimile est vnum Psalmum fuisse, sed qui in festo Paschatis tribus interuallis recitaretur aut caneretur, certè ostendemus in progressu, Psalmum 115. aptissimè cum priore cohærere. Scopus autem vtriusq; Psalmi est, DOMINVM in eductione populi ex Ægypto, manifestis indicijs præsentiæ suæ iuuisse suam Ecclesiam, quibus omnibus docuerit, se & clementem esse populo suo quem elegerit, & seruare velle promissiones ei datas, præterea etiam maiestatem declarare ita voluit, vt ne Gentes quidem possint eam negare. Econtra autem vanitas idolorum, & quàm nihil possint ea præstare, per antithesin opponitur. Tertiò, ex his extruit generalem & egregiam adhortationem, cùm idola nihil sint, in solo Deo fiduciam collocandam, quia ipse sit Ecclesiæ & piorum protector, quòd benedicat ei, ornet donis, ac velle etiam ista beneficia cumulare, & in omnem æternitatem conseruare. Postremò promittitur gratiarum actio siue remuneratio, quòd Ecclesia velit nomen DOMINI semper celebrare, hoc enim esse nostri officij dum vitam agamus in his terris, defunctos autem non laudare posse DOMINVM.

1. *Cùm egrederetur Israël ex Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.*
2. *Fuit Iuda ei in sanctificationem, & Israël dominatio eius.*

Psaltes suo modo præmittit propositionem. Cùm Israëlitæ educerentur ex Ægypto è seruitute maxima, ibi DOMINVS declarauit Ecclesiam suam sibi curæ esse, non enim tum primùm Deus cœpit DOMINVS

esse Israëlis, sed sui auxilij protectionisq; tam manifesta indicia ædidit, vt omnes intelligerent illum populum diuinitus iuuari & protegi. Quanquam enim hoc loco Spiritus sanctus concisa breuitate videtur vsus, tamen multa latent, quorum summa duntaxat capita Paraphrasi attingemus. Quanquam Deus Opt. Max. promissionibus et miraculis Ecclesiam suam omnibus temporibus protexit, & clementer ex periculis maximis eripuit, nullibi tamen luculentius auxilium suum ostendit, quàm cum Israëlitæ, qui à Iacobo illo magno Patriarcha sunt oriundi, ex Ægypto & grauissima seruitute, quam sub barbara & inhumanissima gente perpessi sunt, educerentur. Nam DOMINVS ingentibus miraculis docuit, Iudæos sibi præ reliquis populis egregiè charos & eximios esse, imò verò se eius gentis esse regem, principem & ductorem. Suprà in Psalmo quodam diximus, Dauidem varias rationes laudandi Dei instituere, quod sanè hactenus animaduertimus & vidimus. In hoc Psalmo illustre exemplum clementiæ diuinæ erga suam Ecclesiam proposuit in eductione Ægyptiaca, vt inde omnes pij consolationem peterent, DOMINVM nunquam deserturum esse suam Ecclesiam, sed hoc in progressu melius intelligetur. Notanda autem sunt duo epitheta, quæ Ecclesiæ tribuit, dicens, eam esse DOMINI sanctificationem, item dominationem eius. Quanquam enim ista primùm de Israëlitis dicta sint, Israël esse DOMINI primogenitũ, DOMINVM habitare in illo populo, hæreditatem esse
Exo.19. DOMINI, gentem sanctam, regnum sacerdotale, tamen quis non videt illa etiam ad eos Israëlitas pertine-
1.Pet.2. re, qui fide tales habentur? Sunt enim certè genus electum,

electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit. Et cum ipse Deus sit DOMINVS & princeps Ecclesiæ suæ, à quo trepidabunt? si Deus pro Ecclesia sua stat, quis contra eam dimicabit? Has consolationes accommodemus ad nostras vtilitates. Nam cum in Baptismo in vrbem istam recepti, & ciues etiam in cœlesti illa ciuitate, imò, vt Apostolus dicit, domestici Dei simus, certò nobis persuadeamus, nos etiam gauisuros omnibus priuilegijs illius, & sub protectione DOMINI tutos esse futuros.

3. *Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.*
4. *Montes exilierunt vt arietes, & colles quasi agni ouium.*
5. *Quid est tibi mare quòd fugisti, & Iordanis quòd conuersus es retrorsum?*
6. *Montes exilijstis vt arietes, & colles sicut agni ouium.*
7. *A facie DOMINI mota est terra, à facie Dei Iacob.*
8. *Qui conuertit petras in stagna aquarum, & petram in fontes aquarum.*

Propositionem, quòd DOMINVS luculenter demonstrauerit se adesse illi populo, probat enumeratione miraculorum, quæ DOMINVS, educens populum, ædidit in mari, in Iordane, in monte Sina, cum totus mons terræmotu concuteretur, in petra quæ feriente Mose, fundebat affatim aquas. Nec contentus est nuda historiarum recitatione, sed lumina figurarum addit Dialogismum, Prosopopœiam, Apostrophen. Nã mari, Iordani & montibus, sensum & formidinem tribuit, & cum eis, ac si homines essent, colloquitur, id quod in Paraphrasi melius cernemus. Nam, inquit,

cum totus populus ad mare rubrum conſtitiſſet, mare exterritum refugit, & Hebræis tranſitum præbuit, quod etiam ipſum poſtea, cum in terram Canaan introducerentur, in Iordane factum eſt. Et vt vis aquarum mobilitasq; tum quaſi ſiſtebatur, ita viciſsim cum in monte Sina DOMINVS legem promulgaret, iuga montium, aliàs mole ſua firmiſsima, & colles terræmotu ita concuſsi ſunt, vt veluti oues & agni primo vere laſciuientes, exilirent. Quale tibi, ô mare, tum ſpectaculum obiectum eſt, vt ad eum modum trepidares & fugeres? cum aliàs hominibus metum formidinemq;, præſertim cum ventis & procellis agitaris, incutias, cedas nemini, imò naues maximas ſæpè cum mercibus & nautis abſorbeas. Et quis te quæſo Iordanem inter Iudææ fluuios principem, ac tùm cùm tranſitus populi eſſet, pleniſsimo alueo fluentem, (primo enim vere
Ioſu.3. plurimis aquis auctus exundabas, & tumidiſsimus extra alueum & ripas tuas ambitiosè vagabaris) tam citò in fugam vertit? quis te ferocientem vno momento cohibuit, vt præterlabi non amplius auderes? & fluctus tuos trepidos, veluti murum ſuſpenderes, & Hebræis fieres peruius? Quæ autem vos altiſsima iuga montium, quæ immota à prima origine fuiſtis, cauſa mouit, vt non aliter quàm agni laſciuientes exilirestis? Non hoc Hebræorum, ſed Dei præſentia fecit, qui ſe huic populo ducem præbebat, huic vt par eſt, loco cedere, ad ipſius conſpectum nutumq; contremiſcere & ſubſilire cogebamur, quemadmodum & aliæ creaturæ ipſi paruerunt, nam & duriſsima rupes illa deſerti, in qua ne guttula quidem aquæ erat, ipſo iubente, non modò ſcaturigines fontium concepit, ſed

tantam

tantam vim aquarum profudit, vt repente ibi stagnum fieret, & ad aquationem tot hominum milibus & iumentis ipsorum præberet. Hactenus verba Prophetæ sumus prosequuti. At non sine causa fortasis quispiam mirabitur, DOMINVM ex tãto cumulo miraculorum, quæ tum ostendit ista, quæ nunc audiuimus duntaxat eligere voluisse. An non grandines, tenebræ, ciniphes, iumentorum hominumq; interitus, denicq; regis Pharaonis fatales pœnæ tantum admirationis habuerunt, quantum illa miracula, quæ sunt à Dauide recensita? Respondeo. Voluisse hoc loco DOMINVM ea duntaxat miracula commemorare, quæ seruierunt commodis & vtilitatibus populi Dei, & interim seueritatis illa documenta reticere, sed in his etiã quæ commemorat, non vnum genus miraculorum fuit. Nam primùm ea quæ maximè instabilia sunt, & in perpetuo fluxu immota fecit, & ea quæ durissima sunt, in aquam resoluit. Rursus, cum hostis Pharao vlciscendus, mare ad naturam suam redit. Hoc certè illud est, quod postea dicetur: Deus noster in cœlo omnia quæcunq; voluit, fecit. His miraculis eximitur humanis animis id, quod eos maximè tenet sollicitos, nempe quòd tacitè sibi persuadent, creaturas dominari, nam quando in periculo aliquo sunt, aut alias de rebus necessarijs deliberationes habent, semper ipsis ob oculos versantur creaturæ, nec solùm versantur, sed comitatur eas ea opinio, non posse aliter res euenire, quàm ille velint, nec plus esse subsidij, quàm ista nobis ostendant. Imò interdum creaturæ ita videntur præualere, vt de diuinis etiam promissionibus dubitemus. Sed quid hoc aliud est, quàm DOMINVM de cœlis

velle

velle deturbare, & exuere eum maiestate sua. Etenim si Deus ita alligatus est creaturis, vt quod ipsæ volunt, sequi cogatur, quomodo DOMINI & dominij laudem obtinere poterit, perinde enim erit, ac si quis eques ferocienti equo insidens excussis habenis moderari eum non possit, sed rapiatur eò, quo iumenti ferocia eum pertraxerit, hoc spectatoribus ridiculum est, & quidem in homine. Quàm autem blasphemum est talem ἀδωναμίαν & impotentiam Deo tribuere, vt creaturæ creatorem ad sua obsequia trahant, & vt feratur equis, nec audiat currus habenas? Nos autem certò statuamus, DOMINVM vt omnium rerum creatorem, sic gubernatorem & DOMINVM esse, nec vnq̃ persuadeamus nobis sceptrum ei è manu excussum esse, quod si fecerimus, ire ijs cogitationibus obuiam poterimus quæ nos turbant. Ita enim cogitabimus, quemadmodum Psalmo 77. scriptum est: Et dixi hæc est ægritudo mea, sed hæc mutare potest dextera excelsi. Et Psal. 73. Tenuisti manu dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me, & cum gloria suscepisti me, quem in cœlo & in terra præter te desiderarem? Denicq̃ cogitemus id quod Christus Matth. 19. dicit: Apud homines hoc est impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Cum paucis panibus DOMINVS ingentem multitudinem cibare vellet, discipuli panes duntaxat intuentur, & negant posse DOMINVM tam paucis panibus suis subuenire, sed re ipsa ostendit, DOMINVS se non astrictum esse rerum aut quantitati, multitudini, aut paucitati, sed tàm posse exiguo numero iuuare quàm magno, tàm in paucitate quàm in copia: ita illos tàm multos paucis panibus

panibus cibauit: & Gedeoni victoriam non per mul- *Iosu.7.*
tos, sed paucos tradere voluit. Quid autem mirum est si ista faciat, cum ex nihilo omnia creauerit? Quid quòd singulis rebus ipse naturam suam indidit, quomodo ergo rerum naturalium actiones non suspenderet, per quem res omnes mouentur & sunt? quomodo non ipso volente interquiescerent? Sic ignis in ardenti camino, in quem sodales Danielis coniecti sunt, nocere ipsis non potuit, nec leonina ferocia Danieli quicquam attulit incommodi: ita quæ minimè nobis peruia videntur, vt Israëlitis mare & Iordanis ipso DOMINO iubente, commodum iter præbent. Nam mare rubrum Hæbreis non modò viam prębuit compendiosam, sed etiam tutam & vtilem, vt hostem infestum effugerent, & coram oculis vltionem DOMINI cernerent. Sic in omnibus periculis ad DOMINVM respiciamus, cui nulla via inuia est, & nihil remotum à potentia & maiestate ipsius. Iam cum audiamus omnes creaturas tam obsequentes esse DOMINO, vt & statione & loco suo cedant ac deserant quasi suam naturam, quid nos facere decet, qui reliquarum creaturarum DOMINI cõstituti ad laudem celebrationemq; diuinam nati sumus, quanta veneratione, quàm sollicita cura id agere debemus, vt & vita & morte nostra DOMINVM celebremus.

Psalmus 115.

1. *Non nobis DOMINE non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam & veritatem tuam.*

2. *Quare dicent gentes vbi nunc est Deus eorum?*
3. *Deus autem noster in cælo omnia quæcunq; voluit, fecit.*

Ea quæ hactenus dixit ad confirmandam propositionem suam, in summam colligit. Hæc omnia miracula seruire gloriæ DOMINI, qui laudem suæ erga Ecclesiam misericordiæ ac promissionum suarum constantiam, denicq; potentiam hisce ita declarauit, vt nemo negare aut inficias ire possit.

Accommodemus nunc verba Prophetæ ad nostras & vsitatas formulas contexentes cum superioribus. Horum ingentium miraculorum gloria non ad nos pertinet, qui si nos nostro pede metiamur, omni tuo fauore sumus indigni, sed nomini tuo sanctissimo DOMINE omnis debetur. His enim tantis miraculis probare voluisti (quod etiam, vt porrò facias, oramus) te summa misericordia & amore prosequi Ecclesiam tuam, & promissiones ei exhibitas, ratas velle habere, quod inter tot impedimenta & pericula tam clementer eam conseruaris. Quomodo autem impij in posterum isti tuæ gloriæ detrahere poterunt? an expeditum amplius ipsis erit obijcere Hæbreis, quod semper in ore habent, vbi est Deus vester, quando vobis aderit? cum maximis istis miraculis demonstratum satis sit, DOMINVM Deum nostrum vt in cœlis habitat, sic quæcunq; velit, liberrimè facere, ac creaturas omnes ipsius voluntati parere.

Omissis alijs, quorum cogitationem nobis renouant hi versiculi, teneamus omnia, quæ ad vtilitates hominum à DOMINO comparata sunt, non habere aliam causam quàm bonitatem diuinam, si interroges

quare

quare hic mundus conditus sit, cur creati homines? verè respondebimus, quia Deus Opt. Max. qui est summum bonum, suam bonitatem declarare creaturis voluerit, nam (vt Bernhardi verbis vtamur) nullo suo commodo DOMINVS te creauit, cum Psalmus dicat, ipsum nostris bonis non egere, nec meritum esse potuit, apud eum qui non fuit. Deinde si quis interroget cur populum Hebræum elegerit, ac tantis miraculis in terram Canaan introduxerit, introductum autem tutatus sit aduersus tot agmina hostium infestorum? certè gloriam & causam horum beneficiorum in ipsum populum referre non poteris, nam præterquod ad pietatem parum docilis fuit, tum etiam duræ (vt scriptura loquitur) ceruicis erat, qui nihil minus potuit, quàm se obsequijs DOMINI tradere. Quæ ergo causa fuit tot beneficiorum? Dei bonitas, qui patribus promissiones ex mera misericordia dedit, easq; noluit esse irritas. In electione eorum, qui ad vitam æternam destinati sunt, quid quęso DOMINVS inuenit quod nostrum sit? nam si, quales à prima origine sumus, intuetur, nihil præter deformem & detestandam massam peccati inuenit. Si qui à nobis fructus proficiscantur volet æstimare, præter materiam damnationis nihil inueniet: & quid potuit inuenire apud eos qui nondum erant, & qui si maximè essent, nihil erant habituri quod probaretur, nisi ex bonitate eius possiderent? aut quid tum erat in meritis nostris Deo expetendum, cum nõdum nec nos essemus, nec mundi fundamenta posita? Tota ergo ratio electionis est ipsius misericordiæ, cui enim vult, miseretur. Ergo semper hanc γνωμὴν in ore habeamus: non nobis DO-

MINE ſed nomini tuo da gloriam, & Paulinam illam: qui gloriatur, in DOMINO glorietur. Deniq; cum eodem Apoſtolo in genere fateamur, nullam nos gloriationis materiam, quàm in cruce DOMINI noſtri Ieſu Chriſti habere. Videmus etiam cæcitatem ſatanicam impiorum, qui ſubinde à piis requirunt, vt auxilij DOMINI ſpecimina monſtrent, cum tamen hiſtoria totius mundi teſtetur, DOMINVM omnia quæ vult facere in cœlo & in terra. Phariſæi & Scribæ ſignum petunt à Chriſto, cum tamen nulla eſſet tum dies, quo non ſtupenda miracula æderentur à Chriſto & Apoſtolis: ſic in cumulo miraculorum homines quotidiè quærunt noua miracula, alias negant DOMINVM præſentem eſſe.

Matth.12.

4. *Simulachra illorum ſunt aurum & argentum, opera manuum hominum.*
5. *Os habent & non loquuntur, oculos habent ſed non vident.*
6. *Aures habent ſed non audiunt, nares habent ſed non odorant.*
7. *Manus habent ſed non palpant, pedes habent ſed non ambulant, neq; loquuntur per guttur ſuum.*
8. *Similes illorum ſunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Vt piorum fides melius confirmetur, & obuiam eatur gentilibus, qui verum Deum blaſphemijs afficiunt, & ſua idola mirificis laudibus extollunt, egregio contrapoſito maieſtatem Dei veri, & vanitatem idolorum inter ſe contendit, primùm idola contempta reddit vocabulo ipſo, non enim vocat ſculptilia, ſed dolores,

dolores, aut cauſam dolorum, hoc enim vult vocabulum עוב quo Propheta eſt vſus, DOMINVS aũt Deus noſter fons eſt omnis boni & felicitatis. Deinde Deus Opt. Max. æternus eſt, non creatura corruptioni ſubiecta: idola autem ſunt fabrefacta ab hominibus, ex metallo, auro aut argento, interdum etiam è putidis lignis. DOMINVS potentiſsimus eſt in cœlo & in terra, & omnia ſecundum nutum & voluntatem ſuam facit: idola autem præter fallaciam & ſimulatam imaginem nihil habent, vbi enumeratione vſus eſt partiũ ſiue membrorum in idolis, & oſtendit idola nec vocem, nec ſenſum, nec motum habere, quod quàm à diuina natura alienum ſit, quilibet intelligit. Si enim nõ vident, vbi prouidentia ſi non palpant, odorant, mouentur, audiunt, quomodo miſeris ſuccurrent, &c. Poſtremò DOMINVS, vt ſuprà dictum eſt, omnia facit, & accommodat ad Eccleſiæ ſuæ vtilitates maximas: idola ſuis cultoribus nihil præſtant, quàm quòd ex hominibus faciunt ſtultos, maxima enim ſtultitia eſt, hominem ratione præditum & viuum, rei inanimæ, ratione carenti, imò figmento digitorum ſuorum ſe ſubijcere. Quamuis autem in verbis Dauidicis nihil ſit obſcuritatis, tamen noſtro more ſubijciamus paraphraſin, & quidem talem, quæ cum ſuperiori verſu cohæreat. At è contra videamus, quid illorum ſimulachra, imò verò humani generis peſtes & dolores poſsint, quæ in illis præſtantia, quæ firmitas, quod dominium, quæ in homines beneficia, quæ potentiæ maieſtatiſq; ſpecimina? Nam ſi originem proſapiamq; eorum ſpectes, hominum artificio conſtant, & ſi præclare cum eis agitur, ex auro argentoq; fabricantur,

nam plæraq; , ex ijs etiam lignis fiunt , quibus ignem fouemus & alimus , quàm autem ridiculum est diuinos honores exhibere ei , qui quod habet & est, omne hominis artificio debet & ipso etiam est homine deterior. Quare ergo tantũ deferre metallo & ligno, creaturis quidem alioquin bonis , sed nec præstantissimis nec optimis vellemus? sed fortasis ipsa postquam fabrefacta sunt , aliquid in se numinis habere incipiunt, & eas vtilitates mortalium generi afferunt, vt propterea non modò non negligenda , sed & magnifacienda & colenda videantur? Nullo verò modo, nam præter lineamenta humana nihil omnino habent , ore hominem imitantur, sed ne verbum quidem possunt proloqui: ridiculos profectò Deos, à quibus responsum expectare non possis, imò verò qui omni vsu vocis careant , quod inter reliquas calamitates humanas postremum non est, Oculos etiam habent, sed non vident, ô cæcitatem humanam, quæ cæcos Deos colit, quæ prouidentiam, curam, præuisionemq; suarum rerum cõmittit ei, qui non modò non futura præuidere , sed ne ea quidem quæ ante pedes sunt videre potest? Aures habent & non audiunt, quomodo ergo clamantes exaudient? quomodo tacitos hominum gemitus , cum animo sunt perturbatiore , percipient? Nares habent & non odorantur, canibus deteriores, qui sagacissimè feram absentem inuestigant. Manus præterea & pedes habent, sed nec palpare nec incedere possunt, quomodo ergo ad nostras tam varias multiplicesq; calamitates aduolabunt? quomodo auxiliares manus præbebunt? Iam si aliqua eorum vtilitas quæritur, ea certè erit, quod & fabri & cultores idolorum stulti, stupidi, &

di, & tantum non ſtipites fiunt, ſunt ſimulachra, quorum cauſa tantopere elaborant & quibus ſe oblectant. Et tantum quidem de horum verſuum ſententia. Notandum autem eſt, cum idola, varia apud Hebræos nomina habeant, hoc loco ab effectu dici res dolorem afferentes quod multum afferant incommodi. Idolum autem Græcis imaginem ſiue ſpeciem ſignificat, ſed potiſsimùm pro ſimulachro accipitur: Speciem autẽ ſiue idolũ homo à qualibet re arripere poteſt, & quaſi animo inſculpere. Vt cum Anthropomorphitæ Deo corpus affingunt, & cum idolatræ in animo opinionem de externis idolis falſam circumferunt, hoc idolum animi aut cordis dici poteſt. Sunt deinde imagines externæ, quæ hominis faciem aut animalis repræſentant. Imagines autem iſtæ, de quibus iamprimùm diximus, tùm damnantur, quando eo conſilio fabricantur, vt ſint dij, & cultus etiam ipſis exhibetur, hoc Prophetæ falsè irrident cum dicunt, homines ſeruire operibus manuum ſuarum, & id colere pro Deo, quo ante ignem fouerint, nam ſegmenta, ex quo idolum factum fuit, conijciuntur in ignem. At verò ſi quis picturam vel imaginem faceret, vt amici abſentis recordaretur, aut de hiſtoria aliqua Biblica ſe commonefaceret, is meo iudicio non peccaret: nam & in veteri Teſtamento imagines quarundam rerum in ipſo templo fuerunt, & in arca Cherubim fuſili opere facti erant. Si quis autem originem idolorum quærat, prima quidem illorum ſcaturigo eſt deprauatio naturæ noſtræ, quæ initio ad idolatriam defecit. Sed ſimulachra primùm à magnis & potentiſsimis regibus facta ſunt, vt defunctorum memoriam conſeruarent, poſtea

ſtea adulatio eorum, qui viuis adhuc regibus gratificabantur, & ſuperſtitio reuerentiam & opinionem numinis illis ſimulachris conciliauit. Et Euſebius teſtis eſt, ſimulachra in Eccleſia ad imitationem Ethnicorum facta. Nam vt illi, quibus gratificari volebant, ſtatuas ponebant, ita Chriſtiani ſaluatori & ſanctis ſtatuas & picturas faciebant, quòd cuperent eo modo inſeruire eis, & ſanè euentus ipſe docuit, quàm multis ſuperſtitionibus ea res occaſionem præbuerit: neque tamen, vt ſuprà dictum eſt, imagines maximè quæ hiſtoriam aliquã Biblicam exprimunt, reiecimus. Quòd autem in ijs effingendis nimium ſtudium, & ſumptus maximi ponuntur, vt ex auro & argento fiant, id etiã probandum non eſt. Nam cum imagines ad commonefactionem duntaxat fiant non aliter, ac ſi quis memoriæ iuuandæ cauſæ aliquid creta ſignet, quid opus eſt tam ambitioſè imagines exornare, per quæ ornamenta & ſumptum, tacita quædam opinio & maieſtas imaginibus circumdatur, quæ inuitat rudiores ad ſuperſtitionem & idolatriam. At verò cum viuæ ſint imagines Dei, quæ non modò non exornatæ, ſed ne veſtitæ quidem ſunt, nulla laudabili ratione parietes picturis ſumptuoſis illis exornantur, & interim illæ negliguntur. Quare in eo modus tenendus eſt, ne quod Græci dicũt ὑπὸρ τα ἐσκαμμένα. Huic affine eſt etiam illud de imaginum forma & elegantia, nam propter multas cauſas conſultum non eſt, eas habitu penè meretriceo conſtituere, quia à ſerijs cogitationes auocant ad admirationem artificis, ſuperſtitionem, & interdum etiam ad turpitudinem. Inprimis autem ex hoc loco noſtri Prophetę & Eſaia etiam ca. 44. & 46.

Euſeb. in Eccleſ. hiſto. lib. 7. cap. 14.

tum

tum alijs etiam Prophetis vanitas idolorum cernitur, quòd præter repræsentationem membrorum humanorum nihil habeant, nec quicquam possint quod humanum sit, taceo diuinum. Nam prouidentia diuinæ maiestatis est, cum idola nihil videant. Et in Deo viuimus, mouemur & sumus, idola autem seipsum mouere nequeunt: diuinæ bonitatis est audire & exaudire homines, sed idola aures habent & non audiunt, quomodo ergo exaudient? Dei est succurrere hominibus, idola autem manus habent, quibus neminem iuuant, quia ijs nec palpare nec apprehendere quidquam possunt: pedibus verò nec insistere nec progredi valent, quomodo ergo succurrerent? Quæ cum ita sint, necesse est eos plus quàm asinina stoliditate præditos, qui cultum imaginibus & idolis exhibent, cum nouerint ea & artificis manu facta, nec habere quidquam præter imitationem lineamentorum humanorum, quid magis ridiculum, quàm rei tam inani & omnibus modis eneruatę & exangui (vt ita loquar) tantum honorem deferre? Quid autē magis blasphemum, gloriam Dei immortalis mutare per imaginem hominis mortalis? Hoc noster Propheta voluit, dicens: similes sunt illorum qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Sed habuerunt olim idolatræ quod prætexerent suæ stoliditati, se non tàm illas imagines, quàm Deos qui per istas hominibus benefacerent colere, & nostri homines, dum studiosius in sua idolatria excusanda elaborant, geminam intentionem faciunt, vnam qua in ipsam statuam animus feratur, tanquam rem fictitiam, altera quæ intueatur eum quem statua repræsentat. At si hic color negocio satisfacit, excusa-

buntur omnes idolatræ, qui idem prætexunt, vt dictũ eſt, nam occultam vim ſtatuæ ineſſe à ſuo numine exiſtimant. Accuſabuntur etiam Prophetæ quaſi calumnioſè contra paganos egerint, cum accuſant eos adorare ligna, lapides. Deinde ſi intentio animi eſt ad ipſam rem repræſentandam dirigenda, cur diuini cultus ſtatuis exhibentur, & quidem Conciliorum decretis? cur λατρεία quibuſdam decernitur, vt imagini ſaluatoris in cruce? Huc accedit quod nullo expreſſo Dei verbo hæc iubentur facere, ergo ſi omni impietate careret, tamen eſſet in earum rerum numero, quas
Matth. 15. Chriſtus extirpandas eſſe voluit: Omnis, inquit, plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sed quis tandem crederet imaginibus tantam vim ineſſe? cum nec diuinæ literæ nobis aliquid polliceantur, nec rerum natura ferat, vt id, quod deterius longè eſt antecellere præſtantiori debeat, & Prophetæ omnes idola vaniſsimas res eſſe aſſeuerent. Etenim ſi illis vis aliqua, quemadmodum herbis & medicamentis ineſſet (quæ tamen & ipſa quidquid energiæ habent à creatore accepere, & ſi quid emolumenti afferunt, id omne etiam DOMINO aſcribendum eſt) cur in vniuerſum eas Prophetæ abiȝcerent? cum in miraculis etiam DOMINVS ſuum locum medicinæ relinquat. Vt cum Hiskias magno miraculo vaticinante Eſaia, ſanatur, tamen folia fici adhibentur, & medicina ab altiſsimo creata, ſcribitur & mandatur, vt medicum honoremus, cum tamen DOMINVS & medicus & medicina ſit, & nihil illæ proſint, niſi is qui creauit, vires & emolumentum ſuppeditet, nec ἐνέργεια aliqua naturalis eſt ibi, cum ſint res factitiæ, & ab hominum

arte

arte profectæ. At verò si vis aliqua diuina siue efficientia aliqua et inspiratio quasi in ipsis est, multò minus erant negligendæ imagines, nam ea quæ extra naturæ ordinẽ geruntur, augustiora & præstantiora esse propter vim et influentiam quasi cœlestem videntur. Nec existimandum est ab artifice aliquid numinis transfusum, cum homo tribuere non possit id, quo ipse caret, & quo se indignũ humilibus precibus & cultu quem idolis exhibet, testatur. Ergo si à nulla bona causa vim suam habent, aut sunt stulta hominum superstitiosorum figmenta, aut certè diabolicæ illusiones. Neque enim negauerim apud imagines siue simulachra quædam miracula fuisse ædita, sed nimis infirma illa probatio est ad stabiliendam imaginum vim et efficatiam, cum eadem ratione diabolus gentiles dementauerit, quod in hac quam proposuimus breuitate, copiosius tractandum non est. Cum ergo & stulta & noxia idola sint, quæ medicina illis opponi potest? primùm verbum DOMINI, quod nos ad vnum solum Deum deducit, ac vanitatem idolorum demonstrat, nec demonstrat solùm, sed etiam ex animo eximit idolum, si quod homines per superstitionem cõceperunt, nam quemadmodum reliqua vitia, ita & idolatria ex corde proficiscitur. Deinde si quæ imagines ad idolatriam inuitant, abijciantur, vt Hiskias serpentem æneum confregit. Postremò concionatores vigilent & sint quòd dicuntur Episcopi, ne superstitioni occasiones dentur, aut si data sint, antea quàm radices altius agant, extirpentur.

9. *Israël spera in DÓMINO, adiutorium eorum & protectio eorum est.*

10. *Domus Aaron ſperate in DOMINO, adiutorium eorum & protector eorum eſt.*
11. *Qui timent DOMINVM ſperent in DOMINO adiutorium eorum & protector eſt.*

Tertia pars Pſalmi, in qua ab hypotheſi tranſit ad theſin, quam ex ſuperioribus aptiſsimè velut concluſionem infert, cum maxima ſit vanitas illorum, tam autem potens DOMINVS (vt dictum eſt) in ſolo Deo omnis fiducia collocanda eſt, præſertim cum Deus Opt. Max. non ſolùm potens, ſed clemens etiam hominibus ſit. Tria autem in iſta theſi indicia bonitatis eius erga genus humanum ponit, quæ ad permouendos animos, & veram fiduciam in Deum, magnã vim habent, nempe protectionem, benedictionẽ, & quòd ſubinde ſuos cumulatioribus beneficijs ornat & donat. His etiam inſerta eſt diſtributio perſonarum, dũ ſermonem ad Iſraëlitas, domum Aaron, omnes denique timentes conuertit, eoſque ad fidem, veramque in Deum fiduciam adhortatur, nam ſuperiores verſus hanc habent ſententiam.

Cum ergo nemo ſit qui non videat quanta ſit idolorum vanitas, quanta è contra Dei Opt. Max. maieſtas & bonitas, omnes in ſola fiducia nominis diuini acquieſcere debent, nam ipſe, vt ſuperiore exemplo eductionis probatum eſt, protegit & iuuat ſuos. Quare vos Iſraëlitæ omnes illum protectorem & in periculis omnibus adiutorem ſummum vera fide amplectamini, vos inprimis ſacerdotes & Leuitę, quibus docendi munus in Eccleſia inde ab Aarone commiſſum eſt, hoc facite, denique omnes piĳ & timentes DOMINVM

NVM illum, sciant asylum & adiutorem in periculis omnibus, itaq; ad eum tota animi fiducia confugiant.

Videmus quæ sit historiarum earum vtilitas, quæ de præclaro DOMINI auxilio loquuntur, vt videlicet ijs fidem nostrã confirmemus, et sciamus DOMINVM in omnibus protectorem & defensorem nostrum esse: Sperate, inquit, in DOMINO, quia protector eorum ipse est, nec vult solos Israëlitas, sed omnes qui timent DOMINVM hoc facere, quo versu omnes in societatem illius consolationis pertrahere conatur, omnes pij & timentes DOMINVM certi sint de auxilio & protectione in periculis, &c. Iam autem vt magis etiamnum nostra fides confirmetur, cogitemus quantis in periculis DOMINVS Israëlitas protexerit, angelum percussorem ab ipsis auerterit, insequentem tyrannũ cum exercitu inhibuerit, mare peruium fecerit, hostium propè innumerabilium infesta arma ab ipsis auerterit, in his certè ostendit DOMINVS se esse suis clypeum, esse fortissimam munitionem, petram inuictã, refugium tutissimum, adiutorem in opportunitate, qui non sinat suos tentari supra id quod possint, sed faciat cum tentatione euentum, è contra impij qui non timent DOMINVM, ab omni illa spe remouentur, imò nihil ipsis expectandum est, quàm ira & iudicium DOMINI, quia ira DOMINI manet super impios. Iam ad reliquos versus huius Psalmi progrediamur. 1. Cor. 10.

12. *DOMINVS memor est nostri & benedicit nobis, benedicit domui Israël, benedicit domui Aaron.*

13. *Benedicit omnibus qui timent DOMINVM, pusillis cum maioribus.*

Dixerat in Deo esse sperandum, quia suorum protector sit, iam alteram causam affert, quia benedicit Ecclesiæ, hoc est, largitur varia dona, id quod exemplis superioribus demonstrauerat, non enim solùm ex hostium manu Hebræos eripuit, sed etiam magnis miraculis pauit, & ex petra potauit. Rursus autem, vt suprà, personarum distributione vsus est.

DOMINVS (inquit) vera fiducia amplectendus est, nam non solùm protectionis illud insigne beneficium in suum populum contulit, sed semper est memor ipsius, & Ecclesiam varijs & maximis beneficijs afficit: quadraginta perpetuos annos cœlesti pane eos cibauit, vestimenta & calceos ne attererentur curauit, ex durissima rupe aquam fudit, coturnices misit, serpentes ignitos abegit, Iordanem peruium fecit, terram Canaan fluentem lacte & melle dedit. Quare vos Israëlitæ, vos etiam Leuitæ & sacerdotes prosapia Aaronica, postremò omnes timentes DOMINVM, siue magni siue parui, pauperes siue diuites sitis, vera gratitudine tanta beneficia accipite, & sperate in DOMINVM.

Fides nostra confirmatur primùm, si quanta sit DOMINI cura in suis liberandis & protegendis perpenderimus, sed alia quoque confirmandi eius ratio est, cum beneficia & corporalia & spiritualia in memoriam reuocamus, quæ quanta sint, nemo quantumuis disertus, explicare oratione satis potest. Ideo sæpè Dauid & alij sancti Dei homines, totam historiam beneficiorum collatorum in Ecclesiam, oculis proponunt, vt & suam & aliorum fidem excitarent, quo argumento Psalmus 105. scriptus est.

14. Accu-

14. *Accumulet DOMINVS super vos, super vos, & super filios vestros.*
15. *Benedicti vos à DOMINO, qui fecit cœlum & terram.*
16. *Cœli cœlorum DOMINO, terram autem dedit filijs hominum.*

Tertium beneficium DOMINI, propter quod omnes pij toto pectore eum amare, & ad thronum clementiæ eius confugere debent, quia beneficia Ecclesiæ cumulat, nō enim contentus est semel benefecisse populo, nisi subinde bonitatis suæ noua specimina addat. In Hebræo futurum est יסף addet vel adijciet, sed rectè vertimus optandi modo, nam Dauidis animus sic ardet recordatione maximorum DOMINI beneficiorum, vt omnibus pijs gratuletur illam suam felicitatem. Addita aūt est coniectura, DOMINVM semper aucturum beneficia Ecclesiæ suæ, quia ipse sit DOMINVS cœli & terræ, ideo potest subinde benedicere. Item DOMINVS vult colligere Ecclesiam super terram, ergo non dubitemus eum etiam ei sua benedictione adfuturū, nā verba Prophetæ hanc habent sententiam. Ego verò non solùm de istis beneficijs vobis gratulor, sed ijs etiam quæ ad illorum cumulum accessura sunt, nam non solùm vos, sed etiam posteritatem piorum DOMINVS subinde maioribus bonis affecturus est. Etenim illa externa bona symbola duntaxat sunt maximorum donorum, quæ, veniente in hunc mundum Dei filio, externa & spiritualia, temporalia & æterna accepturi estis. Et quomodo non essetis felicissimi, quibus fauet is, qui omnia condidit,

qui

qui gubernat vniuersa, qui cum sedem suam supra omnes cœlos posuerit, tamen ita clemens est, vt in hac terra inter homines habere Ecclesiam velit, quis ergo dubitauerit eum conseruaturum, & maioribus bonis ornaturum eum cœtum, quem vult ad omnem æternitatem saluum durare.

Quod parentes propitij facere solent, id etiam clementissimus pater cœlestis Ecclesiæ suę præstat. Nam vt illi liberalitatem suam vnà cum liberorum ætate augere solent: ita DOMINVS suo populo subinde maioribus beneficijs & corporalibus & spiritualibus, paternam suam benignitatem declarautt. Et vt ab externis initium sumam, en DOMINVS Abrahamum educit vnà cum Lotho ex Haran, quàm, Deus bone, exiguum cœtum? et promittit quidem posteritati terram Canaan, sed Abraham, Isaac & Iacob istas promissiones non acceperunt, verùm vt testatur Epistola
Heb.11. ad Hebræos, viderunt eminus. Sub Iosepho deinde melior fortuna aspirare videbatur, nam à Pharaone clementer tractantur, & locus etiam commodus habitationi ipsorum assignatur. At cum temporis progressu graui tyrannide populus premeretur sub eo Pharaone, qui fatalibus pœnis nobilitatus est, DOMINVS cumulum beneficiorum in suum populum effudit, vt ab initio Psalmi 114. audiuimus. Mox eos in terram Canaan introducit, populis & regibus potentissimis eiectis, tum forma Reipub. constituebatur, & populo præficiebantur iudices & gubernatores. Denique tandem gens Hebræorum ita creuit, vt reges eius exercitus maximos educerent, & victorias amplissimas reportarent à vicinis gentibus, extructum tem-

plum

plum illud omni hominum memoria celebre, munitæ Hierosolymæ, conditæ ciuitates, & munitiones plurimæ. Et sanè si Hebræi grati fuissent, subinde noua accessione donorum fuissent aucti: cum aũt beneficiorum & autoris eorũ memoriam propè omnem abiecissent, à Domino & ipsi abiecti sunt, sed interea tamẽ DOMINVS nouam Ecclesiam ex Gentibus colligit, beneficia spiritualia eo ipso tempore luculenter (quod nullis vnquam sæculis fecerat) ostendit. Initio enim spiritualia bona suis largitus est, in quibus exhibendis, eosdem propè gradus, quos suprà in externis animaduertimus, obseruauit. Quàm obscura prima illa con- *Gen.3.*
cio est de semine contrituro serpenti caput, eadem aliquot sæculis interpositis, clarius proponuntur, cum semen benedictum ex prosapia Abrahæ promittitur. *Gen.12.*
Luculentius etiam postea cum certa tribus assignatur, *Gen.22.*
ex qua oriundus esset. Denicq; Dauidi promissiones fiunt. Tandem ipse filius ex arcana sede prodijt, & non modò se conspiciendum hominibus præbuit, sed omnis generis bona affatim distribuit, ascendit enim in altum, & dona dedit hominibus. Tum omnes vmbræ veteris Testamenti explicatæ, & quasi clarissima illa luce, discussæ sunt. Quanquam autem in maxima copia earum rerum, quæ ad æternam salutem expetendæ sunt, post Christi aduentum versemur, tamen DOMINVS Ecclesiam suam cumulatissimè donaturus est, quando omnes lachrymas absterget à facie suorũ, & erit omnia in omnibus, cum videbimus eum sicuti est, in omnem æternitatem, eum vnà cũ sanctis angelis laudaturi: nunc enim per speculum in ænigmate *1.Cor.13.*
videmus, tum autem facie ad faciem. Tantam autem

clementiam patris cœleſtis erga nos grata mente amplectamur, & ipſius beneficia toto vitæ noſtro curriculo prædicemus, id quod Dauid ſequentibus verſiculis facit.

17. *Non mortui laudabunt te DOMINE, neq; omnes qui deſcendunt ad locum ſilentij.*
18. *Sed nos benedicimus DOMINO, ex hoc nunc & vſq; in ſæculum.*

Pro his ſummis beneficijs dum poſſumus, & hac vita fruimur, gratias agamus DOMINO, (nam qui mortui in ſepulchris, vbi præter triſte ſilentium nihil eſt, conſtituti ſunt, DOMINVM celebrare non poſſunt) & illa gratæ mentis ſignificatio duret in toto vitæ noſtro decurſu, & quidem in omnem æternitatem. Nam ad hoc nati ſumus & facti, vt DOMINVM celebremus. Hæc Dauid. De gratiarum actione autem quæ DOMINO debetur, alias copioſè eſt dictum, itaque nunc vſum Pſalmi breuiter audiamus.

VSVS PSALMI CXIIII. ET CXV.

In hoc mundo nihil videtur Eccleſia Dei abiectius, nam deſtituta eſt omni propè humano auxilio, non habet ſocietates & confœderationes, plærunq; paupertate, morbis premitur, præterea perſecutionem patitur à potentiſsimis hominibus, qui opibus, prudentia, confœderationibus, autoritate pollent. Hæ cogitationes pijs mentibus ſæpè metum incutiunt, vt cogitent hoſtes Eccleſiæ fore ſuperiores, & funditus extirpa-

extirpaturos doctrinam Euangelij: sed in hoc Psalmo primùm exemplo Hebræorum, qui maximis miraculis educti, & in deserto conseruati sunt, discimus, fideles & pios, esse homines potentissimos, nam ipsis cedunt omnia elementa, omnes creaturæ, vt ab initio Psalmi dictum est. Nec vehementer perturbemur, si videamus nos ab impijs deseri, nos enim confœderationem longè præstantiorem habemus, cum Christo DOMINO, qui protegit Ecclesiam, ei benedicit, & bonis omnibus cumulat: Interim hic mundus vel idolis, aut auxilijs humanis nititur, in quibus quàm nihil sit firmi, quanta vanitas, hoc Psalmo audiuimus. Quod ergo nos Psaltes monet, faciamus, & vera fiducia ad eum confugiamus, in quo omnia nobis præsidia & huius & futuræ vitæ reposita sunt.

Psalmus 116.

Dilexi quoniam exaudiuit DOMINVS, &c.

HIc Psalmus à Latinis etiam in duos diuiditur, nam à versu decimo: Credidi propter quod & loquutus sum, &c. nouum Psalmum ordiuntur. Videbimus autem ex ipsa serie rerum, quæ in hoc Psalmo continentur, non esse diuellendum versum illum cum nonnullis sequentibus à superiore contextu. Quæ autem causa fuerit vt Dauid hoc carmen scriberet, coniecturam ex toto Psalmo facere

possumus, in quo ex præsentissimo periculo mortis se ereptum scribit, sed de quo periculo loquatur, certum non est, quia Psalmus est ἀνεπίγραφος. Nouimus enim Dauidem sæpè de vita & incolumitate periclitatum. Nonnulli referunt ad summum peticulũ, in quo versatus est Dauid, cum hostili exercitu Saulis cinctus, mirando Dei consilio liberatus est, Philistæis eo ipso tempore incursionem in Iudæam facientibus. Nouimus Dauidem & alia sub Saule pericula adisse, & legimus etiam eum aliquando in pugna periclitatum, sed cum de intentione & proposito Prophetę constet, parum refert de qua historia hic Psalmus intelligatur. Propositum autem est Prophetæ, DOMINO gratias agere pro clementi liberatione ex præsentissimo periculo vitæ, istam autem liberationem variè amplificat, deinde remunerationem & perpetuam gratitudinem pollicetur, in quo etiam figuris & verborum apparatu Prophetico vsus est.

1. *Dilexi quoniam exaudiuit DOMINVS vocem meam in precationibus meis.*
2. *Quia inclinauit aurem suam mihi, ideo dum vixero inuocabo (subintellige DOMINVM.)*

Hi duo versiculi quantumuis breues, cõtinent duo capita præcipua huius Psalmi, Dauidem velle commendare DOMINI bonitatem, & perpetuo eum colere. Sunt autem verba ista, dilexi, & inuocabo, emphatica & figurata, nam DILEXI significat DOMINVM dignum esse, quem amore laudibusq; summis prosequamur: INVOCARE autem non modò preces,

ces, ſed fiduciam & cultum (quæ cum veris precibus ſemper coniuncta ſunt) in ſe complectitur. Eſt autem his duobus capitibus addita cauſa, quæ dilectionem illam Dei in ipſo & in poſterum cultum veneratio-nemq; conciliauerit, quia eum exaudiuerit & prote-xerit, & quidē quod admodū clementer & promptè, hoc enim vult cum dicit: DOMINVM aurem admo-uiſſe ad preces ſuas. Voluit ergo Propheta hoc dicere: O DOMINE Deus, quàm tu dignus es, quem ego a-more & laudibus ſummis proſequar. Nam meum cla-morem & humiles preces cum in ſummo periculo verſarer, non ſpreuiſti, ſed quàm primùm ad te confu-gi, clementer & promptè aures ad meas preces admo-uiſti, & ope etiam tua teſtatus es, te mihi adfuiſſe, qua-re in tota vita mea tibi addictus ero, tu mihi in peri-culis aſylum eris, te inuocabo, in te omnem meam fi-duciam collocabo, te denicq; ſolum colam.

Quid, diceret aliquis, audio? Dauid dicit ſe dilige-re DOMINVM, propterea quòd ſit exauditus ab eo, & quidem iure hoc facit, ſed ſi quis clamet & non ex-audiatur, quomodo is ex animo cum Dauide DOMI-NVM amare aut diligere poterit, vtpote à quo deſeri-tur, & non curatur? Hæc tentatio multorum pectora ferit, nam ita ſolent dicere: Lego paſsim in ſacris, ſan-ctos Dei homines in magnas ſæpè difficultates inci-diſſe, ſed mirando Dei conſilio & auxilio inde libera-tos: ego, qui ſemel in periculum incidi, emergere non poſſum, quomodo ergo confirmare animum meum poſſum, & diligere DOMINVM, cuius nullam opem, ſed flagella duntaxat ſentio? Hic initio tenendum eſt, illa externa beneficia & exauditiones non fuiſſe præ-

cipua fundamenta fidei & dilectionis ipſorum erga Deum, ſed prælucebant ipſis ſemper promiſsiones de futuro ſemine, iſs ſe in omnibus periculis recreabant.

Iob.19. Quod in Iobe videmus, nam is cum vix oſsibus hæreret, & circa dentes nihil quàm labia fuiſſent relicta, (ſic enim ipſe loquitur) tamen ſolatur ſe meditatione redemptoris & reſurrectionis ſuæ: Scio, inquit, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra reſurrecturus ſum, & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Hæc conſolatio tanta etiam fuit apud reliquos patres, vt cum promiſsionum externarum nõ fierent participes, tamen non deſponderent animum, ſed conſtantes in fide, & vera erga Deum dilectione manerent, quia expectabant ciuita-

Heb.11. tem habentem fundamenta, cuius opifex & conditor eſt Deus. Hinc etiam heroicæ illæ voces natæ ſunt,

Iob.13. plenæ dilectionis Dei: Etſi me occiderit, in ipſo ſperabo. Et Pauli illa vox præclara: Quis nos ſeparabit à dilectione Dei, num afflictio, num anguſtia, &c, verùm in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit

Rom.8. nos. Scribit Paulus nullis miſeriis pios à DOMINO auelli, ſed in his omnibus abire victores in eo, qui ipſos dilexit. Nam cum nulla maior dilectio ſit, quàm ſi quis pro inimicis moriatur: ſic autem DOMINVS ſuam charitatem nobis commendet, vt pro hoſtibus etiam paſſus ſit, fideles non patiuntur ſe auelli à DOMINO, quia nouerunt ipſum tanto beneficio ſuam nobis dilectionem confirmaſſe, vt de ea nullo modo dubitare debeamus. Cum ergo mala ingruũt, ſtatuunt ſe à Deo caſtigari vt charos filios, non puniri, & eum pro ſua paterna bonitate daturum cum tentatione euentum.

Quando

Quando autem & euentu ipso ac beneficijs confirmantur, tum etiamnum maius incendium dilectionis in ipsis existere solet, cuius rei exemplum sunt duo versiculi isti à Dauide decantati. Quare siue aduersæ nos res premant, siue secundis fruamur, semper sinamus eas nobis esse argumenta & incitamenta ad veram DOMINI dilectionem, cuius fundamentum sit ea dilectio, qua ipse nos in filio prior dilexit, vt ex Paulo suprà ostendimus.

3. *Circumdederunt me funes mortis, & pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni.*

Vt liberationis & opis diuinæ beneficium luculentius sit, periculi in quo versatus est, magnitudinem tragicis verbis proponit. Non enim (inquit) ex vulgari aut leui aliquo periculo me liberasti, sed eo, vbi omnia mihi præsentem mortẽ intentarent, imò mors me iam vinculis suis astrinxisse videbatur, horrores infernales me circumdederant, quid multis? præter miserias & summam trepidationem nihil videbam.

Non putemus Dauidem ad externa duntaxat pericula mortis ita expauisse: Scimus enim quàm intrepido animo in prima iuuenta Goliathen aggressus sit, quanta animi magnitudine sese fortissimis bellatoribus opposuerit, imò verò quanta alacritate feras belluas domuerit. Sed cum dolorum inferni mentionem facit, intelligamus grauissimas tentationes, quibus cor sanctissimi Prophetæ, tanquam arietibus fortissimis pulsabatur, non solùm homines se, sed Deũ ipsum hostem habere. Quanquam enim (vt diximus suprà) pij 1. *Sam.17.*

arctissimo

arctiſsimo dilectionis vinculo DOMINO ita deuincti ſunt, vt nullo nec ſecundo nec aduerſo fortunæ flatu, ab illo penitus auocari poſsint, tamen cum grauiſsimis illis tentationibus ipſis luctandum eſt, quod Dauid expertus eſt, cum dicit: Sagittas DOMINI infixas ſibi eſſe: cum manum DOMINI grauem ſe ſentire, abyſſos ſonare, cataractas omnes apertas queritur. Hos cruciatus ipſe filius Dei perpeſſus eſt, cum exclamaret in cruce: Deus meus Deus meus, quare dereliqui-ſti me? Tales tentationes etiam in alijs ſanctis fuiſſe videmus. Hæc autem ad conſolationem noſtram in ſimilibus animi perturbationibus accommodãda ſunt, etenim ſi & nos non ſolùm ab hominibus, ſed ipſo Deo deſerti videamur, cogitemus eam tentationem non eſſe nouam et inſolitam, ſed nobis communem cũ ſanctis omnibus, & doloribus ijs, quos ſanè ſumos in cruce DOMINVS & ſeruator noſter ſenſit, eoſq; ita ſanctificatos, vt ſimul etiam cooperari in bonum cogantur. Etſi enim hæc DOMINI ferula grauior interdum nobis videtur, tamẽ ad agnitionem peccatorum & fidei confirmationem prodeſt, quemadmodum Dauid inquit: bonum eſt quòd humiliaſti me DOMINE, vt diſcerem ſtatuta tua.

Pſal.38.
Pſal.32.
Pſal.41.
Pſal.22.
Matth.27.

4. *Et nomen DOMINI inuocaui, ô DOMINE liberam animam meam.*
5. *Miſericors DOMINVS & iuſtus & Deus noſter miſeretur.*
6. *Cuſtodiens paruulos DOMINVS, humiliatus ſum & liberauit me.*

Secunda

Secunda amplificatio & commendatio huius beneficij, quod in eo ſumma DOMINI clementia conſpiciatur, quę rurſus augetur circumſtantia perſonę, nam DOMINVS & Dauidem & alios, qui pręter miſeriam ſuam nihil poſſunt proponere DOMINO, tamen clementer exaudit, nec ſpernit, quia miſeri & contempti ſunt, ex quo intelligitur, nullam eſſe cauſam, quæ DOMINVM ad benefaciendum inuitet, quàm miſericordia ipſius, verba aũt Dauidis hanc habent ſententiam.

In ſummo illo periculo fortunarum & incolumitatis meæ, nihil præter gemitus & miſeriam meam ipſi proponebam, dicens: O DOMINE, tu vides in quibus periculis verſer, tu ergo pro tua ſumma bonitate me conſerua. En cum ita orarem miſericors DOMINVS, & qui iuſtæ cauſæ nunquam defuit, Deus, inquam, noſter, cuius miſericordia maior eſt, quàm omnia opera ipſius, qui neminem, quantumuis humilem & abiectum ſpernit aut deſerit, me hominem longè omnium afflictiſsimum ex tantis fluctibus calamitatum liberauit & eripuit.

Quod hoc loco tribus duntaxat verſiculis DOMINVS proponit, id in tota ſacra ſcriptura, præſertim aũt in nouo Teſtamento agit, ne nos patiamur abſterreri à ſtudio piarum precum propter noſtras miſerias, & humilitatem noſtrã: nam peccatores aut alioquin afflicti, quemadmodum putant ſe à Deo deſeri, ita trepido ad eum animo accedunt, moti conſcientia non modò tenuitatis, ſed etiam indignitatis ſuæ. His verò medetur hoc loco DOMINI ſpiritus, promittens per Dauidem Deum audire nos gementes, neq; alia re magis, quàm calamitatibus noſtris moueri, & non velle re-

pellere à se, quantumuis abiectos, miseros & humiles. Hoc ipse saluator voluit, clara voce ad se vocans omnes grauatos & laborantes: hoc pollicebatur cum diceret, se neminem qui veniret, foras eijcere velle.

1. Tim. 1. Hoc illud est quod Paulus dicit: Certus sermo, & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Iesus Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret. Quantò ergo sumus magis miseri, eò maiori fiducia ad thronum illum gratiæ accedamus, scientes DOMINVM esse miseratorem & misericordem, & audi-

Esa. 66. re gemitus compeditorum, & se conuertere ad eos, qui pauperes & contriti spiritu sint, trementes sermones eius.

7. *Reuertere anima mea in requiem tuam, quia DOMINVS benefacit tibi.*
8. *Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à prolapsione.*
9. *Ambulabo coram DOMINO in terris viuorum.*
10. *Credidi, ob id loquar, ego autem sum humiliatus valde.*
11. *Ego dixi in festinatione, (siue perturbatione mea) omnis homo mendax.*

Tertia amplificatio & commendatio liberationis diuinæ per ἐπιθυμισμὸν, partibus enim illustrat, quantum in illa tribulatione & diuina protectione commodi senserit. Primum beneficium est securitas restituta. Secundũ, liberatio à morte, à mœrore & tristitia summa, ab insidijs hostium. Tertium, quòd in posterum inter viuos & coram Deo victurus sit. Quartum, quòd pericula etiam profuerint ad id, vt disceret, nullis hominibus

minibus fidendum, sed soli Deo. Ista figuris illustrantur, inprimis Apostrophe, quæ more Prophetico variatur, nunc enim animam suam alloquitur, nunc DOMINVM, nunc ipse loquitur. Quædam etiam Metonymica sunt, vt mors pro periculo mortis, lachrymæ pro mœrore, prolapsio pro insidijs & discrimine summo. Sunt & nonnulli Hebraismi, quos paraphrasi conabimur latinos facere. Te ergo anima mea hortor, vt ea securitate, quam tibi DOMINI benignitas largita est, vtaris. Nam quid potuisti, ô DOMINE, ad cumulum tuę erga nos clementiæ adijcere amplius, cum & à præsentissimo periculo mortis, & à lacrymis summáq; tristitia, denicq; varijs laqueis & insidijs Saulis, quas ille mihi struebat vt totus conciderem & perirem, eripuisti? ego ergo iam hilaris & lætus sum, quasi è sepulchro ad viuentes euocatus incedã, de DOMINI fauore certus, ad cuius etiam nutum vias, & vitæ meæ totius rationes dirigam. Hæc firma fide teneo, & ideo etiam meos de ea re ad totam posteritatem sermones extare cupio. Neq; hæc mihi fiducia ex euentu duntaxat nata est, sed ipsæ afflictiones docuerunt DOMINVM, vt fidissimum ducem & comitem sequendum, etenim cum perturbatissimus essem, ac vrgentibus me vndiq; periculis, quasi præceps fugere viderer, ac inprimis perfidiam eorum, à quibus ego mihi optima quæq; pollicebar, fuissem expertus, didici non esse humanis præsidijs, vtpote fallacibus fidendum, sed in solo Deo, tanquam firmissimo præsidio omnem fiduciã spemq; collocandam. Itaque DOMINI bonitate clementiáq; effectum est, vt quod in perniciem meam suscipiebatur, & ipsæ miseriæ summis meis emolumen-

tis seruiret. Non temerè in paraphrasi pro eo quod in contextu est, Ambulabo coram DOMINO, reddidi, ad nutum DOMINI, vias & vitæ meæ rationes instituam, nam Hebræa phrasi ambulare coram Deo, significat sollicita cura elaborare, vt vitam tuam approbes DOMINO, & coram ipso vt præceptore verseris: Sic Enoch coram Deo ambulasse scribitur, Gen. 5. & 17. DOMINVS Abrahæ dicit: Ambula coram me, & esto perfectus. Cum autem in versiculis istis Dauid animam suam vocet ad quietem, videtur simile quid
Luc. 12. dixisse illi diuiti in Euangelio, qui cum ingentes thesauros collegisset, animam suam alloquitur: Anima, inquit, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, gaude. Quare autem diuitis illius temeritas damnatur, huius autem sermo, literis etiam celebratur? Certum est eos omnes, qui in externis bonis acquiescunt, & in ijs felicitatem ponunt, magno se scelere obstringere: nam cum cor apponunt diuitijs & voluptatibus, idolum ex ipsis faciunt, nam tota mẽte & omni animo hoc agunt, vt & quærant diuitias, & partis fruantur, obliuiscuntur interim benefactoris sui, & vitam aliam præter hanc caducam non quærunt, taceo iam de abusu donorum Dei & opum, quæ illi ad crapulam & fœdas voluptates accommodant. Talium hominum imago nobis in illo diuite proponitur, qui securi se dedunt voluptatibus, serui ventris & libidinum. At pij lætantur quidem externis etiam bonis, sed in DOMINO, hoc est, agnoscunt à quo acceperint, & in timore etiam DOMINI ijs vtuntur, quod egregiè Dauid expressit, cum inquit, reuertere anima in requiem tuam, quare autem reuerti debet,

bet? quia DOMINVS benefacit tibi. Vides quomodo ſtatim DOMINI beneficia prædicet, eaq; grata mente recolat? Licet ergo piis, iis quæ à DOMINO læta & ſecunda accidunt, vti, ſed non patiantur corda ſua iſtis temporalibus affigi. D. Auguſtinus egregiam regulam de his dedit, cum inquit: Externis bonis vtendum, æternis autem fruendum eſſe. Voluit enim nos caduca iſta vſurpare tanquam vtenſilia in diuerſorio, quibus viator ad horam vtitur: in illis autem æternis nos acquieſcere iuſsit, vtpote ſtabilibus & nunquam intercidentibus. Quanquam autem Dauid hoc loco gratias agit pro reſtituta ſecuritate, tamen his verſibus tum rectiſsimè vtemur, quando in æternam illam quietem introducemur, vbi anima noſtra verè eripietur à morte, & DOMINVS omnes lacrymas abſterſurus eſt ab oculis noſtris, tum etiam ambulabimus coram DOMINO in terris viuorum, & videbimus eum facie ad faciem, imò reddemur conformes glorioſo corpori ſeruatoris noſtri. Hos verſiculos clara voce Babylas Epiſcopus Antiochenus recitauit, cum ad ſupplicium duceretur, nam ſciebat ſuam animam iam adituram quietem verã, & ex his miſeriis, appulſuram ad portã refrigerij. Præterea monemur etiam, quæ norma eſſe debeat vitæ rectè inſtituendæ, nempe vt ambulemus coram DOMINO. Nam pij vt nouerunt DOMINVM vbiq; præſentem, & non modò actionum, ſed tacitarum etiam cogitationum ſpectatorem: ita in timore ipſius verſantur, de turpibus erubeſcentes, ac ſubinde ſeſe totos cõponentes ad DOMINI, veluti præceptoris obſequium. Sic Enoch, ſic Abraham coram DOMINO ambulare dicuntur, quia in ipſius timore viue-

bant, & DOMINVM semper in oculis habebant. Pythagorei fingebant sibi, cum soli essent, præsentiã magni & honesti viri, vt à maleficijs absterrerent, sed figmentis nobis opus nõ est, cum didicerimus ex Psalte, *Psal.139.* Dñm sedere & surgere nostrũ nouisse, imò intelligere cogitationes nostras, de longe semitam nostram, & accubitum nostrũ circumdedisse, inuestigasse etiam omnes vias nostras, nec posse nos, si vel in cœlum ascenderimus, siue lectum nostrum strauerimus in infernũ, ab ipsius conspectu subtrahere. Ergo cum soli sumus, minimè nos solos credamus, sed in solitudine nos eum præsentem semper habere statuamus, quem colere & venerari summo studio debemus. Præter ea quæ diximus, fidei quoq; veræ expressa imago hîc nobis proponitur, nam fidem semper confessio sequitur, ideo Psaltes inquit: Credidi, propterea quòd loquutus sum, nam cum fides sit certa assensio earum rerum, quæ nõ videntur, sequitur etiam eam in confitendo πληροφορία, vt vel cum periculo etiam veritati patrocinetur, quod Paulus dicat: corde credi ad iustitiam, ore autem fieri confessionem ad salutem. Postremò discimus, quare DOMINVS interdum nos omni humano auxilio destituat, & sinat etiam experiri coniunctissimorum hominum perfidiam, imò verò facere, vt de nobis ipsis desperemus. Hoc planè paterno animo erga nos suscipit DOMINVS, vt huic mundo, & ijs, quæ oculos nostros ab ipso auertunt, lõgùm valedicamus. Etenim cum nos amicorum caterua stipatos videmus, præsertim in rerum affluentia, facere vix possumus, vt non ipsis quoq; partẽ nostræ felicitatis ascribamus, at cum experientia etiam docemur, in summis periculis nihil nobis

nobis ab illis, vel à nobis etiam ipsis præsidij esse, tum oculos ad cœlum attollere, & vbi desinit humanum, diuinum auxilium implorare incipimus. Tantus est artifex DOMINVS, vt ea, quæ acerbissima nobis videntur, conuertat in medicinam animorum.

12. *Quid rependam DOMINO pro omnibus beneficijs erga me?*
13. *Calicem salutarem accipiam, & nomen DOMINI inuocabo.*
14. *Vota mea DOMINO persoluam coram omni populo eius.*
15. *Prætiosa in oculis DOMINI mors sanctorum eius.*
16. *O DOMINE, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ.*
17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen DOMINI inuocabo.*
18. *Vota mea DOMINO reddam in conspectu omnis populi.*
19. *In atrijs domus DOMINI, in medio tui Ierusalem, Alleluia.*

Postrema pars Psalmi est pollicitatio gratitudinis pro tantis beneficijs. Promittit autem celebrationem nominis diuini, sed hoc varijs vocabulis per expolitionem aut Synonymiam expressit: Nunc calicem salutarem, nunc vota sua, nunc hostiam laudis appellans, vocabulis ad morem veterũ accommodatis, qui cum gratias solennes Deo agerent, vota persoluere dicebantur, & conuiuia agebant, victimas offerebant. Sed hæc tamen omnia ipse expressit vocabulo inuocatio-

inuocationis, ſub quo per ſynechdochen gratiarũ actiõnẽ intelligit. Hæc & alijs figuris exornata ſunt interrogatione & ſubiectione ſiue ἀπορία, dubitat .n. qua ratione Domino ſatisfacturus ſit præterea ſynechdoche, de qua modò diximus. Acceſsit & amplificatio à perſonis & loco, quod in conſpectu vniuerſi populi, & in templo, loco celebri hoc facturus ſit. Præterea inſertæ ſunt duæ cauſæ, propter quas meritò celebrandus ſit DOMINVS. Vna eſt generalis, quòd ſuos diligat, & quidem ita, vt ne in morte quidem ipſos negligat, ſed habeat loco κειμήλιων. Altera à perſona Dauidis ſumpta eſt, quem ſeruum & humilem ex anguſtijs liberauerit, & propterea dignus ſit, qui propter tantam clementiam celebretur. Quanquam ex his quæ diximus, iſti verſus ſatis clari ſunt, tamen paraphraſi Hebræas phraſes imitabimur. Quas autem ego tanto benefactori pro ingentibus iſtis beneficijs, quæ in me contulit, gratias referam, quo modo vel gratæ mentis ſaltem ſignificationem exhibiturus ſum? certè epulum ſolenne inſtituam, in quo pro more calicem illum gratulatorium, vel optimi ominis poculum in manus ſumam, celebraturus inuocatione & gratiarum actione DOMINVM, perſoluturus vota coram vniuerſo populo, quæ iam pridem feci. Quis enim tali DOMINO non tota mente & animi omni conatu gratias ageret, cui ſuus populus ſancti & fideles tam chari ſunt, vt non ſolùm viuos amet, ſed mortuos etiam, tanquam κειμήλια, & prætioſiſsimos theſauros in delitijs habeat. Ego verò inprimis qui tuus ſum ſeruus, tuus, inquam, famulus, ancillæ tuę filius, æterna memoria beneficiorum tibi obſtrictus ſum, quem indignum abiectumq;

ex

ex maximis periculis eripuisti. Tibi ergo ô clementissime DOMINE non boues aliasq; victimas duntaxat offeram, sed animũ linguamq; semper tuorũ beneficiorum memorem, vitulos labiorũ, quæ victimę tibi gratiores sunt, q; iuuenci producentes cornua & vngulas. Certè ea vota gratitudinis, quæ tibi iam dudũ nuncupaui, exoluam, & quidẽ in cœtu totius populi, in vrbe tua celebri, & atrijs domus tuæ, vt fama tuorũ ingentium beneficiorum apud omnes celebretur, & alij multi ad fidem veramq; gratitudinem inuitentur. Hactenus Propheta. Duæ autem sunt res, quibus maiores nostri valdè occupati fuerunt: vna, vt vota si quæ fecissent, persoluerent, deinde, vt sacrificio Missæ viuis & mortuis patrocinarentur. Producunt autem ad confirmandam opinionem suam multa testimonia sacrarum literarum veteris Testamenti, vbi de votis & sacrificio illo perpetuo agitur, & possent etiam hunc Psalmum in aciem producere, vbi Psaltes pollicetur se nomine gratitudinis velle & vota sua conuiuijs publicis & victimis exoluere. At si ea quæ in more & consuetudine veterũ & eius antiquitatis, quæ sub veteri Testamento vixit, posita fuerunt, vsurpare vellemus, reuocandę essent omnes ceremoniæ, quæ à Mose præscriptæ fuerunt, iam verò cum multis testimonijs sacrarum literarum sciamus eas abolitas, & nos à iugo legis liberatos, quare diceremus eas hodie vsurpandas esse? Et sanè noster Propheta DOMINO pollicetur ea vota, quæ inuocatione nominis diuini persoluuntur, & hostias laudis, hoc est, gratiarum actionis. Rectè ergo apud animos nostros perpendamus, quibus votis obstringamur, & quæ sacrificia DOMINO debeamus.

Votum vnũ fecimus in Baptiſmo, quo nos DOMINO obſtrinximus, eiſq; noſtra omnia obſequia, vt ſerui, obtulimus, imò verò cum Chriſto, quaſi ſpirituali quodam matrimonio coniuncti ſumus. Hoc ergo votum ſeruare conemur omni ſtudio & diligentia, nam cum nos totos addixerimus in ſeruitutẽ DOMINO, par eſt, vt prębeamus membra noſtra ſerua iuſtitiæ ad ſanctificationem. Et Paulus Corinthijs ſcribens de ſpirituali illo connubio, inquit: Adiunxi vos vni viro, vt virginem caſtam exhiberetis Chriſto. Et ad Galatas ſcribit, eos qui baptizati ſint, Chriſtum induiſſe. Officij ergo noſtri eſt, vt nos ad mores ſponſi toto animo accommodemus, & voti, quod ſemel fecimus, ſemper ſimus memores. Par etiam ratio ſacrificij eſt, nam cum vnica oblatione Chriſtus nos perfectos effecerit in perpetuum, non opus eſt, vt nouum ſacrificium & nouas victimas confictas de ingenio noſtro offeramus, ſed eas, quæ hîc præſcribuntur laudis & gratiarum actionis, quas Oſeas vocat vitulos labiorum. Sed immolatur ea victima in corde, imò verò etiam viua voce cum confitenda veritas, & propaganda doctrina Euangelij eſt. Iſta autem tum rectiſsimè fient, ſi omnia DOMINI beneficia diligenter apud animum tuum quotidiè renouaueris: nam diligens meditatio illorum, homines ad veram gratiarum actionem inuitat.

Rom.6. *2.Cor.11.* *Heb.10.* *Oſe.14.*

Præter ea quæ diximus, videtur DOMINI ſpiritus, hoc loco προάδοξον proponere, maximè ijs, qui non ſunt cœleſti doctrina eruditi, id enim pretioſum eſſe dicit, quod magno conſenſu hominum videtur eſſe noxium & exitiale. Nam ſi quis horribilem faciem mortis intuetur, omnia detrimenta ſimul ſe videre exiſtimabit.

Quis

Quis enim (Deus bone) defunctorum color, qui pallor & liuor, macies, fœtor, vt eos qui in vita formosissimi fuerunt, non sine horrore intueri possimus? amittit enim totum corpus gratiam, quam habuit, non oculi decorem, non os decentiam, non facies elegantiam, non nerui vim suam, non brachia robur, non pedes & reliqua membra vigorem motumq; retinent, nihil denicq; præter imbecillitatem, tristeq; silentium reliquum esse videtur, & hæc quidem in ijs cernuntur, qui placida morte obdormiunt, taceo de ijs, qui supplicijs & tormentis è medio tolluntur, quod Prophetis, Apostolis, Martyribus, & optimis quibusq; euenit, quorũ corpora miris modis lacerata & fœdata sunt, vt in ijs gemina deformitas & miseria conspiciatur. Verum ista omnia leuicula sunt, si cũ eo periculo quod in ipsa mortis lucta est, & quod eam consequitur, comparetur. Nam in illa vltima hora homo discedere cogitur ab optimis amicis, propinquis, parentibus, vxore, liberis, imò arctissimum vinculum animæ corporisq; soluitur, tum opes, laboribus maximis inuentæ, tum honores, magna cura quæsiti, tum artes, eruditio & doctrina, ingenio industriaq;, & longo vsu comparatæ, tum regna, imperia, sceptra, diademata laboribus bellicis, & mille periculis parta, vna hora, imò vno momento auferuntur. In isto præterea vltimo agone, grauissima, periculosissimaq; homini lucta est, cum diabolo, conscientia & peccatis, tum homo ad tremendum DOMINI tribunal citatur, corpus vermibus & putredini exponitur, animę multorum ad æternos cruciatus rapiuntur. Quis ergo dicet, mortem esse pretiosam, cum ea omnia, quæ nobis pretiosa, vtilia,

iucunda ſunt, auferat, cum corpus animamq; lædere videatur? Sed non fallit nos ſpiritus is, qui nobis ad omnem veritatem dux eſt, nec ludit Dauid inani verborum ſtrepitu, vt olim Stoici, qui in eculeo & morborum cruciatibus felicitatem eſſe perhibebant. Non negat Dauid mortem per ſe formidabilem eſſe, vt pœnam peccati, nam per peccatum mors introijt in mundum, nec de quorumlibet hominum morte verba facit, quia alibi mortem peccatorum peſsimam eſſe dicit, in qua impij vitam præſentem & æternam felicitatem amittunt, qua iactura quæ maior vel cogitari poſſet? ſed de piorum morte nos vult docere, nec hic de eo agit, quid vel mundus de eo iudicet, aut noſtra ratio aſſequatur, ſed quæ in conſpectu DOMINI ratio ſit piorum, cum ex hoc mundo euocantur, ideo enim addit, IN CONSPECTV DOMINI. Huic ſententiæ quanquam rationes nullæ additæ ſunt, quare mors ſanctorum prætioſa ſit, tamen operepretium erit, eas ex alijs ſcripturæ locis eruere, vt conſolationem inde petere, nobis & alijs etiam profuturam poſsimus. Primò autem, quanquam piorum mors, interdum ita triſtis & miſera videtur, vt ab ipſo Deo deſerti iudicentur, tamen DOMINVS ſatis multa & magna indicia dedit, ſe illos vt prætioſiſsimos theſauros, & gemmas obſeruare, nam teſtatur DOMINVS ſe DOMINVM & Deum eſſe pie defunctorũ, & ſe vocat Deum Abraham, Iacob & Iſaac. Ergo certum eſt eos non eſſe à morte ita abſorptos, vt nihil amplius ipſorum ſuperſit, ſed apertum teſtimonium habemus, eos meliore ſui parte adhuc viuere, quemadmodum præclarè, dulciſsimus ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, contra Sa-

Pſal.33.

Matth.22.

ducæos

ducæos disputauit. At si Deus eorum est, iam tutelam protectionemq; suam eis non negabit, nec obliuioni (vt nobis videtur) eos dabit. Quàm suam perpetuam & constantem erga pios voluntatem, & quàm magno in pretio eos habeat, passim in scriptura confirmat, cum memoriam eorũ tam honorificè renouat, quàm enim sæpè in sacris, Dauidis iam pridem defuncti, mentio fit, & in genere pollicetur Spiritus sanctus memoriam iustorum fore sempiternam, id quod tot historijs sanctorum testatus est, quos fama & gloria nominis in hoc etiam sæculo vult esse immortales. Non obliuiscitur Sareptanæ viduæ, quæ in Prophetam beneficà fuit, non eius mulierculæ, quæ caput Christi DOMINI, paulò ante passionem inunxit, non Nicodemi & Ioseph, qui corpus seruatoris sepelierunt. Denique tam grata est memoria piorum & operum illorũ, vt si vel potum duntaxat aquæ frigidæ dederint alicui ex minimis, nec mercedem, nec memoriam tàm parui beneficij velit esse irritam. Porrò ita grata & prætiosa mors est piorum, vt ne ipsis quidem pulueribus ipsorum obliuiscatur, sed in numerato habeat omnia ossa, etenim vt nos pretiosissimarum gemmarum ramenta etiam & scrupulos, magna cura asseruamus: sic DOMINVS corpora suorum sanctorum, & minutissima ossa non negligenda sibi esse existimat. Non proficiscuntur quidẽ ista à nostro aliquo merito, nec ab hominũ dignitate pretium æstimatur, sed ideo, quia est tanta DOMINI erga genus humanũ clementia & bonitas, vt quos semel in gratiam recipit, non velit vnquam deserere, & ne in morte quidem. Quomodo enim eos thesauros negligeret, quos non auro *Psal.34.* 1. *Pet.1.*

& argento, sed sanguine filij sui vnigeniti acquisiuit?
Ephes.4. Aut quomodo Christus DOMINVS nō in pretio ha-
Coloss.1. beret eos, quorum nō dedignatur esse caput, quos vult
Ephes.5. esse membra corporis sui, ex carne sua & ossibus suis?
Nam cum carnem suam nemo odio persequatur, quo-
modo DOMINVS deesset Ecclesiæ corpori suo? Iam
verò ideo pretiosa mors sanctorum iurè dici debet,
quia DOMINVS vtitur ea non solùm ad gloriam no-
minis sui, sed etiam suorum. Quid præclarius est A-
postolorum & Martyrum supplicijs, quibus veritati
testimonia dederunt, & Christi Optimi Max. gloriam
promouerunt? Quę diademata, qui currus triumpha-
les clariores, quàm cruciatus Apostolorum, quos pro-
pter veritatem sustinuerunt? Itaq; honoris causa ea
arma, quibus trucidati sunt eis appinguntur. Solet no-
bilitas huius sæculi sua insignia exornare sæuissimarū
bestiarum imaginibus, at ea demum nobilitas præcla-
ra est, perpetuum testimonium habere, non negatę de-
sertæq; veritatis, nec sæuitiam in alios exercuisse, sed
constanter tyrannidem & crudelitatem sæuissima-
rum belluarum sustinuisse. Nec ea laus duntaxat ad il-
lam antiquitatis memoriam pertinet, quæ statim Chri-
stum natum, passum, & crucifixum sequta est: sed ad
eos etiam, qui hodie pro Christo vitam & sanguinem
profundunt, imò verò ne eorum quidem mors in con-
spectu Dei ingloria & humilis est, qui (vt Apostoli
verbis vtar) nondum restiterunt vsq; ad sanguinem.
Nam si eo proposito in professione veritatis versan-
tur, vt cupiant, si ita res & necessitas ferat, incolumita-
tem & salutem suam pro Christi nomine negligere,
certè non carituri sunt mercede sua, & mors etiam
ipsorum

ipsorum apud DOMINVM, qui tacitarũ cogitationũ, vt explorator, sic remunerator est, pretiosissima est futura. Iam si diligenter apud animos nostros perpendere voluerimus, quantas commoditates mors pijs afferat, nemo nõ dicet eam pretiosissimis χειμηλίοις præferendam. Nam gemmas certè magno pretio emimus, quia creduntur aut contra morbos quosdam esse ἀλεξιφάρμακα, aut certè periclitantibus quædã προφυλακτικὰ, quæ tamen valdè incerta sunt, & hominum opinione magis quàm experientia constãt, sed vtrach; ista sanctis & pijs mors præstat. Quis enim ignorat mortem esse portum & profugium à malis omnibus, & nos cum hinc euocamur, nõ ex quiete ad cruciatus, sed ex miseriis & ærumnis in quietem recipi. Hinc sacræ literæ eã somno, & sepulchra cubiculis, in quibus sancti Dei homines quiescant, donec pertranseat ira DOMINI, comparant. D. Apostolus Paulus migrationi confert, vbi exterreno tabernaculo, quod ad breuem vsum veluti militare excitatum videtur, transferamur ad ædificium æternum, non manu factum, sed à DOMINO ipso constructum. Qua similitudine etiam D. Petrus in posteriori Epistola vsus est. Iob autem casis luteis illis & rusticis confert. Nam migrationem Apostolus Paulus ita expetit, vt variè se affici dicat duabus cogitationibus istis, intelligere enim se suis rationibus accommodatius esse discedere ex hoc domicilio, & esse cum Christo, sed teneri interim desiderio Ecclesiæ, quæ ipsum clara voce ad magnas suas necessitates vocat. Quæ cum sciamus esse verissima, quis non libenter fatebitur mortem non modò non fugiendam, sed expetendam etiam esse? Conati sunt quidem hac in

Esa.26.

2.Cor.5.

2.Pet.1.

Iob.4.

Phil.1.

parte

parte facere aliquid Ethnici, qui de contemptu vitæ huius, de morte libros etiam conscripserunt, & historiæ testantur, quosdam manus sibi attulisse, vt se ex malis hisce exoluerent: sed nõ intellexerunt hoc, quod nos sacræ literæ docent, mortem non solùm ex malis esse profugium, sed pijs afferre omnis generis vtilitates. Nam quantum quidem ad corpora attinet, videntur ea, vt suprà dictum est, in morte non solùm deformari, sed etiam omnino interire: at Apostolus te-
1. Cor. 15. statur, eandem esse nostrorum corporum rationem, quæ est sementis in terram proiectæ, nam vt illa non modò senectam exuit, sed quasi è mortuis rediuiua ad magnas coloni vtilitates, cum fœnore redit: Ita mors sanctorum tam est pretiosa, vt non solùm corpora ex cineribus restituat, sed ornet etiã, efficit enim corpora nostra conformia glorioso Christi corpori, & fulgebunt iusti vt sol. Non tum morbi nos infestabunt, non erit ea virium imbecillitas, quam nunc ex qualibet causa sentimus, non ea corporum tarditas, quæ nunc nos remoratur, vt nõ possimus ijs in locis esse, vbi maximè cuperemus, sed tanta erit nostra agilitas, quanta maxima in auium volatu cernitur. Etenim quemadmodum Christi corpus non impediebatur obiectis clausisq; ianuis, vt nõ transire citissimè posset: sic nulla impedimenta beatis ad summam pernicitatẽ obstare poterunt. Adhæc videtur nos mors lædere, quòd priuet dulcissima amicorum consuetudine, sed qui sacris literis de conditione piè defunctorum nos docentibus, credit, intelligit certè mortem magnum nobis afferre emolumentum, nam adducit nos ad felicem illum cœtum angelorum & beatorum, imò verò ad Christum ipsum.

ipsum. Quoties auemus vnum aut alterum ex sanctis Prophetis & Apostolis videre, & quanto desiderio eos quos præmisimus si fieri posset, in colloquium nostrum adduceremus, imò verò pertraheremus. Diuum quidem Augustinum, aiunt tria spectacula sibi exoptasse, vnum vt Christum in carne, alterum Paulum in cathedra concionantem, tertium Romam in flore videre liceret. Sed quando onere corpusculi huius leuabimur, summa voluptate Paulum cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus omnibus in felicitate, ciuitatem illam & cœlestem Hierosolymam non manu factam, perpetuamq; Christum autem & in carne & in gloria videbimus. Quibus spectaculis quid elegantius, suauius, iucundius, præsertim cum eorum amicorum, quorum iacturam fecisse videmur, dulcissimam consuetudinem die illo vltimo DOMINVS nobis restituet? Nec nos turbet quòd in illa vltima migratione nobis cum carne & sanguine, sed potestatibus aëris depugnandum est. Nam aderit, aderit nobis certè is, qui Spiritum sanctum consolatorem nobis pollicitus est, & si in alijs perturbationibus, cum tentatione euentum pollicetur, quomodo nos in illa periculosa lucta desereret? Si in persecutione se subministraturum, & animum & verba promisit, cur non aduocatum & oratorem se nobis adiungeret, tùm, cum mille artifici respondendum est? Si vocem pastoris audiuerimus, quis nos ipsius ouiculas eripiet è manu aut patris & filij? Quis denicq; intentabit crimina aduersus electos? Deus est qui iustificat. Quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiã est à dextris Dei,

qui & intercedit pro nobis, & quantò maior est pugna, tantò glorioſior victoria. Poſtremò, ſi ea pretioſa & magna nobis videntur, quæ vel oblectationem, vel diuitias, vel gloriam, vel incolumitatem pollicentur, cur non crederemus Prophetæ, qui inter pretioſiſsimas res mortem piorum collocandam eſſe iudicat? Nam qui in DOMINO obdormiunt, ex infamia & contemptu in gloriam, ex doloribus in quietem, ex paupertate ad diuitias, ex triſtitia ad gaudia, ex hac mortali vita ad immortalitatem euocantur, iſs ſi quid propter confeſsionem amiſerint, omnia centuplum reſtituentur, imò DOMINVS omnibus piè defunctis largietur, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit. Quæ bona omnia & æternam illam hæreditatem, cum nō niſi per mortem, tanquam ianuam, duce Chriſto, adire poſsimus, quis non dicet noſtrum Prophetam paucis verbis nobis ſummam attuliſſe conſolationem, vt in morte non modò nihil detrimenti, ſed emolumenti etiam plurimum videamus? Exorandus autem nobis DOMINVS eſt, vt oculos noſtros aperiat, vt eas vtilitates videre, & aliquando experiri poſsimus. Hæc paulò copioſius dicenda videbantur, vt in re maximè neceſſaria, & ea ſententia Prophetica, quæ rationi noſtræ videtur eſſe paradoxa, haberemus ex aliis quoq; ſcripturæ locis ſolidam conſolationem.

VSVS HVIVS PSALMI.

2. *Tim.* 3. Omnis, inquit Apoſtolus, ſcriptura diuinitus inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redarguationem, ad correctionem,

rectionem, ad institutionem, quæ est in iustitia. Et ita hic Psalmus multiplices vtilitates habet. Initio fidem in nobis confirmat, nam cum Dauid testatur, se ex præsentissimo periculo mortis liberatum, pedes suos à lapsu, hoc est, insidijs assertos, & ex doloribus inferni, nos solatur, nullum esse periculum tantum vel externum vel spirituale, ex quo DOMINVS suos non possit liberare.

Deinde etiam veræ inuocationis cum fide coniunctæ rationes ostendit. Nam non solùm suo exemplo nos inuitat, vt intrepido ad DOMINVM animo accedamus, quia DOMINVS ipsi tàm clementer aures præbuerit, sed in genere testatur eum misericordem esse, ac paruulorum, hoc est, abiectissimorum in hoc mundo hominum preces audire, & neminem à se repellere: itaq; omnes magna fiducia per mediatorem nostrum ad Deum accedamus, eumq; inuocemus.

Tertiò ostendit, cuius vestigia in tota vita sequi debeamus, nempe DOMINI, coram quo ambulandum sit, quia ille fidissimus est comes, qui nunquam nos fallet, nunquam deseret siue in vita, siue in morte. Econtra docet omnia humana præsidia fallacia esse, cum inquit, omnis homo mendax, iuxta illud: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à DOMINO recedit cor eius.

Quartò, ad veram nos gratitudinem multis verbis adhortatur, docens hunc cultum gratissimum DOMINO, vt in interpretatione diximus.

Psalmus 117.

Laudate DOMINVM omnes gentes, laudate eum omnes populi.

VT breuis est hic Psalmus, ita de rebus grauissimis & vaticinatur & docet, quod D. Apostolo interprete didicimus, nam is Romanis scribens, eum de vocatione gentium & beneficijs Christi collatis in vniuersam Ecclesiam, intelligit, id quod in progressu interpretationis videbimus. Cohortatur autem Dauid omnes gentes & populos ad gratiarum actionem, & celebrationem nominis diuini. Adduntur causæ duæ: prima, quia DOMINVS summam clementiam suam ipsis probarit, misso filio: alteram, quòd veritas ipsius sit æterna, eũ enim seruare promissiones suas primùm per Prophetas, deinde per filium & Apostolos factas.

Rom.15.

1. *Laudate DOMINVM omnes gentes, laudate eum omnes populi.*
2. *Quoniam prævaluit super nos misericordia eius, & veritas DOMINI in sæculum, Halleluia.*

Primus versus propositionis & exordij loco positus est, nam hortatur vt DOMINVS laudetur, & eam curam, inquit, pertinere ad omnes populos, etiam ad Gentes,

Gentes, quæ res ad audiendi attentionem permouere omnes debet. Alter versus rationes subiicit, quòd & summa misericordia DOMINI in omnes exuberauerit, & promissiones eius sint verissimæ. Notandum autem est verbum גבר Gobar esse emphaticum, & amplificationis loco positum, vult enim dicere DOMINVM celebrandum esse propter eximium beneficiũ illud missi in hunc mundum Messiæ. Veritas verò promissionum diuinarum commendatur, quòd æterna sit, nulloq; vnquam tempore aboleatur. Quia autem summa breuitate proposita sunt, & lectorem non vsq; adeo attentum multa fugere possent, paulò copiosius exponenda videntur.

Multa sanè, inquit, DOMINI in nos miseros mortales præclara beneficia extant, quæ nulla eloquentia satis explicari possunt, sed concionabor iam de summa clementia eius, quæ ad omnes homines pertinet, Itaq; iam non Hebræos duntaxat, sed uos Gentes & Ethnicos, imò omnes populos orbis terrarum, qui antea alieni eratis à promissionibus diuinis hortor, vt illum præclarum benefactorem laudetis & celebretis. Cum enim omnes in societatem summi beneficij veniatis, gratiarum actio & laudatio communis esse debet. Etenim cum hactenus suam benignitatem multis indicijs humano generi notam fecerit, nunc totũ quasi fontem liberalitatis in nos effudit, cum summum specimen misericordiæ suæ tam luculenter & potenter ædidit. Apparuit enim bonitas & φιλανθρωπία Dei erga homines, imò verò viscera misericordiæ eius, qua visitauit nos oriens ex alto: Venit Dei filius vnigenitus, in quo cum sint omnes thesauri sapientiæ & sci- *Tit.3.* *Luc.1.* *Col.2.*

entiæ abſconditi,& inhabitet in ipſo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,quid potuit ad declarationem
Rom.8. ſummam clementiæ diuinæ maius accedere. Nam cum pro nobis filium tradiderit,quî fieri poteſt,vt non et cum eodem omnia nobis donet? Itaq; miſericordia DOMINI largiſsimè in nos effuſa eſt, nec quisquam ſatis dignas gratias agere poterit.Sed Deus Opt.Max. non ſolum filium miſit, verùm Teſtamentum etiam fecit, in quo credentibus remiſsionem peccatorum, adoptionem, arrabonem Spiritus ſancti,& hæreditatem vitæ æternæ promiſit,quarum promiſsionum veritas à Prophetis prædicta, & per ſacrificia adumbrata, cum veniet plenitudo temporis,& filius Dei è vir-
Matth.24. gine naſceretur, tam firma ratáq; in perpetuum credentibus eſt, vt cœlum & terra peritura ſit, verbum autem & promiſsio nunquam interitura. Cum igitur Deus pater cœleſtis miſſo filio tantis nos bonis cumulauerit,& eas promiſsiones dederit,quæ in omnem æternitatem non abolentur, perpetuò ipſi gratiæ agen-
Halleluia. dæ ſunt. Laudate ergo omnes gentes DOMINVM, laudate eum omnes populi.

Cum verba ſingula Prophetæ argumentorum ponderа in ſe habeant, volui aliquanto fuſius ea explicare, mutuatus verba ex nouo Teſtamento,ne in breuitate obſcuritas eſſet. Initio autem præclarum teſtimonium proponitur de vocatione Gentium, nam הללו hortatur,vt laudẽt DOMINVM, iſto autem vocabulo Hebræi intelligunt barbaros ſiue Ethnicos. Et ne quis poſſet dubitare omnes homines ad laudem DOMINI citari,addit: laudate eum omnes populi. Hoc D.Paulus in Epiſtola ad Roma. diſertis verbis de vocatione

Gentium

Gentium interpretatur, Gentes pro misericordia Dei, glorificant Deum, sicut scriptum est: laudate DOMINVM omnes Gentes, & collaudent eum omnes populi, & statim subiicit ex Esaia aliud testimonium, vbi vox illa עמים bis repetita est: Et erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandũ Gentibus, in eo Gentes sperabunt. *Esa.11.* Et similis promissio extat in vaticinio Iacobi Patriarchæ: Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio populorũ, vbi alio vocabulo quo & noster in fine primi versus vsus est אמים populi, vti voluit. *Gene.49.* Hæc testimonia congruunt cum ea promissione, quæ facta est Abrahæ Gen. 12. In te benedicentur omnes cognationes terræ. Videmus pulcherrimam harmoniam esse scripturarum inter se, quibus Gentibus promittitur societas in regno Dei. Valdè autem ea in re opus fuit expressis testimonijs, nam & Apostoli post acceptum Spiritum sanctum dubitarunt, num Gentes quæ circumcisionem non accepissent, assumendæ essent in societatem cœlestium bonorum. Ideo D. Petrus quodam viso Prophetico monetur, vt Cornelium conueniat, neq; iudicet eum immundum, quia gentilis sit. Habemus autem in veteri & nouo Testamento certissima testimonia, non solùm Hebræos, sed etiam Gentes vocari ad regnum cœleste. Deinde docemur secundo versu, quæ beneficia DOMINI principatum apud nos habere debeant. Homines carnales in externis duntaxat acquiescunt, existimantes præclarè secũ agi, si vino & frumento, vt Psalmus loquitur, abundent, at ista dona vt caduca sunt, sic non sunt in præcipuis habenda: in eo autem DOMINVS luculentissi- *Psal.4.*

mè,

mè,& vt Propheta loquitur,potenter ſuam miſericordiã declarauit quòd filium miſit, nam vt in paraphraſi citata loca ſcripturæ ſunt, omnia nobis cum ipſo donauit. Adhæc audimus promiſsiones DOMINI, quas per Chriſtum DOMINVS dedit,certiſsimas eſſe,itaq; longiſsimè à pio pectore abſit dubitatio, quam tamen in hominum animis Romanenſes confirmare conantur.Etenim ſi veritas DOMINI in æternũ durat, quomodo mihi de ea dubitandum eſt? Nec certitudo illa ad generalem duntaxat promiſsionẽ aſtringenda eſt, ſed ſinguli eam ſibi applicent, nam quod DOMINVS in genere omnibus credentibus promittit, id ratum quoq; in ſingulis,qui vera fide ad eum confugiunt,habere vult, quemadmodum fidem & aſſenſum à ſingulis requirit. Veteres generales illas promiſsiones, vbi omnibus venia promittitur,per ſynechdochen intelligunt, ex omnibus aliquos ſeruandos aut ſaluandos, quod ſi ſobriè intelligatur, verum eſt. Nam non omnes homines ſeruantur,multi enim vocati,& pauci electi: ſed cum promiſsioni addita ſit conditio, omnes qui credunt, item quicunq; inuocauerit nomen DOMINI ſaluus erit. Eum qui ad me venerit,non eiſciam foràs,certum eſt eos omnes, qui vera fide ad mediatorem confugiunt,ſeruari. Itaq; ij qui credunt,certi ſint, veritatem DOMINI manere in æternum,nec creaturam vllam nos poſſe ſeparare à dilectione Dei: neque enim DOMINI prouidentia & prædeſtinatio expreſſo & reuelato verbo repugnat. Itaque illi loci ſic tractandi ſunt, ne piis mentibus conſolatio vera eripiatur,& Apoſtolus quidem teſtatur,nos,antequam fundamenta mundi ponerentur, electos, ſed in Chriſto,

ergo

ergo qui veram in Christum fidem habet, electus est. Postremò ex vltimis verbis huius Psalmi, vbi Propheta inquit: veritas DOMINI manet in æternum, tacitè monemur promissiones illas, de quibus Propheta loquitur, non esse rerum corporalium & caducarum, etenim cum cœlum & terra sint peritura, necesse est meliora nobis & æterna bona promitti. Nam veritas Dei hoc loco non sumitur de veritate DOMINI κατ' οὐσίαν, sed quia de Ecclesia verba facit, intelliguntur promissiones credentibus factæ, sicut & misericordiã eam intelligit, quæ exhibita est toti Ecclesiæ: Præualuit, inquit, SVPER NOS misericordia eius.

VSVS HVIVS PSALMI.

Duo sunt veræ & salutaris Theologiæ lumina, nosse Deum & potentem & veracem esse: deinde eum nos amare, & paterno fauore prosequi, de quibus in hoc Psalmo breui illo quidem, sed rebus copiosissimo docemur: videlicet DOMINVM ita paratum esse ad omnes nostras necessitates & miserias subleuandas, vt eam suam voluntatem certissimo iudicio, & vt Græci loquuntur ἐξηγγύῳ vnigeniti filij sui probauerit. Deinde verò suis promissis maximè per filium toti mundo annunciatis, ita stare velit, vt eæ ratione nulla infringi aut debilitari possint.

O Psalmus

Psalmus 118.

Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

PLæriq; interpretum putant hunc Psalmum tùm à Dauide decantatum, cùm gratias DOMINO ageret pro liberatione ab hostibus, cùm cæteris, tùm persecutione Saulis. Alij credunt Dauidem saltantem ante arcam DOMINI, hac gratiarum actione fuisse vsum. Nonnulli ita temperant interpretationem istam, primò quidem de Dauide intelligendam esse, agente gratias pro auxilio diuino & regia maiestate, in quam à DOMINO collocatus fuerat, deinde & quidem secundario de Christo, cuius typum gesserit noster Propheta, accipiendum esse. Rursus alij priorem Psalmi partem credunt ad Dauidis persecutores referendam, alteram autem vaticiniũ esse de Christi passione & resurrectione. Sed tenendum est totum Psalmum esse Christi gratiarum actionem pro sua liberatione ab hostibus & inimicis suis, quam ad Deum patrem instituit, & omnes fideles & pios adhortatur, vt eius beneficij nomine DOMINO gratias agant. Nec discerpo Psalmum, vt prior pars de Dauide, altera de Christo intelligatur. Quòd aũt totus Psalmus de Christo intelligendus sit: item quòd Christus & non Dauid, vt alij credunt, loquatur, rationibus

nibus ſequentibus inducor. Initio certum eſt, ea quæ de lapide reprobato, qui poſtea factus eſt in caput anguli, hîc leguntur, eſſe prophetiam de Chriſto, qui ab Hebræis, tanquam inutilis lapis reiectus, totius Eccleſiæ eſt fundamentum. Hanc interpretationem Chriſtus et Apoſtoli, tum etiam Eſaias Propheta nobis ſuppeditarunt, vt in progreſſu dicetur. Cum autem in priore parte Pſalmi eadem mutatis duntaxat verbis dicantur: circumdatum fuiſſe gentibus & hoſtibus, & poſtea tamen admirando DOMINI auxilio ſeruatum, quis non videt ad vnam perſonam vtramq; Pſalmi partem referendam eſſe? Adhæc notum eſt acclamationem illam Pſalmi huius, O DOMINE da ſalutem, O DOMINE da proſperitatem, Benedictus qui venit in nomine DOMINI, eſſe eam, quam populus Hebræus habuit, cum ſaluator ad vrbem accederet, *Matth.21.* Nam illi Hebræo verbo Hoſianna vſi ſunt, quod Latinis ſonat, da ſalutem, & addunt reliqua, Benedictus qui venit in nomine DOMINI. Cum autem in priori Pſalmi parte quidam ſibi iubeat aperiri portas iuſtitiæ vt intret, quem alium iudicabimus eum eſſe q̃ Chriſtum, cui venienti ita (vt poſtea in Pſalmo legimus) acclamatur? Quid quod in commemoratione maximorum periculorum ſe vndiq; circundatum hoſtibus, quæritur, addita ſimilitudine apum, quæ Pſalmo 22. mutata duntaxat ſimilitudine, Chriſto tribuuntur. Circumdederunt (inquit) me vituli multi, & tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. Et paucis interpoſitis, circumdederunt me canes multi, congregatio malorum obſedit me. His coniecturis motus, hanc gratia-

rum actionem in persona Christi propositam iudico.

De ordine & serie partium & argumentorũ huius Psalmi, pauca admodum suscipiam. Initium Psalmi habet propositionem & exordium, in quo Christus omnes cuiuscunq; sint ordinis, cohortatur ad gratiarum actionem, additur autem causa, quoniam bonus & misericors. Deinde rationem subiicit, quo indicio misericordiam suam notam fecerit, & tantæ gratiæ DOMINO debeantur, quòd eum non solum ex summis periculis seruarit, sed etiam dederit victoriam præclaram de hostibus. Tertia pars Psalmi est beneficiorum & victoriæ huius amplificatio, & quasi καταπύπωσις, ac pictura Christi victoris de victoria exultantis & ingredientis in Ecclesiam suam, quem populus vt triumphatorem cum admiratione & acclamatione excipit.

1. *Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Primus versus Psalmi propositio est, vt dixi, quæ annexam habet rationem, cuius hæc est sententia: Omnes homines debent maximas gratias DOMINO, quia quod dicitur, optimus est, & misericordia eius, coniuncta cum benefaciendi studio, perpetuo durat. Quis ergo tanto benefactori non gratias ageret?

2. *Dicat nunc Israël, quoniam in sæculum misericordia eius.*
3. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia eius.*
4. *Dicant nunc qui timent DOMINVM, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Hæc

Hæc exordij loco ponuntur, etenim vt memini, propositionem & exordium coniunxit, & ostendit Christus se gratiarum actionem ab omnibus hominibus requirere, vtpote ad quos fructus & vtilitates eorum beneficiorum, quę hoc Psalmo prædicantur, pertinet, nam vocabulo misericordiæ pro beneficio hoc loco vsus est. Partitur autem homines in tres quasi classes. In Israëlitas, in sacerdotes, deniq; in omnes timentes DOMINVM. Nam beneficia quæ hoc Psalmo celebrantur, ad Gentes etiam pertinent. Singulis autem partibus subijcitur vna eademq; ratio. Initiali verbo acriter & ἐμφαλικοτέρως repetito: Vos, inquit, Israëlitas, qui populus estis Dei, & à Iacobo illo magno nomen & originem prosapiæ habetis, iubeo celebrare DOMINI perpetuam misericordiam, quæ in eo beneficio, quod iam recitabo, maximè conspicitur. Vos etiam sacerdotes, Aaronis prosapiam vt idem faciatis, cohortor. Deniq; quotquot estis pij & timentes siue ex Hebræis siue Gentibus DOMINVM Deum patrem, celebrate propter insignem clementiam, quã mihi Christo & uobis præstitit.

Non existimemus ista more rhetorum à nostro Propheta producta esse, solent enim isti etiam non magnam ob causam auditoris attentionem captare, sed in sacris literis nunquam exordia tam culta & exquisita proponuntur, nisi subsit aliquid, quod memoria & attentione hominum dignum sit. Inprimis aũt in hoc Psalmo Spiritus DOMINI vult docere beneficium hoc, de quo dicturus sit, tale esse, quod ad omnes in vniuersum homines pertineat, ad Israëlitas, ad ordinem sacerdotalem, ad omnes deniq; pios, siue ex Gen-

tibus sint, siue ex Hebræis. Nam DOMINVS dederat Hebræis terrã Canaan & alia bona externa & corporalia, sed illorũ omnis fructus ad ipsos tantũ pertinebat, Gentes nihil sentiebant commodi. Habebant & Iudæi verum Dei cultũ, ceremonias Mosaicas, erant custodes librorum Propheticorum, erat & Christus non solùm promissus, sed etiam varijs sacris & ritibus adumbratus. Commodis autem istis omnibus Ethnici carebant, nam in cimmerijs quasi tenebris idolatriæ & errorum fœdissimorũ versabantur, alieni à Repub.
Ephes.2. Israëlis, & extranei à testimonijs promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo. Inter Hebræos autem ipsos non erat par priuilegiorum ratio, singulæ tribus habebant suam ditionem. Soli autem sacerdotes carebant hæreditate, è contra ordini sacerdotali, decimæ, primogenita omnia tribuebantur, ac dijudicatio multarum grauissimarum rerum, & præcipuè ceremoniarum, totiusq; cultus DOMINI admini stratio commendabatur, ab his prærogatiuis excluduntur cæteri. Itaq; ea beneficia, quæ in veteri Testamento fuerunt, neq; omnium hominum, nec Hebræorum vniuersorum erant, sed singulis sua & propria assignabantur: at Psaltes his versiculis omnes ad gratiarum actionem vocat, ostensurus hoc bonum, de quo hic loquatur, esse commune omnibus, Iudæis & Gentibus, sacerdotibus & priuatis hominibus. Hoc sanctus etiam angelus decantauit et celebrauit his verbis:
Luc.2. Ecce annuncio vobis gaudium magnum quod futurum est toti populo, quia natus est hodie uobis seruator, &c. Hostes enim quos vicit noster ille triumphator, non vnius ordinis aut populi sunt aduersarij, sed totius

totius humani generis, fructus ergo victoriæ istius præclaræ ad omnes pertinet. Nec Ecclesia vbi Christus est lapis angularis, vnum duntaxat populum aut nationem habet, sed complexus est ille lapis duos parietes, hoc est, populos, vt Ethnici qui quondam erant longinqui, propinqui facti sint per Christi sanguinem, qui nostra pax est, qui ex vtrisq; vnum fecit, & interstitium maceriæ diruit. Nec verò hanc solam ob causam celebratur ista DOMINI misericordia, sed quia perpetua est. Comederunt quidem patres manna in deserto, sed mortui sunt. Possederunt Hebræi terram promissam, sed ea dies quæ ipsis vitam, ea fructum & suauitatem illarum rerum omnium sustulit, donec tandem tota posteritas cum imperio & omnibus ornamentis euerteretur. Sed hoc beneficiũ in Christo nobis partũ, ad omnem æternitatem durat. Singuli ergo & omnes cogitent nostri officij esse, primùm agnoscere illa beneficia ingentia. Deinde etiam omni studio, cura & diligentia elaborare, vt grati simus. Qui vel in ministerio, vel in magistratu cõstituti sunt, intelligant sibi maiorem eius laudationis curam commissam, vt non solùm ipsi prædicent summam DOMINI erga genus humanum clementiam, sed alijs etiam, qui eis commissi sunt, authores sint, vt vita & moribus, viua voce & toto suo studio ad gratiarum actionem elaborent. Quod tum futurum est, si magistratus suum officium fecerit, & diligentem se legum & morum custodem præbuerit. Ministri autem, si scripta Prophetica & Apostolica, quibus DOMINI illa misericordia & clementia celebratur, diligenter & syncerè suis auditoribus proposuerint. Faciant & œconomi suum officium

ficium in educandis liberis, quorum est diligenter cogitare, cum multum referat in omni studiorum genere à teneris assuescere, tùm verò pietatis semina prima ætate iacta & radices agere, & egregium illum, de quo suprà diximus, timorem DOMINI confirmare. Itaque suo officio in docendo, monendo, adigendo eos ad cœtus Ecclesiasticos non negligant.

5. *In angustijs inuocaui DOMINVM, & exaudiuit me in latitudine DOMINVS.*

Secunda pars Psalmi, quæ proponit DOMINI beneficia, quibus Christum filium affecit, vt intelligatur, quàm sit misericors, illa autem crescunt antithesi calamitatum, in quibus versatus est & liberatione egregia, ac sunt emphaticè oppositæ inter se duæ voces metaphoricæ huius versiculi, angustia & latitudo, quas postea in toto Psalmo copiosè est explicaturus, sicut & tertiam vocem DOMINVS statim amplificat. Verba autem huius versus hanc habent sententiam. Cum versarer ego in summis angustijs, ita vt anima mea tristis esset vsq; ad mortem, ac me hostes mei circumdedissent, sicut boues multi & tauri pingues obsedissent me, cum ab ipso patre desertus viderer, precibus ad eum confugi, & exaudiuit me. Nam ex istis angustijs & miserijs in latissimum campum deduxit, vt non solùm solutis doloribus mortis, præter opinionem omnium resurrexerim, nunquam amplius moriturus, sed deuictis omnibus hostibus, in altum ascenderim, & captiuam duxerim captiuitatẽ: imò omnis mihi principatus, potestas, honor datus sit, vt omnes mihi populi, tribus

Psal.22. *Act.2.* *Rom.6.* *Psal.67.* *Dan.7.*

tribus & linguæ seruiant, & iam regnum meum sit à mari ad mare, imò eius ij sint termini, quos non claudit hic orbis terrarum. Mihi enim data est omnis potestas in cœlo et in terra, in tam amplam & exoptatam latitudinem eduxit me. Et hæc quidem de sententia Prophetæ. Hebræorum maximè autem Prophetarũ consuetudo est, totam rem initio paucis complecti, deinde copiosius & fusius explicare: hoc & noster Propheta secutus, hoc vno versu, ea quæ in toto Psalmo fusissimè dicuntur, paucis verbis includit. Satis autem ex paraphrasi, & locis ibi citatis intelligitur, quę nam istæ angustiæ fuerint, & in quam latitudinem, imò verò amplitudinem Christus DOMINVS deductus sit. Sed cum omnes sancti circumferant imaginem passi Christi, certè & resurgentis ac liberati habituri sunt: nec animo perturbentur, si videant se in summis angustijs constitutos. Nam vident & filium Dei in ijsdem versatum, interim non dubitent DOMINVM ex istis angustijs ipsos in latissimum campum libertatis & felicitatis deducturum, & daturũ cum tentatione euentum. Et vt angustiæ, ex quibus Christus seruatus est, non vnius generis fuerunt, sed quædam externæ, vt cruciatus & laceratio totius corporis, risus, sanni, sputum, blasphemiæ: aliæ internæ, vt vehemens illa consternatio in horto, & sensus iræ Dei, quẽ tristissimis gemitibus inter ipsos cruciatus corporis declarat, ex quibus tamen omnibus exemptus est: ita exempla sacræ scripturæ testantur, sanctos in varia corporis animæq; discrimina venisse, & quasi manu DOMINI ex ijs extractos, & in latum campum ac securitatem exoptatam venisse. Sic D. Paulus ex nau- *Zach.9.* *Matth.28.*

 fragijs,

fragijs, seditionibus, insidijs, ipsis supplicijs ereptus est: sic cum satanæ tentationes grauissimas sentiret, tandem consolatione erigitur, in qua tanquam amplissimo campo obambulans, magna παῤῥησία confirmat, nullam esse creaturam, quæ ipsum posset auellere à dilectione Dei. Imago autem liberationis huius Lazarus est, qui in summis angustijs paupertatis, morborũ, constitutus, ab angelis in sinum Abrahæ, hoc est, vt Dauid hoc loco in persona Christi loquitur, in latitudinem & quietem deducitur. Sic DOMINVS tandem nos omnes corpore hoc solutos, imò verò ex periculis omnibus, & hac lacrymarum valle liberatos, transferet in æternum suum regnum, vbi à piorum oculis omnes lacrymas absterſurus est.

6. *DOMINVS mecum, non timebo quid faciet mihi homo.*
7. *DOMINVS mecum & adiutor meus, & ego gaudebo de osoribus meis.*

Propheta in persona Christi loquens, singula verba quinti versiculi sequentibus amplificat. Quia verò in eo primùm DOMINI mentionem fecerat, autoris omnium beneficiorum, quę in Christum collata sunt, amplificandi gratia DOMINI auxilium cum conatibus omnium hominum confert, Et primùm quidem id facit in hypothesi his duobus versiculis ostendens, non potuisse Christi aduersarios quidquam efficere cum DOMINVS ei adfuerit: sequentibus autem duobus versibus in thesi fiduciam & auxilium diuinum cum omnium hominum adiumentis comparat. Quia verò

duo

duo versus priores egregia breuitate multa complectuntur, explicemus eos paulò copiosius, connectentes cum superioribus. Nec miretur quis, me ex tantis malis ereptum, nam pater mihi cœlestis in omnibus adfuit, quem ergo timerem? nam quid miserorũ mortalium, quorum omnis gloria est veluti flos agri, & qui veluti fœnum reputantur, omnes conatus valerent, contra eum qui cœlos extendit, & fundauit terrã. DOMINVS mihi adest præsenti auxilio suo, itaq; meos aduersarios non modò non reformido, sed etiam ex eorum interitu voluptatem summam capio. Hęc Psaltes. Antea verò quàm quæ vtiliter ex hoc districho peti possunt, subijciam, addam alios duos versiculos, quibus in genere siue thesi DOMINVS hominibus omnibus præfertur ratione auxilij vt diximus. *Esa.40.* *Esa.51.*

8. *Melius est confidere in DOMINO, quàm confidere in homine.*
9. *Melius est sperare in DOMINO, quàm confidere in principibus.*

Hæc ego (inquit) omnibus pijs nota esse cupio, vt intelligant tum se rebus suis rectissimè consulturos, si spem suam collocent in Deo, non in homine mortali omnibus periculis expositò, qui vel voluntatem suam mutare potest, vel vrgente necessitate fati abripi, cum DOMINVS idem semper maneat, cœlis terraq; consenescentibus. Mirantur homines magnos principes, & se totos ad illorum omnia obsequia componunt, qui tamen non minus fragiles sunt, quàm cœteri mortales, & isti maledictiones & fatales pœnas sibi accersunt, *Psal.102.* *Psal.82.*

dum confidunt in homine, & faciunt carnem brachiũ
Hiere.17. suum: quanto autem rectius facerent, si omnem fidu-
Apoca.19. ciam collocarent in eo, qui DOMINVS est dominan-
tium & rex regum: quantum autem omnibus bonis
præsidij in DOMINO repositum sit, meo inprimis ex-
emplo discere poterunt, qui in omni calamitatum ge-
nere non modò dux, sed etiam seruator & liberator
præiui & præcessi.

Quæ duobus prioribus versiculis proponuntur, ea
Psal.27. in nostro Propheta sæpè repetuntur. Pater & mater
dereliquit me, DOMINVS autem assumpsit me. Et
Psal.3. rursus: Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in
Deo, tu autem DOMINE protector meus es, gloria
Psal.18. mea, & exaltans caput meum. Quoniam in te perrum-
pam turmam hostium, & in Deo meo transgrediar
murum. Et Psalmo 56. In Deo laudabo verbum eius,
in Deo sperabo, non timebo quid faciet mihi caro. Et
in eodem Psalmo: In Deo speraui, non timebo quid
faciet mihi homo. Hanc etiam sententiam D. Apo-
Rom.8. stolus eleganti argumentatione proponit: Si Deus
pro nobis, quis contra nos? Vult Spiritus sanctus to-
ties eandem sententiã inculcare, vt intelligamus quem
in rebus aduersis nobis consiliarium, opitulatorem, &
vt Græci loquuntur ἀλεξίκακον adiungere debeamus.
Etenim si consilium in re difficili expetitur, quis me-
lius & certius suppeditabit quàm ille, penes quos om-
nes sunt sapientiæ & scientiæ thesauri? Quod si poten-
Psal.115. tia & facultas perficiendi quæritur, quem alium adiu-
torem quæremus quàm eum, qui in cœlo est, & omnia
quæcunq; voluit, fecit, cuius solo nutu omnia guber-
Psal.9. nantur & reguntur? Qui est refugium in opportuni-
tate.

tate. Quod si consilium cum re & euentu exoptamus, quis nobis rectius consulet quàm DOMINVS? qui quàmprimùm consultarit, teste Propheta, & manum suam extenderit, nemo est qui inhibeat. At cum ad nostras preces paratum promptumq; auxilium flagitamus, an certius ab vlla creatura quàm DOMINO & creatore ipso, qui præterea etiam miserator est & misericors, qui respicit humilia in cœlo & terra, expectabimus. Denicq; ad quem alium confugiemus quàm eũ, qui nobis pater factus est per filium, qui opem auxiliumq; nobis tam prolixè est pollicitus, apud quem & filius mediator pro nobis, & Spiritus sanctus gemitibus inenarrabilibus intercedunt? At rursus ista omnia hominibus deesse videmus, aut certè ita instabilia, vt minimè ipsis fidendum sit. In homine spem collocasti, sed quo? diuite, & ad miraculum vsq; felici. Verùm non ignoras fortunam, vt veteres dixerunt, vitream esse, & tùm cum maximè splendet, frangi. Nouisti gemitum Prophetæ nostri Psalmo 39. Eheu, quàm sicut vmbra pertransit homo. Fauet tibi potentissimus Monarcha aut Princeps, sed audiuisti ab eodem Propheta, non confidendum in Principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus. Iam quàm multa homines deliberent, & non respondeat euentus. Solomon docet: Cor hominis disponit viam suam, sed DOMINI est dirigere gressus. Et ipsi etiam Ethnici gemitu suo hoc confessi sunt, dicentes: O me nunc̃q; sapientem. Denicq; in rebus humanis omnia caduca, lubrica, incerta, & insidijs plena sunt, vt amentis omninò sit in re tam varia, & duntaxat (quod aliàs de fortuna veteres dixerunt, rectè autem & ad hominum rationes

Psal.113. *1.Ioan.2.* *Rom.8.* *Psal.146.* *Prouerb.16.*

tiones accommodatur) in ſua mobilitate conſtanti, fundamenta ſuæ incolumitatis ponere.

10. *Omnes gentes circumdederunt me, ſed in nomine DOMINI excindam eos.*
11. *Circumdederunt, circumdederunt me, ſed in nomine DOMINI excindam eas.*
12. *Circumdederunt me ſicut apes, & extincti ſunt veluti ignis ſpinarum, ſed in nomine DO MINI excindam eos.*
13. *O hoſtis impuliſti me vt caderem, ſed DOMINVS adiuuit me.*

Verſiculis ſuperioribus Pſaltes docuit, quàm potens ſit DOMINVS, cuius quinto verſiculo fecerat mentionem: nunc incipit inter ſe contendere egregiè id, quod duobus initio verbis fecerat, anguſtias ſuas, & deinde latitudinem, ſiue victoriam ſuam, in quã eductus ſit, additis amplificationibus. Sed anguſtias in quibus fuerit, quatuor verſibus iſtis amplificat, opponens potentiam & auxilium diuinũ, quibus frętus, velit omnem vim hoſtium reprimere, & probare quod dixerat, ſe neminem timere, ſi adſit ipſi DOMINVS, & ſuo exemplo docet tutiſsimum eſſe confugere ad opem diuinam. Anguſtias autem ipſas auget, additis circumſtantijs, initio perſonarum, quòd omnes gentes aduerſarias habuerit, id quod etiam aliqua ex parte pingit, examine apum, quo ſe circundatum queritur, id complementum habuit primùm in ipſo Chriſto, quem tota gens Hebræorum & omnes populi, qui ad diem feſtum conuenerant, perſequebantur, clamantes,

tes, crucifige, crucifige. Deinde in membris ipſius. Nam notum eſt ex Apoſtolorum actubus, quanto ſtudio & Hebræi & Gentiles ſe Apoſtolis, adeoq; ipſi Chriſto oppoſuerint, additur & ſine nomine quidam qui impellere voluerit, id & de Gentibus & diabolo intelligi poteſt. Adiecit & aliam circumſtantiam à modo, nam CIRCVMDEDERVNT Dominum, quod verbum emphaticè repetitur CIRCVMDEDERVNT, CIRCVMDEDERVNT me, nam ſummo ſtudio & conatu Chriſto aduerſati ſunt. Hæ ſunt ſummæ anguſtiæ: ſed circumdederunt etiam Chriſtum dolores mortis, & diabolus terrens, mors, infernus, vt ſuprà diximus. At verò ſtudium & conatum eorum pingit ſimilitudinibus duabus, vna eſt apum, nam in apibus tanta vindictæ eſt cupiditas, vt animas (quemadmodum Virgilius cecinit) in vulnere ponant, nam infixo aculeo, moriuntur: quàm autem acerbum odium fuerit Hebræorum aduerſus Chriſtum, cùm ex aliis, tùm verò eo inprimis notum eſt, quòd maluerunt latronem, quàm innocentem DOMINVM dimittere. Altera ſimilitudo ſumpta eſt ab igne in vepribus, qui & ſubitò & magno fragore oritur: ita & Hebræi & Gentiles ſummo odio Chriſti & doctrinæ ipſius flagrabant, & omnes aduerſus DOMINVM conclamabant, nemo erat qui non creparet blaſphemias. Acceſſit etiam reliquis circumſtantijs cauſa impulſiua, quare tanto conatu ſeſe opponant, nempe vt impellant, & impulſum præcipitent aut proſternant, nam non ſatis ipſis erat Chriſtum vinctum ducere, tradere Pilato, ſed conquieſcere nolebant priuſquam in crucem ageretur. Et quidem cum alias liuor poſt funera ceſſet, tamen

men Hebræi nè mortuo quidem Christo, odium deponere potuerunt, sed hoc agebant, vt signato sepulchro, DOMINVM etiam defunctum confunderent, hoc vult Psaltes, dicens: impellens impulit me vt caderem, hoc est, hoc agebant hostes mei, vt me totum prosternerent. Sed his conatibus hostium, potentiam diuinam opponit, & admodum acriter repetitio quartò facta est, ijsdem propè verbis: sed in nomine DOMINI excindam eos. Item: DOMINVS adiuuit me. Postremo notandum est Psaltem vna atq; eadem similitudine ignis exorti in vepribus vsum esse, & ad odiũ hostium Christi declarandum, & facilitatem qua eos debellare velit. Nam, vt dictum est, ignis in vepreto exortus, subitò surgit, & quidem cum fragore, sed citò extinguitur: ita Christus significat illorum conatus quamuis magnos, tamen fore irritos. Hæc ego paulò copiosius proposui, vt intelligeretur quàm luculenter propositæ sint angustiæ, in quibus dulcissimus seruator noster versatus est. Tempus est vt paraphrasin subijciamus, cui ea quæ dicta sunt, includemus.

Sed vt intelligatis quantas gratias Deo patri debeatis pro liberatione mea, quæ magnis vestris commodis seruit, audite quæso, quibus ego in periculis sim
Ioan.1. versatus. Nam cum in mea venissem, & ad eum populum, quem tot ornamentis, miraculis, beneficijs affeceram, mei me nõ agnouerunt, sed crudelissimè persecuti sunt, deinde cum Apostolos meos legatos emitterẽ voce Euangelij omnes gentes vocaturos, vt per me
2.Cor.5. Deo reconciliarentur, omnes me circumdederunt, omnes tanquam ad commune incendium extinguendum, agminatim, & non aliter quàm examina apum aduolarunt.

aduolarunt. Tanto autem odio mei meorumq; ardebant, vt rursus apibus aut vespis eos conferre possim, quæ tanta vindictæ cupiditate in hominem feruntur, vt oblitæ salutis suæ, & aculeos in venis affigant, & cum aculeo vitam amittant: ita porro ira & odio flagrabant, vt posses dicere incendium in vepreto cum fragore exortum esse, sic omnes spirabant iras, sic vniuersi crepabant blasphemias in me. Quid multis? & ipsi hostes mei, & is qui eis talis crudelitatis autor fuit diabolus, hoc agebant, vt me totum prosternerent cõfunderentq;, & vt Ecclesiam quam plantabam, à fundamentis euerterent. Et sanè tanta aduersariorum meorum potentia est, vt nulla humana vi reprimi potuerint, sed ego virtute diuina eos omnes excindam, ego, inquam, excindam, nõ enim solùm ingratissimos Hebræos perdam, sed omnis gens & regnum, quod mihi non seruierit, peribit, & gentes solitudine vastabuntur, eritq; illa internecio & in externis rebus fortunisq; eorum, & in ijs quæ post hanc vitam expectantur. Tanta autem facilitate hostes meos, & illud quod aduersus me videtur incendium exortum, extinguam, quanta ignis in sarmentis subitò exortus, extinguitur, nam si nemo adsit, tamen consumpta materia ipse per se conquiescit. *Esa.60.*

Audiuimus breue compendiũ passionis dominicæ & eius odij, quod & Hebræorum & Gentilium aduersus Christum ac Apostolos summum extitit. Sed non solùm ea Ecclesia, quæ tempore Apostolorum fuit, talem fortunã experta est, nec isti hostes soli DOMINO aduersati sunt, sed omnium temporum & ætatum historia testatur, totum mundum simili odio aduersus

Ecclesiam DOMINI arsisse. Imortale erat odium Gentilium aduersus Hebræos, sed cum doctrina Euangelij per Apostolos diuulgaretur in totum terrarũ orbem, Hebræi & Ethnici coniunctis & consilijs & viribus ad opprimendam veritatem concurrerunt, & in ea euertenda omnes ingenij vires consumpserunt. Philosophi aculeos argumentorũ & προφῶν exerebant. Magistratus & qui in opinione sapientiæ erant fulmina minarum, proscriptionum, crudelissimarum condemnationum adijciebant. Alij conficta crimina spargebant. Ipsi carnifices in excogitandis nouis & inusitatis suppliciorum generibus ingenioſi erant. Quid multis? omnes aduersus Christum & Euangelium coniuratione facta, noctes & dies hoc agebant, vt Christus & doctrina Euangelica è medio tolleretur. Quis aũt non videt hodie etiam eos, qui purioris doctrinæ Euangelicæ amantes sint, eosdem sentire aculeos, & ex omnibus ordinibus hominum, partim quidem occultos, partim manifestos & infestos hostes habere? Possunt illi ferre auaros, veteratores, parricidas, Hebræos blasphemos, fœneratores, & quasi spongias facultatum priuatarum, vnicum nomen veritatis & doctrinæ Euangelicæ ita ipsis est exosum, vt de eo extirpando consultent perpetuò. Ac cum se syncretistis nihil proficere vident, aperta vi, proscriptionibus, carceribus, eculeis, vstulationibus, & alijs tormentis, Neronianæ seuitiæ imitatione, aduersus innocentes agunt, ita vt in quibusdam regnis aliquot hominum nõ iam millia, sed centena millia miserrimè trucidata sint. Nemo est qui nõ aliquid contra Lutheranos crepet. Qui doctrina excellunt fallacijs & sophismatis agunt, indoctissimi

ctiſsimi quiq; , cum aliud non poſsint, conficta crimina proferunt, iactant nos diſſentire, & animis dogmatibusq; diſsidere. Summa circundati vndiq; ſumus hoſtili manu tanquam incendio quodam, & veluti apum infeſto examine. Sed quæ aduerſus tantas miſerias cõſolatio, quod auxilium inueniri poterit? Initio diligenter cogitandum eſt Chriſtum dulciſsimum ſeruatorem & magnum illum ſacerdotem, omnia illa odia noſtri cauſa ſuſtinuiſſe, vt quemadmodum cætera, quę nobis triſtia & aduerſa eueniunt, ſanctificauit, ita etiã efficeret, ne acerbiſsima & Vatiniana odia impiorum nobis obſint, ſed ſimul cooperentur nobis in bonum. Deinde quanquam tanta eſt multitudo hoſtium Eccleſiæ & piorum, vt ſi vtrinq; opes, ingenia, partium ſtudia, arma confœderationesq; conferantur, nemo non dicere cogatur, Chriſtianos & verè pios ſuccubituros eſſe, tamen in hac rerum noſtrarũ deſperatione, optimum remedium nobis monſtrat Chriſtus, nempe vt dicamus: in nomine DOMINI excindam eos. Veniant illi, vt Pſaltes loquitur, in curribus & equis, nos accedamus in nomine DOMINI. Goliathes ἐπιτίχιον canit, ante victoriam, ſed Dauid abit victor, & de tanto gigante triumphat. Arrius circundatus autoritate potentiſsimorum hominum, & ipſius Imperatoris ad diſputationem accedit, ſed Orthodoxi in nomine DOMINI fiunt ſuperiores, & impius homo punitur. Quantę molis fuit idolatriam extirpare, quam omni ſtudio & conatu tot nationes & gentes, tot fortiſsimi heroës, tot inuicti Imperatores defendebant? ſed id cõſecuti ſunt Apoſtoli, cum in nomine DOMINI annunciarent Euangelium, & omnem poteſtatem deijcerent, & ſubij-

Pſal. 20.

1. Sam. 17.

Esa.2. cerent obedientię Euangelij, tùm prophetia Esaiæ cõplementum habuit, qui multis ante sæculis prædixerat, Ethnicos proiecturos esse sua idola in foramina talparum. Quid autem antiqua exempla affero, cum nouis abundemus? Quid minus expectatum euenit Romanensibus, quàm illa ipsorum in Ecclesia Monarchiæ destructio, & per eum hominem, qui ne cum infimis quidem in curia papali comparandus videretur? Sed illa non Lutheri doctrina, non principum consilio, qui ab initio magna ex parte huic doctrinæ propter opinionem nouitatis repugnabant, non vulgi applausu effecta sunt, sed quia D. Lutherus in nomine DOMINI cœperat errores verbo Dei contrarios refutare. In causa ergo tam bona, in qua DOMINVM ὑπόστασιν habemus, magno animo & optima spe versemur etiam in posterum, non reformidantes illa crepitacula, & ignem mox euaniturum, quando enim DOMINO fuerit visum eum repugnante toto mundo extincturus est.

14. *Fortitudo & laus mea DOMINVS, factusq; est mihi in salutem.*
15. *Vox iubilationis & salutis in tabernaculis iustorum.*
16. *Dextra DOMINI exaltata est, dextra DOMINI fecit virtutem.*
17. *Non moriar sed viuam, & narrabo opera DOMINI.*
18. *Corripiendo corripuit me DOMINVS, at morti non tradidit.*

Reliqui interpretes hæc omnia referunt ad Dauidem, sed rationes suprà adductæ, probant ea de Christo

sto intelligenda esse. Nam superioribus versiculis Christus de angustijs summis, in quibus est versatus, loquitur, quod versu quinto vno vocabulo expresserat, in TRIBVLATIONE inuocaui DOMINVM. Pars Psalmi quę nunc sequitur, amplificat alteram vocem eiusdē versus: Exaudiuit me in LATITVDINE DOMINVS, hoc est, docet quomodo Deus pater filium suum non modò ex periculis omnibus exemerit, à mortuis resuscitauerit, sed victorem etiam omnium hostium constituerit. Spargitur autem res in personas, nam de illa præclara victoria Christus initio canit ἐπινίκιον, & omnes sanctos dicit venturos in societatē huius gaudij: deinde quasi triumphator iubet sibi aperiri portas Ecclesiæ, vt cum pompa ingrediatur: præterea populus obuiam procedit triumphatori cum admiratione, exultatione & acclamatione, vt dicetur postea. Sed vt istorum versuū, quibus Christus carmen triumphale canit, summā & capita in conspectu habeamus, tenendū est initio cum omnem victoriam partam, DOMINO tribuere, qui sit & fortitudo & gloria Messiæ, qui & salutem ei contulerit. Deinde prædicit futurum, vt in tabernaculis suis sancti prædicent illud luculentum DOMINI auxilium, vbi metonymicè per dextram Dei potentia, per virtutem auxilium intelligitur, & acclamatio iustorum mimiticè exprimitur. Redit postea ad commemorationem beneficiorum, eaq; in specie recensēt, nempe quòd à morte ereptus, quòd in magnis miserijs versatus sit, sed non derelictus in morte. Audiamus nunc Christum suam victoriam prædicantem, Hebraismum nostra lingua secuti. Cum iam victor omnium hostium abierim, ti-

bi ô pater, qui & fortitudo & gloria mea es, gratias ago, quòd mihi tam clementer affueris. Certè de hoc tuo beneficio canet tota Ecclesia cum exultatione, &
Ioan.1. dicet: DOMINI potentia luculenter se ostendit, vidimus.n. gloriam filij velut vnigeniti à patre, DOMINI maiestas se ita exeruit, vt ab omnibus conspici possit. Et sic quidem sancti tuam, ô pater, clementiam & eximium beneficium prædicabunt, & meritò quidem.
Psal.16. Nam quamuis ego miserrimè trucidatus, postea etiam
Actо.2. sepultus, viderer mortem effugere non posse, tamen tu non passus es sanctum tuum manere in sepulchro,
Rom.6. nec etiam siuisti eum videre corruptionem, sed tertio die resuscitasti, ita vt non amplius moriar, sed sedeam ad dextram tuam, DOMINVS omnium quæ sunt in cœlo & terra. Tu quidem me ita castigabis, vt abs te
Esa.53. irato viderer cæsus & percussus, imò omninò desertus, sicut & ego in cruce ea animi perturbatione perculsus, clamaui: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me, sed tertius dies docuit te noluisse me morti & internecioni dare, cum tanta me maiestate resuscitaueris.

Ecclesia cum iubilo canit dextram DOMINI exaltatam, sed mirabitur quis quomodo dextra DOMINI exaltata dicatur, quæ perpetuò summa est? Propheta ipse interpretatur, quia fecit virtutem, hoc est, palam & luculenter se potentia DOMINI exeruit in passione & resurrectione Christi. Etsi enim DOMINI dextra, hoc est, potentia & æterna maiestas nunquam nec minuitur neq; augetur, tamen quod ad sensus & nostram intelligentiam attinet, tum exaltari dicitur, cum manifestis indicijs se prodit. Deum enim eiusq; arcanam guberna-

gubernationem oculis videre corporeis non poſſumus, ſed tum eam adeſſe nobis videmus, cum præſens auxilium & opem diuinam ſentimus. Nunquam aũt gloria DOMINI & potentia illuſtrior eſt, q̃ in ſumma infirmitate noſtra. Ideo Paulo dicit DOMINVS: Virtus mea in infirmitate perficitur, quod ita intelli- 2. Cor. 12.
gendum eſt, nobis tùm maximè innoteſcere Dei præſentiam & benignitatem, cùm rebus noſtris omnibus deſperatis, tamen videmus nos eripi & liberari, & inde cõiecturam facimus, nos alieno beneficio ſeruatos. Hoc aũt maximè in paſsione & reſurrectione Chriſti conſpicitur. Nam quid miſerius, calamitoſius, abiectius, quid deſperatum magis videbatur, Chriſto DOMINO cùm pateretur? coniurauerat aduerſus eum totus populus, corpus ipſius miſerè flagellis ſpineaq; corona laceratur, præterea eo ſupplicij genere afficitur, quod tùm & miſerrimũ & ignominioſiſsimum habebatur, diffugerant diſcipuli, ſepelit̃, & in ſepultura (quamuis honeſta) impietas Hebrçorum nouas occaſiones quærit confundendi DOMINVM? Quid multis? ea fuit tum rerum facies, vt ipſi diſcipuli & animum & ſpem omnem abijcerent, ſed in hac rerum deſperatione reſurgit DOMINVS, & per quadraginta dies veram ſuam reſurrectionem probat, victis confuſiſq; omnibus hoſtibus ſuis. Itaq; vt ante præter calamitates nihil illi videbant: ſic Chriſto reſurgente, præter omnium expectationem nemini quàm ipſi DOMINO laudem tanti beneficij aſcribere poterant. Diſcamus & nos cum tota Eccleſia non modò hoc beneficium predicare, ſed etiam cum viderimus nos ex ijs periculis liberatos, in quibus omnia humana præſidia nobis negabantur,

gabantur, DOMINI & præsentiam & clementiam gratis animis agnoscamus. Econtra cum in ipso periculo versamur, præsertim tali, quod non ipsi nobis accersiuimus, sed propter vocationẽ nostram subimus: non dubitemus DOMINVM ideo omnia humana auxilia ex oculis remouisse, vt sua benignitas paulò post luculentius agnoscatur, vbi enim cessat humanum, ibi diuinum incipit auxilium. Præterea imitari etiam debemus Christi illam pulcherrimam exclamationem: Viuam non moriar. Nam cum Christo mors non obfuerit, nos autem membra Christi simus, mors nobis incommodum nullum afferre poterit, quemadmodũ ipsa nobis veritas pollicita est: Qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Et D. Apostolus ex
1. Cor. 15. Christi resurrectione certissimam demonstrationem extruit, nos quoq; resurrecturos esse. Et sanè quid aliud est mors piorum, quàm ianua ad vitam, quare qui hinc euocantur, verè possunt dicere se non mori, sed tum demum rectè victuros, cum ex hoc quasi mortis domicilio euaserint, nã & Philosophi σῶμα, quasi σημα dici voluerunt. Et illi quidem putabant ideo eos beatos, qui onere corporis huius liberarentur, appellandos, quòd maximis molestijs, & ijs perturbationibus, quas ex contagione corporis proficisci arbitrabantur, carerent, nos autem ideo sic iudicamus, quòd soluti hoc corpore maximis et æternis bonis ornentur. Nam molestia & periculo carere magnum est, sed præterea etiam omnibus bonis & quidem æternis cumulari maximum.

19. *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor DOMINO.* 20. *Hæc*

20. *Hæc porta DOMINI, iusti ingredientur per eam.*
21. *Confitebor tibi DOMINE, quia exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

His versibus triumphator Christus iubet sibi aperiri portas, vt intret. Primùm autem describit quæ sit porta: Porta, inquit, iustitiæ, & quare vocet portas iustitiæ, exponit proximo versu, esse DOMINI portam, per quam ingrediantur iusti. Alij portas tabernaculi intelligunt, quia verò Christus loquitur, intelligamus Ecclesiam, quam filius Dei victor ingressus est. Typus huius spiritualis triumphi, fuit accessus DOMINI ad vrbem Hierosolymam. Nam vt postea dicetur, acclamatio quam in spiritu Psaltes audiuit, adueniente DOMINO ad vrbem, decantata aut recitata fuit. Addit & causam quare hæc facere velit, vt laudet DOMINVM pro beneficijs, & ijs maximè quòd sit exauditus. Nec moueat nos quòd Christus Hierosolymas veniens, nondum passione sua satisfecerat, vt non videantur ista ad eum referenda, nam ille, vt diximus, in vrbem accessus, eius fuit triumphi symbolũ siue typus, quem toto terrarum orbe in Ecclesia DOMINVS erat habiturus cum publicaretur Euangelium. Nunc hosce versus latinos facere, & verbis noui Testamenti interpretari studeamus

Me ergo victorem & triumphatorem de hostibus vestris omnibus in sanctam ciuitatem admittite, portas aperite, obuiam mihi procedite ouantes, cantate. Loquor autem de ciuitate Dei viuentis, Hierosolymis cœlestibus, vbi vera & perfecta est iustitia, ex qua omnes impij excluduntur. Nec solus ego ingrediar, sed *Heb. 12.*

ij omnes, qui mea intercessione iusti habentur, qui do-
Ephes.2. mestici sunt Dei, & conciues sanctorum, illi enim om-
nes nunc accedere incipiunt ad illam vrbem, ad innu-
Heb.12. merabilium angelorum cœtum, ad concionem primo-
genitorum, qui cõscripti sunt in cœlis. Prædicabimus
vnà clementiam Dei patris, qui me pro vobis interce-
dentem tam clementer exaudiuit, & vestrę salutis cau-
sa me ex morte recreauit.

De hoc triumpho noster Propheta etiã vaticinatur Psal.24. & hortat omnes principes vt patefaciant portas, vt ad ipsos ingrediatur ille princeps glorię: Attollite, inquit, portæ capita vestra, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, quod in eodẽ Psalmo bis repetitum est. Nam tùm Christus admittitur, tùm per portas ingreditur, cùm & verbũ ipsius cum attentione audimus, & beneficijs oblatis fruimur, tùm obuiã imus, tùm eum excipimus. Zacharias etiam cap.9. & ingressum Christi in vrbẽ, & triumphũ Christi his verbis describit: Exulta filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator ipse, pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filiæ asinæ. Quanquam autem illa de externo eius ingressu dicuntur, vt Matthæus hunc Prophetæ locum citauit, tamen cum de triumpho & victorijs Christi mox dicatur: Disperdam, inquit, quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, dubium non est, ad spiritualem quoq; Christi DOMINI ad Ecclesiam suam accessum, ista referenda esse, cuius, vt supra diximus, typus fuit aduentus Christi ad sanctam vrbem. Iam verò diligenter quoq; notandũ est, Christum DOMINVM præcedere & adducere

secum

secum iustos qui ingrediantur per portas iustitiæ, nam homines quidem varias rationes commenti sunt, quibus iustitiam coram Deo impetrarent, sed omnes aberrarunt, quia ducem & monstratorem veræ iustitiæ nō sunt secuti. Hebræi dum propriam iustitiam quærunt, iustitiæ Dei non fuerunt subditi, & ideo à DOMINO abiecti sunt. Hypocritæ humanas traditiones & ἐθελοθρησκίας admirati, ita DOMINO se non approbarunt, vt Christus etiam dicat: frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Hæc opinio iustitiæ, multos ad æternum interitum deduxit: sed solus Christus est dux ad veram iustitiam, imò vt Hieremias testatur, iustitia nostra. Iustitiam autem suam, vt Paulus testatur, absq; lege manifestauit, cum ipse nobis sit factus sapientia, iustitia, redemptio, & sanctificatio. Portas ergo illas iustitię ingrediamur Christum fidissimum comitem & ducem secuti, imò cum ipse sit via, veritas, & vita, & iustitia ipsa, aberrare non poterimus, si in ipso solo iustitiā & redemptionē quæsiuerimus. Sed de hoc pleni sunt omnes Prophetarū libri, plena Apostolorum & Euangelistarum scripta, nunc ad ea quæ in hoc Psalmo sequuntur, progrediamur. *Rom.10.* *Matth.15.* *Hiere.33.* *Rom.3.* *1.Cor.1.*

22. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

23. *A DOMINO factum est illud, & est mirabile in oculis nostris.*

24. *Hæc est dies quam fecit DOMINVS, exultemus & lætemur in ea.*

25. *Obsecro Iehoua saluum fac, ô DOMINE da felicem successum.*

26. *Benedictus qui venit in nomine DOMINI, benedximus vobis ex domo DOMINI.*

27. *Deus DOMINVS est qui illuxit nobis, alligate agnum funibus vsq; ad cornua altaris.*

28. *Deus meus es tu, & confitebor tibi Deus meus, & exaltabo te.*

29. *Confitemini DOMINO quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Posset fortasis versus 22. etiam tribui Christo loquenti, sed quia statim sequenti versiculo legimus: & est mirabile in oculis nostris, puto illum sermonem potius ascribendum Ecclesiæ. Videamus quomodo illa cum superioribus connectenda sint. Supra dixit fore exultationem in tabernaculis iustorum, veniente Christo, & iussit sibi triumphator portas aperiri. Iam populus obuiam procedens victori, loquitur. Sunt autem orationis illius partes istæ. Primò admirantur Christum, qui maiorem in modum contemptus spretusq; ab Hebræis fuerat, in tantam sublimitatem & maiestatem euectum, vt sit caput Ecclesiæ. Deinde cohortantur se mutuò ad lætitiam & tripudium. Adhæc excipiunt regem suum voto & acclamatione. Præterea inuitant se inuicem ad celebrandum festum. Postremò inuocatione & gratiarum actione suum sermonem claudunt. Vt assequi verba Prophetæ possimus, imitabimur vaticinium nostra phrasi.

Intuemini intuemini quæso, aduenientem victorem & triumphatorem nostrum, quem ingratissimi Hebræi, vt lapidem reiectitium & inutilem ad templi

spiritualis

ſpiritualis extructionem contempſerunt, is iam in illo ſpirituali ædificio in domo DOMINI factus eſt inſtar lapidis angularis ex duobus populis, Hebræis & Gentibus, colligens ſibi Eccleſiam, non aliter quàm ſummo lapide angulari duo parietes coniunguntur. Hoc tantum beneficium non à conſilio humano, ſed prouidentia & bonitate diuina profectum eſt, & iure optimo apud nos admirationem meretur maximam, quid enim magis mirandũ, quàm eum, qui modo inter abiectiſsimos homines numerabatur, DOMINVM eſſe totius Eccleſiæ, qui ab omnibus conculcabatur, iam venire victorem, & quidem ſeruatorem omnium? Cum ergo DOMINVS diem hunc lætum & ſalutarem nobis voluerit, omnes ad lætitiam, choros, & omnem animi hilaritatem nos conuertamus, certatim vota faciamus & acclamemus Meſsiæ & DOMINO noſtro, quod felix fauſtumq; ſit venis ô toties nobis expetite DOMINE Ieſu Chriſte, ô DOMINE Deus da ſucceſſum regi noſtro, ô DOMINE largire vt ſit ipſius imperium felix, eueniant ipſi omnia proſpera & ſecunda, qui tam carus & exoptatus legatus nobis à DOMINO aduenit. Vobis etiam qui domeſtici Dei eſtis, benedictionem omnem in nomine ipſius precamur. Deo patri omnem quæ à nobis proficiſci poteſt gratitudinem debemus, qui hunc tam ſerenum & ſalutarem diem iuſtitiæ nobis illuceſcere ſinit, ac ſummo indicio iſto fauorem nobis declarat. Itaq; victimas pro more adducentes, alligemus ad aræ cornua, mactemus, & vitulos labiorum offeramus, feſtum diem omni ſolennitate celebrantes. O DOMINE Ieſu Chriſte fili Dei pro nobis crucifixe, tu es totus noſter, tu Deus noſter,

Agnus ſynechdoche pro victimis & toto cultu.

noſter, qui nos miſeros homines à periculo æternæ damnationis aſſeruiſti in libertatem, tibi Deo noſtro & ſaluatori gratias agimus, te extollimus, tuam ineffabilem erga nos bonitatem prædicamus. Laudent DOMINVM & gratias agant Deo patri omnes populi, quia clementiſsimus eſt, & ſuam erga nos miſericordiam in æternum conſeruabit propter eum, qui nobis factus eſt ſapientia, iuſtitia, redemptio, qui interceſſor, qui mediator, qui victima, qui pro peccatis noſtris ἐξιλύτρωσις, cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Quæ paucis his verſibus comprehenduntur tanta ſunt, vt & ipſa patris ſapientia Ieſus Chriſtus, & Prophetæ ac Apoſtoli tanquam gemma quadam iſtis ſint vſi, quare vt theſauri cœleſtes à nobis ſtudio ſummo aſſeruanda ſunt: præcipuè autem ea ſententia, quæ vt φώσφορος inter reliquos aſtrorum ignes, ſic illa inter alia ſcripturæ luculenta teſtimonia ex Prophetis citata coruſcat, de lapide reiectitio & poſtea angulari facto, diligenter notanda eſt. Nā de pretioſo lapide Eſaias 8. & 28. capitibus, de angulari Chriſtus Mat. 21. Mar. 12. Luc. 20. Paul. Rom. 9. & Epheſ. 2. Pet. Acto. 4. & in priore Epiſtola ſua cap. 2. agit. Cum itaq; & Chriſtus, & tot veritatis lumina nobis hanc ſententiā commendent, certè inter χειμήλια reponendus videtur. Nam officiū & beneficiū Chriſti ſeruatoris, nobis iſta metaphora luculenter explicatur, & proponuntur ea, quæ ad magnā conſolationem noſtram pertinent. Videamus ergo primùm quā ob cauſam DOMINVS lapidi cōferatur. Initio ideo lapis appellatur, quòd à multis contemnaī, veluti nullius momenti, & ideo ſit ipſis

in

in ruinam. Hoc vult Esaias capite 8. dicens: Erit in lapidem offensionis, & petram scādali duabus domibus Israël in laqueum & ruinam habitantibus Ierusalem. Quod & noster alia similitudine expressit, fuisse illum lapidem reiectitium & cōtemptum. Hanc sententiam Simeon repetiuit: Ecce positus est hic in ruinam & *Luc. 2.* resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et nō minus eleganter D. Petrus: Vobis, inquit, pretiosus est lapis qui creditis, cæterum ijs qui non credunt lapis quem reprobauerunt ædificantes, & lapis in quem impingitur, & petra ad quam offenditur. Nam in sua venit DOMINVS, & sui eum *Ioan. 1.* non cognouerunt. Et sanè tota vita & doctrina Christi, quamuis innocentissima & optima, offendiculo fuit illis, vita quidem quòd non cum pompa & ostentatione qualem hic mundus amat, in hunc mundum venit. Expectabant isti principem rebus bellicis clarum, abundantem opibus, victorem & triumphatorem, cum autem viderent eum extremè pauperem esse, versaríq; in contemptu eorum hominum, qui in dignitatibus summis erant constituti, ac stipatum esse duntaxat comitatu publicanorum & peccatorum, ex alto ipsum despiciebant. Doctrina aūt ipsis exosa omninò fuit, quòd videretur non tantùm Mosi politiam, sed leges & decalogum etiā abrogare, & cum gratuitam remissionem peccatorū promitteret, fenestram aperire ad omnem licentiam, quod in Epistola ad Romanos videmus, vbi mimiticè Paulus verba obtrectatorum repetit: Faciamus mala vt eueniant bona. Intolerabilis autem videbatur, quòd damnaret constitutiones ab Hebreis factas, & reprehenderent supercilium

Pharisaeo-

Pharisæorum. His offensi Hebræi, omni studio, cura & diligentia in hoc incumbunt, vt è medio tollant Christum, id quod præcipuè Euangelica historia traditum est, & quidem copiosè. Sed impegerunt in illũ lapidem & comminuti sunt, & non solùm incolumitatis & vitæ huius caducæ, sed etiam æternæ iacturam fecerunt. Hoc vult Christus Luc. 20. dicens: Omnis qui ceciderit super lapidem illum, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet illum, quod sanè videmus euentu, plus quàm certum fuisse in Hebræis. Præterea etiam DOMINVS dicitur lapis, quia fundamentum firmissimum est suæ Ecclesiæ, de qua
Esa.28. re locutus est Esaias, fundamentum eum vocans. Et Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, nec prævalebunt portæ inferorũ aduersus eam, nam per petram Christus, D. Augustino teste, intelligitur. Et Paulus: Superstructi super
Ephes.2. fundamentum Apostolorum & Prophetarum summo angulari lapidi, &c. Et ab vtroq; etiam angularis appellatur ijsdem locis, quia ex duobus populis vnum fecit, & interstitium maceriæ diruit. Hunc ergo lapidem pretiosum, angularem, fundamentalem amplectamur. Nam fundamentum suæ felicitatis melius & certius nemo positurus est, quàm quod magnus ille ar-
1.Cor.3. chitectus Apostolus posuit, videndum autem est, vt
1.Pet.2. nos super ipsum, veluti lapides viui, superstruamur, vt
Ephes.2. crescamus in templum sanctum in DOMINO, & vt in eo coædificemur in habitaculum Dei per spiritum. Quæ ab Hebræis interpretibus adducuntur de lapide quodam, qui in extructione templi Solomonis sæpè reiectus, postea fortè fortuna ad angulum templi superiorem

riorem idoneus repertus sit, omitto. Nã Hebræi semper hoc agunt, vt litera contenti, veram & spiritualem interpretationẽ, præsertim si quę de Christo est, negligant. Non aũt meliores habemus eiusmodi locorũ interpretes q̃ Christum & Apostolos, quos in hoc genere interpretationis sequi debemus. Sed (vt progrediamur) non sunt prætereundi ciues illius ciuitatis ouantes, neq; existimandum est, eum diem, quo ista à Psalte conscripta sunt, triumphũ omnem & pompam abstulisse, nam durabit certè hæc tanta res in omnẽ æternitatem. Cum autem omnis fructus eius beneficij ad nos quoq; perueniat, non minus grati esse debemus quàm illi: Multi, inquit Christus, Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Quàm autem reprehendendum in nobis esset, cum ij qui multis sæculis ante Christum hominem factum vixerunt, ita exultarint, & Christum ardentissimis votis exceperint, triumphos ipsius descripserint, gratias egerint, nos parem & animũ & gratitudinem ad tantam rei magnitudinem & beneficia nunquam satis laudata & decantata non afferre: Exultemus, inquit noster, & lætemur in eo die, quem Deus nobis lætum & hilarem esse voluit. Et cohortatur omnes ad offerendas victimas, alligate agnum funibus vsq; ad cornua altaris. Afferamus ergo & nos sacrificia laudis & victimas labiorum, & omni cõtentione elaboremus in veris DOMINI laudibus. Sed opera certè danda est, ne ista prędicatio in extremis labrijs duntaxat hæreat, & in volubilitate quadam vocis & linguæ consistat, sed ab affectu animi proficiscatur, ne is, qui est omniũ non modò *Luc.10.*

rerum ſpectator, ſed explorator etiam tacitarum cogitationum, obijciat nobis quod olim populo ſuo exprobrauit, nos labijs ad ipſum appropinquare, cor autem
Eſa.29. noſtrum longiſsimè ab ipſo abeſſe, ſed ſit noſtrum cor ara, in qua quotidie victimas offeramus. Alligemus victimas noſtras ad aram ſpiritualem, & nos totos aſtringamus ad DOMINI obſequia, eiq; ſimus vera dilectione deuincti, nam non ſunt alij nerui, non alia vincula arctiora, quibus homines alligari poſsint: imò
Rom.12. nos ipſi ſtudeamus eſſe ſpiritualis illa victima, & rationalis cultus, adhortante ad eam rem nos D. Apoſtolo. Oremus etiam DOMINI ſpiritum, vt ſi opus ſit, reſiſtere etiam ad ſanguinem poſsimus, & non ſolùm in confeſsione verba, ſed ſanguinem etiam vt victima, profundere ſimus parati. Moueat nos vt iſta ſtudioſius faciamus etiam dulcis acclamatio & promiſsio, quæ in hoc Pſalmo exprimitur: Benediximus vobis ex domo DOMINI, precatur benedictionem ijs, qui ſunt de domo DOMINI, quod paulò expreſsius dixit
Epheſ.2. D. Apoſtolus, nos eſſe Dei domeſticos, conciues ſanctorum. Nam Chriſtus eam benedictionem, & ſumma bona, quæ habet, non ſibi ſeruat, ſed communicat cum ijs, quos in tutelam & patrocinium ſuum recepit, imò ſeipſum donat. Cum autem in ipſo omnium ſit bonorum confluentia, vtpote in filio Dei, in quo omnes ſunt ſapientiæ theſauri, diuitiæq; reconditæ, & qui ſuis non modò in hoc, ſed futuro etiam ſæculo poteſt & vult benefacere, quid nobis in poſterum deeſſe poterit ad ſummam felicitatem. Et cum in acclamatione
Pſal.22. ſua electi Dei Chriſto dicant: Deus meus es tu, & cõ-
Coloſ.1. fitebor tibi Deus meus, & exaltabo te, is autem quem

ita

ita ſalutamus ſit etiam frater, ſit caput, ſit vitis, ſit ſponſus noſter, cur non omni animorum viriumq; contentione hoc ageremus, vt ſemper cum ipſo in æternis tabernaculis manere & habitare poſsimus? *Ioan. 15. Epheſ. 5.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Duæ ſunt res quas nobis hic Pſalmus proponit, vna vt Chriſtum ab hoſtibus ſuis circundatum & preſſum intueamur, & patientiam diſcamus, nam cum hæc magiſtri fortuna fuerit, cur eam nos ipſius diſcipuli detrectaremus? Deinde etiam DOMINVM victorem, & triumphatorem, & acclamationem totius populi iucundo vaticinio depingit, vt ſciamus quanta à Chriſto beneficia in nos collata ſint, & vt in iſs ſerio exultemus, & huic mundo longùm vale dicamus, qui non rebus, ſed vmbris delectatur.

Pſalmus 119.

Beati immaculati in via, &c.

PEtit in hoc Pſalmo Propheta Dauid, vt verbo DOMINI erudiatur & illuminetur, quod argumentum per expolitionem variè tractat, ita vt certè credam non eſſe expolitionis ſiue ἐργασίας illuſtrius exemplum in vllo vel Eccleſiaſtico

siastico vel Ethnico scriptore. Qua copia orationis Spiritus sanctus nos cohortari voluit, quanto studio verbum DOMINI expetendum sit. Nam homines carnales ferè opibus & honoribus inhiant, obliti pietatis & voluntatis diuinę, sed Propheta, dictante DOMINI spiritu ostendit, eam curam præcipuam nobis videri debere, vt verbo Dei eruditi, veram pietatem & vitam æternam cõsequamur. Quanquam autem in singulis octonarijs (sic enim Psalmus diuisus est) dicetur de ordine & serie argumentorum, quibus Propheta vtitur, tamen operæprecium me facturum puto, si petitionis argumenta statim in vestibulo Psalmi posuero, vt reliqua rectius intelligantur, & attentus lector videre possit, quò cogitationes omnes dirigere in hoc Psalmo debeat. Sunt autem argumentorum in petitione tria præcipua capita. Primum caput sumptum est à præstantia verbi Dei: Oro DOMINE vt me erudias verbo tuo, quia res est prętstantissima. Præstantia autem locis istis proponitur: ab vtilitate, necessitate, suauitate: & econtra turpitudo & incommoda eorũ demonstrantur, qui id negligunt. Secundum caput & argumentum ab honesto sumitur, Dauid magno verbi diuini desiderio tenetur, ergo æquum est vt DOMINVS honestum hoc desiderium iuuet. Tertium argumentum est à facili, tu solus potes dare verbi intelligentiam & profectum, ergo abs te peto vt id des quod iubes. Hæc argumenta non quidem in singulis octonarijs vniuersa, sed tamen passim gratissima varietate insperſa reperiuntur.

PSALMVS CXIX.

Hic

Hic Psalmus habet viginti duos octonarios, quorum singuli versus incipiunt ab vna eademq; litera, vt primus octonarius habet inscriptionem literæ aleph, & versus octo, quorũ quilibet ab א incipit in Hebraico textu. Notandum autem est Hebræos literis vti pro signis numerorum & ziphris, sic א vnum, ב duo, ג tria significat, itaq; literis istis 22. in hoc Psalmo octonariorum numerus aliquo modo intelligitur, quanq; alij numeri articuli, alij digiti sunt. Deinde aũt singuli versus eandem literam initialem habent memoriæ iuuandæ causa, quod in alijs quoq; Psalmis Propheta noster (sed paulò alia ratione) secutus est, vt Psalmo 34. 25. 111. & 112. & 145. & Hieremias in Threnis. Sedulius etiam Poëta in Hymno, A solis ortus cardine, &c. Deinde verò notandum est Prophetam Dauidem, vti vocabulo legis & mandati in generali acceptione more Hebræorum, qui per תורה Thoro nõ solam legem, sed totam scripturam intelligunt, itaq; per legem Dei, verbum eius intelligamus, quod vt intelligeretur, Propheta vsus est sæpè vocabulo דבר Dobor, quod verbum significat & אמר Omer, sermo, eloquium, vocat & עדות Edos, testimonia, quibus promissiones intelligit. Et quod de promissionibus potissimum mentionem faciat ex effectu, quem illis tribuit, manifestum est, nam passim in hoc Psalmo, ait se recreatum lege DOMINI, & testimonijs ipsius, petit etiam sæpiuscule vt viuificetur per DOMINI legem, quod certè nec de lege morali, nec de ceremonijs intelligi potest, nam lex iram operatur, vt D. Paulus testatur, mentes aũt territæ cõscientia admissorum, solo Euangelio & promissionibus diuinis refocillantur. Hæc de vocabulo

legis & mandatorum dicere volui, vt totus hic Psalmus rectius intelligeretur, nec opus esset in singulis versibus ea de re cum tædio & molestia dicere.

ALEPH.

1. *Beati immaculati in via, & qui ambulant in lege DOMINI.*
2. *Beati qui seruant testimonia eius, toto corde inquirunt eum.*

Primi duo versus statim ostendunt, quare Dauid & omnes pij seriò expetant, vt verbo DOMINI regantur, quia, inquit, ij qui gubernantur & reguntur verbo Dei sunt felices. Nomine autem felicitatis omnia cõmoda verbi Dei, quæ prolixè hoc toto Psalmo commemoraturus est, intelligit, vt quòd ex eo discimus doctrinam de remissione peccatorum, veram sapientiam, recreamur in afflictionibus, vtimur eo tanquam lucerna in tenebris & miserijs huius mundi, & similia ingentia commoda, quæ à DOMINI verbo proficiscuntur, his homines felices meritò dicuntur. Sed cum magna sit turba hypocritarum, qui profitentur se verbo DOMINI delectari, & putant satis esse, si intelligant quæ sacris literis nobis præscribuntur, interim nec fide nec operibus studeant, se componere ad obsequium verbi, ideo Propheta quibusdam notis eos describit, quibus verbum ad eum modum prosit, nempe ijs qui sint תמימי דרך, Themime derech, hoc est, perfecti in via, aut qui innocenter viuunt. Opponuntur autem isti impijs, quorum via & vita peruersa est, & exorbitat à recto, ideo addit epexegesin, qui

qui ambulant in lege DOMINI, non ſua ſequuntur ſomnia, ſed præſcriptum verbi Dei. Et id denuò repetit alijs verbis, qui obſeruant teſtimonia eius, & toto corde DOMINVM requirunt, non ſimulant pietatem vt hypocritæ. Colligamus ergo in ſummam ea, quæ primis verſibus hiſce proponuntur. Verè felices & beatos eos dicere poſſumus, non qui diuitijs, opibus, & honoribus abundant, quibus in rebus hic mundus felicitatem collocat, ſed qui veras vitæ rationes ex verbo Dei didicêre, & illud veluti cinoſuram ſequuntur in omnibus, nec vt hypocritę, duntaxat inflati ſunt opinione iuſtitiæ, ſed qui totam ſuam vitam conformant ad præſcriptum verbi Dei, & toto animo DOMINVM quærunt. Diſcimus ex his duobus verſiculis, vbi ſint fodinæ verarum opum, quæ & conſtantem & perpetuam vtilitatem afferunt, videlicet in ſcriptura ſacra & verbo Dei, in quo ea quæ ad beatè viuendũ pertinent, inueniuntur. Reliqua, vt vere dixit ſapientiſsimus regũ Solomon, ſunt vanitas vanitatum, omnia enim euaneſcunt, & exiguum fructum præbent ſuis poſſeſſoribus. Itaq; ſacras literas omni ſtudio, cura & diligentia, & diſcamus, & fodiamus fontes ſalutares, nobis & omni poſteritati ſeruituros. Deinde videmus hic, ſicut & alijs multis ſacræ ſcripturæ locis, improbari hypocriſin, vbi homines ore accedunt ad DOMINVM, cor autem ipſorum longiſsimè ab ipſo abeſt. *Eſa. 29.* Nec opus eſt congerere multa teſtimonia, cum tota ſcriptura plena ſit eiuſmodi exemplis, & inprimis Chriſtus dulciſsimus ſeruator noſter grauiſsimè in eam inuehatur.

3. Non

3. *Non enim operantur iniquitatem qui in vijs eius ambulant.*

Dixi Prophetam in hoc Psalmo persequi vtilitates verbi Dei, necessitatem, suauitatem, & similes locos quibus id cõmendatur. Ac sane iam in genere dixit, eos beatos esse, qui patiantur se regi verbo Dei, nunc subijcit ordine, quare ij beati habendi sint, qui in verbo elaborent, videlicet quia verbum auocet homines à vitijs. Deinde quia DOMINVS studium sacrarum literarum nobis iniunxerit, ideo necessariam esse eius doctrinam, tum quòd Propheta vnicè ea delectetur. Postremò, quia Psaltes ad DOMINVM, qui solus docere possit & erudire nostrum cor, confugit. Principio autem eò valere dicit, vt homines à peccatis deterreat. Nonnulli duntaxat referunt ad cultus, sine verbo Dei excogitatos, quos fugiant ij, qui verbi Dei sint dociles auditores: sed rectius illa intelliguntur de omnibus peccatis, nam qui serio amore verbi Dei flagrat, vitia etiam detestatur. Verba ergo huius versiculi (vt ego quidem intelligo) hanc habent sententiam. Et initio quidem cum ingentia sint cõmoda verba Dei, hoc inter reliqua præcipuum est, quod homines à peccatis vitijsq; abducit, laudabilem viuendi rationem præscribens ijs, qui se ad eius obsequium omni studio componunt.

Non sine causa regius Propheta hanc vtilitatem inter præcipuas & primas ponit, scripturam animorum esse medicinam, & abducere à vitijs. Nam per peccatum, vt Apostolus testatur, mors introijt in mundum. Mortis autem nomine intelligit omnes ærumnas & calamitas

calamitates humani generis, ac æternam etiam condemnationem. Huic tanto incommodo homines variis rationibus mederi studuerunt, disciplina, educatione, legibus, pœnis, &c. Quæ quamuis nõ sint damnanda, tamen nec morbum satis ostendunt, nec medicinam veram exhibent. Nam quamuis multa erudite Philosophi de peccato scribant, tamen scaturiginem totius mali, concupiscentiam, non recte agnouerunt, etenim Paulus testatur, concupiscentiam non nisi ex lege agnosci. Deinde isti morum magistri, ad rationis nostræ dictamen nos ablegant, & tum rectissime vitam institui dicunt, si secundum naturam viuamus. At tantum abest nostra ratio ab illa laude, vt nos ad grauissima peccata inuitet: nam vnde dubitatio, vnde aduersus Deum murmura, vnde idolatriæ & figmenta opinionũ de Deo, quàm ab intelligentia nostra? Quæ cùm videtur acutissimè iudicare, eiusmodi morborum causa esse solet. Sacræ autem literæ medicinam illam animorum optima ratione & via ostendunt, nam fontem totius mali monstrant, & docent præterea, vbi sit quærenda remissio peccatorum, nempe in sanguine & merito DOMINI & seruatoris nostri Iesu Christi, cuius sanguis nos emundat ab omnibus peccatis nostris. Iubent etiam nos petere Spiritum sanctum, qui in nobis quotidie creet nouos motus, veterem hominem aboleat, vt iam non nobis viuamus sed Deo, vt in posterum membra nostra non prębeamus arma iniustitiæ, sed demus operam vt sint instrumenta virtutum. Quanquam autem in solicita etiam cura & attentione summa, res nunquam eò adducitur, vt in hac vita de perfectione absolutissima illa gloriari possi- *Rom. 6.*

mus, tamen pij non admittunt peccata contra conſcientiam, infirmitates autem eæ, quæ propter carnem ipſis adhærent, ſanguine Chriſti teguntur. In hanc ſententiam iſta à Dauide dicta ſunt: Non operantur
1. *Ioan.* 3. iniquitatem. Et à D. Ioanne: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non committit, hoc eſt, non licenter contra conſcientiam peccat & ſcelerate viuit. Nam ſi Dauid à regno Dei excluderet omnes eos, qui qualiscunq; peccato eſſent ſordidati, tunc ſeipſum à beato-
Pſal. 19. rum numero excluſiſſet, nam ipſe dixit: delicta quis
Pſal. 143. intelligit. Et: ne intres cum ſeruo tuo in iudicium, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et
1. *Ioan.* 2. Ioannes in eadem Epiſtola ſcribit: Filioli mei hæc ſcribo ne peccetis, & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Intelligamus ergo & Prophetam & Apoſtolum de peccatis pugnantibus cum conſcientia loqui. Etſi enim pij cupiunt & alia vitare, tamen dum in hac vita ſunt, dicere non poſ-
Pro. 20. ſunt, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.

4. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodire valde.*

Nunc aliam cauſam affert cur verbum Dei expetendum ſit, quia neceſſaria eſt ipſius obſeruatio, DOMINO nobis id mandante, & quidem diligenter. Deinde (inquit) ad ingens illud commodum, de quo modò dixi, accedit etiam tuum mandatum DOMINE, quo ſtudium, & quidem exquiſitum ſacrarum litera-
Deut. 12. rum nobis iniunxiſti, ac voluiſti ne addamus aliquid vel minuamus, ſed id quod tu præceperis, ſollicitè obſeruemus.

seruemus. Aduerbio valde, aut nimis, Propheta multa complexus est, commendatur enim nobis singulare studium in verbi diuini auscultatione & inuestigatione, vt in lege DOMINI meditemur die & nocte, & vt ad similem attentionẽ quoq; vocemus liberos. Deu. 6. his verbis ad eam curam nos cohortatur: Erunt verba quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atq; consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ. Quomodo potuisset DOMINVS verbis significantioribus in nobis & audiendi & discendi verbi Dei attentionem acuere, cum id studium domi & foris, noctu & mane, locis denicq; omnibus circumferre nos iubeat, imò velit id tanquam digitos nostros nobis notum esse, postibus memoriæ causa inscribi? Sic Christus iubet nos scrutari scripturas. D. Petrus commendat nobis scripta Prophetica ut lucernam loco obscuro. Quid multis? Tota scriptura plena est eiusmodi cohortationibus. Ergo nullam rem verbi diuini cognitione antiquiorem nobis esse patiamur, & alijs etiam ad studium diligentiamq; simus hortatores.

5. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodienda statuta tua.*

Dixi Prophetam in hoc Psalmo non solùm ostendere, se præstantia & maiestate verbi adduci, vt cupiat id studio curaq; singulari addiscere, sed ingens suum desiderium sæpe pluribus verbis DOMINO proponere.

Verbis aũt huius versiculi duo proponit Propheta, initio fatetur se perturbari, quòd videat & agnoscat se nõ satisfacere mandatis diuinis, & cupiat tamen se approbare DOMINO. Deinde vt filij, quando aliquid à parentibus propitijs petunt, desideriũ etiam suũ inter argumenta persuadendi referunt: Da mihi hoc pater, quia eius adipiscendi desiderio flagro, ita Dauid DOMINO quoq; suum erga verbum amorem ardentissimo voto proponit. Cùm ergo tanta sit (inquit) verbi tui præstantia, ac tu à nobis tanta seueritate obseruationem eius requiras, valde sum solicitus, quomodo tuę voluntati respondeam. Vtinam verò ea esset in me facultas, vt in omnibus actionibus totaq; vita mea sanctissimis & saluberrimis mandatis tuis obsequi possem. Certè eius rei apud me est tantum desiderium, vt maius vix esse possit, itaq; spero te patrem indulgentissimum hoc mihi non denegaturum.

Vtinam verò & nos in animis nostris tam ardens studium, tam Deo gratum desiderium experiamur. Nam qui studio vitæ in melius emendandæ flagrat, is iam primitias spiritus DOMINI accepit. Et quemadmodum gradus ad sanitatem est morbum agnoscere, & velle medici præceptis obsequi, ita in hac spirituali medendi ratione, egregiè se profeciſſe sciat is, qui medici manum non solùm non reformidat, sed toto conatu se ad medicinam illam animorum conuertit, & interim dolet, se non tantum quantum vellet assecutũ. Hinc sunt illa piorum vota, quibus ad profectum aspirant: vtinam dirigantur vię meę ad custodienda mandata, hinc gemitus Paulini, qui cum in membris suis agnoscat esse aliam legem, repugnantem & rebellantem

Rom.7.

tem legi mentis suæ, exclamauit: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? At qui se in hoc studio frigere sentit, imploret auxilium spiritus DOMINI, vt cor accendat honesto illo desiderio, & subinde nouis accensionibus augeat.

6. *Tunc non confundar, cum respexero ad omnia mandata tua.*

Est alia commendatio verbi Dei, propter quam maxime expetendum est, quia efficit, ne confundamur, quod intelligi potest, nos non frustrari spe in tota vita nostra. Potest etiam accipi de liberatione à summa turpitudine, quæ peccata & in hoc & futuro sæculo sequi solet, hoc modo. Certus etiam sum si tuum verbum semper in conspectu oculisq; habuero, me nec in ijs quæ in tota vita suscepero, cum turpitudine aberraturum, nec infamiam eam quę peccata comitari solet, sensurum esse. Non solùm expetenda bona sunt, sed fugienda etiam ea quæ nocitura videntur, præsertim infamia & turpitudo, quæ peccati quædam est pediſſequa. Etenim vt virtutem honor & gloria veluti vmbra comitatur, sic peccata trahunt secum non solùm longam seriem malorum, sed etiam turpitudinem, ruborem & infamiam, quæ mala rectius effugere non possumus, quàm si expultricem illam vitiorum sacram scripturam, tanquam speculum intueamur, & inde discamus quod ex vsu nobis est. Visi quidem sunt ij, qui DOMINI mandata pluris fecerunt, quàm hominum fauorem & beneuolentiam, se conijcere in difficultates & infamiam, sed euentus tandem docuit, hunc versiculum

ſiculum veriſsimũ eſſe, nam gloria æterna ornati ſunt, & omnia ea quæ ad infamiam & ignominiam ipſorũ comparata fuerant, ad ſummas eorum vtilitates & laudes conuerſa ſunt. Quod in Prophetis, Apoſtolis & Martyribus manifeſtum eſt, nam dum illi conſtanter ſe opponunt toti mundo, idolomanias & corruptelas doctrinæ acriter reprehendunt, intemperiem diſſolutionemq; vitæ taxant, apud magnam partem huius mundi in cõtemptu odioq; vixerunt, & tandem etiam viſi ſunt cum infamia ſanguinem ſuum profundere, at videmus quàm illos conatus non fefellerit, quam lucu-lentam victoriam ab hoſte reportarint, & quòd ea dedecora quę parabantur ipſis, hodie ſint ipſis ornamenta egregia, & veluti trophæa, & triumphales currus. Econtra quis non animaduertit quanta ſit impiorum, qui verbum & mandata DOMINI non ſequuntur, cõfuſio, quanta turpitudo? Nam initio pij omnes eos abominantur tanquam ſatanæ mancipia. Deinde ij ipſi qui vitijs ſordidati ſunt, alios qui in eodem luto hærent, & oderunt & contemptui habent: quis enim auarus non auarum, quis ſuperbus non ſuperbum, quis ambitioſus non ambitioſum odio perſequitur? Taceo iam quas maculas famæ, exiſtimationis, homines facinoroſi reportent, quæ omnia incommoda ſequitur illa confuſio, quando in die vltimo filio Dei veniente in maieſtate ſua, coram omnibus angelis & ſanctis confundentur, & æternam cõfuſionem coniunctam cum tormentis et cruciatibus infernalibus ſenſuri ſunt. Reſpiciamus ergo ad verbum Dei, ſinamus nobis eſſe facem, eſſe comitem ad omnem vitæ elegantiam, denicq; ad æternam gloriam, in hoc noctes & dies pro viribus elaboremus.

7. Con-

7. *Confitebor tibi (siue celebrabo te) corde recto, cùm didicero iudicia iustitiæ tuæ.*
8. *Iustificationes tuas custodiam, non derelinquas me vehementer.*

Suprà de desiderio suo dixerat, quòd summum haberet ad perdiscendum & cognoscendum verbum DOMINI, iam autem ne quis crederet illam facultatẽ ab hominum viribus proficisci, ad aliud argumentum suæ petitionis accedit, ostendens, tum se posse in hoc studio pietatis proficere, si DOMINVS id in corde accendat, simul etiam gratitudinem animumq; perpetuò memorem promittit. Quod si connectere huius versus sententiam cum superiore vellemus, sic latine redderemus.

Studium aũt meum ô DOMINE, & præterea etiam confessionem verbi, & laudem nominis sancti tui ex corde minimè fucato profectam, tùm polliceor, quando tu me erudieris, sine te enim nihil possumus. Polliceor etiam me tuis mandatis morem gesturum, si tu id quod iubes dederis, & mihi sancto tuo Spiritu non defueris, vt eo duce & autore scripturas non solùm intelligam, sed sequar etiam, ijsq; morem geram. *Ioan. 15.* *Augustinus.*

Quando in hoc toto Psalmo audimus Prophetam nihil suis conatibus studioq; dare aut tribuere, sed DOMINVM in solidũ facere autorem omnis emendationis nostræ, & profectus eius qui in sacris est, quare non & nos hoc faceremus, & cũ Apostolo diceremus: DOMINVM in nobis efficere, velle & perficere. Quid enim in tota regeneratione nostrum est? Quomodo iactare nostros conatus, merita, studium, diligentiam, & alia

& alia, quibus supercilium hypocritarum sese magnifice effert, poterimus, cum & initia & progressus iure optimo DOMINO ascribantur. Sunt enim certè cogitationes cordis humani praua à pueritia, quid ergo ex scaturigine tam impura sinceri puriq; expectare tur? Iam in eo homine qui Christo renatus DOMINO seruit, ea pars quæ ex belluina illa reliqua est, (vt sup rà ex D. Apostolo citauimus) aduersatur ei rectitudini morum vitæq;, quę à DOMINO requiritur: Nam concupiscentiæ immortale cum Deo bellum est, eodem Apostolo teste. Postremò ea parte quæ iã emendata est, tantum adhuc est imperfectionis, dubitationis, & reliquarum infirmitatum, vt orare veniam isti nostræ imbecillitati quotidiè debeamus, & à Deo supplices petere, ne nos ad seueriores rationes calculi sui reuocet. Quare cum ea, quæ γνήσια & nostra habemus deprauata sint, cætera quæ clementia & bonitate DOMINI consecuti sumus, non possint ferre DOMINI accuratiorem censuram, quid quęso in nobis erit, de quo gloriari possimus? Ergo nos totos magisterio DOMINI commendemus, ab ipsius nutu & verbo pendeamus, præterea certò nobis persuadeamus, ne studium quidem diligentiamq; vllam profuturam, nisi ipse nos Spiritu sancto dociles morigerosq; fecerit. Iam cum à DOMINI benedictione omnia ea proficiscantur, quæ in nobis laudabilia & pulchra sunt, confessionem, vt Propheta loquitur, hoc est, laudem gratiarumq; actionem DOMINO debemus, nec ferendæ sunt Epicureorum frigidæ excusationes, cum nihil nostrum sit conatibus nostris locum non esse, nam si DOMINI te spiritus regit, certè accendet in te studium pietatis vt DOMINI

MINI iuſtificationes & leges exequi ſtudeas. Nam qui ſpiritu DOMINI ducuntur, hi ſunt filij Dei, ergo ſi nullus in te conatus, ſi ſtudium pietatis nullum extiterit, noli tibi perſuadere neſcio quam opinionem fidei & regenerationis. Etenim vt orto ſole ſtatim etiã aër illuminatur & dies eſt, ſic ſi φώσφορος, imò ſol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus ſuo ſpiritu in tuo corde exortus fuerit, ſtatim etiam nouos & laudabiles motus ſenſurus es, & in his eximium & ardens ſtudium pietatis, quod etſi in alijs maius, in alijs minus eſt, tamen nemo pius eſt, qui non hoc quaſi lumen diuinæ gratiæ in corde ſuo perſentiſcat.

OCTONARIVS SECVNDVS. ב

Hic octonarius argumenta petitionis ſuprà ab initio propoſita omnia habet. Initio oſtendit ſummam eſſe verbi diuini vtilitatem in regendis adoleſcentum moribus, ideo id à primis annis non modò expetendum, ſed ſequendum etiam eſſe. Deinde proponit honeſtiſsimũ deſiderium Dauidis erga verbum. Poſtremò ad DOMINVM confugit, & orat vt verbo ipſius erudiatur & illuminetur. Quæ duo poſtrema coniunxit hoc modo: vnica mea voluptas eſt in verbo Dei, ergo doce me.

9. *In quo mundabit adoleſcens viam ſuam in cuſtodiendo ſermones tuos.*

Cum in tota petitione ſua vtilitates & præſtantiam verbi ſit repetiturus, initio oſtendit, quas vtilitates ha-

beat in adoleſcentia, quæ vt prima eſt hominis ætas, in qua ſapere homo incipit, ita maximè eſt lubrica & multis periculis expoſita, præſertim cum in ea magna ſit conſilij imbecillitas, coniuncta cum animi perturbationibus maximis. Eam ergo ætatem dicit regi verbo Dei, vt innocentiam vitæ retineat, & non præceps ad vitia & voluptates abripiatur, ſecuturiſq; ætatibus ſpem omnem melioris & laudabilioris vitę præcidat: Cupio (inquit Dauid) ô DOMINE erudiri verbo tuo, quia omni ætati illud ſeruit, inprimis adoleſcentiæ, quæ in lubrico conſtituta, facilè ad fœdas voluptates prolabitur, præſertim cum ea ætas animi perturbationes regere conſilio neſciat. At ſi quis, etiam adoleſcens, verbum tuum in conſilium adhibeat, nunquam cariturus eſt gubernatore morum, & innocen-
Sap.4. tiam puritatemq; vitæ cõſeruaturus eſt, vt iam in ipſa adoleſcentia conſenuiſſe videatur.

Non inſcitè dixit Antonius, laqueos à diabolo expãſos ſuper vniuerſam terrã, & nulla certè eſt ętas, cui nõ peculiaribus vitijs inſidietur malus ille, virilem ætatẽ ambitione & honorũ appetitione tentare ſolet, ſenilẽ autem auaritia, vt quò minus viæ reſtat, tantò illa plus viatici quærere velle videatur. Sed nulla eſt quæ in maiori periculo verſetur, quàm adoleſcentia & iuuentus, etenim cum videat ille humanarum miſeriarum ἐπιχαιρεκακὸς, eam ætatem quaſi veſtibulũ eſſe ſequentium, hoc diligenter agit, vt ipſo in limine ſtatim impingamus, & abutitur ad eam rem carne & imbecillitatibus noſtris. Nam hunc quidem adoleſcentem ad meretriceos & impuros amores abripit, alium ad crapulam & ebrietatem, alium ad iracundiam & cædes,

plurimos

plurimos ad ignauiam, cui postea malus ille vt pului-
nari indormire queat.

Ex tot periculis & insidijs euadere salua innocentia, magnæ certè difficultatis est, sed id consequentur adolescentes, si verbum Dei, quemadmodum olim loquebantur, vt filum Ariadnes sequantur. Nam ex sacris literis timorem DOMINI addiscent, quem si in isto lubrico comitem habuerint, nunquam aberrabunt. Non enim opus est vt more gentilium fingamus colloquia virtutis & voluptatis cum adolescente, vitę alisquod genus ingressuro, qualia de Hercule & alijs heroibus finxit antiquitas: sed si pius adolescens perpetuò audierit per verbum secum loquentem DOMINVM, etsi altera ex parte voluptatum illecebrę, ad alia eum pertrahere volent, tamen magis DOMINVM sequendum putabit. Cogitabit de comminationibus, quas seueriſsimas DOMINVS aduersus vagas & fœdas libidines in verbo suo expresit: ècontra memoria repetet promissiones factas, castis & pijs adolescentibus, quod sanè feciſse Ioſephum illum nomine castitatis celebrem dubium non est, nam cum & seruus esset, & adolescens, tùm etiam videret quæ commoda expectare ex turpi obsequio posset, & quæ subire pericula cogeretur, si dominæ suæ non satisfeciſset, abesset etiam ab amicis & parentibus, ac si quid in se statueretur grauius, nihil omninò præsidij à quoquam homine habiturum intelligeret, tamen cum in conspectu haberet verbum Dei, & in eo non solum seueritatis, sed bonitatis etiam DOMINI expressam imaginem videret, illibatum pudorem suũ, & innocentiam etiam seruauit, & non solùm ex periculis clementer

seruatus fuit, sed laus probitatis ipsius ad omnem posteritatem transmissa est. Hunc ergo imitentur boni adolescentes, & nõ solùm præceptoribus quibus commendati sunt obediant, sed inprimis etiam magisterio DOMINI, à primis annis se subijciant, semper cum studijs bonarum artium coniungentes lectionem sacrorum Bibliorum & preces. Tùm fundamenta optima posituri sunt, totius vitæ, & benedictionẽ à DOMINO consequentur.

2. *In toto corde meo exquisiui te, ne finas me aberrare à præceptis tuis.*
3. *In toto corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccarem contra te.*
4. *Benedictus es, ô DOMINE, doce me statuta tua.*
5. *In labijs meis pronunciabo omnia iudicia oris tui.*
6. *In via testimoniorum tuorum gaudium habui, sicut super omnes diuitias.*
7. *De mandatis tuis loquar, & considerabo vias tuas.*
8. *In statutis tuis oblectabo me, non obliuiscar sermones tuos.*

His verbis (vt dixi) studium suum quo ardebat, & quo etiam in posterum vsurus sit, ostendit. Sed in ea quantumuis diligenti indagatione verbi nullum se operæprecium facturum dicit, nisi DOMINO docente & instituente profecerit. Argumenta petitionis sunt ducta à desiderio Dauidis honesto, & à facili, siue DOMINI adiumento, sine quo nihil omninò prestare possumus. Percurramus ergo versiculos hosce paraphrasi, cuius verba cum superiore coniungemus. Iam cum tanta sit elegantia & vtilitas verbi tui in erudien-

da iu-

da iuuentute, ego in eo putaui mihi elaborandum tota animi contentione esse, vt te inuenirem, nullibi enim te, quàm in verbo tuo hominibus cõspiciendum præbes, da ergo optime & clementissime pater, ne in hoc proposito aberrem. Certè hoc solùm ago, vt & de voluntate tua certior fiam ex verbo tuo, & ea vitem quæ tibi displicere intellexero. Tu ergo, nunquam satis laudate DOMINE, aperi oculos & mentem meam, vt in sacris proficiam, nam nisi tu tacito magisterio tuo mihi affueris frustra omnem & legendi & discendi laborem insumpsero: quod si abs te impetrauero ea omnia, quę te dictante illic didicero, viua voce etiam alijs tradam, nec enim desiderium meum, quo verbum tuum amplector, exiguum est, sed tale, vt promissiones & testimonia voluntatis tuæ expressa in eo omnibus diuitijs & thesauris præferam. Itaq; non extinguetur studium illud meum, sed perpetuò de verbo tuo, & cogitabo & loquar, hoc me oblectabo, nec patiar vnq; memoriam eius deleri ex animo meo. Quod meum propositum cum tibi ô, DOMINE displicere non possit, peto vt mihi tuo spiritu adsis, & id quod in me cepisti, clementer perficias.

Ipsa patris sapientia, DOMINVS & seruator noster Iesus Christus, monstrauit nobis κριτήρια, quibus pios ab impijs internoscere & secernere possimus: Qui, in- *Ioan.8.*
quit, ex Deo est, verba Dei audit. Hebræos ècõtra dicit non esse ex Deo, quia verbũ Dei nõ audiant. Cum aũt cuilibet sit notũ nõ de auditione sed auscultatione & attentione cõiuncta cũ discendi studio verba fieri, discendũ est, qui nã in ea auscultatione laudabilẽ DOMINO acceptamq; operam prestent. Christus autem

Luc. 11. explicat quid intelligendum sit nomine auscultationis illius. Beati inquit qui audiunt sermonem Dei & custodiunt eum. Neq; enim satis est audire nisi attentio & studium discendi coniungatur. Et Christus Matth. 12. eodem sensu, sed alijs verbis repetiuit. Quisquis fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse frater & soror & mater est. Ista autem quæ à Christo dulcissimo seruatore dicta sunt, copiosissimè in hoc Psalmo explicantur, maximè autem his versibus, quos nunc explicandos suscepimus. Nam in his Spiritus sanctus ostendit, qualem auditorem velit habere DOMINVS, ne quilibet prętextu pietatis & studij sacrarum literarum hominibus imò verò sibi ipsi imponat, Ergo nunc conditiones vere docilis discipuli in schola Christi audiamus.

Initio autem DOMINVS vult talem auditorē in corde suo abscōdere Thesaurū illum verbi Dei, & tota animi attentione inquirere Dominū, qua nota Hypocritæ excluduntur qui duntaxat simulatione quadā aut imitatione honestorum morum veluti mimi Deo hominibusq; imponere conantur. Ideo DOMINVS appellat tales sepulchra dealbata & patinas exteriore duntaxat parte purgatas. Nam illi homines in superficie tantum versantur, contempta solidiore doctrina pietatis, & addunt etiam cumulum doctrinarum hu-
Coloss. 2. manarum, quorum studium peruersum D. Paulus Colossensibus scribens reprehendit, falsè admodum per mimesin illorum sermones repetens. Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrectaris. Et addit eos qui in Christo profecerint, non debere eiusmodi mandatis se obstringere. Nec committendum vt quis in cibo, potu,

aut

aut parte diei festi nos iudicet. Itaq; superficiarij illi non audiantur sed cogitemus Deum spiritum esse & coli velle spiritu & veritate & vt hic dicitur ex corde. Deinde docemur etiam hoc Psalmo quid in illa scripturarum indagatione tali discipulo propositum esse debeat. Neq; enim oblectationis causa leguntur sacræ literæ qualem homines ex Poëtarum figmentis expectant (quamuis & sua sit verbo suauitas & oblectatio) sed vnicus scopus sit DOMINVM inquirere, id autem tum rectissime fiet, si quis sit & quomodo erga nos affectus probe cognouerimus quod Apostolus ad Hebræos 11. his verbis complexus videtur Qui accedit ad Deum hunc credere oportet esse Deum, & esse remunerationem quærentibus se. Prior pars testimonij huius de essentia loquitur, altera de DOMINI erga nos voluntate. Vtraq; autem à filio discenda sunt Deum enim nemo vidit vnquam filius qui est in sinu *Ioan. 1.* Patris, ipse narrauit, itaq; qui à filio discere nolet veram intelligentiam de Deo nunquam assequetur, etiamsi sacra Biblia diurna nocturnaq; manu verset euoluat, & ad verbum etiã ediscat. Summa autem eorum quæ filius de Patre nobis tradidit ista est. Deum ita dilexisse mundum vt filium suum vnigenitum daret vt omnis qui credat in eum, non pereat sed habeat vitam æternam. Item quod nemo veniat ad Patrem nisi per ipsum. Item quod sanguine agni immaculati *1. Petri.* simus redempti. Quod ipse sit mediator inter Deum & homines. Hunc mediatorem & aduocatum in sacris quærere nos oportet & per ipsum DOMINVM nam de voluntate DOMINI erga nos nulla alia ratione certiores fieri possumus. Videmus Hebræos etiam

num

num hodie ad miraculum vsq; ſtudioſos, imò ferè ſuperſtitioſos in lectione ſacrorũ bibliorum eſſe, ſingulos enim ferè apices in numerato habent ſed non niſi ad interitum ſuum elaborant, quia non DOMINVM per Chriſtum & veram iuſtitiam ſed ſuam iuſtitiam quęrunt, quod velum cum antè oculos habeãt, omnis illorum commentatio omne ſtudium fruſtra ab ipſis ſuſcipitur. Quærendus ergo eſt DOMINVS in ſcripturis & quidem per filium, de quo & Prophetę & Apoſtoli teſtati ſunt, ſed accedamus etiam ad alia quæ pſaltes in auditore θεοδιδακτῷ requirit.

Dauid dicit ſe hoc agere per ſacras literas ne peccet DOMINO, quod per πλεῖφρασιμ quandam intelligendum eſt de timore DOMINI, qui eſt initium ſapientiæ. Nam qui didicerunt ex ſacris ſe DOMINVM ita propitium habere, vt velit Pater eſſe ac intellexerint quæ ipſi obſequia placeãt, iſti certe in hoc ſtudiũ vnice incumbent, ne admittant peccata cõtra conſcientiã ne DOMINI ſpiritum contriſtent ne ſe polluãt ſceleribus quibus à DOMINI gratia excidant, & votum illud quod in primo octonario audiuimus ſemper ipſis, & in ore, & in corde eſt: Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodienda mandata tua.

Præterea auditor ille verbi Dei laudabilis non affert præiudicium ſecum domo, ſed vult ſe docilem diſcipulum exhibere DOMINO, ideo dicit Propheta Dauid, Doce me DOMINE ſtatuta tua, hoc eſt, tum verè doctus euadam quando te monſtratore & magiſtro ſacras literas didicero. Etenim quemadmodum quæ iudices, qui animi aliqua perturbatione aut partium ſtudio ad ferendam ſententiam locumq; iudicij

accedunt

accedunt non possunt rectè de vllo negocio pronunciare, nam abripiuntur eo præiudicio quod ad causam ipsi attulerunt, ita qui sententiam aliquam confictam de ingenio suo ad sacras literas afferunt illi testimonia illarum ad suum institutum accommodant, & ex verbo Dei Lesbiam regulam faciunt. Cuius rei exempla nobis nostrum seculum, & fanatici plura quam velimus suppeditant. Sed is qui DOMINI volet esse discipulus, intueatur sacras literas, conferat inter se, & ijs maximè locis, vbi tota aliqua materia tractatur attentus sit, nihil dans fauori, nihil ingenio, sed putet se tum optimè profecturum si magistri illius verba & mandata sequatur, & ab illis ne quidem ad latum vnguem discedat, quemadmodum DOMINVM etiam in Deuteronomio cap. 4. & 12. serio mandare nouit.

Adhæc Spiritus sanctus non solum requirit docilem discipulum, sed etiam facundum, qui ea quæ didicerit velit alijs communicare, Huc pertinet versiculus 13. In labijs meis pronunciabo omnia iudicia oris tui. Nec intelligo ista de dono eloquentiæ & docendi facultate (Græci homines ea prædítos διδακτικὸς vocãt) sed de confessione. Nam quorum corda DOMINI spiritus illa verè transmarina & cœlesti doctrina imbuit, eos etiam ita reddit magnanimos, & παῤῥησιαστικὸς vt non erubescant doctrinam suam palam profiteri, & quidem cum discrimine. De eo dicit Christus, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo qui est in cœlis. Porro quisquis negauerit me corã hominibus, negabo eum ego coram Patre meo qui in cœlo est. Et D. Paulus: Corde creditur ad iustitiam ore fit confessio ad salu-

Matth.10. Luc.12. Rom.10.

tem, Et Psaltes noster eodem hoc Psalmo infra, Et loquar de testimonijs tuis in conspectu regum & non confundar.

Porro qui παῤῥησίαν istam etiam in aduersis retinere voluerint, eos oportet rerum omnium mundanarum contemptum induere, & solum Dei verbum habere pro preciosissimo Thesauro, hoc vult Propheta cũ dicit in via testimoniorũ tuorũ delectatus sum, sicut super oẽs diuitias Adolescens Euãgelicus qui ad diuitias suas cor apposuerat, cum audiret si discipulus Christi esse vellet, illarum omnium iacturã esse faciendam, statim tristis discessit. Nam pluris faciebat bona externa quàm vel Christum vel Euangelium, ita videmus multos propter temporaria illa & caduca, abijcere confessionem veritatis, sicut Demas relicto Paulo secutus est hunc mundum. Aptissimo ergo ordine cohæret versiculus iste cum superiore. Nam confessio, præsertim cum in rebus aduersis constituti sumus, requirit contemptum omnium rerum humanarum.

At vero disertus ille orator noster, in descriptione sui, quem DOMINO format, discipuli, id quoq; requirit, quod præceptores diligenter à suis auditoribus, vt audita repetat nec contentus sit semel de sacris cogitasse. Nam hominum certe in nulla re tantum fastidiũ videmus esse, quam in sacris, imo vero (vt dicam quod res est) supercilium superbum. Etenim videmus, qui lecta vna aut altera bibliorum pagella, statim audeant profiteri se magistros esse, & doctores scripturarum. Cum tamen nullius hominis tanta sit in hoc studijgenere attentio, quæ omnes sacrarum literarum Thesauros indagare possit, itaq; rectè à Patribus fodinis argenti

argenti auríq; cõparatur quæ exhauriri non poſſunt.

Poſtremum inditium boni illius diſcipuli eſt oblectatio, quæ facit vt nunquam quæ didicerimus patiamur ex animo effluere. Quare is iudicet ſe optime profeciſſe in ſacris qui non modo citra moleſtiam ſed etiam cum quadã ſingulari oblectatione in ſacris verſatur. Hæc paulo fuſius putaui proponẽda vt ſi in progreſſu de ijſdem in hoc Pſalmo ſumus audituri non opus ſit ſingula cum tædio reiterare.

OCTONARIVS TERTIVS. GIMEL

Primum ſeriem argumentorum qua vſus eſt Propheta in hac tertia parte ſuæ petitionis proponam, deinde verſus ſingulos ſuccincta explicatione illuſtrare conabor. Primum à Deo petit vt illuminetur verbo quia homines ſint in ſpiritualibus cœci, ipſe autem ſolus poſsit oculos mentis illuminare, & id fore vtile ſibi quia ſit mirabilia ſcripturæ viſurus. Secundo indigere ſe inquit notitia verbi cum ſit peregrinus in hac terra vt eo veluti ductore & comite vtatur. Tertio à deſiderio ſuo argumentum petit, ego ſummo ſtudio expeto notitiam verbi tui, ergo eam mihi largiaris. Quarto, neglectoribus verbi minaris omnis generis maledictiones, itaq; largire mihi notitiam verbi tui ne in eas incidam. Quinto, propter verbum tuũ ſum in contemptu & in periculo, apud magnates nec habeo aliam conſolationem & conſiliarios in his periculis quam verbum tuum, ergo eius ſolidiorem notitiam non auferas à me. Quæ argumenta ex fontibus vtilitatis & neceſsitatis ducuntur.

1. *Concede ſeruo tuo, vt viuam & cuſtodiam ſermones tuos.*
2. *Reuela oculos meos vt videam mirabilia quæ ſunt in lege tua.*

Verti גמל Gomal pro Dare aut Concedere nam גמל quidem vt habet vulgata translatio, proprie ſignificat retribuere, ſed contextus ipſe docet, in ſignificatione concedendi, eo vſum eſſe Prophetam, pro impendere, concedere, dare. His duobus verſibus DOMINI auxilium & opem implorat & ſimul etiam oſtendit quantum commodum ex accuratiore verbi diuini meditatione & doctrina percepturus ſit vt ſupra dixi. Da quæſo omnipotens Deus qui omnia hominibus clementer largiris, vt ego famulus tuus, & tibi omni obſequiorum genere obſtrictus, totum vitæ meæ curſum ſecundum verbum & voluntatem tuam in eo expreſſam inſtituam. Oculos meos ô DOMINE cœcitate ea quam homines hæreditariam à primis parentibus habent, & præter carnem nihil ſapiunt, inuolutos, Spiritu ſancto tuo (ſolus enim huic morbo medicinam adhibere potes) illumina, vt non ſuperficiariam in cognoſcendo verbo tuo operam preſtem, ſed ad exquiſitam eius intelligentiam elaborem, & aſſequi poſsim quæ ſint in eo reconditæ opes conſolationis, & admirandæ facultates ſiue vires quas aliás humanus animus non aſſequitur.

Monuerunt Philoſophi diligenter cogitandum eſſe, nos non nobis ſolum ſed amicis & patriæ natos eſſe, quod non male & inſcite dicitur, vt cogitemus omnia noſtra ſtudia ad commoda, & vtilitates proximi accommodanda eſſe: at rectius & compendioſius dicitur,

citur, viuere nos ſecundum DOMINI verbum debere, aut DOMINO viuere. Nam in eo quod Philoſophi dixerunt ea duntaxat cura cõprehenditur, quæ ad homines pertinet, in phraſi autem aut γνῶμη prophetica, omnia quæ ad Dei hominumq; dilectionem pertinent continentur. Nam homo vere pius & fidelis in vtroq; diligenter elaborat, vt & cultum Deo ſuo & hominibus officia pietatis & humanitatis præſtet. Neq; enim nos viuimus, ſed viuit in nobis Chriſtus, viuit in nobis DOMINI ſpiritus, ſumus templa DOMINI, ipſius ſumus opus conditi in Chriſto ad bona opera quæ præparauit Deus, vt in eis ambulamus. Deus ergo qui in nobis habitat, & vult nos domeſticos ſuos eſſe, non patietur nos in ſua domo oſcitantes & ociosos viuere, ſed ad obedientiam & fidei, & vitæ honeſtæ impulſurus eſt, & creabit in nobis hoc deſiderium vt cum Dauide clamemus. Da DOMINE vt viuam ſecundum verbum tuum, non ſecutus vel mundi huius vanitatem vel ſplendidum errorem, in quo plerique verſantur, tum credentes ſe præclare victuros, ſi omnia ad ſua lucra, & vitæ ſuauitatem eam quæ in voluptatum illecebris poſita eſt, accommodent, ſed vt iudicet iſs rebus inprimis ſtudendum eſſe, quæ pertinent ad veram & æternam ſalutem, quæ aliter quam ex ſacris literis diſci nequeunt. *Epheſ.2.*

Adhæc diſcimus oculos humanos ad res diuinas nõ aliter ſe habere, quam nocturarum ad clariſsimum ſolem. Animalis enim homo non accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere quod ſpiritualiter diiudicatur, iſta autem cęcitas alia ratione non curatur, quam ſi DOMINVS *1.Cor.2.*

hominibus oculos aperiat. Hebræi vt supra diximus habent velum ante oculos, vt non intelligant & videant ea quæ in sacris præcipua sunt, nam in superficie ceremoniarum & legis hærent, nec animaduertunt ceremonias, victimas, totum denique cultum Mosaicum fuisse duntaxat adumbrationem venturi Christi. Dauid autem sibi petit illa explicari, & certè omnia luculenter in spiritu vidit. Nam Psalmo 22. & alijs luculenter veram victimam per sacrificia Leuitica exIoan.8. pressam describit. Sic Abraham diem & aduentum Christi vidit & exultauit. Postremo non est oscitanter prætereundum quod in sacris dicit esse mirabilia, ista non sunt intelligenda de miraculis duntaxat, quæ in sacris Bibliis describuntur, sed de ijs omnibus quæ cum admiratione illic leguntur. Nam qui non oscitanter legit sacra statim in ipso limine videt cumulum miraculorum, in opere creationis, quæ à sanctis Patribus Basilio & Ambrosio prolixioribus scriptis explicata sunt. Deinde autem qui historiam istam totam percurrit, & oculos ad lectionem illam spiritualem affert, videbit alia miracula, quomodo mirabiliter DOMINVS Ecclesiam suam gubernet, regat, cõseruet, & vt cum Dauide loquar, quam mirabiliter regat DOPsalm.4. MINVS sanctum suum. Qua in re illud sane summam admirationem habere debet, apud nos Ecclesiã inter potentissimos & acerbissimos hostes versari, nec tamẽ euerti posse, similis omnino nauiculæ Christi, quæ fluctibus marinis tantum non obruta, periculum tamen omne effugit. In his autem omnibus eminet mirabile illud salutis mysterium, de quo Paulus loquitur, 1. Tim. 3. Citra controuersiam magnum est pietatis mysteriũ, Deus manifestatus est in carne iustificatus

in

in spiritu visus est angelis, prædicatus gentibus, fides est illi habita in mundo, receptus in gloria. Quam stupenda est duarum naturarum in Christo vnio? quam mirabile mysterium eum puerum, qui in præsepi iacet, rerum esse omnium creatorem. Quam admiranda misericordia, nos indignos, & miseros homines vocari ad participationem spiritualium bonorum, & iustificari alieno merito, imputari nobis iustitiam Christi. Quam ignota omnibus hominibus non renatis, spiritualis illa regeneratio, qua Christo renascimur, per quam præter opinionem omnium idolatriæ destructæ, gentes ad obedientiam fidei Euangelicæ pertractæ sunt. Denicq; in tota sacra scriptura admirandam vim consolandi experimur, quæ in alijs nullis scriptis cernitur, & eam quidem summa verborum simplicitate tectam, nihil enim illic ad nitorem & elegantiam ambitiose quæsitum, non adhibiti calamistri verborum, & interim tanta est maiestas tam grata & iucunda breuitas, & in breuitate copia, tam omnia consolatione plena, vt nemo non intelligat diuina m ipsis vim inesse. Orabimus ergo DOMINVM vt & nos sinat experiri mysteria, & mirabilia verbi sui, aperiatq; oculos nostros, ne cũ hoc mũdo cæcutiamus.

3. *Peregrinus ego sum in terra, nõ abscõdas à me mãdata tua.*

Nunc (vt dixi suprà) ostendit quam necessaria sit verbi cognitio, & vera meditatio scripturarum, quia in hoc mundo peregrinus sit, ergo opus sibi esse cognitione verbi accuratiore, quam non nisi reuelante DOMINO consequi possit. Imitemur verba Prophetica nostris. Hæc à te vt facias tanto studio peto, ô DOMINE, vt maiore cura, maiore animi cõtentione non

possim

posim, quia tu nos vis in hoc mundo peregrinos & hospites esse, curare cœlestia, & respicere ad municipatum illum in futuro seculo, & cum velis nos quasi exulare à mundo, & conflictari cum diabolo, & potestatibus aduersarijs, itaq; nobis opus est te ductore, & verbo tuo, vt viam ad æternam vitam inuenire possimus, & euadere laqueos diaboli eaq; pericula quæ nostri inimici nobis intentant.

Videtur quidem DOMINI spiritus in hoc Psalmo multa repetere, & ij quos DOMINVS non fecit docti les existimant molestam esse ταυτολογίαν, sed qui recte considerant & perpendunt singula, vident ita priora repeti vt semper noui aliquid dicatur. Nam præter alias vtilitates quas verbi sanè magnas in hoc Psalmo recenset, hæc non est minima, quod nobis eo opus est, quia in hoc mundo peregrini & aduenæ sumus. Primum autem magna est vtilitas, verbi Dei, in eo, vt discamus nos peregrinos esse, nam is est hominum error longe maximus, quod se credunt hic habitandi non commorandi locum habere: itaq; his terrenis & caducis bonis ita vtuntur ac si in pacatam & perpetuam eorum possessionem forent collocati, ita diuitijs inhiant, ac si nunquam ab ipsis auferri possint, sic voluptatibus ac genio operam dant vt cum morte pactum fecisse videri possint. Ad hunc ergo maximum humani generis errorem corrigendum scriptura nobis opus est, quæ inculcet subinde, nobis hic breue vitæ curriculum concessum, & de migratione cogitandum esse. Quod etiam Moses in suo carmine orat Doce nos vt sciamus numerum dierum nostrorum vt ambulemus corde sapienti. Hoc scriptura multis agit

Psalm. 90.

dum

dum vitam hominis comparat vapori, floribus cam- *Iacob.4.*
pi, fœno, vmbræ, viatori percurrenti, auiculæ auolan- *Esa.40.*
ti, sagittæ per aërem emissæ, & alijs multis similibus, *Sap. 5.*
ita vt Dauid etiam exclamet, Eheu quam sicut vmbra *Psalm.39.*
pertransit homo. Et orat DOMINVM. Ecce sicut mensuram palmi, posuisti dies meos & tempora mea, sicut nihilum coram te. Quam nihil nisi vanitas omnis homo securus. Notum mihi fac DOMINE finem meum & numerum dierum meorum quis sit, vt sciam quod esse desinam. Deinde ideo etiam in hac peregrinatione, duce verbo nobis opus est, quia cum non simus de hoc mundo, mundus nos odit, persequitur, vt ergo sciamus suo tempore nostram tristitiam conuertendam in gaudium, & futurum vt omnes lacrymæ abstergantur ab oculis nostris, euoluendæ scripturę sunt quæ docent, nec diuturna hæc mala fore, & DOMINVM obuiam iturum consilijs impiorum, ne nos lædant, sed de hoc postea. Postremo cum migratio ex hoc mundo carni nostræ molesta sit, & pugna periculosissima cum diabolo & peccato concurrendum sit, maximopere nobis opus est scriptura, vt ex ea arma mutuemur, quibus nos tuto possimus opponere nostris hostibus, & ad patriam, & ad DOMINVM à quo perigrinamur fœliciter perueniamus.

4. *Contrita est anima mea præ desiderio erga præcepta tua omni tempore.*

Ingens desiderium suum quo arserit vt addisceret verbum DOMINI grauibus verbis proponit addita amplificatione à circumstantia temporis. Tanta est

prę̃terea cupiditas mea cognoſcendi verbum tuum, vt in deſiderio mora mihi omnis moleſta ſit, & animus meus illud vix amplius ferre poſſe videatur, nam non vnius aut alterius eſt horæ, ſed perpetuo durat & dilatum affligit animum. Tu ergo clementiſsime Pater, noli me in hoc tam honeſto conatu ſuſpendere longius, ſed ita me erudias tuo verbo, vt conſolationem ſubinde maiorem ſentiam.

Videmus quantum in ſuis rebus, quas expetendas putant impij, deſiderium ſtudiumq; declarent, id Dauid ſe in verbo habere oſtendit, & promiſsionib. diuinis. Quæ res huic mundo & nõ renatis incredibilis & ridicula videtur, quod ideo fit quia putant ea quæ ſacris literis traduntur, duntaxat eſſe pollicitationes ſine rebus, nam ſi (quod ſancti Dei homines faciunt) perſuaderent ſibi ea quæ DOMINVS in verbo ſuo offert certiſsima eſſe, profecto non minore earum rerum deſiderio arderent, quam quas in hoc mundo admirantur. Nam cum vix ferant deſiderium abſentis amici, aut dilatæ in longum tempus ſolutionis, aut hęreditatis amplæ ſi præter opinionem is à quo eam expectant viuat diutius: quare non etiam torquerentur deſiderio eorum bonorum, quæ longè maiora expectantur, & hæreditatis illius æternæ? quare non lætarẽtur ſe viſuros eos homines, quos cum gemitu triſtitiaq; ſepeliuerunt. Aut cur negligerent iucundiſsimũ conſpectum Chriſti ſeruatoris noſtri, cuius deſiderio tanto arſit Paulus, vt cuperet diſſolui & eſſe cum ipſo. Ergo fide opus eſt, quæ res eas quæ non cernuntur, ita certò oculis animorum noſtrorum proponit, vt de ijs tam non dubitemus quam alij de præſentibus, ſed quia

nondum

nondum apparent, maius earum desiderium in animis ipsorum solet existere.

5. *Increpas superbos maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

Quartum petitionis argumentum est. TU DOMINE contumaces qui superbe tua iussa detrectant, & verbum tuum contemnunt, non modo terres commi-nationibus tuis, sed omni genere afflictionum & maledictionum puniturus es, ergo ne in eas incidam, da mihi clementissime Pater, vt & sodalitium eorum omne fugiam, & ex præscriptio legis & voluntatis tuæ viuam.

Superbos hoc loco κατ' ἐξοχὴν vocat contemptores verbi Dei, nam versus sequentes hoc etiam ostendũt, fuisse Prophetam in cõtemptu propter confessionem veræ fidei, ideo superbia hoc loco pro ea animi elatione accipitur, vbi homines verbum DOMINI audire nolunt, is autem contemptus maximus est, non velle ipsum DOMINVM loquentem audire, nam qui contemnit Prophetas & Doctores verbi, ipsum DOMINVM spernit. Esaiæ 28. contemptus verbi diuini maiorem in modum accusatur in rebelli populo Hebræorum, & adduntur pœnæ, & comminationes abiectionis, quam expertus est post Christi passionem & resurrectionem. Graues etiam comminationes habet Ieremias cap. 7. quòd populus rebellis contempserit mandata DOMINI, & ideo certum fore excidium. Non autem opus est, vt exempla eius rei multa proferantur, cum Iudaicæ gentis inobedientia & pœnæ

consecutæ, in captiuitate Babylonica, & extrema abiectione, satis testentur, quantum DOMINVS irascatur contemptoribus verbi sui. Certe D. Augustinus Donatistas Euangelij contemptores confert cum crucifixoribus Christi. Illi inquit (intelligit autem Hebræos) persecuti sunt carnem ambulantis in terra, vos Euangelium sedentis in cœlo. Et eadem ferè alibi repetuntur ab ipso his verbis. Qui contradicunt Euangelio magis lædunt Christum, quam qui illum crucifixerunt. Quid quod Christus seruator ipse dicit, qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Abstineamus ergo ab omni contemptu verbi, & sciamus Deum increpare, primo transgressores legis & verbi sui, deinde etiam eos punire, & onerare omnis generis maledictionibus quæ in lege expressæ, multis exemplis seueritatis diuinæ comprobatæ sunt.

Lib. 2. contra lite. petili. cap. 87.

Super Psa. 68

Luc. 10.

6. *Aufer à me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.*
7. *Etenim sederunt principes, & aduersum me locuti sunt seruus autem tuus loquitur de statutis tuis.*
8. *Nam & testimonia tua oblectationes meæ, & viri consilij mei.*

Postremum in hoc octonario petitionis argumentum. Dauid & in contemptu, & in periculo versatur, propter confessionem verbi, & in his calamitatibus vnicum solatium habet ex consolatione sacrarum literarum, itaq; petit ne eo præsidio destituatur. Nam verba trium versiculorum illorum, sic intelligenda sunt.

Magno

Magno ego, ô DOMINE in contemptu versor, quia verbum tuum amplector, & contra hominum blasphemias defendo, abs te ergo peto, vt me confirmes verbo, & consolationibus tuis, ne in conatu deficiam sed magno animo me defendam. Praeterea aduersus me principes & magnates, imò Saul ipse, consultant, quomodo me totumq; ordinem sacerdotalem è medio tollant, ego autem contra istas conspirationes, & machinationes, nihil praesidij habeo quàm preces, & consolationes ex verbo tuo petitas his me oblecto, hae mihi (cum consiliarij alij non sint qui meas partes tueantur) veluti consultatrices quædam assident. Hoc ergo vnicum praesidium meum, quaeso, ne à me auferas, sed obsigna promissiones tuas in corde meo, vt his erectus nullas factiones nullas conspirationes nulla hominum de me iudicia non contemptum imò ne mortem quidem reformidem.

Audimus hoc loco id quod Paulus 2. Tim. 3. habet, Omnes inquit qui volunt pie viuere cum Christo Iesu persecutionem patientur, hoc vsu venit omnibus Prophetis, Apostolis, Christo ipsi, & pijs omnibus. Nam cum verbum DOMINI taxet & reprehendat, nõ modo humanas traditiones, idolatrias, quae in hoc mundo magno in precio sunt, sed notet etiam hominum vitia, statim odium inimicitiaeq; consequuntur. Haec est inquit Christus condemnatio, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera, omnis enim qui mala agit odit lucem, nec venit ad lucem ne arguantur opera ipsius. Ad has causas odij, & persecutionis accedit etiam Satanae tyrannis, quae exaspe- *Ioan. 3.*

rat hominum impiorum animos aduersus pios. Et habet malus ille sua instrumenta, quibus magnatum animos accendit, vt per Doëgum Saulem armat aduersus Dauidem & iniustam cædem sacerdotum persuadet. Per Achitophelem non solum Absolonem contra Patrem sollicitat, sed Dauidem etiam exulem consilio suo pessundare nititur. Nec desunt hodie tales persecutionum tubæ quæ principum animos stimulant, vt veram doctrinam Euangelij extirpent, professores autem eius persequantur. Qua in re non solum periculum est, sed tristis etiam solitudo. Nam quemadmodum Elias in deserto queritur, se solum derelictum, sic membra Ecclesiæ paucos aut nullos defensores vident. Nam magna hominum pars non serio amplectitur verbum Dei, sed superficiariam duntaxat operam in eo ponit. Alij irrident, Alij perculsi metu periculorum, & ne offendant magnates, silentio sibi consulere volunt. Reliqua turba manifeste persequitur pios Doctores. Sed quæ in consiliũ adhibebimus omni propè humano auxilio destituti? Eos nobis adiungemus cõsiliarios, quos adhibuit noster Psaltes, cõsolationes ex verbo Dei DOMINVM adesse Ecclesiæ suæ, eumq; in medio eius esse, ita cõmoueri eam non posse. Ne portas quidem inferorũ cõtra eam præualituras. Dominum esse nobiscũ in tribulatione nec passurum nos esse orphanos. Dominum nobiscũ esse vsq; ad consummationẽ mundi. Non timendũ ab homine qui quasi fœnũ reputetur, nec obliuiscendũ Dei creatoris, qui cœlos extendit & fundauit terram. His & similibus consolationibus, nos inter tot syncretismos satanicos, & ærumnas erigamus, & per verbum DOMI

Psalm. 46.

Esa. 51.

MINVM in consilium adhibeamus. Denique quidad consolationem maius & præstantius adhiberi potest, quam si scias in tuo consilio, & Christum, & Apostolos assidere, consilium dare, consolari.

OCTONARIVS QVARTVS. DALETH.

In hoc octonario de ingentibus doloribus loquitur, in quibus petit se viuificari & recreari, qui autem isti sint nõ vno modo exponunt interpretes: alij enim putant Prophetam loqui de externis malis & animi perturbationibus, natis ex meditatione eorum: alij quidam referunt ad pauores conscientiæ, ortos ex agnitione peccatorum, quorum ego sententiam amplector. Nam versu secundo huius octonarij dicit, vias meas narraui, aut enunciaui, quod ego de confessione peccatorum intelligo, quale & illud est Psalm. 32. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniusticiam meam non abscondi. Dixi confitebor transgressiones meas DOMINO, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et cum versu quarto dicat animam suam liquefactã præ anxietate, dubium non est, illas tentationes spirituales fuisse, & ex seria meditatione peccatorum profectas. Hunc ergo octonariũ potissimum, de vera ad Deum conuersione intelligamus, quam dicit ex verbo Dei petendam esse, sed DOMINO intus cor reformante: duo autem sunt argumenta in his versibus coniuncta. Primum expetendũ esse verbũ, quia rem vnam longè omnium maximè necessariam docet conuersionem veram ad Deum Secundum, quo magistro discamus, nempè si DOMINVS nos erudiat & doceat. In tractatione

ctatione autem horum argumentorũ hunc ordinem seruat. Primum ingentes pauores suos proponit, & petit recreationem, & viuificationem per fidem ex verbo. Deinde alterum membrum conuersionis addit, confessionem ingenuã peccatorum. Tertio pollicetur se velle prædicare DOMINI mirabilia si exaudiatur. Intelligit autem gratiarum actionem, quæ extollit mysteria, & admirandam Dei misericordiam & bonitatem. Quarto petit vt in posterum regatur Spiritu sancto qui ducat ipsum in omnem veritatem, vt constans maneat in proposito, nec præstigijs diaboli aut erroribus à vera via abducatur. Quinto petit etiã nouam obedientiam. Hæc omnia si in fasciculum conijciantur totam conuersionem in se continent. Largire mihi verbum tuum, per quod veram conuersionem assequar. Sequutus est ordinem vt ita loquar naturalem. Nam primum est agnoscere peccata: deinde confiteri, & exaudiri propter Christum ac viuificari, postea gratum esse & commemorare DOMINI beneficia. Tertio perseuerare in agnita veritate. Postremo vitam professione dignam instituere. Ista omnia cõmoda tribuit verbo Dei, ostendens nullũ esse Thesaurũ eo maiorem. Sed eum tum nos possidere, quando DOMINVS nobis largiatur. Hæc præfati textum percurramus breuissimis.

1. *Adhæsit pulueri anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.*

De agnitione peccatorum loquitur, & petit veram fidem, qua viuificetur secundum promissiones factas de

de Meſsia venturo. Summam autem cõſternationem amplificat grauib. verbis cum animã ſuã dicit adhæſiſſe puluerí, quod intelligi poteſt aut de ſepulchro, ſicut Daniel mortuos vocat dormiẽtes in puluere, id eſt, ſepulchris. In hanc ſententiam: exiſtimaſſe, ſe iam in ſepulchrum detruſum: aut animam ſuam conculcatam in puluerem. Eſt & viuificandi verbum ἐμφαλικότερον, huic priori oppoſitum, ex illa quaſi morte reſuſcites & recrees. Eſt & tertium verbum Emphaticum, ſecundum verbum tuum, cui omnes promiſsiones includuntur, de remiſsione peccatorum. Eandem ſententiam poſtea alio verſu verbis paulò mutatis repetit, quem, quia eandem ſententiam in ſe continet adijciam.

2. *Liquefacta eſt anima mea præanxietate, confirma me ſecundum verbum tuum.*

Summam animi perturbationem ex agnitione peccatorum natam, tragico verbo expreſsit, dicens. Suam animam propè diffluere, conſumptis paulatim viribus. Nam triſtitia etiam oſſa exiccat. Metaphora ſumpta à Cera, aut alijs quæ expoſita ſoli liqueſcunt, & euaneſcunt, aut certè ab aqua effuſa quæ præterlabitur. Dauid Pſalm. 22. vtrumq; coniunxit. Sicut aqua effuſus ſum, & diſsipata ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio ventris mei. Eſt itaq; horum verborum iſta ſententia. In tota quidem vita mea (ô DOMINE) opus mihi eſt verbo ductore & comite, quia varijs & multiplicibus in periculis verſor. Sed non eſt maior trepidatio nec

præsentius periculum, quam quod à me ipso proficiscitur. Nam vt in peccatis conceptus, ita in ijsdem natus sum, ijs etiam te sæpè offendo, & iustam iram, & indignationem tuam prouoco. Quæ res me ita perturbat, vt sæpè deficere præ mœrore incipiam, ita cohorresco, cum seria peccatorum meditatione percellor, vt anima mea in puluerem ac sepulchrum abitura, & præ tristitia consumptis viribus animalibus, veluti cera liquefieri, & diffluere velle videatur. In hac autẽ summa consternatione tu DOMINE per consolationes Euãgelicas, expressas in verbo tuo me solare, recrea, & quasi mortuo vitam restitue. Nam in hoc animi morbo medicum alium præter te habeo neminem.

Mirabitur quis sanctissimum pectus Prophetæ in tantam consternationem incidisse, cum fuerit vitæ inculpatæ. Sed hîc tenendum est sanctos non obiter, & perfunctoriè cogitare de peccatis suis, sed animo diligenter perpendere quam horribile sit, Deum creatorem omnium, hostem & aduersariũ habere, quæ maledictiones omnes peccatores maneant, quod impij pœnam æternam, & nunquam interiturã sint subituri. Quanquam ergo non viuunt in ea vitæ dissolutione sicut ceteri, tamen vident si DOMINVS seueriores rationes cũ ipsis inire vellet, se reos esse, & iure optimo ad tribunal DOMINI citari posse. Hęc res ita solicitos & perturbatos eos interdum reddit, vt ne somnum quidem capere possint, & lachrimis tantum
Psaml.6. non diffluant. Laboraui inquit Dauid in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrimis stratum meum rigabo. Certè ingentes dolores

eos

eos fuisse necesse est, qui sanctum Prophetã tantam vim lachrimarum profundere cogũt. Imò Psalmo 38. confirmat Dauid sensum illius doloris ad intimas medullas penetrare. Non est inquit pax ossib. meis à facie peccatorum meorũ. Hæc nos moneant quam noxia sit securitas plerorumq; qui peccatis suis indormiunt, nunq; serio de ijs cogitantes, aut certe periculosa procrastinatione vitę emendationẽ in extremũ vitę tẽpus differentes. Quã horribiles illi animorũ cruciatus sensuri sunt, cum innocentissimæ vitæ homines in veris pauoribus, ita trepidauerint? Sed ij qui vehementius propter admissa perturbantur discant quo respicere, in summis istis angustijs, à quo petere medicinam debeant. A medico illo animarum qui in Esaia profitetur se missum, vt medeatur contritis corde. Et qui in Euangelio palam testatur, se venisse medicum ægrotantibus, non sanis, ad quem etiam Psaltes confugit, dicens viuifica me, confirma me secundum verbum tuum. *Esa.16.*

3. *Vias meas enunciaui & exaudisti me, doce me statuta tua.*

Non satis est agnouisse peccata, nisi ingenua etiam confessio accedat: itaq; hoc loco dicit, se totam vitam suam, & delicta proposuisse DOMINO, & tum veris gemitibus eam, de qua suprà dixit viuificationem petijsse, essecq; à DOMINO exauditum, & consolationem ex verbo Dei vberrimam percepisse. Quare orare se vt posthac etiam verbo ipsius erudiatur. Ego inquit, vt animo dolorem acerbissimum propter peccata ce-

pi, sic eum non dissimulaui, peccata non excusaui, sed omnes meæ vitæ rationes tibi DOMINO exposui, (quare enim reticerem aliquid coram eo qui omnium est spectator, & explorator etiam tacitarū cogitationum,) & ad misericordiam tuam confugi, supplex remissionem peccatorum orans, quam & impetraui, & consolationem percepi maximam. Te itaq; clementissime Pater oro, vt porrò etiam me verbo tuo erudias. Hæc Propheta. Multa autem de auriculari confessione sua loquuntur, & scribunt Papistæ. Sed optima confitendi ratio est ei confiteri cui peccaueris, quod & Dauid Psalm. 51. facit. Tibi tibi peccaui, & malum coram te feci. Et Psalm. 32. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor transgressiones meas DOMINO, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et D. Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos ita scribit. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq; apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti. Reuela viam tuam ante DOMINVM tuum. Ergo tua confitere peccata apud verum iudicem, cum oratione delicta tua pronuncia, nō lingua, sed conscientiæ tuæ memoria. Et idem author: Peccata tua dicito, vt deleas illa, sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua, nō dico, vt confitearis ea conseruo tuo, vt tibi exprobret, dicito Deo qui curat illa. Hactenus Chrysostomus.

Chrysostomus.

Hanc ergo veram confessionem quotidie exerceamus, & exauditurus nos est DOMINVS. Alij interpretes, quæ hoc loco dicuntur, de vocatione intelligunt, & aiunt, Dauidem petere, vt tota sua vita regatur à DOMINO. Quæ sententia ne ipsa quidem repudianda.

4. Viam

4. *Viam mandatorum tuorum fac me intelligere, & loquar de mirabilibus tuis.*

Per mirabilia hoc loco intelligo myſteria verbi Dei, & mirandam DOMINI clementiam quam exhibet miſeris, & proponit in verbo ſuo. Eam pollicetur Dauid ſe velle prædicare, & laudibus vehere in hunc modum. O DOMINE erudias me verbo tuo, in quo tuam voluntatem reuelaſti, & quid nos de te ſentire debeamus præcepiſti, tum admiranda myſteria tua, & in primis clementiã prædicabo, quod miſeros peccatores non abijcis, ſed remittis eis peccata propter filium, donas Spiritum ſanctum, & eo ipſos conſolaris, erigis, & in ipſa etiam morte, vt ſint animo intrepido, & præſenti iuuas, coniungam etiam memoriam maximorum miraculorum, quæ in verbo tuo extant.

Quæ autem cauſa eſt, quod tàm prolixè Pſaltes myſteriorum & miraculorum DOMINI, non ſolum memoriam, ſed celebrationem promittit. An cum Deo paciſci vult, vt verbi intelligentiam largiatur, vt ipſe aliud quid videlicet laudem præclarè geſtorum conſequatur? Nullo certè modo, nõ enim indiget noſtra laude DOMINVS, alias enim non fuiſſet maximus antequam homines crearentur. Caruiſſet enim gloria & maieſtate ſua. Nec noſtris Encomijs opus eſt, cum eum celebrent omnes Angeli acclamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus, DOMINVS Deus Zebaoth. Imò ipſe clementiſsimus Pater, omnia nobis miſeris hominibus largitur, vt nihil ſit boni quod non ei acceptum ferre cogamur. Quid inquit Paulus habes, quod nõ acceperis. Cum ergo ea maieſtas, quæ

nulla re indiget, laudem apud nos miseros homines, sua causa non venetur, reliquum est eam propter nostram vtilitatem nobis præscribi. Et primum quidem mysteriorũ, & miraculorum Dei inquisitio, & celebratio, ideo requiritur à nobis, vt in creatoris admirationem rapiamur. Quis enim dubitaret, esse æternam mentem gubernatricem, & rectricem omnium, quando hunc totius mundi ornatum, cum attentione viderit, quod copiosè D. Apostolus Paulus in primo capite Epistolæ ad Romanos docet. Sed si in meditatione stupendorum miraculorum ipsius maiestatem conspexeris, non modo admirationem, sed venerationem numinis tibi ea res conciliabit. Vt ergo nunquam desit materia quæ te ad cultum veneratione mq; ipsius accendat, & recordatio & prædicatio illa miraculorum, negligenda non est. Porrò ista etiam cogitatio & celebratio, in nobis DOMINI dilectionem auget. Nam nihil est, quod nostros animos tàm arcto vinculo amoris DOMINO deuinciat, quam si videas ea omnia, quæ cum admiratione DOMINVS fecit, ad hominum, vel vtilitates vel castigationes, vel certè iudicij demonstrationem, ad emendationem eorum, qui à vitijs ad veras laudilesq; vitæ rationes reuocãdi sunt, accommodata esse. Hinc à DOMINO instituta est annunciatio Euangelij, in toto terrarum orbe, quæ certè nihil aliud est, quam celebratio ipsius misericordiæ, quæ vel sola omnem hominum admirationem vincit, sed comprobata etiam est miraculis ingentibus, quarum rerum cogitatione nihil nobis ad profectum in sacris, vel vtilius, vel medicinam animarum salubrius accidere potest, nihil quod

quod ad discendi obediendiq; attentionem magis nos acuere debeat, Sed vult nos DOMINVS laudationibus meditationibusq; suorum magnalium eò deducere, vt cogitemus verum esse quod Propheta Esaias, & post eum Paulus repetiuit. Ea gaudia à DOMINO sanctis præparata quæ auris non audiuerit, oculus non viderit, in cor hominis non venerit. Nam si in hac vita, vbi miseriarum est pelagus DOMINVS tantis miraculis suam Ecclesiam ornat, quid in illa æterna vita beataq; facturus est, vbi nos collocabit in omnium bonorum cœlestium plenissimam & quietissimam possessionem. Etenim hominum oculi tantas res viderunt quibus DOMINVS maiestatem suam declarauit, vt nihil ad earum magnitudinem accedere posse videatur. Sed cum maiora his, nobis in illa beata, & præclara vita ostensurus sit, vt modo ex Esaia, & Paulo audiuimus, quantis gemitibus, quam ardentibus votis ad eam aspirare debemus. Et quia in hac vita breue tempus & molestia ærumnæq; interpositæ sunt, dum illam beatitudinem expectamus, interim mirabilia quæ in sacris literis legimus, subinde nobis renouemus, ad ea nostros liberos assuefaciamus vt vnâ in illa æternitate, & fœlicitate nomen DOMINI perpetuò celebremus.

5. *Viam mendacij aufer à me, & lege tua miserere mei.*
6. *Viam veritatis elegi iudicia tua posui coram me.*
7. *Adhæsi testimonijs tuis DOMINE, noli me confundere.*

Non satis est currere, nisi in cursu nauiter pergamus,

mus, & qui perseuerauerit, vsq; ad finem, saluus erit. Nunc ergo petit, vt agnitam veritatem constanter retinere possit verbo prælucenti. Et addit etiam argumentum, quo sæpè vtitur, se desiderio & veritatis, & verbi Dei maximo teneri, itaq; DOMINVM hoc non esse negaturum. Conemur nostris verbis ista exprimere. Præter ea quæ petij abs te Clementissime Pater, oro etiam, vt clementer me & benignè, per Spiritum sanctum tuum conserues in agnita veritate, & vera laudabilíq; viuendi ratione, ne vel falsis doctrinis à veritate, quam ex verbo tuo didici, deflectam, aut ad vitia & flagitia, quæ falsam spem voluptatis promittunt transuersus abripiar. Da mihi hoc DOMINE, quia veritatem, & in doctrina, & vita, omni ratione vnicè mihi sequendam proposui, certè animus studio sacrarum literarum totus affixus est, & ei semper adhæret. Ergo da quæso DOMINE, ne ab ipsis discedam, & turpi defectione confundar.

Cum non minor virtus sit, vt vulgo dicitur, parta tueri, quã quærere, id inprimis in ea possessione, quæ lõgè omniũ est præciosissima facere nos oportet. Nã cum per Dei gratiam ad laudabilem profectum in agnitione verbi Dei elaborauerimus, non est ignauiæ & desidię opera danda. Nam diabolus, cũ ita profectisse hominem videt, nullas occasiones negligit, vt veritatem veluti ingentem thesaurum, aut DOMINI depositum nobis eripiat. Qui stat inquit Apostolus, videat ne cadat. Vnice enim Pater ille mendacij hoc agit, vt vel mendacio piam doctrinam contaminet, aut omnino nobis eam peruertat. Multos per Philosophiam, & inanem deceptionem (vt Paulinis verbis vtamur)

Coloss. 2.

mur) deprædatus est, cum ea quæ verbo DOMINI nobis traduntur, ad rationes Philosophicas accommodare iubet, & si non respondeant illis diuina oracula, dubitationem, & postremo etiam defectionem illis persuasit. Vt olim Pelagium decepit, nō esse peccatum vllum hæreditarium, sed imitatione homines fieri deteriores. Et hodie multis fanaticis eadem ratione imposuit, vt vel nihil, vel parum sentiant de Sacramentis, quia vis eorum non potest argumentis, aut externis symbolis quibus instituta sunt, conspici. Aliis ignauiam, & socordiam inspirat, vt talentum concreditum defodiant, sesēq; dedant, indignis homine Christiano voluptatibus, donec tandem Accidia (vt vocant) tædioq; sacrarum literarum, & concionum afficiantur, quod cum est consequutus, veluti inermes & vinctos, ad omnia sua obsequia trahit. Alios autem parum attentè sacra legentes falsa interpretatione seducit. Denicq; nullæ insidiæ sunt, quibus veritate hominibus eripere nō studeat. Cuius rei inditia sunt, tot examina hæreticorū, quorū ferè nullus fuit, qui non errori suo ex sacris patrocinium quærere conaretur. Excubare ergo Episcopi inprimis, deinde omnes pij debent, ne malus ille zizania spargat, & corrumpat, sementem verbi Dei, & veritatem illā, qua nihil nec preciosius est, nec melius. Ne autem incautos opprimat Sathan, danda omnis opera est sacris literis, ijsq; (vt hoc loco Propheta Dauid inquit) adhærendum est.

8. *Viam mandatorum tuorū curram, dilatauerīs cor meum.*

Postremo promittit etiam fructus dignos pio homine, si consolatione Euangelica per verbum illustretur. Nam verbum Dei non docet fidem ociosam, sed efficacem per charitatem. Hic ergo vltimus versiculus, sic est intelligendus. Quando autem tuo me spiritu non solùm ad veritatem, sed etiam eam consolationem deduxeris, vt ex angustijs mei cordis liberatus in latitudine) quasi, constitutus videbor, tum alacri
Phil. 3. animo, veluti ij, qui stadium currunt, relictis omnibus quæ à tergo sunt, ad ea quæ à fronte sunt enitar, seruiturus DOMINO & seruatori meo. Hæc Propheta.

Psalmo 110. Ecclesia Christi appellatur populus spontaneus, quod sponte officium faciat, & alacri animo DOMINO, & victori Christo obuiam procedat, hanc piorum alacritatem & promptitudinem, similitudine cursus isto versiculo significauit, & eadem etiam, D. Paulus delectatus est, qui in 1. Corinth. 9. scribit, quomodo se ad cursum illum præparet. Omnis inquit qui certat, per omnia temperans est: illi igitur vt perituram coronam accipiant, nos autem æternam. Ego itaq; sic curro vt non incertum. Sic pugilem ago nõ veluti aërem feriens, verum subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, vt cum alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Solent ij qui certaturi sunt defraudare genium suum, vt in stadio sint expeditiores, hoc etiam Paulus se fecisse scribit: Redigo inquit corpus meum in seruitutem. Tanta etiam est promptitudo piorum reliquorum, vt de industria abstineant à licitis etiam voluptatibus, quô ad præstanda DOMINO obsequia sint paratiores. Quod si cui prolixitas placeret, quam vberem esset

set materiam habiturus, ex tota historia mundi demonstrandi, quanta promptitudine sancti stadiũ virtutis decurrerint, ita, vt nec fortunis, nec sanguini suo pepercerint, quidam etiam vltrò sua nomina apud Tyrannos professi sint. Origenes etiamnum puer tanto desiderio martyrij arsit, vt mater cogeretur ei vestem occultare. Sed de his qui volet, videat historias Ecclesiasticas. Nos verò qui per Dei gratiam verbum Dei in quiete & securitate audimus, pudeat, ita segnes esse, in hoc studio, vt de pietate, de exercendis erga proximum officijs rarò, aut nunquam cogitemus, imò verò quotidie nos grauioribus peccatis polluamus.

OCTONARIVS QVINTVS. HE

Octonarius quintus, eodem quo superiores argumento scriptus est. Nam petit, vt erudiatur verbo Dei. Sunt autem rationes petitionis istæ. Primò ad Deum confugit: nam ab eo solo dicit, se posse ad veram & vtilem verbi cognitionem deduci. Deinde subijcit desiderium suum, quo maximo erga verbum ardeat. Præterea vtilitates verbi multiplices proponit, quibus moueatur vt vnicè doctrinam eius expetat. Ne auaritia & fraudibus, ne alijs mundanis voluptatibus & illecebris seducatur, vt timeat DOMINVM, vt ab opprobrio liberetur, vt viuificetur DOMINI iusticia. Quomodo singula ista intelligi debeant in explicatione videbimus.

1. *Doce me DOMINE viam statutorum tuorum, vt custodiam ea semper.*

2. *Da mihi intellectum vt obſeruem legem tuam, & cuſtodiam illam toto corde.*

Hos verſiculos ſic intelligo. Præterea (ODOMINE) oro, vt tu in tradendo verbo tuo mihi magiſter ſis & doctor, tu mihi ingenium, & intelligentiam ſuppedita, aperi tu mentem meam, vt intelligam ſcripturas. Non enim ſatis eſt ſuperficiaram earum noticiam habere, ſed tum ad profectum laudabilem elaborabimus, ſi Spiritu ſancto tuo corda noſtra erudieris, vt in omnibus tibi aſſentiamur, & tui amore, quem illa tradit ardere incipiamus, hoc ſalutare incendiũ, hanc iucundiſsimam lucem in nobis accende. Effice præterea (quod etiam tui beneficij eſt) vt conſtantes in eo propoſito diſcendi perſeueremus, cum tu eos ſolos diſcipulos probes, qui ad finem vſq; perſeuerauerint.

Videmus hoc loco Prophetam tacitè quaſi cauſam aſsignare, quare tàm ſolicitè ad diuinam opem confugiat, cum de verbo Dei agitur, neq; enim DOMINVS contentus eſt θεωρία vt intelligamus, quid in verbo ſuo præſcribat, quid velit, quid vetet, ſed πραξιν requirit, & eam quidem, quæ non ſit in externa duntaxat oſtentatione, & pompa, vel verborum, vel operũ Hypocriticorũ poſita, ſed quæ ab animi totius conatu deſiderioq; proficiſcatur. Hæc res in poteſtate hominis non eſt, ſed tum hoc conſequimur, quando Pa-
Ezech.36. ter cœleſtis nos traxerit, & ex corde lapideo fecerit cor carneum. Præclarè ergo in Eccleſia vſu receptum eſt, vt ante explicationem ſcripturarum ad ſerias preces, nos conuertamus. Nam in ſtudio certè ſacrarum literarum, nihil proficiemus niſi adſit DOMINI ſpiritus,

ritus,& ducat nos in omnem veritatem.

3. *Deduc me in ſemita mandatorum tuorum quia ijs delector.*

Supra dixi Dauidem inter alia argumenta petitionis ſuæ, etiam deſiderium, quo flagrabat proponere, quod hoc carmine facit. Duc (inquit) me in ſemita verbi tui, ne aberrem, quæ abs te demõſtrata eſt, quod te facturum minime dubito, cum deſiderio meo tàm honeſto, & quod tibi probari certo ſcio, deeſſe nolis.

Hæc Propheta Dauid: Sed nõ fruſtra ad eum modũ Pſaltes precatur, nã grauiſsimæ eũ cauſæ mouerũt, vt de his preces, ad Dominũ funderet. Etenim qui extra viam currunt quo magis feſtinant, eò longius aberrant, Ita qui ſemitã illam verbi Dei egreſsi ſunt, quanto maiore cura, ſtudio, & diligentia elaborant, tanto à veritate periculoſius exorbitant, donec tandem in reprobum ſenſum dati in fœdiſsimos, & maximè noxios errores incidant. Nam cum dilectionem veritatis nõ receperint, in hoc vt ſalui fierẽt, propterea mittit illis Deus efficatiam illuſionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati. In quam horrendas, & tetras blaſphemias Manes Samoſatenus, & Arrius inciderunt cum ſemel à verbo DOMINI diſcedere, & confingere opiniones de ingenio ſuo conſtituiſſent. Ergo alieno periculo edocti, cautiores ſimus. Nunquam autem à technis diaboli verè immunes ſumus futuri, niſi verbum, & præſcriptum DOMINI ſequamur, eumq; oremus, vt nobis dux magiſterq; in hoc præclaro ſtudio eſſe velit.

4. *Inclina cor meum in testimonia tua non in lucrum.*

Largire etiam vt omnia iniusta lucra, fraudes circumuentiones vitem, & si quid ex paterna bonitate tua diuitiarum possedero cor non apponam, sed potius omnes cogitationes instituam secundum verbum tuum, quod me docet, malè parta non in lucro, sed damno ponenda esse. Hoc vult versiculus iste. Legimus in Paulinis Epistolis, auaritiam esse idolatriam, itaq; ab ea maximè cauendum esse, perturbat enim auaritia maiorem in modum societatem humanam, cum astu & fraudibus, proximo nostro sua auferimus, & vxores, & paruos liberos deprædamur. Rectè etiam hoc vitium à D. Apostolo radix omnium malorum appellatur, quod qui sequantur, à fide aberrent, & sese implicent multis doloribus. Et ibidem Apostolus: Qui volunt ditescere (intellige fraudibus & impostoris & sunt auari) incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Auaritiam autem fugere, præsertim si diuitiæ affluant, difficile est. Nam cor auocare à cupiditate lucri, & efficere vt non solum manus, sed etiam oculi, imò verò cogitationes tacitæ puræ sint, id à benignitate sola DOMINI proficiscitur, & ea doctrina, quam ex sacris hauri-mus. Videmus enim cupiditatem habendi in auaris, non minui copia, sed augeri. Infernus inquit Solomon, & perditio nunquam impletur, similiter & oculi hominum insatiabiles. Et Syracides Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam. Et Augusttnus:

1. *Tim.* 6.

Pro. 27.

Syr. 14.

Augustinus de verbo Domini.

Quæ

Quæ eſt iſta auiditas concupiſcentię, cum & ipſæ bel-
luæ habeant modum. Tunc enim rapiunt, quando e-
ſuriunt, parcunt verò prædæ cum ſenſerint ſatieta-
tem. Inſatiabilis eſt ſola auaritia diuitum, ſemper ra-
pit, & nunquam ſatiatur, nec Deum timet, nec ho-
minem reueretur, nec patri parcit, nec matrem agno-
ſcit, nec fratri obtemperat, &c. Sed vnde quæſo inſa-
tiabilis illa cupiditas? quæ rabiem ferarum beluarum
ſuperat? Certè proficiſcitur à tali animo, cui nihil ſa-
tisfacit, quemadmodum & in honorum appetitione
fieri ſolet: vt Alexandro illi, ne hic quidem mundus
ad auiditatem gloriæ explendam ſatis amplus vide-
batur. Sed rurſus in auaris illud perpetuum habendi
deſiderium, & cor nunquam ſua ſorte contentum ab
infidelitate, & dubitatione (quemadmodum & reli-
qua vitia) originem trahit. Nam cum auari illi videāt
multos diuites, omnium ſuorum bonorum iacturam
feciſſe, alios ſua prodegiſſe, multos qui in ampliſsima
fortuna vixerunt, ad paupertatem redactos, nunquam
poſſunt conquieſcere, ſemper trepidant, ſemper ap-
petunt, vt rectè Hydropicis conferantur: illis enim
quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Sic homini a-
uaro tàm deeſt quod habet, quàm quod non habet.
Cum ergo ſtudium cumulandi diuitias, non tàm ex
rebus quam animo inſatiabili proficiſcatur, medicina
cordi adhibenda eſt, quæ ex præclaro illo pharmaco-
polio ſacrarum literarum ſumitur. Nam cum DOMI-
NVS corda noſtra Spiritu ſancto ſuo rexerit, vt do-
ciles ſimus verbi ſui auditores, & didicerimus, Pa-
trem nos in cœlis habere, qui det iumentis paſtum, &
pullis coruorum inuocantibus eum, cui beneplaci-
tum

tum ſit ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant in miſericordia eius. Qui vt indulgentiſsimus Pater manum aperiat, & impleat omne animal benedictione.

Pſalm. 145. Qui nouerit quibus rebus nobis ad vitæ ſuſtentatio-
Matth. 6. nem opus ſit, tum auertere animum à præpoſtera cura illa ſolicitudine; poterimus, & contenti eſſe præ-
Heb. 13. ſentibus. Quemadmodum & Epiſtola ad Hæbreos nos hortatur. Sint inquit mores alieni ab auaritia, contenti iis quæ adſunt: ſiquidem ipſe dixit, Non te deſero neq; derelinquo, vt fidentes dicamus, DOMINVS mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo. Præterea ſi ex iſdem literis animis noſtris perſuaſum fuerit, nos nihil in mundum intuliſſe, nec quidquam elaturos eſſe ex eo. Si denique didicerimus pietatem magnum eſſe quæſtum cum animo ſua ſorte contento, tum paucis contenti erimus. Hæc omnia Dauid vno verſu complexus eſt. Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam. Nam vt dictum eſt, tum demum auocare animum à diuitiis poterimus, cum ea quæ diximus, ex ſacris literis, DOMINI ſpiritu noſtra corda erudiente didicerimus.

5. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem in via tua viuifica me.*

Dixerat verbum Dei medicinam eſſe auertendæ auaritiæ paratam, itaq; ſe eam expetere. Nunc ad totum genus (Græci Theſin vocant) aſcendit, orans vt ab omni cupiditate mala liberetur, & in via DOMINI quam verbum Dei monſtrat viuificetur. Oculos figurate pro cupiditate, vanitatem pro illecebris voluptatum,

ptatum, viam DOMINI pro verbo Dei vsurpauit. Ad hæc (inquit) cum multæ sint voluptatum illecebræ, quæ in oculos iucurrunt, res vanissimæ, quæ vno momento quasi euanescunt, & tamen coniuncta sunt, cum maximo hominum detrimento, te ô DOMINE oro, vt & oculos & animum meum ab illis auertas, ne de salute pericliter, id autem tum consequar, quando in verbo tuo, quasi compendaria ad salutem via, me clementer deduxeris.

Vidit sanctissimus Propheta, quot retibus Sathan incolumitati & saluti nostræ insidietur. Nam interdum terriculamentis & crepitaculis, hoc est ijs, quæ formidinem humanis animis afferunt, terret. Sed plures inescare solet voluptatibus prauis, maximè ijs quæ primum oculos, postea animos mouent, his tanquam Syrenibus multos detinet, vt in ebrietate, scortatione, crapula, & dissolutione vitæ summa, consenescant. Ab his autem voluptatibus auertere oculos, homo non potest, nisi DOMINVS hoc in ipso efficiat, & ostendat, Omne id quod in mundo est, vt concupiscentiam oculorum, & fastum vitæ non esse ex Patre, sed ex mundo, mundum autem & concupiscentiam eius transire, esse rem vanissimam. Nam cum omnia quæ in hoc mundo sunt vanitas sint, tum verò voluptates blandissimæ Dominæ, cum vix oblectationem senserimus, mox nos deserunt, & non solum molestiã sed miseriam, suíq; desiderium etiam relinquunt. Quod si nos illę detinere interdum oblectatione quadam videntur, quantulum quæso, hoc est. Quid, inquit Cicero, hoc ipsum diu, in quo est aliquod extremum, quod cum venerit omnis voluptas, pro nihilo

1. Iob. 2.

Eccles. 1.

Cicero pro Marcello.

præterita est, quia nulla postea est futura? Nos autem diligenter audiamus Prophetam nostrum, qui tacitè ostendit extremũ voluptatis esse mortem. Nam cum petat vt viuificetur, certè interim ostendit, voluptates quantumuis blandas, mortis & interitus esse procuratrices. Hoc dulcissimus seruator noster docere voluit, cum dicit viam ad interitum latissimam esse. Expedita enim omnia videtur hominibus voluptuarijs, sed vno postea momento ad æternos cruciatus abripiuntur, quod in diuite illo Epulone nobis propositũ est. Itaq; demus operam, vt per arctam portam, & angustam viam ingrediamur ad vitam, à qua certè non aberrabimus, si omni attentione DOMINI verbum audiuerimus, orauerimusq; eum vt in nobis amorem pietatis, odium vitiorum excitet.

6. *Confirma seruo tuo Eloquium tuum quod ad timorem tuum subintellige ducit aut simile quid.*

Verbum confirmandi in Hebræo est הקים Hokem, Hiphil, quod significat surgere, & proinde etiam erigere, confirmare. Altera pars versiculi variam interpretationem habet, quia oratio est Ecclíptica לירא אשר Escher Leyrosecho Ego puto אשר esse referendũ ad Eloquium, confirma verbum quod facit ad timorem tuum. Alij ad personam Dauidis accommodant. Confirma seruo tuo eloquium tuum, qui timori tuo, & subintelligunt aliquod verbum, adhæret aut delectatur. Mihi prior sententia videtur magis accedere ad sententiam Prophetæ. Vult enim hoc dicere. Peto denique vt verbum tuum ita in me confirmes, vt eo nihil

hil habeam antiquius, quia tum demiq; ab omnibus auocamentis, & illecebris mundi me abstraxero, cum ex verbo tuo tuum timorem didicero, qui ad omnem pietatem mihi dux sit, & persuadeat, vitia omnia tanquam præsentissimas pestes fugienda esse.

Videmus versiculos huius προσληψεως aptissimo nexu inter se cohærere. Nam orauerat Dauid vt ab auaritia, duce verbo, auellere animum posset, mox præcatur, vt ab omni vanitate & vitio, eiusdem beneficio liber sit. Postea hoc versiculo ostendit, qua ratione doctrina cœlestis expultrix omnium vitiorum fiat, quia doceat DOMINI timorem, quo qui præditus est, à vitijs abhorrebit. Nam timere DOMINVM significat nosse eum, & Patrem, & omnipotentem esse, iudicem seueriſsimum impietatis & improbitatis omnis, remunerātorem piorum, à quo recedendum contumaciter nō sit, ne pœnas nobis accersamus, nec lædendam ipsius bonitatem, quia paterno nos animo prosequatur, & obedientiam nostram præmijs ornaturus sit. Nec cōtemnendas minas, cum istæ certissimæ omnibus contemptoribus immineant, & ipse nos ad tribunal suum citare possit, siue in cœlum ascenderimus, siue lectum in infernum strauerimus, siue alas auroræ sumpserimus, & habitauerimus in extremis maris. Sic noster Propheta loquitur Psalm. 139. Quia verò alias copiosius de DOMINI timore est dictum iam supersedeo.

7. *Aufer à me opprobrium meum quod timeo, quia iudicia tua iucunda siue bona.*

Per opprobrium alij conuitia, & probra aduersa-riorum, alij confusionem intelligunt, in quam Dauid apud DOMINVM si verbum, & timorem Dei neglexisset incidere, aut certè apud aduersarios suos in iustam reprehensionem incurrere poterat, si quid in ipsius vita deprehendissent vitij. Videtur autem mihi in genere complexus esse eam vtilitatem verbi, quod non patiatur suos cultores, in veram infamiam venire. Nam DOMINVS ea quæ verè probrosa ipsis esse possent coram Deo, & hominibus aufert. Hæc ergo est verborum horum sententia.

Denique ô DOMINE, oro tota animi mei contentione, vt tuo verbo, in quo iudicia & mandata tua expressa sunt, quibus ego maiorem in modum delector auferas à me, omnia quæ mihi verè probrosa esse possunt, nam ea ego maximè reformido. Hæc Prophetæ.

Homines politici omnem infamiam fugiendam esse iudicant, & ad gloriam & honorem, omni studio contendunt, sed scriptura sacra quandam infamiam laudabilem etiam iudicat, si eam propter nomen DOMINI subeamus. Ideo seruator noster dulcissimus Matth. 5. inquit: Beati estis cum probra iecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersus vos mentientes propter me, gaudete, & & exultate, quoniã merces vestra multa est in cœlis Et Rom. 5. Gloriamur etiam super afflictionibus: Sic sancti Dei homines, conuitia, probra, cruces, flagella, sibi honorifica existimauerunt. Sed id demum opprobrium fugiendum quod nostrum est, id quod Dauid pronomine MEVM exprimere voluisse videtur. Nostrum autem opprobrium est, quod à nostra aliqua culpa

culpa proficiſcitur. Etenim vt virtutis comes gloria, ſic vitij infamia pediſſequa eſt, quæ autem hominum vocibus iactantur, in nos innocentes, non curanda ſunt. Sicut & Cicero, ſæpè in Epiſtolis familiaribus ſcribit, præter culpam nihil eſſe deplorandum. Nam quamuis bonus & generoſus animus non poſsit, omnino negligere hominum de ſe iudicia, tamen cum innocentia eum ſoletur, & certiſsima ei perſuaſio inſideat, nunquam poſſe eam ſuccumbere, ſed tandem volente DOMINO emerſuram, maxima etiam opprobria poteſt contemnere: At ſi vt fures & facinoroſi patimur, & nos noſtra accuſat conſcientia, tum certè vehementer dolere debemus, quod opprobrij cauſa à nobis proficiſcatur, & orandus eſt DOMINVS, vt id à nobis auferat: quod fit quando gratis propter Chriſtum nobis peccata remittuntur. Ii enim qui ad miſericordiam DOMINI confugiunt, etſi aliquando macula aliqua infamiæ vitam ſuam aſperſerunt, tamen quia à DOMINO abſoluti ſunt, & in gratiam recepti, nequaquam contemnendi ſunt: præſertim cum nemo non intelligat, ſe DOMINI miſericordia indigere. Ita latro ille ad Chriſtum confugiens, quamuis tota eius vita flagitioſa fuerit, & mors etiam infamis, tamen omne dedecus effugit. Quis enim eum inter ſceleratos numeraret, quem Chriſtus æterna gloria vult ornare.

8. *Ecce concupiui mandata tua, in iuſtitia tua viuifica me.*

Poſtremo petit Dauid vt iuſtitia DOMINI viuificetur, quæ ex verbo, cuius tenebatur deſiderio, diſci-

tur. Hęc primo accommodari possunt ad eam DOMINI iusticiam, quæ est in Christo nobis exhibita, per quam viuificamur, & vita æterna donamur: quæ & ipsa, in eius verbo expressa est. Deinde qui Christum verè eiusq; iusticiam agnouerunt, illi iam nō viuunt, sed Christus viuit in ipsis, iam sunt noui homines, ac vt summa dicam regenerantur, & ex mortuis fiunt homines viui, viuentes non sibi sed Deo. Lex sanè per se non viuificat, sed occidit: at cum spiritu Christi ducimur, tum incipimus elaborare ad profectum. Et quemadmodum vita hominis ex respiratione, motu, sermone, animaduertitur: sic operibus bonis probamus, nos viuam, non mortuam aut fuca tam fidem habere. Alij per iusticiam DOMINI absolutam bonitatem intelligūt, sed quia viuificatio vera, per Christum nobis contigit, ad eum ista accommodare voluimus.

OCTONARIVS SEXTVS. VAV.

1. *Et veniat super me misericordia tua DOMINE salus tua secundum eloquium tuum.*

Est propositio petitionis quæ est in hac προσκοπῇ: Misericordiam, & salutem non intelligo hoc loco, vt alij, remissionem peccatorū, sed donum aut gratiam, vt hic sit sensus huius versiculi. Præterea peto vt clementiam & opem siue salutem tuam, alia quoq; ratione mihi declares, quemadmodum & in verbo tuo, te facturum recepisti. Propheta enim in hoc octonario potissimum hoc agit, DOMINVM eam gratiam largiri debere, vt ipse ex Dei verbo discat aduersarios

ἐπισομὲ

ἐπισταμένως, & veritatem non solum agnoscere, sed eam libere etiamsi periculum summum coniunctum videatur confiteri. Vt quando coram tyrannis defendenda veritas est, non trepidemus, & vt etiam perpetuam oblectationem in verbo habeamus. Si autem quis ista ad methodi rationes exigat, petitionis argumenta sumpta sciat ab vtilitate & suauitate verbi Dei. Da inquit per verbum vt promisisti etiam alia dona, primò vt aduersarijs ora possim obturare. Deinde vt veritatem immotam teneam, duce te & verbo tuo, postea vt παῤῥησία qua decet vtar, & libere agnitam veritatem confitear. Et hæ quidem sunt vtilitates verbi, sed à iucundo quoq; addita ratio est, & nunc & in posterum summa verbi tui suauitate fruar. Ergo da & largire mihi istam voluptatem honestam. Sed ista vt à Dauide proposita sunt audiamus ordine.

2. *Vt respondeam exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis.*

Cum ad veram solidaḿq; verbi doctrinam animū adijcimus, diabolus conatur in contemptum, & nos & verbum adducere, ideo homines nobis opponit irrisores, & qui calumniantnr doctrinam puriorem, quales etiamnum hodie quam plurimi sunt, qui multa absurda colligere ex doctrina Euangelica conantur, multa à nostris dicta vafrè detorquent, sicut olim Hebræi varia conuitia congerebant in Apostolos, imò verò aduersus Christum ipsum appellantes eos tubas factionum, & seditionum, abnegatores auitæ doctrinæ, vituperatores Mosi & Prophetarum, qua de re, si quis

quis exempla plurima habere velit, legat Acta Apostolica. Sed DOMINVS per verbum illa omnia opprobria conuincit, & suis eam dat gratiam, vt ipsorum spiritui resistere nemo possit. Quam præclarè Matth. 22. à DOMINO, & seruatore nostro Christo, refutati ex sacris literis sunt Saducęi negantes resurrectionem mortuorum? Quanta spiritus efficatia repressi sunt, ij qui cum D. Stephano Protomartyre disputare voluerunt. Iam magnus ille Apostolus, doctor gentiũ, quam aptè, & conuenienter aduersarios ex scriptis Prophetícis conuincit? Denicq; nostro sæculo quam plurimi errores superiorum temporum, testimonijs firmissimis scripturæ ita refutati sunt, vt nemo bona conscientia refragari possit. Hoc donum est Dei, qui verbo suo veluti gladio vtrinq; incidente confodere solet impiorum opprobria, quæ ipsi contra veritatẽ improbè confingunt. Hoc voluit Dauid isto versículo. Respondebo (inquit) probris afficienti me, quasi diceret: Ad s...ma commoda quæ ex verbo tuo, possideo hoc quæso etiam pro tua clementia adiunge, vt calumnias & criminationes, quas aduersarij mei, imò verò tui contra verbum, & promissiones tuas iactant, virtute verbi diluam, & ostendam quantum mihi in ipso præsidij positum sit. Nam ego certè in hoc conflictu omnem spem victoriæ in verbo tuo collocaui. Hæc istius versículi sententia est. Nam dubium non est Dauidem ab aduersarijs, sæpè fuisse acerbis insectationibus prosciissum, quod iactaret reuelationes diuinas, & Samuelis electionem, vnctionem autem Dauidis, magis studio aduersandi regi Saul, quam mandato DOMINI susceptam. Hæ criminationes, & blasphemiæ etiam

in

in Deum, valdè exercuerunt ſanctum pectus Prophetæ, ſed verbo & promiſsionibus diuinis ſe ſuſtentabat, & certum ſibi auxilium pollicebatur ab eo qui in verbo ſuo afflictis, & tamen innocentibus, ſuam opem promittit.

3. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vnquam, (aut vſq; quaq;) quia in iudicijs tuis ſperaui.*
4. *Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum ſæculi.*

In Hebræo pro eo quod nos vertimus vnquam, ſcriptum eſt עדמאד quod alij vertunt vſq; quaque, alij admodũ. Sed verborum cõtextus requirit, vt convertamus vnquam aut ſimile quid. Hos autem verſiculos duos ſic intelligo. Porro cum aduerſarij mei non ſolum conuitijs me proſcindant, ſed etiam errores & opiniones de ingenio ſuo confictos proferant, largire mihi, O Deus, ne vnquam patiar me abduci à verbo tuo, quod veritatem in ijs omnibus, quæ ad beatè viuendum pertinent, nos docet, de illo loquar, his me oblectem, vt certè hactenus duntaxat ad iudicia, & voluntatem in ſacris expreſſam reſpexi. Denicq; da vt hunc theſaurum veritatis perpetuo conſeruem.

Neceſſaria doctrina quam Pſaltes hoc verſiculo complexus eſt. Impij enim non ſolum ſanctos Dei homines cõuitijs petunt, ſed varijs rationibus veritatem peruertere, ſcripturas ipſas contorquere, & ad ſuum inſtitutum accommodare ſtudent. Denicq; hoc agunt vt cum Catholicis & Orthodoxis loquantur, & his integumentis venena ſua venditent, ita malus ille ſolet ſe couuertere in angelum lucis. Itaq; orandus DO-

MINVS est, vt germanam verbi sui sententiam retineamus, cum sacris literis loquamur, & sentiamus, nec patiamur nobis vllam opinionem adlubescere quam non viderimus perpetuo scripturarum consensu comprobari. Hac diligentia sancti Patres contra Hereticos vsi sunt, vbi non solum sententias Canonicis scripturis expressas, sed etiam minutissimas voculas obseruarunt: cuius diligentiæ vel imprimis testis est liber Basilij, περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, vbi de formulis ὑφ' οὗ, δι' οὗ, ἐξ οὗ, καθ' ὃ, εἰ ὧ, quam accuratissime disputat, quam etiam diligentiam in disputationibus de Sancta Trinitate latini scriptores imitati sunt. Nos sanè scripturæ verbis & sententijs tanquam norma & regula vtamur, vt à via veritatis nunquam aberremus cum videamus quantum incommodi minima σφάλματα quæ initio nullius momenti videbantur, hominibus parum prouidis attulerint.

5. *Et ambulabo in latitudine quia mandata tua exquisiui.*
6. *Et loquar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundar.*

Latitudo Hebræis Securitatem & Libertatem significat. Petit ergo Propheta sic erudiri verbo Dei, vt magna fiducia in eo versetur, nec ad confessionem, quamuis periculo coniunctam trepidet, in hanc sententiam. Quando autem me verbo tuo erudieris, tum quasi in latissimum campum libertatis & securitatis educturus es, vt nulla res sit, quæ deijcere animum meum possit, hoc enim cultoribus verbi tui (in quo indagando ego omne studium cõsumo) largiris. Sunt quidem

quidem varia terriculamenta, quibus Sathan nos homines à constanti confessione abducere conatur. Sed nec Regum nec Tyrannorum minæ me ab instituto auocare poterunt. Sed in conspectu eorum, magno animo, agnitam veritatem profitebor non metuens ignominiam & confusionem, cum nemo succumbere possit, qui te auspice aliquid susceperit.

Suprà diximus diabolum mille artificem variis rationibus oppugnare doctrinam pietatis, & quod in contemptum eam vult abducere, & quod homines erroribus figmentisq; implicat, vt in ipso indagandæ veritatis studio veritatem amittant. Sed habet ille alium quoq; arietem, quo euertere nos conatur, terriculamenta varia, tum vero inprimis persequutionem. Nam quos intelligit magno aduersus conuitia animo esse, & ita in sacris profecisse, vt à veritate abduci facile nequeant, eos fortissimo isto ariete pulsat. In persequutione autem tria sunt, quæ hominum animos varie afficere solent. Nam primum acerrimus, & acutissimus hostis, homines etiam pios terret meditatione periculorum, vbi oculis nostris subijcit, quantas in angustias rei familiaris, honorum dignitatis, & vitæ nos coniecturi simus, si mordicus retinere doctrinam pietatis, & confessionem velimus. En inquit tanta incommoda tibi liberis, & vxori conciliabis. Deinde inprimis animos nostros perturbat, cum aduersarios magnos, potentes, nobis obijcit, & nostram ecotra imbecillitatem opponit. Tu ne te regi aut principi potentissimo oppones? Tu ne tot doctissimis Episcopis, Cardinalibus aduersaberis, qui vix primis labijs sacra degustasti? Præterea in persequutione infamiã etiam

minatur. Nam initio pia doctrina ſępenumero ſuffragiorũ numero, & vociferationibus aduerſariorũ quaſi obrui videtur, & vt hęretica dãnatur, mox mortis ſententia & quidem turpiſsimæ, fertur contra eos, qui re tractare doctrinam puriorem publica παλινῳδία nolunt. Qui ergo infamiam & tupitudinem metuunt, iſtis fulminibus Sathanæ abſterrentur, vt aut ſilentio prodant veritatem, aut certè eam omninò abnegent. Hæc terriculamenta maiora ſunt hominum opinione, & ſola experientia diſcitur quanta ſint, & quam ad deijciendos animos de gradu ſuo, fortia ſint Sathanæ inſtrumenta. Contra machinas iſtas obfirmandus animus eſt, certa & ſolida conſolatione, ne ad defectionem turpiſsimam illam delabamur. Habemus autem hoc loco, tria (vt ita loquar) ἀλεξιφάρμακα quibus iſtis animi perturbationibus mederi poſſumus. Primum eſt quo ſe recreat Pſaltes cum inquit, ambulabo in latitudine (hoc eſt vt diximus) tu me ſolaberis in iſtis periculis, & quaſi ex carcere educes in latiſsimũ campum libertatis & ſecuritatis. Quod non eſt intelligendum, de externa & corporali liberatione. Quanquam enim DOMINVS Danielem è lacu leonum in liber-
2. Reg. 1. tatem aſſeruit, & Eliam cum à quinquaginta militibus vita eius ad cruciatus & mortem expeteretur, igne cœlitus de miſſo mirabiliter liberauit, & ſecuritatem ei præſtitit. Petrũ ex vinculis & carcere eduxit: tamen multos paſſus eſt cruciari & necari. Itaq; loquit̃, de ea latitudine & ſecuritate, vbi DOMINI beneficio homines pij̃, ne pericula quidem reformidant, & in ſummis anguſtijs, libertatem & ſecuritatem habere videntur. Sic Chriſtus diſcipulos ſolatur Matth. 10. Cum tradiderint

derint vos, ne sitis soliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Sic sancti Martyres intrepido animo, pericula mortis subierunt. Nam in latitudinem eduxerat eos DOMINVS. Sed obijciet fortasis quispiam, an non sunt summæ angustiæ, non solum vinculis, sed tot generibus suppliciorum, & ipsa morte constringi? At prospiciebant illi in istis angustijs campum securitatis, in quem à periculis omnibus profugerent, & in summa libertate & securitate viuerent: sciebant se recipi in ciuitatem illam, non factam manibus, insinum Abrahæ, in illam æternam securitatem, vbi omnibus malis defuncti, perpetuo victuri sumus cum Christo. Hic est ille spacioſisimus felicitatis campus, in quem qui euaserint, non carceres, non compedes, non vincula extimescunt, scientes se quasi manu missos, & ex omnibus periculis clementer liberatos. Sed terrent Regum & potentū minæ. Nam qui in honoribus & summis dignitatibus cōstituti sunt, circundati authoritate ea sunt, vt si clementer subditum aliquem alloquantur, tamen vix sine trepidatione audiantur. At si ira ipsorū exarserit, non minus (vt Solomon dicit) formidabiles sunt, quā leones rugientes. At hoc loco cōtra consternationem illam, quæsitam & certam medicinam habemus. Nam Dauid suo exemplo nos deducit ad imitationem constantiæ non modo suæ, sed aliorum qui non dubitarunt coram principibus confiteri veritatem. Ego inquit loquar in conspectu regum. Loquuti sunt & alij, vt Elias, Esaias, Hieremias, D. Paulus, & similes quorum exemplis confirmemur, cum videamus tot præclaros homines in confitendi *Prouer. 20.*

ratione illa periculosa, Deo largiente animum non desponsisse, neq; enim existimandum, illam constantiam ab animi magnitudine quam ipsi sibi conciliassent profectam, sed à spiritu consolationis. Certè in Eusebio legimus Polycarpum cum ad supplicium educeretur clara voce cœlitus fuisse erectum, vt magno animo martyrium subire vellet. Et idem testatur Christianos cum nouis generibus supplicionum torquerentur affirmasse, se dum carnifices corpus lacerarent, nihil ferè incommodi sensisse, quod viderent hominem sereno vultu astantem, consolari ipsos & erigere. Non dubitemus ergo DOMINVM, & nobis adfore si propter pietatem etiam capitis periculum subeamus. Notandum autem est Emphatice additum esse loquar de Testimonijs TVIS. Nam cum cogitauerimus nos non nostrum negocium, sed DOMINI gerere, certi etiam erimus nos habituros eum defensorem cuius causam agimus. Apostoli magno animo se opponunt synedrio, dicentes: Magis obediendum Deo quam hominibus: Sciebant enim se DOMINI esse legatos, & ideo in ista legatione nullius hominis minas extimescere debere, aut præferre mandatis DOMINI sui. At verò inquis infamia me trepidum facit, quam enim miserum est, sub carnificis manu mori? Sed & huic solicitudini medetur Psaltes dicens: Et non confundar. Vt enim alias erudite à Patribus dictum est, non pœnam sed causam martyrem facere, quo significare voluerunt, cruciatus non semper esse laudabiles, sed sæpè infames, si ab infami causa proficiscantur: ita rursus pœna turpis non semper turpitudinem creat, sed causa honesta etiam in turpi supplicio, materia laudis,

audis, gloriæ, & honoris esse solent, ita vt Apostoli de flagellis etiam glorientur. Sed quia ea de re alias quoq; dictum est, & preter opinionem locus in quem digressi sumus excreuit, ad versiculos duos sequentes huius octonarij progrediamur.

7. *Et oblectabor in præceptis tuis quæ dilexi.*
8. *Et attollam manus meas ad mandata tua, quia dilexi, & loquar de statutis tuis.*

Vt supra diximus, suauitatem quam & hactenus ex verbo DOMINI perceperit, & se posthac percepturũ speret, DOMINO proponit, argumentum impetrandæ DOMINI gratiæ, in mandatorum diuinorum perceptione. Denicq; inquit cum vnica mea voluptas in verbo tuo sit, & obuijs vlnis id amplecti coner, omnes denicq; sermones in eo consumere cupiam, obsecro Pater vt huic meo desiderio, quod scio tibi non displicere satisfacere velis.

Qui rectè erga verbũ DOMINI affecti sunt, ij omni studio id amplectuntur, & tota ipsorum vita, oblectationem ex eo capit. Nam animus gestit, cum de eo cogitat, manus pedes & omnia membra se ad obsequium eius componunt. Denicq; vt nauita de ventis, de tauris narrat arator: sic qui veram sententiam ex sacris literis perceperunt, omnes suos sermones in ijs consumunt, & in hoc studium sedulo incumbunt, vt doctrina tam salutaris quam ad plurimos propagetur.

OCTO-

OCTONARIVS SEPTIMVS. ZAIN.

Initio de ordine & serie argumentorũ in hoc octonario dicam, postea additurus breuem verborum explicationem. Propositio est DOMINE memento mihi largiri veram verbi tui agnitionem. Additæ autem sunt rationes sex. Prima, quia tu vis vt in ea spem collocem, quod ad fontes honesti referri debet. Secunda, quia in tribulatione & aduersitatibus verbum tuum me solatur & viuificat. Tertia, necessaria est mihi cõsolatio verbi, quia multos habeo qui me insectantur. Quarta, cum verbum tuum & historias sacras lego, me exemplis eorum consolor, qui abs te sunt seruati in periculis, & viciſsim video quomodo impij abs te sint puniti. Quinta, qui verbum tuum negligunt & contemnunt grauissimè puniuntur. Ergo ne ego pericliter, quęso me docilem discipulum verbi tui facito. Sexta, summam oblectationem capio ex verbo tuo, Ergo profectum meum in eo tu promouebis, quæ partim ab vtili partim à necessario nonnulla etiam à periculoso desumpta sunt, accesserũt amplificationes quæ inter interprætandum rectius proponentur.

1. *Memento verbi seruo tuo in quo sperare feciſti me.*

Vulgata Translatio habet memor esto verbi tui seruo tuo, sed tui non est in Hebręo, additum fortasis ab aliquo declarandi causa. Nam hic versiculus est propositio cui accesſit prima ratio petitionis. DOMINE memento verbi & promiſsionum tuarum, vt eas per veram fidem infigas animo meo. Nam tu mandasti

vt

vt in ijs spem meam collocem. Quare quod iubes ô clementissime Pater etiam mihi da.

Nonnulli interpretes hic quærunt quare in verbo sperare iubeamur, cum id soli Deo deberi sciamus, non vlli creaturæ. Sed notandum est Prophetam Synecdochicè loqui: nam in verbo sperare significat Deo suam nobis gratiam & clementiam in verbo promittenti fidem habere. Nam sacræ literæ nihil aliud sunt quam colloquium quoddam Dei cum homine. Etenim cum Deum nemo viderit vnquam, vult ipse nobiscum agere per suum verbum, & eo explicare suam voluntatem, id quod plenissimè fecit per filium suum qui parentis ad nos interpres fuit. Et vt in Baptismo Christi, pater quidem locutus est, sed vox tantum audibatur quæ nos ad filium ablegat, & filius nos deducit ad Prophetas & Apostolos. Sic omnis spes nostra à verbo Prophetico & Apostolico pendere debet, in quo promissiones firmissimas habemus, de ijs quæ ad salutem æternam pertinent. Nec hoc superstitiosè fit, vt syllabas & vocabula tanti faciamus. Sed quia in sacris literis Deum & filium suum nobiscum loquentem audimus. Deus inquit Paulus, olim multifariam multisq; modis loquutus Patribus per Prophetas, extremis diebus hisce loquutus est nobis per filium. *Heb.1.*

2. *Hæc est consolatio mea in afflictione, quia eloquium tuum viuificauit me.*

Vetus translatio habet in Humilitate mea. Nam ענה Oni afflictionem & humilitatem significat. Sed

hoc loco textus ipse ostendit legendum esse afflictio quia vocabulum consolationis ei opponitur. Deinde humiliandi verbo frequenter vtuntur pro affligere. Bonum est inquit Dauid, quod humiliasti me DOMINE. Est autem secunda ratio laudationis verbi diuini, propter quam expetendum est, quia in animi perturbatione consolationem & recreationem affert. Hæc inquit in omnibus ijs, quæ mihi tristia & aduersa eueniunt, vnica & sola consolatio est cum de tua erga me clementissima voluntate, ex sacris literis certior fio. Hæc me & recreat, & quasi mortuum è sepulchro educit & viuificat. Quare tantum præsidium afflictissimæ vitæ meæ nunquam subtracturus es. Cum Apostolus vtilitates scripturæ sacræ commendet maximè à docendi ratione (Nam dicit Omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis ad doctrinam ad redargutionem ad correptionem, &c.) mirabitur quis quare Propheta hoc loco potissimum vim consolandi ei adscribat? Sed facilis est responsio: Dauidem alibi, & maximè hoc Psalmo, alias laudes verbi persequi, sed eam esse eximiam, quod præsentissima consolatio sit, adanimorum medicinam & consolationem. Nam aliæ doctrinæ arrogant sibi eam laudem, quod ad doctrinam, & redargutionem sint vtiles, maximè eæ quæ Philosophorum de moribus & viuendi ratione accuratiores extant. Quanquam enim non omnino negligendæ sunt, tamen si ad exquisitiorem calculum res reuocanda sit, certè quæ in istis sunt limatissima, tamen non tradunt nobis, id quod maximè in moribus spectandum est, quæ sit mali illius, quod totam rationem morum turbat, scaturigo, nec docent perfectam absolutamq

absolutamq; iusticiam, (nam nostra illa mutila, manca, imperfecta & næuis maximis inquinata est) sed vt aliquam partem huius laudis alijs etiam scriptis tribuamus, certè scriptura sacra maximam perfectissimamq; illam consolationis suo propè iure sibi vendicat. Nam in ea sola aduersus omnis generis tentationes, consolationes extant, maximè eas quæ de peccatorum remissione nos tenent solicitos. Nam in illa animorum perturbatione, nulla certè solida inueniri potest, quam doctrina de misericordia Dei, exhibita in Christo Iesu. Hæc est aqua qua conscientiæ perturbatæ recreantur, hoc est, profugium in tribulatione. Etenim qui consolationem ex operibus meritisq; suis quærunt, primum semper dubitabunt, deinde in veris conscientiæ pauoribus, cum indignitas & imperfectio propria eis obijcietur, consistere non poterunt, solæ consolationes Euangelicæ, certam consolationem afferunt, in qua dubitationi nullus locus. Idcirco inquit Paulus, ex fide datur hæreditas, vt secundum gratiam, vt firma sit promissio semini. *Rom.4.* Deinde ex verbo Dei in afflictionibus externis præsentissima medicina perturbatis conscientijs petitur, cum legimus, & Christum & sanctos omnes eas perpessos, imò ipsum DOMINVM vniuersos inuitasse ad ferendam crucem, & omnes qui piè velint viuere in Christo Iesu, persecutionem pati. *Matth.6.* *1.Timoth.3.* In eo autem quod summum & extremum malum in rebus humanis esse ac nullam partem consolationis admittere videtur, sacræ literæ nobis subueniunt, quæ docent in morte nihil esse mali, sed ijs qui credant, & illam etiam cooperari in bonum. Non enim possumus æternæ fœliciratis

fieri participes, niſi per mortem veluti ianuam aditus acceſſuſq; nobis concedatur. Hanc præclaram conſolationem largitur nobis ſola ſcriptura. Conantur quidem homines variis rationibus ſe ipſos in malis erigere, colloquijs amicorum, conuiuijs, Muſica: ſed in veris pauoribus, & morte ipſi intelligunt, ſe nullam conſolationem à ſe poſſe petere, quod & Ethnicus Poëta intellexit cum ita canit.

Στυγίους δ' βροτῶν ὀδὰς λύπας. Εὑρετο μόσῃ καὶ πολυχόρδοις ὠδαῖς πανύειν, id eſt, infernales, & ſummas perturbationes hominum, nemo cantu aut inſtrumentis muſicis lenire poteſt. Hanc ergo de qua nunc dicimus cœleſtem muſicam, & Cytharam Dauidis apprehendamus canentes cum ipſo, & nos ipſos in malis, & afflictionibus erigamus dicentes. Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea, quia colloquium tuum viuificauit me. Sed tempus eſt vt ad alios quoq; huius octonarij verſus progrediamur.

3. *Superbi deriſerunt me plurimum, à lege tua non declinaui.*

Propheta (vt ſupra diximus in diſpoſitione argumentorum) hoc verſu docet, quam neceſſaria ſibi ſit doctrina verbi Dei, quia ab impijs irrideatur, ſed ſe contra iſtos ſannos obfirmare animum, ac erigere conſolatione verbi Dei, quare opus eſſe, vt antea verbo bene inſtructus ſit, ac poſsit aduerſarijs ora obturare. Homines (inquit) carnales & opinione doctrinæ, & iuſticiæ propriæ inflati omnia noſtra contemnunt, & veluti ſtultos irrident, ſed contra iſta ego vtor verbo tuo, nec patior me ab eo abduci, cum intel-

ligam

ligam esse nobis illud salutare instrumentum ad salutem

Videtur quidem Psaltes hoc loco agere de re, non adeo graui, quod de contemptu irrisione{que} aduersariorum quæratur, sed non credamus leues esse vexationes, de quibus hic loquitur, sed tales quæ piorum animos maiorem in modum perturbent. Primū enim sunt impij, לצים irrisores verbi qui falsè omnia quæ diuinitus sunt nobis tradita irrident: ἐcontra autem sua somnia & ἐθελοθρησκείας admirantur. Sic olim Prophetas irriserunt, & in primis Esaiam, quo docente, linguam exerebant. Item dicunt per contemptum, Onus DOMINI. Deinde & filius ipse Dei contemptus fuit à Pharisæis, Scribis, & Saducæis, cum eum quæstionibus ridiculis conarentur irretire, vt cum de mu- *Masth.22.*
liere habente maritos septem, & quidem fratres quærunt, quæ ratio sit futura in resurrectione. Pilatus cum DOMINVS veritatis mentionem fecisset, per ironiā quærit, quid sit Veritas? Quid quod Herodes remittit DOMINVM Pilato indutum purpura, vt tanquam regem personatum, omnibus deridendum propinaret, quem per contemptum postea milites regem salutant, & arundinem pro sceptro offerunt. Quid quod ne inter ipsos quidē cruciatus ab irrisionibus istis abstinuerunt. Quanto in contemptu Apostoli fuerint nouimus. Paulus doctrinam Euangelij vocat stultitiam crucis. Et Festus Paulo dicit, Insanis Paule mul- *Actō.26.*
tæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et cap. 25. Actorum, Agrippæ loquens admodum contemptim, de doctrina loquitur. Quæstiones quasdam, inquit, de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam

Ieſu defuncto quem Paulus affirmabat viuere. Et qui
Act.26. ridiculo ſermone Paulum excipit Agrippa. Modica ex parte perſuades mihi vt fiam Chriſtianus. Quid multis? animalis homo non accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtulticia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter diiudicatur. Et hodie etiam videmus qua acerbitate animorum aduerſariꝰ noſtri, veram doctrinam proſequantur, quot modis irrideãt & contemnant. Præterea non ſolum doctrinam contemnunt, ſed etiam ipſos homines, quos improbe traducunt confictis criminibus. Quando autem res aduerſæ Chriſtianis accidunt exultant, & σαρκασμοῖς acerbiſsimis vtuntur. Id quod etiam Chriſto patiente in cruce accidit. Et Dauidis frequens quærela eſt, aduerſarios ſubinde ingeminare illam calumniam. Vbi eſt Deus tuus? Hic contemptus ita afficit pios, vt interdum non ſatis confirmato animo eſſe poſsint. Sed non ideo abiicienda eſt purior doctrina, verum cum Dauide dicendum eſt, ſuperbe deriſerunt me plurimum, à lege tua non declinaui. Imò verbum ipſum ſuppeditat conſolationem aduerſus eiuſmodi tentationes. Initio quod piꝰ ſciunt eſſe veritatem, & eam quidem poſſe oppugnari, ſed non expugnari. Scimus fundamentum Eccleſiæ doctrinæ illius cœleſtis eſſe Chriſtum, petram illam contra quam non præualituræ ſint, portæ inferorum. Deinde & alia cogitatio quæ & ipſa ex verbo petitur, nos ſolari poteſt, eadem paſſos Prophetas & Chriſtum Dei filium. Diſcimus etiam DOMINVM ſuo tempore eſſe irriſurum impios cum iam ſapientia extendat ſua brachia, & omnes ad ſe inuitet, ipſi vero rideant ideo rurſus irriſuram

ram esse eos. Postremò qui in sacris profecerunt, & quibus DOMINVS (vt cum scriptura loquar) mentem aperuit, illi sciunt, quantos thesauros in verbo habeant. Hæc ergo πληροφορία efficit ne vincantur conuitijs contumelijs, & irrisionibus aduersariorum.

4. *Recordatus sum iudiciorum tuorum à seculo DOMINE, & solatus sum memetipsum.*

Quidam non inscitè hunc versiculum, cum superiore connectunt hoc modo. Multi quidem me irridēt, at ego me cōsolor verbo tuo & iudicijs. Rectius autem dicemus, esse generalem consolationem, se non solum illusionibus, & ludibrijs impiorum obuiam ire verbo Dei, sed consolationem petere ex eodem, contra vniuersa mala, cum & liberationes piorum admirandas, & impiorum pœnas diligenter consideraverit. Ego inquit in omnibus quæ mihi aduersa accidunt in memoriam reuoco, præclara illa specimina protectionis gubernationisq; tuæ, cum sæpè sanctos tuos ex præsentissimis periculis eripuisti, vbi enim humanum desinit ibi tuum incipit auxilium, ac mirabiliter ô DOMINE tu semper ducis sanctos tuos. Econtra verbū tuū suppeditat mihi cumulū exemplorū, quo modo olim vltus sis improbitatem impiorum, & persecutores Ecclesiæ tuæ. Quibus cogitationibus ego me quotidie reficio, nam non dubito, te eandem clementiam protectionemq; mihi exhibiturum, quam olim patribus, & perpetuam tuam in plectendis persecutoribus tuorum consuetudinem esse seruatus sum.

Egregia

Egregia doctrina hoc loco proponitur quomodo in periculis animus ex sacris confirmandus sit. Nam intuenda est tota historia, veteris & noui Testamenti, & diligenter considerandum, quomodo DOMINVS suos præter opinionem omnium liberauerit, ex periculis eduxerit, & quasi ex faucibus mortis extraxerit, & statuamus certò DOMINVM, hodie etiam itaque suam Ecclesiam affectum esse. Sed ex historijs istis hoc etiam colligendum est, DOMINVM suos tum demum iuuare, cum omnia desperata videntur. Nam vult auxilium suum conspici, ne fortè liberationem, nobis, aut alijs creaturis adscribamus, quæ ideo commemoranda fuerunt, vt patienter crucem feramus. Nam plerique sic affecti sunt, vt si non illico opem diuinam senserint, animum despondeant, clament se à DOMINO desertos esse. Sed hi ex sacris discant eum morem DOMINO inde ab initio familiarem fuisse, vt ferè tempus aliquod auxilio suo interponendum duxerit, quo nos in hac schola crucis erudiremur, & certi essemus DOMINVM nobis affuisse. Sic qui persequutionem grauissimam & diuturnam patitur, oculos in Dauidem conuertat, qui eadem passus est, & longo tempore in exilio, & periculis summis est versatus, & tamen tandem mirando DOMINI auxilio non modò liberatus fuit, sed totius Israëlis rex factus. Si ergo & nobis exulandum est, non credamus hoc nouum aut inusitatum esse, nec desperemus de auxilio ad tempus dilato. Si grauior morbus te excrucíat, cogitabis te id cum Hiobe commune habere, qui cum diuturno morbo grauissimoque cõflictabatur, & tamen clementiam liberationemque mirandam tandem sensit. Si plura mala te

ſa te ſimul premunt, eundem tibi ſinas eſſe magiſtrum patientiæ, qui ſeptus vndequaq; miſeriis, imò verò obrutus quaſi, tamen tandem beneficio Dei emerſit. Sed in hoc genere conſolationis, inprimis elaborandum nobis eſt, vt diſcamus non eſſe tantum ſeruatos, qui externam & corporalem liberationem ſunt experti, vt Dauid, HisKias, Iob, Daniel, ſed etiam eos qui in hac ſchola crucis ad vltimos, vſq; ſpiritus fuerunt detenti. Niſi enim hoc didicerimus, exiſtimabimus nos deſertos, ſi non vel tandem in hac vita auxilium DOMINI affulſerit. Verum ad eam tentationem diſcutiendam, Patrum, & Apoſtolorum exemplis nos conſolemur. An ne Abrahamum illum à DOMINO fuiſſe neglectum dices, quia non ſtatim terram promiſſam accepit? An Iacobum miſerum pronunciabis, qui dicit dies vitæ ſuæ fuiſſe paucos & malos? Num reliquorum patrum fortunam deplorabis, qui promiſſiones procul tantum viderunt, & confeſsi ſunt ſe hoſpites atq; aduenas eſſe in terra? Num Apoſtolos negabis Deo charos, quod poſt multas ærumnas plerique tandem crudeliſsimo mortis genere ſublati ſunt? Imò verò quia præmium pietatis ſuæ ſummum acceperũt, non deſperemus nos, ſi auxilium diuinum etiam in illam beatam, & æternam vitam nobis differatur. Intueamur inprimis Chriſtum, qui per crucẽ & tribulationes, in gloriã ſuã ingreſſus eſt. Hoc eſt, vere recordari iudiciorũ DOMINI, quæ tanta in varietate conſpiciuntur, vt alios quidem DOMINVS ſtatim iuuet, alios interpoſito ſatis longo tempore eripiat, multos ne in ipſa quidem morte & tormentis deſerat. *Heb.11.*

5. *Terror inuaſit me propter impios derelinquentes legem tuam.*

Quintum argumentum. Ex verbo tuo & iudicijs didici impios neglectoresq; tuorum mandatorum, pœnas ſummas ſubire, quæ cogitatio mihi horrorem incuſsit: Itaq; ô DOMINE te oro, ne vnquam patiaris me in contemptum neglectumq; verbi incidere, ne & ipſe pericliter, & ſimiles pœnas experiri cogar. Hæc verſiculi iſtius ſententia eſt. Sed perpendendæ cauſæ ſunt quæ tantum horrorem incutiãt Prophetæ. Nam mundus non mouetur exemplis iræ Dei, quia non habent oculos qui poſsint iſta videre. Sed quibus ſpiritus DOMINI oculos aperuit. Illi cum horrore & terrore cogitant de impijs. Et quidem initiò horribilis eſt ipſorum cœcitas, quibus cor & aures aggrauatæ
Eſa.1. ſunt, & oculi clauſi, vt nec oculis videant, nec corde
Eſa.58. credant, qui palpant ſicut cæci, & impingunt meridie
2. Cor.3. quaſi in tenebris. Horribilis huius cæcitatis exempla ſunt Hebræi, qui velum habent cordibus impoſitum, vt quotidie in ſacris legentes nihil proficiant tamen. Sed horrorem in pijs etiã auget, cum vident, in quam tetros errores illi incidant. Nam diabolus non modo excæcat corda, ſed etiam eos qui impietati ſeſe dediderunt, ex errore in errorem ducit. Quia vt Paulus inquit, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc vt ſalui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam illuſionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non credunt veritati ſed approbauerunt iniuſticiam. Quam prodigioſas opiniones hæreſesq; recenſet Epiphanius & Auguſtinus, in ijs libris quos de Hæreticis ſcripſerunt, certè horret animus

cum

cum de tetris quibuſdam cogito, vt de furore Manichæorum, de blaſphemia Arrij, de impietate Ophitarum & ſimilium: Et quam horrenda ſunt, quæ hodie Anabaptiſtæ, & Antitrinitarij approbant. Iam verò non ſolùm impias & horrendas errorum abominationes, iſta diaboli mancipia amplectuntur, verum etiam à malo ſpiritu ad nefanda ſcelera impelluntur, quæ & ipſa mouent pios. Qui furor in Achabo conſpicitur qui Prophetas DOMINI perſequitur. Quanta Athaliæ crudelitas? Quam effera rabies Herodis, qui ne pueris quidem infantibus pepercit? Quanta denique crudelitas Hebræorum, qui obſidione cincti, à Romanis, in ſua viſcera ſeuierunt, vt copioſè à Ioſepho ſcriptum eſt? Quàm aũt tetra exempla fœdiſsimarum & crudeliſsimarum actionum ſuppeditat nobis, Anabaptiſtarum hiſtoria, qui Monaſterij fuerunt. Harum rerum diligens cogitatio animos piorum vehementer afficit. Sed accedit etiam alia quædam, non minus triſtis meditatio, cum cogitamus, quantis, & quam horribilibus pœnis, illi affecti ſint, cum dirum interitum, Chore, Dathan & Abiron, cum Pharaonis internecionem, cum Ieſabelis horribile fatum, Herodis vermes, & nouum ſupplicij genus, denicq; totius populi cladem & interitum intuemur. Poſtremò nihil maiore cum horrore coniunctum eſt, quam ſi iudicij æternorumq; cruciatuum, qui illos expectant magnitudinem tacitis cogitationibus perſequamur. Verum non ſatis eſt exhorruiſſe, niſi trepidatio illa etiam commodum tibi afferat. Habet autem diligens meditatio illarum rerum, hanc maximam vtilitatem, vt ad amorem verbi impellamur, & intelligamus, nobis non tàm

igne & aqua, in rebus humanis opus esse, quam verbo Dei, vt astutias mille artificis effugere, & euadere horrendas pœnas possimus.

6. *Cantica mea sunt statuta tua in domo peregrinationis meæ.*
7. *Memor fui nocte nominis tui DOMINE, & custodiam legem tuam.*
8. *Hoc fuit mihi (intellige opus, aut eximium) quod statuta tua custodiui.*

Postremum versiculum, alij aliter interpretantur. Sed ego in versione mea sequutus sum D. Lutherum, qui ita vertit, Das ist mein schatz/ das ich deinen befelch halte/ & videntur illa melius quadrare ad materiam propositam. Nam postremis versiculis huius octonarij, oblectationem suam, quam in verbo DOMINI habet, cum amplificationibus proponit, quarum vnam à loco sumit, quod in itineribus & exilio veluti cantu se oblectet verbo Dei: alteram à tempore, quod ne noctu quidem remiserit de attentione cogitationum istarũ. Denicq; per comparationem, affirmat, inter omnia alia quæ agenda susceperit, hoc sibi fuisse eximium. In hanc sententiam.

Me meditatio verbi promissionumq; tuarum ita oblectat, vt non solum domi, sed in peregrinationibus meis, eo veluti carmine quodam me recreem, isto cantu labores, & exilia mea consoler. Noctu etiam cum alij quiescunt summa oblectatione, de verbo tuo, mecum commenter. Denicq; persuasi mihi inter ea, quæ studio curaq; maiore prosequenda, & expectanda

da sunt, principem locum habere debere meditatio-nem, & inquisitionem voluntatis tuæ, in verbo expressam. Hactenus Propheta. Suum autem hoc eximium desiderium, & studium ideo proponere vult DOMINO, vt ab ipso veram intelligentiam consequatur. Sed est quod ex his discamus. De oblectatione studiorum multa veteres dixerũt, studia Philosophiæ nunquam nos deserere, siue domi simus, siue peregrinemur, oblectare omnem ætatem, & eam inprimis quæ reliquarũ rerũ recreatione carere videtur. Sed hę laudes, rectè tribuuntur sacris literis. Nam siue quis domi inter suos feliciter viuat, siue in exilio sit, semper habebit, quod discat ex sacris literis. In affluentia rerum audit Dauidem dicentem. Si diuitiæ affluxerint, cor nolite apponere. In fame consolationem audit, Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Dauid in exilio se meditatione rerum sacrarum solatur, certus si DOMINO videatur se rediturum ad imperiũ. In morte ipsa audimus consolationem: Præciosa in conspectu DOMINI mors sanctorum eius. Item custodit omnia ossa eorum, vnũ ex his non conteretur. Hæc ex Psalmis adduxi, vt intelligamns vel vno in libro cõsolationes & oblectationes varias, & multiplices extare, quare non opus est, vt recreationis causa figmenta, Oratorũ & Poëtarum legamus. Sed sacræ literæ sint nobis cantus, de his cogitemus dies & noctes. *Psalm.119.* *Psalm.34.*

OCTONARIVS OCTAVVS. CHET

In hac πδριικοπῆ præcipuum petitionis argumentum

eſt ſtudium, & deſiderium quo ſummo, Dauid ardet erga verbum Dei, & proinde petit in vltimo verſiculo, vt eo erudiatur & doceatur. Quanto autem ſtudio verbum DOMINI proſequatur, egregijs amplificationibus expreſsit, quas inter interpretandum videbimus. Inſperſit etiam ſemina argumentorum ab vtili, quòd miſericordiã DOMINI explicent ſacræ literæ, quòd ſint ductrices, ad veras vitæ rationes, ideo recte expeti à Dauide: Sed (vt dixi) præcipuum argumentum ſumptum eſt, à ſtudio diligentiaq; Dauidis. Ego ſummo deſiderio teneor percipiendæ diſcendæq; veritatis: Ergo tu DOMINE doce me.

1. *Portio mea DOMINE dixi cuſtodire legem tuam.*

Quanti faciat verbum DOMINI, & quam in eo laborare ſtudeat, cum amplificatione proponit, tacita enim antitheſi, id omnibus rebus humanis anteponit: Nam cum dicit, Portio mea DOMNE, hæreditatem & peculium intelligit, quaſi ita diceret, Ego non dignitates non ſceptrum regium, non opes infinitas peto, ſed mea hæreditas & theſauri, ſunt verbum tuum, quod vt mihi quam notiſsimum ſit, tota animi contentione peto.

Audimus hoc loco, quid exoptet Propheta Dauid, quam hæreditatem ſibi præcœteris eligat, quod quidem impij irridẽt. Nam quia nihil πρὸς τὰ ἀλφιτ' facere ipſis videtur, magno etiam id ſupercilio contemnunt, mallent hæreditatẽ prædiuitis adire. Et ſanè ſi prẽter verba & auriũ oblectationẽ nihil eſſet in verbo emolumenti, quis tam ſtupidus eſſet, qui in eo acquieſcere

quiescere vellet, Sedde egregia hæreditate diligentius cogitantibus, nulla certè maior & præstantior videri, debet. Nam qui verbo DOMINI credunt, hæreditatem vitæ æternæ testante DOMINO expectant. Hæc est (inquit) voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui *Ioan. 6.* videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et idem cap. 5. Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Et notum est, quam præclara de illa æterna hæreditate nobis DOMINVS in sacris proponat. Qui ergo illam hæreditatem adierit, an non omnia postpositurus est, thesauris tàm pręclaris, Solomon in prouerbijs dicit, de sapientia vera *Prouer. 3.* quæ ex verbo Dei comparatur. Beatus homo qui inuenit sapientiam, & homo qui eduxerit eam in lucem, melior est acquisitio eius negociatione argenti, & auro primo fructus eius, preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextra eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. En quanta huius hæreditatis laus sit? Sed ea non tantum de æternis intelligantur, sed partim etiam de externis. Nam si quæsiuerimus regnum Dei, & iusticiam eius, omnia reliqua adijcientur. Si ergo pietas etiam successum in externis largitur, quam hæreditatem meliorem quàm istam sumus expetituri. Nam magnas diuitias exoptare quid prodest, cum sciamus pietatem magnum esse quæstum. Deinde etiam non ignoramus, nihil nos in hunc mundum intulisse, nec etiam elaturos, & habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti erimus. Hæc si homines

apud

apud animum ſuum cogitarent diligentius, non ita diuitijs eſſent inhiaturi.

2. *Præcatus ſum faciem tuam toto corde, miſerere mei ſecundum eloquium tuum.*

Iam alia ratione ſuum ſtudium proponit DOMINO dicens, ſe ad veram agnitionem ſacrarum literarum toto animo aſpiraſſe, non ore tantum vt Phariſæi & Hypocritæ eius ſtudium iactaſſe. Et addit etiam commoda quæ ſperet, nempe DOMINI miſericordiam, in verbo promiſſam. Nam ſi noſtris verbis imitari vellemus, illam pluſquam eruditam breuitatem ſpiritus DOMINI, huius verſiculi hęc eſſet ſententia. Cum ſciam tot egregias promiſsiones & conſolationes, quæ in omni animi perturbatione iuuare me poſſunt, in verbo tuo reconditas, quotidie toto pectore oro, vt conſolationis iſtius me facias participem. Hæc noſter Propheta. Dixerat verbum eſſe hæreditatem aut portionem ſuam, quod hoc verſu declarare voluit. Nam oſtendit quæ ſit in verbo Dei, præſtantia promiſsionum, nam ex eo ſolo certiores fieri poſſumus, de miſericordia diuina erga nos, quæ primum cernitur in rebus creatis (vt alias etiam dictum eſt) quas DOMINVS ad multiplices vſus hominum condidiſſe ex ſacris diſcimus. Teſtimonia de eadem re conſpiciuntur in piorum exemplis, quàm præclarè à DOMINO adiuti fuerint. Pleni ſunt omnes libri Prophetarũ, plenæ piorũ voces de bonitate Dei erga nos. Et nullum magis ſplendidum inditium clementię eius extat, quam is per quem omnis ſuæ bonitatis fontem in

in nos deriuauit. Hanc ergo DOMINI misericordiã sacris literis expressam grata mente amplectamur,& toto corde ad serias preces nos conuertamus, vt is qui ita nos dilexit, vt filium daret, non patiatur nos excidere à clementia illa. Alij nonnulli interpretes referunt ista ad pericula Dauidis, quæ ei creabat Saul, ac aulici, ex quibus cupiat liberari secundũ promissiones, quas DOMINVS suis clementissimas fecit, sed nos recte ad totum genus referre possumus, & orare vt secundum ea indicia clementiæ, quæ Dei Opt. Max. summa in nos extant (de quibus supra dixi) clementer nos iuuet. Nec dubium est Dauidem cuius multa de Christo testimonia extant, in precationibus suis, ad mediatorem respexisse. Nam & per fidem eius saluus factus est, quemadmodum & cœteri Patres, testante Apostolo Petro in Actis.

3. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos, ad testimonia tua.*
4. *Festinaui & non distuli vt custodiam mandata tua.*

Noua proponitur amplificatio studij Dauidici in verbo Dei. Nam cum de suæ vitæ rationibus cogitaret, totum cursum suum direxit ad DOMINI testimonia & mandata, idq; fecit nulla mora interposita, non distulit vitæ emendationem in aliud tempus. Necesse autem est ingens, & præclarum studium verbi in eo homine esse, qui in tota vita, ad id respicit & ea festinatione vtitur, quæ nullam procrastinationem admittit: hoc enim vult his versibus Propheta. Cum ego (inquit) de vita recte instituenda cogitarem diligentius

nullam aliam regulam meliorem inueni, quam verbum tuum, ad quod omnes vitæ rationes instituo, & in eo studio, nō perfunctorie versor, sed omni mora sublata, gnauiter hoc ago, vt mores meos ad præscriptum eius componam. Videmus per ratiocinationem (vt loquuutur Rhetores) ardens studium Dauidis propositum, & additam etiam temporis circumstantiam, eo loco vbi de festinatione loquitur. Simul etiam inserta est vtilitas verbi Dei quæ permouit Dauidem vt in eo putaret sibi esse elaborandum. Hi autem duo versiculi, quantumuis breues, tamen luculentam doctrinam suppeditant, quid in tota vita sequendum sit, vt ea laudabilis Deoq; grata inueniatur, qua de re variæ semper discreptantesq; opiniones extiterunt. Philosophi nonnulli ducem naturam sequendam existimauerunt, tum dicentes nos laudabiliter victuros, si naturam optimam ducem sequamur. Pharisæi, & quibus sua commenta hodie placent, cumulant traditiones humanas, onera suis intolerabilia imponentes. In his sunt variæ professiones vitæ, vbi quis Augustinianum, Dominicanum, Franciscanū, Chartusianum, se vult appellari, & in istis sectis μυρίαδες sunt regularum, obseruationum, superstitionū. Quas omnes Christus dulcissimus seruator noster, vno verbo euertit dicens. Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Hebræi illas ἐθελοθρησκείας vocant sepem legis, quasi ijs aliquid amplius, quam in lege tradatur, quemadmodum & de perfectione monachi fabulantur καὶ κομπάζονται. Mirum autem est homines, ambages illas amare, cum DOMINVS omnia quæ ad beatè viuendum pertinent compendio in ver-

bo

bo ſuo tradiderit, & ea quæ ad conformationem morum pertinent decem verbis ſit perſequutus. Sed iſtis de quibus dixi ſua commenta placent, & ea exigunt ſumma ſeueritate. Hos homines falsè irridet Paulus Col. 2. vbi illorum verba imitatur. Ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris, quæ omnia ipſo pereunt abuſu, iuxta præcepta & doctrinas hominum. Ad veras ergo & laudabiles vitæ rationes adhibeamus regulam verbi diuini, & non aberrabimus à recta via, & laudabili vitæ inſtituto. Alter verſiculus, egregiam doctrinam continet cauendum, ab omni procraſtinatione. Nam in cæteris cunctatio interdum laudem habet, ſed in vita inſtituenda, nullus dilationi locus eſt. Nam qui adhuc in Babylone vitiorum verſantur, cum ſint in ſummo periculo voce diuina euocantur. Exite de illa populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Etenim vt rectè Apo. 18. fecit Lothus qui auditis angelis, fugam arripuit, aliàs communem cum Sodomitis pœnã ſubiturus, & Chriſtiani (vt Euſebius teſtatur) oraculo edocti de futuro excidio Hieroſolymarum rectè Pellam conceſſerunt. Sic qui animaduertit ſe in diſcrimine animæ & æternę ſalutis verſari (verſantur autẽ in eo periculo omnes qui à verbo Dei diſcedunt) mox ſe expediat, non cunctetur cum incertum ſit, quæ nos hora ad tribunal DOMINI euocet. Nam ea dies quæ vitæ noſtræ finem imponit, eadem etiam ad tremendum DOMINI iudicium citat. Deinde ſcimus ex Iohanne, quod ſuper eos qui non credunt maneat ira DOMINI. Itaq; impijs & impœnitentibus ſingulis momentis imminent pœnæ fatales. Quare ſapienter pronunciauit Syracides. Non

inquit tardes conuerti ad DOMINVM, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et dulcissimus seruator noster monet, vt in via beneuolentiã habeamus cum aduersario nostro, ne quãdo tradat nos aduersarius iudici, & iudex ministro ac in carcerẽ cõijciamur. Hinc sunt commonitiones illæ, vt vigilemus, vt faces sint in manibus nostris: ne cum virginibus fatuis extrahamus emendationem vitæ longius, frustra postea pulsaturi ianuam sponsi. Et Paulinæ illæ, vt in cursu gnauiter pergamus, relinquentes ea quæ à tergo sunt. Ingemiscendum vt aliquando superinduamur contendendum ad coronam nobis repositam. Et nemo est, vt opinor, qui non videat, quomodo festinationem nobis Christus & Apostoli persuadere conẽtur, id quod antea Dauid in hoc Psalmo fecerat dicens Festinaui, & non distuli.

5. *Catus impiorum de prædati sunt me, sed legem tuam non sum oblitus.*

Alia prædicatio studij sui, quod cum de cœteris periclitetur, & ab hostibus exuatur bonis omnibus, tamen nunquam se commissurum, vt thesaurus ille verbi, & consolationum ex corde suo auferatur. Habet hic versiculus egregiam contentionem bonorum reliquorum & verbi, quod quia cœteris anteponit, intelligitur, quam præclaram eius possessionem iudicauerit. Quanquam autem ex ijs quæ dixi satis intelligitur sententia versiculi huius, tamen studeamus eam breui paraphrasi illustrare. Cum impij coniuratione contra

contra me facta, patria, opibus, diademate exuissent, & ornamentis omnibus viderer spoliatus, tamen non sum passus mihi thesaurum illum cordis mei eripi, verbum & consolationes tuas: Patriæ, amicis, valedixeram, sed nulla obliuio, nec tum, nec in omnem æternitatem mihi memoriam verbi tui eripere poterit. Sed vt aliquid in medium afferamus, quod vtiliter hoc loco cogitari possit, & ad magnas hominum vtilitates accommodari, discendum est, quomodo instituendæ rationes nostræ sint, vt ea bona acquiramus, quæ latro, fur aut prædo aufferre non possit, nec alia quacunq; ratione ijs excidere possimus. Nam quanquam homines, in eo plurimum se occuparunt, vt diuitias cumularent, domum domui, agrum agro (vt Esaias loquitur) adiungerent, tamen plus ferè curæ & solicitudinis in eo posuerunt, vt parta tueri, & retinere possent, quæ res molestiam & trepidationem, non modo priuatis, sed magnis etiam regibus sæpè attulit. Nam quot bella suscepta sunt, vt quod laboribus quæsiuissent homines, possent seruare, & quàm anxia cura homines pecuniæ auidi, thesauros suos occultant, nec possunt tamen eos ita asseruare, vt nihil sit omninò periculi. Nam alios hostis aut prædo deprædatus est, vt ex ampliſsima & lautiſsima re nihil ferè supereſſet, alij incendio aut fulmine facultates suas amiserunt, multi eluuionibus, alij rationibus alijs, quas si recensere quis vellet, necesse esset eum prolixos commentarios scribere: sed firmiſsima possessio est vita æterna, eæq; promiſsiones quæ de illa certiſsimæ indubitatæq; extant. Hîc nec prædo, nec furi, mò ne mors quidem ipsa, partem sibi vendicare possunt.

Ideo Christus dulcissimus seruator noster nos hortatur, vt colligamus thesauros in cœlis, vbi erugo & tinea non corrumpit, & vbi fures non perfodiunt. Hebræi vestes S. Stephano detrahunt, vitam adimunt, sed consolationem, quam ex sacro Euangelio habebat, auferre non potuerunt, nam animam suam optimum thesaurum apud DOMINVM deponit.

6, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi pro iustis iudicijs tuis.*

In Hebræo quod nos vertimus surgebam, scriptum est surgam, notum enim est, qua libertate Hebræi vtantur, in temporum modorumq; permutatione. Et pro iustis iudicijs Hebræus legit iudicia iusticiæ tuæ, sed Latini vtuntur adiectiuo, & substantiuo. Hæc, vt videmus, amplificatio sumpta est à tempore. Me (inquit) tuum verbum ita reficit & recreat, vt media etiã nocte ad prædicandam tuam benignitatem, & iusta iudicia tua, qui omnia gubernas, & administras irreprehensibiliter, surgam, ne vllum tempus sit, quo non in celebratione verbi, & nominis tui elaborem.

Non præscribuntur hoc loco superstitiosæ Monachorum ἀγρύπνιαι, quas cum opinione satisfactionis, & meriti susceperunt, & se ipsos macerarunt. Nam suis vigilijs adscribere, quod tribuendum est soli merito Christi, coniunctum est cum summa blasphemia. Sed describitur ardens studium, & meditatio diligens rerum sacrarum, quæ sæpè etiam somnũ excludit. Nam vt auari noctu de lucro cogitant, & impij putant noctem, & tenebras esse adhibendas in consilium, vt seruire

uire ſuis flagitijs poſsint, ita pñ experrecti incipiunt cogitare, de magnitudine beneficiorũ DOMINI, quæ in nos miſeros & indignos contulit, cum ex mera gratia nos peccatores in filios adoptarit, lætantur ſolitudinem & ſilentium noctis ſibi dari, ad effundendas preces coram DOMINO. Solent enim exemplo magiſtri ſui, in ſerijs iſtis commentationibus ſuis, ſoliſtudinem & receſſum quærere. Quemadmodum econtra Hypocritæ (vt Chriſtus inquit) in plateis ſtant, & orant, vt ſint cõſpicui hominibus. Tantus autem ardor fuit in ea Eccleſia quę ſub Apoſtolis, et poſtea etiã fuit, vt ad multam etiam noctem conciones audirent, vt teſtatur liber Actorum Apoſtolicorum cap. 20. Et idem etiam in Baſilij, & Nazianzeni libris videre eſt. Acceſsit deinde quæ optima quæq; corrumpere ſolet ſuperſtitio, vt crederent homines, ſe merito operis illius conſequi remiſsionem peccatorum, itaq; cum in natali DOMINI noctu conuenirent, ſatis putabant ſe feciſſe feſto, iſto conuentu, etiamſi nulla attentione & intelligentia Latinas cantilenas audirent. Monachis autem ſatis erat aliquot Pſalmorum decadas ſine vlla cura, & ſtudio demurmuraſſe. Quid multis opinio operis operati, omnia quæ à primis Patribus optimo animo ſuſcepta fuerunt corrupit. Sed econtra noſtrorum hominum iure optimo taxari, & reprehendi poteſt ignauia, qui ne interdiu quidem conciones audiunt, & cum interſunt, rariſsimè cum attentione audiunt, nonnulli etiam dormiunt, qui torpor arguit eos nullo modo affici verbo DOMINI, nec præditos eſſe eo ſpiritu quo Dauid, cui ad laudes DOMINI prædicandas, ne dies quidem ſufficiebat, ſed adhibebat etiã noctem.

7. *Socius*

7. *Socius ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientiũ mandata tua.*

Communitas & ſimilitudo ſtudiorum ſolet hominum animos inter ſe conciliare & deuincire. Vt ergo Propheta noſter, modis omnibus oſtenderet, ſe ſerio affici verbo Dei, dicit ſe nullorum hominum quam qui verbum Dei amplectantur ſocietate gaudere.

Vt inquit, cum ſolus ſum omnia ad gloriam nominis diuini accommodo. Sic eos mihi ſodales expeto, qui & ſtudio ſacrarum literarum delectantur, & verum DOMINI timorem ex iſs didicerunt.

Dixi ſuprà, pios interdum ſolitudinem & receſſum quærere, vt ardentius inſtituere preces, & effundere cor ſuum coram DOMINO poſsint. Sed interim non damnant congreſſus publicos, & illud præclarum ſodalitium, vbi multi credentes conueniunt, cantiones audiunt, de ſacris inter ſe conferunt, hymnis & ſacris
Col.3. concionibus DOMINI clementiam celebrant. Docete inquit Paulus, & commonete vos inuicem cantionibus, & laudibus, & cantilenis ſpiritualibus, cum gratia canentes in corde veſtro DOMINO. Eiuſmodi conuentus DOMINVS etiam requirit, quia communem cœnam inſtituit, in qua de arctiſsima coniunctione, quæ Chriſtianorum eſt inter ſe, admonemur. Et quare non ſocietatem timentium DOMINVM nobis expetendam iudicaremus, cum ſciamus nos eſſe membra vnius corporis, cuius caput eſt Chriſtus. Danda autem opera eſt, vt in congreſsibus is ordo ſeruetur, qui à Paulo præſcriptus eſt, ne cum confuſione, & perturbatione illi fiat, ſed omnia ritè & ordine ſuſcipian-

tur

tur, loquatur vnus, auſcultent cæteri: & ij præficiantur, qui dona habent & docere poſſunt. In hac ſocietate quilibet, id afferat quod ornandæ Eccleſiæ ſeruiat. Qui linguarum ſtudia perſequuti ſunt, genuinam ſcripturarum ſententiam eruant, alij ordinem & Methodum in docendo tradant, Magiſtratus conſeruet pacem, ſtudia diſcentium promoueat, patresfamiliâs recte inſtituant liberos & familiam, vt illa præclara ſocietas credentium amplificetur. At qui turbant ſocietatem illam Schiſmatis & diſſenſionibus, illi graue iudicium DOMINI ſunt ſubituri. Eijciendi etiam ſunt ex communitate fidelium ij, qui manifeſtis & notorijs ſceleribus docent, ſe non timere DOMINVM, nec obſeruare mandata eius. Priuatim etiam pij vitent conſortium impiorum. Nam videmus ſapientiſsimum qui poſt homines natos vixit Solomonem, extranearum vxorum conuictu, & conſuetudine ad defectionem & idolatriam eſſe pertractum. Et Paulus recte ſcribit corrumpere mores bonos colloquia praua. Et hominem hæreticum, poſt vnam aut alteram admonitionem fugiendum. Ecotra nos adiungamus hominibus pijs & doctis, honeſte & ſancte viuentibus, & noſtros mores ſecundum illorum vitam inſtituere conemur, vt aliquando in ſodalitio illo æterno, & cætu beatorum DOMINVM laudemus in ſecula. Hoc vult etiam Pſalmus 15. vbi hominis pij deſcriptio proponitur, in quo præcipuum indicium ſancti hominis eſſe vult, piorum admirationem, & odium impiorum. *Tit. 3.*

8. *Miſericordia tua DOMINE plena eſt terra, ſtatuta tua doce me.*

Postrema augendi ratio per comparationem. Tota terra & omnes loci tuam misericordiam prædicãt, sed maior mihi contingere nequit gratia & clementia, quam vt verbum tuum teneam, eoq; ad vitam æternam erudiar. In hac breui πδιικοπῇ videmus omnia quæ in hoc mundo præclara sunt, & magna, postponenda esse verbo DOMINI. Etsi enim DOMINVS varia exempla, & specimina suæ erga genus humanũ misericordiæ exhibuit, tamẽ nullum est maius & præstantius indicium, quam quod ex sacris literis, de Dei bonitate in Christo exhibita discimus.

OCTONARIVS NONVS. THET

Initio dicemus, quibus argumentis in hoc octonario Propheta vtatur, deinde singulos versus exponemus. Primum argumentum, est à præstantia verbi diuini, & promissionum, quæ eo potissimum cernuntur, quia non fallunt, sed experientia ipsa probantur. Alterum sumptum est, ab vtilitate verbi, quia gustum bonum & scientiam veram præbet, ad benè beatéq; viuendum. Tertium petitum est ab ea verbi præstantia, quod id ne afflictionibus quidem lædatur, sed ijs studium eius magis acuatur. Quartum à facili sumitur, DOMINVM qui bonus sit, ista non solum posse dare, sed libenter etiam daturum, quia beneficus sit. Postremo desiderium suum erga verbum, cum amplificationibus proponit, quia enim verbum omnibus rebus anteponit, exaudiendus est.

1. *Bonitatem*

1. *Bonitatem cum ſeruo tuo feciſti, DOMINE ſecundum verbum tuum.*

Argumentum eſt à præſtantia & veritate promiſſionum diuinarum, quæ ſunt expreſſæ in verbo Dei. Et habet primus iſte verſiculus hanc ſententiam. Vt tanto ſtudio ad meditationem ſacrarum literarum ferar, hæc inprimis cauſa eſt, quia clementiam quam in iſs mihi propoſuiſti, re ipſa ego ſeruus tuus expertus ſum. Quare in poſterum etiam conſolationibus & promiſsionibus illis nitar, quod ſciam indubitatas eſſe, & prius cœlum & terram perituram, quam apex vnus ex illis intercidat. Et quidem hæc de ſententia Prophetæ. Merito aũt, & amandæ, & magnifaciendæ ſunt ſacræ literæ, quarum omnes promiſsiones certiſſimæ ſunt. Legimus in iſs quid DOMINVS promiſerit Abrahæ, quæ certè videbantur impoſsibilia. Nam maximi & potentiſsimi reges occupabãt terram promiſſam, Abraham vt hoſpes in terra vagatur, multæ interim difficultates ei obiiciuntur, vxoris ſterilitas, annonæ ſumma caritas, captiuitas Lothi, Iſaaci etiam & Iacobi, nõ minus varia fortuna fuit, donec tandem populus in Ægyptum translatus aliquot ſeculis ibi, & quidem ſub duriſsima ſeruitute viueret. Sed tandem magnis miraculis veritas promiſsionum DOMINI in lucem producta, oſtendit nihil eſſe iis certius. Promiſit etiam DOMINVS ſtatim in Paradyſo Meſsiam, qui ſit ſerpenti caput contriturus. Has promiſsiones renouarunt Prophetæ. At tot interuenerunt calamitates, vt facilius, quis potuiſſet credere, populum omnino interiturum, quam Meſsiam venturum. Et quidem

dem ablato iam ab Hebræis sceptro, cum de imperio esset desperatum, en Christus venit, & toti orbi miraculis concionibusq; se manifestat. Itaq; licet interdum DOMINI promissiones ad tempus extrahantur, tamen nõ est de ijs dubitandũ, sed potius audiendus est Dauid. Expecta DOMINVM, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta DOMINVM. *Psalm.27.*

2. *Bonum gustum (aut sapientiam) & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.*

Vocabulum Thaam apud Hebræos significat proprie gustum, quo illi vtuntur pro sensu recto, & intelligentia, & est methaphora sumpta à gustatu. Etenim illo sensu quid dulce, quid amarum, quid stipticum sit, discernimus. Ita nostra intelligentia cum rectè iudicat & discernit, inter verum & falsum, inter vtile & inutile gustare dicitur, à qua phrasi ne Latini quidem abhorruerunt. Nam cum volunt dicere aliquem rei alicuius intelligentiam percepisse, aiunt hic, habet gustum rei. Et videtur Propheta per ἐπεξήγησιν seipsum esse interprætatus cum inquit. Bonum & scientiam doce quasi diceret, quid est gustus? Est scĩtia qua DOMINVS hominum animos illuminat. Quod ergo de rebus spiritualibus dextrè iudicamus, id ascribit verbo Dei, quo se erudiri cupit. In hũc modum. Neq; verò solum consolationem ex verbo tuo, & constantiã promissionum tuarum percipio, sed quia vera fide illud sum amplexus, non dubito, te DOMINVM, gustum rerum sacrarum, & intelligentiam eam largiturum, quæ mihi scripturas aperiat, de ijs rebus, quæ ad bene

bene beatéq; viuendum pertinent, & ita quidem vt assentiar, ac de paterna voluntate tua minimè dubitem.

Singulare donum est πληροφορία, ac certus assensus scripturarum, vt dijudicare possis, falsam doctrinam à vera. Nam quidam multa quidem legunt in scriptura sacra, & commentarios etiam iustos euoluunt, sed interim in perpetua hæsitatione manent, & vt quælibet opinio eis offertur, ita eam arripiũt, eandem mox repudiant, aliam sententiam sequentes. De his egregiè Apostolus scripsit, quod omni vento doctrinæ circũferantur. Etenim vt ea quę ventis suspensa exponũtur, nunc huc nunc illuc impulsa, nullo loco consistunt ita quibus spiritus DOMINI, non est largirus in iudicando constantiam, & dexteritatem, subinde noua eligunt, donec tandem omninò deficiant. Similes omninò pertuso dolio, quod humorẽ infusum trãsmittit. De his idem Apostolus Timotheo suo scribit, Semper inquit discentes, nec vnquam ad cognitionem veritatis venire valentes. Vt autem verum gustum scripturarum consequamur, primum eas ipsas sequamur, nec indulgeamus ingenio nostro: deinde oremus DOMINVM, vt nos verè discipulos suos faciat, qui quotidie in studio pietatis proficiamus.

3. *Priusquam humiliarer ego erraui, propterea eloquium tuum custodiui,*

Hebræi phrasi humiliari significãt affligi, quanquã nonnulli hoc loco vertunt, antequãloquerer, sed cum alius versus, qui mox sequitur, apertè de afflictione

loquatur, noluimus ab vſitata verſione recedere. Sed quid eſt, quod cum de verbo Dei ſermonem inſtituerit, ſtatim delabatur ad commemorationem de cruce, quomodo iſta accommodari poterunt, ad inſtitutum Prophetæ? Propheta hoc vult dicere, tantam eſſe verbi præſtantiam, vt à rebus aduerſis non modo non lædatur, ſed promoueatur, & crucem eſſe ferulam DOMINI quæ ſuos in officio contineat, vt diſcant veritatem. Ego duos verſus huius octonarij, qui eandem ſententiam continent, coniungam & includam paraphraſi. Præter eas cauſas, quas tibi ô DOMINE ſupra commemoraui, quæ me mouent, vt verbum tuum præ omnibus expetendum eſſe iudicem, hæc etiam non inter poſtremas eſt, quod multiplices illæ vtilitates verbi, nullis afflictionibus, calamitatibus, miſerijs impediuntur, aut euertuntur, ſed mea experientia didici, crucem & afflictionem, acuere ſtudium diſcendi ſacras literas, & quaſi ferulam eſſe DOMINI, qua nos ad profectũ in ſacris ſtimulet. Nam cum mihi omnia ex ſententia ſuccederent, multis in rebus ſum hallucinatus, de multis non rectè iudicaui, credebam enim eam ſecuritatem, in qua viuebam fore perpetuã. Nec rectè de ſumma ſuauitate ſacrarũ literarum poteram pronunciare, non rectè preces inſtituere. At cum in periculis & miſerijs verſarer, tum mihi adlubeſcere cœperunt ſacræ literæ, tum intellexi, quanta præſidia conſolationum in illis eſſent repoſita. Itaque bonum & vtile mihi fuit, quod afflictionibus me exercuiſti, ita enim hæ curſum meum, non impediuerunt, vt etiam ad maiorem me diligentiam, & profectum incitarint. Duo nobis hoc verſiculo proponuntur, quæ

diligenter

diligenter notanda sunt. Primum res secũdas plerunq; homines in errorem ducere, & falsam persuasionem & securitatem eis indicere, maximè impijs Dicunt enim impij non mouebor in æternum, & putant se fœdus fecisse cum morte. Et pij etiam sibi nonnunquam excidunt, quemadmodum Dauid, cum iam regnum confirmatum & pacatum haberet, & magno successu finitimos etiam populos Syros, Moabitas, Philistæos, Ammonitas subigeret, in eam persuasionem venit, vt crederet licere sibi vxorem alterius ducere, nec dubitaret etiam optimo bellatori Vriæ capitis periculum creare. Et in ea securitate tàm diu hæret, donec Nathan Propheta, & iram DOMINI, & pœnam denunciat. Deinde etiã impij non intelligunt, quid prosint consolationes Euangelicæ, quam præclarus fructus piæ præcationis. Econtra autem & quidem secundo discimus, verbum & crucem à DOMNO coniungi, vt nos magis dociles habeat discipulos. Nam quemadmodum vulgo dici solet Grammaticã in schollis triuialibus, sine ferula non disci, ita attentio in sacris literis, nulla aut sanè exigua est, quando in successu, & rerum affluentia viuimus, sed cum accesserit ferula DOMINI, tum ad preces, ad consolationes Euangelicas confugimus. Hinc sunt testimonia illa, vexatio dat intellectum. Et Ierem. cap. 31. Castigasti me DOMINE, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. Et ad Heb. 12. Omnis castigatio in præsentia non videtur esse gaudij, sed doloris, postea verò per eam exercitatis affert fructum pacificum iusticiæ. Cum autem alias de vtilitate crucis multa dicantur, nunc de reliquis dicere supersedeo. 2. *Sam.* 8.

4. *Bonus*

4. *Bonus es tu & beneficus, doce me ſtatuta tua.*

Tu DOMINE (inquit) bonus es, & bonitatem tuam tot ſpeciminibus beneficentiæ probaſti, vt nulla ſit pars orbis terrarum, quæ non de ea loquatur, *Pſalm. 19.* non eam prædicet. Cœli enarrant gloriam tuam, & opera manuum tuarum annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Cum ergo omnia ea hominibus largiaris, quibus eis ad vitæ huius caducæ commoda opus eſt, non dubito te pro tua paterna voluntate mihi largiturum id, quod ſummum eſt, & in arce fœlicitatis ponendum, verbi tui cognitionem. Hæc verſiculi huius ſententia eſt, in quo, vt ſupra ſæpè facere eſt ſolitus, oſtendit, quo doctore in ſacris optimè proficere poſsit, videlicet ſi DOMINVS ſcripturas aperuerit: Sed nunc etiam hoc addit, eum non ſolum hoc facilè, ſed libenter etiam præſtiturum, quia bonus ſit, & ſuam bonitatem cupiat hominibus innoteſcere. Magna hæc piis mentibus conſolatio eſt, quod certò ſciunt DOMINVM non defuturum. S. Sancto ſuo iis, qui ad profectum in ſacris aſpirant. Sed cum reliqua, quæ nobis proſunt, ſuppeditet, id inprimis non eſſe negaturum, quod nobis *Hiere. 31.* ad æternam felicitatem neceſſarium eſt. Hoc in Hieremia pollicetur. Iſtud eſt fœdus, quod percutiam cum domo Iſraël, poſt dies illos, dicet DOMINVS: dabo legem meam in interiora eorum, & ſuper cor eorum ſcribam eam, & ero eorum Deus, ipſiq; erunt populus meus: & non docebit vltra vnuſquiſq; proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, Cognoſcite DOMINVM, quoniam ipſi omnes cognoſcent me, à minore eorum

eorum, vſq; ad maiorem eorum. Hæc non dicuntur, in eam ſententiam, quod DOMINVS velit auferre annunciationem verbi ſui, ſed de luculenta intelligentia ſcripturarum loquitur, vbi homines etiam plebeij doctrinam, & conſolationem in corde percipiunt, quod maximè in nouo Teſtamento cernitur, vbi tanta eſt lux verbi, vt quod olim doctiſsimi quiq; vix ſunt aſſequuti, iam pueri etiã & adoleſcentes teneant. Ac Eſaias etiam cap. 54. idem teſtatur. Ponam filios tuos diſcipulos DOMINI: quod Chriſtus Ioannis 6. repetit. Eſt inquit ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à DOMINO. Sed, inquis, hoc ipſum me turbat, quod ſciã ſcripturas non poſſe vtiliter diſci, niſi DOMINO trahente ducentéq;. Nemo, inquit, Chriſtus, nouit filium niſi Pater, neq; Patrem quiſquam nouit, niſi filius, & cuicunq; filius voluerit reuelare. Non eſt volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Sed Chriſtus Luc. 11. de DOMINI bonitate & voluntate teſtatur, dicens: Si ergo vos, quum ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe? Huc 1. Tim. 2.
Paulinum illud pertinet. Hoc bonum & acceptum eſt coram Deo ſeruatore noſtro, qui cunctos homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod etiã Chriſtus luculenter docuit, nam cum diſcipuli euntes Emauntem de DOMINO loquerentur, eiuſq; deſiderio tenerẽtur, medius aſtitit & ſcripturas ipſis eſt interpretatus. Sic Philippum mittit Æthiopi interpretem ſcripturæ Prophetícæ de Chriſto. De ea ergo DOMINI bonitate nunquam dubitemus: ſed certò nobis perſuadeamus cum diſcendi deſiderio ſemper

coniunctum esse, Spiritum sanctum interpellantem pro nobis. Petentes ergo & implorantes, ea de causa auxilium diuinum, sciant in ipsa precatione testimonium luculentum esse exauditionis diuinæ.

5. *Concinnant contra me superbi mendacium, ego autem in toto corde custodiam mandata tua.*
6. *Impinguatum est, sicut adeps cor eorum: ego vero lege tua delectatus sum.*
7. *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*
8. *Melior mihi, lex oris tui, quam millia auri & argenti.*

Prædicat rursum suum desiderium & studiũ, quod habet in verbo DOMINI, Ego, inquit, verbum tuum magnifacio, & in delicijs habeo, ergo tu eius mihi es veram agnitionem largiturus. Quam autem magnificiat, id amplificationibus quibusdam proponit. Initio à ratiocinatione, quia Dauid non patitur se odijs & criminationibus, quas cogitur sufferre propter pietatem, & verbum, abstrahi à studio verbi, vt id deserat, & coniungitur huic alia amplificatio à modo, non potest moueri, vt non toto corde verbum sequatur. Accedit & tertia. Non possunt me exempla impiorum, quorum omne studium est in delicijs (quod intelligit per adipem) auocare à verbo tuo, vt eo non oblecter. Huic coniunxit, & quartam: ita non auocor delicijs, vt mihi ipsi gratuler de afflictionibus, cum sciam eas mihi prodesse, ad intelligentiam verbi & voluntatis tuæ. Postrema amplificatio est per comparationem,

ego

ego præfero verbum tuum auro & argento. Vbi etiã à numero acceſsit augmentum, præfero multis auri argentíq; millibus. Colligamus iſta paucis verbis in ſummam connectentes ſuperioribus.

Ego profecto multa habeo auocamenta, quæ me abſtrahere ab obedientia verbi conantur, quibus tamen reluctor ſedulo, & in verbo tuo acquieſco, eóq; me oblecto. Initio ſuperbi & elati Saulis aulici quotidie me criminantur & in me varia conuicia congerunt, idq; non tam ſtudio ſui regis, quàm quod me propter confeſsionem verbi tui oderunt: at quanto illi plus mihi inſultant, tanto magis intimis penetralibus cordis mei inſidet deſiderium verbi tui. Deinde maxima hominum pars hodie in magno ſtupore verſatur, nam illorum corda, delicijs, quaſi quodam abdomine ita ſunt inuoluta & circumdata, vt præter voluptates nihil ſpirent, nihil expectent, verbi autem tui omnino obliuiſcantur. Sed peruulgata ratio illa mundi nihil potuit decerpere, de oblectatione, quam capio ex verbo tuo. Potent illi, helluentur, genio dent operam, ego veram & perpetuam voluptatem habiturus ſum, in conſolatione verbi, quam ne tribulationes quidem lædere poſſunt: imò reipſa intellexi afflictiones, quibus me caſtigaſti, mirificè mihi ad illam voluntatis tuæ agnitionem profuiſſe, & auxiſſe deſideriũ verbi tui. Quid multis? ego hunc meum Theſaurum multis argenti auríq; myriadibus præfero.

Omiſsis reliquis de eo dicendum eſt, quod Propheta dicit, cor impiorum eſſe impinguatum. Latinis certè pinguedo vel prouerbio notata fuit, inde vulgo dicitur, pingui Minerua agere, & pinguem ventrem nõ

Senarius Græcus. Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

gignere ſenſus tenues: ac Cicero pro ſeſtio, pro abdomine vſus eſt, hoc eſt, vicio vētris & gutturis, vulgo gulositatē vocāt: Manebat inſaturabile abdomen, copiæ deficiebant. Ita Iob 15. capite vſus eſt, operuit faciem ſuam adipe ſuo. Recte ergo illa de delicijs intelliguntur, quibus cor impiorum, ita pingue fit, vt ad res ſacras omnino docile non ſit. Dauid alibi ſimili propemodum loquutione eſt vſus, inquiens: Cum diuitiæ affluxerint, cor nolite apponere. Nam cum animus carnalibus cupiditatibus, & vitijs occupatur, non poteſt inſtituere cogitationes ſuas ad cœleſtia. Animalis enim homo alias non niſi ea, quæ carnis ſunt ſapit: & quod ex carne eſt, caro eſt. Et docent ſacræ literæ quā parum fuerint dociles etiam Apoſtoli. At cum ad illam carnis imbecillitatem etiā accedunt voluptatum illecebræ, & illud abdomen vitiorum, tum nihil minus poteſt homo perſpicere quam veritatem in diuinis. Sed cum maxima hominum pars voluptatibus ſeſe immerſerit, & exemplo plurimum noceāt: blandæ autem iſtæ Dominæ falſa ſpe commodi, & ſuauitatis multis imponant, certè difficile eſt homini, ab ipſis animum auellere. Hîc ergo oues Chriſti vocem paſtoris audiant, eumq; tota animi contentione ſequantur. Videte, inquit, ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate. *1. Cor. 6.* Et Paulus. Ne erretis, neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorum, neq; adulteri, &c. regni Dei hæreditatem accipient. His & ſimilibus teſtimonijs, tum exemplis eorum, qui per voluptates in ſummū diſcrimen corporis, & animi ſunt prȩcipitati, auocādi ſunt animi à pinguedine, illa animorum, quæ obcæcat noſtros ſenſus, vt non poſsint inuenire veritatem,

&

& sequi salutaria consilia. Sed de his hactenus, tempus est, vt ad alium octonarium transeamus.

OCTONARIVS DECIMVS. IOD

Multa olim veteres de copia scripserunt, sed quis non miretur aureum flumen Dauidis? qui tot vtilitates verbi Dei, & quidem tam varie tractat, vt Ciceroniana eloquentia respectu eius, puerilis balbuties videatur, si cum illa conferatur. Argumenta autem varia producit, quare cupiat erudiri verbo DOMINI. Initio quia Dauid creatura est condita, ad obseruationem legis, & mandatorum diuinorũ, quod argumen ad fontes honesti referri potest. Deinde pij videbunt ista, & lætabuntur, se complementa promissionum, & verbi tui habere. Præterea in tot afflictionibus & calamitatibus, opus est mihi verbi tui consolatione: quod ad locum necessitatis reuerendũ est. Postremo si constans in verbo tuo permansero, hæ vtilitates sequentur. Hostes mei confundentur. Pij rebus istis confirmabuntur, vt palàm rursus societatem mecũ ineant. Ego vero innocenter viuam in conspectu tuo, aut vt suprà dixit, coram te ambulabo.

1. *Manus tuæ feceruut me, & formauerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua.*

Primum petitionis Argumentum. Sum ego creatura tua ô DOMINE, non ad pastum vt pecudes, nec ad volatum vt aues, nec ad solum laborem natus, sed præcipuè ad nominis tui gloriam, qua in re cum nostri

ſtri primi parentes abs te defecerint, & iam noſtri omnes conatus laborent, tu quæſo ô DOMINE hanc peruerſitatem, & malitiam naturalem verbo, & ſpiritu tuo emenda, vt ad quam initio functionem creati ſumus, eam etiam, te & autore & duce ſtrenuè proſequamur, & ego in primis qui me tuum famulum libenter agnoſco.

Vt hîc totus terrarum orbis, cœlum & ſiderum ornatus, non propter pecudes & animalia, ſed hominem in primis eſt conditus: ſic elaborandum diligenter eſt, ne cum aliæ creaturæ officium omnes faciant, nos ſoli officio defuiſſe iure accuſari poſsimus. Hæc autem vitæ in melius emendatio, à nullis noſtris conatibus proficiſcitur: quomodo enim ad laudem elaborarent ij, quorum omnia ſunt corrupta à prima origine, & cogitationes etiam ita deprauatæ, vt ſint inimicitiæ aduerſus Deum? Itaq; ad Deum confugiendum eſt, & ipſe orandus eſt, cum prima maſſa noſtra ei diſplicuerit, ipſe eam in melius reformet, quod ſanè fit, cum verbo ſuo, inſtrumento ſalutis noſtræ, per Spiritum ſanctum eò deducimur, vt nihil nobis voluntate diuina præſtantius, neq; obſequio ſuo antiquius iudicemus. Neque tamen credamus nos in hoc mundo, ad ſummam perfectionem peruenire poſſe, ſed vt bonos & morigeros filios decet, ſemper ad profectum contendere debere, ne ſimus, quod in prouerbio dicitur ἐτώσιον ἄχθος ἀρόσης.

2. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſperaui.*

Aliam

Aliam cauſam affert in medium, cur DOMINVS veram ſolidamq; verbi ſui cognitionem, largiri ei debeat, videlicet cum pij viderint Dauidem verbo Dei, tanto emolumento in tota vita vſum, exhilarentur & in fide confirmentur. Non ſolum (inquit) ad me fructus verbi tui perueniet, ſed ad alios etiam, maximè pios, qui cum viderint me, non fruſtra tibi verboq; tuo credidiſſe, nō modo robur facient, in ea fide quam habent, ſed etiam maiorem in modum exhilarabuntur.

Multiplices ſanè ſunt verbi Diuini fructus, qui etiã in hoc Pſalmo recenſentur, nam tacitis conſolationibus homines erigit, erudit, mores format, &c. Quod D. Paulus breuiter complexus eſt in Epiſtola ad Timotheum, Omnis doctrina diuinitus inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia vt integer ſit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Sed non in poſtremis ea vtilitas eſt ponenda, quæ in tota vita moribusq; piorũ cernitur, nam fides, quam etiam ipſam DOMINVS per verbum ſuum efficit in nobis, in corde latet, ſed eæ effectiones, quæ in piorum moribus vitaq; conſpicuæ ſunt, vt lucent coram hoc mundo, ſic quoque vtilitates mirabiles habent, & reficiunt recreantq; pios. Luceat, inquit Chriſtus, lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, glorificentq; Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Imò Seruator noſter, teſtatur omnes angelos lætari, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quare ergo non homines ſibi gratularentur, de piorum profectu? Sic Paulus de Corinthiorum donis gloriatur, Gratias ago Deo meo ſemper,

2. *Tim.* 3.

Matth. 5.

1. *Cor.* 1.

ſemper, pro vobis, de gratia Dei, quæ data eſt vobis per Chriſtum Ieſum, quod in omnibus ditati eſtis per ipſum, &c. Hæc è contra nos moneant, ne alijs ſua dona inuideamus, ſed nobis gratulemur, ſi quam plurimi
Num.11. ſint donis diuinis ornatiſsimi. Dolebat Ioſue, alios præter Moſen Prophetare, ſed Moſes prepoſterum hoc ſtudium reprehendit. Quid æmularis pro me, quis tribuit, vt omnis populus Prophetet, & det eis DOMINVS Spiritum ſanctum ſuum. Sic nos Deo, nõ ſolum gratias agamus, & lætemur propter dona in nos collata, ſed etiam nomine eorum, quæ in alijs conſpicimus. Nam ſumus omnes membra in Chriſto capite noſtro, videmus membra ſibi inuicem non inuidere, ſed ſingula contenta eſſe, ſuo quodlibet dono, & frui adminiculo alterius.

3. *Cognoui DOMINE, quia iuſta iudicia tua & in veritate tua humiliaſti me.*
4. *Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me, ſecundum eloquiũ tuum ſeruo tuo.*
5. *Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam, quia tua lege delectabar.*

Quam ſupra in alijs octonarijs cauſam expetiti verbi diuini attulit, eam nunc etiam proponit, ſibi opus eſſe verbo Dei, vt in afflictionibus, quas DOMINVS imponit, conſolationẽ, & recreationem habeat. Nam horum verſiculorum hæc eſt ſententia. Tu DOMINE me iuſto iudicio, & iure optimo ferulæ ſubinde ſubijcis & affligis, & noui hoc proficiſci à paterno animo, qui talem medicinam adfers carni alioquin, plus ſatis

satis exultanti. Sed quando seuerítatem castigationis ô DOMINE adhibes, oro, vt me consolatione verbi tui clementer erigas, nam in eo promittis te ad futurum, & mihi, & omnibus te inuocantibus in veritate, da vt illam misericordiam experiar & recreer, præsertim cum in verbo tuo, vna & sola sit recreatio vera.

Hoc voluit Propheta his tribus versiculis, qui non solum diligenter legendi, sed ad totam vitam nostram accommodandi sunt. Neq; enim satis est, agnoscere & deplorare varios & multiplices casus, & difficultates, quæ in hoc mundo hominibus obijciuntur, qua in re tota ferè Philosophorum natio occupata fuit, & poëtarum industria elaborauit. Nam quæ ista vtilitas est, si duntaxat intelligas, te miserum esse: verum ad agnitionem illam miseriarum humanarum hoc accedat, omnia ista non casu fieri, sed à DOMINO proficisci, ideo enim Propheta iudicia illa in DOMINVM refert, ac si diceret: Scio non cæco fortunæ impetu ista fieri, sed esse castigationes tuas. Verum ne hoc quidem satis est ad meditationem illam, nisi intelligas DOMINI iudicia (vt Propheta loquitur) iusta esse. Nam qui hãc partem non tenent, aduersus Deum murmurant, queruntur se innocentes plecti, imo vero sæpè calculum instituunt cum DOMINO, bona opera sua iactantes. Quod olim etiam populus Hebræus fecit. Quare, inquiunt, ieiunauimus & non aspexisti: humiliauimus animas nostras & nescisti? Sed ij, quibus salutares esse debent afflictiones, vt autorem castigationis nouerũt, ita etiam ingenuè fatentur illam iustam esse. Cognoui inquit Dauid, quia iusta iudicia tua, non possum accu- *Esa.58.*

sare iustitiam tuam, sed me potissimum accusare debeo, qui toties te DOMINVM, meis peccatis offendi, & iustam iram tuam prouocaui. Sic Daniel in sua precatione bis repetit verba ista: Tibi DOMINE iustitia, nobis autem confusio faciei. Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccauerunt, tibi autem DOMINO Deo nostro misericordia & propitiatio. Quid multis, tota illa precatio ingenua est confessio, Hebræos iustis DOMINI iudicijs causam seueritatis præbuisse. Hoc ergo & nos imitemur, & non solum cum Ethnicis longum Catalogum miseriarum, & calamitatum humanarum enumeremus, sed intelligamus vnde proficiscantur, & neminem quam nos ipsos accusemus. Verum ne sic quidem officio nostro satis defuncti sumus, nisi intellexerimus ex quo penu depromendę sint cōsolationes quibus recreamur in his malis, videlicet, ex verbo Dei, in quo multiplices habemus promissiones, DOMINVM non esse nos deserturum in malis, sed cum tentatione largiturum euentū, qua de re supra aliquoties dictum est. Itaq; ad ea quæ sequuntur progrediamur.

6. *Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem loquar de mandatis tuis.*
7. *Redeant ad me, timentes te, & qui nouerunt testimonia tua.*
8. *Sit cor meum immaculatum in statutis tuis, vt non confundar.*

Alia iam subijcitur vtilitas, quæ non ad Dauidem solum, sed ad vniuersam Ecclesiam reditura est, si Dauid

uid eruditus verbo DOMINI constanter in periculis fuerit versatus, & ex ijs etiam emersurus est. Nam hostes & persecutores eius confundentur, ipse vero Dauid prædicabit DOMINI beneficia in verbo expressa: Præterea qui timent DOMINVM, etiamsi calamitatibus & miserijs Dauidis fuerunt perturbati, tamen nūc animum recipient, & magna alacritate fidei ad DOMINVM accessuri sunt. Ipsi denique Dauidi hoc præstabit, vt corde immaculato, & puro versetur coram DOMINO.

Quando inquit, tu me verbo tuo ita recreaueris, vt inter omnia pericula & persecutiones, caput erigam, tum aliæ multiplices vtilitates sequentur. Superbissimi hostes mei, qui putant se victoriam in manibus habere, & me tantum non deglutiuisse, confundentur coram toto mundo, nam tu euentu ipso docebis, eos iniustam contra me oppressionem meditatos: Ego vero tuum verbum & veritatem tuarum promissionum, omni laude & prædicatione celebrabo. Sed vt ista hostes meos deficient, sic è contra pios & timentes confirmabunt, vt ad me sint accessuri. Etenim cum me nubes quasi calamitatum & miseriarum circumdaret, multorum piorum animi variè afficiebātur. Mirabantur enim quare ego, qui omni studio, cura, diligentia q; elaborassem, vt me tibi approbarem, cum tantis malis conflictarer. Et sanè creare illa res in ipsorum animis dubitationem poterat, vt à me discederent, & putarent eum, quem DOMINVS negligeret & desereret, non esse curandum, sed in tam luculenta demonstratione auxilij tui ad me redituri sunt, & prædicaturi certitudinem testimoniorum & promissionum, quæ extant

in verbo tuo. Denicq; per verbum tuum efficies in me, vt innocenter & constanter coram te ambulem, & quamuis vndicq; examina me hostium circundent, tamen non confundar aut peream.

Fortasis illa copiosius dicta videbuntur quàm tam pauci versiculi requirant. Sed si quis diligenter historias de Dauide scriptas legerit, pondera istorum verborum intellecturus est. Nunquam enim inter tot pericula, inter armatas & infestas hostium acies, ac coniunctissimorum hominum perfidiam, consolationem admittere potuisset, nisi firma fiducia, promissionibus diuinis vt certissimis & indubitatis adhæsisset. Est autem in his versiculis, quasi pictura quædam victoriarum DOMINI in hoc mundo. Nam DOMINVS & Ecclesia sua, perpetuum bellum gerunt aduersus Satanam, & sanè membra Diaboli, summis viribus omnicq; conatu assurgunt contra electos, & ea interdum est rerum facies, vt credantur impij superiores esse futuri: trepidant autem pij etiam, præsertim cum vident capita Ecclesiæ in tanto discrimine versari. Tempore Eliæ cum impius Achab summo conatu puriorem doctrinam, & in primis Eliam oppugnaret, tanta fuit trepidatio, ita omnes pij se in angulos & latibula coniecerant, vt Elias etiam eos ignoraret superesse, imo diceret se solum ex tanto Ecclesiæ naufragio reliquum. Et hodie etiam cum aduersarij maiorem in modum sæuiunt, sæpè ita videntur euanuisse pij, vt quis dubitet vbi sit Ecclesia, sed quemadmodum cum iusta acie hostes inter se congrediuntur, interdum altera pars ad fugam inclinare videtur, postea autem receptis animis & viribus, hostem terga dare cogunt, eumq;

eumq; insequuntur, tum qui abiectis & animis & armis, impedes se coniecerant, ad victricia signa se conferunt, & redeunt ad capitaneum suum. Sic DOMINVS desperatis rebus succurrit, & suos prope oppressos ex periculis educit, & in magnitudine discriminis præsens auxilium suum demonstrat, tum qui animis fuerunt parturbatis respirare incipiunt, & in fide confirmantur, DOMINI benignitatem & clementiam prædicantes. Nos vero cum res adhuc sunt secundæ, de perpetua illa DOMINI consuetudine cogitemus, quod victoriam non prius largiatur, quàm sui deuicti videantur, vt cum ipso nos vsu & experientia calamitatum exercere DOMINVS voluerit, ista meditata habeamus, & certo nobis persuadeamus, tum victoriam in manibus esse, cum de auxilijs humanis desperatum sit. Et hæc quidem de Octonario decimo dicta sufficiant.

OCTONARIVS VNDECIMVS. CAPH

Series & ordo argumentorum in hoc octonario talis est: Propositio. Summo desiderio cognoscendi verbi ardeo. Et addita est ratio, vt consolationem ex eo capiam. In reliqua parte huius προκοπῆς ostendit quare consolatione indigeat, quia in summis periculis versetur. Pericula autem sua variè amplificat. Primò quod propter ea prope contabuerit & exaruerit, vt vter in fumo. Secundo diuturnam esse illam persecutionem, ita vt videatur per omnem vitam suam duratura. Tertio conatus & astum aduersiorum summum esse, ita vt propemodum Dauidem confecerint. Ad

extremũ addit consolationem in qua petit, non solum mitigationem miseriarum, secundum DOMINI misericordiam, sed vt in posterum etiam possit observare Dei mandata, & cum emolumento in ipsius verbo versari.

1. *Concupiuit salutem tuam anima mea, & in verbum tuum speraui.*
2. *Concupiuerunt oculi mei eloquiũ tuum dicentes, quando consolaberis me.*

Duo versiculi propositionem octonarij huius habent, addita ratione. Ego maiorem in modum afficior cognitione verbi tui, hoc autem per Synonimiã proposuit, concupiuit anima mea salutem tuam. Item in verbum tuum speraui. Item oculi mei concupiuerunt eloquium tuum. Ratio autem addita est, quia per verbum sperat salutem & consolationem, nullam aliam recreationem aut mitigationem malorũ habens. Sed rectius fecerimus, si paraphrasi breuissimæ includamus.

Ea est ô DOMINE rerum mearum ratio, vt nulla spes, nulla consolatio omnino sit quam in tuo verbo, animus meus quando anxius de rerum mearum statu cogitat, nullam inuenit salutem, præter opem & auxilium tuum, oculi mei subinde sese attollunt ad te, & supplices ad thronum maiestatis tuæ sese cum tali gemitu flectunt, DOMINE quando cõsolatione tua tandem mihi aderis?

Sæpè iam dictum est, ad quem confugiant pij in periculis & summis calamitatibus. Sed hoc loco discamus,

mus, etsi differatur interdum diuinũ auxilium, tamen nec animum nec oculos auertendos esse à DOMINO, sed instandum esse precibus. Diabolus certè conatur in periculis, cum nõ statim apparet liberatio, hominũ oculos flectere, vel ad auxilia humana, vt Reges Iuda cum ab Assyrio rege premerentur, confugiunt cõtra mandatum diuinũ reclamantibus Prophetis, ad cõfæderationes & societates Ægyptiorũ. Aliorum etiam oculis idola obijcit, suadetq; vt ab ipsis auxilium petant, vt Rex Achasias cũ per cancellos grauiter fuisset delapsus, & de vita periclitaretur ad oraculũ idoli Beelzebub confugit, sed quam habuerit DOMINVM iratum, & quam nihil intemperie, imò vero impietate sua profecerit, ex historia illa notius est, quam recenseri hoc loco debeat. Sunt alij etiam multi modi, quibus perpetuus & immortalis ille hostis humani generis, homines à Deo auertit, vt fiducia diuitiarum & opum, cum homines in periculis ad suum Mammona quasi ad Deum confugiunt, & omnem in ipso spem collocatam habent, cum studijs amicorum, cum industriæ suæ, cum fauori populi, plus tribuunt quam vel Deo vel ipsius auxilio. Sed oculi intueantur solum DOMINVM, ab ipso expectent omnia, ac cogitent, quot iudicijs nos inuitarit, vt semper confugere ad ipsum debeamus. Nam quot in cœlo stellæ micant, quot animalia, quot plantæ, arbores, quot denique in terra creaturæ, quæ hominibus animi recreationem afferunt, tot quasi perspicilia sunt, per quæ inuisibilẽ Dei erga nos bonitatem perspiciamus. Quod D. Paulus in Epistola ad Romanos testatur, Siquidem (inquit) quæ sunt inuisibilia eius, ex creatione mundi dum per opera

2. Reg. 1.

Rom. 1.

pera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; eterna eius potentia ac diuinitas, &c. Ergo quod alibi Dauid dicit, sicut oculi seruorum ad DOMNOS, & oculi famularum ad dominas, sic oculi animi nostri, hoc est, fiducia, collocatur in eum, qui omnem suam clementiam verbo suo nobis est pollicitus.

3. *Quia factus sum sicut vter in fumo, statuta tua non sum oblitus.*

Iam Propheta rationem addit summi desiderij, de quo dixerat versu primo, & expectationis illius suæ anxiæ, quia in magno discrimine & periculo versetur, quod periculum in hoc Octonario varie amplificat: Nam quo maius est periculum, eo magis DOMINVS ope auxilioq;, in primis autem consolatione verbi sui succurrere debet Dauidi. Vt autem magnitudo periculi & angustiarum, in quibus Propheta versatus est conspiceretur, vsus est amplificatione per ratiocinationem, quam rursus similitudine illustrauit, cũ tantis in malis se versari inquit, vt præ dolore fere cõtabescat, & maciem suam comparat cum vtre aut carne suspensa in fumo, quæ data opera exiccantur. Quanquam autem vehementia horum verborũ nulla oratione satis explicari potest, tamen subijciamus docendi causa nostram interpretationem. O DOMINE tu me tentationibus miserijsq; & multiplicibus persequutionibus ita excoctum reddidisti, vt carbo est, aut carnes quæ in fumo torrentur, ita vt nihil fere succi in me sit. Sed hactenus cum ipse deficere viderer, non defeci à verbo tuo, me igitur propè consumptum,

ptum, porro etiam consolatione verbi tui sustenta, confirma & robora.

Hæc paucis verbis complexus est Propheta, sed proponitur nobis res admiratione dignissima, quod DOMINVS suos homines maceret, & quasi fumo arefaciat, de qua ariditate, similes quoq; loci extant in Dauide, præsertim, Psalmo 22. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis. Eadem phrasi vsus est Esa. 21. cap. Emarcuit cor meum. Sed qualis est fumus ille, quo torrentur pij? Is quo macerabatur Dauid, paupertas, persecutio, calumniæ, detrectationes, periculũ vitæ & incolumitatis, his vt testa arefactus est sanctus Propheta. Eodem fumo vsus est etiam erga reliquos pios. Sed, inquis, quis libenter seruiret ei Deo, qui tanta seueritate vtitur erga suos, vt qui seruire voluerit, cogatur tot genera calamitatum subire, vt non aliter quam carbo excoquatur, quis tale vitæ genus eligeret, in quo perpetuæ difficultates, & eæ quidem maximæ, obijciuntur? Tenendum ergo est DOMINVM ista quamuis dura ratione tractationis, suos non velle perdere, sed conseruare. Et cum iudicamur, inquit Paulus, à DOMINO corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Etenim quemadmodum matresfamiliâs, aut boni œconomi, carnes, pisces, & alia esculenta, quæ asseruare diutius nolunt, sale aspergunt, & fumo torrent: ita DOMINVS fumo tentationum suarum pios probat & exercet, sicut aurum & argentum probatur in camino. Et sanè alia etiam est ratio, propter quam rectè Dauid pios cruce examinatos, confert vtris aut carni suspensæ in fumo, nam vt fumus humiditatem, quæ putrefactionis causa esse po- 1. Cor. 11.

terat ex carnibus aufert, & per ſiccitatem carnem ſolidiorem, & minus putredini obnoxiam reddit: eodem planè modo, voluptates carnales, propter quas corruptio, & in corpore, & animo naſcitur, igne ac fumo tentationis exiccantur. Quando ergo DOMINVS te macerat vt vtrem in fumo, de œconomia ipſius cogitabis, & conſolaberis etiam te, DOMINVM iam hoc agere, vt in æternum ſecum viuas. Nam ſi tuo te ingenio permitteret, eſſes omnino cum hoc mundo periturus: etſi ergo ſal & fumus moleſtiam tibi afferant, tamen cogita de vtilitate tua, & de DOMINI conſilio, quod ſacris literis nobis propoſuit.

4. *Quot ſunt dies ſerui tui? quando facies de perſequentibus me iudicium.*

Dixi Pſaltem varijs rationibus, perſecutionis & periculi, in quo verſabatur, magnitudinem augere. Hoc verſu queritur, nimis eſſe diuturnam illam tentationem, & moleſtam dilationem auxilij diuini. Pathetiçè autem queritur, vitam ſuam breuem eſſe, quæ tota ferè iſtis calamitatibus conſumatur, ſeçq; deſiderio impetrandæ opis diuinæ propè confici. Breue inquit, vitæ eſt ſpacium, quod hominibus conceſſum eſt, mihi vero breuiſsimum, ſed erit ne mihi perpetuo cum malis iſtis conflictandum? Quando aliquando ad vltionem meorũ hoſtium exurges, quando ad tuum tribunal eos citabis? nihil ne boni, nihil ſuauitatis in tota vita mea mihi expectandum?

Hæc querela quam hoc loco Propheta habet, peruulgata eſt, nam queruntur homines, ſuam vitam & breuem

breuem esse, ac laboriosam & miseram. Et verum sane est, nam recte definiuit Iacobus dies annorum nostrorum esse paucos & malos: & Moses inquit, Dies annorum nostrorũ septuaginta anni, aut ad summum octoginta anni, è quibus quod optimum est, est labor & molestia, transitus enim celer est, & auolamus. Videntur ergo homines iure accusare DOMINVM, quod vitam alioquin breuem, tot ærumnis & calamitibus oneret, cuperent homines etiam fructum aliquem, & vsuram quantumuis breuem huius vitæ percipere. Sed non intelligunt se DOMINVM reum agere earum molestiarum, quæ à nostra improbitate proficiscuntur, nam quod vita breuis est & afflicta, peccato debetur. Prædixerat enim DOMINVS Adamo & Euæ, quocunq; die de fructu arboris interdictę comedissent, morituros: hę ergo pænæ adhuc exercent mortales. Ac singularis est DOMINI bonitas & clementia, quod vitam hominum non perpetuo affligit, sed interponit interdum breuem recreationem, ne omnino deficiamus. Sed pijs in illa, & breuitate, & miseria vitæ humanæ nihil decedit, quanquam enim inclementia mortis non minus abripiantur, quam impij, tamen satis temporis restat vt exhilarentur, municipatus enim illorũ in cœlis est, vnde & Christum DOMINVM expectant. Nec obliuione perpetua sepelientur, quæ ab aduersarijs impiè contra sanctos gesta sunt, sed dies vltimus omnia patefaciet, & pænæ de impijs exposcentur, qua de re concionatur Christus Mathei 25. *Psalm. 90.*

5. *Foderunt mihi superbi foueas, quæ non fuerunt secundum legem tuam.*

6. *Omnia mandata tua veritas, iniq; perſequuti ſunt me, adiuua me.*

7. *Propemodum conſumſiſſent me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.*

Alijs rationibus periculi magnitudinem, in quo verſatus eſt, exaggerat, dum ſummum nocendi conatum, quem adhibuerunt aduerſarij, recenſet, & ſimilitudine inſidias ipſorum depingit. Et ne videatur hoc ſuo merito pati ab aduerſarijs, teſtatur, ſe contra verbum & mandatum DOMINI, imò contra omnes æquitatis rationes, opprimi à perſequutoribus ſuis. Itaq; cum verbum DOMINI oppreſsis & iniuria affectis opem polliceatur, petit Pſaltes & conſolationem & auxilium, ſecundum verbum & promiſsiones DOMINI. Poſtremò vt vno verbo ſui periculi molem exprimat, dicit ſe propemodum conſumtum fuiſſe ab illis. Sed iſta quæ diximus rectius conſpicientur ſi ea in ſummam & quidem familiaribus & vſitatis verbis contraxerimus.

Non autem ſunt leuia pericula in quibus iam tanto tempore verſor. Nam potentiſsimi homines & ſuperbi, præterea etiam aſtutiſsimi, vndiq; mihi inſidiantur, & quod venatores in capiendis feris facere conſueuerunt, foueas fodiunt in quas incidam, idq; nulla ratione æquitatis contra me ſuſceperunt, imò contra omnia diuina humanaq; iura mihi ſunt inſidiati. Quæ periculi magnitudo etſi animum meum interdum percellit vehementius, tamen cõſolatione verbi quod vnicè expeto, & deſiderio me erigo. Nam multis modis & rationibus, tuum auxilium tuamq; opem pollicitus

citus es, ijs qui iniuſtam vim patiuntur. Qui vos tangit, (dixiſti) tangit pupillam oculi mei. Mihi vltionem & ego rependam. Hæ promiſsiones vt ſunt firmiſsimæ imo veritas ipſa, ſic me recreant & reficiunt in ſumo periculo, certè parũ abfuit me quin totum cõfeciſſent & internecioni dediſſent. Hæc de ſentẽtia Prophetæ. Sed notandum eſt, quemadmodum Diabolus mille artifex circuit, quærens quem deuoret, ita impij intenti ſunt in omnes rationes nocendi, quod per foueas intelligit Propheta Dauid, nam quod non poſſunt vi efficere, id aſtu faciunt, & vt in prouerbio dicitur, vbi non valet leonina aſſumunt vulpinam. Ore blandiuntur, cor autem ipſorũ nihil habet quàm prælium, loquuntur ex corde & corde, hoc eſt, ſubdole agunt, venenum aſpidum eſt ſub labijs eorum. Quid multis? filij huius mundi ſunt prudentiores filijs lucis. Et ſanè cum Satan in illis & per illos ſit efficax, nemo poſſet euadere ipſorum technas, niſi DOMINVS (vt pollicitus eſt in verbo ſuo, quod eſt veritas) ſuos ſeruaret ac tueretur. Eſt autem hoc familiare DOMINO, vt impios conijciat in foueam, quam fecerunt, & eo modo quo quis peccat etiam plectat. Adonibezeck mutilauit multos reges, illã crudelitatem talio & compenſatio diuina ſequuta eſt, cum ille eadem à populo Dei pateretur, quæ vltio numinis vſq; adeo euidens fuit, vt homo impius agnoſceret, ſibi paria reddita & tyrannidem punitam, eo ſeueritatis exemplo, quo ille ante vſus fuerat. Saul Dauid creare cupit capitis periculum, & poſtea ipſe miſerè perit. Achitophelis conſilium ipſi conſiliario exitiale fuit. Denicq; ſolentur ſe omnes verſiculo huius Pſalmi, omnia DOMINI man-

data, omnes promissiones veras esse, itaq; de vltione impiorum, qui miseros premunt contra iustitiam, & æquitatem, dubitare neminem debere.

8. *Secundum misericordiam tuam mirifica me, & custodiam testimonia oris tui.*

Conclusio est huius octonarij. Cum ego in tantis periculis versor, & tu verbo tuo, (quo etiam quotidie erudiri cupio) mihi pollicearis tuam operam, quæso mihi adsis potenti manu tua, & me ex his malis recrea. Ego sanè omni studio, cura & diligentia posthac in tuo verbo versabor. Cum similes alij versiculi in superioribus octonarijs expositi sint, nunc transibimus ad octonarium duodecimum.

OCTONARIVS DVODECIMVS. LAMED

Variæ multiplicesq; in hoc Psalmo commendationes verbi Dei proponuntur, sed in hoc octonario laudatur verbum à perpetuitate sua. Deinde quod vtilitas & consolatio eius, non solum in secundis, sed aduersis etiam rebus cernatur, maximè cum in persequutione aut alia animi perturbatione versamur, itaq; non solum verbum ipsum perpetuum est, sed fructus etiam perrennes seruientes omnibus temporibus habet. Postremo cum verbi stabilitatem, & perpetuitatem effectuum eius proposuisset, confert id in fine huius octonarij, cum rebus omnibus humanis, quæ quamuis perfectæ sint, tamen tandem euanescunt, Verbum autem DOMINI durare in omnem æternitatem,

tatem. Hic ergo octonarius, si summa totam rem complecti velimus, de perpetuitate verbi & effectuũ eius concionatur. Sed ista in progressu melius intelligentur, nunc ipsum Prophetam loquentem de his grauissimis rebus audiamus.

1. *In æternum verbum tuum, DOMINE, permanet in cælo.*
2. *In generationem & generationem veritas tua, fundasti terram & perstat.*
3. *Ordinatione tua perseuerant quotidie, quoniam omnia seruiunt tibi.*

Præcipua laus verbi & promissionum diuinarum est perpetuitas & cũstantia earum, additur autem coniectura à firmitate cœlestium corporum & stabilitate terræ, quæ verbo Dei creata sunt. Cum enim orbis terrarum, quamuis fundatus super aquas, loco tamen non moueatur, cur decreta Dei mutarentur? Huic accedit alia coniectura, quod non solum manet immota terra, sed ordinatio diuina in his inferioribus perpetua, nam vicissitudines dierum & noctium, veris, æstatis, autumni, hyemis, nõ mutãtur, & creaturæ omnes eum quem creator ordinem modumq; præscribit, obseruant, nam omnia seruiunt & subiecta sunt DOMINO. Cum ergo in rebus naturalibus, DOMINI ordinatio tantum valeat, quare non in ijs promissionibus quæ sunt in verbo & interno eius decreto valeret. Merito, inquit, desiderio verbi tui teneor, promissiones consolationesq; in eo propositæ, fallere non possunt, sed sunt perpetuæ. Quis enim de stabilitate verbi tui

bi tui dubitauerit cum vel cœlum hoc intuitus fuerit, quod cum in perpetua rotatione sit, tamen tot iam sæculis durat, vel terræ immobilitatem considerauerit, quæ super aquas fundata, quia immobilem esse voluisti, loco nunq̃ mouetur. Denicq̃ creaturæ omnes, eas quas præscripsisti leges obseruant, quia tibi omnes seruiunt, & obsequia sua promptissimè tibi omnium rerum DOMINO præstant. Itaq̃ prius cœlum & terra periret, quam promissiones & verbum tuum vlla ex parte labefactarentur. Etenim cum in creaturis leges à te semel præscriptæ immotæ sint, quare non id quod æterno decreto tuo consignatum & humano generi patefactum est, æternam stabilitatem haberet. Quod si ea sola expetenda sunt quæ robur & firmitatem habent, fugienda autem caduca, certe omnibus rebus verbum tuum anteponendum est.

Præclara & vtilis ratiocinatio est, qua hoc loco Propheta vsus est, vt ex stabilitate rerum creatarum, de constantia & perpetuitate mandatorum, comminationum, in primis autem promissionum diuinarum iudicare, & nos ipsos ad timorem DOMINI & certam assensionem ac fiduciam promissionum diuinarum excitare possimus. Nam cum nouerimus & quotidie audiamus ex verbo Dei seueriſsimas comminationes, quas DOMINVS interminatur mandatorum suorum transgressoribus, qui fit quod tam pauci ijs mouentur, vt de vitæ emendatione cogitent? quia de executione dubitant, imò vero credunt, vana esse terriculamenta quæ verbo Dei proponuntur, & auget illorum persuasionem, dilata in longum tempus vltio. Nam cum Deus non statim ad vindictam

prosilit,

prosilit, nec manum expedit ad flagella, putant Deum non videre, aut non curare ista, itaq; in omnem vitæ dissolutionem prolabuntur. At si cogitarent mandata DOMINI & pœnas transgressoribus decretas, tam esse firmas & immotas, quam hoc cœlum est, quam totus terrarum orbis, tum non tanta temeritate essent peccaturi, Si etiam apud animum suum perpenderent cum semel Adamo diceret DOMINVS, producat tibi terra spinas & tribulos, maledictionem istam ita certam & ratam fuisse, vt hodie etiam misera experientia nostra de eo doceamur, haud dubie aliter de vita moribusq; instituendis essent cogitaturi. Reuocare etiam in memoriam debebamus, quam ratæ fuerint omnes comminationes DOMINI, etiamsi longissimi temporis interuallum interpositum fuerit. Irrisus fuit Noha, cum totius orbis terrarum eluuionem prædixisset, & ideo maximè videbatur vanitatis posse argui, cum pœna extraheretur multos annos. Riserunt etiam Hebræi vaticinia Prophetarum, de vastatione vrbis & seruitute populi Babylonica. Sed quis non videt, omnia ista certissimum complementum habuisse. Sic olim & etiamnum hodie Epicurei irrident tacitè ea quæ de vltimo die & æternis impiorum cruciatibus ex verbo Dei prædicuntur, causam assignantes diuturnitatẽ interpositi temporis. Vbi est (inquiunt) pollicitatio aduentus eius, 2. *Pet.* 3. Siquidem ex quo die Patres obdormiuerunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Non cogitant *Ibidem.* miseri homines illum diem non aliter venturũ, quàm furem in nocte, testante Apostolo Petro. Nec meminerũt prædictionis Christi, qui ante diem vltimum *Luc.* 17.

eam dicit futuram ſecuritatem, quæ fuerit olim tempore Noha & Loth, vbi de pœnis ſecuri conuiuijs & compotationibus operam dabant. Sic multi etiam noſtro ſeculo ſecuriſsimè contemnunt ea quæ de vltimo die prædicuntur, ij ſi credunt mandatum DOMINI de ſtabilitate cœli & terræ in hunc vſq; diem firmum eſſe, cur mendacij arguere aut impotentiæ DOMINVM volunt, quod non ſit eas pœnas ſumpturus de impijs & impœnitentibus, quas non ſemel, ſed toties in verbo ſuo illis eſt minatus? Econtra quæ cauſa eſt quod tam pauci, tot promiſsionibus diuinis non afficiuntur? Ratio eſt quia non certa fiducia eas amplectuntur. Nam ſi certò eſſent perſuaſi, aliam & quidem immortalem vitam poſt hanc caducam expectandum eſſe, ſi regnum æternum, ſi fœlicitatem & gaudia nunquam deſitura expectarent, quemadmodum certa nobis promiſsio in ſacris facta eſt, ſumma exultatione illa præclara bona eſſent expectaturi, ſed quia vel fidem verbo non habent, vel dubitant, omnibus promiſsionibus iſtis parum afficiuntur. At ſi crederent promiſsiones iſtas eſſe firmiores cœlo & terra, quomodo admittere dubitationem vllam poſſent? Eſaias cap. 40 dicit, exiccatum eſt fœnum, cadit flos, verbũ autem DOMINI manet in æternum: Chriſtus etiam dulciſsimus ſeruator noſter. Matth. 25. confirmat verbum ſuum cœlo & terra firmius eſſe. Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt. Nos cum aſſeuerare aliquid volumus, dicimus tam certum & firmum eſſe, quam hoc cœlum ſit, ſed promiſsiones DOMINI de remiſsione peccatorum, de vita æterna, cœlo terraq; ſunt firmiores, nam cœlum peribit vt

Pſalm.

Psalm.102. dicitur, & omnes sicut opertorium mutabuntur: sed ne apex quidem de verbo DOMINI intercidet. Credis cœlum verbo vno à DOMINO conditum, tot iam seculis durare, promissiones Euangelicæ tibi factæ, ab eodem DOMINO proficiscuntur: qui asseuerat eas esse firmiores cœlo & terra, quare ergo ei, qui quotidie suæ potentiæ in cœlo terraq; summam maiestatem & imperij firmitatem demonstrat vis fidē derogare? Homini fide digno promittenti tibi centū florenos credis, sed si chirographū etiā dederit & cautionem, ita non dubitas vt aliquot annos solutionem certò expectes. Quam fiduciam cum in hominis promissione (qui fallere potest) & literis, quæ & ipsæ amitti possunt, aut promissa in illis non seruari, posità habeas, cur de DOMINI verbo, pmissionibusq; dubitabis, qui fallere non potest, cum sit ipsa veritas, qui non vult decipere quia Pater est, cuius promissa nemo impedire potest, quia omnium est DOMINVS, qui hac præclara mundi fabrica docet, verbum suum & mandatum efficax esse, & omnes creaturas ad obedientiam adigi, qui deniq; multis promissionibus suis iuramentū etiam addit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed volo vt conuertatur & viuat. Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiit à morte in vitam. Et multi similes loci sunt. Nisi ergo velis mendacij summi arguere DOMINVM, certa fide amplectenda tibi ista promissio est. His paucis volui demonstrare quam ex hoc Prophetæ loco vtilitatem & consolationem capere possimus, & animos nostros confirmare, ne de pro-

missionibus diuinis dubitent.

4. *Nisi lex tua delectatio mea, tunc perijssem in afflictione.*
5. *In æternum non obliuiscar statutorum tuorum, quia in ipsis viuificasti me.*
6. *Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam mandata tua exquisiui.*
7. *Me expectarunt impij vt perderent me, testimonia autem tua considerabo.*

Laudauit verbum à perpetuitate sua, iam secundo commendat à perpetuis effectionibus & vtilitatibus quas habet, non enim solum in secundis sed potissimum in aduersis rebus hominibus prodest, eos solatur, erigit, seruat. Primum autem in genere dicit se in omnibus afflictionibus, consolationem ex verbo DOMINI petijsse. Deinde vero in specie affirmat, se in persecutione eo plurimū fuisse adiutum, Vt (inquit) veritas verbi tui perpetua est, ita nunquam suis suauissimis fructibus destituitur, neq; enim solum secundas res comitatur, sed in aduersis etiam nos oblectat, solatur, & erigit: de quo experientia propria fui edoctus, nam in multiplicibus miserijs & calamitatibus meis, omnino defecissem, nisi consolatione verbi tui me sustentassem, & quasi caput ex medijs fluctibus & tempestatibus malorum extulissem. Itaq; nunquam obliuiscar verbi tui, quia mihi nunquam deest, nunquam non me recreat & reficit. Nec dubito quin me in posterum etiam sis eadem ratione consolaturus in maximis perturbationibus meis, quia & tuus sum totus & magno studio verbum tuum inquiro, quo vt dixi fœliciſsimè

liciſsimè ſemper ſum vſus, præcipuè autem in eo periculo quod ſummum mihi ab hoſtibus meis immisnebat, nam cum illi mihi periculum capitis creare conarentur, ad conſolationes illas tuas confugiebam, eas animo tacitisq; cogitationibus circumferebam non dubitans te adfuturum mihi, quem tam clementer in verbo tuo compellares ac iuberes vt filium omnia beneficia indulgentiſsimi patris abs te expectare. Hæc omnia paucis verbis complexus eſt Propheta vt doceret, nullius hominis tantam eſſe animi magnitudinem qui in turba calamitatum deſperare non cogatur, niſi verbo DOMINI fulciatur. Præ ſe tulerũt quidam Ethnici, ſimulachrum conſtantiæ & infracti in periculis animi, ſed fuerunt omnia fucata, nam aut gloriæ cauſa dolorem & triſtitiam diſsimulabant, aut temerario impetu & ira in hoſtẽ ferebantur, aut auaritia, ambitione & regnandi cupiditate trahebantur: alij vt Cato Vticenſis cum maximè fortes videri vellent, & ſibi mortem conſciſcerent, impatientiæ & imbecillis animi, qui res aduerſas ferre non poſſet inditia dedere. Alij furore Satanico abripiebantur, ſicut poſtea temporibus D. Auguſtini Circumcelliones ſeipſos confi-
ciebant, de quorum veſania idem author ſcribit: Non eſſe hoc conſilium ſed furorem, non ſapientiam ſed amentiam. Certè Dauid ſummus heros nunquam dixiſſet ſibi inter pericula deſperandum fuiſſe, ſed omnem conſolationem ſe petiuiſſe ex verbo, ſi talis animi conſtantia à noſtris viribus aut conatibus proficiſceretur. Natura enim interitus & mors homines terret, itaq; qui præter mortem nihil videt, cum exuere naturam non poſsit, quomodo non vehementer per-

Con. Secun. Epiſt. Can. cap. 22.

turbabitur, nisi consolationem aliam videat, DOMINVM adesse suis & posse etiam post mortem vitam largiri, & eam quidem æternam. Itaq; ne in desperationem à Diabolo præcipitemur, ad pharmacopolium illud omnis consolationis veniamus, imò ad eum qui firmam solidamq; consolationem afferre potest.

8. *Omni perfectioni vidi finem, latum præceptum tuum valdè.*

Concludit locum de verbi diuini perennitate, & effectibus eius semper durantibus, amplificatione per comparationem. Nullam (inquit) vnquam rem quæ hominum conatu, consilioq; suscepta fuit, tam perfectam absolutamq; vidi quæ non tandem deficeret & finem suum haberet, sed tuum verbum res est spaciosissima & longissima, quæ suis effectibus se extendit in aliam etiam & futuram vitam. Præclarè illa à nostro Propheta dicta sunt, & tota etiam historia mundi comprobantur. Quid optarunt Monarchæ illi qui totum orbem subegerunt, quam vt imperium suum perpetuũ esset, ac legislatores Solon & Lycurgus hoc agebant, vt suas Respublicas legibus & institutis ita munirent, vt essent sempiternæ. Imperium sanè Romanum quemadmodum aduersus omnem vim hostilem armis, ita legibus contra interitum munitum videbatur, sed videmus verè sapientem illum dixisse: Omnia quæ in hoc mundo sunt esse vanitatem vanitatum, nam florentissimæ illæ respublicæ & regna (vt videbatur) inuicta, dissipata sunt. Romanum vix extremis pedum digitulis, & illis quidem fictilibus,

ctilibus, (quod à Daniele prædictum est) subsistit. Quid multis hoc amplissimum cœlum & terra suum sunt habitura finem, vna res est, quæ se extendit vltra huncmundum & semper duratura est, verbum DOMINI, nam cum cœli in morem procellæ transibunt & Elementa æstuantia soluentur, tum demum verbum Dei, verum complementum est habiturum, tum ea quæ iam speculo videmus in ænigmatẽ, videbimus facie ad faciem. Tanta est verbi Dei amplitudo, cui nullæ aliæ res humanæ æquari possunt.

OCTONARIVS TERTIVS ET DECIMVS. MEM

Hic Octonarius grauissimam doctrinam habet, de verissimis laudibus sacræ scripturæ, quod doceat veram sapientiam & prudentiam, quæ omni humanæ sapientiæ anteponenda sit. Eam autem positam dicit in vero Dei cultu, in fuga vitiorum & odio mendacij seu Sophistices: illam etiã sapientiam tam suauem & iucundam esse dicit, vt mellis dulcedinem facile vincere posse videatur.

MEM.

1. *Quam diligo legem tuam, omni die est meditatio mea.*

Non potest satis ardentem amorem (quem erga verbum DOMINI habet) prædicare, quo ita accensus est, vt omnibus diebus aut quotidie in eo cognoscẽdo versetur. O DOMINE dici non potest, quam incredibiles amores sui, verbum tuum in me excitet

facit

facit, vt nullum non tempus meditationi eius tribuendum iudicem, estq; hic versiculus propositionis loco positus, ego magnifacio tuum verbum & diligo illud.

2. *Præ inimicis meis sapientem effeciſti me præceptis tuis, quia in ſeculum mihi.*
3. *Præ omnibus docentibus me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea ſunt.*
4. *Præ ſenibus intellexi, quia præcepta tua cuſtodio.*

Ratio propsitioni addita siue argumentum. Dauid ad verbi diuini cognitionem omni conatu fertur, quia veram prudentiã siue sapientiã conciliat. Quam eius ὑπέρβολαν amplificauit per comparationem, cum se reliquis hominibus dicit sapientiorem factum. Sed vt illa maius pondus habeant, sparsit negocium in personas, dicens, se hostibus, doctoribus suis tum etiam senibus factum prudentiorem & intelligentiorem. Nam cum ijs hominibus prudentia antecelluerit, qui plurimum ea posse existimantur, facile intelligi potest, quantum Propheta in sacris literis ad veram sapientiam profecerit. Nam si quis nostro more, explicare versus istos Propheticos vellet, hanc habituri essent sententiam. Non autem sine causa tantum tribuo sacris literis, nam illæ veram sapientiam & prudentiã hominibus præstant. Certè cum hostes mei astutissime contra me consilia agitarent, & nihil non molirentur in meum exitium, tamen beneficio verbi diuini emersi, & consilia omnia & astus ipsorum effugi, sequebar enim ducem DOMINVM, qui quod facto opus esset

esset in verbo suo monstrabat & vbi omnia erant inuia viam inuenit: Ipsi ècontra cum putarent se omnia quam optime meditata habere, intellexerunt sua consilia non modo nihil emolumenti, sed incõmodi plurimum attulisse. Vici etiam intelligentia eos qui doctrinas hominum & superstitiones sequuti, se omniũ hominum Doctores & Magistros credebant, cum te Magistrum in verbo tuo sequerer. Et multa sanè senes mihi obijciebant & putabant se consilium mihi salutare suppeditaturos ex ea quæ videtur rerum esse magistra, experientia, sed reipsa comperi mihi multo, ad mea maxima commoda feliciora fuisse mandata expressa in verbo tuo. Cum ergo sacra scriptura dux sit ad veram sapientiam & intelligentiam, iure ego eam omnibus rebus antefero & peto, vt tu in me per Spiritum sanctum tuum quotidie maiores progressus crees. Quid audio, inquis? quare suam prudentiam ad eum modum prædicat Psaltes, cum omnis iactantia præsertim sapientiæ & prudentiæ cum vitio coniuncta videatur: vnde ij, qui olim sapientiæ nomine celebres fuerunt, non sapientes, sed φιλοσόφους, hoc est, sapientiæ amatores aut admiratores appellari se voluerunt. Et Solomon in Prouerbijs monet, ne simus sapientes apud nos metipsos. Syracides cap. 22. Vbi auditus non est, nõ effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua. Doctorum autem & inprimis senum sapientia & experientia nequaquam negligenda est. Nam cano capiti assurgendum est, itaq; eius oratio initio audienda est. Syrach cap. 8. Ne despicias narrationem presbyterorum, sapientũ & in prouerbijs eorum conuersare, ab ipsis enim disces sapien- *Pro. 3.* *Leui. 19.*

tiam & doctrinam intellectus. Et idem præcipit iuuenibus, vt loquentibus senibus ipsi taceāt. Vbi (inquit)
Syr.23. sunt senes non multum loquaris: cum enim huic ætati reliqua desint, certe propter experientiam & pru-
Cap.25. dentiam honore digna est. Corona, inquit, senum multa peritia, & gloria illorū timor Dei. Et ibidem quam speciosum canicíei iudicium & presbyteris cognoscere consilium. Quæ cum ita sint, quare Dauid se præferre illis audet, & doctorum eruditionem, senum autem experientiam spernere? Loquitur hoc loco Dauid de doctrina & experientia ea, quæ non est coniuncta cum pietate, ea certè in conspectu Dei est summa stultitia. Carnalis enim homo non intelligit ea quæ
Lib. de doct. Chri. cap.39. Dei sunt. Inde D. Augustinus eum qui multa didicit, sed nō refert ea ad gloriam Dei, doctum quidem vult dici, sed nullo modo sapientem. Nam qui non recipit illam cœlestem sapientiam, aut cum ea pugnat is certè vt impius, sic stultus etiam est. Initio enim qui doctos se arbitrantur & docent doctrinas hominum, illi seipsos fallunt, & stulti coram DOMINO habentur. Soli autem ij qui ex sacris discunt sunt sapientes, & confundunt etiam eos, qui in opinione sapientiæ & doctrinæ sunt, vt Stephanus confundit aduersarios suos. Senilis experientia laudabilis est, sed ea, quæ non effert se vltra verbum Dei. Nam qui vel antiquitatem iactant vel experientiam, vel hominum authoritatem, neglecto verbo, isti verè stulti sunt, quia à sapientia Dei & eius verbo discedunt: ij vero qui in omnibus verbum sequuntur aberrare non possunt. Isti etiam
Sap.4. quamuis sint iuuenes, tamen veram senectutem sunt assequuti. Senectus enim venerabilis est, non diutur-

na,

na, neq; annorũ numero computata: cani autem sunt sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata. Præterea sapientia & doctrina illa cœlestis docet, quomodo nocentissimos hostes nostros effugere possimus. Nam cum Dauid hostili manu vndiq; cinctus esset, & tamen inuocaret DOMINVM euasit pericula, DOMINO dante consilium. Sic Athanasius præsens periculum hostium effugit. Sed pessimum etiam hostem Diabolum & astus eius possumus declinare, si verbũ DOMINI sequamur. Maximè autem mendacium vitare poterimus, de quo in vltimo versiculo Psaltes loquitur. Ex mandatis tuis prudentior fio, propterea odi omnem viam mendacem. Econtra autem tota Philosophorum natio, Hebræi & iactatores suorum operum de sapientia gloriantur, sed in quam fœdos & horrendos errores & amentiam summam inciderint, notius est, quam vt commemorari copiosius debeat. Rectè certè de ijs dici potest, cum crederent se sapientes esse, stulti facti sunt.

5. *Ab omni semita mala prohibui pedes meos, vt custodiam verbum tuum.*
6. *A iudicijs tuis non declinaui, tu enim docuisti me.*
7. *Quam dulcia sunt palato meo eloquia tua, præ melle ori meo.*
8. *Ex præceptis tuis intelligentiam consequor, propterea odi omnem semitam mendacij.*

Hæc adduntur vt sint interpretatio & amplificatio superiorum, nam cum sapientibus, doctis, senibus

se præferat, potuit nimis ambitiose sua iactare, iam ergo ostendit, qualem sapientiam ex verbo Dei collegerit, eam videlicet quæ vitam innocentem reddit, deinde quæ veram pietatem docet ne declinemus à voluntate & mandatis DOMINI. Præterea talis est sapientia, quæ non modo ostendit & arguit, fallacias, mendacia & falsas doctrinas hominum, sed etiam odium omnis falsitatis homini instillat. Postremo doctrina illa sapientiæ non obscura inuoluta & tetrica, quales sunt σοφαὶ sophistarum quæ magno fastidio audiuntur, sed plana, dulcis & iucunda, suauior melle. Elaborent alij, vt prolixis laudibus ornent studia sacrarum literarum, noster Propheta singula capita laudationis, singulis versiculis, tam perspicuè & luculenter persequutus est, vt nihil ad præclarissimas verbi laudes amplius accedere posse videatur. Nam cum dicit, Tu docuisti me: amplissimo encomio effert sacras literas, quæ non sunt hominum commenta, aut etiam cogitationes profectę ab exquisita doctrina, de quibus tamen dubitare possemus. (Nihil enim in rebus humanis tam perfectum & limatum est, quod non possit fallere) sed sunt doctrina cœlestis, certa, firma, stabilis, diuinitus inspirata, nam spiritus Christi per Prophetas & Apostolos loquutus est. Et hæc quidem doctrina ab hominibus docetur sed in corde nostro, DOMINI spiritu accenditur, ideo Propheta, inquit, Tu docuisti me. Deinde aliæ artes tradunt, quæ ad aliquam partem vitæ humanæ cõducere videntur. Sed sacræ literæ nos docent iudicia DOMINI, & ea omnia quæ pertinẽt ad veram pietatem. Nam non nisi ex verbo Dei erudiri possumus de Dei

2. *Tim.* 3.
1. *Pet.* 1.

voluntate

voluntate erga nos, de verò Dei cultu, inuocatione, gratiarum actione & similibus. Quo in genere omnes homines qui pietati absq; verbo studere voluerunt, toto (vt dicitur) cœlo aberrarunt. Quorum etiam omnem conatum Christus vno verbo euertit, dicens, frustra me colunt docentes mandata hominum. Adhæc multa Philosophorum de vita moribusq; rectè instituendis præcepta extant, sed solæ sacræ literæ perfectam morum rationem ostendunt, docent etiam impuras cogitationes inter peccata numerandas esse, de ocioso verbo reddendam rationem, denicq;, quòd hic Propheta paucis verbis annotauit, tradunt quomodo pedes prohibendi sint ab omni via mala. Habent quidem Philosophi multa pręclarè dicta, sed dubium non est, illa à Patribus ad Ethnicos peruenisse eosq; fuisse illarum gemmarum iniustos possessores. Certè nemo dubitat Platonem ex Ægyptiorum doctrina multa hausisse, nam certum est, inde vsq; à Ioseph Patriarchæ temporibus, semina quædam & vestigia doctrinæ purioris remansisse. Præterea Philosophia commendatur ab inquisitione veritatis & odio sophistices. Nam qui doctrina excelluerunt Philosophi, hoc sibi propositum esse dicebant, vt veritatem veluti in profundo puteo latentem eruerent, ostensa falsitate, qua homines inuoluerentur. Sed hanc laudem sibi Theologia vendicat, quæ non solum, quid verum falsumue sit ostendit, verum tantum amorem veritatis & è contra tantum odium falsæ doctrinæ hominibus inspirare solet, vt non modo magno animo pro veritate dimicandum, sed vitam etiam & incolumitatem pro ea negligendam iudicent. Ad extremũ pleni sunt

omnes doctorũ libri quanta oblectatio ex ſtudio Philoſophico ad ſuos cultores redeat, ſed ea demum eſt vera perfectáq; ſuauitas, quæ ex fonte ſacrarum literarum petitur. Quid enim iucundius eſt quam diſcere Deum nobis placatum eſſe per Chriſtum, nos in filios adoptatos eſſe, expectare hæreditatem æternam, coronam gloriæ nunquam marceſcentem. Quam triſtis & moleſta omnis doctrina Philoſophica fuit, quæ multa quidem præſcribebat, ſed interim tamen non docebat quomodo imperfectioni noſtræ mederi poſſemus. Pollicebatur medicationem animorum, & veram in tota vita æquabilitatem, ſed interim relinquebat vulnera conſcientiæ, trepidationem & vermem illum nunquam moriturum. Sed his malis omnibus ſacræ literæ & medicum & medicinam monſtrant, DOMINVM & ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui *Matth.11.* omnes ad ſe vocat, recreationem in animi perturbatione & iugum cõmodum, requiem etiam animabus noſtris promittens. Hanc ſcripturarum veriſimam commendationem, toto pectore amplectamur & ardenti ſtudio in ijs toto vitæ noſtræ decurſu verſemur.

OCTONARIVS QVARTVS ET DECIMVS. NVN

Quæ cauſæ fuerint toties expetitæ accuratioris verbi diuini indagationis recenſet. Quia ea doctrina magiſtra vitæ ſit. Quod ſe iuramento ad eam aſtrinxerit. Præterea quia in animi perturbatione conſolationem attulerit. Quod ita neceſſaria vt ne in ſecundis quidem rebus gratias DOMINO agere poſsimus quæ ipſi

ipsi probentur, nisi rationem ex ea didicerimus. Postremo desiderij studijq; sui in ea perdiscenda & retinenda præclara indicia ostendit.

1. *Lucerna pedi meo verbum tuum & lumen semitæ meæ.*

Commendatur verbum Dei quod sit Dux vitæ, maximè autem in ijs rebus quæ pertinent ad cultum Dei: vsus autem est similitudine lucernæ, quam D. Petrus interpretatur in priore Epistola Cap. 1. Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro, rectè facitis donec dies illucescat & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Vsus est Dauid altera etiam similitudine, dum vitam comparat semitæ aut viæ, id quod Hebræis familiare est. Quemadmodum, inquit, ijs qui in tenebris versantur, opus est lucerna aut face, quam dum sequuntur non impingunt, neq; à recta via aberrant: ita verbum tuum dum in huius mundi caligine versor, veluti candelam aut facem præeuntem sequor, certus me in hoc vitæ meæ curriculo, neq; in moribus, neq; in cultu qui tibi probetur aberraturum, quam diu tu mihi verbo tuo præluxeris. Non ornant Prophetæ res falsis titulis, sed eos tribuunt, quibus natura earum optimè exprimitur. Sic verbi diuini ratio similitudine lucernæ optimè explicatur. Lucerna vtimur cum in tenebris nobis ambulandum est, sic verbum DOMINI in tenebris huius mundi viam nobis monstrat ad æternam salutem. Quod vt rectius intelligatur partibus illustrandum est. Nam initio ingentes tenebræ sunt in hoc mundo

quod

quod vitia ſæpe pro virtutibus arripimus. Deinde ſapientiſsimi quíq; non intelligunt concupiſcentiam eſſe peccatum: Concupiſcentiam (inquit Paulus) non nouiſſem, niſi lex dixiſſet non concupiſces. De tota autem morum ratione nos docent Sacræ literæ, in ea parte quæ lex vocatur, vbi demonſtratur, quæ ſint noſtræ corruptionis initia qui progreſſus neq; enim ſolum actiones noſtræ ſed cogitationes & cor noſtrum accuſantur. Deinde magna eſt humanarum mentium caligo, quod de Deo eiuſq; maieſtate non rectè iudicant, alíj corporeum Deum fingunt, alíj diffuſum, Ethnici innumerabiles Deos & vt ſcite à Nazianzeno dictũ eſt δημον θεῶν hoc eſt totam cateruã & quaſi populum Deorum faciunt. Sed in his prælucet nobis verbum DOMINI de οὐσία, tantum docens quantum nobis ad ſalutem opus eſt. Porro cnm de voluntate Dei erga nos quæſtio eſt, alíj ocioſum Deum vt Epicurus, alíj vitiorum etiam procuratorem vt poëtæ, alíj nimis ſeuerum & inexorabilem vt hypocritæ tradunt & homines ſpe metuq; ſuſpenſos tenent. Sed his erroribus hominum, præclare medetur ſcriptura, cum monſtrat nobis luciferum Ieſum Chriſtum, qui voluntatem patris noſtri cœleſtis nobis totam reuelauit. Præterea dum homines de cultu Dei, & íjs quibus placari ipſe poſsit cogitant, cumulant ſua commenta & traditiones humanas, ſed fax illa veritatis verbi diuini commentitios illos cultus damnat, & docet fide opus eſſe, ſi ad DOMINVM accedendum ſit. Poſtremo de vera inuocatione, de ſpe de vita æterna mens humana nõ rectè iudicat, verbum autem DOMINI in his omnibus, viam rationem & modum monſtrat,

Rom.7.

monſtrat, iure itaq; lucernæ comparatur. At vero in illa vita beata vbi ſol noſter Ieſus Chriſtus totus exorietur, non amplius opus erit lucerna, ſed clariſsima in luce omnia videbimus, nõ cernemus per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem.

2. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ eius.*

Propheta his verbis teſtatur ſe iuramento obſtrictum ad obſeruationem mandatorum & verbi diuini itaq; eam doctrinam ſine nefario ſcelere prętermittere ſe non poſſe. Ego (inquit) intellígo me, nõ ſolum omni ingenij contentione in tuo verbo (quod veras iuſtitiæ rationes docet) elaborare debere, ſed etiã ei ita eſſe aſtrictum, vt non poſsim ab eo diſcedere, niſi iuramenti & ſummæ religionis qua deuinctus tibi ſum obliuiſci velim. Sed quodnam hoc votum eſt, quale iuramentum? Num tale quale Hypocritæ religionis cauſa dare ſolent? At ſæpe iam dictum eſt eiuſmodi vota & iuramenta Deo non probari, quod nullo modo ſacrarum literarum fundamentis nitantur. Sed iuramentum illud incipit quam primum in hanc lucem procreamur, cum enim creaturas nos & ſeruos DOMINI profiteamur, certè ad obedientiam ipſius ſumma religione & quidem tacite obſtricti ſumus. Accedunt deinde etiam ſigna fœderis & iuramenti, olim quidem circumciſionis, nunc autem Baptiſmi per quem DOMINO initiamur. Quod autem fœdus arctius eſſe poteſt, quam quod ipſe creator cum homine init? & cuius iuramenti religio maior, quam ea, vbi DOMINO & patri cœleſti nos obſtringimus? Ibi e-

nim Diabolo & vitijs omnibus renunciamus, ibi nos DOMINO in perpetuam seruitutem & obedientiam addicimus. Quid multis, nos totos quanti quanti sumus Deo tradimus. Cum autem tota voluntatis diuinæ ratio in eius verbo expressa sit, certum est, nos ad obseruationem eorum, quæ DOMINI verbo nobis proponuntur alligatos & astrictos esse, nec sine maxima reprehensione ab eo posse discedere. Hæc si diligentius considerarentur à nostris hominibus, non tanta negligentia conciones essent audituri, imò vero non foret tantus verbi contemptus, qualis certè nunc multis locis conspicitur. Quæ resupina negligentia efficit, vt verbum multis sit odor mortis ad mortem, & quod paratum est instrumentum, consequendæ vitæ sit illis in interitum: cogitemus nos summo iuramento DOMINO deuinctos & iusiurandi nostri capita expressa in verbo DOMINI. Quod si fœdum & turpe est in republica à pactis & conuentis discedere, quanto turpius erit, palam profiteri non velle seruare quod te facturum DOMINO receperis.

3. *Humiliatus sum valdè DOMINE viuifica me secundum verbum tuum.*

Verbum, inquit, tuum vnicum solatium est in summis varijsq; perturbationibus meis. Quare peto vt quod hactenus feciſti, me eo posthac etiam soleris, recrees, & quasi ex tenebris in lucem, è morte in vitam traducas. Cum supra aliquoties dictum sit, quomodo verbum DOMINI sit animorum medicina, solatium in aduersis, recreatio in ærumnis, vt in ipsa etiã mor-

te, non

te, non est quod ista hoc loco repetantur.

4. *Spontanea sacrificia oris mei beneplacita fac DOMINE & iudicia tua doce me.*

Per spontanea sacrificia non externa, qualia in sacro olim offerebantur, sed vt ipse interpretatur, oris, hoc est, laudationis intelligit, petens vt per verbū efficiat & doceat, quô illa sacrificia gratia sint & accepta: Intelligo (inquit) non solum in aduersis rebus mihi multiplices vtilitates adferre verbum tuum, sed etiam cum tuo beneficio liberatus sum, non posse me gratiarum actionem, vitulos illos labiorum, tibi recte & vt decet offerre, nisi tu me verbo tuo docueris, quomodo illa instituenda sit, vt tibi probetur, quare vt in aduersis tuo verbo ad preces recte formandas, ita ad laudem & gratiarum actionem erudior. Eodem vt me accendas maiorem in modum oro.

Magnus Propheta egregiè docet quam nihil nos possimus absq; auxilio Dei & verbo ipsius quid enim nobis facilius videtur quam gratias agere. Sed quemadmodum preces recte instituere non possumus, nisi nos iuuet DOMINI spiritus, & quomodo preces formandæ sint ex verbo DOMINI didicerimus, ita nec gratiarum actio Deo probabitur nisi secundum verbū DOMINI eam proposuerimus. Gratias agit Pharisæus Luc. 18. sed non placuit ea gratiarum actio, quia non erat conformis voluntati & verbo diuino, nam dum pro donis suis gratias agit Deo, obliuiscitur proximi sui, itaq; conuertitur ei illa gratiarum actio in peccatum. Sic DOMINO omnia quæ faciunt Turcæ

Iudæi ad gloriam DOMINI. (Nam quotidie laudant DOMINVM & habẽt etiam ſuos cultus, preces, hymnos) quia vero non didicerunt ex ſacris gratias agere vero Deo, Patri DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, iſta omnia ſunt abominatio coram Deo. Nam qui nõ honorat filium, is etiam non honorat patrem. Cũ ergo Turcæ & Iudæi non agnoſcant Chriſtum, vt Dei filiũ, nec patrem honorant, nec Deo ſuã gratitudinem approbant. Et quæ eſt ea gratiarum actio, communia quædam DOMINI beneficia agnoſcere & id quod præcipuum eſt non velle celebrare nec gratias agere? Quomodo autem probari poteſt Deo eius hominis laudatio & celebratio, qui quotidie DOMINVM blaſphemia afficit? blaſphemi autem ſunt omnes, negantes filium Miſſum eſſe à Patre: Iſti enim conantur ſummum ipſius negare beneficium, imò negare quod pater ſit: nam ſi filium non habet nec pater eſt, quod ſi ſumma blaſphemia eſt, negare Deum patrem, imo Deum ipſum, quomodo illi ad veras gratiarum actionis rationes peruenisſe iudicandi ſunt, qui in ipſa ſua gratitudinis declaratione, obliuiſcuntur ſe Deum patrem in cœlis habere? Taceo iam de illorum laudationibus qui eorum donorum quæ habent, non ſolum Deum, ſed ſe etiam autores faciunt. Iſti ſi DOMINO gratias agunt, quòd tam præclaro ingenio, ſapientia, induſtria præditi ſint, etiamſi aliqua ex parte, DOMINO laudem tribuant, tamen non in ſolidum autorem eorum beneficiorum faciunt, ſed in partem iſtius laudis vocant ingenium & dona ſua. Hi ita non probantur vt grandes eis pœnæ irrogentur, ſicut Nebuchodonoſori qui ſua virtute & induſtria extructam Babylonem

lonem credebat ideo DOMINVS ei non modo imperiū ſed vſum etiã rationis ad tẽpus abſtulit. Qui ergo veras rationes agendi gratias DOMINO ſequi volet, in ſua illa laudatione DOMINVM agnoſcat benefactorem, nihil aſcribat ſibi, cauſam etiam clementiæ diuinæ nõ ignoret miſericordiam quam DOMINVS & ſeruator noſter Chriſtus nobis impetrauit. Et talis gratitudinis ſignificatio gratior DOMINO eſt victimis & ſacrificijs omnibus. Et hæc ſunt noui Teſtamenti ſacrificia: etenim cum ſacrificia illa Leuitica vnius victimæ Ieſu Chriſti adumbrationes fuerint, & ea iam nobis exhibita ſit, nihil ſupereſt quàm vt vera fide tantam clementiam amplectamur & ex animo gratias agamus: ad quam rem verbo DOMINI ſolo erudiri poſſumus.

5. *Anima mea in manibus ſemper & legem tuam non ſum oblitus.*
6. *Poſuerunt impij laqueum mihi & de mandatis tuis non erraui.*
7. *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.*
8. *Inclinaui cor meum ad facienda ſtatuta tua in æternum.*

Reliqui verſiculi huius Octonarij varie amplificãt ingens & eximium ſtudium Dauidis erga verbum Dei. Quod ei poſtponat ſalutem & incolumitatem ſuam, dum propter confeſsionem veritatis ſe maximis periculis exponit. Deinde quod habeat loco hæreditatis & Theſauri, adhæc quia voluptatem ex eo maximam capit. Denicq; quod omni ſtudio ad id cõtendat.

Notanda est phrasis, qua in primo versiculo vsus est, animam habere in manibus significat in magno periculo versari. Sic Iephte loquitur cum Ephraimitis: Posui animam meam in manibus meis, transiuitq; ad filios Ammon, volens significare bellum contra Ammonitas susceptum, fuisse coniunctum cum periculo incolumitatis suæ, Et 1. Reg. 28. Pythonissa Sauli dicit. Posui animam meam in manu mea, Hoc est, ego in discrimen vitam meam adduxi. Et sanè Propheta statim seipsum interpretatur, quod loqui voluerit de periculis. Posuerunt inquit laqueum mihi, &c. Vult ergo, vt paucis hos versus interpretemur, hoc modo, studium suum declarare. Sæpe ô DOMINE in præsentissimum vitæ discrimen adductus sum, propter confessionem verbi tui, ita vt vitam quasi in manibus circũferre viderer. Nam aduersarij mei sæpe nõ aliter quam venatores feras solent indagine & laqueis me cinxerant, sed non potuerunt mihi defectionem à verbo tuo persuadere. Tanta porrò & tam præclara possessio verbi tui mihi visa est, vt eam crediderim esse meam hæreditatem, in qua acquiescerem & serio exultarem. In eam curam toto pectore incubui, vt mores vitamq; meam tuis mandatis conformarem.

Non autem credamus Dauidem cum de studio & desiderio suo loquitur ambitiosius velle iactare suos conatus, sed prædicare eam gratiam quam habebat, & orare vt in eo studio & tam solicita cura semper possit permanere. Neq; enim satis est cepisse nisi in studio eo gnauiter pergamus. Qui enim perseuerauerit vsq; ad finem saluus erit. De hoc autem loco iam sæpiuscule dictum est. Ad sequentia ergo progrediamur ne

cramben

cramben cum tædio posuisse videamur.

OCTONARIVS QVINTVS ET DECIMVS. SAMECH

Incredibilis varietas coniuncta cum summa suauitate in hac prædicatione verbi Dei conspicitur. Nam in hac pericope primum commendat verbum DOMINI, vt constantem & solidam doctrinam, cum humanæ doctrinæ nihil præter mobilitatẽ & dubitationem habeant. Altera laus est quod contra omnia pericula veluti scuto promissionibus diuinis expressis in verbo Dei munitus sit. Postremo cum horribiles pœnæ impios & comtemptores verbi maneant, vult Dauid in sacris elaborare ne cũ illis in æternum exitium præcipitetur. Hæc figurarum & amplificationum varietate exornantur, quæ in ipsa expositione attingemus.

1. *Cogitationes siue figmenta (intellige hominum) odi & legem tuam dilexi.*

Notandum est vocabulum cogitationis hoc loco emphaticum esse & habere elegantiã Hebraicã, quod non quamlibet sed variã, inconstantem, fluctuantem, sicut extremi arborum rami (quod Etymologia vocis Hebraicæ docet) mouentur, & proinde etiam falsam & commentitiam significat, quales sunt quæ ab ingenio humano de rebus diuinis proficiscuntur. Vtitur enim Propheta antithesi doctrinarum humanarum & verbi Dei, dicens se illis vt inconstãtibus & nihil certi de Deo statuentibus minime delectatum, sed in verbo

bo Dei quod constantem & perpetuam sententiam de rebus cœlestibus habet acquiescere.

Pulcherrima laus sacrarum literarum, quod quasi scopulus marinus firmam & inconcussam sententiam de Deo & eius cultu proponat, reliqua autem quæ ab hominibus afferuntur præter dubitationem & perpetuam ἐποχὴν nihil habent. Testantur scripta Ethnicorum quam solicita cura inquisiuerint veteres græciæ sapientes, quid nam Deus sit: sed in tam varias opiniones delapsi sunt, vt incredibile alicui videri possit homines alloquin exquisite doctos ad deliria prope anilia delabi potuisse, qua de re consulantur libri de natura Deorum Ciceronis ac D. Augustini de ciuitate Dei & similes. Rectissimè autem fecissent, si suam ignorantiam ingenuè fuissent confessi: vt Simonides qui cum à tyranno Hierone iuberetur dicere quid Deus esset, deliberandi tempus petijt, biduo post interrogatus, negauit se assequutum quod vellet, & tamen beneficio temporis se assequuturum sperans, nouam dilationem petit. Tandem cum responsũ flagitaretur, confessus est quanto diutius consideraret, tanto sibi rem videri obscuriorem. Scribunt veteres illi, oraculo Apollinis summam laudem Socrati tributam, quod hoc vnum se scire diceret, quod nihil sciret, ego vero huic Poëtę inter gentiles palmam ingenuitatis tradiderim, qui quod ignorauerunt omnes & tamen falso eius intelligentiam sunt professi, ipse palam confessus est se nescire. Quanquam enim ex hac mundi fabrica quod Deus sit colligere aliquo modo licet, tamen cum tanta sit DOMINI maiestas, vt ad eam penetrare homo non possit intelligentia sua, sem-

per

per dubius relinquitur humanus animus & quo magis ad accuratiores cogitationes se conuertere vult, eo plures difficultates offeruntur vt tandem inquirendi laborem abijcere cogatur. Sicut & Cicero suum Cottam in ijs libris quos de natura Deorũ scripsit dicentẽ inducit. Simonidem arbitror (non enim Poëta solum suauis verum etiam cætera quàm doctus sapiensq; traditur) quia multa venirent in mentem acuta & subtilia, dubitantẽ quod eorũ esset verissimum DESPERASSE OMNEM VERITATEM. Ex quo intelligi par est nihil certi posse statuere hominis etiam ingeniosissimi animum de Deo, quia illa captum humanum superant. Et D. Paulus inutiles quæstiones (Tito suo scribens) vitandas esse præcipit. Iam vero cultus Diuini, etiã apud Hebræos iniquos sacrorum librorũ possessores quam varia ratio fuit, cum à verbo Dei discessissent & opinionibus hominum aures patefecissent. Loquitur ea de re Papatus hodie qui præter periculosam dubitationẽ nihil nobis relinquit. Relinquamus ergo impijs suas tenebras & ἐποχὴν ac dubitationem Scepticam quam fluctuationem Dauid, Hebraice, Saiph, vocat ab extremis arborum ramis, qui perpetuo à ventis agitantur, & nos cum Dauide ad studium sacrarum literarum conuertamus, in quo de Deo, de eius filio, de Dei erga nos voluntate, de vero cultu, certam & indubitatam sententiam tenemus à qua nos auelli non patiamur. *Tit.3.*

2. *Latibulum & scutum meum es tu & in verbo tuo speraui.*

3. *Discedite à me maligni & custodiam præcepta Dei mei.*

4. *Sustenta me secundum eloquium tuum & viuam & nō confundas me ab expectatione mea.*
5. *Sustenta me & saluus ero & delectabor statutis tuis semper.*

Altera commendatio verbi Dei est, quod ex eo Dauid & omnes pij discant se protegi à Deo in omnibus periculis. Nā tota scriptura de illa DOMINI opitulatione & defensione promissiones habet. Et est talis ordo in his quatuor versiculis. Primus versiculus habet antecedens. Tu hactenus fuisti meus protector in omnibus periculis, & id tuo verbo confirmasti, cui ego firmiter credo. In reliquis versiculis est consequens. Ergo ab ea spe & protectione in posterum non poterunt me excludere conatus hostium meorum & tu nō confundes eam, sic enim in verbo tuo te facturū promisisti. In Antecedenti vsus est similitudine scuti aut latibuli. In consequenti habet ἀντιστοφὼ ad hostes, sicut in Psalmo sexto, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Tu, inquit, DOMINE in maximis meis periculis, cum hostili manu vndiq; fui cinctus, quasi latibulum & scutum meum eras, sub quo tutus latitare potui, quemadmodum opitulationis & protectionis tuæ mihi in verbo tuo, certas promissiones fecisti, quas tanta animi constantia amplector, vt vos omnes infestos hostes meos non extimescam, sed alacriter in cultu veri Dei & verbi ipsius progrediar. Nam cum verbo promissionibusq; tuis de fauore tuo, me feceris certiorem, profecto eam meā spem non facturus es irritam. Certe si (quod in verbo tuo mihi recepisti) mihi adfueris, de salute & incolumitate mea non

non dubitabo & porrò etiã me oblectabo verbo tuo.

Hoc autem loco nequaquam prætereundum est quare noster Propheta istis similitudinibus vsus sit cum aliæ suppeterent. Nam & de latibulo & scuto loquitur. Primum ergo Dauid respexit ad sua tempora & ea pericula, quæ maxima sustinuit longo tempore, cum Saul eum omni studio & conatu ad necem quæreret, ibi latibulis quidem & armis vsus est, sed dum DOMINO vtrunq; tribuit, ostendit se spem suam non in latebris illis, non in armis, sed DOMINO positam habuisse. Quod sane Dauidem ipsa experientia docuit. Nam quid profuissent recessus & specus, cum armata manu Saul totum locum sepiuisset? Aut quis tum armorum vsus Dauidi fuisset, cum ab omnibus ferè desertus, ipse solus cum multis, inermis propè cum armatis, exul cum incolis, seruus cum rege congrederetur? Certè nisi DOMINI prouidentia, & præsenti auxilio, Saul fuisset retractus, de vita & incolumitate Dauidis fuisset actum. Porro non solum in hostili periculo ea nostri Prophetæ consolatio fuit, sed in omnibus aduersis: nam nunc eum propugnaculum, nunc rupem, nunc refugium, nunc cornu salutis vocat. Psalmo 91. de DOMINI vmbra, de alis loquitur, vbi etiam dicit veritatem Dei esse scutum & clypeum. Voluit autem his epithetis docere etiam nos in periculoso hoc bello, quòd indies cum Diabolo aduersario suscipimus, nulla alia arma, quam quæ nobis à DOMINO suppeditantur expetere debere. Nam is certe est qui vult esse arx, & propugnaculum iustis, ad quod confugiant in tribulatione & periculis. Turris, inquit Solomon fortissima nomen DOMINI ad ipsam currit iustus *Psalm.18.* *Pro.18.*

ſtus & exaltabitur. Quam autem blanda ſimilitudo eſt, qua ſeruator noſter dulciſsimus vtitur, vbi ſe Gallinæ comparat, nos pullis, & pollicetur tutelam alarũ, imo vero conqueritur, oblatam hanc protectionis gratiam, ab Hebræis fuiſſe ſpretam. Adeſt & D. Paulus qui παναπλίαν vniuerſam aduerſus ſpirituales illos hoſtes promit, Clypeum, galeam, gladium expediens. In omnibus ergo periculis his armis vtamur, maximè cum nobis certandum eſt cum acerrimo humani generis hoſte Diabolo: tum dicamus DOMINO, tu ſcutum meum es, tu propugnaculum, tu vmbra in meridie, tu in æſtu refrigerium, tu adiutor in opportunitate, tu exaltans caput meum. Nam pleni ſunt Pſalmi iſtiuſmodi appellationum, quæ nos in maximis periculis & calamitatibus ſolantur.

6. *Conculcas omnes diſcedentes à iudicijs tuis eo quod mendacium in eis ſit.*
7. *Tanquam ſcoriam abijcis omnes impios terræ ideo dilexi teſtimonia tua.*
8. *Horruit à timore tui caro mea, à iudicijs enim tuis timui.*

Dauid intelligit & videt, quam graues & ſeueræ pœnæ maneant impios verbi diuini neglectores, ideo ipſe operam vult dare ne negligat verbum & accerſat ſibi pœnas fatales, imo ita mouetur meditatione illarum pœnarum vt toto corpore cohorreſcat. Vt magnitudinem iræ aduerſus impios exprimat vſus eſt amplificationibus & ſimilitudinibus, cum dicit DOMINVM conculcare impios, Item abiſcere vt ſcoriam, & in vocabulo horroris exprimitur magnitudo & grauitas

uitas iræ Dei aduerſus impios. Hæc enim eſt ſententia horum trium verſiculorum. Moueor etiam non leuiter meditatione earum pœnarum, quas irrogaturus es impijs, qui mendacium amantes, tuo verbo ſe non ſubijciunt, nam eos conculcabis vt lutum platearum, ne ſe recipere ex caſu queant & vt aurifabri cum argentū probant, ſcoriam abijciunt, ſic impios impuros homines & quaſi terræ ſcoriā abiecturus es. Ego certè cum de magnitudine iræ tuæ cogito toto pectore cohorreſco, cui enim non incuterent metum iudicia tua & pœnæ quas grauiſsimas impijs es irrogaturus. Hæc Propheta. Eſt autem pulcherrima ſimilitudo quod impios confert ſcoriæ, nam vt ſcoria mentitur colore argentum, cum tamen nihil argenti habeat ideo etiam igne artificis ſeparata ab argento, vt res nullius pretij foràs eijcitur. Ita hypocritæ in Eccleſia verſantur, gaudent titulo Chriſtianorum interdum etiam habentur pro ijs qui poſsint regere Eccleſiam, vt Annas, Caiphas; denique eiuſmodi homines vera membra Eccleſiæ perſequuntur: quod in primitiua Eccleſia & hodie etiam nimis multis exemplis comprobatur, ſed tandem fucus illorum hominum detegitur, & in lucem producitur ipſi autem confunduntur, eijciendi tandem in extremas tenebras vt terræ inutilia pondera. Baptiſta confert impios paleis quæ & ipſæ ſe frumento optimo permiſcent, ſed tandem ventilabro purgantur igne inextinguibili. Chriſtus ſimili ratione zizanijs confert, & parabola docet purgationem zizaniorum à tritico non fieri ante meſſem, hoc eſt, ante diem vltimum, tum DOMINVM ſeparaturum impios à pijs, id vult etiam ſimilitudine verriculi, quo

Pſalm. 18.

Matth. 13.

boni & mali pisces extracti ad littus, illi quidem asseruantur hi vero abijciuntur. De his cogitent impij & discant quo loco à Deo habeantur, nempe vt scoriæ, paleæ, zizania. Ipsi quidem se frumentum siue triticum iactitant & fideles dicunt esse καθάρματα καὶ περιψήματα, sed dies DOMINI docebit qui sint pij qui impij. Deinde hæ similitudines docent fanaticam esse Anabaptistarum opinionem, dicentium se eam Ecclesiam pro vera non agnoscere in qua adhuc sint impœnitentes, nam si posset esse talis seperatio non conferrentur impij scorijs & paleis: non diceret paterfamiliâs ille non esse ante messem purganda zizania, sed vt DOMINVS ostenderet impios semper permixtos esse sanctis scoriam vocat, quæ cum argento plerunq; cõiuncta est, appellat paleam & zizania quæ frumenti specie sese venditant: Nec statim purgantur, sed exspectanda messis, expectandũ tempus exculpendorum frumentorũ est, tũ agricola ille cœlestis arripiet ventilabrũ & repurgabit areã suam. Ergo vt diximus nemo sibi imaginetur in hoc seculo. Ecclesiam omnibus numeris perfectã absolutamq;, qualem fanatici illi comminiscuntur. Postremo pij æquo animo ferant, si probris, iniurijs, damnis, ab impijs & impœnitentibus, afficiantur, sed patienter expectent tempus liberationis
Rom. 8. suæ, cogitantes, creaturas etiam congemiscere nobiscum, expetentes liberationem à seruitute, quàm duram & molestam sub impijs perferunt. Solentur etiam se iucundissima consolatione, qua vsus Paulus est, afflictiones præsentis temporis, non esse pares, si cum gloria, quæ nobis in illa beata vita reposita est comparentur.

OCTO-

OCTONARIVS SEXTVS ET DECIMVS. AIN

Sæpè iam dictum eſt, Pſalten vnam eandemq; materiam, in toto hoc Pſalmo tractare, adhibitis aliis atq; aliis ornamentis. Argumenta petitionis, quibus hic vſus eſt ſunt iſta. Primum inſtitui vitam ſecundum verbi tui præſcriptum, nec tamen ſum tutus à calumniatoribus, quare cum hoc patiar propter verbum tuum me iuua, & in poſterum in hoc propoſito vitæ ſanctæ conſerua. Secundũ, Ego omnẽ ſpem in te, verbo, promiſsionibusq; tuis collocatã habeo & me totũ vt ſeruum tibi addixi, Ergo non negabis mihi veram verbi tui intelligentiam. Tertium, Neceſſe eſt, vt ſuccurras Eccleſiæ tuæ, & verbo tuo adſis, quia impij oppugnãt id vehemẽter. Poſtremo ego magnifacio verbum tuũ & odi omnes qui ei aduerſantur: quare mihi clementer adſis, ne Theſaurum illum amittam ex corde meo.

1. *Feci iudicium & iuſtitiam: non permittas me calumniantibus me.*
2. *Oblecta ſeruum tuum in bonum, ne calumnientur me ſuperbi.*

Ego (inquit) verbo tuo edoctus, piè & honeſtè vixi, læſi neminem, ſed tamen non potui tutus eſſe à morſu Sycophantarum & calumniatorum, qui me traduxerunt apud regem & hodie traducunt, vt ſeditioſum, qui regi inſidietur, regnum affectet, te oro DOMINE ne his me tradas, cum nullo meo merito me innocentem opprimere conentur. Largire mihi hanc oblectationem,

tionem, vt omnes intelligant, illos vaniſsimos eſſe homines & inſidiari fortunis & incolumitati eorum qui vitam inſtituunt ſecundum verbum tuum. Hoc voluit Propheta verſiculis illis. Videmus autem omnibus temporibus, optimos quoſcq; non potuiſſe tutos eſſe, à calumnia, de qua etiam re quæritur Dauid Pſalmo duodecimo, quod labio adulationum, corde, & corde loquantur. Pſalmo 55. dicit ſe iſta paſſum ab iis, qui amici eſſe, & coniunctiſsimi homines videbantur. Si inquit inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtiq;, & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo collega meus, dux meus & notus meus. Qui ſimul mecum dulce capiebamus conſilium, in domo Dei ambulamus ſimul. Et rurſus: Etiam homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Hæc diligenter ſunt memoria tenenda. Nam cum multa homini pio aduerſa & acerba poſſunt euenire, nihil tamen triſtius ei accidere poteſt, quam cum fama exiſtimatioq; lædi-tur, maximè autem, quando vt ſeductores, hæretici accuſantur. Sed non turbent nos iſta nimium, quia videmus ſanctiſsimos quoſcq; iſta perpeſſos. Quid quod ne filius quidem Dei, DOMINVS & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, à venenatis & virulentis impiorum linguis tutus fuit: Samaritanum, magum qui eijceret dæmonia per Beelzebub, ſocium peccatorum, & diſſolutiſsimorum hominum, bibulum & ebrioſum vocabant. Non ergo nobis videatur nouum ſi & nos eadem patiamur. Audiamus potius DOMINVM & ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum conſolantem nos.

Beati

Beati eſtis cum probra iecerint in vos, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduerſus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.

3. *Oculi mei defecerunt propter ſalutem tuam & propter eloquium iuſtitiæ tuæ.*
4. *Fac cum ſeruo tuo iuxta miſericordiam tuam, & doce me ſtatuta tua.*
5. *Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.*

Subijcit aliam cauſam quare DOMINVS largiri ipſi veram verbi intelligentiam debeat, quia ſummo eius cognoſcendi deſiderio teneatur, & quia ſe agnoſcat ſeruum DOMINI ad omnia obſequia paratum. Acceſsit in priore verſiculo deſiderij amplificatio, quod propemodum oculi defecerint præ deſiderio dum de cœlis auxilium expectat. Expreſsit geſtum eorum qui ardentiſsimis precibus aliquid à Deo petunt, eorum oculi ſolent quaſi defixi eſſet cœlum. Iſta enim eſt horum verſiculorum ſententia. Non poteris mihi DOMINE denegare verbi tui conſolationem, nam cum in maximis periculis verſor à te ſolo pendeo, ſemper defixos in cœlum oculos habens. Quid quod totus ſum tibi in perpetuã ſeruitutem addictus, cum autem laudabile obſequium præſtare tibi non poſsim, niſi anea veram verbi tui intelligentiam fuerim conſequutus, eam gratiam & miſericordiam per Spiritum ſanctum tuum mihi largiaris, vt quotidie proficiam in ſacris, ijs me conſoler & erigam in tribu-

p lationibus.

Quod hoc loco Propheta Dauid petit, & ardentissimis precibus à DOMINO contendit, hoc dulcissimus seruator noster Luc. 11. promisit facturum Patrem cœlestem: Si vos cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis, dabit Spiritum sanctum poscentibus se. Itaq; cum Dauide semper in cœlum oculos defixos habeamus, non dubitantes, DOMINVM nos exauditurum, maximè si id (quod ei gratissimum est) petamus, augmenta fidei, intelligentiam verbi, consolationem in aduersis.

6. *Tempus est vt faciat DOMINVS quoniam dissipauerint legem tuam.*

Necessitatem summam proponit quare DOMINVS & consolari Dauidem & verbi sui honorem & gloriam asserere debeat, quia impij maiorem in modum ipsi aduersentur, imò omnino è medio tollere conentur. Tempus (inquit) tẽpus est DOMINE, vt Ecclesiæ tuæ laboranti succurras, nam hostes verbi tui hoc agunt, vt à fundamentis eam euertant & verbum tuum conculcent. Subueni ergo afflictis rebus & vim hostium reprime.

Videmus quæ temporibus illis Ecclesiæ fuerit facies, quam misera dissipatio. Non enim frustra dicit Dauid, dissipauerunt legem tuam. Nam cum Satan cor Saulis odio Dauidis inflammasset, mox persuadet etiam ei crudelitatem, vt putaret vitæ sancti Prophetæ & incolumitati insidiandum, quod cum esset consequutus exuit etiam eum omni reuerentia verbi & cultus

cultus diuini, tandem eô deducit vt in totum ordinem ſacerdotalem ſæuiat. Fuit ergo Eccleſiæ magna perturbatio, quæ tantã ſolicitudinem creat in animo Dauidis, vt plus de Eccleſia quam ſua ſalute & incolumitate ſit perturbatus. Hanc piam curam & nos imitemur ſubinde inuocantes DOMINVM, vt in noſtris regionibus conſeruet puritatem doctrinæ cœleſtis, & impediat conſilia & machinationes aduerſariorum, qui noctes & dies hoc agunt vt ſana doctrina è medio ſublata, idolatriam & humanas traditiones inuehant. Clamemus ergo cum Dauide. Memor eſto huius, quod inimicus improperauit DOMINO & populus inſipiens blaſphemauit nomen tuum. Ne tradas beſtiæ animam turturis tui, & animas afflictorum tuorum ne obliuiſcaris perpetuo. Reſpice in Teſtamentum, quia repleta eſt terra tenebris & habitacula violentia.

7. *Ideo dilexi mandata ſuper aurum & obryzum.*
8. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

Dauid poſtremis his verſiculis teſtatur ſe maximi facere verbum DOMINI, & mores ſuos ad id conformare. Econtra autem odiſſe impietatem pugnantem, cum lege DOMINI, itaq; non dubitat DOMINVM daturum Spiritum ſanctum, qui ipſum ducat in omnem veritatem, recreet & ſoletur. Obryzum alij gemmam, alij puriſsimum aurum eſſe volunt, ſed ſatis eſt ſi intelligamus hac comparatione Prophetam voluiſſe docere nihil ſe tam in delicijs habuiſſe quam verbum

Dei. Nulla, inquit, res tam præcioſa eſt, quam tuo verbo anteferendam iudicem, non aurum non gemmæ, non theſauri omnes apud me tanti ſunt. Nec ociosa ſpeculatione contentus ſum, ſed mores & totam vitam ad præſcriptum verbi tui conformare ſtudeo. Econtra autem fugio & deteſtor impietatem & fœdiſsimos huius ſeculi mores, pugnantes cum expreſſa voluntate tua.

Tria ſunt κριτήρια quibus verè pios ab hypocritis poſsis internoſcere. Primum ſi verbum DOMINI magnifaciant, nam amor ille oſtendit, in corde, facem fidei, accenſam eſſe. Secundum, ſi quod didicerunt in mores & vitam traducere ſtudeant. Neq; enim ſatis eſt nouiſſe voluntatem DOMINI niſi eam ſequaris: nam DOMINVS grauiores plagas minatur ſeruo tenenti mandata DOMINI, ſed nō obedienti. Poſtremo ſi à conſortio impiorū abhorreat, ita enim natura comparatū eſt vt ſimilitudo morum, animos interſe deuinciat, & vt Cicero dicit cōglutinet, amicitiā diſsimilitudo autem diſiungat, Et in Pſalmo 15. vbi notas piorum deſcribit, inter cęteras eam quoq; ponit, pios à conſuetudine & conuerſatione impiorum abhorrere. Quare qui impietatem & impios odio proſequitur, haud dubiè bene in pietate profecit.

OCTONARIVS SEPTIMVS ET DECIMVS. PEH

Sequuntur aliæ cauſæ, propter quas Dauid cupit doceri & erudiri verbo Dei. Primò, quia reconditas res & myſteria proponit & quidem ita luculenter, vt etiam

etiam ſimplices ea aſſequi poſsint. Secundò deſideriſ
um ſuum pingit, quod tantum eſt erga verbum, vt ſi
bi non minus eo opus eſſe credat, quàm aqua & aëre.
Tertiò verbo Dei, vita Dauidis & greſſus diriguntur,
ne dominetur peccatum, ergo magnifaciendum eſt.
Quartò petit ſe liberari à perſequtione, vt verbo Dei
operam dare poſsit, quod & ipſum ad deſiderium &
ſtudium Dauidis in verbo referendum eſt. Poſtremò
ad DOMINVM confugit, à quo ſolo poſsit erudiri,
interim docens, ſe vehementer dolere, ſi videat ali
quos non modo non dociles diſcipulos eſſe ſed con
temptores verbi.

1. *Mirabilia teſtimonia tua DOMINE, ideo ſeruauit ea anima mea.*
2. *Oſtium verborum tuorũ illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Præſtantiam verbi commendat quod, & res ſubli
mes tradat, & obſcurum non ſit, ſed potius illuminet
eorum mentes qui quantumuis ſimplices, tamen do
ciles ſe verbi auditores præbeant. O DOMINE quan
ta myſteria, quam multa miracula, quam reconditas
omnis ſcientiæ opes, continet verbum tuum, quare
digniſsimum eſt, in quo diſcendo omnes ingenij ner
uos intendamus, nec cõmittamus vnquam vt ex ani
mo nobis excidat. Sed habet tuum verbum ſingulare
quid quo omnibus alijs ſcientijs antecellat. Nam ple
rumq; fit vt quæ pulchra ea etiam difficilia ſint, & quo
quælibet ſcientia res ſublimiores tractat, eò & intrica
tior & perplexior ſit. Verum tua doctrina ianuam

aperit ad rerum reconditarum intelligentiam. Et quæ res nullis alijs literis explicantur, imò verò ad quas humanus animus penetrare nequit, illa in verbo tuo luculentissimè, & quidem tanta perspicuitate traduntur, vt non opus sit magno ingenij acumine & prudentia carnali. Sed ij discipuli maximè in verbo tuo proficiunt, qui quam minimum sua sapientia nisi, magisterio Spiritus sancti obedientes se submittunt. Quæ arcana, quæ mysteria in sacris proponantur alibi dictum est: Sed hoc loco additur ea non esse obscura, vt à lectione sua auditorem non vsqueadeo acutum & ingenioſum repellãt. Sed vocantur ad meditationem eorum tantum simplices, qui fide, ea quæ in verbo offeruntur amplectuntur. Nam qui in rerum sublimium indagatione demonstrationes & causas quas mens nostra capere possit requirit, is in hoc studio sacro nõ modo, non proficiet sed aduersabitur etiam ei. Nam multa nobis in scriptura proponuntur quæ δις ἀξίᾳ πασῶν pugnant cum ratione & intelligentia nostra. Quis enim Philosophus credet aliena iustitia homines posse iustificari, cui eorum persuadebitur corpora cum computruerint aut in puluerem aut cinerem abierint, non modo reuictura, sed nouum ornatum assumptura. Prætereo multa alia quæ notissima sunt. Hoc ergo discrimen effecit vt multi docti & secundũ hunc mundum sapientes viri, ab Euangelij doctrina abhorruerint, sed qui rationem suam captiuam subiecerunt doctrinæ cœlesti, ij ad intelligentiam mysteriorũ peruenerunt. De eo loquitur Christus Matth. 11. Gratias (inquit) ago tibi Pater DOMINE cœli & terræ quod absconderis hæc à sapientibus & prudentibus & reuelaris

laris ea paruulis. Et D. Paulus teſtatur, hominem carnalem non accipere ea quæ ſunt Spiritus Dei. Ergo qui vult accedere ad ſcholam illam cœleſtem prius valedicat toti mundo, imo ſeipſum etiam abneget & oculos & aures duntaxat conuertat ad ſacras literas. Nec nos perturbet reclamans & recalcitrans iudiciũ noſtrum, ſed cogitemus ſub quo magiſtro ſimus. Quis ſit eius doctrinæ author, quam in manibus habemus, quod omnis ſcriptura ſacra diuinitus tradita, ſit comprobata tot miraculis, quod Prophetia non ſit voluntate hominis allata ſed à Spiritu ſancto impulſos loqutos eſſe ſanctos Dei homines. Pythagorei ſuo præceptori vt autor eſt M. Tullius tantũ honoris deferebãt, vt ſi quid in diſputatione affirmaſſent & interrogaretur, quare ita eſſet, reſpondere ſoliti ſunt αὐτὸς ἔφα ipſe dixit. Quod ne Cicero quidem in ijs libris quos de Nnatura Deorum ſcripſit probare potuit. Quis enim non videt ſæpe etiam circumſpectiſsimos homines ſpecie veri ſeduci vt labantur. At cum ſciamus ſacras literas dictata eſſe Spiritus ſancti, eſſe diuina oracula, remota omni inquiſitione & dubitatione humiliemus nos ſub potenti Dei manu, & myſteria ipſius miremur, maieſtatem adoremus, omnia quæ ab ipſius æterna ſapientia profecta ſunt veneremur, iudicemus eſſe certiſsimas demonſtrationes, ſi maxime nec cauſas nec modum intellexerimus. Hanc rationem D. Auguſtinus ſummus Theologus ſe ſequtum eſſe his verbis (D. Hieronymo ſcribens) teſtatur. Ego fateor charitati tuæ, ſolis pijs ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; habere, vt nullum eorum authorem ſcribendo aliquid

De nat. Deo. lib. 1.

Epiſt. 19.

quid erraſſe firmiſsime credam. At ſi in eis offendero literis quòd videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel minime intellexiſſe non ambigam. Hæc Auguſtinus. Simili ergo ratione nos in ſacris verſemur, certo ſtatuentes omnia vera eſſe, etiamſi nos non intelligamus rationem aut modum.

3. *Os meum aperui & attraxi (intellige Spsritum) quia in mandatis tuis complacitum mihi fuit.*

Propheta pingit ſuum deſiderium, dum exprimit geſtum hominis Spiritum attrahentis vt pulmones & cor refrigeret & recreet, aut ſitientis qui aquam aut potum hians expetit. Qua pictura ſignificare voluit quam grata & neceſſaria ſibi ſit doctrina veritatis. In hanc ſententiam. Quemadmodum in magnis caloribus homines aperto ore aërem frigidiorem hauriunt, aut in maxima ſiti hiantes aquam expetunt vt ſe recrent, ſic grata mihi eſt verbi tũi meditatio: ſic non ſolum os, ſed cor etiam apertum ſubinde habeo, vt aliquid ex eo hauriam, quô animus meus in anguſtijs ſummis confirmetur & refocilletur. Eo non minus me carere poſſe perſuaſum habeo, quam hoc aëre, quo nos omnes viuimus. Iſta omnia paucis verbis noſter Propheta cœleſti λακονισμῷ vſus, egregiè expreſsit. Similis ferè locus extat Pſalmo 42. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, Sitiuit anima mea ad Deum, Deum viuum, quando veniam & videbo faciem Dei. Hoc autem

autem desiderium quantum & quam vehemens sit nemo intelligit, nisi ante præcordia infernalibus ignibus hoc est perturbationibus maximis arserint. Etenim vt in ardentissima febre tanta est bibendi auiditas, vt expleri ea nequeat, ita in summa consternatione vbi ipsum infernum & gehennam videre nos arbitramur, nihil gratius iucundiusue est quam præsens consolatio ex sacris literis desumpta. Hoc etiam voluit seruator noster cum de aquis viuis loquitur Samaritanæ. *Ioan. 4.* Nam certè consolatio in Christo nobis proposita vna & sola est, quæ nos in doloribus illis & perturbationibus infernalibus reficere potest. Cum autem ad illum fontem gratiæ omnes vocemur auide hauriamus, quemadmodum & Esaias nos hortatur Cap. 55. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, venite emite absq; argento & absq; vlla commutatione vinum & lac. Econtrà autem cogitemus quanto se scelere obstringant, qui non modo non auide arripiunt oblatam illam aquam, sed eam etiam respuunt & conculcant pedibus testamentum DOMINI. Nonnulli exponunt ista de desiderio vitæ rectè & laudabiliter instituendæ secundum mandata DOMINI: nam Sancti miro desiderio vt ingenui filij, studeant se approbare Deo & voluntati ipsius satisfacere. Pia interpretatio, sed prior mihi præferenda videtur.

4. *Aspice in me & miserere mei secundum iudicium diligentum nomen tuum.*

5. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & ne dominetur mihi omnis iniustitia.*

Petit eam gratiam à DOMINO qua solet afficere omnes pios & diligentes ipsum, vt gubernetur Spiritu sancto, & dirigatur verbo DOMINI, ne peccatum dominetur in ipso. In priore versiculo Hebraismus est, secundum iudicium, hoc est pro more & consuetudine tua. Normam autem directionis facit verbum DOMINI, secundum quod cupit dirigi & regi in tota vita.

O DOMINE clementer me respice & id largiaris quod pro more & consuetudine tua, soles omnibus qui te diligũt impartiri. Scis nos mortales dum in hoc mundo sumus quasi in lubrico versari, vndiq; nobis Satan insidiatur, & hoc sedulo agit vt nos laqueis suis induat & in peccata, scelera & flagitia coniiciat deniq; etiam in desperationem præcipitet: da clementissime Pater per verbum tuum quod est regula totius vitæ, ne nobis dominetur peccatum, non possumus quidem quamdiu hoc mortale corpus circumferimus, ab omni labe peccatorum esse puri, sed effice per Spiritum sanctum & verbum tuum, ne membra nostra tradamus serua iniustitiæ, ne malus ille, suæ nos Tyrannidi subiiciat. Hæc Propheta. Quod autem hoc loco tractat Psaltes id habet Paulus Rom 6. Ne, inquit, regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis illi per cupiditates eius. Neq; accommodetis membra vestra arma iniustitiæ peccato: sed accõmodetis vos ipsos Deo velut ex mortuis viuentes & membra vestra Deo. Sed his versibus modus etiam ostenditur, quomodo regnum peccato adimatur, videlicet per verbum DOMINI, quod ostendit, quantum DOMINVS iratscatur peccato, & docet, quæ vitæ ratio ipsi probetur:

tur: & inuitat nos ad liberale & ingenuũ obsequium, quale est liberorum erga parentes. Præterea discimus etiam hoc loco, quæ sit inter peccatores differentia. Nam omnes homines peccant. Quis enim est, qui dicere possit mundum est cor meum, sed impij sinunt peccata dominari, pij carnem cohercent & imperant peccato suo. Et si quando labuntur tamen mox se ex casu recipiunt, DOMINI auxilium & misericordiam implorantes. Septies enim cadet iustus & resurget. Pro.24.

6. *Redime me à calumnijs hominum, & custodiam mandata tua.*

Quemadmodum ante petijt, vt duce verbo, omnes gressus sui dirigantur. Sic nunc orat vt à calumnijs & persecutione hostium liberetur, quô possit se totum addicere studio rerum sacrarum. Quanquam enim Propheta (vt supra dictum est) etiam in peregrinatione sua, promissionibus diuinis se confirmabat, tamen exoptat ocium sibi ad eam rem dari in patria, vt cultibus diuinis, quibus de ventura victima homines admonebantur, interesse possit. Sic pij & docti viri, in persequtione maxime dolent, se à libris abstrahi, & non posse omnia exercitia pietatis habere, quæ cuperent.

7. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me statuta tua.*

8. *Riuulos aquarum deduxerunt oculi mei, quod non custodierunt legem tuam.*

Postremis versiculis Dauid ostendit, quo magistro & doctore proficere possit in sacris. Deinde etiam dolorem suum confitetur, quem sanè acerbum percipiat, si intelligat, & videat multos, mandatis DOMINI non satisfacere, & verbum ipsius contemnere. Nam hoc insigne exemplum est summi desiderij, cum non modo nos cupimus erudiri verbo Dei, sed dolemus, si alij nolint obedire. In priore versiculo vsus est forma loquendi Hebraica Illumina faciem tuam &c. de qua supra diximus. In altero versiculo, est amplificatio doloris, qui ex multitudine profusarum lacrymarum æstimari potest. Sed includamus istos paraphrasi.

A te postremo ô DOMINE peto, vt me clementer respicias, & sis in verbo tuo mihi doctor & magister: Nam nisi tu tenebras nostras, tuo spiritu illuminaueris, nihil præter noctem & caliginem in nobis remanebit. Incredibile est, quàm ego tuo verbo afficiar, quàm cupiam mihi id reuelari. Econtra sæpe tantam vim lacrymarum profundo, vt non lacrymæ, sed riuuli fluere per genas videantur: cum video, quam pauci sint dociles discipuli verbi tui: imo quot sint eius contemptores. Hactenus Dauid. Cũ similes versus supra etiam exposuerimus, non est vt hic longius immoremur.

OCTONARIVS DECIMVS ET OCTAVVS. ZADE

Duabus potissimum rebus, in hoc Octonario, commendat verbum Dei. Primo, quod DOMINVS à nobis requirat obseruationem verbi & legis suæ itaque eam

eam neceſſariam eſſe, niſi velimus haberi hoſtes & aduerſarij Dei. Secundo, quia verbum ſit puriſsimũ, cui nihil admixtum falſitatis, & quod maxima ſit conſtantia illarum promiſsionum, ſuo exemplo probat: nam dicit ſe & in contemptu fuiſſe & tribulatione, ſed intellexiſſe illas promiſsiones æternas, ſtabiles, & perfectiſsimas eſſe, quia tam clementer fuerit illis recreatus, & liberatus ex malis.

1. *Iuſtus es DOMINE & rectum iudicium tuum.*
2. *Mandaſti iuſtitiam teſtimoniorum tuorum, & veritatem tuam valde.*
3. *Tabeſcere me fecit Zelus meus: quia obliti ſunt verba tua, inimici tui.*

Neceſſariam verbi diuini meditationem dicit, quia à DOMINO ſerio mandata ſit. Item quod DOMINVS eos pro hoſtibus agnoſcat, qui contemnant verbum. Sed hæc in paraphraſi rectius intelligi poterunt.

DOMINE tu iuſtus, imo vero iuſtitia ipſa es, ideo non vis quidquam mandare, quod cum iuſtitiæ rationibus pugnet. Mandaſti autem vt verbum tuum, in quo ſunt teſtimonia tuæ erga nos voluntatis, ſummo ſtudio ſequamur: quia nos docent de iuſtitia, quæ coram Deo valet, & ſunt indubitata ac certiſsima ſigna, tui erga nos paterni animi. Itaq; omnes homines, iſtam tuam clementiam obuijs vlnis & vtraq; manu (vt dici ſolet) excipere debebãt & tua mandata, vt DOMINI, vt creatoris, vt patris audire. Et ſane tu iuſte iraſceris iijs, qui mandata tua & oblatam gratiam negligunt, & eos pro hoſtib. habes, & quidẽ iſti ita me perturbãt, vt

propè Zelo cõficiar. Quis enim eos amare posset, qui te omnium DOMINVM, tam clementem patrem negligunt? Et hactenus quidem Propheta. Cum sepe iam dictum sit, quàm arcto vinculo obedientiæ ad auscultationem verbi diuini astringamur, & quanto Zelo pij, studium rerum sacrarum persequantur, ad sequentia pergamus.

4. *Purgatum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.*

Commendat verbum à sua puritate, quod etiam fecit Psalmo duodecimo. Eloquia DOMINI, eloquia munda, argentum igne examinatum, in vase testaceo, purgatum septies. Versus autem huius, ista est sententia. Amo (inquit) verbum tuum, quia purissimum est, nihil enim in eo falsi, nihil ficti, promissiones eius sunt certissimæ: & quanto pluribus tentationibus videntur illæ obrui, tanto postea luculentius cernũtur, comparandæ argento, quod cum sæpissime igne examinatur, ita nihil accipit incõmodi, vt purius & nitidius, separatis omnibus scorijs prodeat. Hæc Psaltes: sed quia Psalmo duodecimo illa explicata sunt, non videntur hoc loco cum molestia repetenda.

5. *Paruulus sum ego & contemptus, sed statuta tua non sum oblitus.*
6. *Iustitia tua, iustitia in æternum, & lex tua veritas.*
7. *Tribulatio & angustia inuenerunt me, mandata tua delectatio mea sunt.*
8. *Iustitia testimoniorum tuorum in æternum, intellectum da mihi vt viuam*

Quam-

Quamuis iſti verſiculi poſsint ad varios locos argumenrorum referri, tamen ſi recte conferamus iſta cum ſuperioribus, videbimus eſſe confirmationem præcedentis verſiculi, quod eloquia DOMINI pura ſint, hoc eſt, vera & nunquam fallant.

Quod (inquit) tuum verbum nunquam fallat, ipſe ſum expertus: fui enim apud magnos illos, qui te DOMINVM non timent in ſummo cõtemptu, & tantum non pedibus conculcabar. Interim tamen ſtatuta tua & verbum nõ abiĳeci, ſed in mediĳs turbis me eo confirmaui, & reipſa comperi, tuam iuſtitiam eſſe perpetuam, nam quod promittis hoc præſtas, & doces, tua omnia vera eſſe. Fui in ſumma tribulatione conſtitutus, & non modo ſecundum promiſsiones tuas, ex his ſum ſeruatus, ſed etiam magnam oblectationem & conſolationem, in ipſis miſeriĳs & afflictionibus ſenſi. Quare cum firma, conſtans & perpetua ſit tuarum promiſsionum veritas, largire mihi quæſo notitiam verbi tui, vt & hîc in vera pace viuam, & in futuro ſeculo, illam æternam & beatam vitam conſequar. Hæc eſt verborum noſtri Prophetæ ſententia. Cum autem aliâs quoq; de conſtantia & firmitate promiſsionum diuinarum egerimus nolumus hoc loco ea repetere.

OCTONARIVS DECIMVS NONVS. CVPH

Primum deſiderium ſuum cum amplificationibus proponit. Deinde confugit ad miſericordiam DOMINI, quam ſibi dicit non defuturam, cum petat profectum in verbo DOMINI, cui per antitheſin, hoſtes ſuos

ſuos opponit, quos DOMINVS hauddubie puniturus ſit, cum diſcedant à mandatis ipſius. Poſtremo cõmendat verbum à ſtabilitate & certitudine, quod inde fit, quia DOMINVS & verbo & Eccleſiæ ſuæ adeſt, & id quod verbis promiſit, reipſa preſtat & confirmat.

1. *Clamaui ex toto corde, exaudi me DOMINE, ſtatuta tua cuſtodiam.*
2. *Clamaui ad te, ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.*
3. *Præueni diluculo & clamaui, quia in verba tua ſperaui.*
4. *Præuenerunt oculi mei vigilias, vt loquar eloquia tua.*

Dixi Dauidem initio de deſiderio ſuo loqui, quod varie amplificatur. A modo, quia ex toto corde: & quia clamat: id quod repetitur etiam in altero verſiculo, Acceſsit amplificatio à tempore quia diluculo hoc agit, & præuenit auroram oculis ſuis: vbi etiam geſtus eorum, qui cum deſiderio aliquid expectant expreſſus eſt. Hæc in paraphraſi exactius intelligi poterunt.

Ego ô DOMINE, cum de profectu verbi diuini tecũ ago, & præces à ad te inſtituo, non hoc oſcitanter facio, ſed tu ſcis me non tam ore, quàm gemitibus, qui ex intimo corde proficiſcuntur hoc facere. Certè nouiſti DOMINE, me non hypocritice agere, ſed toto animi affectu ad te accedere. Quod etiam teſtatur ſtudium meum, neq; enim liberis tantum horis, in hanc curam incumbo, ſed diluculo, & cum prima aurora, quæ ad res maximè ſerias acommodata eſt, meas ad te præces, nomine verbi tui inſtituto, imò vero nocturnas vigilias anteuerto, vt de tuo verbo & mãdatis agam.

gam. Hæc Dauid ſed quia de ſingulari noſtri Prophetæ ſtudio, & præclaro ad res ſacras affectu, ſupra dictũ eſt, nunc ad alia nos conuertamus.

5. *Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam DOMINE, & ſecundum iudicium tuum viuifica me.*

Alia ratio qua ſuam petitionem confirmat. DOMINE oro vt me exaudias, non propter meum meritum, ſed tuam miſericordiam, quam verbo tuo, nobis expreſsiſti, & me recrea, ſecundum præclaras promiſſiones tuas.

Et hæc ſæpe à nobis repetita, non cum moleſtia iteranda ſunt.

6. *Appropinquauerunt ſceleri ſequentes ſcelus, à lege autem tua longè facti ſunt.*

Per antitheſin, ſuperiori verſiculo, & ſuæ perſonæ, opponit hoſtes ſuos: Nam vt Dauid expetit verbum DOMINI, ita illi ſequuntur ſcelus, & innocentem ſanguinem fundentes, longiſsimè abſunt à vera ratione pietatis, ideo puniendi ſunt.

7. *Propè es tu DOMINE, & omnia mandata tua veritas.*
8. *Iampridem cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea.*

Poſtrema laus verbi DOMINI, quod DOMINVS adſit ijs, qui nituntur promiſsionibus diuinis, quæ ſunt

veritas, hoc est nunquã possunt fallere. Quod etiam per expolitionem altero versiculo repetit: In æternum fundasti ea &c: Hæc nostris vsitatis verbis sic possumus reddere. Postremo ô DOMINE hoc inprimis me mouet, vt cupiam doceri, de verbo tuo, quia tu propè ades his, qui eo nituntur, tu in tribulatione cum ipsis es, si ceciderint tu supponis manum, ne allidantur vehementius: tu in ipsa morte ipsis ades, ne illa obsit, sed sit profugium & portus omnium malorum. Hanc tuam præsentiam, certam & indubitatam esse, testatur verbum tuũ, quod nihil nisi ipsa est veritas: imò ego certus sum, verbum tuum manere in æternum. Cœlum & terra peribunt, verbum autem tuum nunquam interibit.

Hæc de perpetuitate & constantia promissionum diuinarũ, ex superioribus satis intelliguntur. Sed addit hîc Propheta egregiũ dictum: DOMINVM, adesse suis promissionibus, ideo eas fallere non posse. Non enim discedit ab Ecclesia sua, sed semper ei adest eam tuetur defendit, ornat, Apostolos iubet ire in totum terrarum orbem, & publicare Euangelium, sed vt Marcus testatur, cooperatus est ipsis: intellige per Spiritum sanctum, & confirmauit sermonem ipsorum per signa subsequentia. Sic quando docendum est verbum, & videmus coniunctum esse periculum, semper cogitemus, DOMINVM propè adesse & tueri suos. Et sanè nullum Ecclesiæ membrum tutum foret à Sathana, qui circuit vt leo rugiens, nisi potenti manu DOMINI fideles defenderentur. Nunquã enim commissurus est DOMINVS, vt ea quæ nobis recepit se præstiturum, fiant irrita. Ego (inquit) sum cum eo in tribulatio-

Psalm. 91.

tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

OCTONARIVS VICESIMVS. RES

Non dubitat Propheta Dauid ſæpe inculcare, quod ad noſtras maximas vtilitates & commoda pertinet. in hoc octonario petit, vt iuuetur conſolationibus verbi diuini, in miſeriis. Deinde docet, eos qui verbum non ſequantur, carere omni ſalute: ergo intelligere ſe, quam neceſſaria ſit cognitio verbi omnibus, vt veram ſalutem cõſequamur, & pœnas effugiamus. Poſtea de ſuo ſtudio, erga verbum loquitur, propter quod notitia eius dignus videatur. Poſtremo cõmendat verbum à ſua veritate & æternitate, id quod ſupra etiam aliquoties fecit. Itaq; verſiculos hoſce breuiter percurremus.

1. *Vide humilitatem meam & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus.*
2. *Iudica iudicium meum & redime me, propter eloquiũ tuum viuifica me.*

Quàm neceſſarium ſit verbum DOMINI, & conſolatio eius Dauidi, his verſiculis docetur: quia Propheta afflictus & miſer eſt, & in ſummis anguſtijs, non habet aliam conſolationem, quam quæ ex verbo Dei petitur Nam horum verſiculorum hic eſt ſenſus. Cum propter multas alias cauſas deſiderio ſummo verbi tui tenear, tum vel inprimis me mouet mea miſeria, quam vt propitius reſpicias, & me eripias ex his malis

oro. Et quod ſis hoc facturus non dubito, quia verbo tuo nitor. Age ô DOMINE cauſam meam, & me libera & recrea: nam hoc te facturum verbo tuo pollicitus es.

Sæpe iam dictum eſt, quomodo Pſaltes præſtantiã verbi prædicet, quam in miſeriis & calamitatibus expertus ſit: eam hoc loco etiam exoptat. Nam vt in periculoſiſsimus morbis, medicamentis & antidotis efficaciſsimis illis opus eſt, ſic cum in magnis perturbationibus verſamur, ad conſolationem verbi diuini, velut ad ἀλεξιφάρμακον confugiendum eſt.

3. *Longe ab impijs ſalus, quia ſtatuta tua non exquiſiuerunt.*

Impij (inquit) quia verbum tuũ negligunt, tandem in grauiſsima mala incidunt, nec poſſunt ipſorum res diu eſſe ſaluæ. Itaq; omnibus danda eſt opera, vt verbum, non modo audiant ſed etiam ſequantur, & conſtantem & perpetuam felicitatem habeant, pœnasq; illas fatales, quæ contemptoribus verbi immittuntur effugiant. Notandum autem diligenter eſt, quomodo Propheta, impios dicat eſſe infelices: cum tamen in ſcriptura non modo florere, ſed diuturno etiam ſucceſſu frui, imo ſæpe ad vltimos vsq; ſpiritus, in rerum affluentia & proſperitate viuere, dicantur. Tenendum ergo eſt, cum ſcriptura dicit, non eſſe pacem, non ſalutem impijs, de vera eam ſalute & pace loqui. Nam quamuis impij externis & caducis illis bonis ſe oblectare conentur, tamen cum non habeant bonam conſcientiam, ſemper turbantur, ringuntur, maximè ſi intelligant bona illa ſibi aliquando deſerenda. Nam quo

pluris

pluris faciunt illa externa, tanto magis sunt de illorum iactura soliciti & tristes. Deinde vera salus non est posita in cibo & potu, sed in vera fide, iustitia, pace, & certissima spe eorum bonorum, quæ in altera illa vita expectamus. Postremo sæpe etiam in hoc mundo impij grauissimis pœnis afficiuntur: vt Iudas Iscariotes, Iulianus, Arrius, & similes. Cum autem videamus contemptum verbi, tales pœnas, hominibus accersere, conuertamus nos ad DOMINVM, vera fide, & verbum Dei sequamur, vt aliquando æterna salute frui possimus.

4. *Misericordiæ tuæ multæ DOMINE, secundum iudicium tuum viuifica me.*

Quæ de misericordia DOMINI hoc loco dicit, intelligenda sunt de ea, quæ in verbo reuelata est. Nam hæc est maxima vtilitas verbi, quod in eo, tanquam in tabula, depicta est DOMINI clementia, exhibita per Christum: præterea cernuntur in eo, ingentia beneficia, quæ Deus in sanctos suos contulit, Quare hoc modo hic versiculus intelligendus est. Ex omnibus operibus tuis DOMINE, maximum est misericordia tua, tot modis & rationibus nobis declarata, & præclare demonstrata in verbo tuo. Consolatione ergo illa tua me viuifica & semper recrea. De misericordia DOMINI sæpe iam egimus, progrediamur ad sequentia.

5. *Multi persequuntur & tribulant me, à testimonijs aũt tuis non declinaui.*

6. *Vidi prauaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.*

7. *Vide quod mandata tua dilexi DOMINE, secundum misericordiam tuam viuifica me.*

Hi tres versiculi Dauidis studium & Zelum erga verbum Dei amplificant. Primum, non patitur se persecutione à verbo abduci. Deinde ferè cõtabescit præ Zelo, cum audit multos contemptim de verbo loqui. Postremo dilexit verbum ex animo, itaq; dignus est, cui DOMINVS verbi sui agnitionem largiatur. Multi (inquit) me propter cõfessionẽ verbi tui persequũtur, sed nõ potuerũt me auellere à cõfessione & vera fide. Adhæc quando video impios & contemptores verbi, ita contristor vt propè tristitia contabescam. Denicq; ex animo diligo verbum tuum, quare id quod peto, pro misericordia tua largire.

8. *Principium verborum tuorum veritas, & in æternum omnia iudicia tua.*

Postrema laus verbi quod sit ipsa veritas, & quod in æternum maneat. De quibus sæpe iam dictum est.

OCTONARIVS PRIMVS ET VICESIMVS. SCHIN.

Nunquam sibijpsi satisfacit Propheta in describendis laudibus verbi & desiderio suo. Hoc loco præcipue suum studium in discendo & cognoscendo verbo varie amplificat. Initio quod persecutionibus ab eo abstractus non sit. Deinde ita gauisum vt qui spolia diuidunt. Vtitur etiam Antithesi doctrinarum falsarum

&

& verbi, amplificandi gratia. Adhæc promittit se laudaturum DOMINVM, propter verbi agnitionem, & quidem sæpissime. Postremo eandem prædicationem sui studij, expolitione egregia proponit. Ita totus hic octonarius ferè consumitur in amplificationibus vnius loci: vnica duntaxat laus verbi, sumpta ab vtilitate & suauitate eius, inserta est: quod suis cultoribus conciliet pacem & defendat à scandalis.

1. *Principes persecuti sunt me sine causa, & à verbis tuis formidauit cor meum.*

Quod sæpè commemorauit, iam repetit, non pericula, non persecutiones, & quidem magnorum hominum, potuisse se mouere, vt plus ipsorum minas reformidaret, quam DOMINVM ex verbo agnitum. Hæc de persecutione quam Dauid grauissimam pertulit sub rege Saule accipienda esse facilè intelligitur. Demus ergo operam, vt omnia pericula magno animo subeamus, semper præferentes verbum & confessionem.

2. *Lætabor ego super eloquia tua sicut qui inuenit spolia multa.*

Secunda hęc est desiderij studijq; Dauidici amplificatio, se tã de verbo eiusq; accuratione agnitione lætatum, quàm de spolijs solent victores: nam illi & propter victoriam & spolia exultant. Ita pij homines serio lætantur, cum in sacris legunt de ingentibus beneficijs DOMINI, maximè vero Spiritualibus & æternis, quæ Deus vult conferre in homines. Sunt &

alia

alia vocabula, quibus DOMINVS eadem vult exprimere, vt cum vitam æternam vocat, hæreditatem, mercedem, municipatum, coronam immarcesibilem. domum, ciuitatem, βραβεῖον, &c. Sed spolij vocabulū egregiè exprimit gaudium & lætitiam, quam Sancti experiuntur in sacris. Pulcherrimnm autem genus est spolij, quia sine cuiusquam detrimento, licet illa arripere, & quô plures accipiunt, eô spolia sunt magis opima & ampla.

3. *Mendacium odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*

Alia exornandi ratio per antithesin. Ego mendacium, vanitates, falsas doctrinas, non modo odio habui, sed sum etiam abominatus. Econtra autem tua lege sola delector, quia ea docet me veritatem, & eam quidem constantem. Supra diximus eos qui in verbo DOMINI profecerint, odisse sophisticen & vanitates, doctrinas humanas, quas Propheta Esaias confert telis araneorum. Nemo ergo speret (quod tamen hodie multi faciunt) humana commenta, vtiliter & laudabiliter coniungi cum veritate diuini verbi posse. Nam vt lux & tenebræ, dulce & amarum inter se pugnant, sic vera doctrina, non admittit caliginem humanarum mentium, non amaras & salsas aquas, quæ non sunt haustæ de salutaribus fontibus verbi diuini.

4. *Septies in die laudem dixi tibi, propter iudicia iustitiæ tuæ.*

Alia ratione suum studium & curam proponit, quod

quod pro iudicijs iuſtitiæ, hoc eſt iuſtis iudicijs, quæ ſunt in verbo Dei, DOMINVM laudet & celebret: cui augmentum accedit à tempore, ſepties enim, hoc eſt ſæpiſsimè vult laudare.

5. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt eis offendiculum*

Verbum Dei pacis Spiritualis cauſa eſt, efficitq́, ne pij ſcandalis, hoc eſt peccatis contra conſcientiam ſe polluant: quæ vtilitas præclariſsima eſt. Initio enim reddit pacatos piorum animos: deinde etiam pij eruditi verbo, non turbant homines, ſed bonis operibus, quæ in vita piorum conſpiciuntur, alios ad imitationem virtutum inuitant.

6. *Expectabam ſalutare tuum DOMINE & mandata tua feci.*
7. *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua & dilexi ea vehementer.*
8. *Seruaui mandata quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.*

Redit ad commemorationem ſui ſtudij diligentiæq́ exornans expoſitione. Summo (inquit) deſiderio auxilium & opem tuam expectaui, & totus à tuo verbo pependi. Ex animo amplector & ſequor mandata tua: & quidem non coactus hoc facio, quia maiorem in modum ea diligo. Poſtremo cum ſciam, nihil me poſſe ſuſcipere in tota vita, quod tu non noueris, quod non præſens intuearis, totam vitam meam ad verbum & leges tuas compono.

OCTONARIVS VLTIMVS. THAV

Quod in epilogis fieri consueuit, Propheta repetit præcipua argumenta, totius Psalmi. Primo versu orat, vt intelligentiam rerum sacrarum consequatur, quam DOMINVS in verbo suo pollicitus est. Altero vero petit, vt liberetur ex periculis, quod & ipsum promissionibus diuinis expressum est: & supra sæpe dixit, se in tanta varietate periculorum, quæ vndiq; obijciantur, indigere auxilio & cõsolatione verbi Dei, maximè cum veluti exul & peregrinus in hoc mundo viuat. Tertio versu dicit tum se veram gratiarum actionem velle instituere, si verbo erudiatur, nam supra etiam diximus, nos nec præcationes, nec gratiarum actionem rectè posse meditari, nisi eam facultatem DOMINI nobis Spiritus & quidem per sacras literas tribuerit. Quarto versu duo argumenta proponuntur. vnum, vbi confessionem pollicetur, cuius etiam in toto Psalmo crebra mentio facta est. Alterum quod DOMINI verbum & promissiones sint iustæ certæ, ac nunquam nos fallant: quod & ipsum aliquoties, in Psalmo repetitur. Versus quintus & sextus, repetunt argumentum sæpe supra positum, de desiderio Dauidis & studio in rerum sacrarum perceptione. Septimus promittit celebrationem nominis diuini. Vltimus habet affectus: vbi se ouiculam errantem dicit, quæ reuocari in viam non possit, nisi à DOMINO regatur & ducatur verbo. Vbi etiam repetitum est præcipuum totius Psalmi argumentum, quo ostendit, se ne in verbo quidem posse proficere nisi DOMINI magisterio vtatur.

1. Appro-

1. *Appropinquet clamor meus ad te DOMINE ſecundum verbum tuum da mihi intelligentiam.*
2. *Vincat deprecatio mea ad te, ſecundum eloquium tuum erue me.*
3. *Eructabunt labia mea laudem, cum docueris me ſtatuta tua.*
4. *Loquetur lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua ſunt iuſtitia.*
5. *Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quoniam precepta tua delegi.*
6. *Deſideraui ſalutem tuam O DOMINE & lex tua delectationes meæ ſunt.*
7. *Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.*
8. *Erraui ſicut ouis, quæ perit, quære ſeruum tuum quia mandatorum tuorum, non ſum oblitus.*

Cum de epilogi huius partibus, ſatis dictum ſit, & ſuperiora non modo argumenta, ſed phraſes etiam propè eædem repetantur, breuiſsima paraphraſi verſiculus iſtos explicabimus.

Quæ ergo Clementiſsime Deus, hoc Pſalmo ſum precatus, & quidem ardentiſsimis precibus & clamoribus à te contendi, id vt mihi largiaris, quemadmodum te facturum in verbo tuo pollicitus es, oro, Quanta autem maxima animi contentione poſſum abs te peto, vt quod ſæpe in hac precatione mea repetiui per verbum tuum rerum ſacrarum & Spiritualium, veram intelligentiam mihi largiaris. Deinde iuſsiſti nos in die tribulationis, ad te clamare, certa ſpe exauditionis concepta, itaq; oro vt meæ præces, nubes ipſas

bes ipſas penetrent, ad ſolium maieſtatis tuæ perueniant: vt in ſummis periculis, & conſolationem & opitulationem tuam experiar, & quidem per verbũ tuum. Quod ſi fuero conſequtus, & vt cupio in verbo tuo laudabiles progreſſus fecero, tum perennes quaſi ſcaturigines laudum tuarum erunt in ore meo: Nam, vt debeo, omne tempus in prædicanda & extollenda tua bonitate conſumpturus ſum. Quod ſi etiam cum periculo ſuſcipienda erit confeſsio, tamen non deero officio pietatis, nec confeſsionem abijciam, ſed clara voce confitebor veritatem ipſam: nam quare non magno animo hoc facerem, cum verbum tuum ſit ipſa veritas & iuſtitia, quæ certe modis omnibus amplectenda, nec ſpe commodi, aut formidine periculorum & diſcriminis, deſerenda eſt. Tu modo qui omnia potes, & efficis, mihi adſis & manus auxiliares præbe. Præcipue cum in hoc ſedulo elaborem, vt verbum tuum, præ reliquis rebus omnibus, eximium habeam. Imò cum ſalutem quam promiſsionibus tuis diuinis toti orbi publicaſti, mirifice expectam, & me iſtis vel ſolis, oblectem, non deeris voto aut deſiderio meo. Et ego ſane quoad vixero te laudabo, & tuo me verbo erigam. Scis ô fons miſericordiæ & omnis clementiæ me indigere in omnibus ope, protectione & auxilio tuo. Nam quid ego ſum quàm ouicula per deuia errans, & exorbitans à tramite veritatis & laudabilis vitæ. Imo vero ſum ſeruus inutilis, cuius nulla pars vel vitæ vel obſequij probari tibi poſsit, niſi tu ex errore tuam ouiculam reduxeris, imo vero impoſueris tuis humeris, niſi tu filium & ſeruũ illum prodigum quæſiueris. Ego ſane vt hactenus feci, ſic porrò etiam te

duce

duce & comite, in tui verbi meditatione ſtrenue pergam: nec committam vnquam, vt rei tam neceſſariæ, mihi iucundæ, & perutilis, obliuione capiar. Hactenus Propheta. De gratiarum actione ſæpe dictum eſt, ſed quod laudum diuinarum quaſi ſcatūriginem promittit, diſcendum eſt, non vnum diem, aut horam, ſatisfacere ad prædicationem nominis diuini, ſed quemadmodum DOMINVS perpetuo nobis benefacit, ita nos non ceſſemus vnquam gratitudinem noſtram DOMINO verbis, obedientia, confeſsione, laudatione declarare. Videmus etiam qui nam nobis tituli, hoc loco dentur: vocamur ouiculæ errantes, ſerui fugitiui qui querendi ſunt. Qua de re etiam præclare ſcripſit Propheta Eſaias. Huc etiā (vt in paraphraſi attigi) eſt accōmodanda parabola de filio prodigo. Hæc ſemper & quidē diligēter perpēdēda ſunt, ne nobis ipſis ſimus Suffeni vires humanas & conatus noſtros (quod hypocritæ faciunt) prædicemus, ſed conuertamus nos, ad paſtorem animarum noſtraram, qui id quærit, quod amiſſum fuerat: qui ex errore in viam, ex interitu ad vitam, ex inferno in cœlum & ad æternam felicitatem nos vocat.

Eſa.53.

Luc.15.

VSVS HVIVS PSALMI.

Nemo ſatis vtilitates huius Pſalmi explicare poterit. Quis enim pro dignitate exponere & recenſere conaretur, omnia ea commoda, quæ à verbo Dei nobis adſunt? Quæ ſane omnia in hoc carmine commendantur: ſed inprimis his Propheticis laudibus vtamur, aduerſus fanaticos, qui non modo non præclare, ſed

ne tolerabiliter quidem de eo loquuntur: vocãtes mortuam literam. Isti sane non satis perpendunt, quam sublimis res sit verbum, & à quo proficiscatur. Nam hominũ sane promissiones, sæpe folijs sunt leuiora caducis, at hoc verbum, est diuinũ, immortale, æternum, & veritas quæ nunquam fallit, fax quæ prælucet in tota vita, de quibus passim in hoc Psalmo dictum est.

Deinde inprimis hic Psalmus vsurpandus est, contra Papistas, qui nescio quam obscuritatem affingunt verbo, & scripturam nõ nisi in patrũ explicationibus intélligi posse credunt. At hi non diligenter attenderunt, quas laudes Dauid verbo tribuat: quod sit lucerna pedibus nostris. Nam si ipsi verbo noua face opus est, quomodo lucernæ nomen merebitur? Et quomodo ea doctrina, quæ obscuritatibus summis inuoluta est, ductrix nobis erit in rebus obscuris & reconditis. Nec cum sententia nostra pugnant, ea quæ de auxilio diuino sæpe in hoc Psalmo dicuntur: neq; enim dicimus, verbum sua natura hanc efficaciam habere, sed quia DOMINO placuerit per id saluos facere homines. Posset DOMINVS & nos & iumenta, absq; omni cibo & pastu alere, sed visum est ipsi per ista media hoc præstare. Ergo ea negligi nullo modo debent. Sic cum fides ex auditu sit teste Apostolo, certe conciones & verbum magno in præcio habenda sunt.

Psalmus

Psalmus 120.

Canticum graduum.

Ad DOMINVM eum tribularer clamaui.



Salmi quindecim sequentes graduum vocantur, siue quod in gradibus templi decantati fuerint, siue quod in concinendis istis Leuitæ subinde altiore voce vterentur, vt quo quilibet Psalmus numero posterior esset, ita etiam maiorem vocis intentionem requireret. Nam nec Hebræi nec Latini certi quidquam habent, nec in rebus obscuris superstitiosa & nimia diligentia vtendum est. Propheta autem in hoc Psalmo orat contra calumniatores, qui ipsi creabant periculum in aula. Potest etiam in genere ad omnes persequtores Ecclesiæ referri. Habet autem Psalmus duas partes. Prior non solum proponit petitionem sed habet etiam inuictum argumentum, DOMINVM adiuturum Dauidem quia in alijs ipsi adfuerit. Secunda pars cõtinet egregias amplificationes, quanta vis sit calumniæ, & quam virulenti sint hostes Dauidis. Vt intelligatur, petitionem Prophetæ non esse leuiculam, quod tantis gemitibus apud Deum instat contra calumniatores suos, sed cum in grauissimis tentationibus versetur, à DOMINO exaudiendum & iuuandum esse. Hæc autem referri possunt ad necessitatem

tem DOMINE neceſſe eſt vt me iuues, quia magna eſt meorum calumniatorum malitia & improbitas.

1. *Ad DOMINVM cum tribularer clamaui & exaudiuit me.*
2. *DOMINE libera animam meam à labijs mendacibus & à lingua doloſa.*

Hi duo verſiculi complectuntur in ſe Enthymema tale. In omnibus quæ mihi aduerſa euenerunt, confugi ad DOMINVM gemitu præcibuſq; meis, & ſemper me exaudiuit & auxilio ſuo mihi adfuit. Ergò ô DOMINE liberabis me etiam ex præſenti periculo calumniarum & inſidiarum, quæ mihi ab hoſtibus meis imminent. Nec opus eſt repetere ea, quæ ſupra ſæpe dicta ſunt de Doëgi calumnijs, & aulicorum Saulis ſyncretiſmis, qui Dauidi creare periculum incolumitatis conabantur. Notum enim ex hiſtorijs eſt, quanto odio iſti perſequti ſint innocentem Prophetam, & ſæpe Dauid quæritur, de improbitate ipſorum. Sed diſcenda eſt eſt diligenter Prophetica argumentandi ratio, quæ à prioribus beneficijs, ad ea quæ expectantur progreditur. Nam quamuis DOMINVS, tot indicijs, paternum ſuum animum, & ſummam clementiam ſuam nobis declarauerit, tamẽ cum noua difficultas obijcitur, ita trepidant homines, ac ſi nulla vnquam paterna bonitatis ſigna vidiſſent, imò vero de Deo ipſo dubitare incipiunt. Eduxerat DOMINVS Hebræos, tot tantisq; miraculis ex Egypto, viderant in mari rubro, ſumma miracula, & interitum Tyranni, ſed mox murmurant aduerſus Moſen, & ei expro-

exprobrant, quod eduxerit ipsos ex seruitute, maluis- *Exod.16.*
se se apud ollas carnium mori, quàm in deserto. Lethe-
am quis dicere obliuionem posset, quę memoriam be-
neficiorum tam recentium, & præsentiæ adiumentiq́ꝫ
diuini, tam illustria specimina, vno quasi momento a-
mittit, sed nō desunt exempla in tota vita nostra istius
obliuionis. Scimus nos à DOMINO creatos, credi-
mus nos merito DOMINI & seruatoris nostri Iesu
Christi seruatos. Nouimus eius nos beneficio ex tot
periculis exemptos ad hūc vsq́ꝫ diem, sed si vel caritas
annonæ, vel pestis vel alia calamitas ingruit, ita tre-
pidamus, ac si non esset Deus, non prouidentia, ac si
DOMINI in nos nullum omnino beneficium extaret.
Discamus ergo cum Dauide argumētari. Ego in mul-
tis meis varijsq́ꝫ periculis, ad DOMINVM confugi &
seruatus sum, ergo periculum quod iam obijcitur, si ad
DOMINVM, præcibus meis & vera fide confugero
etiam nón oberit mihi. Sic Dauid congressurus cum
Goliathe, in memoriam reuocat auxilij diuini exem-
pla. DOMINVS (inquit) eripuit me de manu leonis, *1.Sam.17.*
& de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philistęi
huius. Par ratio est cum aliorum exemplis, quos Deus
ex summis periculis liberauit nos consolamur: quod
Matthatias iam iam moriturus, & filios ad animi con-
stantiam magnitudinemq́ꝫ aduersus Antiochum ar-
maturus, fecit, producens exempla Abrahami, Iose-
phi, Phinees, Dauidis, qui in periculis quæ pro verita- *1.Macc.2.*
te susceperunt mirando Dei consilio & auxilio serua-
ti sunt. Et ex eo colligit non dubiam fore victoriam
aduersus Tyrannū Antiochum. Hæc etiam nos imi-
temur & priora Dei beneficia, partim spiritualia, par-

tim externa, in memoriam reuocemus, & inde conſolationem in futurum etiam concipiamus. Quanquam enim DOMINVS, in externis & corporalibus bonis conferendis, non ſemper eandem rationem ſequitur. Nam interdum eum, quem antea in bello ex hoſtium manibus liberauit, poſtea ſinit ab iiſdē capi & in vincula conijci: quos aliquoties ex morbo periculoſiore ſeruauit, nunc vel lecto affigit vel omnino ex rebus humanis euocat. Apoſtolos quos ex ſummis periculis ſeruauit tandem ſinit trucidari & miſere mori ſub carnificis manu, tamen ſcimus, eum auxilij modum aliū, & quidem nobis magis fructuoſum habere, vt vel alia dona æterna largiatur, vel ex omni miſeria, nos traducat in vitam æternam.

3. *Qui dabit tibi & quid apponet tibi lingua doloſa.*
4. *Eſt ſicut ſagittæ acutæ potentis, vt ignis in iuniperis.*

Videri poterat Dauid, nimis inbecillo animo eſſe, qui non poſſet perferre hominun de ſe iudicia, & voces. Quomodo is qui tam anguſti eſt animi maiora pericula, armorum, perſequtionis mortis eſt ſubiturus? ſequentibus ergo verſiculis Propheta oſtendit, quàm periculoſa, quamq; moleſta ſit res calumnia: itaq; ſe non fruſtra ad DOMINVM eam ob cauſam clamare. Primus autem verſiculus ἀποσοφὴ eſt, quam plerīq; putant ad aduerſarios Dauidis pertinere, quos Propheta appellet: quid nam ex calumnia lucri, emolumentiue habeant: in hanc ſententiā: quid quęſo vobis proſunt calumniæ, quid inſidioſæ voces &c. Sed cum ſtatim ſequatur reſponſio. Eſt ſicut ſagittæ acutæ, &c.

tæ &c. Videmus esse subiectionem (vt vocant) Rhetoricã quam hoc modo quis expresserit. Sed quid dicet aliquis tibi ô Dauid vel commodi, vel detrimenti afferre possunt hominum voces? An non innocentia tua aduersus criminationes omnes tutum te reddere poterit? An non inuicta virtus, an non pietas ad omnia vtilis seruitura præsenti & futuræ vitæ tibi patrocinabuntur? An vero maxime heros, qui sæpe inter armorum strepitum, cum omnia tibi præsentem mortem minarentur, intrepidus fuisti nunc hominum duntaxat minis ita percelleris? Et quem Goliathis arma non terruerunt, nunc Doëgi & similium calumniæ perturbant? Est sanè hoc aliquo modo verum, sed tamen homini pio & bono maxime extimescenda calumnia est, quia cum ijs rebus rectissime comparari potest, quæ præsens & magnum hominibus periculum afferunt qualis inprimis est vis sagittarũ & ignis. Etenim quando sagittipotens sua iacula proiecerit, eminus etiam hostem incautum prosternit. Et nulla est res quam ignis domare nõ possit, ita vis calumniæ maxima est. Imò vero si rectè perpenderimus, calumnia, ista duo, quæ diximus maximam efficacitatem habere, etiam superat. Nam & sagittas & omne genus telorum, qui cautus est, vel fuga vel clypeo, declinare potest, sed aduersus morsum Sycophantæ nullum remedium est, nulla hominum protectio. Nam ita imprudentem ferit, vt is omnino scire non possit se læsum esse antequam omnino pereat. Sagittarum vulnera statim sentiuntur, sed calumniatoris vulnus, prius non agnoscitur, quam letale factum sit, & medici manum non admittat. Et ignis in iuniperis exortus furit

Cice. in Ara.

furit quidem, sed facilè restingui potest, aut ipse consumpta materia euanescit: deinde fragore suo periculum denuntiat, calumnia autem quando maxime nocet insidiosa est, & cum principum animos ad iniustam cędem armat maximè latet. A re igitur tam noxia ô DOMINE me libera. Non potuit breuius sententia horum, quamuis breuissimorum versiculorum explicari, quia singulorum verborum ea sunt ponderа quæ nemo facilè vlla oratione consequi potest. Nullum certè telum calumnia acutius est, quia penetrat antequam aduertas. Deinde non est aliud telum quod magis lædat: sagitta, gladius, vulnerant aut interimunt hominem, calumnia autem efficit, vt & viuentes tanquem mortui inter homines obambulent, & mortui cum dedecore, in memoria viuorum obuersentur. Hinc noster Propheta, & in alijs Psalmis calumniatorum criminationes confert armis & sagittis, vt Psalmo 56. Filij hominum dentes eorum arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus. Et alibi, Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum. Syracides cap. 5. scribit calumniatorem fure deteriorem. Nam fur aufert, quæ recuperari possunt, sed calumniator est fur rerum irrecuperabilium. Hanc etiam multorum improbitatem depinxit Propheta, Psalmo duodecimo. Vanitatem loquuti sunt, vnusquisq; ad proximum suum, labio adulationum ex corde & corde locuti sunt, Disperdat DOMINVS vniuersa labia adulationum & linguam magniloquam. Quid quod D. Iacobus dicit, linguam calumniatoris igne gehennæ inflammatam. Et quis tandem colligeret omnia, quæ scite admodum aduer-

Psalm. 140.

sus

ſus hoc vitium dicta & ſcripta ſunt. Sed non ſolum obſunt obtrectationes eorũ, qui famam lædunt, quam qui doctrinam puriorem ſuſpectam faciunt. Nam illi apud magnates crimina aduerſus pios doctores confingunt, & principes ſolicitant ad perſequutionẽ. His accedunt aulici nonnulli, qui cum videant principũ animos eò propendere, frigidam & ipſi ſuffundunt, vt Doëg Achitophel & ſimiles. Incredibile autem eſt quanta vis ſit eiuſmodi calumniarũ, quia iſti homines prætextu honeſtatis ſeſe magnis Principibus & Regibus commendant, dicũt ſe ſtudio pietatis iſta ſuſcipere, cupere extinctos eos, qui diſciplinam, qui religionem labefactent. Quo integumento cum palliata eſt διαβολὴ, Deus bone, quam formidabile malum eſt. Quot pij doctores iſto telo confoſsi ſunt, quot Sancti martyres occubuerũt. Sed quod nam remedium contra hanc peſtem inueniemus? certè medicina in rebus humanis nulla ſatis idonea reperta eſt, ſed in hoc Pſalmo diſcimus, ad DOMINVM eſſe confugiendum. Nam cum ipſe ſit veritas, certè non patietur veritatem diutius quam par eſt, deliteſcere, ſed producet eam in meridiem & clariſsimam lucem. Congeſſerunt, impij multa maledicta aduerſus Prophetas, Apoſtolos, Martyres, ſed calumniæ iſtæ omnes deletæ ipſo tempore, & ſumma & æterna gloria magni illi heroës ornati ſunt.

5. *Heu mihi quod peregrinus ſum in Meſchech, & habito in tabernaculis Kedar.*

6. *Longa eſt habitatio animæ meæ, cum his qui oderunt pacem.*

7. *Ego pacificus, sed cum loquor, ipsi ad bellum.*

Dixit Dauid de calumnia ipsa, quantum malum sit, Iam hostes siue calumniatores ipsos describit, quàm sint virulenti & intenti in omnes occasiones nocendi, id autem varie amplificat. Initio per Synonymiam, quum dicit eos odisse pacem, item belligerari. Deinde alio quoq; modo auxit, cum cõfert eos cum Meschech & Cedar, hoc est populis barbaris, & dicit sibi videri exilium indictum inter inhumanas & barbaras gentes. Meschech vt quidam volunt, à trahendo ducitur, nam משך significat trahere, & intelliguntur populi, qui peritiam sagittandi habent, nam qui volunt iaculari eos oportet neruum attrahere. Hebræi autem per Meschech Thuscos intelligunt, quos volunt habere originis autorem Meschech filium Iaphet, de quo scriptum est Gene. 10. Per Cedarenos, qui à Cedar filio Ismaëlis nomen habent, Arabes intelliguntur. Figurate autem has gentes pro genere posuit, hoc est, barbaris: ac si quis diceret hodie, videor inter Turcos, aut Tartaros peregrinari. Est & vocabulum peregrini emphaticum, nam cum peregrinus homo apud crudeles & barbaras gentes versatur, miserrimam & afflictissimam vitam agit. Quod autem hæc sit sententia Prophetæ, proximo versiculo exponitur, cum inquit, longa est habitatio animæ meæ, cum his qui oderunt, hoc est, molestissima est cõmoratio cum eiusmodi hominibus. Postremo vt ad cumulum reliquarum amplificationum etiam adderet id, quod grauissimum est, dicit ita eos esse improbos & virulentos, vt Dauidem pacificum ferre non possint, & quò magis

Iosephus etiam sic sentit.

gis ille ſtudeat amicitiæ & paci, eo hoſtes illos vehementius inſurgere aduerſus ipſum & belligerari. Quę ſparſim diximus, iam ordinem verſiculorum Prophetæ ſecuti explicemus. Connectentes ſequentia cum ſuperiore paraphraſi.

Quæſtus ſum ô DOMINE quanta res, & quam periculoſa ſit calumnia, ſed ipſi harum inſidiarum architecti, heu quam improbi & nefarij homines ſunt, quã crudeles & ad tyrannidem propenſi. Videor certe cum inter ipſos in patria ipſa verſor apud Barbaras gentes quales ſunt Meſchitæ, quia Iaphet originẽ trahunt, & Thuſci apellantur, vel apud Cedarenos qui vulgo Arabes vocantur viuere: imò verò in triſtiſſimo exilio, ſummo cum tœdio & moleſtia verſari. Nam quæ mora non longa videri poſſet ijs, qui inter homines tam inhumanos vitam degunt: aut cuius animus ita ad omnes hoſtium inſultus munitus eſt, qui non in turba talium aduerſariorum perturbetur, & interdum etiam animo deijciatur, vt vita etiam in pœnam ijs data videatur, quibus contigerit, cum eiuſmodi hominibus viuere. Quod ſi illi prouocati aliqua iniuria, iuſtis odijs, aduerſus me arderent, non foret quærelis meis locus, Sed ô DOMINE tales iſti ſunt, vt quò magis ego eos placare conor, officijs & beneficijs meis, tanto plus ipſi aduerſus me inſurgant, & infelix bellum acerbiſsimi odij, aduerſus me ſuſcipiant. Quare cum DOMINE Deus pater cœleſtis ſcias, quantis in periculis verſer, & in omnibus alijs malis, mihi adiutor fueris, & protector, nõ dubito te in hoc quoq; periculo mihi affuturum.

Hæc verſiculorum iſtorum ſententia eſt, in quibus

bus picturam habemus, Ecclesiæ in hoc mundo exulantis, imò verò inter leones, & sæuissimas bestias sedentis, non aliter, quàm Sanctus Propheta Daniel. Nam mundus non potest amare, nisi suos: Cum autem pij non sint de hoc mundo, immortale odium est inter ipsos & huius mundi assecl as. Propheta hic dicit se inter Cedarenos & Mesechitas habitare, tanquam exulem & peregrinũ. Hoc expertus est etiam, Abraham, Isaac, Iacob, viuentes inter impios Cananæos: hoc tolerauit Ecclesia in Ægypto sub durissima & grauissima seruitute: hoc Dauid in periculo, hoc primitiua Ecclesia, in multis persecutionibus, hoc singuli Christiani, dum odia iniuriasq; impiorum sustinẽt, experiuntur. Deinde hoc loco quoq; responsionem habemus, ad peruulgatam quærelam impiorum, qui omnem culpam dissidiorum, conferunt in Ecclesiæ membra, dicentes Christianos esse turbatores pacis, & accersere cæteris etiam pœnas fatales. Quemadmodum apud Ethnicos, si vel sterilitas, vel pestis, vel aliud malum, ingrueret, clamabant, ad leonem, ad leonem. Quod etiam hodie (vt dixi) impij imitantur, vocantes nos tubas seditionum, & causas motarum tragediarum, cum tamen pij doctores, in hoc vnicè incumbant, vt pax pia, & Christiana conseruetur. Sed quamuis isti paci studeant, tamen omnis generis accusationes in eos cõgeruntnr. Sed ne hoc quidem nouũ nobis videri debet, cum hoc loco Psaltes dicat, ego pacificus sed cum loquor, ipsi belligerãtur. Esaias cap. 52. dicit. Quam speciosi super montes pedes annuncian-
tis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion regnabit Deus tuus.

Sed

Sed idem cap. 55. ſcribit, quis credidit auditui noſtro, & brachium DOMINI cui reuelatum? Vbi Apoſtoli (quos Propheta in ſpiritu loquentes audit) mirantur, quare tam pauci credant Euangelio, cum tamen hoc & Iudæis & Gentibus annunciatum fuerit. Vides fuiſſe multis ante ſeculis prædictam fortunam Apoſtolorum, qui cum pacem & ſalutem nuncient, tamen non audiantur imo vocentur καθάρματα καὶ περιψήματα, nouatores qui veterem doctrinam è medio velint tollere, labefactare authoritatem Moſi & legis diuinę. Non ergo miremur ſi eadem conuicia hodie in pios miniſtros congerantur.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hoc ergo Pſalmo, tum rectiſsime vtemur, cum falſis criminationibus, vel doctrina Euangelij, vel vita noſtra grauatur. Sciamus hanc, de qua hic loquitur Pſaltes, veræ doctrinæ perpetuam fuiſſe fortunam, vt cum vna & ſola veritatem doceat, tamen apud impios infamia mendacij plerunq; laboret. Sed interim tamẽ ſemper emergit, & dum totus ferè mundus conſpirat, vt eam opprimat, tamen contra pondus, vt palma, aſſurgit, & ſuos aduerſarios confundit. Chriſtus dulciſsimus ſeruator dixit, portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, quod vaticinium, duo in ſe continet, vnum Eccleſiam ſemper habituram hoſtes, & eos quidem non vulgares, ſed Satanam, & totam ipſius potentiam. Verum cum illa extructa ſit ſuper petram Chriſtum, eam tutam eſſe, ab omni inſultu Diabolico.

bolico. Eadem ratio est famæ & existimationis: nam qui ea in parte innocentes opprimuntur, clament ad DOMINVM, is non patietur innocentiam & veritatem periclitari, sed suo tempore (vt supra etiam diximus) producet eam in lucem, & quidem meridianam.

FINIS.

CANDIDO LE-ctori salutem.

CVm duodecima hæc Decas sub prælo esset, sæua pestis vrbem inuasit: propter quam multæ difficultates nobis obiectæ sunt, partim quod Optimus vir D. Osuualdus Typographus (absente fratre Georgio) nobis eriperetur, partim, quod subinde nouæ operæ substituerentur, & nos, ne in ijs quidē delectū habere possemus. Itaq; post summam attentionem, cauere nō potuimus, ne mendæ aliquæ irreperent, quas æquus Lector corrigat. Primus numerus paginam, alter versum indicat.

Folio 8.11. intelligitur. 10.2. Pentecoste. 11.20. specialibus, 15.27. quas. 18.2. deest est, post missurus. 19.17. paraphrasi. 31.13. Rabbi, ibid. 14. felicitatem. 33.3. deest nobis post, persuadeamus. 36.4. videntur. 37.9. voluit. 42.19. istis versibus. 34.9. ad. 46.30. summæ maiestatis. 49.10. Deposuit. 49.25. significatur 51.10. voluisse. 55.28. illæ, istæ. 63.1. sicut. 65.6. seipsa. 67.28. datæ. 95.28. vocet. 97.18. prætermissum est, non, post nobis. 108.3. subijciam. ibid. 6. post quoniā prætermissum est, DOMINVS. 109.6. per-

109.6.pertinent.ibid.12 ἐμφαλικώτερον. 144.21.verbi.145.30. perducitur. 149.5.acceſsionibus. 100.30.ij iudices. 162.26.poſt videmus inſere,eos. 105.12.ambulemus. 174.19.quem. 184.3. prælucente.185.18.veritatem. 203.10.adducere. 211.20.omiſſum eſt, vniuerſo. 229.30. fur,&,imo. 232.30. fiant. 239.3.induere.245.16.referendum.250.17.recreemur.253.28.aduerſariorum. 255.24.inditijs. 257.11. obtrectationes. ibid. 25. volunt. ibid.30.vtri.261.12.affluunt. 263.26.æterno. 264.27.pro vt,lege qui.266.14. expectandã. 270.1.poſt potuit, deeſt videri.282. 29.vel in.284.1.poſt DOMINI omiſſum eſt,diſplicẽt.293.27. poſt purgantur lege, & concremabuntur. 298.13.diſsipauerunt. 312.20.dele à.323.3.veniat.324.20.expectem.

TVBINGÆ,

M. D. LXXI.

BREVIS ET PERSPICVA PSALMORVM DAVIDIS EXPLICATIO.

DECAS TERTIA ET DECIMA.

AVTORE

Theodorico Schnepffio D.

TVBINGÆ,

M. D. LXXII.

PSALMI DECADIS TERTIAE ET DECIMAE.

21. *Leuo oculos meos ad montes.*
22. *Lætatus sum cum illis qui dixerunt &c.*
23. *Ad te leuo oculos meos.*
24. *Nisi DOMINVS ipse fuisset nobiscum.*
25. *Qui confidunt in DOMINO.*
26. *Cum conuerterit DOMINVS captiuitatem Sion.*
27. *Nisi DOMINVS ædificauerit domum.*
28. *Beati omnes qui timent DOMINVM.*
29. *Multum infestarunt me.*
30. *De profundis clamo ad te DOMINE.*

Psalmus 121.

Canticum graduum.

Leuaui oculos meos ad montes, &c.

QVAM breuis & succinctus hic Psalmus, tam elegans, & ad solidam veramq; in omnibus periculis consolationem accommodatus & vtilis est. Nam hortatur, vt in ijs, quæ nos solicitos tenent, aut cum periculo coniuncta sunt, ad Deum confugiamus, & ab eo certum auxilium expectemus. Vsus autem est tribus argumentis, quibus hanc consolationem in cordibus piorum confirmare voluit. Primum. Certum est, Deum posse nos iuuare, quia Omnipotens est creator cœli & terræ. Secundum, DOMINVS diligentissimus est custos & excubitor, ergo non potest eum quicquam latere, nec vllum periculum subitum nos euertere. Tertium, ab enumeratione partium sumptum est, DOMINVS iuuare nos potest in ijs, quæ in vocatione nobis tristia aut molesta eueniunt, eripit à manifestis & occultis periculis, liberat ab ijs, quæ vitæ periculum afferunt, & in summa ab omnibus aduersis: ergo ab ipso certum auxilium expectemus.

1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi.*

2. *Auxilium meum à DOMINO, qui fecit cœlum & terram.*

Hi duo verſiculi Propoſitionem conſolationis totius, quæ eſt in hoc Pſalmo, complectuntur, ſe, cum omnia auxilia deſint, certã è cœlis opem expectare à DOMINO. Addit autem primam cauſam, quare tam certam ſpem collocet in Deum: quòd ſit creator, & proinde etiam gubernator cœli & terræ: cum ergo omnia in manu DOMINI ſint, ipſéq; ſit Omnipotens, de auxilio dubitandum non eſſe. Per montes figuratè intelligit cœlum ipſum, quamuis alij velint ipſum in montibus conſtitutũ circumquaq; in omnes regiones oculos vertiſſe, & auxiliũ expectaſſe: ſic enim facere conſueuerunt ij, qui ope omni deſtituti ſunt. Sed prior ſententia verior eſt, ac ad inſtitutum magis quadrat. Multa autem paucis verbis complexus eſt Propheta.

Cum (inquit) in terra omnium hominum auxilio deſtituor, oculos meos ad montes, & ſublime hoc cœlum attollo, imo cordis etiam oculos in DOMINVM defixos habeo, non dubitans de liberatione, & ope diuina. Quomodo enim de eo poſſem ambigere, cum ſciam DOMINVM Deum meum, eſſe creatorem cœli & terræ, qui iſta omnia & viſibilia & inuiſibilia ex nihilo creauit, qui omnia fecit, quæ ſunt in cœlo & terra, ad cuius nutum terra contremiſcit. Qui appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere
Eſa. 40. montes, & colles in ſtatera, quare ergo non eum me defendere, tueri poſſe crederem, qui tantam molem ſuſtinet, & quidem, vt Propheta loquitur, tribus digitis?

Hæ

Hæ consolationes in maximis animi perturbationibus adhibendæ sunt, & tum in primis, cum videmur tantis periculis septi, vt nullum exitum prospiciamus, ibi discenda est ars nostri Prophetæ, & oculi ad cœlum & meditationem maiestatis potentiæq; diuinæ extollendi sunt. Sed hoc magni negocij est, abducere & animum & oculos à creaturis, quibus caro nostra ita affixa est, vt aliter quàm ipsæ velint, euenire quid posse negemus. Cum potentissimum hostem videmus contra nos insurgere, nos verò inermes, de salute desperamus. Ita cum populus Hebræus auditis exploratoribus, quòd in terra Canaan essent gigantes, non vult ingredi. Sic cum temporibus Achatz regis Iuda, Syrię & Israëlis reges coniunctis copijs bellum pararent aduersus regem Iuda, & Rex & populus trepidant: Commotum est, inquit Esaias, cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti. Sic cum fames aut rerum inopia homines premit, duntaxat intuentur paucitatem frumentorum & panum, ac animum despondent. Sic in deserto populus accusat & Mosen & Deum, quod adduxisset ipsos in locum sterilem, vbi præter internecionem nihil expectarent, nam non videbant agros, non habebant panes. Quod postea etiam discipulis Christi accidit. Cum enim DOMINVS in deserto ingentem multitudinem populi cibare vellet, dicunt, vnde ememus panes vt edant isti? Eædem cogitationes in alijs quoq; nos periculis exercent. Quis dubitauerit sodales Danielis, cum fornacem succensam viderent, audirentq; minas regias, fuisse solicitatos à carne sua, vt refugerent, aut parum magno animo &

Num. 13.

Esa. 7.

Ioan. 6.

regi & periculo ſeſe opponerent, nam conſtantia eorum, de qua poſtea dicetur, à DOMINI ſpiritu profecta eſt. Et habent quidē creaturæ ſuam efficacitatem, quam ſi ſibi ipſis relinquantur, nunquam deſerunt. Nam ignis natura & calidus eſt, & res admotas cōſumit, aut liquefacit: & ſecundum rationes humanas, plures de paucis, armati de inermibus, fortes & robuſti de infirmis, plerunq; victoriam reportant. Ita multi homines copioſiore alimento quàm pauci indigēt: & inopiam, fames & periculum mortis conſequitur. Sed vnus eſt, qui has facultates & vires rerum naturalium & mutare & ſuſpendere poteſt, Deus optimus maximus, ad cuius maieſtatem oculi attollendi ſunt. Nam quamdiu creaturas & earum efficientias conſideramus, non poſſumus non animo perturbari: ſed quando ad ipſum creatorem reſpicimus, qui fecit cœlum & terram, longè aliter iudicabimus. Etenim cum ipſe omnia gubernet & regat, quare non motum, efficacitatem & vim creaturarum, quæ in hac rerum vniuerſitate ſunt, mutare poſſet? Figulus certè ollam, quam finxit, quando vult, de rota deiectam mutat, eiq; aliam formam induit: quis ergo negauerit creatorem hoc poſſe in rebus à ſe creatis, quas (vt Eſaias teſtatur) in manu ſua habet, non aliter quàm trutinam & montes ac totam terram vt vult librat. Cum mare rubrum obſtaret egredientibus ex Ægypto Hebræis, an non magnum illud pelagus librauit, vt vtrinq; ſtaret veluti murus? Cum ignis in camino ſodalibus Danielis creare periculum incolumitatis vellet, an non librauit & ſuſpendit vim eius? itaq; magno animo illi ſeſe opponunt regi, dicentes: Ecce Deus noſter

ſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex. Idem poſtea ignis, ſuæ naturæ relictus, perdit aulicos regios. An non ipſa terra fundata ſuper aquas teſtatur DOMINVM librare ſua manu magnam illam molem orbis terrarum, vt in medio maneat, nec loco moueatur? Cuius quamuis Philoſophi aſsignare Phyſicas rationes conentur, quis tamen non videt, eam rem cum maximo miraculo eſſe coniunctam, vt præclarè ea de re D. Baſilius in Hexaimero diſputauit. Noſtram ergo ſalutem & incolumitatem in omni periculo commendemus ipſi, dicentes, etſi ingens eſt periculum, quod mihi obijcitur, tamen hoc poteſt mutare dextra excelſi: in DOMINO ſperaui: quid faceret mihi homo, in ipſo perrumpam turmam hoſtiũ, & in Deo meo tranſgrediar murum.

3. *Non dabit vt moueatur pes tuus: neq; dormiet qui cuſtodit te.*

4. *Ecce non dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël.*

Secundum argumentum conſolationis & fiduciæ illius in DOMINVM certiſsimæ. Quia DOMINVS non modò Omnipotens eſt, ſed etiam fidiſsimus ac diligentiſsimus cuſtos ſuorum. Quod autem in tuendis ſuis tanta cura excubet, id bifariam amplificat. Primò quòd non ſit paſſurus vt vel labantur ſui. Deinde quòd non modò non dormiat ipſe, ſed ne leuem quidem ſomnum admittat.

Deus (inquit) non modò Omnipotens eſt, vt in omnibus periculis ſuccurrere tibi poſsit, ſed fidiſsimus eſt

est Israëlis, hoc est, Ecclesiæ & singulorum piorum custos & protector, nam suos tanta cura ducit, vt ne labantur quidem. Deinde nihil illum periculorum latere potest, quia semper pro salute suæ Ecclesiæ excubat. Non vsu venit ei, quod hominibus, qui custodes constituti, interdum obdormiunt, vel certè somnolentius & oscitantius id, quod ipsorum est curæ commissum, custodiunt, quo fit vt custodia hominum sæpè sit infœlix: sed noster ille custos oculatissimus est, nam intimos humanorum animorum recessus scrutatur, & somnus ei nunquam obrepit & pro nostra salute perpetuas excubias agit. Itaq; verendum non est, ne quid ipso imprudente nobis accidat, aut per insidias hostium nostrorum antè oprimamur, quàm ipse sua nobis ope adesse possit: semper ipse nobis adest, semper vigilat, nunquam permissurus, vt hostis aliquid grauius contra nos moliri possit.

Hac consolatione Prophetica nihil in tota vita humana, vel vtilius vel suauius ad recreandos animos nostros adferri potest. Nam qui in his vitæ ærumnis multiplicibus, à seipsis omnia petere volunt (quod sapientibus illis Græciæ hominibus visum est) ij aut conquiescere nunquam possunt, aut certe vanam persuasionem induunt, ea se prudentia præditos, vt omnem fortunæ & secundum & aduersum flatum, regere possint, quorũ vnum cum perpetua trepidatione, alterum autem cum stulta animi elatione cõiunctum est. Sed sacræ literæ optimã rationem certissimamq; præscribunt, vt de nostris conatibus desperantes, omnem curam nostram DOMINO commendemus, cuius ea erga nos sit benignitas & paterna solicitudo, vt nunquam

nunquam non pro nobis excubet & rationes nos iuuandi antè præmeditatas habeat, quàm nos clamemus.

Sed in ea tam præclara cogitatione noſtra, obſtrepant nobis partim quidem ratio noſtra, partim ea quæ in rebus humanis apparet ſumma confuſio. Nam qui totos ſe DOMINO in obſequium addicunt & innocentiſsimè viuunt, plerunq; cum malis & afflictionibus conflictantur. Homines autem ἄθεοι, & ad omnem vitæ diſſolutionem effrenatasq; cupiditates proiecti, in rerum affluentia, ſecuritate, honoribus viuũt, ita vt in ſinu fortunæ (liceat enim mihi ſic loqui) dormire videantur. Quæ ἀνισότης pugnare cum conſolatione noſtri Prophetæ videtur, qui pijs protectionem, defenſionemq; diuinam pollicetur. Sed obfirmandus aduerſus eiuſmodi tentationes animus noſter eſt, vt ſtatuamus, certò nobis hoc auxilium expectandum eſſe, noſq; in toto vitæ noſtro curſu DOMINVM gubernatorẽ excubitoremq; habere. Ad eam autem fiduciam confirmandam maximopere prodeſt in promptu habere dulciſsimas appellationes, quibus DOMINVS nobis hoc obſignare voluit. Nam cum ſe Patrem vocet, quid aliud vult, quàm nos paternam ſuam curam nobis promittere debere, quę cùm in hominibus tanta ſit, vt nunquam nõ pro ſalute liberorũ vigilãt, multò eam maiorem eſſe in eo, qui has σόργας hominum mentibus inſæuerit. Quomodo enim non φιλοσοργότατος eſſet is, qui parentum animos cum liberis tam arcto vinculo amicitiæ conglutinauit, vt nulla res tam moleſta, tam cum periculo coniuncta ſit, quam non parentes propitij, liberorum cauſa ſuſci-

pere cupiant. Idq; eo magis nobis persuadeamus, quòd ista honestissima flamma, post primorum hominum defectionem, totiusq; humani generis corruptionem extincta non est. Hæc non fingi à nobis, testimonia ea, quæ de sua paterna cura DOMINVS in sacris nobis proponit, ostendunt. Vt cum per Esaiam *Esai. 49.* dulcissima contentione, suas σόργας (licet enim nobis sic de DOMINO humano more loqui) cum nostris confert: Nunquid, inquit, obliuisci potest mulier infantē suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Et Christus dulcissimus seruator eundē prope ad modum loquitur: Si vos (inquit) quum sitis mali, nostis dona bona dare filijs vestris, quanto magis Pater vester, qui est in cœlis, dabit bona, si postuletis ab ipso.

Huc accōmodanda etiam sunt reliqua epitheta, vbi DOMINVS se protectorem nostrum, scutum vocat, *Psalm. 14.* cum in Psalmis de cœlo prospicere super filios homi- *Psal. 114.* num, & respicere humilia in cœlo & terra dicitur. Cum ipse custos ciuitatis, & vigil appellatur, sine quo *Psal. 127.* tuta esse respublica nequeat: Dum Angelos comites *Psal. 91.* hominibus adiungere, manum lapsis supponere, ex- *Psal. 37.* audire antequam clament dicitur. Quis denique tam a- *Esai. 65.* mans est prolixitatis, cui scriptura hac in parte nō plura exempla gubernationis protectionisq; diuinę suppeditet, quàm studium etiam copioseę & affectatę orationis requirat. Sed si erga nos benignitatis & procurationis specimina in rebus naturalibus & creaturis, quas ab ipso omnes conditas scimus, contemplari voluerimus, quæ est pars orbis terrarum, quæ non paternum DOMINI animum erga omnes prædicet,

imo

imo verò ipsa corporis nostri fabrica ostendit, quàm eas partes quæ infirmiores sunt & facilè læduntur, munierit, vt exempli gratia, oculos, ciliis, palpebris, proiectione frõtis. Sed ista quę diximus omnia, quàm minuta sunt, si cum eo indicio benignitatis paternæ contulerimus, quod antea quàm nos nasceremur, imò verò ante ipsum mundum conditum extitit, vbi & æternam sedem nobis parauit, & quia sciebat nos lapsuros, in filio elegit, antequam mundi huius fundamenta ponerentur? Sic vigilauit semper pro nobis diuina clementia, vt nostram nõ modò intelligentiam, sed originem etiam, ipsius & præuisio & bonitas antecederet, ac antè paratum esset auxilium, quàm nos creaturæ essemus. Sed de his facilius est cogitare, quàm pro dignitate aliquid in medium afferre. *Epheſ. 1.*

Nec moueant nos piorum afflictiones, quæ videntur his quæ diximus aduersari. Quanquam enim DOMINVS videtur ad tempus dormire, & quasi recedere à suis, tamen suo tempore aderit, & luculenter docebit, se non posse nec velle suos negligere. Quod si nonnulli etiam ad extremum vitæ tempus in miseriis detinentur, tamen non desperent, quia vera solidaq; diuini auxilij ratio, in illa æterna & beata vita conspicitur.

5. *DOMINVS custodit te, DOMINVS vmbra tua super manum dextram tuam.*
6. *Per diem Sol non feriet te, neq; Luna in nocte.*
7. *DOMINVS custodiet te ab omni malo, & custodiet animam tuam.*
8. *DONINVS custodiet exitum tuum & introitum*

tuum, ex hoc tempore & vſq; in ſeculum.

Tertia conſolatio ſumpta à rebus ipſis, hoc eſt periculis, à quibus nos protegit DOMINVS, quod non ab vno duntaxat aut altero diſcrimine, ſicut vanitas Ethnicorum de ſuis diſs commenta eſt, ſed ab omnibus in vniuerſum periculis nos ſit liberaturus. Cuſtodiet inquit te ab omni malo. Sed hoc genus in ſuas ſpecies diducit, & mala quæ hominibus accidere poſſunt enumerat. Primùm ab iis malis proteget, quæ poſſunt tibi euenire in vocatione. Vſus autem eſt metaphora vmbræ, etenim vt vmbra nos tegit ne feriamur radiis ſolaribus, ſic auxilium diuinum & protectio vmbra vocatur. Per dextram autem, conatus, ſiue actiones intelliguntur. Nam dextra hominis expeditior & promptior eſt ſiniſtra, ideo eoſdem & dextros & induſtrios vocamus. Cum ergo DOMINVM dextræ aſtare dicit, ſucceſſum in rebus gerendis, & eorum periculorum, quæ nobis in actionibus noſtris impedimento eſſe poſſunt, propulſationem notare voluit. Deinde facta alia periculorum diuiſione, promittit defenſionem à periculis manifeſtis & latentibus, idq; more Hebræorum, per radios ſolares intelligit. Præterea à ſummis malis, quæ vitæ præſens periculum afferre poſſunt, protectionem pollicetur, cum dicit: Cuſtodiet animam tuam, quanquam hæc etiam ad ſpiritualia, quæ ad animarum ſalutem pertinent referri poſſunt. Poſtremò addit amplificationem à loco & tempore. Nam & introitum & exitum ne periculoſus ſit efficiet, hoc eſt, omnibus locis & in omni negocio aderit DOMINVS protector. Temporis etiam ſit

mentio

mentio, quòd defensio illa duratura sit, ex hoc tempore & vsq; in seculum. Operæprecium facturi sumus, si ea quæ nunc diximus, familiaribus verbis explicuerimus, id quod in superioribus etiam Psalmis obseruauimus. Quemadmodum (inquit) DOMINVM Deum nostrũ nulla nostra pericula latere possunt, sic in omnibus & singulis, quæ nobis aduersa accidunt, succurrit. Multa sunt & ingentia discrimina in cuiuslibet vocatione, sed maximè in eorum vita cernuntur, qui vel ad Ecclesiæ vel Reipublicæ gubernacula sedent. Istorum autem laboribus DOMINVS clementer suo auxilio adest: & quemadmodum vmbra laborantibus gratissima est, sic DOMINVS conatibus ipsorum benedicit, vt quæ suscipiunt, laudabiliter, dextrè & cum facilitate quadam possint expedire. Quare si in functione aliqua constitutus DOMINI auxilium ad labores tuos vocaueris, dubium non est, eum dexteritatem tibi & successum in ijs largiturum. Non te lædere poterunt infesti hostes tui, qui procurante diabolo tibi manifestum periculum intentant: & similes sunt radijs solaribus, qui media æstate viatori aut laborantibus, non solùm molestiam, sed etiam periculum vitæ sæpe creant, dum ardentissimas febres & alios morbos creant. Non te clandestina consilia, machinationes satanæ & aduersariorum tuorum (quas rectissimè quis nocturnis frigoribus, & lunaribus radijs contulerit, quia occulta vi hominis valetudinem lædere creduntur) euertere & perturbare poterunt: quia DOMINVS custos tuus & vigilantissimus & fidissimus non patietur tibi aliquid accidere aduersi. Maximè autem tuus erit defensor in ijs, quæ ad inco-

lumitatem & tua emolumenta pertinent. Quid multis? introeunti & exeunti, aggredicti laborem & deponenti, & quidem omni tempore, imò in omnem æternitatem aderit, teq; vt ouiculam suam & ducet & reducet, donec solutum hoc corporis onere transferet in æternum regnum suum. Quare tanto adiutore laborum tuorum fretus, magno animo in ijs etiam quæ coniuncta cum periculo esse videntur, versaris.

Quæ hoc carmine Propheta noster de vmbra proponit, in tota historia mundi & vniuersa Ecclesia, in omni vitæ genere siue vocatione cernuntur. Nisi enim vmbra protectionis suæ Ecclesiæ & doctoribus adfuisset, quomodo emergere ex tanto (vt ita loquar) æstu periculorum potuissent? Grauissima tempestas Hebræis imminebat, cum Pharao eos infesto exercitu insequeretur: sed cum illi DOMINI mandatum, quod eos egredi ex Ægypto iubebat, sequerentur, quàm luculentis indicijs protectionis diuinæ, & à Tyranno truculentissimo liberati, & in vmbra quasi Dei Optimi Maximi deducti sunt? An non DOMINVS ipsis vmbra fuit super manum dextram, cum Angelus DOMINI nubem inter ambos exercitus interponeret, ne congredi possent. Daniel Propheta an non præclarè ostendit, quomodo conatus satanæ à bonis Angelis reprimantur, ita vt Ecclesia auxilium DOMINI prius sentiat, quàm periculum præuideat. Iam si animo cogitationibusq; nostris perpenderimus, quàm clementer DOMINVS suis illis legatis, per quos toti orbi veritatem annunciare, omnesq; homines de voluntate sua certiores facere voluit, adfuerit, ministerio ipsorum benedixerit, ex periculis sum-

Exo. 14.

Dan. 10.

mis

mis liberarit, non poterimus inficias ire, illos ſub manu protectione q; altiſsimi, & in vmbra Omnipotentis fuiſſe verſatos, & tam diu incolumes fuiſſe, quamdiu DOMINVS ipſorum miniſterio vti in Eccleſia voluit. Quantis quæſo periculis expoſitus fuit Propheta Hieremias? quos carceres non expertus eſt? quæ diſcrimina non adijt? Plebem, aulicos, totum ordinem ſacerdotalem, regem ipſum infenſum habuit: ſed emergit tamen, & DOMINVS miniſterio ipſius clementer adeſt. De Apoſtolis nihil dicam, in quorũ hiſtoria ita auxilium diuinum conſpicitur, vt ad lucu-lentam opem nihil maius aut præſentius accedere poſsit. Venenum biberunt, & non nocuit eis, lapidati ſunt, & euaſerunt, carceribus includebantur, catenis vinciebantur, ſed liberantur & educuntur. In his autem id longè omnium maximum eſt, quod DOMINVS iſtis legatis veritatis vmbra ſua ita adfuit, vt totũ orbem terrarum domarẽt, vanitatem idolorum ſic patefacerent, vt gentes ea, (quod antea Eſaias prædixerat) proijcerent in formina talparum. Athanaſius quoties admirando Dei conſilio ex hoſtium infeſtis manibus & armis ereptus eſt? vt manifeſtum eſſet, eum non aliter quàm Eliſæum illum vmbra DOMINI tectum, ne ab hoſtibus agnoſceretur. Eliſæi Prophetæ hiſtoria nota eſt: ſed aſcribã duo exempla præclara, auxilij diuini ex hiſtoria Eccleſiaſtica de Athanaſio, vt intelligatur, quomodo DOMINVS vmbra ſua, dextram manũ ſuorum miniſtrorum obumbret. Nam cum Imperator impius Iulianus maximum Heroa ad cruciatus per ſuum exercitum quæreret, & templum, in quo erat vir ſanctus oppugnaret, popu-

2. *Reg.* 6.

Ruffinus lib. Hiſt. Eccleſ. 10. *Cap.* 34.

lus

ſus mœſtus Epiſcopum circumſtat. Neq; enim poterant auditores vllam Athanaſio ex tam præſenti periculo liberationem polliceri. Cum ergo de tota re cæteri deſperaſſent, magno animo, imò vero Propheticò Spiritu præclarus heros ſuos ſolatur: Nolite (inquit) filij perturbari, quia nubecula eſt & cito pertranſit, & ſic incolumis ad Nilum peruenit, quem nauicula tranſmittit. Sed huic miraculo protectionis diuinæ, mox alterum accedit. Nam cum quidam ex Cęſareanis animaduertiſſet Athanaſium elapſum, ſtatim nauigio eum inſequitur, ac cum ab ipſo qui iam appulerat non longe abeſſet, & nonnulli monerent, niſi ſtatim in pedes ſe conijceret, infeſtum hoſtem immineret, amici autem ipſius vehementer perturbarentur, & ad ſolitudinem proximam confugiendum diceret, rurſus præſenti & conſtantiſsimo animo Athanaſius dicit, non eſſe pertimeſcendum illum hoſtem, ſed magis obuiam eundum eſſe, vt intelligat, quanto maior ſit is, in cuius vmbra protectioneq; ipſe ſit, quàm Imperator, qui perſequatur.

Itaq; conuerſa nauicula obuiam it percuſſori, qui cum ne ſuſpicari quidem poſſet, ſe obuium habere Athanaſium, qui modò fuga ſibi ſalutem quæſiuiſſet, de Athanaſio quęrit, num eum viderint, aut quò profectus ſit docere poſsint. Amici reſpondent, non longè eum abeſſe. Improbus autem ſatelles, nec agnoſcere Epiſcopum, nec creare ei periculum valebat, ſed quanta maxima potuit celeritate ipſum eſt inſequutus. Ita fit, vt maximus heros obuiam hoſti & quidem vltrò factus euaderet, hoſtis autem perſequendo longiſsimè ab eo, quem quærebat, auelleretur. Quis non

nō videt, cum Athanasius & officium faceret, & Imperatori impio sese opponeret, gratissimam vmbram protectionis diuinæ sensisse? Huic simile est, quod de eodem scribitur, libro Historiæ Ecclesiasticæ (quam tripartitam vocant) quarto. Nam cum Athanasius præcipuus esset, qui Hæresin Arrianam conuellere velle videretur, ab Arrianis & Magistro militum Syrano, qui quinq; milia armatorum ducebat, in ipso templo, loco aliàs propter religionem tutissimo, cospijs militaribus obsidetur. Sed sanctus & innocentissimus vir inter eos, qui psallebant aperte exiens, illos latuit. Fabulantur Poëtæ Deos suos, eos homines quos amabant, vel nube texisse, uel nebulam ipsis circumfudisse, vt ea ratione latere possent. Sed quæ isti fictis fabulis, suis dijs arrogabant, ea videmus verissimè DOMINO Deo nostro tribui. Quis ergo non diceret, eum vmbra sua manū dextram suorum legatorum tegere, hoc est, ea quæ ipso iubente suscipiunt, fortunare, & vt Paulus loquitur, dare incrementum?

Quæ de verbi ministris diximus, ea etiam de alijs vitæ generibus, politia & Oeconomia intelligenda sunt, nunquam enim isti in tam difficili & laboriosa administratione laudabilem operam præstare possent, nisi in vmbra altissimi versarentur. Nisi inquit Dauid, DOMINVS custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Quod sane in maximis Imperijs videre est, quæ cum omnibus viderentur futura æterna, subitò conciderunt, quia DOMINVS vmbram protectionis suæ ab eis remouerat. Quid Babylone magis inuictum, quæ tamen à Cyro prius capta est, quàm Rex & ciues animaduerterent. Nota enim *Psal. 127.*

ex Xenophonte hiſtoria eſt, quomodo inter pocula & conuiuia Rex Babylonius obtruncatus ſit. At quando DOMINVS dextram manum alicuius Heroïs ſalutari vmbra ſua obumbrauit, à paruis initijs ad ſummam amplitudinem & maieſtatem res deducta eſt. Dauid à caulis ouium euocatur & accerſitur ad dignitatem regiam, & quamuis initia non viderentur reſpondere promiſsionibus & electioni à Samuele factæ, tamen cum in ſuo Magiſtratu comitem & ductorem Deum à dextris haberet, repugnantibus & Rege & pleriſq; ſubditis, ad amplitudinem regni eam euectus eſt, quam ne animo quidem taciti ſq; cogitationibus concipere poterat. Quam miſera & afflicta à cunabulis vſq; Cyri fortuna fuit, qui & exponendus traditur, & poſtea inter paſtores, inſcius ſuæ nobilitatis educatur, eum cum ad res maximas & liberationem ſui populi DOMINVS elegiſſet, ita ſua vmbra protexit, imò ad eum modum euexit, vt nemo nõ videat iſtum Heroa quaſi DOMINI manu deductum fuiſſe, de quo egregiè vaticinatus eſt Eſaias Propheta capite 44. Sic dicit DOMINVS Meſsiæ ſuo Cyro, cuius dextram apprehendi, vt ſubijciam ante faciem eius gentes & lumbos Regum diſſoluam, aperiamq; ante faciem eius hoſtia, & portæ non claudantur. Videmus id, quod noſter Propheta vno duntaxat verbulo VMBRAE propoſuit, certiſsimum complementum in tota Hiſtoria mundi habuiſſe. Quantas res geſsit Conſtantinus ille nomine & re MAGNVS, ſed cuius auſpicijs? certe eius, cuius & ſignum viderat, & per quem victoria ipſi promitteba-
tur. Quæ de imperijs diximus, ea etiam de Oecono-
mia

mia intelligantur. Nisi enim DOMINVS ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam. Non coniugia, non liberorum educatio, non agricultura, non vllæ partes rei domesticæ felices erunt, nisi sua vmbra DOMINVS adsit. Quare quodcunq; vitæ genus fuerimus ingressi, in eo elaboremus, vt nos felicissima vmbra illa protectionis diuinæ comitetur. Quod fiet, si à peccatis tanquam scopulis aut Syrenibus quibusdam fugerimus, & conuerterimus nos ad DOMINVM & Seruatorem nostrum vera & constanti fide.

Sed non solum ea quæ iam de protectione diuina auxilioq; diximus, ex hoc Psalmo notanda sunt, sed etiam alia quædam non minus necessaria commonefactio. Vt enim intelligeremus, quàm nobis expetendum explorandumq; auxilium diuinum sit, pericula, in quibus homines versantur, diuidit in clandestina & aperta. Nam vt suprà quoq; meminimus, Diabolus nos non vno genere telorum impetit, nunc enim apertos & infestos hostes nobis immittit, nunc autem per cuniculos agit. Et quidem aperta pericula radijs solaribus, tecta autem lunaribus confert: quæ si diligenter apud animos nostros perpenderimus, solicitam curam in nobis creabunt inuocationis & implorationis, opis diuinæ. Clandestina autem pericula vocamus, initio machinationes Diabolicas, vbi malus ille Spiritus, osor generis humani, mille technis suos instruit, vt omnes occasiones arripiant ad lædendos pios & sanctos homines: vt cum Dauidi & comitibus conatur creare periculum capitis, Saulis animum ad iniustam cædem solicitans. Et Achitophe-

lem contra DOMINVM venenata lingua armat. Sunt etiam in hunc ordinem referendæ sectæ, hereses, fallaciæ, deceptiones, quibus malus ille homines parum prouidos, imò verò interdum etiam, sua opinione, oculatos & cautos, in præcipitium agit. Quod Christus parabola adumbrare voluit, cum inquit inimicùm dormientibus hominibus serere zizania, quod cum de reliquis offendiculis, tum etiam seductionibus intelligendum est. Certè diuus Paulus suos hortatur, ne patiantur sibi eripi veritatem per inanem Philosophiam, qua commonefactione docere voluit, Satanam cùm alijs rationibus, tum prætextu Philosophiæ hominibus imponere, id quod videre licet in Hæreticorum scriptis, siue dogmatibus, nam ideò omnes aberrarunt, quia scripturam non sequuntur, & parum sobriè philosophantur. Ista omnia Dauid in hoc Psalmo per radios lunares intelligit, quia vt isti occulta ratione solent nocere, ita Diabolus per se & suos astutissimè Ecclesiam Christi oppugnat. Psalmus nonagesimus primus appellat timorem nocturnum & pestem grassantem in tenebris. Sed Diabolus externa etiam vi adoritur pios, vt persequutionibus, gladio, igne. Vt cum Daniel leonibus obijcitur, & Petrus ab Herode in vincula trahitur. Psalmus 91. vocat sagittam volantem in die, & pestilentiam prædantem in meridie. Hæc omnia pericula consideranda sunt, vt tantò simus diligentiores, in fundendis ad DOMINVM precibus, & discamus etiam veram gratitudinem, cum intelligamus plura esse beneficia DOMINI, quibus nostram etiam attentionem anteuertit, quàm quæ nouimus. Veteres dixerunt plures esse

gratias

gratias priuatiuas, quàm poſitiuas. Arripiamus ergo παναπλίαν Paulinam, arma à dextris & ſiniſtris & Chriſto auſpice nos opponamus aduerſario noſtro Diabolo. Poſtremò nō negligendum eſt, quod in fine additur: Cuſtodiat exitum & introitum tuum. Oſtendit enim, initia, progreſsiones & exitus omnes vitæ, & noſtrarum actionum regi & gubernari à DOMINO, non aliter quàm diligens Paſtor ducit & reducit ſuam ouiculam. Nam cum in hanc lucem procreamur, & quaſi ingredimur in mundum iſtum, quid quęſo noſtrum eſt, ea in parte? DOMINO certè, qui vidit imperfectum noſtrum, vt Pſalmus loquitur, & qui vitam largitur, omnia aſcribenda ſunt. Deinde ſuprà oſtendimus, nullum nos vitæ genus ingredi poſſe, quod non indigeat gratiſsima vmbra illa & adiumento DOMINI. Etenim cum vel ſucceſſus in euentibus expectandus eſt, & ea quæ ſuſcipimus agenda ad fœlicem finem deducenda, iſto comite & duce nobis opus eſt. Tandem cum ex hac lacrymarum valle educi in illud æternum ouile volumus, neminem certè habemus, qui nos eò deducat, quàm eum, qui veriſsimè dixit, neminem aſcendere in cœlum, niſi qui deſcenderit de cœlo, filium hominis qui in cœlis eſt. Is nobis via, ianua, aditus, patronus, mediator eſt, is ſanctos ſuos nobis adiungit Angelos, vt in illa vltima migratione, quæ cum periculo ſummo coniuncta eſt, non periclitemur, ſed per crucem, calamitates, ipſam denique mortem tranſeamus ad ipſum in æternam felicitatem. Quam nobis clementer largiatur is, qui eam nobis ſuo ſanguine impetrauit, Amen.

Epheſ. 6. 2. Cor. 6.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quàm varia, multiplex,& prodigiosa apud Ethnicos & maiores nostros superstitio fuerit, notum est. Quæ sanè varietas inde nata videtur,quòd sperarent se aut pericula si quæ obiicerentur posse effugere,aut certè in ijs quæ suscipienda& agenda essent, successum & felicitatem sibi promitterent. Hinc ille infinitus propè deorum numerus, quorum singulos Pagani certã ob causam colebant, alios enim vt fortunæ & successus procuratores & duces, alios vt ἀλεξικακοὺς & ἀποτροπαίους, hoc est,opitulatores & malorum ac noxarum depulsores,alios ne ipsi nocerent,venerabantur, Ioues & Vælоues habebant, superos Deos & infernales. His accedebant amuleta, quæ cõtra morbos & pericula suspendebant, obseruationes dierum, quorum alij fasti & nefasti erant, & alia multa, quæ longum esset commemorare. Nostri autem homines impietatem & superstitionem Ethnicam sequuti, prope in eadem delira inciderunt. Quanquam enim verbis profiterentur se vnum solum Deum colere, tamen scimus quot patronos & ἀλεξικακοὺς quæsiuerint, ita vt nullus ferè sit morbus, cui non numen aliquod opponerent, aut à quo non sperarent se aliquid quod ad benè & beate viuendum pertineret, posse impetrare. De superstitiosis obseruationibus, amuletis, quæ & à parietibus & corporibus suspendebant, non dicam, quia recens est eorum omnium memoria, & nonnulli, ne in hac quidem luce Euangelij ab eiusmodi delirijs & magia abstinent. Sed Psalmus paucis verbis docet,quem in omni negocio suspiciendo ad-

do adiutorem, quem patronum, quem ἀλεξικακὸν in ijs, quæ vel manifeſtum vel occultum periculum nobis adferunt, nobis adiungere debeamus. DOMINVM Deum noſtrum & ſeruatorem Ieſum Chriſtum adiutorem in opportunitate, vmbram in caloribus, protectionem in periculo, clypeum in certamine, ἀντιπροπαλὸν in ijs quæ in tenebris periculum creant, opitulatorem in manifeſto diſcrimine, expiatorem peccati, victorem mortis, DOMINVM vitæ, patrem & largitorem æternę felicitatis, ad quem vnum & ſolum, relictis alijs præſidijs, quæ humana ſuperſtitio commenta eſt, confugiamus.

Pſalmus 122.

Canticum graduum Dauidis.

Lætatus ſum cum illis qui dixerunt. &c.

LOtus huius Pſalmi contextus luculenter oſtendit, hoc Carmen eſſe gratulatorium. Nam Dauid dicit, ſe lætari & exultare: & in fine ipſius omnes ad precandam pacem Hieroſolymis cohortatur. Cauſa autem iſtius gaudij lętitiæq; commemoratur, quòd eat in domum DOMINI, & ſtet Hieroſolymis. Vt autem omnes intelligant, vrbem Hieroſolymam, & domum

mum DOMINI talem esse, propter quam summa voluptate omnes homines perfundi debeant, & sibi gratulari Propheta, de vrbis maiestate præstantiaq; concionatur. Laudationis autem istius eæ sunt partes, quę in vrbium commendationibus vsurpantur. Hierosolymas esse vrbem pulcherrimam, ciuium esse summam concordiam, in ea etiam conspici maximam frequentiam hominum, qui isthic conueniant. Præterea non esse ibi populum barbarum & homines abiectos, sed tribus DOMINI, hoc est, gentem charam Deo. Ad hæc docet, quæ sint illorum exercitia, nempè celebrationem nominis diuini, qua re nihil præclarius homines suscipere possunt. Addit & aliam commendationem, in ista vrbe administrari æquitatem & iustitiam, essęq; ibi tribunal regium Dauidis. Postremò pacis & fœlicitatis nomine vrbem celebrat. Sed hoc postremum figura illustrauit. Nam se ad omnes homines conuertit, per Apostrophen, eosq; cohortatur, vt eam fœlicitatem, quam habeant Hierosolymæ, ei perpetuam precari velint.

Diligenter autem cogitandum hoc loco est, num Prophetam externa vrbis ædificia, munitiones, sic oblectauerint, vt suum gaudium dissimulare non posset, sed vellet de ea re carmen extare ad totam posteritatem, maximè quia & vrbem ipse ceperat, & ædificijs exornauerat, & eam imprimis partem, quæ ab ipso nomen accepit, & Ciuitas Dauid vocatur? Fuerunt quidem Ierosolymæ splendore ædificiorum & extructionum in admiratione omnium, sed nemo existimet Dauidem Regem imitatum Babylonium, qui animi gratia in palatio suo deambulans, sibi gratulatur,

Dan. 4.

tulatur, tantam vrbem à se conditam, aliás enim numinis contra se irā prouocasset vt ille. Nouerat etiam Dauid templum & vrbem aliquando vastandam, quis enim dubitauerit Dauidem ignorasse, quæ Asaph canit Psalmo 74. Omnia (inquit) vastat inimicus in sanctuario. Rugiunt hostes tui in medio tabernaculi tui, ponunt vexilla sua trophæa. Manifestum est, quasi qui adducit desuper, in densa sylua secures. Et nunc sculpturas eius pariter bipenni & securibus concutiunt. Mittunt in ignem sanctuarium tuum ad terram, prophanant habitaculum nominis tui. Quos ego versus ideo recitare volui, vt intelligeremus, Asaphum, qui temporibus Dauidis princeps cantorum fuit, totam illam templi vastationem Spiritu præuidisse, aut certè dictante Dauide scripsisse. De vrbis autem excidio luculentum testimonium extat Psalmo 79. vbi & de Sanctuarij pollutione & Hierosolymarum ruina apertè vaticinatur. Deus (inquit) venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in aceruos lapidum &c. Cum ergo sanctus Propheta intellexerit, eam vrbem, quam ipse partim extruxerat, partim autem exornauerat, casuram, plus tristitiæ, ex interitu florentissimæ vrbis, quem Spiritu iam antea prouidebat, quàm eo splendore, qui oculis tum obuersabatur, capere debuit. Scipionem illum, qui ex deuicta deletaq; Carthagine Affricanus cognominatus fuit, cū hostilis vrbis conflagrationē spectaret, illachrumasse historiæ tradunt, quod eandem fortunā Romanæ accidere posse diceret. Ergo Ethnicus homo, in ipso die victoriæ commouebatur, quòd præ- 1. Par. 15. & 16.

ſtantiſsimæ vrbis interitu, de Imperij quoq; Romani patriæq; periculis, incertis tamen admoneretur, Dauid autem, qui totum imperium ſuum, aliquando collapſurum, DOMINI Spiritu monſtrante certò pręuidebat, ridere potuit, cùm Hieroſolymas tum florere videret? Sed nunquam eſt committendum, vt tanto Heroi tam pueriles cogitationes affingamus. Certè magnus ille Propheta longius proſpexit, nec̃ ea tantùm, quæ ante pedes erant conſiderauit, ſed quæ longè pòſt erant futura, perpendit. Sed quæ tandem eum cauſa mouit, vt tantoperè de iſta vrbe gloriaretur? Non obſcurè ſignificat diuinus vates, ſe non in caducis iſtis acquieuiſſe, ſed magis ad ſpiritualia & æterna reſpexiſſe, ideo non foſſas, non mœnia, non turres Hieroſolymarum, ſed conuentum populi & cultum Dei prædicat. Et doctiſsimi interpretes putãt eo tempore hoc carmen à Dauide fuiſſe decantatum, cum arcam fœderis in vrbem tranſtuliſſet, & cohortatũ totum populum, vt ad eum locum frequentandum, cõueuirent, Deo ſeruirẽt, & ſe de venturo Meſsia commonefacerent. Nam quòd ornamentum maius vllius vnquam vrbis fuit, quàm eius, in qua verus Dei cultus inſtitutus, tot miraculis confirmatus fuit, voce Prophetarum vaticinia de Chriſto ædita, ipſe DOMINVS concionatus, & ex quo loco Euangelium, in totum orbem promulgatum eſt? Nam ñ, qui putant Prophetam duntaxat ad ritus Leuiticos, & eum Dei cultum reſpexiſſe, qui tum mandante DOMINO Hieroſolymis inſtituebatur, nimis ieiunè & exiliter de tota re diſputare mihi videntur. Etenim quis tanto Prophetæ, inter tot reuelationes diuinas de Meſsia,

eum

eum ſtuporem & ignorantiam tribuet, quòd credide-
rit arcam iſtam, quam in vrbem duxit, victimas, quas
immolauit, tabernaculum & templum, quod promit-
tebatur, & filio Solomi ædificandum iniungebatur,
ad plenas rationes cultus diuini & pietatis ſufficere?
Intelligebat etiam magnus ille vates, politiam non fo-
re perpetuã. Ita omnes iſtæ laudes, non tàm ad vrbem
quàm cultum diuinum, & illum quidem non ſolùm
Leuiticum, ſed eum imprimis referendæ ſunt, qui to-
tus in Chriſto mundi ſaluatore poſitus eſt, eò victi-
mæ, eò tabernaculum, templum, & arca fœderis fuit
referenda. Quod etiam magni iſti Prophetæ & Pa-
triarchæ fecerunt, & ſeriò exultarunt, cum ſub iſtis
integumentis veterum cultuum viderent Chriſtum
tam graphicè expreſſum: Vidit (inquit Chriſtus) A- *Ioan. 8.*
braham diem meum, & gauiſus eſt. Sic cum in hoc
Pſalmo Dauid magnificè ſe effert, propter Hieroſo-
lymas & domum DOMINI, primum quidem intel-
ligit externos illos cultus, ſed per illos oculos defigit
ad cœleſtem & ſpiritualem Hieroſolymam, & eam
Eccleſiam, quæ eſt in nouo Teſtamento, & ex animo
lætatur, ſe etiam partem eſſe iſtius beati cœtus, pro-
pter quem venturus ſit Chriſtus DOMINVS. Nam
vt præclarè Petrus in actis teſtatur, omnes Patriar-
chæ fide in Ieſum Chriſtum ſeruati ſunt. Quòd au-
tem eiuſmodi vrbis Hieroſolymæ laudationes ad Ec-
cleſiam noui Teſtamenti pertineant, perſpicuum eſt
ex eo vaticinio, quod luculentum noſtri Prophetæ
Pſalmo 87. extat, vbi etiam Hieroſolymarum dunta-
xat laudes perſequi videtur: Glorioſa (inquit) dicun-
tur in te, ciuitas Dei. Sed vt intelligeretur, illa non de

externis Hieroſolymis accipienda: Illuſtrem locum de vocatione gentium ſubiicit: Efficiam (inquit) vt mei meminerit Raab, & Babylon, vt cognoſcant me. Ecce Phyliſtæa & Tyrus, ſimiliter populus Æthiopiæ naſcuntur illic. Et ad Zionem dicetur: quòd quilibet homines illic naſcantur, & quòd altiſsimus extruat eam. Hæc Prophetæ. Nemo autem non videt, Dauidem hoc loco non externas Hieroſolymas, ſed ſpirituales illas exornare voluiſſe, & deſcribere Chriſti Eccleſiam. Quanquam autem in eo Pſalmo, quem in manibus habemus, non tam expreſſa mentio fit cultus noui Teſtamenti, tamen certum eſt, nunquam potuiſſe Dauidem ad eum modum refici & recreari cæremoniis, vt etiam ante arcam ſaltaret, & quaſi regiæ dignitatis (ſic enim Michol vxori videbatur) oblitus, tripudiaret: niſi maiora quædam ſolatia in iſtis vmbris præuidiſſet. Et ſanè D. Auguſtinus, Theologus omni ſeculorum memoria digniſsimus, admodum eruditè argumentatur ex verbis phraſique Prophetæ: illa potiſsimum de Chriſti Eccleſia intelligenda eſſe, quòd dicatur ciuitas ædificari: cum tamen viuente Dauide iam extructa & exornata fuerit. Eſſe ergo reſpiciendum ad aliam vrbem, cuius ſtructura adhuc in manibus artificis ſit: eam autem eſſe Eccleſiam. Hæc præfatus ſum, vt intelligatur quò Propheta reſpexerit. Nam ita exultat propter cultus leuiticos & congreſſus iſtos populi annuos: vt magis cupiat digitum intendere ad Eccleſiam ex Iudæis & gentibus congregandam. Hunc ergo Pſalmum de Eccleſia vtriuſque Teſtamenti breuiter interpretabimur. Nam cum cuilibet iam expeditum ſit videre, quis in hoc

Pſalmo

Psalmo Prophetæ scopus propositus fuerit, is singula rectius accommodare poterit, nec ei opus erit prolixis commentarijs.

1. *Lætatus sum, cum dicerent mihi, in domum DOMINI ibimus.*
2. *Stantes fuerunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem.*

Gratulatur sibi & toti populo in deductione arcæ fœderis, quòd accedere ad domum DOMINI, habitare, & perpetuò manere Hierosolymis liceat: hoc est, quòd sint pars Ecclesiæ Christi, & verum Dei cultum teneant, quo Christi venturi & gloria, & beneficia adumbrentur. Pingit autem gestum siue sermonem Hebræorum mutuò sese cohortantium ad suscipiendum iter in domum DOMINI. Deinde pro habitare, aut firmum esse, manere, vsus est standi verbo, quod significat firmam, stabilemq; mansionem habere. Sic Danielis 11. tres Reges in Persia stare dicuntur: hoc est, potentes, & diuites esse, qui nemini cedant, aut non facilè de gradu dignitatis regiæ possint deijci. Sicut Propheta seipsum verbis sequentibus declarat: Et quartus diteſcet supra omnes, opibus magnis. Ad eum planè modum, hoc loco verbum standi est positum, pro firma, secura, stabili, & iucunda habitatione. Nam hoc Propheta dicere voluit.

Nemo miretur, quòd tanto gaudio ante arcam fœderis, quam Hierosolymam transfero, exultem, me enim recreat, & reficit, non solùm totius populi, & subditorum meorum applausus, qui se mutuò cohor-

tantur, dicentes: Eamus Hierosolymas, arcam DOMINI deducamus, comitemur Regem nostrum: sed quòd videam, huic populo verum Dei cultum & oracula Dei commissa esse, & nos Hierosolymas venire, non vt peregrinos, sed vt domesticos, qui ibi subsistere & manere possimus. Etsi enim qui iam comites sunt, ex tota Iudæa ad externas Hierosolymas, post solennitatem illam dierum festorum quilibet in patriam suam est rediturus: tamen omnes sunt membra veræ Ecclesiæ, participes eorum bonorum, quæ per vrbem & cultus Leuiticos, & hanc in primis arcam adumbrantur, & cum corpore alibi versentur: tamen firmam, stabilem, veramq; sedem habent in spiritualibus Hierosolymis, ad quas non pedibus, sed animo accedunt. Hactenus Propheta Dauid. Quæ autem hoc loco optimus Rex prædicat, ea à D. Paulo in Epistola ad Ephesios, capite secundo, alijs quidem verbis, sed sententia plane eadem proponuntur. Iam inquit non estis hospites, & incolæ, sed conciues sanctorum, ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum &c. Quos Paulus domesticos vocat, eos Dauid vocat stantes in portis Hierusalem. Nulla autem præclarior est & suauior habitatio, quàm in domo DOMINI habitare. Primùm enim firma est & constans habitatio, quam nobis nemo potest eripere. Nam domus nostræ illæ luteæ (vt cum Hiobe loquamur) aut incendio conflagrare, aut ab hoste occupari possunt: quòd si præclarè nobiscum agitur: tamen mortis cogente inclementia tandem deserendæ sunt: sed domus illa DOMINI perpetua est. Nam in hoc seculo contra omnes

insultus

insultus Diaboli, & portas inferorum munita est: nec ea dies, quæ vitam nobis aufert, dulcem nobis consuetudinem istam domesticam eripit, sed magis confirmat. Siue enim viuamus, siue moriamur, DOMINI sumus. *Rom.14.* Deinde maiorem in modum exultare debemus, cum cogitamus, quàm præclarus sit Paterfamiliâs, cuius nos domestici sumus. Nam in templo DOMINI, in portis Hierusalem versamur. Itaq; in contubernio DOMINI viuimus, & in illo præclaro sodalitio, vbi & sancti omnes & angeli Deum celebrant. Quid quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus in nobis habitant? Quid quòd matres, fratres, sorores, cohæredes Christi appellamur, & quidem ab eo, qui cum veritas ipsa sit, fallere non potest? Quemadmodum ergo Propheta Dauid, ea se cogitatione inter omnes difficultates, quas sanè summas experiebatur, erigebat, quòd membrum esset Ecclesiæ: ita nos lætemur, DOMINI nobis benignitate concessum, vt non simus extranei à promissionibus diuinis, non hospites & peregrini, sed domestici Dei: imò vero quòd nomina nostra, sint scripta in cœlis. Non tamen cogitemus, in ista DOMINI domo nos ea licentia versari debere, vt liceat, quod libeat, (quemadmodum multi dum consolationes istas audiunt, falsam illam persuasionem induunt, se à gratia Dei & domo illa spirituali, nunquam exulaturos, etiamsi in omnem vitæ dissolutionem prolabantur:) sed vitam professione nostra dignam instituamus. Neq; enim in vlla Repub. & vrbe, magistratus eum ciuem ferret, qui communibus legibus non vellet viuere: ita qui vocem Pastoris & Patrisfamiliâs non audiunt, qui veste nuptiali exuta, se ad libidines, & voluptatum illecebras abiecerunt,

digni

digni sunt, qui in extremis tenebris, cruciatus perpetuos experiantur. Sed de ciuium, imò vero domesticorum DOMINI moribus postea in hoc Psalmo dabitur dicendi locus.

3. *Ierusalem extructa est vt ciuitas, coniuncta (aut consociata) sibi pariter.*

Dixerat Propheta summo se gaudio perfundi, nomine suo, & populi, quòd liceat stare Hierosolymis: hoc est, non commorandi se, sed habitandi locum illic habere. Nunc vt intelligatur, Hierosolymas talem esse vrbem, cuius commoditates & habitatio expetendæ sint, eam suis laudibus exornat, quas ordine recenset. Et quidem primum laudat à magnificentia extructionum & ædificiorum. Nam quod dicit, eam extructam vt vrbem, κατ' ἐξοχὴν est intelligendum, eam ædificijs reliquis vrbibus antecellere, vt propè sola vrbs vocari debeat. Quemadmodum & Latini Romam, quod domina esset orbis terrarum, & reliquarum vrbiũ quasi regina, vrbem, per excellentiam vocabant. Altera commendatio, est à ciuium concordia, & societate sumpta, quod arctissimo fœdere sint inter se deuincti. Quod in vrbium laudatione vel pręcipuũ esse videtur. Nam certum est, concordia paruas res crescere, discordia maximas dilabi. Eam ergo Rempublicã, beatam quis dixerit, vbi animi ciuiũ arctissimo vinculo societatis concordiaq; inter se sunt cõstricti. Quod Propheta exprimere voluit verbo חבר chobar: quod congregari, & societatem inire significat. Duas itaq; has laudes compendio explicemus, includentes

Saluſtius.

dentes paraphrasi, quæ cum superioribus versiculis cohæreat. Et quidem Hierosolymæ dignæ sunt, in quibus omnes homines habitationem sibi & ius ciuitatis expetant. Nam si quis amœnitate ducatur, nihil hac vrbe nobilius: vtpote quæ, natura, situ, & descriptione ædificiorum & pulchritudine tantum reliquis vrbibus antecellit, vt vel sola vrbis nomen obtinere posse videatur. Quod ego non tam de ornamentis ædificiorum, quàm de pulcherrima & perpetua ciuium concordia, societate, communitatéq; bonorum intelligo. Nam florentissimæ, pulcherrimæq; sunt Hierosolymæ, quas ego splendore magnificentiaq; domorum ita auxi, vt nulli vrbi facilè cedant. Sed spiritualis illa societas ciuium, his externis Hierosolymis adumbrata, ἁρμονίαν longè gratiorem habet, vbi varia dona S. sancti, variæ virtutes conspiciuntur, vbi omnia bona communia sunt, & animi piorum ita coniuncti, vt non iam multi, sed omnes vnum corpus, vna anima rectè dici possint. Hæc Propheta.

Fuit quidem, vt diximus, Hierusalem pulcherrima, & nobilissima ædificijs, & inprimis templo illo toto orbe celebri, sed ex ijs causis, quas suprà adduximus, verisimile non est, Dauidem in externa vrbis pulchritudine acquieuisse. Sed voluit DOMINVS Hierosolymas illas celebres esse, vt vmbræ rerum, quæ significabantur, melius conspicerentur. Neque enim, cum vrbs Ecclesiam, templum autem DOMINI Christum significaret, obscurus locus, & ignobilis esse debuit, sed præclarus. Itaq; noster Propheta haud dubiè magis ad spiritualia ornamẽta respexit. Quem-

admodum Prophetis familiare est Ecclesiam ædificio, & vrbi florentissimæ, & ornatissimæ conferre. Nam quod hoc loco vno verbo proposuit Dauid, id Esaias postea elegantissima descriptione persecutus est, capite 54. Paupercula (inquit) tempestate obruta & consolatione destituta. Ecce ego colloco, super carbunculum lapides tuos, & fundabo te in Saphiris. Et ponam Crystallum fenestras tuas, & portas tuas igne rutilantes, atq; omnes terminos tuos lapides desiderabiles. Quæ potuit iucundior vrbis descriptio adferri, quàm quod ex gemmis, & ijs quidem preciosissimis, variisq; extructa sit, vbi varietate colorum gemmæ inter se certent, & aditus vrbis splendore earum claritatem ignis imitetur? Hoc noster Propheta vno verbo expressit, cum dicit esse Hierosolymas ædificatas vt ciuitatem. Sed quidnam Prophetæ sibi velint istis picturis, Apostoli interpretati sunt, cum Christum dicunt esse lapidem fundamentalem, & precio-
sum. Sanctos autem viuos lapides, qui sint ei superstructi.
Ephes. 2. Paulus Ephesiis scribens inquit: Superstructi estis supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum summo angulari lapidi Iesu Christo. Statim autem subijcit, quale ædificium ex coagmentatione illorum lapidum surgat. In quo (inquit) quæcunq; structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in DOMINO, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei per Spiritum. Et diuus Petrus ad consimilem omnino modum, scribit in priore Epistola sua capite secundo: Gustastis, quàm benignus sit DOMINVS, ad quem accedentes, qui lapis est viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum uerò electus ac

precio

precioſus, ipſi quoq; veluti viui lapides ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, &c. Hæc Apoſtoli. Quanquam autē non meminerunt ciuitatis, ſed domum vocant, tamen videmus eos ſatis luculenter, non ſolùm qui ſint lapides vrbis illius ſpiritualis, ſed etiam quæ ornamenta, oſtendere. Nam cum Chriſtum (Eſaiæ vaticinium interpretantes) dicunt eſſe lapidem precioſum, ſummam pulchritudinem proponunt. Quid enim hic mundus vidit elegantius, pulchrius, precioſius Chriſto, cui ornamēta Spiritus ſancti non ad menſurā (vt Ioannes loquitur) data ſunt, ſed in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter? In quo non aliter quàm φωσφόρῳ omnis generis virtutes coruſcant, charitas, patientia, manſuetudo, benignitas, ſapientia, temperantia, fortitudo, & miracula, quæ in admirationem & ſtuporem facilè omnes rapere poſſunt. Lapides deinde viui illi, quamuis ſplendorem fundamentalis lapidis non aſſequantur, tamen ipſi variis donis & virtutibus, pulchritudinem & elegantiam gemmarum, imò vero ſpiritualis & precioſæ illius imitantur, de quibus omnibus & ſingulis nimium prolixū eſſet dicere. Sed ex his quæ partim ex propheticis, partim autem Apoſtolicis ſcriptis citauimus, facilè intelligimus, quid hoc loco Dauid velit, cum pulchritudinem vrbis Hieroſolymæ primo loco grauiſsima breuitate propoſuit. Sed de coniunctione quoq;, arctiſsimaq; ſocietate ciuium loquitur. Coniuncta eſt (inquit) ſibi pariter, quod vt breuiſsimis propoſitum eſt, ſic ampliſsimam doctrinam, de piorum inter ſe coniunctione continet. Etenim nihil eſt Chriſtianis coniunctius, qui vnum cor-

Eſai. 28.

Col. 2.

pus ſunt, in eo qui caput eſt Eccleſiæ Chriſto, vnus deinde eſt Spiritus, à quo dona omnia accipiunt. Præterea bonorum omnium communitas eſt, quæ diuus Paulus ad Epheſ. 4. his verbis complexus eſt. Vnum (inquit) corpus & vnus Spiritus, quemadmodum & vocati eſtis, in vna ſpe vocationis veſtræ: vnus DOMINVS, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus nobis. En quantus bonorum numerus, & quàm grata illorum eſt ſocietas & communitas? Nam nemo eſt pius, qui ab vllo horum donorum excludatur. At ſi ſummum animorum conſenſum ſpectes, quid credentibus magis coniunctum & ſociatum, qui tam arcto amicitiæ fœdere ſunt deuincti, vt cum plures ſint, vnus tamen eſſe videantur? Lucas in Apoſtolorum
Actor. 4. actubus, teſtis eſt, multitudinis credentiũ, cor vnum, & animam vnam fuiſſe, quod & communicatione bonorum, & alijs officijs, quibus poterant, pulchrè docebant. Hæc autem vrbis ſpiritualis commendatio, non ſolùm proponitur, vt pulchritudinem eius tacitis cogitationibus circumferamus, ſed vt ſtudeamus etiam eſſe viui lapides, in illa ſtructura, ne in nobis deformitas aliqua, indigna tam præclaro ædificio conſpiciatur.

4. *Vt illuc aſcendant tribus, tribus DOMINI ad teſtimonium Iſraëlis, ad confitendum Nomini DOMINI.*

Hic verſus alias laudes vrbis complectitur, Populi frequentiam, quia confluunt ibi omnes; ciuium præſtantiam,

ſtantiam, quòd ibi non conueniant abiecti, contemptíq; homines, ſed tribus DOMINI, populus Dei electus. Nam repetitio vocabuli TRIBVS hanc tacitam ἔμφασιν habet. Neq; enim ignotum eſt, quàm celebre in tota ſcriptura ſacra ſit, duodecim illarum tribuum nomen. Additur ad extremum etiam cauſa, quare tanto ſtudio ter ſingulis annis, ſe in vrbem iſtam conferant, & qua arte exercitioq; maximè excellant: vt ijs conuentibus, teſtimonium confirmationemq; fidei habeant, quod in fauore, protectioneq; DOMINI ſint, ibi exaudiantur, ac participes ſint futuri eorum bonorum, quæ his comitijs adumbrantur: denique vt Deum colant ea ratione, qua vult ſe coli, & ingentia beneficia, quæ in eos contulit, & per Chriſtum collaturus eſt, celebrent. Nam hæc intelligit, per celebrationem nominis diuini, κατὰ πλῶ συνεκδοχλῶ.

Hoc ergo verſu (quemadmodum toto Pſalmo facit) non modò præſtantiam huius vrbis, quæ in externa pompa cernebatur, ſed multò magis beneficia, quæ iſtis vmbris politiæ, cultusq; Hieroſolymitani exprimebãtur, vult commemorare ad hunc modum. Quis præterea non ſummis laudibus extolleret Hieroſolymas, ad quam tantus eſt vniuerſi populi concurſus ſingulis annis, & quidem non cuiuslibet, ſed tribuum DOMINI, tribuum (inquam) DOMINI, quæ ſunt populus Dei, regale ſacerdotium, quibus *Deut. 4.* ita clemens propitiusq; Deus eſt, vt nulli populo, nulli genti, in toto terrarum orbe, tot beneficia præſtiterit, quos in terrã Canaam magnis & ſtupendis mira- *Pſal. 147.* culis introduxit, & ſingulis tribubus hæreditatem ſuã aſsignauit? Neq; cõueniunt illic, vt vel genio operam

dent, aut more Græciæ, curſu, paleſtra, equitatione certent, & ludos inſtituant: non eſt etiam apud eos contentio ingeniorum & doctrinæ, ad quam laudem Philoſophi aſpirarunt, ſed conuentus iſti, quando tres illos feſtos dies, Paſchæ, Pentecoſtes, & tabernaculorum, celebraturi, Hieroſolymis congrediuntur, tacitum ſunt Iſraëlitis omnibus teſtimonium, fauoris, clementiæq; diuinæ. Non enim ſolùm hoc agunt, vt ſe commonefaciant de ijs beneficijs, quæ DOMINVS in eductione ex Ægypto, in deſerto, huic genti præſtitit, ſed quòd Deus Optimus Maximus, per egregium illum totius populi ductorem Moſen, eo loco, vbi memoriam nominis, cultusq; conſtituerit, præſentiam, & adiumentum ſuum promiſerit. Tum autem pulcherrima comitia erunt, quando Chriſto in mundum veniente, omnes populi orbis terrarum ad ſpirituales Hieroſolymas, non pedibus, ſed animo deſiderioq; feſtinabunt, vt inſtruãtur de vijs DOMINI, *Eſa.2.* & veram Euangelij Chriſti agnitionem conſequantur. Nam hoc DOMINVS externis Hieroſolymis, & ſolenni populi conuentu, adumbrare voluit. Et quidem vt nunc populus Hebræus Hieroſolymis conuenit, vt DOMINI beneficia illa, de quibus diximus, non modò in memoriam reuocet, ſed etiam celebret, prædicet, & laudibus vehat, & ijs cultibus ſuam gratitudinem declaret, qui à Deo præſcripti ſunt, ita in Republica illa ſpirituali, quæ erit in cœleſtibus Hieroſolymis, omnes in cultu vero Dei, & celebratione ingentium beneficiorum, quæ à Chriſto, in totum genus humanum collata ſunt, occupabuntur. Quæ cogitatio meritò, omnium verè piorum animos ad exultationem

ultationem lætitiamq; permouere debet.

Qui versiculum hunc rectè perpenderit, animaduertet, nos, quamuis breuis ille sit, in interpretatione verbosos non fuisse, nam singuli apices in huiusmodi scripturis, reconditas habent opes consolationum diuinarum. Cum autem titulus nostrarum annotationum breuitatem promittat, ne excurramus longius, hoc vnum duntaxat, apud animos nostros diligentius perpendamus, non agi hoc loco duntaxat de festis diebus, aut ijs congressibus, quos annuos Hebræi habebant, sed de eo, quantum in vniuersum placeant illi piorum conuentus DOMINO, vbi de religione agitur, & veri cultus obseruantur. Pios sanè & electos Dei homines ἐκκλησίαν, Græci à congregatione vocant, quæ tamen nec locis, nec interuallis definitur, sed quamuis longissimis itineribus à se inuicem absint, tamen Ecclesia vocantur, quia vnanimem, constantem & perpetuam de religione sententiam habent. De qua re suprà diximus. Sed operæ præcium erit, hoc loco meminisse, quare DOMINVS, ista piorum conuenticula, vbi religionis causa certum in locum conueniunt, probet, imò verò instituat, vt communia sacra, ceremoniæ, cultus sint, cum tamen ipse Spiritu sancto suo homines etiam in syluis & solitudinibus dissipatos & vagantes erudire possit, vt in omnibus, quæ pertinent ad benè beatèq; viuendum, excellant. Nam verè Paulus gloriatus est, se Euangelium suum non ab homine didicisse, sed habere ex reuelatione diuina, qui tamen quasi φωσφόρος inter Apostolos sublimitate Spiritus, & meritorum, erga Ecclesiam corruscat. Et cum Esaias testetur, om- *Esa. 54.*

nes

nes fore θεοδιδάκτους. Quare DOMINVS mauult homines in publicis cætibus erudire, quàm priuatim & in receſſu? Nam ſi electi in ſolitudine ita proficerent, videretur magis futura conſpicua DOMINI gloria, cum nulla pars eius conuerſionis ab hominibus petita eſſet? Quid quòd per Angelos, Spiritus illos præclaros DOMINVS loqui ſanctis poſſet, etiamſi pij nunquam conuenirent? De ea quæſtione noſtris temporibus vtiliter diſputatur, cum fanatici nonnulli, contemptis, ſpretiſq; publicis conuentibus, ſolitudinem, & reuelationes ſingulares iactent, quorum in numero præcipuus eſt Stinckfeldius. Tenendum autem grauiſsimas eſſe cauſas, quare DOMINVS, cum de religione agitur, & cultus diuini exercentur, velit pios conuenire. In veteri Teſtamento erant iſtæ. Initiò quòd DOMINVS eum populum, quem ſacrorum cuſtodem conſtituerat, & cui veri cultus rationes præſcripſerat, vellet à ſocietate Ethnicorum ſegregatum, ne ſi paſsim conuenirent, contagij periculum, & imitatio Ehtnicæ impietatis eſſet metuenda. Itaq; etiam interdixit populo ſuo, ne cum vicinis gentibus matrimonia contraherent, & rationem addit, ne idolatriam ductarum vxorum amplectantur, & ſequantur Deos alienos. Quòd autem hoc mandatum de cultibus vno loco habendis, & matrimonijs etiam, neceſſarium fuerit, & caſus Solomonis & Hieroboami, regis Iſraëlitarum, impietas ſatis oſtendit. Nam quamprimum ipſe ſubditos ſuos à conuentibus iſtis Hieroſolymitanis, feſtiſq; diebus propter regni ſui ſtabilitatem, abſtrahendos putauit, ſtatim & ipſe in idolatriam incidit, & ſuis etiam eiuſ-

dem

dem author, ſuaſorq; extitit, imò verò per Tyranni-
dem ſummam, ad eam adegit. Et hæc fuit vna cauſa,
cur DOMINVS inſtituerit, vt vno, certoq; loco po-
pulus conueniret. Altera autem erat, quòd vellet
DOMINVS eum locum eſſe conuentibus celebrem,
qui habebat adumbrationes venturi Chriſti, & be-
neficiorum ipſius. Ideò Hebræi adoraturi, ad propi-
tiatorium veniebant, aut ſi ab vrbe abeſſent longius,
faciem ad eam partem mundi, vbi templum erat, ver-
tebant, quo monebantur, vera fide, ad ſolum propi-
tiatorium, DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum
confugiendum eſſe, quarum ſignificationum & vm-
brarum expoſitiones præclaræ in Epiſtola ad He-
bræos leguntur. Acceſsit huc & tertia cauſa, quod v-
tile eſſet populum ſolennibus iſtis feſtis diebus admo-
neri de ijs beneficijs, quæ ſumma & maxima in vni-
uerſum populum extiterunt, vt in poſterum etiam
ſuam fidem confirmarent, id quod vocabulo teſtimo-
nij (vt diximus) voluit Propheta. Poſtremò cum ex
Sion exire deberet Lex, & verbum DOMINI de Hie
ruſalem, & omnes populi orbis terrarum ei doctrinæ,
quæ à Chriſto Hieroſolymis tradita, & miraculis con-
firmata fuerat, ab Apoſtolis autem ad omnes partes
mundi diuulgata, ſe eſſent ſubiecturi, & vt prædixe-
runt Prophetæ, ſpirituali quadam ratione aduolatu-
ri Ieroſolymas, debuit certè is locus conuentibus po-
puli, qui ſub pædagogia Moſaica erat, celebris eſſe, vt
profectionibus iſtis ſuis admonerentur, futurum, vt
gentes omnes aliquando, ad doctrinam diuinitus tra-
ditam, & mediatorem ac ſaluatorem mundi, extra
quem non eſt ſalus, vocarentur. Et hæc quidem de

conuentibus veteris Testamenti. Cæterum & causæ etiam inuestigandæ sunt, quare in nouo Testamento, vbi vmbræ cessarunt, DOMINVS congressus publicos requirat, id quod & ipsum saluatorem, & Apostolos obseruasse videmus. Nam in frequentia populi docebant, ædebantq; miracula. Et in Actubus Apostolorum legimus, Christianos, qui Apostolos ipsos audiuerunt, congregatos fuisse, maximè verò cum cœnam DOMINI essent accepturi. Et Paulus Colossensibus scribens, hortatur eos, vt se inuicem doceant, & commonefaciant cantionibus, & laudibus, & cantilenis spiritualibus. Et magno consensu antiquitatis, festi dies, maximè ij, qui memoriam maximorum Dei beneficiorum nobis renouant, in Ecclesia, & obseruati, & retenti sunt. Sunt autem nonnullæ causæ, istorum publicorum cõuentuum nobis communes, cum his, qui vixerunt in veteri Testamento, aliæ verò peculiares. Etenim, vt apud veteres, DOMINVS loco augusto & celebri volebat cultum diuinum, & rem sacram fieri, ne puritas doctrinæ corrumperetur, & inficeretur Ethnicorum Idolomania. Sic in nouo Testamento, vult publicè sonare verbum Dei, vult concionatores habere testimonia vocationis suæ. Quomodo (inquit Paulus) credent ei, de quo non audierint? Quomodo autem audient, absq; prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Et hæc ideò præcipiuntur, ne falsi doctores in angulis suas reuelationes, & falsas doctrinas, pro veris obtrudant hominibus, & corruptelæ doctrinæ inuehantur in Ecclesiam Christi. Potuisset DOMINVS per Angelos nobis loqui, sed alligauit nos ad verbum, & publicum

Colos. 3.

Rom. 10.

blicum ministerium, vt constans, certa, & indubitata sit fides nostra: vult publicè & apertè sonare vocem sui Euangelij, vt agnoscatur esse diuina vox, & perpetuum consensum habere cum ijs, quæ à Prophetis, dictante DOMINI Spiritu, prædicta fuerunt. Sed falsi doctores, tenebras, solitudinem, & recessum amant, vt facilius hominibus imperitis imponant, de quibus Paulus in posteriore ad Timotheum, capite tertio scribit, quòd subeant in domos, siue familias, & captiuas ducant mulierculas &c. Et sanè experientia nostrorum temporum abundè hoc docet. Nam fanatici quidam, & præcipuè Anabaptistæ non solùm clandestina conuenticula habent, sed etiam insinuant se in familiaritatem hominum plebeiorum, quibus facilè errorem suum persuadent. Egregiè de ipsis Basilius scripsit, Epistola 64. Non aliter eos facere, quàm matres, quæ monstra pepererint, nam eas & abscondere ea, & tamen alere: ita illos errores suos omni studio cupere in vulgus spargere, sed tamen cum illi putidi sint, nec lucem ferre queant, simplicium animos primum pertentare, à quibus etiam facilè victoriam reportent. Vtile ergo est, vt publicè in Ecclesiis sonet verbum, ne in angulis, semina corruptelarum, & errorum à fanaticis spargantur. Præterea quamuis in hac clarissima luce veritatis, vmbris locus non sit, tamen festi dies, Natiuitatis, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & à maioribus, & nostris hominibus in Ecclesia retenti sunt, vt populus conueniret, conciones audiret, & de summis DOMINI beneficijs cogitaret diligentius. Quanquam enim nullum tempus est, quo nõ renouare nobis memoriam tantarũ rerum debea-

mus, tamen diebus illis anniuersarijs memoria nostra plurimùm iuuatur, & celebres conuentus acuunt hominum cogitationes, vt de summis beneficijs Dei melius, & se, & alios commonefaciant. Postremò voluit nos DOMINVS vnius mensæ fieri participes, quemadmodum vnum sumus corpus, sub capite nostro Iesu Christo: voluit etiam in cœna dilectionis, & charitatis mutuæ, esse symbola, panem & vinum, vbi multa grana & plures vuæ coalescunt, & vnum panem, & vnum potum efficiunt. Quare & in publico conueniendum est, & cõgressus isti Ecclesiastici frequentandi sunt, vt re ipsa doceamus, nos vnius corporis membra esse, vnam fidem, vnum Baptisma habere, imò esse lapides viuos, paratos ad structuram templi illius spiritualis. Summo autem scelere se obstringunt ij, qui dissessionum, & χισμάτων sunt causæ, & animos hominum & istos congressus concordiamq; fidelium turbant, qua de re aliàs dabitur dicendi locus.

5. *Quoniam illic collocatæ sunt sedes, ad iudicium sedis domus Dauid.*

Nobilis est (inquit Propheta) vrbs ista throno Regio, & ijs iudicijs, quibus nulla magis æqua & iusta sunt: nam ibi regia est sedes familiæ Dauidicæ, quæ familia, vt diademate, & alijs ornamentis clara est, sic domicilium quasi est iustitiæ & æquitatis, quæ laus maximè in eo conspicietur, qui ex semine Dauidis nasciturus, solium regni, iudicijq;, æternum est habiturus, Iesus Christus, cui omne iudicium tradi- *Psal.72.* *Psal.89.* tum est, cuius etiam nomen & thronus durabit, quamdiu

diu Sol & Luna manebunt. In quo iudicio nullæ corruptelæ, aut præuaricationes locum habebunt, quia is, qui ipsa est iustitia, præsidebit.

Sic versiculus iste, non solùm de iudicijs, quæ Dauid, & posteri exercuerunt Hierosolymis, sed de Christi iudicio præclaro accipiendus est. Quæ vt rectius intelligantur, nonnulla ad huius loci planiorem intelligentiam subijcienda sunt. Nemo est, qui non sciat, Hierosolymas & regia aula, & iudicijs celebres fuisse. Nam, cum in regia Dauidis, non solùm fortissimi Heroës, sed sapientissimi etiam singularibus donis prædíti viri, (vt historiæ sacræ testantur) versarentur, & ipse Rex, non tàm virtute bellica, quàm ornamentis sapientiæ, iustitiæq; excelleret: Facilè quilibet coniecturam facere potest, quàm præclara illa sedes fuerit, quanta iustitia, & æquitate, iudicia administrata fuerint, quanta ornamenta belli & pacis ibi floruerint. Notum etiam est, Solomonem illum sapientissimum, splendore, & fama nominis sui, non modò suos, in admirationem virtutis sapientiæq;, sed exteras gentes etiam, longissimis interuallis dissitas, Hierosolymas pertraxisse, inter quas, regina illa Sabæorum sapientiæ nomine, & ipsa celebris, cum maximis itineribus in vrbem contendisset, & regi quæstiones de rebus abstrusis, & reconditis proposuisset, palàm confessa est, sapientiam regis, ipsa fama hominum, & opinione maiorem esse. Nota est & celebris sententia eiusdem regis, quam iustissimam inter duas mulierculas tulit, cum omni testimonio destitutus incredibili acumine ingenij, vtra infantis viui mater esset, consequeretur. Fuerunt & alij reges in hac no- 2. *Sam.* 23. 1. *Reg.* 10.

bilissima familia, sapientia, & virtute præstantes. Quare sedes illa Dauidis, non sine causa celebris est. Sed graues sunt causæ, quæ ostendunt laudationem Dauidis, quam hoc loco de iudicijs domus Dauid instituit, non de externo illo iudiciorum splendore duntaxat, sed de sublimiori quodam foro accipienda esse. Nam quamuis aliquamdiu sedes illa Dauidica, gloria iustitiæ, æquitatis, & præterea etiam sapientiæ floruerit: tamen posteritas Dauidis, ita ab illa maiorum laude deflexit, vt rectius illa spelunca latronum quàm sedes iustitiæ, dici potuerit. Longum esset Prophetarum accusationes vehementissimas, ea de re proponere, certè vel vnius Manasse exemplum, crudelitatis & iniustitiæ amplissima probatio est. Et ipse Christus Matth. 23. testatur: eam vrbem sepulchris Prophetarum celebrem, sed nullam aliam esse, quæ plus innocentis sanguinis & quidem Prophetici fuderit. Tandem in ea vrbe contra ipsam, omnis iustitiæ, innocentiæq; ideam, DOMINVM & seruatorem nostrum Iesum Chrtstum, sententia mortis & quidem infamis pronunciata fuit, occisi Apostoli, Christiani contra omnia iura diuina humanaq;, fortunis, bonis exuti, ad cruciatus abripiebantur. Quæ cum satis ostendant, sedem Dauidicam, laudem æquitatis, iustitiæq; non retinuisse, dubium non est, Dauidem ad thronum Messiæ & Christum, cui omne iudicium à Patre traditum est, respexisse. Nam promissio de Christo, quem DOMINVS Dauidi ex posteritate pollicitus fuerat, & sedes thronusq; sempiternus, sæpe repetitur in sacris: Iurauit (inquit) DOMINVS Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris

Psal. 132.

ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. Et alibi: Semel iuraui per ſanctitatem meam, non mentiar Dauidi, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut Sol, in conſpectu meo, & ſicut Luna, permanebit in æternum, & teſtis in nubibus fidelis. De hac ergo præclara ſede DOMINI, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, iſta Prophetica intelligenda ſunt, quæ ſedes meritò ſummis laudibus eſt extollenda. Primùm quia non eſt temporaria, ſed æterna, vt ſuperius teſtimonium ſatis apertè oſtendit. Deinde eſt iudicium, in quo nemini fit iniuria, nam non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neq; ſecundum auditum aurium ſuarum (vt Eſaias teſtatur) arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate, pro manſuetis terræ. Sæpe enim hominibus, falſis teſtimonijs imponitur, vt non ferant iuſtam & æquam ſententiam. Sed Chriſtus DOMINVS qui eſt inſpector cordium, & iudex tacitarum cogitationum, nec fallere vult, nec falli poteſt. Adhæc ad tribunal illud Chriſti omnes populi citantur. Ideo DOMINVS Ioannes 5. dicit, ſibi omne iudicium datum à Patre. Videamus ergò, quomodo Rex ille ſuum iudicium exerceat & vbi. Primùm Chriſtus thronum ſuum habet in hoc mundo, non quidem in ſtrepitu fori, pompaq; mundana, ſed in ſua Eccleſia. Iudicium autem tale exercet, quale magni principes, & victores, qui non ſunt alligati ad certas leges, ſicut iudices vulgares, ſed quia pleniſſimam poteſtatem habent, etiã ſceleratos, qui ad ipſorum thronum ſupplices confugiunt, abſoluunt, & omni reatu liberant. Talis iudex eſt Chriſtus, DOMINVS noſter, nam ex mera miſericordia, eos omnes abſoluit,

Pſalm. 89.

Eſai. 11.

absoluit, qui agnitis peccatis, se ad ipsius pedes abiiciunt. Hoc clara voce testatus est in veteri Testamento, cum inquit: Nolo mortem peccatoris, sed volo vt conuertatur & viuat. Et in nouo Testamento: Non misit Deus filium suum, in mundum, vt condemnet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Ioan. 6. Qui venit ad me, eum non eiiciam foras. Et quòd non exerceat iudicium seuerum in supplices, ipse, Matth. 11. ostendit his verbis: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est. Est tamen hæc inter Christi, & Imperatorum clementiam differentia, quòd hi quidem sontes absq; vlla satisfactione dimittunt, & sæpè contra iustitiam sceleratos homines, qui ad crucem & supplicia abripiendi erant, ex carceribus liberant, & vita ac libertate donant. Christus autem iudicat populum in iustitia, & pauperes in iudicio, & ita clemens est, vt interim iustitiæ suæ non obliuiscatur, quòd ita consequitur, cum ipse pro sontibus satisfacit, pœnas quas meriti sunt in se recipit, & iustitiam suam illis largitur. Quæ iudicij ratio & clementissima, & iustissima est, cum iudex neminem (modò supplex sit) à se tristem dimittit, sed tamen iustitiæ æquitatisq; fines in puniendo non transgreditur. Et ita quidem erga supplices affectus est. Habet & seueriorem quendã exercendi iudicij modum, cum rebelles ad tribunal adducuntur, eos enim conteret virga ferrea, vt Psalmo secundo scriptum est. Nam cum impœnitentes gratiã à Christo DOMINO oblatam recipere nolint, digni sunt, qui

Ezech. 33.

Ioan. 3.

qui ad exteriores tenebras ſententia iudicis abiſciantur. Poſtremò quando DOMINVS omnibus rebus mundanis eſt finem impoſiturus, ceſſabit illud etiam iudicium in Eccleſia, hoc eſt, prædicatio Euangelij, & & iudicabit ipſe viuos & mortuos, non quòd nouam exercendi iudicij rationem, modumq; velit inſtituere, ſed tum ſententiam in hoc mundo & Eccleſia conceptam pronunciabit. Nam qui non credunt, iam iudicati ſunt: at cum ille ſupremus dies illuxerit, tum ſententia iſta promulgabitur. Quæ omnia ſi rectè perpenderimus, intelligemus certè, quanta ſit iudicij huius & maieſtas & æquitas, in quo nemini petenti miſericordia negatur, nihil fauori, nihil muneribus datur, nulla in teſtimonijs fallacia, iudicem impedit. Denicq; iudicium hoc eſt perpetuum, de quo ſanè Dauidem hoc verſiculo dicere palàm eſt, cum tantis laudibus ſedem Dauidis & iudicia, quæ Hieroſolymis exercentur, prædicat.

6. *Rogate quæ ad pacem ſunt Iheruſalem, & proſperentur diligentes te.*
7. *Sit pax intra muros tuos, & proſperitas in palatijs tuis.*
8. *Propter fratres meos, & proximos meos loquar tibi pacem.*
9. *Propter domum DOMINI Dei noſtri, quæram bona tibi.*

Poſtrema laus vrbis, quòd in ea ſit pax, proſperitas & fœlicitas, quam etiam in poſterum ei precatur. Vſus autem eſt Propheta Dialogo, in quo adhortatio eſt, vt omnes huic vrbi ſtabilem pacem & ſecuritatem

tem precentur. Reſpondent alij, & preces pro illa pace inſtituunt: & adduntur duæ cauſæ, id fieri propter fratres, & domum DOMINI. Quanquam autem dubium non eſt, Dauidem externis Hieroſolymis eam pacem, quæ ſub ſuo regno, & poſtea etiam filij Solomonis florebat, exoptare, vt cultus diuinus veraq; religio illic, vſq; ad tempora aduentus Chriſti conſeruarentur, & propagarentur: tamen manifeſtum eſt, Dauidem iſtas preces inſtituere non pro externis ædificijs, ſed membris Eccleſiæ, nec duntaxat de pace ciuili, & politica, ſed ſpirituali, quam omnibus & ſingulis membris Eccleſiæ precatur agere. Quod enim non ſolùm ſecuritatem, & felicitatem, qualis in Republica expetitur, ſed aliam maiorem & nobiliorem intelligat, his verbis oſtendit, vbi dicit: Proſperentur diligentes te. Neq; enim Propheta amori externæ patriæ tantum tribuebat, vt diligentibus eam, proſperitatem omnem polliceretur (quam ſanè ocij illius externi exiguam poſt Solomonis tempora perceperunt) ſed ijs pacem, & quidem conſtantem & amabilem illam animorum precabatur, qui cum eſſent vera membra Eccleſiæ, patriam illam ſiue ciuitatem ſpiritualem verè amarent, cultum diuinum promotum cuperent. Imò verò iſta ad totam poſteritatem, & Eccleſiam verè credentium pertinent. Sunt enim verba Prophetæ hoc modo intelligenda.

Cum tanta ornamenta Hieroſolymis, præſertim autem ſpiritualibus illis (de quibus iam dixi) ſint: æquum eſt, vt omnes pacem proſperitatemq;, & ea omnia, quæ iucunda, ſuauiaq; ſunt, ei exoptent: non quòd vrbi iſti, noſtris votis, primùm hæc conciliandа ſint

da ſint, in quorum pulcherrima poſſeſsione ſemper manet, ſed vt ſingula membra, quæ diligunt Eccleſiã, ſiue vrbem illam, dona pacis & conſolationis in cordibus ſuis experiantur. Sit ergò, quod precamur omnes, O præclara ciuitas Dei, intra tuos muros pax, ſit proſperitas, largiatur DOMINVS, qui eſt cuſtos Eccleſiæ, externam pacem, vt audire verbum DOMINI, quieti poſsimus, ſed multò magis per Spiritũ ſanctum in cordibus noſtris accendat pacem Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, & quæ omnibus aliis in hoc terrarum orbe anteponenda eſt. Hæc omnibus membris Eccleſiæ precemur, fratribus & proximis noſtris. Has preces pro domo DOMINI, quæ eſt Eccleſia fundamus. Hactenus Propheta. Nos autem non patiamur cohortationem iſtam apud nos inanem eſſe: ſed cum Dauide Hieroſolymis fauſta omnia precemur. Et quidem initio in his rerum omnium perturbationibus oremus, vt DOMINVS hoſpitia piis doctoribus & auditoribus verbi Dei, & pacem etiam externam illam clementer largiatur. Nam inter arma nõ modò ſilent leges, periclitantur ſtudia docentium et diſcentiũ, ſed miniſtri verbi in exilium eiiciuntur & lupis ac falſis doctoribus aperitur ianua, ad ſpargendas corruptelas. Pro pace ergò ſemper orandum eſt. Sed cum pax ſpiritualis (de qua ſæpè aliâs diximus) tantò ſit præſtantior quietè ocioq; externo, quantum anima corpori antecellit, ea multò maiore ſtudio quærenda, & ſeriis precibus flagitanda eſt. Quod & Chriſtus ſeruator, docere nos voluit, cum familiariter ſalutatione illa pacis vteretur. Et diuus etiam Paulus, magiſtrum imitatus, ſubinde in Epiſtolis

ſuis pacis illius aureæ & diuinæ mentionem facit. Nihil ſanè in hac vita, ſuaue aut iucundum nobis accidere poteſt, ſi animi perturbatio & triſtitia coniuncta ſit, maximè verò ſi conſcientia ſenſu peccatorum excrucietur. Itaq; vera & conſtanti fide nos conuertamus ad DOMINVM, & ſeruatorem noſtrum, Ieſum
Rom. 5. Chriſtum, vt fide iuſtificati pacem habeamus erga Deum. Hanc enim ſi fuerimus conſecuti, in ipſis etiã tribulationibus gloriari poterimus, ſcientes, quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò probationem, probatio ſpem, & eam quidem, quæ nunquam confundit. Ex his etiam certa coniectura aſſequimur, veram proſperitatem, & felicitatem duntaxat in Eccleſia Chriſti quærendam. Nam quæ extra muros Ieroſolymarum, (vt cum Propheta noſtra loquamur) expetitur, in rebus caducis eſt poſita, quas Eſaias floſculis pratorum confert, mox decidentibus. At poteſt ne in ea re eſſe felicitas, quæ præter breuem vſuram voluptatis nihil commodi affert, mox etiam triſte ſui deſiderium nobis relictura? Sed concedamus aliquam in his caducis ſuauitatem eſſe, tamen cum ijſ, qui fide prædíti non ſunt, nunquam poſsint eſſe ſecuro quietoq; animo, ſtimulante & exagitante eos conſcientia, & metu futurorum malorum, nulla ratione iſtis nomen felicitatis tribui poteſt. Ii autem demum veram felicitatem habent, qui nouerunt ſe in gratia fauoreq; DOMINI verſari, & æterna bona certa ſpe poſſidere, illi in ipſa morte, cum Simeone illo totos ſe tradere in obſequium DOMINO, & hilari & ocioſo animo expectare extremam horam poſſunt. Preterea ne hoc quidem negligendum eſt, eos quos DOMINVS vera charitate

charitate imbuit, non solùm ea curare, quæ ad sua priuata commoda spectare videntur, sed semper de Ecclesia & fratribus esse sollicitos. Etenim vt membra corporis humani non solùm mutuas operas pręstant, sed in pulcherrima quadam societate doloris, & periculorum perpetuò versantur, ita qui & re, & nomine Christiani sunt, cum sub vno capite Christo membra se esse agnoscant, salutem & incolumitatem omnium piorum ad suam curam pertinere existimant. Itaq; pro omnibus quidem quotidianas preces fundunt, maximè autem pro domesticis fidei (vt Paulus loquitur) & indefesso studio hoc agunt, vt commoda Ecclesiæ promoueantur, & verus Dei cultus illibatus ad posteritatem conseruetur.

VSVS HVIVS PSALMI.

In grauissimis & multiplicibus ærumnis huius mundi, D. Apostolus Paulus iubet nos semper gaudere: Semper (inquit) gaudete, indesinenter orate. 1. *Thes.* 5. Cum autem & Ethnici remedia fugādæ tristitiæ quærant, & medicinam in voluptatum illecebris positam credant, iuxta illud Poëtæ: Trahit sua quemq; voluptas, alio loco idem Apostolus docet, quæ nostri gaudij materia esse debeat: Gaudete, inquit, in DOMINO hoc est, recreate vos meditatione eorum bonorum, quæ vobis Christus largitus est. Eadem causa nostrum Prophetam mouit, vt serio exultaret, quia intelligebat, quanta in Christo commoda haberet, & quàm ampla consolatio sit, si quis intelligat se esse membrum Ecclesiæ. Hæc & nos inter tot ærumnas humani ge-

neris inprimis noſtras erigant, lætemur & exulte-mus, nos in ſocietatem bonorum omnium, quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ eſt largitus, vocatos eſſe, poſsidere in ipſo remiſsionem peccatorum, adoptionem, præſentiam Spiritus DOMINI, & eam hæreditatem, quæ, vt æterna, ita perfectiſsima eſt. Quid enim maius eſt? quid præſtantius, quàm cum Chriſto in æternum regnare? quam gloriam nobis largiatur Chriſtus Optimus Maximus, Amen.

Pſalmus 123.

Canticum graduum.

Ad te leuo oculos meos &c.

QVemadmodũ admiratio artium amorem, & amor inquiſitionem earum profectumq; peperit, ita econtra contemptus & negligentiam & inſcitiam multarum rerum creat. Sed in rebus humanis negligentiæ contemptusq; tanta incommoda non ſunt, quàm in ſacris. Etenim quem Sathanæ calliditas eò perduxit, vt ſacris literis concionibusq; longum vale dicat, eum perfacilè in Cimmerias (vt ita loquar) tenebras conijciet. Nam expeditũ eſt homini oculato cœcum ad præcipitium ducere: ita ille humanarum calamitatum

tum ἐπιχαιρεκακὸς, facilè eos præcipitare poteſt, qui-bus ſemel diuinarum rerum & ſcripturarum cõtemptam induit. Habet autem aſtutiſsimus ille ſpiritus multos emiſſarios, per quos iſta procurat, qui etiam DOMINVM ſuum præclarè referunt. Nam omnem lapidem mouent, ne vera doctrina religionis floreat, & contemptum letheamq́ obliuionem, quam ſemel propinante diabolo imbiberunt, aliis quoq́ perſuadere conantur: eos verò, qui magno animo puriorem doctrinam contra illa diaboli inſtrumenta defendere conantur, toto conatu omniq́ virium animiq́ contentione perſequuntur. Quæ res ita interdum pios mouet, præſertim ſi videant aduerſarios opibus, confœderationibus, & aliis ſubſidiis præditos, vt tantum non deſpondeant animum. Et dubium non eſt, Dauidem grauiſsimas tentationes expertum, cum in aula Saulis, non modò contemptum verbi florere videret, ſed & ipſe, & optimi quiq́ in regno perſecutionem, & quidem acerbam cruentamq́ experirentur. Fuerunt & alij multi hoſtes aduerſariiq́ Dauidis, qui incolumitatis vitæq́ ei creare periculum conabantur. Ne ergo & ipſe Dauid, & ij quos habebat comites, imò pij omnes deficerent, hanc precationem ſcripſit, in qua pro ſe & Eccleſia Dei ſeriis gemitibus intercedit, vt clementer contra aduerſarios contemptoresq́ verbi protegantur. Quanquam autem vel fudiſſe duntaxat preces ad DOMINVM, ipſi loco rationum argumentorumq́ eſt, tamen ſancti viri, vt ſæpè de Deo ἀνθρωποπαθῶς loquũtur, ita hominũ more inſtitutoq́, quando orant, rationes etiam ſuarum præcum proponunt: quod ideo inprimis faciunt, vt formulas precationum

tionum alijs præscribant. In hoc sanè Psalmo, cum Propheta DOMINI auxilium implorat contra contemptores & persecutores verbi, tribus potissimum rationibus vtitur, quarum prima, à DOMINI maiestate sumpta est, quòd is possit iuuare, cum Omnipotens sit, id quod notatione ostendit, cum dicit DOMINVM in cœlis habitare. Altera quòd confugientes ad se non spernat, itaq; Dauidem & suos negligendos non esse, quia toti à nutu voluntateq; DOMINI pendeant. Tertia, contemptum, & persecutionem maximam, quam pij perferant, non humanas vires, sed opem diuinam requirere, neq; enim cõtra Ecclesiam & fideles insurgere homines plebeios, sed potentes instructos artibus & neruis nocendi. Hæc præfatus breuiter versiculos quinq; huius Psalmi percurram.

1. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.*

Propositio Psalmi est, Dauidem ardentibus precibus confugere ad DOMINVM. Solent enim afflicti, deploratis rebus consilijsq; humanis, non modò animos, sed oculos etiam ad Cœlum attollere, & interdum non tam verbis, quàm gemitu gestuq; DOMINO loqui. Hanc propositionem magis explicatam, repetit versu quarto: Miserere nostri DOMINE, miserere nostri, vbi gemitus Propheticus repetitione eiusdem vocabuli pulchrè expressus est. Sed (vt suprà meminimus) cœli quoq; & habitationis vocabula, tacitam in se vim habent, quibus DOMINI maiestatem, & eam quidem æternam describit: qua sola Propheta in his periculis nitatur, quæ prima ratio confirman-

confirmandæ propoſitioni addita eſt. Verùm iſta in contextu & perpetua verborum ſerie luculentius conſpiciuntur. Ego (inquit) cum vndiq; in his rerum perturbationibus oculos circumfero, auxiliũ opemq; in rebus humanis non inuenio: Quò ergò me vertam, quem implorem, à quo conſilium auxiliumq; petam? nullus certè amplius locus mihi relictus eſt, quàm vt oculos ad te DOMINVM conuertam, & gemitu lacrymisq; ad te confugiam. Nec dubiam aut obſcuram ſpem in tua illa ope colloco, ſed firmam & conſtantem: nam qui ad te confugiunt, non confunduntur, ſed victores ſemper abeunt. Etenim hoc ampliſsimum cœlum, quod magnitudine & pulchritudine ſua tuam æternam maieſtatem prædicat, nos iubet magno animo eſſe. Quomodo enim ad hominum minas extimeſceremus, & in noſtris precibus eſſemus trepidi, cùm ſolo obtutu cœlorũ quos tu (vt Eſaias loquitur) extendiſti, confirmemur? Superbiant homines vrbibus & munitionibus à ſe extructis, ſed quid erunt illa omnia, cum illa amplitudine & maieſtate tua collata, quàm guttula ab vrna dependens, imò ſtilla reſpectu maris? Et hæc tua maieſtas, non temporaria, ſed æterna eſt, nam habitationis illius & dominationis tuæ nullus eſt finis. Itaq; metuendum nobis non eſt, ne vnquam auxilio deſtituamur. Firma ergo fide ad te tanquam arcem ſalutis & incolumitatis noſtræ confugimus.

Pſal. 34.

Pſal. 19.

Eſai. 51.

Eſa. 40.

Prouer. 18.

Hæc omnia ſumma breuitate complexus eſt Propheta Dauid. Nos autem in maximis afflictionibus, duo fundamenta confirmandæ fidei noſtræ ex hoc verſiculo extruere poſſumus. Initiò ſi oculos attollen-

tes in cœlum Dei maiestatem & potentiam, omnibus conatibus hominum & Sathanæ opponamus. Nulla enim tantæ Diaboli aduersus Christi Ecclesiam machinationes ne cogitari quidem possunt, quibus non superior sit DOMINI potentia & maiestas, quæ cum recte perpendimus, in aduersis magno animo esse poterimus, dicentes: En qui nobis aduersantur, caro sunt, & proinde vt flores agri habendi sunt. Tuæ autem salutis fundamentum, DOMINVS est æternus & Omnipotens Deus. Qua de re admonere nos voluit Christus, cum in exordio orationis dominicæ, statim meminit Patris, qui in cœlis est, hoc est, qui suam potentiam, cùm alijs creaturis, tum autem præcipuè creatione tam præclari corporis demonstrauit. Ita & articuli fidei nostræ statim Omnipotentiæ Dei nos commonefaciunt. Sic DOMINVS confir-

Gen.17. maturus Abrahamum, eadem præfatione vsus est. Ego Deus Omnipotens, ambula coram me. Ac si diceret, nullæ te difficultates auocent à studio pietatis, nam ego qui gubernacula omnium rerum in manibus teneo, tibi adsum. Et Propheta Dauid egregiè contrapositò virium humanarum potentiæq; diuinæ

Psalm.20. vsus est. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine DOMINI Dei nostri inuocabimus. Et hæc quidem prima ratio est, qua nos erigere inter difficultates summas & pericula possumus. Secundum autem consolationis fundamentum est, cogitare, non solùm DOMINVM in cœlis habitare, sed nos eandem etiam patriam expectare, illic esse municipatum nostrum, ibi hæreditatem æternam, ibi domum perpetuam, in qua cum Deo Optimo Maximo in æternum habitemus.

habitemus. Qua conſolatione Chriſtus ſeruator noſter & diſcipulos ſuos & nos omnes erigere voluit, dicens: In domo Patris ſui manſiones multas eſſe, effecturumq; ſe, vt diſcipuli ſint vbi ipſe eſt. Quod etiam in illa ardenti precatione, quam paulò ante Paſſionem ſuam habuit, repetiuit. Iſta cogitatio in confluentia illa miſeriarū & calamitatum, quę in hoc mundo nos exercent, neceſſaria eſt. Nam quis animo tantam ſeriem malorum conſiderans poſſet conquieſcere, niſi in illa æterna vita patriam, in cœlis habitationem, ex malis omnibus profugium & perpetuam liberationem ſperaret: ac quod Ethnici ad breuiſsimi temporis ſolatium accōmodabant, verè & perpetuo dicere poſsit: Dabit Deus his quoq; finem. *Ioan. 14.* *Ioan. 17.*

2. *Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manus dominorū ſuorum, & ſicut oculi ancillæ ad manū dominæ, ſic oculi noſtri ſunt ad DOMINVM Deum noſtrū, donec miſereatur.*

Loquitur hoc loco potiſsimum de fiducia, quam poſitam habent ſerui DOMINI in auxilio diuino. Nam in fine verſiculi dicit, donec miſereatur. Ergo reſpicere ad DOMINVM, ſignificat certa ſpe auxilij, conijcere oculos in Deum, & ab eo ſolo pendere, id quod ſimilitudo etiam illuſtrandæ rei addita oſtendit. Etenim ſerui & victum & defenſionem & omnia à Dominis ſuis expectant, cum ſui iuris non ſint. Germani hanc phraſin exprimunt quando dicunt: Man můß dem Herren allein in die händ ſehen / hoc eſt, ab ipſo auxilium expectandum. Latet autem in his verbis firmum argumentum, quod in piorum preci-

bus frequens est. DOMINVM non esse deserturum pios, quos seruos suos esse agnoscit, & implorantibus opem suam pollicitus est. Itaq; prius argumentum ostendit, DOMINVM posse suos iuuare, quia in cœlis habitet, omniaq; gubernet. Hic autem versus probat, non velle eum suos deserere, propter promissiones illas certissimas factas seruis DOMINI.

Non possumus (inquit) ô DOMINE, de tua voluntate & clementia erga nos dubitare, quia tui serui sumus, modis omnibus tibi addicti: & quemadmodum serui omnia necessaria ex dominorum suorum manibus expectant, nec sua spe frustrantur, nam qui paulò commodiores DOMINI sunt, nec in periculis defensionem, nec in fame cibum, nec in hyeme vestem famulis denegant: ita cum nos serui tui, in te coniectos oculos habeamus, & in alienissimis hisce Ecclesiæ & Reipublicæ temporibus & persequutione, spe auxilij tui nos solemur, certe non es nos vlla ratione deserturus. Etenim cum sis clementissimus, quomodo cederes hac in parte hominibus peccatoribus, qui interdum erga seruos faciles esse solent? Et cum veritas tuarum promissionum semper firma rataq; sit, opem autem auxiliumq; tuũ seruis tuis toties sis pollicitus, quomodo discederes iam ab ingenio tuo? Non ergo desistemus implorare opem tuam, donec nos clementer exaudias.

Hæc Propheta voluisse videtur. Quanquam autem (vt diximus) præcipue hoc loco de fiducia piorum loquitur, tamen cum nos seruos DOMINI vocet, facilè intelligimus, nostri esse officij, omnes nostræ vitæ rationes ad mandata & præscriptum ipsius ac commo-

commodare. Ideò enim initio conditi, deinde redempti ſumus, vt DOMINO ſeruiamus, cum ſanctitate & iuſtitia cunctis diebus vitæ noſtræ (placet enim iſs verbis Prophetæ ſententiam explicare, quibus magnus ille Zacharias Baptiſtæ Pater in laudatione ſua vſus eſt) Itaq; non amemus ignauum ocium, nec voluptatibus & illecebris mundi, quæ cum turpitudine coniunctæ ſunt, ſeruiamus, ſed omni ſtudio noſtros mores ad voluntatem DOMINI conformemus, & ſeduló noſtram ſpartam, in quam nos DOMINVS collocauit, ornemus. Quãquam autem obſequia, quæ à noſtra tenuitate proficiſci poſſunt, nulla ex parte perfecta ſunt, præſertim ſi ſeuerior à DOMINO cenſura inſtituatur, & ſi fecerimus omnia, tamen ſerui inutiles ſumus: tamen ita clemens eſt DOMINVS, vt nos ſeruos ſuos omnia velit expectare à ſua benignitate, non quidem propter noſtra merita, ſed quia liberalis eſt iſta ſeruitus, & DOMINVS quos ſeruos, eoſdem etiam liberos agnoſcit. Itaq; ea obſequia etiam probat & mercede ornat, quæ & minima ſunt, & niſi ipſe clementer de illis iudicaret, reprehenſionem non poſſent effugere: id quod parentes etiam propitij faciunt, cum liberorum qualemcunq; operam, & laudant & præmijs ornant. Itaq; qui in laudabili vitæ ratione aut vocatione verſantur, quãuis indigni ſerui è manibus DOMINI omnia expectent, victum, defenſionem, conſolationem, & ea omnia quæ ad bene beateq; viuendum pertinent. Nam multis modis rationibusq; in ſacris promiſit ſe ſuis ſeruis non defuturum: Beati inquit Dauid Pſal. 128. omnes qui timent DOMINVM, qui ambulant in vijs eius. Hoc eſt in to- Luc. 1.

ta vita felices sunt isti, qui rectam viuendi rationem, coniunctam cum DOMINI timore sequuntur. Præcipuè aut suam opem & præsentiam ijs pollicitus est, qui autem in angustijs rei familiaris sunt, aut propter confessionem veritatis persequutionem patiuntur, vt Psalmo 33. dicitur: Oculi DOMINI super metuentes eum, & super eos qui sperant in misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et consolatione plenissima est præclara illa vox Dauidis Psalmo 56. Fugam meam numerasti, posuisti lacrymas meas in vtrem tuum. Quomodo enim cura solicitudoq; DOMINI pro suis artificiosius depingi potuisset, quàm quòd itinera & lacrymas Deo in numerato esse dixit. Cum ergo tam exquisitam curam defensionemq; suis promittit, nos ipsius serui, in omnibus, quæ & secunda & aduersa nobis accidunt, in manus DOMINI vera fide respiciamus, imò nos ei totos resignemus. Quod tum nobis expeditũ erit, quando ex sacris nos commonefecerimus, quàm potens, larga, & ad omnes nostras necessitates subleuandas parata promptaq; sit DOMINI manus. Etenim quando de victu & alimentis soliciti sumus, ex cuius manu
Psal.144. ea expectabimus, quàm eius qui aperiens suam manum pascit vniuersa, imò verò benedictionem & rerum omnium affluentiam largitur? Sed quando nobis aduersus imminentia pericula protectione est opus, cuius manus ad eam rem magis erit idonea, quam DOMINI Dei nostri, in cuius manu sunt omnes fines
Psal.95. terræ? At verò si tota vis malorũ spirituum nos adorietur, vt nos præcipites ad æternos cruciatus rapiat, cuius manus contra tantam potentiam nos protectura est

ra est, quàm illa Dei Optimi Maximi, qui maior omnibus, nunquam permittit, vt oues ex sua manu rapiantur. Sed contra inclementiam mortis, quem nobis defensorem quæsituri sumus, quàm eum qui est DOMINVS vitæ & mortis. In cuius manus rectius Spiritum nostrũ resignabimus, quam Patris cœlestis & DOMINI ac seruatoris nostri Iesu Christi, quod & Dauidẽ & Stephanũ fecisse nouimus? Quid multis? tota historia sacra docet, præclarè cum ijs semper esse actum, qui se totos in manus DOMINI commendarent. Sic magnus ille Abrahamus, patriam & amicos deserens, veluti seruus obediens, omnem suam salutem & incolumitatem DOMINO commendabat. Sic Isaacus filius, sic Iacobus Patriarcha, variam fortunam & pericula præsertim à fratre Esauo, sic Ioseph carcerem diuturnum, sic Propheta Dauid mille pericula subierunt & inter tot ærumnas & difficultates constanti intrepidoq; animo fuerunt. Quia in omnib. aduersis è clementi & paterna Dei Opt. Max. manu, protectionem, liberationem, & emolumenta omnia expectabant. Nec eos vnquam deseruit is, qui (quòd sit omnis bonitatis fons & origo) suorum oblitus esse non potest. Nos ergò famuli ipsius nunquam auertamus oculos à tam præclara, liberali & potenti DOMINI manu: ipsa enim est fons inexhaustus, petra refugij, cornu salutis, clypeus, solatium in aduersis, vmbra in æstu, vita in ipsa morte. *Ioan. 10.*

3. *Miserere mei DOMINE, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.*

4. *Quia*

4. *Quia multum repleta eſt anima noſtra ſubſannatione opulentorum & contemptu ſuperborum.*

Poſtremum argumentum Prophetæ, quo propo-nit, quàm neceſſaria ſit pijs protectio diuina, quia modis omnibus ab impijs oppugnentur, & tanta pe-ricula ſanctis creent, vt effugij locus non ſit, niſi DO-MINVS potenti ſua manu membra Eccleſiæ tueatur, & ipſis ὡς ἐκ μαχαίρης (vt dici ſolet) adſit. Obſeruan-dæ autem ſunt figuræ & amplificationes, quibus Pro-pheta vſus eſt. Initio autem notanda eſt Synechdoche, nam per ſubſannationem, de qua ſola hic queſtus vi-detur, non ſolùm contemptum intelligit, ſed etiam perſecutionem & conculcationem, quæ contemptum ſequi plerunq; ſolet: Vult enim dicere, ſe & alios pios eſſe miſeros & contemptos homines, & tantùm non conculcari ab impijs: nec duntaxat piorum, ſed verbi etiam, propter quod illi perſecutionem patiuntur, contemptum deplorare voluit. Addita etiam eſt Sy-nonymia, qua magnitudinem contemptus exprimit: Repleti (inquit) ſumus deſpectione: & rurſus: Re-pleta eſt anima noſtra ſubſannatione, & iterum: con-temptu ſuperborum. Bis in Hebræo repetitum eſt vocabulum, בוז Bus, & per ſynonymiam additum לעג Laag, vtrumq; irriſionem, ſubſañationem ſignificat. Augendi etiam gratia per epithaſin acceſſerunt vo-cabula multitudinis רב Rab & רבת multum repleti ſu-mus &c. Nec prætereundæ ſunt amplificationes à perſonis, & conſequenti ſumptæ: à perſonis quidem, quòd contemptum à ſuperbis & opulentis proficiſci dicit, qui nocere & velint & poſſint: à conſequenti ve-

rò,

rò, quia ſacietas & dolor illarum miſeriarum ad intimos animorum ſenſus penetret. Hæc ornamenta Rhetorica recenſenda & demonſtranda fuerunt, ne credatur Propheta de re leuicula loqui, & tam imbecillo animo fuiſſe, vt ne riſum quidem ſubſannationesq; eo quo decet animo, ferre potuerit. Sed fuerunt iſti σαρκασμοὶ acerrimi, qui ſanctiſsimi Prophetæ pectus, non leuiter ſauciarunt. Et vt rectius intelligatur, quæ in hac ſumma breuitate, verborum ſint pondera, breui paraphraſi ea explicemus.

O DOMINE miſerere noſtri, miſerere noſtri ô clementiſsime Deus, quia eo in loco res piorum ſunt, vt non niſi tua ope ſubleuari poſsint. Tantus enim eſt contemptus, tantæ ſubſannationes impiorum, tam acerbæ irriſiones, & ea quæ contemptum ſequitur innocentiſsimorum hominum conculcatio & perſecutio, vt ad magnitudinem earum nihil accedere amplius poſsit. Cuius doloris magnitudo & ſacietas tanta eſt, vt ad intimos animorum receſſus & ipſas medullas penetret. Nec mirum eſt, tantam eſſe huius miſeriæ & perſecutionis magnitudinem, quia ij nobis inſultant, qui ſuperbiſsimè & te & pios omnes contemnunt, & noctes ac dies hoc agunt, vt nobis incommodum afferant. Præterea opibus, potentia & artibus nocendi inſtructi ſunt, vt maxima mala creare nobis & quidem impunè poſsint. Nemo enim eſt, qui illorum improbitati reſiſtere velit, cum ea armata ſit potentia, viribus, & quæ animis humanis dominatur, pecunia. Quare niſi ô DOMINE volueris nos omnino conculcari & proteri, nos tua potenti manu protege, & à peſsimorũ hominum conatibus aſſere: nec tradas beſtiæ animam turturis tui. *Pſalm.24.*

Ex his facile intelligitur, quare sancti tantas de contemptu querelas instituant, non agitur enim, de gloria & celebritate, quam Ethnici homines ne leui quidem maledicto lædi volebant. Sed primùm de virulentis impiorum linguis, quæ contemptissimè loquuntur de verbo Dei, imò de Deo ipso. Vbi inquiunt, est Deus tuus? Quæ maledicentia ijs, qui & verbum & & Deum diligunt, intollerabilis prope videtur. Certè Dauid dicit, sensum doloris illius ad intimas medullas penetrasse. Sed non contenti sunt impij spreuisse puriorem doctrinam, sed coniunctum est cum contemptu, Sathanicum odium & verbi & piorũ. Nunquam enim illa Sathanæ instrumenta comittendum putant, vt ea doctrina floreat, quæ commentitios cultus & humanas traditiones extirpat, hominum vitia taxat, & omnes rationes huius mundi (vt videtur) turbet, credunt sibi dominium & libertatem eripi, & nimis angustas & molestas leges vitæ degendæ præscribi. Accedũt etiam falsæ criminationes, noua doctrina illa euerti authoritatem antiquitatis & legum, aperiri fenestram ad vitia & scelera hominum. Itaq; qui potentia & opibus valent, cõiuratione contra Christum & pios facta, in eam sententiam omnes consentiunt, è medio tollendam esse doctrinam tam odiosam & molestam, & vt Psalmo secundo dicunt, disrumpenda vincula & proijciendum iugum piorum. Hanc animorum acerbitatem diabolus mox acuit & inflammat, vt iam non verbis sed rebus ipsis, hoc est, exilijs & nouis exemplis suppliciorum, verbum & confessores eius in contemptum adducere studeant. Cuius furoris exempla & veteris Testamenti & noui histo-

Psalm. 42.

riæ

riæ tum Eccleſiaſticæ illæ innumera ſuppeditant, quomodo conculcati miſereq; afflicti fuerint pij omnibus temporibus, maxime vero Chriſtiani, qui ſtatim poſt tempora Apoſtolorum vixerunt. Et huius contemptus & fortunæ piorum, noſtra etiam tempora quibus multa hominum millia propter confeſsionem periclitata ſunt, teſtimonium dare poſſunt. Hæc omnia Dauid intelligit, dum in duobus hiſce verſiculis aliquoties vocabulum contemptus repetit.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum Ioſaphatus Rex nomine pietatis clarus contra hoſtes Ammonitas & Moabitas ad DOMINVM ardentiſsimas præces funderet, inter cætera his verbis vſus eſt. In nobis non eſt tanta fortitudo, vt poſsimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Docuit autem optimus Rex tum hoc Pſalmo & ſimilibus vtendum eſſe, cùm hoſtes Eccleſiæ nos opprimere conantur, nec vlla præſidia apparent, tum nobis ſupereſſe locum in cœlis, quo oculos noſtros conuertamus, imò iubet vt magno animo ad præclarum armariũ illud opis auxiliũq; diuini accurramus, non dubitantes nos famulos DOMINI in ijs periculis, quæ Sathan propter confeſsionem veritatis nobis creat, & DOMINI manu & ſucceſſum & victoriam expectare debere, qua de re nos docet Pſalmus ſequens. 2. Par. 20.

Psalmus 124.

Canticum graduum Dauid.

Nisi DOMINVS *ipse fuisset nobiscum &c.*

DAVID Propheta in hoc Psalmo DOMINO gratias agit, pro insigni & præclara liberatione, qua Ecclesiam ex summis periculis hostium clementissimè & potentissimè vindicauit. Idq; initio in Hypothesi, deinde in fine carminis Thesi facit. De qua autem liberatione principio loquatur, incertum est, fortassis colligit in summam omnia specimina fauoris diuini, quæ exhibuit DOMINVS Hebræis, ab eo tempore, quo ex captiuitate Ægyptiaca, educti sunt: aut certè de vna aliqua, & eximia liberatione loquitur, in qua auxilij diuini, luculentum indicium extitit: qualis fuit inprimis ea victoria, cum Dauid Philistæos, circa auspicia regni sui (vt scriptum est 2. Sam. 5.)
2. *Sam.* 8. Deinde eosdem & præterea etiam Moabitas Syrios subigeret, nam in tanta hostium potentissimorum multitudine ingens periculum imminebat Hebræis. Aut fortassis præclaram illam liberationem (vt plerique volunt) ex captiuitate Babylonica intelligit. Sed de eo scrupulosius agere, non est necesse, cum de re constet. Cum autem in Hypothesi DOMINI admirandum

dum auxilium celebrasset, in fine ad vniuersum genus negocium præclaro Epiphonemate auocat: dicens, in omnibus Ecclesiam pendere à DOMINI protectione. In his autem DOMINI laudibus, duo in primis celebrat vates: eius erga suos bonitatem, deinde etiam potentiam. Vt autem beneficij magnitudo melius conspiceretur, egregiè inter se contendit, & quanto in periculo Ecclesia versata sit, & quam clementer & potenter, Dei manu, ex eo quasi extracta fuerit. Alteram autem partem Antithesis, de periculo, testimonio totius Israëlis, præterea similitudinibus & amplificationibus egregijs probauit, ac illustrauit, de quibus in progressu dicetur.

1. *Nisi DOMINVS ipse fuisset nobiscum dicat nunc Israël.*
2. *Nisi DOMINVS ipse fuisset nobiscum cum insurgerent contra nos homines.*

Propositio Psalmi, sexto versu proponitur: Benedictus DOMINVS, qui non dat nos in prædam dentibus eorum, Cuius versiculi hæc est sententia, DOMINVS est laudandus, celebrandus, eiq; gratiæ agendæ, quòd nos non exposuerit iniurijs & potentiæ hostium nostrorum, sed clementer nos ab imminenti periculo liberauit. Quid autem velit Propheta, vocabulo dentium, id versu tertio commodius explicabitur. His autem primis versiculis, propositio ista, confirmatur: nam per antithesin luculentum DOMINI auxilium & periculi magnitudo, sumpta à conatu hostium maximo proponitur. Et testimonio totius Israë-

lis comprobatur in hunc modum. Merito omnium Israëlitarum asseueratione celebrandus & laudandus DOMINVS est. Nam eos omnes, qui sanæ mentis sunt, confiteri oportet, nō potuisse nos, qui puriorem doctrinam, & veros Dei cultus amplectimur, vlla ratione, hostium nostrorum, hominum potentissimorum vim propulsare, qui omnibus viribus aduersus nos insurgebant, & odio ac iracundia, ardebant, ita vt nec ad studium, nec conatum ipsis quicquam deesset, nisi DOMINVS ipse, ipse, inquam, DOMINVS potenti manu sua nobis adfuisset, & suam præsentiam apertissimis rationibus probasset. Hæc Propheta. Nō autem existimandum est, eam DOMINI clementiam & benignitatem duntaxat in Ecclesiam istorum temporum, quibus patres vixerunt, absumptam, sed nobis etiam hodie DOMINVM adesse, & nos aduersus conatus diaboli & impiorum hominū tueri, id quod firmissimis rationibus demonstrari potest: quas tenere operæprecium est, vt in tanta varietate periculorum, quę nobis & diaboli & homines creare student, nos erigere & consolari possimus. Nam non pauci homines sunt, qui cum consolationes, & exempla diuini fauoris in sacris legunt, illa vel hominibus vel temporibus ascribunt. Vt colloquia Christi cum Apostolis, duntaxat ad magnos illos heroas (quod ipsorum & pietas & virtus digna fuerit quam saluator præmijs ornaret) referunt. Aut certè tum earum rerum quæ multis retro sæculis gestæ, & humano generi exhibitæ sunt, iam euanuisse credunt. Quæ opinio fructum pulcherrimum historiarum nobis aufert, & eum etiam, quem hic Psalmus primis statim versicu-

lis

lis illis nobis offert. Itaq; quæ de auxilio & ope diuina hoc loco dicuntur, ſecundum Paulinam regulam ad Romanos 15. capite iudicemus, omnia ſacrarum literarũ monumenta ad noſtram vtilitatem, & imprimis doctrinam, conſolationem & ſpem conſcripta eſſe, ita & conſolationem huius Pſalmi ad nos pertinere. Deinde etiam & alias rationes perpendamus. Nam cum diaboli & impiorum (vt poſtea dicetur) non minus crudelis coniuratio ſit, aduerſum Chriſti Eccleſiam, quæ hodie eſt, quàm naſcentem illam, ſub Apoſtolorum temporibus, non potuiſſet ea hactenus tantum impetum ſuſtinere, niſi gubernaretur & protegeretur Dei clementi & potenti manu. Quid quòd Chriſtus prolixè pollicitus eſt, ſe adfuturum Eccleſiæ ſuæ, vſq; ad conſumationem mundi? Quomodo autem DOMINVS ſeneſcentem Eccleſiam & quidem iſs gemitibus, quos Dauid Pſalmo 71. deſcribit, ad ipſum confugientem deſereret? DOMINE, inquit, ne proiicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me: Quia inimici mei locuti ſunt contra me, & qui obſeruant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini & compræhendite eum, quia non eſt qui eripiat eum. Hæc ſuſpiria cum à tota Eccleſia, hoc eſt, ſingulis membris, quotidie DOMINO proponantur, fieri non poteſt, vt ea à DOMINO non exaudiantur. Quomodo enim ſponſam ſuam proprio ſanguine redemptam, triſtiſsimis hiſce temporibus & inter tot pericula negligeret? Et cum Pater cœleſtis hodie etiam, velit nos omnia beneficia indulgentiſsimi Patris à ſe expectare, nec formulam conſuetæ precationis,

cationis, cuius prima voce de paterno eius erga nos affectu certiores facti sumus, abrogauerit, necesse est Deum Patrem vnâ cum filio & Spiritu sancto nobis quoq; adesse: nisi fortè titulum paterni animi absq; re sibi vsurpare velit, quòd à DOMINO alienissimum est. Et vt in Christo etiamnum hodie non modo clementiæ, sed præsentiæ etiam diuinæ indubitatam spem habemus, ita etiam non minus certam de Angelorum custodia & cura consolationem tenemus. Sunt enim administratorij Spiritus, qui in ministerium emittun-
Heb. 1. tur propter eos, qui hæredes erunt. Quis ergo negauerit, nos in tam præclaro comitatu, de DOMINI etiam, cuius faciem illi semper vident, præsentia & auxilio certos esse? Præterea cum caput Ecclesiæ Christus, non sit à suo corpore auulsus, nec vlla vi Satanæ separatio illius à membris procurari possit, certum est, illum præclarum salutis & libertatis nostræ vindicem, non abesse à nobis longius. Iam verò ex ijs rebus, quæ nostra tempora attigerunt, & quarum ex vitæ quotidianæ experientia exempla colligere possumus, coniecturam de tota ista re facere possumus. Etenim nemo, vt opinor, in clarissima illa luce fauoris DOMINI, vbi purior doctrina ex situ & squalore humanarum traditionum, nostris temporibus quasi renascitur, tam cæcus est, qui cum animo tacitisq; cogitationibus percurrerit, quot periculis ea sæpè exposita fuerit, semper tamen victrix abierit, non cum Dauide dicturus sit: Nisi DOMINVS ipse fuisset nobiscum, dicat Israël, tum impij iampridem doctrinam & pios conatus doctorum extirpassent. Eadem etiam dicturi sumus, si, ex quot discriminibus vitæ nostræ liberati

liberati fuerimus, memoria repetere à primis annis voluerimus. Ex his ergo omnibus colligere facile licet, nos etiam vera fide pronunciare posse hunc Psalmum, de præsidijs diuinis, custodia Angelorum, & Dei erga nos cura paterna. Vnum hoc caueamus, ne peccatis nostris à præclara illa societate & egregio comitatu excidamus, & ne (vt Paulus egregiè scripsit) contristemus DOMINI Spiritum, & ne Angeli fidissimi amici sese à nobis auertant, & eminus suspirent, quando viderint nos ad diabolorum societatem defecisse. *Basil. in Psal. 37.*

3. *Tunc viuos deglutiuissent nos, cum accensus esset furor eorum in nos.*
4. *Tunc aquæ absorbuissent nos, torrens transisset super animam nostram.*
5. *Tunc transissent super animam nostram aquæ superbæ, id est tumidæ.*
6. *Benedictus DOMINVS qui non dedit nos prædam dentibus eorum.*
7. *Anima nostra sicut auicula erepta est de laqueo aucupis, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Suprà dixi, Prophetam amplificandi gratia inter se per Antithesin opponere Dei potentiam iuuantem suos, & magnitudinem periculi, in quo versentur pij. Nam quo maius periculum est, tanto luculentior est Dei bonitas & potentia, qua illud discutit & auertit. Fuisse autem ingens discrimen, superiore versiculo probauit, à conatu hostium. Nunc autem affectum ipsorum describit, quòd ardeant ira: & præterea tri-

bus pulcherrimis similitudinibus illustrat idem periculum, sed ijs inprimis, potentiam & astutiam hostium depingit, sicut suprâ cum de ira loquitur voluntatem & studium nocendi proposuerat. Nam ij demum ad creandum periculum expediti sunt, qui & volunt & possunt nocere. Primò hostes cõfert belluæ grandi, quæ dentibus armata (quod habet versus sextus) hominem deglutit, ita pios à potentissimis hostibus tanquam draconibus deglutiendos, & deuorandos, nisi eis DOMINVS adfuisset. Altera similitudo est aquarum profundissimarum & rapidissimi fluminis, quo homo immersus suffocatur, qua rursus hostilem potentiam oculis subijcit. Versu quinto aquas superbas vocat, vt simul & naturam fluminis impetuosi, & tumidi, ac ingenia hostium superba Ecclesiæ depingeret. Nam aquæ fluctibus, illi autem persuasione sapientiæ tument. Tertia similitudo est auiculæ captæ ab aucupe: quam potissimum eam ob causam superioribus adiunxit, vt ostenderet, hostes illos, non solùm potentia, sed etiam astutia esse instructos, & propterea plurimum detrimenti afferre posse. Deinde etiam ante oculos ponere voluit, præsentissimum periculum. Nam auicula reti capta, nihil præter mortem præsentem expectat, ita pios circundatos hostili manu, & quasi laqueis irretitos, præter desperationem suarum rerum nihil vidisse. Huic autem summo discrimini Dei potentiam opponit, dicens, & laqueum contritum & pios liberatos, hoc est, conatus hostium omnes dissipatos, consilia impedita, potentiam prostratam. Ad extremum notandum est, quàm egregiè inter se, sed tacitè tamen contulerit potentiam impiorum

rum & imbecillitatem piorum, dum illos belluæ maximæ & dentium magnitudine formidabili, hos autem homini inermi & infirmo, illos flumini rapidissimo, hos demersis & tantum non suffocatis, illos aucupibus, hos paruæ auiculæ comparat, quibus antitheſibus nihil potuit illustrandæ rei aptius adferri. Nunc ea quæ diximus, perpetua oratione ad versus Dauidicos accommodemus, nam sic intelligetur nos nihil affinxisse verbis Prophetæ.

Nisi (vt dictum est) DOMINI pro nobis bonitas & prudentia excubuisset, imminentia pericula effugere non potuissemus. Non enim solum hostes nostri facta coniuratione aduersus nos insurrexerunt ac acerbissimis odijs contra nos inflammati fuerunt, sed ea potentia & astutia rem gesserunt, vt effugij locus nobis nullus dari videretur. Nam potentissimi reges, veluti ingentes belluæ, nobis miseris, & omni humano præsidio destitutis imminebant & exercitu, opibus, potentia sua veluti acutissimis dentibus minabantur. Itaq; ad magnitudinem periculi nihil grauius nobis accedere potuit. Nam iam iam expectabamus, quando illi infestis dentibus nos discerperent imò verò viuos deglutirent. Eorum verò impetum cum nos adorirentur rectissime comparauerim torrenti pluuialibus aquis aucto, aut flummi rapidissimo & fluctibus tumido. Etenim vt vis talis aquæ omnia rapit, absorbet, hominem verò nisi pręsens auxilium adsit, suffocat: ita nostri aduersarij, animi elatione & superbia tumidi, omni conatu & summa vi nos adorti sunt. Videbamur iam ab ipsis absorpti, & immersi eis periculis ę, quibus non liceret amplius emergere. Sed tibi ô

DOMINE Deus Pater clementiſsime, ſit laus & honor in omnem æternitatem, qui ex dentibus & fauciſbus immaniſsimarum beſtiarum nos extraxiſti. Cum potenta autem illa maxima impiorum, coniuncta eſtiam fuit vulpina calliditas. Etenim quemadmodum aucupes auiculis reti & laqueis inſidiantur, ita illi in omnem occaſionem nocendi intenti fuerunt, imò verò eô res deuenit, vt nos veluti miſeras & incautas auiculas laqueis ſuis irretitos tenerent, & iam ipſis ad exercendam tyrannidem nihil deeſſe videretur, quàm vt conſtrictos ad ſupplicia raperent. Sed is qui noſter eſt protector, & pater clementiſsimus, nos præter omnium opinionem ex ipſorum manibus eripuit, è laqueis quibus induebamur aſſeruit, imò ipſos laqueos & vincula cõtriuit, potentiam hoſtium euertit, conſilia diſsipauit, nos verò libertati priſtinæ reſtituit. Hęc de verſiculis imo vero de pictura noſtri Prophetæ dicta ſufficiant.

Sed non intueamur nos iſta Prophetica, vt alias pi-
Verg. 1. Æneid. cturas, quæ præter puerilem oblectationẽ nihil commodi afferunt, & rectè à Poëta Ethnico inanes appellantur, nam nihil quàm imitationem lineamentorum humanorum habent. Sunt autem iſtæ picturæ Propheticæ viuæ, nam res veriſsimas & ſcitu quàm maximè neceſſarias exprimunt: inprimis autem eas, quas paucis his verſibus, Eccleſiæ, impiorum & perſecutorum eius, denicq; Dei ipſius egregias imagines nobis proponit, quas ſi rectè in animis noſtris expreſſas tenuerimus, ſeruituræ ſunt confirmationi fidei noſtræ: ne ijs ſcandalis, quibus plericq; ſeducuntur, vt nec de Chriſti Eccleſia, nec congregatione malignantiũ,

nec

nec ipso Deo vt docet sentiãt, perturbemur. Nã quantum quidem ad beatum illum cœtum piorum, quem vsitato vocabulo Ecclesiam vocamus attinet, ea persuasio omnibus ferè insedit, vt credant eos, quos inter felices collocare vult DOMINVS, in hoc quoq; mundo fructum suæ felicitatis percipere debere. Nam ratio nostra non videt, quomodo in turba afflictionum & miseriarum felicitati locus esse possit. Huc accedunt promissiones, quas DOMINVS Ecclesiæ & pijs in nouo & veteri Testamento egregias proposuit: oculos DOMINI super iustos excubare, DOMINVM in numerato habere ossa ipsorum: daturum eis pluuiam matutinam & serotinam: & successum in Oeconomia & Republica, id quod copiosè in Deutro. parti- *Deut. 28.*
bus illustratur. Præterea Ecclesia Christi magnificis titulis ornatur, quibus magnæ dignitates & fortuna amplissima describi videtur, cum appellatur genus regale, dilecti & amici Dei, primogenitus DOMINI, quibus in fame non sit cibus defuturus, nec in periculo DOMINI protectio. Iam cum res ipsa doceat, pios in hoc mundo varijs malis & afflictionibus perturbari & excruciari, nostra ratio statim pronunciat eos infelices esse, quòd his rebus destituti sint, quibus felicitatem hic mundus æstimat, quas etiam sacra scriptura credentibus pollicetur. Hoc scandalo multi permouentur, vt parum præclarè de veris Ecclesiæ membris iudicent. Vt autem scriptura pernitiosum hunc errorẽ humanis animis eximat, ostendit, sanctos quidem in toto vitæ suæ curriculo, experiri & sentire Dei fauorem & clementiam, sed tamen in vita eorum variam fortunam, & plerunq; plus afflictionum

quàm recreationis esse. Ideo Ecclesiam pauperculam tempestate conuulsam, sterilem, reliquias, vix exemptam ex ore leonis, oues occisionis, mundi καθάρματα καὶ περιψήματα vocat. Noster autem Ꝑpheta his versibus depingit eam inter sæuissimas belluas versari, vi fluminum, tantum non suffocari & abripi, essecq; miseram auiculam quæ casibus irretita mortem in horas expectet. Qua imagine quid magis miserum & calamitosum fingi posset. Huc accedunt etiam exempla miseriarum maximarum, quæ optimos quosq; exercuerunt. Quis enim ignorat quæ fortuna primorum patrum fuerit, quot molestas peregrinationes, quam acerba huius mundi odia, quàm tragicos sæpè exitus vitæ habuerint, ita vt viderentur ij esse homines, in quorum interitum vniuersa hæc mundi machina conspirauerit. Prophetarū deinde, quorum meritò propter summā pietatem & merita in Ecclesiam maxima, clementior fortuna esse debebat, quàm misera & afflicta vita fuit, quam indigna mors? De Apostolis & nascente post Christum Ecclesia noui Testamenti dicere supersedeo, quòd eæ historiæ omnibus notissmæ sint. Has imagines & exempla etiam calamitatum & miseriarum, quando intuemur, æquiore animo ferre poterimus ea, quæ nobis aduersa accidunt, nec statim & nos & alios inter infelices numerabimus, si res non ex sententia nobis euenerit. Inprimis autem hunc Prophetæ locum, semper oculis proponamus, quàm miseram hic piorum faciem depingat, ne quid nobis inexpectati euenire videatur, si magnæ calamitates nostra tempora exceperint.

Porrò vt ad secundam imaginem, à præclaro hoc pictore

pictore nobis propoſitam accedamus, en quomodo nobis fortunam, potentiam, Tyrannidem hoſtium Eccleſiæ deſcribat. Nam vt magnæ beſtiæ reliquis omnibus propter robur & fortitudinem formidabiles ſunt, ita pijs imminent crudeles Tyranni inſtructi opibus & potentia. Quæ maieſtas maximis fluminibus confertur, quibus nullum vallum, nulli aggeres opponi poſſunt. Hæc ideo proponuntur, ne nos perturbet maximum illud ſcandalum, cum impios florere videmus, vt ex eo concludere velimus, iſtos felices eſſe & in fauore protectioneq; DOMINI verſari. Etenim pictura iſta nobis digitum intendit, vt conſideremus ex tota mundi hiſtoria, peſsimos quosq; & quidem perſecutores Eccleſiæ in ſummis dignitatibus, ampliſsimis honoribus, ſæpè etiam fortuna regia fuiſſe conſtitutos. Pharaonem illum impietate nobilitatum, potentiſsimum regem fuiſſe ſcimus. Antiochum nomine quidem Epiphanem, re autem ipſa Epimanem & furentem contra Eccleſiam Dei, multis ornamentis fortunæ & dignitatis præditum fuiſſe nouimus. De Herode illo cuius crudelitas ne pueris quidem infantibus pepercit nos hiſtoria Euangelica docet. Taceo magnos illos perſecutores, Neronem, Diocletianum Maximinum, Iulianum. Non attingam exempla crudelitatis, quæ memoria noſtrorum temporum nobis ſuppeditat. Cum ergò prolixam hanc ſeriem calamitatum, potentiſsimos & quidem manifeſtos hoſtes Chriſti tacitis cogitationibus percenſemus non doleamus, ſi eos qui contra nos inſurgunt, videamus in rerum affluentia & dignitatibus maximis viuere. Nec pronunciemus eos felices, quòd potentes,

nec

nec beatos, quòd Reges, nec fortunatos, quòd res ex sententia succedit, sed statuamus eos esse misera mancipia Diaboli, quorum intemperie ille abutitur ad persecutionem & iniustas cædes. Necq; verò solum in hoc numero reges ponamus, qui longa serie dentium, & rictu formidabili Ecclesiæ minantur: hoc est, armis, & vi externa pios adoriuntur, sed eos etiam, quibus lingua pro telo est. Intelligo autem homines facundos & eruditos, qui magnos Principes instigant & inflammant ad persecutionem. Deus bone, quàm sæui isti dracones sunt, quàm multis periculum creant, de quibus aliàs dictum est. Sed Psaltes his versiculis ostendit, instrumenta illa Diaboli, non solùm potentia sed etiam astu & calliditate excellere: & id quidem à Satana patrium habent: quomodo enim is qui est mille artifex, & mendacij pater, suos non artibus istis nocendi instrueret, in quibus spem victoriæ omnem positam habet? Hoc Dauid expressit ijs verbis, cum de aucupio illo periculoso loquitur, in quo eos tantos artifices esse dicit, vt sæpè miseras auiculas, Ecclesiæ membra, constrictas vinculis & laqueis teneant. Quã vafro cõsilio regis Babylonici satrapæ Danielem Prophetam in opinionem læsæ maiestatis, & periculum vitæ, tanquam laqueum suum conijciunt, cum Daniel patrio more DOMINVM Deum suum inuocasset. Quàm exquisitæ insidiæ struuntur D. Apostolo Paulo ab Hebræis, quot laquei ponuntur, quos effugere eum posse incredibile videbatur, vt in actis Apostolicis videre est? His insidijs etiam annumerandæ eæ sunt, quæ in rebus sacris incautis hominibus struuntur. Necq; enim ignotum est, quàm ingeniosa semper fuerit

fuerit hereticorum omnium impietas in fingendis & defendendis erroribus ſuis, quàm in occultandis laqueis ſuis induſtrij, ita vt vix à doctiſsimis iſti animadueriti & obſeruari potuerint: cuius artificij vel ſolus Arrius exemplum eſt, quis ſuis illis cothurnis totum ferè Orientem in ſuam ſententiã pertraxit. Et quàm hodiè ſunt in figmentis ſuis ingenioſi ſophiſtæ, in quot ſe formas vertunt, vt tanquam Prothei hominibus imponant. Quando autem incautos ſuis laqueis ſemel induerint, non poſſunt miſeri illi facilè ſe extricare & expedire. Ex his ergò omnibus diſcamus, quot dolis & inſidijs impiorum factio inſtructa ſit, nec patiamur ſtatim nobis ſplendore verborum aut argumentis ad perſuadendum ingenioſè excogitatis imponi. Videte, inquit Paulus, ne quis vos deprædetur per inanem Philoſophiam. Et ſeruator ipſe à pellibus ouium, quibus illi leoninam aut lupinam occultant, nobis cauendum eſſe dicit. Quanquam autem omnis cautio adhibenda eſt, vt impiorum conatus & conſilia effugiamus, tamen euadere nunquam poterimus, niſi DOMINI nos manus rexerit, imò verò è præſentiſsimis periculis extraxerit. Sed videtur DOMINVS quaſi dormitare ad iſtos hoſtium conatus, quia nimis diu, noſtra quidem opinione, auxilium noſtrum extrahit, quæ DOMINI contatio, non leuiter etiam pios interdum perturbat. Itaq; ad tertiam partem Propheticæ picturæ progrediamur. Nam cum pulcherrimis coloribus, & Eccleſiam, & hoſtes ipſius expreſsiſſet, Deum etiam depingit qualis erga ſuos eſſe ſoleat: ne fortè, dum ſe ad tempus occultat, longius abeſſe aut omnino nos deſeruiſſe credamus. Initio au-

tem oſtendit, Deum non ita ſuos tueri, vt in nulla omnino pericula incidant (quod ſane homines non ſatis in ſchola DOMINI eruditi votis à Deo contendunt) verũ hoſtibus ſuis permittere, vt non ſolùm ſęuiant in pios, ſed eos ad tales anguſtias redigant, vt ignorent, an auxilij locus aliquis ſit reliquus, id quod ſimilitudinibus belluę ĩmanis, & præterea etiam profundiſsimi fluminis & auiculę in laqueo periclitãtis pulcherrimè ſuprà eſt adumbratum. At cum impij ad ſummum gradum perſecutionis peruenerunt, aut DOMINO pij ſatis exerciti malis videntur, tum ſubitò, & quidem præter omnium expectationem ipſis adeſt, ex periculis eximit, omnes aduerſariorum machinas deſtruit, & deijcit, & vt Propheta loquitur, laqueos conterit. Quæ auxilij ratio, ideo DOMINO placet, vt & præſentiæ, & fauoris ſui erga pios, tam luculenta teſtimonia extent, atq; de ijs nec ipſi nec alij dubitare poſſint. Extant eius rei in ſacris innumera exempla, ſed in duobus illis Eccleſiæ luminibus D. D. Petro & Paulo euidentiſsimè cernuntur, quorum, hic quidem cum Romam captiuus duceretur, præter periculum, quod ab hominibus creabatur, in mari etiam naufragio periclitatur, ille autem à ſæuiſsima illa beſtia Herode cathenis ferreis vincitur, & ad exquiſitos cruciatus aſſeruatur. Sed in vtraq; hiſtoria videmus, quomodo, & DOMINI prouidentia pro ambobus excubuerit, & vincula mortis, & impiorum contriuerit. Parum autem iſta conſolationis nobis afferrent, ſi hæc beneficia duntaxat in paucos quoſdam abſumpta ſciremus, ſed dulciſsimus ſeruator noſter Ieſus Chriſtus in liberandis ſuis, aduerſus morbos & mortem, eadem

dem ratione vtitur. Nam Lazarum illum amicum ſuum, non modò ſinit morbo corripi, ſed etiam conſumi, imò verò ſepeliri: ac videbatur ſanè nimis diu auxilium ſuum diſtuliſſe: Quatriduanus eſt, inquit Martha, fœtet: verùm DOMINVS aſcendens Bethaniam apertè confitetur id de induſtria factum, vt victoria, quam de morte erat reportaturus, clarior eſſet, id quod præclarè docuit, dum non modò faſcias ſepulchrales, ſed etiam ipſa mortis vincula Lazaro ſolueret, & viuum ac valentem ſuis redderet. Quo ſpecimine docuit, ſe quidem nunc tantum permittere morti, vt veluti ſæuiſsima bellua omnes deuoraſſe, vt profundum flumen vniuerſos abſorbuiſſe, vt auceps in ſua retia totum humanum genus pertraxiſſe videatur, ſed ſe in illo extremo iudicij die, luculenter docere velle, mortem nihil iuris in ſuos habere, cum ſolutis vinculis mortis, eos, qui in ſepulchris conſtituti ſunt, voce cœleſtis tubæ euocaturus eſt. Huic ergo præclaro victori, qui animam noſtram è laqueo mortis, & Diaboli eripit, omni ſtudio, & animi contentione maxima, gratias agamus ſempiternas.

8. *Adiutorium noſtrum in nomine DOMINI, qui fecit cœlum & terram.*

Propheta Epiphonemate, ea quæ de admirandis DOMINI liberationibus in toto Pſalmo dixerat, ad vniuerſum genus traducit: ſed cauſam etiam addit, quare in omnibus certa liberatio à DOMINO expectanda ſit, quia ipſe condiderit & gubernet etiam cœlum & terram. Cum ergo Omnipotentiam ſuam hac

mundi fabrica egregiè probauerit tuto nos in ipſius auxilio poſſe acquiſcere. Poſtremo (inquit) certi ſumus DOMINVM in omnibus, quæ aduerſa euenire poſſunt, nobis adfuturum. Nam cum DOMINVS Deus noſter, ampliſsimum hoc cœlum, & terram etiam creauerit, hodie conſeruet & omnia ſuo dominio ſubiecta ſint, Diaboli etiam ad conſpectum eius trepident, pareant creaturæ vniuerſæ, certum eſt a nemine nobis tantum periculum creari poſſe, quod ipſe non facillimè diſcutere & amoliri poſsit.

VSVS HVIVS PSALMI.

Duæ ſunt res, quibus in aduerſis noſtram fidem confirmare, & inter tot ærumnas humani generis nos erigere poſſumus: vna, vt in memoriam reuocemus admirandas DOMINI liberationes, quibus Deus Eccleſiæ, non modò ſuam curam, prouidentiam & clementiam, ſed potentiam etiam declarauit. Quomodo enim de opere eius dubitaremus, qui tot ſui fauoris & potentiæ ſpecimina dedit. Cum Polycarpus iuberetur blaſphemus eſſe aduerſus Chriſtum, dixit, ſe octoginta annos ei ſeruiſſe, & non ſolùm non fuiſſe læſum ſed omnia ab ipſo beneficia accepiſſe, ſe ergo tanto benefactori maledicere non poſſe. Ita etiã quod ad auxilij rationes attinet, non poſſumus de diuina ope, ſine nefario ſcelere dubitare, quia non ſolùm exemplis quàmplurimis beneficiorũ, quæ in totam Eccleſiam, ſed etiam in nos, præclara extant comprobata eſt. Altera pars conſolationis eſt ea, quæ ex huius mundi opificio petitur, in quo & bonitatis diuinæ erga genus huma-

humanum, & potentiæ quotidiana exempla extant. Nam cum ſolem ſuum ſinat oriri ſuper bonos, & malos, quomodo non ſolicitam curam ſuorum pereret. Et qui omnia & condidit & conſeruat propter Eccleſiam, quomodo eam non potenti manu defenderet, & ad æternam illam felicitatem conſeruaret.

Pſalmus 125.

Canticum graduum.

Qui confidunt in DOMINO.

VPeriore quidem Pſalmo Propheta gratias egit DOMINO, & laudauit præclarum eius auxilium, quo Eccleſiæ ſuam clementiam, bonitatem, & maieſtatem declarauit. In hoc ſequenti carmine conſolatur pios, quãuis perpetuis perſecutionibus vexentur: tamen non deſpondendum eſſe animum, cum certum ſit, eos habere protectorem DOMINVM, nec conſilijs, aut potentia impiorum euerti poſſe. Nam hoc præcipuum eſt inter argumenta, quibus vſus eſt vates. Itaq; quamuis ſupra laudationem, hîc autem conſolationem inſtituat: tamen vterq; Pſalmus, conſolandis, erigendis, & confirmandis pijs compoſitus & conſcriptus eſt. Nam ei populo, quem tot infeſti hoſtes circumſederant, opus erat multis conſolationibus: imò verò cùm

perpetua sit Ecclesiæ fortuna sub cruce, aduersariorum iugum & Tyrannidem tolerare, consolationes istæ omnibus temporibus necessariæ sunt.

1. *Qui confidunt in DOMINO, sicut mons Zion, (qui) non commouebitur, in æternum permanet.*
2. *Ierusalem montes in circuitu eius: & DOMINVS in circuitu populi sui, ex hoc tempore & vsq; in seculum.*

Oratio Ecliptica est, nam plenus verborum contextus talis erat futurus. Qui confidunt in DOMINO, sunt sicut mons Zion: nam vt is non commouetur, sed manet in æternum: sic & illi non commouebuntur in æternum. Commoueri autem in altera parte similitudinis metaphoricè sumitur, pro deijci de suo gradu, euerti. Et hæc quidem de vocabulis.

Proposita autem est primo versu summa consolationis. Pij consilijs impiorum euerti non possunt. Ratio autem est addita, siue primum argumentum, quia mons Sion non euerti aut loco moueri potest: sic nec pij. Ratio autem consecutionis vel à similitudine, vel à toto sumpta est. A' similitudine quidem hoc modo. Quàm impossibile est hunc montem, in quo situm est templum, moueri: ita fieri non potest, vt res piorum euertantur. A' toto autem ad partes. Tota Ecclesia non euertitur: Ergò nec singula membra. Quòd Psaltes ad similitudinem respexerit, sequens versiculis ostendit: vbi montium, qui in circuitu Ierosolymarum sunt, fit mentio. Itaq; quę primo versu de monte Zion dicuntur, καὶ τὸ ὄρη intelligenda videntur. Quod autem

tem dicit, montem illum immobilem in perpetuum, potius ad Eccleſiam Chriſti, quæ æterna eſt, referendum eſt. Et ſi ſic intelligamus, melior conſequentia eſt: nam ſimilitudo plus ornamenti quàm confirmationis rebus, quibus adhibetur, affert. Sed ſi diligentius attenderimus, non erit difficile vtraq; coniungere: quod ſanè Pſaltes feciſſe videtur in hanc ſententiam.

Vt externus mons, in quo ſita eſt arx Dauid, & poſtea templum extructum non commouetur: ita multò minus euertetur Eccleſia, quæ per hanc externam ciuitatem, & templum adumbratur: quare nec membra Eccleſiæ ſingula interitura ſunt, aut extremis periculis exponentur, quia nituntur hoc monte. Alter verſiculus habet confirmationem iſtius rationis primæ, aut argumenti. Nam dicere quis poterat, certum ne eſt ſemper manſuram Eccleſiam? Addit ergo firmiſsimam rationem, aut confirmationem, nunquam poſſe Eccleſiam deſtrui, quia à DOMINO defendatur. Et illuſtrātur iſta comparatione. Quemadmodum Hieroſolymæ munitæ ſint non vallo ſed montibus, qui nulla vi aut induſtria amoueri poſsint: ſic DOMINVM eſſe Eccleſiæ vallum, ὑπόφραγμα, & fortiſsimam munitionem. Acceſsit etiam amplificatio à tempore, DOMINI illam protectionem eſſe ſempiternam. Quanquam autem ex iis quæ dicta ſunt, hi duo verſiculi facilè intelliguntur: tamen vt nexus argumenti, & rationum, quæ ſubiiciuntur, rectius in toto quaſi corpore orationis conſpiciatur, paraphraſi illa exponemus.

Qui verè fideles omnem fiduciam & ſpem in DO-

MINO

MINO collocatam habent, non perturbentur ſi videant, quanto conatu & Diabolus & factio impiorum contra pios inſurgat: intueantur montem illum Sion, ſanctiſsimi templi locũ, quo tota Eccleſia, maximè verò quæ Chriſto adueniente futura eſt, adumbratur. Etenim vt mons iſte contrà omnem vim ventorum, tempeſtatum, & hoſtium etiam, qui ſæpè hanc vrbem euertere ſunt conati, immobilis ſemper ſtat: ita multò eſt firmior Eccleſia, quæ loco illo externo ſignificatur, & tuti ſunt etiam omnes, qui in ea pij & fideles verſantur. Quomodo enim ſalua vrbe ciues periclitarentur? aut qua ratione, qui per veram fidem monti nunquam ſuo loco dimouendo inſiſtunt, ipſi de gradu deijcerentur? Quod autem is cœtus, quem DOMINVS in hoc mundo colligit (Eccleſiam vocant) nullum incurſum hoſtilem reformidet, nec euerti, vt aliæ vrbes hominum manibus conſtructæ, poſsit: id DOMINVS ſitu Hieroſolymarum, quas typum eſſe ſpiritualis illius voluit, egregiè expreſsit. Nam vrbs illa noſtra non habet vallum hominum induſtria & labore factum & congeſtum: ſed natura munita, in circuitu loco valli vaſtos montes habet, quibus vndiq; cincta ab omni hoſtili vi tuta eſt. Nam tantam molem obiectorum montium nemo nec arte, nec vi amoliri poteſt. Sic Eccleſia, ciuitas ſpiritualis, populus Dei electus, nulla humana vi euertitur: quia DOMINVS ſuo populo pro vallo eſt, ipſe circa vrbem iſtam murus eſt igneus, Angeli autem ipſius caſtrametantur in circuitu timentium eum. Itaq; ne portæ quidem inferorum præualebunt ei. Quomodo enim periculum crearetur ei vrbi, cui ipſe creator, defenſor eſt? Et hanc

tutelam

tutelam non vult momentaneam ſed perpetuam eſſe: nunquam enim dormitat, qui cuſtodit Iſraël, nec diſcedit ab iſs, quorum in numerato & oſſa & capitis pilos habet: imò filius Dei, qui ſemper iſtius cætus dux fuit, manſurus eſt cum Eccleſia ſua vſq; ad conſummationem mundi. Hæc Propheta. Admiratione autem vel inprimis dignum eſt, homines cùm à principibus ſaluum conductum, aut (vt vocant) ſaluam Guardiam habent, poſſe eſſe quietis animis & tranquillis: in tanta autem copia promiſsionum diuinarum, quibus DOMINVS ſecuritatem & protectionem ſuam nobis pollicetur, non velle confirmato eſſe animo. Cauſa autem iſtius trepidationis eſt, quòd in Eccleſia Chriſti nulla externa arma, nulla defenſio apparet: ſed videtur is cœtus, vt omnium odio expoſitus, ſic auxilio & ope omnium hominum & Dei etiam eſſe deſtitutus. Econtra autem quando Imperatoris aut potentiſſimi Monarchæ literas ſecuritatis aut immunitatis habent, illius ſe potentia, armis, maieſtate ſolantur. Cum autem viſum ſit DOMINO ſuam Eccleſiam in hoc mundo ſine omni pompa & oſtentatione, imò inter afflictiones & ærumnas mirabiliter conſeruare: eruditendi oculi noſtri ſunt, vt ſalutaria illa præſidia DOMINI, quibus vndiq; ſepti ſumus, intueri, & ſe iſtis ſolari diſcant. Quod ſanè cum alibi multis ſcripturæ locis nobis proponitur, tùm verò inprimis in hoc Pſalmo, vbi Propheta DOMINVM confert fortiſsimo vallo, quo piĳ omnes ſint muniti: In circuitu, inquit, Ieruſalem ſunt montes: ſic DOMINVS in circuitu populi ſui eſt. Nulla vis humana obiecta iuga montium, quibus Ieroſolymæ cinctæ munitæq; fuerunt, remo-

uere poterat: ita quis ſe Deo omnium creatori oppo-
neret? aut ſi humanus animus in tantam audaciam
prolaberetur, vt vellet θεομαχεῖν, quod ab iſs inprimis
fit, qui cœco impetu Diaboli abripiuntur, vt Rabſa-
ces: tamen nullo ſucceſſu id eſſent tentaturi: quòd hi-
ſtoriæ multæ, & iſta etiam quæ fatales Senharibi pœ-
nas recenſet, nobis proponunt. Hæc præclara præſi-
dia ſacræ literæ nobis oſtendunt: cùm docent Ange-
lum DOMINI caſtrametari in circuitu timentium
eum. Et hoc non ſolùm literis, ſed viſo quodam DO-
MINVS docuit. Nam cum oppidulum Dothan, vbi
Eliſæus cõmorabatur, hoſtili Syriorum manu cinge-
retur, & famulus Prophetæ trepidaret, orabat Eliſæus
DOMINVM, vt oculos adoleſcentis aperiret, & de-
monſtraret, quàm multi in circuitu cuſtodes & de-
fenſores angeli excubarent, Itaq; DOMINVS puero
2. *Reg.* 6. Eliſæi infinitam multitudinem equitum & curruum
igneorum, qui pro ſalute Prophetæ vigilarent, mon-
ſtrauit. Quanquam autem DOMINVS non ſemper
ſalutaria illa præſidia in oculos noſtros ſinit incurre-
re: tamen ita luculenter ea demonſtrauit, vt cœcum
eſſe oporteat eum, qui non intelligat cuſtodiam nu-
minis adeſſe. Vel ſolus populus Hebræus, qui tùm e-
rat Eccleſia Dei, teſtis iſtius rei eſſe poteſt. Quan-
quàm enim loco & natura vrbes munitas habebant:
tamen in medio potentiſsimorum hoſtium viuebant,
qui omnes ſaluti & incolumitati eorum imminebant.
Mirum autem videri alicui poſſet, cur DOMINVS
eum populum, quem vnicè charum habuit, tot peri-
culis exponat, quare is, qui omnium hominum cor-
da in manu habet, non propinquos populos perpetuã

cum

cum ſuis pacem coniungere, confœderationes facere coëgerit, aut ſuam illam hæreditatem remouere ab oculis hominum, & in fortunatas inſulas, aut terras toti tùm orbi incognitas ablegare voluerit? Sed placuit DOMINO eos in clariſsima luce, ſed tamen inter crudeliſsimos hoſtes viuere, paucos cum multis, imbecilles cum fortiſsimis, inermes ſæpè cum armatis depugnare, & victoriam reportare: vt doceret ſe eſſe populi iſtius protectorem, & inuictam munitionem. Vt autem Eccleſiam, quam tum ex populo Hebræo collegerat, tam euidẽtibus ſignis ſuæ protectionis è manibus hoſtium aſſeruit & præclarè docuit, ſe vallũ & clypeum eius eſſe: ita toti Eccleſiæ ſuam clementiã paſsim in ſcriptura alijs & quidẽ iucundiſsimis ſimilitudinibus promittit. Nam vt hìc ſe vallũ piorum: ita alibi murum igneum vocat. In Eſaia geſtare ſe ſuos in vtero dicit. Qua imagine nõ modò curam ſolicitudinemq; ſuam pro Eccleſia: ſed admirandam eius conſeruationem inter varia pericula demonſtrat. Nam ſi quis cogitauerit diligenter, quàm tenera res ſit Embrio, quomodo formetur, & lieamenta humana accipiat, quanto poſtea miraculo infans in anguſtijs illis vteri materni & foueatur & alatur, in ipſo partu ne de vita periclitetur, conſeruetur, ampliſsimam materiam habebit cogitandi de DOMINI potentia & maieſtate. Ita quando hiſtoriam totius mundi intuemur, videmus non minoribus miraculis cœtum illum beatorum, inter tot imminentia pericula foueri, conſeruari, & ornari, vt quaſi in vtero DOMINI geſtari videatur. Voluit etiam eadem ſimilitudine ſolicitam curam depingere. Non enim maior animi ſolicitudo *Eſa. 46.*

est in vlla re, quam homines studio diligentiaq; suscipiunt, ea cura, quæ est matrum erga fœtum, ne quid in vtero patiatur incommodi. Sciunt enim suum periculum cum infantis coniunctum esse. Eam solicitudinem DOMINVS suæ Ecclesiæ promittit, vt cùm στοργὰς matrum erga infantes considerauerimus, magnitudinem clementiæ diuinæ rectius æstimare discamus. Quid enim potuit DOMINVS ad declarationem suæ erga nos bonitatis maius adijcere, quàm quòd filium pro nobis victimam fecit, sanguine ipsius sacrosancto nos redimi voluit, Ecclesiam inter tot difficultates tàm clementer protexit? Similitudines ergo illas confirmandæ fidei nostræ diligenter collectas animo tacitisq; cogitationibus semper circumferamus, vt in his ærumnis rerum humanarum & persecutione nos solari & erigere possimus.

3. *Quoniam sceptrum impietatis super sortem iustorum, ne mittant iusti manus suas ad iniquitatem.*

Secundum argumentum consolationis hoc versu proponitur, non posse omnino euerti pios ab impijs. Nam si impij soli dominarentur, nullam futuram amplius Ecclesiam, & pios defectionem facturos ad iniquitatem, si nullus amplius esset cætus, qui veram religionem sequeretur, sanctimoniam & vitæ innocentiam amplecteretur. Antea autem firmissimo argumento docuit, Ecclesiam tolli è medio non posse, cùm habeat protectorem DOMINVM. Cum ergò nullo vnquam tempore euerti Ecclesia DOMINI possit, peritura autem omnino sit, si omnis potestas impijs

&

& hoſtibus Eccleſiæ permitteretur: certum eſt, DOMINVM nunquam permiſſurum, vt ſubactis pijs impij ſoli rerum potiantur. Latet etiam in hoc hemiſtichio aliud, & quidem tacitum argumentum. Nam cum DOMINVS ſit Rex ſuæ Eccleſiæ, non eſt permiſſurus ſceptrum impijs: non enim volet à ſuo regno diſcedere. Notandæ autem ſunt figuræ, quibus vſus eſt Propheta. Sceptrum, ſiue virgam metonymicè accipit pro regno, ſortem iuſtorum metaphoricè pro Eccleſia, & eius bonis: nam olim in hæreditate diuidenda ſortibus vtebantur. Extendere autem manus ad iniquitatem figuratè ſignificat deficere ad impietatem & improbitatem: nam qui alicui rei operam dare, ij (latina etiam phraſi) manus admouere negocio dicuntur: quia quæ homines agenda ſuſcipiunt, admotis manibus facere conſueuerunt. Vult ergò Propheta ſic argumentari.

Præterea nemo exiſtimet DOMINVM, qui ſolus eſt Rex Eccleſiæ ſuæ, ſceptrum eſſe traditurum impijs, vt ſoli regnent, & pro libidine in hæreditate, & ſorte piorum, quæ volunt, agant. Nam ſi hoc fieret, iam pij etiam admoturi eſſent manus improbitati & ſceleribus, ac à DOMINO deficerent, cum nullum vſpiam cætum piorum viderent, cui ſe adiungerent, & ita ſceptrum è manibus DOMINI excuteretur: quod certè fieri non poteſt, cum is ſit Omnipotens, & velit vt dictum eſt, ſuam Eccleſiam in omnem æternitatem tueri.

Quis non videt, quàm egregiè Spiritus ſanctus perpetuitatem Eccleſiæ probet, & auferat impijs ſpem, quam de victoria ſibi contra pios ſemper pollicentur?

Etenim si tale dominium impijs daretur, quis non ex paucis versiculis huius Psalmi videret, quot absurda sequerentur? Primùm nouimus Ecclesiam fundatam esse super montem Sion, immobilem illum, de quo suprà dixerat primo versu. Christus autem & D. Apostolus testantur, verum montem, cui Ecclesia inædificata est, esse petram, quam non expugnare possint portæ inferorum, hoc est, omnes Diaboli. Quomodo ergo istæ laudationes locum essent habituræ, si aliquando impij soli rerum potirentur? Quis enim non diceret montem illum & petram inuictam iam loco motam, & laudem iam omnem suæ firmitatis amisisse? At si aliquando plena omnium rerum possessio traderetur contemptoribus Dei & verbi, quæ iam pars orbis terræ omnium gubernatori & DOMINO relinqueretur? An non Diabolo omnis administratio tribueretur? Quod quàm sit absurdum, videmus. Iam si hoc concesserimus, excutiemus è manu sceptrum DOMINO & seruatori nostro Iesu Christo, cui promissa est hæreditas gentium, cui omnis potestas in cœlo & in terra data, qui suum populum sanguine suo redemit. Itaq; tot cruciatus, quos Christus pro humano genere pertulit, erunt irriti? Frustra flagellis cæsus, frustra in crucem actus, frustra ad imos manes descendisse dicetur? Præterea quando omnes homines deficient ad Diaboli societatem, manusq; sordidabunt (vt Propheta hîc vult dicere) impietate & iniquitate, vbi tum mansura est Spiritus DOMINI inspiratio, num cessabit tum is ex cordibus lapideis facere carnea, cum præter saxa in hoc mundo nihil erit reliquum? Obmutescent ne tum omnium doctorum

rum ora, qui dictante sancto Spiritu interpretes DOMINI erant ad totius mundi salutem? Exulabit ne à terris Christus DOMINVS, qui suam præsentiam ad finem vsq; mundi pollicitus est? Aut infructuosa illa erit, & inutilis, quomodo ergò saluatoris nomen obtinebit? Iam si hæc omnia summa cum absurditate coniuncta sunt, & Ecclesia vera dominium nunquam est depositura: nemo perturbetur, si videat Diabolum magno conatu eam oppugnare, nam certa victoria apud eos est, quibus DOMINVS ante conditum mundum triumphum decreuit. Sed dixerit fortasis hoc loco aliquis, non esse quidem de eo dubitandum, num Christi Ecclesia ad finem vsq; mundi permansura sit: sed eam rem nihil posse vel consolationis vel emolumenti singulis Christianis afferre, quorum in lubrico vita posita & expositа Diaboli astutiæ & calliditati sit: & Paulum etiam nos monere, videamus, ne cum stemus, mox astu mille artificis deijciamur, & præcipitemur. Non excuti quidem sceptrum è manibus DOMINI, sed palmam nobis eripi, auferri coronam immarcesibilem, deprædationem fieri posse. Hoc autem loco diligenter etiam, atq; etiam cogitandum est, quomodo promissiones vniuersæ Ecclesiæ factæ ad consolationem nostram accommodandæ & applicandæ sint. Neq; enim de Ecclesia Christi & singulis eius membris iudicandum est, vt de regno & omnibus subditis. Nam in imperijs præclarè etiam institutis sæpe innocentes opprimuntur, interdum antequam res ad Regem aut Principem perfertur, totæ vrbes ab hostibus expugnantur, bona ciuium diripiuntur. Itaq; cum totum imperium floreat, miserrimi

sunt

sunt ij, qui à felicitate communis regni per vim exciderunt. Sed nihil tale est in regno Christi. Nam primùm illi fortunæ & res ciuium omnium notæ sunt.
Psal.139. Quomodo enim illi quid ignotum esset, cui ipsa nox instar clarissimæ lucis est, & qui nunquam non pro sua Ecclesia excubat? Deinde vt DOMINVS promissiones toti cœtui factas de remissione peccatorum & vita æterna, semper vult esse ratas, ita singulis etiam eas verbo obsignauit, cum inquit: Quicunq; inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit: & nemo eripiet oues meas è manu mea. Ac D. Paulus: DOMINVS facit in nobis velle, & perficere. Nec interim nos turbent loca suprà adducta, nam ijs securitas, qua plerique laborant, excutitur, & nos nostri officij admonemur, ne torpeamus, nec cessemus DOMINVM inuocare, vt quod in nobis cœpit, clementer perficiat, ac Spiritum sanctum suum largiatur, quò victores Diaboli & huius mundi fieri possimus. Ad extremum, nemo sibi blandiatur, & putet sibi in hoc versiculo fenestram ad defectionem apertam esse, cum Propheta dicit, ne extendant iusti ad iniustitiam manum suam. Nunquam enim committendum est, vt nos persecutiones de gradu deijciant, cum videamus DOMINVM semper seruare populum suum, defendere Ecclesiam, licet quædam membra, ne cum hoc mundo pereant, afflictionibus, & ærumnis exerceantur, quæ miseriæ ne ipsæ quidem perpetuæ sunt, sed aut interpositam habent quietem aliquam, aut certè consolationem internam, denique felicitate perpetua compensantur. Sed de beneficijs DOMINI & clementia erga suos, tertio argumento agetur.

4. *Benefa-*

4. *Benefac DOMINE bonis & rectis corde.*

Plericq; interpretum cum videant hoc loco esse ἀπροσφώνητον, putant superioribus annecti precationem: & verum est id quidem, sed tenendum hac precatione siue ἀπροσφωνήτῳ inclusum esse tertium argumentum, quod diuinus vates affert consolandis perturbatis conscientijs. Vult enim dicere, non debere eos nimis sollicitos esse, cum omnia beneficia à DOMINO expectent: qui sit suorum liberalissimus benefactor, à quo etiam omnia, quibus nobis opus est, petenda sint. Et sanè sequens versiculus, qui absq; figura proponitur, ostendit superiora quoq; pro simplici enunciatione accipienda. Rectos corde vocat pios ac fideles, qui rectè affecti sunt erga Deum: & opponit eos hypocritis, qui præter simulatam & fucatam speciem, qua se hominibus venditant, nihil habent. Notandum autem est eam esse precum piarum rationem, vt id, quod petant, certò sibi polliceantur, præsertim in ijs, quæ ad salutem animæ expetuntur. Nam reliqua quæ talia sunt, qualis est animus eius, qui ipsis vtitur, cum ea exceptione petuntur, si non sint nocitura. Itaq; hic versus, id quod formula precationis proponit, certò etiam vult promittere fidelibus, ac si diceret: Oro te clementissime Deus, vt pijs benefacias, imò verò tu illorum & Pater & benefactor es, nihil ergo ipsis ad bene beateq; viuendum deerit, nec committes, vt ab impijs euertantur. Deinde etiam obseruandum est, quosnam in suam tutelam DOMINVS recipere velit, videlicet bonos, & quidem non tantùm ciuiliter honestos, sed quorum probitas in corde fundata sit. Is

deò addit: Rectos corde: quod priorum quasi ἐπεξήγησις est, vt ostendat quosnam bonos vocet. Hæc tamen non sunt ita intelligenda, quòd in cuiusquam hominis corde perfecta sanctimonia inueniatur, quis enim dicet, Mundum est cor meum? Sed de ea cordis rectitudine dicitur, quæ in homines sanctos cadere potest, cùm vera non simulata fide Deum colunt, & ex animo se ad voluntatem DOMINI, moribus & tota vita accommodare student, his DOMINVS est benefactor. Præclare autem cum ijs agitur, qui tantum fautorem habent. Is enim omnem suam potentiam cum vtilitatibus & emolumentis summis suorum est coniuncturus. Et cum sit DOMINVS non huius tantum, sed futuri etiam seculi, in omnibus habituri sunt illi parata præsidia. Non illis hostes vlli obesse poterunt, cum ὑπερασπιστὴν habeant eum, qui vel solo nutu dæmones terrat: non deerunt illis necessaria in hac vita, quia in tutela eius sunt, ex cuius manu omnes homines, & animantia victum, alimenta, & pastum accipiunt. Denique isti æterna gloria ornabuntur. Itaq; magno animo cum Dauide dicere possunt: DOMINVS pastor meus, nihil mihi deerit, &c. *Psalm. 23.*

5. *Declinantes autem (ad) peruersitates suas ducet DOMINVS cum operantibus iniquitatem. Pax super Israël.*

Quartum & postremum consolationis argumentum ab hostium interitu, non esse eos metuendos, quia grauissimas pœnas propter peccata sint subituri, imò verò omnino perituri. De clausula huius versiculi postea

li poſtea dicitur. Sed non vtitur ſimplici aſſeueratione, DOMINVM puniturum eſſe impios, verùm adiicit etiam coniecturam, ne quis de interitu illorum dubitare poſsit. Non enim ſine graui cauſa addita ſunt iſta verba: Ducet DOMINVS cum operantibus iniquitatem. Hoc enim voluit dicere. Certum eſſe interitum impiorum, quia Dominus ſit iuſtus, ſemper autem puniuiſſe impios, & flagitioſos, itaq; & reliquos Eccleſiæ hoſtes pertracturum ad fatales & iuſtas pœnas. Eſt autem emphaſis in verbo יוליכם ducet, aut ambulare faciet. Nam cum hoſtes, qui tum affligebant Eccleſiam, ambularent (vt Hebræa phraſi vtamur) in via impiorũ, & currerent cum furibus: digni ſunt, qui eandem etiam viam habeant ad ſupplicia. Etenim iuſtus iudex paribus delictis pares pœnas decernit, quod in illo diuino & tremendo iudicio in primis verum eſt, in quo DOMINVS reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. Iam ea, quæ diximus, in compendium contrahemus. *Pſal. 1.* *Pſal. 49.*

Habent pij & aliam conſolationem, non minus firmam, quàm priores fuerunt. Nam certum eſt, DOMINVM impios iſtos & ſceleratos Eccleſiæ ſuæ perſecutores, fatalibus pœnis affecturum. Non ergo perturbentur pij, ſi eos ad tempus videant exultare. Cum enim Deus iuſtiſsimus ſit, eam rationem quam in puniendis alijs hoſtibus ſuis obſeruauit, iam etiam pro ſua perpetua conſuetudine, ac ſumma æquitate & iuſticia ſequetur, pertracturus eos eadem via ad ſupplicia, qua cæteros, quos aut maiorem in modum afflixit, aut omnino præcipitauit. Et hæc quidem Propheta.

Discamus autem istam consolationem ad nostras vitæ rationes aecommodare, & spiritualem illam argumentandi rationem obseruemus, quæ hoc in loco proponitur: colligentes ex prioribus DOMINI indiciis coniecturam de futuris. Etenim cum nostro tempore viderimus qua petulantia, quibus artibus, quo conatu, aduersarij nostri, contra Ecclesiam veram insurgant, molestiam breuissimi temporis, æquo feramus animo, scientes illis iam fatales pœnas imminere. Nam cum DOMINVS ab ingenio & sua perpetua consuetudine nunquam discedat: certò statuamus, non esse eum laturum, vt isti perpetuò Ecclesiam affligant. Ducet profectò istos ad interitum, quemadmodum & cæteros, qui se opponere diuinæ maiestati non erubuerunt.

Pax super Israël.

Postrema clausula Psalmi ἐπιφώνημα siue acclamatio est, posita loco præcisi epilogi. Nam quatuor rationibus probauit, non esse pertimescendam persecutionem Ecclesiæ, quòd Ecclesia loco non moueatur, cum defensorem habeat DOMINVM: quòd DOMINVS non sit dominium traditurum impijs, cum ipse sit rex & gubernator omniũ: quòd benefaciat pijs & ipsorum omnibus commodis studeat, nunquam ergo permissurum, vt omnino opprimantur: quod denique sit perditurus hostes Ecclesiæ. Iam ergò tanquam victor ἐπινίκιον canit. Sit ergò in Israële pax & securitas: non poterit immortalis ille humani generis hostis, quamuis hoc sedulò tentet, hunc præclarum cœtum extirpare: oppugnare quidem licebit, sed expugnare nullo

nullo modo. Et quamuis piį interdum multis aduerſis, procurante Diabolo, exerceantur: tamen pax illa animorum aurea nunquam ipſis eripietur: DOMINI ſpiritus aderit gemitibus inenarrabilibus, & tandem DOMINVS dabit cùm tentatione euentum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Scripturam animorum eſſe medicinam, nemo eſt qui ignoret. Sunt autem duo ingentia vulnera, quibus Satan corda piorũ ſauciare conatur. Vnum, cum ſubuerſionem, & interitum toti Eccleſiæ minatur: alterum, cùm miſeriarum & perſecutionis diuturnitate animos noſtros ad impatientiam ſollicitare ſtudet: quorum priore ad deſperationem, altero autem ad infelicia illa murmura, quibus ira DOMINI prouocatur, pertrahere nos conatur. Vtriq; autem morbo quæſitum in hoc Pſalmo remedium eſt. Nam cum firmiſsimis rationibus probet, Eccleſiam intercidere non poſſe, ſollicitudinem piįs inter tot perſecutiones aufert, & quod ſuprà Pſalmo 46. magna προθυμία proponitur Deus noſtra ſpes & fortitudo, auxilium in tribulationibus, quæ inuenerunt nos valde. Propterea non timebimus, etſiamſi turbabitur terra, & ruant montes in medium maris, &c. id in hoc Pſalmo aliįs quidem ſed præclaris rationibus repetitur. Non poſſe euerti montem iſtum Sion, cum DOMINVS ſit munitio & vallum.

Deinde ad patientiam nos erudit, quia affirmat DOMINVM non permiſſurum eſſe impiįs ſceptrum. Et

decretas iam ipsis esse pœnas. Itaq; non esse admiras illorum trepidandum, nec impatienter ferendas brevissimi temporis calamitates & miserias.

Psalmus 126.

Canticum graduum.

Cum conuerteret DOMINVS captiuitatem Zion.

I tempora verborum, quibus Propheta primo versu vsus est, quis sequatur, intellecturus est Psalmum de liberatione, quæ populo, cum hęc scriberentur, fuit præstita. Vtitur enim infinitiuo & præterito: In conuertendo, quod latinè resoluimus, cum conuerteret: & iterum, eramus, aut fuimus sicut somniantes, quæ loquendi ratio, de rebus præteritis plerunq; accipitur. Hąc ergò phrasi moti plerique interpretes, existimant verba fieri de captiuitate Babylonica, quæ primum à Cyro soluta, deinde satis longo tempore interposito (quia remoræ & impedimenta interuenerant) ab Artaxerxe consummata fuit. At verò cum titulos & præcedentium & sequentium Psalmorum, qui graduum inscriptionem habent, fuerimus intuiti: nomen Dauidis aut Solomonis inscriptum videbimus: & propterea hic etiam Psalmus alterutri inscribendus videbitur: quod si concesserimus, negligenda

temporum

temporum ratio erit: etiamsi de reditu ab exilio Babylonico Psalmum intellexerimus. Nemo enim est tam in historijs sacris rudis, qui non intelligat, inter Dauidis, & illius libertatis tempora, aliquot secula interposita fuisse. Cum ergò & ij, qui receptam à pluribus huius Psalmi interpretationem sequuntur, cogantur à legibus seuerioribus Grammaticæ discedere, & videantur quædam in hoc carmine maiora & augustiora, quàm quæ in reditu populi Iudaici, ad memoriam posteritatis, monumentis historiarum peruenerunt: malo ego eorum sententiam sequi, qui ad summam illam & præclaram liberationem, nobis merito Christi seruatoris impetratam, referunt. Et vt ostendam, quæ me coniecturæ moueant, vnam aut alteram subscribam. Initio totus Psalmus tale gaudium describit, quod nulla tristitia contaminetur, sed sit maximum. Quamuis autem in reditu populi Iudaici, magna fuerit exultatio eorum, qui rectè beneficium restitutæ pacis æstimabant: tamen multi præferebant seruitutem libertati, præsertim ij, qui religioni, & honestati, leuissima etiam commoda præponebant. Et historiæ testantur, senes qui ab exilio in terram Chanaan redierant conspecto nouo templo, magnam vim lacrymarũ profudisse, quòd hoc nulla ratione magnificentiæ prioris, à Salomone extructi, responderet. Et quàm periculosa fuit templi & vrbis instauratio, toties hostili manu propinquarum gentium impedita? Hoc ergò gaudium reditus cùm varijs difficultatibus permixtum fuerit, non videtur tanto encomio, quo hic Psalmus vtitur, dignum esse. Accedit huc etiam quod versu secundo scribitur: omnes gentes in admi-

rationem

rationem tam præclaræ reſtitutionis adductos: cum tamen multi, inſtaurationem ruinarum præclariſsimæ vrbis, ſummo ſtudio impedire ſint conati. Adhæc D. Apoſtolus Paulus, cùm paſsim de regno Chriſti loquitur, alluſiſſe ad phraſes huius Pſalmi videtur: vt cum de agricolatione Spirituali Corinthijs ſcribit, & Eleemoſynas ſementi confert. Poſtremò, errare non poſſumus, ſi ea quæ typis adumbrationibuſq; in veteri illo populo propoſita, verè in Chriſto completa dixerimus. Neq; enim ſolùm ſacrificia & cultus Leuitici, ſed totus populus, eius etiam ex Ægypto & Babylone liberatio, rerum futurarum pictura, ſed obſcurior tamen, fuerunt. Hunc ergò Pſalmum interpretemur, de liberatione & redemptione Chriſti, qua ex poteſtate Diaboli exempti, in æternum exultabimus.

Præclaram iſtam ἀπολύτρωσιν Propheta ſummis laudibus prædicat. Capita autem laudationis ſunt quatuor. Primò illam liberationem parituram nobis ingens gaudium. Deinde hoc bonum non inſumi in paucos quoſdam, ſed commune eſſe gentibus & Iudæis, qui tantam in genus humanum, DOMINI & Seruatoris noſtri clementiam, palàm ſint prædicaturi. Poſtea liberationem illam noſtram, ideò ſummis laudibus vehendam eſſe: quòd non minus & fructuoſa & admirabilis ſit, quàm tranſitus populi per mare rubrum. Poſtremò, tantum eſſe bonum huius libertatis, vt eorum, qui eius ſunt participes, omnis mœror conuertatur in gaudium. Hæc qualibus ornamentis figurarum veſtita ſint, in progreſſu videbimus.

1. *Cum conuerteret DOMINVS captiuitatem Sion, eramus ſicut ſomniantes.* 2. *Tunc*

2. *Tunc repletum fuit risu os nostrum, & lingua nostra laude.*

Paucis initiò verbis beneficium ingens redemptionis proponit, vocans Sionis, hoc est, populi Dei ex seruitute liberationem, quam dicit fore coniunctam cum summo omnium gaudio: id quod suprà primum argumentum commendationis esse diximus. Gaudij autem magnitudinem variè amplificat: initiò conferens somnio. Eramus (inquit) sicut somniantes. Quando periculi alicuius magnitudine percellimur, stamus attoniti, cum vix apud nos simus, propter animi consternationem. Sed hoc loco non vocat attonitos, sed somniantes. Nam qui ex summo discrimine subitò liberantur, & ipsi variè afficiuntur. Nam & lætantur se liberatos, & interim dubitant, num hæc ita verè gerantur, vel somnio per quietem offerantur: sicut Petrus è carcere eductus, nesciebat num illa per visum Propheticum, vel reuera vidisset. Et paucis interpositis scribitur: Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quòd miserit DOMINVS Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Nam subitæ illæ rerum commutationes, animum humanum quasi in extasin quandam rapiunt: & cum ea, quæ præter omnium expectationem eueniunt, tanta sint, vt opinionem nostram vincant: solicitos nos reddunt, num reuera exhibeantur nobis: vel nos errore quodam aut somnio inuoluamur. Nam multa per quietem nobis læta offeruntur, quæ mox vnâ cum somno euanescunt, & præter molestiam nihil nobis relinquunt. Et sæpè vel amore, vel alia animi perturbatione homines seducti, *Act. 12.* *Act. 12.*

vigilantes etiam desiderij sui imagines, veluti somnia, effingunt: Basilius vocat γρηγορόντων ἐνύπνια, vigilantium somnia. Ita Poëta Comicus Carinum suum, audientem ea narrare Pamphilum, quæ ante vix sperare fuisset ausus, loquentem inducit: Num (inquit) ille somniat ea, quæ vigilans voluit? tam enim anxiè inexpectati nuncij veritatem expectabat, vt metueret, ne forsitan sodalis desiderio ita abreptus esset, vt vigilans somnia amoris sui circumferret.

Hæc ex Poëta Ethnico (neq; enim D. Paulus versus Poëtarum citare erubuit) producere volui: vt ab eo artifice, qui affectus humanos quàm optimè fictis fabulis expresit, discemus, quanta vis si subiti & inexpectati gaudij: & cùm qua solicitudine coniunctum sit. Nam quia nouerunt homines, animũ ægrum semper errare: in eo quoq; quod verè geritur metuunt ne tali errore seducantur. Hoc Propheta noster voluit, tantum fore piorum gaudium, vt vix sibi persuadere possint, ista vigilantibus euenire: qua amplificatione nihil potuit magis exquisitum, ad ostendendam gaudij magnitudinem, afferri. Sed non est contentus Propheta his ornamentis: sed addit etiam alia, nam & à risu, qui gaudij comes est, & gratulatione, siue prædicatione, summam hilaritatem depingit: ac per mimesin & Gentes & Hebræos inducit loquentes: de quo postea dabitur dicendi locus. Vt ergo summa dicamus, hoc voluit Psaltes.

Quando Deus Pater noster cœlestis, per filiũ suum Vnigenitum, Ecclesiam, quam Sion vocamus, à miserrima captiuitate Diaboli & peccati, in veram libertatem traduxerit: Deus bone quantum hoc erit gaudium?

dium? quanta piorum omnium exultatio? Certè ita illi afficientur, vt præ gaudio quid agatur, vix sciant: & propè eis id accidet, quod aliâs hominibus ex lætitia euenire solet: vt dubitent, num secundum quietem videant aliquid, vel rei veritatem experiantur. Nam si ea, quæ hominibus in hac misera & mortali vita læta accidunt, tantam vim habent ad permouendos illorum animos, vt propè exisse è potestate sua videantur: quid non efficeret apud fideles illud gaudium, quod perpetuum est, & bona præsentis & futuri seculi pollicetur? Tum omnes signa summæ hilaritatis edituri sunt: risu, cantu, prædicatione tantorum beneficiorum, suam lætitiam testaturi. Tantum de sententia horum versiculorum.

Quanquam autem de summo gradu gaudij lætitiæque hoc loco Propheta loquitur: tamen non putemus, fructum eius ad omnes homines in vniuersum peruenire. Nam quos Diabolus vel aureis compedibus diuitiarum, & voluptatum alligauit, vel in eum somnum vitiorum coniecit, vt ea quæ flagitiosè admiserunt, in foribus quiescant: (Sic enim DOMINVS Cain loquebatur) illi nullam ex hoc & similibus scripturæ locis suauitatem percipiunt. Quomodo enim is lætaretur se è vinculis exemptum, qui se captiuum esse ignorat? At quibus DOMINVS oculos mentis aperuit: vt videant, quot Diabolorum agmina circumstent eos, qui peccatis & flagitijs se polluerunt, & intueantur tremendum illud tribunal, ad quod adducendi sunt: mens nostra etiam audiat iam accusatoris illius acerrimi & acerbissimi, non voces, sed tonitrua: & terreat etiam simul conscientiæ testimonium: au-

diant etiam ſeueriſsimam iudicis ſententiam: videant paratos carceres, apertum barathrum æternorum cruciatuum: Ii cum de liberatione illa Chriſti DOMINI certiores facti fuerint, verè exultare poſſunt, & præ gaudio & lætitia exultabunt: præſertim ſi DOMINI & ſeruatoris noſtri clementiſsimas promiſsiones, quibus ad ſe peccatores vocat, liberationem ex compedibus, abſolutionem à ſententia iudicis audierint: Si remotum accuſatorem, clauſum carcerem, captiuam captiuitatẽ, extinctum ignem illum infernalem viderint: Si ſe, beneficio & redẽptione ſeruatoris ſui, è poteſtate Diaboli, in conſortiũ & ciuitatem ſanctorum, è ſeruitute in veram libertatem, ab exilio in patriam, è morte ad vitam, ex cruciatibus in æternam quietem & felicitatem euocatos didicerint. Etenim ſi in hac vita iis, qui ad cruciatus educuntur, nihil optatius euenire poteſt, quam ſi à manibus carnificis, ab impendente ſupplicio, ab infamia & morte, ſe liberatos, interceſsione alicuius principis, audierint, quantũ gaudium illud noſtrum eſſe exiſtimandum eſt, vbi Princeps ille gloriæ, ex laqueis nos Diaboli, ab æterna infamia, à perpetuis cruciatibus, ſua & interceſsione & redemptione liberat, pro fratribus agnoſcit, hæredes facit æternæ vitæ? Hoc gaudium ſcriptura paſsim prædicat, hanc pacem celebrat: hæc ſancti Angeli concinunt. O felicem riſum eorum qui ſic rident.

Pſalm. 89. O beatum populum qui nouit iubilationem. Certè in lumine vultus DOMINI ambulabunt, Et in nomine tuo, ô DOMINE, exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & beneuolentia tua exaltabitur cornu noſtrum.

Tunc

Tũc dixerũt inter gentes: res maximas DOMINVS egit cum iſtis.

3. *Res maximas fecit DONINVS nobiſcum, facti ſumus lætantes.*

Aptiſsimè iſta cum ſuperioribus cohærent. Nam cum diuinus vates, vellet magnitudinem gaudij maiorem in modum extollere: oſtendit illud non eſſe paucorum hominum, ſed Hebræorum & gentium, hoc eſt, omnium populorum in vniuerſum. Sed ego iſta, non tantum amplificationem, ſed nouum laudationis genus, eſſe exiſtimo. Nam ea demum pulcherrima eſt laus liberationis illius præclaræ: quòd non modò ingẽs gaudium creat omnibus fidelibus, ſed fructus tanti beneficij ad omnes redit, de qua re ſic loquitur Propheta.

Quando ergo, beneficio DOMINI & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, nobis libertas parta fuerit, & ea iacta fundamenta felicitatis, vt omnes pij ſeriò exultent: tum in ſocietatem & communitatem illius gaudij, venient quoq; gentes. Nam palàm dicent: DOMINVM ſummo beneficio nos affeciſſe: & ſe mutuo cohortabuntur, dicentes: Venite aſcendamus ad montem DOMINI, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Et decem viri ex omnibus linguis gentium, apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum, audiuimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt. Nos autem Hebræos inprimis, quibus initio illud ingens beneficium offeretur, agnoſcere tantam clementiam decet, dicentes: Quid reddam DOMINO, pro omnibus

Eſa. 2. *Zach. 8.* *Pſal. 115.*

beneficijs erga me? Calicem ſalutarem accipiam, & nomen DOMINI inuocabo. Vota mea reddam DOMINO, coràm omni populo eius. Per viſcera enim
Luc.2. miſericordiæ Dei noſtri viſitauit nos oriens ex alto. Vt illuceſceret his qui in tenebris & vmbra mortis ſedebãt: ad dirigendos pedes noſtros in viã pacis. Quis ſatis prædicare tantum DOMINI beneficium, quis pro dignitate extollere gaudium, quo nos cumulauit DOMINI clementia, poterit?

Non opus eſſe iudico multa adijcere teſtimonijs, quæ in paraphraſi adducta ſunt. Certè magnam fuiſſe admirationem Euangelij apud gentiles, vel inprimis
Gal.4. Apoſtolus teſtis eſt, qui Galatis teſtimonium pulcherrimum perhibet: eos, ſi fieri potuiſſet, oculos eruſos fuiſſe daturos & ſe, vt Angelum DOMINI receptum. Accedunt tam multa aduerſa, quæ gentiles pro confeſsione veritatis perpeſsi ſunt. Præterea etiam admirationis & gaudij illius Spiritualis, tot piorum hominum, qui ex gentibus in lucrum DOMINO acceſſerunt, lucubrationes documento ſunt, vt actum agere, qui iſta copioſius proponere velit, videatur. Deinde verò, quantum ad Hebræos attinet, quamuis minima eorum pars Chriſto nomen dederit, & verè
Eſa.10. prædixerit Propheta Eſaias: Si fuerit numerus filiorum Iſraël, vt arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt: Tamen in eo excellunt ipſi, quod ſoli authores ſunt librorum, qui Canonici vocantur, ſoli eminentiam illam beneficiorum Chriſti tam luculenter propoſuerunt: vt optimo iure ipſis tribuatur ſermo, quem hoc loco habet Propheta: Magna fecit DOMINVS nobiſcum, ideo facti ſumus lætantes. Hæc autem vaticinia,

vt reſi-

vt reficere poſſunt pios & amantes verbi: ſic maiorem in modum accuſant ſocordiam noſtrorum hominum, qui non modò non recreantur & reficiuntur concionibus Euangelicis: ſed tædio etiam & moleſtia afficiuntur: multi conciones faſtidiunt, doctores contemnunt, nonnulli etiam perſequuntur. An non credis DOMINI ſapientiam dicturam illis, quod ex Propheta Paulus repetit: Toto die expandi manus meas ad populum non credentem? Quid ſi contemptus ille efficeret, vt (quod eodem loco DOMINVS Hebræis minatur) à nobis auferret Euangelium ſuum, & diceret: Inuentus ſum his, qui me non quærebant: conſpicuus factus ſum his, qui de me non interrogabant? Sed pro viribus annitendum nobis eſt, ne ad vltimas iſtas pœnas, quibus nulla in hoc mundo mala, ſi omnia, quę hominibus triſtia & calamitoſa accidere poſſunt, ex aduerſo ponantur, comparari poſſunt, deueniamus. Id autem fiet, ſi negligẽtiam in audiendo verbo correxerimus, & omni ſtudio, cura, & diligentia elaborauerimus, ne verbum DOMINI fruſtra apud nos annuncietur.

Eſa.63. Rom.10.

4. *Conuerte DOMINE captiuitatem noſtram, ſicut fortes (aut vehementes) aquas ad Auſtrum.*

Hic verſiculus pluſculum obſcuritatis habet, quæ etiam interpretes torſit, variásque explicationes peperit. Nos breuitati (quantum quidem fieri poteſt) ſtudentes, omiſsis ambagibus, initio de verborum, quæ difficultatem lectori creant, proprietate, pauca dicemus: vt via & ratione, ad ipſarum

rum rerum intelligentiam progrediamur. Suspensos autem tenent interpretes verba postrema huius versiculi, quid velit Propheta per aquas Austri, aut ad Austrum. Certum autem est אפיק Aphick, quo vsus est Propheta, significare aquam cum impetu vehementiaq; decurrentem: ideò septuaginta verterunt χείμαῤῥον, torrentem. Itaq; si fuerimus secuti & Hebrææ & Græcæ linguæ hac in parte fontes, aut torrentem, aut aliâs vehementiam aquarum cum impetu defluentium, sumus intellecturi. Auster autem in scriptura meridiem, & ea quæ Iudeæ ad Meridiem sunt, significat: & aliquando quidem accipitur pro deserto meridionali & Ægypto. Nam illa vtraq; sunt Hebræis ad meridiem sita, vt ostendunt tabulæ Geographicæ. Cum autem de aquis, & quidem fortissimis, ad meridiem hic loquatur, in Iudæa quidem ipsa, Iordanis ad meridiem fertur (nam se exonerat in mare mortuum) inter Ægyptum autem & solitudinem illam maximam, mare rubrum interpositum est. Et hæc quidem de verbis singulis. Iam cum Propheta petat, vt sic conuertatur captiuitas, sicut aquę illę vehementes ad Austrum, siue meridiem, conuersæ & exiccatæ fuerunt: dubium non est, quin intelligat exiccationem, & maris rubri, & Iordanis, quæ facta est in transitu populi Iudaici. Nam Iordanis, cum transiret populus, plenissimo alueo ferebatur. In Aprili enim hoc est factum. Tum autem amnis iste ita solet crescere, vt extra alueum suum feratur. Quę autem sit vis aquæ marinę, notum est. Ex his iam facilis coniectura de sententia Prophetæ sumi potest. Orat enim, vt quemadmodum olim in eductione populi ex Ægypto, magnis miracu-

lis ca-

lis captiuitas illa & seruitus soluta fuerit (nam & DOMINVS mare & Iordanem populo peruium fecit) ista petit, imò per Spiritum, id quod precatur, præuidet, Christum non minore miraculo esse suum populum à Spirituali captiuitate liberaturum. Est itaq; hęc, liberationis & redemptionis, quę nobis per Christum contigit, tertia commendatio: quòd non sit illa minoribus commodis & miraculis facta, quàm illa à seruitute Ægyptiaca. Solent enim Prophetæ plerumq; beneficia noui Testamenti illis veteribus illustrare: & inprimis delectantur historia eductionis ex Ægypto. Nam illud beneficium cum multis miraculis coniunctum summam DOMINI erga hunc populum indulgentiam ostendit. Nec nuda historia fuit: sed ea, quæ in nouo Testamento essent expectanda, obscurioribus quasi lineis adumbrabat. Nec nos moueat quòd preces instituit, non narrat. Nam cum Patres illi, viri sanctissimi, per Spiritum, aduentum Christi præuiderent, summo desiderio videndi ipsum Christum ardebant. Multi (inquit Christus) Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audiuerunt. Nec hoc loco Christus Patriarchis talem ignorantiam de venturo Messia tribuit, quod nihil præuiderint (vidit enim Abraham diem DOMINI, & exultauit) sed ardens ipsorum studium depingit: eos, vt sciebant aduenturum præclarum illum mundi reconciliatorem Christum, sic summo desiderio eius & conspectum & aduentum expetiuisse. Itaq; hæc precatio nequaquam est dubitantis, sed petentis tempus exoptatæ liberationis: imò verò redemptionis DOMINI & Seruatoris

Ioan. 8.

ris noſtri, qua ſe omnes pij ſolabantur, & recreabant: Nunc paucis verba ea, quæ aliquanto fuſius à nobis propoſita ſunt, in ſummam contrahamus.

O DOMINE (inquit) da vt præclarus ille dies nobis illuceſcat, quo magna illa beneficia (de quibus dictum eſt) in totum genus humanum es collaturus. Vtinam nos ſpectatores eſſe poſſemus, quando totum humanum genus, ex captiuitate miſerrima Diaboli & peccati, non aliter es educturus, quàm olim per mare rubrum, quod & profundiſsimum, & fluctibus ſuis aliàs formidabile, nobis ad Auſtrum eſt, populum tuum ſicco pede traduxiſti, & à grauiſsima ſeruitute immaniſsimi regis liberaſti: ac poſtea interpoſitis multis annis eos eodem propè miraculo, per Iordanis, fluminis impetuoſi, alueum, incolumes in terram Canaan deduxiſti. O diem albo lapillo ſignandum, qui nos omnes ex ſeruis liberos eſt redditurus, remota omni Diaboli tyrannide.

Hæc paucis verbis complexus eſt Propheta. Erant enim tum omnibus notiſsimæ hiſtoriæ ſacræ, & memoria beneficiorum, quæ Dei maxima in hunc populum multis ſeculis extabant. Vix autem potuit diuinus vates melius exornare beneficia illa, quàm collatione iſta cum ijs beneficijs, quæ hærebant in omni memoria poſteritatis. Nec ſunt illa nuda exempla, aut comparationes Rhetoricæ: ſed verè typi rerum futurarum. Nam quid fuit tota eductio illa ex Ægypto, introductio in terram Canaan: quàm tacitum vaticinium de Chriſti meritis, redemptione, liberatione à peccato & morte, reſtitutione in veram & æternam patriam? Quod ne à nobis fingi credatur, conſideren-

tur

tur interpretationes illarum vmbrarum, profectæ à sanctiſsimis viris, imò verò ipſo Chriſto. An non dulciſsimus Seruator noſter, æneum illum ſerpentem, typum fuiſſe ſcribit paſsionis ſuæ? Agnus verò Paſchalis, Ioanne etiam Apoſtolo & Euangeliſta teſte, figura fuit paſsionis Dominicæ. Taceo quàm multa de agno in Apocalypſi integumentis quaſi Prophetícis Chriſtum nobis adumbrent. Imò ne infermentati quidem panes ſuo Symbolo, ſi Apoſtolo credimus, carueruntQuid primogenitorum dedicatio? quid columna nubis? quid mare? quid petra aquam fundens? quid ductores, Moſe & Iehoſua? Sed interpretem certè meliorem loci, quem explicandum ſumpſimus, non habemus Paulo Apoſtolo, qui ad hunc modum ſcribit ſuis Corinthijs: Nolim autem vos ignorare, quòd patres noſtri omnes ſub nube erant, & omnes per mare tranſierunt, ET OMNES IN MOSEN BAPTISATI SVNT IN NVBE ET IN MARI, & omnes eandem eſcam ſpiritualem comedebant, & omnes eundem potum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim de ſpirituali, quæ illos comitabatur, petra: petra verò fuit Chriſtus. En magnus ille ſcripturarū interpres, & mare & nubem confert Baptiſmo, & beneficijs quæ in Baptiſmo nobis contingunt. Et dicit quidē, eos in Moſen baptiſatos: ſed intelligit, ſub miniſterio Moſi eos hæc dona percepiſſe: quæ tamen omnia fuerint referenda in ſpiritualem petram, quæ erat DOMINVS, & Seruator noſter Chriſtus. Quæ ne in breuitate ſermonis, obſcura eſſe tyronibus videantur, conferant Theologiæ ſtudioſi inter ſe, quàm aptè liberatio Ægyptiaca, cùm aquæ Auſtri exiccatæ

Ioan.3. *Ioan.19.* *Luc.2.* *1.Cor.10.* *Ibidem.*

sunt, quadrent ad eam redemptionẽ, quam nobis DOMINVS & Seruator noster Iesus Christus præstitit. Bis per aquas traductus fuit populus, primò per mare rubrum, vbi Pharao cum toto exercitu summersus est, spectante populo Hebræo, & gratias DOMINO agente. Ita, Paulo interprete, nos à tyrannide Diaboli liberamur, & per mare Baptismatis ducimur, relinquentes & suffocantes, felici quodam diluuio, peccata, & effugientes Diaboli potestatem: sicut illi manus Pharaonis euaserunt. Nec sine causa mare rubrum talis liberationis instrumentum fuit: nam per Christi sanguinem, à peccatis omnibus abluimur. Ducebat Hebræos nubes, & columna ignis lucem præbebat: ita nobis dux ad vitam Christus est: lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: nubes quæ nos ab omni malo protegit. Manna est Christus, panis cœlestis, immortalitatem concilians eis, qui comedunt. Petra (vt dictum est) Christus DOMINVS fuit: qui parit in nobis scaturigines aquarum manantes in æternam vitam. Iam quòd secundo in terram Canaan per Iehosua introducuntur: quis non videt, Christum illum præclarum ductorem expressum, qui & in Iordane baptisatus est, ac lauacrum Baptismi nobis sanctificauit, per quod in vitã introducimur, & patefecit ipse solus nobis ianuam ad æternã patriam: verus Iehosua & Seruator ex omnibus periculis. Hæc omnia pauciss imis verbis huius versiculi Psopheta noster proposuit: imò verò nobis ad fontes duntaxat digitum intendit. Nos autem, DOMINO & Seruatori nostro Iesu Christo, toto pectore gratias agamus: qui captiuitatem nostram tam clementer sustulit, nos

Ioan. 16.

Ioan. 4.

bis

bis libertatem reſtituit, in patriam introduxit, viam per aquam, & eam quidem ſalutarem, inuenit.

5. *Qui ſeminauerunt cum lachrymis, cùm exultatione metent.*

6. *Eundo ibit, & flendo portat vas ſeminis: & veniendo veniet, cum exultatione reportans manipulos ſuos.*

משך *Meſchech vas ſeminariũ ſignificat.*

De ſumma lætitia dixerat eorum qui liberati ſint per Chriſtum. Sed ne quis crederet illud gaudium externũ eſſe, & in perpetuo ſucceſſu affluentiaq; eorum bonorum, quæ hic mundus admiratur, conſpici: his poſtremis verſibus luculenter docet, liberationem noſtram cum cruce & afflictione coniunctam eſſe, ſed eam vim eſſe libertatis nobis impetratæ, vt omnia quæ triſtia nobis accidunt, in felicem lætumq; euentum conuertat. Hæc quarta, vt diximus, & pulcherrima laus eſt iſtius lætitiæ: quòd ne aduerſis quidem rebus contaminetur, aut euertatur. Imò verò hoc loco docet: in ipſis miſeriis latere materiam ſecuturæ felicitatis. Id autem docet ſimilitudine agricolarum, qui magna moleſtia, præterea etiam ſumptu, ſementem terræ commendant: & nihil præter laborem & detrimentum initiò ſentiunt: ſed ille ipſe labor, ac proiectio ſementis, cauſa eſt ſubſecuturæ & meſsis & lætitiæ: niſi enim agri conſererentur, nulla meſsis expectaretur. Ita in piorum afflictionibus, dicit, occultari fundamenta æternæ beatitudinis. Habet etiam metaphora illa aliam emphaſin. Nam non ſolùm vult dicere: conuerti triſtitiam piorum in gaudium, & ex miſeriis naſci lętitiam, ſed cumulatiore menſura reſti-

tui gaudium, & cum quodam fœnore ad credentes re-
dire. Nam in agricolatione & proiectione sementis,
non modò redit id quod fuerat satum: sed lucrum &
emolumentum maximum, multiplicato semine, con-
spicitur. Notandum præterea est, Prophetam versu
quinto nuda similitudine vsum: in postremo autem
carmine negotium prosopopœia aut ἐνεργείᾳ ex-
pressisse. Nam & rusticos portantes semen, gemitum
& lachrymas eorum, postea autem eorundem læti-
tiam & reditum ex Messe, manipulos quos humeris
sustinent γραφικῶς depingit. Ipsa denique & tristitiæ &
lætitiæ antithesis, in vtroq; versu manifesta est. Tantis
ornamentis Propheta putauit oculis subijciendum,
quod cuperet apud memoriam nostram omni tem-
pore deponendum. Quæ sparsim dicta sunt, imitatio-
ne Propheticæ facundiæ (quantum quidem fieri po-
test) exprimamus.

Traducemur (inquit) Christi beneficio per mare
rubrum: liberabimur ab omni tyrannide Diaboli: sed
tamen dum in hoc mundo sumus, afflictionem habe-
bimus: mœror autem noster conuertetur in gaudium,
& illud quidem nunquam desiturum. Et est sanè pio-
rum omnium ferè ea ratio, quæ agricolarum: qui cum
labore magno, molestia & lacrymis agros colunt, po-
stea summo gaudio messem lætissimam percipiunt.
Nam, vt notum est, quando vomere terra perstringi-
tur, magni & colonis & bobus, in extrahendis aratris
labores sunt. Taceo stercorationem, occationem, &
reliquos labores rusticos: qui dum cœlo non satis cle-
mente fiunt, lacrymas sæpè aratoribus excutiunt: dum
labores suos & molestias deplorant: beatos eos dicen-

tes

tes, qui domi intra parietes victum possunt quærere. Incedunt, & non sine labore humeris portant semen-tem, in vasis aut saccis, & eam postea in terram pro-iiciunt: ac sanè eius quoq; iacturam facere videntur. Ita labores isti cum lacrymis, molestia, &, vt videtur, dispendio coniuncti sunt. Sed cum iam messis in ma-nibus, & metendum est, ista omnis tristitia in lætiti-am abit: tum rustici cantu inter se certant, tum lætan-tes spicilegium faciunt, & aristas in manipulos colli-gunt, humeris portant, vehiculis & plaustris impo-nunt, horrea replent, conuiuia instituunt, scientes se in illum annum certam spem alimentorum habere. Eadem piorum in hoc mundo ratio est. Nam dum ad pietatem, veluti Spirituales quidam agricolæ, elabo-rant: multa ipsis aduersa accidunt, persecutiones, mor-bi, paupertas, mors ipsa: quæ mala interdum non sa-tis excelso animo ferunt, putantes se omnium eo-rum, quæ in precio habuerunt, iacturam facturos. Tantum autem abest, vt aliquid incommodi accipi-ant, vt etiam magnum lucrum faciant, perinde ac si sementem secuturæ felicitatis fecissent. Nam suo tem-pore messem eorum quæ præclarè gesserunt, magna animi lætitia sunt reportaturi: lacrymis in risum, la-bore in quietem, contemptu in gloriam, morte in vi-tam, commutatis. Hæc Spiritus DOMINI summa breuitate, sed ita luculenter expressit, vt breuitas cum perspicuitate, & ornamenta cum breuitate, certare videantur. Iam si placeret partibus illa illustrare, quæ Propheta in genere dixit, latissimus ad dicẽdum cam-pus aperiretur: sed cum & propositi nostri sit, breui-tatem sequi, & ea etiam inprimis à lectore expetatur:

satis

satis erit, vno aut altero exemplo, sententiam Prophetæ explicare. Apostoli sanè semen verbi Dei portauerunt in vasis testaceis. Fuerunt enim ab hoc mundo contempti & spreti: & dum semen illud spargunt ad salutem omnium, grauissimas persecutiones, labores maximos, varias ærumnas sustinuerunt: quæ sæpè ipsis gemitus lacrymasq; excusserunt, cum viderent se esse quasi oues macello destinatas. Sed suæ agriculturæ pulcherrimum fructum retulerunt: cum viderent messem illam DOMINI augeri, crescere fidelium numerum indies, regnum Christi amplificari in toto terrarum orbe, multos in lucrum accedere DOMINO. Hoc suum gaudium Paulus Apostolus, ferè in omnibus exordijs suarum Epistolarum, proponit: cum ostendit, se summa lætitia perfundi, quando videat suos auditores, in studio sacrarum literarum, quã plurimum proficere, gratiam & dona augeri, nomen Christi quamplurimis innotescere. Ad hoc gaudium postea accessit, messis illa præclara æternæ vitæ, qua in omnem æternitatem fruũtur. Eadem ratio est Martyrum, qui persecutionem patiuntur propter confessionem. Nam apud eos nihil præter lacrymas & miserias videre est, sed cùm magno animo semen illud præclarum spargunt, cõfitentes Christum coram hoc mundo, magno cum fœnore receperũt suam messem, & læti portant manipulos suos, adepti coronam immarcessibilem. Videntur etiam sementis facere iacturam ij, qui externa bona sua in vsus pauperum conferunt, & membra Christi egena suis Eleemosynis iuuant: è contra rectissimè facere existimantur, qui quàm parcissimè sumptum miseris suppeditant. At

Rom.1.
1.Cor.1.
Phil.1.

Paulus

Paulus ijs minatur, dicens: Qui parcè seminat parcè & metet: è contra aũt qui hilari frontè largitur Eleemosynas, & dispergit semen suũ, ei DOMINVS semẽ multiplicabit, & mercedem in illa æterna messe retribuet. 2. Cor. 9.

Tunc ij, quos pij iuuerunt, negligentes iniustum mammona, recipient eos in æterna tabernacula, testes ipsorum & charitatis, & per charitatem, fidei, quæ sola iustificat. Adhæc qui damnat & negligit in hoc mundo iniusta lucra, videtur quidem non satis diligenter subducere rationes œconomiæ suæ: sed reuera isti sementem copiosam faciunt, cum iustè & innocenter, viuunt. Econtra aũt impij, dum sua retinere conantur ea amittunt, & sibi pœnas fatales accersunt. Solomon de ea messe testatur ἐν γνώμαις suis: Impius facit opus irritum: seminanti autem iustitiam, erit merces stabilis. Et rursus: Qui seminat iniquitatem, metet calamitatem. Pro. 11. Pro. 22.

Videntur etiam periculosam sementem facere, qui sanguinem suum profundunt, & animam amittunt, vt defendant religionem veram: sed Christus testatur eos qui iacturam animæ faciant, recepturos eam, & qui nolint facere, amissuros. Denicq piorum corpora in terram coniecta, interire videntur: sed testis est Apostolus, nihil esse incommodi in ea satione, sed quemadmodum semina cum computruerint, senectam exuere & quasi è morte reuiuiscere solent: ita pios expectare lætam resurrectionem. Quid multis? D. Apostolus Romanis scribens, fletum & miserias quas in hoc mundo spirituales illi agricolæ experiuntur, cum emolumento & fœnore, quod in illa beata messe expectamus, egregiè confert, dicens: Non reputo Matth. 10. 1. Cor. 15.

Rom. 8. puto esse pares afflictiones prę sentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur ergo nos.

VSVS HVIVS PSALMI.

Multa sunt in promissionibus Euangelicis, quæ nostra ratio, in diuinis non minus cæca, quàm meridiano sole noctuæ esse consueuerunt, non satis assequitur: sed vnum est, ex quo omnino non potest se expedire: quomodo ij, quibus fauor Dei & paterna indulgentia tot scripturæ testimonijs, & sacramentis etiam obsignatur, tantis malis obruantur, vt vix quietum spiritum possint ducere: & videtur certè apud Christianos plus esse lacrymarum quàm gaudij: imò verò perpetuam crucem cum Christo circumferunt. Hæc quia inter se pugnare videntur, incipiunt animi nostri dubitare: num promissiones illæ amplissimæ scripturarum certæ sint: impij autem omnino irrident, quicquid de clementia Dei erga suos in medium affertur. Putant enim illa esse figmenta hominum otiosorum, quæ reipsa nunquam comprobentur. Sed hic Psalmus cùm gaudium summum piorum proposuisset, mox antithesin miseriarum & lætitiæ subijcit, vt intelligamus, in hoc mundo non esse sperandum tale gaudium, quale homines carnales sibi promittunt: sed esse internum ac spirituale, quod calamitatibus & miserijs huius mundi ita non lædatur, vt eæ sint pars gloriationis nostræ. D. Paulus totam rem præclarè expressit, Rom. 5. Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Nec id solùm, verùmetiam gloriamur super afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia

patientia probationem, probatio ſpem, porrò ſpes nõ pudefacit. Hos ergo locos ſemper in conſpectu habeamus, cogitantes, eam DOMINO & Seruatori noſtro Ieſu Chriſto ſalutis noſtræ rationem placuiſſe, vt per multas tribulationes & afflictiones, nos introducat in æternam gloriam, vbi nec triſtitiæ nec lacrymis locus eſt.

Pſalmus 127.

Canticum graduum Solomonis.

Niſi DOMINVS ædificauerit domum &c.

Olomonis ſapientiſsimi Regis hunc Pſalmum eſſe, titulus ſiue inſcriptio teſtatur: multa autem ſunt, quæ nos hortantur, vt dociles auditores nos præbeamus. Cum enim hîc Præceptorem audiamus, quo vix alius vllus præſtantior fuit, omni ſtudio eius carmen, & diſcendum, & audiendũ eſt. Celebris enim apud omnes Solomonis eſt ſapientia, quam non ex libris tantũ, & à Præceptoribus, non à naturæ quodam inſtinctu hauſit, ſed à DOMINI Spiritu accepit. Qua de re luculenta teſtimonia extant in ſacris literis. Sed cum in omnibus, ſapientiæ ſpecimina egregia dederit, tum verò in gubernanda & regenda Republica, omnium hominum admirationem vicit. Quare ſi in rebus magni momenti artifices audiendi ſunt, hunc præclarum in

gerenda Republica & œconomia doctorem audiamus. Quamuis autem de ijs omnibus, quæ ad solidam harum rerum intelligentiam pertinent, & in prouerbijs, & suo oratore siue concionatore præclara præcepta conscripserit, tamen operæ precium facturos nos esse existimo, si de tantis rebus, compendio eum loquentem audiuerimus. Etsi autem nemo est, qui non intelligat, in hoc Psalmo sapientissimo Hebræorum Regi, propositum fuisse, aliquid de œconomia & Politia siue Republica scribere, sicut sequens Psalmus de œconomia conscriptus est: tamen tenendum est, Solomonem hoc loco præcipuè voluisse dissuadere nimis anxiam curam, & solicitudinem, quæ plerosq; & in œconomia, & politia turbare solet. Etenim vt Diabolus multis ignauum ocium persuadet, quo deinde abutitur ad illorum pernitiem: sic alios ita solicitos, & trepidos facit, vt aut omnino animum abijciant, aut certè ab omni, & priuata, & publica gubernatione abhorreant. Quæ etiam cogitatio effecit, vt multi solitudines, & receſſum quærerent, alij verò vtrumq; vitę genus, vt periculosum, & homini ad veras vitæ rationes inutile, alijs dissuaderent. Quam formidinem, vt hominibus leniret homo sapientissimus, & curas eas adimeret, quæ ad cumulum reliquarum molestiarum accedunt, hoc egregium carmen conscripsit. Quanquam autem in dissuadendo argumentis ab inutili sumptis vtitur, cum dicit curas nimias molestiam hominibus creare: tamen præcipuum & potentissimum argumentum est à superuacuo (vt loquuntur) sumptum, non esse in gerendis rebus nimis scrupulosa cura versandum; omnem enim quæ à nobis

bis proficisci potest solicitudinem fore supervacaneam, nisi DOMINVS pro nostra salute excubet & successum largiatur. Hoc argumentum partium enumeratione confirmauit & illustrauit. Oeconomiam nullam nisi DOMINO procurante fœlicem, Rempublicam nullam nisi ipsius auspicijs beatam fore. Nullas occupationes, nullos labores profuturos, curam, diligentiam omnem, inanem esse, si DOMINVS eam non fortunarit. Quare remittendum esse de summa illa attentione, & solicitudine, vbi homines quasi ipsi rerum sint gubernatores, seipsos curis, diurno nocturnoq; metu excruciant. Huic siue amplificationi siue argumento confirmatio additur, quæ luculentissimè ostendit, DOMINVM omnis & in œconomia et Republica successus causam esse. Nam tum florent illæ, cùm ijs hominibus abundant, qui domi militiæq; præclarè se gerunt, qui vrbanas & rusticas res rectè tractant, quorum in domo, & foro, in vrbe, & castris, laudabilis opera conspicitur. Neq; enim mœnia & domus vrbem & Rempublicam constituunt, sed boni ciues. At quis non videt liberos, & quidem generosos, Dei esse donum, quibus ornat œconomiam & Rempublicam. Nisi enim DOMINVS daret fœcunda coniugia, nulli omnino nascerentur, ac qui nascuntur, pestilentes sunt Reipublicæ ciues, nisi ad pietatem, & virtutem Spiritu DOMINI erudiantur, quod in heroum filijs cernitur, qui ab optimis parentibus prognati, virtutem maiorum planè non imitantur. Ex eo ergò colligit Solomon, DOMINO salutem omnem, & œconomiæ, & Reipublicæ ascribendam esse. Minorem autem huius Syllogismi primo loco po-

fuit, dicens liberos esse hæreditatem DOMINI, & mercedem quasi matrimonij. Maior, oratorum more sequitur figuratè proposita: Bonos liberos esse veluti sagittas, quibus patresfamiliâs non solùm in bello, sed in vrbanis rebus (ipse portam vocat) contra hostem & aduersarios se tueantur, & beati, hoc est, felices, & quieti sint: quod nihil aliud est, quàm res domesticas, & rempublicam omnem conseruari à bonis, & generosis liberis, & ciuibus. Conclusio ex superioribus versiculis colligitur: Deo ergo omnem in his successum ascribendum.

Volui huius Psalmi summam quasi in fasciculum conijcere, vt attentus lector intelligat, quàm apto ordine singula cohæreant. Nam qui totius alicuius negocij quasi idæam intuentur, rectius de eo iudicant, quàm si per interualla, singula monstrentur. Quemadmodum etiam de pulchritudine statuæ is demum rectè pronunciabit, si eam totam, & integram aspexerit. Dissectæ enim partes, etiamsi diligenter inspiciantur, συμμετρίαν, & pulchritudinem totius non ita accuratè docebunt. Nunc versiculos breui interpretatione percurremus, addituri nonnulla de quibus nos hic Psalmus admonet. Neq; enim committendum est vnquam, vt nuda meditatione, & cognitione contenti simus, sed hisce & fides confirmanda, mores conformandi, tota vita dirigenda est.

1. *Nisi DOMINVS ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam.*

Duo primi versus partium enumeratione sufficienti

enti probant, niſi Deum propitium habuerimus, omnes conatus humanos fore irritos: Partes autem in ἐπιθυμίαν ſunt œconomia, politia, labores in vtroq; genere, itaq; eam curam, quæ hominũ animos malorem in modum perturbat, non adhibendam in conſilium, ne tota vita noſtra acerba nobis ſit, & miſera. Sed primùm hemiſtichium illud explicemus, quod de œconomiæ nos rationibus docet: de quo tamen ipſo etiam parcius dicendum erit, quia Pſalmus ſequens de œconomia nobis præclarè concionatur. Initiò figuræ notandæ ſunt. Nam primùm quidem per ἔμφασιν, vocabulum DOMINI per antitheſin opponitur hominibus, qui credunt ſe gubernare res ſuas, maximè eas, quæ ad vitam degendam pertinent. Deinde domus rem familiarem aut œconomiam ſignificat, quæ loquendi ratione Latinis quidem diſplicuit, quibus domus familiam, & habitationem translatitiè aut per Synechdochen ſignificat. Ædificare autem domum, Hebræis eſt ea, quæ ad œconomiam pertinent, curare & prouehere: Væ, inquit Hieremias, qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia: voluit enim dicere iis pericula imminere, qui alterius incommodo ſuum quærunt cõmodum, & rem ſuam familiarem aliorũ detrimentis augent. Idem Propheta cum deleta vrbe ſeniores conſilium peterent, num deſerenda patria vel alia ſedes quærenda eſſet, reſpondet, ſi quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam, plantabo, & non euellam. Vbi ædificare pro augmento populi, & in rebus omnibus ſucceſſu ſumptũ eſt, quod mox & alia metaphora ab hortulanis mutuata, interpretatur: Plantabo, & non euellam. Hoc imitatus

Ædificare.

Hiere. 22.

Hiere. 41.

Gal.6. imitatus D. Apoſtolus videtur, cum inquit: Si quæ deſtruxi, rurſus ædifico. Nam ſententiam totius illius loci cum moleſtia repetere nolo. Non abhorruit etiam Cicero ab hac phraſi. Inſigne exemplum extat huius authoris in Epiſtolis: Si quis, inquit, adhibere volet, non modo vt architectos, verùmetiam vt fabros ad AEDIFICANDAM REMPVB. vbi videmus, quàm eleganter dixerit ædificare Rempublicam, pro augere aut inſtaurare. Cui non eſt diſsimile illud alterum, cum inquit: Qui domicilium numini deorum conſecratum ſartum tectum ab omni periculo conſeruaui. Quo in loco id quod de ædificijs propriè dicitur, ſartum tectum eſſe, ad totam Rempublicam, & non ſine ſingulari elegantia refertur. Hæc ab homine Ethnico ſum mutuatus, vt aures adoleſcentum non abhorrerent ab Hebraiſmo, quem ante in rudimentis ſuarum literarum, & eius inprimis, qui eſt omnis eloquentiæ parens, deguſtauerint. Et hęc quidem de vocabulo Ædificandi. Laborare autem, idem eſt, quod Latinis elaborare, hoc eſt, cõtendere, eniti, & alicui rei maiorem in modum ſtudere. Qui iſta verborum pondera diligenter obſeruauerit, is demum ea, quæ hoc primo verſu dicuntur, rectè intellecturus eſt.

Niſi (inquit Solomon) Deus Opt. Max. cuius in manibus, & poteſtate omnia ſunt, effecerit, vt noſtræ domus, familiæ, & œconomiæ ſartæ tectæ ſint, niſi ipſe fuerit, & Reipublicæ, & rerum priuatarum domeſticæq; noſtræ architectus & faber, fruſtra nos miſeri homunculi conabimur fortunæ noſtræ eſſe fabri, fruſtra ad profectum elaborabimus. Etiamſi enim omnia fecerimus, quæ ab induſtria noſtra proficiſci poſ-

ſunt,

sunt, tamen successus in conseruanda, & amplificanda re familiari nullus erit, nisi is nobis adsit, qui est omnium rerum œconomus optimus. Hactenus Solomon. Nihil ad institutum breuius, aut accomodatius dici potuit. Initio enim nec laborem, nec curam prohibet, nequaquam enim dixisset, frustra elaboraturum qui DOMINVM sibi gubernatorem non adiunxisset, si omnem in vniuersum laborem damnaret. Sed de laboribus & conatibus nostris dicetur postea versu secundo, & Psalmo sequente versu secundo, laborem manuũ tuarum comedes &c. Et in prouerbijs cap. 6. ignauia, & somnolentia per vehementem ἀνθρωποφθόρον reprehenditur, vsquequo piger dormies, quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & paupertas quasi vir armatus. Non ergo reprehenditur hoc loco studium, & cura œconomorũ, sed damnatur nimia solicitudo, quæ in re domestica suas partes præripere DOMINO conatur. Nam vt phrasin sapientissimi regis imitemur, non prohibet DOMINVS, vt ædifices domum, sed vult te vnum esse ex fabris non architectum. Etenim vt ipse est cœli terræq; creator, & gubernator, ita fortunas omnium, & singulorum regit, domos, familiam administrat. In ijs ergo, quæ œconomiæ nostræ causa suscipimus, eum obseruemus ordinem, quem artifices in extruendis domibus aut ædibus obseruant. Nam ibi vnus aliquis est, qui totum ędificium describit, diem in operas partitur, rationem ædificandi omnem monstrat, quem architectum vocant. Cęteri in ædificanda & extruen-

da domo elaborant quorum quamuis variæ sint operæ, alij enim materiam, calcem, cæmenta conuehunt, alij fundamenta ponunt, alij superstruunt, alij incrustatione & emblematis parietes exornant: tamen omnes ab vno illo architecto pendent, ipsius nutum, iussa, & mandata obseruant. Sic si nostras domus felices esse voluerimus, singuli ea quæ sui sunt officij faciant, interim animo, gemitibus, & votis à Deo pendeant tanquam architecto, cogitantes non esse quidquam in cura rei domesticæ suscipiendum, quod cum voluntate DOMINI pugnet, aut discrepet. Et ea etiam quæ intellexerimus ei placere, non ea fiducia suscipiamus, vt aliquam partem successus nobis ascribamus, sed vniuersa sapiẽtissimo illi opifici tribuamus. Nam qui architectonicam illam alia ratione suscipiunt, & vel se solos arhitectos, & fabros suę fortunæ esse existimant, aut etiam Diabolũ in consiliũ adhibent, nõ ædificaturi sed destructuri domũ sunt. Quod vt intelligatur, vno aut altero exemplo illustrandũ est. Paterfamilias ad structuram siue ædificationem cõmunis domus afferat studium, & diligentiam suam. Nam audit
Pro. 27. præcipientem DOMINVM, diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera. Sed non cogitet solam curam à se pendere, sciat DOMINVM excubare pro tota domo, & omnia pro clementi sua voluntate disponere, gubernare, & successum largiri. Econtra, si ocio ignauo studuerit, non dubitet se Diabolo puluinos strauisse, nec futurum in re familiari successum vllum, nisi somnum excusserit. Afferat deinde etiam paterfamiliâs ædificandæ domui prudentiam, vt suo loco, & tempore negocia domestica aggrediatur,

grediatur, operas in tempora partiatur, sumptum supputet, rationes subducat. In Sapientia, inquit alibi Solomon: ædificabitur domus, & in intelligentia stabilietur. Scientia interiora (domus) replebuntur, omnibus opibus præciosis & iucundis. At qui omnia tribuerit suæ industriæ & Sapientiæ, iam ex se architectum facit, Deoq; gloriam architectonicæ præripere conatur. Afferat & vxor, suam & curam, & industriam, de qua Prouerbiorum 14. scribitur: Sapiens, inquit mulier ædificauit domum suam, insipiens extructam quoq; manibus destruet, sed audiat interim Spiritum sanctum loquentem versu secundo huius Psalmi. Vanum est vobis ante lucem surgere, &c. Patersfamiliâs, vxor, liberi, serui, tanquam materiam extruendæ, & augendæ domui afferant, labores, obedientiam suam. Sed absit auaritia, absit turpe lucrum, sint contenti suis: accedat etiam ea quæ magna vectigalia superat parsimonia, qua de re nos Solomon Prouerbiorum 27. hortatur, vt contenti nostris viuamus, & occasionem parandæ rei familiaris captemus, eam enim nõ semper nobis futuram obuiam. Non (inquit) in sæculum diuitiæ (intellige durant) & num corona in generationem, & generationem. Hoc est, ne regna quidem prodigis sufficiunt. Et paulò post: oues pro indumentis tuis, & prætium agri sunt hirci, & sufficientia lactis caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & ad victum puellarum tuarum. Quod si ad domum extruendam non DOMINVM opificem tuum, qui tibi rationes iustitiæ æquitatisq; præscribit, sed Mammona, auaritiam, fraudes, & deceptionem, denicq; horum omnium architectum Diabolum vo- *Pro.24.*

caueris, ita non ædificabis domum tuam, vt sis eam destructurus, & te coniecturus in extrema mala. Prophe-
ta Michas dicit cap. 6. Adhuc ignis in domo im-
Eccles.21. pij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Et qui iniquè partis bonis domum ædificat, colligit sibi lapides ad sepulturam. Laban socer Iacobi illius magni iniquè cum genero agit, sed Iacobo benedicit DOMINVS, ille autem successum non habet. Popu-
Ag.1. lus Hebræus ab exilio reuersus, vt Aggæus Propheta testatur, ædificat, agriculturæ dat operam: sed sentiebat manifestam maledictionem, quia DOMINVM architectum non adhibuit, nam DOMINI templum & verum cultum negligebant, itaq; perpetua eos infelicitas comitabatur in tota œconomia, & republica. Vocemus ergo ad societatem illius structurę DOMINVM, qui & ædificat domos, & extructas conseruat, & veris gemitibus nos, familiam, & totam œconomiã nostram commendemus. Tum benedictio DOMI-
Pro.10. NI, quæ homines diuites facit, nobis aderit, laboribus nostris, respondebit emolumentum, & domus nostræ ita extruentur, vt aliquando ad æternas illas sedes non factas aut paratas manibus, perueniamus.

2. *Si DOMINVS non custodiat ciuitatem, frustra vigilat custos.*

Altera parte versiculi primi Propheta à priuatis ædibus, & œconomia transit ad Rempublicam, &, vt suprà dixit, nullam domum, nullam œconomiam saluam esse posse, nisi sub tutela DOMINI fuerit, ita nũc omnem successum in Republica DOMINO ascribit:

vt

vt partibus probet, & illustret, nullam esse partem vitæ nostræ, nullum in Republica ordinem, cuius salus non à benignitate, & clementia DOMINI pendeat. Tribus autem verbis hîc vsus est, quæ dextrè intelligenda sunt. Nam ciuitas pro Republica & Imperio sumitur. Custodire autem significat tueri, & conseruare Rempublicam, vigilandi verbum, studium, curam, & diligentiam significat, quam adhibere debent Magistratus, quibus summa rerum commissa est. Priora duo verba ad Synecdochen referri possunt, postremum autem metaphoricè vsurpatum, sumptum est à vigilibus, & excubitoribus, quibus nocturnę custodiæ commissæ sunt. Christus dulcissimus Seruator noster familiariter hoc verbo vsus est: Vigilate, omni tempore orantes. Et Paulus, vigilate, state in fide, viriliter agite. Sic Petrus, vigilate in orationibus &c. quæ omnia assiduitatem, curam & diligentiam significant. Excussis nunc singulis vocabulis expeditum erit, sententiam huius versiculi assequi. Quemadmodũ (inquit) singulæ domus saluæ esse nequeunt, nisi DOMINI benedictione conseruentur, ac sartæ tectæ sint, ita nisi ipse DOMINVS rerum omnium gubernator, Respublicas, imperia, & ciuitates tueatur, frustra pro ipsis Magistratus excubabunt, frustra consilia capient, denique omnes operam perdent, qui elaborant pro Republica. 1. Cor. 16.

Hoc ergo loco Magistratus, & officij sui, & pietatis admonentur. Vult DOMINVS eos excubare pro Republica, eamq; magno animo defendere. Sed non niti ijs præsidijs, quæ à viribus humanis proficiscuntur: verùm in omnibus respicere ad gubernatorem

cœli, & terræ. Nam qui in regenda Republica ſucceſſum ſibi aſcribunt, ipſi Deo ſceptrum è manibus excutere videntur, imò verò ex ſeipſis idola faciunt, quo peccato numinis ira vel imprimis contra genus humanum prouocatur. Vt ergo Magiſtratus ſciant, quid ſapientiſsimus Rex, cuſtodiæ, & vigiliarum nomine intelligat, & quomodo ſolus honor Deo in ijs etiam, quæ ſtudio, cura, & diligentia à nobis geruntur, deferendus ſit, pauca de ijs loquamur. Nam (quemadmodum dictum eſt) ſi ea in parte errauerint, tantum abeſt, vt ſint conſeruaturi Reſpublicas, vt eas citius ſint euerſuri. Cuſtodire autem ciuitatem ſignificat eam tueri, & defendere, quod & in propulſandis iniurijs, & repellendis hoſtibus, conſeruanda pace, ornandis, & augendis ciuibus cernitur. Ad eam rem opus eſt armis, munitionibus, bellis. animi magnitudine, prudentia, de qua tamen poſtea dicetur. Habet enim Reſpublica duo hoſtium genera: vnum quod in ipſis vrbibus intra mœnia latet, intelligo autem ciues peſtilentes, & ſeditioſos, turbas diſsidiorum, hoſtes pacis, & concordiæ, ijs certè magno animo obuiam eundum eſt, ne Reſpublica inteſtinis malis laboret. Etenim, vt ij morbi, qui ad venas & præcordia penetrarunt, longè periculoſiores ijs ſunt, qui extremam cutem duntaxat inuadunt, ita domeſtici hoſtes, alijs qui apertum nobis bellum parant nocentiores ſunt. In quod periculum, ſi Reſpublica adducta fuerit, animi, & præſentia & magnitudine opus eſt, ne ea omnino euertatur. Sic Moſes Propheta magno animo ſe opponit Chore, Dathan & Abiron, qui ſeditionem moliebantur, & illi DOMINVM vltorem ſenſerunt.

Sic

Sic Cicero & Antonius Consules, coniurationem Catilinariam consilio, & armis repulerunt, & patriam periclitantem conseruarunt. Alterum genus hostium est, quod manifestam vim patriæ & Reipublicæ affert, ibi opus est munitionibus & heroibus, qui periclitantem patriam tueantur, & se hostilibus copijs opponant. Sunt qui credunt Pharaonis vocabulum (sic enim Ægyptij suos Reges appellabant) à פרע pora deductum, quod significat vlcisci quasi reges vltores iniuriarum sint, & defensores patriæ. Cui etiam affinis est Græcorum appellatio, qui reges vocant ποιμένας λαῶν, Pastores populorum. Etenim, vt pastoris est gregem pascere, & ab imminenti luporum vi, illorumq; infestis dentibus oues eripere: ita regum est subditos contra apertam vim hostium defendere, & tueri: quod illi tum consequuntur, si arma disposita habuerint, si vrbes munierint, peritiam gerendorum bellorum tenuerint, inprimis autem, si virtute heroica fuerint præditi. Quæ omnia, si coniuncta cum DOMINI timore fuerint, tum existere nescio quid præclari consueuit. Quo in genere, nescio num præstantius exemplum extet Dauide rege, & Propheta, qui cum virtute bellica animiq; magnitudine pietatem coniunxit, & cum lectissimam militum manum, multas vrbes, sua & industria, & sumptu munitas, neruos belli, pecuniam haberet, tamen in his non acquieuit, sed, & ducem, & comitem DOMINVM sibi adiunxit, quod ipsius Psalmi multis locis testantur. Itaq; & domesticos, & peregrinos hostes summa laude propulsauit, regnum amplificauit, gloria, & fama rerum gestarum totum terrarum orbem repleuit.

Quomodo

Quomodo enim non esset felix is exercitus, qui Deum ipsum Ducem, & Imperatorem habet? Marcus Tullius cum Planci res gestas laudaret, scribit eum omnia summa consequutum, virtute quidem duce, comite fortuna. Credidit homo Ethnicus partem quidem laudis tribuendam Imperatori, partem fortunæ, quam illi dominam rerum humanarum fecerant, ignarus Deum, & fortunam, & comitem esse in ijs quæ præclarè geruntur. Ignorant etiam illud alterum, virtutem donum esse Dei Opt. Max. sed hominem eius laudis in solidum autorem constituit, quemadmodum & in eis Libris, quos de natura Deorum scripsit, non rectè iudicium hominum approbauit qui magno consensu statuant, fortunam à Deo petendam, à seipso sumendam esse sapientiam. Dauid certè cùm armis, munitionibus, & ijs omnibus abundaret, quæ ad florentem Rempublicã pertinent: tamen DOMINVM suam munitionem, petram, fortitudinem esse dixit, & suas victorias omnes ipsi acceptas tulit. Non in fortitudine (inquit) equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei, Beneplacitum est DOMINO super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Iam verò ij, qui fiducia potentiæ, animi magnitudinis, munitionum, vrbium, inflati, omnem in tuenda & amplificanda Republica laudem sibi ascripserunt, obliti versiculi huius: Nisi DOMINVS custodierit ciuitatem, frustra vigilat custos, aut qui custodit eam, nullum certè successum habuerunt, quod Obadias contra Idumæos scribens testatur: superbia, inquit, cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde

Cic. Epist. fam. lib. 10.

De nat. Deo. lib. 3. fol. 303.

Psal. 147.

Obadias.

corde tuo. Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuū inde detraham te dicit DOMINVS. Sic Propheta Amos Israëlitis, qui Ducem illum suum neglexerant, & cultus idolatricos sequebantur, minatur, Vrbs, inquit, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israël. Voluit DOMINVS ostendere, nec vrbes, nec multitudinem bellatorum aliquid afferre emolumenti, si Deum iratum habuerimus. Ad consimilem ferè modum scripsit Oseas cap. 13. Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis, &c. Et idem cap. 8. Oblitus est Israël factoris sui, & ædificauit delubra: & Iudas multiplicauit vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ędes illius. Has Spiritus DOMINI minas veras esse exempla testantur. Monarchiæ quæ credebantur contra omnem vim hostilem potentiamq; humanam munitæ, euersæ sunt, vrbes munitissimæ captæ & deletæ, Rex Balthasar fiducia inuictæ vrbis bacchanalia celebrat, & inter ipsa pocula obtruncatur. Hierosolymæ credebantur inexpugnabiles, quæ opinio ita animis non modò plebis, sed Sacerdotum & Regis insederat, vt Hieremiam de victoria Regis Babylonici vaticinantem audire nollent: sed euentus ipse docuit, fiduciam, quæ in mœnibus & vallis, præterea etiam fortitudine militum erat, cum verò fundamento opis diuinæ destitueretur inanem, imò exitialem Hebræis fuisse: & nostris temporibus videmus arces munitissimas præter omnem ex- *Amos 5.*

pectationem fuisse expugnatas. Econtra paruæ sæpè copiæ de maximis exercitibus victoriam reportarunt, & oppidula parua vim potentissimorum hostium sustinuerunt, cùm DOMINVM & ducem belli & præsidem Reipublicæ suæ haberent. Quoties populus Hebræus innumeram hostium vim paruo exercitu profligauit? An non DOMINVS suum populum aduersus infestas hostium acies produxit & solo cantu eas in fugam vertit? An non potentissimi Syriorum Regis copias solo delirio, & cœcitate in Hebræorum manus redegit? Nec ignotum est mutuis sæpè vulneribus inspectante populo Iudaico maximas copias hostium concidisse. Interdum subito metu, πανικὸν vocant, perterritos, vt fugam arriperent. Aliquando ruinis mœniorum oppressos. Et quod in omni hominum memoria celebre est, aquis demersos, & suffocatos. Quibus exemplis seueritatis aperte docuit DOMINVS, sic eum ad nos defendendos armis, exercitu, & virtute militum non indigere, vt sine his etiam victoriam, & triumphos largiri possit. Quæ si diligenter perpenderimus, facile credemus Solomoni custodiam, & vrbium, & Reipublicæ nullam existere posse, quæ diuino præsidio destituta sit.

Quod de custodia dictum est, id etiam de vigiliis intelligatur. Significat enim, vt diximus, vigilare attentionem, & curam, quàm in regenda Republica adhibent Magistratus. Nam officium eorum est, qui ad gubernacula sedent, vt pro salute ciuium excubent. Neque enim omnia armis & vi, sed consilio prudentiaq; conficiuntur, vnde & Cicero dixit, parua esse fortis arma, nisi sit consilium domi. Itaq; sapientes illi, qui

qui fictis fabulis nos de maximis rebus admonuerunt, nolunt Reges per totam noctem dormire, sed partem nocturni temporis consiliis & curis de Republica tribuere, ὃ δὲ (inquit Dea ad Agamemnonem) πάννυχιον ἴνδεμ βυλὴ φορον ἄνδρα. Et Eustathius testis est Castorem, & Pollucem primos Reges ἄνακτας salutatos, ab ἀνακῶς ἔχειν, quod significat magna solicitudine res subditorum curare. Itaq; etiam prouerbiorum vltimo vsus nimius vini interdicitur Regib. ne seriæ ipsorum cogitationes temulentia impediantur. Ideo etiam sapientia inprimis in Regibus commendatur, qua & improbi repelluntur & euehuntur pij. Et prouerbiorum 20. scribitur. Dissipat impios Rex sapiens, & conuertit super eos rotam. Et Ecclesiastis cap. 10. Væ tibi terra, cuius Rex puer est. Neq; ibi de ætate, sed intelligentia & moribus agit, ideò addit, cuius Principes manè comedunt, beata terra cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Quanquam autem consilio, & sapientia in administratione rerum opus est, tamen, si quis existimet summam sapientiam, hoc est, Deum Opt. Max. non esse consulendam, is iam toto cœlo errabit, & sibi creabit periculum in tota administratione. Cum Rex Babylonius nomine potentiæ, & sapientię superbiret, excesit è potestate sua. Et quãdo sana etiam consilia timore DOMINI non reguntur, successus in illis nullus est. Sic Cicero suam stultitiam fatetur, quamuis videbatur non malè rebus, vt tunc erant, consuluisse. Et Demosthenis etiam consilia parum fœlicia fuerunt, quamuis vir ille, & eloquẽtia, & sapientia excelleret, quia non tam patriæ, quàm

ſuam & gloriam, & emolumenta ſequebatur. Deniq; ſunt etiam alia multa, quibus boni Magiſtratus Rempublicam tueri & augere ſtudent, vt ſunt leges, conſtitutiones, conſilia: quibus etiam ipſis quidam abutuntur, cum credunt iſs Rempublicam perpetuam fore, cum ſint optimè meditata: Sed DOMINVS ea quoq; in parte conſilia ſapientum confudit, & paſſus eſt euerti Reſpublicas, quæ inſtitutis, & legibus ad perpetuitatem videbantur munitæ. Itaq; vigilantia, ſtudium, diligentia, conſilium, leges, & ſimilia non damnantur, ſed vocandus in conſilium DOMINVS eſt, ſi ea ſalutaria eſſe voluerimus. Hiskias, cum à potentiſsimo Rege ad deditionem vrgeretur, & nihil nec conſilij, nec auxilij vſpiam appareret, literas Tyranni coram DOMINO explicat, & periculum omne effugit. Hunc ergò imitati, omnem noſtram curam in DOMINVM reijciamus, certi, nihil nobis ad vitæ ſubſidia, & effugienda pericula eſſe defuturum.

2. *Fruſtra vobis eſt ante lucem ſurgere, ſedendo moram facere, & comedere panem doloris, cum det dilectis ſuis ſomnum.*

Tertium eſt membrum in enumeratione, quam inſtituit Solomon. Dixerat enim rem domeſticam, deinde etiam publicam non poſſe laudabiliter, & vtiliter adminiſtrari, niſi DOMINVS ſucceſſum dederit. Iam tertium membrum addit, vbi in genere omnes labores & ſolicitudines hominum non coniunctas cum fide, damnat, quia DOMINVS ſine his etiam credentibus neceſſaria largiatur. Et ex hoc ſecundo verſu intel-

ſu intelligimus, quid in hoc Pſalmo propoſitum fuerit Solomoni diſſuadere, curam videlicet hominum nimis ſcrupuloſam, quæ eorum animos conquieſcere non ſinat. Quanquam autem in ſuperioribus duobus membris, cum de Oeconomia, & Politia loqueretur, id inprimis probare voluit, ſuperuacuam eſſe operam noſtram, niſi DOMINVS, res & œconomicas & politicas fortunet, quod & hoc loco facit, cum acriter inter ſe labores hominum, & clemens DOMINI auxilium contendit, tamen hîc etiam aliud quid addere voluit, quod vim haberet ad diſſuadendum maximam curas, & labores, præterquam quòd ſint ſuperuacui & inanes, macerare homines, & ipſis acerbam vitam reddere. Attigerat quidem hoc ſuprà etiam, ſingulis duntaxat verbis, laborandi, & vigilandi, ſed hoc verſu id apertè, & copioſè proponit. Nemo autem eſt, qui in ea re elaborare velit, quæ non ſolùm ſpem emolumenti nobis nullam afferat, ſed dolorem, cruciatum, aut certè moleſtiam etiam coniunctam habeat. Et hæc quidem de conſilio authoris. Nunc de phraſi, & ornamentis paucula ſubiiciamus.

Vſus eſt Pſaltes (vt diximus) contentione Rhetorica, nam labores curaſq; peruigiles illas (vt Poëtæ loquuntur) opponit quieti piorum, quibus tamen & ipſis DOMINVS neceſſaria largitur. Deinde in priore parte antitheſis pingit ſtudium hominum nimis ſolicitorum, nam illis curæ ſomnos eripiunt, manè antè lucem ſurgunt, deinde ad multam noctem ſedent. Vſus autem eſt in hac deſcriptione verbis ſignificantibus, nam השכים Hiſchim ſignificat antè lucem ſurgere. Quidam interpretes verterunt maturare: ſed

hoc verbum nō ſatis videtur exprimere authoris ſen-
tentiam. Nam maturare ea potiſsimum dicimur, quæ
in tempore facimus, & plerunq; in laude ponitur, ſed
Pſaltes vult dicere homines peruerſa ratione id tem-
pus, quod quieti dandu m erat, tribuere laboribus. De-
inde & alterum verbum ſiue participium מאחרי Me-
achare, emphaticum eſt, ſignificans tardare, & poſt
omnes alios laboribus inuigilare: ſi vſus Latinę linguę
cōcederet poſſemus vertere Poſticare: nam אחר poſt,
& poſtea ſignificat, quemadmodum Terentianus ſe-
nex de nimis duris, & intempeſtiuis vicini laboribus
loquitur. Nūquā tam manè egredior, neq; tam veſperi
domum reuertor, quin te in fundo conſpicer. Sic &
Solomon de præpoſteris laboribus hominum nimis
ſolicitorum loquitur, oſtenſurus, tales homines, ſibi
magnas moleſtias vltrò creare. Poſtremo addit eos co
medere panem doloris, ſiuè moleſtiarum, quod ego
ſic intelligo, eos victum cum moleſtia quærere, & ſi-
bijpſis vitam acerbam facere nimijs curis, & ſolicitu-
dinibus. Hæc paulò prolixius proponenda duxi, vt in-
telligeremus quomodo Solomon paucis verbis in-
commoda, & moleſtiam, quæ intempeſtiuam ſolici-
tudinem comitetur, proponat. Neq; enim iſta tam ex-
ornandi, quàm probandi cauſa adduxit. Sed altera
pars antitheſis, quamuis vno duntaxat membro abſol-
uatur, tamen egregiè ſuperioribus & quadam empha-
ſi ſiue epitaſi opponitur, illi ne ſomnum quidem ca-
piunt propter curas, ſed DOMINVS ſuis largitur
ſomnum, & quod ſubintelligendum eſt, etiam cibos.
Quod ergò absq; moleſtia quieti habere poſſumus,
cur tanta ſolicitudine quæreremus. Hæc de ipſis ver-
bis:

bis: tempus est vt paraphrasi ista omnia quasi in corpus redigamus, connectentes superioribus.

Sed vt de vniuerso genere, & tota hominum vita, laboribus, & conatibus loquamur. Quid quæso scrupulosa hominum cura in parando victu emolumenti affert, præter molestiam, & dolorem, nam qui auxilio diuino diffisi, à se omnia petere conantur, ne somnos quidem admittunt, sed ante primam auroram, eo ipso tempore, quo alij placidissima quiete fruuntur, ad labores surgunt, & postea ad multam noctem eos continuare solent, post reliquos omnes cubitum euntes, iacturam facientes valetudinis: cum corpori recreationem necessariam, & eam quietem, quam laboribus ipse DOMINVS qui vicissitudines noctium, & dierum esse voluit, interponendam esse iudicauit, adimant, & præterea vitam sibi acerbam miseramq; curis, solicitudinibus, durisq; laboribus faciant, ita, vt ne illud quidem tempus, quod reficiendis viribus, & capiendo cibo dandum est, quietum transmittant, sed cum molestia, & solicitudine in ipsa mensa de laboribus cogitent, & semper metuant, ne nimios sumptus faciant, denicq; suum corpus perpetuis vigilijs, & operibus exhauriant, suauitatem neq; ex esculentis, neq; poculentis, vllam capiāt. Itaq; panis & cibus, quo alij vires instaurant, ipsis doloris & molestiarum est materia. Quid tali homine magis miserum & calamitosum, cum ne ad reficiendas quidem vires tempus conceditur, & qui post maximas & perpetuas curas lucrum nullum præter molestiam habet? Quantò illi rectius facerent, si DOMINVM in partem curarum vocarent, & suum tempus laboribus, *Psalm.* 104.

suum

ſuum etiam quieti,& recreationi tribuerent: ſucceſ-
ſumq; commendarent DOMINO, qui cum ſit cle-
Matth.6. mentiſsimus,& indulgentiſsimus Pater,nouit quibus
rebus nobis ad ſuſtentationem vitæ opus ſit. Imò ipſe
Pſalm.54. credentibus, qui curas ſolicitudinesq; in ipſum conij-
ciunt,ſuauiſsimam quietem largitur,vt cum voluptа-
te cibum capiant, noctu ſomno ſe reficiant, denicq; ſe
Pro.10. totos DOMINO reſignent, ſcientes ſolam DOMINI
benedictionem diuites facere, & Patrem cœleſtem
dormientibus nobis de neceſſarijs proſpicere. Nam
cum parentes propitij,impulſi σόργαις ſuis, hoc faciãt,
Matth.7. quorum tamen peccato natura infecta eſt,unicèq; cu-
piant benefacere liberis ſuis, quare non hoc expecta-
remus ab eo Patre,qui bonitas ipſa eſt, & ſuam nobis
clementiam tot rationibus declarauit? Hactenus Pſal-
tes.

Ex his (vt ſupra quoq; memini) intelligimus,non
prohiberi labores: quomodo enim damnaret DOMI-
NVS ea,per quæ Pſalmo ſequenti benedictionem ho-
neſtis coniugibus pollicetur. Labores (inquit) ma-
Pſalm. 128. nuum tuarum manducabis, beatus es, & benè tibi e-
rit.Nec etiam interdicitur cura, & ſolicitudo ea, quæ
cum fide, & pietate coniuncta eſt: aliàs Solomon in
prouerbijs non rectè accuſaſſet ignauos,quòd in mul-
tam lucem dormiant, vt ſuprà dictum eſt. Hæc, cum
à DOMINI Spiritu nobis proponantur,non pugnant
cum ijs, quæ hoc Pſalmo eodẽ Spiritu autore, decan-
tantur. Prohibet autem nobis ille omnis veritatis ma-
giſter,nimiam curam, & ſolicitudinem,quam vel in
parandis, vel conſeruandis opibus adhibemus. Qua
de re ipſe Dei filius DOMINVS, & Seruator noſter
Ieſus

Iesus Christus, concionatur Matthæi sexto capite: Ne sitis (inquit) soliciti, dicentes: quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? nam omnia ista gentes exquirunt. Et quàm nihil possit sollicitudo, egregia similitudine probat. Quis autem ex vobis sollicitè cogitando potest addere ad staturam suam cubitum vnum? Præterea qui se ipsos curis ad eum modum macerant, obliuiscuntur se habere patrem in cœlis, qui nostra commoda antè meditata habeat, quàm nos de ijs cogitationes possimus instituere, ideo Christus superioribus addit: Nouit Pater vester cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus.

Deinde etiam hoc versu damnantur nimij labores, qui cum periculo valetudinis sunt coniuncti. Nam qui interdixit, ne quenquam occidamus, curam quoq; corporis nostri nobis inprimis commendauit. Et D. Paulus in ijs etiam, quæ pietatis causa suscipiuntur, *Col. 2.* ἀφειδίαν improbat. Neq; hoc loco solum corporis labores intelligimus, sed eos etiam, qui animo & ingenij viribus perficiuntur. Nam & in his modus est tenendus, ne cum molestia periculum nobis concilie-mus, quod certè ijs euenit, qui nullam curis, meditationi, & studijs quietem interponunt. Quid multis? operæ & vacationes sunt in horas partiendæ: Suum enim (vt sapiens dixit) cuilibet rei tempus est. Nam vt laboribus siue agriculturę opera danda est, & plan- *Ephes. 3.* tationi, bellandi tempus est, & pacis: seuerioribus negocijs suæ horæ tribuendę sunt, est & aliquid dandum honestæ recreationi. Hac etiam commonefactione mater intempestiuarum curarum auaritia, excluditur. Non cogitant homines, nudos se in hanc lucem venis-

se,& nudos rursus esse egressuros: itaq; in conquirendis,& cumulandis diuitijs, nunquam sibi satisfaciunt, per terras & maria volitant, noctes & dies curis laboribusq; fatigantur, & tamen ne in quæsitis quidem partem vllam habent recreationis,Cresçit amor nummi, quantum ipsa pecunia cresçit. Hanc ergò præposteram curam Spiritus sanctus reprehendit. Testantur etiam exempla,quæ ex tota historia mundi colligi possunt, quàm inanes, & curæ & labores hominum fuerint, quibus impietas coniuncta fuit. Qui ab exilio Babylonico domũ redierant, agriculturæ operam dabant, sed nullo omnino emolumento,quia religionem,& cultum Dei negligebant,itaq; in loculum pertusum pecunias imposuisse dicuntur. In Republica multum desudarunt Reges Hebræorum, & inprimis operam dabant,vt amicitias,& societates propinquorum populorum sibi conciliarent, sed istæ curæ, quia & nimiæ erant, & cum mandatis DOMINI pugnabant, huic populo exitiales fuerunt. Habacuc etiam Propheta labores hominum, si desit pietas,irritos esse scribit: Laborabunt (inquit) populi in multo igne,& gentes in vacuum, & deficient. Econtra autem DOMINVS piorum moderatis laboribus benedicit, de quo Psalmo sequente dicetur.

Haba.2.

3. *Ecce hæreditas DOMINI filij & merces fructus ventris.*
4. *Sicut sagittæ in manu fortis, sic filij adolescentes.*
5. *Beatus vir qui impleuit pharetram suam ipsis, non afficientur pudore quum loquuti fuerint cum inimicis in porta.*

Solomon,

Solomon, qui omnem & œconomiæ, & politiæ rationem perſpectam habuit, partium enumeratione docuit, domos, vrbes, Reſpublicas, regna, imperia, non regi humanis conſilijs, nihil prodeſſe curas, nil induſtriam, nihil conatus noſtros, niſi adſit is gubernator, qui eſt omnium DOMINVS & adminiſtrator optimus. Iam ſecundum argumentum, quod maxime hominibus in conſpectu eſt, ſubijcit, de liberorum procreatione. Nam cum nemo dubitet, genus humanum conſeruari procreatione, & propagatione, res autem publicas, tum florere quando præclari, & præſtantes viri naſcuntur, qui in omni Republica præclaram operam nauare poſsint, certum eſt initia & progreſſus fœlices in œconomijs, & Rebuſpublicis, aſcribendos eſſe authori omnium DOMINO. Nam is & ſobolem, & poſteritatem, tum vero animos etiã heroicos, quibus vult, largitur. Iam verò quibus ornamentis vſus ſit Solomon, ſuprà cum totum Pſalmum in compendium redigere ſtuderemus, ſatis, vt opinor, oſtendimus: & iam moleſtiam ſubterfugientes, iſta omittimus. Sed tamen, ne Hebraicarum phraſium non ſatis perſpecta omnibus varietas nos turbet, ſuauiſsimos hoſce verſiculos, latinos facere conabimur, ſuperioribus ita ſubiecturi, ac ſi perpetua oratione fuiſſemus vſi.

Sed quid opus eſt ſingula capita perſequi, & argumentis agere, cum de tota re nos ipſa experientia doceat? Etenim quis ita eſt ab omni hominum conuerſatione alienus, cui perſpectum non ſit, tum humanum genus eſſe deſiturum, ſi non quotidie alij homines procreentur, & ea, quæ in rebus noſtris eſt ſum-

ma imbecillitas, noua ſobole reparetur, ſed cui nam hanc, quæ in ſpe poſteritatis eſt, immortalitatem aſcribemus, quàm DOMINO, qui dono fœcunditatis honeſtos coniuges veluti ampliſsima hæreditate, & mercede ſuauiſsimisq; fructibus ornat, reficit, & donat. Ex honeſtis autem matrimoniis prodeunt homines, vtiliter ſeruituri vniuerſæ Reipublicæ. Quid enim eſſet Reſpublica abſq; ciuibus, & iis quidem bonis & honeſtis viris? niſi fortè quis mœnia, foſſas, & propugnacula Reipublicæ nomine dignari velit, quòd nemo prudens vnquam fecit. Boni certè & fortes viri, ſunt quaſi propugnacula vrbium, & imperiorū, quos ſi omnes qui ſanæ mentis ſunt, DOMINI ſingulare donum eſſe confitentur, quis negauerit omnem Reipublicæ ſalutem ſoli DOMINO aſcribendam eſſe? Mihi ſanè iuuenes, qui vel armis patriam ſtrenuè defendunt, vel ad Rempublicam accedunt, maximè ſi ſenum conſiliis regantur, ſimiles videntur ſagittis, quæ à fortiſsimo ſagittario emittuntur. Nam vt illæ hoſtem in fugam vertunt, aut omnino interimunt, ſic iſti vel togati aduerſarios ſuos, conſilio, eloquentia, euertunt, vel armati magna laude victoriam ab hoſtibus reportant. Beatas certè eas Reſpublicas oportet, quæ talibus hominibus abundant. Beatus is Princeps, aut paterfamiliâs iure dicendus eſt, qui his armis in medium prodit: nam ſiue in bello eius incolumitas, ſiue pace & in foro (portam vocamus) exiſtimatio, bona eius periclitabuntur, ſemper tamen victor abiturus eſt. Quæ res ſi cum ſummis Reipublicæ emolumentis coniuncta eſt, tales autem viri, DOMINI benignitate procreentur, & virtute, ſapientia, animiſq;

míſq; magnitudine ornentur, quis ita ſtupidus erit, qui non libenter conceſſurus ſit, ſoli DOMINO omnia noſtra, & œconomica, & politica committenda: itaq; curas noſtras, quæ noctibus, & diebus nos ſollicitos tenent, in DOMINVM exoneremus, qui piſs hominibus nulla in re deerit, quod etiam variis exemplis bonitatis, & clementiæ ſuæ toti orbi teſtatum fecit.

Hæc de ſapientiſsimi regis laudatiſsima breuitate aliquanto copioſius dicta ſunt: ſed ne ſic quidem maieſtatem diuinæ illius eloquentiæ videmur aſſequuti. Nam in ſingulis propè verbis lumina figurarum, imò verè vis diuina latet.

Suppeditaret autem hic textus, nobis vberem materiam dicendi de liberis, quòd donum ſint Dei Opt. Max. & quòd ea benedictione Deus honorauerit matrimonium: ſed quia in Pſalmo ſequenti hæc tractabuntur, de induſtria iam prætermitto. Præterea autem notandum diligenter eſt, Deo magnas deberi gratias, cùm in Republica videmus homines præclaros, & heroica virtute præditos. Nam hoc loco audimus generoſos filios eſſe hæreditatem DOMINI, ergo non tribuamus hoc aut diſciplinæ (quanquam & illa neceſſaria eſt) aut proſapiæ nobilitati, & ſimilibus, (videmus enim multos eſſe optimorum virorum degeneres liberos) ſed credamus DOMINVM excitare heroas, & maximè cum videt Eccleſiam ſuam protectione & defenſione indigere. Quanquam enim & abſq; vllis humanis præſidiis ſæpè ſuam Eccleſiam ex maximis periculis ſeruauit: tamen vt in aliis rebus ſummo illi, & optimo rerum omnium œconomo placuit cauſis ſecundis vti, ſic etiam, cum maximæ difficultates

Populo Dei obijciebantur, viros virtute bellica, & ſummis virtutibus præditos miſit, qui populum quaſi è faucibus Tyrannorum extraherent, & liberarent. Eorum in numero eſt Moſes, Ioſua, Gedeon. Iephte, Samſon, Dauid. Ioſias, Iudas Maccabæus, Conſtantinus & ſimiles: qui DOMINI Spiritu excitati, ſe hoſtibus populi Dei magno animo, maiore ſucceſſu, maxima laude, oppoſuerunt. Quid, quod mulierculas aduerſus potentiſsimos Hebræorum hoſtes, ita armauit, vt contra rationem ſexus, viriles animos ſumerent, & hoſtem vincerent, antequam pugnaſſe crederentur. Notæ enim ſunt hiſtoriæ Iaëlis, Iudithæ, præſtantiſsimarum fœminarum. In Spirituali autem illo bello, quòd Eccleſia perpetuum aduerſus aſtutias Diabolorum, & falſas doctrinas gerit, quot heroas excitauit, qui verbo Dei armati, infeſtas illas copias profligarunt, & Eccleſiæ pacem reſtituerunt. Ergo quando DOMINO viſum eſt, ſuam Eccleſiam ſeruare, ſagittas proſternendis hoſtibus, eas parat, quas aliâs nos crederemus nihil ad victoriam eſſe valituras. Quæ omnia ſapientiſsimus Rex ſimilitudine ſagittarum nobis proponere voluit, quas à DOMINO dari dicit. Adhæc cum portæ & iudiciorum mentionem facit, eoſq; DOMINI Spiritu impelli dicat, qui præclaras in foro operas faciunt, videmus DOMINVM, & magiſtratus, & iudicia approbare. Nam ſi in iudicio litigare pio homini conceſſum non eſſet, quomodo Pſalmus 127. diceret: Sagittas illas, quibus in porta paterfamiliâs contra ſuos aduerſarios dimicat, Dei eſſe beneficium? Certè ipſe DOMINVS ſuo Populo leges forenſes præſcripſit. Et Moſes, qui quaſi in conturber-

nio,

nio, & familiaritate Dei versabatur (loquebatur enim ei DOMINVS vt amico) ipse iudicia exercuit, & totos dies in dirimendis litibus cõsumpsit. Non enim posset hominum vlla societas sine legibus, iudicijs, pœnis, & præmijs stare, cum ne inter latrones quidem societas sine iustitiæ aliqua parte possit esse diuturna. Sed quando audimus nobis forum aperiri, concessumq; beneficium litigandi, non putemus fenestram patefactam esse disceptationibus non necessarijs, & rixis: aliud enim est iudicio contendere, propulsare iniuriam, sua tueri legibus, aliud est mouere lites sine causa, & perturbare ocium, & tranquillitatem publicam. Paulus Corinthios obiurgat, quod apud magi- 1. Cor. 6.
stratus Ethnicos litigarent, nec cogitarent se in eam dignitatem euectos, quod aliquando mundum sint iudicaturi. In quo honoris gradu, cum & nos constituti simus, non facile prosiliamus in iudicium, condonemus multa fratribus. Nam charitas, vt Solomon dixit, operit multitudinem peccatorum: sciamus multa rectius arbitrio paucorum committi, quàm produci in forum. Et sanè modesta ingenia à strepitu fori abhorrent. Sed sæpè ea incidunt tempora, & tales nobis difficultates obijciuntur, vt officium magistratus implorandum sit, nisi periclitari velimus, ibi præsidijs illis salutaribus iudiciorum vtamur, sed ita tamen, ne pessimos illos consultores, animi perturbationes intelligo, in consilium adhibeamus. Nam isti aduocati causam etiam bonam, vel suspectam reddunt, aut certè omnino euertunt,

Ad extremum monentur etiam iuuenes, & qui in flore ætatis sunt, quid sui sit officij, videlicet parentibus,

bus, & patriæ inſeruire. Nam qui optimam partem vitæ ſuæ voluptatibus conſumunt, & quorum domi militiæq; nulla omnino eſt vtilitas, iſti ſunt inſtar ſagittarum exarmatarum, quibus hoſtem ferire non poſſumus, imò ſunt quod in prouerbio dicitur, terræ inutilia pondera. Parentes ergo diligentes acuant diligentiam ſuorum liberorum, adiungant ipſos bonis, & prudentibus viris, vt aliquando & œconomiæ & Reipublicæ ſalutaria propugnacula eſſe poſsint.

VSVS HVIVS PSALMI.

Multi in eam opinionem venerunt, res quidem ad ſalutem æternam ſpectantes, à Deo, & petendas, & expectandas eſſe, ſed ea, quæ ad domeſtica & forenſia pertinent, credunt hominum iudicijs induſtriæq; relictas. Sed videmus hoc loco, nullam eſſe vitæ noſtræ partem, quæ non à DOMINO regatur, & gubernetur. Et omnes conatus humanos irritos eſſe, ſi non adſit nobis DOMINVS. Conſtituendis ergò rebus domeſticis, officium faciamus, fugiamus ocium, & voluptates. In gubernanda Republica legibus, iudicijs, & ijs præſidijs vtamur, quæ nobis conceſſa à DOMINO ſunt. Sed interim ad DOMINVM ſuſpiremus, & ardentibus votis petamus, vt ipſe clauum regat, pro nobis excubet, ſucceſſum largiatur. Idq; inprimis in his imperiorum ruinis, & rerum omnium ſumma perturbatione faciendum eſt. Nam niſi DOMINVS euentum nobis, & exitum ex his malis, quæ hodie nos premunt, monſtrauerit, nunquam pericula iſta effugere poterimus, ſed in ipſo vel turmas hoſtiles etiam,

aut

aut murum transibimus. Imò si vel in vmbra mortis ambulauerimus, ipso, & comite, & duce, ad æternam felicitatem euademus: quod largiatur nobis is, qui suæ Ecclesiæ est defensor perpetuus. Michaël ille magnus, qui pro nobis excubat, & Diabolorum malitiam & consilia reprimit.

Psalmus 128.

Canticum graduum.

Beati omnes qui timent DOMINVM.

Salmus superior de œconomia & politia loquitur, docens hominum curam solicitudinemq; omnem, inanem esse, nisi DOMINVS & gubernarit & rexerit Respublicas, & benedixerit œconomiæ. Sequens autem carmen commendat felicem œconomiam, & ostendit quæ ornamenta & quas commoditates ac suauitates DOMINVS in hunc ordinem conferat. Sed ne quis fortasis ad vniuersum genus hoc referat, & putet has promissiones omnibus patribusfamiliâs accommodandas, diserte ab initio ostendit, se de pijs, & timentibus DOMINVM loqui, easq; demum œconomias fore beatas, in quibus floreat vera pietas. Postea laudes siue benedictiones DOMINI partibus illustrat vt omnes intelligant, hoc vitæ genus maxima com-

moda, coniuncta cum quadam iucunditate, & ea quidem diuturna habere. Primùm ipsi labores œconomici erunt iucundi & vtiles, nam laborem manuum comedes, & bene tibi erit. Deinde cum præcipua pars œconomiæ sit matrimonium, eius quoq; suauitates & vtilitates egregijs similitudinibus & amplificationibus exornat. Postremo cumulum omnium bonorum & spiritualium & externorum promittit, quæ bona etiam à diuturnitate commendat, vt suo loco videbimus. Iam cum primas quasi lineas duxerimus & cancellos circumscripserimus, quos in progressu sequamur, ad ipsam Psalmi interpretationem accedamus.

1. *Beati omnes qui timent DOMINVM qui ambulant in vijs eius.*

Primus huius Psalmi versus propositionem habet & summam totius negocij. Quanquam autem nomen œconomiæ expressum non est, tamen sequentes versiculi satis ostendunt de eo vitæ genere loqui velle Prophetam. Initio autem nomine beatitudinis id intelligit, quod Latini voce felicitatis: quia omnis generis bona, commoditates, vtilitates honestæ intelliguntur: id quod postea enumeratione partium explicat & exornat. Deinde amplificatio addita est, omnes Patresfamiliâs esse beatos siue felices, ne credatur ex magno numero paucos duntaxat quosdam, in partem illorum bonorum, quæ describit, vocare velle. Sed ne impij sibi vsurparent consolationes propositas, addit restrictionem: eos omnes œconomos, qui timeant DOMINVM intelligendos esse. Qua voce impios ab omnibus

omnibus his commodis excludit,& infelices esse taci-
te pronunciat. Verum ne quis vocabulum timoris,
de eo duntaxat metu intelligeret,vbi homines formi-
dine pœnæ & vltionis abstinent (qui etiam impijs
communis est) descriptionem timoris DOMINI bre-
uem illam quidem , sed luculentam subijcit. Timere
DOMINVM esse in vijs eius ambulare. Metaphorica
autem locutio est,Hebræis familiaris, vt per vias DO-
MINI, verbum Dei , & voluntatem DOMINI in eo
expressam , siue doctrinam à Deo traditam intelligãt.
Ambulare autem in via & semitis DOMINI , signifi-
cat vitam secundum voluntatem & præscriptum DO-
MINI instituere , qua phrasi Esaias capite secundo v-
sus est. Docebit nos vias suas & ambulabimus in semi-
tis eius. Hanc aũt inter pios & impios distinctionem,
postea versu quarto , cùm admiratione repetit. Ecce
sic benedicetur vir , qui timet DOMINVM:vt illa re-
petitione doceret,se de pijs œconomis & coniugibus
loqui. Huius ergo primi versiculi hæc est sententia.

Nemo est qui non expetat vitam tranquillam
& beatam , fugiunt autem omnes contraria, in pri-
mis autem œconomi quæruntur de molestijs , labo-
ribus,calamitatibus & ærumnis suis. Etsi autem nulla
est vitę pars,quæ non suas difficultates & miserias ha-
beat, tamen hoc breui meo carmine œconomos , qui
multis videntur miserijs expositi,docebo,quantę illo-
rum commoditates sint:si modo sua bona norint: imò
verò firmis rationibus ostendam,eam vitæ rationem,
felicissimam esse . Non quod nullæ calamitates huic
ordini incumbãt(nam hoc esset hominem extra hunc
mundum collocare)sed quod isti ea à DOMINO con-

dimenta & ſolatia habeant, quibus ærumnas mortalium generi communes leniant & æquiore animo perferant, imò quæ triſtia & aduerſa videntur, ſuis bonis compenſent. Quæ mea oratio, non ad impios, præfractos & impuros homines pertinet, ſed ad eos, qui in timore DOMINI res ſuas domeſticas inſtituunt, & hoc ſedulo agunt, vt in omnibus actionibus ſuis Deum quaſi ducem ſequãtur, quod tum fit, quando verbum & mandata ipſius veluti perpetuam vitæ ſuæ viam obſeruant. His ego in tota œconomia felicitatem, DOMINI præſentiam, conſolationem in aduerſis, & honeſtas voluptates promitto, & verè beatos eos iudico.

Hæc de ſententia Pſaltis Paulo copioſius dicenda fuerunt, vt intelligeretur magnus error, in quo totus hic mundus verſatur, & econtrà quæ nobis rationes ad benè beatéq; viuendum ſequendæ ſint. Nam impij magna cura & diligentia hoc agunt, vt iucundam & quietam vitam agant in hoc mũdo, ſintq; felices, quia aliam, quàm hanc terrenam felicitatem nõ nouerunt. Eſt autem ea in re gemina hallucinatio: primũ, quod perfectam & abſolutam felicitatem in hac valle lacrymarum quærunt, de quo aliàs dictum eſt. Deinde quia in ipſis rebus felicitatem poſitam eſſe iudicant, ſic enim ſibi perſuadent, ſe tum felices, ſi diuitijs abundent, in honoribus & dignitatibus conſtituti ſint, voluptates quam plurimas ſibi compararint. Ignorant autem poſt primorum parentum peccatum, in omnibus ijs rebus quas tractant homines, maledictionem DOMINI latere. Proferet inquit DOMINVS tibi ager ſpinas & tribulos, & impijs minatur Deut. 28. Eos

maledi-

maledictionem domi & in rure, denicp in omnibus partibus vitæ habituros. Itacp si quæ in nostris rebus speranda aut expectanda felicitas est, ea à DOMINO proficiscitur, & præclarè à Solomone dictum est, benedictionem DOMINI diuites facere. Præsentiam autem DOMINI alia ratione impetrare non possumus, nisi ipsum timeamus, colamus & ad ipsius voluntatem vitam nostram componamus. Ex quo illud consequitur, benedictionem DOMINI rebus nostris tum inesse, si eæ timore DOMINI & pietate (vt ita loquar) quasi tingantur & condiantur. Quemadmodum enim Moses olim in deserto amaritudinem aquarum iniecto ligno emendauit, sic nisi ad creaturas & operas nostras timor DOMINI accedat, qui in societatem nostrorum laborum DOMINVM vocet, frustra occupabimur. Rectè ergo Psaltes caput felicitatis in rebus œconomicis facit timorem DOMINI, econtrà (sed tacitè) infelices eos pronunciat, qui præclaro illo DOMINI timore destituuntur. Hoc si nobis persuasum esset, iam non in rebus ipsis, felicitatem & successum poneremus, sed in vero DOMINI timore, & consilium DOMINI, & seruatoris nostri Iesu Christi essemus secuturi, qui iubet nos initio quærere regnum Dei & iustitiam eius, postea autem expectare reliqua quæ necessaria sunt, ad vitæ nostræ sustentationem. Cum autem in superioribus Psalmis aliquoties de timore DOMINI & vera pietate, quid sit, & quam præclaros & exoptatos fructus proferat dixerimus, non est opus, vt cum molestia eadem repetamus: sed nunc de eo tantum loquamur, quantum nostri instituti ratio postulare videtur, & quia difficulter hominibus persuaderi

Pro.10.

Exo.15.

ſuaderi poteſt, tantum in rebus humanis ingenuum illum timorem, partibus illuſtremus negocium. Nam initio in perſequendis commoditatibus noſtris parum erimus felices ſi deſit timor ille laudabilis, id quod Propheta ſuperiore Pſalmo teſtatur. Fruſtra eſt (inquit) vobis ante lucem ſurgere & ſero cubitum ire, & magno labore quærere victum. Econtrà iubente & volente DOMINO, omnia ex ſententia eueniunt. Quemadmodum labor Petri inanis eſt, donec Chriſto mandante rete proiiceret, ibi magnum facit operæ precium. Deinde & in retinendis bonis, opus eſt DOMINI timore, nam impij ſæpè colligunt opes & diuitias rationibus non legittimis, quas poſtea vno quaſi momento amittunt, & non modo iacturam eorum, quæ iniqᵹ parta ſunt, faciunt, ſed etiam, alia quę ex hæreditate aut laboribus habent, amittunt: quemadmodum alias ex Michæa dictum eſt Porrò etſi DOMINVS interdum breuem vſuram felicitatis & fructum terrenorum bonorum impijs largitur, tamen cum iſti timore DOMINI deſtituantur, his omnibus ad ſuam perniciem abutuntur, alij enim crapula & ebrietate valetudinem corrumpunt, alij libidinibus & voluptatibus ſenectam ſibi accelerant, & quod maximum eſt, cum pro iis quæ acceperunt grati non ſint, cumulant ſibi iram DOMINI, & vt egregiè dixit Apoſtolus, colligunt ſibi theſaurum iræ DOMINI. Et Ethnici non ignorarunt, talia eſſe bona illa externa qualis ſit animus eius qui ea poſsidet.

Mich.6.

Adhæc qui caret timore DOMINI, perpetuum timorem & trepidationem circumfert: metuit enim, ne ea quæ dulcia & ſuauia ſunt, eripiantur, quia præter ſe cuſto-

se custodem suarum rerum agnoscit neminem. Itaq; trepidatio inter pœnas fatales ponitur Deut. 28. Et autor est Valerius Maximus matronam quandam, quæ in affluentia rerum omnium viuebat, sibi ipsi inedia vitam abrupisse, quòd diceret, se cum ad summum gradum felicitatis peruenisset meliora sperare non posse, itaq; ne ista felicitas infortunio permutet, velle se voluntariam mortem subire. Ita videmus in ipso successu, homines animis quietis esse non posse, si desit vera pietas.

Iam verò cum DOMINVS vitam omnium hominum, bonis malisq; misceat, quomodo ea quæ tristia sunt, ferent impij, cum secunda æquo animo ferre non possint. Sed pij qui timore DOMINI erudiuntur, sciunt non esse sibi præcisam felicitatem, si tristia & molesta nobis in œconomicis eueniant, sed illa esse exercitia ad pietatem, à DOMINO nos corripi, ne cum hoc mundo pereamus: denicq; cum Dauide possunt dicere, bonum est DOMINE quod humiliasti me vt discam statuta tua. Hæc in genere dicenda fuerunt, vt intelligeremus, non in ipsis rebus, sed in vera pietate, in timore DOMINI, œconomiæ, imò totius vitæ nostræ, omnisq; felicitatis, fundamenta esse collocanda.

2. *Laborem manuum tuarum quia comedes, beatus eris & bene erit tibi.*

Prima œconomiæ commendatio sumpta à laboribus. Sed quæ (inquit) est commendatio: laborem sanè fugiunt omnes, quomodo ergo inde materiam laudis

dis & commendationis ſumit Pſaltes? Rectè ſanè: Nam œconomia malè audit propter labores, itaq; vt hominibus quærentibus ocium & ignauiam reſponderet, & ſimul etiam commendaret hoc vitæ genus, refutationem & laudationem coniungit: Nam hoc vnico verſu docet, falſam eſſe eorum opinionem, qui rationes œconomicas damnant propter moleſtias: nam labores & victum ſuppeditare, & eum quidem cum quadam ſuauitate vitæ coniunctum. Nam hunc verſum ſic fortaſsis quis reddere latinis verbis poſſet.

Beatos dixi œconomos, timentes DOMINVM, & ſequentes eam, quam monſtrat viam, ſed huic meæ commendationi ij, qui ignauo & illiberali ocio ſunt dediti, obijcient, moleſtias, occupationes, labores & difficultates, quæ in hoc vitæ genere cernuntur. Nam qui œconomi eſſe volunt, certè curis laboribusq; conficiuntur, & tot moleſtias deuorant, vt eas recenſere prolixum ſit. Ego verò contra, propter illos ipſos labores, eos beatos & felices dico, quia etſi in corporis atq; animi contentione aliquid ponendum eſt, tamen pij victum & neceſſaria ex quotidiano labore habent, deinde etiam laborum & ciborum præclarum condimentum eſt, ſi quis ſciat ſe in eo vitæ genere verſari, quod Deo probetur, & ex ſuis laboribus viuere.

Diſcant ergo omnes homines labores nobis ab ipſo DOMINO commendari, iubet enim hoc loco vt manibus laboremus. Neq; hoc intelligamus duntaxat de ijs quæ viribus corporis perficiuntur, ſed artibus etiam illis, quæ ab induſtria & ingenio proficiſcuntur. Multa enim præclarius ad hominum ſocietatem fiunt ingenio elaborata perfectaq; induſtria, quam robore

robore corporis. Aliâs enim inter ociosos collocandi essent, qui Euangelium docent, qui legum sunt interprætes, qui naturas rerum scrutantur & explorant, quorum in numero & medici sunt & Philosophi. D. certè Paulus Timotheũ ab omnibus laboríb. reliquis curísq; auocat ad militiã cœlestem illam, hoc est, occupationes Ecclesiasticas: labora inquit, sicut bonus miles Iesu Christi. Quo loco vocabulo laboris Apostolus intelligit intentionem animi curamq; quæ in rebus Ecclesiasticis ponitur. Sic magistratuũ etiam occupationes, rectè labores appellantur, de quibus præclarè dixit Cicero, si quis neget eos laborare, non minus ineptum esse, quàm qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicat, cum alij malos scandant, alij per foros curſitent, alij sentinam exhauriant, illi autem clauum tenentes sedeant in puppi quieti, non faciant ea quæ agricolę & opifices: ac verò multa maiora & meliora faciant. Quare à benedictione quæ hoc loco proponitur, excludendi minimè sunt ij quibus ingenium pro manu est. Verùm cum in œconomicis labores ferè contentione virium corporis fiant, discant pij, non debere nobis graues videri, cum voce DOMINI optimi rerum omnium οἰκονόμου, nobis præscribantur, quam enim præclarum est scire, te ad laborem tuum mandato DOMINI vocatum. Nam qui laborem iniunxit, is etiam laborantibus aderit, & victum ac necessaria suppeditabit, quod emolumentum vno verbo Psaltes expresit, laborem (inquit) manuum tuarum comedes, quasi diceret, victum habebis & amictũ, eamq; benedictionem DOMINVS tibi largietur. Hinc sapientissimus Regum Solomon Pro-

uerbiorum 12. inquit, qui colit terram ſuam ſatiabitur pane: per agriculturam autem alios quoq; labores intelligit κατὰ τὴν συνηδοχὴν quæ ſcripturæ ſacræ familiaris eſt. Ita Paulus etiam ſuos Theſſalonicenſes adhortatur. Rogamus (inquit) vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negocium agatis, & operimini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, & ipſe etiam Apoſtolus quamuis liceret ei ex Euangelio viuere. (Neq; enim boui trituranti os obturandum eſt) tamen manibus ſuis, & quidem noctu victum quærebat, ne cui moleſtus eſſet. Neceſsitatibus (ait) meis, & eorum qui mecum ſunt, miniſtrant manus hæ. Et 1. Cor. 4. laboramus operantes propriis manibus. Et 1. Theſ. 2. Meminiſtis fratres laboris noſtri ac ſudoris, nocte enim ac die opus facientes, ob id ne cui veſtrũ eſſemus oneri prædicauimus apud vos Euangelium Dei. D. etiam Auguſtinus monachos, qui ocium ignauum quærebant exemplo Apoſtoli ad laborem eſt adhortatus. Econtrà Paulus ignauis & ocioſis cibum & alimenta negat. Cum eſſemus apud vos hoc præcipiebamus vobis vt ſi quis nollet operari is ne ederet. Videmus ergò laborem iniunctum, vt inde victum habeamus, quæ certè maxima eſt benedictio DOMINI. Debemus etiam partem laborum noſtrorum & victum vxori & liberis. Etenim cum auiculæ animalia ſuis pullis paſtum quærant, quam turpe eſſet, hominem nulla ſuorum cura affici. Labores ergò nobis eam quoq; affe-

1. *Theſ.* 4.

Act. 20.

2. *Theſ.* 3.

Auguſtinus in lib. de opere monachorum.

2. *Theſ.* 3.

runt vtilitatem, vt noſtros, qui nobis non minus quàm corpora noſtra chari ſunt, alere poſsimus. Apoſtolus & aliam vtilitatem oſtendit, cum Theſſaloni-

cenſibus

censibus scribens laborandum esse dicit vt honeste 1. *Thes.* 4.
possit viuere. Nam ocium & ignauia multorum vitiorum est mater. Deinde qui non habent quod Hesiodus scripsit βοῦν ἀροτῆρα bouem aratorem, hoc est, prouentus vnde viuant, isti ad inhonestas & turpes quærendi victus rationes à Diabolo solicitantur, vt alijs suum eripiant vi, aut furentur: Nam prodigalitas fundum non habet, & ij, qui sumptum quotidie faciunt, nec laboribus eum comparant, mox ad paupertatem rediguntur, aut certè animum ad flagitia adijciunt. Hoc voluit Paulus Ephesijs scribens. Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est: vt habeat vnde tribuat ei qui opus habuerit. Duo commoda laboris Apostolus coniunxit, vnum ne in flagitia & furta prolabamur & addidit alterum, vt egenis possimus largiri. Nam & pauperes in partem laborum nostrorum veniunt, quia sunt membra vnius corporis, sub capite Christo. Itaq; de reliquijs quæ pauperibus & peregrinis in agris debebantur, & septimo anno, vbi terra quiescere & seruire pauperibus iubebatur, feria DOMINI mandata extant. Sed non solùm honesti labores victum nobis & ijs, quibus debetur, suppeditant, sed etiam afferunt magnam suauitatem, ideo addidit Psaltes, ET BENE TIBI ERIT. Promittit Spiritus sanctus cum victu suauitatem vitæ. Nihil enim est dulcius quàm partis frui in quiete. Nam ocium & profusio paupertatem creant: aderit (inquit Solomon) ei paupertas vt viator, & defectus tuus tanquam vir scutatus. Hoc est ignauos, præter opinionem opprimet paupertas, vt tabellarius non expectatus & *Ephes.* 4.

quidem tanta vi te inuadet, vt armato ſimilis eſſe videatur. Nam qui æs alienũ faciũt, creditoribus cõcurrentibus & exigẽtibus credita in ſuma perturbatione animi verſantur, item ętate iã ingraueſcente cũ morbi miſeriæ q̃ (vt Poëta egregiè cecinit) ad tuam ſenectutem, tanquã ad aram confugiunt, cum deſint neceſſaria, in anguſtijs ſummis verſaris, ſed qui laboribus iam quæſierunt neceſſaria, iſti quieti viuunt, & incommoda ſenectutis facilius ferunt. De iſta quiete D. Paulus loquitur 2. Theſ. 3. Vt cum QVIETE operantes ſuum ipſorum panem edant. Ad priores ſuauitates accedit etiam conſcientia bona. Nam cum ea teſte Solomone ſit iuge conuiuium, certum eſt eos qui laboribus neceſſaria quæſita habent, gemina voluptate perfundi: vna, quod neceſſarijs non deſtituantur, altera, quòd ſciant ſe non fraudibus, non aſtu, & circumuentionibus iſta paraſſe. Habent etiam eam conſolationem ſua bona fore diuturna. Qui congregat in-
Pro. 13. quit Solomon diuitias manu, multiplicabit eas. Quid quod & ipſi labores pijs œconomis ſuauitatem affe-runt. Nam vt præteream reliquos, quas & quam honeſtas voluptates agricultura affert (artium vt præclarè ſcripſit Auguſtinus innocentiſſima) cuius oblectationes tantæ ſunt, vt magni etiam principes in iſtis conſeneſcere voluerint, quarum laudes prolixè & eleganter perſecutus eſt Cicero. Certè labor primis parentibus mandatus, in ſtatu innocentiæ, vt in Paradyſo operarentur, & cuſtodirent eam (ſic enim ſcriptura loquitur) non fuit coniunctus cum moleſtia, ſed exercitium iucundiſſimum. Etſi autem nobis hodie in ſudore vultus laborandum eſt, tamen homines pij

Aug. de Hereſibus ad quod vult.

Gen. 2.

multum

multum voluptatis ex ipso labore, præsertim autem agriculturæ percipiunt, vt dictum est.

3. *Vxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ.*

Cum in œconomia matrimonium castum & pudicum, principem quasi locum obtineat, & in suscipiendis laboribus curisq; domesticis vxor marito sit socia (vt postea dicetur) optimo ordine prioribus subiunxit eam, quæ viro in sustinendis curis molestijsq; œconomicis adiutrix est: vt ostendat, quantum præsidij habeant boni & honesti œconomi. Certè matrimonium in hoc vitæ genere, quod domesticum siue œconomicum appellamus, excellit. Commendat autem matrimonium duabus rationibus, primò, ab ijs ornamentis & commodis, quæ ab vxore ipsa proficiscuntur, deinde voluptate, quæ ex liberis percipitur. De liberis postea dicemus. Vxor autem hoc loco appellatur אשה & plerunq; conditionis, nomen est deductum ab אוש quod feminam siue viraginem significat. Vt autem Propheta id etiam clarius proponeret, addit possessiuum, T V A: quo individuam mariti, & vxoris consuetudinem, & possessionem illam mutuam, qua & maritus vxorem habet, & ab eadem habetur, significare voluit. Egregia verò commoda sancti, & pudici matrimonij similitudine vitis illustrauit.

Aliud (inquit) præter id quod dixi etiam in œconomia commodum est, & ornamentum, coniugium honestum. Quanquam enim domus & diuitiæ here- *Pro. 19.*

ditate à parentibus nobis obueniunt, tamen vxor commoda, præcipuum Dei est donum, quam ego rectissimè viti fructiferæ comparauerim, quæ in lateribus domus hæret, ea enim vt se erigat clauiculis suis, quasi manibus parietem, quem est nacta, complectitur, imò totam domum sua viriditate vestit, & in omnes partes funditur. Deinde autem fructibus suis, quibus nec aspectu quid pulchrius, nec lætius esse potest, maiorem in modum eam commendat, & exornat. Ita pulcherrimum in matrimonio vxoris maritiq; est vinculum, & ea coniunctio quæ vtrisq; & ornamento est, & vtilitati, vt & vxor radijs mariti coruscet, & eiusdem honori studeat, si quæ sint celanda celet, excusset, in laboribus adminiculo sit, in calamitatibus societatem doloris & miseriarum subeat, denicq; marito noua sobole exhilaret, quo sanè fructu nihil optatius honesto viro accidere potest.

Cum hoc loco non hominem, sed per hominem Deum nobis loquentem audiamus (Nam Spiritu DOMINI edocti sancti illi viri vaticinati sunt) Is autem matrimonium nobis commendet, & tantis ornamentis afficiat, quis est qui de eo non præclarè sentire debeat. Multa sanè ab Ethnicis, nonnulla etiam à scriptoribus Ecclesiasticis contrà sexum muliebrem scribuntur. Sed si hæc ad vniuersum genus referre voluerimus, quomodo vox diuina, quæ hoc nobis carmine proponitur, locum est habitura? Sed si ijdem commendationes etiam coniugij habent, & eas quidem non vulgares, iudicemus eos calore ingenij, & quod tum suo instituto seruientes infelicia coniugia, & mulieres improbas describerent, longius fuisse profectos. Certè is,

tè is, qui cuilibet bono, hoc loco vxorem ſuam commendat, illud ipſum vitæ inſtitutum non modo ſua voce confirmauit, verumetiam id ſibi placere creatione maris & fœminæ teſtatus eſt. Non (inquit) bonum eſt hominem eſſe ſolum. Quod ſi ſolitudo in humano genere, magno illi opifici, tum non placuit, cum natura noſtra nullam adhuc labem peccati concepiſſet, quis dixerit hodie in tanta corruptione virium, vbi non modo propter moleſtiam ſolitudinis, ſed medicinam etiam, eo præſidio (teſtante Apoſtolo) nobis opus eſt, hoc vitæ genus ei diſplicere? Et ne fortè quis credat, propter grauiſſimam illam ruinam rerum humanarum, Deum optimum maximum ſuam ſententiam mutaſſe, aliterq; erga coniuges quàm initiò fuerat affectum eſſe, is ſapientiſsimum illum Solomonem audiat, affirmantem domum & ſubſtantiam hereditatem eſſe parentum, à DOMINO vero eſſe vxorem prudentem. Videat num Iſaaco illi magno fortuito, an DOMINO largiente vxor commoda contigerit. Nam de Tobiæ nuptijs nihil dico, cum ea à doctiſsimis, non hiſtoria, ſed ſancta comędia eſſe credatur. Quamuis & ijs qui iſta conſcripſerunt, id propoſitum haud dubiè fuerit, non niſi Dei beneficio felix matrimonium nobis contingere. Certè filius Dei, qui nos patri reconciliauit, non nuptijs interfuiſſet, non primo miraculo nouos coniuges honoraſſet, non diuortia temeraria damnaſſet, non ſponſi, & nuptiarum ex ipſis nuptijs nomen fuiſſet mutuatus, niſi iſta vitæ conditio ipſi & placuiſſet & ſuum fauorem etiam, beneuolentiamq; pijs coniugibus declarare voluiſſet. Quid, quod DOMINVS eos homines, qui in coniugio fuerunt, non

1. Cor. 7. *Pro. 19.* *Lutherus.* *Matth. 19.* *Pſalm. 18.* *Matth. 22.* *Matth. 25.*

non modo in colloquium, sed propè in familiaritatem (vt ita loquar) admisit. Mosen, Aaronem, Apostolos. Autor enim D. Ambrosius est, omnes Apostolos, exceptis Ioanne & Paulo, maritos fuisse. Amplissima autem matrimonij commendatio est, quod idem Apostolus scribit, honorabile esse inter omnes coniugium, & cubile impollutum, quo, quid potuit magis amplum ad summam commendationem coniugij adferri? Verum Spiritus sanctus, qui hoc loco vxorem vitem vocat, tacitam laudem honestæ vxoris exprimere voluit. Non enim spinis, rubo, aut infelicibus alijs fruticibus confert, sed ei, qui cæteros omnes nobilitate, & præstantia vincit, vt his verborum integumentis doceret (id quod postea Solomon scripsit) Qui inueniat vxorem, inuenire rem bonam, idq; esse beneuolentiæ fauorisq; diuini singulare indicium. Præterea noster Propheta, cum vitibus vxores confert, monere etiam voluit maritos, ne vxores propter imbecillitatem, vitia, morbos & alia incommoda negligant, nam & vites, si earum fragilitatem, si nodos, si quam ad nullius ædificij structuram sint idoneæ, spectes, omnibus reliquis fruticibus & arboribus postponendæ viderentur: sed cum ex ipsis humor tam præcios⁹ expectetur, omnibus ferè reliquis ex terra nascentibus præferuntur, ita incommoda quæ in illo sexu cernuntur maximis commodis, quæ ab eodem proficiscuntur, compensanda sunt, qua de re D. Petrus maritos admonet: Viri cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi muliebri, impartientes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, &c. Vxores autem vicissim suam imbecillitatem agnoscant,

Amb. in Com. 2. *Cor.* 11. *Heb.* 13. *Pro.* 18. 1. *Pet.* 3.

scant, maritisq; sint subditæ, scientes virum esse caput vxoris, quemadmodum & Christus caput est Ecclesiæ. Sed ne hoc quidem oscitanter prætereundum est, Prophetam dicere domum totam pampinis vestiri. Qua similitudine initio castum coniugum amorem, concordiam, summamq; coniunctionem depingere voluit. Nam vt vitis parietem domus complectitur, & vicissim paries vitim sustentat: ita inter coniuges mutuus amor, & officiorum communicatio esse debent, ad quæ D. Apostolus pios maritos adhortatur, vt exemplo Christi amantis Ecclesiam suam, ipsi vxores suas ament, & apud animos suos cogitent, testimonio ipsius creatoris marem, & fœminam vnam esse carnem. Cum ergo nemo vnquam sua membra odio sit persecutus, indignũ facinus esse, si quis vxorem negligat. Et Paulus Colossensibus scribens, prohibet omnem maritorũ aduersus vxores amarulentiam. Quid, quod ne propter religionem quidem coniugum discessionem, & diuortia approbauit? Solomon etiam, & Syracides in Apophtegmatibus suis, siue γνώμαις, multis locis concordiam, & dilectionem coniugum præcipiunt. *Ephes. 5.*

Iam verò, in illa pulcherrima imagine, vxoribus etiam sui officij ratio præscribitur. Etenim vitis, quæ ad proximum parietem enata, clauiculis suis se sustentat, nunquam à domo discedit, & insuper etiam viriditate sua eum vestit. Sic studeant vxores, vt ornamẽto sint, & marito, & familiæ vniuersæ, domi maneant, sua curent, nec, quod Solomon prostituti pudoris inditium esse vult, hinc inde vagentur. Hoc Apostolus vult, discipulo suo scribens, cum dicit, eas debere esse *Tit. 2.*

οἰκουρούς, hoc est, custodes domus. Hoc Phidias significare voluit, cum venerem testudinem calcantem pingeret.

Sed inter ornamenta mulierum pudicitia, & modestia nullum est maius, & præstantius, vt quemadmodum vitis à suo pariete, ita ipsa à casto & pudico amore mariti nunquam auellatur, quæ si salua esse debeat, sobrietatem & temperantiam comitem requirit. D. Paulus in Epistola ad Titum eas virtutes pudicitiæ nomine intelligit, in posteriore autem ad Timotheum modestiam, & sobrietatem requirit. Hanc muliebris sexus virtutem D. Hieronymus tantam esse dicit, vt vxores maritorum præstantissimorum gloriam, vel vicerint, vel adæquauerint. Itaq; si quæ vera vitis esse, & pulcherrima viriditate domum ornare voluerit, eam oportet hac virtute inprimis præditam esse, qua amissa, si reliqua omnia adsint, forma, nobilitas, diuitiæ, nullo loco habenda est.

Tit. 2.

Hiero. con. Iouianum lib. 1. cap. vltimo.

Præterea vitis, quamuis aliâs fragilis, tamen latitudine pampinorum pluuias à parietibus arcet, & cum alibi, tum verò in vestibulis gratissimam vmbram præbet. Ita bonæ matresfamiliâs, rem familiarem & conseruant & augent, parum enim labores mariti foris in rure prodessent, nisi consilio muliebri parta domi conseruarentur. Itaq; Solomon sapientissimus nõ dubitauit in eo genere mulierculis laudem sapientiæ tribuere: Sapientia, inquit, mulierum ædificat domum. Et Prouerbiorum vltimo, confertur fœmina industria naui onerariæ, quæ varias merces, & opes aduehit, quia illa & cibum & vestem sibi, marito, & familiæ paret, prædia coëmat, denicq; sit mariti ornamentum

Pro. 14.

mentum. D. autem Ambrosius præclarè dixit, in ma- *Amb. lib. de*
rito & vxore œconomiam perfici, eumq; qui sine v- *pace cap. 11.*
xore sit, haberi quasi sine domo sit.

Restat postrema, & præcipua laus honestæ coniugis, fœcunditas & proles. Neq; enim Spiritus sanctus sterilem vitem pampinis duntaxat, & sarmentis se ostentantem, nobis proponit, sed, FRVCTIFERAM. Nam vt vite nihil est suauius, nec aspectu lætius, ita liberi (de quibus postea dicetur) dulcissima sunt pignora, quibus non solùm parietes exhilarantur, sed Respublica, & Ecclesiæ conseruantur, & ornantur. Nam si, quę est conditio rerum humanarum, fragilis, & caduca, non instauraretur subindè fœcunditate nuptiarum, paucis annis nec domos nec Rempublicam nec Ecclesiam essemus habituri. Itaq; Augustinus nõ *Aug. de bono*
dubitauit dicere, id quod cibus sit ad salutem homi- *coniu. lib. vno*
nis, id esse consuetudinem coniugalem ad salutem ge- *cap. 16. Et Re-*
neris. Et Patres quamuis in laudanda virginitate ita *tract. lib. 2.*
elaborent, vt interdum nimio studio prouecti, à con- *cap. 22.*
uicio nuptiarum parum absint: tamen viderunt, nec domos nec Rempublicam, nec ipsam, quam laudabant, virginitatem consistere posse, nisi beneficio coniugij sartæ tectæ maneant. Quorum multa egregiè dicta proferri possent, sed sufficiat vnum duntaxat D. Ambrosii produxisse. Qui inquit: Copulam damnat, *De virg.*
damnat & filios, & ductam per successionem seriem, *lib. 1. 93.*
generis societatem damnat humani. Nam quomodo duratura in sæculum ætas succedere posset ætati, nisi gratia nuptiarum procreandæ studium sobolis incitaret? Et paucis interpositis cõcludit. Paucarum quippe hoc (intelligit autem virginitatem) munus est, il-

lud omnium, NEC POTEST ESSE VIRGINITAS, NISI HABEAT VNDE NASCATVR. Procreatio ergo liberorum, & eorundem educatio, ab ijs etiam, qui celibatus nimij fuerunt laudatores, commendatur. Imò D. Apoſtolus doctrinam demoniorum, hoc eſt, Diabolicam vocat eam, quæ parum honorificè de nuptijs loquitur. 1. Tim. 4.

Sed qui parum ſunt æqui cenſores coniugij, ita de eo loquuntur, ac ſi caſtitatis in eo iacturam faceremus. Itaq; eos, quos ad perpetuum celibatum aſtringunt iuramento, ad votum caſtitatis adigunt. Quaſi verò non matrimonium ob eam ipſam cauſam inſtitutum ſit, vt piè caſtèq; viuamus? Neq; enim dormitabat Apoſtolus, cum ſcriberet Corinthijs, propter ſtupra vitanda ſuam quemq; vxorem habere debere, & ſuum quamlibet maritum. Quem Apoſtoli ſermonem pulchrè imitatus D. Auguſtinus, in ijs libris, quos de Geneſi ſcripſit, inquit. Vtriuſq; ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis poſsit eſſe officium, ſit ægrotis remedium. Idem etiam autor teſtatur Epitheton adiutorij, quod DOMINVS in Geneſi iſti ſexui tribuit, potiſsimum de coniunctione honeſta, quæ procreationis cauſa ſuſcipitur, intelligendum eſſe. Quid multis, magna Eccleſiæ lumina veram caſtitatem honeſtis nuptijs definiuerunt, vt Paphnutius qui ſua voce in concilio Niceno matrimonium ſacerdotum propugnauit, & reliquos quamuis ante diſſentiſſent, in ſuam ſententiam pertraxit. Et Chryſoſtomus primum caſtitatis gradum ſynceræ virginitati, ſecundum fideli coniugio tribuit. Auguſtinus etiam

1. Cor. 7.

Aug. de Ge. ad lite. lib. 9. cap. 7

Hom. de Inuen. crucis.

in li-

in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ, capite vltimo, & in sermone de natali DOMINI, & de nuptijs, & concupiscentia lib. 1. cap. 3. & castitatem, & pudicitiam coniugibus ascribit, quod & Hieronymus Damaso scribens imitatus est. Hæc ergò, & sacrarum literarum, & patrum testimonia ostendunt, isti honestissimo ordini indignam iniuriam fieri, si à vera castitate abesse dicatur. Quid, quod D. Augustinus piorum nuptias, ab omni libidinis opinione liberat. Non sunt, inquit ista sine delectatione carnali, quæ tamen modificata & temperantia refrenante in vsum naturalem redacta LIBIDO esse non potest. Quemadmodum ergo vitis illa, de qua Psaltes loquitur, parietem, hoc est, maritum exornat, & in reliquis vitia eius tegit, ita certè medicina est ei imbecilitati, quam à primis parentibus hereditariam habemus, & præterea etiam dono fœcunditatis nobilitatur. Sed de prole, & liberis altera pars huius versiculi concionatur. *Lib. Retract. 2. cap. 22.*

Et filij tui sicut plantationes olearum in circuitu mensæ tuæ.

4. *Ecce sic benedicetur homo qui timet DOMINVM.*

Præclarè hic Psalmus hactenus bonæ castæq; vxoris encomia, similitudine vitis depinxit. Quanquam autem (vt diximus) vuæ pulcherrimi lætissimiq; vitium fructus, liberos significant, tamen Spiritus sanctus contentus non est vna pictura, sed alteram etiam non minus iucundam, & significantem de oleis in circuitu mensę affert, vt magnam coniugij laudem, quam in procreatione liberorum habet, nouo ornamento

cohoneſtaret. Nam & vtilitatem, & ſuauitatem eam, quam liberi ingenui, & non degeneres parentibus aſferunt, breuius & ſignificantius quàm hac ſimilitudine exprimere non potuit: Habet (inquit) matrimonium non ſolum eas ſuauitates, de quibus dixi, ſed alias quoq; quas ex liberis percipiunt. Nam magni quidem Princeps, cum ambitioſius menſas ſuas extruunt, non modò varietate ciborum, & multitudine epularum eas onerant, ſed ſedilia pulcherrimo textili, ſtragulo, magnificis operibus facto, veſtibus acupictis exornant, incenduntur odores, adſunt coronæ, ſpargunſtur flores, & vt palatium amœnitatem & viriditatem ſyluarum imitetur, frondes ex pulcherrimis arboribus auulſæ diſponuntur. Ita fit, vt non ſolum lautiſſimo apparatu epularum ſe reficiant, ſed etiam oculos paſcant, nares oblectent. Longè autem maiorem voluptatem Paterfamiliâs plebeius etiam ſentit, cum circa menſam, vel ſedere, vel ad obſequia parentibus præſtanda, aſtare chara illa pignora videt, non ſic illa oblectaretur, ſi quotidie oleas directo pulcherrimoq; ordine diſpoſitas, in circuitu menſæ haberet: imò verò iſtæ ſunt iucundiſsimæ oleæ, quę per ſucceſsionem immortalitatem (qualis quidem in hominum propagatione eſt) promittunt, pulcherrimos fructus obedientiæ, & eorum obſequiorum, quæ ab ipſis tum proficiſci poſſunt, offerentes, dum filij ad nutum parentum parati ſunt: imperium non recuſant, monita ſequuntur. In poſterum etiam ſpem facientes parentibus, fore, vt & in Repub., & Eccleſia ipſis defunctis ornamento ſint. Quod ſi poſſunt etiam illi rerum præclarè à liberis geſtarum, eſſe ſpectatores, nulla tanta

eſt,

est,vel pratorum, vel hortorum amœnitas, nulli tanti regalium conuiuiorum apparatus,quos illi cum hac sua voluptate comparare velint. En hoc modo DOMINVS pios homines beat, his tantis beneficijs eos afficit, quæ quamuis apud impios in contemptu sint: tamen ingentia & præclara DOMINI sunt dona. Etenim si orbitas malum est, necesse certè est ἐνπαιδίαν benedictionem esse DOMINI

Dubium non est,Prophetam hæc & alia quam plurima pictura olearum voluisse intelligi. Nam cum nemo non videat, quàm dextrè honesti coniugij laudes in vite domus parietes complectente, expressæ sint, quis crederet hanc alteram sine causa, aut temere adiectam esse? Nouerũt omnes Oleam inter præstantissimas arbores numerari, nam, teste Plinio, cariem & vetustatem non sentit, ita vt annos etiam ducentos viuere perhibeatur. Non potuit ergo breuius, & diserti*us* laudem propagationis & conseruationis generis humani, quę in matrimonio est, proponere, quàm huius arboris adumbratione. Nam in liberis parentes viuunt, & mirificè afficiuntur, dum suos vultus, quos adolescentes gesserunt, in filijs conspexerint, & vt dictum est, hac vna via, velut immortalitatem quandam meditatur naturæ prouidentia, imò verò, Deus ipse, dum sic aliud ex alio propagat, vt quemadmodum arbores excisæ repullulant, ita parentes mortui in liberis renascantur, & mortui sanè esse nõ videntur, quorum & faciem & mores & ingenia in filijs agnoscimus. Hæc certè omnia Spiritus sanctus, cum Oleam duntaxat nominat, nos intelligere voluit. Sed Olea etiam eos fructus profert, qui & cibis condiendis medicinis

Plin. Nat. Hi. lib. 16. cap. 40. & vltimo.

dicinis ſunt idoneæ, cuius rei accuratior meditatio ad medicos, & eos, qui naturas rerum ſcrutantur, pertinet. Sed quàm amplum fructum & oblectationis & innumerabilium commoditatum afferant, boni & obedientes liberi, ſupra in paraphraſi attigimus. Certè infantes pueri ſæpè grauiſsimos viros, cum à moleſtijs curisq; laxare animum volunt, ita oblectant, vt laborum & triſtitiæ obliuiſcantur. Quàm grata parentibus prima puerorum linguæ hæſitantia, quàm grata colloquia, in quibus etiam puerilis error, dum parentibus ſubijcere, quæ per ætatem nondum aſſequuntur, volunt, gratiam & commendationem habet. Taceo eos liberos, qui iam ad vera obſequia parentum ſe componere poſſunt, dum vel Scholas viſitant, vel domeſticarum operarum ſe ſocios parentibus adiungunt, dū ętate prouectos parentes iuuant, vicariam operā præſtant, cura diligentia & obedientia ſua imperiū parentum præueniunt. Quid? quod alere etiā iam viribus deſtitutos, & vt præclarè à Græcis dicitur, τὰ θρεπτήρια ἀποδοῦναι καὶ ἀντιπελαργῆσαι ſtudent. Itaq; magnus ille Epaminondas, ex omnibus quæ præclarè & honeſtè geſsiſſet in vita illud dicebat ſibi iucundiſsimum, quod vtroq; parente viuo Leuctrica pugna viciſſet Lacedæmonios. Intellexit enim vir optimus, & ſapientiſsimus nullum ſpectaculum parentibus ſuis iucundius potuiſſe accidere, quàm quod viderent filium victorem. Sed hanc ſuauitatem & pulcherrimos fructus quos ex liberis percipiunt parentes Spiritus ſanctus paucis, ſed ſignificantibus verbis effert cum
Pro. 10. dicit: Filius ſapiens lætificat patrem, filius ſtultus mœror matri ſuæ. Per lætitiam autem Solomon omnem

oblecta-

oblectationem, quam parentes à liberis habent, intelligit. Quæ cum ita sint, neq; quaquam audiendi sunt, qui hoc vitæ genus vt abiectum & miserum cõtemnunt, & de industria multa colligunt, quibus ab honestis nuptijs homines deterreant: quasi verò sit vllum vitæ institutum, quod non suas molestias, & difficultates habeat: damnent ergo omnes vocationes, aut certè coniugij laudes obscurare nõ conentur. An ex eo, quòd hoc loco benedictionem DOMINI Spiritus sanctus esse dicit, facient maledictionẽ, & id quod DOMINVS sanctificauit, ipsi cõmune & prophanum dicent? Præterea cum hoc loco arboribus & maximè Oleæ comparentur liberi, parentibus etiam mandatur, cura & diligentia in regendis puerorum moribus. Nam cum arbores singulari studio plantemus, & putatione etiam, cum opus est, vtamur, cur non maiori industria illas charissimas Oleas & plantulas conseremus & purgaremus, quod officere ipsorum moribus intellexerimus? Quanquam enim post summam ea in parte attentionem, & curam disciplinæ exquisitissimam, interdum liberi nostræ voluntati non respondeant: tamen Spiritus sanctus honestos parentes, ad eam curam multis locis cohortatur, & ostendit, quod in ea plurimum sit situm. Prouer. 29. Virga atq; correctio tribuit sapientiam, & puer sibi dimissus confundit matrem. Et rursus: Castiga filium tuũ, & quietus eris, & dabit delitias animæ tuæ. Prouer. 19. Castiga filium tuum, quando est spes, & ad clamores eius non auertas animam tuam. Et Syracides cap. 7. Pecora sunt tibi attende illis: si sunt vtilia perseuerent apud te. Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia

eorum. Cum dicit, curuandos esse filios, haud dubie ad arborum culturam respexit, quæ incuruatæ si senescant, redigi ad rectitudinem non possunt, sed dum adhuc teneræ sunt, hortulani manum & industriam admittunt. In tota autem ista ratione educationis diligens est danda opera, vt primis annis iuuentutem ad fontes sacrarum literarum deducamus, & summa cura eis proponamus, quæ ad vltimam vsq; senectutem eos tenere voluerimus. A' teneris enim assuescere multum est. Et Moses parentibus seueriss imè præcepit, vt diligentiam suam acuant, liberosq; à primis cunabulis ad rudimenta pietatis assuefaciant. Cum autem ista dicuntur, multa obijciuntur, quibus equidem in præsentia respondere nimis esset longum: sed afferuntur in medium inobedientes liberi, & Heroũ filij qui raro parentum virtuti & industriæ respondent: παῦροι (inquit Homerus) γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ φέλονται οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους, id est, Æquat rara patrem soboles, sed plurimi ab illis degenerãt, pauci superant probitate parentem. Quod si hæc, ipsa docet experientia, quomodo locum habebit clausula, quæ sequitur: Ecce sic benedicetur homo, qui timet DOMINVM. Cuius versiculi hæc est sententia. En tantis ornamentis & commodis DOMINVS afficit verè pios, & timentes DOMINVM.

Erunt ergo, inquiunt, infelices ij qui aut liberis carent aut quibus degeneres & improbi nascuntur? In veteri sanè testamento proposa fuit sterilitas, propter benedictum semen, quod expectabatur, sed videmus multos magnos & præclaros viros, aut sterilia omnino habuisse matrimonia, aut certè liberos non obse-

quentes

quentes, & probos habuisse. Notandum autem est, DOMINVM non omnia bona in vnum hominem conferre. Neq; is infelix dicendus est, cui non omnia ex animi sententia succedunt, aut quem DOMINVS nõ omnibus donis ornauit. Diuisiones donorum sunt Spiritualium, vt Paulus loquitur, sed is non est miser, qui vno aut pluribus est destitutus. Nam vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad id, quod expedit. Quod si in prȩclaris illis donis vnius defectus hominem non facit miserum, multò minus ea, quæ ad propagationem carnalem attinent, vitam & virtutes sanctorum obscurare possunt. Videmus autem in historijs, DOMINVM fidem piorum exercuisse, & postea magno fructu, & cumulo omnem ipsorum animi perturbationem compensasse: vt Abrahamum & Zachariam, qui ambo steriles vxores habuerant, in extrema senecta noua sobole exhilarat. Quæ ratio quamuis hodie non in omnibus obseruetur, tamen pijs & credentibus maioribus donis ista compensat. Sic & de parum obsequẽtibus liberis iudicandum est. Quamuis enim pijs parentibus ad acerbitatem summi luctus, vix aliquid aliud grauius possit accidere, quàm illud ipsum: tamen certum est, DOMINVM hac quoq; molestia ad summas piorum vtilitates fuisse vsum, vt luculenter nos historia Dauidis, & Absolonis filij docet: Bonum est, inquit Dauid, quod humiliasti me DOMINE. Agnoscit sanctus Propheta, hæc crucis exercitia multum habere ponderis, ad veras vitæ rationes, & pietatem. Deinde quòd DOMINVS non semper ex bonis parentibus ingenuos nasci sinit, vult docere, pietatem, & probitatem liberorum non esse ascribendam 1. Cor. 12.

nobis, ſed ſibi omnium bonorum largitori. Nam (vt recte ſcripſit D. Auguſtinus) parentes non gignunt ex ea parte, qua renati ſunt, ſed qua ſunt adhuc veteris Adami membra. Cum autem vetus noſter homo ſit corruptus, & alat concupiſcentiam, quæ eſt inimicitia aduerſus Deum, fieri non poteſt, vt non & liberi deprauationis illius labem contrahant. Quod pa-
Pſalm. 51. lam Propheta Dauid teſtatur, cum iniquit, ſe in iniquitatibus eſſe conceptum. Deinde, quanquam in vera iuuentutis inſtitutione diligenter elaborandum eſt: tamen & in eo ſciamus, nos omnem operam eſſe luſuros, niſi DOMINVS dederit incrementum. Itaq; quotidie orandus Deus eſt, vt in negocio tam arduo & neceſſario clementer nobis adeſſe velit.

5. *Benedicet tibi DOMINVS ex Zion, & videbis bonum Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.*
6. *Et videbis filios filiorum, pacem ſuper Iſraëlem.*

Recenſuit hactenus Pſaltes ea bona, quæ piorum œconomorum & Patrumfamiliâs ſunt propria, ſucceſſum in laboribus, felicitatem in matrimonio, ἐυτυχίαν. Nunc his coniungit præcipuè ea bona, quæ, & publica ſunt, & pluribus communia: oſtenſurus, eos nequaquam ab his excludi, quia ſint occupati rebus domeſticis, ſed in ſocietatem illorum cum omnibus bonis venire. Recenſet autem quatuor genera. Primùm, bona Eccleſiaſtica, ſiue Spiritualia, hæc intelligit per benedictionem ex Sion, qualia autem illa ſint poſtea dicetur in paraphraſi. Deinde promittit etiam politica, cum Ieroſolymarum mentionem facit, & addit

dit amplificationem à tempore, illa bona duratura to-
to vitæ curriculo. Postea, & posteritatem, & diutur-
nitatem vitæ pollicetur. Postremò felicitatem in vni-
uerso Israëlis imperio, quod per pacem Israëlis intel-
lexit.

Plærique hoc loco precationem, aut votum faciunt: Benedicat tibi DOMINVS &c. quod equidem non repudiauerim: verum cum in Hebræo futurum sit positum, malo simpliciſsimam versionem sequi, quod Propheta voluerit recensere ea bona, quæ œconomis bonis Dei benignitate contingunt, in hanc sententiam.

Multa, & præclara sunt ornamenta, quibus DOMINVS piorum domos exornat, & quæ ad œconomiam propriè pertinent. Nemo autem existimet eos propter istas occupationes, & coniugium à reliquis DOMINI benedictionibus excludi, in partem certè omnium illorum veniunt. Nam quia vero timore, DOMINVM colunt, manebunt perpetuò membra Sionis, hoc est Ecclesiæ, (sic enim nos eam à loco, vbi nunc cultus diuini habentur, appellamus) gaudebunt etiam ijs consolationibus, quas ex Sion habemus, de venturo Messia, liberatione à peccatis, adoptione, & vita æterna, de quibus nos cum sacrificia, tum illud celebre tabernaculum, & arca fœderis admonent: crescent in ipsis, DOMINO Spiritum suum largiente, fides, spes & charitas, & alia dona, quæ DOMINVS filijs suis largitur. Ad has autem benedictiones accedent etiam Reipublicæ Hierosolymitanæ commoda, annonæ vilitas, salubritas aëris, boni & pij Reges, ac Magistratus, adhibebuntur tales gubernaculis Rei-

publicæ, ornabuntur dignitatibus, & honoribus, in quibus cum laude & approbatione omnium ad extremam senectam sunt victuri. Sed cùm illa alijs quoq; sint communia, in eo œconomi excellunt, quòd in liberis vniuersæ ciuitati spem faciunt posteritatis, & sanè DOMINVS plerunq; bonos illos, & pios viros superstites esse sinit, vt non modò liberos, sed nepotes etiam cum magna oblectatione videant. Postremò totius Israëlitici imperij statum quietum, felicem, & tranquillum, ciues tam commodi, & Deo grati acceptíq; videbunt. Quibus commodis & ornamentis, vigentibus cùm maiora accedere non possint, verè beati & felices sunt œconomi, qui in illorum omnium possessionem Deo eos fortunante, veniunt. Hæc Psaltes.

Peruulgatum in Ethnicorum scriptis est, beatos eos esse, qui vxorem non duxerint, familiam non habuerint: sed multo nos aliter hoc loco docet DOMINI Spiritus, qui pios coniuges non modo domi, sed foris etiam dicit esse felices: ac cum eam, quam ipsi intra parietes felicitatem habent, pulcherrimis coloribus depinxisset, iam etiam eos educet in templum, in forum, ad vniuersam Rempublicam, & omnium eorum, quæ ad bene beateq; viuendum pertinent, eos facit participes, quemadmodum primos homines DOMINOS omniũ constituit. Cum ergo in tam amplam hæreditatem & spiritualium & externorum bonorum ipse rerum gubernator eos constituat, facilè intelligimus, quàm ei hoc vitæ genus placeat. Itaque, non satis diligenter Papatus istas coniugij & œconomiæ laudes perpendit, cum eos, qui in cõiugio essent,

à functio-

à functionibus Ecclesiasticis remouendos esse iudicarit, perinde ac si matrimonium dignitatem sacerdotij, aut contaminaret, aut certè minueret. Debuit eos monere ipsius DOMINI authoritas, qui in astrictissima cultuum diuinorum, & disciplinæ ratione sumos sacerdotes, qui in sacrosanctum & intimum sacrarium soli intrabant, qui populum asperso sanguine expiabant, oraculum DOMINI illud gemmeum in pectore circumferebant, non abstraxit à coniugio. Monere etiã eos debebat nascẽtis in nouo Testamento Ecclesiæ consuetudo, quæ & episcopos vxoratos, & episcoporum & filios & nepotes Ecclesiis præficiebat. Audire aũt in primis decuit commendationes illas præclaras, quòd DOMINVS ipse velit eos ornare bonis ex Zion. Et Paulus encomia, quibus bonos, & idoneos ministros verbi ornat: ista facit: debere eos esse vnius vxoris maritos: liberos habere bonis moribus præditos: & ex eo coniecturam vult fieri de bono Episcopo, si ipse in gubernanda sua domo ante specimen suæ industriæ dederit. Non negligere etiam debebant eiusdem Apostoli testimonium, dicentis, mulieres quæ in coniugio sunt saluas fieri per liberorum generationem si manserint in fide, ac dilectione, & sanctificatione cum castitate. Nam si hoc feciſſent, æquiores matrimonio fuissent, nec propter vxorem ductam, eum qui aliâs seruire Ecclesias potuisset, hoc munere indignũ iudicassent. Præterea videmus, & aliam laudem huic de qua modo diximus, coniunctam esse, quod pij œconomi, non modo ipsi sint felices, sed videant etiam statum Reipublicæ & Ecclesiæ florentem. Quod si verum est, certè ipsi causa tranquillitatis

1. *Tim.* 2.

tis illius erunt, ac vbi magna talium ciuium copia reperietur, non modo priuatæ domus, sed vniuersa Resp. publica ingentia commoda sentiet. Parsurus erat DOMINVS Sodomitis, si duntaxat decem boni inter ipsos fuissent reperti. Et propter vnum Lothum & eum quidem vxoratum DOMINVS oppidũ Segor seruauit. Quis autem non summis laudibus extollet eos, ex quorum ædibus, pax, securitas, spes posteritatis, salus Reipublicæ quasi scaturigine quadam emanat? Sed cum his præclaris promissionibus videntur pugnare ea, quæ coniugibus honestis tristia, & grauia acciderunt, quorum pietas non modo non Rempublicam tuebatur, sed ne suas quidem domos & fortunas saluas & incolumes seruare potuit. Lothus vnâ cum vxore, & liberis à barbaris Regibus abstrahitur in triste exilium: Iechonias Rex quamuis pareret Prophetæ, & deditionem faceret, tamen ab hoste abducitur & in custodiam datur. An nullos credis honestos coniuges fuisse, cum populus Hebræus in captiuitatem Babylonicam abduceretur? Quomodo ergo ista cum hisce laudibus Propheticis conueniunt? Commonefaciendi autem hoc loco sunt adolescentes, omnes externorum bonorum promissiones, pijs fieri cum conditione generali, quæ in eiusmodi semper tacita subintelligitur. Non enim DOMINVS magnificas illas pollicitationes ita proponit, quod nullus vnquam aduersus fortunæ flatus ferire eos possit, sed quod DOMINI benignitate hęc, & alia bona sint accepturi, donec visum fuerit DOMINO eos ad salutem & disciplinam, ferulæ subijcere, ne cum hoc mundo pereant. Ita dubium non est cum Iechonia Rege multos fuisse abductos,

Gen. 19.

ductos, qui castè pieq; Deum coluerunt: sed tamen in alieniſsimis iſtis Reipublicæ temporibus non amiſerunt id bonum, quod in arce omnium promiſsionum ponendum eſt: conſolationem verbi, & fauorem DOMINI, ac Spiritum ſanctum erigentem eos inter pericula & calamitates. Quid, quod in ipſo exilio, cum omnia deplorata viderentur, DOMINVS docuit ſe, cum Reſpublicæ & imperia ruant, tamen ſuos admirando conſilio poſſe ſeruare. Nam Iechoniam ex carcere ad ſummos honores rurſus euexit, vt menſæ regię fieret particeps. Eſther, quę cum eo ipſo Rege fuerat abducta, Regijs nuptijs ornat. Iobem, in œconomia initio fœlicem omnibus fortunis exuit, orbitate punit, corpus morbis afficit: ſed eundem mox, non modò ſanitati, ſed bonis reſtituit, alijs liberis exhilarat, denicq; fortunas ipſius omnes, & auxit & duplicauit. Quos autem in ſeueritate iſtius diſciplinæ ad extremum vſq; Spiritum detinet, eos docet, aliam pacem quàm politicam illam expetēdam eſſe, aliam patriam, videlicet eam, quæ in illo æterno ſodalitio, & beato cœtu nobis continget, quam largiatur nobis Deus Opt. Max. Amen.

Eſther. 2.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Pſalmus ijs, qui ignauum ocium ſectantur, oſtendit, tum ſe fore fœlices, ſi officium faciāt, & manibus ac labore victum honeſtè quęrere ſtudeant. Honeſtos coniuges ſolatur, ne vel ærumnas, quæ in coniugio ſunt, vel hominum, qui parum præclarè de hoc vitæ genere ſentiunt, iudicia ſe perturbare ſinant, ſed

cogitent, quantis bonis eos DOMINVS ornauerit, & quod à nulla parte felicitatis eos excludere velit. Postremo docet horum bonorum omnium initium esse timorem DOMINI, is enim, vt sapientiæ ita omnis etiam felicitatis est fundamentum.

Psalmus 129.

Canticum graduum.

Multùm infestarunt me &c.

Saltes statim primo versu ostendit, quis in hoc Psalmo loquatur, populus videlicet Israël: Hoc autem nomine (vt notum omnibus est) intelligitur populus Dei, siue Ecclesia, quæ tum duntaxat erat inter Israëlitas siue Hebræos. Quanquam autem Propheta suo more de Israëlitis tantùm loqui videtur, tamen videbimus ex sequentibus, ista ad vniuersam Ecclesiam pertinere. Est autem Psalmus iste consolatorius, nam populus Dei inter multas ærumnas, & persequutiones, se solatur, duobus argumentis. Primò. Quamuis impij omnibus rationibus conentur opprimere pios, tamen DOMINVM nunquam esse permissurum, vt succumbant. Incidit autem hoc loco coniectura, num ista à DOMINO expectanda sint, quam duabus rationibus probat. Prior est: DOMINVM inde ab initio, suam Ecclesiam

Ecclesiam defendisse, & seruasse, ergo in posterum etiam non discessurum ab ingenio suo. Et quia hactenus potuerit defendere, non defuturam ei potentiam ad perpetuam suorum protectionem. Posterior vno duntaxat verbo, sed Emphaticè attingitur, DOMINVM IVSTVM esse, ergo non passurum vt iusti perpetuò opprimantur. Et quidem sic primum consolationis argumentum absoluitur. Secundum argumentum sumptum est, ab interitu hostium. DOMINVS hostes Ecclesiæ suæ confundet, & perdet, ergo illi non sunt metuendi. Hæc sunt capita huius Psalmi, siue potius nerui argumentorum: ornamenta autem & lumina figurarum rectius in ipso verborum contextu conspiciemus.

1. *Plurimum coarctauerunt me (intellige aduersarij siue hostes mei) ab adolescentia siue iuuentute mea, dicat nunc Israël.*
2. *Multum coarctauerunt me ab adolescentia mea, sed non prævaluerunt mihi.*
3. *In dorso meo arauerunt, aratores prolongauerunt sulcos suos.*
4. *DOMINVS iustus præcidit funes impiorum.*

His quatuor versibus Psaltes primùm consolationis argumentum, & coniecturam, de qua suprà diximus complexus est. DOMINVM non deserturum Ecclesiam suam, quia nascentem statim ad hæc vsq; tempora ex periculis maximis seruauerit, nec in posterum aliter facturum cum sit iustus. Sed ea quæ Dialecticus aliquis ad hunc, vt nos fecimus, modum, bre-

uitate verborum coarctaret, Psaltes iucundissimis figuris & amplificationibus exornauit, quas, vt institutum eius melius assequamur, breuiter recitabimus. Ac quidem initiò cum Ecclesia se prioribus beneficijs quæ DOMINI in ipsam maxima extiterunt, in futurum etiam soletur, vt ea consolatio plus ponderis habeat, Propheta egregia antitheſi pericula & DOMINI liberationem inter se comparat. Fuerunt, inquit, summa Ecclesiæ pericula, sed ex his omnibus DOMINVS eam exemit. Quis ergo dubitauerit eum in posterum subuenturum suis? Sed operæ precium est videre, quàm ornatè & de periculis & DOMINI adiumento, & protectione loquatur. Initiò per προσωποποιίαν Israëlem veluti fœminam loquentem introducit, cui etiam ætatem siue adolescentiam tribuit. Periculorum autem in quibus Ecclesia versatur, magnitudinem varijs rationibus amplificat. A tempore, cum Ecclesia quæritur se ab adolescentia sua, hoc est, statim ab initio cum DOMINVS ex Hebræis colligeret sibi Ecclesiam, multa aduersa ad hunc vsq; diem passam esse. Et quod illæ calamitates non fuerint vulgares, vsus est grandi verbo צרר zorar, quod significat in maximas angustias adducere aut coangustare. Et vt hoc ipsum esset vehementius, bis repetitur. Plurimum coangustarunt me ab adolescentia mea. Plurimum coangustarunt me ab adolescentia mea. Sed ne sic quidem satisfacit sibi Propheta, verùm ὑπερβολῇ etiam vtitur, dicens: hostes aratrum egisse per dorsum illius mulierculæ, & longos sulcos duxisse. Aliàs qui præmuntur vehementer, dicuntur sub iugo esse, quo grauis dura q; seruitus intelligitur: sed ὑπερβολῇ illa pe-

riculum

riculum ſupra modum exaggerat, vbi hoſtis tam eſſe crudelis dicitur, vt corpus hominis aratro laceret, veluti terra vomere proſcinditur. Quo in loco etiam ἀνακύψις ſiue imago eſt miſerrimæ mulierculæ, in terram proſtratæ, ac extremam Tyrannidem perferentis. Et ſic quidem de anguſtijs ſuis loquitur. Sed auxilij quoque protectionisq; diuinæ beneficium grauibus verbis propoſuit. Non præualuerunt mihi: quamuis inquit ita me affligerent, non tamen potuerunt me opponere. Sed oſtendit, id beneficio Dei eſſe factum, quem etiam ipſum pulcherrima pictura accurrentem gladio, & aratri funes incidentem & liberantem proſtratam Eccleſiam ſuam, expreſsit. His omnibus (id quod ſuprà nudis verbis propoſueramus) luculenter docet, quamuis ſint ſumma pericula, tamen non eſſe nimis trepidandum, cum Deus ſuæ Eccleſiæ nunquam ſuo auxilio defuerit. Vnum vocabulum inſertum eſt, DEVS IVSTVS, quo voluntas DOMINI ita depicta eſt, vt nihil vel breuius, vel ſignificantius dici potuerit. Nam cum homo iuſtus non poſsit ferre tantam Tyrannidem, quanta hîc deſcribitur, quomodo Deus qui eſt ipſa iuſtitia, tale ſpectaculum eſſet laturus? Ex his ergo certa conſequentia ſequitur magno animo ferenda pericula & perſecutiones, quia cum Deus ſemper ſui ſimilis, Eccleſiam periclitantem hactenus ſubleuauerit, nec in poſterum quidem ei eſt defuturus.

Nunc cum ſingula propè ornamenta quæ in hoc contextu latent, oſtenderimus, perpetua oratione ea explicemus, dignus enim eſt iſte locus, in quo elaboremus. Retinebimus autem quantum quidem à nobis

fieri potest prosopopœian, qua Propheta est delectatus.

In maximis periculis quibus nunc Ecclesia mulierum afflictissima septa est, his verbis se erigit & solatur: Me sanè miseram & nunquam non afflictissimam mulierem varia & multa nunc pericula exercent, nam vicini propè omnes, homines idolatræ & omni impuritati dediti, in meam perniciem coniurarunt, bellum aduersus me parant, & extrema mihi minantur: quæ sanè res, cum omni humano auxilio destituta sim, me perturbaret vehementius, si non alia me consolatione, & ea quidem certa me possem erigere. Non enim nouum neq; insolitum mihi hoc est, nam à prima pueritia totus mundus me innocentissimam odio persequitur, & sæpè in tãtas angustias & pericula coniecit, vt exitum planè nõ prospicerem, certè sæpè oppidò in angustũ coëgit copias meas, vt omnes de rebus meis desperarent. Sed cum cæteri me deploratam abiectamq; crederent, tamẽ nihil in me iuris nec Diabolus, nec eius satellites habuerunt. Oppugnarunt quidem ciuitatem sanctam, cui ego præsideo, sed expugnauerunt nunquam. Exercuerunt in me summam tyrannidem, qua maior ne excogitari quidem potest. Nam prostratam scissis capillis, & veste lacera, exutam bonis omnibus, aratro mea membra omnia conscinderunt, & per dorsum longissimos sulcos altius impresserunt, ita non fuit illis satis me iumentorum more tractare & iugo subijcere, quod sæuissimis Tyrannis ad summam truculentiam sufficeret, nisi etiam corpus putassent indignis modis lacerandum, dum alia membra ferro sauciant grauiter, & vnguibus in recenti

centi vulnere sæuiunt, alia vstulatione, alia eculeo, alia neruis miserè cruciant & defœdant. Sed ex his periculis omnibus, & ab infelicibus istis aratoribus, DOMINVS qui iustæ causæ nunquam defuit, cum ipse sit iustus, imò verò iustitia ipsa, me liberauit. Etenim cum videret prostratam per totum corpus vulneribus confici & fœdari, quanta maxima potuit celeritate accurrebat, & gladio è vagina educto, funes quibus aratra extrahebantur, incidit, me ex pulueribus erexit, libertatíq; restituit. Cuius rei si quis fortasse exempla requirat, videat quid sub crudelissimo aratore Pharaone perpessa sim, quid deinde sub alijs non minus crudelibus Tyrannis, cum primùm in terram Canaan, noua sponsa adducerer experta, & quomodo potenti manu sponsi mei educta, & à seruitutis nexu liberata fuerim. De his autem ij libri testantur, qui peregrinationum mearum historiam habent. Cum ergò tot experimentis edocta sim, me à Deo nunquam deseri, cur animum desponderem, cur trepida spem omnem abijcerem, & non potius vel ante pugnam (quod alijs vitio datur) victoriam mihi promitterem?

Diligenter notanda sunt ista, vt occurrere scandalo, quod plerosq; perturbare solet, possimus. Nam cũ vident homines pios non modo in perpetuis molestijs, verùm etiam persecutionibus versari, negant illam esse veram Ecclesiam, quæ in hoc mundo præter perturbationes & miserias ferè nihil experiatur. Et qui parum firma fundamenta in fide iecerunt, cùm calamitatibus & cruce premuntur, dubitare incipiunt, num veram de doctrina cœlesti sententiam teneant,

cum

cum ſucceſſus quem expectabant, eam non comitetur. Sed iſti audiant ipſam Eccleſiam, de ſua fortuna & calamitatibus loquentem, & intellecturi ſunt, non eſſe eam fortunam membris Eccleſiæ nouam, ſed vt cum Propheta loquamur, à prima pueritia ei familiarem. Nec mirentur, ſi nouis & inuſitatis generibus perſecutionum & cruciatuum pij afficiantur, nam in hac pictura Prophetica miſerabile ſpectaculum vident, Eccleſiæ iacentis, & tolerantis laceratione totius corporis. Et ne ipſis hoc videatur ludus eſſe ingenij, ſicut Poëtæ multa tragica commenti ſunt, vt animos hominum mouerent, intueantur exempla deſumpta ex tota hiſtoria mundi. An non per dorſum Iſraëlitarum longiſsimi ſulci ducebantur, cum in Ægypto ad duriſsimos labores adigerentur, cum chariſsima pignora in præterfluentem abijci viderent? acerbitas certè illius doloris, non ad dorſum tantùm peruenit, ſed intima penetralia cordis ſauciauit. Quàm grauem ſeruitutem Eccleſia perpeſſa eſt ſub Eglon
Iudi.3. Rege Moabitarum per annos octodecim perpetuos?
Iudi.4. Quàm grauia & moleſta ſub Iabin Chananæo, dein-
Iudi.6. de ſub Madian tulit? Quid à Philiſtinis, Moabitis, Ædomitis paſſa eſt? Iſti ſanè omnes aratores fuerunt, qui longiſsimos ſulcos duxerunt per dorſum populi Dei. Nec Eccleſia duntaxat à peregrinis aratoribus, adeum modum lacerata fuit, ſed à ſuis etiam hominibus, qui ſe membra eſſe Eccleſiæ gloriabantur, ſed non erant. An non Eſaias ſerra per medium ſectus, aratrum hoc ſenſit? An non Hieremias lapidibus obrutus, in ſuo corpore ſulcos infœlicium illorum aratorum expertus eſt? Iam verò eadem fortuna Eccleſiæ in nouo

Teſtamento

Testamento fuit, vbi piorum corpora exquisitissimis cruciatibus lacerabantur & discerpebantur, cum pelle nudata in carceres de industria aculeis ex vario fragmentorum genere præparatos nudi conijcerentur, cum corporibus plumbum liquefactum infunderetur, alij carbonibus & craticulis ustularentur, alij alligatis membris ad duarum arborum vi adductos ramos discerperentur medij. Hi certè senserunt id quod hoc loco habet Propheta noster. Quas historias si quis in memoriam reuocauerit diligentius, non mirabitur, si hodie pia Ecclesię membra affligãtur. Nam si vel ad profusionem sanguinis res adducta fuerit, nihil noui patiemur, sed habemus multa exempla piorum qui in hoc pietatis stadio (sic enim Eusebius loquitur) antè decurrerunt. Imò videmus ducem nostrum Christum cruce & corona spinea præcedere, & inuitare nos ad imitationem patientiæ. Sed obijceret fortasis aliquis, quomodo DOMINVS, qui, vt Psalmus habet, iustus est, illam suorum lanienam ferre potuit? cur non dilectissima membra sua tuetur, ne aratro subijciantur? Facit id quidem sæpissimè, nulla longiori mora interposita, sed cum patitur ad tempus pios periclitari, & auxilium suum suspendit, hoc agit, vt postea cum subitò impiorũ funes inciderit, ab omnibus agnoscatur, nam si (quod plerunq; facit) integumentis creaturarum in protectione illa sua vteretur, multi illis ipsis laudem vniuersam ascriberent. Sed cum pij non modò conculcantur, sed quasi vomere proscindũtur, & DOMINVS præter opinionem omnium eis adest, omnes qui cæcati non sunt intelligunt DOMINVM ipsum funes abrupsisse, & suorum velle

Euseb. lib. 6. cap. 1.

etiam in posterum curam gerere. Sic cum populus (vt dictum est) seruiret regi Eglon, non statim adfuit DOMINVS suo auxilio, patitur populum suum per annos decem & octo iacere sub aratro seruitutis durissimæ, sed cum iam ad pœnitentiam satis eos erudijsset, vno momento funes seruitutis incidit, regem potentisimum per Aodum sinit interfici, & eodem duce Moabitarum decem millia cadunt: populus autem Israëliticus libertati suæ restituitur ad anos octoginta. Sed eiusmodi exemplorum plenæ sunt historiæ sacræ.

Iud.3.

5. *Confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.*
6. *Sint vt herba tectorum, quæ antequam euellantur, aruit.*
7. *Qua non impleuit manum suam qui metit, nec sinum suum colligens manipulos.*
8. *Et non dicunt qui præteribant benedictio DOMINI super vos: benedicimus vobis in nomine DOMINI.*

Quatuor postremis versibus de interitu & maledictionibus hostium Ecclesiæ concionatur, quòd secundum est consolationis argumentum. Verba autem ista, quidam per imprecationem putant proposita, confundātur & retrorsum agantur. Alij simpliciter enunciant. Alij votum esse volunt: vtinam confundantur. Notum enim est quæ sit elegantia sermonis Hebraici in futuris. Nihil autem aut parum ea in re est discriminis, nam imprecationes à DOMINI Spiritu profectæ,

ctæ, certissimæ etiam sunt Prophetiæ interitus impiorum. Comminationis autem quatuor sunt partes. Primùm impij confundentur: quod ad infamiam ipsorum pertinet. Deinde conuertentur retrorsum, hoc est, in fugam vertentur aut repellentur ab instituto suo. Postea in suo flore perituri sunt. Postremò omnes illis sunt maledicturi. Duas postremas partes, præcipuè autem tertiam illustrauit similitudine herbæ in tectis enascentis, quæ similitudo exprimendo huic negotio aptissima est. Nam quæ in tectis nascuntur sese ostentant & ab omnibus conspiciuntur, ita impiorum conatus maximè cum contra pios insurgunt, pompam & ostentationem habent. Præterea illæ herbæ citò florent, sunt enim in loco aprico: sic impij ad tempus florent, & succedunt eis omnia ex animi sententia. Adhuc nemine euellente illæ exarescunt, nemini afferentes aliquid commodi, quia non habent vbi radices agant: ita subitò concidunt & consilia & conatus impiorum, imò verò ipsi pereunt. Postremò quamuis quæ in tectis nascuntur omnibus sunt conspicua, tamen nemo est qui commendet, aut eis benè precetur, sed contra patresfamiliâs maledicunt ipsis quod corrumpant tectum, ita impij cum multos lædant, passim ab omnibus malè audiunt, & imprecationes quotidianas, & eas quidem minimè vanas, habent. De benedictionibus piorum postea dicetur. Subijciam nunc paraphrasin.

Quemadmodum DOMINVS suos in persecutionibus iuuat & erigit, ita impios modis & rationibus omnibus affliget. Nam quamuis illi sint gloriæ nimis cupidi, tamen in summam infamiam & turpitudinem

incident, cum DOMINVS ipsorum machinationes & dolos, vitia & scelera detexerit, tum enim quasi mortui inter viuos obambulabunt, cum famam amiserint, sine qua homines ne hanc quidem dulcissimam lucem expetere debent. Deinde magno conatu aggredientur sua negocia, maximè cùm impugnanda veritas, affligendi pij, oppugnanda Ecclesia est, sed DOMINVS eos in fugam vertet, & omnia illorum consilia inuertet, ut quod ad detrimentum Ecclesiæ comparârunt, ipsis cedat ad interitum, incident enim in foueam quam fecerunt. Quid multis? ea omnino impiorum est ratio, quæ fœni passim in tectis sua sponte prouenientis. Nam si eius vel viriditatem, siue locum eminentem, vbi enatũ est, siue spem maturitatis, quam de se prębet, spectes, præferes multis alijs, quæ in agris & hortis benè cultis nascuntur: sed tempus docet, quale sit. Nam cum nõ habeat solum ubi radices agat, nemine euellente exarescit, nec cuiquam mortalium prodest, ideo etiam non lætantur talibus germinibus agricolæ, quia messem nullam ex ijs sperare possunt, nec est vllus, qui (quod aliàs cum per segetes iter facimus, familiariter fieri consueuit) benedictionem istis herbis DOMINO precetur, imò verò vellent euulsas & eradicatas, quod non sine incommodo domus in tecto hæreant. Quæ inquam illorum zizaniorum ratio est, ea in impijs cõspicitur. Nam ad tempus florent, & in rerum non modò affluentia, sed eminentia viuunt: ac qui non intelligunt quæ sint DOMINI de ipsis iudicia, eos & nunc, & in posterum felices & beatos esse prædicant, sed breuis & momentanea illorum est omnis felicitas. Nam cùm vero fundamento

mento omnium bonorum careant, & patrem lumi- *Iacob.1.*
num, à quo sunt omnia dona perfecta, nō agnoscant, etiamsi hostem nullum habeant, qui periculum creet, tamen DOMINO ipsis maledicente concidunt, & omnes ipsorum fortunæ cum maximè splendent, euanescunt, & exarescunt, ita fit vt nec sibi nec alijs prosint, suntq; quod dicitur terræ inutilia pondera: & quamuis domi cateruam assentatorum alant, tamen publica illis maledictio imminet, cum ab omnibus malè audiunt, & in primis cum gemitus & lachrymæ piorum eos ad tribunal DOMINI reos agunt, nam imprecationes eorum, quos ipsi oppresserunt, fortunisq; omnibus exuerunt, non erunt inanes, sed ad tribunal DOMINI per ipsas nubes penetrabunt. Hactenus Psaltes.

Non sine causa Spiritus sanctus toties in sacris inculcat, impiorum felicitatem momentaneam esse: nam pij valdè perturbantur, cum eius sunt spectatores, & econtrà vidēt pios varijs rationibus modisq; affligi. Hæc cogitatio Hieremiam mouit, vt in hæc ver- *Hiere.12.*
ba erumperet. Iustus quidem es DOMINE, si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui præuaricantur, & iniq; agunt? Plantasti eos & radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et Iob etiam ami- *Iob.21.*
cis quæstionem istam proponit. Et quādo recordor, terreor, & apprehendit carnem meam tremor, cur impij vixerunt, senuerunt, etiam roborati sunt substantia? Semen eorum stabile fuit coram eis, & germina eorum in oculis eorum. Domus eorum fuerunt in

pace à timore, & non eſt virga Dei ſuper eis &c. Prolixè vterq; felicitatem impiorum deſcribit, quæ ſi ſola oculis noſtris proponeretur, non poſſemus id æquo animo ferre, ſed ſcriptura docet breuem vſuram illis dari iſtarum rerum, quæ apud ipſos in admiratione ſunt, Econtrà pios viſuros benedictionem DOMINI. Dauid Pſalmo 37. inquit, Vidi impium prefractum & eleuatum ſicut laurum viridem. Et tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, non eſt inuentus. Et in eodem Pſalmo ſimilitudine propè eadem vſus eſt, quam hoc loco habemus. Noli (inquit) æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientis iniquitatem: Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Et eodem Pſalmo, ſubditus eſto DOMINO & ora eum, noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias. Deſine ab ira & derelinque furorem, noli æmulari vt malignéris. Quoniam qui malignantur exterminabuntur, expectantes autem DOMINVM ipſi
Pro. 1. hæreditabunt terram. Solomon etiam Prouerbiorum 29. piſs promittit iucundum ſpectaculum ruinæ impiorum. Cum (inquit) multiplicati fuerint impij, multiplicabitur præuaricatio. Iuſti autem ruinam impiorum videbunt. Et in eandem ſententiam Pſaltes ſcripſit, Pſal. 91. Oculis tuis cernes & retributionẽ impiorum videbis. Solomon repentinas impiorum pœnas prouerbiorum primo confert procellæ ſubitò irruenti. Et Iob 21. capite, interitum impiorum egregijs ſimilitudinibus depinxit, quoties, inquit, lucerna impiorum extinguetur, & veniet ſuper eos cõtritio eorum, dolores diuidet eis Deus in furore ſuo. Erunt ſicut paleæ

leæ coram vento, & ſicut gluma quàm furata eſt turbo.

Sed cum his pugnare videtur id quod experientia docet, & Iob eodem capite ſcribit, impios in tranquillitate & ſucceſſu illo ſuo ſæpè ad vitæ ſuæ finem manere. Conſumẽt, inquit, in bono dies ſuos, & quieti ad ſepulchrũ deſcendent, verùm ne iſta quidem ſuperioribus aduerſantur, quomodo enim ſecum diſſideret DOMINI Spiritus? Statuamus autem id diuturnum & prolixum non eſſe, quod finem habet, maximè autem vitam hominis, quæ breuiſsimo termino circumſcripta eſt, & iuxta Moſi canticum ad ſeptuageſimum, vel ſi præclarè nobiſcum agatur ad octuageſimum annum rarò peruenit. Quid autem vel longiſsimi temporis ſpacia ſunt, ſi cum æternitate conferantur? Itaq; ſtatuamus impiorum felicitatem rectè conferri fœno in ſummitate tecti naſcentis, paleæ, pulueribus, ſtipulis. Præterea eadem ſimilitudine Pſaltes egregiè expreſsit quam contempti, abiectíq; in conſpectu Dei & hominum ſint impij, & quæ pœnę ipſis immineant. Nam quid magis vile & deſpicatũ eſt, quàm herbæ & gramina illa, quæ vel exareſcunt, vel in ignem mittuntur, cum econtrà frumenta in manipulos colligantur, & conuehantur in horrea? Quod ſi impij perpenderent, & intuentes viliſsimas iſtas herbas cogitarent, tu melior iſta non es, & non exhilarabis angelos, non colligent illi te in æternum horreum, ſed conijcient in gehennam, ira DOMINI te exuret, vt calor ſolis fœnum illud poſt menſem exiccabit: colligerent etiam exempla iræ DOMINI, & interitus eorum, qui in hoc mundo credebantur eſſe feliciſsimi, de-

Pſalm. 90.

reſi-

de resipiscentia haud dubiè essent cogitaturi, sed misera illa Diaboli mancipia ita sunt cœcata, vt ista videre & intelligere nequeant, cor habent quouis Adamante durius, & pœnitere nescium, materiam sibi quotidiè colligentes ad æternos cruciatus. Nam quò maiora in ipsos DOMINI beneficia extiterint, eò grauior pœna ipsorum ingratitudinem, & quòd illis sint abusi, sequetur.

Ad extremum non negligenda est optima consuetudo, vt & hominibus & ijs rebus, quibus ad sustentationem vitæ necessariò vtimur, successum & incrementũ in nomine DOMINI precemur. Nam illa vota sunt species precationis piæ, qua docemus, omnẽ successum à DOMINO expectandum & petendum esse, nec laboribus aut conatibus nostris quicquam ascribendũ. Sic præclarè facimus, quando abituris aut suscepturis aliquid negocij felicitatem à DOMINO precamur, quando anni noui felix auspicium, diei salutarem exortum, noctem commodam à DOMINO precamur, similiter etiam si vel lætas segetes in agris, vel spem autumni in vitibus videntes, dicamus, benedicat DOMINVS his donis, quæ iam clementer nobis ostendit, det DOMINVS incrementa, largiatur bonas tempestates, clemens cœlum, copiosam messem, prouentum vini vberem. Non enim hoc agimus, vt his verbis quasi fascino aut incantatione magica agros & vineta muniamus, sed vt ostendamus nos & initia & progressus omnis nostræ felicitatis DOMINO in solidum ascribere. Benedicendi autẽ illa ratio vsurpata a Mose est iubente DOMINO. Num. 6. Locutus est DOMINVS ad Mosen dicẽs: Loquere Aaron & filijs eius.

Sic

Sic benedicens filijs Israël, benedicat tibi DOMINVS & custodiat te, ostendat DOMINVS faciem suam tibi, & misereatur tui: conuertat DOMINVS vultum suum ad te, & det tibi pacem. Eam benedictionis formulam hodie etiam imitamur, cum populum dimittentes illa verba recitamus, quibus tanquam communibus precibus populum, protectioni clementiæq; diuinæ commendamus. Inprimis autem pij Magistratus cum in periculo aliquo sunt votis, precibus & benedictionibus prosequentur, sicut eiusmodi benedictionis forma extat Psalmo 20. Exaudiat te DOMINVS in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sione tueatur te &c.

VSVS HVIVS PSALMI.

Solomon Prouerbiorum tertio scribit: Maledictio DOMINI est in domo impij, habitaculo iustorum benedicit. Huic præclarissimæ sententiæ sapientissimi Regis, & experientia, & exempla historiarum aduersari videtur, imò verò inuersus planè ordo esse appareret, nam maledictio in ædibus piorum, benedictio in rebus impiorum esse videtur, quæ cogitatio consolationes piorum de protectione DOMINI, conseruatione Ecclesiæ labèfactare posset, nisi præsentissimas consolationes habuerimus ex verbo Dei. Qualis est in primis hic Psalmus, quo vti possumus aduersus impiorum insultationes, qui ex calamitatibus colligunt Deo nos non esse curæ. His obijciamus consolationem ex hoc carmine petitam, DOMINVM quidem

Eccleſiam ſuam exercere varijs & ijs grauibus ærumnis, ſed eas non eſſe perpetuas, quia cum tentatione ipſe euentum largitur, funes abſcindit, compedes ſoluit. Deinde ne ipſæ quidem miſeriæ illis ſunt maledictiones, quia piorũ fidem confirmant, preces acuunt, ſpem fouent, carnis refrenationi ſeruiunt. Econtra momentanea illa impiorum felicitas, & ſecuritatem ipſorum auget, & pœnas (vt ſuprà eſt dictum) cumulat. Itaq; in euentu & promiſsionibus nulla eſt ἀνίσος μία. Nam in impiorum ædibus omnia ſeruiunt maledictioni, etiam ea, quæ ſua natura ad hominum commoditates comparata ſunt, non aliter quàm hydropicis potus & cibus in hydropem ſiue aquam intercutem abit, piis verò vniuerſa adiumento ſunt in bonum.

THEODORICVS
Snepffius lectori ſalutem.

VM Reuerendus & Clariſsimus vir, Socer Pater meus chariſsimus D. Ioannes Brentius piæ memoriæ, in exilio ſuo, eo tempore, quo propter confeſsionem veritatis exulabat, explicationem in Pſalmũ 130. (meo iudicio) luce dignam ſcripſerit, putaui eam cum ſuperioribus coniungendam. Sed ne deeſſet paraphraſis, & ſequerer conſilium ipſius, quod in cæteris Pſalmis ei placuit, meam qualemcunq; paraphraſin interpretationi Brentianæ ſubieci, in qua hoc egi, vt locos Communes ab ipſo tractatos breuiter attingerem. Verùm cùm iſtum Pſalmum communicare ſtudioſis Theologiæ cupio, Dominus triſte mihi exercitium

exercitium eius subiecit, vt & de profundis clamarem, & animo dolorem caperem acerbissimum. Nam filiam D. Ioannis Brentij BARBARAM, vxorem meam charissimã, tum amisi, imò verò præmisi: quæ mihi & tristissimum sui desiderium & duodecim pignora reliquit. Cum autem Clarissimi doctissimiq; viri, funus defunctæ, & concionibus, & carminibus cohonestare, me verò in hoc tanto luctu consolari studerent, volui eorum lucubrationes ad Psalmum istum adijcere, vt meas lacrymas cum Dauidicis coniungerem, ac si meus hic labor viueret, memoriam honestissimæ vxoris, ad posteritatem transmitterem.

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI IOANNIS BRENTII IN PSALMVM CXXX. explicatio.

De profundis clamo ad te DOMINE.

DIcemus initio de titulo huius Psalmi. Alij enim Psalmi, alios habent titulos. Hic autem inter eos numeratur, quorum titulus est, Psalmi המעלות, hoc est, vt nostri interpretantur, graduum, & alij, Ascensionum: sed rectius completionum seu conclusionũ. Sentiunt enim nonnulli, quòd quemadmodum nostra publica sacra concludi solent precatione diuinæ benedictionis, ita solenne fuerit in Ecclesia Israëlitarum sacra hoc genere Psalmorum complere seu cõcludere. Nam עלה non

tantum significat ascendere, sed etiam finire & absumere. Vnde & holocaustum Hebræis dicitur עולה, quòd totum igni absumatur. Sic & hi Psalmi vocantur Psalmi המעלות, qui fuerint conclusiones, quibus Israëlitica sacra finiebantur. Ac profectò videntur ad talem vsum aptissimi esse. Sunt enim & perbreues, & argumentis suis ita graues, vt meritò, tanquam ἐπιφωνήματα, ad finem sacrorum adiecti fuerint Sed de titulo satis.

Occasio autem, & argumentū huius Psalmi, quem interpretandum suscepimus, præcipuæ nobis curæ esse debent. Sunt nonnulli Psalmi, quorum titulus exponit occasionem & argumentum eorum. In hoc autem Psalmo, prima dictio, videlicet de profundis, satis perspicuè indicat, qua occasione Dauid ad hanc precationem excitatus fuerit. Est enim Psalmus precatorius, & cum Dauid statim ab initio, suspirijs ex alto pectore ductis exclamat, De profundis, dubium non est, quin cum hæc oraret, prostratus & obrutus fuerit maximis ac horribilibus afflictionibus, non tantùm corporalibus, verùmetiam spiritualibus. Nam si cui libet, vitam Dauidis, vel breuiter tantùm percurrere, tot ac tanta inueniet aduersa, quibus obiectus fuit, vt mirum sit, vnum hominem potuisse tantis malis, tanto tempore sufficere. Nihil dicam de ijs malis, quæ in priuata vita, cum adhuc in domo patris sui esset, perpessus est. Attingam tantùm pauciss imis ea quæ contigerunt ipsi, in aula Saulis, in exilio, ac in regno quoque, cum ipse iam rerum in Israël potiretur. Nunc Philistinis mactandus obijcitur, nunc à furioso Saule lancea petitur. Nunc exulat ab aula, & quæri-

tur

tur vbiq; ad mortem. Nũc vagatur desertus, & omnium rerum indigens, inter alienos. Nunc capitur ab hostibus. Nunc in medio exercitus Saulis ita concluditur, vt nusquam pateat vlla euadendi via. Nunc trucidantur tot innocentes sacerdotes, & deuastatur ciuitas, quòd ipsum hospitio excepissent. Nunc accusatur non tam à Saule seditionis, quàm à principibus Philistinorum, proditionis. Nunc ab ipsis etiam amicis, non solum proditor, verùmetiam lapidibus obruendus apprehenditur. Breuiter, crucifigunt eum & amici & inimici. Quid verò dicam de aduersis, quibus iam regnum adeptus affligitur, nunc à sedtiosis, nunc à liberorum suorum stupris & homicidijs, nunc à filio suo Absolone, à quo etiam è regno pellitur? Quid pluribus opus? Vix inuenias alium virum, qui tot calamitatibus obiectus fuerit. Et singulæ harum calamitatum, singulæ sunt profundissimæ foueæ, vt qui in vnam earum coniectus sit, & pro auxilio vociferetur, rectè dicatur de profundis clamare. Inter has autem externas & corporales calamitates, putas ne animum Dauidis tranquillum & securum fuisse, ac nõ tentatum esse de iudicio Dei propter peccata? Imò, hæc sunt præcipua causa, cur Dauid se de profundis clamare profiteatur. Etsi enim variæ sunt causæ, propter quas immittuntur nobis afflictiones, tamen hæc vna est è præcipuis, vt afflictiones admoneãt nos peccati, & ostendant iram Dei propter peccatum. Stipendium, inquit, peccati, mors est. Vbi igitur mortem, aut pedissequas eius, afflictiones inuenias, ibi peccatum sit, necesse est. Aliud est, quòd filius Dei, etsi nullum vnquam peccatum fecit, nec inuentus est dolus

in ore eius,afflictus tamen sit,& mortuus. Aliud etiam est, quòd Deus aliquoties longè alijs de causis, quàm propter peccata, affligat homines. Neq; hic, inquit, neq; parentes eius peccauerunt, sed vt manifestentur opera Dei in illo.Si autem de generali causa afflictionum dicendum fuerit,obscurum esse nõ potest, quòd afflictiones sint argumenta peccati, & ex peccato oriantur. Itaq; Dauid externis illis suis afflictionibus excitatus, rediit in animum suum, & vidit initio peccatum, quod à parentibus contraxerat, & quod adhuc carni inhærebat,de quo aliâs dicit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.Deinde vidit & ea peccata, quæ ex hoc ipse designauerat,& quæ sunt huius fructus. Quid, quòd sollicitatus videtur, vt existimet eam vnctionem, quam à Samuele acceperat,& propter quam patiebatur exilium,non esse cœlestem,sed humanam & seditiosam? Si enim diuino mandato in regem, viuo adhuc Saule, vnctus est,cur Deus obijcit eum propter hanc vnctionem tot aduersis? cur exponitur tot periculis? Quàm multum quoq; humani sanguinis effudit in bellis? quæ etsi legitima fuerunt,tamen vix fieri potest, quin maiorem exerceas, etiam in bellis iustissimis, sæuitiam, & violentiam,quàm par sit. Quid dicam de adulterio & homicidio eius? Quid de nimia indulgentia in liberos,in amicos? Innumera sunt, quæ aduersus Deum peccari solent. De his ergo Dauid,per afflictiones admonitus, non potuit aliud præter iram Dei, mortem & infernum videre,imò non videre tantùm,sed etiam sensu ipso magna ex parte percipere. Hæc est altissima fouea, hic est profundissimus lacus,è quo, qui auxilium

xilium DOMINI inuocat, & liberationem petit, de profundis verè clamare dicendus est. Quare, quamcunq; Dauidis afflictionem, vel earum quas paulò antè perstrinximus: vel aliarum, quarum multas & magnas, literis non mandatas pertulit, in manus sumpseris, eam sentiendum est occasionem fuisse, qua excitatus fuit ad inuocationem diuinæ opis, & ad precationem huius Psalmi, vt è præsenti malo liberationem, ac ueram salutem consequeretur.

Sed hic statim in animam auditoris subit, quòd etsi Dauid clamauit de profundis, & consecutus est liberationem, tamen exemplum eius non afferat nobis multum vtilitatis, nec quicquam fructus reportemus, etiamsi exemplo eius hunc Psalmum recitemus. Nos solemus quidem de profundis clamare, sed nullum affulget nobis auxilium.

Vociferamur de malis nostris, sed nullus est, qui nobis respondeat. Dauid enim fuit Deo acceptus, ideoq; exauditus. Nec sumus à Deo abiecti. Quare etiamsi noctu diuq; vociferemur de profundis, non tamen patent nobis aures Dei. Hæ sunt cogitationes, quibus Satan solet homines ab inuocatione Dei, & precatione auocare, & ad desperationem sollicitare. Sed cor nostrum muniendum est verbo Dei, vt consilia Satanæ retundamus. Etenim nihil quidem certius est, quàm quòd multi hunc Psalmum recitent, & de profundis clament, non tamen consequantur salutem: hoc autem non fit, vel Psalmi, qui est à Spiritu sancto dictatus, vel Dei, ad quem clamatur, sed ipsorum clamantium vitio. Hic enim Psalmus, non pertinet ad quemuis hominum cœtum, sed tantùm ad veram DO

MINI

MINI Dei noſtri Eccleſiã,& ad ſingula membra eius. Multi ſunt impij, multi hypocritæ, qui vt non verè in Deũ credunt, ita non ſunt vera verę Eccleſiæ Dei mẽbra. Hi clamando ad Deum, non clamant: & inuocando Deum, non inuocant. ideoq; mirum non eſt, quòd nec exaudiantur, nec ſalutem conſequantur. Oratio eius, inquit, fiat in peccatum. Et aliâs, Inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me. Et iterum: Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quare impijs, & hypocritis, dum quidem impij & hypocritæ fuerint, nihil cum hoc Pſalmo. Si quis autem hunc Pſalmum ad ſe pertinere, & vtiliter orare cupit, neceſſe habet primum omnium curare, vt ſit in vera Dei Eccleſia, & ſit veræ Eccleſiæ membrum. Quid igitur faciam, inquies, vt hoc conſequar? Vno & altero verbo dicam. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Credendum eſt, agnitis peccatis, in Chriſtum filium Dei, quòd ipſe ſolus ſit expiator peccatorum noſtrorum, & ex hac fide ambulandum eſt in vocatione Dei. Quod pluribus quidem explicari poſſet, ſed hæc in præſentia ſuffi ciunt, vt admoneamur, iniuſtam eſſe, querelam eorũ, qui cum nullam habeant rationem veræ fidei in Chriſtum, ac reſipiſcentiæ in Chriſto, vociferantur, ſe clamare quidem de profundis, nullam autem opem conſequi. Omnino enim hic Pſalmus ad Eccleſiam tantum, hoc eſt, ad eos qui Deum ex fide in Chriſtum inuocant, pertinet. Quòd ſi in horum cœtu (id quod fit per fidem in Chriſtum) fueris, nullum amplius dubiũ relinquitur, quin quemadmodum Dauid de profũdis

clamauit,

clamauit,& exauditus eſt,ita ſi tu de profundis clamaueris,voti compos efficiaris. Quæcunq; inquit Paulus,præſcripta ſunt,in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Et iterum: Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim eſt diſtinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omniũ, diues in omnes inuocantes ſe. Quiſquis enim inuocauerit nomen DOMINI, ſaluus erit. Sed & Dauid ipſe teſtatur exemplum ſuum,non ad ſuam tantùm perſonam, ſed ad vniuerſam Eccleſiam, & ſingula eius membra pertinere. Sic enim ait: Magnificate DOMINVM mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Exquiſiui DOMINVM, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini,& facies veſtræ nõ cõfundentur. Iſte pauper clamauit, & DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum,hoc eſt: Quòd Deus precationem meam exaudiuerit, & ſeruauerit me in omnibus aduerſis meis, nõ mea tantùm cauſa factum eſt,ſed propter vniuerſam Eccleſiam Dei, vt vnuſquiſque meo exemplo prouocatus, accedat ad Deum, & inuocet nomen eius. Hoc enim ſi fecerit, facies eius non confundentur. Quid autem opus eſt ex alijs Pſalmis teſtimonia huius rei petere, cum hic noſter Pſalmus perſpicuè teſtetur, ſe non ad Dauidem tantùm, verùmetiam ad omnem Iſraëlem, hoc eſt, populum ſeu Eccleſiam Dei pertinere. In fine enim additur vſus eius: Speret Iſraël in Dominum, quia apud DOMINVM miſericordia,& copioſa apud eũ redemptio. Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius. Vi-

des, quàm manifestè transferat Spiritus sanctus beneficium à Dauide precatione huius Psalmi impetratum, ad vniuersum Israëlem. Continet enim hic Psalmus duas partes: prior est precatio Dauidis, posterior est aptatio exempli Dauidis ad vniuersam Ecclesiam DOMINI. Suscipiamus igitur hunc Psalmum indubitata fide precandum, & cum idem noster sit Christus, qui & Dauidis, certò statuamus, nos eadem quoque beneficia per Christum filium Dei, vnicum Seruatorem nostrum consecuturos.

Benè igitur vertat, aggrediamur Psalmum ipsum, & percurramus eum qualicunq; expositione nostra, vt fidem confirmemus, & ad thronum gratiæ confidenter accedere audeamus.

1. *De profundis clamo ad te DOMINE.*
2. *DOMINE exaudi vocem meam, fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

In his primis duobus versiculis continetur status & summa huius Psalmi. Precatur enim DOMINVM, vt seruet ipsum in extremis, quibus obrutus est malis. De profundis, inquiens, vno hoc profunditatis vocabulo, quemadmodum paulò antè admonuimus, magnitudo & multitudo malorum, seu afflictionum haud obscurè significantur. Nam quemadmodum hi qui vel ruente ędificio, trabibus aut lapidibus ita obruuntur, & opprimuntur, vt vix caput leuare queant: vel in altissimam foueam cadunt, & in cœnum ad brachia vsq; ad collum demerguntur, & miserè clamant, vt qui possunt, opem oppressis ac demersis ferant, ex

profundo

profundo vociferantur: ita & illi qui malis vel exilij, vel infamiæ, vel inediæ, vel morbi, vel mortis, vel iudicij peccati, vel inferni ingemiſcunt, & auxilium inuocant, ex profundo clamare dicuntur. Nec profunditatis tantùm vocabulo magnitudo malorum exprimitur: ſed ſunt multæ aliæ metaphoræ, in ſacra ſcriptura, & præſertim in Pſalmis, quibus metaphoris afflictionum grauitas quaſi pingitur. Sagittæ tuæ, inquit, infixæ ſunt mihi. Et iterum: Infixus ſum in limo profundi, in quo nõ eſt fundum. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Et paulò antè, Intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. His & id genus alijs metaphoris deſcribitur magnitudo calamitatum, quibus homines diuino conſilio in tentationibus ſuis obijci ſolent. Pone igitur tibi ob oculos, quamcunq; volueris afflictionem, qua Dauid, qui primus hunc Pſalmum orauit, obrutus fuit, infamiam (exempli gratia) cum accuſabatur ſeditionis, vel exilium, vel ſtuprum & homicidium liberorum ſuorum, vel eiectionem è regno, vel id genus aliam, qua de diuina ira & æterna internecione admonitus fuit, certè ſatis cauſæ habuit, cur profiteatur ſe de profundis clamare. Sic Ionas, ſic Hieremias, ſic Daniel clamauerunt de profundis tam realibus, quàm metaphoricis, cum ille in ventre ceti iaceret, iſte in lacu lutoſo hæreret, hic in fouea lapide occluſa inter leones ſederet. Sic de profundis clamant, quotquot multis & magnis malis ita oppreſsi iacent, vt nullis ſuis viribus inde ſeſe explicare queant, ſed neceſſe habeant ex alieno auxilio pendere, & alienam opem implorare.

Vidimus quid ſit De profundis. Audiamus nunc ad

quem Dauid de profundis clamet, & cuius auxilium inuocet. Num ait, De profundis clamo ad te Abraham? aut ad te Iacob? Sunt enim, qui ex eo, quod Patriarcha Iacob de Ephraim & Manasse dicit, Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraam & Isaac, argumentantur, sanctos mortuos esse inuocandos. Sed hi & imperitia & impietate peccant. Imperitia est, quòd non intelligant phrasin Hæbræi sermonis, qua Patriarcha Iacob non docet mortuos inuocandos, sed significat se adoptare nepotes suos Ephraim & Manassen, in suos & patrũ suorum filios, vt singuli capiant vnà cum alijs suis tantum hæreditatis, quantum caperent, si immediatè ex Iacob, sicut alij filij sui nati essent. Nam si non fuissent in filios adoptati, successissent parenti suo Ioseph, & accepissent in distributione terræ Canaan vnam tantùm partem hæreditatis. Nunc autem, cum adoptentur, singuli capiant singulas hæreditatis partes. Itaq; cum Iacob ait: Inuocetur super eos nomen meum, hoc vult dicere, vocentur posthac meo & patrum meorum nomine, dicantur mei & patrum meorum filij, adoptentur in meos filios, vt sicut alij mei filij, ita & ipsi singulas accipiant sortes terræ promissæ. Eadem phrasis extat etiam apud Esa. 48. Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israël, &c. Hoc ab interprete rectè tralatum est, cum sit idem loquendi modus cum eo, quem antè ex Genesi recitauimus. Impietas autem est, quòd sentiunt homines mortuos inuocandos esse. Quem enim in necessitate inuocas, vt ferat tibi opem ad consequendam non corporalem tantùm, sed & spiritualem & æternam salutem, eum adores,

adores, & pro Deo colas, necesse est. Nam cui tribuis potestatem seruandi ad ęternā salutem, huic etiam tribuis maiestatē diuinitatis. Vnus aūt solus Deus adorandus & colendus est. Audi Israël, inquit, DOMINVS Deus noster, Deus vnus est. Et mox, DOMINVM Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Quare, qui homines mortuos inuocant, transferunt maiestatem vnius veri Dei in creaturas, & fiunt idolatrę. At enim vnus & verus Deus, inquiunt, delegauit seruandi officia hominibus sibi acceptis, & distribuit inter eos ministeria curandi morbos & alias afflictiones, vt hic medeatur oculis, ille auribus, iste torminibus, hic iuuet puerperas, ille tueatur segetes, iste conseruet in morte. Hæc quidem dici solent. Sed quando isti descenderunt de cœlo, vt reddant nos certiores, talem esse in cœlesti cœtu politiam, aut potius œconomiam, qualem ipsi nobis describunt? Inter iurisperitos turpe iudicatur, respondere lege non perspecta: quanto turpius est inter Christianos in Ecclesia Dei aliquid de cœlesti œconomia affirmare, nō perspecto verbo Dei? Sed iterum dicunt, Vt angeli, ita & sancti in Christo mortui, cum non exuerint vnà cum corpore caritatem suam erga nos, orant pro nobis in cœlo: cur igitur non essent inuocandi? Vt concedamus, sanctos in cœlis optare nobis bona, pro sua, eaq; cœlesti ratione, quam optionem vocaris sanè rationem seu precationem, nihil moror, manifestum tamen est, quòd non sint inuocandi. Qua fronte enim, aut potius qua fide, eos inuocabis, de quorum inuocatione nullum prorsus extat in vniuersa sacra Scriptura, nec verbum, nec exemplum? Vbi autem non est verbum Dei, ibi

nec est fides. Fides, inquit, ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Porrò vbi non est fides, quid ibi rectè geri posset? Omne quod nō est ex fide, inquit Paulus, peccatum est. Cum igitur inuocatio sanctorum careat verbo Dei, ideoq; non possit ex fide fieri, peccatum sit necesse est, tantùm abest vt sit cultus vel Deo, vel sanctis eius acceptus. Non damnamus, si quis fortè κατὰ προσωποποιίαν erumpat in hanc vocem, Ah Petre, memineris mei apud Christum DOMINVM nostrum, vt hac voce testetur affectum suum, se cupere vt non tantùm homines pij in Christo mortui, sed etiam vniuersæ creaturæ, quæ & pro nobis ingemiscunt, commendent salutem ipsius Christo. Quis enim talem affectum, tali grammatica forma loquendi, simpliciter, sine vlla superstitione, aut impietate expressum, temerè damnaret? quemadmodum Ecclesiasticos scriptores, maiores nostros aliquoties locutos esse videmus: sed sine verbo Dei distribuere salutis officia inter sanctos mortuos, & instituere nouum inuocationis sanctorum cultum, ac obseruare litanias sanctorum inuocatrices, hoc demum verè est idolatrian instituere & sectari. Quare cum Dauid de profundis clameret, non contulit se inuocatione sua ad Abraamum, ad Isaacum, ad Iacobum, ad Mosen, aut alios Patriarchas, quos sciebat sanctos quidem esse, & coram Deo viuere, non autem transferendam in ipsos esse maiestatem, soli & vni uero Deo debitam.

Ad quem ergo clamat? quem inuocat? Ad te DOMINE, inquit. Quis est ille DOMINVS? Videlicet is est, non solùm qui creauit cœlum & terram, qualem

& Turcæ

& Tureæ ſe inuocare dicunt: ſed qui ſe patefecit promiſsione ſeminis de muliere, quòd conterat caput ſerpentis: promiſsione item ſeminis Abrahæ, in quo ſemine benedicendæ ſint omnes gentes. Quid plura? Is eſt, qui eſt pater DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Hunc inuocat Dauid, ad hunc clamat Dauid de profundis. Hic enim is eſt, primùm qui verbo ſeu præcepto ſuo iuſsit ſe inuocare, & ad ſe in afflictione clamare. Deinde, qui tantis eſt viribus, vt ſe inuocantes iuuare poſsit, eſt enim Omnipotens. Poſtremò, qui tanta eſt beneuolentia erga inuocantes ipſum ex fide, vt etiam ex animo cupiat & velit eos ſeruare. Promiſit enim inuocantibus auxilium, & quod promiſit, hoc etiam reipſa implet: quia eſt Verax. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eripiam te, & honorificabis me. Cum igitur talis ac tantus ſit DOMINVS Deus Pater DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, rectà pergit ad eum Dauid inuocatione ſua de profundis, vt quem non dubitet, quin ſit preces ipſius exauditurus.

Sed audiamus tandem, quid ad DOMINVM de profundis clamet, & quid à DOMINO petat. Sequitur, DOMINE exaudi vocem meam. Et ne quis exiſtimet hoc non ſeriò peti, additur alijs quidem verbis, ſed eadem ſententia, Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Nunc videntur aures tuæ à precibus meis auerſæ, quòd etſi clamo, tamen iaceo adhuc proſtratus & demerſus in profundis malorum, precor igitur te, vt aures tuas ad inuocationem meam adhibeas: precor, vt declares te meam orationem exaudire, & liberes me ab his grauiſsimis, quibus adfligor, aduerſis. Rem mirandam. Deus immittit nobis

aduerſa

aduersa bono consilio,& aduersa sunt nobis adiumento in bonũ. Quid igitur audemus Deum inuocare, vt nos ex aduersis liberet? An non hoc est contrà Dei voluntatem,& nostram vtilitatem precari? Hic considera mihi, quam obedientiam Deus in omnibus rebus à nobis requirat. Etsi enim immittit aduersa, & iubeat ea patienter ferre, tamen iubet quoq; nos ipsum inuocare, vt ab aduersis liberemur. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eripiam te,& honorificabis me. Primùm enim cedunt quidem aduersa in bonum diuina clementia & bonitate, per se autem nec sunt bona nec prospera. Et qui aduersis affligitur, versatur in magnis & multis periculis. Quare vt aduersa non sunt temerè suscipienda, ita liberatio ab aduersis petenda, & piè quærenda est, ne DOMINVM Deum nostrum tentemus. Deinde Deus in hunc vsum solet aduersa immittere, vt excitet in nobis Spiritum precum, & habeat occasionem declarandæ ergo nos suæ potentiæ, clementiæ,& bonitatis in admirabili ab aduersis liberatione. Et testatur Propheta, quòd Deus discerpat, vt sanet: percutiat, vt curet: mortificet, vt viuificet: deducat ad inferos, vt reducat. Cum igitur Deus non velit perditionem afflicti, sed potius liberationem & salutem eius, perspicuum est, quòd etsi humiliare nos debemus sub potenti manu Dei, & patienter ferre aduersa: tamen non est petendum, vt aduersa aduersis cumulentur, sed potius, vt ab his, quibus in præsentia affligimur, liberemur. Non est quidem Deo præscribendus modus, aut tempus, aut alia id genus circumstantia liberationis. Omnino enim in hoc orationis genere vsurpandũ est, quod Christus filius Dei dixit: Non

Ose.6.

1. Reg.2.

mea

mea, sed tua voluntas fiat. Ipsa autem liberatio petenda est, vt vera & æterna felicitate, quam Deus in Christo filio suo nobis promisit, re ipsa tandem fruamur. Hactenus perstrinximus precationem, qua Dauid petit liberationem ab extremis, quibus affligebatur, malis. Sed cum in precatione necessaria sit fiducia, qua certò statuendum est, preces nostras non esse vanas, nec Deum esse surdum: sed exaudire preces, & seruaturum nos in aduersis, multa sunt, quæ precatorem ab hac fiducia auocare ac etiam absterrere solent. Maximè autem omnium opponit se huic fiduciæ conscientia peccati. Tu quidem dicis, De profundis clamo ad te DOMINE, DOMINE exaudi vocem meam: sed conscientia peccati reclamat. Quæ est illa, inquiens, impudentia, quòd cum benè scias, tot & tanta esse peccata tua, vt supergrediãtur caput tuum, audeas tamen precibus tuis in conspectum Dei prodire, & liberationem à malis tuis non optare tantùm, sed etiam sperare? Deus misericors quidem est, sed bonis & rectis corde. Tu verò malitiam & peruersitatem cordis tui manifestè agnoscis, ac manibus etiamnum, vt ita dicam, palpas. An nescis, quòd etsi auris DOMINI non est aggrauata, vt exaudire non possit, tamen iniquitates tuæ, quarum tibi probè conscius es, diuidant inter te & Deum, & peccata tua abscondant faciem eius à te, ne exaudiat? Hæc est grauissima tentatio, qua multi ita percelluntur, vt non tantùm incipiant in precibus suis de exauditione dubitare, verùmetiam abijciant preces, ex desperatione, & fiant contemptores Dei, ac palàm illud ethnici dicere haudquaquam vereantur, Flectere si nequeo Superos, Acheronta *Esa. 59.*

mouebo. Qua impietate, nihil potest dici horribilius. Audiamus igitur Dauidem nostrum, qui cum & ipse his cogitationibus tentatus fuerit, euasit ex eis, per Spiritum DOMINI, saluus: & docet nos suo exemplo, quid faciendum sit, vt hæc pericula, & hanc impietatem superemus.

3. *Si iniquitatis obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit?*
4. *Sed apud te est propiciatio, vt timearis.*

Breuissimi versiculi, sed qui sint ex præcipuis, quos in toto Psalmorum libro reperias. Docent enim perspicuè, quid opponendum sit accusationi peccati in iudicio Dei: & continent insignem illam, & cognitu necessariam doctrinam de vera pœnitentia coram Deo. Si iniquitates, inquit, obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Simplicius esset, si dixisset, Si obseruaueris DOMINE iniquitates, nemo sustinebit: sicut aliàs ait, Non intres in iudicium cum seruo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens. Nunc vehementius est & acrius, quod effert hanc sententiã interrogatione. Accusatur Dauid peccati? non negat, non excusat: sed sic agnoscit, vt etiã ingenuè fateatur, se, si secundũ peccata sua iudicetur, perpetuò esse damnatũ. Quis, inquiens, sustinebit, si obseruaueris, si diligẽter perscrutatus fueris iniquitates? Nullus vnquam vel Patriarcharũ, vel Prophetarũ potuit sua virtute in conspectu Dei constare. Quis igitur ego essem, qui tantam diuini iudicij seueritatem sustinere possem? Habes quid faciendum sit, cum in diuino iudicio

iudicio accuſamur peccati. Agenda videlicet eſt pœnitentia. In actione autem pœnitentiæ primum omnium agnoſcendum eſt peccatum, agnoſcenda eſt merita pœna peccati, ſiue afflictiones, ſiue mors, ſiue etiam horrores inferni. In humano quidem iudicio euaſeris aliquoties, ſi conſtanter negaueris te peccaſſe, aut peccatum excuſaueris. In iudicio autem diuino intantum non euadis negatione aut excuſatione, vt potius hac via peccatũ peccato cumules. Initio enim peccatum, quod à parentibus noſtris in nos propagatum eſt, carni noſtræ ita inhæret, vt nullus vnquam etiam ſanctiſsimorum hominum fuerit, qui non ſemper ſecum in ſinu ſuo hoc peccatum vſq; ad mortem in carne geſtauerit. Etſi autem credentibus in Chriſtum reatus huius peccati condonatur, tamen actus eius ſemper manet tam in credentibus, quàm in incredulis. Et tanta eſt fœditas & impietas huius peccati natura ſua, vt per ſe ſatis ſufficiens cauſa ſit non temporalis tantùm afflictionis, verùmetiam æternæ damnationis. In agenda igitur pœnitentia hoc peccatum agnoſcendum eſt, & confitendum cum Dauide, Si peccatum obſeruaueris DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Deinde agnoſcendi ſunt fructus peccati. Ex pecaato enim in nos propagato oriuntur variĳ fructus, videlicet contemptus Dei, blaſphemia, inuidia, ira, auaritia, & infinita alia. Hæc Chriſtus ſic enumerat, Ex corde, inquiens, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuicia. Et Paulus, Manifeſta ſunt, inquit, opera carnis, adulterium, ſcortatio, immuditia, laſciuia, ſimulacrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes,

iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia. Nullus autem adultorum hominum est, qui non alicuius horum criminum aut fuerit, aut adhuc sit obnoxius. Etsi enim non omnes sibi conscij sunt crassorum illorum peccatorum, quæ etiam mundus damnat & punit, nullus tamen est, qui legem Dei verè ac perfectè impleuerit. Tanta autem est seueritas diuinæ legis, vt exigat rationem etiam ab ocioso verbo, & nisi omnia exactè & perfectè seruentur, non reputet factores iustos, sed potius execretur eos æterna maledictione: Maledictus, inquit, omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus Legis. Et: Quisquis totam Legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omniũ reus. Quare in agenda patientia hi peccati fructus agnoscendi sunt, & iterum cum Dauide dicendum: Si iniquitates obseruaris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Præterea, nec hoc in agnitione peccati negligendum est, quòd etiam in virtutibus & bonis operibus, quæ iuxta Legem DOMINI fecimus, vitium agnoscendũ est. Nullus enim hominum est, qui factis suis Legem ita impleuit, aut etiam implere queat, vt nullum in eis vitium hæreat, & gloriari de eis, ac confidere possit in diuino iudicio. Siue igitur DOMINVS obseruauerit iniquitates in peccatis, siue in operibus iustitiæ nostræ, non est qui possit iudicium eius sustinere, ideoq; cum accusamur peccati, & affligimur, necesse habemus nos sub potenti manu Dei humiliare, peccatum agnoscere, & ingenuè fateri, nos non præsentem tantùm afflictionem, verùmetiam æternam damnationem, propter peccatum, meritos esse. Hoc est initium eius viæ, qua euadere, & seruari possumus. Quid ergo

dicemus

dicemus de Iobe, quid de alijs Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & Martyribus, qui in perſecutionibus, quas patiebantur ab impijs, clamauerunt ad DOMINVM de profundis. Num verò & ipſi neceſſe habuerunt peccata agnoſcere, & impiorum crudelitatem approbare? Iob affligitur diuinitus, & non ſolùm ipſe negat peccatum ſuum, Hęc patior, inquiens, abſq; iniquitate manùs meæ, cum haberem mundas ad Deum preces: ſed etiam DOMINVS Deus noſter pronunciat eum innocentem, Nunquid conſideraſti, inquiens, ſeruum meum Iob, quòd non ſit ſimilis ei in terra, vir ſimplex & rectus, timens Deum, recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra. Quid Dauid? Cum eiiceretur in exilium, & audiret vir ſanguinum, cur maluit tunc dicere, DOMINE Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: quàm illud noſtri Pſalmi, Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Quid Paulus Apoſtolus? Interficitur à Tyranno Nerone. Quæ eſt magna afflictio, in qua cum ad DOMINVM clamauerit, certè de profundis clamauit. Quid ergo? Num debuit approbare Tyranni ſæuitiem, & agnoſcere peccatum, ac dicere, Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE, quis ſuſtinebit? Hic conſiderandum eſt, quòd aliud ſit, coram diuino iudicio, cum ſolo Deo, aliud coram Deo, cum hominibus cauſam ſuam agere. Nam ſi coram ſolius Dei iudicio, abſq; collatione cum hominibus conſtitutus fueris, nihil prorſum habes, quod glorie-

ris. Si enim Deus obſeruauerit iniquitates, inuenit quod damnet, non in malefactis tantùm, ſed etiam in benefactis, quemadmodum antea attigimus. Quare ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè coram mundo affligeris, ſemper confitearis, neceſſe eſt, te, ſi Deus iniquitates obſeruaret, non ſolùm hanc præſentem & corporalem afflictionem, verùmetiam æternam damnationem, meritum eſſe. Itaq; Iob, Dauid, & Paulus, etſi non ſunt ſibi conſcij, quòd coram mundo, ille direptionem facultarum ſuarum, iſte eiectionem in exilium à filio ſuo, hic interfectionem à tyranno Nerone, meriti ſint: neceſſe tamen habuerunt confiteri, ſe in hoc non eſſe iuſtificatos. Si enim iniquitates obſeruaueris, DOMINE, DOMINE quis ſuſtinebit? Quòd ſi verò cauſam tuam egeris coram Deo, non ſolo, ſed cum hominibus aduerſarijs, ibi tum iniuſtè afflictus, aut falsò accuſatus, non ſolùm non debes alienam iniuſtitiam, aut mendacium approbare: ſed etiam debes iuſtitiam facti tui, iuxta vocationem tuam, conſtanter affirmare & tueri. Etſi enim nullus iuſtificatur in cõſpectu Dei, collatus cum perfecta iuſtitia, quam Lex Dei exigit: tamen qui honeſtè ambulat, & ab impijs aut iniquis iniuſtè affligitur, aut falsò accuſatur, iuſtificatur in conſpectu Dei, collatus videlicet cum iniquitate, & crudelitate aduerſariorum ſuorum. Quarè Iob rectè facit, quòd non approbat iniuſtitiam Chaldæorum, qui ipſum facultatibus ſuis ſpoliauerunt: nec approbat ſententiam ſuorum amicorum, qui argumentabantur ipſum propter peccata afflictum: ſed tuetur aduerſus eos innocentiam ſuam conſtanter. Et Dauid verè dicit, cum collatus cum calumniatore ſuo, ait: Iudica

dica me DOMINE secundum iustitiam meam, & secundum innocentiã meam super me. Et Paulus, cum à Nerone iuberetur occidi, potuisset piè dicere, quod Zacharias ad suos interfectores dixit: Videat DOMINVS, & iudicet. 2. Par. 24.

Sed reuertemur nunc ad institutum. Sicut initium pœnitentiæ, ita & initium euadendi ex profundis est, agnoscere peccatum suum coram Deo, & ingenuè confiteri, Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Quid ergo? num ad euasionem ex profundis aliquid amplius, quàm peccati & pœnæ meritæ agnitio requiritur? certè requiritur. Si enim hæc agnitio constiterit sola, in tantum non potest seruare deiectum in profunda, vt eum in profundiora premat, adeoq; prorsus conterat. Cain, Saul, Ahitophel, Iudas, & alij his similes iacebant in profundis, & agnoscebant peccata sua, sed quia ad hanc agnitionem nihil aliud accedebat, tantùm abfuit, vt ex profundis liberarentur, vt potius in infernum ipsum demersi fuerint. Quare ad consequendam liberationem, non est hoc gradu cosistendum, sed pergendum est ad id quod in Psalmo nostro sequitur. Sic enim ait: Sed apud te est propitiatio, vt timearis. Hoc illud est, quod ad euasionem ex profundis, post peccati agnitionem, necessariò requiritur, videlicet vt agnoscamus, quòd apud DOMINVM sit peccati propitiatio. In nobis est, peccatum, in DOMINO autem est remissio peccati. In nobis est iniquitas, in DOMINO autem est propitiatio iniquitatis. Hoc fide est accipiendum, hoc fide est retinendum, hoc è fide nullis vnquam aduersis est amittendum. Quid autem hoc noui est? inquies.

An

An non & Iudæi & Ethnici, & Turcæ, & Hypocritæ, & omne hominum genus, quod modò aliquam Dei cognitionem habet, fatentur Deum esse propitium & misericordem? Omnes igitur hi liberabuntur ex profundis? Et iuxtà refert, Siue fueris Ethnicus, siue Iudæus, siue Turca, modò credideris, agnito peccato, Deum esse propitium? Non certè iuxtà refert, nec omn[illegible] qui dicunt Deum esse propitium, liberantur ex profundis.

Facilè enim est ante tentationem, seu ante reuelatum iudicium Dei, verbis fateri Deum esse misericordem & propitium, id quod omne ferè hominum genus de Deo iactat: sed hoc constanter credere & fateri, si fueris tentationibus obiectus, & ante tribunal Dei constitutus, id demum non est, nisi eorum qui veram habent agnitionem filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi. Nam alij qui iactant misericordiam Dei, sentiunt Deum esse respectorem humanorum meritorum, & eum esse misericordem ac propitium ijs, qui misericordiam eius, operibus suis merentur. Itaq; Ethnicus suscipit Deum placandum hecatombis, Iudæus sacris Mosaicis, Turca sacris Mahumeticis, Hypocrita operibus commentitijs, aut etiam iuxta legem DOMINI excogitatis. Quid plura? Videntur hi omnes de misericordia Dei rectè sperare, sed cum venerint ad iudicium Dei, & sentiant seueritatem eius, ibi omni spe sua frustrantur, & animum prorsus despondent. Deus enim non est nec propitius, nec clemens, nec misericors, propter humana merita: sed gratis, tantùm propter semen Abrahæ, hoc est, propter filium suum DOMINVM nostrum Iesum Christum. Omnes, inquit

quit Paulus, peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei. Iuſtificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt per Chriſtum Ieſum, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem, interueniente ipſius ſanguine. Et Ioannes: Si quis, inquit, peccauerit, aduocatū habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nec dubito, quin cū Dauid in hoc Pſalmi verſiculo dicat: Apud te eſt propiciatio, Spiritus ſanctus reſpexerit nomine propitiationis, in filium Dei, Ieſum Chriſtum, qui eſt apud Deum, & qui fuit quondam propitiatorio Moſaico adumbratus, propterea quòd Pater propoſuerit hunc filium ſuum mundo, propter quem ſolùm velit propotius eſſe, & cum humano genere reconciliari. Quare qui aut ignorat aut cõtemnit filium Dei Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, hic etſi multum iactat miſericordiam Dei, fieri tamen non poteſt, vt fruatur ea ad veram & æternam ſalutem.

At enim exoriuntur hic noui impoſtores καὶ φρενα πάται, qui concedunt quidem, vnum tantùm eſſe propitiatorem, Ieſum Chriſtum: & ſolùm ſacrificiũ eius, quod ſemel in cruce peregit, eſſe propitiationem & expiationem peccatorum: ſed interim docent impudenter, quòd Chriſtus inſtituerit in Eccleſia ſua ſingulare ſacerdotium, videlicet Miſſarium: cuius officium ſit, ſingulis diebus ſacrificare corpus & ſanguinem Chriſti in Miſſa, vt hoc ſacrificio meritum Chriſti hominibus applicetur. Docent etiam meritum Chriſti per alia ſacrificia, videlicet contribulati cordis, afflictionum, ieiuniorum, precationum, gratiarum actionum, laudis, & id genus aliarum rerum, hominibus

applicari. Sed horum insciția & impietas manifestior est, quàm quæ multis refutari debeat. Primùm enim, Christus non instituit, nec singulare sacerdotium, nec singulare sacrificium in Ecclesia, quo meritum vnici sui sacrificij hominibus applicetur: sed instituit ministerium in hunc vsum, vt quam reconciliationem ipse sacrificio corporis & sanguinis sui impetrauit, publicè adnuncietur, & homnibus distribuatur. Manifestum quidem est, quòd ipse sit Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec, & quòd fecerit omnes credentes in ipsum Sacerdotes & Reges: Vos, inquit Petrus, estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta: Sed falsum est, quòd fecerit Sacerdotes Missarios, qui sacrificio & murmuratione Missæ, applicent meritum Christi quibuslibet, viuis & mortuis. Nam meritum vnici sacrificij Christi non applicatur hominibus alio organo, præterquam ministerio prædicandi Euangelij de Christo, & distribuendi Sacramẽta Christi, quæ sunt Baptismus & Cœna Dominica: nec alia re percipitur, pręterquam fide. Aliud est applicare meritum Christi, aliud fructum huius meriti percipere. Minister Ecclesiæ, applicat quidem, hoc est, offert & proponit cõcione Euangelij, & distributione Sacramentorũ, omnibus auditoribus suis meritũ Christi: sed quia nõ omnes accipiunt concionẽ & Sacramenta vera fide in Christum, ideo nec omnes percipiunt fructum meriti Christi. Nam quòd meritum Christi applicetur, seu offeratur & proponatur Ecclesiæ, non fictitio illo Missæ sacrificio, sed tantùm ministerio prædicandi Euangelij, & distribuendi Sacramenta, & quòd per fidem tantùm fructus eius accipiatur,

tur,perſpicua ſunt teſtimonia ſacræ ſcripturæ. Apud Marcum dicit Chriſtus ad Apoſtolos: Profecti in mundum vniuerſum, prædicate Euangelion omni creaturæ. Hic habes miniſterium applicationis, videlicet non ſacrificium Miſſæ,ſed prędicationem Euangelij. Et mox dicitur, quibus rebus applicatio vel ſuſcipiatur,vel reijciatur:Qui crediderit,inquit(videlicet Euãgelio) & baptiſatus fuerit, ſaluus erit:qui verò non crediderit,cõdemnabitur. Habes applicationem percipi fide,reijci autem incredulitate. Apud Lucam ait: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die,& prædicari nomine eius pœnitentiam ac remiſsionem peccatorum,in omnes gentes. Hîc iterum ſignificatur, prædicationem Euangelij Chriſti eſſe miniſterium illud,quo remiſsio peccatorum, quam Chriſtus mortis ſuæ ſacrificio impetrauit, diſtribuitur & applicatur omnibus gentibus.Et quia aliâs dicitur, Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſsionem peccatorum accipiat per nomen eius, quiſquis crediderit in eum: manifeſtum eſt, quòd remiſsio peccatorum, non niſi fide in Chriſtum accipiatur. Ad Romanos autem dicit Paulus: Euangelion Chriſti eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Quid manifeſtius & de applicatione & de perceptione applicationis dici poteſt? Euangelion, ſeu prædicatio Euangelij Chriſti eſt miniſterium illud,quo Deus eſt potens & efficax, vt quotquot oblatam ſeu applicatam ſalutem fide accipiunt, verè eam conſequantur. Et iterum: Fides ex auditu eſt,auditus autem per verbum Dei. Inſignis ſententia, qua perſpicuè ſignificatur, fidem, qua iuſtificamur &

seruamur, non esse ex murmuratione & oblatione Missarum, sed ex auditu verbi Dei. An non & in Missis, dicet quispiam, adnunciatur & auditur verbum Dei? Nos verò nunc nõ loquimur de ijs Misis, in quibus & Euangelion Christi purè adnunciatur, & cœna DOMINI iuxta institutionem Christi distribuitur: sed de ijs, in quibus non hoc agitur, vt Sacramentum cœnæ Dominicæ dispensetur Ecclesiæ: sed in quibus suscipiuntur corpus & sanguis Christi offerenda Deo patri ad applicandum quibuslibet meritum Christi, seu viuis, seu mortuis. In his Misis etsi quædam è sacra scriptura leguntur, tamen prohibetur publicè & vernacula lingua recitari, quod maximè omnium palàm adnunciari oportebat. Iusit enim Christus in cœna publicam facere mortis suæ mentionem: Hoc facitè, inquiens, in mei commemorationem. Et Paulus: Quotiescunq; inquit, comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem DOMINI adnunciate, donec veniat. Visum igitur est maioribus nostris, vt in cœna recitentur ea verba, quibus Euangestæ institutionem cœnæ describunt: nõ certè ad hunc vsum, aut potius abusum, vt his verbis tanquam magicis incantamentis corpus Christi de cœlo deuocetur, & in panem tanquam in corbem aut canistrum includatur, aut vt panis in corpus Christi transsubstantietur (sic enim isti loquuntur) sed vt hęc recitatio esset compendiaria cõmemoratio & adnunciatio mortis Christi, qua commemoratione fiat, vt cœna consecretur, hoc est, vt Ecclesia intelligat & cognoscat, celebrari nunc non profanam aliquam, sed Dominicam cœnam, & vt auditu adnunciationis mortis Christi, ac

sumptione

sumptione cœnæ fidem suam aduersus omnia tentationis genera confirmet. Quid autem noui illi φρενα πατωι? Prohibent, ne hæc Euangelistarum verba in Missis suis publicè & lingua Ecclesiæ nota recitentur. Et addunt bellam rationem, vt hoc mysterium (inquiunt) non prophanetur. Scilicet prophanatur, cum, quod Christus iussit, beneficium mortis eius adnunciatur: non autem prophanatur, cum & impurissimi nebulones illud tractant, & institutionem Christi impudenter violant. Ac vocetur sanè cœna Dominica, mysterium. Num autem idcirco vocatur mysterium, quòd verba cœnæ debeant in Missis coram Ecclesia occultari, & non potius, quòd aliud videatur, aliud significetur? Eadem ratione, ne Christus quidem ipse, qui est verum mysterium, in vniuerso mundo prædicandus esset, ne videlicet prophanaretur. Non omnibus quidem indiscriminatim cœna DOMINI exhibenda est. Quid enim Ecclesiæ, cum publicè impijs, scortatoribus, ebriosis, & alijs id genus sceleratis? Sed qui sanctificati sunt per Christum ad sumendam cœnam, hi etiam sanctificati sunt ad audienda verba Euangelistarum de cœna, hoc est, ad audiendam commemorationem mortis Christi. Quare qui prohibent, ne verba cœnæ publicè, lingua Ecclesiæ cognita, in cœna recitentur, primùm significant se reputare Ecclesiam indigniorem, quàm quæ audiat adnunciationem mortis Christi sui. Deinde quia obtrudunt Ecclesiæ spectandum, ac etiam adorandũ panem, quem videt quidem Ecclesia habitu & murmure sacrificuli afflari, non cognoscit autem certò, num vel verba Euangelistarum, quæ isti vocant verba consecrationis,

secrationis, vel magica quædam carmina recitata sint, instituunt manifestam idolatriam, omnibus pijs fugiendam & vitandam. Sed de his aliâs copiosius. Nunc pergamus aliud testimonium ex Paulo commemorare, quòd meritum Christi non applicetur Ecclesiæ, sacrificio Missæ, sed ministerio prædicationis Euangelij, & dispensationis Sacramentorum iuxta institutionem Christi. Sic autem scribit Paulus ad Corinthios: Dedit nobis ministerium reconciliationis. Et ne quis hoc ad officium, vt vocant, Missarum Papisticarum trahere queat, mox additur: Posuit in nobis sermonem reconciliationis. Non igitur missando, sed prædicando applicatur nobis reconciliatio. Et aliâs: Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, ad ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei. Hic enumerat Paulus dona & ministeria, quæ Christus in Ecclesia instituit, & quæ necessaria sunt ad Ecclesiæ ædificationem & conseruationem. Sed vbi inter hos reperias sacrificulos & missatores? Huc accedit, quod Petrus scribit: Renati, inquiens, nõ ex semine mortali, sed ex immortali, per verbum Dei viuentis, & manentis inæternum. Hoc autem est verbum, quod per Euangelion ad vos delatum est. Iam si per Verbum Euangelij renascimur, quid aliud consequeretur, quàm quòd etiam per verbum Euangelij applicentur nobis beneficia Christi? & quia Euangelion non nisi fide accipitur, necessariò consequitur, quòd & beneficia Christi non nisi fide accipiantur. Quare valeant noui illi impostores, qui

Ecclesiæ

Ecclesiæ obtrudunt Missas suas pro applicatorijs sacrificijs: nos verò audiamus Apostolicam doctrinam, & sumamus cœnam DOMINI iuxta Christi institutionem, ex fide, vt quod nobis doctrina & cœna DOMINI offertur & applicatur, fide vtiliter & salubriter percipiamus. Deinde, quæ est illa vel incogitantia, vel intemperies, quòd isti πλάνοι doceant meritum Christi, hoc est, propitiationem & remissionem peccatorum, applicari etiam per sacrificium Spiritus contribulati, & per carnis afflictiones? Suus quidem vsus est Spiritus contribulati & afflictionum, & aliarum, quas isti enumerant, rerum: sed quòd sint sacrificia applicatoria meriti Christi, quod potest impudẽtius dici? Extortum est ab istis meritum humanorum operum irrefutabilibus & inuictis scripturæ testimonijs. Nunc ergo pronomine meriti producunt in medium nomen applicationis, quo perstringant oculos imperitorum, vt habeantur diserti doctores: cum tamen veterem impietatem retineant, & sentiant, nos nostris actionibus & passionibus mereri, vt accipiamus à Christo remissionem peccatorum. Sed profectò, si probè obseruaueris, non potest impietas eorum occulta esse. Quid enim habet in se Spiritus tribulatus, quid ieiunium, quid Eleemosyna, per quod remissio peccatorum applicetur? Num in Spiritu contribulato est prædicatio Euangelij? num in ieiunio est dispensatio cœnæ Dominicæ? Quid ergo dicemus? Saul, cum obtulit se armigero suo occidendum, habuit Spiritum contribulatum, ergo ne applicauit sibi hoc Spiritu meritum Christi? Ahitophel, & Iudas habuerunt Spiritus contribulatos, cum ad laqueos properarent, dicemus

cemus igitur eos tunc sibi meritum Christi applicuisse? Quid magis insanum? Multi inter Iudæos & Turcas suscipiunt ex religione, ieiunia, & alias carnis afflictiones, applicant ergo sibi meritum Christi? In Ecclesia, inquis, & in fide Christi hæc valent, non extra Ecclesiam & fidem. Ergo priusquam hæc fiunt, necesse est, vt meritum Christi fuerit applicatum. Quomodo igitur dicis, per hæc applicari? Hoc certè nihil aliud est, quàm illud hactenus in Papistica Ecclesia vsitatissimum, quòd in iniungenda satisfactione, indixerint pro scortatione eleemosynam, pro crapula peregrinationem, pro furto ieiunium, pro homicidio chameuniam, aut si quid est impertinentius. Quæ enim collatio eleemosynæ ad scortationem, ieiunij ad furtum? Cur non potius pro scortatione iniuncta est castitas, pro crapula, ieiunium, aut sobrietas, pro furto, restitutio furti? Sed nunc libet φρενα πάταις istis, nouo quodam loquendi genere veteres abusus, imò impietates restituere, vt lux veræ doctrinæ de consequendo merito Christi obscuretur, & extinguatur. Beatus igitur vir, qui non ambulat in consilio eorum, nec stat in via ipsorum, nec sedet in cathedra pestilentiæ eorum, sed meditatur in Lege DOMINI die ac nocte.

Apud te, inquit noster Psalmus, est propitiatio, quæ vt non applicatur nobis vel sacrificio Missæ, vel ieiunio, vel chameunia, sed tantùm prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum Christi, ita non accipitur ad salutem, nisi per fidem in Iesum Christum, vnicum propitiatorem nostrum. Quid autem illud est, quod additur, Vt timearis? Duo dixit: alterum,

rum, quòd si DOMINVS obseruauerit iniquitates, nullus hominum in iudicio eius consistere queat: alterum, quòd apud DOMINVM sit propitiatio. Additur ergo nunc, in quem vsum hæc duo de DOMINO Deo nostro cognoscenda & confitenda proponãtur, Vt timearis, inquit. Timere Deum, iuxta vulgarẽ phrasim scripturæ, est Deum colere, Deum venerari, Deo gloriam tribuere, Deo credere & cõfidere, ac Deo obedire, Cum igitur agnoscimus, corã Deo nullum hominem esse innocentem, & tamen apud Deum esse propitiationem, agnoscimus primùm, quòd soli Deo tribuenda sit gloria perfectæ & absolutæ iustitiæ. Deinde, quòd soli Deo tribuenda sit gloria clementiæ, misericordiæ, & propitiationis. Tertiò, quòd soli Deo adscribenda sit liberatio ex profundis. Quartò, quòd soli Deo fidendum in omnibus aduersis. Quintò, quòd solus Deus sit inuocandus. Postremò quòd Deo tam iusto, tam propitio, semper sit obediendum, semperq; in vocatione eius ambulandum. Hoc est Deum verè timere, verè colere, & cognoscere. Et qui sic Deum timet seu cognoscit, non fruitur vana speculatione, sed accipit fructum æternæ vitæ. Hæc est, inquit, *Ioan.17.* vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Incumbamus igitur in hoc studium, vt agnita iustitia & clementia Dei per Iesum Christum filium eius, Deum toto pectore colamus, & eo in æternum fruamur. Habes, quid faciendum sit, si in imploratione diuini auxilij, reijciaris accusatione peccati. Primùm enim agnoscendum est peccatum, & ingenuè, ex animo confitendum, Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis

sustinebit? Deinde credendum est, quòd apud DOMINVM sit propitiatio iniquitatis propter Iesum Christum filium Dei. Postremò timendus, colendus & glorificandus est Deus, vt obedientia tua gratum te declares. Hoc autem quid aliud est, quàm veram agere pœnitentiam? Quare in his duobus versiculis, etsi breuissimis, tota tamen doctrina de pœnitentia luculenter continetur.

Sed audiamus nunc eos versiculos, quibus Dauid hanc suam precationem concludit.

5. *Expecto DOMINE, expectat anima mea, & in verbo tuo spem habeo.*
6. *Anima mea ad DOMINVM, à custodia matutina vsq; ad custodiam matutinam.*

Hæc est precationis conclusio. Dauid enim clamauit de profundis, vt à malis suis liberetur. Et quia obiectæ ei fuerunt iniquitates, propter quas indignus esset qui exaudiretur, egit pœnitentiam, agnouit iniquitates, & credit apud DOMINVM esse propitiationem propter Christum; ac recipit se in timore DOMINI ambulaturum. Quid ergo amplius obstat, quo minus exaudiatur, & auxilium diuinum accipiat? Nihil certè obstat. Expecto igitur nunc, inquit, auxilium tuum DOMINE: nec simpliciter ac trepidè expecto, sed expectat anima mea, expecto ex animo, & ardentissimè. Et expecto non fluctuanti aut diffidenti animo, sed firmissima & certissima spe, quam ex verbo promissionis tuæ concepi, & quæ nullum pudefacit. Expecto etiam non vno tantùm tempore, sed à custodia seu vigilia

vigilia matutina vsq; ad vigiliam matutinam: hoc est, singulis diebus, à mane vsque ad mane. Non abijcio spem, etiamsi non statim sentiam auxilium. Si hodie non liberor, expecto vsq; ad alterum diem. Si nec altero die liberor, expecto vsq; ad tertium: & sic pergo semper expectare tuum auxilium certissima spe concepta, quòd cui es propitius, & cui auxilium tuum promisisti, non sis eum perpetuò deserturus.

Duo dicit, se videlicet obedienter & patienter expectare, ac spem suam in verbo DOMINI collocare. Primùm igitur obserua hic discrimen inter veram & falsam pœnitentiam. Hæc enim statim properat ad accipiendum diuinum auxilium: & nisi id mox externo etiam sensu percipiat, abijcit omnem timorem Dei, omnem spem & fiduciam de Deo, & quærit aliena auxilia. Vera autem pœnitentia, quæ constat vera agnitione peccati, & vera fide remissionis peccati propter Christum, non properat, sed expectat & sperat. Cupit quidem quamprimùm ex profundis in lucem educi: sed cum tempus extrahitur, non murmurat aduersus Deum, non inuehitur in Deum conuicijs aut maledictis, non abijcit timorem Dei, nec quærit aliena auxilia contra verbum Dei: sed expectat patienter liberationem, & certò sperat eam vel tandem venturam. Nam cum in agnitione peccati, serìo cogitamus, nos non tantùm temporale, sed etiam æternum supplicium meritos, quid habemus, quod conqueramur, etiamsi non statim è temporali afflictione liberemur? Dignus es æterno igni, & non sufferres æquo animo, ad tempus hunc corporalem ignem? Adhæc, cum in fide serìo cogitamus, nos verè in gratiam Dei

receptos, & afflictiones nobis esse vtiles, ac certissimam fore liberationem, quæ nobis impatientiæ & virulentiæ causa reliqua est? Agamus igitur in inuocatione diuini auxilij veram, non fictitiam pœnitentiam, vt obediẽtiam nostram expectatione coram Deo testificemur. Deinde obserua, quomodo spes, in diuturna expectatione confirmanda sit. In verbo tuo, inquit, spem colloco. Ergo, cum expectanda nobis est diuina liberatio, confirmanda est spes nostra verbo DOMINI. Deus enim non solùm donauit nobis filium suum, vt esset æternus noster liberator, sed etiam promisit verbo suo, se adfuturum nobis in omnibus aduersis huius seculi, & seruaturum nos in omnibus malis, quæ nobis in hoc mundo accidere solent.

Psalm. 9. Factus est DOMINVS refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et mox: Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Et iterum: Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Psalm. 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit DOMINVS.

Psalm. 17. Quoniam tu populum humilem saluum facies, &c.

Psalm. 33. Iuxtà est DOMINVS his qui tribulato sunt corde, & humiles Spiritu saluabit.

Psalm. 34. Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.

Psalm. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.

Psalm. 90.

Psalm. 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Sed quis omnia ista verba Spiritus sancti, vel saltē ea quæ in Psalmis continentur, quibus promittitur afflictis diuinum auxilium, enumerare posset? Nam hęc, & his similia, ea sunt verba, quibus spem nostram in diuturna diuinæ liberationis expectatione ita confirmare possumus, vt etiamsi fractus illabatur orbis, non tamen de veritate cœlestis promissionis dubitemus. Est quidem spes, quæ collocatur in humanis promissis aut coniecturis. Hæc vt multum fallit, ita sæpè solet sperantem pudefacere. At verò spes, quæ collocatur in verbo DOMINI, nec fallere, nec pudefacere potest. Exiccatur, inquit Esaias, fœnum, & cadit flos. Verbum autem Dei nostri stabit in æternum. Quare cum nobis mora expectationis nimis diuturna videtur, properandum est precibus ad verbum Dei, seu ad promissiones eius, vt spe nostra confirmata, patienter expectemus, quod promissum est.

Postremò obserua, quòd in aduersis patienter, & firma spe expectare cœlestem liberationem, etsi grauissimum est, tamen sit cultus Deo gratissimus, & res nobis vtilissima. Non enim est tale opus, qualia hypocritæ pro suo arbitrio facienda suscipiunt: sed quod Deus ipse & mandatis exigit, & promissionibus commendat. Psalmo 26. Expecta DOMINVM, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine DOMINVM. Et Psal. 32. Oculus DOMINI super timentes eum, & expectantes beneficentiam eius, vt eruat à morte animas eorum, &c. Et Psal. 36. Reuela DOMINO viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Ac iterum, Susti-

nentes DOMINVM ipsi hæreditabunt terrã. Et mox, Expecta DOMINVM, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram. Et Abacuc: Si mora fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et Esaias: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Ac mox: Beati omnes qui expectant eum. Cum igitur DOMINVS toties iubeat nos expectare, dubiũ non est, quin sit ei acceptissimum: & cum expectationem tam liberalibus promissionibus ornet, perspicuum est, quòd in aduersis nihil vtilius, nihilq; magis salutare facere possimus, quàm vt patienter liberationem DOMINI expectemus. Quo diutius enim differtur liberatio, eo copiosior & glorioſior veniet liberatio. Hęc est prior pars huius Psalmi, quæ continet precationem. Sequitur nunc posterior, quæ est aptatio priuati exempli ad vniuersam Ecclesiam Christi, & continet exhortationem.

7. *Speret Israêl in DOMINO, quia apud DOMINVM misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*
8. *Et ipse redimet Israêlem ex omnibus iniquitatibus eius.*

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua exemplum Dauidis accommodatur ad vniuersam Ecclesiam. Etsi enim in sanctis, exempla vocationum, & externarum liberationum, solent plerunq; esse personalia, tamen promissiones veræ & æternæ liberationis ac salutis sunt generales, & pertinent ad omnes homines, qui & fruuntur illis, si eas per fidem acceperint. Sic & alias Dauid: Accedite, inquit, ad eum, & illuminamini, & facies vestræ nõ confundentur. Iste pauper clamauit, *Psalm. 32.*

&

& DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Et Paulus Christum, veræ liberationis & salutis autorem, non sibi soli aptat, sed facit eum omnibus communem. Certus, inquiens, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Verùm ideo misericordiam sum adeptus, vt in me primò ostenderit Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui crediturí essent in ipso, in vitam æternam. Et iterum, Non est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim, quicunq; inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Sed & Christus ipse non concludit salutem suam ad Apostolorum tantùm cœtum, sed vulgat eam in vniuersam Ecclesiam suam. Non pro eis, inquiens, rogo tantùm, sed & pro ijs qui crediturí sunt per sermonem eorum in me. Et rursus: Thoma, quia vidisti, credis: beati qui non vident, & tamen credunt. Cur igitur vera & æterna salus sit omnibus per fidē accipienda & fruenda proposita, rectè et vtiliter facit Dauid, quòd accōmodat in fine huius Psalmi exemplum suum, ad omnem Israëlem: Speret, inquiens, Israël in DOMINO. Propitiatio, & liberatio ex profundis, cōtigerunt quidem mihi per fidem & inuocationem nominis Dei propter promissum seruatorem, filium Dei: non autem pertinēt ad me solum, sed etiam ad Israëlem. Non est ignotum, quòd Patriarcha Iacob cognominatus sit Israël. Vnde postea tota familia Iacob, & omnes posteri eius dicti sunt Israël. Israël autem, si interpreteris, *Gen. 32.*

ris, non significat, vt quidam exponunt, vir videns Deum, sed dominator seu victor Dei. Cum enim Patriarcha luctaretur cum angelo Dei, & ita superaret angelum, vt non nisi optata benedictione euadere posset manum Patriarchæ, dictus est Israël, quòd præualuisset, & superasset angelum Dei. Hoc autem cognomen congruit populo seu Ecclesiæ Dei aptissimè. Ecclesia enim rectè dicitur Israël, hoc est, dominatrix seu victrix Dei: non quidem suis viribus, sed eius qui donatus est ipsi, Iesu Christi DOMINI nostri. Primum enim, Ecclesia externis persecutionibus tam grauiter concuti solet, vt videatur à Deo ipso affligi. Persequuntur enim Ecclesiam, non abiecti tantùm homines, sed maximè omnium monarchæ huius seculi, quos Deus ipse in tantam maiestatem extulit, & quorum regna sunt ordinationes Dei. Quare cum hi persequuntur Ecclesiã, videntur non homines, sed Deus cum ecclesia pugnare. Ecclesia aũt in his omnib. persecutionibus & aduersis euadit, superat & vincit. Non ergo absurdè dicitur superare & vincere Deũ. An nõ videbatur Deus aduersus Ecclesiã stare cũ Pharaone, qui accepto diuinitus potentissimo regno, grassabatur tyrannide sua in Israëlẽ? Sed Israël verè erat Israël, hoc est, victor Dei, quia in hac persecutione non tantùm seruabatur, verùmetiã augebatur. Nabuchodonosori datum erat diuinitus summum in terris imperium. Cum igitur vastaret metropolim ecclesiæ, & alios quidem trucidaret, alios in orbem dispergeret, alios in perpetuam seruitutem abduceret, an non videbatur Deus cum Ecclesia pugnare? Sed quia Ecclesia euasit incolumis, & superauit has ærumnas, rectè vocatur Israël,

Israël, hoc est, dominatrix seu victrix Dei. Nero sæuiebat gladio suo in Apostolos & auditores eorũ, qui erãt Ecclesia Dei. Et quia Nero summũ erat caput eius regni, quod erat diuina ordinatio, videbatur Deus ipse, non homo quispiã tyrannus in Ecclesiã sæuire. Sed his aduersis Ecclesia nõ modò non deletur, verùmetiã mirum in modum in vniuerso orbe crescit. Hoc certè est Deum vincere, & verè Israëlem esse. Sic & Paulus ait, 2. Corinth. 4. In omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at non deserimur: dejcimur, at non perimus. Nam quòd pij dejciuntur, non est nisi à Deo. Vestri etiam pili capitis, inquit, omnes numerati sunt. Quòd autem non pereunt, etsi & hoc ipsum virtutis Dei est, tamen quia aduersa immituntur ordinatione Dei, rectè dicuntur pij Deum superare, cum aduersa consilio Dei immissa superant. Deinde Ecclesia afligitur non tantùm corporalibus, sed etiam Spiritualibus aduersis in hac terra. Alij homines securè ambulant, & contemnunt iudicium Dei. Ecclesia autem intelligit magnitudinem peccati, videt iram Dei aduersus peccatum, sentit grauissimos horrores mortis & inferni. Quibus rebus ita afficitur, vt tantum non existimet sibi pereundum esse. Non enim nescit, quòd hoc sit iudicium diuinæ legis, quæ est immota & perpetua Dei sententia. Et tamen hanc Dei sententiam vincit per fidem, quę est in Iesum Christum. Quid ergò aliud diceremus, quàm quòd Ecclesia haud immeritò vocetur Israël, hoc est, victrix Dei? Incumbamus igitur in hoc studium, vt per fidem in Christum fiamus membra Ecclesiæ, quo etiam victores Dei, seu

diuini iudicij, in aduersis tam corporalibus, quàm Spiritualibus efficiamur. Speret, inquit, Israël in DOMINO. Sed quomodo possumus sperare, aut vnde concipiemus spem, ne pudefiamus? Habemus aduersarios tam corporales quàm Spirituales, eosque longè omnium potentissimos. Et videtur DOMINVS non à nostra, sed ab aduersariorum parte stare. Persequitur nos mundus totis viribus suis. Et DOMINVS videtur sæuitiæ eorum fauere. Videmus peccata nostra, tam ea quæ carni inhærent, quàm illa quæ externis quoque factis designauimus, & reipsa sentimus iram DOMINI aduersum nos. Quomodo ergò sperabimus in DOMINO? Huic obiectioni respondent ea quæ sequuntur. Quia apud DOMINVM, inquit, misericordia, & copiosa apud eum redemptio. At enim nihil adhuc (dices) mitius habeo, etiamsi multa mihi prædicantur de misericordia & redemptione DOMINI. Quomodo enim collocabo spem in misericordia & redemptione eius, cum mihi ira & indignatio eius manifestè sit ob oculos posita? Et audio ex lege, DOMINVM quidem esse misericordem his, qui custodiunt præcepta eius. Ego verò ne possum quidem præcepta eius tam exactè custodire, quàm exiguntur, tantum abest vt vnquam ea custodierim. Quò igitur ad concipiendam certam & firmam spem de misericordia & beneficentia DOMINI me vertã? Primùm, verte te ad verbum DOMINI, quod Mosi reuelatum est in monte Exod. 34. & repetitum est Psalm. 102. Cum enim Moses cuperet videre Deum, facie sua, hoc est, filium Dei, in sua humana figura, audiuit quidem, nullum esse hominem tunc viuentem, qui ætate

sua

ſua poſsit pertingere vſq; ad id tempus, quo filius Dei in carne videndus eſſet: interea autem recitat ei Deus epitheta ſua, ex quibus ipſe & vniuerſa eccleſia intelligant, quid ſpei de Deo & clementia eius concipere debeant. Hæc autem ſunt epitheta Dei, quæ illic à Deo ipſo commemorantur: DOMINVS, Deus, miſericors, clemens ſeu beneficus, longanimis, immenſæ bonitatis, verax, cuſtodiens miſericordiam in milia, condonans iniquitatem, ſcelera atq; peccata: qui parcit credentibus videlicet: & non parcit, videlicet incredulis. Ex his epithetis diuinitus reuelatis intelligimus, quod in noſtro Pſalmo dicitur, apud DOMINVM eſſe miſericordiam, & copioſam apud eum redemptionem. Quare cum tentamur dubitatione de gratuita clementia & miſericordia Dei, confirmandus eſt animus ex hoc verbo Dei, vt certam & firmam ſpem concipiamus. Deinde verte te ad opera, ad miracula, quibus Deus miſericordiam & beneficentiam ſuam teſtatus eſt. Extant miracula tum priuatim, tum publicè edita, inſignia diuinæ miſericordiæ atq; clementiæ monumenta. Cum diluuium vniuerſam terram & omnes homines perderet, ſeruauit Deus Noë octauũ admirabiliter. In egreſſu ex Ægypto cum Ægyptiorum primogenita perirent, Iſraëlitę omnes manent, diuina clementia, ſalui. Et mox Ægyptij obruuntur aquis maris rubri. Sed Deus fauens Iſraëlitis, educit eos ex aquis incolumes. Deinde paſcit eos admirando modo in deſerto, & oſtendit eis multa alia clementiæ ſuæ argumenta quadraginta annis in deſerto. Quid dicam de ijs miraculis, quibus Deus conſeruatione Iſraëlitarum in terra ſua Canaan publicè bene-

ficentiam ſuam comprobauit? Vide mihi etiam priuatorum hominum. Abrahæ (exempli gratia) Iacob, Moſi, Dauidis, & aliorum, aut conſeruationes in extremis periculis, aut liberationes, quæ etſi priuatim vni & alteri contigerunt, tamen ſunt publica diuinæ clementiæ teſtimonia. Hæc ſi quis probè intueatur, quid impediret, quo minus certam & firmam ſpem de clementia Dei erga ſe concipere poſſet? Poſtremò, vt de clementia ac miſericordia Dei nullus dubitationi locus relinquatur, & ſpe noſtra de gratuita beneficentia Dei nec fruſtremur, nec pudefiamus, intuendum eſt in eam dilectionem, qua Deus Pater miſit & donauit nobis vnigenitum filium ſuum DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, & dedit eum propitiationem pro peccatis noſtris. Spes, inquit Paulus, non pudefacit. Quā ob cauſam? Sequitur, Quia dilectio Dei (videlicet qua Deus nos diligit) effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Et mox, Gloriamur in Deo per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem aſſecuti ſumus. Duo proponit Paulus, quæ cum ſint certiſsima, faciunt vt & ſpes ſit certiſsima, nec poſsit ſperantem pudefacere. Alterum eſt, dilectio, qua Deus nos complectitur. Nihil hac eſt certius, quippe quam Deus teſtatus eſt traditione vnigeniti filij ſui pro nobis adhuc impijs, in mortem. Commendat, inquit Paulus, dilectionem ſuam ergo nos Deus, quòd cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et Chriſtus ipſe: Sic Deus, inquit, dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat æternam vitam. Et Ioannes, In hoc, inquit,

quit, apparuit caritas Dei in nobis, quòd filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Cum igitur nihil certius ſit, quàm quòd Deus proſequatur nos propter filium ſuum ſumma dilectione, fieri non poteſt, vt ſpes de miſericordia & beneficentia Dei concepta ſperantem fallat. Alterum eſt reconciliatio, quæ facta eſt per Chriſtũ. Eſt & hac nihil certius. Nam ſi tanta fuit potentia Adæ, primi hominis, vt propagarit in omnes poſteros ſuos peccatum, mortem & condemnationem, cur non potentior eſſet Chriſtus, filius Dei, ſecundus Adam, vt propagaret in omnes poſteros ſuos, qui ſunt credentes in ipſum, reconciliationem, iuſtitiam, vitam, & perpetuam ſalutem? Si per vnius delictum, inquit Paulus, mors regnauit per vnum, multo magis ij qui exuberantiam gratiæ & doni iuſtitiæ accipiunt, per vitam regnabunt autore vno Ieſu Chriſto. Quod cum ita ſe habeat, vt & dilectio Dei, & reconciliatio Chriſti ſint certiſſima, nihil aliud reliquum eſt, quàm quòd & ſpes, quæ de clementia & bonitate Dei propter Chriſtum concipitur, ſit certiſsima, nec poſsit ſperantem pudefacere. Rectè igitur iubet Pſalmus Iſraëlem ſperare in DOMINO, quòd apud DOMINVM ſit miſericordia, ſeu beneficentia. Nec eſt contentus mentione miſericordiæ, ſed additur etiam de redemptione: Copioſa, inquiens, eſt apud eum redemptio. Non ſimpliciter dicit redemptionem eſſe apud DOMINVM, ſed dicit redemptionem copioſam ſeu multam. Ac primùm quidem copioſa & multa eſt apud DOMINVM redemptio, propterea quòd ſoleat non ſemel tantùm ac iterum, ſed ſæpè ac multum ſeruare in periculis, & liberare

berare ſperantes in ipſum. In Iobe dicitur: In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malũ. Teſtantur idem exempla piorũ. Moſes non tantùm ſeruatus eſt in infantia, cum in flumen exponeretur: verumetiam ſeruatus eſt poſtea, cum Pharao inſidiaretur vitæ eius, cum à ſuo ipſius populo lapidibus obruendus eſſet, & in omnibus alijs periculis. Dauid non tantum ſeruatus eſt à DOMINO, cum in paſtoricio munere Leo & Vrſus in ipſum graſſarentur, & poſtea Goliath in eum inermem gladio & haſta ſæuiret: ſed etiam cum Saul peteret eum lancea, & concluderetur exercitu eius, & eijceretur à filio ſuo è regno, & in alijs aduerſis. Et Paulus ait: Propter te morti tradimur tota die, habemus ſicut oues deſtinatæ mactationi. Verùm in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Et iterum: Confidamus in Deo, qui ad vitam ſuſcitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit, in quo ſpem fixam habemus, quòd & iam poſthac erepturus ſit. Quare cum Deo ſolenne ſit ſperantes in ipſum ſeruare, non ſemel aut iterum, ſed ſemper ac perpetuò, verè dicitur copioſam & multam eſſe apud eum redemptionem. Deinde copioſa redemptio etiam eò reſpicere poteſt, quod Paulus ad Epheſios ſcribens, Ei, inquit, qui poteſt cumulatè facere vltra omnia, quæ petimus aut cogitamus, iuxta vim agentem in nobis ſit gloria. Deus enim ita redimere ſolet ſperantes in ipſum, vt quo diutius differt liberationem, eo admirabilius & copioſius beneficium conferat, ac multo plura largiatur, quàm quiſquam nõ dico verbis petere, ſed tantùm animo cogitare auſus fuiſſet. Itaq; redemptionis dilatio, non eſt beneficij negatio,

negatio, sed potius fœneratio, & cumulatio. Quis hanc non diceret copiosam redemptionem? Sed amabo te, quid profuerit tibi, sæpe ac multum in hoc seculo, è corporalibus periculis redimi, si adhuc peccatis oneratus, necesse habes mortem obire, & propter peccata perpetuò condemnari? Quid iuuat, in aduersis ambos pedes incolumes reportare, ne lædantur, sed paulò pòst cum ambobus conijci in gehennam ignis? Addit ergo Dauid, & exponit, quid propriè per copiosam redemptionem intelligat. Copiosa, inquiens, est apud eum redemptio, quia redimit Israëlem ex omnibus iniquitatibus eius. Initiò obserua, quòd hic sit manifesta concio de filio Dei, & quòd filius Dei, Iesus Christus, sit verus ab ęterno Deus. Tribuit enim Psalmus vero DOMINO Deo nostro, quem ab initio inuocauit, redemptionem ex iniquitatibus. Manifestum autem est, quòd filius Dei Iesus Christus susceperit propter hanc causam, non carnem tantùm, sed etiam crucem & mortem, vt homines ab iniquitatibus suis redimeret. Dedit, inquit Paulus ad Titum cap. 2. & Ephe. 1. semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate. Et aliàs. Deus reddidit nos caros per dilectum, per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Quare Psalmus concionatur in hoc versiculo perspicuè de Christo filio Dei: & quia loquitur non nisi de vero & æterno Deo, testificatur etiam, quòd filius Dei sit verus & æternus Deus patri suo consubstantialis. Deinde, docet hic vltimus versiculus, quæ sit verè copiosa redemptio. Non est copiosa redemptio, si quis pauper redimitur à paupertate, & donatur multa pecunia:

aut

aut ſi quis captiuus corpore, redimitur è carcere, & reſtituitur ſuæ libertati: aut ſi quis ægrotus, redimitur à morbo, & reſtituitur ſanitati. Iſraëlitę nondum erant copioſe redempti, cum repimerentur à tyrannide Pharaonis, & à Babylonijs. Petrus non erat copioſè redemptus, cum educeretur ab Angelo è carceribus. Sunt & multi alij non pij tantùm, ſed & impij, qui admirabiliter vel ex morbis, vel è carceribus, vel alijs afflictionibus redimuntur, ſed nondum ſunt copioſè redempti. Reliqua enim adhuc eſt mors omnium afflictionum maxima. Reliquus adhuc eſt infernus, omnium carcerum teterrimus. Quæ ergo eſt copioſa illa redemptio? Redimit, inquit, Iſraëlem ex omnibus iniquitatibus eius. Hæc eſt verè copioſa redemptio, redimi videlicet ab omnibus ſuis iniquitatibus. Nam qui redemptus eſt ab iniquitatibus ſuis, is etiam redemptus eſt ab omni ſtipendio iniquitatum, hoc eſt, ab omnibus afflictionibus à morte & ab inferno. Hęc enim ſunt iniquitatum ſtipendia. Etſi enim hi qui acceperunt redemptionem ab iniquitatibus ſuis per fidem in Ieſum Chriſtum filium Dei, adhuc affliguntur in hoc ſeculo aduerſis, & moriuntur, vt alij homines, ac terrentur etiam horroribus inferni: tamen accepta redemptione ab iniquitatibus, nec afflictiones, nec mors, nec infernus poſſunt eos perdere, ſed neceſſe habent ipſis adiumenta eſſe in bonum. Etenim quemadmodum ſi circumfodias herbam Zizaniorum, & ſuccidas radicem eius, etſi relinquis herbam inuiolatam & virentem, tamen ſucciſa radice, herba diu viuere non poteſt: ita ſucciſa, hoc eſt, remiſſa iniquitate, quæ eſt radix mortis & inferni, etſi hæc adhuc in homine

mine florere, aut vires suas exercere videntur, tamen nullum possunt amplius incommodum afferre. Aculeus mortis, inquit Paulus, est peccatum. Sicut ergo aspis, adempto aculeo, minitari quidem potest bombo suo punctionem, pungere autem non potest: ita condonato peccato, quod est aculeus mortis, potest quidem mors adhuc terrere, nocere autem non potest. Quare à peccatis suis redimi, sola est verè copiosa redemptio. Vnde & alius Psalmus tribuit huic redemptioni nomen beatitudinis, Beati, inquiens, quorum remissa sunt peccata, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit DOMINVS peccatum. Econtrà autem, vbi non est redemptio à peccatis, ibi nulla est felicitas, etiamsi nõ tantùm redimaris in hoc seculo ab omnibus corporalibus aduersis, sed etiam fruaris omnibus huius seculi bonis & prosperis. Sume tibi, quantum volueris vel potentiæ, & dominationis, vel sanitatis, vel pecuniæ, vel gloriæ, vel voluptatis: nisi consecutus fueris redemptionem ab omnibus iniquitatibus tuis, moriendum tibi vel tandem est, & in morte in æternum pereundum. Quid ergo profuerint tibi tot & tanta huius seculi bona? Quare in hoc præcipuè studium nobis incumbendum est, vt consequamur redemptionem ab omnibus iniquitatibus nostris, quæ vt sola est verè copiosa: ita affert secum omnem veram & æternam felicitatem. Sed nec hoc prętereundum est oscitanter, quod non simpliciter dicat, Ab iniquitatibus: sed, Ab omnibus iniquitatibus. Cum enim Deus recipit hominem in gratiam, & adoptat eum in filium, non condonat tantùm vnum aut alterum peccatum, sed condonat omnia peccata. Non

retinet ſibi aliquot caſus, quos vocant Reſeruatos, quemadmodum Romani Pontifices facere ſolent: ſed remittit ſimul omnes humanos caſus. Necꝫ enim Chriſtus filius Dei paſſus eſt, pro vno tantùm peccatorum genere, ſed pro omnibus peccatis ſiue internis ſiue externis, ſiue originali ſiue actuali, ſiue magnis ſiue paruis, ſiue mortalibus, vt vocant, ſiue venialibus, ſiue occultis ſiue manifeſtis. Reuertetur, inquit Propheta, & miſerebitur noſtri. Deponet iniquitates noſtras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Nam quod dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, nec in hoc, nec in venturo ſeculo remitti: nõ eſt intelligendum, quòd conuerſis ad Chriſtum, & credentibus in Chriſtum aliquod peccatum non remittatur: ſed quòd peccatum in Spiritum ſanctum ſit natura ſua tam manifeſtum peccatum, vt nec coram hominibus in hoc ſeculo, nec coram Deo in altero ſeculo vllam habeat excuſationem. Aliud peccatum, quod vocatur peccatum in filium hominis, habet ſuam quandam coram hominibus remiſsionem, ſeu excuſationem. Hoc autem peccatum, quod vocatur in Spiritum ſanctum, tam perſpicuum eſt, vt non ſit remiſsibile, hoc eſt, excuſabile, nec coram Deo, nec coram hominibus. Interea tamen, ſi quis hoc peccatum agnoſcat, & conuertatur ad Chriſtum, fit & ipſum remiſsibile propter Chriſtum, propterea quòd mors Chriſti ſit perfecta expiatio pro omnibus peccatis eorum, qui ad ipſum conuertuntur, quemadmodum aliàs copioſè demonſtrauimus. At enim ματαιολόγοι, qui his temporibus piam doctrinam corrumpunt, fatentur & ipſi, quòd ſolus filius Dei redimat nos, ſicut Pſalmus dicit,

Mich. vlt.

ab omni-

ab omnibus iniquitatibus noſtris, & quòd ſola mors filij Dei ſit ſufficiens expiatio pro peccatis noſtris, ac planè idem, quemadmodum Epiphanius de hæreticis ſcribit, nobiſcum loquuntur, nō tamen idem ſentiunt. Quod enim piè è ſacra Scriptura dicunt, hoc impiè corruptelis & prauis ſuis interpretationibus peruertunt. Nam alij dicunt, ſolam quidem mortem filij Dei eſſe redemptionem ab omnibus iniquitatibus noſtris, hanc autem redemptionem applicari nobis ſacrificio Miſſæ. Alij dicunt, nos iuſtificari quidem morte & reſurrectione Chriſti per ſolam gratiam. Intelligunt autem per gratiam non ipſum Dei fauorem, quo Deus nos propter Chriſtum complectitur: ſed tres illas virtutes, quas vocant Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem. De his virtutibus ita docent, quòd Deus ex gratuita miſericordia largiatur eas homini: & poſtquam homo eas acceperit, tunc reputetur propter ipſas coram Deo iuſtus. Ac de applicatione quidem, quam ſomniant fieri per Miſſam, ſuprà ſatis dictum eſt. Nunc pauca dicemus de hac altera piæ doctrinæ corruptela. Nam veriſsimum quidem eſt, quod hæ tres virtutes, fides, ſpes, & charitas, ſint dona Dei gratuita: falſiſsimum autem eſt, quòd propter has iuſtificemur coram Deo. Etenim negari non poteſt, quin hæ tres virtutes ſint opera lege Dei præcepta. Diliges inquit Lex, DOMINVM Deum tuum ex toto corde, ex tota anima. Hæc Lex exigit, vt Deo credamus, ſeu fidamus, vt in Deo ſpem noſtram collocemus, vt Deum amemus. Hæ ſunt tres illæ virtutes, fides, ſpes, & charitas. Obſerua autem mihi, quid de operibus, ſeu virtutibus legis dicat Paulus, Non iuſtificabitur ex ope-

ribus legis omnis caro. Quæ est igitur illa impudentia, quòd asseueres hominem, propter hæc opera coram Deo iustificari? Et Paulus alias, cum ad Romanos scribit, opponit inter se gratiam, & opera seu merita operum. Quòd si per gratiam, inquiens, iam non ex operibus. Quandoquidem gratia, iam non est gratia, si videlicet asseueraueris hominem ex operibus seu virtutibus suis iustificari. Quid, quòd hæ tres virtutes, etsi donantur homini diuinitus, tamen in hac vita nunquam sunt in homine perfectæ. Nullus enim hominum tantum credit, tantum sperat, tantum amat, quantum Lex Dei ab eo exigit. Tanta autem est seueritas legis diuinæ, vt omnes eos maledicat, ac diris deuoueat, quotquot nõ tantum præstant perfectè, quantum ipsa exigit. Maledictus, inquit, omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quare etsi homo habeat tres istas virtutes, tamen si Deus iuxta dignitatem earum iudicauerit, maledicit potius, & cõdemnat hominem, quàm vt reputet eum propter ipsas iustum. Quid plura? Beatitudo seu iustificatio est ex non imputatione peccatorum. Beati, inquit, quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat DOMINVS peccatum. Si ergo iustificatio coram Deo est ex non imputatione peccatorum, certè non potest esse ex respectu seu reputatione virtutum. Nihil igitur vanius est, quàm quod isti dicunt, nos per gratiam, hoc est, vt ipsi exponunt, per virtutes illas gratis donatas coram Deo consequi redemptionem ab iniquitatibus & iustificationem. Dices autem: Si hæ virtutes, quas isti gratiam vocant, non iustificant, quis

quis ergo erit vsus earum? cur tantopere nobis à Paulo commendãtur? Non certè nullus, sed insignis est earum vsus, etiamsi non habeant virtutem iustificandi nos coram Deo, & redimendi nos ab iniquitatibus nostris. An non lignum, bona Dei creatura est? Quòd si quis dicat lignum, non in hunc vsum nobis datum, vt eo vescamur, an propterea affirmat lignum, prorsus esse inutile? Nihil minus. Non est utile ad vescendum, vtile autem est ad domos ædificandas, aut ad ignem fouendum. Est & vinum, bona Dei creatura. Si quis ergo dicat vinum non esse vtile ad irrigandos agros, num damnat vinum, & pronunciat nullum eius omnino esse vsum? Absit. Vinum non est vtile ad irrigandos agros, sed est vtile ad sedandam sitim, & ad lætificanda, sicut Psalmus dicit, corda hominum. Habet enim vnaquæuis res suum vsum, ad quem diuinitus ordinata est. Sic etiam dicendum est de his tribus virtutibus. Adimitur eis dignitas iustificandi coram Deo, & redimendi homines à peccatis, non autem adimitur eis omnis vsus. Primùm enim, fides, etsi non potest dignitate & merito operis sui, quale quidem à nobis perficitur, hominem coram Deo iustificare (quis enim credit, quantum ab eo exigitur, & quantum deberet?) tamen organon est, seu instrumentum, quo accipimus & induimus filium Dei Iesum Christum, propter quem solum fide acceptum, & indutum, reputamur coram Deo iusti. Itaq; dicimur iustificari, seu consequi redemptionem ab iniquitatibus non propter fidem, ne iusticia sit ex operibus, quæ nos facimus: sed vel fide, vel per fidem, vel ex fide: idq; tantùm propter Christum filium Dei, fi- 1. Cor. 13.

de nobis, vt ita dicam, incorporatum & appropriatum. Quòd si quidam dicunt, fidem esse nostram iustitiam, hi etsi suo sensu non pessimè loquuntur, tamen impropriè loquuntur, quòd fides non sit per se nostra iustitia, sed tantùm dicatur iustitia propter Christum, quem fide induimus. Vnde & Paulus cum de hac re verba facit, valdè circumspectè loquitur: nec vnquam dicit nos iustificari propter fidem, sed tantùm fide, vel ex fide, vel per fidem: Iustitia, inquit, Dei per fidem Iesu Christi in omnes. Et mox: Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem. Et iterum: Arbitramur fide iustificari hominem absq; operibus legis. Et rursus: Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Et paulò antè: Vnus Deus, qui iustificat circumcisionem, hoc est Iudæos, ex fide: & & præputium, hoc est, gentes per fidem. Et alibi: Scimus non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Quare cum audimus, fidem esse nostram: non intelligendum est, quòd opus ipsum fidei, in nobis, tanti sit meriti, vt iustificemur propter ipsum coram Deo: sed quòd fides sit organon, quo induimus Iesum Christum filium Dei, propter quem solùm Deus est nobis propitius, & adoptat nos in filios ac hæredes suos, vt iustificati seruemur. Deinde spes, etsi nec ipsa tanti est meriti in homine, vt iustificet coram Deo: tamen habet alium vsum, eumq; nobis necessarium. Conseruat enim obedienti expectatione, quod fide accepimus. Nam postquam credimus in Christum, multa

contingunt

contingunt nobis aduerſa, quæ totis viribus ſuis eò tendunt, vt excutiant nobis fidem & Chriſtum: hîc nobis neceſſaria eſt ſpes, vt in Chriſto per fidem firmi conſiſtamus: Si quod non videmus, inquit Paulus, ſperamus, id per patientiam expectamus. Quare ſpes ſuum habet vſum, etiamſi non iuſtificet opere ſuo hominem coram Deo. Poſtremò charitas, maxima quidem virtutum à Paulo dicitur, non tamen dicitur hominem coram Deo iuſtificare, ſed habet longè alios vſus. Maxima enim virtus dicitur, quòd cum aliæ duæ virtutes, fides & ſpes, ceſſabunt & abolebuntur, vbi venerit quod perfectum eſt, charitas nunquam excidat. Maxima item dicitur, quòd cum aliæ duæ virtutes abdant ſeſe in latebras humani cordis, charitas reddat ſeſe in externis operibus conſpicuam, & ſit virtus, per quam fides ſeſe exercet, & vt Paulus ait, efficax eſt. Collocemus igitur has virtutes in ſuo quanq; ordine, & vſu: ac fugiamus impias piæ doctrinæ corruptelas, vt uerè per fidem propter Chriſtum ab omnibus iniquitatibus redimamur, quæ ſola eſt copioſa, vt hic Pſalmus docet, redemptio.

VSVS HVIVS PSALMI.

Percurri hunc Pſalmum qualicunq; explicatione. Et quia continet præcipuam doctrinam perpetuæ noſtræ ſalutis, de vera pœnitentia, & de vera inuocatione Dei ex profundis malorum: noſtri officij erit, non vt reponamus eum interea χειμήλιον, quæ vix ſemel toto anno in conſpectum noſtrum producere ſolemus: ſed vt eum ſingulis diebus, ſingulis horis, imo

imò ſingulis etiam horarum momentis, in proſpectu habeamus. Verſamur enim in medio, non hominum tantùm, ſed etiam Diabolorum: & nunquam non obijcimur extremis periculis, ac demergimur in profundiſsimam malorum foueam. Etſi enim non ſemper reipſa præſens periculum externa experientia ſentimus: tamen quia Diabolus ſemper circuit ſicut Leo rugiens, vt quærat, quem deuoret: ſemper nobis ſtandum eſt oratione noſtra in excubijs, ne inter oſcitantes opprimamur. Paulus ait: Impleamini ſpiritu, loquentes vobiſmetipſis per Pſalmos, & Hymnos, & Cantiones ſpirituales, canentes & pſallentes in cordibus veſtris. Inter Pſalmos autem, qui in ſacris literis continentur, hic noſter ex ijs vnus eſt, qui dignitate & vtilitate ſua principem locum obtinent. Quare ſi quis cupit impleri Spiritu cognoſcendæ iniquitatis ſuæ, Spiritu confirmandæ fidei, & ſpei ſuæ de clementia Dei, & de certiſsima redemptione ab omnibus iniquitatibus ſuis, Spiritu conſolationis in omnibus aduerſis ſuis: (quis autem non ſingulis momentis, his donis Spiritus indiget:) is conferat ſeſe adhunc noſtrum Pſalmum, nec defatigetur oratione. Sic enim reipſa per gratiam Chriſti filij Dei ſentiet, quòd non tantùm mala eius mitigentur, verùmetiam conſequatur à Deo longè plura beneficia, quàm vel ſperaſſet, vel etiam cogitaſſet.

Epheſ.5.

PARA-

PARAPHRASIS IN PSALMVM CXXX.

OMINE Deus miſerator & miſericors ad te in ſummis meis afflictionibus confugio: verſor enim in eiuſmodi anguſtijs & periculis, vt in profundiſsimam voraginem omnium calamitatum, imò verò in ipſam altitudinem maris, in profundiſsimum limum coniectus videar. Intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam, ita vt iam iam ſubmergendus videar. Quocunq; oculos circumfero, pericula me maxima circumſtant, & nil niſi mortis dira imago ſe mihi oſtendit. Etenim iam longo tempore à patria, à cariſsima vxore exulo, nuſquam certam ſedem habens: & quidem me ipſa cogit neceſsitas, in comitatu eorum hominum eſſe, qui ob ſcelera & flagitia hominum conſuetudine & vſu hominum prohibentur. Quod ſanè mihi longè acerbiſsimum eſt, nam tacita me infamia comitatur, quaſi iſtis non ſim melior. Imò verò Rex meus Saul palàm me læſæ maieſtatis & affectati regni accuſat, cui non ſatis eſt, me ex patria eieciſſe, niſi etiam ex hominum contubernio eximat: & cum vxorem & domum eripuerit, conquieſcere non vult, niſi & fructu iucundiſsimæ huius lucis priuer. Delitui iam aliquoties in ſpecubus & luſtris ferarum: ſed me tyrannus exercitu infeſto, quemadmodum venatores feras belluas indagine vndiq; cingit, vt effugij nullum locum videam. Quando fuga mihi conſulo, & ex ſo-

litudine in ſolitudinem me confero, proditorum delationibus, quaſi ſagacitate & latratu canum ſtatim deferor ad Regem: ibi concurritur ab omnibus tāquam ad commune incendium reſtinguendum. Cum autem ad exteros Reges vt Abimelechum me confero (quod haud ita pridem eſt factum) vix euado ſimulata inſania. Philiſtæos infeſtos hoſtes habeo, propter eas victorias, quas aliquoties ab ipſis reportaui: maximè cum nuptias filiæ regiæ, impetraturus ſignæ victoriæ ab ipſis hoſtium corporibus Regi offerrem.

Itaq; mare calamitatum & ærumnarum me circumdat, vndiq; fluctibus obruor, & interdum ita demergor, vt non poſsim mihi promittere, me hanc lucem amplius aſpecturum. Sed in illis ſummis periculis & quaſi gurgite malorum alia ſe abyſſus aperit, quę videtur ad ipſos inferos me abſorptura, cum illæ cogitationes in mentem mihi veniunt, te quoq; mihi irаſci propter peccata & multiplices tranſgreſsiones, quas etiam mihi conſcientia ſæpè obiicit, & reum coram te agit, & ego teſtimonio proprio conuictus non poſſum negare me pœnis omnibus, imò verò æterna morte, & qui à tua facie, & illa beata patria perpetuò exulem, dignum eſſe. Nam quòd tu mihi ſuccenſeas, variæ & multiplices ærumnæ meæ teſtari videntur. Nam ſic mihi loquitur cor meum, nunquam te commiſſurum, vt omnes quaſi creaturæ in meam perniciem coniurarent, niſi me patria eiectum, excludere etiam ab omni fauore tuo conſtituiſſes. Hæ cogitationes ſunt mihi inſtar abyſsi, quæ me iam iam exceptura videtur. In hoc ergo profundiſsimo lacu conſtitutus, quò me vertam, quem implorem, à quo auxilium & opem

opem expectabo? ab hominibus ne? sed isti immortali me odio persequuntur: A sanctis ne intercessionem petam? sed illi me clamantem non audiunt. Abraham enim non cognouit nos, neq; Israël agnouit nos. Nihil ergò ad desperationem fugiendam mihi præsidij supereſt, quàm vt ad te confugiam. Etsi enim eum vultum sumsisti, qui me ab omni spe auxilij tui excludere videtur, tamen scio te DOMINVM esse, ad quem in omnibus confugiendum sit: nec DOMINVM tantùm, sed Patrem DOMINI & Seruatoris nostri Iesu Christi, quem in hunc mundum missurus es, vt ipse pro nobis fiat apud te interceſſor. Tua præterea vox est, quæ nos iubet ad te confugere, & certum nobis auxilium promittere, tu dixisti, inuoca me in die tribulationis, eripiam te & honorificabis me. Tua etiam tam potens est manus, vt mutare possit omnia quæ mihi aduersa & acerba accidunt. Non desinam ergò ad te clamare, & gemitu meo: si aliter non possim tibi loqui, & si auxilium tuum ad tempus extraxeris, tamen subinde ingeminabo & dicam, ô DOMINE exaudi me, ô Pater cœlestis, ne deseras me in extremis his malis. Quod si etiam aures auertisse videberis, & repudiare precationem meam, tamen non despondebo animum, sed auersantem reuocabo, vt vel tandem benignas meis precibus aures præbeas. Nam cum nubes illa perturbationis miseriæq; paulisper à corde meo recedit, in animum reuoco, quæ semper fuerit tua consuetudo. Nam sæpè ijs, quos egregiè charos habuisti, tot miserias & calamitates immisisti, vt viderentur omnino deserti: ea erga ipsos seueritate vtebaris, vt non modò eos non exaudire, sed discerpere etiam *Esa. 63.*

velle videreris: vulnerabas, mortem, infernum minitabaris: sed cum illi ad te confugerent, nec à proposito illo precandi desisterent, tu resumpto paterno vultu, clementissimè eos respexisti, vulnera quæ feceras, curasti, vitam reddidisti, ab ipsis portis inferorum eos reduxisti, & luculenta specimina dedisti, te in ira tua semper memorem esse misericordiæ, & à perpetua tua clementia nunquam posse discedere, imò verò istis calamitatum exercitijs velle acuere nostram in orando attentionem & diligentiam. Quæ cogitatio ita me erigit, vt ad te verberantem & quasi repellentem me, tamen accedam, nec dubitem, irato illo & severo vultu tuo benignitatem paternam indulgentiamq; tectam esse. Vna tamen res (vt suprà etiam cum dolore memini) me maiorem in modum perturbat, quòd peccatorum meorum conscientia mihi semper ob oculos versatur. Sed hanc quoq; animi perturbationem certissima consolatione illa propulso, quòd cogitem certoq; statuam, te miseros peccatores non esse abiecturum. Nam si secundum iustitiæ tuæ rationes exactissimam, de peccatis animaduersionem es instituturus, & nos ad seueriſsimum tuum tribunal citaturus, quis vel sanctissimorum est, qui possit censuram illam tuam ferre? Nam nemo illorum est, qui non labem illam peccati hæreditarij, vnâ cum nutricis lacte suxerit, & ex ipsa natura hoc malum arripuerit & hauserit. Nec vllus est qui dicere possit, suum cor mundum esse. Quæ nostra à prima origine contracta depravatio certè summam tuam indignationem merebitur, si seueriorem iudicij tui calculum instituere volueris. Ex hac autem quasi malorum omnium scaturigine, riuuli

in

in totam vitam noſtram deriuantur, qui tibi placere non poſſunt. Quis enim eſt inter eos qui innocentiſsime viuere dicuntur, cuius vita non multis peccatis ſorditata & inquinata ſit? neq; enim tu duntaxat tua lege ea vitia damnas, quæ in hominum oculos incurrunt, & flagitia & ſcelera appellantur, ſed tacitarum etiam cogitationum es iudex: tua lex murmura, quæ in corde noſtro aduerſus te inſurgunt, dubitationem, animi elationem, accuſat. Quid quod de ocioſo etiam verbo rationem reddere cogeremur, ſi in nos diligentius animaduertere velles. Imò verò in ijs, quæ præclarè à nobis fieri videntur, paratiſsimam haberes materiam accuſationis contra nos omnes, cum etiam iuſtitia noſtra ſit inſtar panni menſtruatæ. Cum ergò ô clementiſsime Pater, nemo tibi ſatisfaciat, noſq; non ſolùm noſtra peccata coram te reos faciant, ſed iuſtitia etiam noſtra patrono indigeat, quis coram tuo tribunali cauſam dicet, quis iudicij tui ſeueritatem eſt ſubiturus? Quod ſi omnes à fauore gratiaq; tua excident, quem es habiturus cuius miſereariſ? ſed illa ipſa profectò miſericordia tua, quæ nullis hominum cogitationibus ſatis explicari poteſt, facit, vt non debeamus in hac noſtra miſeria & ſummis ærumnis deſperare. Nam ſi inire nobiſcum rationem velles, & ea quę nos tuæ maieſtati debemus exigere, nullus veniæ locus relinqueretur. Sed quia tu ipſa es miſericordia, eamq; ita habes propriam, vt niſi diſcedere à te ipſo velis, perpetuò eam retineas: præterea etiam teſteris hoc ijs promiſsionibus, quas nobis maximas feciſti de filio tuo vnigenito, qui contriturus eſt caput ſerpentis, non poſſumus, nec debemus dubitare, te nobis aſylum eſ-

ſe, te perfugium, ad quod in ſeriis perturbationibus, & noſtrarum rerum deſperatione feſtinemus. Et quidem ſanè, quod nunquam à tuo conſpectu repellere velis, vera fide te inuocantes, iiſq; eſſe propitius, cùm alia, tum verò illa arca teſtatur, quam voluiſti eſſe imaginem filij tui, qui carnẽ aſſumpturus eſt. Nam eius arcæ operculum in quo Cherubim, hoc eſt, angelorum ſimulachra fuſili arte perfecta erant, propiciatorium appellaſti, & eo loco exaudire inuocantes voluiſti, vt doceres, te per filium vnigenitum, mediatorem humani generis, velle nobis aditum ad te, clementiamq; tuam, toti mortalium generi patefacere, vt magna fiducia te accederemus, & remiſsionem peccatorum certò nobis promitteremus. Propterea etiam ô DOMINE dignus es, quem omnes nos timeamus, glorificemus, colamus, & omnia noſtra obſequia deferamus. Nam cum in cõſpectu tuo, nemo ſit innocens, certum eſt, te ſolùm laudem perfectæ & abſolutæ iuſtitiæ obtinere: & quia omnibus peccatoribus miſericordiam tuam offers, gloria clementiæ tibi vni iure debetur. Iam verò cum tu ex periculis nos ſubleues, & ex profundiſsima calamitatum & peccatorum voragine extrahas, tibi omnis noſtræ liberationis & ſalutis cauſa aſcribenda eſt, tibi ſoli fidendum, tu ſolus inuocandus es, tibi in omnibus obediendum, & mos gerendus eſt, eaq; omnia ſtudioſè facienda, quæ cum vero tuo timore coniuncta ſunt. His quæ dixi ſuffultus, diuturnum exilium & pericula omnia perfero, expectans opem & auxilium tuum: nec nimis perturbor, etiamſi in peius omnia ruere velle videntur, ſed me ſemper erigo verbo & promiſsionibus tuis. Noui enim hoc

cœlum

cœlum & terram etiam desituram esse, sed verbum tuum nunquam interiturum: scio etiamsi moram facias, tamen oportuno tempore te mihi affuturum, nec longius extracturum auxilium tuum. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum dixisti, te velle ad vltionem exurgere, non ergo me hominem miserum, & omni auxilio destitutum deseres. Expectabo itaq; tuum auxilium, etsi hodie à primo diluculo, cum adhuc excubiæ habentur, ad initium alterius diei, siue vigiliæ extrahatur liberatio mea, & sæpè ijsdem vigilijs recurrentibus, frustra expectem, tamen non iudicabo me neglectum, sed toto animo ad te DOMINVM me conuertam. Nam cum coram te mille anni sint, sicut dies vnus, quàm breue spacium est, si ad aliquot duntaxat menses siue annos me cruce afflictionibusq; ad patientiam erudieris. Spes certè illa, quæ tuis promissionibus subnixa est, nunquam me fallet. *2. Pet. 3.*

Hæc autem omnia hactenus de me dixi, non quòd DOMINVS mihi soli faueat, sed vt meo exemplo demonstrarem, quanta sit DOMINI erga omnes veros Israëlitas, clementia, hoc est, erga eos, qui vera fide & Deum & promissiones ipsius apprehendunt. Etenim vt magnus ille Iacobus (à quo nostræ genti nomen Israëlis inditum est) angelum, cum quo luctabatur, prius non dimisit, quàm ab eo benedictionem acciperet, atq; ideo etiam insignem illum titulum accepit, quòd Israël, hoc est, victor Dei in hunc vsque diem appellatur, ita vera Ecclesiæ membra, quamuis in maximis sæpè periculis & externis & Spiritualibus constituta, Deum ipsum antagonistam habere videntur, tamen promissiones DO- *Gen. 32.*

MINI

MINI apprehendunt, & constanti fide retinent, donec tandem liberentur & victoriam reportent. Hos ego hortor vt in hoc præclaro certamine, & laudabili illa lucta strenuè pergant, semper erecta in Deum fide, & spe omnia aduersa, & inprimis peccatum superantes. Quod tum consequentur, si certò statuerint, omnis clementiæ & bonitatis apud DOMINVM sedem esse. Nec enim inanibus titulis superbit, cum se misericordem, clementem, longanimem, immensæ bonitatis, veracem, custodientem misericordiam in millia, condonantem iniquitatem vult appellari, hoc enim suis erga Ecclesiam beneficijs & magnis miraculis declarauit, cum in illa vniuersali eluuione deletis omnibus hominib. Noham & familiam ipsius mirãdo modo seruaret: cum vniuersum populũ, per mare rubrum, quod magno miraculo peruium fecerat, traduceret, suffocato in ipsorum conspectu Pharaone & comitibus: Cum Abrahamum, Iacobum, Mosen, & innumerabiles alios ex præsentissimis periculis, tanta potentia extraxit, vt nemo non numinis præsentiam animaduerteret: sed nullibi luculentius suam misericordiam demonstrat, quàm cum filium vnigenitum se missurum promittit, qua certè vna re suam dilectionem, imò verò amorem nobis certissimè obsignat. Quomodo enim qui filium dare vult, non omnia nobis cum ipso largiretur? aut qua ratione melius exprimere suam ineffabilem dilectionem potuit, quàm cum filium pro inimicis, peccatoribus, & hostibus suis mori velit? Nec solùm in dilecto illo nos diligit, sed reconciliationem etiam per eundem apud Patrem nobis promittit: vt quemadmodum primi homines in

Exo.34. *Psal.202.* *Gen.7 & 8.* *Exo.14.* *Rom.5.*

hæredi-

hæreditariam ſucceſsionem peccati, mortis, & condemnationis nos collocarunt, ita ille alter Adam, qui venturus eſt Ieſus Chriſtus, certam poſſeſsionem iuſtitiæ, vitæ, & perpetuæ ſalutis nobis daret. Hæc ſanè ſi nobis perpetuò in conſpectu ſint, numquam permittent, nos dubitare de Dei erga totum genus humanum ſumma bonitate & clementia. Sperent ergo Iſraëlitæ in DOMINO, ſeq; in omni & animi perturbatione & afflictione ſolentur. Sciant etiam ad extremum apud DOMINVM non ſolùm nobis certam miſericordiæ, ſed redemptionis, & quidem copioſiſsimæ ſpem repoſitam eſſe. Quæ primùm in ijs cernitur, qui ab externis periculis redempti ſunt. An non copioſæ redemptionis exemplum noſter Moſes eſt, quem a quis expoſitum per filiam regiam DOMINVS mirabiliter ſeruauit? Sed mea etiam (ne longius exempla petam) vobis vita eius benignitatis & liberationis admirandæ ſpecimina ſuppeditare poteſt. Nam cum ego propemodum puer oues ad paſtum educens, leonem & vrſum in me irruentes domuerim, Goliathem illum & ſtatura & armis formidabilem proſtrauerim, Saulis Regis & infeſtum telum & inſidias conatusq; omnes effugerim, quis non dicet tum ſalutaribus angelorum præſidijs me ſeptum fuiſſe? quis non agnoſcet in tanto periculo ipſum DOMINVM pro me vigilaſſe & excubias egiſſe? Verùm præclara illa redemptio, potiſsimum in eo quoq; conſpicitur, quòd DOMINVS non modò nos iuuat, ſeruat, ex periculis eripit, ſed poſt dilatam liberationem, ita cumulatè in nos ſuum auxiliũ cõfert, vt etiam omnem noſtrã expectationẽ vincat. Itaq; quod hic mundus iudicat eſſe irati

Dei, aut certè nos negligentis ſignum, id omne in lucro deponendum eſt. Nam vt auxilij diuini rationes magis emineant, DOMINVS ſuam opem aliquandiu extrahit, vt reipſa doceat, ſe nobis adfuiſſe. Sed ea redemptio, qua nos à ſeruitute peccati liberat DOMINVS & Seruator noſter Ieſus Chriſtus, præclariſsima eſt. Etenim quantulum hoc eſſet beneficium, ſi DOMINVS vel ære alieno obſtrictos liberaſſet, vel grauiter periculoſéq; decumbentes priſtinæ reſtituiſſet ſanitati, ſi captiuos è carcere extraxiſſet, aut ſententia iudicis, ad crucem & vltimum ſupplicium damnatos abſoluiſſet, fuiſſet ſanè illorum beneficiorum fructus & breuis, & propter breuitatem exiguus, ſed redemit nos à nexu peccati, à ſeruitute grauiſsima, à pœnis quæ peccata comitantur horrendis, à morte æterna. Qua redemptione & liberatione quid vel excogitari præclarius poteſt? Nam qui beneficio huius liberationis deſtituti, ex hac vita excedunt, nihil quàm tremendum DOMINI iudicium & perpetuos cruciatus expectant. Qui verò in partem tanti beneficij vocantur, ſemper viuunt felices & beati. Sed nõ ſolùm ideo ſummis laudibus vehenda eſt redemptio iſta, quòd copioſiſsimum fructum & præclariſsimum libertatis nobis affert, ſed etiam quia ea libertatis & redemptionis ratio omnibus peccatoribus, qui ad thronum gratiæ cõfugiunt, communis eſt. Nam liberabit Chriſtus Opt. Max. Iſraëlem ab omnibus iniquitatibus, proiecturus
Mich. vlt. omnia peccata noſtra in profundiſsimum mare, ne ea in notitiam vllius hominis amplius venire poſsint: inducet ea ſanguine ſuo: teget innocentia: excuſabit nos
Rom. 8. Patri: prohibebit ne intentari nobis ſeuerior ab accuſatore

ſatore actio queat. Deniq; nullus eſt peccator (modò ſerio pœnitentiam agat) qui non & patrocinium & patronum ſit inuenturus. Ad hunc ergo omnis gratiæ fontem accedamus, emamus lac & vinum abſq; prætio, in aduerſis ad eum confugiamus, de profundis clamemus. Nam qui antequam ponerentur fundamenta mundi nos in Chriſto elegit, qui ſemen illud benedictum Abrahamo promiſit, qui ſuis omnibus in nulla vel animi perturbatione, vel alia calamitate vnquam defuit, is certè in poſterum etiam ſuis aderit, nec commiſſurus eſt, vt ex hac valle lacrymarum fruſtra ad ſe clamemus, & ſuſpiremus, ſed daturus eſt, cum tentatione euentum.

Dolor ſanè & cruciatus animo meo maximus eſt, quòd Spiritu me docente intelligo, Iſraëlitas plerosq;, non agnituros eſſe Meſsiam illum à Patre miſſum, & negaturos eum eſſe mundi redemptorem: idq; eam ob cauſam, quia non armata manu, non militaribus copijs venturus eſt, nec eam quam ipſi expectant eſt allaturus liberationem & redemptionem externam. Vellem eos meminiſſe, illius concionis primæ, quam ipſe creator omnium, ſtatim in Paradyſo ad primos parentes noſtros habuit: Semen mu- *Gen. 3.*
lieris contriturum eſſe caput ſerpentis: ſed vulnus tamen ab eo in calcaneo accepturum. Cuperem certè eos legere Pſalmos meos, quos ea de re ſcripſi: mo- *Pſalm. 15.*
riendum eſſe iſti magno victori: nec tamen DOMINVM commiſſurum, vt ille ſanctus ſanctorum in ſepulchro maneat & corruptionē videat: hoſtes in ſummis cruciatibus propinaturos ei acetum & fel: diuiſu- *Pſalm. 69.*
ros veſtes proiecturoſq; ſortes: manus pedeſq; illius *Pſalm. 22.*

Psalm.110. perfossuros: bibiturum eum de torrente, sed tamen exaltaturũ caput. Etenim si hæc diligenter essent consideraturi, scandalo non afficerentur. Nam magnus ille
Esa.53. nostrę libertatis vindex, nouum & inusitatum redemptionis genus inuenturus est, vt patiendo sanet, succumbendo vincat, moriendo & viuat & viuificet: in
Phil.2. contemptu gloriam, in sepulchro vitam, in inferno redemptionem nobis recuperet: denique captiuam,
Psal.68. cum captiuus omniũ videatur, ducat captiuitatẽ. Hęc ergo admiranda inueniendæ victoriæ ratio, non mouebit veros Israëlitas, vt spem fiduciamq; in illo Messia collocare nolint, sed ipsorum animos etiam confirmabit, quòd sciant, hanc DOMINO purgandis iniquitatibus nostris, viam placuisse, vt is qui omnium peccatorum molem sustinere vellet, eorundem etiam
Heb. 10. pœnam subiret, & victima patri gratissima, vnica oblatione perfectos efficeret, in perpetuum eos qui sanctificantur.
Zacha.9. Scio Regem illum nostrum venturum esse,
Esa.7. & pauperem & puerum infantem, mundo contemptũ, suis & hostibus & gentilibus exosum. Sed ego ita
Ioan.1. his nõ offendor, vt tanto maiore eius amore ardeam. Vtinam verò iam lætus ille dies aduentus tui ô Messia nobis illucesceret: vtinam quem Spiritu summaq;
Ioan.8. exultatione diem præuideo, liceret etiam hisce oculis
Luc.2.& 10. videre. Vtinam quem toto animo circumfero possem
Psal.131. etiam vlnis meis amplecti, & exosculari, puerum ilEsa.4. lum mihi promissum, semen benedictum germen iustum, angelum fœderis. Veni ô
Hie.23.33. spes nostra vnica, veni ô
Mala.3. EMANVEL.
Esa.7.

CONCIO

CONCIO D.D. IACOBI HERBRANDI THEOLOGI (MAGNIF. tum Tubingensis Academiæ Rectoris) die XXI. Maij, M.D.LXXII. Tubingæ habita: cùm sepeliretur honestissima matrona, BARBARA BRENTIA: Reuerendi & Clarissimi viri D. Joannis Brentij, Ecclesiæ Stutgardianæ Præpositi piæ memoriæ filia: quæ cum D. D. Theodorico Sneppfio, Tubingæ Ecclesiæ Parocho, & Academiæ Professore Theologo, Annos XX. & Menses III. circiter, in matrimonio cõcordissimè amantissimeq; vixerat: à Martino Crusio, vtriusq; in ea Schola linguæ Professore, Græcè excepta.

ΓΕΝΕΣ. ΛΕ'.

Εγείετο δέ, ἡνίκα ἤγγισεν εἰς χαφραθά, τῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν Ἐφραθᾶ, ἔτεκε ῥαχήλ: καὶ ἐδυσόκησεν ἐν τῷ τοκετῷ, καὶ ἐξῆς.

ῥωμ. ιε.

ΕΝταῦθα σφόδρα οἰκεῖα γράφεται ἱστορία, ἡ περὶ θανάτου τῆς ῥαχήλ: τῆς πάνυ γυναικὸς τοῦ πατριάρχου ἰακώβ: περὶ ἧς νῦν βραχέα λέξομεν: ἐπεὶ (κατὰ τὸν ἅγιον Παῦλον) ὅσα προεγράφη: εἰς τὴν ἡμετέραν διδαχὴν προεγράφη: ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς, καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν, τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν. ὧν ἵνα ἐπιτύχωμεν: πρῶτον μὲν, περὶ τοῦ θανάτου ἐκείνης, πόθεν ἐγένετο, ἐρῶμεν: εἶτα δὲ, κἀκείνην τότε σφὲ, αὐτή τε ἡ μακαρίτις, καὶ ὁ ἅγιος πατριάρχης, περιμένετω.

διαίρεσις τοῦ λόγου.

ΤΟ ΠΡΩΤΟΝ.

α. Πόθεν ὁ θάνατος τῇ ῥαχὴλ ἐπῆλθε.

Κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν, ὡδῖνες τὴν ἀγαπητὴν ῥαχὴλ ἔλαβον: καὶ λίαν σκληρῶς ἔτεκεν: ὥστε μηδὲν ἄλλο, πλὴν αὐτὴν τὸν θάνατον, πρὸ ὀμμάτων ὁρᾶν. Πόθεν τηλικαῦται ὀδῖνες; πόθεν τηλικοῦτος κίνδυνος; ἆρ' ὁ θεῖος ἔργον ἡ γένεσις; καὶ ποῦ ποτε ὁ θεὸς, μὴ παρὼν ἐν ἑαυτῷ ἔργῳ; διὰ τίνα μάλιστα τῶν ἀνθρώπων θηλικὼν γενέσθαι, τηλικοῦτον σκληρότητος συμπίπτειν: μηδὲν τοιοῦτον τὴν ἄλλων χώραν παροῦσαν; Οὐδαμῶς ἐκεῖ τοῦτο γενόμενον οὕτως ἔτυχεν: ἀλλὰ τῆς ἁμαρτίας ἐνδείκνυσίς ἐστιν: ἀνθρώπου τοῦ θεοῦ τῇ πρώτῃ μητρὶ, διὰ τὸ ἀπηγορευμένον αὐτῷ κατηκοῦ ἅψασθαι: πληθύνων πληθυνῶ τὰς λύπας σου, καὶ τὸν στεναγμόν σου: ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα. διὰ τί; διὰ τὴν παράβασιν τῆς ἐντολῆς, ἤγουν, διὰ τὴν ἁμαρτίαν: ἧς ἔκγονος, ἡ τοιάδε κατάκρισις. Ἐντεῦθεν τὴν ἁμαρτίαν μάθωμεν, ὅσον

ἡ ἁμαρτία ἡλίκον

EADEM LATINE CONuersa ab eodem.

GENES. XXXV.

Cùm autem appropinquasset Ephrata: parturijt Rachêla: & difficultate laborauit in partu, &c.

HOC loco valde tristis historia, de morte Rachelæ, primariæ vxoris Patriarchæ Iacobi est: de qua pauca quędã nũc dicemus. Omnia enim, ut diuus Paulus ait, quę prę- *Rom. 15.*
scripta sunt, ad doctrinam nostram sunt præscripta: vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Quæ vt consequamur: primùm de morte illius, vnde acciderit, verba facie- *Duo membra concionis.*
mus: deinde, qualesnam se, tum hæc matrona, tum ipse Patriarcha, in eo casu præbuerint.

DE PRIORE.

Inter proficiscendum, dolores charissimam Ra- *1. De causa mortis Rachelæ.*
chelam inuaserunt: ac summa difficultate pariendi conflictata est: adeo, vt nihil, nisi ipsam mortem, ante oculos videret. Vnde tales angustiæ? Vnde tantum periculum? An non generatio diuinum opus est? Vbi ergo Deus, quòd suo operi nõ adesset? cur potissimè hominũ sexui muliebri, præ alijs animantibus, tantæ difficultates oboriuntur? Non temerè hoc fit, sed est pœna peccati: cũ primę matri, quę vetito pomo manũ ad *Gen. 3.*
mouerat, Deus dixit: Adaugebo molestias tuas, & gemitũ tuũ: per dolores paries liberos. Quamobrẽ? Propter transgressionẽ mandati, nempe propter peccatũ: ex quo secuta est huiusmodi condẽnatio. Hinc peccati, *Peccatum.*

κομ κακόμ. ὅσομ κακόμ: καὶ ὅσομ ὀργίζεται αὐτῇ ὁ Θεὸς: εἰ καὶ μὴ τηλικοῦτομ τοῖς ἡμετέροις ὀφθαλμοῖς φάνεται. Πῶς γὰρ ὃ μικρὸμ ἂμ δοκοίη εἶναι (ἄλλως τε, καὶ ἄπαξ μόνομ γενόμενομ) δι' ὀπώρας ἀχθάνεμ; Ἀτὰρ ὃ τῇ ἡμῶμ ἀμβλυωπίᾳ πῶ ἁμαρτίαμ μετρητέομ: ἀλλὰ ταῖς ἁμαρίαις, ταῖς ἐκ Θεῦ ἐπηγμέναις. ὅση γὰρ κατ' αὐτῆς ἡ ὀργὴ τῦ Θεῦ: ὑδεμία γυναικῶμ, ἥτις ὀκ εἰς πᾶραμ ἔρχεται. Ὅσαι δυσχέρειαι, ὅσαι λῦπαι, μετὰ πῶ σύλληψιμ; ἡλίκοι οἱ κίνδυμοι, οἱ σὺμ τόκῳ τίκτειμ; καίτοι, εἴπαι τότοις καταγνωσθεῖσαι, θνήσουσι τίκτουσαι. Ἀλλὰ μικῶ, καὶ ὅλομ δι' πᾶμ ἀνθρώπωμ γένος, ὅσοις καὶ πῶ ἁμαρτίαμ κακοῖς ὑπόκεῖται: καθημέραμ ὁρᾶται. Πόθεν γὰρ πόλεμοι, πόθεν λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, καὶ τὰ λοιπὰ τῶμ κακῶμ: εἰ μὴ ὀξ ἁμαρτιῶμ; ἐπικατάρατος (φησὶ γοῦμ ἀδὰμ ὁ Θεὸς) ἡ γῆ σὺ τοῖς ἔργοις σε. Καὶ πᾷ ἀπειθοῦσι λαῷ: φέυξεσθε, ὐδενὸς διώκοντος

λευιτ. κς. ὑμᾶς. Καὶ: θήσω τὸμ ὐρανὸμ ὑμῖμ, ὡς σιδηρᾶμ: καὶ πῶ γῆμ ὑμῶμ, ὡσεὶ χαλκῆμ. Καὶ: ἐπισπάσω ἐφ' ὑμᾶς πῶ ἀχρεῖαμ, τὴμ τε φάραμ, καὶ τὸμ ἰχθῦμ, καὶ τὰ ἑξῆς. Διὸ, ὁσάκις ἂμ, ἢ γυμνῶμες, ἢ ἄλλοι, τότωμ πειραθῶμεμ: ἑκάστοτε δι' μέγεθος τῆς ἁμαρτίας, καὶ τῆς ἐπ' αὐτῇ ὀργῆς τῦ Θεῦ, ἀναμιμνῄσκωμεμ: φυγῇ αὐτῶ ἐυλαβόμενοι φύγωμεμ: μηδ' ὅτως ἀδεῶς, ὅτως αἰσχρῶς, εἰς αὐτῶ πεσοπέσωμεμ: εἰ μὴ πρὸς ταῖς σὺμ τῷ νῦμ καιρῷ θλίψεσι, καὶ αἰώνιομ ἀπώλειαμ ἀφελέσθαι θέλομεμ. Μὴ

α. κορινθ. 5. πλανᾶσθε (φησὶμ ὁ ἀπόστολος) ὔτε πόρνοι, ὔτε εἰδωλολάτραι, ὔτε κλέπται, ὔτε πλεονέκται, ὔτε μέθυσοι, ὐ λοίδοροι, ὐχ ἅρπαγες, βασιλείαμ Θεῦ ὐ κληρονομήσουσι. μὴ πλανᾶσθε, φησίμ. Οἱ γὰρ πλανώμενοι ἀφ' τῆς ὀρθῆς ὁδῦ: ὐ πῶ εἰς ὐρανὸμ ἀναβαίνουσιμ: ἀλλὰ πῶ εἰς ᾅδῃ καταπίπτουσι. Καὶ ταῦτα μὲμ, περὶ τῆς ἁμαρτίας.

ΤΟ' ΔΕΥΤΕΡΟΝ.

β. κεφ. τότε Τί δ' ἂμ τῇ τοιαύτῃ περιστάσει ἡ ᾠδίμουσα; τί ὁ φίλοθεος Ἰακώβ;

& ideo iræ Dei, magnitudinem discamus: quamuis ea non tanta oculis nostris appareat. Quî enim non re parua videatur (præsertim si tantùm semel fiat) morsu apprehendere pomum? At nõ debilitate aciei nostræ, peccatum metiendum est: sed diuinitus illatis pœnis. Quantopere enim ipsi Deus irascatur: nullæ non experiuntur mulieres. Quæ molestiæ, qui dolores, post conceptũ? Quæ pericula in partu? Quædam equidem his superatæ, ex partu intereunt. Sed & totũ humanũ genus, quantis cṙumnis ob peccatũ obnoxium sit: quotidie videmus. Vnde enim bella, vnde fames, pestilentia, & reliqua mala: nisi ex peccatis? Execrata (inquit Deus Adamo) terra propter te, in operibus tuis? Et ad rebellem populum: Fugietis, nemine persequente. Et: Efficiam cœlum, instar ferri: & terram vestram, instar æris. Item: Inducam vobis inopiam, scabiem, icterum. Quocirca, quotiescunq; vel mulieres, vel alij, hæc sentimus: semper magnitudinem peccati, & iræ Dei aduersus illud, in memoriam nobis reuocemus: omnibus modis illud caueamus & fugiamus: nec ita securè, ita turpiter, in illud prolabamur: nisi vltra præsentis vitæ afflictiones, etiam æterno interitu nos puniri velimus. Nolite errare (inquit Apostolus) neque scortatores, neq; simulacrorum cultores, nec fures, nec auari, neq; ebriosi, neq; maledici, nec rapaces, regni Dei hæreditatem cernent. Nolite errare, inquit. Qui enim à recta via aberrant: non in cœlum ascendunt, sed ad inferos decidunt. Atq; hæc de peccato.

Genes. 3.

Leuit. 26.

1. Cor. 6.

quantum mala.

DE ALTERO.

Sed quid interim illa parturiens? Quid bonus Iacobus? *2. Qualem se*

πρέχειν ἑαυτῷ ἢ ζαχήλ. πώς; παραμυθεῖται μὴν ἐκείνῳ ἡ μαῖα, λέγουσα: Θάρσει, καὶ γὰρ οὗτός σοι ὅσιμ υἱός. ἡ δέ, πονεῖ μὴν τῇ ἀνάγκῃ: τηλικῶς δ' ὅμως ἀνεχομένη, εὐψύχως ἀγχμάχεται, καλῶς πριοῦσα. Οἶδε γὰρ, ταύτῃ εἶναι πῖδ ἑαυτῆς κλῆσιμ. ὥσε καὶ ταύτῃ ἀναρθανεῖμ ἑτοίμως ἔχει. καὶ μὴν, κῇ ἀείμνησομ τῆς σῆ τάξει ἀθωμονῆς, καὶ τελθητῆς, μνημόσυνομ καταλείπειμ

Βενωνί. θέλει. Δῖ τοῦτο, Βενωνὶ ζωῇ βρέφει ὄνομα τίθεται: τουτέστιμ, ὑγὸμ τ' ὀδυνῶν ἑαυτῆς ὀνομάζει. Οἰρῶσα δ' ἐπὶ τέλει τῷ βίου οὖσα: ζωῇ κυρίῳ πῶ ψυχῶ παρατίθεται: ἄπε γυνὴ ἐυλαβὴς οὖσα, καὶ πίστεως πλήρης: οὐσὶ δυχερῶς οὐδαμῶς προσιεμένη τὰς παρακλήσεις: ἃς καὶ πρότερομ, καὶ τότε, τῷ ἀνοσιῳ, πόρι τῷ ἐλθυσομένου μεσίᾳ, ἠκηκόει. τοῦτομ οὖμ τρόπομ, καλὸμ ἀγῶνα ἀγωνισαμένη, ἡ ἁγία (πάνιομ θεοῦ θάρημα, καὶ ὑβαίρετῳ κόσμῳ τοῦ οἴκου, ἐνομένη) ἀβέβυξεμ. ὁ δὲ πατριάρχης, ὁ πρότερομ τὸ λαμπρᾶς

Ⓒ ὁ ἰκανώς. ἐπαγγελίας τοῦ θεοῦ (αὔξου καὶ πληθύου. ἔθνη, καὶ συ-

ἐνέσ. λε. ναγωγαὶ ἐθνῶμ, ἔσονται ἐκ σοῦ: Ⓒ βασιλεῖς ἐκ τῆς ὀσφύος σου ἐξελεύσονται) ἱλαρὸς ὁδοιπορήσας (πρὸς πατέρα γενόμενομ, μετὰ τῆς γυναικῶμ καὶ τέκνων πορευόμενος: καὶ οὐ μόνομ τοῦτομ ἐκ τοῦ κυρίου, ἐλπίσας) οὕτω νῦμ ἐναντίομ (παρὰ πᾶσαν προσδοκίαμ, σὺ τῇ ὁδῷ, καὶ ἐσὶ ἀγροῦ: μόλις μίλια μίλια τῷ γονέως ἀπέχων) συγνότατομ θέαμα βλέπει. ἡ γὰρ φιλτάτη γυνὴ, αὐτῷ διαφθείρεται σὺ ζωῇ τοκετῷ, μεγίσῃ πρέχουσα λύπῃ. τί οὖμ τὸ τηλικοῦτο ζωῇ σαυρῷ κεῖ; ὁμοιμύτατον μὲν πάθος αἰσθάνεται: Δῖ δὲ τὴν γυναῖκα τὴν προσ-

ἐνέσ. κθ. φιλεστάτην, τὸμ ἡμιώτατομ ἑαυτῷ ἐσὶ γῆς θησαυρὸμ, ὑπὲρ ὃ δεκαπεντάρῳ ἐτῶμ δουλείαμ ἐδεδουλεύκει, ἄψυχομ σὺ ζωῇ πεδίῳ καταλιπεῖμ ἀναγκάζεσθαι. οὐ μὴν ἑαυτῷ ἀχρηιώσκει, οὐ σφαδάζει: ἀλλ', ὡς εὐσεβείας τροφίμῳ (χριστιανὸς γὰρ ἦν: εἰς τὸμ μεσίαμ πιστεύων, τὸμ ὑπὸ θεοῦ, ἐνμενῶς κύριον φθά-

σαντος

cobus? illam quidē obstetrix consolatur. Bono animo esto, inquit. Nam & hunc habebis filiū. Ipsa verò necessitate tenetur cōstricta: patienter tamen ferens, fortiter pugnat: & rectè. Scit enim, hanc suam esse vocationem. Ergo in hac etiā occumbere parata est. Vult quoq; perpetuū constantis in statione sua mansionis, & obitus, extare monumentū. Ideo Benoni puero nomen facit: hoc est, filium doloris sui nomina t. Cumq; videt, sibi moriendum esse: animam Domino cōmendat: quippe fœmina pia, fidei plena: quæ haud grauatè admitteret consolationes: quas & antea, & tunc, à marito, de vēturo Messia audiuerat. Sic igitur bono huic certamini, S. matrona (quæ rarum donū, & singulare domus ornamentū fuerat) immoritur. Patriarcha verò, qui antea præclaris in colloquio Dei promissionibus impletus fuerat (cresce & augesce. Gentes, & cœtus gentiū, prodibūt ex te: Reges q; è lumbis tuis egredientur) ideoq; hilarè incesserat (ad patrē longæuū, cū vxoribus & liberis proficiscens: ac nō solùm hūc partum, sed plures, & proinde benedictionē Domini, ex Rachela sperās) is nūc cōtrà (præter omnē expectationem, in itinere, & agro: dū vix tribus à parente milliaribus abest) tristissimum spectaculū videt. Vxor enim dilectissima, cū maximo ipsius dolore in partu extinguitur. Quid igitur sub tanta cruce facit? Luctu quidē ingenti afficitur: quòd amantissimam cōiugem, quòd suum preciosissimū in terris thesaurum, pro quo quatuordecim annos seruitutē seruiuerat, mortuū relinquere in campo cogitur. Non tamen ideo desperat, nō calcitrat: sed, sicut pietatis alumno (quippe Christianus erat: in Messiam credebat: à beneuolo Deo, antea secum

tunc præstiterit Rachela.

Benoni.

Et Iacobus.

Genes. 35.

Genes. 29.

ἑαυτῷ ὁμιλεῖν, ἐπαγγελλόμενον) ὡς θείῳ ὄντι πρέπον ἐστὶ τῷ τηλικούτῳ συμφορᾷ ἀνέχεται: καὶ ἀνοδείῳ μυχῆς παρασήματι, τῷ θεῷ ὑπακούων, τὸν σαυρὸν φέρει. Παρακαλῶ τοίνυν ἑαυτὸν, δι' νεολαίας παιδίον, Βενιαμὶν μετονομάζει: τουτέστι, τῆς ἑαυτοῦ δεξιᾶς υἱόν: ἤγουν, τῆς φιλτάτης καὶ μακαρίτιδος ἑαυτοῦ συζύγου. ὃς εἰ καὶ χαλεπῶς ἀφίσαται: ὅ βέλεται αὐτῷ ἑαυτὸν χάριν, τὴν αἰωνίου ζωῆς σῴσαι: ἧς ἅπαν, πάσης ἀπαλλαγεῖσα βασάνου, ἀπήλαυσεν: ἀλλὰ σήλην δι' μνημεῖον αὐτῆς, ἵνα πρωτοτόκους ἀμπελικὸς ἀναμνήσεως ταῖς αὐτῆς ἀρεταῖς καταστήσαι, ἐκόσμησε. Καὶ ταῦτα μὲν, τὰ τῆς ἱστορίας. τίς δ' ἐντεῦθεν ἡμῖν ὠφέλεια; μαθητέον, τίνα χρὴ καὶ ἡμᾶς δεῖ ἐπὶ δι' σαυρὸν φέρειν πρασκυναθῆναι. Τραχὺ μὲν ξύλον, ὁ σαυρὸς, ἀλλ' οὐκ ἐνεργάσιμον. αὐτῷ γὰρ πιεζόμενοι, οἱ μὲν γογγύζουσιν: ὥσπερ ἄν, εἰ νομίζοιεν, καὶ ὑρανόθεν πίπτοντα λίθον, οὐκ ἂν ἄλλοσε πεσεῖσθαι, ἢπερ ἐφ' ἑαυτούς, οἱ δὲ βλασφημοῦσιν τὸν θεόν: οὐδὲν ἄλλ', ἢ λίθους ἄνω ῥίπτοντες, κατὰ τῆς σφετέρων κεφαλῶν καταφερομένους. Ἄλλοι δὲ, πάντα βοῦς καὶ ὀδυρμῶν πλεονοῦντες περιέρχονται. εἰσὶ δ', οἱ κακοτεχνίας, ἢ κακουργίας, ἐπιχειροῦσιν: ἢ γοῦν ἐπιχειρεῖν εἰ νῷ ἔχουσιν: οἷον, εἰ τῇ νῷν σιτοδείᾳ καὶ βουλιμίᾳ, τὰς τῶν εὐπορωτέρων οἰκίας διαρπάζειν. Ἄλλοι δ' ἀχρηνώσει περιπίπτουσιν: εἶσιν δὲ καὶ αὐτόχειρες ἑαυτῶν ἐγένοντο. Ἀλλὰ τούτων οὐδὲν, ἀνύσιμον πρὸς οὐδέν: ἀλλ' ἐκ κακῶν, ἔτι χείρω τὰ πράγματα ποιεῖ. Οὐκ ἄρα τοῖς ἐν φρονοῦσι, τοῖς σωλαδὴ θεοσεβέσι, ποιητέον οὕτως. Τί δαί; δι', ὅπερ ὁ μακάριος Ἰακώβ. Οὕτως γὰρ, ἐπαλλήλοις μὲν (καθάπερ κύματα ἐστὶ κύμασι κυλίνδεται) συμφοραῖς ἐχρήσατο (αἵπερ ἀπὸ τῆς κ. κεφαλ. ἕως τέλους τῆς γενέσ. γεγράφαται) οὐδέν δ' ἧττον ὑπομονητικὸν ἑαυτὸν παρέσχετο, μάλα καλῶς ποιῶν. ἤπίστατο γὰρ, οὐκ ἀπὸ τύχης τὰς συμφορὰς γενομένας: ἀλλ' εὖ εἰδότος τε, οὐδ' ἀβουλοῦντος, τοῦ θεοῦ: ἔγει καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ἡμῶν, ὡς ὁ Χριστὸς λέγει, πᾶσαι

Βενιαμὶν.

ὁ σαυρὸς, πρᾶως οἰσέω.

Ματθ. ι.

cum locuto, promissum) sicut diuino heroë dignũ erat: calamitatẽ tantam sustinet: præsentíq; ac forti animo, voluntati Dei obediens, crucẽ fert. Consolans itaq; se, recens natũ filium, mutato nomine Beniamin appellat: hoc est, dextræ suæ filium: suæ nimirũ charissimæ, in Deo defunctæ, vxoris. Quam etsi difficulter desierit: nõ tamen propter se vult eam æterna beatitudine priuari: qua iam, omnibus cruciatibus liberata, fruebatur: sed monumentũ eius statua, ad memoriam posteritatis, virtutumq; illius imitationẽ, celebrat. Hæc de historia. Quæ verò nobis hinc capienda vtilitas? Discendũ, quomodo nos quoq; ad crucem ferendam comparare debeamus. Asperum quidem lignũ, crux est, nec facile portatu. Eo enim qui premuntur: eorũ partim murmurant: tanquam putent, si lapis de cœlo caderet: nõ aliò, quàm in ipsos, casurũ. Alij improbè in Deum loquũtur: qui nimirũ lapides sursum iaciunt, in ipsorum capita decidentes. Alij omnia clamoribus & querelis implent. Quidam ad malas artes, aut scelera, aggrediuntur: aut certè aggredi cogitant: vt in præsenti fame, domos ditiorum diripere. Alij in desperationem incidunt: nonnulli etiam ipsi sibi mortem conscíscunt. Verùm nullo horũ modorũ quicquã proficitur: sed res ex malo in peius ruunt. Itaq; prudentes, nẽpe pios, non sic facere oportet. Quomodo ergo? Sicut D. Iacobus. Hic enim, quanquã continuis (velut vnda vndã trudente) calamitatibus (quæ à 27. cap. ad finem vsq; Geneseos describuntur) pressus fuit: nihilominus tamen se patientẽ præbuit: & quidem rectissimè. Non enim fortuitò calamitates accidere nouerat: sed sciente, nec inuito, Deo: cùm etiam pili, vt Christus ait, ca-

Crux, patienter est ferenda.

Matth. 10.

σαι ἠρέμιστα. Αλλ' ὅσῳ δυσμενέστερον, οὐδ' ὀργιζόμενος (δ καὶ ἀνθ' καλῶς ὁ ἰατρὸς ἤδει) τὸν σαυρὸν ὁ θεὸς ἐπιτίθησι: σαγήνῃ δὲ ζωὴ σοργῇ χρώμενος. ὁ δ' αὐτὸς ὢν οὕτω σοφὸς ὅστις: ὥστε κάλλιον ἡμῶν ἐπίστασθαι, τί συμφέρει ἡμῖν: ὅσῳ λυπηρὸν σωρηρᾷ χρώμενον ἄλλῳ, μὴ ὂν εἰς μεῖζόν τι ἀγαθὸν φέρον. πολλάκις ἄνθρωπος μοχθηροῖς ἂν ἔργοις ἐπιβάλλοιτο, μὴ σαυρὸν ἐπιφορτιζάμενος. τοιγάρτοι πατρὸς πρόνοια προσφέρεται τοῖς τέκνοις: ὃν ἀεὶ δ' δι' ὠφελήρίας ὑπ' αὐτῶν αἰτούμενον χαριζομένου: ἵνα μὴ κακόν τι ἑαυτοῖς προστειβάμενοι λάθωσιν. Οὐ τοίνυν ἐκλαθέσθαι δεῖ τῆς παρακλήσεως: ἥτις ἡμῖν, ὡς ἑοῖς, παλέγεται. Υἱέ μου (φησὶ) μὴ ὀλιγώρει παιδείας κυρίου: μηδ' ἐκλύου, ὑπ' αὐτοῦ ἐλεγχόμενος. Ὃν γὰρ ἀγαπᾷ κύριος, παιδεύει. Μαστιγοῖ δ' πάντα ὑὸν, ὃν παραδέχεται. Οἶδαμεν δ' (γράφει παῦλος) ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν, πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. διά τοι ταῦτα, πρᾶον ἑαυτὸν ὁ ἰακὼβ παρέσχε, ἵνα θεῷ ζῶν κατήκοον. Διὸ καὶ ἡμῖν, αὐτὸν μιμουμένοις, τὸν σαυρὸν ἡμῶν πρᾴως φέρειν προσήκει: καὶ μάλιστα, τοῦ σωτῆρος ἐπόντος: ὅτι, εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἰέναι, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σαυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι. Οὕτως ὁ καλὸς ἀθλητὴς ἰὼβ, ἐπαλλήλων συμφορῶν πυθόμενος: αὐτὸς, εἶπε, γυμνὸς ἐξῆλθον ἐκ κοιλίας μητρός μου: γυμνὸς καὶ ἀπελεύσομαι ἐκεῖ. Ὁ κύριος ἔδωκεν, ὁ κύριος ἀφείλετο. ὡς τῷ κυρίῳ ἔδοξεν: οὕτω καὶ ἐγένετο. Εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον εἰς τοὺς αἰῶνας. Οὕτω μὲν οὕτω φρονῶν, μεταταῦτα διαλάσιον, ὧν ἀφελόμενος ἐκὼν, παρὰ θεοῦ ἀπέλαβεν. ὁ δ' αὐτὸς θεὸς, ἔτι καὶ νῦν ζῇ: αὐτὸς, ἄλλον τρόπον ἀντικαταλλαξιν τὴν ζημιῶν ἡμῖν ποιεῖσθαι δυνατός. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ σωτὴρ, οὐ τῷ θεῷ σημανεῖ λεγομένῳ χωρίῳ λυπούμενος καὶ ἀδημονῶν, προσευχόμενος ἔλεγε: Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι: παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο. Πλὴν, οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. Καὶ ἡμῖν

ἑβρ. ιϛ. μαθ. ιε. ἰὼβ. α. μαθ. κϛ.

pitis noſtri omnes numerati ſint. Nec infeſto, aut irato, Deus animo (id quod & ipſum Iacobo probè notum erat) crucem imponit, ſed amore paterno. Idem quoq; ita ſapiens eſt: vt melius ſciat, quàm nos, quid nobis proſit: nec aduerſi quicquã fieri permittit: quod non maiori futurum ſit emolumento. Sæpe homo improba patrare aggrederetur: niſi cruce reprimeretur. Ita more Patris, cum liberis agit: qui nõ ſemper, quod ipſi imprudenter appetunt, dat, aut facit: ne incõmodo afficiantur. Non ergo obliuiſci decet exhortationis: quæ nobis, tãquam filijs, loquitur. Fili mi (inquit) ne neglexeris caſtigationem Domini: nec defeceris, cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat. Flagellat autẽ omnem filiũ, quem recipit. Scimus verò (ſcribit Paulus) diligentibus Deum, omnia ſimul inſeruire ad bonũ. His de cauſis, patienter, & erga Deum obedienter, Iacobus egit. Quapropter ipſius exemplo, nos quoq; crucem noſtram toleranter ferre decet: maximè, cùm Saluator dicat: Si quis vult poſt me venire: abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hoc modo fortis ille luctator Iobus, alia ex alia calamitate percepta: Ego, inqt, nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ: nudus etiam reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino viſum fuit: ita & factum eſt. Sit nomen Domini laudatũ in ſecula. Atq; hic poſtea dupla omnia, quæ amiſerat, à Deo recepit. Idem Deus adhuc viuit: idem alijs modis damna noſtra cõpenſare poteſt. Nec nõ Saluator, in loco Gethſemane dicto, triſtitia & anxietate affectus, orauit: Pater mi, ſi fieri poteſt, trãſeat à me poculum hoc. Verùm, non vt ego volo, ſed vt tu. Et nos

Heb.12.

Rom.8.

Matth.16.

Iob.1.

Matth.26.

μῖν δῶν, ἢν σωτηρίαν μετὰ πρότερον οἰσέων: λογιζομένοις, ὅτι, εἰ θεὸς ἰακώβ, εἰ τῷ ἰώβ, εἰ θεὸς σωτῆρι, οὐκ ἐξεγένετο σωτηρίου ἀμοίροις εἶναι: ἀλλὰ πρεπεία τῇ ψυχῇ τοῦτον ἐβασάξαμ: πάντως ἂν καὶ ὑμῖν ἐπομένοις αὐτοῦ πρέπει εἶναι. πολὺ γὰρ αὐτῶν καταδεέστεροι τυγχάνομεν: δὸ ἄμεινον πράττειν αὐτῶν, ἡμῖν αἰτῆσαι ἁρμόζει. Οὐ γάρ ὅτι μαθητὴς ὑπὲρ ἢν ἑαυτὸν διδάσκαλον. Καὶ ταῦτα μὲν, ὅτως. Αἱ δὲ γυναῖκες, τὴν παγκάλην ἐραστὴν ἐμβλέπουσαι, αὐτῷ μιμεῖσθωσαν: ἡ καλλίσα μὲν βίον διεξαγαγοῦσα, θείαις κατὰ πάντα ἑαυτῆς χώραν μένουσα, ἐξέπνευσεν: ὁμοίως αὐταῖς ἀρίστευεν πρέπουσα. Διαφόρους δὲ, ταῖς οἱ γάμοι ἔχουσαις, καὶ ἐπὶ τῷ τίκτειν ὕσαις, ἐνταῦθα πρόμυθία πρότεθη: θεὸς, κἂν ἄλλως ἀρρενώσκειν δέῃ (ἅπαξ κολάσεως τῆς ἁμαρτίας τὸ θανάτου κυρωθέντος) ταῖς γοῦν φιλοχρίστοις τῶν γυναικῶν ἀγαθοῦναι μὲν σωτῆρα: θύραν τε τῆς εἰς αἰώνιον ζωὴν εἰσόδου, μὲν θάνατον καθεστηκέναι. Οὐδενὸς γὰρ ἀρρενὸς δὲ αὐτοῦ γίνεται: ἀλλ' ἀμυθήτου χαρᾶς ἐγχειρίζεται κτῆσις: ἅπαντα, καὶ τὸ κόσμου ὅλου, κεφαλή τε καὶ θυμηδίας ὑπερακοντίζουσα. Οἱ δὲ τῇ πρόκλησιν ταύτην θεοῦ γυναικείῳ φύλῳ μάλιστα προτείνων, ὁ καλὸς Παῦλός ὅτιν: αὐταῖς σωθήσεσθαι λέγων διὰ τῆς τεκνογονίας: ἐὰν μείνωσιν σὺν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ, μετὰ σωφροσύνης. Πρὸ πάντων δὲ, τὰς σὺν τόκῳ διαφθειρομένας, σημαίνει, σὺν τῇ ἑαυτῶν κλήσει καὶ τάξει εἶναι: καθάπερ, ὅταν ἡρωϊκῶς ὑπὲρ τῆς πατρίδος μαχόμενον τραυμάτις πίπτῃ: ἢ διάκονον ἐκκλησίας, ἐπὶ λοιμῷ, ἢ χριστοῦ ὁμολογήσεως, ἀναιρῆται. Καὶ ταῦτα μὲν, περὶ τὸ σωτηροφορεῖν.

λεκ. ε.

Γυναικῶν πρόκλησις.

α. τιμ. β.

ΖΗΤΗΜΑ.

Αἴτια τοῦ σωτηροφορεῖν τοῖς εὐσεβέσιν παῖσα, πρὸ πλησίας ταῖς ἀσεβέσιν, σὺν ταῖς ὠδῖσι φθειρομένην ἐπιθέσεως, τίνα.

Θαυμάζοι δ' ἂν τις σὺν ταυτοῖ: διὰ τί ὅτω μὲν εὐσεβῆ γυναῖκα, πρὸ πλησίας ταῖς ἀσεβέσιν, σὺν ταῖς ὠδῖσι φθειρομένην ἐπιθέσεως, τίνα.

ὁ θεὸς

bis igitur placidè crux ferenda fuerit: cogitandumq; illud: si Iacobo, si Iobo, si Saluatori, non licuerit crucis expertibus esse: sed patientibus animis eam tulerint: planè etiam nos, sub ipsa tolerantiã præstare conuenire. Nam longè illis inferiores sumus: nec meliorẽ conditionem postulare debemus. Non enim supra Magistrum est Discipulus. Mulieres etiã in pulcherrimum Rachelę exemplum intueantur: quæ vitæ cursu honestissimè peracto, generosè in sua vocatione Spiritum exhalauit: quam bonitatã fortitudinemq;, sibi quoq; imitandam cogitent. Præcipuè verò prægnantibus & parturientibus, hîc consolatio est proposita: quòd, etsi alioqui sit moriendũ (cùm generatim mors pœna peccati sit) tamen pijs & credentibus matronis sanctificata sit crux: morsq; ipsis, iam in vitam æternã aperiatur ianua. Nihil ergo per eam amittitur: sed ineffabile gaudium acquiritur: omnibus etiã totius Mundi opibus & voluptatibus, lõgissimo interuallo anteponendum. Ac præcipuè hanc consolationem Paulus mulieribus proponit: eas per liberorũ generationem saluatum iri: si manserint in fide, dilectione, & sanctificatione, cum castitate. In primis autem, quæ in partu pereunt, significat, eas esse in sua vocatione & statione: sicut, cùm miles fortiter pro patria pugnans, occumbit: aut Minister Ecclesiæ, tempore Pestis, aut in nominis Christi confessione, de medio tollitur. Et hæc de ferenda cruce.

Luc. 6.

Mulierum adhortatio & consolatio.

1. Tim. 2.

QVAESTIO.

Causæ, cur Deus pijs crucem imponat.

Miretur verò hîc aliquis: cur fieri hoc permiserit Deus: vt tam pia matrona, non aliter, quàm aliæ im-

ὁ θεὸς προῖδε· τίνος δ' ἕνεκα μὲν ἑαυτοῦ φίλον, ὅμ οὐ πολὺ πρότερον ἀξιῶ λόγων κοινωνίας οὕτως πεφιλοφρόνητο, νῦν οὕτω διέθηκε: καὶ δι' τί βουλόμενος, καὶ τοὺς ἄλλους τὴν εὐσεβοῦντων, τοῦτον μὲν πρόσθεν μεταχειρίζεται: δοκοῦμ, εὖ δεῖν τοῖς τοιούτοις εἶναι. Οὐ μάταιον, οὐδὲ πολυπραγμοσύνῃ ὄφλον, δ' ἀπόρημα. Δόξειε μὴ ἄν τινι, ἁμαρτίας ἕνεκα, οὕτως τοὺς εὐσεβείας διδασκάλους διαβεβλῆσθαι: ὥσπερ
ἰωάν. θ. δὴ καὶ οἱ μαθηταὶ, περὶ τοῦ ἐκ γενετῆς τυφλοῦ μὲν κύριον ἠρώτων: πότερον ἥμαρτεν, οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ. πρὸς δὴ τοῦτο, δεῖ οὕτως ἀκριβοῦσθαι. Ἀλλὰ μὴν, εἰ ὅτι μὲν
πρῶτον. θεὸν κρίσιν κρίνεσθαι, ἥτις δικαία: οὐ μόνον εἰς ἀνθρώπους ἀνοσίους, ἀλλὰ καὶ εἰς εὐσεβεῖς ἁμαρτόντας. εἰ δ' ἄμ τὴν ἡμαρτημένων ἀξίως ἡμῖν προσφέρεσθαι ἐθέλοι: οὐ πανταχόθεν ἀπωλείας ἰδέα οἰκτροτάτη καταμανθάνειν ἄμ; Ἀλλ' οὐδὲν παρὰ μέτρον, τοὺς νῦν προκειμένους σύζυγας, ἁμαρτόντας εὑρήσεις. Καὶ περὶ τοῦ τυφλοῦ δ' ἐκείνου, ὁ χριστὸς ἀπεκρίθη: οὔτε τοῦτον ἁμαρτεῖν, οὔτε τοὺς γονεῖς αὐτοῦ:
δεύτερον. ἀλλ' ἵνα φανερωθείη τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ ἐν αὐτῷ. πολλάκις γὰρ ἀφορμὴ μείζονος δόξης θεοῦ, καὶ θερμοτέρας μετὰ τὰς ἀπαλλαγὰς εὐχαριστίας, αἱ θλίψεις ὑπάρχουσι. Τί δ' ἐν τῷ παρόντι βουληθεὶς, ὁ θεὸς οὕτως ἐποίησε; Γνω-
τρίτον. κόν ὅτιμ αἴτιον, ὃ χριστὸς λέγει: τῷ θέλοντι ὀπίσω αὐτοῦ ἐλθεῖν, ἀπαρνητέον ἑαυτὸμ, καὶ ἀρτέον τὸμ σταυρὸμ αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθητέον αὐτῷ. τῷ, ὃς ἂμ θέλῃ τοῦ κυρίου μαθητὴς εἶναι, ταῦτα προσῆκόμ ὅστι ποιεῖν. Ἀπάρνησιν ἑαυτῷ, ὡς τῆς μὲν παρούσης ζωῆς οὐδὲμ οὖσης, τῆς δὲ μελλούσης μεταδοκτέας, κρικτέον: τὸμ ἑαυτοῦ ἐκάστῳ σταυρὸμ ἐπιφορτιστέον: τοῖς ἴχνεσι τοῦ κυρίου, δι' τὴν θλίψεων ἑ-
σταυρὸς ἑαυτῷ. πακολουθητέον. Τί, ὁ σταυρός; δ' ποιοῦμ ἀνθρώπῳ λύπλω. ὃ γάρ τις ἐκὼμ καὶ ἄσμενος ποιεῖ, οὐκ ἔστι σταυρός. Τίς ὁ ἑαυτοῦ σταυρός; ὅμ ἐθελουσίως τις αἴρεται; δδαμῶς: ἀλλ' ὁ ἑ-

κάστῳ,

pſæ, ex partu moreretur: cur ſic amico ſuo, cum quo non multò antè familiariter collocutus fuerat, fecerit: & quid cauſæ ſit, quòd cæteros quoq; pios ſic tractet: cùm rationi conſentaneũ videatur, talibus debere bene eſſe. Non vana, nec curioſa, hæc quæſtio eſt. Videri enim alicui poſsit, ob pœnas infligendas ſic fieri: ſicut etiam Diſcipuli ex Domino quærebant de cæco ab vtero: ipſe ne, an parẽtes eius, hoc commeruiſſent. *Ioan. 9.*

Ad hoc ſic reſpondendũ eſt. Verũ quidem eſſe, Deũ aliquando iuſta ſua exercere iudicia: nõ modò in impijs, ſed etiam in pijs peccantibus. Ac ſi nobiſcum ſecundum peccata noſtra agere vellet: omnibus miſeris modis pereundum fore. Sed ſi in præſenti caſu de peculiari peccato quæras: non in his ſanctis coniugibus reperies. Et de illo cæco Diſcipulis reſpõdit Chriſtus: nec hunc, nec parentes eius, peccaſſe: ſed hoc factum eſſe, vt opera Dei fierent manifeſta in ipſo. Sepenumero enim ex calamitatibus hominum, gloria Dei ſplendeſcit: & poſt liberationem ardẽtioribus animis gratiæ aguntur. Cur verò hoc loco Deus ſic egit? Generalis cauſa eſt, quam Chriſtus reddit: ei, qui poſt ipſum venire velit, abnegandum eſſe ſeipſum, crucem ſuam tollendam, & ſequendum ipſum. Ei, qui diſcipulus vult Domini eſſe, hæc facere conuenit. Abnegatio ſui ipſius, tanquam hæc vita nihil ſit, illa autem altera omnino perſequenda, facienda eſt: ſua cuiq; crux ſibi in humeros tollenda: veſtigia Domini, per afflictiones inſequenda. Quid nominatur C R V X? Id, quod alicui dolorem affert. Quod enim aliquis ſua ſponte & libenter facit, non eſt crux. Quæ S V A crux? Quam aliquis vltro elígit? Nequaquam; ſed quæ à Deo vni-

Prima.

Secunda.

Tertia.

Crux ſua.

cuiq;

κάτω, τοῦ θεοῦ ἐπιζυθέντος, ἐπιβάλλων. Οὐ γὰρ δίκην
ἀυθαίρετον δεῖ σαυρὸν αἴρειν: ὡς οἱ μοναχοὶ καὶ ἀναχωρῆται:
αὐτοὶ πικίλας ἑαυτοῖς βασάνους ἐπιζυθέντες: ἀνυπόδετοι, κα-
τηφεῖς, καὶ ἀεροχλοῦντες βαδίζοντες: οὐ κέμυλνοι, ἀλλ' ἰσά-
μυλνοι: οὐκ ἐπὶ κλίνης κοιμώμυλνοι, ἀλλ' ἐν χαμεύνῃ. Οὐδὲ
γὰρ ἀληθές ὅστι, σαυρὸν εἶναι τοῦτον, ὅν ζὺς ἐκὼν αἴρει: ἀλ-
λ', ὃν ὁ χρισὸς, λυπηρὸν ὄντα, ἐπιτίθησιν: οὗ καθ' ἁυ-
τὸν ἄνθρωπον ἀσμενίως ἂν ἀπαλλαγείη. Οἷον δ' ἐπαυ-
θα τῷ ἰακώβ σύμβαμα: οὗ πικρότερον οὐκ ἂν αὐτῷ συμ-
βαίνειν ἐδωκήθη. τοῦτον αὐτῷ μὲν σαυρὸν ὁ θεὸς ἐπέθηκε: τὸν
τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου, ἠχθέσθη μὲν σφόδρα: λύγκε δὲ, ὡς
ἐρρέθη, ἐυγνωμόνως: ἠκολούθησε τῷ κυρίῳ ἑαυτοῦ, τῷ μεσ-
σίᾳ: μᾶλλον δὲ ἡγήσατο, οὔπω γε τότε γινηθέντος. Ἀλλὰ
μὴν, ὅσον πλὴν ἐπὶ γῆς διατριβὴν ἐζημίσατο: τουτέστιν, ὅ-
σον ἑαυτὸν ἀπηρνήσατο: καὶ, ὃν ὕδωρ τῷ φαραὼ ἀ-
γενέσ. μζ. πεκρίθη, δῆλον εἶναι. Αἱ ἡμέραι, εἶπε, τῆς ζωῆς μου, ἃς
παροικῶ, ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη: σπλονότι μικραὶ καὶ πο-
νηραί. Τοὺς χρισοῦ μαθητὰς τοιαῦτα κακοπαθεῖν, ἀνάγ-
κη. Φησὶ γὰρ: ὑμεῖς δέ ἐστε, οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ
λυκ.κβ. ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου: κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς
διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, βασιλείαν. Πῶς ὁ πατὴρ ἀυ-
λυκ.κδ. τῷ διέθετο; ἀυτὸς διασαφήσας, φησὶν: Οὐχὶ ταῦτα
ἔδει παθεῖν τὸν χρισὸν: καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ;
ῥωμ. η. Καὶ Παῦλος: Εἰ δὲ τέκνα: καὶ κληρονόμοι. Κληρονόμοι
μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ χρισοῦ: εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα
καὶ συνδοξασθῶμεν. Καὶ μετὰ μικρὸν: Ὅτι, οὓς προέγνω:
καὶ προώρισε, συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ: εἰς δ'
εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. ταῦτα δ' οὔ τισι
β.τιμ.γ. μὲν συμβαίνει, τισὶ δ' οὔ: ἀλλὰ πᾶσι. Πάντες γὰρ, οἱ θέλοντες
εὐσ.ιβ. εὐσεβῶς ζῆν ἐν χρισῷ ἰησοῦ, διωχθήσονται. Πάντα γὰρ μα-

σιγοῖ,

cuiq; pro ſuo modulo imponitur. Non enim certè crucem ſponte noſtra tollere debemus: ſicut Monachi & Eremitæ faciunt: qui ipſi vltro varia cruciamenta ſibi inferunt: triſti & demiſſo vultu ſunt: ſine calceis incedunt: non iacent, ſed ſtant: nõ lecto cubant, ſed humi. Nec enim verum eſt, hanc eſſe crucem, quam quis ſua ſponte tollit: ſed illam, quam Chriſtus triſtitia cõiunctam imponit: qua per ſe libenter homo leuaretur. Sicut hoc loco Iacobo caſus accidit: quo nullus ipſi triſtior accidere potuiſſet. Hanc crucem Deus ei impoſuit: ſenſit ipſe, doluit vehementer: ſed tulit, vt dictum eſt, patienter: ſecutus eſt Dominum ſuum Meſsiam, imò præceſsit: quia nondum is ex ipſo natus fuerat. Quanti etiam hanc vitam iudicarit faciendam: hoc eſt, quàm ſeipſum abnegarit: vel ex reſponſo, quod Pharaoni poſtea dedit, perſpici licet. Dies, inquit, annorum vitæ meæ, quos inquilinus ſum, centum triginta anni ſunt: nempe pauci & mali. *Gen. 47.*

Diſcipulos Chriſti ſic affligi oportet. Ait enim: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut Pater meus mihi diſpoſuit, regnũ. Quomodo ei Pater diſpoſuerat? Ipſe declarat, inquiens: An non ſic oportebat pati Chriſtum: & ſic ingredi in gloriam ſuam? Et Paulus: Quòd ſi filij: etiam hęredes. Hęredes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti: ſiquidem cum eo ſimul patimur: vt ſimul etiam cum ipſo glorificemur. Et paulò pòſt: Quoniam, quos præſciuit, eos etiam præfiniuit, conformes imaginis filij ſui: vt ipſe ſit primogenitus inter multos fratres. Hæc non aliquibus accidunt, ſed omnibus. Omnes enim, qui volunt in Chriſto Ieſu piè viuere, perſecutionem patientur. Omnem filium fla- *Luc. 22.* *Luc. 24.* *Rom. 8.* *2. Tim. 3.* *Heb. 12.*

στιγοῖ, ὅμ παραδέχεται. Ὑπεξαίρεσιμ μὲν ὁ κανὼμ οὕτω
οὐδὲ μίαμ ἔχει: ἀλλ' οὐδὲ τὴμ εἰὸμ τοῦ θεοῦ, ἀπελὴ τοῦ δασ-
μοῦ λέπει: πάντας δὲ πάντη πάντως συλλαβὼμ ἔχει. Ἔτι δὲ,
καὶ διὰ ταύτιν παιδευόμεθα πὼ αἰτίαμ: ἵνα μὴ, δίκαι-
τέταρτ. κεῖ εὐτυχίᾳ χρώμενοι, τοῦ θεοῦ ἐπιλαθώμεθα: ἢ, ὑπερ ὃ δεῖ,
φρονῶμεν: ἀλλ' ὅπως σὺ φόβῳ τοῦ θεοῦ, πίστει, προσευχῇ, ὑ-
πομονῇ, ὑπακοῇ, ἀσκηθῶμεν: καὶ διὰ ταπεινοφροσύνης κα-
λινα γωγηθῶμεν: τά τε τῆ ἁμαρτίας λέμματα, ἐπί τε σὺ-
καθαρθέντα, πνιγῇ. Οὕτω γὰμ ἰακὼβ ἤσκησεμ, ὕτω γὰμ
β. κορ. 16. ἰὼβ, ὕτω τὸμ παῦλον. Φησὶ γοῦν ὁ ἀπόστολος ὕτως:
Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι: ἐ-
δόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶ: ἵνα με κολα-
φίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸμ κύριομ παρε-
κάλεσα: ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ. Καὶ εἴρηκέ μοι: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις
μου. ἡ γὰρ δυναμίς μου, σὺ ἀσθενείᾳ τελειοῦται. Τέλος δὲ,
πέμπτομ. ἐπειδήπερ προσκλώμεθα θεῷ νυῦ βίῳ, καὶ μάλ' αὐτοῦ δυνα-
στασίας ἔχομεν: κόρομ αὐτοῦ, διὰ τῶν πατρικὸμ ἑαυτοῦ
ἐπισκέψεων, καὶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν πόθομ, ἡμῖν ἐμ-
φιεῖμ ὁ κύριος ἐθέλει. Τοῦτο δὲ εὐγίνεται, πάντως ἀεὶ κα-
τὰ ῥοῦν ἡμῖν φερομένων: ἄλλως τε, καὶ ὅταν σὺν νομί-
ζωσι, πολλὰ ἔτι σφίσιμ ἐπὶ γῆς ἀτέλεστα εἶναι: ὡς δέον
τοῦ θεοῦ μὴ ἅμ ἄνδρ αὐτῶμ τελεῖμ αὐτὰ δυνατοῦ ὄντος. ὅτως
πράξ. ιδ. ὧν διὰ πολλῶν ἡμᾶς δεῖ θλίψεων εἰσελθεῖμ εἰς πὼ βασιλείαμ
τοῦ θεοῦ: καὶ σωθῆναι Χριστῷ μνέσθαι: ὅπερ, εἰς δ' ἀναλῦσαι
φιλιπ. α. πὼ ἐπιθυμίαμ ἔχων, μάλιστα δὲ ἐυχῆς ὁ ἀπόστολος ἐθέλω
ἔχειμ. εἰκότως. Οὐδαμῶς γὰρ ἄξια, τὰ παθήμα-
ῥωμ. η. τα τοῦ νυῦ καιροῦ, πρὸς πὼ μέλλου-
σαμ δόξαμ ἀποκαλυφθῆναι
εἰς ἡμᾶς.

ΕΠΙΛΟ-

gellat, quem recipit. Exceptionẽ hæc regula nullã habet: adeo, vt ne quidẽ ipse Dei filius excipiatur: sed prorsus vniuersalis est. Castigamur aũt etiam propter hanc causam: ne, vtentes perpetuò rebus secundis, Dei obliuiscamur: aut suprà, quàm oportet, sapiamus: sed vt in timore Dei, fide, inuocatione, patientia, obedientia, exerceamur: & cum humilitate in officio retineamur: peccatiq; reliquiæ aliquo modo expurgentur, & enecentur. Sic Iacobum exercuit, sic Iobum, sic Paulum. *Quarta.* *1. Cor. 12.* Inquit ergo Apostolus hic: Et ne excellentia reuelationũ supra modũ efferrer: datus est mihi stimulus in carne, Angelus Satan: vt me colaphis cæderet, ne supra modum efferrer. De hoc ter Dominum rogaui: vt à me discederet. Is verò mihi dixit: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea, per infirmitatẽ perficitur. Postremò, quoniã valde præsenti vitæ addicti sumus: & difficulter ab ea auelli possumus: satietatem eius, paterna sua visitatione, desideriũq; bonorũ futurorũ, afferre nobis Dominus vult. Id aũt non fit: si omnia ad voluntatem nostrã perpetuò fluant: præsertim, quando homines putant: sibi adhuc plura in terris esse expedienda, & perficienda: quasi non sine ipsorum opera Deus illa perficere possit. Ita per multas tribulationes, nos in regnum Dei ingredi oportet: & consuetudinis cum Christo viuendi consortes fieri: id quod Apostolo gentiũ, magnopere dissolui, & ex hoc terreno hospitio discedere cupienti, vnicè in optatis fuit: & meritò. Nequaquam enim afflictiones præsentis temporis, æqualis cum gloria illa ponderis sunt, quæ reuelabitur erga nos. *Quinta.* *Act. 14.* *Phil. 1.* *Rom. 8.*

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Ανακεφαλαίωσις τῶν εἰρημένων.

Ηκούσαμεν ἄχρι δεῦρο τάδε. Πρῶτον μὲν, πόθεν ὁ τῆς κακοπαθείας σαυρὸς, καὶ δὴ καὶ ὁ θάνατος αὐτός. Πόθεν; ἐκ τῆς ἁμαρτίας, καθάπερ ἐκ πηγῆς ῥίζης: ἣν δὴ ταῦτα πάσχει ἁπανθρωπεῖν. Δεύτερον δὲ, τί ἡ τε μακαρία ῥαχὴλ, καὶ ὁ ἀγαθὸς ἰακὼβ, τὸ ζῆλος σαυρῷ ἐπαινοῦσι. Ἐκάτερον, εὐσεβείας, ἀνεξικακίας, θεοπειθαρχίας, ἐμμενείας ἐπιδείξασθαι. τὰς αὐτὰς οὖν ἀρετὰς καὶ ἡμῖν, ἀνιόντας τε καὶ γινομένοις, μιμητέον. Ἔτι δὲ προσεθήκαμεν: δι' τίνας αἰτίας, τὸς ἑαυτῶν σαυρῷ ὁ θεὸς ἀνεβάλλε: ἀγαθὴ μάλιστα δι' ἣν, ἵν' ὑπακούωμεν καὶ ἀνομοιούμενοι, ὁμοιοπαθοῦντες ζῶντι ἐκείνῳ αὐτῶν γένωνται: καὶ τῶν ἀναλύειν ἐπιθυμοῦντες, σὺν χριστῷ εἶναι γλίχωνται. Ταῦτα μὲν δὴ οὕτω ξὺν θεῷ γέγοιπο.

Ταφὴ τῆς νεοπελουσιάσης.

Νῦν δὲ γυναῖκα ἐθάψαμεν τὴν ἀρίστην, ΒΑΡΒΑΡΑΝ: τὸν μὲν ἀοιδίμου καὶ μακαρίτου θεολόγου, Ἰωάννου Βρεντίου, τὸν τε ἐν Στουγαρδίᾳ ἐκκλησίας προκρίτου γενομένου, καὶ τὸν χριστιανὸν λαὸν τὰ μέγιστα ἐυεργετήσαντος, συζυγίαν: τὸν δ' αἰδεσίμου τε πρὸ ἡμῶν ἐκκλησίας προστάτου, καὶ ἐν τῇ ἀκαδημίᾳ διδασκάλου, θεοδωρίκου τοῦ Σνεπφίου, γαμετὴν ὑπάρξασαν. ἣν αὕτη κατὰ τὸν βίον ἑαυτῆς εὐσεβεστάτη, ζῶντι συζύγῳ πιστοτάτη, οἰκουρὸς ἐν ταῖς μάλιστα, πολλῶν τέκνων μήτηρ, καὶ τούτων προφὸς ἀρίστη. Ἔτι δὲ, τὸ μὲν σῶμα, καλή τε καὶ μεγάλη: τοῖς δὲ λόγοις καὶ ἔργοις, σεμνή: τὸν δὲ τρόπον, ἠπία πρὸς πάντας. Τέλος δὲ, διὰ τὰς ἰδίας ἀρετὰς, καὶ τῇ λαμπρᾷ κυρίᾳ Ἀννα Μαρίᾳ, τῇ τοῦ ἐπιφανεστάτου κυρίου ἡμῶν Χριστοφόρου, τοῦ τανῦν ἐν οὐρανοῖς Χριστῷ συμπαιωνίζοντος, γαμετῇ, μάλιστα καταθύμιος, καὶ συνήθης. Ἐν τόκῳ δὲ (ὃς αὐτῇ δέκατος καὶ ἕκτος ἐγένετο) σπανιοχωρηθεῖσα καὶ αὐτὴ: καὶ πρὸς θάνατον ἐγγίζουσα: ἄλλη μακαρία ῥαχὴλ ὄντως: ὁ ὀξὺ τὴν βελῶν ἐκπεμπομένη πεφοβημένη

EPILOGVS.

Audiuimus hactenus hæc. Primùm, vndenam ærumnarum crux, atq; adeo mors ipſa, tum fœminarũ, tum virorũ, nata ſit: nempe ex peccato, tãquam ex radice mala: quod ideo omni ſtudio fugiendũ ſit. Deinde, quid beata illa Rachela, & optimus Iacobus, ſub cruce fecerint. Vtrunq; pium, patientem, Deo obedientem, in anguſtia ærumniſq; fuiſſe videmus. Eædem ergo virtutes nobis quoq; tum viris, tum fœminis, imitandæ. Addidimus quæſtionem: quid cauſæ ſit, quòd cruci ſuos Deus ſubijciat: videlicet maximè ideo, vt obedientia patientiaq; exercenda, filio ipſius cõformes fiant: & diſſolui, hinc q; euolare, cupiẽtes, cum Chriſto eſſe aueãt. Hæc vt ita fiãt, clementiſsimus faxit Deus. *Enumeratio.*

NVNC VERO, PRAESTANTISSIMAM MATRONAM HVMAVIMVS, BARBARAM: quæ clariſsimi piæ memoriæ Theologi, Ioannis Brentij, Stutgardianæ Eccleſiæ prępoſiti, de Chriſtiano populo optimè meriti, filia fuit: reuerendi autem Eccleſiæ noſtræ Antiſtitis, & in Schola Doctoris, Theodorici Sneppfij, coniunx. Erat hęc in vita ſua, pietatis ſtudioſiſsima, viri ſui amantiſsima, rei domeſticæ diligentiſſima cuſtos, multorum liberorũ mater, eorumq; optima educatrix, dignitate corporis prædita, verbis factiſq; decora, mitis erga omnes: propter virtutes ſuas denicq; illuſtriſsimæ D. Annæ Mariæ, clementiſsimi D. ac Principis noſtri Chriſtophori, iam in cœlis cum Chriſto vitam agentis, coniugi, maximè chara, & familiaris. Cumq; & ipſa inter pariendum (qui ei decimusſextus fuit partus) coanguſtata, & ad mortem tendens, altera beata Rachela eſſet: acutiſsimos illos do- *Sepultura huius defunctæ.*

πρᾳοτάτη ψυχὴ ἐνεφέρουσα: τῷ μὲν συγγάμῳ, καὶ τὴν γε-
νημάτων, μνήμῃσι ἐτήρησε: τῷ δὲ πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπης, λή-
θῃσι οὐκ ἔλαβε: τὰς δ' ἐκείνης ἐλπίδας, τῷ Χριστῷ μόνῳ ἐξαρ-
καμμένη πάσας ἔσχεν: ἅπερ καὶ ἐν βραχέσιν διάσημα γενοί-
τῶνδε. Πρῶτον μὲν γάρ, πολλὰ ἱκέτευσε, καὶ προσλιπαροῦσα προ-
τροπαῖς πρὸς τὸν ἀναπλοῦν σύζυγον διετέλεσεν: ὑπὲρ τῶν μετ'
ἐπιμελείας τὰ τέκνα ἐκτρέφειν: τοὺς δ' ἡμᾶς (οἳ δωδεκάδι τὴν
ζώντων τέκνων τυγχάνοντες) εἰς τὴν ἱερὰν θεολογίαν παιδεύ-
σθαι, μετὰ σπουδῆς ἐδέησθη. Εἶτα δὲ, πάντας, τούς τε πα-
ρόντας, καὶ τοὺς ἀπόντας, παρεκάλεσεν: εἴ τι ὀνείδους αὐτὴν ἄχα-
ρι πεποιηκυῖα εἴη, συγγινώσκειν οἱ. Οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ συγ-
γνώμῃ πᾶσι νέμειν. Τὸ δὲ πανάγιον τοῦ κυρίου δεῖπνον, αὐτοκέλευ-
στος ἐκπεπῶς ἤτησεν. ἐπιτυχὴς δ' αὐτῷ γενομένη: χάριν ἐγὼ, ἔφη,
ὁμολογῶ σοι, κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας: αὐτῷ ὧν
ἐμὲ, ὃ μόνον οὐ θεὸν προσενομίζω χρόνῳ, σαυτὸν ἐμοὶ δι' ὀρθῆς
εἰς σὲ πίστεως τρανῶς γνωρίσας, ΧΡΙΣΤΙΑΝΗΝ ἀπέδει-
ξας: ἀλλὰ καὶ οὐ θεὸν νῦν, εἰς αἰώνιον μακαριότητα, τῇ τοῦ σω-
τηριώδους σώματός τε καὶ αἵματός σου μεταδόσει, ἐσιάσας ἀ-
λκη.κγ. νεζωπύρησας. Εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου. Τὸ-
μὲν, τρὶς ἢ τετράκις εἶπε. Τελευταῖα δὲ, τὸ Ἰησοῦ ὄνομα,
ἕως τῶν ἐσχάτων ἀναπνοῶν ἐφώνησε διατεινομένη: ὥστε, τῆς φω-
νῆς ἐκλιπούσης, ἀνάρθρῳ ζωῇ ἔχω, τοῖς παρεσῶσι τὴν ἑαυτῆς
διάνοιαν παρεμφαίνειν. Διὰ ταῦτα δὴ, τὴν χαλεπωτάτων
ὁδωνῶν, ὅτως ἐνεγνώμονι ψυχῇ ἐξηλυθέναν, μηδαμῶς διεά-
ζωμεν: μὴ ὄν εἰς ὑράνιον ἀνάπαυσιν, καὶ ἀτελεύτητον ἐυδαι-
μονίαν, ἀναληφθῆναι. Τοιαύτας μὲν Δῷ βίου ἀρετάς, ὁμοίαν
μετὰ βεβαίας πίστεως ἐπὶ τέλους οἴθωσε ἐκδημίαν, ἵνα εἰς
τὴν ἄνω πατριπόθητον πατρίδα ἀναληψιν, ὁ τῶν ὑρανοῖς πατὴρ
καὶ ἡμῖν ἐυμενῶς χαρίζοιτο: Δῷ Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ μόνῳ σωτῆρι
ἡμῶν: ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς ἀπεράντους
αἰῶνας. Ἀμήν.

lores, æquiſsimo animo ferens: conſugis progenieſq; ſuæ memor fuit: charitatis erga alios oblita non eſt: ſpem ſalutis omnem, in ſolo Chriſto poſitam habuit: id quod vel ex paucis hiſce perſpici poteſt. Nam diligenter etiam atq; etiam D. Doctorem, virum ſuũ chariſsimum, de liberis rectè educandis hortata eſt: vtq; filij (quos in duodenario viuentium liberorum numerotres reliquit) ad S. Theologiæ ſtudium informẽtur, cum gemitu exoptauit. Deinde omnes, tum preſentes, tum abſentes, rogauit & orauit: vt ſibi, ſi quenquam offendiſſet, ignoſcerent: ſe quoq; omnibus ex animo ignoſcere. Cœnam autem ſacroſanctam Domini, vltro ardentibus precibus petijt. Cuius compos facta: Ego verò gratias, inquit, tibi immortales ago, D. Ieſu Chriſte: quòd me nõ tantùm antea, vera tui per fidem notitia patefacta, CHRISTIANAM feciſti: ſed nunc etiam ad æternam beatitudinem, ſaluberrimi corporis & ſanguinis tui perceptione pauiſti & recreaſti. In tuas manus cõmendo Spiritum meum. Hoc ter quaterue iterauit. Ieſu Chriſti denicq; nomen vſurpauit ad vltimos vſq; ſpiritus: idq; tanta contentione: vt, cùm vox deficeret, murmure tamen, quid ſentiret, apud animos aſtantium teſtatum relinqueret. Quamobrem doloribus illis maximis, ita piè & placidè liberatam, minimè dubitare debemus, in cœleſtem quietem, ſempiternamq; felicitatem, aſſumptã eſſe. Tales per vitæ curriculũ virtutes, ſimilem cum conſtanti ad extremũ fide hinc diſceſſum, parem in ſuperã atq; exoptatã patriam aſſumptionem, nobis quoq; cœleſtis Pater clementer largiri dignetur: per Ieſum Chriſtum, vnicum conſeruatorẽ noſtrum: cui honor & gloria, in omnem æternitatem. *Amen.* *Luc.23.*

EIVSDEM

EIVSDEM M. CRVSII Epitaphium in eandem.

Ἐνθάδε θηλυτερῶν κοιμᾶται Βάρβαρα κῦδος·
Βρέντιος ἣν ἔτεκεν, Σνέππφιος ἣν ἔταφεν.
Ἆ πόσον ἀνθρὶ φίλῳ πόθος λίπε τεθνηκυῖα;
γείνατο πόσον δακρύων δωδεκάριθμος ἔχει;
Χρισὲ, φιλοσόργῳ γίνου σὺ παρήγορος ἐσμῷ·
δὸς χ' ἡμῖν ἀγαθὸν τὸ θανάτοιο τέλος.

LATINE.

Barbara, fœminei ſexus hîc gloria dormit.
Brentius hanc genuit, Sneppfius at ſepelit.
O quantum moriens luctum dedit illa marito?
Quàm proles matrem flet duodena bonam?
Chriſte benigne, piam tu conſolare cateruam:
nos quoq; , cùm mortis venerit hora, iuua.

Obijt Tubingæ media XI. hora noctis, diem Maij XX. ſecutæ: poſtridie poſt horam pomeridianam III. ibi in primario templo ſepulta: cùm XXXIX. annos vixiſſet.

ODE

ODE
LVGVBRIS IN
FVNERE LAVDATISSIMÆ

matronæ, BARBARÆ Snepfiæ, affinis ſuæ charisſimæ: à Nicodemo Friſchlino, amoris ergò facta.

O Dura fati, dura neceſsitas:
Quæ ſæua das tot funera, nec moram
Morbis, & inſtanti periclo
Fers aliquam, rapidæq; morti.
O triſte lethum, quo cecidit pia
Et chara Snepfij BARBARA: BARBARA
Prudentis vxor prudens mariti:
Fæminej decor ille ſexus:
Exemplar illud coniugis optimæ:
Cui nulla virtus defuit omnium,
Quæ fœminam ornant. digna mater
Viuere Neſtorios in annos.
Heu liberorum chara duodecim,
Et liberorum chara ſuperſtitum
Extincta mater: liberos tot
Commoriens viduo reliquit.
Quæ cùm fideli cum pare bis decem
Vixiſſet annos: heu lacrymabili
Occumbit è partus dolore
Sedecimum pariendo fœtum.

Quis non doleret? quis lacrymis vetet
Manare Vultum? quis gemitum premat?
Num liberos patrem tot orbes
Dulce ſit in domibus videre?
O triſte funus. nil'ne fides tua,
Nil multa virtus iuuit, & integer
In mente candor? ne ſupremæ
Ante diem caderes ſenectæ?
Syncera virtus viuere ſi meret
Longos in annos: viuere BARBARA
Tu digna Cumæa fuiſſes
Secula non breuiora vate.
In te reluxit verus amor Dei,
Dignusq; cultus Brentiaca domo.
Nam te parens ſic educauit
Vnguibus à teneris puellam:
Cælo ſupinas vt tuleris manus,
Et vita in omni ſollicitas preces
Effuderis: vanos peroſa
Vndiq;, factitiosq; Diuos.
Edocta ſacris fœmina literis:
Inſtructa comptis fœmina moribus:
Cultrix Dei, cultrix mariti:
Norma pudicitiæ iugalis.
Pætum maritum non magis Arria,
Luctus amauit funerei comes:
Tantum nec Euadne triſulco
Te Capaneu Iouis igne tactum:
Tu quantum amaſti BARBARA Snepſium
Dilecta charum: non ita turtures,
Non ſic columbæ ſingulari

Vnanimes

Vnanimes in amore viuunt.
Ah quò ven uſti ſanguineus rubor
Vultus abiuit? quò niueæ manus?
Quónam receſſerunt decoræ
Lumina non odioſa frontis?
Heu triſte lethum, quot gemitus paris
Dulci marito? quot lacrymas viro?
Quot liberis? Sed fata ſanctos ,,
Durius ægra premunt in æuo ,,
Præſente: cladem vita at in altera
Intaminatis CHRISTVS honoribus
Penſabit: atq; abſterget omnes
Sidereis lacrymas ocellis.
Quò iam dolores, quò lacrymæ genis
Proſunt fluentes? Eſt ſemel omnibus, ,,
Quicunq; cœlum efflagitamus, ,,
Flebile mortis iter terendum. ,,
Expectat omnes portitor horridus:
Omnes eôdem tendimus: omnium
Sors voluitur: nec parcit vllis
Poplitibus, timidóue tergo
Linquenda tellus, & domus, & lares,
Charusq; coniunx: & ſimul omnibus
Mors ſuſtinenda eſt: ſiue Reges,
Siue inopes erimus coloni.
At qui timentes numinis, in Deo
Spem collocarunt pectore credulo,
Vitamq; duxerunt pudicam:
Delicijs potientur illi
Cœleſtis æui. Ianua ſcilicet ,,
Mors eſt, beati limina qua poli ,,

Intramus. Hac intrauit ipſa
BARBARA, non ſine lege Diuûm.
Qui fulcra terræ, qui mare temperat
Vndoſum, & vrbes regnáq; triſtia,
Mentesq;, mortalesq; turmas
Imperio regit vnus æquo:
Illam periclis omnibus extulit,
Vitaq; turbis libera ab omnibus
Donauit, in ſupremo Olympo,
Munere perpetuo fruentem.
Vt iam tenacem Nectarei boni,
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusq; mendax, nec tumultus
Sollicitet, rabiesq; Martis:
Nec bellicoſus Cantaber, aut Scythes
Miles ue Parthus: qui Venetos duces
Bello fatigans, Chriſtianis
Omnibus exitium minatur.
Deſcende cælo totius arbiter
O CHRISTE mundi, mollibus & tuis
Depelle caulis Turcicorum
Sanguineam rabiem Luporum.
Ac nos ſereno reſpice numine:
Et mæſta ſacro pectora ſpiritu
Solare: nec triſtes penates
Succubuiſſe velis dolori.
Tu vulnus infers, vt medica manu
Sanes: & vndas ducis ad inferas,
Iude vt reducas. tu deorſum
Abijcis, vt ſuper aſtra tollas.

II. AD CLARISSIMVM VIRVM, THEODORICVM SNEPFIVM, DOCTOREM THEOLOGVM, DOMINVM & AFFINEM SVVM DILECTISSIMVM, ODE EIVSDEM.

QVis desiderio sit pudor aut modus
Tàm chari capitis? quis tibi lacrymas
Interrumpat amaras
Orbo coniuge tàm pia?
Ergo delitias mors rapuit tuas
Atrox? cui pietas nudaq́, castitas
Incorrupta fidesq́,
An vllam inuenient parem?
Multis illa quidem flebilis occidit:
Nulli flebilior, quàm viduo tibi.
At frustra lachrymando
Poscis BARBARVLAM Deum.
Immoto superum numine concidit:
Vt vitam auspicijs hanc melioribus
Permutaret in alto,
Vescens ambrosia, polo.
Vixit sat sibi: sat vixit in aspero
Æuo, sollicitis pressa laboribus.
Inuitare quid illam
Ad longos poterat dies?
Sanctorum precijs eminet omnibus "
Mors vultu in Domini: mors aditus pijs, "

Quo cœlestia tangunt
Felici pede limina.
Omnem iacta igitur sollicitudinem,
Quæ te cunq; premit flebilis in Deum:
Qui tutor viduorum est:
Qui verius pater Orphani.
Durum, sed leuius fit patientia,
Quicquid sollicito corrigere est nefas.
Vinces cuncta ferendo
Æqua mente pericula.
Quippe hac clade tuam spem probat & fidem,
Tu quem ritè colis, Maximus Optimus.
Mæstas hunc super omnes
Iacta sollicitudines.
Hoc te nostra rogat tota Academia:
Hoc Ecclesia te poscit & obsecrat:
Quas feliciter auges
Donis ingenij tui.
Hoc te chara rogant pignora: quæ, velut
Solem Zodiaci signa duodecim,
Lunæ lumine tecto,
Instar patris habent sui:
In te spem positam non dubia fouent
Omnem mente: domus Cynthia cum tua
Alti ad sidera vecta
Cœli, iam caput occulat.
Manes hoc sociæ coniugis expetunt,
Et luctum releuant alloquio suo.
Quod si credere non vis:
Audi verba animæ tuæ.

III. DIALOGVS
IN QVO VIDVVM querulum & triſtem defuncta conſolatur.

DEFVNCTA.

QVàm iucunda meam pertentant gaudia mentem?
Quàm nihil in toto corde doloris adeſt?
Omnia plena Deo: ſunt omnia plena vigore
Numinis: & flatu pectora plena ſacro.
Nec me vlli morbi, miſeræ neq; noxia vitæ:
Nec graue paupertas me premit arcta malum,
Obtutuq; meus diuini ſpiritus oris
Paſcitur, & læta numina mente videt.
Quæq; nefas oculis, nec fas eſt auribus vllis
Percipere, atq; animo fingere neſcit homo:
Omnia nunc tuta cœli regione recepta,
Mentibus intueor, non abitura meis.
Gratia CHRISTE tibi, qui me comitatus euntem,
Participem vitæ perpetis eſſe facis.
Mors vbi nunc ſtimulus tibi? mors vbi aculeus ille,
Et quæ tela iacis, non metuenda pijs?
Tu licet humani violaris corporis artus:
Nil tamen in mentem iuris habere potes.
Viuo ego: ſed morti non hîc iam viuo minaci:
Viuo ego ſeruator CHRISTE benigne tibi.
Sed quis cœleſtes gemitus tàm triſtis ad arces
Subuolat, & cœli limina celſa ferit?

CHRI-

CHRISTE tuo indicio, vocesagnoſco mariti:
Agnoſco gemitus, quos ciet ille, graues.
Ibo. Nam luctus non hic mihi gratus. abibo
Solatura meum, quo decet, ore virum.

VIDVVS.

Me miſerum, quanto curarum torqueor æſtu?
Quàm non vna ferit triſte procella caput?
Amiſi matremq́; piam, ſocerumq́; benignum:
Qui mihi, dum vixit, ceu pater alter erat.
Auxilioq́; ſuo me conſilijsq́; leuauit:
Quaq́; fide potuit commodus eſſe, fuit.
Quo ſubter cœlos, & ſubter ſidera lapſo:
Filia, me triſtem quæ releuaret, erat.
Hac fortuna tenus nobis toleranda fuiſti:
Nunc, fateor, duris do mea terga malis.
Sic me morte ſua triſtem fractumq́; relinquit
BARBARA: pars animi deliciæq́; mei.
Omne mihi ſolamen abit, vigor excidit omnis.
Heu cecidit noſtræ magna columna domus.
O me infelicem: nox ô mihi triſtis: & ô tu
Lar bone, delicijs omnibus orbe tuis.
Eripitur nobis ſubitò ſuauiſſima coniunx:
Et quis me lachrymis ora rigare vetet?
Ah ah, quàm triſti miſerum me tempore linquit
BARBARA? quàm vita nunc erat huius opus?

DEFVNCTA.

Alloquar. immodicis cur te dilecte fatigas
Fletibus? ah fatum lacryma nulla mouet.

Deſine

Desine tot gemitus frustra profundere: ne quo
Offendas luctu, qui facit ista, Deum.
Non etenim cæco fortunæ perdita casu
Auferor. eueniunt ista volente Deo.
Hunc super immensam curarum voluito molem.
Afflictis placida est mentibus aura Deus.
Nec sceleris pœnam pateris, nec numinis iram:
Quæ venit à Domino pœna, paterna venit.
Sed neq; iam primus mœres mala talia passus:
Oppressit magnos, ista procella viros.
Passus idem, Canaæ qui quondam egressus ab oris,
Iacobus, Syria constitit exul humo.
Passus idem Tharæ, de sanguine natus, idemq;
Saraides: & quos longa referre mora est.
Omne malum præsenti animo superatur & æquo:
Et fiet leuius, quod bene fertur onus.
Nec male si nunc sit, fuerit male semper: & olim
Clara solet pulsis nubibus ire dies.

VIDVVS.

Vt tua verba lubens, coniunx dilecta marito
Vt tua chara vxor, audio verba lubens?
Audio. sed luctus, sed cura doloráq; remordent:
Cùm nequeam vultus ora videre tui:
Amplectiq; manus, & dextram iungere dextræ,
Aspectuq; tuo, fœmina chara, frui.
O dilecta mihi coniunx, dum vita manebat:
Et dilecta mihi, dum mea vita manet.
Noui equidem nobis fato te nuper ademptam:
Numen & hæc noui voluere fata Dei.

Quo ſine de cœlo paſſer non decidit vllus:
Nullus & humano vertice pilus abit.
Vnum hoc illacrymo, doleo vnum, conqueror vnum:
Tàm cito te noſtros deſeruiſſe lares.
Nec potuiſſe alti contingere limina cœli
Serius, heu fieri nec potuiſſe ſenem,
Multa mihi ſoboles de te ſuſcepta. quid vſquam
Triſtius, orbari quàm genitrice pia?
Bis mihi ſunt ſeni, viduoq́ orboq́ penates:
Vltimus ah tardo tempore bimus erit.
Et mihi iam canis paulatim aſpergitur ætas
Debilis, & laſſos concutit ægra pedes.
Et ſubeunt anni fragiles, viresq́ recedunt.
Quàm mihi ſorte tua, nunc erat vxor opus?
O mors, ô præcox, ô immatura, quid vſquam
Triſtius, hunc animum quod cruciaret, erat?

DEFVNCTA.

Non ita. nam quo me Chriſtus ſuper æthera duxit
Tempore: maturum cenſuit eſſe ſatis.
Quæ ſummo matura Deo ſunt viſa: quis illa
Immatura pius dicere poſſit homo?
Vixi & quem dederant curſum mihi fata, peregi:
Nolim vnum tecum viuere porrò diem.
Quid ſobolem? Chriſtus ſobolem qui reddidit orbam,
Idem pupillis altera mater erit:
Quiq́ dedit viduum tibi, me moriente, cubile,
Ille tibi coniunx, ille patronus erit.
Vtq́ prius fuerit tutorq́ paterq́ fidelis:
Non tamen hoc animi fœdere iunctus erat.

Nam quò fata premunt mortales fortius ægros:
Hoc illis propius numen adesse solet.
Ecquid adhuc luges? tun' me præponere Christo
Coniuge? mortalem tu poteris ne Deo?
Adde quod hic coniunx pupillorumq; patronus,
Hac affligendi spem probat arte tuam:
Cernat vti specimen patientis nobile mentis:
Est virtus æquo pectore dura pati.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito:
Quæq; Deus iussit pondera ferre, feras.
Ne videare pedem cœlesti opponere fato.
Offendunt lenem, murmura nostra Deum.

VIDVVS.

Non ego diuinis coniunx obmurmuro fatis:
Sed desiderium me tenet vsq; tui.
Nam quoties dilecta tui, dilecta recordor:
Non possum lacrymas continuisse meas.
Errat qui finem socialis quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra prius celeri curret circumflua motu,
Et citius fessos sol inhibebit equos:
Quàm tuus ex nostro labatur pectore vultus:
Mortuus & tecum, viuus & esse volo.
Nec mihi iam fieret (si fas sit poscere) quicquam
Gratius: heu mortis quàm tua fata sequi.
Vt qui nos thalamo lectus coniunxit eodem:
Iungeret & socio membra vtriusq; rogo.
Tàm mihi suauis eras, vita tàm dulcis in omni
Vxor, & ad votum fœmina nata meum.

Viximus vnanimes ambo concorditer annos:
Nec mihi lis tecum, nec mihi rixa fuit.
Velle ambobus idem. num sic oblitus amoris,
Immemor aut potero fœderis esse tui?
Quæ mihi tot chari liquisti pignora lecti:
Quæ mihi confugium, quæ mihi portus eras.
Nunc miser ah tanto viduor solamine vitæ:
Impositumq; vni perfero solus onus.

DEFVNCTA.

A me oculos deflecte tuos, Christumq; tuêre:
A quo spes omnis, non aliunde venit.
Cui sua plus coniunx, & dulcia pignora curæ,
Quàm Christus: Christo dignus hic esse nequit.
Qui crucis imposuit Deus hoc inamabile lignum
Auferet: & tecum baiulus esse cupit.
Fide Deo tantum, spemq; hauri pectore firmam:
Monstratamq; alijs tu quoq; tende viam:
Exemplumq; pij sis, & norma optima cœtus:
Qualis in aduersa sorte Iacobus erat.

VIDVVS.

Ah vigor, indomitus quondam, nunc ille fatiscit:
Pectoris ah cecidit Spiritus ille mei.
Quàm facilè ægrotis, dum nos vtcunq; valemus,
Consilia, incolumi corpore, recta damus?
Accipio tua verba vxor: spemq; anxius omnem
Indubia in facilem mente repono Deum.
Flere tamen gratum est. Nam quis tractare choreas,
Me iubet, atq; animæ non meminisse meæ?

Sit procul hoc nobis, lachrymas Deus approbat æquas:
Nosq; iubet mœstis indoluisse malis.
Ferreus est, sæuaq; satus de Tigride, charæ
Funera qui siccis aspicit atra genis.
Vtq; furor demens Christi ob benefacta dolere:
Sic furor est risu spernere triste malum.
Non mihi cor duris scopulis neq; cautibus ortum:
Saxea nulla mihi: carnea fibra mihi.
Ingemit atq; humeros accepto vulnere miles
Ducit, & admotas respuit inde manus:
An leue sit vulnus, si costa è corpore vulsa,
Cedat? an est lacrymas exeruisse nefas?

DEFVNCTA.

Non lacrymare veto, nec ducere mando choreas:
Nec silices opto pectus habere tuum.
Sed lacrymis deposco modum. quid pallor in ore
Signat, & exanguis marcor, & atra cutis?
Cur sic te crucias? non sum reuocabilis vllis
Fletibus, & lacrymas nil ego curo tuas.
Viuo iam Christo: tibi quæ satis antea vixi:
Nolim vnum tecum viuere porrò diem.
Vtq; fuit Petrus patriæq; domusq; laris q;
Immemor: aspiceret cùm sacra templa poli.
Sic ego lætitijs cœlesti in sede referta,
Viuo oblita domus, nec memor horte tui.
Ac nisi solatum misisset ab æthere Christus:
Has nunquam terras, pòst aditura fui.
Tu modò quæ vitæ quondam mihi iussa dedisti,
Aptè nunc illis vtere, ferq; crucem.

Vltima cum veniet ſupremi temporis hora:
Aſpicies mortis libera cuncta iugo.
E mecum æterna cum Chriſto pace fruêris:
Exiguas tantum fac toleraq́, moras.
Nunc redeo ad ſuperos: vos pignora chara valete:
Et tu comprimis vir mihi chare vale.
Vir mihi chare vale, charosq́, tuêre penates:
Et ſequere vxorem, cum volet hora ſequi.
Mors hodie venit ægra mihi, cras venerit illa
Fortè tibi. Huic vitæ nemo ſuperſtes erit.

IIII. ECHO COLLOQVIVM VIDVI

& defunctæ coniugis abſoluens.

QVò mea, quò coniunx abijt mea dulcis? an alta
Ætheris ad nitidi limina vadit? ECH. adit
Hoc iuuat: abſentem ſed dulci orbata ſodali,
Ah deſiderio mens mea clamat. ECH. amat.
O coniunx: hunc nulla dies delebit amorem:
Dum viuo, in memori pectore ſtabit. ECH. abit.
Non: ſi Lethæi biberem de fluminis vnda.
Manat hic è toto pectore clamor. ECH. amor.
In te noſter amor defunctam permanet idem,
Qui fuit in viuam: ſcis mea Nais? ECH. ais.
Proloquor ex animo: lacrymæ ſed vocibus obſtant.
Heu lacrymare labor quàm propè vanus? ECH. οὖτος.
Ergo vbi nil proſunt fletus: quæ iuſta rependam?
Thurea quis condet funera fumus? ECH. humus.

O Mauſo-

O Mauſolæo coniunx dignanda ſepulcro:
Sint parua hæc etiam munera grata. ECH. rata.
Spero ſecuturum paruo me tempore: fiam
Ni fortaſſe ſenex non bene nauus. ECH. auus.
Non auus vt fiam cupio: victurus Olympo
Sim modo perpetui tempora veris. ECH. eris.
Tu noſtram interea recrees ſolamine mentem:
Et ſis Chriſte mihi dulce leuamen. ECH. Amen.

V. ODE SAPPHICA AD LIBEROS D. Theodorici Snepſij, affines ſuos charissimos Πραιλλιανὴ, eiuſdem.

Liberi dulces, patrijsq; culti
Moribus, caſti pueri & puellæ:
Multa iam guttis animi dolentis
Signa dediſtis.
Quid iuuat longis animum querelis,
Et domum luctu aſſiduo ferire?
Mater ah nullo reuocanda fletu,
Soſpita viuit.
Viuit in cœlo fruiturq; donis,
Quæ fides illi peperit beata,
Omnibus noſtri modò liberata
Cladibus æui.
Vos eam pulchris imitando factis
Vt decoretis monet, & monebat

Viua,

Viua. non illi preciosiora
Iusta dabuntur.
Este parentes monitis parentis:
Et Deum Psalmis facilem rogate:
Mente quos sacra, memoriq́; multos
Ore tenetis.
Dum pater vobis fuerit superstes:
Et propinquorum manus vlla viuet:
Nemo pupillos patribusq́; charis
Viderit orbos.
Ipse se patrem Deus orphanorum
Nominat. Qui sit, nisi faxit orbos?
Ille vos certa statione tutos
Sistet vbiq;.

VI. EPITAPHIVM BARBARÆ SNEPfiæ factum ab eodem.

ILlustri sata Brentio parente:
Et coniunx data Snepsio marito:
Forma prædita corporis venusta:
Sed formosa magis tenore mentis,
Et virtutibus omnibus decora:
Cultrix relligionis erudita:
Synceræ fidei, speiq́; firmæ,
Et diuæ studiosa vocis: ægrum,
Ob Christum profugo parente quondam,
Experta exilium, domoq́; pulsa:

Vxor mirificè colens mariti:
A quo iurgia nulla, nulla verba
Accepit, neq; reddidit proterua:
Vnum velle fuit, fuitq; nolle
Vnum: ſummus amor, fideſq; ſumma:
Vxor candida candidi mariti:
Hoſtis nequitiæ ſuperbiæq;:
Hoſtis garrulitatis atq; fraudum:
Vxor prouida, perſpicax, fidelis,
Mitis, larga, benigna, liberalis:
Et multos releuare docta morbos:
Mater ſexq; decemq; liberorum,
Quorum cum geminis decem ſuperſunt:
Extremi heu nimio labore partus
Confecta, & vidua domo relicta:
Hac ſub mole leuem capit ſoporem,
Cœlo BARBARA victitans in alto.

CLARISSIMO D. DOCTORI THEODORICO Schnepfio, amicæ obſeruantiæ ergò S.D.

EX quouis noſtrum crudeſcit vulnere vulnus:
Crux memorem quæuis me facit eſſe meæ.
Sed quia collectis aliquantum viribus vtor
Solabor læſum, qui modò læſus eram.
Illum ſolabor, qui me ſolatus amicè,
Diffluere lachrymis cum mea mœſta domus.

R Coniugis

Coniugis amissæ cum flerem funera charæ:
Solus id experiens quàm graue sentit onus.
Excellens Doctor: Pastor reuerende: Professor
Inclyte: ne nimium discrucière rogo.
Doctor es: es Pastor, verbi Christiq; Professor:
Conueniens luctus sit modus oro tui.
Ne noceas tibi: te serua tibi: teq; reserua
Discipulis, ouibus, pignoribusq; tuis.
Sed scio quid faciat pondus languere ferentem:
Collapsas vires quid minuatq; tuas.
Antea qui nunquam solus mala tanta tulisti:
Iam quasi vi pulsus parte caresq; tui:
Dilaceratus es: & medius diuulsus ab illa
Parte, crucis partem quæ tulit antè tuæ.
Occidit illa tui quæ pars erat altera cordis:
Nubila siue foret, siue serena dies.
Talis eram: sed quid facerem? diuina voluntas
Facta, ferenda mihi, te monitore fuit.
Dat DEVS, & iubet vt data complectamur amore:
Eripit, & gratos nos iubet esse sibi.
Quicquid agit, prudenter agit, mentemq; paternam
Sæpius obscurè significare solet.
Vt nobis obsint, quæ nos prodesse putamus:
Vt mala conducant sæpius, ille facit.
Nunc aliam dedit ille mihi, quæ meq; meosq;
Obseruat, curat, sic amat atq; fouet:
Rebus in aduersis vt læter abesse priorem:
Expertem nostri semper & esse mali.
Ille virum genitæ: genito dabit ille iugalem:
Pignoribus reliquis tutor eritq; meis.

Idem

Idem curabit tua pignora, teq́ iuuabit,
Impoſitam poſsis quo bene ferre crucem.
Sed tibi nota prius ſunt omnia: ſæpè docere
Te memini, quo ſit crux toleranda modo.
Rebar id officij noſtri, te carmine tantùm
Submonuiſſe: boni conſule pauca: Vale.

Deditiſſ.

Leonh. Engelhart.

ERRATA DECADIS XIII. ſic corrigito.

Fol.7.ver.4. obſtrepunt. Ibid. ver. 26. vigilent. 8.7. liceat. 53.3.contemptum. 65.26.è Domini. 68.27.vim. 75.1.decet. 79.5.qui. 83.3.gereret. 84.26.verſiculus. 104.13.ſit. 132.20. tubas. 156.1.poſt humanus, omiſſum eſt, poſſe. 160.7. operamini 164.31.prouectos. 169.6.Sarmentis. 176.28. probroſa. 177.22.accedere. 187.10.opprimere. 193.16.Adhæc. 194.23. legatur,à Domino. 199.1.benedices. Ibid. 10. pios. Ibid. 12. proſequemur. 209.10.fundus. 212.23.clamaret. 226.20.Euangeliſtæ. 246.4.redimerentur. 252.21. poſt noſtrã, lege iuſtitiã. 255.15. vrbium. Ibid. pro ſcelera & flagitia, lege æs alienum. 256.5.Achim,pro Abimilechum.

TVBINGÆ,
M. D. LXXII.

BREVIS ET PERSPICVA PSALMORVM DAVIDIS EXPLICATIO.

DECAS QVARTA ET DECIMA.

AVTORE

Theodorico Schnepffio D.

TVBINGÆ,

M. D. LXXII.

PSALMI DECADIS QVARTAE ET Decimæ.

131. *DOMINE non erexit ſe cor meum &c.*
132. *Memento DOMINE Dauid & omnis afflictionis eius.*
133. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum.*
134. *Ecce nunc benedicite DOMINO.*
135. *Laudate nomen DOMINI.*
136. *Confitemini DOMINO quoniam bonus &c.*
137. *Ad flumina Babylonis &c.*
138. *Confitebor tibi in toto corde meo.*
139. *DOMINE probaſti me & cognouiſti me.*
140. *Eripe me DOMINE ab homine malo.*

Pſalmus 131.

Canticum graduum Dauid.

DOMINE non erexit ſe &c.

Videtur quidem Propheta Dauid duntaxat de ſe verba facere, ſed poſtremus verſiculus luculenter oſtendit, hoc carmen eſſe conſcriptum ad vtilitatem totius Iſraëlis, hoc eſt, Eccleſię Dei et piorum, quos ad veram cordis erga Deum ſubiectionem adhortatur, & diſſuadet elationem & ſuperbiam, quæ à ſe vult omnia petere, ſuiſq; conatibus omnia tribuit. Vtitur autem ad hanc commonefactionem argumentis quatuor. Primùm Rex potentiſsimus, ſuo exemplo hortatur ne ſuperbiant alij, quos DOMINVS ad tantum honoris, potentiæ & dignitatis culmen non euexit. Deinde geſtum & præterea ſtultum conatum ſuperborum deſcribit, qui maiora viribus conantur, vt doceat, quàm pueriliter faciant, qui non modeſtè de ſe ſentiunt. Ad hæc oſtendit, quantas commoditates ſibi ipſis auferant, & in quæ pericula ſe conijciant, qui ſuis conatibus omnia tribuunt. Poſtremò monſtrat certam & indubitatam rationem, qua conſequi poſsimus, ne noſtra nos ſpes fallat, videlicet, ſi in ſolo DOMINO fiduciam collocauerimus.

1. *DOMINE non erexit se cor meum, nec extuli oculos meos, neq; ambulaui in magnis & in mirabilibus, quæ superant vires meas.*

Hoc versu duo priora argumenta, quæ suprà posuimus proponuntur. Dauid testatur se non fuisse propter dignitatem Regiam, & alia ornamenta diuitiarum & virtutum, elatum: Deum interim in testem vocans, ista à se non fingi. Vult autem vt dictum est alios, qui sunt inferioris gradus cohortari, ne altum sapiant. Accessit pictura superborum, qui non solùm animo, sed oculis etiam elati sunt, prodentes stultitiam suam: & vt oculos extollunt, ita res magnas, & quæ humanarum virium nō sunt, aggrediuntur, quod & ipsum cum stultitia summa coniunctum est. Itaq; monet, qui non velit in summam absurditatem incidere, eum non debere superbire. Est autem verborum Prophetæ, hæc sententia.

Moneo ego Dauid Israëlitas, omnesq; pios, ne de se, quàm deceat arrogantius sentiant, sed moderationi animorum & humilitati studeant. Qua in re ego vobis, ô subditi, exemplo meo præiui. Nouisti enim tu ô DOMINE, qui es cordium explorator oculatissimus, me postea quàm ad dignitatem regiam tuo beneficio euectus sum, & tu me non modo potentia, opibus, dignitate summa, sed Prophetiæ etiam dono ornasti, non oblitum quod à caulis ouium me ad culmen regiæ dignitatis vocaueris, nec (quantum quidem fert naturæ nostræ imbecillitas) propter alia tua ornamenta, fuisse animo elatiore, vt alios præ me contemnerem, non virtutes & opera mea coram te iactasse,

sed

sed in istis omnibus memorem fuisse clementiæ bonitatisq; tuæ, quod vt cæteri etiam facerent, vehementer optarim. Non sum etiam imitatus stultos superborum gestus, qui superbiam arrogantiamq; oculis produnt, tanto supercilio incedentes, ac si terras relicturi, in aërem & ipsum cœlum conscendere velint. Nihil illi moderatum & humile in deliberationem admittunt, sed de rebus arduis, & quæ humanum captum, & omnem omnium mortalium conatum superant, loquuntur, se solos sapientes, iustos, innocentes, credunt, sibiq; persuadent, se omnia arcana perscrutaturos, & euasuros ad penetralia Dei Opt. Max. cui etiam operibus & virtutibus suis se satisfacturos non dubitant, horum intemperiem, imò verò stoliditatem, toto animo detestor. Etenim si ineptum stultumq; in rebus humanis videtur, maiora viribus moliri, & pondus humeris impar subire, quanta dementia est in diuinis hoc velle conari, quæ aciem mentis nostræ effugiunt, & adoranda potius, quàm inquirenda & scrutanda sunt. Quod si meæ apud vos ô ciues, & vitæ rationes & admonitiones aliquid valent, omnem arrogantiam insolentiamq; fugite, scientes eo vitio in rebus humanis nihil esse turpius & fœdius. Hæc de primo versu.

Non autem existimemus, Prophetam duntaxat suis hominibus scripsisse, sed voluisse vniuersam Ecclesiam inuitare, ad veram humilitatem. Et quidem sanè, cum summi viri, suis donis non fuerint vel ad animi elationem, vel aliorum contemptum abusi, par est, nos illorum hac in pare moderationem sequi. Quanta Dauidis fuerit potentia, quot eius victoriæ, quantæ

opes, ex sacris & Iosepho notum est, sed is vt audi-
mus, gloriam in his non collocabat, nec se propter i-
sta ornamenta efferebat: Sciens se nudum in hanc lu-
cem procreatum, & nudum etiam esse exiturum. Itaq;
cor ad diuitias & fortunas non apponebat, (sic enim
ipse loqui consueuerat) nec ijs confidebat, quorum
breuem duntaxat vsum sibi concessum sciret. Quid
ergo nos faceremus, qui nullo modo, cum po tentissi-
mo Rege sumus comparandi, an nos parua casa, &
aliquot numuli ad fastum & insolentiam permoue-
bunt, cum tanti thesauri, Dauidem de gradu animiq;
moderatione non deiecerint? Deinde noster Prophe-
ta longissimè etiam abfuit ab omni iactantia coram
Deo, quamuis pietate & virtute excelleret, sed sup-
plex se abijcit ad tribunal DOMINI, & seueriorem
*Psalm.*143. sententiam deprecatur. Ne intres, inquit, in iudicium
cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu
tuo omnis viuens. Et rursus, ab occultis meis munda
me. Et maximus ille Paulus, se quidem nullius facino-
ris sibi conscium esse dicit, sed in eo spem iustitiæ, &
gloriæ nullam repositam habere, id quod Hypocritæ
facere consueuerunt, nam magnificè se coram Deo ef-
ferunt, quod innocenter in lege DOMINI versati sint,
aliosq; longo post se interuallo reliquerint, & quasi
suo iure fructum eorum, quæ præclarè gesserint à
DOMINO repetunt. Quam autem ista sint stulta, & in
conspectu DOMINI fœda, vel ex hoc vnico versu con-
iecturam facere possumus. Non, inquit, ambulaui in
magnis & mirabilibus, quæ vires meas excedunt, sed
nulla certè res difficilior, & magis remota à nostris vi-
ribus est, quæ à prima origine corruptæ sunt, & subin-
de

de acceſsione nouorum peccatorum in deterius ruunt, quàm ſeuero DOMINI iudicio ſeſe opponere. Itaq; qui DOMINO ſatisfacere ſuis conatibus & meritis ſtudent, Dauidis modeſtiam nequaquam imitantur, qui & à ſuperbia, & ab ijs, quæ intelligeret maiora noſtris viribus, abhorruit. Et iſti ſanè κομπάζειν id ſe præſtare profitentur, propter quod Dei filius (cum videret res humanas ea in parte deploratas) homo factus eſt, paupertatem, contemptum, cruciatusq; extremos pertulit, mortem & inferos adijt. Imò verò præclaro illi Seruatoris noſtri merito, ſua gloriatione derogant. Nam præclarè à D. Paulo dictum eſt, ſi per legem ſit iuſtitia, hoc eſt, ſi opera iuſtificent, Chriſtum fruſtra mortuum. Remota ergo omni elatione illa animi, cum Paulo dicamus, abſit vt glorier quàm in cruce DOMINI noſtri Ieſu Chriſti.

Præterea admonitio illa ad eos quoq; pertinet, qui (vt in paraphraſi attigimus) arcana ſcrutantur, quæ fas non eſt hominem intelligere, in quibus etiam omnes nerui humani ingenij fruſtra elaborant. Vt qui ſcrutari volunt, quæ ſit eſſentia Dei, quæ trinitatis ineffabilis ratio, qui angelorum ordines: qualis beatorum, qui iam cum Chriſto triumphant, vitę ratio: quomodo corpora, quæ in ſepulchris non modo conſtituta ſunt, ſed etiam in puluerem abierunt, & vitam & vires, ornatum denicq; nouum, qui cum hoc clariſsimo ſole comparandus ſit, recipiant. Qui ea ſunt ingenij confidentia, vt illa ſe inueſtigare poſſe credant, in ſummo ſunt gradu ſuperbiæ. An non ſatis illis eſt audire ab Eſaia & Apoſtolo, eas eſſe ſuauitates, eam gloriam pijs paratam, quam nec oculi humani, nec animi etiam

Eſa.64.
1.Cor.2.

etiam tacitis cogitationibus assequi possint? An ignoExo.33. rant Mosen cum videre DOMINVM cuperet, audiret autem nullum mortalium videre ipsum & viuere posse, statim acquieuisse, nec intelligentia sua ad ea quæ negarentur aspirare voluisse? An Solomonis commiPro.25. natio eis excidit, dicentis, qui scrutator sit maiestatis, eum à gloria opprimi. Certè cancelli nobis scripturarum in his tam arduis & grauibus rebus circundati sunt, quos, si fiducia ingenij egressi fuerimus, in tetros & crassos illos errores incidemus, quos tota ferè Philosophorum natio, post exquisitam & scrupulosam indagationem experta est. Græci stultum conatum illum qui se vltra res humanas effert, significanti vocabulo appellant ἀεροβατῆν, quod illi obliti sortis & conditionis suę per aërem viã affectent ad astra, imò verò solem ipsum, vt egregiè lusit Aristophanes, contemnant. Denicq; certum est, insolentiam & fastum, originem omnium malorum & miseriarum esse, nameam ob causam Diabolus de cœlo deiectus est. Primi homines è Paradiso eiecti. Turris Babylonicæ extructio cum detrimento & confusione linguarum impedita fuit. Quid multis? DOMINVS superbis resistit. Non potuit ergo Psaltes doctrinam & exhortationem magis necessariam & vtilem nobis proponere. Sed quàm cauendum omnibus ab eo vitio sit, ex rationibus sequentibus melius intelligetur.

2. *Si non posui & silere feci animam meam, sicut ablactatus à matre sua, sicut ablactatus est apud me anima mea.*

Tertium argumentum, quantis se bonis priuent, & quàm

quàm magna incommoda ſibi accerſant, qui ſuis donis aut iuſtitia elati, non toto animo ſe ad DOMINVM conuertunt. Amittunt illi omnia & præſentis & futuræ vitæ ſubſidia, & incidunt in omnium rerum deſperationem. Vtraq; hæc pinxit egregia ſimilitudine pueri infantis ablactati. Nam vt nihil miſerius eſt infante, qui matrem & mammam amiſit (nam alimentis deſtituitur, & nihil expectare poteſt quàm mortem) ſic qui per ſuperbiam à Deo diſcedunt, omnibus quæ ad benè beateq; viuendum pertinent, ſe exuunt, præcipitant ſe in omnis generis mala, & mortem æternam. Notandum autem eſt, Prophetam primo verſiculo, ad hunc ſecundum, per occupationem deſcendere. Potuiſſet enim aliquis dicere: ergo ô Dauid nullas vnquam ſuperbiæ & elationis flammas in corde tuo ſenſiſti, cum ad DOMINVM prouoces cordium & tacitarum cogitationum iudicem? Itaq; Propheta non negat ſe fuiſſe ſolicitatum ad elationem, ſed ſe animum ſuũ compeſcuiſſe, aut vt ipſe emphaticè loquitur, more Hebræorum, poſuiſſe & ſilere feciſſe: deinde etiam ſi aliquando lapſus fuerit ſenſiſſe maxima incommoda & DOMINI ferulam. Neq; enim ſuperiora illa ita intelligenda ſunt, quòd nunquam ea in parte peccauerit: numerauit enim populum, quod ſanè arrogantiæ & elationis fuit, ſed verbis illis oſtendit, quòd ab illo vitio, quantum humani animi imbecillitas fert, abſtinuerit, & quando ſibi exciderit, mox pœnitentiam egerit, maximè cum ſentiret caſtigationes diuinas. Hortatur ergo alios, vt ſimiliter ſibi caueant, alias enim futurum, vt in grauiſsima pericula incidant. Sed iſta melius ex paraphraſi intellecturi ſumus.

Non (inquit) negauerim tamen, me sæpè fuisse ad illud vitium solicitatum, nonnunquam etiam prolapsum: ac sanè, quando silentium perturbatis illis animi motibus non imponebam, nec sopiebam eos verbi diuini meditatione, statim maxima incommoda sensi, & iram DOMINI prouocaui. Ac vt summa dicam, intellexi, nisi me ex casu recepissem, futurum, vt veluti infans cuius mater mortua est, aut cui mamma negatur, de summis meis bonis & salute periclitaturum. Pueri enim admodum infantes, quamprimum ab vberibus maternis & nutricum abstrahuntur, non modò lacte isto priuantur, sed versantur in præsentissimo vitæ periculo, nam nec alimenta alia ipsi per ætatem accquirere possunt, & si maximè solidiore cibo, & potu non consueto vtantur, statim valetudinis incommoda sentiunt, & tandem moriuntur, eandem sanè fortunam experientur omnes, qui spe, animoq; inflati, ab vberibus misericordiæ & bonitatis diuinæ, se ipsos abstrahunt, nam cum DOMINVS superbis aduersetur, & ijs maximè, qui à se ipsis omnia petere volunt, obliti nos omnia à benignitate Dei accipere, iusto iudicio numinis, ab omnium bonorum possessione excluduntur, & tanquam pueri infantes, nutrimento destituti, ad eiulatus & perpetuos cruciatus abijciuntur.

Et hæc quidem de sententia Prophetæ: quæ grauissimam doctrinam habent, quomodo refrenandæ sint cupiditates illæ, quæ & animos extollunt, & superbiam, fastidium, arrogantiam creant. Id quod Propheta ab initio versus ἐμφαλικώτερον ostendit, dum dicit, se & posuisse, & silere fecisse animum suum. Nam illi motus,

motus, qui nos inuitant ad animi illam non laudatam elationem, sunt instar procellarum, quæ motum agitationemq; fluctuum efficiunt, extollunt enim hominem, vt aduersus Deum & homines ferociat, aut certe sese magnifice efferat. Danda autem opera est, quò illæ, vt ita loquar, tempestates sedentur, & vt Propheta loquitur, componantur. Quod vt ratione & via suscipiatur, tenendum est, duo esse, quæ animos humanos extollunt. Vnum, cum dona quæ habent, sibi ascribunt, nec cogitant, quantum à Deo acceperint: alterum, cum non satis perpendunt, quàm miseri, imbecilles & abiecti sint futuri, quando sibi relinquantur. Nam si homines, id quod verissimum est, sibi persuaderent, se veluti mendicos omnia à DOMINI largitate impetrasse, nihil suis conatibus tribuerent: Rursus, si viderent, se præter miseriam, nihil habere proprij, moderatius & modestius de rebus suis essent iudicaturi. Hæc, vt nobis Spiritus sanctus persuaderet, egregiam picturam Dei Opt. Maximi, omnia in nos conferentis, alteram autem nostri, qui fragiles, miseri, imbecilles sumus, vnico hoc versiculo, imò verò duobus verbis expressit. Nam cum se dicit ablactatum à matre, vtrumq; ostendit, & DOMINVM esse matrem, à qua alimenta & omnia habeat, se verò destitutum ope & clementia diuina esse, instar infantis abstracti ab vberibus maternis. Nec ista loquendi ratio sacræ scripturæ inconsueta est. Nam DOMINVS non erubescit se matrem, pios autem infantes, & quidem eos, quos gestet in vtero, vocare. Ita enim alloquitur Ecclesiam Esaiæ 46. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo vtero,

qui gestamini à mea vulua. Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo: ego feci, ego feram, ego portabo & saluabo. Tribuit sibi DOMINVS duo, quæ matrum sunt propria, vnum quòd in vtero velit eos portare, alterum quòd vlnis Ecclesiam ferre velit, non modò in infantia, sed etiam ad extremam senectam. Cum ergo DOMINVS matri se assimilet, mirum non est, eum hoc loco induere personam mulieris lactantis puerum. Nam matres certè nihil negare infantibus possunt, sed eos lacte & alunt & solantur. Sic Esaiæ 49. suum affectum pingit: Nunquid obliuisci potest, mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. In vtroq; exemplo quæ ex Esaia adduximus, DOMINVS certat cum στέργας maternis. Nam matres infantes duntaxat portant, dum insistere pedibus & ingredi nequeunt, DOMINVS vult etiam adultos portare. Matres non sinit flamma illa mutui amoris obliuisci infantum, sed sunt tamen quædam, quæ affectum illum exuunt, pueros infantes negligunt, vel etiam necant, DOMINVS autem non potest suorum vnquam obliuisci.

Sed quod nam est lac, quo suos lactare solet? Initio suis præbet lac bonorum externorum, vt cum pollicetur populo suo terram fluentem lacte & melle, cum dat pluuiam matutinam & serotinam, cum omnibus bonis eos cumulat. Deinde vbera (vt ita loquar) sui erga nos amoris in Christo exeruit, in rebus Spiritualibus, & ad vitam æternam pertinentibus. Ideo enim Christus homo factus est, vt Deus Pater per ipsum largiretur nobis bona cœlestia, quorum alias non eramus capaces.

capaces. D. Augustinus admodum erudite confert inter se matres, quæ alimentum solidius in lac conuertunt, & infantes nutriunt, qui cibo solidiore vti non possunt: & Christum DOMINVM, qui carne assumpta nobis, quasi infantibus per eam lac suæ bonitatis præbet. Ascribam eius verba, sunt enim tincta eruditione & sensu Spirituali. Quomodo (inquit) fit lac quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensa? sed infirmus est infans ad comedendam escam, quę in mensa est: quid facit mater? incarnat escam, & conficit lac de ipsa, conficit nobis quod capere possimns. Sic verbum caro factum est, vt lacte paruuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes Et cum tacitæ obiectioni occurrisset, quod ipse λόγος non conuersus sit in carnem, de lacte etiam quale sit subiicit, ipse infirmis quid dicit, vt possint recuperato visu, verbum ex aliqua parte attingere, per quod facta sunt omnia? Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, &c. Hæc Augustinus: quibus verbis certe non tam breuiter, quam eleganter docet illud esse lac Christi, quod λόγος omnia cœlestia bona per humanam naturam effundit, & vt matres, infantes sitibundos vberibus suis admouent, dicentes, veni mi fili, recrea te, bibe: sic Christum peccatores, æstu iræ diuinæ prope deficientes, vocare & dicere: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Quid ad consolationem nostram adferri potuit vberius, quam, quod hoc loco Augustinus ex verbis DOMINI & Seruatoris nostri certissima consequentia deduxit? De isto lacte loquitur etiam Esaias capite 55. omnes sitientes venite ad aquas: & qui non

De verbis Domini in Euangelio Ioan. Ser. 39. cap. 38.

habetis argentum, properate, emite & comedite: Venite, emite absq; argento, & absq; vlla commutatione Vinum & Lac.

Ex his videmus nos DOMINI benignitate omnia bona & externa & Spiritualia possidere. Quæ cum sint certissima, iam illud alterum facilimè possumus colligere, quales simus futuri, si DOMINVS vbera misericordiæ à nobis auferat, sumus certè, vt egregiè dixit Psaltes, veluti ablactati: non vult Spiritus sanctus dicere, nos esse homines miseros, sed eam ætatem quæ plurimum imbecillitatis habet, cum nostra infirmitate comparat. Quid enim infans destitutus lacte suo, & maternis vberibus, præter vagitum & certum periculum mortis habet? Sic, si DOMINVS auferat à nobis benedictionem suam, in ijs quæ ad conseruationem corporis pertinent, nihil nobis præter famem & inopiam relinquitur. Iam si de ijs, quæ ad animorum cultum pertinent, cogitauerimus, quàm nudi, & miseri sumus? sine me, inquit Christus, nihil potestis facere. Et Paulus, ipse, inquit, in nobis efficit, velle & perficere. Et eodem Apostolo teste, idonei non sumus, vt vel cogitemus aliquid boni, tanquam ex nobis. Si peccatum terret, & te tuis virtutibus solari & erigere volueris, nihil præter desperationem es habiturus, nulla enim ex nostris conatibus & operibus, solida consolatio peti potest: non enim est vlla illorum ad multiplices nostros lapsus proportio. Sic infelix ille Iudas Iscariotes, cum ab vberibus misericordiæ per Christum exhibitæ, astu Diaboli abstraheretur, vt infans nihil habet, præter gemitus, lacrymas & laqueum.

Sæpè

Sæpè etiam DOMINVS magnos viros ipſe ablactat, dum ſe occultat ad tempus, nec mammam conſolationis præbet, vt intelligamus, omnia nos ipſius beneficio poſsidere. Hæc omnia ſi in ſummam collegerimus, quæ gloriationis nobis vel minima occaſio relinquetur? Nam nec in externis, nec ſpiritualibus quicquam habemus, quod noſtrum ſit, niſi fortè gemitus, lacrymas, & vagitus in bonis numerare velimus. Reliquum ergo eſt vt ſequamur eam rationem, quàm Pſaltes vltimo verſu nobis proponit, & loco tertij argumenti, ſuprà poſita eſt, ſpem noſtram in Deo collocatam habeamus, & in ipſo ſolo gloriemur, iuxta illud. Qui gloriatur, in DOMINO glorietur.

3: *Expecta Iſraël DOMINVM ex hoc nunc & vsq; in ſeculum.*

Monſtrabo iniquit rationem, quæ vos nunquam fallat, & in qua ſola acquieſcere, & fiduciam collocare poſsitis. Nolite niti vllis rebus, quæ ab humana illa imbecillitate proficiſcuntur, ſed in omnibus DOMINI auxilium expectate ab eo, qui eſt omnis fœlicitatis firmiſsimum fundamentum, fons vitæ, pater omnis conſolationis, qui maternas erga nos σόργας gerit, cuius ab vberibus, ſi non paſsi fueritis vos auelli, in omnem æternitatem alimenta & ſubſidia eſtis habituri.

VSVS HVIVS PSALMI.

Rectè pronunciauit Chryſoſtomus, fundamentum Philoſophiæ noſtræ eſſe humilitatem. Nam Chriſtus ipſe

ipſe dicit, eos, qui ſe exaltent, humiliari, & deiici. Econtrà autem humiles exaltari, quare ſi ad ſumma contendimus, à fundamento incipiamus, ita enim euademus, ad veram & laudabilem ſublimitatem. Hoc autem tum rectè facturi ſumus, ſi id quod in hoc Pſalmo luculenter proponitur, intellexerimus, nos pueros infantes eſſe, & nihil habere, quod cum vera laude coniunctum ſit, niſi id DOMINI nobis benignitate contingat. Eſt autem in eo maior cura adhibenda, quia Diabolus in ijs etiam, quæ præclarè à nobis fiunt, per ſuperbiam ſæpè hoc conſequitur, vt fructum omnem bonorum operum amittamus, & in ipſa victoria ſuccumbamus. Ideò ſcitè dicit D. Auguſtinus, ſuperbiam bonis operibus inſidiari vt pereant, eamq; in rectè factis inſidioſiſsimè obrepere, vbi enim lætatus homo fuerit in aliquo opere bono, ſe etiam ſuperaſſe ſuperbiam, ex ipſa lætitia, eam caput erigere & dicere. Ecce ego viuo, quid triumphas? Et rurſus alio loco admodum venuſtè dixit, Diabolum ſpargere in laqueis ſuis, Euge, Euge, vt dum auidè colligimus, incautè capiamur.

Epiſt. 109.

Lib. 10. *Confeſs.*

Pſalmus

Psalmus 132.

Canticum graduum.

Memento DOMINE Dauid & omnis afflictionis eius.

VM hic Psalmus & memoriam Dauidis honorifica mentione renouet, & de eodem in tertia persona (vt vocant) loquatur, non possumus eum Dauidi ascribere: sed si omnes circumstantias intueamur diligentius, verisimile est, eum, vel à Solomone, vel Propheta aliquo esse conscriptum, & quidem eo tempore, quo arca translata est in templum illud magnificum à Solomone extructum. Quanquam autem ceremoniæ, quæ tum habebantur, & hic etiam Psalmus, isti duntaxat celebritati, cum dedicaretur templum & arca DOMINI, suum in locum reponeretur, seruire videantur, tamen dubium non est, voluisse autorem huius carminis commonefacere Israëlitas vniuersos, ne vel in externo hoc spectaculo acquiescerent, vel oculos in arcam illam duntaxat defigerent, sed cogitarent maximarum rerum Symbola, siue (vt olim loquebantur) sacramenta latere: imò verò adumbrationes proponi venturi Christi. Nam postrema certè pars huius Psalmi, omnino ad Christum & regnum eius referenda est, vt postea rationibus satis illustribus docebimus. 1. Reg. 8.

Habet autem hic Psalmus duas partes: prior est precatio populi ad DOMINVM, vt promissiones Dauidi factas, quas etiam per arcam illam celebrem, quæ tum in templum collocabatur, adumbrarit, clementer exhibere & adesse suo populo velit. Posterior autem pars Psalmi est consolatio, DOMINVM omnia quæ petant esse præstiturum: & adduntur confirmationes, istam consolationem non esse vanam: introducitur etiam DOMINVS loquens, & res maximas, inprimis autem Christum & perpetuitatem regni ipsius promittens.

1. *Memento DOMINE Dauid, & omnis afflictionis eius.*

Precatio populi, quæ est (vt diximus) prior pars huius Psalmi, tale Enthymema habet, DOMINE tu magnas & præclaras res promisisti Dauidi & toti populo Hebræo. Ergo ô DOMINE ve is eas nobis clementer exhibere, maximè cum hodie tuam arcam in templum ducamus, Symbolum & præsentiæ, & tui erga nos fauoris. Et quidem in antecedenti debuit esse enumeratio illarum promissionum. Tu DOMINE promisisti Dauidi hoc, promisisti & illud &c. Sed vt postea dicetur, illa in consequenti ponuntur, quia petitio siue precatio instituitur, estq; si nudis verbis res proponenda esset, talis ordo sermonis Prophetici. DOMINE multa Dauidi & vniuersæ genti nostrę promisisti. Ergo ista exhibe nobis, videlicet tuam præsentiam, sacerdotibus iustitiam, sanctis exultationem, & Christi tui faciem non auertas à nobis. Hæc autem promissa

promissa beneficia, vno verbo absoluit Psaltes, memento Dauid: quod de vniuersis promissionibus, Dauidi factis intelligendũ est. Addidit autem Propheta amplificationem, DOMINVM non solùm promisisse ingentia bona, populo Israëlitico per Dauidem, sed voluntatis etiam suæ erga hanc gentem alia indicia dedisse. Primò, quòd Dauidem Regem, quem volebat sacrorum esse quasi custodem & ὑπερασπιστὴν quendam in tantis periculis seruauit, vt ad regni administrationẽ eueheretur. Deinde dedit etiam Patrib. signũ arcæ fœderis, & ibi suam est præsentiam pollicitus. Quòd autem ea res sit maxima, ex eo probat, quòd Dauid iuramento confirmauit, nolle se conquiescere, priusquam locum arcæ illi inuenerit, deinde quod maxima pompa eam in vrbem introduxerit. Multis ergo modis DOMINVS fauorem suis pollicitus est, verbis, promissionibus, conseruatione regis, quem huic populo præfecerat, præterea signo euidentissimo, suæ & clementiæ & præsentiæ, cum arcam & propiciatorium proponeret, & spiritu suo Dauidem excitaret, vt ei locum quæreret. Hæc ad eum modum intelligenda sunt, nec est existimandum, populum propter Dauidis virtutes & pietatem instituere precationes, sed niti promissionibus diuinis, quas DOMINVS Regi illi præstantissimo fecit, & ille suæ fidei specimina egregia dedit, cum tanta cura in cultu diuino, & ijs quæ ad confirmandos in vera pietate hominum animos pertinebant, elaborauit. Et hæc quidem de instituto & consilio Prophetæ. Primi versus hæc est sententia.

Illuxit nobis ô DOMINE dies omnium votis iam- 1. Reg. 8.

pridem expetitus, & desideratus, quo tuam arcam in templi secretiorem locum adytumq; illud intimum (quod sanctum sanctorum vocamus) deducimus: nec ociosa ceremonia contenti sumus, sed te oramus, vt serui tui Dauidis meminisse velis, imò verò promissionum maximarum, quas tu ei fecisti, quarum etiam nos admonet arca ista, indicium tui erga nos fauoris & clementiæ: nam ad istam, oraculum tuum esse voluisti, & exauditionem precum certissimam nobis es pollicitus. Memento etiam earum afflictionum, quas sub Saule maximas perpessus est Rex noster, ex quibus omnibus mirando consilio tu eum eduxisti, vt doceres re ipsa, non velle te deesse nobis, nec vnquam obliuisci tuarum promissionum, qui Regem nostrum non tam legum, quàm religionis custodem, potentissima manu tua defenderes ex periculis, & ipsa morte educeres. Hactenus Psaltes.

Sed quærat aliquis, num afflictiones Dauidis meritaq; tanta sint, vt propter ea totus populus apud DOMINVM gratiosus sit? Quanquam autem supra ista attigimus, tamen ne quid sit, quòd lectorem turbet, paucis de eo dicendum est. Testantur sacræ literæ, DOMINVM propter pietatem maiorum, posteritatis etiam rationem habere. Quæ res in Exodo capite 20. expressa est: Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Et certum est Solomonis filium, propter idolatriam Patris, decem tribus amisisse, reliquam autem partem regni, propter pietatem Dauidis aui retinuisse. Sic enim DOMINVS Solomoni loquitur, 1. Reg. 11. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta

cepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid Patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum tuum & Ieruſalem quam elegi. Honorificam etiam DOMINVS piorum mentionem facit, vt ſciamus pietati præmia eſſe poſita, & alij ad imitationem eiuſdem inuitentur. Sic videmus crebrò repeti in regnorum libris: Fecit, quod erat bonum coram DOMINO, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Item, ambulauit per omnes vias Dauid Patris ſui. 2. Reg. 18.

Sed longè alia eſt ratio, quãdo ſcriptura DOMINVM commonefacit, vt meminerit Patrum Abraham, Iacob, Iſaac, Dauidis, tum enim non dignitatis ipſorum, aut meritorum præſtantia laudatur, ſed proponuntur DOMINO promiſsiones quas Patribus fecit. Nam cum DOMINVS Eccleſiam ſibi ex Hebræis colligeret, quam poſtea amplificaret, ad vltimos fines orbis terrarum, miſſo in hunc mundum filio ſuo vnigenito, primùm quidem terram Canaan, deinde etiam ex gente Hebræorum, Meſsiam ſiue Saluatorem mundi promiſit. Vt autem iſtæ promiſsiones eſſent, & certiores ac magis conſpicuæ, inſignibus Patribus ſpem illarum rerum fecit, vt Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Dauidi, & ſe Deum Abraham, Iſaac, Iacobi vocat, vt omnem poſteritatem admoneat, imò verò certiorem reddat, præſtiturum ea, quæ his Patribus pollicitus ſit. Inprimis autem voluit iſtos Patres omnibus innoteſcere, quia ex ipſorum ſemine, ſiue proſapia, naſciturus erat orbi Saluator, id quod D. Virgo in ſuo

Luc. 1. cantico egregiè expreſsit: Suſcepit (inquit) Iſraël puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros, nimirum Abrahamo & ſemini eius in æuum. Sic etiam Paulus in Galatis: Abrahæ ſunt dictæ promiſsiones & ſemini eius. Et Petrus in actis, vos eſtis filij Prophetarum ac Teſtamenti, quod teſtatus eſt Deus erga Patres noſtros &c. Chri-
Mat. 22. ſtus etiam teſtatur, Deum meminiſſe Patrum iam defunctorum, & dicere, ſe eſſe Deum ipſorum, vt doceat, illos quamuis vita functos, non interijſſe, cum Deus ſit Deus viuorum non mortuorũ. Sic memoria Patriarcharum inſignem habet conſolationem, DOMINVM omnes promiſsiones, quas in hac & futura vita hominibus obtulit, certò præſtiturũ. Non ergo fingamus meritis ſanctorum aliquid tribui, ſed iſtis formulis, nos deduci ad certitudinem promiſsionum diuinarum.

Nobis verò harum rerum diligens meditatio multiplicem vtilitatem affert. Nam primùm cum animo tacitiſq; cogitationibus percurrimus, quàm longa ſeries patrum ab Abrahamo, vſq; ad Chriſtum fuerit, quantis etiam in periculis & calamitatibus illi ſint verſati (quarum hic verſiculus meminit) & tamen id quod DOMINVS ſe facturum receperat, inter tot difficultates & impedimenta perfectum abſolutumq; dederit, quomodo de reliquis eius promiſsionibus dubitabimus? Inprimis autem videmus ea quæ de Chriſto prædicta fuerunt, quia complemento non caruerunt, omnino à diuina virtute profecta eſſe: cum ea quæ ſapientiſsimè ab hominibus meditata & munita conſilio, armis, opibus regijs fuerunt, non potuerint eſſe

esse diuturna. Eæ autem promissiones, quæ in multiplici varietate casuum humanorum versari, & iactari fortunæ ludibrio videbantur, ad perpetuitatem sint durabiles. Sed vnum beneficium his omnibus anteponendum, quòd iam non ad certas personas & loca sumus astricti, vt nobis dicendum sit, Deus Abraham &c. sed ipsum Dei filium tot seculis promissum, tam multis variisq; rationibus adumbratum iam exhibitum toto terrarum orbe colimus, & per eum qui est ἀπαύγασμα τῆς πατρὸς ipsum Patrem intuemur. Ea etiam quæ summis votis Patriarchæ expetebant, nos in certa possessione habemus, quia aditus per Christum nobis ad Deum patefactus est. Iam magno animo clamamus Abba Pater: iam ad Patrem DOMINI & Seruatoris nostri Iesu Christi confugimus, dicentes: exaudi nos propter meritum vnigentti filij tui, quem in hunc mundum misisti. Quæ dico, non quòd illa Patribus prorsus ignota fuerint, sed quòd iam in clarissima luce, vtpotè reuelato Christo, qui ante expectabatur, illa sint posita.

2. *Qui iurauit DOMINO, & votum fecit fortißimo Iacob.*
3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.*
4. *Si dedero oculis meis somnum & palpebris meis dormitationem.*
5. *Donec inueniam locum DOMINO tabernacula potenti Iacob.*
6. *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ.*

Supra

Suprà dictum est, Psalten in priore huius carminis parte, nomine totius populi instituere precationem, cuius hæc est sententia. DOMINE tu fauorem tuum, & maximas res Dauidi & populo promisisti. Ergo oramus, vt eas nobis clementer largiaris. Antecedens amplificationibus exornat, DOMINVS non solùm Dauidi multa est pollicitus, sed ex præsentissimis periculis eum liberauit: deinde suam voluntatem lucu lenter testatus est, quòd arcam Hebræis dedit, & apud eam tanquam certissimum oraculum exaudire vult homines. Hanc postremam amplificationem quinq; versibus proponit, quibus ostendit, quàm præclarè sit sentiendum de arca DOMINI, quia potentissimus Rex tanto studio hoc egerit, vt eam primùm transferret Ierosolymas, deinde etiam de ædificando templo consultaret, quô eam collocaret. Sed in eo quoque studio exornando varius est Propheta. Primùm tanta religione dicit in eo versatum Dauidem, vt iuramento confirmaret se hoc esse facturum. Addit etiam eum votum omnipotenti Deo fecisse. Nam votum Dauidis cum iuramento coniunctum fuit. Formula autem & voti & iuramenti fuit, si introiero &c. Nam Hebræi in iuramentis vtuntur, Si, vt Psal. 95. Iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Iurauit autem se non velle conquiescere donec locum inueniat arcæ, & templum extruat. Aut certè intelliguntur ista non de templo, sed loco, quem Dauid præparauit arcæ, vt est scriptum 1. Par. 15 & 16. ab initio. Quod autem vno verbo dixi, non velle eum conquiescere, id partibus illustrauit Psaltes, Dauid non vult intrare domum suam: non vult conscendere lectum,

non

non vult dormire, non vult, ne leuem quidem ſomnum admittere: quæ ſtudij Prophetici egregia eſt amplificatio, qua ſignificatur, nullum tempus fuiſſe, quo Dauid non de eo negocio cogitaret, & curam iſtam ſomnos ademiſſe pio Regi. Neceſſe ergo eſt, rem eſſe magnam, quam DOMINVS per arcam iſtam effecit. Sed id mox verſu quinto ipſe exponit, cum dicit, ſe ſtudere locum inuenire DOMINO, et quidem Omnipotenti. Quid enim ſublimius, quàm quòd DOMINVS apud arcam, ſuam præſentiam & opem pollicebatur inuocantibus?

Non autem contentus eſt illa ſtudij Dauidici tam accurata deſcriptione, in meditanda templi extructione, ſed vno etiam verſu oſtendit, (hiſtoriæ enim illæ tum peuulgatæ erant) quanta pompa introduxerit arcam in vrbem, ait enim eam in Ephrata auditam & inuentam in campis ſyluæ. Ephrata Bethlehem eſt: ciuitas autem ſyluæ appellata fuit Cariathiarim, quò translata fuit arca, cum reduceretur à Philiſtęis, vt ſcriptum eſt. 1 Sam. 7. Et dubium non eſt, ibi fuiſſe multas ſyluas, & vrbem nomen accepiſſe à ſitu: Hoc autem loco de campis ſyluarum dicitur: qua πεδίφραση, Gabaa (annotante Lyrano) rectè intelligitur, nam iſta vrbs ſita fuit in regione iſta ſyluoſa, qua & Cariathiarim, imò in Paralipomenis lib. 1. cap. 14. ſcribitur, Iſraëlitas à colle Cariathiarim duxiſſe arcam. Notum autem eſt Dauidem ſtatim prima profectione transferre voluiſſe arcam Hieroſolymas: ſed cum oza fatali pœna concidiſſet, propterea quòd attrectare arcam fuiſſet auſus. Dauid metu religioneq; perculſus, reliquit eam in ædibus Obed, ſed cum poſt tres men-

ſes videret Obedi rem familiarem mirificè augeri & benedici à DOMINO, deduxit illam magno & comitatu & apparatu inſtrumentorum muſicorum leroſolymas, vt ſcriptum eſt 2. Sam. 6. & 1. Para. 13 & 15. Sed (vt ad rem ipſam accedamus) quid eſt, quòd eam in campis ſyluæ, hoc eſt, Gabaa vel Cariathiarim, inuentam, & auditam in Ephrata aut Bethlehem dicit? Voluit & pompam & miracula deſcribere, quibus translatio arcæ commendata fuit. Nam non pigebat Dauidem à Gabaa vſq; vbi conſtituta fuerat, eam deducere, comitante eum vniuerſo propè populo Iſraëlitico, quæ deductio ozæ interitu celebris eſt. Deinde tantus fuit ſonus & concentus tubarum & inſtrumentorum muſicorum, vt in propinquis vrbibus, quæ non longè aberant ab vrbe, qualis fuit Bethlehem, exaudiretur; aut certè fama tanti apparatus vrbes omnes & propinquas & remotas peruagabatur, vt vndiq; fieret concurſus. Sed cum campi ſyluarum meminit, vbi & Cariathiarim & Gibea ciuitates fuerunt, tacitè etiam vult complecti ingentia miracula, quibus in ea loca DOMINI arca, à Philiſtæis, iniquis poſſeſſoribus, deuenit. Nam Paleſtini, quamuis arcam in bello captam retinere cuperent, tamen fatalibus pœnis fatigati, vltrò remiſerunt in terram Iſraël, & tum quidem à Cariathiarim vrbe præſtantiſsima recepta, poſtea in alia loca translata, tandem in Gabaa venit. Horum omnium miraculorum memoriam Pſaltes renouare voluit, cum Gibeam non ſuo nomine appellauit, ſed regionis & ſyluarum mentionem fecit, vt tacitè vrbis, quæ prima recuperatam DOMINI arcam recepit, & Gabaam à qua translata fuit, ad perpe-

1. Sam. 6 & 7.

tuam

tuam ſuam ſedem, ſimul complecteretur: nam ambæ (vt dictum eſt) propinquæ & in ſyluoſa regione extructæ fuerunt. Tantas res Propheta paucis verbis complexus eſt, nam tum iſta in recenti hominum memoria verſabantur. Hæc autem omnia in eum finem à Pſalte ſcribuntur, vt doceat, DOMINVM, non nudis duntaxat verbis promiſsiones maximas feciſſe Moſi, Dauidi, & populo, ſed externis etiam ſignis, maximè verò celebri illa arca, quàm ipſe Rex tanti fecit, & quæ tantis miraculis Ieroſolymas translata fuit, ſuum fauorem voluiſſe proponere & confirmare. Quæ vniuerſa, ad Antecedens Enthymematis, de quo ſuprà dictum eſt, pertinent. DOMINE tuum fauorem varijs rationibus & promiſsionibus tuo populo propoſuiſti. Sequetur iam conſequens, Ergo nunc in dedicatione arcæ, & porrò etiam in perpetuum nobis adſis, & tandem mittas Meſsiam tuum, quem iſta ratione adumbrare voluiſti. Fuerunt hæc paulò fuſius explicanda, quia in breuitate illa verborum Propheticorum, nonnulla obſcuritas eſt, ſed ea omnia rectius conſpicientur in Paraphraſi, quam ſubijciam.

Cum autem multa tui fauoris indicia nobis oſtenderis, tamen eminet in his omnibus, illa de qua diximus arca, quam tanti fecit Dauid Rex noſter, vt iuramento pulcherrimo, imò verò voto ſe tibi omnipotenti Deo (qui ſpecimina bonitatis potentiæq; tuæ maioribus noſtris innumera, Iacobo autem Patriarchæ maxima exhibuiſti) in hunc modum obſtringeret. Iuro & voueo Deo Opt. Maximo, me in domum meam non eſſe iturum, nec conſcenſurum lectum me-

um vt quieſcam, non capere velle ſomnum, imò verò ne admiſſurum quidem oculis vel leuiſsimam quietem, donec certò conſtituero, vbi locum deſignem templo, & certam ſedem arcæ DOMINI, apud quam ille, qui Iacobi & reliquorum Patrum tam ſtrenuus
1. Par. 17. ſemper defenſor fuit, ſe habitaturum eſt pollicitus, inuenero. Nam cum ego in domo Cedrina habitem, non debeo committere, vt tabernaculum DOMINI negligatur: & cum palatium meum tanto artificio exornatum ſit, ſine nefario ſcelere non videor ſedem illam & habitationem DOMINI diutius incultam ſub integumentis pellium poſſe relinquere. Tanta cura, tanto ſtudio, imò verò religione omnia egit optimus Rex, ne deeſſe officio in colendo numine & conſeruandis ceremonijs, & ea præſertim, quæ principatum inter cæteras habet, imò Typus eſt venturi Meſsiæ videretur. Quanquam autem id quod certò ſe factu-
1. Par. 17. rum conſtituerat, vetante DOMINO per Prophetam Nathan, non perfecit, tamen ea quæ in introducenda arca in vrbem geſsit, luculenter oſtendunt, voluiſſe eum omnes homines commonefacere, quanti momenti ea res ſit. Nam conuocato vniuerſo populo, & ſacerdotibus, vſq; in loca ſylueſtria Cariathiarim & Gabaa deſcendit, vbi arcam inuentam, pompa & apparatu Regio Ieroſolymam ducere eſt conatus, ſed cum horribile fatum Ozæ ſolicitum Regem trepidumq; faceret, vt in domo Obed eam relinqueret, tamen ne ſic quidem religioſiſsimus Princeps conquieuit. Nam quamprimùm vidit DOMINO translationem arcæ non diſplicuiſſe, alteram etiam profectionem inſtituit, & comitatu Leuitarum & Sacerdotum, exquiſi-

exquisitissimaq; musica, ipse ante eam saltans, in vrbem eam magna omnium admiratione introduxit. Nam Ephratæi, qui alias Bethlehemitæ appellantur, & propinquæ vrbes, partim quidem ipsæ sonum tubarum & instrumentorum musicorum audiuerunt, ad alias autem fama tantæ celebritatis peruenit. Quæ omnia sapientissimus Rex fecit, vt vniuersi intelligerent, te non verbis duntaxat nobiscum agere, sed signilla etiam & manifesta sacramenta nobis proponere, tui & auxilij & fauoris voluisse. Et hactenus quidem Psaltes.

Principio autem videmus, quanta cura & solicitudine Rex Dauid in promouendo Dei cultu versetur, quæ acuere Magistratuum omnium diligentiam & attentionem in rebus sacris debebant. Sub Saule primo negligebatur cultus diuinus: postea ipse Rex crudelissime Ecclesiam persequebatur. Dauid autem nihil sibi putauit antiquius esse debere, veri cultus & ceremoniarum à DOMINO præscriptarum instauratione, itaq; somnos etiam non admittit, & vitam sibi acerbam esse ducit, donec ea quæ ad religionem pertinent, suo nitori restituat. Errant ergo toto cœlo, qui curam Ecclesiæ non putant, ad Magistratus politicos pertinere, & producunt exemplum Ozæ, cuius iam aliquoties facta mentio est, quem cum legant in pio proposito parum fuisse felicem, omnes Politici ordinis homines ab inspectione rerum sacrarum remouent. Et sane Oza iustam pœnam exoluit, quia contra rationes ceremoniarum, quæ ipso DOMINO autore institutæ erant, Sacrosanctam illam arcam, quam nemini fas erat attrectare, præterquam Leuitis, attigit.

1. Par. 15. dicit Dauid, illicitum est, vt à quocunq; portetur arca Dei, nisi à Leuitis, quos elegit DOMINVS ad portandum eam &c. Sed quis negauerit, earum rerum summam curam, Magistratus pios decere, cum Dauid primus ea de re cogitauerit, populum & sacerdotes conuocauerit, & indutus Ephod lineo saltarit ante arcam DOMINI? Certè ipse DOMINVS vult,
Deut. 17. vt Rex describat in conspectu Leuitarum librum Legis, & omnibus diebus vitæ suæ diligenter in eo versetur, vt discat timorem DOMINI. Et in Esaia reges
Esa. 49. vocantur nutricij Ecclesiæ, quo Epitheto non tantum liberalitas Principum, sed cura solicitudoq; pro vniuersa Ecclesia intelligitur, quæ tantò maior existere apud illos debet, quando ij qui ministerio præfecti sunt, cessant, & officium non faciunt. Cuius rei insigne exemplum est Rex Iosias, qui sacra Biblia expulueribus vindicat.

Sed hoc loco etiam omnes in vniuersum admonentur, nullam moram interponendam ijs rebus, quę ad studium pietatis pertinent. Dauid non conquiescit, non somnum capit, priusquam certi aliquid constituerit de rebus sacris: Itaq; omnes & singuli istam Prophetæ attentionem & diligentiam imitentur, maximè in ijs, quæ sine maximo periculo omitti non possunt: qualis est vitæ in melius emendatio, quæ ne ad momentum quidem extrahenda est, cum ignoremus, quando ad tribunal illud DOMINI tremendum
Psalm. 95. euocemur. Hodie (inquit Psaltes) si vocem eius audiueritis, nolite obturare corda vestra. Et Syracides cap. 5. Non tardes conuerti ad DOMINVM, & ne
Ephes. 4. differas de die in diem. Paulus Ephesijs scribens, reconcilias

conciliationem cum aduersarijs ante solis occasum susciendam esse præcipit: Non (inquit) occidat sol super iram vestram.

Adhæc Dauid sumptibus maximis & comitijs totius populi arcam reducens, ostendit, quàm præclarè nobis sentiendum sit de omnibus, quæ à DOMINO nobis commendantur, etiamsi aliter de ijs & oculi & intelligentia nostra iudicent. Nam si quis impius vidisset, tanto comitatu & ingenti sumptu, apparatu autem solenni, inauratam arculam, in qua præter duas tabulas, ferulam & vrnulam nihil esset repositum, duci, Regem ipsum inter cantores saltare, suauiter risisset, aut certè studium totius populi & Regis reprehendisset. Et Michol certè vxor Dauidis, eum contemptui habuit, non dubitans, Regem scurram appellare, quòd liberius ante capsam illam DOMINI saltasset. Quàm glorioſus (dicebat) fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris. Dauid autem respondet, se DOMINO hunc honorem habuisse, coram quo se omninò, si ita res postulet, abijcere, & ad infima abiectissimaq; obsequia descendere sit paratus. Hunc nos imitati, non sinamus apud nos vilescere ea, quæ à DOMINO nobis offeruntur, etiamsi pompam & ostentationem non habeant. Qualia sunt sacramenta Baptismi & Cœnæ, quæ si quis æstimare velit ab ijs, quæ in oculos nostros incurrunt, non modò non præclarè, sed contemptim etiam de ipsis sentiet, vt Anabaptistæ & Cingliani, qui de his loquentes, interdum à blasphemia sibi non temperant: sed cogitemus, nobis ista non ab hominibus, verùm ipso

Heb. 9.

2. Sam. 6.

Deo

Deo offerri, qui cum ſumma aſſeueratione confirmet, illa non eſſe nuda Symbola, ea qua decet reuerentia ſuſcipiamus, nec patiamur quenquam contemptim de his loqui, ne in blaſphemiæ ſocietatem pertrahamur. Ad extremum, quanquam Dauid ſe voto DOMINO obſtrinxerat, & quidem in ea re, quæ cum ſumma pietate erat coniuncta, tamen cum intelligeret, aliud videri DOMINO, & à voto illo iuramentoq; abſolutus fuit, & DOMINO morem geſsit: ſic ſi quis religione iuriſiurandi, vel voto DOMINO ſe obligauerit, intelligat autem ex ſacris literis, in qua DOMINI voluntatem reuelatam ſcimus, voti illius rationes DOMINO diſplicere, non putet ſe amplius religione promiſsi obſtringi. Nam qui Dauidem abſoluit & te liberat, imò ſi contrà feceris, etiam in DOMINI iuſtam indignationem incides. Vouiſti velle te omnes traditiones humanas, quæ in monaſterio exiguntur, obſeruare. Ne ſis ſolicitus, ea de re, DOMINVS te liberat, qui cultus iſtos inanes eſſe dicit, imò verò ne facias dehortatur. Cœlibatum perpetuum promiſiſti, ſed intelligis, te non eſſe idoneum ad cœlibatum, reſcinde ergo quòd incautè iuraſti, quia DOMINVS per Apoſtolum te abſoluit, dicens, melius eſſe nubere quàm vri. Auguſtinus de iuramento Dauidis, cum iuraſſet ſe Nabalum eſſe interfecturum, nec tamen faceret, ita ſcribit: Quòd Dauid iuramentum per ſanguinis effuſionem non impleuit, maior pietas fuit, iurauit Dauid temerè, ſed non impleuit iurationem maiori pietate.

Iſidorus.

7. *Introibimus in tabernaculum eius, & incuruabimus nos*

(ant

(aut adorabimus) ad ſcabellum pedum eius.

8. *Surge Iehoua ad requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.*
9. *Sacerdotes tui induant iuſtitiam, & ſancti tui exultent.*
10. *Propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem Chriſti tui.*

Hactenus antecedens poſitum eſt. DOMINE, tu egregias promiſsiones feciſti ſeruo tuo Dauid, & nobis arcam fœderis dediſti, ad quam te adoraturi veniremus, certa ſpe futurum, vt nos exaudires. Sequitur conſequens: Ergo nunc venimus, arcam deducimus in templum, & apud eam oramus, vt nos exaudire, quemadmodum promiſiſti, velis. Sed in hoc conſequenti, petitio partibus tribus abſoluitur: oſtenditur enim in ſpecie, quid iam populus petat. Primùm vt ingrediatur DOMINVS in requiem ſuam, deinde vt ipſe ſacerdotes induat iuſtitia, & pios exultatione: poſtremò ne auertat faciem Chriſti ſui: ſed id quod primò in conſequenti fuit dictum: Nos venimus ad arcam tuam orantes, figuris egregijs expreſsit. Nam arcam fœderis vocat ſcabellum pedum DOMINI, quod nobis aliquo modo Eſaias explicat, vocans totam terram ſcabellum pedum. *Eſa.66.* Cœlum autem ſedem DOMINI, quia potentia DOMINI maximè in cœleſtibus conſpicitur. Sed in terra quoq; voluit extare teſtimonia ſuæ præſentiæ, potentiæ, bonitatis, & quia arcam ſe exauditurum homines, & ibi habitaturum *Exod.25.* pollicebatur, rectè arca & templum, ſcabellum pedum DOMINI appellatur: quemadmodum ſcriptum eſt, 1. Par. 18. Ego cogitaui cum corde meo ædificare

domum quietis arcæ fœderis DOMINO, & ſcabello pedum eius. Et Eſaias cum videret DOMINVM & Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum in gloria ſua (vt Ioannes eum locum interprætatur) vidit eum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & fimbrias eius replentes templum. Nam in eo & exauditi ſunt homines, & Chriſtus aſſumens carnem, ibi concionatus eſt. Fortaſsis autem ſcabellum pedum, ideo etiam dictum eſt templum & arca, quia illic quaſi ad thronum ſiue ſcabellum maieſtatis diuinæ proſternebant ſe, inuocaturi DOMINVM, ſicut ſupplices ſe abiiciunt ad ſcabellum imperatoris aut iudicis. Præterea & alia figura vſus eſt Pſaltes, dicens, populum mutua cohortatione vti. Introibimus &c. Voluit enim Propheta pingere geſtum totius populi ad religionem & ſeriam precationem feſtinantis. Iam verò partes petitionis ſupra enumeratæ etiam coloribus illuſtratæ ſunt. Nam primò nouam Apoſtrophen inſtituit ad DOMINVM, vt veniat. Deinde Anthropopathos templum vocat DOMINI requiem, partim quidem reſpiciens crebras arcæ translationes, de quibus ſuprà dictum fuit, poſtquam autem in templum translata eſt, ſtabilem locum habuit, partim autem promiſsionem DOMINI, qui (vt ſequetur) hanc ſibi perpetuam ſedem delegit. Eſt autem iſta prima petitio, qua precatur populus, vt DOMINVS in poſterum adeſſe populo ſuo velit, & in Eccleſia ſua perpetuò habitare. Alterum caput petitionis eſt, vt ſacerdotes induantur iuſticia. Nonnulli abſq; figura de veſtitu ſacerdotum intelligunt, ſequentia autem, vbi DOMINVS de Meſsiæ regno loquitur, aperte oſtendunt, petere illos vt ſacerdotes

Eſa.6.

Ioan.12.

cerdotes iustitiæ, hoc est pij vera iustitia, quę in Christo est, induantur, imò ipsum Christum induant, vt Paulus in Galatis loquitur. Similiter etiam in eodem Christo petunt exultationem, veramq; animorum quietem. Vltima precatio est, ne propter seruum suum Dauidem auertat faciem Christi sui, quod alij de Solomone intelligunt, (nam olim Reges Christos appellabant, quia Oleo inungebantur, & Solomon 2. Par. 6. his verbis vtitur) Deinde verbum auertendi pro auersari positum credunt. Ne auerseris Solomonem, pro populo orantem. Quia verò in fine Psalmi, DOMINVS ad hanc precationem respondet, & rursus Christi mentionem facit, eumq; cornu Dauid, & lucernam vocat, quæ Epitheta rectius in Seruatorem nostrum quadrant, precationem etiam de Messia intelligamus. DOMINVM non debere auertere faciem Messiæ ab hoc populo, propter promissiones Dauidi factas, sed per Mediatorem nunc apud arcam omnes exaudire, & ipsum mittere suo tempore in hunc mundum debere. Quanquam enim in Paralipomenis Solomon ita est locutus, videmus tamen ea quæ de ædificando templo & Solomone dicuntur, ab Apostolo Heb. 1. ad Christum referri, cum citat dictum illud: Ero ei in Patrem, & ipse mihi erit in filium. Itaq; haud dubiè Solomon Typus est Christi vtrobiq;. Nunc sententiam Prophetæ tenemus, quàm verbis familiaribus explicabimus, & dabimus operam vt illa cum superioribus cohæreant. *Gal. 3.*

Quia verò tantas promissiones habemus, & eam ipsam arcam, quam Dauid in vrbem maxima pompa adduxit, nunc in penetralia sua collocamus, ingredia-

mur omnes templum, & non ſolum corpore, ſed animo etiam nos proſternamus ad pedes DOMINI coram ſacroſancta illa arca, quam ſcabellum pedum DOMINI appellare poſſumus, qui veſtigia bonitatis, preſentięq; ſuæ tam clementer ibi nobis oſtendit: Adoremus eum, & vt clementer nobis adſit precemur, in hunc modum.

Tu quidem ô DOMINE ab eo ſtatim tempore, quo ex populo Hebræo Eccleſiam tibi collegiſti, ſemper nobis Dux, vnâ cum filio tuo vnigenito, in omnibus periculis & adiutor fuiſti, ſed tui erga nos Paterni animi, cum alia multa ſigna, tum arcam illam dediſti, quam præcedere nos ſemper voluiſti, vt eam intuentes, certò nobis perſuaderemus, te nobis eſſe comitem & propugnatorem. Hæc te duce nos per lordanis alueum traduxit, hæc in terram Canaan introduxit: hac munitiſsima vrbis mœnia euertimus: hac infeſtorum hoſtium acies fugauimus: ad eam cum in Silo fuiſſet conſtituta, in omnibus periculis confugimus: quæ cum noſtra culpa in hoſtium poteſtatem peruenisſet, potenti autem tua manu nobis reſtituta, longo tempore, ſedem ſtabilem non habuit. Nam in Cariathiarim, Maſphat, Galgala, Nobe, Gabaa, in domo Obed, & poſtremo tabernaculo, quod Dauid Rex tuus excitauit, Ieroſolymis manſit. Nunc autem ô DOMINE tu vnâ cum arca illa qua toties tuam potentiam (vt diximus) exeruiſti, in illam ſedem tuam & quietem perpetuam ingrediaris, quam per Solomonẽ adornari voluiſti. Neq; enim amplius illa vt olim vagabitur, ſed certo loco manebit, habebimuſq; certam conſolationem, te nos nõ eſſe deſerturũ: eritq; illa

tacita

tacita concio de filio tuo Christo Iesu, qui carnem assumpturus, nos omnes facit sacerdotes, & iustitia sua veluti veste nuptiali ornabit, veram pacem & animorum lætitiam largiturus. Clementissime Pater, memento promissionis tuæ, quam Dauidi addictissimo famulo tuo fecisti de Messia, quem cum iam quasi obscuris lineis nobis hoc Symbolo arcæ adumbres, oramus, ne illius clementissimus vultus, vnquam à nobis auertatur, sed suo eum tempore ad salutem & nostram & omnium populorum orbis terrarum mittas.

Ex his quæ dicta sunt satis intelligimus, cur templum & arca à veteribus & priscis hominibus, vocata sint locus DOMINI, tabernaculum DOMINI, requies DOMINI. Non quòd loco Deus includatur, nam Solomon in dedicatione templi ait, cœlos cœlorum non capere DOMINVM, multò ergo minus do- 1. *Reg.* 8.
mum, quam ædificauerit, itaq; non fuerunt illi imbuti puerili persuasione, DOMINVM alligatum esse huic loco: sed habuerunt eam consolationem, DOMINVM hoc loco omnes inuocantes velle exaudire, itaq; huc esse confugiendum in omnibus periculis. Hoc Solomon disertis verbis expressit, cum subijcit, statim post verba suprà à nobis recitata: Respice ad orationem serui tui, & ad deprecationem eius, DOMINE Deus mi, vt audias clamorem & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie, vt sint oculi tui aperti, super domum istam, die & nocte, in loco de quo dixisti, erit nomen meum ibi, vt audias orationem, quam orat seruus tuus, in loco isto. Et exaudi deprecationem serui tui, & populi tui Israël, qui orauerit in loco isto. Et exaudies de loco habitationis tuæ de cœlis,

& exaudies & parces. Hæc Solomon. Postea autem prolixa enumeratione periculorum vtitur, in quibus si Israëlitæ confugiant ad templum, orat vt exaudiantur. Præsentiam ergo habitationemq; DOMINI (sic
Exod.25. enim in Exodo loquutus est Deus) de auxilio & exauditione intellexerunt, proinde etiam, vt supra meminimus scabellum pedum, templum, & arcam vocabant. Grauissimæ autem causæ fuerunt, cur vellet eos vno in loco adorare DOMINVM. Prima ne cultibus idolatricis polluerentur, sed quasi sub Pædagogo & propria in schola versarentur. Deinde verò vt meminissent ex ea vrbe propagandam doctrinam Euangelicam in totum orbem terrarum. Præterea templum ipsum erat Typus Christi, vt ipse testatur, Ioan. 2. Destruite, inquit, hoc templum, & in tribus diebus erigam illud. Inprimis verò arca pulcherrima fuit descriptio, duarum in Christo naturarum, & officij ipsius, Aurum diuinam, lignum humanam naturam significabat. Propitiatorium vel proprietate vocis significabat, per Christum hominibus aditum patere ad Patrem. Cherubim duo Testamenta nouum & vetus adumbrabant, quæ vtraq; de Christo vero propitiatorio nostro testantur, & prædictionibus & complementis Prophetiarum mutuo se respiciunt. Manna in vrna aurea significat, Christum esse panem cœlestem, quo animi recreentur & conseruentur ad æternam vitam. Tabulæ legis arcæ inclusæ, non dubiam significationem habebant, Christum legi satisfacturum & maledictionem, quæ neglectionem eius sequebatur subiturum. Virga Aaronis germen illud benedictum indicabat, de quo Esa. 11. capite, & in quo res humanæ

næ poſt deſperationem omnem reflоruerunt. Quod autem arca Chriſti fuerit Typus, Epiſtola ad Hebræos teſtatur capite nono. Pſaltes verò aperte precatur, ne DOMINVS auertat faciem Chriſti ſui, quo docet, non tribuendum arcæ, quod DOMINVS ibi preces piorum exaudire velit, ſed Chriſto qui orandus ſit, vt ſua interceſsione preces piorum commendet Patri. Et ſanè, vt ſupra etiam memini, operculum arcæ ideò propitiatorium appellabatur, quod DOMINVS propitius eſſe vera fide precantibus vellet, ideò Paulus etiam Romanis ſcribens, Chriſtum vocat propitiatorium. Accedit etiam ad interprætationem huius loci & illud, quòd arcam fœderis, vocat arcam fortitudinis, & mox tamen orat, vt iuſticia & exultatione piꝫ donentur. Quis autem ex his non videt Pſaltem, voluiſſe his verbis oſtendere, vt olim arca rerum corporalium & externarum beneficia contulerit, quam etiam vt fidiſſimam ducem totus populus ſequebatur, & ideò etiam iure arca fortitudinis appellabatur, ita Chriſtū, qui per eam ſignificatur, ſumma & quidem Spiritualia bona collaturum in ſuos: veram æternamq; iuſticiam & exultationem, ſiue gaudium quod à ſuis nemo auferre poſsit.

11. *Iurauit DOMINVS Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.*

12. *Si cuſtodierint filij tui pactum meum, & teſtimonium meum quod docebo eos, etiam filij eorum vſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſolium tuum.*

13. *Quoni-*

13. *Quoniam elegit DOMINVS Sion, expetiuit vt esset habitaculum sibi.*

Secunda pars Psalmi, in qua ad preces piorum subijcitur consolatio, DOMINVM non esse neglecturum suam Ecclesiam, nec auersurum faciem Christi sui, sed missurum eum suo tempore, & per eum largiturum, suis omnis generis bona. Fundamentum autem & confirmatio huius consolationis est sumpta à DOMINI promissionibus, quæ non possint fallere, quia DOMINVS sit verax. Fuerunt autem tres principales promissiones, quas DOMINVS suo populo fecit. Prima quod ex prosapia Dauidis promisit semen illud benedictum. Secunda fuit, quòd velit per successionem vsq; ad Christum regiam familiam Dauidis conseruare, sed addita est huic conditio, si posteritas Dauidis non desciscat à vera pietate. Tertia est de Ierosolymis, quod eam elegerit, vt cultus ibi diuinus sit, & maneat vsq; ad Christum, & inde in vniuersum orbem propagetur Euangelium Christi. Hæ tres DOMINI promissiones, tribus versiculis proponuntur, quibus Psaltes toti populo, ad suas preces respondet, & ostendit, non esse de fauore DOMINI dubitandum, quia DOMINVS amplissimis promissionibus eum Ecclesiæ suæ confirmauerit. Has autem amplissimas pollicitationes, deinde luculentius, & quidem partibus proponit, & Deum ipsum, promittentem Christum, & summa dona producit. Quæ omnia cum tam clara sint (vt postea dicetur) vt nemo possit dubitare, ea de Christo DOMINO & beneficijs eius esse prædicta, certum est, ea quæ his tribus versibus proponuntur,

non

non esse de externo duntaxat beneficio successionis, prosapiæ Dauidicæ intelligenda. Colligamus ergo sententiam horum versiculorum in breuem Paraphrasin.

Non dubium est (inquit) DOMINVM nostras preces, quibus ei proposuimus, vt nobis clementer adsit, & ea quæ per arcam illam adumbrare voluit, nobis largiatur, exauditurum esse, cum certissimæ ea de re promissiones extent. Nam initio scimus DOMINVM iuramento Dauidi confirmasse, se velle de prosapia ipsius, Regem illum præclarum, quem nos Messiam vocamus collocare in thronum regni eius. Non possumus autem sine nefario scelere dubitare de eo iuramento, quòd ipsa veritas præstitit, nunquam enim frustrabitur Dauidem, non retractabit, quòd semel se facturum recipit, cœlum & terra peribit, sed verbum DOMINI nunquam est interiturum. Semel hoc DOMINVS decreuit, itaq; non mutabit, nisi à sua consuetudine, quæ minimè varia & mutabilis est, discedere velit. Coniunxit autem huic amplissimæ promissioni etiam aliam: si posteritas Dauidis à vera religione cultúq; non deficiat, futurum vt perpetua serie, vsq; ad Christum, reges ex ista familia, in illa clarissima sede, regni Dauidici collocentur. Addidit & tertiam non minus firmam & constantem, se Hierosolymis elegisse sibi habitationem, in qua veri cultus floreant, donec ex ea in omnes partes orbis terrarum diuulget Euangelium filij sui. His præclaris DOMINI promissionibus, vt nihil est certius, sic ad nos erigendos & recreandos nulla consolatio maior afferri potest. Hactenus Psaltes.

Notandum autem est Hebræos, quando de regno Christi vaticinia interpretantur, mirificè hallucinari, quòd omnia de externo ipsius principatu intelligunt, similiter etiam ea, quæ de Hierosolymis præclarè dicuntur, ad ipsam vrbem duntaxat referunt, obliti omninò earum promissionum, quæ amplissimæ de venturo Messia extant. Sic carnalis ille populus testa contentus, aut putaminibus, nucleum amittit. Et quidem vt initiò de corporalibus promissionibus dicamus, promisit DOMINVS Dauidi successores, sed addidit comminationem, si à vera religione ad idolorum cultus deficerent, se ipsos vehementer puniturum, & euersurum templum illud celebre. Si (inquit) auersione auersi fueritis, vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea & ceremonias, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraueritis eos, auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis, & templum quod sanctificaui nomini meo, proijciam à conspectu meo, eritq; Israël in prouerbium & parabolam. Hæc quæ minatus est DOMINVS, reipsa etiam ostendit: nam vrbs euersa, & templum à Babylonijs exustum est tum, cum Iudæi fœderis quod cum DOMINO pepigerant, fuissent obliti, & imitatione Ethnicæ impietatis alienos Deos colerent. Quanquam autem populi istius impietas merebatur, vt promissiones illæ externæ omninò rescinderentur, tamen cum DOMINVS per Iacobum Patriarcham prædixisset, se conseruaturum imperium in tribu Iuda, vsq; ad Messiam non auferetur (inquit) sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium

1. Reg. 9.

Gen. 49.

gentium &c.) per varias & multiplices rerum commutationes, vsq; ad tempora Asmonai, ad quos à familia Dauidis & principatus & sacerdotium est translatum, semper Reges & Principes è familia Dauidis extiterunt, & non multis annis post Christus DOMINVS & Seruator noster natus est. Quæ certè ideò literis sunt mandata, vt intelligamus, quàm non possit DOMINVM pœnitere promissionum suarum, quas in ruinis imperiorum tantis conseruare illibatas voluit. Sed non satis est nouisse, quanta fuerit constantia in promissionibus illis corporalibus, verùm diligenter notandum est, omnes cogitationes nostras dirigendas esse ad principalem illam de Messia, propter quam illæ externæ & promissæ sunt, & tanta veritate præstitæ. Qua in parte omninò cæcutiunt Hebræi: nam expectant Messiam & regnum corporale, oblitì Dauidi factas esse promissiones de æterno regno Messiæ. Esaias capite 9. in hunc modum scribit, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, à modo & vsq; in sempiternum. Et Dauid Psalmo 89. Semel iurauí per sanctitatem meam, si Dauid mentiar. Semen eius in sempiternum erit, & thronus eius sicut sol coram me. Sicut luna stabilietur in æternum, & testis in nubibus firmus. Hoc certè loco videmus regnum Messiæ æternum promitti, quod duraturum sit perpetuò. Nam thronum eius dicit fore vt solem & lunam. Et ne fortè conditio promissionibus corporalibus addita, subintelligi credatur, diserte eodem loco vaticinatur, non posse iniquitates, nepotum Dauidis,

uidis, hanc promiſsionem facere irritam. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: & pactum quòd inij cum eo, firmum erit. Et propagabo ſemen eius in perpetuum, & ſolium regni eius tam diuturnum erit, quam dies cœli. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si ſtatuta mea prophanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint. Viſitabo virga ſcelera eorum, & plagis iniquitatem eorum. Miſericordiam autem meam non auferam ab ipſo, nec mentiar in veritate mea. Non violabo pactum meum, & quòd egreſſum eſt de labijs, non mutabo. Volui verba Prophetæ omnia aſcribere, quia expreſſum teſtimonium habent de æternitate regni Dauidici, & remouent omnes conditiones indignitatis populi. Certum autem eſt iampridem externum Dauidis regnum, & omnem eius poſteritatem ſublatam, indubitatum ergo eſt, Meſsiam æternum regnum habere. Has Prophetias interprætatus eſt Angelus Gabriel, Luc. 1. Et dabit illi DOMINVS Deus ſedem Dauid patris ipſius, regnabitq; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quanquam autem hoc verſu. 11. (quem nunc in manibus habemus) æternitatis mentionem non facit, tamen certum eſt Pſalten, Pſalmo 89. qui eiuſdem ferè cum hoc argumenti eſt, etiam ad hiſtoriam, quæ extat 2. Sam. 7. reſpicere. Nam propemodum verba eius citat. Adhæc Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, capite primo, ea quæ loco iam citato dicuntur, de Chriſto intelligit. Nam coniungit teſtimonium, quòd in Samuele eſt, cum luculento illo quòd extat Pſalmo 2. Cui dixit vnquam angelorum, filius meus es tu, hodie genui

genui te. Ac rursum, Ego ero ei Pater, & ille erit mihi filius. Vidit enim Apostolus non posse illa quæ isthic dicuntur, duntaxat de Solomone accipi, cum pasim dicat, misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie tua, & fidelis erit domus tua & regnum tuum vsq; in æternum, ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Nam quomodo ista ad Solomonem duntaxat referrentur, cuius filius maximam partem regni statim post mortem parentis amisit, donec tandem (vt dictum est) omninò transferretur à prosapia Dauidis. Cum ergo Apostolus eum ipsum locum, quem hic Psalmus ex historijs sacris repetit, ad Christum referat, non intelligendus est de alio, quàm semine illo benedicto, quòd ex familia Dauidis natum, in æternum regnat.

Quemadmodum autem iudicandum est de testimonijs illis, ita etiam de his, quæ amplissimas commendationes vrbis Hierosolymitanæ habent, qualis est in hoc Psalmo versu 13. Quoniam elegit DOMINVS Sion, expetiuit vt esset habitaculum sibi, & versu 14. Hæc requies mea in seculum seculi. Et Amos cap. 9. in die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quòd cæcidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & conuertam captiuitatem populi mei Israël. Et paucis interpositis: Plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltra de terra sua. Hæc testimonia si diligentius excusserimus, nunquam subscripturi sumus carnalibus & ineptis Hebræorum interpretationibus. Nam si requies DOMINI æterna est Hierosolymis, & eam in perpetuam habitationem elegit, quare passus est deleri vrbem, & auferri arcam de loco suo,

vt iam vbi sit ignoretur? Quòd si quis dixerit secundum Amos vrbem diuino beneficio reparatam, quomodo ergo denuò à Romanis capta, & populus in tristem & perpetuam seruitutem tractus est, cum tamen Propheta, interpres DOMINI ad Hebræos, promittat perpetuam securitatē? quare cum Hebræi ruinas templi instaurare conarentur, prohibiti sunt, globis ignis è fundamēto erumpentibus. Cum ergo istæ laudes, si cum euentu conferantur, non habeant complementum in rebus externis, certum est, ad Spiritualia beneficia referendas esse: quòd DOMINVS suas illas Hierosolymas, extendere velit ad vltimos fines orbis terrarum, hoc est, amplificaturus sit Ecclesiam suam, vt is sit eius terminus, qui huius mundi, de quibus rebus typos prophetico habet Ezechiel capitibus postremis.

14. *Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo quoniam concupiui eam.*

Sequentibus versibus vsq; ad finem Psalmi ipse DOMINVS loquitur, & non solùm ea quæ in consolatione illa pia præcesserunt confirmat, sed respondet ad preces suprà à sanctis institutas, ac ea quæ aliquanto breuius tribus præcedentibus versiculis fuerunt proposita, nunc enumeratione gratissima partium ad summam piorum omnium consolationem amplificat. Solet autem Spiritus sanctus non solùm per suos amanuenses, quos D. Basilius calamos Spiritus sancti vocat, concionari, sed sæpiusculè ipse loquitur, vt quasi obsignatis tabulis nobiscum agat, dum certis, & (vt

ita

ita loquar) conceptis verbis clementiæ & benignitatis ſuæ, tam luculentam ſpem nobis facit, id quod Pſalmo etiam nonageſimo primo ſecutus eſt. Nam poſt multas præclaras promiſsiones auxilij ſui in aduerſis, quas per Prophetam recenſuerat, mox ipſe prodit, & dulciſsimam conſolationem proponit. Quoniam deſiderat me liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum &c. Ad eum planè modum in hoc quoq; Pſalmo, poſt egregiam ſignificationem ſuæ erga pios benignitatis, quam per Prophetam dederat, clementiſsimum reſponſum ſubijcit, in quo primùm promittit, ſe intraturum in requiem ſuam, ad quam populus eum inuitat: & in ea ſe non commoraturum, ſed manſurum in omnem æternitatem pollicetur. Suprà autem memini, iſta non poſſe accipi de perpetuitate cultuum, & ea habitatione DOMINI, quam in externis Hieroſolymis ſibi delegerat, nam vt pædagogiam Legis vniuerſam, ita quoq; locum vbi ceremoniæ Leuiticæ haberentur, temporarium eſſe voluit. Eſt itaq; huius primæ promiſsionis hæc ſententia.

Veſtram ô filij precationem audiui, qua me inuitatis, vt cum arca fortitudinis in requiem meam ingrediar, quod ſanè negare vobis non poſſum. Nam cum ſemel conſtituerim Hieroſolymis habitare, non mutabo conſilium meum, neq; enim ſunt viæ meæ vt veſtræ, non ea conſuetudo. Etenim quòd homines ſibi proponunt, ſæpè pœnitentia ducti, damnant: at quòd ſemel decretum eſt à me, nulla ratione variatur, imò

verò

verò noueritis, me non ad breue tempus hîc commo-raturum, ſed in omnem æternitatem manſurum eſſe: Quod tamen non de externo hoc templo, aut vrbe intelligendum eſt, quæ ſuo tempore conflagrabunt, ſed de eo templo, quòd totum terrarum orbem occupabit. Neq; enim iſta, quamuis præclara ſtructura, contentus ero, ſed dilatabo Eccleſiam meam ad quatuor partes orbis, in ea autem manebo perpetuò, manebit & filius meus vnigenitus, vſq; ad conſumationem mundi. Quid multis? ego cum filio & Spiritu ſancto habitationem ſiue manſionem in cordibus piorum faciemus, tot habituri templa, quot ſunt ſanctorum animæ. Iſta autem habitandi ratio erit perpetua, nam eos apud quos ſemel diuertero, nunquam deſeram gratia mea, niſi ipſi me deſerant. Denicq; cum iſti è vita hac mortali, me euocante, exceſſerint, tum præclariſsimo & exoptatiſsimo modo in eis habitabo, ero enim omnia in omnibus. Hactenus de prima promiſſione, ſequitur nunc ſecunda.

15. *Victui eius benedicens benedicam, & pauperes eius ſaturabo.*

Quãuis DOMINVS eos quos adoptione ſua dignatus eſt, non ſinit fame perire, ſecundũ promiſsiones ſuas, ſed largitur ipſis neceſſaria, tamen hoc loco longè præclariora promittuntur, alimenta & medicinæ animorum. Nam cum in arca DOMINI fuerit aurea vrnula, qua reſeruabatur Manna, DOMINO cibum cœleſtem ſuis adumbrante, & formula precationis ſupra poſita, DOMINVM vnà cum arca ſua & iſs quæ in ea

continebantur, inuitaret, Deus ista quoq; admodum clementer promittit.

Non (inquit) veniam ad vos vacuus & molestus hospes, sed afferam mecum præclara dona, quibus vos afficiam. Nam quod per Manna arcæ meæ inclusum tacitè vobis obsignaui, hoc præstabo, largiturus meis multiplicia incrementa, & benedictiones, & inprimis escas, quibus non venter pascitur & saturatur, sed anima recreatur: dabo enim ijs qui pauperes sunt, & esuriunt & sitiunt iustitiam, panem cœlestem, filium meum, qui famelicas ipsorum animas recreabit & reficiet, vt conseruentur in vitam æternam. Nam Moses quidem dedit vobis panem de cœlo, sed ego dabo *Ioan. 6.* vobis panem de cœlo verum, panem vitæ, quem qui gustarit, non esuriet vnquam.

Præclarè scripsit D. Augustinus, duas esse in hoc mundo ciuitates, moribus, studijs, & institutis dissimilimas. Ciuitatem Dei, & Diaboli. Epicuræi, & qui præter voluptates nihil admirantur, eos beatos esse iudicant, qui opibus & honoribus abundant. Quorum ingenia Psaltes γραφικῶς describit Psalmo 49. Confidunt (inquit) in diuitijs suis, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Et paulò post, hoc est cor eorum, quòd domus eorum sint perpetuæ, habitationes eorum in progenie & progenie, & nomen eorum sit illustre supra terram. Et Psalmo 10. Dixit in corde suo, non mouebor à generatione in generationem, quoniam ero sine malo. Et ibidem, Dixit in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non videbit in æternum. Hic est huius mundi captus, quòd terrenis bonis toti inhiant, & se indignis pio homine

voluptatibus totos tradunt, & cum bona ista fuerint adepti, securissimè viuunt. Sed nos hæc Psalmus docet, quæ benedictiones expetendæ sint, quæ opes reliquis omnibus præferendæ: Cibus videlicet ille animarum, & consolatio Christi, habitantis in cordibus nostris. Nam is duntaxat veram facietatem, nec odiosam illam, sed coniunctam cum honestissima voluptate, quam æterna gloria comitatur, nobis conciliat. Apparatus sanè epularum magnificus, magnum splendorem habet, sed multis famem non explet, nam alij quãuis lautissimè viuant, tamen non sunt contenti præsentibus, sed auidissimè aliorum bona ad se rapiunt. Alijs non satisfaciunt honores sui, sed ad superiorem gradum aspirant. Alijs animi perturbationes & conscientiæ vulnera ex recordatione superioris vitæ, grauissimam sitim, & inediam vix tolerabilem adferunt, cum ignorent, quomodo se sint excusaturi seueriss[i]mo omnium iudici. Solus Christus exoptatissimus ille animorum cibus, & panis cœlestis, verè reficit animas hominum, vt & sua sorte contenti sint, & cum ante oculos ponunt peccata sua, non deficiant. Hanc piorum voluptatem & escas spirituales, egregia contentione cum impiorum delitijs comparat Spiritus sanctus, Psalmo 4. Multi dicunt quis ostendet nobis bona? Sed tu leua super nos lumen vultus tui DOMINE. Dedisti lætitiam in corde meo, dum illi vino & frumento abundant. In pace simul cubo & dormio, quoniam tu DOMINE solus in spe constituisti me. Vino & frumentis quibus reliqua intelligit, quæ in admiratione sunt, opponit lætitiam cordis, natam ex lumine vultus DOMINI, hoc est, quiete conscientiæ,

quæ

quæ tum in nobis exiſtere ſolet, cùm Dei erga nos vultum ſerenum eſſe intelligimus per Chriſtum Ieſum, qui nos reconciliauit Patri, & eſt panis cœleſtis, quo vt diximus ſaturari ſolo poſſumus.

16. *Sacerdotes eius induam ſalute, & pij eius exultando exultabunt.*

Hęc verba à Solomone recitãtur in Paralipomenis. 2. Par. 6. Videmus autem Prophetam non loqui de veſtitu externo, ſed de indumento ſalutis, quod in precatione ſupra ſecundum caput fuit. Sed illic vſus eſt vocabulo iuſtitiæ: ex quo coniecturam facere poſſumus, falli eos, qui hunc locum ſic intelligunt, DOMINE ſerua tuos ſacerdotes inferentes arcam in templum, vt ſalui maneant, ne pereant vt Oza, qui leuiter attingens eam, ſubita morte concidit. Sed intelligamus iuſtitiam & ſalutem pro ijſdem ſumi, nam vnum ab altero dependet: precantur illi, vt ſacerdotes iuſtitia induantur, DOMINVS reſpondet, ſe illos velle induere ſalute, quæ certè accipienda ſunt de iuſtitia, quæ veræ ſalutis cauſa eſt: illa autem iuſtitia nobis per Chriſtum acquiſita eſt, ſimiliter lætitia, de qua ante quoq; dictum fuit. Relictis ergo aliorum ſententijs hunc verſum ſic intelligamus.

Præterea petijſtis etiam ſupplices, vt ſacerdotes induantur iuſtitia, & exultent ſancti, id vobis etiam per filium meum vnigenitum largiar. Nam is ſua morte impetrabit vobis iuſtitiam eam, quæ coram Deo valet, remiſsionem peccatorum & imputationem iuſtitiæ ſuæ. Hoc velati cœleſti ornatu induemini, ne nu-

di reperiamini in conſpectu meo, hæc iuſtitia erit nuptialis veſtis veſtra, quæ omnes næuos peccatorum teget. Hæc ornamenta comitabitur etiam, ea quam petiſtis vera animorum exultatio. Nam cum intellexeritis vos, quaſi amictos eſſe ipſo Chriſto & iuſtitia ſua, & ob eam cauſam reconciliatos Patri, maiorem in modum lætabimini, & in DOMINO perpetuò exultabitis.

Pulcherrima hæc eſt deſcriptio veri ornatus, quem Chriſtiani ſoli habent. Hic mundus auro argentoq; & veſtitu pulcherrimo ſe exornat. Sed D. Petrus hortatur mulieres, ne credant muliebrem ornatum poſitum eſſe in plicatura capillorum, & additione auri, aut in palliorum amictu, verùm occultus, qui eſt in corde homo, ſi is careat omni corruptela. Deinde alij in ſuperſtitioſo veſtitu elaborant, vt olim Phariſæi phylacterijs ſuis ſuperbiebant, & noſtri homines varietate cucullarum, & cum his opinionem ſuorum meritorum coniungunt. Quanquam autem vera virtus pulcherrima veſtis eſt, qua hominum melior pars exornatur, & egregiè dixit Baſilius, duas eſſe ſorores, corpus & animam, diligenter autem cauendum, ne ita exornetur corpus, vt interim anima negligatur, cum ad tribunal Chriſti adducenda eſt, tamen cum noſtra iuſtitia, ſi ad ſeueriores diuini iudicij rationes exigatur, non modò, non pulchra veſtis ſit, ſed conſpurcata, inſtar panni menſtruatæ, melior quærenda eſt, & quidem ea, qua ſuos ornat Chriſtus, ac noſtram nuditatem & deformitatem tegit. Nuditas autem illa eſt, quod omni iuſtitiæ ornatu deſtituti, peccata circumferimus in mortali corpore noſtro tanquam deformia vlcera.

1. Pet. 3.

Matth. 23.

vlcera. Cum autem nuditati illi, ne probrosa & exitialis nobis sit, consulere vult Christus, sua nos vestit iustitia, ideò enim in cruce nudus pendere voluit, vt nos sua iustitia, quam cruciatibus illis perferendis nobis impetrauit, exornaret, vt essemus filia illa regia (de qua Psalmus) quæ vestibus acu pictis incedit, & fimbrijs aureis. Hæc salutis etiam vestis dicitur, quia ijs solis, qui ista induti sunt, aditus patet ad regnum cœleste, at qui eam non habent, ejiciuntur in extremas tenebras. *Psalm.45.*

17. *Ibi oriri faciam cornu ipsi Dauidi, parabo lucernam Christo meo.*

18. *Inimicos eius induam confusione, & super eum florebit Diadema eius.*

Cum Zacharias Baptistæ Pater Christum DOMINVM vocet cornu, non dubito, eum ad hunc locum respexisse. Mouet etiam me hoc, quod hunc Regem κατ' ἐξοχὴν vocat lucernam Christi sui, hoc est, Dauidis. Quamuis enim & aliæ fuerint lucernæ Dauidis, quibus conseruata fuit successio, vsq; ad Christum, tamen Christus fuit præclarissima lucerna, & lumen totius mundi. Sed vt hoc sit commune alijs quoq; nepotibus Dauidis, tamen quod postremo loco de florente diademate dicitur, clarissimum testimonium est, ista de Messia prædicta esse. Etsi enim sub Solomone regnum Hebræorum fuit florentissimum, tamen statim post mortem ipsius, non modò non florere, sed deficere cœpit, cum & decem tribus à toto corpore regni auellerentur, & perpetua essent bella inter Reges Iu- *Luc.1.* *2.Reg.11.& 15. & 2.Par.21.*

da & Iſraël. Hoc certè non conuenit, cum verbo יזיז Iozíz, quod florere ſignificat. Nam regnum ſtatim (vt dixi) marceſcere & diminui cœpit. Huc accedit quòd Prophetæ loquentes de Chriſto, ſubinde vtuntur vocabulo צמח Zemach, hoc eſt, germinis, vt Eſaias capite quarto. In die illa erit GERMEN DOMINI, in magnificentia & gloria. Et Hieremias cap. 33. Ecce dies venient dicit DOMINVS, & ſuſcitabo Dauid GERMEN iuſtum, & regnabit Rex &c. Et Zacharias capite tertio. Ecce ego adduco ſeruũ meũ GERMEN. Vbi Ionathas Hebræus interpretatus eſt, ecce adduco ſeruum meum Meſsiam. Et idem Propheta capite ſexto: Ecce vir cuius nomen Zemach, qui locus à clariſsimis interpretibus de Chriſto exponitur. Cum ergo Prophetę familiariter vtantur hoc vocabulo quando Chriſtum deſcribunt, hic autem Pſalmus verbo צמח in deſcriptione eius vtatur: Florere faciã cornu, certè de Chriſto iſta intelligenda ſunt, in hunc modum.

Præterea Hieroſolymis non ſolùm habitabo, ſed è familia Dauidis, cum planè videbitur neglecta & obſcura, veluti à reſecta arbore, cuius truncus duntaxat & radices, vtcunq; in terra hærent, ſinam prętęr ſpem omnium oriri & germinare pręclarum germen, quod in familia Dauidis magna potentia dominabitur, & propugnabit ſuos ſubditos: & vt cornuta animalia cornibus aduerſus omnem vim armata ſunt, ſic ille ſeruabit ſuos ab hoſtibus & inimicis. Deinde etiam hoc germen erit vera lucerna Dauid, quem ego ipſe per Samuelem in Regem elegi, & Oleo meo ſacro inunxi. Nam quamuis clariſsimum lumen, & gloria do-

Eſa. 11.

mus

mus Dauidicæ, sæpè vindicatum est ab interitu, ne extingueretur, cum semper conseruarem aliquem ex nobili illa familia, qui summæ rerum præesset, tamen illud germen erit vera lucerna, quia non per successionem nepotum lucebit, sed suo proprio splendore & familiam Dauidis & totum terrarum orbem illustrabit. Erunt tamen multi hostes & aduersarij, qui clarissimum hoc lumen extinguere conabuntur: sed omnes confundentur & ignominia quasi veste quadam inuoluentur, nam me hostem & aduersarium sunt habituri, qui ferre non possum, vt Messiæ meo se quis opponat. Postremò corona huius præclarissimi Regis nunquam auferetur à capite ipsius, sed in omnem æternitatem floritura est. Hæc Psaltes.

Duobus autem his versiculis, Deus Pater luculentam de Christo DOMINO concionem proponit: in qua ea quæ de Christo nouisse maximè necesse est, gratissima breuitate exposuit. Primùm de familia loquitur, quòd sit Dauidis filius, de quo & supra dictum est. Deinde ipsius potentiam & maiestatem nobis ante oculos ponit, cum eum vocat cornu, quod à suis omnem vim hostilem propulset. Quod Zacharias etiam pater Ioannis Baptistæ his verbis expressit. Et erexit CORNV SALVTIS nobis in domo Dauid pueri sui. Et statim interpretatur, quid per cornu salutis velit. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt Prophetarum suorum. Fore vt seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. A' quibus autem hostibus & inimicis liberati simus, Paulus ex Hosea docet, 1. Cor. 15. Absorpta est mors in victoriam: vbi tuus mors aculeus? vbi tua inferne

ferne victoria? Aculeus autem mortis peccatum, potentia verò peccati Lex, sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam, per DOMINVM nostrum Iesum Christum. Maxima verò & periculosissima pugna fuit, aduersus Diabolum, huius mundi Principem, quem Christus DOMINVS deuicit, & subiecit eum pedibus nostris. Et hęc quidem de primo epitheto. Secundum est lucerna, de quo satis in Paraphrasi dictum est, Christus enim est non modò lucerna Dauidis, sed lux illuminans omnem hominem, qui venit in hunc mundum. Is tenebras & noctem ignorantiæ sustulit, is exortus est ijs, qui sedebant in tenebris & in vmbra mortis. Tertiò vaticinatur etiam Psaltes, de confusione hostium, & per tacitam antithesin hoc opponit superioribus, vbi dicit, se velle sacerdotes ornare salute. Et enim vt pij iustitia & salute ornantur, ita confusio & infamia vestis est impiorum. Nam primùm Hebræi omni cura, studio & diligentia hoc agebant, vt Christum DOMINVM, infamia aliqua notarent, & eum in contemptum omnium adducerent. Sed quod moliebantur, id totum in eos recidit. Nam cum Deus Pater omnes illorum conatus detegeret, Christum autem suum ex morte & cruciatibus educeret, in perpetuam ignominiam inciderunt. Munierant sepulchrũ vt post tertium diem, quo se resurrecturum DOMINVS prædixerat, eum si in sepulchro esset, omnibus deridendum propinarent: cum autem DOMINVS resurgeret, & custodes propè exanimati, diffugerent, omnes Hebræi fœdissimam turpitudinis notam subierunt, quòd innocentem & quidem Principem glorię crucifixissent. Ad extremum regni Christi perpetui-

tatem,

tatem, pulcherrima Periphrasi descripsit, cum dicit, Diadema siue coronam ipsius florituram. Nam & Dauidis & omnium Regum, Monarcharum, Principum, coronæ interciderunt, sola autem corona DOMINI & Seruatoris nostri Iesu Christi in æternum floret, quod supra etiam ex Psal. 99. citauimus. Semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo. Et sicut luna permanebit in æternum &c. Iam verò si regni Christi non est finis, certum est subditos etiam non esse perituros: quomodo enim Christus, Deus & Rex mortuorum dici posset? Neq; est quod quis dicat perpetuam successionem hominum facere, vt Christus æternus Rex dicatur, cum certum sit hunc mundum, & illam quæ ex hominum propagatione est, legem desituram. Ergo si corona huius Regis æterna est, certum est post mundi huius consumationem, reuicturos mortuos, & pios semper cum DOMINO regnaturos. Qua de re in nouo testamento luculentissima testimonia sunt, sed volui hoc adijcere, vt ostenderem, quomodo Spiritus sanctus, cum de Christi æterno regno in veteri testamento concionatur, Hebræos carnales homines, qui oculos duntaxat in his inferioribus defixos habebant, ad meditationem eorum, quæ in futura & fœlici beataq; vita illa expectantur, deducat. Sic suos Philippenses & nos omnes Apostolus hortatur, cogitemus nostram conuersationem in cœlis esse, ex quo expectemus DOMINVM Iesum Christum. *Philip.3.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Fundamentum nostræ salutis esse Christum D. Apostolus testatur: Fundamentum inquit aliud nemo
1. Cor. 3. potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Deinde idem Apostolus affirmat, in Christo omnes promissiones esse Etiam & Amen. Nã cum Dei fauorem extra Christum promittere nobis non possimus, certum est, tum promissiones diuinas nobis accomodari, cum per eius meritum, eas nobis proprias facimus. Itaq; idem Apostolus, nihil se scire dixit, præter Christum, & eum quidem crucifixum. Cæterum vt hoc fundamentum, cui tota nostra salus superstructa & inædificata est, nobis firmum maneat, ne à Diabolo mille artifice, concutiatur, sedulò danda opera est. Quanquam enim illa petra, contra omnes insultus Diaboli, semper firma & inconcussa manst, tamen Diabolus in hoc vnum incumbit, vt vel dubitatione, vel alia quauis ratione eam nobis eripiat. Hic autem Psalmus rationes confirmandæ fidei & conseruandi illius præclari depositi, ne vnquam ab eo excidamus, monstrat. Principiò nos monet, vt ad promissiones Dauidi et cæteris patribus de Christo factas, diligenter animum attendamus, eas enim uanas esse non posse, cum Deus ipse tam constanter has nobis promiserit. Deinde cum tam magnificè de ueteribus typis et inprimis de DOMINI arca concionatur, qua se Christus adumbrauit, & veteri populo suam sententiam est pollicitus, rursus ostendit, Christum DOMINVM, nõ una ratione priscis hominibus fuisse propositum, ne de eo nos etiã, qui in nouo Testamẽto viuimus, dubitaremus.

taremus. Ad hæc ne ista Symbola viderentur fortasis aliam ob causam proposita, Psaltes nobis, quid sibi velint exponit, & luculenter de Christo, eiusq; regno vaticinatur. Inprimis autem confirmant omnes Prophetæ, DOMINVM velle perpetuum regnum instituere, quod ideo faciunt, vt cum deletæ Hierosolymæ fuerint, & regnum Hebræorum omninò sublatum, omnes homines intelligant, non terrenum, sed Spirituale & æternum regnum nobis à Christo expectandum esse. Nam cum Hebræi externum & carnale sibi promittunt, toto cœlo aberrant. Tanta autem Christi est bonitas, vt non solùm ipse venerit & Prophetijs complementum attulerit, sed iam quod olim vmbris, nunc ipsa veritate nobis præstet, dum in Baptismo nos suo sanguine abluit, & in Cœna, vero Corpore et Sanguine suo nos recreat. Vt ergo vetera illa symbola cõfirmãdę fidei nostrę data sunt, & veluti vmbra præcesserunt, ita corpus nunc ipsum nobis exhibitum, nullum dubitationi locum relinquit.

Psalmus 133.

Canticum graduum.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum.

HIc Psalmus breuem, sed egregiam habet concordiæ commendationem. Laudatio autem ista sumpta est ex fontibus vtilis & iucundi: Concordiam esse & fructuo-

ſam & ſuauem. Quæ duo argumenta Pſaltes primo verſiculo breuiter proponit: deinde illuſtrat & amplificat: & quidem bifariam. Nam initio ſimilitudinibus pulcherrimis exornat, poſtea verò apertis rationibus id conſequitur, cum dicit concordiam habere benedictiones diuinas & æternas.

1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.*

Primò, vt auditores attentos teneat aduerbio demonſtrandi vſus eſt. Ecce quàm &c. quo in admirationem rei, quam propoſiturus eſt, homines vult traducere. Propoſitio πρόφρασις eſt propoſita. Nam habitare in vnum, concordię deſcriptio eſt. Etenim vt diſsidium à varia & diuerſa ſede eſt dictum: ſic concordiam econtra ſocietate & communitate domiciliꝝ Pſaltes definiuit. Ad hæc quanquam de fratrum duntaxat concordia dicere videtur: tamen dubium non eſt, hanc laudationem ad vniuerſum genus pertinere, & intelligi de proximo, cum vnũ Patrem cœleſtem omnes agnoſcamus. Sicut Geneſis 9. ſcriptum eſt: Sanguinem vniuſcuiuſcꝫ de manu fratris eius requiram: Vbi vocabulum fratris, pro proximo ſumptum eſt. Duo autem argumenta confirmationis adduntur, concordiam eſſe & bonam & iucundam. Primus ergo verſus hoc modo intelligendus eſt.

En adfero concionem vobis, qui ad veras laudabilesꝫ vitæ rationes aſpiratis, breuem illam quidem, ſed veſtro ſtudio digniſsimam. Dicturus enim de concordia ſum, qua virtute nec ad hominum vtilitates accommodatior

modatior, nec ad iucūditatem & vitæ ſuauitatē meliorinuenta eſt: quando ita viuimus, ac ſi omnes concordiſsimi fratres eſſemus, in vna eademq; domo & nati & educati, à qua arctiſsima vitæ cohabitationisq; ſocietate diſcedere nolimus. Hanc præclaram virtutem nobis omnibus ante oculos ponere ſtudeo, vt ad eius amorem & admirationem vos omnes pertraham. Hæc DOMINI Spiritus.

Principio autem, quis non attentionem audiendi adiungeret ad tanti oratoris facundiam, qui nō tranſmarinam, ſed planè cœleſtem benedictionē nobis affert, & quidem de ijs rebus, quæ ad omnes vitæ partes, commoditates habet maximas? Nam neceſſe eſt rem vnam ex omnibus præſtantiſsimam eſſe, quam DOMINI Spiritus admiratur, ac ſtatim nobis ſuſpiciendam proponit. Ecce (inquit) quàm bonum et quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sed res ipſa loquitur, quanti ſit facienda concordia, cum eius pulcherrimus typus in ſanctiſsima trinitate, qua nihil maius aut ſublimius eſt, proponatur. Vna enim & Patris, & filij, & Spiritus ſancti voluntas eſt, vnus amor, vna dilectio. Cum autem omnibus hominibus laborandū ſit, vt ſe (quantum in hac imbecillitate carnis fieri poteſt) componant ad illum Archetypum, dubium non eſt, vnitate & concordia nihil eſſe præſtantius & ſublimius. Et veriſimè dixit Pſaltes, concordiam bonam eſſe, cum per eam ſummū bonum imitemur. Nam vt præclarè ſcripſit Nazianzenus: τῇ τριάδι ἴδιον ὡς τὸ οἰκεῖον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἑρμαῖον. Sancte Triadi nihil tam proprium, quàm vnitas naturæ & mutua concordia. Quare & Apoſtolus 2. Cor. 13. Omnes ad

concordiam hortatur, quòd ea nobis præsentiam clementiamq; DOMINI conciliet. Quod superest (inquit) fratres vnanimes sitis, in pace agite, & Deus charitatis & pacis erit vobiscum. Pulcherrimam hoc loco consequentiam extruit Paulus: Nam vnanimitatem suadet, ex qua pacem dicit existere, pacificis autem adesse DOMINVM pacis, quo præsente nihil nobis ad summam felicitatem deesse potest. Porrò quando totum hoc vniuersum intuemur, quod propter elegantiam mundum appellamus, & tot nunc seculis durat, quo nihil vel ad vsum melius, vel aspectum iucundius, certè audituri sumus voces nos cohortantes ad concordiam & animorum coniunctionem. Quemadmodum præclarè scripsit Nazianzenus in ea oratione, quam de pace primam ad monachos habuit. Cum enim prolixè & eruditè proposuisset, quàm arcta amicitia & iucunda gratáq; concordia, cœlum & terra inter se connexa sint, quomodo aër, mare, terra, imitatione paternarum σοφῶν, ad alenda omnia animalia, tum verò hominem ipsum conspirent, qui Elementorum inter se nexus, quàm in omnibus pulcher consensus, tandem subijcit: ταῦτα πάντα ὅτως ἔχοντα, καὶ κατὰ πρώτας αἰτίας της ἁρμονίας, εἴτουν συρροίας τὲ, καὶ συμπνοίας, ἐυθυνόμενα τὲ, καὶ διεξαγόμενα, τί ποτ' ἐν ἐμοὶ δοκεῖν ἕτερον, ἢ φιλίας τὲ, καὶ ὁμονοίας εἶναι κηρύγματα, καὶ νομοθετεῖν ἀνθρώποις δι' ἑαυτῶν τὸ ὁμόψυχον. Hoc est: Hæc autem omnia, cum sic se habeant, & propter primas causas harmoniæ vel potius confluentiæ & consensus regantur & dirigantur, quid nam aliud illa videri debent, quàm amicitiæ & concordiæ præconia, & Leges hominibus præscribere, vt & ipsi inter se sint concor-

concordes? Et rursus idem autor, nos cœlum & terram intueri iubet, quæ quamdiu concordi pace inter se ligentur, pulchritudinem habere ineffabilẽ ait, si autem consensus ille turbetur, ne mundum quidem dici posse. Sed melius est, vt eloquentissimum Theologum loquentem audiamus. Δεύτερον δὲ ἀναβλέψωμεν εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ εἰς τὴν γῆν κατω, θείας φωνῆς ἀκούοντες, καὶ καταμάθωμεν νόμους κτίσεως, Ὅτι οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ θάλασσα, καὶ ὁ σύμπας ὅτος κόσμος, τὸ μέγα στοιχεῖον τοῦ Θεοῦ, καὶ πεφιβόητον, ὡ καὶ σιγῶντι δηλοῦται Θεὸς σιωπῆ κηρυττόμενος, ἕως μὲν εὐσταθεῖ, καὶ εἰρωνεύεται, πρὸς ἑαυτὸ, ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις μένων, τῆς φύσεως, καὶ οὐδὲν τοῦ ἑτέρου καταπαίεται, οὐδὲ τὴν τῆς εὐνοίας ἐκβαίνει δεσμῶν, οἷς ὁ τεχνίτης λόγος, τὸ πᾶν συνέσφιγξεν, κοσμόν τε ἐσῖον ὅπερ λέγεται, καὶ κάλλος ἀπρόσιτον, καὶ οὐδὲν μὴποτε τούτου τοῖς ἐπινοίαις λαμπρότερον ὕλης ἔργον, ἢ μεγαλοπρεπέστερον, ὅσον δὲ τοῦ εἰρηνεύειν πέπαυται, καὶ τοῦ εἶναι κόσμος. Id est. Deinde suspiciamus in cœlum, & respiciamus in terram deorsum, diuinam vocem audientes, & discamus leges naturæ, quòd cœlumet terra, & mare, & vniuersus hic mundus, magnum Dei Elementum & perquam celebre, quò Deus etiam tacitè manifestatur & prædicatur. Donec enim quietem & pacem inter se habent, ac in propriis naturæ permanent terminis, nec vnum contra alterum insurgit, neq; beneuolentię dissoluit vinculum, quibus opifex verbum, vniuersa colligauit, mundus est, quemadmodum & appellatur, & pulchritudo ineffabilis, nemoq; his vnquam splendidius quid, aut magnificentius nouit. Quamprimum autem pax cessat, etiam mundus esse desinit. Hactenus Nazianzenus nobis ad illum magnum naturæ

librum

librum digitum intendit, vt ex eo concordiæ & leges & rationem discamus. Verùm Psaltes vno etiam vocabulo, sed ἐμφατικώτερον posito, ostendit, nos consensum & mutuum amorem, alere debere, cum simus omnes fratres. Nihil sanè fœdius est, quàm si fratres odijs inter se dissideant, qui eosdem parentes, eandem paternam, domum, vitæ consuetudinem perpetuam, à primis annis habuerunt. Ita ab omni pietate alienissimum est, odisse proximum, quem tamen fratrem agnoscis, cum quotidie Deum Patrem appellare non dubites: Imò si Apostolo credimus, necesse erit fateri, in illa Spirituali cognatione arctius vinculum amicitiæ, quàm germanorum fratrum esse debere, cum vnius corporis simus membra. Iam verò cum apud animos nostros cogitauerimus, quòd omnes in vna eademq; domo versemur, & domestici Dei ac conciues sanctorum simus, certè cum Psalte iudicabimus, nihil esse pulchrius, quàm fratres habitare in vnum. Etenim ex domo illa, in quam DOMINI benignitate sumus recepti, egredi non possumus, nisi è numero sanctorum nos ipsos velimus excludere, & possessione summorum bonorum, quæ in illa præclara societate sunt, excidere. Nisi ergò periclitari ipsi volueri-mus, cum fratribus concordes viuamus, ne, dum proximum deserere volumus, nobis ipsis deesse videamur.

Sed inprimis nos moueat, quòd nouerimus nihil esse DOMINO, qui & concordiæ & pacis Deum se appellare voluit, gratius, quàm si vnanimes viuamus. Solomon enim Prouerb. 25. scribit, tria esse quæ sint probata Deo & hominibus, concordiam fratrum, amorem

morem proximorum, & mariti vxorisq; consensum. Porrò Spiritus DOMINI concordiam etiam à sua iucunditate & suauitate commendat: Ecce inquit quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quod vsq; adeò verum est, vt sublata concordia, ea, quæ aliàs iucunda sunt, corrumpantur, illa autem præsente, omnia suauitatem & elegantiam habeant: vtrumq; complexus est Solomon, Prouer. 11. ita in prouerbijs scribens: Melior est buccella panis sicca & pax in ea, quàm domus referta victimis iurgij. D. autem Augustinus dicit, id esse in vrbe concordiam, quod in musica sit harmonia vocum. Qua similitudine dextrè admodum suauitatem concordiæ expressit. Nam vt musico concentu nihil est iucundius, in quo variæ voces ita inter se certant, vt interim gratissimus sit omnium consensus: ita cum in Republica & œconomia variæ sint, vitæ professionisq; rationes, in his tamen si consensus & concordia sit, nascitur nescio quid præclari, quod omnium hominum animos in admirationem rapit. Quanquam autem præclarè D. Augustinus pulchritudinem concordiamq; hac similitudine expressit: tamen multò sunt luculentiores istæ, quas ipse DOMINI Spiritus in hoc Psalmo, versibus sequentibus proponit.

2. *Est sicut vnguentum optimum super caput, descendens super barbam, barbam Aaron, quod descendit super oram vestimenti eius.*

Primo versu concordiam commendauit duobus nominibus, quòd & bona sit & iucunda: verùm vt v-

tramq; laudem illustraret ijs coloribus, qui possent nos ad amorem illius incitare duabus similitudinibus vsus est. Vna est vnguenti preciosissimi illius, quo perungebatur Aaron summus sacerdos: altera roris, de qua postea. Et prior quidem proposita est, vt potissimum concordiæ suauitatem iucunditatem & elegantiam, altera vt vtilitates ostenderet. Quamuis ex vtraque ambæ illæ laudes colligi possint. De vnguento illo preciosissimo, quo & tabernaculum & arca, tum etiam pontifex vngebatur legimus Exodi. 30. quod fuerit ex preciosissimis aromatibus & oleo siue balsamo optimo confectum, vt latè spargeret gratissimum odorem, cuius compositio nulli mortalium ad vsus prophanos concedebatur, solus Aaron & filij eius vtebantur, & quidem in sacro. Vult ergò Psaltes ad hunc modum laudare concordiam.

Dixi concordiam esse rem vnam, ex omnibus & præstantissimam & iucundissimam, quam ego rectissimè conferri posse existimo, vnguento illi præstantissimo, quòd DOMINO mandante ex preciosissimis aromatibus & balsamo conficitur, summa & acerrima suauitate conditum est, quo tabernaculum & arca inungitur, quo etiam Aaron pontifex vtebatur. Etenim vt vnguento illo nihil est preciosius, siue fragrantiam spectes, siue eius vsum, quem in sacro duntaxat habet considereris, siue eos, qui eo vngebantur intuearis, ita sanè concordia nihil est iucundius, nihil amabilius, quæ longè lateq; suum odorem diffundit, quę sacrosancta merito haberi, & in admiratione omnium esse debet. Præterea etiam, ea tum pulcherrimos fructus maximasq; suauitates habet, cum in or-

dine

dine sacerdotali, & eorum qui sacra tractant conspicitur: Si quemadmodum balsamum à summo pontificis vertice, per barbam ad vestimenta, & inde ad oram fimbriasq; defluit, & nullam partem eorum, non suo gratissimo odore inficit: ita in Ecclesia DOMINI omnes & summi & infimi ministri, consensum doctrinæ cœlestis tenuerint, veritatem propugnarint, & ad vniuersam posteritatem propagauerint. Qua certè concordia nihil vtilius, melius, amœnius, nulla res quæ maioribus votis à Deo Opt. Max. expetenda sit.

Non potuisset Psaltes breuius & luculentius, proponere honorificas concordiæ laudes, quàm cum confert balsamo Aaronico. Nam vt vnguẽtum illud inter cætera principatum obtinet, quod & autore Deo, & ex ijs odoribus confectum sit, vt ad elegantiam & suauitatem eius nihil accedere posse videatur. Sic certè pax & concordia à DOMINO est, qui pacis est Deus & concordes, ac pacificos filios suos appellare non dignatur. Deinde ea virtute nihil in tota vita iucundius & suauius est, quia vt suprà ex Solomone citauimus Deo hominibusq; probatur. Sed balsami ad sananda vulnera, singularis est vis & efficacia, & mortuorum etiam corpora eo inuncta, ad aliquot sæcula durare dicuntur. Sic & Ecclesiæ & Reipublicæ, ac priuatorum tranquillitas & salus in pia concordia constituta est, & ea virtus non tantum viuos, sed mortuos etiam commendat, & immortales facit. Habet etiam charitas & animorum vera coniunctio hoc proprium, vt si quæ sint offensiones, eas tegere & sanare studeat, non aliter quàm Medici, qui & vulnera alligant, & infuso balsamo dolorem leniunt, ac paulatim

Pro.10. cicatricem inducunt. Sic Petrus ex Solomone citat
1.Pet.4. charitatis concordiæq; pulcherrimum fructum: charitatem operire multitudinem peccatorum. Nam qui concordiæ ſtudent, amicorum vitia nouiſſe, non autem odiſſe conſueuerunt, imò excuſant, tegunt. Sed homines diſcordiæ contentionibusq; nati, quaſi vngues in recenti vulnere exiſtere ſolent. Nam quæ ab amicis non ſatis meditatè, aut temerè etiam dicta ſunt, odiosè exagitant & calumniantur, omnia in deteriorem partem rapientes, imitati patrem illum calumniarum διάβολον, qui omnia peruertere, & ad contentiones, rixas, homines incitare conſueuit. Sunt autem nocentiſsimi homines, qui auream concordiam quæ inter miniſtros & Doctores in Eccleſia eſt, turbant, ſemina diſsidiorum ſine cauſa ſpargentes, & ne exanimi perturbatione facere videantur, prætextu religionis & pietatis vtuntur, quorum malitiam etiam Gre-
ἐρηζικῶ. gorius inſectatur, ὅταν ἀλῶμεν, ἐυσεβεῖς ἐσμεν καὶ ὀρ-
2. θόδοξοι καὶ καταφεύγομεν ψευδῶς ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς ὑπὲρ τῶν ἐν Θ σασιάζοντες καὶ τοῦτο μόνον ἐπαινετὸν ποιοῦμεν, ὡς εἰ κακοῖς, εἰ μὴ καὶ λίαν αἰσχρὸν, ὅτι τὴν κακίαν ἐυθρίπτες, ἐπὶ σεμνοτέρου ὄνομα καταβαίνομεν τὴν ἐυσέβειαν. Quando conuincimur piĳ ſumus, & orthodoxi, & mendaciter confugimus ad veritatem, ac ſi de fide diſceptatio eſſet: & hoc ſolùm laudabile in malo propoſito habemus, imò verò valde turpè, quod malitiæ opinionem fugientes, ad plauſibiliùs nomen pietatis tranſimus. Hanc ſententiam adſcripſi, quia multi hodiè ſunt, qui intemperiem ſuorum ingeniorum, integumento pietatis aut zeli, palliare ſtudent, magno pacis & concordiæ Chriſtianæ detrimento. Quàm autem

rem præclarè facerent omnes, si consensum doctrinæ concordiamq; imagine balsami per barbam Aharonis, ad extremas vestimenti oras defluentem adumbratam, conseruare studerent? ita enim totum (vt ita loquar) Ecclesiæ corpus gratissimo odore fragrantiaq; concordiæ & vnanimitatis perfunderetur. Postremò notandum est, Christum, summum sacerdotẽ, oleum lætitiæ, quo præter consortes suos vnctus est, finere defluere ad imos pedes, hoc est, doctrinam & consolationem sui Euangelij omnibus membris communicare: hoc ergo iucundissimum oleum Euangelij, gratis animis accipere, & piam concordiam omni studio cura & diligentia fouere, & propagare debebamus, memores arctissimæ coniunctionis, quæ est capitis Ecclesiæ, ad totum corpus.

3. *Et sicut ros Hermon (ros) qui descendit super montes Sion, quoniam illic mandauit DOMINVS benedictionem & vitam vsq; in seculum.*

Secunda similitudo illustrandæ rei, quam Psaltes tractat, quæsita. Comparat autem concordiam rori & quidem ei, qui in monte Hermon est, & montibus Zion: His præstantiam præclari istius consensus, qui est inter pios in Ecclesia Christi, exprimere voluit. Hermonim montana sunt ad Iordanem, locus celebris victorijs populi Israëlitici: Tulimus (inquit Moses) illo tempore terram de manu duorum regum Ammorrhæorum, qui erant trans Iordanem à torrente Arnon vsq; ad montem Hermon: cuius memoriam Dauid Psalmo 42. dicit, se coniunxisse cum me- *Deut. 3.*

ditatione diuinorum beneficiorum: Recordor (inquit) tui de terra Iordanis & Hermonim, hoc est, quoties vel Iordanis, vel montis Hermon mentio fit, tuorum beneficiorum, quæ istic populo tuo præstitisti, recordor. Dubium autem non est, ista montana & campos ijs subiectos, non solùm ob hanc causam, sed fertilitatem etiam & amœna pascua, quæ ibi erant propter viciniam Iordanis nobilitata fuisse: Vt autem ros in tam fertili solo plurimum adfert vtilitatis, sic etiam vult docere multiplicem esse vtilitatem concordiæ. De mõtibus autem Zion, qui propter vrbem toto orbe celebrem, & templum DOMINI, memoria & prædicatione sempiterna digni habentur, non opus est vt dicatur. Nam vt suprà Aaronis mentione facta, tacitè ostendit, se potissimum de concordia, quæ in Ecclesia est, loqui, ita ob eandem causam nunc montanorum Zion meminit. Erit ergo hemistichij huius hæc sententia.

Præterea quàm iucundus & vtilis est ros, qui in montanis Hermonim & locis Iordani vicinis est (sunt enim ibi lætissima pascua) quam etiam idem suauitatem & elegantiam habet, cum in montibus Zion, qui & fertilitate, & quod ibi vrbs florentissima, & templum illud magnificum extructum sit, conspicitur. Ita consensus pius animorum, vtilitates & suauitates habet maximas, quas oratione nemo persequi potest.

Quemadmodum similitudine superiore nihil potuisset afferri, aptius ad demonstrandam concordiæ pulchritudinem, ita ad eandem depingendam, qui potuissent colores adhiberi meliores, quàm isti? Ros vt alio quodam Psalmo dictum est, cœlitus delabitur, & *Psalm. 110.*

ita

ita creatur vt animaduerti non posit. Sic donum charitatis & concordiæ, cœleste donum est, quo sancti Apostoli in die pentecostes perfusi sunt, vt non modo in cæteris essent vnanimes, & haberent quasi cor vnum, sed doctrinam Euangelij pulcherrimo consensu in toto terrarum orbe diuulgarent. Roris deinde tanta est, venustas, cum summis vel segetum vel graminum apicibus adhæret, vt tot gemmas te, quot guttulas roridas dependentes, videre existimes: sic concordia fraterna nihil amœnius est. Rori præterea ea inest vis, vt herbas & gramina calore Solis prope languida recreet: ita concordia pacis & ocij mater, omnes reficit & recreat, nam & docentium & discentium in Ecclesia profectus ea præsente conspiciuntur admirabiles. In republica aurea pax & consensus ciuium cum suo magistratu conseruatur. Oeconomiæ florent, coniugia felicia sunt, tecta atq; agri si Ciceroni credimus lætari videntur. Rorem autem nõ quemlibet hoc loco ponit Psaltes sed eum qui ad multiplices vtilitates hominum in montanis Hermon & Zion reperitur, quo vt supra diximus, concordiam, quæ in Ecclesia est nobis adumbrare & ostendere voluit. Ad extremum rore illo pulcherrimo & ad summas nostras vtilitates præclarissimo tum demum fruemur, quando eum à DOMINO veris gemitibus petierimus, nam cum concordia vt est dictum sit donum cœleste, quemadmodum & ros, omni contentione & animorum & precum eam à DOMINI Spiritu petamus, sicut & Ecclesia petit vt amore sancti Spiritus corda nostra accendantur, & nascatur ille diuinus & præclarus consensus qui nobis ad veras & beatas viuendi rationes dux est.

6. *Quoniam*

6. *Quoniam ibi promisit DOMINVS benedictionem & vitam vsq; in seculum.*

Prophetæ cum memoriam hominum iuuare vo-
lunt, res quas tractant, figuris & ornamentis vestiunt,
vt magis sint conspicuæ. Sed interim ad captũ audi-
torum sese accommodant, & ea quæ copiosius dicta
sunt, in compendium contrahunt, sępe quæ elegantius
proposita fuerunt detractis ornamentis, planius expo-
nunt, vt omnes se expedire possint. Necq; enim scrip-
tura est instar foliorum Sybillæ aut oraculorum A-
pollinis, quæ sua obscuritate auditorem exercent, &
suspensum etiam tenent: sed est in illis magna perspi-
2. *Tim.* 3. cuitas: comparata enim sunt omnia vt Paulus scribit
ad doctrinam, redargutionem, correctionem & insti-
tutionem, quæ est in iustitia. Sed vt reuertar ad insti-
tutum, certè hemistichion hoc breue non tantùm est
compendiosa repetitio totius Psalmi, sed eius etiam
perspicua explicatio. Nam quæ de suauitate & vtilita-
te concordiæ similitudinibus duabus pinxerat, ea bre-
uiter iam exponit, dicens, concordiam afferre secum
benedictiones, & eas quidem diuinas ac certas, nam
DOMINVM promisisse pacis & concordiæ amanti-
bus magna & ingentia bona, & ea non solùm tempo-
ralia, sed etiam æterna, rectè itaq; comparari Balsamo
& rori rebus & iucundissimis & vtilissimis. Nec ocio-
sum est, quod de promissionibus addit, nam vult ex-
plicare eam partem similitudinum superiorum, vbi
diximus, diuino beneficio contingere rorem, & insti-
tuto DOMINI Balsamum & odores illos parari: ita
quoq; concordiæ bona, diuinitus nobis assunt, nec
vnquam

vnquam ſuo fructu carẽt, cùm is qui promiſit fallere nec poſsit nec velit. Non autem opus eſt concordiæ vtilitates recenſere cum de iſs ſuprà dictum ſit. Cæterum ipſe dulciſsimus Saluator noſter Ieſus Chriſtus promiſsionem ampliſsimam concordibus & pacificis proponit. Cum dicit beatos pacificos. Nam quibus DOMINVS felicitatem promittit, iſs ad beatè viuendũ nihil deeſſe poteſt. Et certè Ethnici etiam viderunt cum hac virtute coniuncta eſſe maxima bona eamq; ex paruis initijs homines ad faſtigium ſummorum bonorum & diuitiarum euchere. Ea tamen erit pulcherrima concordia, vbi ſancti in illa futura vita, vnâ cum ſanctis angelis, nomen DOMINI celebrabunt, & tantus erit conſenſus, vt omnes idem velint, tantus eius fructus, vt Deus ſit futurus omnia in omnibus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum nulla domus, nulla reſpublica, nulla principum aula ſit, in quibus non Satan ſemina diſcordiarum ſpargat, œconomias & imperia florentiſsima euertat, aut certè ita perturbet, vt omnem vitæ ſuauitatem è medio tollat, ex hoc Pſalmo diſcamus, potius obediendum Spiritui ſancto, qui nobis concordiam maiorem in modum commendat, & præterea promittit omnis generis bona, quàm acerrimo illi humani generis hoſti & ἐπιχαιρεκάκῳ. Nam cum ipſe propter diſcordiam, cuius autor eſt, ab æternis gaudijs exulet, nulla re magis offenditur, quàm concordia humana, dat ergo operam, vt inimicitiarum occaſiones, miſeris mortalibus præbeat, vltionis nos cupiditate inflamẽt,

breuiſsimaq; vſura turpis voluptatis, quam homo ex alterius hominis detrimento capit, pulcherrimos & æternos concordiæ fructus auferat. Quam ipſius malitiam toto animo deteſtemur, & in medium conſulamus omnes, vt in omni vitæ genere pia & amabilis pax conſeruetur, ſic enim Deus pacis nobis perpetuò aderit.

Pſalmus 134.

Canticum graduum.

Ecce nunc benedicite DOMINO &c.

Hic Pſalmus vt inter eos qui graduum appellantur, poſtremus eſt, ita duo præcipua capita continet, circa quæ homines Chriſtiani inprimis elaborare debent: vt & Deo gratias agant, eiusq; nomen celebrent, propter ingentia beneficia quæ accipiunt: & viciſsim ab ipſo omnia expectent, quæ ad benè & beatè viuendum pertinent. Eſt autem Pſalmus iſte Dialogus, in cuius priore parte monentur omnes pij, & præcipuè ſacerdotes ac Leuitæ, vt DOMINO gratias agant. Altera pars habet votum Leuitarum, vt Iſraël omnia felicia à Deo percipiat. Quanquam autem propter ignorationem antiquitatis & ceremoniarum (exceptis iis quæ in Moſe expreſſæ ſunt) non poſſumus ſatis de ratione, quam in in canendo obſeruarunt iudicare, tamen

men dubium non est duos fuisse choros, quorum vnus ad laudem DOMINI Leuitas cohortaretur, alter qui haud dubiè Leuitarum fuit, responderet, & omnia prospera vicissim populo precaretur. Nos certè populum cum benedictione illa solenni, quæ extat in numeris dimittimus. Et vespertinas preces benedictione & gratiarum actione olim claudebant.

1. *Ecce benedicite DOMINO omnes serui DOMINI qui statis in domo DOMINI in noctibus.*
2. *Attollite manus vestras ad sanctum & benedicite DOMINO.*

Ecce aduerbio demonstrandi ad attentionem mouendam vsus est. Similiter etiam cum vocabulo DOMINI κατ' ἐξοχὴν, hoc est, Tetragrammato, vtitur, vult commonefacere Psaltes, non se cohortationem instituere propter hominem, sed DOMINVM, de quo quando sermo fit omnes summam curam atttentionemq; adhibere par est. Nulla enim est res, quæ maioris momenti apud nos videri & esse debeat. Et sanè eam ob causam non vnum aut alterum, sed omnes vocat: ostensurus, eã curam ad omnes in vniuersum homines pertinere. Et hæc quidem possunt referri ad exordium in quo auditorem præparamus. Propositio (vt in tanta breuitate fieri necesse est) vno verbo absoluitur. Benedicite DOMINO, quod laudare significat & precari. Vult autem DOMINVM & inuocari, & gratias ei agi, hoc est, laudari ipsius clementiam. Rationes autem grauissimæ subiiciuntur, quare laudandus DOMINVS & celebrandus sit. Initio quia ip-

se est DOMINVS Deus summæ maiestatis & potentiæ, cui omnis laus & gloria debetur. Deinde ideò celebrandus iure est, quia nos sumus serui ipsius, hoc autem obsequium præcipuè præstandum est, cum propter nostram tenuitatem maiora non possimus exhibere. Quòd autem additur, qui statis in domo DOMINI, præcipuè de Leuitis intelligendum, quorum officium erat noctu etiam, excubias agere in templo. Itaq; hæc particula ab officio illorum sumpta est, debere eos perpetuam DOMINO laudem, quia ad eam functionem sint vocati. Sed iam alter versus modum & rationem præscribit illius laudationis à gestu & loco vbi & preces & gratiarum actio fundebantur. Nam manus attollendæ sunt & quidem ad sanctum, hoc est, arcam & templum, vbi DOMINVS se auditurum & preces & gratiarum actionem est pollicitus. Hoc argumentum ad locum facultatis in suadendo, superiora ad fontes honestatis referri debent. Nunc quæ diximus Paraphrasi persequamur.

Cum iam preces nostras magna ex parte absoluerimus, nunc omnes & singulos hortamur vt DOMINVM laudibus extollant, & gratias ei agant. Nã si ipsius maiestatem, imò verò omnipotentiam consideraverimus, nemo est eo sublimior & dignior, qui omni tempore laudetur & celebretur. Sin summa in nos beneficia perpenderimus, quæ oratio ad declarandam gratitudinem nobis suffectura est? Iam verò si officij nostri conditionisq; memores esse voluerimus, ista certè functio propria nobis esse debet, sumus enim serui DOMINI, qui in omnibus componere nos ad voluntatem & obsequia DOMINI debemus. Sed ista

cura

cura præcipuè vobis Leuitis incumbit, qui noctes & dies in templo verſamini, & omnes cogitationes, de veris, minimeq; fucatis precibus, inſtituere debetis: veſtrum eſt, exemplo nobis omnibus præire, & ad gratiarum actionem & ſeriam inuocationem inuitare. Vos ergo non modo contentione vocis, ſed etiam toto corporis geſtu, ſublatis in altum & oculis & manibus, apud ſacroſanctam illam arcam, vbi ſuam nobis præſentiam DOMINVS pollicitus eſt, & preces ad DOMINVM inſtituite, & nomen DOMINI laudate, beneficia quæ in nos affatim confert celebrate res quas cum admiratione & ſumma noſtra vtilitate geſsit extollite, eumq; vt in poſterum etiam clementer nobis adſit precemini.

Hæc Pſaltes voluit, cum omnes ad benedictionem DOMINI hortatur. Neq; verò quis exiſtimet cum nos Prophetæ ad benedicendum DOMINVM inuitant, eos putare noſtris votis aliquid accedere DOMINO. Quomodo enim is, in quo omnes ſunt theſauri diuitiarum reconditi, aliquid à noſtra paupertate acciperet? & is qui eſt Deus benedictus in ſecula, benedictionem à nobis expectaret? ſed ita loquitur ſcriptura, quando ad laudem & gratiarum actionem quæ DOMINO debetur nos inuitat. Non enim ſcrupulosè diſtinguenda vocabula ſunt, nam benedictio, non modo DOMINI laudes & prædicationem, ſed gratiarum etiam actionem, quæ ſemper cum laudibus diuinis coniuncta eſt ſignificat. Imò verò cum piĳ plerunq; & gratias DOMINO agant, & precentur ſimul, vt in poſterum etiam clemens miſericorsq; protector eſſe velit, preces etiam pias hîc intelligere poſſumus. Habent

enim illa tria eam inter se affinitatem, vt rarò separata inueniantur. Ad hanc autem gratitudinis significationem, aut certè celebrationem nominis diuini, ea inprimis nos cogitatio impellere & incendere debet, quod DOMINI: vt hoc loco Psaltes loquitur, serui sumus, & quidem multiplici nexu ei obstricti. Nam cum cogitamus eum nos creasse, imò verò hunc terrarum orbem quantus est habitationi hominum destinasse, nos omnes alere, ab imminentibus periculis protegere, an non libenter & seruos nos & memoria gratitudinis æterna ei deuinctos fatebimur? Sed inprimis nos ad gratitudinem inflammare debet, precium quo empti sumus. DOMINVS enim & Seruator noster Iesus Christus, non auro aut argento, sed præcioso sanguine suo nos in veram libertatem asse-
Luc. 1. ruit, ita tamen, vt ei in sanctitate & iustitia seruiremus omnibus diebus vitæ nostræ, quæ seruitus liberalissima est, imò verò tum demum verè liberi sumus, quan-
Ioan. 8. do nos filius ad eum modum liberauerit. Hæc causa tanta nobis ad gratitudinis rationes videri debet, vt nulla maior inueniri aut assignari possit. Certè mag-
Pag. 267. nus ille & doctrina & facundia Basilius in ea oratione quam de Iulitta Martyre habuit, paucis verbis complexus est, quàm multa beneficia in nos Seruator contulerit dum à graui seruitute nos liberat, nosq; suos seruos reddidit: Τί δεῖ τὰ μικρὰ μέγειν, ὅτ' ἡμᾶς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Διὰ τὴν καταφθαρεῖσαν σάρκα, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Μετὰ τὴν ἀχαρίστων ὁ εὐεργέτης. πρὸς τοὺς αἰχμαλώτους, ὁ ἐλεύθερότης. πρὸς τοὺς καθημένους ἐν σκότει, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, ἐπὶ τὸν θάνατον, ὁ ἀθανασία, ἐπὶ τὸν θάνατον ἡ ζωὴ ἐπὶ τὸν ᾅδην τὸ φῶς. ἡ ἀνάστασις

ἀπάσασις Δῶ τοὺς πεσόντας : πνέυμα ὑροθεσίας. χαρισμάτων διανωμαὶ σεφάνῳ ἐπαγγελίαι. τὰ ἀλλ' ὅσα δεῖ ἐξαριθμήσασθαι ῥᾴδιον ἐφ' οἷς, πρέπουσα ὅσιν ἡ φωνὴ τῷ προφήτου. τί ἀνταποδῶμεν τῷ κυρίῳ περὶ πάντων ὧν ἀνταπέδωκεν ἡμῖν ; Hoc est, sed quid opus est parua & exigua persequi propter nos Deus inter homines: propter deprauatam carnem Dei filius caro factus est, & habitauit in nobis: cum ingratis beneficentissimus: cum captiuis liberator: cum ijs qui sedent in tenebris sol iustitiæ: in cruce est is qui nihil patitur: in morte qui vita est: in inferno lumen: resurrectio, propter eos qui ceciderant. Spiritus adoptionis: donorum distributiones, promissiones coronæ immarcessibilis, & alia multa, quæ ne enumerare quidem facilè sit. Propter quæ vsurpanda vox Prophetæ est. Quid retribuemus DOMINO pro omnibus quæ retribuit nobis?

Quid potuisset dici breuius & elegãtius, quàm quod magnus ille Theologus de libertate nostra, & quanti illa Dei filium constiterit his verbis nobis proponit. Sed Paulus etiam in omnibus nos vult gratias agere. *Ephes.5.* Et D. Hieronymus nos hortatur, vt cum Iobe etiam in aduersis DOMINO gratias agere discamus. In hanc *Hieron.in Epist.ad Ephes.* ergo curam omnibus incumbendum est, vt nos hoc loco Psaltes hortatur, vt verè grati memoresq; beneficiorum DOMINI sint. Etenim si rectè dixit Seneca, beneficiorum memoriam senescere non debere, & acceptum beneficium æternæ memoriæ infigendum, quomodo obliuisceremur eius beneficij maximi, quòd à seruitute peccati & Diaboli liberati, nunc serui DOMINI sumus, imò verò filij, qui clamamus Abba Pater. Sed in eo studio potissimum elaborare de- *Seneca lib. de beneficijs.*

bent

bent,ſi qui ſtant in domo DOMINI,quos Deus ad gubernacula Eccleſiæ ſedere voluit, nam illi omnibus rationibus cæteros inuitare ad gratiarum actionem debent, & exponere, quàm multæ & magnæ cauſæ ſint, quæ perſuadere nobis veram gratitudinem debeant, de quibus ſuprà diximus. Et præterea vt intelligant,id quod præclarè ſcripſit Auguſtinus,nihil melius cogitari,dici, aut ſcribi poſſe,quàm DEO GRATIAS, eo nihil audiri lætius, nec intelligi gratius,nec agi fructuoſius poſſe. Nam ſolet DOMINVS agnoſcentibus & prædicantibus elementiam diuinam cumulare dona,quæ dedit,econtra autem auferre ab ingratis,quæ nō agnouerunt: ita in Oſea minatur Iſraëlitis, ſe ablaturum ab ipſis bona, quia non grati animi memoriam cum iſto beneficio coniunxerint. Et Chriſtus in parabola Euangelica à ſeruo ingrato iubet auferri talentum,quod neglexerat,& ingratus erga DOMINVM extiterat:& addit: Omni habenti dabitur:& abundabit: qui verò non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo. Nam ſunt multi qui cum videant ſe non iis donis,quibus alij ornatos, ingrati DOMINVM accuſant: nec hoc agunt, vt ſuam quod dicitur ſpartam ornent, ab iis DOMINVS ea etiam quæ largitus eſt aufert. Et merentur ſanè ingrati illi,vt DOMINVS ab ipſis dona ſua auferat, quia prius non vident quàm liberalis in ipſos DOMINVS ſit, quàm ſua bona eminus conſpiciant, & cum deſiderio amiſſa requirant, de qua re egregiam ſimilitudinem habet Baſilius: Ἐπὶ δὲ χαρᾶ πρακειμένων τῶν ἐκ θεοῦ ἀγαθῶν οὐκ ἐνχαριστοῦμεν, ἀναγκαίκ ἡμῖν ἡ ἀφέρεσις διὰ τὴν ἀλύπησιν γίνεται. ὥσπερ γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ τὸ ἄγαν προκείμενον οὐχ ὁρῶσιν, ἄλλα δίε-

Epiſt 77. ad Marcellinum.

Matth.25.

ονται

σται συμμέτρου ζωὸς ἀχρσάσεως. οὕτω καὶ αἱ ἀχάριστοι ψυχαὶ ἐοίκασιν, οὐ τῇ ἀλλοτριώσει τὴν ἀγαθῶν. τῆς πρελθούσης χάριτος ἐπαισθάνεσθαι, ὅτε γὰρ ἀπέλαβον τὴν χρησοτέρων δὲ μίαν χάριν θεοῦ δεδωκότι γινώσκοντες, μετὰ τῶν σέρκοιν δ' πρελθὸν μακαρίζουσι, id est. Quia eorum bonorum quæ Dei clementia nobis assunt, grata mente memores non sumus, necessaria est eorum ablatio, vt ea agnoscere incipiamus. Nam vt oculi id quod nimis prope admouetur non vident, sed indigent idoneo interuallo: sic etiam ingratæ animæ se habere videntur, in alienatione primum bonorum, præteritam gratiam sentientes, quando enim amiserunt ea bona, pro quibus Deo grati non fuerunt, post ablationem id quod iam abijt prædicant & beatum dicunt. Hactenus ille. Itaq; si augmenta donorum impetrare, & vitare eam quę ingratitudinis pedissequa est pœnam voluerimus, dona Dei omnia agnoscamus, prædicemus, & vicissim nostram gratitudinem omni studio declaremus.

Sed ratio eius vera quę Deo probetur etiam his versibus præscribitur: vt in sancto manus attollamus. Sanctum autem olim erat templum vbi & arca, illic inuocare DOMINVM Hebræi iubebantur, & si quid accidisset læti, sacrificare & gratias agere, ita quoq; nos tum nostram gratitudinem Deo approbabimus, cum per Iesum Christū Sanctum Sanctorum gratias egerimus, hoc est, agnouerimus nos omnia ex mera misericordia, quam nobis ipse impetrauit accipere: imo verò cum quotidie illud eminens & eximium beneficium quod in Christo nobis obtigit prædicaueri-mus, ita enim reliqua omnia nobis adijcientur, & accepta erit gratiarum actio. Nam Pharisæus ille etiam

gratias DOMINO agebat, sed cum fontem omnis clementię Christum non agnosceret,& suis donis se magnificè efferret, contempto publicano, omnem amisit gratiam & fauorem DOMINI. Econtra Publicanus ad solam Christi misericordiam confugiens, iustificatus domum abijt. Ergo cum aut pro Spiritualibus, aut externis bonis gratias agimus, in sancto id faciamus, agnoscentes omnia à Christo omnis misericordiæ fonte,proficisci. Deinde etiam si animus ad gratitudinem veram ita fuerit institutus, licebit etiam corporis gestu eam declarare, vt ad pietatem nos totos componamus. Vt enim in agnitione donorum DOMINI, memoria maximorum beneficiorum efficit, vt submisso humilíq; animo gratias Deo agamus, ita corpus etiam indicia suæ gratitudinis dare solet, id quod fieri consueuit cum & caput inflectimus, aut genu flectimus,aut manus ad cœlum attollimus, viua etiam voce,DOMINI beneficia prædicamus: quibus etiam accedere debent veræ & Christianæ virtutes,testes animi, gratitudinisq; nostræ, nam vt D. Chrysostomus & Basilius testantur,tum verè gloriam DOMINO tribuemus, quando opera nostra luxerint coram hominibus, vt ea videntes glorificent patrem qui in cœlis est.

Chrysost. in Epist. ad Rom. Bsiaλ. ὡς κ.τ. Φαλ.

3. *Benedicat te DOMINVS ex Sion, qui fecit cœlum & terram.*

Secunda pars Psalmi,in qua alter chorus respondet (qui vt dixi fortasis Leuitarum fuit) & precatur toti Ecclesiæ à DOMINO omnis generis benedictiones, quas

quas intelligit per benedictiones Zion. Nam vt supra Psalmo 128. dictum est, benedictiones Sion præcipuè significant promissiones spirituales, quas DOMINVS promisit Ecclesiæ, possunt tamen intelligi etiam externæ. Addita autem est cõiectura quod DOMINVS illa bona Israëli sit largiturus. Primum, quia mentio fit Sion, per quam intelligit promissiones factas Hebræis, quæ certè fallere non possunt, & referenda sunt ista ad locum voluntatis. Deinde altera coniectura est à Dei potentia, benedicat tibi qui creauit cœlum & terram, quæ facultatem probant in hunc modum.

Nos vicissim vobis Israëlitæ precamur vt DOMINVS vos cumulet benedictionibus spiritualibus & corporalibus, quod sanè facturum eum minimè dubitare debetis, quia non negabit id quod toti Ecclesiæ suæ, quam Sion vocamus pollicitus est. Deinde autem non deest ei ad protectionem Ecclesiæ suæ facultas iuuandi, cum cœlum hoc amplissimum, & totum terrarum orbem creauerit, hodie gubernet & conseruet, is ergo qui omnium rerum gubernator, creator, & DOMINVS est, vos omnipotenti sua manu protecturus est. Cum de promissionibus aliàs sæpè dictum sit, & de bonis ex Sion Psalmo 128. egerimus, de maiestate autem & potentia DOMINI duo sequentes Psalmi concionentur, paucis iam vsum Psalmi proponamus.

VSVS HVIVS PSALMI.

D. Paulus Ephesijs scribens præcipit, vt semper gratias agamus DOMINO & quidem de omnibus: & *Ephes. 5.*

idem Apoſtolus priore ad Theſſalonicenſes capite vltimo vult nos ſemper gaudere, indeſinenter orare, in omnibus gratias agere. Hoc etiam Pſalmus hic breuis monet, vt omni ſtudio, cura & diligentia ad veram gratitudinem nos adſuefaciamus. Addit etiam rationes quibus moueri merito debeamus, quas ſupra expoſuimus. Quomodo autem perpetua gratiarum actio & hilaritas poſsit in tanta ærumnarum & calamitatum turba locum habere, egregiè Baſilius tractat in oratione, quam περὶ εὐχαριστίας habuit, in qua locum Paulinum & explicat, & ita ad omnes obiectiones reſpondet, vt nihil tam ingenio elaboratum, tam perfectum induſtria ſit, quod cum ea comparari poſſe videatur. Hanc ergo qui copiam rerum, & ſplendorem verborum amant diligenter legant.

Pſalmus 135.

Halleluia.

Laudate nomen DOMINI &c.

Vod Pſalmus ſuperior paucis verbis propoſuit, Deum laudandum ac gratias ei agendas, deinde ab eo expectandam benedictionem, id copioſè in hoc, quem in manibus habemus, explicatur. Ita vt ſit inſtar breuis conciunculæ, qua rudiores erudiri poſsint, quare

celebrandus

celebrandus DOMINVS, quare ei gratiæ agendæ sint. Id quòd titulus etiam Psalmi docet Halleluia, quo ostenditur, hoc carmen de laudibus diuinis scriptum esse. Ponit autem duas causas laudationis, quod sit omnipotens, deinde quod bonus & clemens erga suam Ecclesiam. Hanc autem prædicationem laudum DOMINI, amplificauit Antithesi idolorum, quæ nec vires vllas habere, nec benefacere suis possunt. Postremò, cum rationibus istis luculenter probasset, DOMINVM dignum, qui solus extollatur, Psalmum claudit peroratione, in qua omnes ad laudem & celebrationem eius cohortatur.

1. *Laudate nomen DOMINI, laudate serui DOMINVM.*
2. *Qui statis in domo DOMINI, in atrijs domus Dei nostri.*

Duo primi versus habent propositionem & exordium Psalmi. Propositio est, laudandum esse DOMINVM, vbi Synonymia vsus est, nam nomen DOMINI, & DOMINVM laudare, prope eadem sunt: nisi quod nomen DOMINI potissimum intelligitur, de gloria & fama DOMINI, quam in hoc Psalmo vult laudibus extollere. Ad exordium refero, quod sermonem suum conuertit ad seruos DOMINI, quos vt supra diximus, decet DOMINVM suum magnificare, præsertim cum ad eam functionem homo sit creatus. Intelligo autem per seruos, omnes homines, quia in peroratione non ad solos sacerdotes, sed omnes qui timent DOMINVM adhortationem instituit. Versu secundo,

id quod in genere dixerat subdiuidit, quos nam intelligis seruos DOMINI? Eos, inquit, qui stant in domo DOMINI, hoc est, Sacerdotes & Leuitas, & qui in atrijs domus Dei nostri versantur, illic autem non soli sacerdotes, sed plebs & Proselyti erant, præsertim ij, qui propter continuas preces raro à templo discedebant. Non autem ociosum est, quod addit, domus Dei nostri: vult enim eos commonefacere, quo loco versentur, videlicet sanctissimo, vbi Deus præsens sit, & is Deus, qui clemens est & preces ac laudes vult exaudire, quod per pronomen emphaticum NOSTER intelligit, itaq; eos habere occasionem laudandi Deum. Præterea officium & locum eos admonere, quid deceat, cum templum illud destinatum sit, precibus & laudationibus DOMINI. Explicemus ea quæ diximus Paraphrasi.

Ad laudem & celebrationẽ nominis & gloriæ DOMINI Dei nostri, omnes qui seruos vos ipsius libenter confitemini adhortor: quomodo enim non hoc quod tanta facilitate præstare potestis vltrò faceretis, cum intelligatis nos totos ad omnia ipsius obsequia obstrictos? Et primum quidem vos Sacerdotes & Leuitæ, qui in Sacrosancto illo DOMINI templi ad operas Ecclesiasticas parati semper accinctiq; statis, existimabitis hanc curam ad vos imprimis pertinere: non modò vt ipsi quod decet faciatis, sed ad imitationem cultus tam necessarij inuitetis cæteros, hoc à vobis officij vestri ratio, pietatisq; requirit. Sed ad vos quoq; mihi sermo est, qui in atrijs domus DOMINI versamini, Hebręi & Proselyti. Etenim intelligitis quo loco constiteritis & quare frequentes huc conueneritis in domum

mum DOMINI, qui locus ad fundendas preces & laudem omnipotentis Dei amplissimus vobis videri debet. Nam DOMINVS luculentis promissionibus Dauidi & Solomoni factis, deinde etiam miraculis, quæ in dedicatione huius templi cum admiratione omniū ostendit, suam præsentiam probauit, se Deum nostrum, protectorem patrem pollicitus est. Hoc ergo præclarum templum Dei nostri, vel solum persuadere nobis debebat, ne tempus vllum, à celebratione ipsius vacuum dimitteremus. Hactenus Psaltes.

Quid autem, dixerit aliquis, opus est tot formulas proponere, quibus homines inuitentur ad DOMINI laudes? an nō satis esset semel atq; iterum eius rei meminisse? Et iudicant sanè carnales homines, illa esse inanem ταυτολογίαν coniunctam cum molestia legentium aut audientium. Verum nequaquam ita existimandum est: nam Spiritus sanctus βαττολογίαν & inanem linguæ volubilitatem, ipse multis multis locis damnat. Sed cum tot præclaræ commonefactiones ad decantandas DOMINI laudes nobis proponuntur, ostenditur, quantus in pijs mentibus sit ardor, quantum studium in prædicanda Dei Opt. Max. gloria. Natura alioquin sic comparatum est, vt id quo delectamur maiorem in modum, semper nobis in ore sit: sic nauita de ventis (vt Poëta cecinit) de tauris narrat arator, enumerat miles vulnera pastor oues. Sic tractant fabrilia fabri. Solemus inprimis memoriam eorum quos charos habemus, subinde renouare. Verum qui DOMINVM per Spiritum sanctum verè agnouerunt, ij non possunt sibi satisfacere commemorandis DOMINI laudibus, siue hanc rerum fabricam, in qua gratam

gratam famam ſuæ φιλανθρωπίας DOMINVS ſparſit, ſiue alia maiora beneficia perpendant. Etenim vt liberi non facile auelluntur à parentibus, quia ipſorum animos arctiſsimum amicitiæ vinculum coniunxit, quod ſi diſcedere coguntur, tamen perpetuo memoriam parentum circumferunt, ita vt ne dormientes quidem à cogitationibus, gratáq; memoria illa conquieſcant: ſed ſuos per quietem videre, colloqui, exoſculari videantur. Ita piį nunquàm à DOMINO auertunt cogitationes, quem ſciunt dulciſsimum patrem eſſe, qui vitam dederit, & alimenta largiatur, ac hæreditatem vitæ æternæ certo promiſerit. Itaq; ſemper de ipſo loquuntur, ac memoriam ipſius ad vltimos vſque ſpiritus conſeruant. Deinde cum idem Spiritus ipſis non ſolùm dilectionem Dei, ſed etiã proximi indiderit, cupiunt omnes fieri participes eius gaudij, & venire in ſocietatem præclaræ hæreditatis, quæ cauſa eos rurſus mouet, vt ſubinde proximos ſuos ad veram pietatem & gloriam nominis Dei inuitent. Quæ ſane illorum cura per quam neceſſaria eſt. Nam aſtu Diaboli effectum eſt, vt homines ſummorum DOMINI beneficiorum obliuiſcantur, imitatione primorum parentum, qui nec Paradyſi amœnitatem, nec DOMINI bonitatem, qui iamprimum dominium ipſis vniuerſi orbis, & animantium tradiderat, nec certam ſpem æternæ ſalutis patiebantur ſe retinere in officio, ſed quaſi Lætheam obliuionem omnium beneficiorum bibiſſent, ad Diabolum deſciſcunt eíq; ſe totos in ſeruitutem addixerunt. Eadem omnino eſt hodie ingratitudinis & quidem magis prodigioſa ratio. Nam nulla in re minus elaborant pleriq;, quam in meditatione

tione rerum diuinarum, sepulti & vitiorum somno, & cura rerum carnalium, in quas ita oculos defixerũt, vt ad DOMINVM eos attollere nequeant. Ad istum ergo veternum discutiendum, opus est altissima voce piorum, qui non cessent nomen DOMINI ingeminare, cohortari ad verum Dei cultum, & inprimis ad laudem & gratiarum actionem. Itaq; Propheta Esaias clamare & vocem suam vt tubam exaltare iubetur, & Apostolus discipulo iniungit vt tempestiuè & intempestiuè sermonem DOMINI prædicet, arguat, increpet, exhortetur. Et Romanis scribens socordiam hanc hominum discutere conatur, dicens tempus esse vt à somno vitiorum expergiscamur. Cum ergo & Prophetæ & Apostoli toties nos cohortentur ad pietatem, gratiarum actionem & inprimis numinis cultum, reuerentiam, & celebrationem, nunquam committamus, vt ad tot illorum commonefactiones surdi simus, sed nostras laudes cum illorum coniungamus, vt aliquando in æterna vita consortes & gaudij & pulcherrimi illius concentus Angelorum & Sanctorum, qui totus in laude DOMINI consumitur, esse possimus. 2. Tim. 4.

3. *Laudate DOMINVM quia bonus DOMINVS psallite nomini eius quia suaue (aut iucundum.*
4. *Quoniam Iacob elegit sibi DOMINVS & Israëlem in peculium sibi.*

Prima ratio cur Deus ab omnibus laudandus & prædicandus sit. Quia bonus est & clemens, quod per Epexegesin aut expolitionem repetiuit, nomen DO-

MINI esse suaue & iucundum. Nomen DOMINI pro gloria sumitur, & rebus gestis DOMINI, quæ consi derare iucundum & suaue est, nam non tam potentiæ quàm bonitatis plenæ sunt. Versus quartus est con firmatio huius rationis, DOMINVM suam bonitatem maximè eo indicio probasse, quod Hebræos elegerit præ omnibus populis orbis terrarum vt essent Eccle sia ipsius, eamq; maximis beneficijs affecerit. Sed ista more Prophetico proponuntur. Nam nomine Iacobi
Gen. 32. qui & Israël propter insignem cum angelo DOMINI luctam appellatur, totum populum intelligit, qui à Patriarcha nomen accepit, vt ijdem & Israëlitæ & He bræi sint, quamuis sæpiusculè pro decem tribubus ac cipiatur. Deinde verbum elegendi est emphaticum: intelligit enim DOMINVM neglectis alijs populis in numeris, hunc sibi delegisse. Et hanc emphasin mox alio vocabulo illustrat cum populũ Hebręũ vocat pe culium DOMINI. Magna autem est emphasis in illa voce סגלה Segulo enim, quod nos peculium vertimus, significat id, quod Græci vocant κειμήλια: res precio sas, quæ in thesauris deponuntur, & asseruantur vul go Clinodia appellantur. Cum autem hoc loco non populum Hebræum, sed DOMINI bonitatem prædi cet, non vult dicere, populum istum dignum fuisse, quem DOMINVS ex tot nationibus & populis eximi um haberet, sed tantam fuisse eius bonitatem & cle mentiam, vt eos ex mera misericordia eligeret, & ita asseruaret & tueretur, vt homines solent thesauros, & ea quæ in delitijs habent custodire. Ergo duorum ho rum versuũ hæc est sententia: Merito laudandus DO MINVS est, quia optimus est & clementissimus, & re cordatio

cordatio nominis & rerum ab ipso gestarum, iucunda est & consolationis plena. Quanquam enim benignitatis eius tot sunt specimina, quot creaturæ, cœlum & terra summam & ineffabilem eius bonitatem prædicant, tamen nullibi luculentior est misericordiæ significatio, quàm in electione populi Iudaici, eum enim non propter virtutes aliquas, aut quod inter cæteras gentes emineret, sed propter vnam & solam misericordiam suam elegit, patres in eo excitauit præclaros, inter quos est Iacobus qui & Israël, quod cum DOMINO luctatus sit, à quo totus populus celebritatem nominis accepit. Porrò hunc populum non solùm elegit, sed eum defendit, protexit, charumq; habuit, vt solemus κειμήλια & præciosissimos thesauros. Quanquam enim omnes ferè propinqui populi contra hunc vnum coniurassent, armis infestis eos peterent, vires coniugerent, tamen DOMINVS eum ex periculis omnibus asseruit, & docuit se esse murum igneum in circuitu populi sui, seq; illum non armis & apparatu bellico sed angelorum præsidijs contra omnem vim & impetum hostilem protegere. Quomodo autem suã bonitatem maiore & certiore indicio probare potuisset?

Cum multa (inquit) sint variaq; clementiæ & bonitatis DOMINI erga nos miseros mortales indicia, tamen Prophetæ & sancti, id inprimis prædicant, quod in hoc mundo ex multis paucos quosdam sibi colligit, & Ecclesiam suam esse vult, inq; delicijs habet, nec aliter quàm pręciosissimas gemmas habet, asseruat, tuetur, ex periculis eripit, & tandem æterna beatitudine donat. Primùm enim nullam apud homines, quam

iudicij æternæq; damnationis materiam inuenit. Su-
Epheſ.2. mus enim omnes natura filij iræ, & propter concupi-
Rom.8. ſcentiam inimici Dei. Deinde cum omniũ hominum natura par ſit, eademq; & condemnatio & miſeria, ſummum eſt Dei beneficium, ex peſsimis quoſdam e-ligere quos ſuo fauore amplectendos iudicet. Quod beneficium D. Apoſtolus Patriarchæ Iacobo, quem hoc loco Dauid celebrat, contigiſſe dicit, quod ante-quam aliquid boni feciſſet, Eſauo prælatus ſit, nullo quam miſericordiæ Dei reſpectu. Accedit autem ad hanc clementiam & aliud beneficium, quod nõ ij om-nes quos verbo ſuo inuitat beneficium agnoſcunt, multi enim vocati pauci electi, & tamen DOMINVS non ideo abijcit reliquos, ſed in turba eorum, qui in-grati immemoresq; , beneficiorum DOMINI ſunt, ſuos inuenit. Nouit enim DOMINVS qui ſint ſui. Præterea ne hi quidem, quos ſua paterna cura indul-gentiaq; dignatus eſt, ſuis virtutibus DOMINO ſatis-faciunt, nam multa admittunt carnis imbecillitate, nonnunquam etiam grauius prolabuntur. Quod er-go eos DOMINVS non abijcit ſed ab errore reuocat, à caſu erigit, & ſubleuat id ſolius eſt gratiæ & bonita-tis diuinæ. De beneficijs autem alijs quæ DOMINVS in Eccleſiam ſuam confert poſtea dicetur.

5. *Quia ego noui, quod magnus eſt DOMINVS & DOMINVS noſter præ omnibus Dijs.*

6. *Omia quæcunq; voluit DOMINVS fecit, in cælo & in terra in mari & in omnibus abyſsis.*

7. *Educens nubes ab extremo terræ, & fulgura cum pluuia fecit: qui producit ventos de theſauris ſuis.*

Accedit

Accedit Propheta ad ſecundum caput laudationis, quod à DOMINI potentia ſumptum eſt. Deum eſſe potentiſsimum ergo laudandum. Vno autem & grandi verbo potentiam diuinam deſcribit, dicens DOMINVM eſſe magnum: non quantitate, ſed virtute & maieſtate vt Patres loquuntur. Acceſsit autem Antitheſis, nam opponit verum Deum & idola, ſed illam poſtea eſt copioſius explicaturus, cum inſtituet picturam & architecturam idolorum. Quod autem DOMINVS potens ſit, & magnus, probat primum aſſeueratione NOVI quod magnus DOMINVS. Etſi enim aſſeueratio inter ornamenta Rhetorica ponitur, tamẽ vim etiã probationis habet teſtante Fabio: Quod inprimis locum habet quando DOMINI Spiritus loquitur. Deinde potentiam eius etiam probat argumento, quia is eſt potentiſsimus, qui quæ quod vult facit. DOMINVS autem omnia quę placet facit ergo omnipotens eſt. Hoc argumentum cõfirmat partium enumeratione, quia quæ vult facit in cœlo, in terra, in mari in abyſsis, & in ijs quæ ſunt in medio cœli & terræ vt in meteoris, in quibus magna miracula & indicia maieſtatis diuinæ conſpiciuntur. Illa rurſus in ſuas partes diducit in nubes, fulgura, ventos. Theſauros ventorum vocat quod ſint cauſæ illorum abſconditæ, vt Theſauri qui reconduntur & interdum in terram defodiuntur. Deinde magnum miraculum eſt, ex nubibus, quæ aqueæ ſunt, micare flammas: poſtremo quæ vult facit inter homines, quia potentiſsimos reges ſubegit, & deiecit, vt conſuleret Eccleſiæ ſuæ. Sed nunc adijciamus paraphraſin.

Quis dubitauerit ſummas nos laudes debere DO-

MINO Deo noſtro, cum certo ſciam, & inficias ire nemo niſi inſanus poſsit, eum eſſe non Optimum ſolum (de quo iam eſt dictum) ſed etiam Maximum & Omnipotentem: cum quo gentilium diȷ̃ fictitiȷ̃, ne comparari quidem debeant, qui nullas vires, nullam iuuandi alios vim habent, de quibus poſtea dicetur. Nam omnia quæ voluit in cœlo, terra, mari, & profundiſsimis eius voraginibus efficit, cum omnia initio ex nihilo creauerit & nunc ſuo nutu regat & gubernet. Qui non ſolum in his quæ ſtabilia & firma ſunt, ſed in quadam vt videtur materiæ mobilitate verſantur, ſua miracula & potentiam probat. Quantum enim vel ſolæ nubes admirationem nobis afferre poſſent (ſi nõ aſsiduitate illa apud nos vileſcerẽt) quod ab extremo orbe ſurgentes, in aẽre tanto miraculo ſuſpenduntur, vt non decidant, ſed liquatæ ſolis ardore, ſeſe in gremium matris hoc eſt terræ effundant. Quis fulgurum explicet rationem, quæ inter aquas ipſas coruſcant, & cum aliâs nulla ſit maior quam aquæ & ignis contrarietas, tamen flammas ex ipſis nubibus quando nimbis ſunt & imbribus grauidæ, coruſcare videmus, interdum cum vehementius exprimuntur, non ſolùm attonitos reddere homines, ſed in fulmina conuerti, & firmiſsima quæq; afflatu ſuo perumpere, nonnunquam etiam incendere. Iam verò ventorum quam reconditas opes & quaſi theſauros habet, nam cum eos nec videre poſsimus nec vnde exiſtere ſoleant ſciamus, tamen quanta eorum ſit vis quotidie experimur. In his ergo & ſimilibus quis non dixerit potentiam diuinam quaſi illuſtribus coloribus expreſſam & depictam eſſe?

D. Au-

D. Augustinus ea quę hoc loco à Psalte proponuntur egregiè expresit in enarratione Psalmi 16. Circumeat (inquit) animus tuus per vniuersam creaturam: vndiq; clamabit tibi creatura. Deus meus fecit, quicquid te delectauerit in arte, artificem commendat: magisq; si circumeas vniuersa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cœlos, magna opera Dei sunt, vides terram, Deus fecit seminum numeros, diuersitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos vsq; ad terram, nihil relinquas: vndiq; tibi omnia resonãt conditorem, ET IPSAE SPECIES CREATVRARVM VOCES SVNT QVAEDAM CREATOREM LAVDANTIVM. Hæc Augustinus: quibus nos ad accuratam meditationem creaturarum deducit ac hortatur (quod hoc loco Propheta facit) vt cœlum & terram perlustremus audientes vocem creaturarum explicantium Dei maiestatem. Sed in ea contemplatione ita sibi non satisfacit Basilius, vt dicat se admiratione creatarum rerum ita iactari, ac si in mari esset & metuere se, ne si ea miracula, quæ in terris sunt, explicet, rursus confugiat ad mare, sicut Ionas. Neq; enim vna ratione DOMINVS in rebus creatis suam nobis maiestatem demonstrauit. Nam si quis cœli illam amplitudinem, terræ marisq; magnitudinem consideret diligentius, an non ex ipsa fabricæ præstantia æstimabit opificem? Quod Esaias etiam secutus, cum maiestatem DOMINI omnibus hominum conatibus, qui aduersus pios insurgunt, opponeret, intueri nos iubet immensum illud cœlum & terram, quæ cum DOMINI potentia consient, non esse trepidandum ad minas hominum, qui

flosculis

floſculis & fœno propter fragilitatem & imbecillitatem ſuam comparandi ſint. At verò multitudo etiam varietasq; ſpecierum, vt ſupra ex Auguſtino citauimus, DOMINI infinitam potentiam, inexhauſtas diuitiasi, nperſcrutabilem ſapientiam prædicat. Eſt & illa non minor declarandæ potentiæ diuinæ ratio, vt primum à creatore legibus quaſi quibuſdam naturæ aſtricta ſunt, ita in iiſdem permanent, nec turbatur is ordo, qui ſemel opifici placuit. Quod enim cœlum celerrimo motu totum vniuerſum ambit, quod ſuo loco Elementa conſiſtunt, inprimis quod terra in media mundi ſede locata, & ſuis quaſi librata ponderibus vndiq; in ſeſe nutibus ſuis conglobata quieſcit, id quamuis naturæ aſcribatur à Philoſophis, qui dicunt terram ſua vi nutuq; teneri, nec ſtationem ſuam poſſe deſerere, niſi naturæ ille ordo pulcherrimus perturbetur, tamen videmus illam totam laudem DOMINO naturæ deberi. Nam quod Elementa illas ſuas leges ſeruant, id omne ad potentiſsimam illam gubernationem pertinet quæ labefactari nō poteſt. Itaq; magnus ille Theologus præclarè ſcripſit à legibus illis naturæ, & rationibus, quas intelligentia noſtra aſſequimur oculos eſſe ad creatorem vertendos, Cuius ſapientia potentiaq; omnia conſiſtant: τούτων (inquit) ἂν σοι δοκῶσι πιθανὰ εἶναι τὴν ἐξαμβλυνον ἐπὶ τὸν ὄντα ταῦτα διαταξαμένου θεοῦ σοφίαν, μετάθες θαῦμα. ὁ γὰρ ἐλαττόται ἢ ἐπὶ τοῖς μεγίσοις ἔκπληξις, ἐπαδὰν ὁ τρόπος καθ' ὃν γίνεται τι, τὴν παραδόξων ἐξευρεθῇ. Hoc eſt: Hæc ſi veriſimilia tibi videntur, propter ea, quæ dicta ſunt: admirationem tuam conuerte ad eam, quæ iſta ſic diſpoſuit Dei ſapientiam. Neq; enim in maximis rebus minuitur admirabilitas,

mirabilitas, quando modus quo ea quæ contra opinionem omnium fiunt inuenitur. Dixerat de terræ loco & rationes Philosophicas addiderat quomodo terræ sedes in medio immota maneat. Sed vult non minus in his admirandam DOMINI sapientiam & potentiam conspici, quam in reliquis quorum causas ignoramus. Multa tamen sunt in rerum natura, quæ tantæ sunt admirationis, vt omnem nostram intelligentiã effugiant. Neq; enim quis causas explicare poterit, quare magnes ferrũ attrahat, Adamas autem iuxta positus, non patiatur attrahi. Quæ fontium & aquarum miracula, herbarũ vires. maris reciprocationes, quorundam locorum incendia & multa alia, quæ ipse Plinius Ethnicus diuinitus contingere dicit. Nec quærendam in vlla parte naturæ rationem, sed voluntatem. In his etiam quorum causæ ignorantur Propheta numerari vult meteora. Quanquam enim horum causas assignare Aristoteles conetur in libris μετεωρῶν, tamen ipse fatetur, non esse in eis libris exquisitam ἀκρίβειαν, quæ in reliquis. Et sanè in multis quæ Philosophi sollicitè tractãt, videmus eos & ingenio & intelligentia deficere. Sunt etiam in his satis multa, quæ ipsi coguntur fateri miracula esse. Facilè sanè est cum Cicerone & Aristotele imaginari exhalationes quasdam è terra in sublime ferri, & nubibus includi, postea vehementius elisas efficere id quod fulmen vocamus. Sed quę potest assignari ratio quod per tantum interuallũ eam penetrandi, dissipandi, lædendi vim & quidem tam variam fulmina habent. Nam alia quidem cum ignea delabuntur, nõ adurunt, alia dissipant duntaxat, alia dolia exhauriunt intactis operimentis, alia aurum

Plin. Nat. hist. lib. 37. cap. 4.
Plin. lib. Nat. hist. 2. cap. 103. & lib. 31. cap. 2.
Idem lib. 24. cap. 17.
Plin. lib. 37. cap. 4.
Plin. lib. 2. cap. 51.

æs argentum liquant intus sacculis ipsis nullo modo ambustis & ne ceræ quidem confuso signo, vt Plinius ea de re scripsit. Etsi autem Aristoteles horum quoq; rationem assignare conatur, tamen videmus quam non satisfaciant lectori. Scribit in Meteoris lib. 3. cap. 1. Fulmen propter essentiæ tenuitatem ferri & ob motus celeritatem ante penetrare quam aduret, itaq; ea quæ obsistant, quippiam pati solere, ea verò quæ non, tuta esse. Ita æs quo scutum integebatur liquatum fuisse, lignum verò non fuisse lesum. Nam propter ligni raritatem Spiritum prius percolatum atq; transmissum, quam lignum affici vllo pacto quiuerit. Verum quis non videt, si maxime ea quæ de Spiritus tenuitate & penetratione dixit vera sint omnia, non potuisse tamen lignum tutum esse à materia illa æris crassiore, quæ liquata id adussisset, præsertim cum nullo interuallo cum eo coniungeretur. Ascribamus ergò hæc, sicut & cætera potentiæ DOMINI qui quod vult facit in cœlo & in terra. Nubium sanè nulla nobis videntur esse miracula, cum credamus vapores cogi & ventorum vi agitari, At DOMINVS ipse ostendit suo verbo teneri nubes ne decidant, cum interdum patitur eas delabi, vbi quanta vis sit earum intelligimus, & miraculum illud nubium Dauid expressit Psalmo 33. Congregans sicut in vtre aquas, ponens in Thesauris abyssos. Iam verò cum in ijs quæ in mobilitate summa materiæ consistunt, tantam habeant potentiæ & maiestatis suæ ostensionem, quam eius potentiam existimabimus quãdo reuera eam exercere voluerit, cum virtutes cœli commouebuntur & Elementa liquescent.

8. *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsq; ad iumentum.*
9. *Misit signa & prodigia in medio tui Ægypti, in Pharaonem & in omnes seruos suos.*
10. *Qui percussit gentes multas & occidit reges fortes.*
11. *Sihon Regem Amoreorum, & Og Regem Basan & omnia regna Canaan.*

Postquam ex ijs quæ in cœlo, terra, mari maiestatẽ DOMINI ostendunt, demonstrasset, DOMINVM facere quæ velit vbiq;. Nunc etiam eandem eius potentiã probat, quia inter homines & eos quidem potentissimos suis miraculis doceat se omnia pro suo nutu gubernare. Vsus autem est duplicibus exẽplis: primò ijs, quæ in Ægypto, deinde etiam quæ cum introduceretur populus in terram Canaan contigerunt. Notæ autem sunt historiæ, quas hîc citat: itaque quatuor hos versus breui interpretatione persequemur.

Vt autem tota hac mundi fabrica DOMINVS præclarè docuit, se & potentissimum esse & omnia summa admiratione condidisse & administrare, sic eadem eius potentia maximè elucet in his, quæ inter homines gessit: Maximè verò cum suum populum à grauissima seruitute Ægyptiaca assereret, & introduceret in terram promissam. Notum enim est quomodo vna nocte, misso angelo interfectore, omnia primogenita & hominum & iumentorum in tota Ægypto extinxerit. Nec potes ignorare Ægypte, quantis miraculis impium Pharaonem & omnes eius aulicos exercuerit, & tandem in mari rubro suffocarit. Deinde cum populus Hebræus duceretur in Palestinam

Vide Exodum à 7. cap. vsq; ad 15.

& multi potentiſsimi Reges & populi ſummis ſe viribus ei opponerent, tamen à DOMINO repulſi, Reges occiſi, maximi exercitus fuſi fugatíq; ſunt: inter quos (vt alios prætereamus) fuit Sihon Rex Amorrheorum. Nam cum Hebræi ab eo duntaxat tranſitum per eius regionem petijſſent, & ita non cuperent ei eſſe graues, vt non ſolùm commeatum: ſed aquam etiam emere vellent, tamen aditu regni ſunt prohibiti, & Rex coacto ingenti exercitu ſeſe ipſis oppoſuit, quem tamen DOMINVS potenti ſua manu profligauit. Nam exercitus Regis cæſus fugatuſq;, vrbes omnes ſubactæ, regnum vniuerſum in deditionem Hebræorum venit. Eadem poſtea Rex Baſan cui nomen erat Og expertus eſt. Quid multis? omnes Reges terræ Canaan populíq; opulentiſsimi potentiſsimíq; inde eiecti ſunt, quę quantis miraculis, quanta & quàm luculenta demonſtratione potentiæ Dei facta ſint, notum eſt omnibus, nemo ergo poteſt dubitare DOMINI potentiam infinitam eſſe, eumq; merito omnium voce & celebratione extollendum. Nemo miretur Prophetam, poſt accuratiſsimam deſcriptionem potentiæ diuinæ, ſumptam ex naturalibus, & tam præclaro mundi opificio ſibi non ſatisfacere, ſed ad ea tranſire, quæ DOMINVS inter homines facit. Quanquam enim amplitudo cœli & terræ tantum non loquitur, de omnipotentia DOMINI, tamen tanta eſt hominum cæcitas, vt ij qui ſapientiæ nomine clari habiti fuerunt crediderint, hunc mundum aut fortuitis concurſionibus cohærentium inter ſeſe atomorum conflatum eſſe, aut certè fuiſſe æternum, alij alias ea de re opiniones habuerunt. Iam verò perpe-

tuum

tuum illum & constantem de qua diximus rerum in hoc orbe ordinem, non tam prouidentiæ gubernationisq; diuinæ, quàm naturæ ascripserunt, obliti interim DOMINI omnia mouentis & disponentis, pro voluntate sua. Etsi autem Apostolus testatur eos inexcusabiles esse, propterea quod inuisibilem Deum ex ijs quæ oculis intuebantur cognoscere debuerint, tamen DOMINVS, ne aliquis impijs ad excusationem prætextus relinqueretur in ijs quæ viribus humanis & προκοπῇ geruntur, planè ostendit, naturarum non esse rerum dominam: sed mentem aliquam æternam gubernatricem & rectricem omnium, præsidere. Ideo sæpè maximos exercitus, passus est ad internecionem cedi, & econtra inermes de armatis, paucos de plurimis, victoriam reportare, ne illi ad naturæ nomen consuetum confugerent, quæ diuini auxilij ratio, tam clara & expressa fuit, vt Ethnica cæcitas quamuis verum Deum non agnosceret, aliquid tamen viderit, & fuerit coacta confiteri numen quoddam esse, quo illa conficerentur, cum aliâs naturæ ratio ferat, vt numerosus exercitus exiguum, multi paucos superent. Ac sic etiam de cæteris iudicabant, vt si quis præter opinionem omnium ad honores eueheretur, alius ex pauperrimo diues, ex miserrimo felix fieret. Hinc multitudo illa Deorum nata est, vt nulla res esset quam homines expeterent, cui non aliquod numen præficerent. Alij autem fortunam dominam omnium facerent. Hinc superstitiones variæ & multiplices extiterunt. Nam cum tanta esset lux potentiæ & gubernationis diuinæ, vt cæcorum etiam oculos moueret, euenit illis quod vespertilionibus, quæ noctu conspe- *Rom. 1.*

cto lumine, circumuolitant trepidæ, ad parietes obuios impingentes, sæpè etiam adurentes alas, seq; ipsas in terram præcipitantes: ita viderunt Gentiles numen ijs rebus adesse, quas non poterant ascribere causis naturalibus, sed in ipsa re & nomine aberrabant palpantes in meridie & præcipitantes se in exitium & iustam condemnationem: propterea quod Deum
Rom.1. cognouerint eumquè non vt Deum glorificauerint. His manifestissimis indicijs potestatis diuinæ, de quibus diximus, accesserunt etiam omnibus temporibus miracula, quæ cum omnem intelligentiam humanam effugiant, & nullo modo possint tribui, aut viribus nostris, aut naturæ, probant Deum esse, qui ista faciat, ostensurus se non modò regere naturam vniuersam, sed multa supra contraque naturam facere, quod ipsius dominij pulcherrimum est testimonium. Stoici certè qui Deum causis secundis alligabant vinculis quibusdam Physicis & turpi seruitute astringere eum videbantur, quorum impietas hoc Psalmo conuincitur. Nam si à causis secundis, rerum series penderet & perpetuus esset omnium quæ fiunt nexus, nunquam ea aliter haberent. Sed cum multa contra vsitatas rationes fiant, videmus liberrimum esse agens, quod omnia pro sua voluntate disponat.

12. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem ipsi Israël populo suo.*

13. *DOMINE nomen tuum in sæculum: DOMINE memoria tua in generationem & generationem.*

14. *Quia*

14. *Quia iudicabit DOMINVS populum suum, & super seruos suos placabilis erit.*

Aptissimo ordine Psaltes à commemoratione potentiæ Dei transsit ad ipsius bonitatem, cuius supra etiam mentionem fecerat: hîc autem ad eam redit, vt ostendat, DOMINVM semper opera potentiæ suæ coniunxisse cum emolumentis suorum. Nam regna quæ ademit maximis regibus, tradidit populo suo, & quidem hæreditario iure. Deinde iudicat populum suum: quod hoc loco non de seueritate iudicij, sed misericordia intelligendum est, quod suos regat, gubernet & suorum iniurias vlciscatur, Ideo per epexegesin adiecit, seruis suis placabilis erit. Qua in parte latet etiam tacita amplificatio, quod populum indignum fauore suo, tamen iuuet, eíq; consulat. Seruis enim alioquin ad omnia obsequia astrictis nihil debetur. His duobus versiculis inseruit etiã versum quo argumentum claudit: DOMINVM propter ista, æterna memoria & gloria dignum. Sententia ergo verborum Prophetæ ista est.

Cum autem DOMINVS tàm præclara specimina daret suæ potentiæ, & regna potentissima, superbos reges, populos indomitos, suæ potestati subiiceret: id totum cum summis commodis sui populi coniunxit. Nam, regnum illud fluens melle ac lacte, suo populo tradidit, & quidem non ad breuem vsum, sed vt perpetuo eo fruerẽtur, & possessionem eius terrę hæreditariam haberent. Deinde cum hostes sui populi tanta potentia vlciscerentur, plane ostendit, quàm clemens propitiusq; sit suis seruis, qui ex animo veram pietatem

tem ſequuntur. Etenim cum illi perſecutionem pleruncꝫ patiantur, videanturꝙ ab omnibus eſſe deſerti, DOMINVS ius ipſorum perſequitur, & vindictam exigit ab aduerſarijs eorum. Propterea nomen DOMINI perpetuò celebrandum, & memoria gloriæ & bonitatis eius ad omnem poſteritatem propaganda eſt. Et hactenus quidem Propheta.

Sed hoc loco quærat quis: quomodo DOMINI iuſtitia ſalua eſſe poſsit, cum alijs adimit, quod ſuis largiatur? Neꝙ enim in homine liberalitas probatur, quę cum aliorum eſt detrimento coniuncta. Verum de Deo nequaquam ſic iudicandum eſt. Nam cum transfert regna, non aliena rapit: ſed ſua cui vult largitur. Ipſe enim omnium DOMINVS eſt, & homines conſtituit diſpenſatores. Ideo Daniel regi Babylonio dicit *Dan.4.* eum eijciendum, vt inter feras belluas vagetur, donec ſciat, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunꝫ voluerit, det illud. Quemadmodum enim iniquus non eſt, qui ſuam villam aufert à villico, cui eam tradiderat, & locat alteri, ita nulla eſt apud DOMINVM iniquitas, ſi deiectis his, alios extollat. Deinde DOMINVS non temerè & ſine cauſa aufert ſua bona ab hominibus, ſed ab alijs quidem, cum cœperint eſſe ingrati, ab alijs, cum vult eos caſtigare, ne cum hoc mundo pereant, tum etiã quando fidem eorũ & patientiã probare & demonſtrare conſtituit. Poſterioris exemplum eſt Iob, cui DOMINVS omnia adimit, vt eum exerceat, & poſtea maioribus donis cumulet. Prioris ſunt quàmplurima. Reges terrę Canaan eijcit, quia beneficiũ DOMINI non agnoſcebant, colebãt idola, opponebant ſe populo Dei, & multis alijs ſceleribus

ribus seſe polluerant, vt iustissimo Dei iudicio eis deberetur exilium, imò verò æterni cruciatus. Et sanè quanta fuerit Dei etiam erga impios illos indulgentia, ex eo colligere possumus, quod DOMINVS Abrahæ locutus est. Nam cum prædiceret, terram post quadringentos demum annos tradendam populo Hebræo, rationem dilati beneficij addit, quod nondum sint Amorrhæorum (per quos κατ᾽ ἐξοχὴν συνεκδοχικῶς intelligit cæteros reges in terra Canaan, quos in fine capitis enumerat) completæ iniquitates. Quo significare DOMINVS & longanimitatem suam, & quod iudicij sui seueritatem suspendat, donec impij ad summum gradum impietatis perueniant, voluit. Tantum ergo abest DOMINVS à præcipiti & iniquo iudicio, vt ipsi iniquitati tempus pœnæ, & impijs spacium emendationis & quidem satis prolixum concedat. Et quidem reges Chananæos non sine causa, sed propter summam impietatem & improbitatem è sedibus suis eiecit. Sic sub Balthassare Rege Babylonio monarchia transfertur ad Persas, quia & Idololatra erat Balthassar, & vasis templi abutebatur ad cõuiuia, in quo summus erat DOMINI contemptus. Sic à Cyro aufertur monarchia, cum bellum minimè necessarium suscipit aduersus Scythas. Ab Alexandro vero & vita & imperium ablatum est, quia Deum se appellari volebat, & luxui Persico, & ebrietati indulgebat. Eadem ratio & reliquorum regnorum est. Nam cum Romani cæpissent vitijs seſe totos tradere, statim imperium inclinatum est, donec ad imos vsque digitorum pedes, & quidem luteos (vt cum Daniele loquamur) peruenit. Hæc diligenter sunt cogitanda, vt nos ad veram gra- *Gen. 15.*

O titudinem

titudinem accendamus, ne DOMINVS ſua dona, quæ in nos contulit, transferat ad alios. Moueat verò nos in primis exemplum Hebræorum, quanquam enim eis à DOMINO ampliſsima hæreditas terræ Canaan tradita fuit, & ipſi cuſtodes & quaſi antiſtites ſacrorũ conſtituti: tamen cum immemores DOMINI beneficiorum, Euangelium Chriſti perſequerentur, & impuram vitam, quæ impietatis comes eſt, agerent, abiecti ſunt, & tradita ſunt bona cœleſtia & hæreditas æterna, populo qui non erat populus, nobis inquam gentilibus, qui extranei eramus à promiſsionibus diuinis, & digni quos DOMINVS æternis cruciatibus deſtinaret. In hac ergo præclara luce clementiæ bonitatiſq; diuinæ ita verſemur, ne maiores nobis pœnas, quàm Hebræi accerſamus: & Euangelium Chriſti, ac pulcherrimæ illæ conſolationes tradantur alteri populo, qui fructum ferat, & DOMINO ſe verè bonis operibus approbet. Econtra autem ſi tempus viſitationis noſtræ (vt par eſt) conſideraverimus, Deum habituri ſumus propitium, ſicut Pſaltes id commendat verſu 14. Neq; tantum à vi externorum hoſtium nos protecturus eſt, ſed Chriſtus & aduocatus & Iudex iudicabit noſtram cauſam in eo iudicio, quod aliàs formidabile & horrendum eſt, & interceſsione ſua, ita nos commendabit patri, vt hoſtes noſtri Diabolus & peccata nos accuſare non poſsint, ſed euadamus in omnibus tàm externis, quàm ſpiritualibus periculis victores.

15. *Simulachra gentium, argentum & aurum, opus manuum hominis.*

16. Os

16. *Os est eis & non loquuntur, oculi sunt eis, & non vident.*
17. *Aures sunt eis & non auscultant, etiam non est Spiritus in ore ipsorum.*
18. *Sicut ipsa sunt facientes ea, omnis qui confidit eis.*

Postquam propositis laudibus bonitatis & potentiæ Dei, luculenter ostendit, nullum esse ingenij tantum acumen, nullum tantum eloquentię flumen, quod isti rei magnitudini satisfaciat, iam ad extremum antitheſi etiam negocium exornat, ostendens idolorum nulla in suos beneficia extare: nec etiam posse ea iuuare: quia nihil tàm imbecillum, eneruatum, vanum quàm illa sunt. Et habent quidem ista multas partes, quibus ijs, quæ de Deo suprà dicta sunt, opponuntur, sed quia similis locus Psalmo 115. habetur, committendum non est, vt repetitione eorum, quæ isthic dicta sunt, molestiam lectori creemus.

19. *Domus Israël benedicite DOMINO, domus Aharon benedicite DOMINO.*
20. *Domus Leui benedicite DOMINO: qui timetis DOMINVM benedicite DOMINO.*
21. *Benedictus DOMINVS ex Zion, qui habitat in Ierusalem.*

Peroratio in qua cohortatio est, vt omnes celebrent laudentq; DOMINVM: nam ideo institutus Psalmus est, vt DOMINI laudes decantentur. Spargit autem amplificandi gratia negocium in personas. Et postremò claudit Epiphonemate, Benedictus DOMINVS

&c. Supra Pſalmo 115. ſimilem locum habuimus, itaq; nunc de vſu huius Pſalmi pauca dicamus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Multiplex huius Pſalmi & in ſecundis & aduerſis vſus eſt. Nam cum res nobis ex animi ſententia ſuccedunt, affluuntq; diuitiæ, docemur, cui illa accepta referre debeamus, nempe ei, qui omnia ſua potentia regit, gubernat, & qui ſuos diligit: Itaq; laudandus eſt, & laudes non ore tantùm, ſed tota vita exprimendæ ſunt. Turpiſsimum enim eſt, ſi vita moresq; cum profeſsione diſsideant. At in aduerſis, promptiſsimas conſolationes ex hoc Pſalmo habemus. Nam ſi iniuſta vi opprimimur, audimus hoc loco, DOMINVM iudicare ſuum populum, & ſuo tempore vindicaturum eſſe ab hoſtibus. Nec de potentia eius dubitemus, cum certiores nos faciat Pſaltes, DOMINVM omnia facere, quæcunq; vult in cœlo & terra, quod etiam multis exemplis teſtatum fecit. Nulla ergo tanta eſt vis hoſtium noſtrorum, quæ poſsit ſe cum aliqua ſpe victoriæ opponere DOMINO. Quod ſi paupertas, morbus, & aliæ nos ærumnæ premunt, cogitemus eum DOMINVM, qui cœlum & terram gubernat, poſſe iſta mutare, ſicut Pſaltes dixit: Hæc poteſt mutare dextra excelſi. At verò ſi DOMINVS nos ad vltimos vſq; Spiritus in miſeriis calamitatibusq; detinuerit, ſemper de dulci huius Pſalmi conſolatione cogitemus, cum dicit: Propitius erit ſeruis ſuis. Etſi enim ſuæ clementiæ indicia ſæpe in hac vita non vult exhibere, id quod Chriſto, Apoſtolis, Martyribus videmus euenisſe: tamen non

non desperemus. Ideo enim optimos quosq; DOMINVS in hac vita calamitatibus exercet, vt omnes intelligant esse aliam vitam, in qua DOMINVS suos homines sit ornaturus æterna gloria.

Psalmus 136.

Halleluia.

Confitemini DOMINO quoniam bonus &c.

Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν dixit Plato & verè sane. Nam vt rei inutilis vel vna duntaxat repetitio molesta est, ita eorum, quæ vtilia & præclara sunt nulla potest & debet esse satietas: præsertim in sacris, vbi de rebus prestantissimis & ad omnem vitam necessarijs docemur. Sed summa eorum quæ in eis libris traduntur, ea est, vt cognoscãt homines vnum solum Deum verum, & quem ille misit Iesum Christum. Nam qui hæc nouit & vera fide amplectitur, habet vitam æternam: qua meditatione nihil pulchrius, amabilius, præstantius. Si ergo ea quæ ad veram Dei agnitionem pertinent, sæpius repetuntur, mirum nemini videri debet, cum ista quæ ἀμαξας ἡδονῶν nobis afferunt, decies etiam repetita placere debeant. Quod & Psaltes nos docet, cum toties ad veram DOMINI notitiam nos deducit. Duæ autem res sunt quibus illa pulcherrima cognitio absoluitur. Vna vt nouerimus Deum esse Omnipotentem, sapientem, altera vt bonum nos

Ioan. 17.

bisq; propitium. In vtroq; & Prophetæ & Apostoli laborauerunt. Imò verò filius Dei, ideo in hunc mundum venit, vt potissimum alterum illud caput nos doceret, Deum miseris peccatoribus ipso intercessore velle reconciliari. Sed noster Propheta quamuis duobus his Psalmis expressam Christi mentionem non faciat, tamen cum de mundi creatione loquatur, omnia autem per filium facta sint, deinde etiam de beneficijs, quæ in eductione ex Ægypto populo exhibita
1. Cor. 10. sunt agat, Christus autem teste Apostolo eum deduxerit, certum est illa omnia non solum ad patrem sed filium pertinere & intelligenda, de misericordia, quã Deus Pater per filium ab initio contulit in Ecclesiam suam. Hortatur autem Propheta omnes ad celebrationem nominis DOMINI, quam nobis persuadere illius & bonitas & potentia debeat. Verum ita de Dei potentia & sapientia loquitur, vt ostendat ex ipsis operibus maiestatis elucere bonitatem & clementiã DOMINI erga suos. Ideo quanquam per totum Psalmum potentiam & bonitatem coniungit, tamen omnia ferè ad misericordiam eius refert. Multò enim facilius est, credere Deum Omnipotentem, quàm clementem esse. Nam cum homines sibi sint conscij peccatorum, agnoscant etiam, quàm sint miseri & calamitosi, putant se à rerum omnium DOMINO negligi, quemadmodum in hoc mundo vident potentes & opulentos fastidire abiectos & pauperes. A qua opinione vt nos abducat Propheta, ita de DOMINI potentia loquitur, vt eam in ostensione misericordiæ maximè conspicidicat. Et hæc quidem quantum ad institutum Prophetæ attinet dixisse sufficiat. Sed hunc in recensendis DO-

MINI

MINI laudibus ordinem sequitur. Primis tribus versiculis Epitheta DOMINO tribuit, quibus eius maiestas indicatur, & coniungit intercalarem versum de DOMINI misericordia. Deinde in reliqua parte Psalmi potentiam illam Christi cum misericordia coniunctam, probat ex ijs operibus, quæ DOMINI præclara extant in toto mundo, & sunt triplicia. Primùm rerum creatio, Deinde protectio Ecclesiæ, Postremò cõseruatio omnium animantium. Hæc ordine recenset & ita proponit, vt in DOMINO quidem infinita maiestas esse intelligatur, sed quam largiter effundat in declaratione, suæ erga homines & creaturas bonitatis.

1. *Confitemini IEHOVÆ, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*
2. *Confitemini Deo Deorum, quoniam in sæculum misericordia eius.*
3. *Confitemini DOMINO Dominorum, quoniam in sæculum misericordia eius.*

Quæ in verbo cõfitendi Hebræorum sit elegantia, alias est dictum: vtuntur enim eo pro laudare. In hoc ergo cõfitẽdi verbo repetito latet propositio: DOMINVS laudandus & celebrandus est. Adduntur autem duo capita laudationis. Primùm quia est Omnipotens Deus, deinde quia Misericors. Maiestas autem siue opera Dei tribus Epithetis proponuntur, quia est יהוה Iehoua, quod est nomen pertinens ad diuinam essentiã & maiestatẽ. Sic enim Mosi loquitur, Sum qui sum. Deinde alterum vocabulum est אלהים Elohim, quod etiam hominibus tribuitur & iudicem significat

Exo.

Exo.21. &.22. Vſurpatur etiam pro diſs ſiue idolis, vt 1.Reg.9.& alibi. Itaq; cum vocat Deum Deorum, confert eum aut cum idolis, vt ſuperiore Pſalmo dixit Deus noſter præ omnibus Diſs: aut cum omnibus potentibus in hoc mundo, vt ſunt Principes Magiſtratus Iudices. Poſtremo vocat אדני Adone DOMINI pro אדון Adon DOMINVS illa enim heteroſi Hebræi familiariter vtuntur. Tribuitur autem hoc nomen & Deo & hominibus ac idem ſignificat quod vocabulum noſtrum DOMINVS. Hoc nomen Paulus.1. Tim.6. DOMINO tribuit, & Ioannes in Apocalypſi Chriſto. Ipſe reget eas virga ferrea. Et ipſe calcat torcular vini furoris & iræ Dei Omnipotẽtis. Et habet in veſtimento & in fœmore ſuo nomen ſcriptum: Rex regum & DOMINVS dominantium. Quod ideo adieci, vt intelligeretur id quod ſupra etiam attigi illa de Chriſto etiam intelligenda eſſe. Tria hæc nomina leguntur eodem contextu Geneſis 24. Vbi famulus Abrahæ ſic precatur יהוה אלהי אדני אברהם Iehoua Elohe Adoni Abraham, Hoc eſt, DOMINE Deus DOMINI mei Abraham, &c. Qui locus oſtendit poſtremum vocabulũ אדון quo hîc vſus eſt Propheta etiam hominibus commune eſſe & reliqua tribui DOMINO. Hæc autem Epitheta omnia ad maieſtatem DOMINI pertinent. Sed de eius bonitate etiam loquitur, dicens eum bonum eſſe, quod καὶ τὸ ἔλεος intelligi debet, hoc eſt, quod bonitas ipſa. Nã id quod ſequitur, & miſericordia eius: ſignificat indiciũ eius bonitatis, quæ ſe cõmunicat omnibus hominibus. Nam homines ſuam bonitatem declarant cum miſericordiã oſtendunt. Et additur amplificatio à tempore quod ſit æterna: id autem

Apoca.19.

tem ſæpè in hoc Pſalmo repetitur, vt doceat, miſeri-cordiam DOMINI ſuperare omnia eius opera, ita vt in operibus etiam maieſtatis plerunq; cernatur. Nunc propoſitionem & illos titulos aliquanto familiarius explicemus perpetuo contextu.

Hortor omnes homines vt Deum laudent, cele-brent nomenq; eius extollant prædicatione ſua. Quia non ſolùm ab eſſentia appellatur IEHOVA, ſed vere eſt vnus & ſolus Deus, & præter eum non eſt alius: per quem etiam omnia quæ ſunt exiſtunt, vt rectè ens entium dicatur. Cum hac autem immenſa ipſius ma-ieſtate, coniuncta eſt ſumma bonitas, quæ ſe toti hu-mano generi, imò verò omnibus creaturis commu-nicat: dum Deus illis ſuam miſericordiam, & eam qui-dem ſempiternam omnibus modis & rationibus de-clarat: Laudate (inquam) Deum Deorum. Etſi enim gentes ſuos Deos fictitios in cœlum vſq; laudibus ve-hant, tamen quid illi habent præter inanem oſtenta-tionem & opinionem diuinitatis? Alij quos Deus vi-carios in hoc mundo & quaſi Deos terrenos conſti-tuit, quales ſunt reges, iudices, magiſtratus, nimis in-terdum ſe efferunt propter honoris excellentiam, ſed noſter Deus merito Deus Deorum vocatur, qui vere quod dicitur, eſt ſolus Deus laudandus in ſæcula. Su-perbiant alij Monarchijs, regnis & imperijs ſuis, ac ſe Imperatores, Reges, Principes, Dominos vocari ſinant. Noſter autem DOMINVS totam illam laudem aufert, qui eſt Rex regum, & DOMINVS dominan-tium. Qui ſuo dominio, non quod plerisq; alij ſolent ad tyrannidem abutitur, ſed miſericordiam & cle-mentiam ſuam pijs omnibus declarat & quidem in

omnem æternitatem. Hoc Psaltes voluit sui carminis esse exordium, vt nos ad veras laudes DOMINI excitaret. Etenim si in homine potentia temperata & ornata clementia tantopere laudatur, cur non ea longè maior videri nobis in eo deberet, qui vtriusq; est fons ac scaturigo & in quo omnes thesauri sunt sapientiæ, potentiæ, misericordię, clementiæ & bonitatis. Quod tribus nominibus Deo hoc loco attributis, quidã trinitatem adumbratã credunt, præsertim cum sequenti versu singulari numero sit vsus, quo vnitatem putant recte ostendi, hoc magis scitum quam firmum est. Nec aucupandæ sunt probationes ex huiusmodi locis, cum multo certiores in sacris literis alibi extent.

4. *Eum qui facit mirabilia magna solus: qnoniam in sæculum misericordia eius.*

Antequam accedat ad particularem enumerationem potentiæ diuinæ, primum in genere opera DOMINI vocat mirabilia eius, quod tanta sint vt in stuporem rapere omnes possint. Deinde DOMINVM verè maximum esse, eo etiam probat quia in societatem gloriæ maiestatisq; suæ neminem admittat. Additur postea clausula intercalaris, quoniam in sæculum, &c. vt intelligatur DOMINVS non solùm Omnipotens, sed etiam misericors esse: id quod in toto Psalmo agit Propheta.

Merito inquit ab omnibus laudandus DOMINVS est, quia suam potentiam rebus mirandis probauit, ad quas conficiendas non opus est ei adiutore, non agnoscit in suis operibus laudis & architecturæ socium, sed solus

ſolus omnia pro ſua ſumma maieſtate & potentia facit cuius etiam miſericordia, vt æterna eſt, ita omnia reliqua ipſius opera ſuperat.

Cum hoc loco DOMINVS mirabilia ſolus facere dicitur, poſſumus id intelligere de creaturis, de quibus paulò poſt verba facit, nam DOMINVS ſolus creat, Diaboli & homines creare nihil poſſunt. Et ſanè vt ſuprà diximus, in toto terrarum orbe cumulus rerum admirandarum conſpicitur. Deinde ea quæ proprie miracula dicuntur, illa certe ſolus facit DOMINVS. Nam in ſummis periculis protectorem neminem habemus quam Deum Optimum Maximum & filium eius vnigenitum cum Spiritu ſancto omnia gubernante & ſuſtentante ideo Pſaltes etiam alibi cum de Chriſto vaticinatur eadem phraſi vtitur: Benedictus DOMINVS Deus tuus, Deus Iſraëlis qui facit mirabilia ſolus. *Pſalm. 71.* Nam vt per Chriſtum omnes conditi ſumus, ita etiam conſeruamur protegimur. Nec eſt quod miracula dęmonum obijciantur. Quanquam enim cum ſtupore & admiratione hominum multa faciunt, tamen nonnulla ipſorum miracula ſunt præſtigiæ, quibus hominum oculos capiunt: qualia Magorum Pharaonis fuiſſe exiſtimandũ eſt. Et quia iſta ſunt ludificationes, miracula dicenda non ſunt. Alia verò miracula, cum ſint aſtutiſsimi Spiritus ex ipſa rerum natura quaſi mutuantur. Nam multarum herbarum, metallorum, radicum, vires ocultas notas habent, quarum etiã qualitates ita temperant, vt multa faciant quæ verè miracula eſſe iudicentur, ſed illa magis artificioſa quàm miraculoſa aut portentoſa haberi debent. Teſtis eſt D. Auguſtinus in templo quo- *De Ciui Dei*

lib.21. Cap.6. dam induſtria artificum imaginem ferream, in medio aëre ſuſpenſam cum in pauimento & camera eius loci, vbi ſimulachrum erat æqua proportione lapides magnetes diſpoſuiſſent, ita vt quantum qui in ſuperiore loco erant, attraherent, alij qui in ſolo erant, retraherent & ea ratione, illa medium locum teneret. Et ſi credimus veterum ſcriptis Architas Tarentinus columbam ligneam volatilem fecit. Cum ergo homines res tantas conſequantur, qui exiguam duntaxat rerum naturalium notitiam habent, ſi ea cum experientia mille artificis conferatur mirum nõ eſt Satanam multò maiora efficere poſſe: quæ mira quis potius dicere poſsit, quam miracula. Et ſi omnino ita vocare libet, certè iſta omnia ex veris & primis miraculis rerum naturæ quæſita & comparata ſunt. Et hæc quidem de miraculis dæmonum, nam latior earum rerum tractatio ex ijs petenda eſt, qui hanc materiam de induſtria tractarunt. Iam verò miracula & per Angelos & homines ædita non ipſorum ſed DOMINI eſ-

In Pſalm.72. ſe, iudicanda ſunt. Nam vt præclarè dixit Auguſtinus, ipſe DOMINVS facit mirabilia ſolus, quoniam quicunq; faciunt ipſe in eis operatur, qui facit mirabilia ſolus. Et hoc etiam ex Apoſtolorum, quando miracula ædiderunt, ſermone notum eſt. Nam omnia miracula nomine Chriſti faciunt, nihil ſuæ vel induſtriæ vel potentiæ aſcribentes. Ab eo ergo, qui ſolus miracula vera ædere poteſt, in ijs quæ videntur nobis deſperata, auxilium opem & protectionem petamus. Nam & per mare rubrum (ut hoc Pſalmo dicetur) ſuos duxit, in deſerto cibauit ac multis alijs miraculis ingentibus Eccleſiam ſuam ab imminentibus pericu-

lis li-

lis liberauit. Ipse denique summa sua potẽtia nostra corpora ex sepulchro educet, & ex caducis, fragilibus miseriisq; faciet gloriosa, & immortalia.

5. *Qui fecit cœlos in sapientia sua: quoniam in sæculum misericordia eius.*
6. *Qui extendit terram super aquas: quoniam in sæculum misericordia eius.*
7. *Qui fecit luminaria magna: quoniam in sæculum misericordia eius.*
8. *Solem in dominium diei: quoniam in sæculum misericordia eius.*
9. *Lunam & Stellas in dominium noctis: quoniã in sæculum misericordia eius.*

Sapientiam & potentiam DOMINI partibus illustrat, ea enim in creatione cœli, eorumq; ornatu, sole, luna & stellis tum admirabili terræ fundamento cernitur, quæ tamen indicia maiestatis diuinæ coniuncta sunt, cum illustri significatione bonitatis & misericordiæ diuinæ. Præterea in illa enumeratione partium Synechdoche obseruanda est, nam terræ duntaxat mentionem facit, volens nos tacitè commonefacere, de ijs quæ in terra mirabilia, & ad vsum humanum varie multipliciterq; comparata sunt. Nam Propheta hoc voluit dicere.

De DOMINI maiestate & bonitate cœlum & terra loquuntur. Quis enim non videt quanta sapientia amplissimum hoc cœlum conditum sit, quod nullis columnis subnixum, aut axibus aptatum, tot sæculis iam perpetua motione & ea quidem celerrima totum

terrarũ orbem ambit. Quid de terræ mole dicam quæ non alio fundamento quàm aqua nititur? Nam de eius ornatu, commodis, vtilitatibus, varietate earum rerum quæ ex ea proueniunt, nimis prolixum esset dicere: quibus omnibus Deus Optimus Maximus non tam potentiam quam bonitatem suam declarauit. Quid enim hoc aspectabili cœlo pulchrius? quid terra vtilius, lætius, quid ea admirabilius? quæ ad hominum salutem & habitationem detecta est, & ne impetu fluctibusq; marinis tota obruatur solo Dei verbo munitur. Iam si rursus ab hac infima sede ad sublime cœlum oculos attollamus, Deus bone quantum ornatum noctibus & diebus videmus. Quid enim hoc sole quem DOMINVS præsidere quasi diei voluit illustrius, iucundius, suauius, qui omnia clarissima luce collustrat qui modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit, quarum interuallo, tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat, vt cum cœlo hilarata videatur. Luna autem cui dominium noctis iubente creatore contigit, ijsdem spacijs vagatur quibus sol, sed tum congrediens cum sole, tum digrediens, & eam lucem quam à sole accipit mittit in terras, & varias ipsa lucis mutationes habet seruiens terræ & ferarum vtilitatibus, nam hæ noctu ad pastum egrediuntur cum homines se ad quietem componunt. Non minor est ornatus cœli ex innumerabilibus siderum flammis, quarum aliæ quidem vagę sunt motusq; earum tum incitantur tum retardantur sæpe insistunt & spectaculum admirabile & pulchrum hominibus præbent, aliæ autem inerrantes quarum maxima

Cicer. de Nat. Deo. lib. 2.

Psalm. 104.

xima eſt multitudo circa terram feruntur: quorum ornamentorũ infinitus numerus, admirationem omnem ſuperat. Quæ omnia & alia etiam quæ ſilentio præterij, de Deo, ipſius potentia, ſapientia, tum vero bonitate, tacita ſunt, & tam illuſtria teſtimonia, vt eos etiam erudire poſsint ad agnitionem numinis, qui nullas vnquam ſcripturas legiſſent. Ponamus enim eſſe aliquos homines, qui ſub terra ſemper habitauerint, bonis & illuſtribus domicilijs, quę eſſent ornata ſignis atq; picturis, inſtructaq; rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui beati putantur, nec tamen exiſſent vnquam ſupra terram, deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis ſedibus euadere in hæc loca quæ nos incolimus, atq; exire potuiſſent, quum repente, terram & maria cœlumq; vidiſſent, nubium magnitudinem, ventorumq; vim cognouiſſent, aſpexiſſentq; ſolem eiusq; tum magnitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficientiam cognouiſſent, quod is diem efficeret, toto cœlo luce diffuſa: quum autem terras nox opacaſſet, tum cœlum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, lunæq; luminum varietatem, tum creſcentis tum ſeneſcentis omnesq; omnium ortus & occaſus atq; in omni æternitate ratos, immutabilesq; curſus. Hæc cum viderent, profecto eſſe Deum & hæc tanta opera Dei eſſe & indicia bonitatis & potentiæ ipſius arbitrarentur. Quare cum iſta ita ſint, & potentiam ipſius agnoſcamus & coniungamus meditationem ineffabilis bonitatis & miſericordiæ, quam in his omnibus expreſſam oculis noſtris ſubiecit.

Hæc magna ex parte mutuatus à Cicerone ſum nõ ſolũm

ſolùm vt verbis ſummi oratoris ea quæ hoc loco breuiter dicuntur declararem, ſed oſtenderem etiam, cœli & terræ ornatum illum tantum eſſe, vt non ſolùm in oculos, ſed animos etiam Ethnicorum incurrerit: & quamuis illi DOMINVM non ita vt decebat coluerint, tamen mouerit eos, vt omninò ſtatuerint, & eſſe Deum & fauere eum hominibus, qui in tam præclarum nos domicilium collocauerit, nullis alijs quæ humana induſtria extrui & ornari poſſent, comparandum.

10. *Qui percuſſit Ægyptum in primogenitis eorum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
11. *Qui eduxit Iſraëlem de medio eorum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
12. *In manu forti & brachio extento, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
13. *Qui diuiſit mare Suph in diuiſiones: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
14. *Et traduxit Iſraëlem per medium eius: quoniam in ſæculum miſericordiam eius.*
15. *Et ſubuertit Pharaonem & exercitum eius in mari rubro: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
16. *Qui deduxit populum ſuum per deſertum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*
17. *Qui percuſſit Reges magnos: quoniam &c.*
18. *Et occidit Reges potentes: quoniam &c.*
19. *Sehon Regem Amorrhæorum, quoniam &c.*
20. *Et Og regem Baſan: quoniam in ſæculum &c.*
21. *Et dedit terram in hæreditatem: quoniam &c.*
22. *Hæreditatem Iſraël ſeruo ſuo: quoniam &c.*

23. Qui

23. *Qui in deiectione noſtra memor fuit noſtri: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

24. *Et vindicauit nos ab hoſtibus noſtris: quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

Nunc Propheta ad eam partem laudum DOMINI accedit, quæ in protectione & gubernatione ſuæ Eccleſiæ conſpicitur, & luculenter oſtendit DOMINVM & potentem eſſe, ac ſuos nunquam deſerere, quod ipſius eſt bonitatis ac clementiæ. Sequitur autem ſeriem hiſtoriarum Biblicarum. Nam maieſtatem ſuam contra hoſtes, & bonitatem erga ſuos initio declarauit cum fatalibus pœnis exerceret Pharaonem & Ægyptum, quarum maximam κατ᾽ ἐξοχὴν ponit cum interitus primogenitorum mentionem facit. Nam hoc miraculo rex impius motus populum dimiſit. Deinde quando potenti manu eduxit eos è ſeruitute. Præterea cum mare rubrum Hebræis peruium faceret. Adhæc vbi inſequentem hoſtem ſubmerſit. Porrò etiam cum per quadraginta annos populum in deſerto aleret. Inſuper quando potentiſsimos reges & populos qui ſe Hebræis opponebant, fudit fugauit, & ad internecionem vſq; cecidit. Tum verò quod florentiſsimum regnum eiectis regibus & inhabitatoribus, ſuis hominibus hæreditarium tradidit, eoſq; in perpetuam & pacatam eius poſſeſsionem collocauit. Poſtremo quia, cum res aduerſæ ipſis eſſent & aut ſeruitute graui premerentur aut aliis malis conflictarentur, potenter ipſos defendit & è manu hoſtium exemit. *Exo.12.13.* *Exo.14.* *Num.21.*

Nemo autem exiſtimet tam prolixam enumeratio-

nem temerè à Propheta ſuſceptam eſſe, ſed iucundiſſima memoria renouatur calamitatum, in quibus ſtatim ab initio ſit verſata Eccleſia Dei. Etenim vt in alijs iuuat (vt Poëta cecinit) meminiſſe laborum, ita meditatio miſeriarum quibus populus DOMINI preſſus fuit, & tamen ex ijs liberatus eſt, multum ponderis habet, ad ſolidam in periculis & ærumnis conſolationem. Chriſtus certè ſuos diſcipulos exemplo Prophetarum ſolatur: qui parum magnam gratiam à ſuis auditoribus reportauerint. Et Paulus hanc fortunam omnibus qui in Chriſto Ieſu viuere velint, commu-

Matth.5.

2.Tim.3.

nem eſſe dicit. Quod ergo toties beneficium eductionis è ſeruitute Ægyptica repetitur, commonefactio eſt, ſemper nobis propoſitas eſſe debere ſanctorum afflictiones & eorundem etiam liberationes, ne in turba miſeriarum & ærumnarum deſpondeamus animum. Etenim ſi DOMINVS ſemel duntaxat atq; iterum in ſummo periculo Eccleſiæ ſuæ adfuiſſet, dubitare quis poſſet, num eam conſuetudinem vellet perpetuam eſſe, ſed cum & ſacræ & prophanæ hiſtoriæ doceant, nunquam defuiſſe eum ſuis, ſed vt Aquilam alis ſuis (vt verbis Moſi vtamur) eos portaſſe: nemo dubitare debet, DOMINVM in poſterum etiam mitigaturum ærumnas piorum, & tandem exempturum è malis omnibus.

Verùm & alia cauſa eſt cur Spiritu ſancto viſum ſit, toties huius beneficij mentionem facere. Nam extant in ſacris & alia multa fauoris clementiæq; Dei ſigna erga Eccleſiam & pios, quibus ad nos conſolandos vti poterat. Nam præclarum & ſummum indicium paterni ipſius animi eſt, ante diluuium in tanta multitudine

multitudine impiorum qui opibus potentiaq; erant instructi, potuisse aliquem manere in terris cœtum, qui vere Deum coleret, & non omnes fuisse abreptos ad istius sæculi impietatem & improbitatem, miraculum est non omnes pios extinctos & deletos esse. Postea in generali illa & fatali pœna eluuionis, an non summa admiratione dignũ est, octo duntaxat homines, ex toto mortalium numero, benignitate DOMINI mansisse superstites? Adhæc quanta clementia primi post diluuium patres Abraham, Isaac, Iacob, in terra aliena, manu quasi DOMINI deducti sunt? Sed quod liberationis illius, de qua loquimur tam frequens in scriptura commemoratio fit, hæc præcipua causa est, quia quæ tum gerebantur typi fuerunt vniuersæ Ecclesiæ testante Apostolo. Vt ergo multis argumentis in illa eductione & introductione in terram Canaan Deus Optimus Maximus docuit, se à tyrannide potentissimorum regum posse suos liberare & magnis beneficijs afficere, ita omnes credentes vult certiores facere, quamuis in hac vita mortali varijs ærumnis & calamitatibus præmantur, tamen nec voluntatem nec vires DOMINO defuisse ad defendendos, protegendos suos: & vt per filium suum vnigenitum Hebræos per mare rubrum & desertum deduxit, sic per meritum eiusdem educturum credentes è captiuitate Diaboli mortis & inferni, quos etiam in terram promissionis, verè fluentem melle & lacte introducere velit, ad cœtum beatorum, ad æternam patriam, cuius terra Canaan qualiscunq; adumbratio fuit. Et sanè ista consolatio valde necessaria est. Quanquam enim quotidie docemur esse municipatum nostrum

ſtrum in cœlis, vnde expectandus ſit DOMINVS & Seruator Chriſtus, tamẽ cum videamus, nobis tot difficultates obijci, ſæpè cum populo Hebræo fremere & murmurare incipimus, fortunam noſtram accuſantes, ſæpe etiam dubitamus num aliquis ſit futurus harum miſeriarum finis. Cui animi ægritudini melius mederi non poſſumus quam ſi perpetuam DOMINI conſuetudinem conſideraverimus, & eam inprimis quam in tuenda Eccleſia veteris Teſtamenti demonſtrauit. Etenim cum Hebræos nõ modò in deſertum, ſed deſperationem etiam rerum omnium deduxiſſe & conijciſſe videretur, tamen mirando conſilio & conſeruauit & poſtea opibus & rerum affluentia, cum traderet eis regnum Canaan auxit. Sic certò ſtatuendum eſt, afflictiones huius ſæculi, perpetuam felicitatem excepturam: & DOMINVM qui promiſſiones corporales tam fideliter ſeruauerit, nũquam commiſſurum, vt quæ de æternis bonis tot ſcriptis & teſtimonijs confirmauit, fiant irrita, & nunquam fallet ſententia huius Pſalmi: In humilitate noſtra memor fuit noſtri, quoniam &c.

25. *Qui dat eſcam omni carni: quoniam &c.*

Poſtrema laudatio eſt à generali omnium animantium conſeruatione, nam hoc per vocabulum panis intelligit. Huius enim verſiculi iſta eſt ſententia.

Laudandus eſt ille DOMINVS Dominorum, quia & Eccleſiam ſuam & omnia animantia propter ipſam nutrit, cibat, paſcit, demonſtrans diuitias ſuas, quæ tot animantibus ſufficiunt, & bonitatem ac miſericor-

diam

diam, qua efficitur, ne quid vel hominibus vel feris etiam belluis quod ad victum & paſtum pertinet deſit.

Supra Pſalmo 104. multa de DOMINI erga creaturas benignitate dicuntur. Et ſanè ingens eſt ſtupor humanorum ingeniorum, qui ea quæ ad corporis recreationem & voluptatem attinent, maiorem in modum admirantur, & interim ipſum benefactorem & largitorem non agnoſcunt. Deinde illud etiam magis mirandum, quòd cum gubernari & regi omnia à DOMINO confiteamur, tamen ad ipſum, quando quid nobis deeſt, non confugiamus: maximè cum Pſalmo 50. & alijs multis locis iubeamur in aduerſis ipſius auxilium implorare, ſed aſcribimus noſtræ & prudentiæ & laboribus, ſi quid quæſitum eſt. Et quidem geminus ea in parte error variáq; hallucinatio eſt. Nam vt diximus autorem beneficij non agnoſcimus. Deinde imbecillitatem noſtram non perpendimus aliâs nihil tributuri nobis ipſis. Euentus qui aliâs ſtultorum magiſter eſt, experientiáq; nos docere debebant, quãtulum illud ſit, quòd à nobis ad ſuſtentationem corporis proficiſcitur. Nam videmus ſæpè inclementiam cœli vno momento omnium agricolarum labores tollere, experimur alia quidem grandine alia ſiccitate, alia nimia humiditate perire & ea quæ iam parta ſunt & in horreis condita, nondum eſſe noſtra, cum vna hora incendio ſæpe pereant. Et ſi non deeſſent nobis oculi, animaduerteremus ne ea quidem quæ in menſa ſunt nobis aliquid afferre commodi, niſi is qui omnibus creaturis benedicit efficiat vt proſint ad corporis ſuſtentationem. Auidiſsimè Hebræi, coturnices *Num. 11.*

& exoptabant & comedebant: sed cum adhuc sub dentibus cibus esset, fatales pœnæ subsequebantur, quia populus suo aduersus DOMINVM murmure, omnem benedictionem sibi præciderat, & cibum alioquin salubrem & in delitijs habendum, exitialem fecerat. Sic multa variaq; morborum genera hodie sunt, quæ docent propter ingratitudinem nostram DOMINVM cibis non benedicere, sed conuertere eos in prauos humores vt subsequantur morbi & cruciatus.

26. *Celebrate Deum cœli: quoniam in sæculum misericordia eius.*

Epilogus egregiè respondet exordio & propositioni. Nam vt initio epitheta potentiæ maiestatisq; DOMINI ponuntur, ita in fine Psalmi, vocat eum Deum cœli. Notum autem est nomine cœlorum maiestatem DOMINI intelligi, quia cum in reliquis creaturis expressa sit potentia DOMINI, tum verò maximè in præclara fabrica cœlorum conspicitur, qui & amplitudine & ornatu reliquis omnibus creaturis antecellunt.

VSVS HVIVS PSALMI.

Quanquam D. Paulus. 1. Cor. 13. scribit, nos Deum cernere in ænigmate, hoc est cognitionem eam, quam de ipso in hoc mundo habemus subobscuram esse, si cum perfectissima illa, quã in æterna vita habituri sumus conferatur, tamen addit, nos eum videre quasi in speculo.

ſpeculo. Etenim vt ſpeculũ imaginẽ hominis à tergo nobis ſtãtis repræſentat, ita Deus alioquin inuiſibilis, ſpecula nobis dat per quæ eũ intueri poſſumus, donec veniamus ad illam æternam ſcholam, vbi videbimus eum facie ad faciem. Hęc ſpecula nobis magna exparte monſtrat hic Pſalmus. Primum ſpeculum ſunt creaturæ in quibus expreſſam imaginem DOMINI videmus de quibus etiam agit Paulus Rom. 1. Alterum ſpeculum ſunt hiſtoriæ & exempla piorum in quibus videmus quomodo DOMINVS erga ſuos ſit affectus. Tertium ſpeculum & perfectiſsimum (de quo etiam Paulus in Corinthijs agit) eſt ſacra Scriptura. In his autem ſpeculis non quæramus ea quæ ad δόξαν DOMINI pertinent ne à DOMINI gloria opprimantur, ſed duo præcipua illa capita huius Pſalmi potentiam & miſericordiam quę ad benè & Chriſtiane viuendum ſufficiunt,

Pſalmus 137.

Canticum graduum.

Ad flumina Babylonis &c.

Hic Pſalmus in Hebræo titulum non habet. Vulgata translatio & 70. inſcribunt Pſalmum. Pſalmus Dauid propter Ieremiam. Nonnulla exemplaria duntaxat ponũt: Ieremię. Certum autem eſt iſta à Dauide non eſſe conſcripta

conſcripta cum captiuitas Babylonica multis ſæculis interpoſitis Dauidis tempora ſit ſequuta. Itaque quod Dauidis mentio fit, intelligamus hunc Pſalmum ad imitationem Dauidicorum eſſe compoſitũ. Iam quod Hieremiæ nomen inſcribitur, veriſimile eſt ſeptuaginta aut alium quempiam, qui titulum iſtum declarandi Pſalmi gratia præfixit, voluiſſe dicere, hunc Pſalmum vel temporibus Ieremiæ compoſitum, aut certè à Leuitis ad Ieremiam, qui ante conſolatoriam Epiſtolam dederat ad captiuos Hebræos, & poſtea caſum florentiſsimæ vrbis egregio carmine defleuerat & lacrymis ſuis conſolationes etiam permiſcuerat, perſcriptum fuiſſe: aut certè populum Ieremiæ ſcriptis confirmatum, hoc carmen edidiſſe in quo Babyloniis interitum minatur. Sed cum textus Hebraicus titulo careat, non opus eſt vt ea de re ſcrupuloſius agamus. Certum eſt de captiuitate Babylonica hunc Pſalmum conſcriptum, & quidem de poſtrema, quia vaſtationis Hieroſolymarum fit mentio. Quanquam autem quidam exiſtimant hoc carmen poſt reſtitutam populo libertatem conſcriptum (quia Pſaltes ab initio verbis præteriti temporis vtitur, ſedimus, fleuimus) tamen cum in fine & Ammonitis & Babyloniis imprecetur interitum, dubium non eſt. in Babylone ante reditum populi hanc cantilenam factam eſſe. Hæc de tempore conſcripti carminis dixiſſe ſufficiat. Capita autem huius Pſalmi, ſi compendio rem complecti velimus tria ſunt. Primò grauiſsima accuſatio eſt Ædomitarum & Babyloniorum. Babylonij autem trium criminum rei ſunt. Inhumanitatis quod captiuos Hebræos extra vrbes in loca pa-

rum

rum amœna inter ſalices collocauerint & miſeris & afflictis inſultauerint. Deinde etiam crudelitatis quod nulli ætati parſerint, ſed pueros infantes alliſerint ad petras quamuis enim hoc expreſſe non ponatur, tamen cum poſtremis verſiculis retributionem impræcetur & addat eos fore beatos qui pueros Caldęorum ad duriſsima ſaxa allidant, dubium non eſt eos eodem crudelitatis genere fuiſſe vſos. Poſtrema accuſatio impietatis eſt, quod per σαρκασμὸν canticum de Zion poſtulabant vt in explicatione dicetur. Ædomitæ ſimiliter accuſantur inhumanitatis, quod non fuerint memores cognationis & conſanguinitatis, ſed hoſtiles animos erga Hebręos geſſerint, id enim emphaticè propoſuit, cũ inquit Memor eſto filiorũ Ædom. &c. Deinde etiam crudelitatis: quia non contenti vrbem euerſam, fundamenta etiam eius erui voluerunt, ne quid ad memoriam poſteritatis ſupereſſet. Et hoc eſt vnũ caput huius Pſalmi. Alterum autem eſt quod per antitheſin opponit qualis nunc ſit populus Hebræus: Non amplius elatus & impius vt ante captiuitatem, ſed triſtis, qui libenter cantaret DOMINO eumq; patrijs ritibus celebraret, qui ardentiſsimo patriæ deſiderio tenetur, non tam propter externas commoditates, quam proter Dei cultum, quæ in omnibus delitijs ſuis præferat. Poſtremo inſeritur etiam imprecatio vt DOMINVS Ædomitas, & Babylonios afficiat pœna talionis. Tacitè autem petitur vt populus emendatus calamitatibus varijs, & ſeruitute grauiſsima in patriam reducatur. Nam accuſationibus plærunq; pœna & excuſationibus præmium ſubijci ſolet. Sic etiam in hoc Pſalmo Babylonij impij, inhumani, cru-

deles ſunt, Ædomitæ ſimiliter: ergo eodem modo quo peccauerunt puniendi: populus emendatus eſt caſtigatione illa paterna & cupit redire ad cultum diuinum, ergo reducendus eſt. Et ſic tria illa ſuperiora capita in duo contrahi poſſent. Hæc ſumma negotij eſt nec eo ordine iſta quæ enumerauí, capita proponuntur, ſed ex tota ſerie Pſalmi intelliguntur, quem nunc ordine videbimus, ſed animaduertimus totum Pſalmũ quamuis cõtineat ſeuerã accuſationẽ hoſtium populi Dei, tamen in hunc finem compoſitum, vt ab interitu hoſtium & certa ſpe reditus in patriam populus afflictus, & captiuus conſolationem conciperet.

1. *Ad flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus cum recordaremur Sion.*
2. *Super ſalices in medio eius ſuſpendimus Cytharas noſtras.*

His duobus verſiculis accuſatur Babyloniorum inhumanitas, qui magnam partem populi non dignabantur vſu vrbium, ſed locis incultis inter ſalices in ripis fluminum collocauerãt. Flumina Babylonis multa ſunt, in quibus Euphrates eſt & Tygris. Ezechiel ad flumen Chobar dicit ſuas ſe viſiones vidiſſe. Deinde his etiam verſibus depingitur miſerrima Hebræorum conditio. Quod in duriſsima ſeruitute verſentur, quod fleant & deplorent ſua mala, quod triſti deſiderio patriæ teneantur, quod omni lætitia & gaudio, maximè autem veris cultibus deſtituti Cytharas ſuas ſuſpenderint quibus olim in feſtiuitatibus vtebantur. Statim ergo ab initio & hoſtium inhumanitatem & triſtitiam populi proponit, vt iure optimo pœna Babyloniis

bylonijs decerni videatur, & Deus ærumnas populi sui clementer recipiat. Nam illa duo (vt diximus) in hoc carmine proposita fuerunt Prophetæ. Est & alia causa, cur tam copiosè per συμπάθειαν miserias Hebræorum describat, videlicet vt id quod statim de hostili insultatione sequitur, augeatur, quanto enim calamitosiores fuerunt Iudæi, tanto crudelitas Chaldæorum maior, qui afflictissimis addiderant afflictionem. Quærela ergo quam Hebræi hoc loco instituunt talis est.

DOMINE qui miserator es & misericors cuius paternus animus nunquam ad tuorum preces gemitusq; flectitur intuearis obsecro, & hostium nostrorum inclementiam & summam afflictionem populi tui. Etenim non modò ex patria eiecti sumus, sed in Babylone locum habitationis idoneum nõ habemus. Nam cum huc adduceremur ad ripas maximorũ fluminum inter salices & loca incultissima, hactenus ablegati consedimus, non vrbes, non pagos, non domos habemus, quibus nos & paruos liberos, qui ex tanta calamitate sunt superstites tegamus, tanta hostis est inhumanitas, vt exilium nouo quasi exilij genere, dũ ab vrbibus eorum exulamus, cumulent. Neq; enim illi nos homines esse, sed feras belluas existimant: itaq; vsu vrbium prohibent, & à contubernio hominum excludunt. Nos autem omnibus ijs, quibus homini ad summas necessitates opus est destituti, mœrore propè conficimur nihil apud nos quam lugubris lamentatio & fletus mœrens maximè cum de dulci, patria cogitamus, imò verò quando in mentem reuocamus, nos nostro merito à Syone, vbi cultus fuerunt diuini exu-

lare, maiorem in modum perturbamur. Nã cum beneficia quæ affatim largiebaris ingrati nõ agnoſceremus noſtra culpa ab ijs excidimus. Itaq; nunc omnia ſigna lætitiæ depoſuimus, & inſtrumenta muſica, quibus olim diebus feſtis vtebamur à ſalicibus (neq; enim à parietibus cum nunc domus nobis non ſint licet) ſuſpendimus. Quid enim aliud faceremus, cum nobis omnes occaſiones lætitiæ & gaudij præciſæ videantur? Et hæc quidem Pſaltes. Hiſtorię autem de miſera ſeruitute Hebræorum ex ſacris, tum etiam Ioſepho notæ ſunt, itaq; eas de induſtria prætereo. Videmus autem quam fallaces ſpes nobis proponat peccatum. Hebræi idolatria & alijs ſceleribus ſeſe polluẽtes promittebant ſibi pacem, ac habebant etiam Pſeudoprophetas, qui iſtam eorum opinionem concionibus contra veros Prophetas ſuſceptis confirmabant, dicentes
Hie. 6. (vt Hieremias teſtatur) pax pax cum non eſſet pax, ſed quam non reſponderit euentus ipſorum expectationi, palàm eſt ex hiſtorijs & hoc Pſalmo: nam propter peccatum à patria, bonis exulabant, & pro lætitia ſumma triſtitiam, pro muſica fletum, pro libertate ſeruitutem habuerunt. Hæc natura peccati eſt, vt homines falſa commodi aut voluptatis ſpe ad ſe alliceat, & cum eos in poteſtatem ſuam redegit contraria oſtendat. Primi parentes cum eum defectionem à DOMINO meditarentur nihil minus, quam triſte exilium expectabant, perſuaſi erant ſe Dei fore ſimiles, ſed & ab amœnitate pardyſi & gratia DOMINI exciderunt, & cum potuiſſent perpetuo viuere, ſententiam mortis acceperunt. Scortationes & adulteria blandiuntur hominibus opinione diuturnæ & ſtabi-

lis

lis voluptatis, sed comites earum ira ac seueriſsimæ pœnæ DOMINI sunt. Heb. 13. Scortatores & adulteros iudicabit DOMINVS, & Solomon mulierculas proſtituti pudoris egregiè deſcribit in Prouerbijs, vt oſtendat quibus illecebris Diabolus trahat homines, vt in illam turpitudinem incidant, & quæ poſtea turpis obſequi dēt præmia. Fauum (inquit) ſtillant labia extraneæ, & lenius oleo eſt palatus eius. Nouiſsimum eius amarum ſicut Abſynthium, acutum veluti gladius biceps. Pedes eius deſcendent ad mortem, infernum greſſus eius tenebunt. Luxus & ſuperbia vitia huic de quo iam diximus affinia, magnam ſuauitatem promittunt, ſed contraria omnia eueniunt vt teſtatur Eſaias. Nam cum prolixè enumeraſſet mundum muliebrem & luxum, quo tum diffluebant, ſubijcit. Erit pro aromate fœtor, pro cingulo exciſio, pro crinium diſpoſitione æquali, caluicium, & pro faſcia pectorali cingulum ſacci, aduſtio pro pulchritudine. En quomodo pompam & ſuauitatem, quam vitia præſeferunt, DOMINVS conuertat in dolorem triſtitiam & cruciatus. Et quod vitiorum comites ſint lacrymæ & fletus. Moſes Deut. 28. teſtatur. Dabit tibi DOMINVS cor pauidum & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua, quaſi pendens ante te. Et Ieremias cap. 3. Vox in vijs audita eſt, ploratus & vlulatus filiorum Iſraël, quoniam iniquam fecerunt viam ſuam, obliti ſunt DOMINI Dei ſui. Et quod omnem lætitiam ab impio populo DOMINVS ablaturus ſit, idē Propheta cap. 16. iubente DOMINO minatur. Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudij & vocem læ-

Pro. 5.

Eſa. 3.

titiæ, vocem ſponſi, & ſponſæ & paucis interpoſitis cauſam ſubijcit. Ecce ambulat vnuſquiſq; poſt prauitatem cordis ſui mali vt me non audiat &c. Tandem autem impœnitentes excipient æternæ pœnæ, quas DOMINVS vocat fletum & ſtridorem dentium. Triſtitia ergo eiulatus, gemitusq; eorum qui ſe voluptatibus & vitijs dedidere, ſemper ſonent in auribus noſtris ne patiamur nos ſuauitate & illecebris abduci ab innocentia vitæ, ſcientes ſeueritatem extremi iudicij impijs omnibus imminere.

Porro cum ſuſpendiſſe organa dicuntur, diſcamus veram in fatalibus pœnis humiliationem: non dicamus cum impijs edamus & bibamus cras enim morie-
Amos. 6. mur. Nec imitemur intemperiem Iſraëlitarum qui nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph ſed conuiuijs & muſica ſe oblectabant. At cum videmus iram DOMINI exarſiſſe humiliemus nos ſub potenti manu Dei, & ſumptis veſtibus lugubribus cum Niniuitis veram pœnitentiam agamus, ardentibusq; precibus ad DOMINVM confugiamus vt effugere poſsimus extremas & ſummas pœnas.

3. *Quia illic poſtulauerunt à nobis qui captiuos duxerant nos, verba canti cum ſuſpendiſſemus lætitiam cantate nobis de canticis Sion.*

Poſt reprehenſionem inhumanitatis ſuperiorem Babyloniorum, ſequitur nunc accuſatio inhumanitatis ſimul & impietatis illorum. Inhumanitatis quod miſeris captiuis inſultant, & cantum poſtulant à flentibus. Impietatis, quia non quodlibet carmen, ſed de

Sion

Sion hoc est, de cultu Deo ipsorum requirunt quo ante tantopere confidebant vt Babylonios spernerent. Sunt autem singula verba tincta figuris & sensu. Babylonios non suo nomine appellant sed per περίφρασιν eos qui captiuos duxerant, hoc est, hostes qui crudelissime ipsos tractent, vt miserrima mancipia. Et latent hic valde multa quæ subintelligenda sunt. Notum enim est victoriam natura esse insolentem & superbam, præsertim erga eos qui moribus, institutis & religione à victoribus dissident, cum ergo victorem dixeris omnia vno verbo absolueris? Deinde postulant illi verba cantici, quod nõ solum inhumanum, sed etiam crudele est, ab ijs qui in summo luctu erant cantũ exigere. Tristitiam summam elegantibus verbis proponit, cum (inquit) suspendissemus lætitiam, alij legunt lætitiæ: subintelligentes instrumenta musica: in hanc sententiam: cum suspendissemus organa lætitiæ: alij autem pro תולליבו Thololenu quod nos vertimus suspendimus à verbo תלה Tholoh suspendere (nam legendum erat תולינו Tholinu) legunt יללוניבו Iileloſennu in vlulatu nostro quod sequutus est D. Lutherus & vertit. **Dann daselbs hiessen sie vns singen/die vns gefangen hielten/vnnd in vnserm heülen frölich sein.** Etsi autem vtraq; versio nihil quod ad sententiam ipsam absurditatis habet, tamen cum non sine maxima causa à verbis textus & Grammatica discedendum sit, retinui verba Psalmi in versione, & lego: suspendimus lætitiam id enim quod ante dixerat suspendere Cytharas iam quasi explicat eos cum instrumentis musicis omnem suspendisse lætitiam: sicut nos Germani dicimus, **man hat alle frewd**

frewd eingeſtelt/aut certe per lætitiam metonymicè inſtrumenta hilaritatis, hoc eſt muſica illa intelligit de quibus ante dixerat. Quæ ſubijcere nolui, cum verſiculus iſte propter varias interpretum opiniones obſcurior eſſe videatur. Poſtremo in hoc verſu Memeſis eſt et σαρκάσμὸς Nam introducũtur Babylonij loquentes & petentes canticum & quidem per Ironium ſiue inſultationem hoſtilem quam Græci σαρκασμὸν vocant. Cantus autem de Sione vt ſupra diximus potiſſimum de cultu intelligẽdus eſt, præſertim cum cantu & muſicis inſtrumentis feſtis diebus ad exornanda ſacra vterẽtur, quod inprimis in deductione arcæ videmus vbi ipſe rex fidibus luſit ante arcam DOMINI. Deinde Sion ſæpè pro Eccleſia uſurpatur. His præmiſſis facilis eſt huius verſiculi intelligentia.

Cum (inquit) in ſumma etiam perturbatione & maximo luctu ſederemus, ad ſenſum acerbiſſimi doloris noſtri, illud etiam acceſsit, quod ſuperbiſsimi victores qui nos à patria, bonis omnibus, templo & cultu diuino abſtraxerant, & in triſtiſsimam ſeruitutem coniecerant, non putabant ſe deſiderio ſuo ſatisfeciſſe, niſi miſeris & qui omnem lætitiam, lætitiæq; ſigna ſuſpenderant, illuderent & mandarent, vt in ſumma triſtitia caneremus, quo quid poteſt excogitari, vel inhumanius vel crudelius? flentibus riſum, afflictiſsimis cantum, exulibus muſicam imperare, & lachrymas qualecunq; ſolatium doloris, hominibus negare miſerrimis imò verò irridere, non ſolùm ipſos ſed ſacra omnia & Deum Opt. Max. Neq; enim quemlibet cantum poſtulabant ſed dicebant: Nunc nobis canite de Syone quam inuictam eſſe credebatis de tem-

plo

plo illo celebri, quod potentiæ regis noſtri ſuperbè opponebatis, clamantes templum DOMINI, templum DOMINI, quaſi illud nullis humanis viribus expugnari poſſet, aut nulli eſſent Dij, qui Deo Iſraëlis comparari poſſent. Canite ergò nobis, vbi nũc ſint illæ inuictæ Hieroſolymæ, vbi arx Sionis, vbi templum, vbi Dei veſtri auxilium, quo tantopere confidebatis: nunquid omnis veſtra illa ſpes in fumos abijt? proferte aliquid ex vetere cultu veſtro, canite Pſalmos veſtros vt & nos illa egregia muſica recreemur.

Non dubium eſt, hoc voluiſſe Chaldæos cum carmina expoſcerent ab Hebræis: ex quibus intelligimus, quam virulentæ ſint Diaboli irriſiones, quam ad euertendos & præcipitandos afflictos comparatæ. Nam quæ ab impijs ſcommata vſurpantur aduerſus perturbatos, certè Diaboli ſunt ignita iacula, qualia illa Babyloniorum fuerunt. Initio enim homini nihil eſt acerbius, quàm cum in aduerſis irridetur. Nam cum res nobis parum ſecundę ſunt commiſerationem ab omnibus expectamus, quam ſi viderimus nobis negatam, noſq; ab alijs irrideri, dici non poteſt, quantum hoc nobis dolorem, quantos etiam cruciatus afferat. Hanc fortunam Chriſtus prædicit ſuis diſcipulis, Ioan. 16. Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Sed riſus Diaboli aliud quiddam in receſſu habent, neq; enim ſolum creare homini dolorem moleſtiamq; ſtudent, ſed etiam impatientiam & murmura aduerſus Deum: Cuius rei exemplum in hiſtoria Iobis extat, quem cum diſputando exagitarent amici, faciunt vt nonnulla contra DOMINVM cum impatientia loquatur

vt notum est. Adhæc hoc agit malus ille Spiritus irrisionibus suis, vt in desperationem, contemptum Dei nos conijciat. Etenim cum hoc loco impij petunt ab Hebræis, vt de Sione canant, non solùm irrident ipsos, sed euentu ipso probare volunt, promissiones diuinas de conseruatione populi Iudaici nihil esse, nec ei Deo fidendum, qui suos cultores in tantis calamitatibus deserat. Et aliâs diximus Dauidem queri, σαρκοσμὸν istum, quando impij dicunt. Vbi est Deus tuus penetrare ad ipsas medullas. Hoc expertus etiam est Hiob, nam cum in summa miseria esset constitutus, vxor dixit. Adhuc permanes in simplicate tua? Benedic Deo & morere, ac si diceret, quid est quod Deum tuum colis & interim miserè peris? an laus tribuenda ei Deo qui suis non adest in summis periculis. Videmus quomodo sanctus vir ad blasphemiã & desperationem sit sollicitatus. Quærenda autem contra tam graues Diaboli insultus idonea remedia sunt. Initio cogitandum est, hanc esse omniũ piorum fortunam quod irrideantur à Diabolo & suis, quæ nobis non nimis acerba debent videri, cum harum calamitatum socios, Prophetas, Apostolos, ipsum Dei filium habeamus. Deinde non putemus Deum deseruisse suos aut suarum promissionum non esse memorem, cum impijs permittit vt nos non solùm affligant sed etiam irrideant. Sæpe enim pios exercet calamitatibus ad patientiam & fidei augmenta: quæ disputatio copiosè tractatur à Hiobe contra amicos suos. Sæpe etiam meritis hominum tales pœnæ debentur. Nam Hebræi de quibus in hoc Psalmo agimus & idolatria, & alijs peccatis se polluerant seq; indignos fecerant promissio-

promiſsionibus & beneficijs diuinis. Poſtremo & hoc diligenter perpendendum eſt DOMINVM eos quos in contemptum mundi & diaboli coniecerit, ſi pœnitentiam agant, liberare & reſtituere honori ſuo: quod Hebræis etiam præſtitit quos ſumma gloria in patriam reduxit.

4. *Quomodo cantabimus canticum DOMINI in terra aliena.*
5. *Si oblitus fuero tui ô Ieruſalem, obliuiſcatur dextra mea (ſubintellige artis ſuæ aut officij ſui.)*
6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non aſcendere fecero Ieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.*

Reſponſio eſt Hebræorum, quæ non tam ad Babylonios, quam DOMINVM dirigitur in qua oſtendũt, ſe id quod per riſum & ironiam petant Chaldæi, in primis expetere, vt de laudibus DOMINI canant eum celebrent ſed id non poſſe fieri in terra aliena vbi ſedeant triſtes & quidem inter hoſtes, Dei & cultuum cõtemptores, præterea etiã feſtos dies & reliqua ſacra non poſsint peragere ijs, quibus vellent ceremonijs cum vrbs & templum ceciderint. Deinde addunt ſe tamen nunquam oblituros patriæ, nec velle deſpondere animum de reſtauratione eius, quam DOMINVS per Hieremiam promiſerit. Poſtremo promittunt ſancte ſe memoriam patriæ antepoſituros omnibus ijs, quæ ipſis ſint iucunda & accepta. Quæ oratio non tam referenda eſt ad deſiderium patriæ quam ad veram fidem, quæ ſtatuebat, non modè Hieroſoly-

mas ex eineribus, ſed cultus etiam diuinos ex ſitu ſqualoreq; illo DOMINI benignitate vindicandos. Vult ergò Pſaltes his verbis pietatem populi commendare, qui magis de Eccleſia verisq; cultibus (qui tum periclitari videbantur) quàm ſua ſalute perturbatur. Deinde non deſperat, ſed eiecta in Deum fide liberationem & reſtitutionem verorum cultuum expectat. Denicq; amorem pietatis omnibus delicijs præfert, & ideo dignus, qui à DOMINO exaudiatur. Quæ populi pietas egregiè impietati Babyloniorum (vt ſuprà diximus) opponitur.

Locus autem iſte varia figurarũ & amplificationũ ornamenta habet. Primo interrogatione vſus eſt Pſaltes. Quomodo cãtabimus? Deinde cantare DOMINI canticum per Synechdochen ſignificat, celebrare DOMINVM & cultus veros cantu ornare. Eſt etiã in his verſibus amplificatio per ratiocinationem, nam cum deſiderium patriæ in Hebræis ſummum ſit, id autem propter cultum Dei tam ſit ardens, facilè intelligitur, quanto promouendi veri cultus ſtudio teneantur. Præterea cum de ſtudio illo populi loquitur, vſus eſt aſſeueratione aut καταρᾶ, nam imprecantur ſibi dira ſi obliuioni tradant Hieroſolymas. Primo, vt dextra obliuiſcatur, quod Ecclipticum eſt, ſubintelligendum autem eſt aliquid: dextra obliuiſcatur ſui muneris aut ſuæ artis. Quales apud Germanos imprecationes ſunt, cum dicunt. **Wölle Gott wann ich das thue/ das ich an Henden vnd Füſſen erlame.** Quod autem obliuionem tribuit dextræ προσωποποιίτικον eſt, ac ſumitur pro paralyſi manus, nam ſolutis neruis, ea ſuũ officium facere amplius non poteſt. Deinde imprecantur

cantur ſibi mutitatem, quod προφέρεσθαι expreſſum eſt, vbi dicit: adhæreat lingua mea faucibus meis. Hæc autem vehementiſsima aſſeueratio oſtendit non loqui populum de puerili deſiderio patriæ, ſed de alia quadam maiore cura, & tali ſtudio, quod ſumma religione promitti & ſeruari etiam debeat. Ad extremum hoc ipſum ſtudium amplificat comparatione, cum dicit ſe illud omnibus iucundis prępoſiturum eſſe. Caput lætitiæ pro ſumma & præcipua lætitia poſuit: qua ſignificatione vocabuli illius etiam Latini vtuntur. Habent ergo, iſti verſus multum in receſſu, & vt ſumma dicamus hoc vult Pſaltes.

Et his quidem irriſionibus Chaldæi hoſtes noſtri vtuntur. Vtinam verò id quod ipſi Salſe contra nos dicunt verè præſtare concederetur, & non modò muſicis inſtrumentis, ſed omnibus rationibus & modis prædicare gloriam nominis tui, ornareq; cultus à te mandatos poſſemus. Sed proh dolor hoc nobis in hoc triſti exilio, vbi à patria dulciſsima exulamus, vrbem & templum, in quo tu omnem ceremoniarum rationem ſuſcipi voluiſti amiſimus, non licet. Et cur margaritas canibus proijceremus abuſuris noſtris carminibus ad contemptum tuum & irriſionem noſtri? Quanquam autem hoſtes noſtri, omnino ſibi perſuadent, omnem noſtrã ſpẽ vnâ cum vrbe & tẽplo intercidiſſe, non tamen vnquam Hieroſolymæ veſtri obliuiſcar, & ſi obliuioni vos tradam dextera mea paralyſi ſoluatur, nec amplius faciat officium ſuum: lingua & vox mea faucibus adhærens perpetuum mihi ſilentium imponat, ſi non vos omnibus quæ in delitijs habeo anteponam. Neq; enim dubitare poſſumus de ijs

quæ DOMINVS de reſtitutione in patriam, templi inſtauratione, conſeruatione Eccleſiæ ſuæ, cum per alios tum vero Hieremiam qui epiſtola & threnis ſuis nos conſolatus eſt, nobis eſt pollicitus. His ergo cogitationibus & dulci patriæ memoria tantiſper nos recreabimus in his ærumnis & calamitoſo exilio donec tibi clementiſsimo patri viſum fuerit ſoluta ſeruitute Babylonica nos aut hæredes noſtros in patriam reducere & inſtaurare cultus diuinos, quibus nobis quidem in hac vita nihil iucundius & optatius accidere poteſt.

Non ſine cauſa Eccleſia quæ tum viuebat magnis viris & ſanctis formulam præſcribentibus tanta aſſeueratione verborum promittit ſe memoriam Hieroſolymarum æternam eſſe retenturam. Non enim (vt diximus) tantum apud ipſos valebat amor patriæ vt ea, volente DOMINO, non libenter fuerint carituri: & ſanè cum ſeruitus illa duraverit per 70. annos, minima pars eorum, qui fuerant abducti, in patriam rediit. Non ergo agebatur de vrbe & patria, ſed de certitudine promiſsionum diuinarum, quibus ſe inter tot ærumnas erigebant. Sic piorum & Chriſtianorum eſt, omnia in poſtremis habere præ illa excellenti cognitione, quam habemus in Ieſu Chriſto & ea patria, vbi in hac vita in ciuitatem DOMINI aſcribimur, & hæredes ſumus futuri æternarum Ieroſolymarum. Quid enim ſi homo totum mundum lucraretur & animæ eius traderetur gehennæ. Quid emolumenti eſt, tales habere diuitias & opes quæ vt vmbra euaneſcunt. Quod autem Hebræi hoc loco imprecantur ſibi maxima mala, ſi obliuiſcantur Hieroſolymarum, id experiuntur

periuntur impij quibus Babylon huius mundi, hoc est, carnis illecebræ eam rerum sacrarum obliuionem persuaserunt, vt non curent eas: sicut ij qui cum reuocaretur populus in patriam, maluerunt in Babylone manere, quam instaurare ruinas vrbis & templum, isti & in hoc & futuro sæculo miseri fuerunt. Deinde etiam Hebræi qui ante vastationem vrbis vixerunt. Etenim cum Christum & Apostolos persequerentur, & vitijs omnibus se polluerent, ac propè Græco more viuerent, obliti antiquitatis & Legis diuinæ, euenit eis, quod habet imprecatio illa, nam & dextra manus illorum soluta est, hoc est, omnes conatus illorum irriti & infelices fuerunt. Deinde etiam quantum attinet ad agnitionem veritatis omnes muti sunt, nec habent quidquam, quàm traditiones humanas, de Christo autem & eius merito muti sunt omnes illorum libri, dissolutæ ipsorum manus, cæci oculi. Qua de re non solùm Prophetę multis locis vaticinati sunt, sed ipsi etiã Rabini id fateri coguntur. Ita enim autor Epitomes Thalmudicorum voluminum scribit. Et quoniam prolongati sunt nobis dies captiuitatis nostræ, infirmata sunt genua nostra, exaruit virtus nostra, dissolutæ sunt manus nostræ, obstupuit cor nostrum, hebetes facti sunt oculi nostri, aggrauata est auris nostra, muta facta est lingua nostra, ablatus est loquens nobiscum, obturati sunt fontes sapientiæ nostræ, prolixæ & implicatæ sunt opiniones, multiplicatæ sunt controuersiæ & Rabinorum sententiæ. Nec est reliquus vnus versus, qui non opinionum varietate implicitus sit. Ac passim multi discurrunt ad querendum verbum DOMINI & non inueniũt. Hæc *In præfatione lib. 2.*

ille

ille: vbi videmus quamuis eos cæcati ſint intelligere ſuas & manus diſſolutas, linguam faucibus hæſiſſe, ita vt nullam veram ſolidamq; ſcripturarum interpretationem habeant. Nos ergo aliorum malis cautiores, exitialem illam obliuionem verbi & Euangelij vitemus, ne eaſdem pœnas experiri cogamur, quas Hebræi ingrati.

7. *Memor eſto DOMINE filiorum Edom in die Ieruſalem, qui dicunt, nudate, nudate, vſq; ad fundamentum in ea.*
8. *Filia Babel vaſtata, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis.*
9. *Beatus, qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petram.*

Verſu ſeptimo Edomitæ, reliquis duobus Babylonij accuſantur, vterq; autem arguitur nomine ſummæ crudelitatis, quam in vaſtatione vrbis exercuerunt. Nam ſuperior Babyloniorum accuſatio vbi & inhumanitatis & crudelitatis rei aguntur ad tempus captiuitatis pertinet, iſta ad tempus vaſtationis. Petunt autem Hebræi pœnam talionis, vt eo quo illi peccauerint modo puniantur. Breuis eſt quidem Edomitarum accuſatio, ſed neruoſa. In verbo memento latet propoſitio, propoſita vehementi Apoſtrophe ad DOMINVM. Petit autem vt DOMINVS non velit obliuiſci iniuriarum quas Ædomitæ populo Dei intulerant, ſed (vt ſequitur in accuſatione Babyloniorum) par pari referat. Habet etiam tacitum argumentum, DOMINE tu es iuſtus iudex, ergo non obliuiſceris iniurias

iniuriarum, quas Edomitæ fecerunt, nam talis oblivio etiã in homine iudice probrosa esset. Deinde non ociosum est nomen Edomitarum, præsertim cum vocet eos filios Edom. Notum enim est fratrem Iacobi Patriarchæ vocatum fuisse Ædom, hoc est rufsum, à rubro pulmento, quo vendidit primogenituram suam vt scriptum est Genes.25. Cum ergo patris, & prosapiæ Edomitarum mentionem facit, indignitatem iniuriæ à persona amplificat. Debebant enim Edomitæ perturbari calamitate suorum consanguineorum, qui ipsis, cum cæteræ gentes ex Palestina ejicerentur, pepercerunt, cum autem nec beneficij nec propinquitatis memoriam retinuerint, inhumanissimi sunt. Sed accessit etiam iniuriæ Hebræis illatæ amplificatio à tempore, quia in die Hierusalem hoc faciebant. Diem autem Hicrosolymarum κατὰ τὴν ἡμέραν χὼ vocat triste & alienissimum reipublicæ Hierosolymitanæ tempus, hoc est, eum diem, quo vastata est vrbs. Tempore autem tam calamitoso miseris insultare, inhumanissimum est. Iam verò ipsa iniuria summa fuit: nam hostibus Chaldeis fuerunt crudeliores. Non enim illis satis erat destrui Ierosolymas, sed hortati sunt Babylonios, vt etiam fundamenta effoderẽt. Vbi Psaltes vsus est, mimesi Edomitarum cohortationum hostes, vt omnia nudent, & destruant, ita vt ne lapides quidem fundamentales remaneant. Et hęc quidem de Edomitis. Babyloniorum accusatio obliqua est: videtur enim duntaxat imprecatio esse pœnæ. Nam dicit eam vastatam, hoc est, vastandã, more Hebræorum, qui sæpè præteritis pro futuris abutuntur. Item pueros allidendos ad petras. Sed quia retri- *Deut.2.*

butionis aperta fit mentio, ideo ſimul intelligenda eſt accuſatio. Babylonios vaſtandos, qui ipſi vaſtauerint vrbem: pueros infantes illorum allidendos, quia ipſi hoc in expugnatione Ieroſolymarum fecerint. Acceſ ſit autem amplificatio eos fore beatos qui vices retri buant Chaldęis: tantam enim eſſe improbitatem Chal dæorum, eoſcꝫ tam grandi pœna eſſe dignos, vt co ram Deo, id ſit futurum laudabile, quod alioquin cru dele & immane habetur. Æquitatis ratio in talione eſt: DOMINVS enim vult pœnam reſpondere deli cto, & homines quemadmodum peccauerunt ita pu niendos. Nunc breui paraphraſi iſta omnia comple ctamur, vt intelligatur quomodo noſtra interpreta tio cum textu conſentiat.

DOMINE qui iuſtus es iudex nec vnquam voluiſ ſti conniuere ad improbitatem & ſcelera hominum, memento iniuriarum, quas nobis fecerunt Edomitæ, quorum erat nobiſcum venire in ſocietatem doloris & miſeriarum, quia & conſanguinei noſtri ſunt, & noſtro beneficio ſuum regnum retinuerunt, cæteris regibus & populis eiectis: verum cogitationes iſtæ non potuerunt eos flectere ad miſericordiam, ſed cru deliores ipſis hoſtibus fuerunt. Nam cum funeſtus il le dies noſtræ vrbi illuxiſſet & Hieroſolymę ruerent, arderet templum, nos miſeri in ſeruitutem trahere mur, ipſi non modò calamitatis noſtræ iucundos ſpe ctatores ſeſe præbuerunt, ſed hortatores erant Chal dæis, vt à fundamentis euerterent menia vrbis & tem pli. Subuertite dicebant ſubuertite ô Chaldæi effodite fundamenta exoſæ vrbis, ne illa vel ad memoriam po ſteritatis ſuperſint. Hanc Edomitarum inhumanita

tem

tem an tu DOMINE inultam patieris & non potius iuſtam pœnam rependes? Et tu Babylonia quæ non conquieuiſti antequam vrbem noſtram vaſtares, tu quoq; vaſtaberis & monarchiam, qua nunc te magnifice effers amittes. Qui autem te præcipitabunt & tuis factis digna retribuerint beati felicesq; habebuntur. Cum etiam tanta in expugnatione, Hieroſolymarum tua fuerit crudelitas, vt nulli ætati ſexui parceres, pueros infantes ad petras crudeliter allideres, iuſto Dei iudicio eadem mala experieris, & prædicabitur eorum felicitas qui eaſdem pœnas abs te repetent. Hactenus Pſaltes.

Edomitæ qui in ſummo Hebræorum luctu ſe cum hoſtibus eorum coniunxerunt, & multo quam ipſi Babyloniꝫ fuerunt crudeliores, oſtendunt quanta ſit potentia Satanæ qui non ſolùm peregrinos, ſed domeſticos aduerſus Eccleſiam armare conſueuit, quo ſtratagemate duo vulnera infligere Eccleſię ſolet, vnũ vt incautos facilius præcipitet. Sic in Eccleſia veteris Teſtamenti ſubornauit Pſeudoprophetas qui non ſolum profeſsionem fidei veræ, ſed donum etiam vaticinandi iactabant. Deinde temporibus Apoſtolorum perſonatos Apoſtolos emiſſarios ſuos ad perniciem innumerabilium hominum ablegauit, quos D. Apoſtolus Ioannes vocat antichriſtos, dicens: egreſſos eos eſſe ex ipſis, ſed non fuiſſe ex ipſis. 1. *Ioan.* 2. Et in primitiua Eccleſia Hæretici qui non modo Catholicæ doctrinæ ſe fauere iactabant, ſed iiſdem quibus Orthodoxi verbis vtebantur magnis incommodis affecerunt Eccleſiam, ſicut hodie etiam multi ſub pellibus ouillis & integumentis veræ profeſsionis quamplu-

rimis imponunt,& ea faciunt vulnera quibus medendis pij Doctores vix sufficiunt. Sed quando ipsis personam non circundat,verum apertè eos opponit pijs, ibi nouo vulnere pios sauciat. Nam quod aliàs quoq; dictum est,acerbissimum dolorem affert sanctis, si videant se à coniunctissimis hominibus lędi:de hoc Dauid in Psalmis sæpè,Micheas capite 7,quęsti sunt:Inimici inquit,Micheas,hominis sunt domestici eius,sed illa mala,quæ ab inimicis proficiscuntur, æquo feramus animo, cum sciamus DOMINVM esse vltorem, cuius vindictæ testes sunt Ezechiel 25. Hieremias 49. capitibus,& Abdias,qui ostendunt,quomodo ira DOMINI aduersus Edomitas exarserit, & quod eos dignis pœnis affecerit. Deinde in genere Babylonij, quorũ liberi miserrimè trucidati sunt, suppeditãt nobis præclaram consolationem, DOMINVM iusto suo iudicio retribuere impijs ea, quæ vel per calumniam vel vim contra alios susceperunt. Semper eim ita videmus esse comparatum,vt ea pœna comitetur impios, quæ antè in ipsorum improbitate conspiciebatur aduersus alios.

Historiam expugnationis vrbis Babylonicæ vide in Xenophonte & Plinio.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum hic Psalmus,vt ab initio meminimus,alienissimo Ecclesiæ & Reipublicæ Iudaicæ tempore scriptus, consolandi gratia publicè in populo Dei fuerit propositus, nos etiam,quãdo in aduersis, maximè ijs, quæ ab hostibus aduersarijsq; acerba nobis accidunt versamur, eo nos solemur. Intueamur tristem faciem Ecclesiæ, quæ tum erat, audiamus ipsorum gemitus

ad

ad flumina Babylonis, & emendemus in melius, quæ perperam à nobis facta esse intellexerimus. Et si eam seueritatem DOMINVS ostenderit, vt putemus eum omnino nos deserturum, tamen cogitemus DOMINVM tum, cum Hebræos ad seueriſsimam castigationem vocaret, tamen nec misericordiæ, nec paterni animi oblitum. Deinde non perturbemur nimium, si nobis Diaboli & aduersarij veritatis insultent, sciamus victoriam fortitudinemq; nostram esse in silentio & spe. Et quanto acerbiora hostium aduersus nos odia sunt, tanto eos esse viciniores pœnæ. Nam cum malitia impiorum in summo est, tum præcipiti ruina ad iustam Dei pœnam pertrahuntur.

Psalmus 138.

Dauidis.

Confitebor tibi in toto corde meo.

Salmus superior descripsit summũ desiderium, quo Hebræi erga patriam ardebant: diris se deuouent, si memoriam ipsius vlla obliuione obrui, patiantur. Diximus autem in eius carminis interpretatione, non fuisse pios, qui tum viuebant, ita angusti abiectiq; animi, vt tantoperè patriæ amore mouerentur: præsertim, cum scirent, vaticinantibus Prophetis, seruitutem eam ad

annos 70. duraturam, & multi essent, qui per ætatem tempora restituendæ libertatis attingere non possent: Sed tamen memoriam Hierosolymarum sempiternam esse volunt: quia animo prospiciebant, in ea vrbe Messiam concionaturum & æditurum miracula, ex ea Euangelium de DOMINO & Seruatore nostro Iesu Christo, diuulgandum ad omnes populos orbis terrarum. Hæc spes, quæ animum optimi cuiusq; mouere maiorem in modum debet, efficiebat: vt meditatione instaurandæ vrbis nihil posset eis esse iucundius. Nam ea restitutio non modò initium erat sequuturæ per Christum libertatis, sed tacita etiam eiusdem confirmatio. Cum enim DOMINVS prȩter omnium ferè opinionem id, quod de vrbe promiserat, præstaret, non dubiam in spem pij erigebantur, fore vt reliqua etiam, quæ maioris momenti erant, & à corporalibus istis promissionibus dependebant, suum complementum haberent. Sed sancti etiam Dei homines, qui ante illam vrbis cladem vixerunt, istam commentationem voluerunt sibi perpetuam: ac plebem ad eam inuitaturi, varias de Christo conciones, adhortationes, laudationes, Psalmos, parabolas & allegorias proponebant. Quam varius in eo argumenti genere Esaias est? Quam copiosus & industrius noster Psaltes? Idq; duas maximè ob causas faciebant. Initio, vt caput doctrinæ cœlestis de Christo diligenter inculcarent. Deinde, vt intelligerent etiam parum eruditi, non esse in externis promissionibus acquiescendum, nec desperandum, si quid accideret Reipublicæ nomine grauius: sed defigendos oculos in solidas & immotas illas promissiones de Christo, de eius regno, beneficijs,

neficijs, & æterna hæreditate. Hoc ergo argumentum, quod Psalti familiare iucundumq; est, in hoc quoque Psalmo tractat. Quanquam enim nonnulli ista ad Dauidem referant, qui post clarissimas victorias DOMINO gratias agat: tamen cum versu quarto & quinto luculentissima uocationis gentium fiat mentio, & alioquin Psalmus egregia testimonia de Christi regno habeat, committendum non est, vt victorijs Dauidicis id tribuatur, quod summo victori & triumphatori Christo debetur. Est autem in hoc carmine Gratiarum actio, pro Euangelio in totum orbem diuulgato, per quod Christus misericordiam, veritatem & nominis sui gloriam vult innotescere omnibus hominibus. Vtitur autem tali ordine. Initio in genere proponit, DOMINVM laudandum, quia probauerit se misericordem & veracem esse, & gloriam nominis sui proposuerit toti orbi per Euangelium. Deinde in specie enumerat, quam præclara illa doctrina sit, & quanta beneficia Christi nobis in eo explicentur. Sed Gratiarum actioni præmittit exordium, cui coniuncta est propositio.

1. *Confitebor tibi in toto corde meo, coram Dijs psallam tibi.*
2. *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Confiteri (vt sæpè dictum est) significat laudare & gratias agere. Vt autem ad illam Gratiarum actionẽ omnes studium audiendi adiungant, ait se non negligenter ea de re dicturum, sed tota animi contentione gratias acturum DOMINO. Deinde tantam rem esse,

quæ

quæ pertineat ad multos, & eos quidem potentiſsimos, quos Deos appellat (ſic enim ſcriptura magiſtratus, & qui cum poteſtate ſunt, vocat) nec acturum alibi, quàm in templo. Dignam enim eſſe eam materiam, quæ ampliſsimo loco tractetur, & ſummiſsè ibi DOMINO gratiæ agantur: nam hoc vult verbum אשתחוה Eſthachaue, quod ſignificat pronum adorare. Denicq; addit, ſe prædicaturum nomen DOMINI & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quo nihil dici aut cogitari poſsit præclarius. Reliquam partem verſus poſtea exponemus. Vt autem ſententia verborum illorum etiamnum clarior fiat, includamus paraphraſi.

Tibi DOMINE Ieſu Chriſte, cui omnis laus & gloria debetur, gratias agam, & gloriam nominis tui celebrabo: idq; omni ſtudio totáque animi contentione faciam. Tanta enim tua in totum genus mortalium beneficia extant, vt in ijs prædicandis omni conatu elaborare debeamus. Nec ego ad paucos quoſdam & plebeios de tuis laudibus dicam, ſed ad eos, quos ornaſti maximis honoribus, dignitatibus, imperijs, & quaſi Deos quoſdam terrenos ac vicarios tuos eſſe voluiſti. Nam illa beneficia tua, de quibus acturus ſum tibi gratias, ad vniuerſum genus humanum pertinent: Itaq; eius diligens meditatio, ad eos etiam ſpectat, qui alijs duces ad bene beateq; viuendum eſſe debent, quales ſunt magiſtratus, principes, reges. Tibi etiam Dei fili vnigenite vnà cum Patre & Spiritu ſancto, ſupplex ad ſanctum tuum templum proſtratus, eas quas vel animo concipere poſſum, gratias agam, te adorabo, te celebrabo. Etenim illa bona, quæ largiturus es DOMINE, tanta ſunt, vt

non

non modò in hoc ampliſsimo loco prædicanda ſint, ſed omnibus in vniuerſum toto terrarum orbe diuulganda. Hoc eſt exordium gratiarumactionis, quod nos accendere ad veram gratitudinem debet. Nam ſi Prophetæ, qui tot ſæculis abfuerunt à Chriſti natiuitate, tam præclaras gratiarum actiones inſtituunt, & exultant propter Chriſti aduentum: quantò maius ſtudium in nobis exiſtere debet, qui ſcimus Chriſtum ſuo aduentu ea omnia, quæ illi expectabant, compleuiſſe? Ideo Paulus nos hortatur, vt indeſinenter gratias DOMINO agamus: vult etiam, vt canamus DOMINO non ſolum ore, ſed etiam cordibus. Quæ res etiam hîc expreſſa eſt in Pſalmo, vbi pollicetur, ſe toto corde gratias acturum DOMINO. Nam ea gratitudo, quæ duntaxat in extremis labijs hæret, & in quadam volubilitate linguæ conſiſtit, laudabilis non eſt. Etenim, vt DOMINO eæ demum preces probantur, quando homines (vt ipſe eſt loquutus, adorant in ſpiritu & veritate: Cum enim DOMINVS ſit Spiritus, vult etiam adorari ſpiritu & veritate:) Ita ea gratitudo placet, quæ & à propoſito & affectu animi proficiſcitur: diſplicet autem omnis hypocriſis & humilatio. Eſt etiam coniuncta cum laudabili gratiarum actione animi demiſsio, vt ea, qua decet, veneratione de maximis DOMINI beneficijs cogitemus. Ideo Dauid dicit, velle ſe prono, & corpore, & vultu adorare DOMINVM, veramq; gratitudinem ſignificare. Hoc defuit phariſæo, qui elatum animum ad ſuam gratiarum actionem afferebat, & ideo eam DOMINO nõ adprobauit. Præterea ocioſum non eſt, quòd coram Regibus & in templo vult inſtituere eam. Nam pij cõten- *Luc. 18.*

ti non esse debent priuata illa gratitudine: sed autores etiam alijs, vt de beneficijs DOMINI cogitent, & coniunctis studijs nomen DOMINI celebrent, quæ nostra etiã in futura ac beata illa vita futura est functio.

Pro misericordia tua & veritate tua quoniam magnificasti super omnia nomen tuum verbo tuo (aut per verbum tuum:)

Ratio est addita propositioni. Dixerat Psaltes, se gratias acturum DOMINO & celebraturũ eius nomẽ: nunc exponit, quare velit hoc suscipere, videlicet propter misericordiam & veritatem DOMINI, & quia per suum verbum fecerit celebre super omnia nomen suum. Cum Psaltes hoc loco de Christi beneficijs loquatur, misericordiam intelligamus viscera misericor-
Luc.1. diæ, quibus nos visitauit oriens ex alto: quod filius in hunc mundum venit, peccatores saluos facere. Quanquam enim misericordia DOMINI infinitis argumentis se prodit: tamen Propheta rectè κατ' ἐξοχὴν hîc eam intelligit misericordiam, quod DOMINVS non pepercerit filio suo, sed tradiderit eum pro nobis. In hac misericordia decantanda omnes Prophetæ & Apostoli occupantur. Dauid Psalm. 103. dicturus de DOMINI summa clementia dicit: Miserator & misericors DOMINVS tardus ad iram & multum misericors. Non secundum peccata nostra fecit nobis, nec secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Dauid poterat alia quoq; signa misericordiæ ex rerum natura petere: quis enim hanc totam mundi fabricam instituens, non agnoscit indulgentiam DOMINI paternam,

nam, qui tot res, ad vsus & commoditates hominum creauit? Sed hoc maximum & præstantissimum clementiæ ipsius indicium est, quod gratis remittit peccata, & vt pater filiorum miseretur, sic ipse miseretur timentibus se. Hanc misericordiam D. Apostolus in omnibus ferè Epistolis suis prædicat, & cum nota sint loca, opus nō est, ea huc congerere. Sed Dauid non solùm propter misericordiam, sed veritatem etiam vult nomen DOMINI prædicare & extollere: nam quæ prædictionibus & vaticinijs Prophe- *Mich.5.*
rum Patribus promiserat, ea in filio omnia præstitit, *Psalm.22.110.*
patriam, prosapiam, mortem, resurrectionem Christi, 15.58.
beneficia etiam & dona, quæ ascendens in altum distributurus sit magnus hic triumphator, prædixit, ea nobis in Christo seruatore cumulatè præstitit. Laudandus postremo dulcissimus seruator noster Christus est, quod verbo suo magnificauit nomen suum super omnia. Verbum Christi est Euangeliū, per quod nomen eius beneficia & æterna gloria in toto orbe ad salutem hominum decantantur. Nam si non fuisset nobis significata illa salutaris Christi historia, nullus eius ad nos fructus peruenisset. Quomodo enim ei credidissent, de quo non audiuissent? Ingens ergo beneficium est, quod Christus gloriam nominis sui & merita sua per sanctos Apostolos omnibus hominibus patefecit: Eritis, inquit, mihi testes non solùm Hie- *Act.1.*
rosolymis, verùmetiam in vniuersa Iudæa, Samaria, denicp vscp ad extrema terræ. Quid quod D. Paulus 2.*Cor.5.*
scribit, Apostolos legatione fungi nomine Christi, vt homines reconcilientur Deo? Quis pro dignitate satis prædicauerit immensam DOMINI bonitatem, qui

à nobis offensus, & ad iustissimā indignationem prouocatus, legatos pacis ad nos ablegat, & is, à quo reconciliationem petere debebamus, petit, vt sibi reconciliemur. In genere ergo Psaltes proposuit, Christo summas gratias agēndas, pro misericordia, beneficijsq; suis, quæ toti humano generi per Euangelium suum annunciauit.

Nemo est (inquit) qui tibi Christe Opt. Max. satis magnas gratias pro beneficijs tuis agere possit: tu enim non solùm communibus illis rationibus, quibus in liberando tuo populo olim vsus es, misericordiam tuam vltimis temporibus ostendes, sed ipse adueniens, fontem omnis tuę bonitatis in nos deriuabis, cum humana natura assumpta sacrosanctum tuum sanguinem pro salute nostra effusurus es, reconciliaturus nos Deo Patri cœlesti tuo. Et tum quidem non solùm misericordiam, sed etiam veritatem & constantiam tuarum promissionum probabis. Nam quæ de te Patriarchæ, quæ sancti Prophetæ prædixerunt, ea omnia impleturus es. Ac sanè Deus Pater cœlestis, cui tu obediens es futurus vsq; ad mortem, & quidem mortem crucis, te in summam sublimitatem efferet, & donabit nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu se flectat, omne genu cœlestium ac terrestrium & infernorum. Eam autem nominis tui gloriam & beneficia ingentia, quæ tua erga homines extant, per Euangelium omnibus nationibus, gentibus, populis orbis terrarum significabis qui etiam tuo merito (si crediderint) ab omnibus, peccatis suis absoluentur, & tecum viuent immortales.

3. *In quacunq; die inuocauero, exaudiſti me, roboraſti me in anima mea fortitudine.*

Quæ de Chriſti DOMINI & Seruatoris noſtri beneficijs & Euangelio, per quod illa ad omnes, qui in hoc mundo viuunt, publicantur, in genere dicta ſunt, ea iam in ſpecie recenſet. Nam obſcurior fuiſſet Prophetæ oratio, ſi duntaxat dixiſſet, DOMINVM propter miſericordiam & veritatem laudandum eſſe, niſi etiam docuiſſet, quibus in rebus eius miſericordia maximè cernatur. Fuiſſent deinde illa verba magis inuoluta, vbi dicit, DOMINVM nomen ſuum verbo magnificaſſe, ſi non Propheta partibus illuſtraſſet, quam præclara nobis per Euangelium Chriſti proponantur, propter quæ meritò nomen DOMINI extollendum & celebrandum ſit. Hoc autem tertio verſu duo maxima beneficia Chriſti recenſentur: quòd credentes in Chriſtum ſtatim exaudiantur: Deinde quòd DOMINVS cos ſuo Spiritu erigat, ſoletur. Nam ſic intelligenda ſunt verba huius verſiculi. Maxima (inquit) in Chriſto beneficia nobis exhibentur, & illud inprimis, quod ij, qui per ipſum Deum Patrem cœleſtem inuocant, repulſam non ferunt, ſed eo ſtatim momento, quo preces ad DOMINVM inſtituunt, exaudiuntur. Quod ſi verò videtur DOMINO ipſos aliquandiu cruce miſerijſq; ad patientiam & veram fidem erudiendos, tamen ipſis non deeſt, nam multiplicem conſolationem per Spiritum ſuum ſuggerit, animosq; perturbatos inter calamitates & miſerias erigit, ne deficiant. Hæc de verſiculi tertij ſententia. Videmus autem, quàm pulchrè iſta cum promiſſio-

nibus Euangelicis conueniant, Matth. 7. Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit, & quicunq; quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Et Matth. 18. Rursum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Et ibidem etiam Christus suam præsentiam pollicetur: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Ioan. autem 14. cap. DOMINVS ista iterũ confirmat: Quidquid petieritis nomine meo, hoc faciam. Et iterum: Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. Et rursus Ioan. 16. Amen, Amen dico vobis, quæcunq; petieritis Patrem, in nomine meo, dabit
Ephes. 3. vobis. Paulus etiam in Epistola ad Ephesios testatur, nos per Christum magnam habere fiduciam accedendi ad Patrem. Et sunt multæ similes sententiæ, quæ nobis id confirmant, quod hoc loco pollicetur Propheta: In quacunq; die inuocaui, exaudisti me. Iam verò illud alterum de consolatione DOMINI, quot nobis scripturæ testimonijs obsignatur? Christus Io. 14. Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum vsq; in æternum. Huc pertinent omnia, quæ passim dulcissimus Seruator noster, de pace loquitur, tum verò de gaudio, quod à sus-
Ephes. 1. is auferri non possit. Paulus autem Ephesiis scribens, præclarè de consolatione ista loquitur: Benedictus (inquit) Deus & Pater DOMINI nostri Iesu Christi, qui est Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra. Et paucis interpositis: Quoniam sicut abundant afflictiones

ctiones Christi in nobis: ita per Christum abundat & consolatio nostra. Quid, quod idem Apostolus non modò consolationes, sed preces, gemitusq; etiam nobis cum Spiritu communes facit? indicaturus, cum in summa animi perturbatione constituti simus, non deesse nobis Spiritum sanctum, qui intercessionis & aduocationis munere fungatur. Hæc Dauid hoc loco vocat virtutem in anima: quando Spiritus ille consolationis secundas (vt ita loquar) vires nobis suppeditat, & efficit in pijs non solùm consolationem, sed etiam παῤῥησίαν, qualis in Stephano, Paulo, Martyribus, & multis bonis viris conspicitur, maximè cum pro veritate periclitandum est. Ideo etiam Paulus 2. Tim. 1. dicit: Dedit nobis Spiritum non timiditatis, sed roboris, dilectionis & sobrietatis. Hic Spiritus Blandinam Martyrem, quæ & propter ætatem, & sexum timidior videbatur, ea animi constantia instruxit, vt carnifices prius in expediendis tormentis, quã ipsa animo deficerent. Rom. 8.

4. *Confitebuntur tibi DOMINE omnes Reges terræ, quia audiuerunt verba oris tui.*
5. *Et cantabunt in vijs DOMINI (dicentes) quod magna est gloria DOMINI.*

Qui hunc Psalmum de Dauide intelligunt, putant ista dici de propinquis Regibus, qui cum Dauide familiaritatem contraxerant, vt Hyram Rex Tyri, Toi, & similes. Et putant vniuersalem particulam, omnis, synecdochicè aut per restrictionem intelligendam de uicinis regnis: sicut Luc. 2. totus orbis dicitur census sub

ſub Auguſto, cum duntaxat intelligatur Syria. Sed cum pauci reges amicitiam cum Dauide habuerint, quare diceret omnes Reges terræ id feciſſe? Sed ea quæ adduntur, quòd audiuerint verba oris DOMINI, & cantauerint in viſs eius, certè non poſſunt intelligi de externa amicitia & confœderatione, quam Dauid, & poſtea Solomon cum nonnullis regibus habuerunt. Hîc autem palàm dicitur, eos & audiuiſſe verbum DOMINI, & cantaſſe in viſs DOMINI, quod ſignificat, & agnoſcere DOMINI verbum, & toto animo amplecti ac prædicare beneficia eius. Itaq; certum eſt, Prophetam hoc loco tertium beneficium Chriſti commemorare, quod exteros etiam reges velit facere participes regni & meritorum ſuorum, ipſiſq; per Euangelium (quod ſuprà verbum DOMINI vocauit) largiri veram ſui agnitionem. Creſcit autem magnitudo clementiæ diuinæ, cum ea non in paucos quoſdam abſumitur, ſed valdè multis communicatur. Etenim per reges non tantùm ipſi, ſed ſubditi etiam intelliguntur: Principis enim (vt dici ſolet) ad nutum totus componitur orbis. Itaq; quando principes aut reges veritatis doctrinã amplectuntur, ſequũtur etiam gentes populiq; ſubiecti. Sic ergo Pſalten intelligamus.

Tu DOMINE, Euangelium tuum, quod explicat beneficia tua, non largieris paucis quibuſdam, nec latebit doctrina illa in aliquo terræ angulo, ſed ad omnes reges, principes totius orbis, & ſic omnes gentes propagabitur: quæ cum cœleſtem illam doctrinam ex ore tuo profectam, &, te mandante, per Apoſtolos in omnes partes mundi diuulgatam audiuerint, omnes

omnes certatim tibi gratias agent, & ſumma voluptate inſtitutum vitæ & doctrinæ, quod tu præſcribis, ſecuti, magnam gloriam tuam beneficiaq́, vnà cum ſubiectis ſibi populis celebrabunt.

Quæ hoc loco Propheta prædicit, ita clara ipſo euentu ſunt, vt explicatione non indigeant. Notum enim eſt, quàm multi potentiſsimi Imperatores, Reges, Principes, populi, ſe obediẽtiæ Euangelij ſubiecerint, Eccleſiam Chriſti hoſpitijs, opibus ſuis, defenſione, denique omni ſuo ſtudio cura & diligentia iuuerint. Conferãtur huc exempla maximorum Imperatorum, qui in hanc curam præcipuè incubuerunt, vt Euangelij doctrina ſarta, tecta eſſet, & ad quamplurimos propagaretur. Hunc autem naſcentis Eccleſiæ zelum imitentur etiam noſtri Principes, neque exiſtiment, eam curam, aut ad ſe non pertinere, aut in extrema parte ſuarum occupationum ponendam, ſed ita ſtatuant, nihil eo negocio ſublimius, nihil eſſe, quo magis eminere poſsit regum pro ſubditis diligentia, quàm ſi puritatem doctrinæ Euangelicæ, pro ſua virili conſeruare ſtuduerint. Ethnici dixerunt, tum præclarè adminiſtrari Reſpublicas, ſi aut Philoſophi præſint, aut Reges philoſophentur. Nos autem rectius dicere poſſumus, tum beatas fore Reſpublicas, cum Theodidacti præſint, & Principes, Theologiæ ſtudium omnibus ſuis curis & occupationibus præferant. Neq́ enim, ſi hoc fiat, ordo politicus perturbatur, nec confunduntur politica cum ſacris, ſed is in omni vitæ genere ordo obſeruatur, qui Deo Optimo Maximo probatur. Nam quod matrimonia contrahuntur, educantur liberi, legibus adminiſtratur Reſpublica, homines in

pagis & vrbibus vitæ communitatem & ſocietatem colunt, id profectò non ad eũ duntaxat finem referendum eſt, vt externa pax & quies conſeruetur: ſed ad eum potiſsimum, vt homines de religione vera edocti Deum agnoſcant, eumq; in omnem æternitatem celebrent. Etenim ſi Ethnici in ſumma cæcitate ſua, tamen tacito naturæ ſuæ inſtinctu, ad immortalitatem nominis (neq; enim aliam eius inueniendæ rationem ſciebant) ſibi vnicè elaborandum exiſtimaban, quod viderent, cætera in ſumma volubilitate verſari, quanto magis nos, quibus lucem Euangelij ſui DOMINVS largitus eſt, omnia noſtra ſtudia in id conferre debemus, ne illa lux tenebris vllis obruatur, ſed nobis dux ſit ad æternitatem. In eo ergo Oeconomi, Magiſtratus, Miniſtri, omnes denicq; homines elaborent, & quamuis varia atq; diſpar ratio vitæ officiorumq; videtur, tamẽ omnes ſuos conatus ad illum vltimum & præclarum finem referant, patresfamiliâs liberos ad pietatem inſtituant: Magiſtratus pacem conſeruare ſtudeant, vt doceri homines de religione poſsint: faciant inprimis officium Doctores Eccleſiæ, erudiant auditores, hortentur, inſtent, ſolentur.

6. *Quoniam excelſus eſt* DOMINVS, *& humilem reſpicit: altum autem è longinquo cognoſcit.*

Quartum beneficiũ Chriſti, quod toti mundo per Euangelium patefecit, eſt eius miſericordia, quod humiles non contemnit & ſpernit, ſed reſpicit clementer: Econtra elatos cognoſcit à longinquo. Hoc autem non de locali præſentia (quia in ipſo viuimus, mouemur

mouemur & ſumus) ſed de fauore intelligendum eſt, DOMINVM eos velle à ſua clementia remotos quam longiſsimè. Quæ quaſi ἀνθρωποπαθῶς dicuntur: nam iratum Deum pingit, qui nolit ſuperbos admittere in colloquium. Eſt autem hoc loco gemina & pulchrè permutata Antitheſis. Nam DOMINVM excelſum confert cum humili, quem vult proximum, & cum elato, quem longè à ſe refellit, in hanc ſententiam.

Dixi Chriſtum à Regibus decantandum, quod non eſt ita intelligendum, quaſi DOMINVS duntaxat curet magnos & potentes, quæ ratio in hoc mundo locum habet, vbi potentes cum potentibus, diuites cum diuitibus, conſuetudinem & familiaritatem habent, neglectis interim ſpretiſq; pauperibus. Longè autem alia eſt conſuetudo in Regno Chriſti. Quanquam enim ſummus eſt, tamen humiles & abiectos homines, modò peccata agnoſcant, & ſe ad ipſius pedes abiiciant, clemẽter recipit, eos reſpicit, curat, neminem omnino pœnitentem à ſe peccatorem repellens. Eos verò qui magnificè ſe efferunt, et Deo proximos iactitant, longiſsimè à ſe remouet, & agnoſcit quidem eos, ſed vt hoſtes trucibus oculis eminus intuetur, ac tandem, vt meretur ipſorum ſuperbia, ad cruciatus infernales detrudit.

Mirabitur autem fortaſsis quiſpiam, qua ratione fiat, vt ij, qui ſe efferunt, à Deo abſint longius, & qui ſe humiliant, propius accedant? Etenim ſi ſuperna quærenda ſunt, iubente Apoſtolo, animus deijciendus nõ eſt, ſed extollendus, ſicut olim loquebantur: Surſum corda: Et quis negauerit, nobis omni cura, ſtudio & diligentia ad ſummum illud bonum eſſe contenden-

dum? Quare ergo hoc loco Psaltes dicit, DOMINVM humiles duntaxat respicere, elatos autem auersari? Et Christus pronunciat eos, qui se exaltent, humiliari, & qui se humilient, exaltari? Hoc admodum scitè à D. Augustino libro de Ciuitate Dei decimoquarto, cap. 13. cum duplicem elationem facit: vnam laudabilem, quæ ad Deum est: alteram vitiosam, quæ est hominis ad seipsum differitur. Scribit autem in hunc modum. Bonum est sursum habere cor, nõ tamen ad seipsum, quod est superbiæ, sed ad DOMINVM, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi cõtrariũ videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditũ superiori: nihil est aũt superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditũ Deo. Elatio aũt, quę in vitio est, eo ipso, quo respicit subiectionẽ, cadit ab illo, quo nõ est quicquã superius, & ex hoc erit inferius, & fit, quod scriptũ est: Deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait, cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea deiicerentur: sed cum extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deiici est, Hactenus Augustinus. Hæc autem subiectio de qua Augustinus loquitur, tum fit, cum agnoscimus nos esse peccatores, indignos fauore Dei: sed rursus nos erigimus fiducia misericordiæ diuinæ, in Christo nobis exhibitæ. Quod Apostolus fecit, cum omnia sua
Philip. 3. pro detrimentis & abiectamentis habet, & in illa excellenti Christi agnitione acquieſcit, dum & ipsum cognoscit, & potentiam resurrectionis illius. Etenim cum

cum de noſtris meritis deſperamus, primum gradum Scalæ Iacob attingimus, vbi Chriſtus per ſuum meritum nos deducit ad patrem. Iuſtos autem, hoc eſt, opinione ſuæ iuſtitiæ tumidos, ac quaſi inter aſtra volantes, Chriſtus non reſpicit, quia illi gradum facere non poſſunt, qui iam tranſcendiſſe ſe omnes numeros virtutis opinantur. Deinde DOMINVS, vt Petrus inquit, ſuperbis reſiſtit. Et id quidem ideo fit, quia Deus, qui eſt ipſa veritas, ferre non poteſt, vt homines falsò de ſua iuſtitia glorientur. Nam ſi nos, qui peccato Originali, ſtatim à primo vitæ exordio inquinati ſumus, vix equo animo audire poſſumus oſtentatorem & glorioſum, qui ſuas virtutes, opes, res præclarè geſtas iactat, maximè ſi ea oſtentatio cum vanitate coniuncta ſit: quanto magis Deum vaniſsimam gloriationem, qua ſe homines efferunt, odiſſe exiſtimandum eſt? Rectè ergo veteres dixerũt: Superbiam hominibus auferre Deum, inuidiam proximum, iram ſeipſos. Et cum Philoſophus quidam interrogaretur, quidnam faceret Deus? reſpondit, eum humilia exaltare, & alta humiliare. Et Artabamus Xerxi bellum, quod Græcis illaturus erat, diſuaſurus, egregiè inter cætera dixit. Φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν: ſolet Deus eminentiſsima quæq; deturbare. Et paulò pòſt: Οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μεγὰ ὁ θεὸς, ἢ ἑωυτόν. Deus neminem alium, quàm ſeipſum ſinit magnificè de ſe ſentire. Et hæc quidem Ethnicus homo animaduertit fieri, quando in ijs, quæ ſuſcipienda ſunt, homines nimis elato animo ſunt. Sed cum non de ciuilibus rebus, verùm in conſpectu DOMINI, de iuſtitia & ea innocentia, quæ nihil labis & reprehenſionis habeat,

1. Pet. 5.

Herodo. in polymnia.

agitur, quantæ dementiæ est, imperfectum conatum Deo pro exquisita illa iustitia velle obtrudere? Iustissimo ergo iudicio tales à DOMINO deseruntur & abiiciuntur. Econtra autem maxima consolatio est in hoc textu, quod Christus DOMINVS nolit fastidire miseros peccatores, sed, si se sub potenti ipsius manu humilient, clementer suscipere, exaudire, iuuare & protegere velit. Id quod sequenti versu proponitur.

7. *Si ambulauero in medio angustiæ, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam: & saluum me fecit dextera tua.*

Aliud beneficium Christi, de quo ex sacrosancto Euangelio possumus fieri certiores, est ipsius tutela & auxilium. Quia primùm in angustijs summis nos recreat & viuificat. Deinde hostes, & quidem iratos fugat & vincit: nam hoc vult per extensionem manus. Notum est, per manum intelligi potentiam, maximè cum ea extendi dicitur. Et vt hostes suorum subigit: ita pios ex periculis & potestate hostium liberat. Cum autem certum sit, ea de beneficijs Christi erga suam Ecclesiam intelligenda, videamus, quomodo accommodanda sint. In medio angustiæ versantur pij, cum propter peccata admissa serio perturbantur: viuificantur autem, quando per Euangelium eriguntur & recreantur, & participes fiunt meritorum & virtutis DOMINI & Seruatoris nostri Iesu Christi: id quod ipse prolixè disputat aduersus Hebræos Ioannis sexto capite. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Quod, qua

ratione

ratione fiat, postea explicat: Qui edit meam carnem, in me manet, & ego in illo: Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: ita & qui ederit me, viuet ipse quoq; propter me. De illa autem viuificatione loquitur Apostolus 2. Cor. 3. Litera occidit, Spiritus autem viuificat: vbi per literam, legem, per Spiritum Euangelium intelligit. Summæ autem angustię sunt, quando in extremis sumus, & nos non modo sensus peccatorum nostrorum, sed etiam metus mortis ad summam perturbationem animi adducit: ibi opus est viuificatione Seruatoris nostri, vt primum certam spem habeamus, etiamsi ambulemus in medio vmbræ mortis, non tamen esse desperandum, quia DOMINVS nobis adsit. Deinde sciamus, DOMINVM etiam viuificaturum esse nostra corpora in die extremo, quod Paulus in συγκρίσει, qua Christum cum Adamo confert his verbis testatur. Christus surrexit ex mortuis primitiæ eorum, qui dormierunt, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur: ita per Christum omnes viuificabuntur &c. Deinde non minus aperta & clara ex veteri & nouo Testamento, est interpretatio vaticinij huius de deuictis hostibus. Nam Christus Opt. Max. potenti sua manu hostes nostros peccatum, mortem, Diabolum & infernum prostrauit, vt in nos nihil iuris amplius habeant. Hoc Prophetæ variè pingunt, dum eum regem bellatorem, qui vestes sanguine hostium infecerit, qui arcus bellicos contriuerit, quadrigas, equos, apparatum denicq; omnem hostilem perdiderit & abstulerit, vocant. Christus autem ea, quæ

Psalm. 23.

1. Cor. 15.

Esa. 63.

Prophetæ

Prophetæ habent, egregiè interpretatur, cum ſe dicit principem huius mundi viciſſe. Et D. Paulus ἕζωτι πωσιμ Chriſti ſedentis ad dexteram Patris, & ſubiectos ſub pedibus habentis omnes ſuos hoſtes (quam vſus eſt Propheta Dauid, Pſalmo 110.) repetit in Epiſtola priore ad Corinth. 15. & ad Hebræos 10. cap. oſtendens, quomodo de Chriſto, victore peccati & mortis intelligenda ſint. Victoriam autem & triumphum DOMINI Coloſſ. 2. deſcribit. Et vos, cum eſſetis mortui per delicta, & per præpucium carnis veſtræ, ſimul cum illo viuificauit, condonans vobis omnia delicta, deleto quod aduerſus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud ſuſtulit è medio affixum cruci: expoliatoſq; principatus ac poteſtates oſtentauit, triumphans de illis per ſemetipſum. Et in Epheſiis Pſalmum 68. vbi triumphus Chriſti aſcendentis, & captiuam ducentis captiuitatem deſcribitur, de Chriſto DOMINO interpretatur. Clariſſimæ ergo in nouo Teſtamento ſunt explicationes huius vaticinij: itaq; cum de ſententia conſtet, verba iſta Paraphraſi ſic explicemus.

Pſalm. 110.

Epheſ. 4.

Præterea tu DOMINE Ieſu Chriſte tam præclarus es in omnibus periculis tribulationibuſq; adiutor, vt nullæ tantæ anguſtiæ ſint, in quibus non præſenti tuo auxilio nobis ſubuenire, & velis, & poſsis. Non peccatum, non inclementia mortis, non angeli, non principatus, neq; poteſtates, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quę eſt in te DOMINE Ieſu Chriſte. Tu enim noſtros omnes hoſtes potenti tua manu profligaſti, ſubieciſti pedibus, vt

Rom. 8.

Pſalm. 110.

iam

ſam exploratam victoriam certamq; habeamus: Tu nos ex omnibus miſeriis ſaluos educes, tuo merito & interceſsione Deus Pater exemit nos à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit nos in regnum tuum, per te habemus redemptionem per ſanguinem tuum, & remiſsionem peccatorum: tu denicq; es nobis ſapientia à Deo, iuſtitia q; & ſanctificatio & redemptio: beneficio tuo hæredes ſumus æternæ felicitatis. *Coloſ.1.* *1. Cor.1.*

8. *DOMINVS perficiet pro me, DOMINE miſericordia tua in ſæculum, opus manuum tuarum non deſeres.*

Poſtremum beneficium Chriſti recenſetur, quo reliqua quaſi obſignantur, & ad perpetuitatem confirmantur. Nam Chriſtus non vult vno duntaxat tempore, aut paucis horis in ſuos eſſe beneficus: ſed quod cœpit, etiam perficit. Reperiuntur enim nonnulli, qui in alios ſemel atque iterum officioſi ſunt & benefici, ſed poſtea deſerunt ſuos amicos, & fons liberalitatis ipſorum citò exhauritur. Pſaltes autem hoc loco dicit, DOMINVM quos ſemel ſuo fauore dignatus ſit, ſemper & amare & augere. Adduntur autem rationes duæ: prima, quia miſericordia DOMINI æterna ſit, ergo non pœnitere ipſum beneficij ſemel collati, nec hominum more faſtidire, quos ſemel amplexus ſit. Deinde DOMINVM non deſerere opus à ſe cœptum. Eſſe aut Eccleſiam opus DOMINI præcipuum & maximum, ergo non deſerturum eam, nec defuturum etiam ſingulis eius membris.

Præclara eſt hæc doctrina de perſeuerantia & ſtabilitate

bilitate bonorum, quæ DOMINVS confert in vniuerſam Eccleſiam & omnes nos: quæ non ſolùm hic, ſed alijs etiam multis locis ſcripturæ nobis propoſita eſt. Et potiſsimum explicat hic Propheta vocem ſuprà poſitam de veritate DOMINI. Nam hoc præclarum veritatis DOMINI inditium eſt, quod eorum quæ nobis ſemel exhibuit, pœnitentia non ducitur. Vt autem animi noſtri de hac re confirmentur, coniungendi etiam ſunt alij ſcripturæ loci, eandem nobis conſolationem proponentes, quorum nonnullos colligemus, & ſimul ſententiam verborum Prophetæ explicabimus.

Magna & præclara ſunt Chriſti beneficia, quæ recenſui, ſed ad cumulum illorum hoc etiam accedit, quod non ſolùm incipit, ſed perficit etiam beneficia ſua. Iubebit Apoſtolos in totum orbem gratiſsimam illam doctrinã de Dei erga nos bonitate clementiáq; ſpargere: ſed eandem etiam ſuo ſpiritu & miraculis, vt fructuoſa ſit, & confirmabit, & ad quamplurimos propagabit. Et vt alio quodam Pſalmo dixi, confirmabit opus, quod ſemel in illis ſuis legatis operatus eſt, plantabunt illi & rigabunt hortum Eccleſię, ſed DOMINVS dabit incrementum. Et quod publicè ad omniũ ſalutem factum eſt, id in ſingulorum etiam animis efficiet. Nam ijs quos in gratiã recepit, non ſolùm vt velint, ſed perficiant etiam largietur. Quantulum enim eſſet, ſi fauoris ſui indicia aliqua monſtraſſet, poſtea autem ea ſubtraheret, ſuoſq; deſereret? Non momentanea eſt ipſius miſericordia, nec eiuſmodi eius ſunt dona, vt eorum eum pœnitere poſsit, ſed magis illa ſunt ſtabilia, quam ſit cœlum & terra. Et quidem ſanè

Matth. Mar. vltimo.

Mar. vltimo

Pſalm. 68.

1. Cor. 3.

Phil. 2.

Rom. 11.

sanè eum interdum vultum sumit, quasi in æternum velit irasci, aut certè obliuisci suorum, quod tum fit maximè, cum pios exercet cruce & tentationibus, verum ita est ad perficienda & absoluenda ea, quæ semel cœpit, paratus, vt si maximè moram fecerit, veniat tamen, auxiliares manus præbeat, & det (quia fidelis est) cum tentatione euentum. Ad certam autem huius rei fiduciam perpetua DOMINI in operibus suis consuetudo obseruanda est. Neq; enim, cum cœlum & terram condidisset, à suo opere, vt Architecti solent, discessit, sed perpetuo gubernat, conseruat. Quomodo ergo obliuisceretur præcipui sui operis, quod in hoc terrarũ orbe habet, vt ædificet Ecclesiam suam, cuius ipse est fundamentum? quomodo negligeret nos, qui sumus opus ipsius, cõditi ad bona opera, quæ præparauit in nobis? Certè, vt ab ingenio suo discedere non potest, ita non discedit ab ijs, quos tanta misericordia est persequutus, vt non dubitet, pro ipsis sanguinem fundere. Et quia veritas mentiri nescit, ipsa autem dicat, neminem erepturum oues ex manu sua, certum ac stabile erit illud opus DOMINI, quod etiã ad omnem æternitatem nobis conseruabit.

Psalm.78. *Psalm.84.* *Aba.2.* *1.Cor.10.* *Ephes.2.*

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Psalmus illustria testimonia habet de Christi Regno & beneficijs. Itaq; vsus eius in ijs rebus cernitur, quæ pertinent ad confirmationem fidei nostræ, maximè autem vsurpandus est, contra dubitationem, quæ fidei è diametro repugnat. Quanquam enim tanta est Euangelij & clementiæ diuinæ lux, vt maior es-

se non possit, tamen Diabolus & caro nostra perpetuo nobis suggerunt dubitandi materiã. Contra quod malum, remedium ex hoc Psalmo quærendum est. Primùm, cum ad preces accedimus, Sathan ab ijs nos repellere conatur, obijciens aut Deum non esse, aut non curare humana, aut certè abiectos miserosq; in primis autem peccatores negligere. Hæc autem ignea hostis iacula excutere possumus duobus versibus huius Psalmi, cum Dauid inquit: *In quacunq; die inuocauero, exaudisti me.* Vbi certum auxilium inuocantibus promittitur. Et excelsus DOMINVS, & humilia respicit, quibus verbis firma consolatio peccatoribus proponitur. Sed interdum ea nobis cura injcitur, DOMINVM paucos quosdam in gratiam recipere, & de electione ac prædestinatione periculosæ cogitationes nos exercent. Verùm hic Psalmus versu 4. doctrinam Euangelij omnibus regibus, & sic populis etiam omnibus communem esse dicit: neminem ergo DOMINVS à suo fauore excludit, modò oblatam gratiam non auersetur. Iam qui intelligunt, se in gratia fauoreq; DOMINI versari, ne illi quidem à tentatione ista dubitationis liberi sunt. Nam metuunt, ne in agone consolatione destituantur, desperent, ac aliquando à gratia omnino excidant. His consolationem suppeditant duo versiculi, tertius & vltimus: Roborasti me in anima mea fortitudine, DOMINVS finiet propter me. Et opera manuum tuarum non deseres. At verò, si animo perpendimus, quanta sit potentia Diaboli, mortis, peccati nobis inhabitantis, tum etiam reliquorum hostium externorum, qui nos persequuntur, vix possumus cõsolationem admittere. Verùm septimus

versus

versus huic animi perturbationi paratam medicinam affert: Si inquit, ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & super iram inimicorum meorum extendisti manũ tuam: Saluũ me fecit dextera tua. Habet ergo hic Psalmus hoc præ cæteris peculiare, quod aduersus dubitationes varias nos armat & confirmat. Postremò, misericordiam & veritatem DOMINI ita nobis commendat, vt de ijs dubitare nunquam debeamus. Sic enim eas per Euangelium suum toti mundo patefecit, vt magis illustria indicia sui erga nos paterni animi dare non potuerit, id quod versu secundo proponitur.

Psalmus 139.

Dauid Psalmus.

DOMINE probasti me & cognouisti me.

MVltæ sunt (inquit Propheta Dauid) tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos DOMINVS. *Psalm. 34.* Hęc scripsit Propheta exercitatus varijs calamitatibus & ærumnis, vt doceret, quæ sit piorum in hoc mundo fortuna, & ad quem confugere debeant. Nisi enim esset aliqua spes, quæ inter tot pericula animos fidelium erigeret, deficerent certè pij præ magnitudine dolorũ. Videmus autem & in hoc Psalmo, Dauidem, cum

ad DOMINVM colloquium instituerat, magnis periculis fuisse septum, quia meminit hostium, qui acerbissima contra sanctum & innocentem Prophetam odia alebant, hos accusat nomine impietatis & crudelitatis, oratq; DOMINVM vt iustas ab ipsis pœnas repetat. Deinde suam innocentiam proponit, quòd ista propter DOMINVM, qui elegerat ipsum in regem sustineat. Orat ergo vt innocentem protegat, eumq; defendat qui pietatis causa periclitetur. Quod autem ista non temerè iactet, Deum testem vocat exploratorem tacitarum cogitationum & cordis. Idq; non solùm in postrema parte Psalmi, vbi suæ quam cum hostibus habebat causæ mentionem facit, sed statim ab initio copiosissimè agit. Tractat enim egregiè locum communem de prouidentia DOMINI, quòd omnia Dauidis nouerit, renes etiam ipsos exploret, imò antequam existeret eum totum in vtero materno formarit. Hæc autem non tam probandæ innocentiæ causa, quàm consolationis, & confirmandæ fidei gratia facit. Nam cum certus sit DOMINVM, quem nihil latet, & hostium summam iniquitatem, & ipsius non modò periculà, sed in hac causa innocentiam videre, dulcem consolationem concipit, DOMINVM iustę causæ non defuturum. Deinde etiam non deserturum eum, cuius curam gesserit antequam conciperetur, quem in vtero materno conseruarit, & per totam vitam tam clementer deduxerit. Itaq; hic quidem Psalmus accusationis & defensionis formam habet: sed consolationis gratia institutum esse, ex copiosa illa loci communis tractatione intelligitur.

1. DOMINE

1. *DOMINE probasti me & cognouisti me.*
2. *Tu nouisti sedere meum & surgere meum, intellexisti cogitationes meas de longe.*
3. *Semitam meam & accubitum meum circumdedisti, & omnes vias meas inuestigasti.*
4. *Quia non est sermo in lingua mea quod tu DOMINE non omne ante noueris.*

Propositio loci de prouidentia Dei & bonitate exornata amplificatione. Quanquam enim Dauid videtur de se duntaxat loqui, nemo tamen est, cum de creatione ille loquatur qui nõ intelligat ista ad vniuersum genus pertinere. Sunt autem duo emphatica verba posita: probasti & cognouisti, hoc est, plenissimè mea omnia nota habes, nihil te mearum rerum fugit. Deinde ea quæ sic in genere proposuit partibus illustrat. DOMINVS enim nouit Dauidis tacitas cogitationes, & quidem de longe, quæ breuis, sed præclara à tempore amplificatio est, vult enim dicere, nostras cogitationes DOMINO notas antequam nobis veniant in mentem. Deinde DOMINO noti sunt omnes sermones nostri. Postremò cognitæ ipsi sunt omnes actiones humanæ, quas per semitas, vias, per ire, sedere, cubitum ire, surgere, intelligit, nam istæ sunt hominum omnium actiones generales, quibus voluit alias etiam includere, quæ non sunt omnibus communes. Propositio ergo ista hanc habet sententiam.

In summis meis angustijs & periculis in quibus longo iam tempore versor, tristíq; exilio, tum autem turba infestorum hostium, hoc vnum me reficit, recreatq;, quod sciam mea omnia tibi DOMINO omnium

inspectori

inſpectori & gubernatori notiſsima eſſe. Nam tu καρδιογνώστης cum ſis, tacitarum cogitationum ſpectator es oculatiſsimus, imò verò antequam aliqua de re à nobis deliberatio ſuſcipitur, tu iam ante proſpicis, quis noſter ſenſus, quæ cogitatio ſit futura. Deinde ne verbum quidem vnum poſſumus effari, quod tu non antea audias, quàm enunciatum ſit. Poſtremò omnes noſtræ vitæ rationes tibi ſunt notiſsimæ, ſiue enim ſtemus, ſiue ſedeamus, ambulemus vel quieſcamus, ad ſomnum nos componamus, vel euigilemus, denique in omnibus, quæ à nobis ſuſcipiuntur, tu præſens es, tibi omnia explorata notaq; ſunt, dubium ergo non eſt, te ſimiliter videre ea quæ mihi triſtia & acerba accidunt, & animum meum perſpectum habere, qui ab omni culpa (quantum quidem ad hanc cauſam attinet) ſemper abfuit.

Præcipuus quidem in hoc Pſalmo locus eſt de prouidentia Dei, ſed ex his verſiculis timor DOMINI diſcendus eſt, quem Diabolus varijs artibus excutit hominibus. Primùm enim perſuadet hominibus, tacitas cogitationes quamuis impuras, aut impias, nihil afferre detrimenti aut incommodi cum nemo videat. Sic
Pſalm. 10. in Pſalmo dicit impius, oblitus eſt Deus, abſondit faciem ſuam, non videbit in æternum. Sed hic Pſalmus docet, DOMINVM de longe etiam videre hominum cogitationes, hoc eſt, antequam homines inducant aliquid in animum, DOMINVM omnia præuidere. Sic Daniel & alij Prophetæ, Monarcharum cogitationes multis ſæculis ante prædicunt. Itaq; DOMINVS non ſolùm eſt cordium explorator & καρδιογνώστης, verùm etiam antequam cor hominis creetur, videt

quæ

quæ sint futuræ cogitationes hominum. Ergo nō credas te DOMINVM tuū posse quid celare, nec impunitatem credas esse in ijs, quæ tacitis cogitationibus tecum circumfers. Deinde similiter etiam consilia clandestina, quæ post silentium proximum locum securitatis habere videntur, ipse nouit, ipse enim stetit in Synagoga Dei, & in medio Deorum dijudicat, & reprehendit iniqua consilia eorum qui opprimunt pauperes. Postremò multò magis videt ea quæ agimus, ideo Psalmus dicit, tu nouisti sedere meum, & surgere meum &c. Cain putat cædem fraternam non modò ab hominum, sed Dei etiam oculis remotam, ideo DOMINO percontanti cum murmure respondet, num sit custos fratris sui? Sed DOMINVS mox testem ei adducit sanguinem fraternū, qui, etsi Esauo videtur mutus, imò verò in terram absorptus, tamen acerrimus est apud Deum fratris accusator. Timeamus ergo in omnibus DOMINVM, ac cum certum sit eum omnium nostrarum actionum, sermonum, cogitationum esse spectatorem, cogitemus quàm turpè sit, tam fœda ipso inspectante committere, maximè cum cogitationum fædarum tam sit iudex quàm apertorum scelerum. Deinde sciamus DOMINVM non velle tecta esse peccata impiorum, sed ea adducere in clarissimam lucem. Nihil enim tam est (testante saluatore) occultum, quod non aliquando reueletur. Maximè autem hoc fiet die vltimo, vbi DOMINVS vnicuique reddet secundum opera sua, vbi hominum cogitationes reuelabuntur, vbi horrenda iudicis sententia promulgabitur. *Psalm. 81.*

5. *Posteriora & anteriora in me formasti, & posuisti super me manum tuam.*

Propositio loci communis confirmatur hoc versu. Dixerat DOMINVM omnia videre, hoc probat firmissima ratione, quia DOMINVS hominem creauit: hoc vult cum dicit eum posuisse super ipsum manum, nam artifices cum aliquid fabrefaciunt, manum admouent. Et ne videretur partem duntaxat operis absoluisse totum opificium DOMINO tribuit, posteriora eum & anteriora fecisse dicens: id postea paulò aliter effert dicens, omnia membra fuisse in libro DOMINI perscripta, antequam fierent, item nouisse eum rudem massam ex qua factus sit, & hęc quidem per anteriora intelligit. Deinde posteriora sunt quæ DOMINVS formauit ex informi illa materia, ossa enim & carnem & neruos creauit, quomodo ergo ei artifici qui fabricæ omnes partes iam perspectas habet, quicquam posset esse ignotum: addit autem amplificationem.

6. *Admirabilior & excelsior est scientia, quam vt eam possim comprehendere.*

Hæc sunt admirandæ fabricæ humani corporis, à ratiocinatione amplificatio, cum dicit eam superare omnem omnium intelligentiam, quod sanè magnum est, hominem ipsum, qui ratione præditus est, non satis intelligere quanto sit artificio conditus. Quod ad propositum accommodatissimè dicitur, Deo nostra magis nota esse, quàm sint nobis ipsis. Hos ergo duos versiculos sic intelligamus. Dixi

Dixi DOMINE te omnia mea videre etiam tacitas cogitationes, quòd nemini mirum videri debet, nam tu corpus animamq; creasti, tui oculi viderunt me, cum ne materia quidem adhuc adesset, ex qua corpus meum formaretur, & ita ea quæ ante me fuerunt erant tibi notissima. Posteriora deinde quæ ex informi massa finxisti, & ipsa perspectissima tibi sunt vt opifici. Et quidem in creatione mea tanto artificio, tanta sapientia vsus es, vt admiratio eius captum omnem ingenij mei superet, ita fit, vt mea omnia tibi architecto notiora sint, quam mihi ipsi. Firma ergo fide statuo: te omnia videre, scrutari, ac in conspectu tuo habere quæ mea sunt, imò quæ de tua largitate accepi. Hactenus Psaltes: sed ea postea plenius est expositurus versu nono & sequentibus.

Insignis locus est de creatione hominis, quæ soli Deo ascribenda est, ideo hoc versu confert eum artifici qui suis manibus aliquid affabre facit: sed in eo differt DOMINVS ab architectis, quod isti absoluto opere discedunt, ac sæpè negligunt semel à se ædificata, DOMINVS autem suis operibus semper adest. Nam dicit Propheta eum & anteriora & posteriora vidisse (de quibus antea diximus) cum ergo tanta prouidentia & cura hominem creauerit, vt ea quæ nondum erant curaret, quomodo opus iam confectum negligeret? non est ea negligentia optimo, & perfectissimo artifici ascribenda. Per ipsum enim viuimus, mouemur & sumus. Non cadit pilus de capite nostro, sine voluntate Patris cœlestis. Et Psalmo 99. scriptum est, Scitote quod DOMINVS ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos autem populus eius, & oues pascuæ *Act. 17.*

paſcuæ eius. Petrus autem 1. Pet. 5. hortatur ſuos: Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos extollat, quũ erit opportunum, omni cura veſtra cõiecta in illum, nam illi cura eſt de vobis. Sed ad confirmandam fiduciam illã animorũ noſtrorũ, illud quoq; potentiſsimũ argumentum eſt, quòd tanta ſapientia in nobis creandis elaborarit, vt noſtra fabrica ſuperet etiam intelligentiam noſtram. Quis enim eſt qui intelligat quàm præclara creatura ſit anima humana? Deinde quàm operosè Medici, qui Anatomen curant, in admiranda corporis noſtri ſtructura elaborant? & tamen rei magnitudinem, nõ ſatis aſſequuntur: Qui ergo tanta nobis bona dedit, quæ excedunt etiam vires ingenij noſtri, quomodo nos negligeret, aut negaret veſtitum, alimenta & reliqua, quæ ipſo corpore & vita ſunt viliora? Nonne (inquit Chriſtus) anima pluris eſt, quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum? tacitè autem ex eo colligit, cum DOMINVS dederit quæ præſtantiora ſint, de reliquis non eſſe dubitandum. Iam verò cum in hac vita maiora & ſublimiora nobis donauerit, quàm vel tacitis cogitationibus aſſequi poſsimus, quis non libenter Eſaiæ & Paulo credet, DOMINVM in futura vita ſuis ea dona largiturum, quæ oculus non viderit, auris non audiuerit, quæ in cor hominis non aſcenderint. Certè in illa beata vita cognoſces, quæ ſit præſtantia animæ, Deum videbis ſicuti eſt, & is erit omnia in omnibus.

7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?*
8. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi lectum ſtrauero in infernum, ecce ades.*

9. Si

9. *Si sumpsero pennas auroræ, & habitem in nouissimo maris.*

10. *Etiam illic manus tua deducet me, & apprehendet me dextra tua.*

11. *Quum dixi, saltem tenebræ occultabunt me: etiam nox lucida circa me.*

12. *Etiam tenebræ non occultant aliquid à te, & nox vt dies lucet: tenebræ sunt vt lux, & lux vt tenebræ.*

13. *Quia tu possedisti renes meos, operuisti me in vtero matris meæ.*

His versibus, secunda ratio proponitur, quare DOMINO sint omnia nota quæcunq; fiunt: quia non obstant ei ea, quæ homines impediunt, vt multa non videant, quamplurima ignorent. Sunt autem tria impedimenta, quæ faciunt vt multa nos fugiãt, quæ per remotionẽ à Deo aufert. Primum impedimentũ sunt loca. Namqui Romæ est, nõ potest scire ea quæ fiunt in Germania, nisi per nuncios aut literas. Sed Deus est in omnibus locis: ergo nihil ei ignotum esse potest, quia vbiq; est prẹsens. Hoc autem loco vsus est elegantissimis figuris. Instituit autem Propheta quasi deliberationem, quô fugere velit, ne à Deo conspiciatur: sed per μερισμὸν ostendit, se non posse fugere. Cum DOMINVS & in cœlo, & in sepulchro, abditissimisq; locis sit. Et si maxima celeritate (id quod per alas auroræ, hoc est, radios solares, qui momento de loco in locum feruntur) ad vltimas partes orbis terrarum vel ad Oceanum festinauerit, & locum tutiorem habitan-

di quæsiuerit, tamen non posse effugere DOMINVM. Pingit etiam eo in loco Deum manu ipsum præhensantem: Ecce illic manus tua &c. Solent enim ij, qui alios insequuntur manu eos comprehendere, antequam pedibus assequantur, quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, aut sunt potius ἐκφῶν fugientium & persequentium. Et sic quidem ostendit, nulla loca obstare prouidentiæ diuinæ, quia certa in omnibus locis eius sit præsentia. Secundò homines multa occultant tenebris & nocte, sed Propheta dicit ne eum quidem modum profuturum: duas ob causas. Primò quia DOMINVS statim possit circumfundere clarissimam lucem, vbi ante fuerint tenebræ. Deinde tenebras DOMINO non esse tenebras, sed lucem. Postremò homines multa circumferunt secum in animo, & illa maximè videntur ab aliorum intelligentia & notitia remota, sed DOMINVS (inquit) renes meos possidet: per renes autem cupiditates & cogitationes tacitas intelligit, quas dicit DOMINVM possidere, & tanquam peculium habere. Addit autem se tectum in vtero matris, intellige cute, aut ipso matris vtero. Et sic redit ad descriptionem creationis, quæ supra prima causa assignabatur, cur DOMINO omnia nota sint. Vt autem figuræ Propheticæ aliquanto melius conspiciantur, paraphrasi istos versus breuiter complectar, conjuncturus cum superioribus.

Iam verò quomodo tibi quicquam obscurum esse potest, cum omnibus in locis præsens omnia intuearis? Quod si iam à tuo omnipotenti Spiritu & facie quæ omnia contemplatur me cuperem subducere. Quò me conferam, quò me occultabo? si in cœlum

contende-

contendero, hæc tua ſedes eſt, ſi ab ſupremo cœlo in infimas me terræ partes voluero abdere, & vt mortui lectum meum illic ſternere, en ne ſic quidem tuum conſpectum effugero, quia non tam in cœlo, quàm infima terra ades. At ſi quanta maxima potero celeritate (quaſi ſumptis alis, & iſs quidem non auium, ſed radiorum ſolarium, qui vno momento totum hemiſpherium, poſt primam auroram illuſtrant) ad extrema maria, & fines orbis terrarum, hominibus incognitos profugero, en illic: tua potentiſsima manus me inſequetur & præhenſabit. Sed fortaſsis tenebræ & loca obſcura, quibus ad res celandas homines vtuntur, me tegere poterunt, verùm ne ſic quidem te euadere potero, cum noctem & tenebras poſsis conuertere in clariſsimam lucem. Nec tenebræ poſſunt tibi noctem offundere, imò nox tibi, qui es ipſa lux pro die eſt, & tenebræ ſunt tibi inſtar lucis. Nemo ergo ſperet ſe latibulum poſſe quærere, aut ſe iſs tenebris inuoluere, quibus ſe à facie tua abſcondat. Habent ad extremum homines latebras quaſdam, quibus ſibi perſuadent omnia celare poſſe, receſſus illos animorum, tacitasq; cogitationes, vt cupiditates, quarum ſedes magna ex parte in renibus eſt. Sed iſta quamuis ſummis obſcuritatibus inuoluta, ita tibi nota ſunt, vt renes & receſſus illi animorum ſint in poſſeſsione tua, tu enim vtero materno me incluſiſti & texiſti, quomodo ergo qui in eas latebras me abdidiſti, non videres cordis mei omnia arcana? quomodo ignoti eſſent renes, quos feciſti? Ea ergo omnia, quibus fugam quærunt homines, fruſtra contra te DOMINVM vſurpantur. Quæ cum ita ſint, certum eſt, te nullibi abeſſe, tibiq;

bíq; omnia nota esse & manifesta, etiamsi vel ego, vel alij, quanta maxima possemus industria, ea celare conaremur.

Hic locus & consolationem præclaram & doctrinam etiam proponit. Consolatio est, quòd nouimus DOMINVM Deum & Patrem nostrum omnibus in locis esse præsto. Itaq; non putemus nos desertos, siue domi simus, siue in exilio, siue in vltimis finibus orbis terrarum, quia DOMINI est terra, & omnis plenitudo eius. Et Ieremiæ 22. dicit DOMINVS, cœlum & terram ego impleo. Erat populus Hebræus, cum ex Ægypto egrederetur, ex vtraq; parte septus montibus, à fronte videbat mare profundum, à tergo insequebatur hostis infestus, sed euasit hoc totum periculum, quia inter maximas istas difficultates Deum comitem habebat.

Deinde etiam necessaria doctrina proponitur, non esse vnquam committendum, vt DOMINVM Deum nostrum fugiamus, quia hoc nulla ratione efficere possimus, cum omnibus in locis & præsens sit, & dominetur. Nec putet quis παράδοξον esse, quod diximus homines fugere à conspectu DOMINI, nam id sæpissimè fieri solet. Ionas Propheta detrectans officium sibi à DOMINO iniunctum, per mare fugere conatur: sed notum est quomodo à DOMINI manu sit prehensus & coniectus in Balenam tanquam carcerem quẽdam. Dauid committens adulterium confugit ad tenebras & latebras consiliorum suorum, vt honesto titulo ignorantibus omnibus Bersabam in domum suam adduceret, sed DOMINVS mox clarissimam lucem circumfudit, vt non solùm ij, qui tum viuebant, sed hoc

die

die etiam omnes illud adulterium videant. Alij fugiunt pœnas fatales, & propterea etiam Deum ipsum, sed nullo emolumento. Rex Assyrius cum putaret, se manum DOMINI effugisse, in templo idoli sui interficitur. Ita facinorosi magistratuum, & sic Dei ipsius, cuius illi sunt vicarij manus effugere conantur, sed diuinitus ad pœnas retrahuntur. Sunt qui per mortem conantur DOMINI manum effugere, vt Iudas Ischariotes, & alij qui sibi mortem consciscunt, sed ne in morte quidem sunt tuti, verùm propius accedunt ad tribunal DOMINI. Cum ergo nulla celeritate, nullo integumento, nullo consilio, nullis latebris nos tegere possimus, quo minus & oculi nos DOMINI perspicacissimi videant, manus potentissima apprehendat, supplices nos ad ipsum conuertamus. Etsi enim interdum seueriorem vultum sumere videtur, tamen certò nobis persuadeamus, DOMINVM ideo nos persequi, vt ad se retrahat, ideo vulnerare vt sanet, ideo deducere ad infernum, vt reducat. Cogitemus etiam quamdiu fugiamus à summo bono, nullam nobis felicitatem, nullum successum expectandum esse. 2. Reg. 19.

14. *Confitebor tibi quia mirabiliter formatus sum: mirabilia opera tua: & anima mea cognoscet valdè.*

15. *Non est occultatum os meum à te quando factus sum in occulto & formatus sum in inferioribus terræ.*

16. *Informem massam meam viderunt oculi tui: & in libro tuo omnia scripta erant, quæ per dies formata sunt, cum adhuc nullum eorum extaret.*

17. *Sed mihi quàm præciosæ sunt cogitationes tuæ Deus? & quàm multæ summæ earum?*

18. *Si numerauero eas ſuper arenam maris multiplicantur: euigilaui & adhuc tecum ſum.*

Quòd DOMINVS omnia noſtra in conſpectu habeat, propheta duobus argumentis probat. Vnum quòd creaturæ DOMINI ſumus, quas DOMINVS formauit, quomodo ergo aliquid noſtrum ignoraret? Deinde quòd omnibus in locis omnia coràm intueatur, itaq; cuncta ipſi eſſe manifeſta: ab hoc autem argumento ſecundo (vt diximus) tranſit rurſus ad primum. Quia enim dixerat, DOMINVM non modo locis omnibus adeſſe, & tenebras etiam non aliter habere quàm lucem, ſed renes etiam poſsidere, hoc eſt, videre tacitas cogitationes hominum, quæ maximè videntur occultæ, de creatione hominis rurſus loquitur, & id quod ſupra verſu quinto paucis verbis attigerat, nunc fuſius explicat. Et ſumma hoc docet: cum DOMINVS in creatione hominis demonſtrauerit ſuam admirandam ſapientiam, deinde prouidentiam etiam, quia minutiſsimas quoq; partes nouerit, cum adhuc in vtero materno, imò verò cùm informis adhuc maſſa eſſemus, nos viderit, adhæc etiam antequã maſſa fieremus in notitia ſua nos habuerit, dubitare neminem debere, quin ea, quæ, poſtquam creati, & in hanc lucem æditi ſumus agamus, dicamus, cogitemus, nouerit. Non autem ſolùm prouidentiam DOMINI his verbis, ſed bonitatem etiam probat, qui noſtra omnia præuidet vt clementiſsimus pater. Nam cum noſtri curam geſſerit antequam eſſemus, qui tanto artificio creauit in vtero materno, conſeruauit, cur non etiam in poſterum nos gubernaret & beneficijs affi-

ceret?

ceret? Quòd autem hoc voluerit, versu 17. & 18. lucu-lenter ostendit, vbi dicit, cogitationes DOMINI sibi præciosas esse, & se euigilasse cum de istis diligentius cogitaret.

Sed cum summam teneamus, de singulis versibus nunc dicendum est. Quia autem illa inter se (vt dictum est) cohæreant, & transitus fiat à superiore argumento ad alterum, verba versus 13. huc referamus: Operuisti inquit me in vtero, vbi totum negocium proponit. Non mirum est te exploratos habere renes meos, cùm me in vtero materno creaueris. Deinde 14. versu statim sapientiam, & admirandam fabricā prædicat, cum dicit: Confitebor tibi, &c. q. d. dignus es qui lauderis à me, quia magna sapientia & admiratione me creasti. Et vt suprà dixit, admirabiliorem esse scientiam, quàm vt eam possit comprehendere, ita hoc loco dicit, animam suam valdè cognoscere, hoc est, occupari se in eius rei meditatione. Ista autem continent in se tacitum argumentum. Nam cum tanta sit Dei sapientia, vt opera sua vincant omnium hominum ingenij captum, quomodo sapientissimū Deum quicquam latere posset? sed prouidentiam quoq; DOMINI in creandis hominibus egregiè per incrementum proponit. Dicit enim, cum in vtero materno esset, DOMINO minima etiam ossa in numerato fuisse, quod per synechdochen de reliquis etiam membris & particulis corporis humani minimis intelligitur. Vt autem prouidentiæ diuinæ ratio magis conspiceretur, non dicit formatus sum in vtero materno, sed in occulto, imò in inferioribus terræ, quod ita intelligendum est, se magis fuisse occultatum in vtero ma-

tris, quàm si in infima terra latuisset, & tamen DOMINO omnia ossa nota fuisse. Sequitur deinde alterum membrum incrementi, DOMINVM non modò vidisse membra iam formata, sed informem massam siue embryonem ex quo formantur membra humana. Postremum membrum incrementi est, cum dicit, eum omnia vidisse antequam fierent, & per dies crearentur. Nam nouerunt omnes fœtum non vno momento in vtero matris absolui. Maximum autem est id videre quod omnino non est. Vsus autem est similitudine architectorum, qui initiò in charta formam futuri ædificij depingunt, ita dicit in libro DOMINI omnium fuisse membrorum descriptionem, antequam materia illa adesset. Ex his vt diximus prouidentia diuina probatur, cum enim in nostra creatione corporis substantiam riotam habeat, antequam illa vel fiat, vel perficiatur, quomodo non haberet cognita reliqua, quæ partim ab hominibus etiam cousspici possunt, vt sunt sermones, actiones & similia. Tandem cum prædicationem illam summæ, & sapientiæ, & prouidentiæ diuinæ luculenter propositisset, epiphonemate claudit locum, dicens, istas Dei cogitationes & iudicia sapientiæ & prouidentiæ, tum quæ ex ipsis elucet bonitatis summam significationem esse præciosas, consolationis plenas, & numero tantas, vt arenas maris superent. Quòd addit, Euigilaui & adhuc tecum sum, est expositio superioris laudis. Quomodo præciosæ sunt cogitationes illæ? Quia Prophetam in summis angustijs quasi à somno mortis, aut graui ἀνεσθησίᾳ recreant, vt intelligat se in tutela esse DOMINI. Sic vltima hæc clausula ostendit prolixam de prouidentia,

dentia & inprimis de creatione hominis tractationē, non ideo solum susceptam, vt Propheta doceret nihil esse ab oculis DOMINI remotum, sed Deum qui à primo vitæ exordio sic curauerit Dauidem, non defuturum etiam ei in periculis, quibus tum maximis septus erat.

Nunc cum interprætatione hos versus percurremus, tempus est, vt paraphrasin breuem illam adiiciamus. Dignus es ô DOMINE, quem summis laudibus extollam, quia summa sapientia me creasti, & opera reliqua cum admiratione feciſti, in quarum rerum meditatione meus animus perpetuò occupatur, & certò statuit tibi sapientissimo Deo nihil esse occultum aut tectum. Etenim cum me in vtero materno loco occultissimo, & quasi in visceribus terræ me formares, omnia mea ossa, neruos, venas, fibras, cartilagines, minutissimasq; partes corporis mei in numerato habuisti. Imò verò informem massam & guttulas sanguinis ex quibus formatus sum, tum & vidisti & præparasti vt homo fierem. Tu antequam vlla extaret materia, non aliter quàm architecti futuri ædificij formam lineis depingunt, omnia mea membra in prouidentiæ illo libro tuo descripsisti, quæ postea temporis successu formasti, sed quid multa commemorem? Quàm præstantes sunt cogitationes, quàm admiranda opera tua? quàm variæ multiplicesq; illorum omnium rationes? Certè si innumera inditia tuæ erga nos homines bonitatis, si prouidentiam, si maiestatis specimina commemorare conarer, viderer arenas Lybicas numerare velle. Quæ cogitationes me inter pericula mea, ita reficiunt & recreant, vt quasi è somno

euigilare, teq; coràm mihi adiutorem adstare videam. Quare etiam nullæ meæ tentationes tantæ sunt, quas non mitigare possint meditationes istæ de prouidentia, & potentia tua.

Primùm autem ex his versibus petere possumus, certum & indubitatum de DOMINI prouidentia argumentum. Nam cum nos vidit, nihil eramus: deinde facti sumus massa informis ex exiguo semine, quod postea in aliquot guttulas sanguinis conuertitur, vnde membra paulatim formantur. Præterea non vidit nos primùm in lucem æditos, sed in vtero materno. Itaque prima nostra creatio loco abditissimo facta est. Mirabimur ne ergo, si ea DOMINVS nouerit, quæ ab oculis humanis remota sunt, cum ipse nos, vt Propheta loquitur, in inferioribus terræ formauerit, ac si in tantis angustijs vteri materni nos seruauit ne suffocaremur, quomodo non seruaret nos in periculis & alijs angustijs? Deinde cum ne minimum quidem ex ossibus nostris ignotum sit DOMINO: non cadat pilus de capite nostro, absq; voluntate patris cœlestis: ipse etiam, vt Psaltes testatur, in vtre colligat lacrymas nostras, certi sumus nõ velle negligere DOMINVM ea, quæ vel ad aliquam duntaxat partem nostræ incolumitatis pertinent. Quòd si ad minima ita est oculatus, quomodo ea quæ pertinent ad salutem animæ nostræ non curaret? Ad eundem etiam modum de prædestinatione iudicandum est. Nam membra humana (vt hic dicitur) fuerunt descripta in libro DOMINI, non ergò dubitandum est, librum esse vitæ, in quo descripta sint nomina beatorum: nisi fortè existimare velimus, DOMINVM pluris facere corpus quàm animam

mam. Hoc Paulus Eph. 1. teſtatur, cum nos electos eſſe in Chriſto dicit, antequam ponerentur fundamẽta mundi. Et. 2. Tim. 2. ſolidum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, nouit DOMINVS qui ſint ſui. Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eos quiſquam de manu mea.

Poſtremò non eſt illud ſilentio prætereundum, quod Pſaltes dicit, ſe quaſi è ſomno euigilaſſe, cum cogitaret de mirabilibus DOMINI operibus ac bonitate ipſius. Tali ferè phraſi vſus eſt Moſes, cum deſcribit, quomodo affectus fuerit Iacob, audito nuncio de vita Ioſephi filij, dicit enim eum quaſi de ſomno graui euigilaſſe. Sic vertit Hieron. alij autem vertunt, diſſolutum eſt. Nam magna triſtitia quaſi ſopire ſolet vires animales, vt vbi ſimus ignoremus, poſtea audita conſolatione, recipimus animum & euigilamus. Sic cum tentationes quaſi nubes quædam animum noſtrum inuoluunt, veluti in ſomnum quendam incidimus, non videmus vllam conſolationem, putamus DOMINVM longiſsimè à nobis receſsiſſe: ſed quando cogitamus, quæ ſtatim à vitæ noſtræ exordio DOMINI in nos beneficia extent, & hactenus fuerint, tunc & animum recipimus, & videmus Deum aſtare, hoc eſt, certiores ſumus de ipſius præſentia & bonitate. Sic euigilat Thomas cum dicit: DOMINVS meus & Deus meus. *Ioan. 20.* Sic euigilat Paulus poſtquam accedit ad eum Ananias, & ſquamæ decidunt ab oculis. *Act. 9.* Sic euigilãt qui in ſummis tentationibus ex Euangelio conſolationem accipiunt, nam antea præter

mortem

mortem, Diabolum, infernum nihil vident, & metuunt, ne oculi sui obdormiant in morte: sed quando cogitationes DOMINI, vt cum Propheta loquamur, ipsis proponuntur, quòd DOMINVS non velit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, tum quasi ex somno tentationum euigilant, & Christum astare vident, offerentem se ipsis totum, quantus quantus est, vident patrem per Christum reconciliatum, audiunt in corde Spiritum sanctum intercedentem gemitibus inenarrabilibus.

19. *O si occideres Deus impios, & viri sanguinum declinarent à me.*
20. *Qui dixerunt contra te abominationem extolluntur frustra hostes tui.*
21. *Nonne odio habentes te DOMINE odi, & insurgentes in te abominabar.*
22. *Perfecto odio oderam illos, ideo inimici facti sunt mihi.*
23. *Proba me Deus & cognosce cor meum, examina me, & cogitationes meas.*
24. *Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.*

Sequitur post loci communis tractationem altera pars Psalmi, in qua initiò aduersarios suos accusat. Deinde suam innocentiam probat. Capita accusationis sunt, Hostes Dauidis esse impios, blasphemos, qui insurgant contra DOMINVM, qui oderint DOMINVM. Postremò eos esse crudeles & sanguinarios. Petit autem vt occidantur, talis enim pœna debetur blasphemis. Innocentia Prophetæ his partibus constat: quod odio prosequitur eos, qui DOMINVM oderunt.

runt. Item quòd sustinet odia & patitur persecutionem propter DOMINVM. Æquum ergo est vt à DOMINO qui est Deus iustus defendatur, maximè verò quia non solùm innocens est, sed eas ærumnas fert propter pietatem & DOMINVM. Ne verò de animo Dauidis dubitetur, Deum ipsum testem vocat, ac orat, vt diligenter scrutetur cor, quod ἀνθρωποπαθῶς dicit, supra enim prolixè probauit DOMINVM omnia videre & nosse. Sed vt dixi more hominum cum Deo loquitur. Nam qui se nouerunt esse innocentes, ad testes, & examen seuerius totius negocij prouocant. Ad extremum, vt suprà imprecatus est pœnam impijs, sic hoc loco petit, vt deducatur in vita æterna, quod aut de perpetua gubernatione consiliorum Dauidis, aut certè de participatione vitæ cœlestis intelligi potest. Nunc paraphrasin dabo.

Scio ego DOMINE vt nunc pluribus verbis confessus sum, nihil esse quod non in tuam notitiam veniat, omnia tibi aperta & plana sunt, itaq; dubium non est, te etiam videre hostium, non tam meorum, quàm tuorum conatus, qui digni sunt, vt eos omnibus exemplis fatalium pœnarum persequaris. Nam sunt impij, sunt deinde homines crudelissimi, quantam enim Saul stragem ædidit optimorum hominum, quot vno die obtruncauit? Præterea etiam non abstinent à blasphemijs, & contra te DOMINVM insurgunt, sed frustra, stultum enim est cœlo bellum inferre. Econtra scis DOMINE me eos omnes qui te oderunt odisse, & abominari qui contra te insurgunt. Et quia summo odio ista Diaboli mancipia persequor, illi rursus inimicitias mecum immortales gerunt. Cum ergo causa

non tam mea quàm tua sit, & aduersarij mei nullam inimicitiarum iustam rationem habeant, oro vt me defendas. Quod nihil in hac causa fingam, tu, qui omnium hominum corda exploras, nouisti: tibi permitto examen cordis mei, intuearis omnes etiam cogitationes meas, & in hac causa pronuncia, num innocentiã meam defendere possim. Quam si cognoueris (cognouisti autem eam iampridem) te oro vt me gubernes, consilia suppedites, in via tua voluntatecq; deducas, donec tandem ad te in æternum & cœleste regnum perueniam.

Videtur Propheta in hac altera parte duo dicere, quæ pugnare cum alijs scripturæ locis existimari possent. Initio quòd perfecto odio se aduersus impios ardere profitetur, & ijsdem etiam imprecatur mala extrema, ô si occideret eos DOMINVS. Hæc videntur dissidere cum mandato Christi Matth. 5. Audiuistis quod dictum sit, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, at ego dico vobis, diligito inimicos vestros, benè precemini deuouentibus vos, benefacite ijs, qui vos odio prosequuntur, orate pro ijs qui lædunt & insectantur vos, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis. Sed Propheta satis diserte ostendit, quomodo imprecari hostibus mala, eosq; odisse debeamus: si non tam nostri, quàm DOMINI hostes sint: si aduersus DOMINVM insurgant, si sint persecutores Ecclesiæ. Nam vt nos sub vexillis DOMINI militamus, sic etiam existimare debemus, hostes DOMINI nostros aduersarios esse, & hos precibus & doctrina impugnare studeamus.

Deinde & illud alterum, quod de sua innocen-

tia

tia liberius loquitur, & ad iudicium DOMINI pro- *Hier.9.*
uocat, videtur etiam cum Hieremia & Paulo disside- *2.Cor.10.*
re, qui volunt, vt ij qui gloriantur, in DOMINO glo-
rientur: Dauid autem negat in se inueniri iniquita-
tem. Verùm tenendum est, Dauidem non ad vniuer-
sam suam vitam respicere (de qua aliàs humiliter pre-
catur, ne iudicio DOMINI seuero subijciatur) sed lo-
quitur de iniustis odijs aduersariorum, qui Prophe-
tam propter veram confessionem odio persequeban-
tur. In eo negocio nihil erat Dauidis, quàm innocen-
tia, abfuit enim ab omni culpa, cum præter gloriam
DOMINI nihil quæreret. Sic hodie, qui puriorem do-
ctrinam defendunt, & subeunt non modò impiorum
præiudicia, sed etiam odia, suam innocentiam & cau-
sæ bonitatem DOMINO commendare possunt.

VSVS HVIVS PSALMI.

Iacta (inquit Dauid) curã tuam super DOMINVM, *Psalm.55.*
& ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctua-
tionem iusto. Sed vt non obediamus sancto Prophe-
tæ, multa variæq; causæ nos mouent, quæ tamen om-
nes ex hoc Psalmo abundè refutantur. Nam alij qui-
dem, cum res ex sententia non succedunt, fortunam
accusant, quæ rebus humanis veluti iniusta domina
imperet, dignos deprimat, indignos euehat, quæ res
vt aliàs etiam dictum est, sæpè sanctos & præclaros
viros vehementer perturbauit. Verùm qui credit
huic Psalmo, Ethnicam illam opinionem poterit serio
damnare, cum omnia nostra audiat scripta esse in li-
bro DOMINI: non ergo cæco fortunæ impetu nostræ

res feruntur, ſed pendent ex nutu Dei Optimi Maxi-
mi. Alij putant res adminiſtrari ab hominibus, præ-
ſertim ſi videant DOMINVM diu conniuere ad con-
ſilia impiorum, quod etiam in hoc Pſalmo videmus
aliquo modo accidiſſe Dauidi, nam putat DOMINVM
nimis diu extrahere vltionem, ô ſi occideres impios.
Sed cum doceamur hoc loco, & alijs, DOMINVM om-
nia videre, & explorare etiam corda hominum, quo-
modo is non videret cogitationes & conatus impio-
rum? Deinde ſi Dauid homo pius perfecto odio perſe-
quitur impios & hoſtes Dei, quomodo Deus qui eſt
iuſtitia ipſa, ante cuius oculos non permanebunt iniu-
ſti, qui etiam odit omnes, qui operantur iniquitatem
negligeret vltionem ſuorum hoſtium? Imò ſtatuamus
Pſalm. 11. ſecundum Pſalmum vndecimum DOMINVM impijs
immiſſurum pluuiam, ex laqueis igne & ſulphure &
ſpiritum procellarum futurum partem calicis eorum.
Alij ita ſunt ſuperſtitioſi, vt ſiue ſurgant, ſiue cubitum
eant, trepident, formidantes varia pericula, nonnulli
etiam cum ſoli ſunt maiorem in modum perturban-
tur. Quanquam autem certum eſt, Diabolum circum-
ire vt leonem rugientem, & quærere quem deuoret,
tamen audiamus hic dulcem conſolationem, DOMI-
NVM nouiſſe omnes noſtras actiones, ſiue ſurgamus,
ſiue cubitum eamus. Huic ergo totos nos tradamus,
iactemus curam ſupra ipſum, ipſe in omnibus nobis
erit protector, adiutor, clypeus, ſalus, is vt
in fine Pſalmi dicitur, deducet
nos in via æter-
na.

Pſalmus

Psalmus 140.

Vincenti Psalmus Dauid.

Eripe me DOMINE ab homine malo.

T Propheta Dauid fide animíq; magnitudine præclarus heros fuit, ita varios & infestos hostes habuit, alios quidem qui consilijs vafrè excogitatis, calumnijs & mendacijs contra sanctum virum agebant, quorum in numero erat Doëg, Achitophel & similes, qui animos regum aduersus Dauidem sollicitabant: alios autem, qui aperto marte optimum Prophetam impugnabāt. Vtrumq; autem genus valdè formidabile fuit, nam illis quidem, quòd laterent illorum machinationes obuiam ire non potuit, his autem (quod præsidijs humanis & armis destitutus esset) sese opponere non debuit. Eo ergo armorum genere, quo instructus erat, precibus & inuocatione nominis diuini ipsis obuiam procedit, orans DOMINVM, vt eripere ipsum ex tantis periculis clementer velit. Hoc argumentum valdè familiare est Dauidi, nam de talibus hostibus Psalmo. 10. 57. 64. 120. & alijs multis agit. Cum autem ijs in locis diligenter & copiosè ista tractata fuerint, nos in hoc Psalmo erimus breuiores.

Habet autem hic Psalmus tres partes: Initiò ponitur propositio. Deinde subijcitur narratio de pericu-

lis Dauidis. Postremò adduntur rationes & argumenta, quibus DOMINI auxilium & opem implorat.

1. *Eripe me DOMINE ab homine malo: à viro violento serua me.*

Propositio in qua summa negocij proponitur paucis verbis. Cupit liberari à viro vel viris malis & astutis, & ab ijs qui apertam iniuriam inferunt, nam, vt dictum est, duo illa hostium genera imminebant Dauidi. Doëg astutijs agebat & calumnijs, Saul vi & tyrannide. Dicit ergo Dauid, DOMINE qui es adiutor in oportunitate, tu à versipellibus & astutis hominibus, qui hoc sedulò agunt, vt mihi creent periculum, & à Tyranno Saule clementer me protege & defende. Nisi enim tu mihi adfueris, nihil mihi spei est reliquum.

2. *Qui cogitant mala in corde, omni die congregantur ad prælia.*
3. *Exacuunt linguam suam sicut serpens, venenum aspidis sub labijs eorum.*
4. *Custodi me DOMINE à manibus impij, à viro violento custodi me, qui cogitauerunt impellere pedes meos.*
5. *Absconderunt superbi laqueum mihi, & funibus extenderunt rete, in loco semitæ laqueos posuerunt mihi. Sela.*

A malis & violentis hominibus cupit liberari, sed vt de magnitudine periculi constet, primò malitiam ipsorum & studia in partes diducit.

Facit

Facit autem ipsorum malitiæ tres gradus. Initio cogitationes & consilia omnia ad prælium, hoc est, ad nocendum instituunt. Dicit enim eos conuenire ad prælia, hoc est, deliberare, quomodo possint alijs nocere. Deinde dicit omnes eorum sermones esse noxios: & vt cresceret res, ait, exacuere eos linguam vt serpentes, & venenum aspidum esse sub labijs eorum. Sunt autem aspides serpentes maximè venenati & noxij. Postremò deprecatur ipsorum manum, hoc est, vim & potentiam eorum. Post enumerationem istam subijcit picturam sumptam ab aucupibus & venatoribus, qui decipulas ponunt, & tendiculis capiunt aues. In hunc modum.

Non est autem leue aut vulgare periculum, in quo ego versor, nam aduersarij mei omnibus conatibus hoc agunt, vt mihi noceant. Initiò enim omnes cogitationes, omnia consilia ipsorum eò diriguntur, vt mihi bellum parent, & periculum creent, eam ob causam sæpè conueniunt, deliberant, consilia conferunt. Alij autem calumnijs & venenata lingua sua, serpentes & aspides imitantur. Nam vt hæ antequam præsenseris trisulca lingua sua, quæ veneno armata est, homini virus inspirant, ita illi mendacijs & confictis criminibus, me apud regem traducunt, ita fit, vt antequam sciam me accusatum, mortis mihi sententia decernatur. Quibus deinde omnibus tertium periculum accedit, potentiæ regiæ & armorum, quæ contra me disponuntur vndiq; à quo discrimine ô DOMINE me clementer protege, & à manibus potentissimi regis me eripe: libera me ab aulicis, qui non aliter quàm aucupes in omnibus locis, & vijs mihi insidiantur, vt

me

me ſuis laqueis induant & proſternant. Non itinera vlla mihi tuta ſunt, non impunè vnum licet verbum proloqui, quantum enim colloquium quod cum Pontifice habui, & mihi ad cumulum indignationis regiæ, & ipſi ac toti ordini ſacerdotali ad ſummum periculum vitæ obfuerit, tu DOMINE noſti. Ex tantis ergo periculis me eripe & ſerua DOMINE Deus meus.

Et ad hunc ſanè modum Propheta malitiam, virulentiam & improbitatem ſuorum hoſtium deſcribit, ſed in eo argumenti genere multi Pſalmi ſcripti ſunt. Pſal. 10. Cuius os (inquit) maledictione plenum eſt, & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor & dolor. Sedet in inſidijs atriorum, in occultis vt interficiat innocentem, oculi eius in pauperem intenti ſunt. Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca, inſidiatur vt rapiat pauperem &c. Et Pſalmo 11. Ecce impij intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas ſuper neruum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Quoniam fundamenta deſtruxerunt, iuſtus quid faceret? Et Pſal. 57. Anima mea in medio Leonum dormit, filij hominum ſunt flammæ, dentes eorum lanceæ & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Et ſupra Pſal. 120. de lingua doloſa loquitur, Eſt vt ſagittæ acutæ potentis, vt ignis in iuniperis. Videmus quomodo Dauid depingat impios, videlicet quod Patris Diaboli ſint ſimillimi, aſtuti, mendaces, Διαβολοὶ, crudeles, virulenti inſtar ſerpentum. Sed mirabitur quis D. Apoſtolum Paulum iſta quæ de extremè malis hominibus ſcribuntur, ad totum genus accommodare. Nam cum vult probare omnes homines peccatis obnoxios eſſe, *Rom.* 3. locos iſtos Dauidicos magna ex parte citat. Sepulchrum

chrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum vſi ſunt, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os execratione & amarulentia plenum eſt, veloces pedes illorum ad effundendum ſanguinem. Hæc cum de perditiſsimis hominibus dici videantur, cur ad omnes in vniuerſum accommodantur? maximè cum inter eos, qui renati non ſunt, quidam mites, humani, & benefici fuerint, vt Socrates, Ariſtides, Themiſtocles, Traianus & ſimiles. Et ſanè gentilium multæ virtutes à ſcriptoribus prædicantur. Deinde etiam certum eſt, quoſdam inter impios crudelitate & improbitate excellere, ita vt illorum intemperies, ne Ethnicis quidem hominibus probata fuerit. Talia monſtra fuerunt Nero, Caligula, Caracalla, & ſimiles. Nec vult Paulus more Stoicorum omnia peccata facere æqualia. Sed hoc oſtendit, omnibus non renatis venenum à ſerpente illo antiquo afflatum. Etenim vt DOMINVS cum hominem crearet, eum fecit ad ſimilitudinem ſuam, ſic Diabolus cum per defectionem eum, ſuum feciſſet, ſimilitudinem ſuam aut potius deformitatem ei communicauit. Pro ſapientia aſtutiam, pro gratiarum actione blaſphemiam, pro dulci colloquio venenatam linguam, calumniatricem, mendacem: pro manibus ad opem ferendam paratis, Leoninos vngues & dentes paratos ad effundendum ſanguinem, quid multis? triſti quadam metamorphoſi homines in ſerpentes & ſæuos Leones conuertit. Quanquam autem illa feritas in alijs vehementior, in alijs autem remiſsior eſt, tamen quis non experitur ſemina illius mali in ſua carne? Quoties aduerſus DOMINVM infœlici murmure inſurgimus,

quoties famam proximi lædimus, quàm ad maledicendum propensi sumus, quàm prouocati iniurijs inexorabiles, quàm si non prouocemur irritabiles, quanta vindictæ cupiditas, quàm variæ hominis aduersus homines insidiæ, fraudes, circumuentiones? Arenas sanè maris facilius quis, quàm catalogum illius depraua-tionis nostræ numerauerit. Itaq; cum ista legimus in Dauide, non simus nobis Suffeni cogitantes ista ad eos duntaxat pertinere, qui sceleribus nobilitati sunt: sed illa omnia epitheta rectè à D. Paulo referri ad totum genus humanum, qui in receſsibus & latebris animorum suorum talia monstra alunt, quæ si in lucem prodeant & externis gestibus declarentur, intolerabilia etiam impijs hominibus videantur. Itaq; supplices ad Christum confugiamus, exorantes pro nostris nos-
Rom. 7. xijs & hac deprauatione veniam, & cum D. Paulo deploremus reliquias carnis, quæ cum spiritu regenerante immortale bellum gerunt.

7. *Dixi DOMINO, Deus meus es tu, exaudi DOMINE vocem deprecationis meæ.*

8. *DOMINE Deus virtus salutis meæ, texisti caput meum in die belli.*

Post narrationem subijciuntur argumenta, quibus in hac precatione vtitur Propheta. Est autem primum Argumentum, Tu es DOMINVS Deus meus, qui promisisti te exauditurum me in omnibus periculis. Tu etiam es Deus virtus salutis meæ, hoc est, saluator meus, qui sæpè in bello & maximis periculis me seruasti, & caput ac incolumitatem meam protexisti ab imminen-

imminentibus periculis, ergo hodie etiam in isto periculo me serua.

De hac argumentandi ratione quomodo promissionibus diuinis fidem nostram cõfirmemus, & à preteritis beneficijs, ad futura argumentemur, aliâs dictũ est. Sunt certè duo firmissima fundamenta, quibus nostra fides fulcitur, quod promissiones defensionis, protectionis & liberationis, ab eo qui est ipsa veritas, habemus. Et cum non solùm promissum nobis sit adiumentum auxiliumq; diuinum, sed etiam tot exemplis comprobata nobis DOMINI voluntas, quis de reliquis dubitaret, quæ nondum complementum suum habent? Et vt ex multis vnum duntaxat proferamus, promissus est toti orbi Christus, qui vincat peccatum, mortem, infernum, exhibitus est Christus secundum promissiones Propheticas, peccatum deletum est. Ergo non dubitemus, de alio articulo, cuius complementum expectatur, mortuos etiam resurrecturos & expectandam vitam æternam. Nam si (vt Paulus argumentatur) mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit, cum autem certus sit Christi aduẽtus in carnem, certa etiam ipsius resurrectio, de nostra nullo modo dubitandum est.

9. *Ne tradas DOMINE desideria impio, cogitationem eius ne permittas progredi, ne fortè exaltetur, Sela.*

Secundum Argumentum proponit periculum si deseratur ipse, & desiderio hostium satisfiat in hunc modum. Te DOMINVM etiam oro, ne id quod in votis habent aduersarij mei permittas, nec concedas vt consilia ipsorum succedant, aliâs enim se non modò

vltra sortem humanam, sed te etiam extollent, nec credent esse Deum in cœlis, vltorem impietatis & improbitatis.

D. Apostolus in Romanis testatur, DOMINVM extrahere pœnas pro sua longanimitate, inuitãs impios ad pœnitentiam. Sed illi argumentum inde extruunt, Deum non puniturum peccata, superbiunt, & se efferunt magnificè, putant enim impunitatem certum inditium esse aut misericordiæ diuinæ, qui nolit punire peccatores, vt in Syracide dicunt: Miseratio DOMINI magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: aut certè quod Deus non curet res humanas, nam vt Psaltes scribit, dicunt in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non videbit in æternum. Et paulò pòst: Dixit impius in corde suo, non requires. Videmus autem, quàm astutè malus spiritus ea vsura temporis, quam DOMINVS peccatori ad medicinam largitur, ipse abutatur ad hominum & securitatem & interitum. Sed cur, inquis, DOMINVS non in tempore punit? quia si hoc faceret, non habiturus esset, quorum misereretur. Deinde seruiunt iusta iustitiæ diuinæ, vt impij sint inexcusabiles, cum tantum habuerint spacium emendandæ vitæ, nec tamen de resipiscentia cogitauerint.

Eccles. 5.

10. *Labor labiorum ipsorum operiat caput eorum, qui me circundant.*

11. *Cadent super eos carbones, in ignem deijciat eos, & in fouueas, vnde non resurgant.*

12. *Vir linguosus non stabilietur in terra, virum violentum venabitur malum, donec præcipitetur.*

13. *Cognoui*

13. *Cognoui, quia faciet* DOMINVS *iudicium afflicti, & vindictam pauperum.*

Hæc imprecatio habet in se argumentum tertium. DOMINVS enim pro sua iustitia punit impios, & iuuat miseros. Ex quo certò concludit Psaltes DOMINVM nunc quoq; nihil facturum alienum, à perpetua consuetudine sua, sed puniturum impios & liberaturum afflictos. Ita autem certus de eo est, vt imprecetur ipsis pœnas, & pronunciet etiam eos sensuros ista supplicia. Cum autem de pœnis impiorum loquitur, nõ simpliciter dicit eos puniendos, sed ea pœna, quam DOMINVS soleat decernere impijs, nempè talionis, quam varijs figuris proponit, quas Paraphrasi exprimere conabimur.

Scio ego, DOMINE, te cum his meis hostibus, pro tuo more & iustitia acturum, soles enim improbos eo quo peccauerunt modo punire, vt pœna delicto ex omni parte respondeat. Sic calumnias, quibus tanquam indagine me cingunt, in caput ipsorum deriua. In ignem & foueas, in quas me conijcere studuerunt, tu eos deturbabis, vt se recipere ex casu amplius non possint. Nam iustissimo tuo iudicio impius in foueam quam ipse fecit, incidere debet. Certè tu calumniatores, quibus lingua pro telo est, non patieris diu superstites esse. Sed vt feræ bestiæ cum venatorem & canes fugiunt, se ipsas in ruinam proijciunt, dum per præcipitia fugere conantur, ita tua illos vltio, & peccata, quibus te DOMINVM offenderunt, persequẽtur, vt in desperationem & æternum interitum se præcipitent. Econtra autem secundum amplissimas promis-

siones tuas, tu causam miserorum & afflictorum ages,
Psalm. 10. tibi enim derelictus est pauper, Orphano tu eris adiutor.

De talione supra pluribus locis dictum est, sed non est negligenda pulcherrima pictura, qua hic Spiritus sanctus fatales impiorum pœnas expressit. Dicit malum venari impios, vt seipsos præcipitent, quo ostendit, non solùm impios experiri vltionem diuinam,
Esther. 5. sed etiam se ipsos præcipitare in exitium. Exempla sunt Haman, qui patibulo quod Mardochæo parauerat, suspenditur: Absolon patri creans periculum capitis, fugiens cesariem pro laqueo habet: Achitophel
2. Sam. 17. cum vidisset consilium suum irritum, sibi manus adfert: Iudas Ischariotes DOMINI proditor, se etiam in præcipitium desperationis & interitus agit. Timeamus ergo DOMINVM, ne vltrices pœnæ nos persequantur.

14. *Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti coram te.*

Postremum argumentum ex fontibus vtilis desumptum est. Hoc enim vult postremo versu: Si ad eum modum impios fueris vltus, noscq; qui tibi confidimus eripueris & liberaueris, omnes sancti prædicabunt nomen & gloriam tuam, & coram te confidentes ambulabunt, confirmati exemplis tuæ erga ipsos benignitatis & clementiæ.

VSVS HVIVS PSALMI.

Aduersus morsum Sycophantæ nullum esse remedium

dium dicunt. Sed hic Psalmus nobis antidotum præclarum monstrat, preces fideles. Nam si vera fide ad DOMINVM confugerimus, certi simus, DOMINVM nos esse protecturum. Deinde vt Psalmus habet, non permissurum, vt exaltentur impij, efficiet etiam vt impij ac calumniatores suo gladio iugulentur, ac præcipitentur in exitium æternum. Denicp causam piorum non deseret, quia sua est. Non enim patietur eos periclitari, quos in suam clientelam recepit. Cuius rei (vt dictum est) fidem nobis fecit plurimis exemplis. Nos autem & hæc, & alia ipsius beneficia grata mente circumferamus, nec memoriam illorum vnquam senescere patiamur.

Mendæ animaduersæ in Decade quarta & decima.

Pag. 9. ver. 22. post Nam cum, legendum est Dauid. 31. 26. apud arcam. 39. 16. precepit. 63. 8. dele Prouerb. 11. 75. 11. affatim. 76. 26. λέγειν 83. 8. habent. 84. 23. templo. 88. 2. quas. 89. 24. dele (inquit) 94. 6. ante (vt) scribatur quod. 96. 27. habeat. 99. 10. naturā. 103. 23. pro monarchia, lege vita. 106. 6. ferre. 120. 26. spiritui. 129. 2. respiciat. 129. 12. post nunquam, insere non. 130. 25. dele eum. 131. 7. det. 132. 23. cantici. 134. 3. volui. ibid. 5. Mimesis. ibid. 7. Ironiam. 136. 21. debeant. 137. 29. modo. 138. 1. cineribus. ibid. 6. erecta. 142. 1. eos, ponendum ante, quamuis. 161. 8. repellit. 169. 18. prosecutus. 103. 12. æquo. ibid. Artabanus. 173. 6. quem. 175. 15. pro Esauo, lege Caino.

FINIS.

BREVIS ET PERSPICVA PSALMORVM DAVIDIS EXPLICATIO.

DECAS QVINTA ET DECIMA.

AVTORE

Theodorico Schnepffio D.

TVBINGÆ,

M. D. LXXII.

PSALMI DECADIS QVINTAE ET DECIMAE.

141. *DOMINE clamaui ad te, &c.*
142. *Voce mea ad DOMINVM clamaui.*
143. *DOMINE exaudi orationem meam.*
144. *Benedictus DOMINVS rupes mea.*
145. *Exaltabo te DEVS meus rex.*
146. *Lauda anima mea DOMINVM.*
147. *Laudate DOMINVM quia bonum est.*
148. *Laudate DOMINVM de cœlis.*
149. *Cantate DOMINO canticum nouum.*
150. *Laudate DEVM in sanctuario eius.*

Psalmus 141.

Psalmus Dauid.

DOMINE clamaui ad te.

PROPHETA Dauid in diuturno & trisli exilio suo, duo periculorum genera subijt, spiritualia videlicet & externa, quorum illa quidem animæ, hæc autem corpori & fortunis interitum & internitionem minitabantur. Spiritualia & interna pericula erant tria. Primum, cum aduersarij ipsius in rerū affluentia & summo successu viuerent, potuit Dauid sollicitari ad impatientiam, & infelicia aduersus Deum murmura. Deinde videbat sanctus vir, suos hostes impunè delicijs & voluptatibus, ac omni vitiorum generi operam dare: periculum ergo erat, ne Dauid victus diuturnitate malorum & exemplis ipsorum, ad impuritatem vitæ, & mores illos impiorum, transuersus raperetur: ac cogitaret: cum istis omnia liceant, nec pœnas & vltionem diuinam sentiant, inibo cum ipsis societatem, & sequar eas rationes vitæ, quæ aliquid suauitatis habent. Fuit & aliud periculum superioribus coniunctum, ne ad falsas & hypocriticas ipsorum doctrinas, relicta puriore, deficeret. Et hæc quidem erant pericula interna quæ imminebant prophetæ. Sed incolumitati ipsius, aduersarij, non solum clandestinis consilijs, sed aperta etiam persecutione & vi creare pericu-

lum ſtudebant. In his ergo maximis anguſtijs, ac ſummo diſcrimine & animæ & corporis, quæ humano conſilio uitari non poterant, Dauid ad auxilium DOMINI confugit, orans, vt ab his malis omnibus liberetur & clementer ſeruetur.

1. *DOMINE clamaui ad te: feſtina ad me: intende voci meæ, cum clamauero ad te.*
2. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum (ſicut) ſacrificium veſpertinum.*

Propoſitio Pſalmi his duobus verſibus continetur, & additæ ſunt rationes. Propoſitio quidem eſt, DOMINE exaudi me. Ratio prima, quia ego ad te clamo. Promiſiſti autem ijs, qui te inuocant, præſentiam & opem tuam. Altera ratio. Spiritus contritus & humiliatus tibi gratior eſt ſacrificio, me ergo, qui exul *Pſal. 51.* ſacrificium tibi offerre non poſſum, ſed vera humilitate cordis me ipſum quaſi hoſtiam tibi reſigno, audias. Inſeruit præterea verbum feſtinandi, quod attentionis cauſa adiectum eſt, vult enim ſignificare, opem non eſſe differendam, quia in magno periculo verſetur. Exodi 29. & 30. de incenſo, de ſacrificio autem matutino & veſpertino Num. 28. ſcriptum eſt. Vocabatur hoc etiam iuge ſacrificium, quia veſperi & mane offerebatur agnus, cum ſimila & oleo.

Quæritur autem: num Dauid ſuam precationẽ tanti faciat, vt eam comparet ſacrificijs à Deo inſtitutis, & quidem ijs, quæ Symbola erant venturi Chriſti. Nam duo agni, qui mane & veſperi imolabantur, & vt dictum

ſtum eſt vocabantur iuge ſacrificium, ſignificabant agnum illum immaculatum, qui eſt perpetuum ſacrificium, pro omnibus verè pœnitentibus, imò vis eius tanta, vt cum in tempore imolatus ſit, ab origine tamẽ mundi rectè occiſus dicatur, quia huius ſacrificij efficacia perpetua eſt, & tam ad eos qui ante Chriſtum, quàm qui poſt Chriſtum vixerunt pertinet. Sanè ſi Dauid ſuum opus tanta animi elatione DOMINO commendaſſet, non potuiſſet gratum eſſe DOMINO. Etenim ſi phariſæus ille Euangelicus à gratia excidit, quòd homini ſe præferebat, quanta blaſphemia eſſet, ſuum meritum Chriſti merito anteponere. Sed Propheta noſter longè aliter eſt affectus, nam verſabatur in ſummis anguſtijs, quæ animorum elationi ſuperbiæq; locum non dant: & ſuas preces clamorem vocat: bis enim repetit, ſe clamare ad DOMINVM. Vult autem id dicere (cuius ſuprà meminimus) cum iam in patria, & loco, vbi cultus diuini habebantur, eſſe non poſſit, orare ſe, vt dominus humiles preces loco ſacrificij accipiat. Non quòd ipſo opere ſuo ſic delectetur: nam DOMINVS non modò preces, ieiunia hypocritarum, qui iſtis confidunt, ſed ſacrificia etiam damnat, vt eſt ſcriptum Pſal. 50. & Eſa. 1. & 66. Sed quia iam ex adumbrationibus ſacrificiorũ didicerat, DOMINVM non velle abijcere miſeros peccatores, verùm hanc eſſe victimam Deo gratiſsimam, ſi vera fide peccator ad Chriſtum confugiat. Sacrificium enim Deo ſpiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Quod etiam ipſum non ſic eſt accipiendum, ac ſi ipſæ pœnitentis dolor & lachrymæ, ſint ſacrificia quæ expient peccata:

Apoc. 13.

Pſal. 51.

ita enim Christi merito derogaretur, sed quia verè pœnitentes ad Christum humilibus precibus, ac vera fide confugiunt, & ab eo impetrant remissionem peccatorum & vitam æternam. Hoc hauddubiè voluit Psaltes, cum ad eum modum DOMINO preces suas commendaret.

Debebam ô DOMINE nunc more consueto, & vt requirunt ceremoniæ abs te præscriptæ, interesse sacris, vbi agnus imolatur: sed ego Christum agnum immaculatum vbicunq; locorum sum in animo meo circumfero, & fiducia ipsius ad te clamo: certa spe, te clamorem gemitusq; meos exauditurum.

Hæc non solùm ad Dauidem, sed ad consolationē omnium piorum accommodanda sunt. Sæpè enim sancti perturbantur, quando aliqua vel persecutio, vel necessitas eos abstrahit, ab ijs cultibus & ceremonijs, quas ipse DOMINVS instituit. Sic magna hauddubiè piorum in Ægypto animi perturbatio fuit, cum pueri infantes octauo die antequàm circumciderētur ab vberibus maternis raperentur. In nouo Testamento multi martyres ad cruciatus ducebantur, antequam sacro baptismate essent initiati: quæ res ipsis acerbissimum dolorem attulit. Hodie etiam Christiani in miseram seruitutem Turcarum ducti, aut sub papistica ptiui, dolent se abesse à cœna DOMINI & concionibus sacris. Etsi autem si fieri potest, non sunt prætermittenda ea, quæ DOMINO ad veras cultus diuini rationes præscripta sunt, tamen ex hoc Psalmo certam consolationem habemus, si aliqua necessitate prohibeamur, quo minus ceremonijs à DOMINO institutis vti possimus, tamen placere inuocationem cum fi-

de con-

de coniunctam. Dirigatur (inquit) oratio mea sicut incensum, &c. Sic D. Augustinus martyres, qui sæ- *Aug. de orig.*
vientibus paganis, antequam baptisarentur trucidati *animæ lib. 2.*
sunt, in suo sanguine baptizatos confirmat, quod ego *cap. 12.*
ita intelligo: fidem, quam profusione sanguinis testa-
bantur, ipsis loco baptismi fuisse. Quanquam autem
idem autor durior est infantibus, qui absq; baptismo
in partu decedunt, quis tamen negauerit, eandem ra-
tionem esse liberorum à pijs parentibus procreato-
rum, quos non martyrium, sed aliud periculum à bap-
tismo abstrahit? Sic ij qui persecutione, aut subito
morbo præueniuntur, ne possint participes fieri via-
tici illius præclari, quod Christus reficiendis anima-
bus dedit, non perturbentur: Sed cum Dauide di-
cant, Eleuatio manuum mearum sicut sacrificium ves-
pertinũ. Qui lecto sunt affixi domi, legant sacra, inuo-
cent DOMINVM, nec sibi persuadeant, ideo se à cor-
pore Ecclesiæ auulsos, quod accedere ad cætus pub-
licos non possint, sed relictam esse sibi & fidem & in-
uocationem, quibus & ad DOMINVM accedere quo
tidie, & se ei commendare possint.

3. *Pone DOMINE custodiam ori meo, & conserua ostium labiorum meorum.*

Primùm, vt in argumento dictum est, periculum Dauidi obijciebatur, ne peccaret impatientia & mur mure, quod cũ sit difficile, ad DOMINI opem, pia pre catione confugit, orat autem vt linguam compescat, ne per eam delinquat. Figuratè autem os ianuæ con-fert, & DOMINI auxilium, quo silentium patientiaq; serua-

ſeruatur, cuſtodiæ. Adhibentur enim ianuis & portis cuſtodes, ne egrediantur, aut ingrediantur, quibus non licet. Etſi autem cauſam non adijcit, quare hoc petat, tamen coniectura facile aſſequi poſſumus, quare in ea re tantùm ſibi elaborandum iudicet. Nam cum pij vident impios florere, vix ſibi temperare poſſunt, ne impatientes voces aduerſus Deum & homines emittant. Aduerſus quidem homines, quod felicitatem ipſis inuideant & aduerſa imprecentur, hoc autem cum dilectione proximi pugnat: aduerſus autem Deum, quod nec pœnas impijs decernat, nec præmia pietati ſtatuat: quæ murmura cum impietate coniuncta ſunt: Deum enim qui eſt ipſa iuſtitia, iniuſtitiæ accuſant. Vt ergo Dauid ſilentio eo quo decet vtatur, nec ſe DOMINO opponat, eius auxilium hoc modo implorat.

Cum DOMINE Deus clementiſsime, multa ſint, quæ animum meum vehementer affligunt, tum verò inprimis aduerſariorum meorum me fœlicitas & ſucceſſus perturbat: & interdum meæ linguæ vix frenos inijcio, ne ſuam intemperiem erga illos, & te etiam exerceat. Nam quæ noſtra eſt carnis deprauatio, lingua noſtra libenter accuſaret gubernationem tuam, quòd tantùm impijs indulgeas, pios vero negligere videaris, deinde ea etiam proximis & inimicis peſsima quæq; imprecatur. Cum autem certum ſit, tuam, quam in rebus humanis adhibes adminiſtrationem, ab omni reprehenſione iuſta, quàm longiſsimè abeſſe, te oro, vt iſta murmura mea compeſcas, ſilentium carni ferocienti imponas, & ſis meo & ori & linguæ quaſi cuſtos ac ianitor: atq; id quod ſepto dentium & labiorum

ſabiorum tacitè ex ipſa natura docere voluiſti, ne temerè aliquid proloquamur, id tu ſancto tuo Spiritu, qui eſt & patientiæ & conſolationis omnis magiſter optimus, in nobis perficias, aliâs nulla tam firma ſunt vincula, nulli obices, qui effrenem noſtræ linguæ volubilitatem & virulentiam moderari poſsint.

Hactenus Propheta: quanti autem negocij ſit, linguam refrenare, & quàm difficile etiam pijs, moderari animi perturbationem, cum vident impios florere, id aliâs ex Hieremia cap. 12. Abacuc 1. Iobe cap. 21. oſtenſum eſt: ſed hoc argumentum præcipuè tractatur Pſalmo 37. Noli æmulari in malignantibus &c. & Pſal. 39. Dixi, cuſtodiam vias meas, ne peccem in lingua mea, cuſtodiam os meum quaſi capiſtro, quando impius eſt in conſpectu meo. Quæ cum copioſè ſuprà tractata ſint, ad ſequentia progrediemur.

4. *Non declines cor meum ad rem malam, ne occuper operibus iniquitatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, & non comedam de delitijs eorum.*

Petit, vt alterum etiam periculum poſsit effugere, ne exemplis malorum & improborum hominum ad impietatem & voluptates deflectat. Nam vt dictum eſt ſupra, quando pij videant homines impios & præfractos, non ſolùm in impunitate, ſed ſucceſſu etiam viuere, eæ cogitationes eis in mentem veniunt, Deum aut non curare iſta inferiora, aut certè non eſſe ſeuerum aduerſus peccata iudicem, quæ res eos ad imitationem & impietatis & improbitatis pertrahere conatur. Ne ergo ea in parte periclitetur Propheta, au-

xilium diuinum implorat, hoc modo: Deinde illud etiam inprimis peto, ne patiaris cor meum, quod omnium est actionum fons, ad malitiam deflectere, nec imitari eos, qui te deserto, voluptates blandissimas dominas, pessimas verò consultrices, ipsamq; turpitudinem sequuntur. Largire quæso DOMINE, ne delicijs ipsorum capiar, & me laqueis Diaboli induam.

Hunc & superiorem versum Propheta Dauid sic expressit Psalmo 37. Ne succenseas propter malignos, nec æmuleris propter facientes iniquitatem. Et paulò post: Sile DOMINO, & expecta eum, ne succenseas propter eum, cuius via est prospera, propter virum qui designat scelus. Desine ab ira, & derelinque furorem, ne succenseas, vt MALEFACIAS, quoniam malefactores exterminabuntur, &c. Et iterum: Recede à malo, & fac bonum, & inhabita perpetuò. Lubrica sanè via est, in turba perditorum hominum versari, videre omnia succedere ipsis ex animi sententia, & non deficere ad impietatem & illecebras mundi, sed exorandus DOMINVS est, vt, quod alibi Psaltes dicit, sustentet gressus nostros, ne labantur: qua de re vberior tractatio ex Psalmo 31. petatur.

5. *Percutiet me iustus in misericordia, & increpabit me: Oleum præciosum (id erit mihi) non franget caput meum, quoniam adhuc oro contra malitiam eorum.*

5. *Deijcian-*

6. *Deijciantur in loca petrosa Doctores eorum: & audient verba mea, quoniam sunt iucunda.*

Vt nullus in rebus humanis præcioſior theſaurus eſt, quàm doctrina ſyncera, de religione, ita nullum maius eſt detrimentum, quàm doctrina falſa & hypocritica. Dauid ergo hoc loco precatur, vt in vera confeſsione & agnitione Dei, qua maximè delectetur, conſeruetur, & præcipitentur falſi Doctores. Vt autem oſtenderet, quanto ſtudio doctrinæ cœleſtis ardeat, vſus eſt amplificatione per ratiocinationem, dicens, ita ſibi gratam eſſe veritatem, vt ſi propter eam acriter etiam reprehendatur, non modò non iraſci velit, ſed iudicaturum ſibi magnam gratiam fieri, nam piorum reprehenſiones & diſciplinam Eccleſiaſticam, multiplicem vtilitatem & ſuauitatem afferre hominibus. Sed iſta figuratè propoſuit, pro acri reprehenſione, quæ tamen ſeruiat emendationi, percutiendi verbo eſt vſus, ſicut Solomon etiam amicorum caſtigationes ſeueriores, dicit eſſe vulnera amantium. Noſter autem Propheta, vt verbera illa ſalutaria à noxijs diſtingueret, addit, iuſtum in miſericordia verberare, hoc eſt, bono propoſito. Mox ipſe quid velit interpretatur, abſq; figura: increpabit me. Illud vero alterum, quod in amplificatione eſt, ſe vituperationes iuſtorum, beneficij loco habere, ſimilitudine olei præcioſiſsimi expreſsit, nam vnguenta olim & in delitijs habebantur, & adhibebantur etiam medicinis. Altero verſu pro eo quod ſimpliciter dici poterat, hypocritas & falſos Doctores confundendos, præcipitium

ipſis per loca ſaxoſa imprecatur: vt illorum interitum quaſi pictura ob oculos poneret. Redit deinde ad petitionem de doctrina vera, & orat, vt ea ad multos propagetur. Addit autem cauſam: quia iucunda ſit, qua voce omnes verbi laudes κατὰ τὴν συνεχδοχὴν complecti voluit. Sed hæc in perpetua verborum ſerie melius conſpici poterunt.

Vnum eſt DOMINE, quod in arce meæ petitionis ponendum eſſe iudico: vt clementer me contra ſeductores & hypocritas precantem audias. Nam malo ego à piis & bonis viris acriter reprehendi, & ſeueriorem caſtigationem nomine diſciplinæ & pietatis ſubire, quàm cum illis ſentire. Quamuis enim illæ reprehenſiones, nonnihil auſteritatis habere videntur, tamen ità me non lædent, vt ſim illas antepoſiturus vnguentis precioſiſsimis, quibus deliciarum cauſa homines vtuntur, tu modò meas preces, & quidem humiles, accipias. Econtra autem falſos Doctores præcipites per ſaxa & loca aſpera dare & illorum impoſturas & coruptelas patefacere omnibus velis: ita enim fiet, vt alij me de verbo tuo iucundas doctrinas & conſolationes proponentem audiant, & ad te conuertantur. Hactenus Propheta.

Quemadmodum autem falſa doctrina blanda eſt, & doctores eius, vt in Hieremia eſt ſcriptum, ſemper promittunt pacem, ita ea ſectatores habet plu-
Eſa.30. rimos. In Eſaia dicunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Pia verò doctrina cum ſeueritatem reprehenſionum coniunctam habeat, & ea quæ huic mundo arrident, damnet, à multis vt tetrica & nimis ſcrupuloſa abijcitur, ab alijs perſecutionem

cutionem etiam patitur. Propheta Michas cum regi Achabo non ea, quæ ille volebat prædiceret, in vincula conijcitur. Herodes Baptistæ concionibus delectabatur, sed cum incestæ nuptiæ ab eo reprehenderentur, in carcerem conijcitur & capite plectitur. Et hic est omnium impiorum captus, vt eorreptiones ministrorum æquo animo audire non possint. Sed longè aliter sensit noster Propheta, qui iustorum plagas dicit sua esse vnguenta, quibus recreetur. Et Apostolus 2. *Cor. 7.* Corinthijs scribens ostendit, quantum is dolor, qui à commonefactionibus sanctorũ profiscisitur, emolumenti afferat. Qui (inquit) secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit: contrà mũdi dolor mortem affert. Et statim subijcit, quòd commoda ex reprehensione illa senserint. Ecce enim istuc ipsum, quòd secundũ Deum contristati fuistis, quantam in vobis genuit sollicitudinẽ, imò satisfactionẽ, imò indignationem, imò timorẽ, imò desiderium, imò æmulationem, imò vindictam? Quę cum certa sint, non moueantur concionatores, si parum magnam gratiam à suis reportent, sed prædicent ver- 2. *Timo. 4.* bum, instent oportunè & importunè, arguant, obsecrent, increpent, cum omni lenitate & doctrina. Cogitent de Augustini præclaro dicto, qui Vincentio scribens inquit: Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus, qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat, ambos, sanat, ambo quandiu ægri sunt indignantur: sed ambo sanati gratulantur. Hęc Augustinus: quæ addere animum doctoribus debent, vt magni medicinam illam spiritualem faciant, non dubiam in spem e-

recti, fore, vt si non omnes, tamen multi ex graui somno vitiorum euigilantes, & ex phreneſi illa perturbationum prauarum conualeſcentes, gratias aliquando agant benefactori. Multa, inquit Auguſtinus, bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ipſi ſibi inueniuntur inimici.

Aug. in Enchiridio.

7. *Sicut qui proſcindit & ſecat terram, diſſipata ſunt oſſa noſtra ad infernum.*
8. *Quia ad te DOMINE Deus ſunt oculi mei: in te ſperaui, ne effundas animam meam.*
9. *Cuſtodi me à laqueo, quem tetenderunt mihi, & à laqueis operantium iniquitatem.*
10. *Cadant in retia ſua impij ſimul: ego autem euadam.*

Poſtremi periculi & quidem externi magnitudo, cum querela proponitur. Queritur enim multos, qui Dauidi fauebant, in quibus erat totus ordo ſacerdotalis, nunc aperta vi ad cruciatus abreptos, ſibi verò ſtrui inſidias: & petit vt ex his tantis periculis liberetur, impij verò ſibi ipſis crecẽt mala: quod iuſti Dei iudicij eſt, vt qui aliorum ſaluti inſidiantur, ſuis conſilijs & machinationibus concidant. Adduntur & aliæ rationes: quòd Dauid inuocet DOMINVM, ideo exaudiendum. Deinde contra ipſum homines impios & ſanguinarios, quibus Deus iraſcatur, inſurgere. Quæ in his verſiculis nonnihil obſcuritatis habent, paraphraſi explicabimus.

Ad pericula, quæ ſanè grauiſsima tibi DOMINE propoſui, accedit etiam ſumma hoſtium crudelitas. Etenim cadauera & oſſa ſanctorum tuorum paſsim ita di-

ita diſperſa cernuntur, ac ſi agricola aratro terram proſcindens, glebas in vtramq; partem diſſiciat: quod sanè triſtiſsimum ſpectaculum eſt: præſertim cùm à tuo & rege & populo, qui defenſores piorum eſſe debebant, proficiſcatur. Superſum ego, cum paucis quibuſdam, ſed aduerſarij mei vndiq; inſidias mihi ſtruunt & laqueos ponunt: nec eſt ſpes vlla ſalutis mihi reliqua, quàm in te DOMINO: ad quem vera fide oculos cordis conuerto, maiorem in modum orans, ne patiaris illos vitam ſanguinemq; meum, vt aquam effundere. Serua me ex laqueis, quos impij homines, tui hoſtes mihi poſuerunt. Effice DOMINE pro tua iuſticia & bonitate, vt ſanguinarij illi ſibi ipſis laqueos induant, ego verò incolumis & ſaluus euadam. Sæuiciam hoſtium Eccleſiæ Propheta luculenta ſimilitudine proponit, cum confert eos aratoribus, qui glebas vomere erutas diſpergũt. Pſalmus 29. etiã tragicã deſcriptionẽ habet crudelitatis iſtius, cum dicit: Poſuerunt cadauera ſeruorum tuorum eſcas volatibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem ipſorum ſicut aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret. Sed eadem propè, qua in hoc Pſalmo, ſimilitudine ſuprà vſus eſt. Supra dorſum meum arauerunt aratores, prolongauerunt ſulcos ſuos. Quo in loco de perſecutione Eccleſiæ, & immortali impiorum aduerſus eam odio ſatis dictum eſt. Præterea, quo modo impij inſidientur pijs, & incidant tamen ipſi in foueam, quã fecerunt, dictum eſt Pſal. 7. 9. & repetuntur illa Prouerb. 26. vbi & ſimile dictum legimus: Qui voluit lapidem, ad eum reuertetur. *Pſal. 129.*

VSVS

VSVS HVIVS PSALMI.

Quemadmodum Christus saluator noster variè à satana tentatus est, sic etiam oppugnãtur pij. Discant autem ex hoc psalmo serio contra illa sæua tela hostis precari & dimicare. Tentatur Christus fame & inopia, ita sancti famem persecutionem patiuntur, de qua in extrema parte Psalmi dictum est. Sed oculos ad DOMINVM attollant, orent ne anima ipsorum effundatur, impij incidant in foueam quam fecerunt. Ducebatur DOMINVS in summitatem templi, vt miraculo doceret, se esse Christum: & scriptura à satana detorquetur. Ita in hoc psalmo videmus falsos Doctores sollicitare pios, contortis scripturis, contra quos pia precatione pugnandum est, & tenendum, vnum & solum Deum posse fanaticos istos præcipitare, cum visum est. Sic Arrium fatali pœna præcipitem dedit, sic alios. Ad extremum monstrat Diabolus DOMINO regna mundi, vt ei persuadeat defectionem. Dauid hîc docet contra voluptates & alia, quæ ostendit nobis diabolus, non aliud esse præsentius remedium, quàm vt vera fide ad DOMINVM confugiamus.

PSAL.

Psalmus 142.

Eruditiuum Dauidis, cum esset in spelunca, oratio.

Voce mea ad DOMINVM, &c.

ITVLVS Psalmi testatur, Dauidem in exilio hæc precatum, & quidem tunc, cum lateret in spelunca: (Hieronymus intelligit de spelunca Odollam) conscripsisse autem ista, ad eruditendos cæteros, vt intelligerēt, quid in summis periculis agendum, quò confugiendum sit, videlicet ad Deum opt. Maximum, cuius auxilium non modò implorat, sed causas etiam addit, quare exaudire orantem debeat: de quibus in explicatione dicetur.

1. *Voce mea ad DOMINVM clamaui, voce mea ad DOMINVM deprecatus sum.*
2. *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

Propositio Psalmi, quòd in suis miseriis imploret auxilium diuinum. Quàm autem ardens fuerit precatio, Synonymia expressit, cum eandem rem verbis quidē diuersis, sed idem ferè significantibus proponit: clamaui: deprecatus sum: effundo in conspectu eius orationē meam: tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

Ego, inquit, in ſumma rerum mearum deſperatione, DOMINO non modò gemitibus, ſed alta voce locutus ſum, ipſum ſum deprecatus, cor & orationem meam coram ipſo effundo, & calamitates & miſerias meas ei propono.

Qui vel in miſeriis vel perſecutione conſtituti ſunt, leuationem doloris ſe ſentire exiſtimant, ſi ſuas perturbationes effundant in ſinum alterius: Sed illa magis in opinione quadam hominum poſita ſunt, quàm quòd veram conſolationem afferant. At Propheta noſter in hoc ſuo carmine, quod erudiendis aliis ſcripſit, docet, cui noſtras miſerias communicare, & quem in ſocietatem doloris vocare debeamus, videlicet Deum Opt. Max. quæ res non leui illa, qua homines vtuntur conſolatione, nos dimulcebit, ſed ſolidam & conſtantem eſt habitura animorum recreationem, & ſequetur etiam tandem liberatio. Nam qui aſpiciunt eum, & ad eum confluunt, eorum facies nō confundentur. Sed de his poſtea dabitur dicendi locus. Deinde nec hoc quoq; ocioſum eſt, quòd toties repetuntur verba & vocabula clamoris & precationis. Nam Dauid & ardentem & ſæpè iteratam precationem, DOMINO placere oſtendit. Veri enim, vt Chriſtus Samaritanæ loquitur, adoratores, adorant ſpiritu & veritate: & ſaluator monet, non eſſe DOMINO gratum in oratione multiloquium, ſed ſuccinctam illam precationis dominicę formula, quam præſcripſit, ſufficere. Et D. Paulus in Romanis dicit, gemitus & quidem eos, quos DOMINI ſpiritus ſuppeditet, in precationibus piorum excellere. Quanquam autem breuitas in precatione pia requiritur, tamen iubemur ſæpè & multùm orare, nec

Pſal. 34.

Ioan. 4.

Matth. 6.

nec in hoc exercitio fatigari, quòd vtilitates in noſtra vita habet maximas. Hoc Pſaltes ſignificare voluit, cum oſtendit, ſe ſæpè ſuos gemitus DOMINO propoſuiſſe. Hoc Chriſtus in parabola de vidua ſæpius ſolici tante iudicem pulchrè adumbrauit. Et D. Chryſoſtomus exemplo eius, qui triginta octo annos ad piſcinã iacuerat, nec recuperare valetudinem poterat, nos hortatur, ne ſi dilatum à DOMINO auxilium ſit, deficiamus: id quod maximè in precatione faciendum eſt: nam ad probandam fidem & conſtantiam noſtram ſæpè DOMINVS poſt multas noſtras preces extrahit auxilium & opem ſuam. ἔχει (inquit Baſilius) τὴν τροφὴν ἐν χερσὶ καὶ παρέλκει τὴν δόσιν ἵνα σου δοκιμάσῃ τὸ βεβαίον. Habet cibũ in manu, & extrahit exhibitionem, vt tuã probet conſtantiam. Mutuatus eſt ſimilitudinem à parentibus, qui cum pueris ſuis ludentes, id quod daturi ſunt, & monſtrant, & rurſus occultant, vt pueriles animos iſto metu minimè noxio exerceant ad preces & flagitationes, quibus maximè delectantur. Luc. 18. Chryſo. in cap. 5. Ioan. Εν λόγῳ πορὶ λίμῳ καὶ ἀνχμῷ

3. *Cum anguſtiaretur in me Spiritus meus, tu cognouiſti viam meam, in via qua ambulabam abſcondebant laqueum mihi.*

Iam rationes aliquot ſubiicit Propheta, cur ad ſolum DOMINVM in his periculis confugiat. Prima eſt, quòd DOMINO nota ſit Dauidis tota vita, & inprimis pericula, quæ ſtruunt aduerſarij. Cui enim rectius ea reuelaremus, quàm qui omnia noſtra intuetur & gubernat? Vſus eſt inter cætera verbo ſignificanti, anguſtiaretur, alij vertunt, cum contorquere-

tur. Significat autem se in eiusmodi periculis fuisse constitutum, vnde exitum nullum prospiceret. Sententia ergo huius versiculi ista est.

Cum ergo ijs periculis essem septus, ex quibus, qua ratione possem effugere, non viderem, tibi totam causam meam commendaui, cui alioquin omnis mea vita, & præterea pericula, in quibus versor, notissima sunt. Scis enim meos hostes mihi non aliter insidiari, quàm aucupes auibus, & venatores feris belluis solent. Hæc Psaltes. Non autem est vulgaris consolatio, si scias & Deum esse, & curare eum res humanas. Etenim qui fortunæ ludibrio omnia sursum & deorsum ferri existimant, aut credunt hominum arbitrio omnia peragi, ij cum in periculo sunt, varie afficiuntur, nam fortunam hominesq; accusant: at qui credit DOMINVM omnia intueri, gubernare, absq; ipsius nutu nihil fieri, moderari & regere corda, actionesq; humanas, deinde iustum esse, nec perpetuò daturum fluctuationem iusto, is moderatius omnia ferre & sustinere poterit. Sed de hac re copiosius est dictum supra Psalmo 139. progrediamur ergo ad secundam rationem, qua se erigit Psaltes.

4. *Et respiciens ad dextram, videbam non esse qui me agnosceret, periitq; refugium à me, & non erat qui quæreret animam meam.*

5. *Clamaui ad te DOMINE ac dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.*

Secundum argumentum hoc loco proponitur: Cum nihil sit auxilij, ego in te solo omnem spem col-

loco.

loco, Ergo iuua me. Ratio conſequentiæ eſt, quòd DOMINVS eos, qui ſola fiducia diuina nituntur, ſe adiuturum eſt pollicitus. Acceſſerunt figuræ, quibus negocium illuſtratur. Nam verſu quarto vſus eſt ſynonymia, cum ſolitudinem & deſertionem ſuam deſcribit. Cum reſpicerem, inquit, ad dextram, neminem videbam, qui me agnoſceret. Per dextram autem auxilium oportunum intelligitur. Nam dextra in bonam partem plerunq; accipitur. Verbo autem reſpiciendi, expreſsit geſtum eorum, qui in anguſtijs conſtituti oculos in omnes partes circumferunt. Deinde eandem ſententiam commutatis verbis repetit: Periit refugium à me: quod Hebraicè eſt dictum, pro non habebam quò confugerem. Et tertiò etiam iſta inculcat: Non eſt qui requirat animam meam, hoc eſt, incolumitatem, ſalutem. Fiduciam autem, quam firmiſsimam erga DOMINVM habet, egregiè expreſsit, cum ſolitudini & deſertioni ſuæ, certam ſpem ſuam, amiſsisq; omnibus bonis, DOMINVM, portionem ſuam, opponit. Portio autem ſignificat id, quod in delicijs habemus, & quo inprimis lætamur, theſaurus noſter aut hæreditas noſtra. Addita autem eſt amplificatio à tempore. Dauid non ſemel Dei fiducia & ſpe illa nititur, ſed per omnem vitam. Tu es portio mea in terra viuentium, hoc eſt, quoad vixero, tu es ſpes mea. Subintelligitur autem conſequentia: eum, cùm vera fide ad Deum confugiat, exaudiendum eſſe, id quod proximo verſu habetur: Intende ad deprecationem meam. Voluit ergo Prophetà hoc dicere.

Cum inimici mei inſidias mihi ſtruerent, & creare

periculum incolumitatis vellent, oculos circumferebam, num alicunde spes aliqua auxilij affulgeret, num ad dextram mihi socij astarent, qui iustam causam defendere vellent. Etsi autem cum in aula Saulis, & rebus secundis versarer, quamplurimos amicos habebam, tamen cum iam in periculo me maiore constitutum videant, nemo est qui me vel agnoscere velit: taceo, quod aliquid ab ipsis subsidij expectandum sit. Non habeo vel vnum aliquem, ad quem tuto confugere, cum quo consilium capere de rebus aduersis meis possim. Nemo est qui incolumitatis & salutis meæ vel minimam curam habeat. Cum ergo de auxilijs humanis desperatum sit, ego me ad te DOMINE toto animo & gemitu, clamoreq; conuerti. Nulla quidem DOMINE est in hoc mundo res, qua me recreare & reficere in his tantis malis possim, omnes me amici & noti deseruerunt, sed tu DOMINE es mea spes & fiducia. Amisi patriam, exul & miser oberro, nullibi certam sedem habens: sed tu quo ad vixero inter homines, & thesaurus & patria & hæreditas mea eris, tu refugium meum. Qua de re tuæ amplissimæ promissiones me certum faciunt, quæ omnibus inuocantibus te indubiam opē pollicentur. Tu dixisti: Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Fiducia ergo illa tuarum promissionum ad te confugio, non dubitans te mitigaturum esse ærumnas meas, imò suo tempore me omnino liberaturum.

Non dissimilem sententiam ei quæ hîc in precibus Dauidicis nobis proponitur, habemus in Paralipomenis. Nam cum Ammonitæ, Moabitæ & Ædomitæ coniun-

coniunctis viribus bellum inferrent regi Iuda Ioſaphat, pius rex inter cætera ſic precatur: In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſsimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Non autem hoc vult Dauid & Ioſaphat, primò omnium auxilia humana quærenda, & ſi ea deſint, poſtea de ope diuina cogitandum eſſe. Nam in omnibus rebus, quæ à nobis ſuſcipiuntur, DOMINVS primò omnium inuocandus eſt. Quærite, inquit Chriſtus, initiò regnum Dei, & reliqua omnia adijcientur vobis. Et pij reges aduersi aliquod periculum, prius oraculum DOMINI conſulebant. Sic Dauid contra Philiſtæos, Amalechitas, pugnaturus, deinde aſcenſurus in Iudam, vt regno inauguraretur, DOMINI prius voluntatem explorat. Et ſeruus Abrahami procuraturus Iſaaco vxorē precatur DOMINVM, vt monſtret puellam, quam velit nubere herili filio. Ita pij homines omnia à precibus incipiunt, ac inprimis diligenter perpendunt, num id quod facere inſtituunt, cum voluntate diuina congruat. Deinde ſancti vtuntur etiam mediis: in periculo belli, exercitum conſcribunt, in fame de annona cogitant, in morbo medicinam non recuſant, in dubijs conſilium & deliberationem adhibent, emunt, vendunt, agros colunt, exercent iudicia, muniunt vrbes, conſtituunt excubias. Sed his omnibus ſciunt DOMINVM ita præſidere, vt fruſtra elaboraturi ſint, niſi DOMINVS dederit & ſucceſſum & emolumentum, de quo plura ſunt dicta Pſal. 127. & 128. At verò cum nulla ſe oſtendunt media, nullæ occaſiones, tamen non deſpon-

2. Par. 20.

1. Sam. 23.
1. Sam. 30.
2. Sam. 2.
Gen. 24.

ſpondent animum, ſed ad DOMINVM confugiunt, ſcientes vbi deſinat humanum, ibi incipere diuinum auxilium. In hanc ſententiam locutus eſt Ioſaphat, cum dicit, ſe deſperatis rebus omnibus confugere ad DOMINVM. Et hoc loco Dauid quærit quidem auxilia humana, ſed cum videt ſe ab omnibus deſertum, implorat opem patris cœleſtis. Hæc ratio nobis in tota vita ſequenda eſt, vt in omni deliberatione nobis tanquam conſiliarius aſsit timor DOMINI, qui eſt initium omnis ſapientiæ. *Prouerb. 1.* Deinde non poſcamus miracula à DOMINO: vtamur iis creaturis & rationibus, quas ſcimus DOMINO non diſplicere. Poſtremò ſi ne ſic quidem ſucceſſerit nobis negotium, ſciamus, adhuc aliud auxilium ſupereſſe, & illud quidem certum & firmum, quod è cœlis expectatur: imò verò non aliud auxilium, ſed aliam auxilij diuini rationem. Nam in omnibus quæ nobis optata eueniunt, Deum autorem agnoſcere debemus. Sed tum opis adiumentiq; ipſius ratio luculentior eſt, cum ſublatis omnibus integumentis creaturarum, quibus aliâs, cum nobiſcum agit, vtitur, quaſi coram ſe oſtendit, id quod fit, cum miraculo nos iuuat, aut eas ſuppeditat occaſiones, quæ præſentiam numinis palàm declarant.

Quando autem eo modo Dei opem imploramus, vera & conſtanti fide ad eum accedere debemus, vt Paulus præcepit. Itaq; quod hîc de ſpe Pſaltes dicit, non intelligatur de ea, quæ cum dubitatione coniuncta eſt, ſed de certo & indubitato auxilio. Ideo Dauid addit, DOMINVM eſſe ſuam portionem, ſuum theſaurum. Voluit enim explicare, quali fiducia ſit præditus, non ea quæ inani duntaxat expectatione ani-

animum demulceat, sed quæ iam quasi in possessione sit rerum, quas sibi promittit. Etenim qui certus est de fauore DOMINI, etsi præsentem opem non experitur, tamen ab ipso omnia absq; trepidatione & formidine, indubitata fide expectat. Non præscribit modum & rationem DOMINO, sed nouit eum omnia pro sua paterna & clementi voluntate ad summas nostras vtilitates accommodaturum. Hæc est piorum possessio, hi thesauri, ista hæreditas, quam ab ipsis auferre nemo mortalium potest.

6. *Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum valdè, libera me à persequentibus me, quia præualuerunt mihi.*

7. *Educ de carcere animam meam &c.*

Quanquam de insidijs aduersariorum suorum Psalmes suprà dixerat, tamen hîc deserte de magnitudine periculorum concionatur, vt ostendat magnam esse causam, cur tam ardentes preces ad DOMINVM fundat. Ingens autem discrimen, in quo versetur, initiò significantibus verbis expressit, dicens, se valdè humiliatum, hoc est, miserum & afflictum. Deinde confert inter se potentiam hostium & suam imbecillitatem: Confortati sunt, inquit, super me, quod ita est intelligendum, hostes multò esse quàm sit Dauid potentiores, quod ex historia sacra notum est. Et versu postremo (cuius initium, eam ob causam huc transtuli) summum periculum, in quo versabatur, vocat carcerem, nam cum in spelunca lateret, & cinctus esset vndiq; hostili manu, veluti in sepulchro vel carcere con-

cluſus videbatur. Interpretantur etiam hæc, ſuperiora illa, vbi dicit, nullum eſſe refugium, nullum auxilium humanum, quia tum omni ope deſtitutus, veluti ouicula inter leones ſedebat. Continent ergo hi verſus grauiſsimam Dauidis querelam de præſentiſsimis periculis, in hunc modum.

DOMINE dixi, me non modò animi, ſed vocis omni contentione ad te clamare, neq; id ab mea quadam imbecillitate proficiſcitur, ſed magnitudine periculi, nam maiorem in modum affligor, & me certè nihil abiectius & humilius ne excogitari quidem poteſt, niſi forte inter defunctos numerer, quorum memoria inter homines intercidit. DOMINE, adſis mihi in præſentiſsimo hoc & ſummo periculo. Nam ego, & qui me ſequuntur miſeri afflictiq; homines, conferamur cum exercitu regis, quid quæſo videbimur quàm vermiculi, aut oues in medio luporum. Nam Saul inſtructiſsimo exercitu meam vitam ad cruciatus quærit, ego verò non modò non poſſum cum hoſte congredi & pedem conferre, ſed in ſpeluncis & locis abditis tanquam carceribus quibuſdam delitesco, ex quibus, vt me liberes, maiorem in modum precor.

Cum parentes propitij, non modò non cupiant liberis ſuis afferre aliquid incommodi, ſed operam etiam dent, ne illos contriſtent, aut ad iram prouocent, quod & Paulus parentibus mandat Epheſ. 6. Ne prouocetis ad iram liberos veſtros: qui fit, quòd Deus, qui eſt ipſa charitas, ſuos dilectiſsimos filios in carceres anguſtiarum, imò pericula mortis & inferni conijcit? an ita ei placet hominum trepidatio? an delectatur

lectatur noſtris lacrymis? nullo modo, quomodo enim nomen miſericordiæ & clementiæ ſibi vendicaret, ſi ex ſuorum miſeriis & dolore voluptatem capéret? Vult autem DOMINVS, ſuos, quos maiorem in modum amat, & euecturus eſt ad ſummas dignitates, circundare carceribus afflictionum, vt intelligant, quàm nihil ipſi ad benè & beatè viuendum poſideant, ſi non detur hoc à DOMINO. Deinde & alia cauſa eſt, ne ſeſe propter dona, quibus DOMINVS eos ornauit, efferant. Paulo ſtimulus per carnem nuncius Satanæ datus eſt, ne propter excellentiam reuelationum inciperet ſuperbire. Et ſanè in Dauide quantumuis præſtanti heröe videmus, quàm ei opus fuerit iſtis tentationibus, cùm poſt multas vexationes, tamen & adulterium commiſerit, & populum numerauerit. Cum autem nos ab excellentia illius & regis & Prophetæ longiſsimè abſimus, certè opus nobis eſt exercitio afflictionum, ne cum hoc mundo damnemur.

7. *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, & ad me congregabuntur iuſti, cum benefeceris mihi.*

Poſtremum argumentum commoda habet, quæ liberationem Dauidis ſint ſequutura, videlicet celebratio nominis diuini, & admiratio aliorum piorum, qui ſe conferent ad Dauidem, & exemplo ipſius confirmabuntur: DOMINE (inquit) eripe me ex hoc carcere, ex maximis anguſtijs, vt quod ſemper ſtudui, in poſterum etiam tibi gratias agam, & omnes pij, qui iſtas lau

des tuas,& res præclarè propter me gestas auditurí sunt,mecum etiam incipiant te celebrare & laudare, donec tandem in illa æterna & beata vita te perpetuò laudemus.

Videmus, quare sancti sibi cupiant prorogari vitam. Vna causa est,vt possint celebrare in his terris nomẽ DOMINI.Etsi enim vident nostram vitã esse Illiada malorum,& id quod in ipsa est optimum,esse laborem & dolorem , tamen propter laudem DOMINI non detrectãt officium, & æquo animo peregrinationem istam,quantumuis molestam,ferunt. Deinde verò, illud ipsum maximè propter proximum faciunt. Possent enim cum beato illo angelorum cœtu,in æterna vita DOMINVM laudare,sed vt congregentur pij, & inuitentur plurimi ad celebrationem nominis diuini, ideo cupiunt manere aliquandiu in hac vita. Sic Hiskias cum extremam horam sibi imminere videret, fleuit,non tam sua ,quàm ecclesiæ teneræ causa, eam enim vix ab idolatria repurgauerat. D. etiam Paulus,quamuis cuperet dissolui,& esse cum Christo,melius tamen esse existimauit manere diutius in hac vita propter pios,quos melius instituere in doctrina Euangelij studebat.

VSVS HVIVS PSALMI.

Veteres dixerunt,ieiunia & exercitia alia sobrietatis, esse alas precum:quod verisimè ab ipsis dictum est.Nam cum in literis & ijs quę aliquam attentionem requirunt,damnetur crapula, pinguis enim(vt in prouerbio est)venter,non gignit tenuem sensum: multò magis

magis danda opera est, vt ad precationes sobrij accedamus. Sed sunt aliæ etiam alæ, quæ magis promouent inuocationem: eæ in hoc Psalmo describuntur. Prima ala est Dei prouidentia, vt oraturi sciamus DOMINVM intueri res humanas, nec eas regi hominum voluntatibus, aut fieri casu. Nam qui credunt omnia temerè geri, nec esse gubernatorem in rebus humanis vllum, quomodo inuocabunt Deum, quem non credunt nouisse miserorum preces & lachrymas? Altera ala est Dei voluntas, & ea quidem erga genus humanum clementissima, quòd sit pater, quòd sit portio nostra, spes, refugium, rupes, fortalicium nostrum. Nam his vocabulis familiariter est vsus Propheta noster. Tertia ala est, quod ex omnibus carceribus & afflictionibus nos possit educere, & quò magis desperatæ sint res nostræ, eò maiore fiducia confugiendum esse ad ipsum. Sed totius precationis & eorũ capitum siue alarum, quarum mentionem fecimus, sicut & fidei nostrę fundamentum est Christus. Non enim possumus dubitare eum videre afflictiones nostras, qui antequàm nasceremur, miserias nostras præuidit. Non etiam debemus ambigere, spem certam in eo positam esse, qui per Iesum Christum nobis pater factus est. De potentia autem & liberatione è periculis, quis dubitauerit? cum per filiũ, peccatum, Diabolus, mors, & infernus, hostes potentissimi deuicti sint? Ergo licet illi nobis cruciatus temporarios & æternos minentur, & sæpè (quod supra diximus) ea sit rerum facies, vt ab ipso Deo abiecti, & istis carceribus afflictionum perpetuò mancipati videamur, tamen cum omnis vis, maximis persecutoribus illis humani generis adempta sit, non

moueamur terriculamentis ipſorum, ſed magna fiducia ad DOMINVM clamemus.

Pſalmus 143.

Pſalmus Dauid.

DOMINE exaudi orationem meam.

Eptuaginta interpretes huic Pſalmo inſcribunt talem titulum: Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ὁπότε καταδίωκεν αὐτὸν ἀβεσαλὼμ ὁ υἱὸς αὐτοῦ. Pſalmus Dauidis, quando perſequutus eſt eum Abſolon filius ſuus. Ex quo coniecturam facere poſſumus, illos interpretes, hunc Pſalmum ad ea tempora Dauidis retuliſſe, vbi ingens periculum ei imminebat à filio Abſolone. Alij exiſtimant eiuſdem cum ſuperiore eſſe argumenti, & ſcriptum de ſummo periculo, quo ſeptus erat, cum latitaret in ſpelunca Odollam. Sed cum multa variaq; Dauidis pericula fuerint, hîc autem nihil certi exprimatur, parum refert, de quo diſcrimine dicatur. Sed fortaſsis hoc impedire lectorem poſſet: quî fiat, quòd à principio Pſalmi Propheta loquatur de peccatis ſuis, & deprecetur DOMINI iudicium, cum tamen ſtatim hoſtium mentionem faciat, videntur enim permiſceri negocia, quod nunc quidem de ſpiritualibus, mox de externis periculis dicatur. Sed notandum eſt, eum eſſe in tentationibus

nibus ferè perpetuum nexum, quòd homines ex calamitatibus externis plerunq; colligant eam consequentiam, se quoq; à Deo abiectos esse. Iob initiò exercetur corporalibus afflictionibus, sed succedit etiam illa grauior tentatio, Deum hostilem animum erga ipsum sumsisse. Humanus enim animus præcipiti magis quàm maturo consilio, sic pronunciat, eos qui successum in rebus omnibus suis habeant, fœlices, Deoq; charos esse: econtra qui cũ miseriis & afflictionibus conflictentur, puniri à Deo, imò vero esse abiectos & desertos. Hæ cogitationes Dauidem quoq; exercuerunt. Etenim cum vna miseria aliam subinde exciperet, tandem in eam animi perturbationem venit, vt existimaret, se DOMINVM iratum, imò verò infestum hostem habere. Psalm. 38. inquit: Sagittæ tuæ inflexæ sunt mihi, & manus tua premit me. Et Psalm. 42. Abyssus abyssum accersit, ad sonitum cataractarum tuarum, omnes fluctus tui & procellæ super me transeunt. Quibus similitudinibus voluit Propheta magnitudinem pauorum, quos tum sentiebat, depingere. Non ergo miremur, si in hoc quoq; Psalmo non modò de externis, sed spiritualibus etiam tentationibus querelam instituat. Sed ea de re mox videbimus.

Psalmus habet tres partes. Prima generalem continet auxilij diuini imploratione̅m, DOMINE exaudi me. Subijciuntur autem causæ, quare DOMINVS Dauidem exaudire debeat. Secunda in specie recenset, quid petat Propheta. Tertia breui Epilogo, quæ in toto Psalmo dicta sunt, repetit. Ita autem veteribus hoc carmen placuit, vt non dubitauerint inter pœnitentiales referre, hoc est, eos, quos in frequentiore vsu

habere-

haberemus, quando peccata nostra confiteri, & culpam deprecari nostrarum noxiarum velimus.

1. *DOMINE exaudi orationem meam: auribus percipe deprecationem meam, propter veritatem tuam, exaudi me propter iustitiam tuam.*

Vt dictum est, prima pars Psalmi, summa proponit petitionem Prophetæ. DOMINE audi orationem meam. Propositionem autem bis repetit: sic enim affectus sanctorum in serijs precibus fert, vt non sint contenti semel aliquid dixisse, sed vt gemitus, sic eadem verba subinde reuocant. Propositioni annexum est primum argumentum persuadendi. Audi me propter veritatem & iustitiam tuam. Primùm in ista petitione notandum, excludere Dauidem, propriam dignitatem, cum confugit ad veritatem & iustitiam DOMINI. Deinde rectè etiam ambo illa vocabula & secundum materiam (vt vulgò loquuntur) propositam, intelligenda sunt. Nam veritas DOMINI, non de essentiali, qua Deus est ipsa iustitia, intelligitur: nec etiam de veritate, qua DOMINVS peccatoribus verissimè sua fata prædicit, verax enim fuit DOMINVS prædicens diluuium: & veræ sunt comminationes in lege Mosi per DOMINVM prædictæ: sed de hac veritate hoc loco non loquitur Dauid, quia iudicium deprecatur. Similiter nec iustitia sumenda est, pro ipso iustitiæ fonte: nec de seueritate DOMINI, qua ab impœnitentibus iustas pœnas repetit: nec de iustitia ea, vbi DOMINVS in bona & iusta causa suis adest, sicuti alibi dicit Dauid: Iudica me secundum iustitiam

iustitiam meam, quia sequentia satis ostendunt, Prophetam hoc non velle. Ex vtroq; autem coniecturam facere possumus, Psalten confugere ad eam & veritatem & iustitiam, qua se peccatores erigunt, & fiducia quadam ad DOMINVM accedunt. Illa autem est veritas promissionum, & quidem non quarumlibet, sed eius duntaxat, qua in Christo promittitur nobis remissio peccatorum, adoptio, & vita æterna. Sic Diuus Ioannes cap. primo sui Euangelij scribit: Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum, vbi veritas intelligitur de complemento earum rerum, quæ in veteri Testamento promissæ & adumbratæ fuerunt, videlicet, expiatio peccati per sacrificium illud præclarum, quo vno & solo omnes credentes DOMINO commendantur, excusantur, & expiantur. Est autem veritatis illius Euangelicæ tanta certitudo, vt cœlũ & terra citius interitura sint, quàm vel apex vnus periturus. Sic iustitia DOMINI hoc loco accipitur pro iustitiæ alienæ imputatione, vbi peccator propter iustitiam Christi absoluitur & iustus habetur, de qua Paulus ad Romanos 3. ita scribit: Nunc verò absq; lege, iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac Prophetarum, iustitia verò Dei per fidem Iesu Christi, in omnes eos qui credunt. Et idem Apostolus Rom. 4. Qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. In eandem etiam sententiam 1. Cor. 1. Christum nostram iustitiam esse dicit. Nec miretur quis alienam iustitiam nobis imputari. Homines quidem hoc præstare non possunt, qui quod habent, non semper possunt communicare. DOMINVS verò vt

vitã, ſic iuſtitiam ſuam nobis communicat. Ex his autẽ quę devocabulis ambobus diximus, intelligimus, quomodo Pſaltes ſuas preces inſtituat, & quod earum velit eſſe fundamentum, videlicet, veram in DOMINVM & ſeruatorem noſtrum fidem.

Ad te, inquit, DOMINE confugio, in ſumma animi mei perturbatione, & magna fiducia ad thronum maieſtatis tuę accedo: quia de tua erga me clemẽtia, nõ dubito: veriſsimæ enim ſunt promiſsiones tuæ, quas de
Gen. 3. ſemine benedicto, contrituro caput ſerpentis dediſti:
Ezech. 33. veriſsima eſt & illa præclara vox tua: Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur impius à via ſua,
Deut. 18. & viuat. Prophetam promiſiſti, in cuius ore velis pone
Matth. 11. re verba tua, eumq; vt omnes audiant, iuſsiſti. Cũ autẽ ille peccatores ad ſe clementer ſit vocaturus, venio & ego: nõ dubitans de veritate tuarũ promiſsionũ, & filij tui vnigeniti, quarũ fiducia paternũ mihi animum tuũ
Leuit. 19. promitto. Nec me à facie tua repellit, quòd ſciã te, qui iuſtus es, imò iuſtitia ipſa, iuſtos & ſanctos oratores requirere: affero enim in conſpectũ tuũ iuſtitiã, nõ meam, ſed tuã illam perfectiſsimã, DOMINVM & ſeruatorem
Hiere. 33. Ieſum Chriſtum, quem vocabunt omnes populi Iehoua, quia verus eſt vnà tecũ & cũ ſpiritu ſancto Deus: & pręterea iuſtitiam noſtrã, quia ſuam nobis iuſtitiam imputat, & è contra peccata, quibus nos ſordidati ſumus, non imputat: ita vt ipſius benignitate, nunc ea iuſtitia gloriemur, quæ eſt in remiſsione pec-
Pſal. 32. catorum, eosq; tu & iuſtos habeas & exaudias, non
Rom. 4. qui peccatum nullum habent, ſed quorum peccata filius tuus vnigenitus ſuo merito texit. Hac ergo iuſtitia, quæ vna & ſola tibi placet, fretus, ad te clementiſ-

ſime

sime DOMINE venio, orans, vt miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam, meq; non solùm in malis externis serues, sed quod vel imprimis mihi curæ est, filium tuum esse patiaris. *Psal. 51.*

Nemo autem existimet sanctos sine causa preces suas, his quasi fulcris certitudinis & consolationum munire. In rebus ciuilibus, preces semper cum formidine coniunctæ sunt, nemo enim fere à Principe ita petit beneficium, vt in periculo nullam dubitationem admittat: imò verò homines vix æquo animo ferunt, vt quod petitur, ratum statim certumq; ab ijs habeatur, qui ipsorum opera & ope indigent. Sed in diuinis longè aliter res comparata est. Vult enim DOMINVS firma nos fide fiduciaq; ad se accedere. Nam cum sit cordium scrutator, non fert se appellari patrem, nisi credamus eum paterno erga nos animo affectum. Ideo D. Apostolus Iacobus omnem spem impetrandi, id quod petitur, præcidit ijs, qui dubitationem cum precibus coniũgant. Iam verò qui opinionem suorum meritorum, aut ἐθελοθρησκείας, dum orant, in medium afferũt, nõ possunt nõ esse in petẽdo trepidi, quia nec illa perfecta sunt, nec hæc promissionem ullã diuinã habent. Necesse ergò est, vt ad nos confirmandos ea subsidia consolationum afferamus, quæ non possunt fallere. Sunt autem ea, quæ de fauore Christi nos certos faciunt, suntq; in sola DOMINI misericordia posita. Sic publicanus ad solam DOMINI misericordiam confugit. Sic omnes pij cum veritatem ac iustitiam DOMINI, imò Christum ipsum quasi aduocationem quandam honestissimam, ad Deum adducunt, nouerunt se id quod petunt, ablaturos esse. Hanc de firmo assensu *Heb. 11.* *Actor. 1.* *Iacob. 1.*

precationum nec nuper excogitatam esse, vel vnus hîc Prophetæ versiculus luculenter docet. Sed & ea quę sequuntur ostendunt hanc de certitudine piorum doctrinam antiquissimam esse.

2. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo : quia non iustificatur in conspectu tuo omnis viuens.*
3. *Quia persecutus est inimicus animam meam, prostrauit ad terram vitam meam, collocauit me in tenebris, vt solent collocari pridem mortui.*
4. *Et anxiatus est in me Spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

Petit Propheta vt exaudiatur, & quidem propter misericordiam DOMINI, in qua sola acquiescat, ipse vocat eam veritatem & iustitiam Dei. Nunc rationes subiicit, quare duntaxat nitatur DOMINI clementia. Prima est, quòd in se nihil inueniat plausibile, quod in conspectum DOMINI afferre possit. Deinde ita perturbatum se esse, vt non possit se alia ratione quàm misericordia diuina erigere. Tertia (de qua postea dicetur) quòd promissiones diuinæ & exempla clementiæ diuinæ, maximè ea, quæ in patrum vita cernuntur, istam bonitatis DOMINI fiduciam, in animo Prophetę confirment. Notæ autem sunt phrases, quibus hoc loco Psaltes vsus est: Intrare in iudicium, significat iudicio contendere aut accusare. Esaiæ 3. DOMINVS in iudicium veniet cum senibus. Verbo autem iustificandi vsus est, pro iustum censeri aut absolui, vt Esa. 5. scriptum est: Qui iustificant impium propter munus, iustitiam autem iustorum auferunt ab eis,

eis, ſicut & D. Lutherus vertit: Dann vor dir iſt kein lebendiger gerecht. Non omnis viuens, Hebraica phraſi æquipollet vniuerſali negatiuæ: Nulla caro iuſtificatur. Hanc formam loquendi imitatus eſt Paulus Rom. 3. Propterea quòd ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro in conſpectu eius: per legem enim agnitio peccati. Vult enim dicere, ex lege nullam carnem, hoc eſt, hominem iuſtificari. Itaq; Propheta his verbis cauſam aſsignat, quare non producat in medium ſuam innocentiam & iuſtitiam: quia videlicet non poſsit conſiſtere in iudicio diuino. Et mox ab hypotheſi tranſit ad theſin, neminem hominem iuſtitiam ſuam poſſe approbare DOMINO. Addit deinde, ſe propter calamitates, quas ab hoſtibus ſuis ſummas experiatur, ita perturbatum, vt niſi meditatione clementiæ diuinæ ſe erigat, non poſsit non trepidare in conſpectu Dei, quo permitttente iudicet illas omnes pœnas profectas. In deſcriptione perſecutionis ſuæ, grandibus verbis, & quaſi pictura hoſtis crudeliſsimi vſus eſt, qui in terram proſternat, & non hoc agat, vt vulneret, ſed occîdat. Quanquam autem iſta de Saule aut Abſolone hoſtibus Dauidis intelligi poſſunt, tamen potiſsimum referenda ſunt ad Diabolum, qui ita terrebat Prophetam, ac ſi omnino proſtratus & abiectus eſſet. Pauores autem maximos ſignificantibus verbis expreſsit, cum dicit: Spiritum ſuum contorqueri, cor turbari, quæ certè ad ſpirituales & internas tentationes referenda ſunt. Habent ergo hi tres verſus multa ornamenta, & verba ſenſu tincta, hoc modo.

Quòd ad tuam DOMINE miſericordiam confu-

gio, nec iustitiæ meritorumq; meorum mentionem facio, mouet me conscientia tenuitatis & indignitatis meæ. Nam si me in ius vocare velles, & reddenda mihi omnium, quæ in tota vita gessi, ratio esset, non possem ad mille tuas verissimas accusationes vnum verbum respondere. Itaq; seueritatem iudicij deprecor: toto animo orans, ne me sistas ad tremendum tribunal tuum. Nos enim miseri mortales, postquam per primum patrem res humanæ conciderunt, omnes peccatis sorditati sumus, nec inuenitur vllus, qui de sua iustitia apud te gloriari verè possit. Omnes peccauimus, & destituimur gloria Dei: nisi ergo perire in æternum voluerimus, quærenda nobis omnino alia est gloriatio, quam in vno & solo DOMINO, & Seruatore nostro Iesu Christo inuenimus, vt per eum gratis iustificati tibi reconciliemur, & magna fiducia ad te accedere audeamus, clamantes, Abba Pater. Sed & alia non minus grauis causa est, quare ad tuam clementiam prouocem. Nam si perpendo meam miseriam, in qua constitutus sum, si quomodo & ab hostibus meis tribuler, & à Diabolo quasi prostratus in terra iaceam, non iam de bonis, fortunis, patria, sed de salute periclitet, & quasi inter eos qui multis iam sæculis mortui sunt & sepulti, obambulare videar, dici non potest, quantum animo dolorem capiam, quanta & quàm acerba cordis mei vulnera experiar. Nam cum te imprudente nihil in rebus humanis geri certò sciam, tristes istæ cogitationes me exercent, te mihi irasci, qui ista hostibus permittas. In me ergo nihil præter materiam summi luctus & desperationis inuenio: sed edoctus tuo verbo oculos meos à mea indignita-

dignitate ac miseria, ad tuam, nunquam satis decantatam misericordiam conuerto, ad tuam iustitiam, quæ indignos etiam in colloquium & amicitiam admittit, non dubitans, cum cæteros peccatores per filium clementer ad te voces, nunquam te defuturum mihi, qui omnem spem in te positam, omnem fiduciam in tua bonitate clementiaq; collocatam habeo.

Hi versiculi multiplici doctrina referti sunt, & si recte intelligantur, aptissimas nobis aduersus Romanensium obiectiones, quas puriori doctrinæ Euangelicæ opponunt, responsiones suppeditabunt. Nam cum de veritate & iustitia, hoc est, DOMINI misericordia, & promissionibus Euangelicis certissimis disputamus, & ab omni merito, (quantum quidem ad expiationem peccatorum attinet) bona opera excludimus, statim clamitant, virtuti suum honorem non haberi, laxari frenos cupiditatibus hominum, nimium tribui fidei iustificanti, derogari legi diuinæ, cuius impletionem dicamus esse impossibilem, nunquam mandaturum DOMINVM, quod sciret à nobis perfici non posse. Ac hæ querelæ non sunt inusitatæ aut nouæ, nam Apostolis etiam non dissimilia conuicia obijciebantur. Dicebant Hebræi, eos nec virtuti, nec legi Mosi fauere, & in medium afferre doctrinam, quæ doceret facienda esse mala, vt eueniant bona, peccandum vt gratia abundet: & poterant etiam quædam Apostolorum dicta prima fronte videri, non satis honorificam legis mentionem facere, vt cum scribit Apostolus: Mandatum, quod institutum erat ad vitam, cedere sibi in mortem. Bona opera Apostoli abiectamenta esse, & his similia. Contra has & veteres &

Rom. 3. *Rom. 6.* *Rom. 7.* *Philip. 3.*

res & nouas aduersariorum Euangelij calumnias, tenenda est Dauidis doctrina, quam his versibus proponit. Nam cum omni se fiducia meritorum suorum spoliat, & ad solam DOMINI iustitiam confugit, diserte addit, quomodo id intelligendum sit: videlicet, si in iudicium DOMINI producatur: alias enim sæpe causæ suæ iustitiam DOMINO commendat, eumq; testem innocentiæ suæ citat. Nam in illo seueriſsimo iudicio, is qui est seruus, & iam antea ad omnia obsequia DOMINI obstrictus, nihil habet quod glorietur, ideo Dauid dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo, voluit enim hoc intelligere, quod Christus Luc. 17. ad Apostolos dixit, neminem seruo gratiam habere, qui imperata faciat, ita ipsos quoq; si fecerint omnia, dicere debere, seruos se inutiles esse, feciſse quod debuerint. Quod si nostra obedientia DOMINO satisfaceret, nihil tamen esset in ea, quod ad nostram commendationem & laudem afferre deberemus. Iam verò in illo tremendo iudicio, nemo est, qui DOMINO satisfaciat. Requirit enim lex initiò, vt ab omnibus peccatis mundi simus & puri: nec accusat duntaxat flagitia, scelera, & ea quæ mundus iudicat esse peccata, sed immunditiem etiam interiorem, impuras cogitationes, murmura, dubitationem & similia. Nec ea sola reprehendit, sed damnat hæreditarium illud malum, quod originale peccatum vocamus, quod certè non prius, quàm mortale hoc corpus exuerimus, deponere possumus. Hinc gemitus illi Paulini profecti
Rom. 7. sunt: Miser ego homo, quis eripiet me ex hoc corpore morti obnoxio? Præterea lex postulat à nobis perfectiſsimam obedientiam, vt ex toto corde, toto animа Deum

ma Deum diligamus, proximum verò vt nos ipsos. Quis autem hominum, qui si maximè gradum fecerit ad studium pietatis, & virtutis, illam exquisitam formulam probitatis, & summum innocentiæ gradum assequuntur? Ergò cùm bonis operibus opinio meriti adimitur, cogitemus, in quo iudicio versemur, videlicet illo diuino, in quo ne stellæ quidem cœli mundæ sunt. Itaq; suam omnem laudem relinquimus nouæ obedientiæ, vna hac excepta, quòd expiandis peccatis nulla vis ipsi insit. Cõiungamus etiam exemplum Dauidis, qui pietatis amplissimum testimonium à DOMINO habet, & tamen suas virtutes in iudicium ipsius adducere non audet. Certè si compensatio quædam esset meritorum in isto iudicio, nunquàm Dauid virtutes suas excellentes dissimulasset, & fructu se, tot bonorum operum spoliasset: at cum intelligeret nihil posse afferri ad illum iudicem, quod reprehensione omni careat, & iudicem & iudicium deprecatus est. Iam verò & hoc cogitandum est, Psaltem non sibi solum, sed omnibus in vniuersum mortalibus laudem innocentiæ detrahere: Non iustificabitur, inquit, in conspectu tuo omnis viuens, quod Paulus etiam luculenter in primo, secundo, tertio, quarto capitibus, & in Epistola ad Romanos facit. Huc omnia sanctorum præclarè dicta pertinent, qui sibi confusionem, DOMINO autem iustitiam ascribunt. Qui palàm confitentur, si negemus nos peccatores esse, à veritate longissimè abesse. Si DOMINVS velit peccata obseruare, non habiturum eum, quem seruet, neminem enim coram ipso posse consistere. Et Patrum etiam sententiæ, in quibus illa Bernhardi eminet, dicentis: Væ hos

Dan. 9.
1. Ioan. 1.
Psal. 130.
Confess. lib. 9.

minum vitæ, quantumuis laudabili, si remota misericordia, discutias eam. Præterea omnium piorum, qui quotidie orant pro peccatorum remissione, preces testantur, nihil nos habere quod DOMINI seuero iudicio opponamus, cum omnes rei simus, & destituamur gloria Dei. Denique ipse Christi DOMINI & Seruatoris nostri in hunc mundum aduentus vel solus testatur, nihil potuisse hominum merita ad purganda peccata nostra. Etenim si fuisset alia ratio expiationis, aut si homines suam aliquam laudem in medium afferre potuissent, pater non misisset filium, non passus fuisset eum flagellari, numerari inter sceleratos, agi in crucem. Sed quia de viribus humanis desperatum erat, & præter materiam mortis & condemnationis nihil in nobis erat reliqui, visitauit nos per viscera misericor-
Luc. 1. diæ suæ, oriens ex alto, vt non in iustitia, quam faceremus nos, sed ea, quam ipse ad nos & propriam & cœlestem attulerat, gloriaremur. Præter ea autem, quæ diximus, psaltes aliam quoque causam affert, quare non debeamus inte nostra iustitia, quia cum hostes nostri & Diabolus inprimis, nos prosternant, nihil præter miserias videmus, & erigere nos inter maximos pauores & cruciatus non possumus, nisi à nobis ipsis auertamus oculos ad eum, qui est salus, iustitia, redemptio nostra, Iesum Christum DOMINVM nostrum.

5: *Memor fui dierum antiquorum: meditatus sum de omnibus operibus tuis, de factis manuum tuarum loquebar.*

Superioribus versibus Dauid primam causam assignauit, quare in sola DOMINI iustitia & misericordia acquis-

requieſcat, quia de ſua iuſtitia omni deſperauerit. Nũc ſecundam addit, quod ex omnibus DOMINNI operibus didicerit, hanc eſſe vnam & ſolam rationem, qua niti & confidere debeamus. Nam huius verſiculi hæc eſt ſententia.

Quòd in precatione mea nihil omnino profero, quo me tibi DOMINE commendem, quàm id quod tuum eſt, hoc eſt, veritatem & iuſtitiam tuam, id me memoria omnis antiquitatis, & tuæ res, quas cum patribus geſsiſti, docent, de quibus ego ſubinde loquor, & me confirmo, non dubitans te, id, quod tot exemplis tuæ clementiæ veluti ſigillis quibuſdam obſignaſti, confirmaſti mihi etiam precanti, præſtiturum.

Sed quarum rerum & operũ memoriam ſibi Pſaltes renouauit? Opera DOMINI, de quibus hoc loco loquitur, initio ſunt promiſsiones DOMINI, quas de ſua iuſtitia fecit patribus. Nam ſtatim in Paradiſo hoc opus eſt aggreſſus, cum primos noſtros parentes ſolaretur fiducia venturi ſeminis benedicti. Deinde Abrahamo, poſtea Dauidi eandem renouauit. De his admonet etiam DOMINVM Pſal. 25. Reminiſcere miſerationum tuarum DOMINE, & bonitatum tuarũ, quæ à ſeculo ſunt. Præterea opus DOMINI fuit, quod iſtas promiſsiones, quę iuſtitiam diuinã, quam allaturus erat Chriſtus, confirmabant, patribus pinxit coloribus quibuſdam & adumbrationibus ſacrificiorum. His enim omnibus meritum Chriſti, quod noſtræ omnis iuſtitiæ eſt fundamentum, quaſi viſibilibus verbis proponebatur. Adhæc opus DOMINI fuit, patres, fiducia mediatoris inuocantes exaudire, Eccleſiam, ex qua naſcituturus erat Chriſtus, tantis miraculis ex præſentiſsimis

periculis liberare, protegere, conseruare. Postremum opus DOMINI, sunt scripta prophetica, quibus suam voluntatem & præclaras promissiones de Christo ad omnem posteritatem propagare voluit, quæ scripta inter tot rerum commutationes salua conseruauit. Harum rerum memoriam semper nobis renouare, & confirmare ijs nostram fidem debemus. DOMINVM non defuturum esse nobis in vllis periculis, propter iustitiam suam, quam nobis donauit in DOMINO & seruatore nostro Iesu Christo.

6. *Expandi manus meas ad te, anima mea ad te, sicut terra sine aqua.*

7. *Velociter exaudi me DOMINE, deficit Spiritus meus: ne abscondas faciem tuam à me: ne similis fiam descendentibus in lacum.*

Hactenus primum argumentum absoluit. Iuua me DOMINE, quia sola misericordia tua nitor: & additæ sunt rationes. Nunc autem addit secundum à necessitate. DOMINE iuua, nisi enim me liberaueris & eripueris ex his malis, erit mihi pereundum. Quantum autem sit periculum, & quæ animi perturbatio, ostendit primùm contentione illa orandi, quam habuit maximam, quia manus expandit. Deinde etiam suspirat subinde ad DOMINVM, sicut terra arida se aperit, & expetere quasi pluuias videtur. Præterea accessit amplificatio à tempore, vbi dicit, nisi velociter adsit DOMINVS, se periturum. Quod rursus auget comparatione, cum dicit, se futurum similem descendentibus in lacum, hoc est, sepulchrum. Hæc omnia ostendunt quanto

quanto in periculo versatus sit Dauid.

Ego, inquit, DOMINE, non sine causa ad te clamo, sed versor in summis periculis, quæ faciunt, vt non solùm tacitis cogitationibus gemitibusq; meis, sed etiam toto corporis gestu tibi loquar, nam manus meas ad cœlum attollo & expando. Mea verò anima ita ad te suspirat, vt terra, quæ diuturnis caloribus exsiccata, multis locis discedit, & quasi os suum aperire, & flagitare pluuias videtur. Tale enim periculum est, vt si vel breuissimi temporis dilatio fuerit interposita, necesse sit me omnino deficere. Tu ergo ne diutius extrahas auxilium tuum, nec (quod iam satis longo tempore facis) faciem tuam à me abscondas: aliàs enim certissima mihi mors imminebit, & quem tu regem futurum per Samuelem prædixisti, hostes inter mortuos abijcient. Hactenus Dauid. Ex quo sanè videmus, quanta in trepidatione, quantis in angustijs sanctus Propheta sit versatus. Et quidem in afflictionibus impij & pij perturbantur, sed ea est differentia, quòd pij ad DOMINVM clamant, aperientes ora & corda sua, & expandentes manus suas: impij verò, vel in desperationem ruunt, vel blasphemiam. In magnis ergo tentationibus cum nil præter internecionem videmus, cum tanta est trepidatio, vt parum abesse à desperatione videamur, non abijciamus animum, sed potius intueamur exempla cùm reliquorum sanctorum, tum verò Dauidis: qui sæpè in eas angustias venerunt, vt crederent, si DOMINVS non statim succurreret, nihil esse spei reliquum. Deo gratias agamus, si adhuc gemere possumus: idq; maximè in tentationibus Spiritualibus, vbi sæpè pij propter

sensum peccati ita anguntur, vt putent sibi imminere iram DOMINI, & nihil præter æternos cruciatus esse expectandos. Foris sunt (vt Paulus inquit) pugnæ, intus terrores. In tam graui & molesta lucta non desinamus clamare & gemere: imploremus Spiritus sancti auxilium, is inuocatus aderit nobis, & intercedet gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8.

8. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.*
9. *Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.*
10. *Eripe me de inimicis meis DOMINE: ad te confugi.*
11. *Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es: Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam.*

Quæ sequuntur, sunt secunda huius Psalmi pars, in qua diserte proponit, quid nam à DOMINO precibus contendat (nam, vt dictum est initio generalem duntaxat petitionem instituit, vt exaudiatur.) Sunt autem quinq; partes petitionis propheticæ. Prima est, vt fiducia misericordiæ diuinæ, subinde in animo Prophetæ cõfirmetur. Secunda, vt Dauidi nota fiat via DOMINI in qua ambulet, ne faciat aliquid contra vocationem suam, maximè in tanta rerum perturbatione. Tertia, si DOMINO videatur, petit liberationem ab hostibus. Quarta, si non statim liberetur, patientiam exoptat, nam hoc est facere voluntatem DOMINI. Quinta, ducem in tota vita spiritum DOMINI flagitat. Neq; enim satis est semel cœpisse, nisi duce DOMINO subinde nouos progressus faciamus. His petitionibus omnibus

bus vna & quidem firmissima ratio subijcitur: exaudiendũ esse Prophetã, quia ad DOMINVM, qui inuocantibus ipsum vera fide, auxilium & spiritum sanctum pollicitus sit, confugiat. Sed ista formulis quibusdam & Synonymia egregie aliquoties variauit: Quia in te speraui. Quia ad te leuaui animam meam: Ad te confugi: Deus meus es: subintellige, ad quem solum confugio, & omnia ab ipso expecto. Spiritus bonus deducat: quem videlicet promisisti. Sed ista rectius in toto orationis corpore conspicientur.

Quanquam DOMINE omnes meas cogitationes, & tacita etiam suspiria mea vidisti, nec opus est, id quod suprà vno verbo, vt me exaudias, proposui tibi προδιαγνώσει exponere, tamen facere non possum, vt non prolixius ad te gemam, & tibi quasi homini, meum cor totum effundam. Principio quantis maximis, obsecrationibus possum abs te peto, vt in his periculis maximis sensum tuę misericordiæ, tempore oportuno in animo meo renoues, nevnquam de tua clemẽtia dubitẽ: sic enim maiore animo ferre omnia incommoda potero. Scio autem, te hoc mihi non negaturum, quia omnis mea spes in te constituta est. Alterum est, quod quanto maximo possum studio abs te contendo, vt in his summis difficultatibus, & perturbationibus, viam rationemq; me doceas, ne quid ab officio & vocatione alienum faciam: ne animus meus, tot iniurijs prouocatus, aduersus regem & vnctum tuum insurgat, ne pertæsus aliquando exilij & miseriarum, animum ad voluptates adijciam, & sequar hunc mundum. Huius me voti compotem haud dubiè facies, quia toto animo me ad te conuerti. Præterea si ita tibi DOMINO,

& qui

& gubernatori omnium videtur, me, qui ad te, tanquam asylum confugi, aliquando ab hostibus meis liberа, ne perpetuò cum pessimis istis hominibus conflictari cogar. Quod si verò ita tibi placet, diutius me in hac schola crucis detinere, da DOMINE, vt patienter & modestè me ad tua omnia obsequia accommodem, & tua sanctissima voluntate nihil iudicem esse præstantius, eamq; solam mihi imitandam in tota vita proponam. Hoc magna fiducia abs te peto, scio enim te meum esse, & à me requirere id quod flagito. Postremò, cum tu non modò initia, sed progressus etiam à nobis postules, nos autem propter deprauationem naturalem semper in lubrico versemur, sæpè labamur, aliquando etiam concidamus grauissimè, te oro, vt quoad vixero, ducem & comitem mihi largiaris, Sanctissimum spiritum tuum, qui vt dux optimus est, ita me in omnem veritatem, ad veram pietatem, vitæ denique innocentiam deducat: vt tandem confecto meo curriculo, & decurso stadio, ad te veniam, βραβεῖον æternæ vitæ accepturus.

Non sine causa tot partes petitionis suæ facit Psaltes. Nam vt bonus miles iturus ad pugnam totum corpus munit, sumit galeam, qua caput tegat, clypeum, quo corpus, & calceos siue ocreas muniēdis pedibus, gaudet etiam si habeat ducem qui itinera monstret: nam propter viarum ignorationem maximi sæpè exercitus deleti sunt: adiungit sibi ὑπέρασπιστὴν, qui in pugna iuuet, & ab hostibus asserat: Eadem planè piorum est ratio, qui à D. Paulo iubentur totam armaturam Dei assumere aduersus Diabolum, cum quo ipsis perpetuum bellum est. Et quia Satan inp.imis nos a-

Ephes. 6.

doris

doritur desperatione, & quasi caput, aut cor hominis petit, in quam si aliquem coniecerit, victor abit, ideo primo loco precatur Psaltes, vt misericordiam DOMINI manè (hoc est in tempore) experiatur. Id vult Psalmo 51. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu spontaneo sustenta me. Et rursus: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa, quæ contriuisti. Deinde quia vnicum studium satanæ est, homines in errorem abducere, vt vel inuocatione sua aberrent, aut certè non rectè sentiant de religione, assentiantur fanaticis, Dauid orat, vt certior fiat de via DOMINI. Via autem DOMINI in ipsius verbo expressa est, qua de re copiosè est dictum Psalmo 25. & 119. Sed sæpè nos tentat impatientia malus ille, vt aduersus Deum murmuremus: quo telo acutissimo multos saucia-uit. Ardentibus ergo precibus petendum est, vt faciamus DOMINI voluntatem, & discamus cum Christo seruatore nostro dicere: Non mea volũtas, sed tua fiat: quod etiam in precatione dominica voluit, cum iubet orare: Fiat voluntas tua. Postremò Diabolus cupiditatibus prauis, voluptatibus, & alijs illecebris, interdum metu & trepidatione prosternit etiam sanctos, vt Dauidem, Petrum. Sed adiungamus nobis ὑποδιακονικὸν spiritum sanctum, qui nos in viam rectam ducat, nos renouet, à vitijs abducat. Id orat Dauid Psal. 51. Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum firmum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Hanc ergo artem, quam nos DOMINI spiritus docet, discamus, vt contra hostem potentissimum muniti armatiq; simus.

12. *Propter nomen tuum DOMINE viuificabis me, & propter tuam iustitiam educes de tribulatione animam meam.*

13. *Et propter misericordiam tuam disperdas inimicos meos: & perdas omnes hostes animæ meæ, quia ego seruus tuus sum.*

Epilogus Psalmi, repetit præcipuum argumentum, quo in toto Psalmo vsus est. Nam in summo periculo confugit ad misericordiam DOMINI & ipsius iustitiam, non dubitans, cùm ea fiducia precetur, se exaudiendum. Hoc nunc in fine Psalmi aliquoties proponit, orans, vt propter nomen DOMINI viuificetur: vt propter iustitiam DOMINI educatur è tribulatione: vt hostes perdantur propter misericordiam: vt eripiatur ab inimicis: quia seruus sit DOMINI. Suprà dixerat, quia tu Deus meus, &c. Toties eandem rem variatis verbis proponit, vt apud memoriam lectoris deponat.

VSVS HVIVS PSALMI.

Eremita quidam dixit, nullum esse difficilius opus, quàm dicere precationes Deo. Itaq; nemo existimet, oratoriam illam spiritualem, qua Christiani vtuntur, esse rem contemnendam & vulgarem. Neq; tamen propter difficultatem est desperandum, aut suspendenda precatio, sed rationem piarum precum è sacris literis, tum verò Psalmis Dauidicis discamus, inprimis autem eo quem sumus interpretati. Nam omnia ferè in eo demonstrantur, quæ pertinent ad orationem

nem Christianam. Initiò docet, in maximis periculis non ad sanctos defunctos, aut angelos confugiendum esse, nam sæpius repetitur in hoc carmine, Dauidem confugere ad DOMINVM, ipsumq; inuocare. Deinde præcipuè ostendit, cuius fiducia orandum sit, non nostra, sed DOMINI, & in omni precatione præluscere debere doctrinam de misericordia Dei. Ideo propter veritatem, iustitiam, & misericordiam, nomen etiam DOMINI, petit exaudiri. Tertiò, quid, & quomodo petendum sit, monstrat, ac eas fere partes omnes, quas in dominica precatione habemus, persequitur, quamuis non eo ordine, quo à Seruatore propositæ sunt. Quod in oratione illa ab initio dicitur: Pater noster, ipse propè ijsdem verbis proponit, tu es Deus meus, ego sum seruus tuus. Sanctificationem nominis Dei petit, cum orat, vt à Spiritu sancto deducatur in rectam viam. Regnum DOMINI vt adueniat, versu 8. orat, vbi dicit: Notam fac mihi viam in qua ambulem, nam tum ad nos venit regnum DOMINI, quando sequimur ipsius verbi præscriptum. Precatur etiam vt fiat voluntas DOMINI, cum inquit: Doce me facere voluntatem tuam. Habet & petitionem de externis bonis, dum pro incolumitate sua & liberatione ab hostibus Deum sollicitat. Pro remissione peccatorum sic orat: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ne inducatur in tentationem & desperationem, versu 8. orat: Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui. In Epilogo viuificationem, liberationem ab omnibus inimicis petit, quod ad vltimam precationis dominicæ partem

referri potest. Hæc ex Psalmo Dauidico collegi, vt intelligeretur, quomodo sanctorum formulæ in veteri Testamento, cum DOMINI & Seruatoris nostri breuissima illa & præclarissima conueniant. Itaq; & ea quam Redemptor proposuit, vtamur, & coniungamus veteres illas: tum nostræ preces DOMINO probabuntur, vtpote à suo Spiritu profectæ.

Psalmus 144.

Ipsius Dauid.

Benedictus DOMINVS rupes mea.

HIC Psalmus petitorius est. Nam ardenti precatione à DOMINO contendit, vt ab hostibus & impijs hominibus clementer liberetur. Notum autem est, quibus in periculis Dauid Propheta versatus sit. Antea verò quàm argumenta petitionis suæ proponit, præmittit exordium, sumptum à persona Dei, eiusq; beneficijs, deinde etiam à persona Dauidis & omnium hominum, quos DOMINVS suo fauore complectitur, quod sanè huic negocio aptissimum est. Nam inter argumenta reliqua confirmationis, etiam eo vtitur, DOMINVM iuuare ipsum debere, & eripere ab hostibus, quia antea quoq; sæpè liberauerit. Hæc beneficia statim in exordio attingit, vt doceat magna se fidu-

fiducia ad DOMINVM accedere, cuius benignitatem in simili causa sæpè fuerit expertus. Versus, quibus principium Psalmo facit, sunt isti.

1. *Benedictus DOMINVS rupes mea (sive fortitudo mea) qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum.*
2. *Misericordia mea, arx mea, eleuatio mea (aut eleuans me) liberator meus, scutum meum, & in ipso speraui, qui subijcit populum sub me.*
3. *DOMINE, quid est homo, quòd agnoscis eum, filius hominis vt cogites de eo?*
4. *Homo vanitati similis est, dies eius vt vmbra transiens.*

Initio vt diximus, DOMINI beneficia, quæ ipsius maxima in Dauidem extabant, recenset. Enumerat autem tria genera beneficiorum. Primum quòd fecerit ipsum bellatorem, & sit dux in rebus bellicis, regat manum, vt intelligat, quid faciendum, quid vitandum sit. Sumpsit autem similitudinem à pugilibus, qui docent suos discipulos, quomodo arma tractanda, & manus applicandæ sint: id enim vult, cum dicit: Qui docet manus meas ad prælium.

Alterum beneficium est protectio & liberatio ex periculis. Id autem varijs epithetis proponit, dum Deum vocat suam arcem, refugium &c. Item eleuationem (intellige ex periculis) alij vertunt susceptorem. His vsus etiam est Psalmo decimooctauo.

Tertium beneficium sunt victoriæ, quas Dauidi ampliſsimas & splendidiſsimas tribuit, id quod emphatico & significanti verbo expresit. Qui subijcit

aut potius expandit hostes, hoc enim vult verbum רדה Rodat. Vult enim pingere hostes iacentes sub Dauide prostratos & resupinos. Et sic quidem captat beneuolentiam à persona beneficijsq; DOMINI. Sed suæ quoq; aliorumq; hominum personæ & conditionis mentionem facit, vt crescat magnitudo beneficij Dei, qui tot bona confert in homines miseros & caducos, cum tamen illi non possint referre gratiam. Vsus autem est eo quoq; in loco ornamentis quibusdam & figuris. Adhibuit enim inito admirationem & interrogationem. Quid est homo, quòd agnoscis, aut filius hominis quòd reputas? Deinde & subiectionem habet, ac respondet sibijpsi quid sit homo, videlicet res fragilis. Hæc primùm verbo vanitatis, deinde vmbræ euanescentis proposuit. Magnæ autem est bonitatis & clementiæ, tantam curam gerere pro re tam nihili & fragili, & quæ cum maiestate diuina nequaquam comparanda sit. Nunc quæ sparsim à nobis de his versiculis dicta sunt, colligamus in paraphrasin.

Vtinam DOMINE, qui es fortitudo mea, ea esset in me facundia, vt saltem commemorando percensere possem tua maxima beneficia, quæ in me contulisti & confers. Nam tu in bellis, quæ cum Philisthæis hactenus gessi, manum meam rexisti & gubernasti, vt omnino intelligerem, me, te duce & comite, tantas res gessisse. Tu in maximis periculis meis solus es, qui mei misereris: qui protegis, defendis, ac si clypeus aut propugnaculum esses: tu me ex summo discrimine sæpè eduxisti, & sublimem quasi rapuisti. Tu denicq; victorias mihi clarissimas largitus es, meos hostes pedibus meis subiecisti, vt resupini iacerent, & supplices à me veniam

veniam peterent. Quæ tua maxima beneficia cum tacitè considero, admiratio animum meum summa subit, quid sit, quòd homines agnoscas, & tot beneficijs ornes, cum tamen illi sint fragiles, mortales, miseri, & nihil nisi vanitas, & quorum vita nihil est aliud quàm vmbra mox euanescens, præsertim, si cum tua æterna maiestate conferantur. Nullius certè hominis animus assequi satis potest, quanta sit tua bonitas & misericordia, quę effecit, vt non solùm hominum curam geras, sed eos etiam paterno animo prosequaris, pro qua benignitate nunquam satis dignas gratias agere possumus. Et hæc quidem Propheta, qui animi sui erga Deum gratitudinem cùm alijs locis, tum verò in huius Psalmi principio egregiè declarauit. Sed ea animi grata beneuolentia, quam Dauid hîc declarat, nostram arguit obliuionem, quam in cumulo beneficiorum diuinorum habemus. Quotus enim est quisq; qui beneficia Dei rectè æstimet? qui ea ita vt debet in memoriam reuocet? Etsi enim non cuilibet victorias largitur, nec quemuis ex periculis bellicis liberat, neque enim omnes nos vult esse bellatores & reges, tamen suæ protectionis & bonitatis innumera nobis exempla & indicia quotidiè ostendit. Nam inter tot pericula, quæ nos circumstant, clementer nos conseruat, ex laqueis Diaboli asserit, imò verò Satanam pedibus nostris subijcit, & antequam nascerèmur, victoriam nobis præclaram contra Diabolum, mortem, peccata peperit. Quæ DOMINI clementia vt summa est, sic admirationem tum demum maximam apud nos habitura est, si cogitemus, qui nos fuerimus, & simus etiamnum hodiè: tum enim cum Da-

uide

uide dicemus, DOMINE, quid est homo quod agnoscis, aut filius hominis quod reputas eum. Nam si, quàm miseri & afflicti à primo vitæ exordio simus, perpenderimus, quis non mirabitur, DOMINVM, qui est æterna maiestas, Rex regum, nostri curam aliquam gerere? Nam nos miseri homunciones, si quid eximium habemus, alios præ nobis ex alto despicimus, nec cogitamus de communi sorte humana, & fragilitate nostra. Iam si DOMINVS nostras rationes consuetudinemq; sequi vellet, an credis eum vllam nostri habiturum rationem? Iam verò alia maior causa est, quæ non modò in contemptum nos adducere apud Deum, sed in odium etiam debebat, quia homo non solùm vanitas est, & dies eius euanescunt, sed quamprimùm nascitur, initium habet mortis, & quidem æternę. Natura enim sumus filij iræ. In peccato concipimur, nascimur in eodem, nec vllum tempus est, quo non Deum offendamus, donec tandem mortale hoc, & peccatis obnoxium corpus deposuerimus. Certum autem est, DOMINVM odisse peccatum & concupiscentiam esse inimicitiam aduersus Deum, nec velle ipsum habitare cum maligno. Quæ ergo causa est, quòd DOMINVS hominem agnoscit, & reputat eum? Est ille ipse homo, de quo Psaltes loquitur Psalmo octauo. Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quòd visitas eum? Vbi Propheta non loquitur de quolibet homine, aut de se, sed de Christo, de quo mox eodē in Psalmo subijcit: Siuisti eum paulisper indigere Deo, sed gloria & honore coronabis eū. Constituis eū super opera manuū tuarū, omnia subiecisti sub pedibus eius. Nam hunc Dauidis locū Epistola ad Hebræos

Epheſ. 2. *Pſal. 51.* *Rom. 8.* *Pſal. 5.*

braeos cap. 2. de Christo interpretatur. Quanquam enim homines omnes digni erant ira, indignationeq; diuina, quia non modò erant vanitas, hoc est, nihil, sed vanitati & peccato studebant, venit ipse filius Dei, & ipsos non solùm visitauit, sed in forma hominis conspiendũ se prebuit, & quidẽ hominis pauperis: suaq; illa visitatione hoc efficit, vt nos omnes DOMINO cõmendemur. Nam quamuis DOMINO omnes homines displiceant, tamẽ non reiicit eum, in quo peccatũ nõ inuenit, & in dilecto nos diligit, recipit, ac omnem clementiam benignitatemq; nobis promittit. Itaq; non solùm cum Dauide miremur, quáre DOMINVS visitet nos, sed rapiamur in admirationem summam, DOMINO eam rationem placuisse, vt nos per filium visitaret, effieeretq;, ne nos indigni accessu & æterna cohabitatione, videremur. Hæc si diligenter nobis essent meditata, haud dubiè ad veram gratiarum actionem animos nostros conuerteremus.

Posset hoc loco etiam dici de breuitate vitæ humanæ, miseriis, calamitatibusq; humanis. Sed de eo agit Psalmus 39. & 90. Hi verò, quos tractamus versiculi, nos hortantur, vt ad prædicationem beneficiorum diuinorum nostros animos, ista imprimis cogitatione accendamus, quòd indigni omni clementia, non solum propter fragilitatem, sed etiam indignitatem nostram, tamen à DOMINO simus recepti in gratiam.

5. *Domine inclina cœlos tuos & descende: tange montes & fumigabunt.*

6. *Eijce fulmen & disperge eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*

7. *Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*

8. *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera mendax.*

Exordium aptissimo ordine sequitur Propositio, Narratio, & primum argumentum confirmationis. Nam reliqua postea subijcientur. Propositio est, quòd petit, vt liberetur ex periculis. Narratio autem propositioni coniuncta est: non esse leue, aut contemnendum periculum. Quia sint aquæ multæ, hoc est, magnæ tribulationes, quod à numero sumptum est, & similitudine aquarum illustratum. Deinde accessit etiam amplificatio à personis. Dauidi intentantur pericula à filijs alienis, qui non sunt filij Dei, licet se iactent esse pios & fideles. Deinde os ipsorum loquitur vanitatem, sunt fraudulenti, se & alios fallentes. Dextra etiam mendax, quia rebus terrenis se solantur, & ijs eriguntur, de quo postea plura. Et hæc ad narrationem pertinent. Primum autem argumentum, quo propositionem confirmat est à facili. Dicit DOMINVM posse iuuare, quia sit potentissimus. Potentiam autem ipsius conspici in meteoris, & inprimis apparitionibus suis, vbi descendit in montem Sinai, vt scriptum est Exod. 19. & ijsdem propè verbis vsus est Psaltes, Psalmo 18. suprà. Pingit deinde DOMINVM extrahentem Prophetam ex aquis multis: & summa hoc vult dicere.

Tu DOMINE, qui hominũ, quamuis ipsi non mereantur, curam geris, te oro, vt me in hoc periculo, in quo constitutus sum, clementer iuues. Nec enim erit tibi hoc molestum aut graue. Nam si inclinatis ad terram cœlis descenderis, & te conspiciendum duntaxat præbue-

præbueris, quod olim in promulgatione legis feciſti: tum montes fumabunt, vt fornaces, & trepidabunt omnes: quotquot tuæ maieſtatis fuerint ſpectatores. Quod ſi tibi viſum fuerit, poteris eos eminus ſagittis tuis configere & diſpergere. Nam cum fulmina iacere & emittere incipies, omnes profugiēt, alij ſtabunt exangues & attoniti. Quod ad me attinet, iaceo iam in gurgite malorum & calamitatum, ſed tu potenti manu tua cœlitus demiſſa, extrahere me illinc poteris contra opinionem hoſtium meorum, qui ſunt impij & alieni à fauore, promiſsionibuſq; tuis. Sunt præterea homines ex mendacijs compoſiti, fallaces, ſubdoli, qui, & ſe & alios fallunt: his profligatis me iuuabis quod certò ſcio.

Cum DOMINVS in liberatione Dauidis, nec fulguribus, nec fulminibus ſit vſus, mirabitur, quis, quare Pſaltes ad eum modum pingat DOMINVM. Deinde nos etiam interdum iſtæ cogitationes mouent, quæ fiat, quòd DOMINVS non ſemper vtatur iſtis conſpicuis inditijs ſuæ potentiæ, vt in diluuio, in conflagratione Sodomorum, ſupplicio Pharaonis, pœna fatali Dathan, ſuam potentiam & iram declarauit. Nobis quidem ſic videtur, DOMINVM multò luculentius mundo ſuam immenſam virtutem poſſe probare, ſi quos punire vult, ſtatim aut fulmine iceret, aut igne cœleſti concremaret: ſed ſunt illæ cogitationes humanæ. Nam quamuis Saulem non fulmine, aut fatali pœna, quæ in omnium oculos incurreret, è medio ſuſtulit, & Dauidi regnum tradidit, tamen & hoc indicium fuit potentiæ, diuinæ, quod per homines gerit. Sed quòd non ſtatim ſeueriſsimis illis pœnis vtitur, ſuam

bonitatem & longanimitatem declarat. Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Sæpè etiam nouis & quasi tacitis pœnis vtitur, quibus maximè suam potentiam probat, quòd sibi ad conficiendos hostes suos non semper fulminibus & grandine opus sit, sed possit eos vermiculis, lue, cibo, verbo vno cõficere, quorum exempla in Herode, Sanheribi exercitu, populo Hebræo, Anania & Sapphira nobis proposita sunt. Pharaonem certè vno momento interimere poterat, sed vtitur ranis & vermiculis, vt doceat, indignum illum esse, qui subitò tollatur, sed à creaturis ignobilibus illis prius diuexandum, antequam extremas pœnas luat. Non solet etiam manum ex supremo cœlo suis porrigere, sed ita potenter eos liberat, vt nemo nisi insanus, dubitare possit, diuinam opem sanctis astitisse. Hoc sæpè probauit, cum hostes populi Dei, aut mutuis vulneribus caderent, aut πανικῷ perculsi, terga darent, aut ruina opprimerẽtur. Notæ enim sunt historiæ sacræ. Quod autem ad impios & cæcatos attinet, nullæ pœnæ, nulla indignationis diuinę indicia tam illustria sunt, quę ipsos emẽdare possint. Hebræos certè non terræ motus, non tenebræ, non velum templi scissum, tempore passionis dominicæ, non portenta in cœlo, non voces in templo auditę, ante vastationem vrbis, non globi ignei è fundamentis templi erumpentes, cum instaurare illud vellent, mouere potuerunt. Itaq; si hodie etiam DOMINVS cum impijs, fatalibus illis pœnis ageret, non magis eos dociles habiturus esset, quàm olim. Hæc tractanda esse hoc loco existimauimus, vt intelligeretur, quare DOMINVS nolit semper vti manifestis indicijs seueritatis suæ,

tis suæ, quia ne illæ quidem erant reuocaturæ in viam deploratos.

9. *Deus canticum nouum cantabo tibi: in Psalterio decachordo psallam tibi.*
10. *Qui das salutem regibus: qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio malo.*

Secundum argumentum à remuneratione. Nam suam gratitudinem DOMINO pollicetur: & addit rationem, dignissimum eum esse laude & gratiarum actione, qui conseruet regna, & hactenus inprimis seruauerit ipsum in periculis. Etsi autem peculiare hoc argumentum est, tamen confirmatio etiam est superioris proximi. Nam suprà dixit, facilè esse DOMINO eripere Dauidem è periculis, si suam maiestatē velit ostendere, sicut fecerit in monte Sina. Nunc autem aliam confirmationem adiicit, non defuturum DOMINO nec voluntatem nec facultatem iuuandi, cum omnes ipse reges constituat. Deinde potentiæ & voluntatis suæ in ipso tuendo & liberando, antea quàm plurima indicia dedisse, ergo ne nunc quidem in summo periculo deserturum ipsum. Ego (inquit) DOMINE, si ex hoc me periculo seruaueris, gratias tibi nunquam intermorituras agam. Et quamuis hactenus multos Psalmos composuerim, in tuam laudem, tamen nunc nouo carmine te celebrabo: coniuncturus etiam instrumenta musica, & quidem ea, quæ suauissimam harmoniam habent, & pluribus neruis intenduntur. Nam si nos miseri homines heröum præclarè facta fidibus & carminibus celebramus, quantò tu

DOMINE dignior, à cuius nutu omnia regna, & omnium regum, principium, salus & incolumitas pendet. Tuo enim arbitratu alios quidem constituis reges, alios deijcis: hos cum potentissimi sint, & exercitus ducant maximos, in fugam vertis, & vita ac regno exuis: alios qui propè deserti sunt, & in extremis periculis versantur, potenti manu protegis, euehis, diademate regio ornas: me certè inter arma & hostium infesta tela sæpius seruasti: tuum beneficium est, quòd Saulis lanceam, quam contra me vibrabat, declinaui: tuæ est benignitatis, quod adhuc sum superstes: itaq; tibi summas gratias & immortales debeo, & me non solùm potentia tua, quam in rerum natura demonstras, consolor, sed experientia mea edoctus, non possum dubitare de tua clementia, & in posterum etiam auxilio & protectione.

1. *Timoth.* 4. D. Paulus Timotheo scribit, Deum esse saluatorem omnium hominum, maximè autem fidelium: mirabitur ergo quispiam, quare hîc Psaltes dicat: Qui dat salutem regibus, cum rectius videatur dicturus, qui dat omnibus hominibus salutem. Notandum autem est, Prophetam hoc loco id velle ostendere, in quo maximè Dei potentia conspicitur, quia non solùm parua, sed ea quæ in rebus humanis magna & præclara sunt, ipse regit, gubernat, & est DOMINVS Dominorum, & Rex regum. Magnis autem principibus inprimis opus est ista commonefactione. Tanta enim est cœcitas hominũ, vt si videant arma, munitiones, pecunias, cõfœderationes, præsertim si consilio etiam & sapiẽtia excellant, statim obliuiscantur benefactoris, & se credant suæ fortunæ Fabros, & vt aliâs est dictũ,

Deos

Deos quasi ex se ipsis faciant. Quia superbia & elatio, multos potentissimos Monarchas præcipitauit. Recte ergo Dauid hîc dicit, eum salutem dare regibus, ac si diceret. Etsi hic mundus salutis se suæ causam, & felicitatis causam vult facere, tamen certum est, omnia quæ ipsis optata eueniunt, à Deo proficisci, omnium bonorum largitore: & statim se omnibus proponit exemplum illius gubernationis diuinæ. Sed multa sunt alia exempla, ex quibus luculenter id & clarè colligere possumus. Initiò videmus subitò transferri regna & monarchias, traditq; eas alijs, & quidem ijs, qui nec potentia, nec viribus, cum cæteris videntur comparandi. Cyrus certè nihil erat collatus cum potentia regis Babylonici. Nec Alexander initiò tam potens fuit, cum soli Macedoniæ imperaret, sed euectus est, vt omnes reges subijceret sibi. Ex quo manifestum est, id quod de Cyro dicit Esaias, DOMINVM sua manu ducere istos heroas. Et de ea re concionatur Daniel regi Babylonico, vt scias (inquit) quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud. *Esa. 45.* *Dan. 4.*

Deinde, inde coniecturam facimus salutem regibus à DOMINO dari, quia mirabiliter in periculis proteguntur. Exempla sunt Dauid, Hiskias, Constantinus, & alij, in quorum administratione & rebus bellicis luculenter se ostendit auxilium diuinum.

Præterea videmus DOMINVM adesse pijs Magistratibus, quia ipsos ornat sapientia, & consiliarios eos largitur, qui optima consilia suppeditare possunt. Syracides inquit cap. 10. In manu Dei potestas hominis, & super faciem scribæ imponet honorem suum. Legimus

gimus etiam non modò Dauidem, Solomonem ornatos fuisse summa sapientia, & quidem diuinitus, sed etiam in aula viros sapientia & prudentia præstantissimos habuisse. Etenim si penuria eiusmodi virorum pœna fatalis est, teste Esaia, certè copia eorundem, donum est Dei.

Adhæc, testatur experientia, impios Principes & gubernatores rerũ pub. cùm prudẽtissimè omnia meditata se habere crederẽt, tamẽ multis modis aberrasse, & sua quam in regenda Republica habebant spe, frustratos, quod certum est indicium, non humanis viribus, non sapientia regi imperia & conseruari, sed voluntate clementiaq; diuina.

11. *Eripe me & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera mendax.*
12. *Vt liberi nostri sint sicut plantulæ crescentes in iuuentute sua, filiæ nostræ sicut anguli ædium perpoliti ad similitudinem templi.*
13. *Promptuaria nostra plena redundantia de victu ad victum: oues nostræ fœtosæ abundantes multis millibus in villis nostris.*
14. *Boues nostri onusti: non sit perruptio, neq; emigratio, neq; clamor in plateis nostris.*
15. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: Beatus populus, se cuius DOMINVS Deus eius.*

Tertium & postremum argumentum, duas habet rationes per Antithesin sibi egregiè oppositas. DOMINE redime me meosq; ab hostibus nostris, quia ipsi sunt

sunt homines impij & alieni à te: nam duntaxat pendent à felicitate externa, non curantes te DOMINVM. Deinde quia nos sumus tuus populus. In ratione prima votum impiorum per Mimesin & enumerationem partium proponit. Optant enim sibi liberos et sanos & formosos: rerum omnium in ædibus copiam & affluentiam: in re pecuaria successum: econtra autem fugiunt omnia pericula.

פרץ Peretz rupturam significat, per quam irruptionem hostilem intelligit. Per egressionem, captiuitatem aut fugam. Per clamorem in plateis, alias calamitates intestinas, vt sunt bella ciuilia, pestis, fames, comprehendit. Ita isti omnia quæ sunt suauia optant, at quæ sunt tristia, auersantur, duntaxat hærentes in rebus terrenis, & ex ijs homines beatos æstimant, itaq; alieni sunt, & non curandi à DOMINO. Additur deinde altera ratio, quare Dauid & sui sint liberandi & protegendi, quia sunt populus, cuius DOMINVS Deus eius, & isti verè sunt beati dicẽdi, nam DOMINVS eos iuuat, etiamsi videantur miseri. Hoc est tertium argumentum, rationibus duabus suffultum. Cęterum vt nonnulla, quæ in his versibus subobscura sunt, intelligantur, subijciam paraphrasin.

DOMINE, eripe me ab hostibus meis, eosq; dignis pœnis affice, quia nõ sunt tui, cùm omni timore DOMINI destituti, de te rarò, aut nunquam cogitent, sed vt alieni à regno & Ecclesia tua, duntaxat loquuntur de rebus vanissimis & caducis, quæ in hoc mundo sunt: dies noctesq; occupantur: itaq; omnis illorum conatus vanissimus est: & manum quidem multis rebus admouere videntur, sed tandem infelicem eam esse

experientur, quia non te DOMINVM, sed suauitates huius vitæ persequuntur. Vtinam inquiunt filios haberemus proceros & robustos, crescentes non aliter quàm plantæ & arbores: filias autem & formosas & ornatas, vt qui eas intuentur, credant se videre angulos ædium magnificè extructarum, in quibus celaturæ & sculpturæ præclaræ sunt. Penus noster omni genere & copia rerum abundet, ne quid nobis ad exquisitas victus rationes desit. Pecuaria res nostra ampla sit, & rustica omnis benè culta. Greges ouium subinde crescant, vt numerus ouium ad multa milia perueniat. Armenta similiter sint fœcunda. Adhæc absint à nobis quàm longissimè omnia quæ contristare nos possunt, quales sunt hostiles irruptiones, exilium, fuga, & tristis seruitus. Denicq; clamor & luctus non exaudiatur in ædibus & plateis nostris, sed personent ibi musica instrumenta, omnia lætitia & hilaritate plena sint. Hæc & similia ipsis in votis sunt, & si ea quis consequatur, beatum pronunciant, obliti veræ beatitudinis, quæ in te solo posita, in vmbris illis rerum humanarum non inuenitur. Itaq; digni illi sunt, qui vt alieni à tuo regno, abs te puniantur. Nos verò eos beatos dicamus, quibus tu protector, adiutor, & propitius pater ac Deus es: quæ sanè nos res maiorem in modum confirmat, te in hoc periculo contra impios illos nobis non defuturum.

Habent in hoc Psalmo impij triste epitheton, quòd vocantur alieni. Sed à quo? à DOMINO Deo nostro: qua re nihil horribilius ne cogitari quidem potest. Nam excludi à domo DOMINI, magnam secum trahit malorum seriem. Tales enim ab omnibus promis-

sioni-

sionibus diuinis (vt Paulus loquitur) extranei sunt. Amplissimæ autem sunt illæ. Nam DOMINVS promittit ijs, qui sunt sui domestici, eum fauorem, quem parentes habent erga liberos, vocat amicos: Christus pollicetur communem in domo patris mensam, promittit habitationem, municipatum, gloriam, æternam fœlicitatem, à quibus omnibus alieni filij exulant. Sed quæ causa est, quòd DOMINVS magnam partem hominum excludit à regno suo, cum ab ipso sint conditi? Quia non regnum cœleste, sed mundanum amplectuntur, & beatitudinem in rebus externis & caducis collocant. Nam cum isti sibi paradisum in hoc mundo extruunt, excludunt se ab æterna illa. Ideo à Christo DOMINO filij huius mundi appellantur, à Paulo, vasa iræ, præparata ad interitum. Non est quidem impium optare sibi liberos, victum, pacem & similia, his enim DOMINVS multos sanctos ornauit, sed in ijs acquiescere, neglecto timore DOMINI, tacita est à DOMINO defectio. Reperiuntur enim satis multi, qui omnes suas cogitationes in res illas viles & abiectas cõijciunt, & nullas de vita æterna cogitationes, nullas de Deo instituunt, & vt Propheta loquitur, in externis & caducis beatitudinem ponunt. Isti sanè vt alieni rectè à DOMINO excluduntur. Deinde & alia causa est, cur DOMINVS eos auersetur. Nã in hoc mundo vult suos domesticos ferre ærumnas, & versari perpetuò in schola crucis. Impij autem, quamprimum in domo DOMINI ferulam vident, egrediuntur, & deserunt veram professionem: cum semel ipsis sit constitutum, velle se voluptates mundanas sequi, putant se pactum fecisse cum morte: nec velle

cum alijs hominibus cõmunes afflictiones ferre. Itaq; cum rationes, quæ in domo DOMINI sunt, sequi nolint, imò verò fugiant, sua culpa ab ea exulant. Beati autem sunt ij, qui propitium Deum habent, nam & in hoc seculo eos proteget, & illic recipiet in æterna tabernacula.

Frequentissima in Psalmis est illa formula, quòd Psaltes DOMINVM vocat rupem, refugium, arcem, scutum. Quod quidem Hypocritæ interdum imitantur, vt psitaci suum χαίρε ingeminant. Sed vt constanti fide pronuncietur, ijs consolationibus opus est, quas nobis hic Psalmus suppeditat. Initiò tenendum est illum nostrum ὑπόστασιν satis fortia habere arma, quibus nos protegat & defendat, nam si ita opus sit fulminibus, terræ motu, grandine nobis potest succurrere, imò verò mittere legiones angelorum. Ergo nulla tanta est potentia, quæ, si ipse nobis adsit, nos possit euertere. Deinde cogitemus etiam eum magna promptitudine ad nos iuuandos aduolaturum, quos hactenus tam clementer redemit à gladio malo, hoc est, à Diaboli sæuitia & potentia. Adhæc non dubitemus cum nostri aduersarij sint alieni & extranei à Deo, DOMINVM ipsorum conatus non promoturum. Ad extremum, cum per Christum certi simus facti, Deum Patrem, nostrum esse Patrem, nos esse filios, certò nobis promittamus & in hac vita auxilium protectionemq;, & in illa altera beatitudinem, dicentes cum Prophe ta: Beatus populus cuius Deus est DOMINVS ipse.

Psal. 145.

Psalmus 145.

Hymnus Dauidis.

Exaltabo te DEVS meus rex.



VIVS Psalmi titulus ostendit, eum esse eximium, quia κατ' ἐξοχὴν Hymnus appellatur, hoc est, DOMINI laudatio: Cum alij multi laudes Dei explicent, nec tamen peculiari titulo ornentur, sed illo vsitato, Halleluia. Deinde singuli versus, litera alphabeti signantur ab initio: ex quo coniecturam facimus, eum non modò publicè fuisse decantatum, sed etiam propositum populo, vt eum memoriæ traderent. Nemo ergo dubitet, rem longe omnium maximam & scitu necessariam nobis in eo proponi. Etsi autem nonnulli laudes, quæ hîc habentur, ad generalem DOMINI gubernationem referunt, tamen ipse Psalmus non obscurè significat, ista omnia de regno Christi accipienda esse. Nam vt postea dicetur, de regno DOMINI, quod habere in hoc mundo concionatur, & in eo ipsius misericordiam & clementiam, iustitiam, ac quòd suos sit exauditurus & salutem largiturus, ostendit, quę certè omnia in regno Christi fiunt, quod est regnum gratiæ & iustitiæ æternæ. Inter cætera addit, imperium illud esse æternum: hoc enim vult, cum dicit, regnum DOMINI

mnium esse seculorum. Cum autem ea quæ ad vniuersalem Dei actionem in hoc mundo pertinent, æterna non sint, ita enim visum creatori est aliquando totum hunc mundum, & rationes quales quidem nũc in eo sunt omnes abolere, res ipsa cogit nos ista interpretari de Christi regno. Et ne forte quis opinetur, hunc versum, de gloria & maiestate Dei quæ ab æterno est, intelligendum esse, nec fieri mentionem regni Christi, quod in hoc mundo est, & in omnem æternitatem durat, versus 10. 11 & 12. interpretantur: vbi Propheta dicit, sanctos notam facturos filijs hominum magnificentiam regni. Illam autem gloriam futuri sæculi, testante Esaia & Apostolo, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Itaq; cum prędicatio regni Dei à sanctis suscipiatur, certè intelligenda erit de doctrina in Ecclesia Christi, quę ad vltimos vsq; fines terrarum ab Apostolis diuulgata & propagata ad omnem posteritatem est. Ex his ergo constat Psalmum de Christo eiusq; regno intelligendum esse. De quo eo ordine agit Propheta. Primum Christum ipsum nomine potentiæ & clementiæ, laudat. Deinde maiestatem regni eius celebrat. Postea quàm prędare Christus erga suos subditos affectus & quàm laudabilis & inculpata ipsius administratio sit, egregiè demonstrat. Postremò Psalmum breui peroratione claudit.

1. *Exaltabo te Deus meus rex & benedicam nomini tuo in seculum & seculum seculi.*
2. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum & in seculum seculi.*

Propositi

Propoſitio Pſalmi, ego Chriſtum laudabo, quem vocat regem, nam & Deus pater eum regem vocat Pſalmo 2. Ego autem conſtitui regem meum ſuper Zion montem ſanctum meum. Et Dauid Pſal. 45. Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt DOMINVS tuus & adorabis eum. Et Zacharias cap. 9. Exulta filia Sion: Iubila filia Hieruſalem, Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, &c. Addita autem eſt amplificatio à tempore, quòd ſingulis diebus & in ſeculum ſeculi velit laudare DOMINVM.

Ego (inquit) DOMINE ſummis te efferam laudibus, qui es rex meus, qui me & omnes fideles liberaturus es à poteſtate Diaboli & mortis æternæ: tuum nomen & gloriam ſingulis diebus, imò verò in omnem æternitatem celebrabo.

Quæ hoc loco Dauid habet, D. Paulus Theſſalonicẽſibus ſcribens his verbis expreſsit: Semper (inquit) gaudete, indeſinẽter orate, in omnib. gratias agite. Nõ ſemel atque iterum, ſed perpetuò gratias eſſe agendas DOMINO Apoſtolus voluit. Homines ſanè, qui magnitudinem beneficiorum Chriſti nõ rectè ſubducunt, tum demum ad gratiarum actionem ſe conuertunt, cum externi alicuius boni ſpes eis affulſerit, & res ſuccedunt ex ſententia, obliti beneficiorum, quæ Chriſtus DOMINVS ſingulis horis in nos Spiritualia confert. Nam cum agnus ille occiſus ſit ab origine mundi, hoc eſt, meritum DOMINI, perpetuam ad noſtram ſalutem vim & efficientiam habeat, indeſinenter nobis gratiæ agendæ ſunt, etiam cum nos aduerſa premunt, propterea quòd ſciamus non eſſe pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam, quæ reuelabi-

1. Theſſ. 5.

tur er-

tur erga nos. Et cum sciamus nullum esse momentum, quo non delinquamus, & tamen tam clementer seruemur, nullæ satis magnæ gratiæ tantæ rei magnitudini sufficient. Itaq; cum Dauide dicamus: Benedicam nomini tuo in sæculum & in perpetuum.

Notandum etiam est, Dauidem æternam gratiarum actionem DOMINO polliceri: nam sancti in hoc sæculo incipiunt prædicare nomen DOMINI, & in ea laudatione in futura etiam vita elaborant. Hic enim est vltimus finis hominis, ad quem initio conditi, deinde à filio redempti sunt.

3. *Magnus est DOMINVS & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est inuestigatio.*
4. *Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuam annunciabunt.*
5. *Magnificentiam gloriæ, laudis tuæ, & verba mirabilium tuorum narrabo.*
6. *Et virtutem terribilium tuorum dicent & magnitudinem tuam narrabunt.*

His versibus Christus laudatur à sua maiestate, quam omnibus temporibus mundo luculenter demonstrauit: eam variis rationibus amplificat & exornat, initio cum Magnum vocat κατ' ἐξοχήν, deinde cum nimis aut valde laudabilem, nemo enim est qui nõ intelligat, ea verba habere multum ponderis. Accedit etiam amplificatio per ratiocinationem ex consequentibus: tantam esse maiestatem DOMINI, vt inuestigari nequeat. Et mox coniungitur alia: tantam eam rem esse, vt omnes omnium sæculorum populi in

ea

ea prædicanda occupati sint. Quanquam hoc etiam probandi causa adiectum videri possit, has videlicet laudes, ita veras, vt non vnum seculum, sed omnes homines per successionem eas prædicent. Qua autem in re laudes illæ maiestatis DOMINI conspiciantur, vno verbo docet: OPERA TVA prædicabunt. Nam vt prouerbio dicitur, opus commendare artificiem, ita res à DOMINO præclarè gestæ, ipsius nomen & gloriam aliqua ex parte adumbrant. Nam eius æterna gloria, ne ab Angelis quidem intelligi & prædicari pro dignitate potest. Opera autem Christi epithetis quibusdam ornat, quòd sint glorioſa, mirabilia, terribilia, magna. Quæ quomodo ad Christum rectè referantur, postea dicetur: sed antea paraphrasi ista complectar.

Christum Opt. Max. omnibus diebus vitæ meæ laudabo: nam verè quod dicitur magnus est, & ipsius omnia, æterna laude digna sunt. Imò verò si omnes ingenij vires intenderimus, quanta eius sit maiestas, certè omnes omnium seculorum populi & testes & laudatores sunt præclarissimorum operum, quæ statim à mundi initio condidit, ac suam potentiam immensam hominibus ostendit. Itaq; ego præstantiam illorum percensebo: nam & glorioſa sunt ea, quæ DOMINVS & seruator noster facit, & facturus est postremis temporibus. Deinde etiam admirationē habent cōiunctam, quia præclara & admiranda miracula edidit, dū suos seruat & eripit ex periculis. Hostibus verò omnibus formidabilia sunt, quos summa maiestate deijcit de gradu. Ista omnia non modò ego, sed cæteri etiam pij prædicabunt.

Quæritur autem, quæ sint illa præclara DOMINI & seruatoris nostri opera? Sunt varia & multa, sicut & propheta dicit: in omnibus autem summa elucet & gloria & admiratio: ea verò, quę aduersus hostes susceptа sunt, coniunctam habent formidinem, quemadmodum de ijs Propheta loquitur. An non mundi illa fabrica, quæ per filium creata est, gloriam DOMINI nostri Iesu Christi prædicat? & certum est, quot creaturas, tot DOMINI nos miracula videre. Sed vt ea, quæ DOMINVS suis beneficia ostendit, commemorem, cum in diluuio Noham conseruaret, an non ingens eius est, & potentiæ & maiestatis indicium: an non pœna tum irrogata impijs terribilis & formabilis? Præterea & illa sęcula, quibus patres vixerunt, innumera exempla eius rei suppeditant. Quot miracula in eductione populi ex seruitute Ægyptiaca conspecta fuerunt? Et quis non exhorrescit audiens de fatalibus Ægyptiorum & Pharaonis pœnis? Iam vero & aliæ ætates eius potentiam prædicant, coniunctam cum infinitis miraculis. Quanta enim molis fuerit inter immanissimos hostes Ecclesiam conseruare, vsq; ad aduentum seruatoris, historię regnorum in sacris nos docent, hæc autem omnia, vt Apostolus testatur, comite illo magno duce populi Dei & Michaele propugnatore Iesu Christo præstita sunt. Quid (vt reliqua præteream) ipsa Christi natiuitas admirationis habet? Deum assumere humanam naturam, & communicare ei omnem suam gloriam, nasci ex virgine. Hoc sane, si summis viris credimus, miraculum omnium est miraculorum, & res maior ipsa mundi creatione. Quàm tremendum erit impijs vltimum iudicium,

Dan. 12.

Augustinus.

dicium, quàm è contra & admiranda, iucunda, & glorioſa piorum reſurrectio? Ex quibus omnibus videmus rectè opera Chriſti laudari vt magna, glorioſa admiranda, impijs verò formidabilia. Nos autem diligenter demus operam, vt & aduentus ſeruatoris noſtri nobis iucundus & exoptatus eueniat, & nos cum ipſo in æternum viuamus. Sunt & opera miſericordiæ Chriſti glorioſa, & coniuncta cum miraculis, & quæ ſæpe pios in ſtuporem adducunt, vt Petrus trepidat conſpecta multitudine captorũ piſcium. Tum verò (vt diximus) vnio duarum perſonarum in Chriſto admiranda eſt. Sed cum operibus miſericordiæ ſuum locum aſsignauerit Propheta, de ijs ſequentes verſus audiamus.

7. *Memoriam multæ bonitatis eructabunt: & in iuſtitia exultabunt.*
8. *Miſerator & miſericors DOMINVS: tardus ad iram, & multùm miſericors.*
9. *Bonus DOMINVS: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

Vix alia ratione melius DOMINI miſericordia (quę ſecũda eſt pars laudationis propheticæ) exprimi poterat, quàm ijs verbis, quibus à Dauide hîc deſcribitur. Initiò egregia Synonymia, ſummam DOMINI miſericordiam illuſtrare conatur: dicens, Chriſtum multæ eſſe bonitatis. Item communicare ſuam iuſtitiam ſuis, in qua exultent, & (quod eſt ſummum miſericordiæ diuinæ indicium) eſſe miſeratorem & miſericordem, eſſe tardum ad iram, & multum miſeri-

cordem, esse bonum. Accesserunt etiam aliquot amplificationes, ex quibus promptum est colligere, inenarrabilem esse Christi bonitatem. Quia sancti omni sua facũdia conentur eam explicare: id quod verbo significanti expresit. Eructabũt, aut vt magis proprie dicamus, scaturient. Nam verbum quo vsus est, significat scaturiginem, sumptum à fontium gelidis perennitatibus, quibus nunquam deest aqua, ita sanctos semper habituros materiam, de his tantis rebus dicendi. Est & alia hîc ratio declarandæ bonitatis eius vsurpata, quòd omnem nobis iustitiam suam communicet. Deinde misericordiam Christi saluatoris, ab eo commendat, quòd omnibus sit communis: Bonus inquit DOMINVS vniuersis. Postrema amplificandi ratio per comparationem est proposita, misericordiam seruatoris omnia ipsius opera superare: supra autem illa maiorem in modum cõmendauerat: cum ergo misericordia sit omnibus istis maior, intelligimus eam ineffabilem, & propterea Christum summis laudibus extollendum esse.

Ex his quidem ornamẽtis sanctus Propheta doctrinam de misericordia DOMINI illustrauit.

Memoriam (inquit) summę & ineffabilis bonitatis tuæ, Christe Iesu, sancti & Prophetæ, & Apostoli, ac multi alij scriptores, & Christiani, omni studio, cura & diligentia semper prædicabunt, eritq; lingua illorum veluti fons quidem perennis aquæ, ad extollendam bonitatem tuam, quam summam miseris mortalibus ostendis: cuius præstantia in eo inprimis cernitur, quòd cum omnes essent destituti vera iustitia, quę Deo probari posset, tuam ipsis iustitiam propriam fa-

cis, vt

cis, vt ea gloriari possint, & in omnibus animi perturbationibus se recreare, imò verò seriò exultare. Tu misericors, clemens, bonus, mitis es, tu minimè iracundus, sed peccatoribus satis longum tempus largiris ad emendationem. Et ea tua facilitas nõ in paucos quosdam absumitur, sed omnibus, qui ad te confugiunt, communis est. Et vt paucis multa complectar, cum multa sint magnaq; opera tua (de quibus antè dictum est) nihil tamen misericordia tua admirabilius est, tuum certè est illud proprium, vt velis damnare nemi nem, conseruare quamplurimos Tu omnes miseros & perturbatos ad te clementer vocas, nunquam ipsis defuturus, nisi ipsi sibi defuerint. Hactenus Propheta.

Duæ sunt peccati pedissequæ: prima est securitas, altera autem trepidatio & desperatio. Id quod in primis parentibus videre est. Nam cum à Sathana ad defectionem sollicitarentur, securissimè mandatum DOMINI (quod tamen mortem minitabatur) negligebant. Mox cum aperti ipsorum oculi essent, erubescunt, trepidant, fugiunt à conspectu Dei. Eadem reliquorum peccatorum ratio est. Cainus interfecto fratre securissimus est: mox quò se uertat, ignorat, dicens peccatum suum maius esse, quàm vt remittatur. Sic hodie experientia docet, multos qui initio ad omnem libidinem proiecti fuerunt, deinde nullam velle consolationem admittere. Itaq; vt monendi homines diligenter sunt, ne securitati carnali locum dent, ita si iam sensus peccati eos vrgeat, docendi sunt, ne fugiant DOMINVM, sed quo sunt magis miseri & calamitosi, tanto ad eum propius accedant. Hoc autem perturbatis conscientijs nunquam persuaderi poterit, ni- *Gen. 3.*

si clementia & misericordia DOMINI & seruatoris nostri Iesu Christi eis proponatur. Ad quam nos omnes Prophetæ & Apostoli inuitãt, qui præcipue in eo sunt occupati, vt φιλανθρωπίαν ipsius, viuis quasi coloribus nobis depingant: Eructabunt (inquit Propheta) memoriam multæ bonitatis eius, hoc est, copiose de ea loquentur. Esset autem magni negocij congerere omnia illorum de Christi bonitate testimonia: sed si vel epitheta duntaxat, quibus eum ornant, colligerimus, magnum certè præsidium sumus habituri ad discutiendas animi perturbationes. Non enim contenti sunt illi nudo misericordiæ vocabulo, sed præstantiam eius variis rationibus ad consolationem omnium accommodant. Nunc lapidem angularem, nunc principem pacis, ipsam pacem, Imanuelem, verbum vitæ, solem iustitiæ, Patronum, Spem nostram, Fratrem, Petram seculorum, Angelum fœderis, caput vocant, quæ omnia seruatoris nostri misericordiam nobis explicant. His accedunt etiam ea quæ ipse sibi DOMINVS tribuit, cùm se lucem mundi, viam, veritatem, vitam, pastorem, vitem, panem vitæ, sponsum vocat. Hæc omnia, quæ tot nobis testibus confirmantur, repudiare necesse est, si velis negare Christum misericordem esse oportet te Prophetas, Apostolos, Christum ipsum reos agere mendacij, si de fauore DOMINI dubitare voles. His consolationibus certissimis eam quoq; coniungas, quòd vides Christum, & iustitiam & cum ea omnia sua nobis donasse: nam ad consequendam felicitatem, hoc nobis deerat, quòd essemus iustitia vera destituti. Cogita etiam quoties sua longanimitate probauerit, se non velle mortem

Psal. 118.
Act. 4.
Esa. 7.
Esa. 9.
1. *Ioan.* 1.
Mal. 4.
1. *Ioan.* 2.
1. *Tim.* 1.
Ephes. 1. 5.
Psal. 22.
Esa. 26.
Mala. 3.
Ioan. 12. 14. 10. 15. 16.
1. *Cor.* 1.
Rom. 8.
Ezech. 33.

mortem peccatoris, quoties pœnam ſuſpenderit, mitigarit, & quam diu ad tua peccata conniuerit, ita vt non tibi deſint domeſtica & propria exempla. Solletur te omnia, quæ de eius paſsione, morte à Prophetis & Apoſtolis proponuntur. Veniant in mentem, DOMINI & ſeruatoris illæ mellitiſsimæ voces, vbi pollicetur ſe neminem à ſuo fauore velle excludere. Denique memoria teneas, ipſum Prophetam Eſaiam cofirmare, DOMINVM, cum iraſcatur, facere opus ſuum: ſed alienum opus ſuum: & Pſaltem hoc loco dicere, omnibus operibus DOMINI maiorem clementiam ipſius. Nam quòd nos creat, quòd multa cum admiratione facit in cœlo & in terra, nihil omnino eſt, ſi conferatur cum ea dilectione, quam nobis Chriſtus demonſtrauit, cum pro nobis victima, καὶ ἀντίλυτρον fieret, mortis omne imperium aboleret, nos reconciliaret patri. *Ioan. 4.* *Ioan. 6.* *Matth. 11.* *Eſa. 28.*

10. *Confiteantur tibi DOMINE omnia opera tua: & ſancti benedicant tibi.*
11. *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.*
12. *Vt notum faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.*
13. *Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio in omnem generationem.*

Secunda pars Pſalmi, laudat Chriſtum nomine regni ſui, quòd ſit glorioſum, potens, magnificum, & æternum in hunc modum.

Quemadmodum DOMINE Ieſu Chriſte reliqua te opera tuæ maieſtatis prædicant & commendant, ſic in

ſic in primis omnes ſancti & pij glorioſum illud regnum, quod in hoc mundo habes, & nouiſsimis temporibus maiorem in modum amplificaturus es; celebrabunt, & de potentia illius loquentur, dabuntq; inprimis operam Apoſtoli, vt in toto terrarum orbe omnibus hominibus tuam tuiq; regni maieſtatem, amplitudinemq; promulgent & vniuerſos ad id amplectendum cohortentur. Et ſanè digniſsimum eſt, quod ab hominibus decantetur, quia non eſt caducum regnum, qualia ſunt omnia humana, ſed æternum: ac imperium tuum nequaquam ſimile eſt dominio hominum, quod ad aliquot duntaxat annos durat, ſed manet in omnem æternitatem. Quod ſi immortalitas quærenda & expetenda, ad id regnum certè votis & toto animo tendendum eſt.

Hæc quæ Propheta hoc loco affert, videntur parum reſpondere ijs, quæ quotidie in Eccleſia cernuntur. Nam ſtadium quoddam (vt ita loquar) crucis & afflictionum in ea eſt: pij incertis vagantur ſedibus, perſecutionem patiuntur, ſæpe ad ſanguinem, vt Apoſtolus loquitur, reſiſtere coguntur. Itaq; plus miſeriarum quàm voluptatis, & plus infamiæ quàm gloriæ apparet. Quare ergo ſpiritus ſanctus iſti regno maieſtatem coniunctam cum gloria tribuit, quam omnes prædicare debeant? Hoc ſcandalum multos mouit, vt ab Eccleſia Chriſti diſcederent: & tota fere Hebræorum natio, cum videret Chriſtum humilem & contemptum, non credidit ea ad eum pertinere, quæ in ſcriptura magnifica & glorioſa de Meſsia & ipſius regno dicuntur. Sed tenendum eſt hoc regnum verè magnificum & glorioſum, propter regem illum

illum gloriæ, qui ei præsidet. Quomodo enim non præclarum esset imperium, in cuius medio Deus est, & ciuitatem illam suam riuulis suis lætificat. Sed aliud etiam est, quod maiestatem huius regni auget: nam in eo non quidem externi hostes & populi domantur, sed multò potentiores & nocentiores, Diabolus, infernus, peccata, quos non modò suis, sed vt Apostolus testatur, suorum pedibus subijcit. Deinde non est in hoc regno certamen & pugna de bonis perituris, auro, argento, frumento, vino, sed de æternis & præclaris illis thesauris, qui nobis in alia vita repositi, nunquam marcescunt. Sed manifestatio gloriæ illius partim quidem in animis piorum sese ostendit, in hac vita: at in die iudicij, cum venturus est in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, quando sedebit super sedem gloriæ suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes, vbi seuerissimam iudicij sententiam pronunciaturus est, videbimus qualem & quam gloriosam victoriam Christus & à Diabolo & ab omnibus impijs reportauerit.

Psal. 24.

Psal. 46.

Rom. 16.

Matt. 28.

Sed est adhuc alia gloria in hoc mundo, qua hoc regnum omnibus cæteris antecellit: quod in eo præclara & irreprehensibilis administratio est, de qua sequentibus versibus agit Propheta.

14. *Sustentat DOMINVS omnes, qui corruunt, & erigit omnes incuruatos.*

Tertia pars Psalmi laus est Christi Messiæ, & regis, quod suum regnum præclarè administret. Hanc autem partem enumeratione earum rerum, quæ præ-

clarè Christus DOMINVS in suo regno gerit, amplificat. Facit autem tacitam antithesin, inter reges & gubernatores externos & Christum. Nam (vt in præsentia de hoc versu dicamus) Tyranni in hoc mundo solent plerunq; miseros opprimere, sed Christus eos, qui cadunt, sustentat, & eos qui incuruati sunt, & vim patiuntur, erigit. Diua virgo dicit, eum euehere humiles. Ista autem de miseris peccatoribus intelligenda sunt, qui sensu peccati & iræ diuinæ perculsi, quasi prostrati iacent, eos Christus erigit. Qua de re vaticinatus est Esaias capite 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, vt viuificet cor contritorum, & erigat spiritum humilium. Quod filius in hunc mundum veniens præclarè præstitit. Mi fili (inquit Paralytico) bono animo esto, remissa sunt tibi peccata tua. Luc. 7. Sic peccatricem mulierem, quæ pedes DOMINI lacrymis rigabat, & capillis extergebat, erigit, dicens: Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Et paucis interpositis: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Quòd autem ad subleuandos miseros venerit, ipse seruator testatur Luc. 19. Venit (inquit) filius hominis quærere & seruare quod perierat. Et Lucæ 5 profitetur se venisse medicum non sanis, sed Luc. 15. ægrotis. Ipse est qui quærit ouiculam errantem, Esa. 9. drachmam amissam. Quid multis, venit ad nos, qui ambulabamus in tenebris & vmbra mortis.

15. *Oculi omnium in te sperant DOMINE, & tu das illis escam in tempore oportuno.*

16. *Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.*

Secunda

Secunda Antitheſis adminiſtrationis politicæ & regni Chriſti, hoc modo intelligenda eſt, Alij quidem principes ſubditis ſuis ſæpe graues moleſtiq; ſunt exactionibus, tu autem DOMINE liberaliſsimus es in omnes: nam qui oculos in te ſolùm conuerſos habent, eos non ludis inani ſpe, ſed ea quę ad vitæ ſuſtentationem pertinent, largiris: & quamuis interdum extrahere auxilium tuum videaris, tamen nunquam tuis dees, ſed tempore opportuno neceſſaria ſuppeditas. Quomodo enim filios tuos negligeres, qui tua larga manu paſcis etiam iumēta, & pullos coruorum te inuocantes? Et hæc quidem Propheta.

Liberalitas autem iſta & clementia DOMINI & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti multis modis & rationibus perſpicitur. Nam ipſæ creaturæ ad vſus & ſuauitates hominum multiplices creatæ, teſtantur, quàm larga DOMINI noſtri Ieſu Chriſti (per quem omnia condita ſunt) manus ſit, & quantum amet Eccleſiam ſuam. Etſi enim impij quoq; ijs fruuntur, tamen ſcimus creaturam ſubiacere inuitam vanitati, eſſeq; eam ſeruitutem ipſis non ſolùm moleſtam, ſed etiam (vt ita loquar) cum dolore quodam coniunctam, ingemiſcunt enim parturiuntq; nobiſcum ſuo modo cupidæ libertatis gloriæq; filiorum Dei. Sed omnia propter pios creata ſunt, vt intelligant, quàm clemens DOMINVS ſit. Verùm quòd ipſe alere ſuos velit, oſtendit etiam, cum ſuum populum quadraginta annos in deſerto pane cœleſti, Moſen & Eliam 40. dies abſq; cibo, eundem Eliam miniſterio coruorum, mox Sareptanæ viduæ lecytho ſeruauit. Hoc etiam filius aſſumpta humana carne demonſtrauit: cum aliquo- *Rom. 8.*

ties paucis panibus aliquot hominũ millia cibaret. His accedunt alia beneficia externa & corporalia, quibus DOMINVS probauit, se velle non solùm animarum, sed corporis etiam curam gerere: qui etiam die extremo corpora nostra resuscitaturus, & ornaturus summa maiestate & elegantia ad sui corporis imitationem est. In hoc sanè mundo, quia non habitandi, sed commorandi duntaxat locum dedit, vult nos contentos esse necessarijs, cibo & vestimentis, donec ad illam æternam & beatam vitam euocemur.

17. *Iustus DOMINVS in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus.*

Aug. de ciuit. Dei lib. 4. cap. 4.

In magnis imperijs sæpe magna iniustitia conspicitur: & rectè dixit Augustinus: Remota iustitia regna nihil aliud esse, quàm magna latrocinia, sed regnum Christi summa iustitia administratur, quia in omnibus vijs suis DOMINVS iustus est, & sanctus in omnibus operibus. Hæc autem verba non intelligantur solùm de vniuersali iustitia, vbi DOMINVS in toto terrarũ orbe omnia iustissimè agit, quia est iustitia ipsa, de qua loquitur Psalmus 10. Iustus DOMINVS, & iustitias dilexit, quia æquitatem videt vultus eius, sed de iustitia, quam communicat Ecclesiæ suæ, vbi & ipse iustus est, & iustificat eum, qui est ex fide Iesu. Quæ iustitia gratuita est, & nobis imputatur, de qua agit copiosè Paulus in epistola ad Romanos & Galatas. Intelligatur etiã iustitia, quę ex hac nascitur, videlicet, iustitia bonæ conscientiæ, de qua loquitur D. Ioannes: Filioli, nemo vos seducat, qui exercet iustitiã, iustus

1. Ioan. 3.

ſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Et rurſus: Omnis qui nō facit iuſtitiam, non eſt ex Deo, & iſta iuſtitia proprie regeneratio vocatur. Quia autem ea de re alibi eſt dictum, nunc ad alia progrediamur.

18. *Propè eſt DOMINVS omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.*

19. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.*

Quarta antitheſis aliquot partibus conſtat, quæ tamen inter ſe coniunctæ ſunt. Alij inquit principes non ſemper in colloquium admittunt ſuos, itaq; qui ad eos volunt accedere, eos oportet noſſe molles aditus & tempora fandi. Deinde cum admiſsi fuerint, non ſemper id, quod cupiunt, impetrant, ſed ſæpe patiuntur repulſam. Quod ſi maxime principes eos iuuare cupiunt, tamen multæ ſunt, difficultates, ex quibus homo hominem liberare nequit. Sed apud DOMINVM & ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum longè alia eſt ratio, nam ipſe accedit eos, qui precaturi ſunt. Deinde promptior eſt ad nos audiendos, quàm nos ſimus ad precandum, ſi tamen vera fide in ſpiritu & veritate fuerimus præcati. Nec vult vt de ſua voluntate dubitemus, ſed quàm primum preces ad ipſum inſtituerimus, certò nos vult ſtatuere, ſe, ſi vtilia petierimus, nunquam nobis defuturum. Poſtremò vt ipſius erga nos voluntas conſtans certaq;, ita etiam auxilij ratio indubitata eſt: nam cū ſit filius Dei vnigenitus, nos ex omnib. tam corporalibus quàm ſpiritualibus periculis ſeruare & eripere poteſt. *Taulerus.*

Quare is rex maximè diligendus, summisq; laudibus vehendus est, qui cum voluntate & propensione iuuandi summam potentiam coniunctam habet.

Tres sunt columnæ, quibus in inuocatiõe nostra fides nititur, vna vt sciamus Deum nos audire, altera DOMINVM nos exaudire, tertia ea quæ velit posse etiam præstare. Quòd DOMINVS omnia nostra videat, audiat, suprà Psalmo 139. copiosè dictum est. Tertium membrum etiam dubitationem apud nos non habet: quia scimus eum esse omnipotentem: id autem quod medio loco positum est, non facilè nobis persuaderi potest, vbi Psaltes inquit DOMINVM facere voluntatem nostram: cum euentus aliud docere videatur: quoties enim præter expectationem & vota, quæ erga Deum suscipimus, res nobis eueniunt? Et Christus etiam nos orare iubet, vt DOMINI non nostra voluntas fiat, sicut & in primo agone, quem in horto habuit, ipse precatus est. verũ certa & constanti fide teneamus, non esse falsam Propheticam consolationem, quæ nobis pollicetur exauditionem, sed tum, quando & in veritate & timore DOMINI inuocauerimus. Verus autem laudabilisq; ille timor, voluntatem nostram semper cum DOMINI coniungit, nec ab ea dissentit, cum sciat eum nihil nobis negare, quod profuturum intelligat, ea autem quæ neget, aut noxia esse, aut differri ad cumulum gaudij: aut desiderij maioris & æterni nobis viam parare. Etenim si nobis DOMINVS semper optata largiretur, cum hoc mundo essemus perituri: itaq; vt præclarè dixit Augustinus, DOMINVS sæpè quod volumus non tribuit, vt quod malimus, attribuat. His ergo fundamentis,

mẽtis, quæ ſuprà poſuimus, nitamur, & non patiamur nos auelli à pijs precibus.

20. *Cuſtodit DOMINVS omnes diligẽtes ſe, & omnes impios diſperdet.*

Poſtrema antitheſis. In republica (inquit) ſæpe improbi, etiamſi malam cauſam foueant, abſoluuntur, promouentur, honoribus ornantur, honeſti opprimuntur, notantur infamia, bonis & fortunis omnibus exuuntur, DOMINVS autem ſemper ſuos defendit, & quamuis ad tempus ſeueriori vultu ſumpto, quaſi deſerere ſuos velle videtur, tamen cum ſuam voluntatem ex iſtis integumentis ſimulationis paternę euoluerit, re ipſa tandem oſtendit, non poſſe ſe obliuiſci eorum, quos ſemel in ſuam clientelam receperit. Impios autem, ſi vt laurus floreant, vno momento præcipitat, & docet ſe iuſtè & inculpatè omnia adminiſtrare.

21. *Laudationem DOMINI loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.*

Peroratio, in qua ſummam Pſalmi huius repetit, & omnes homines ad æternas DOMINI laudes cohortatur. Cum & res ipſa, & phraſes ſuperioribus Pſalmis ſæpe repetitæ ſint, nunc de vſu huius laudationis dicendum eſt.

Vſus

VSVS HVIVS PSALMI.

Non leuiter piorum animos perturbat, quod in hoc mundo veluti exules & peregrini versantur, multi in exilium ejiciuntur, nonnulli etiam ad cruciatus & quidem infames rapiuntur. Nam natura parentes, amicos, patriam amamus, & præterea cupimus omnes in pacata & tranquilla republica versari. Hic autem Psalmus nobis præclaram consolationem proponit: tametsi destituamur externa defensione, & tyrannos videamus in horas imminere incolumitati nostræ, tamen nos habere regem & potentissimum & optimum, qui miseros non negligat, sed prope eis adsit, exaudiat, iuuet, seruet: nec nimium deplorandum esse, quòd externis præsidijs septi non simus, cum DOMINVS oppressos, & vt Dauid loquitur, incuruatos subleuet & erigat. Ac si ex hoc mundo nobis exeundum sit, audimus DOMINVM per Psalten nobis polliceri regnum omnium seculorum, & dominationem cùm Christo, quæ duret in omnem æternitatem. Non ergò miserijs calamitatibusq; huius mundi fracti aduersus DOMINVM insurgamus, sed diligenter æstimatis regni, in quo versamur commodis, nostrum regem vnâ cùm Dauide, sanctis omnibus & hominibus & Angelis perpetuò laudemus & celebremus.

Psalmus 146.

Psalmus 146.

Halleluia.

Lauda anima mea DOMINVM.

QVANQAM Psalmi postremi ferè omnes eiusdem argumẽti sunt, complectuntur enim verissimas laudes DOMINI: tamen encomia, quæ hoc Psalmo continentur, potissimum eô spectant, vt intelligamus, nos tutò in auxilio Dei Opt. Max. posse acquiescere. Neq; enim cũ DOMINVS laudatur, spiritus sanctus hoc solùm agit, vt DOMINI maiestas bonitasq; cõspiciatur, sed vult nos istas laudes accommodare ad doctrinam & consolationem nostram. Sic (vt diximus) hoc carmen, quamuis laudationem duntaxat afferre videatur, tamen interim hortatur, nos fuduciam in sola Dei opitulatione collocare debere, additis rationibus persuadendi grauissimis: itaque non tam encomiasticus quàm hortatorius est. Quod vt luculentius proponeretur, vsus est συγκρίσει, ac contentione imbecillitatis humanæ & potentiæ diuinæ. Idq; eam maximè ob causam, quòd homines principum & potentum in hoc mundo fauore auxilioq; plus nitantur, quàm ope diuina. Vult ergò spiritus sanctus opinionem illam falsam corrigere, & animos nostros à fiducia auxiliorum humanorum ad Omnipotẽtis Dei præsidium traducere.

1. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.*
2. *Psallam Deo meo quamdiu fuero.*

Propositio, laudabo ego DOMINVM: sed non proponit eam nudis verbis, verùm apostrophe egregia vsus est, qua animam suam ad DOMINI laudes cohortatur. Deinde etiam perpetuam laudationem promittit: cum pollicetur se, quoad vixerit, occupari velle in veris DOMINI laudibus: & vno verbo rationem addidit, quòd sit Deus suus, hoc est, propitius. Anima mea (inquit) ego te hortor, vt nihil putes tibi diuinis laudibus antiquius & maius esse debere. Quanquam enim os & mea instrumenta musica ea in re occupentur, tamen cum sciam DOMINVM eam demum precationem probare, quæ ex penetralibus cordis profecta sit, volo vt te excites ipsum, ad ardentissimum studium laudum DOMINI. Mihi sanè propositum est in his consenescere, & ad extremum vsq; vitæ tempus occupari. Debeo enim hoc DOMINO, quia & meum se fore, & me suum clementer pollicitus est, reliquum ergo est, vt omne meum studium ipsi consecrem, & me totum in ipsius obsequium addicam.

3. *Nolite confidere in principibus: in filijs hominum, in quibus non est salus.*
4. *Egredietur spiritus eius, reuertetur in terram suam; in illa die peribunt cogitationes eius.*

Antea quàm ad laudes DOMINI accedat, primam partem contentionis aut antitheſis ponit, non esse in humanis auxilijs collocandā fiduciam: postea subijciet

ijciet alteram partem. Beatos qui ſola Dei ope nitantur, Deo autē opponit principes: quia certè homines in hoc mundo nihil maius eſſe præſtantiusq; credunt, quàm ſi fauorem magnatum habeant, preſertim quando ſunt, ſicut hoc loco appellantur נדיבים Nedibim, hoc eſt, munifici & liberales. Sed Propheta duas cauſas affert, quare non ſit in ipſis ponenda fiducia. Prima, quòd ſint filij hominis, hoc eſt homines (ſic enim Hebræi loquuntur) ideo, inquit, in ipſis non eſſe ſalutem. Sed in vocabulo hominis, quod emphaticè poſitum eſt, multa continentur, quæ ex altera parte antitheſis, vbi de Deo loquitur, intelliguntur. Homines ſunt ergo non Deus, nec creatores, vt ſi maximè velint, non poſsint tamen vbiq; iuuare, quia non ſunt omnium rerum DOMINI. Deinde quia homines ſunt, poſsint ſuam voluntatem mutare, nam iuxta Prophetam Dauidem, omnis homo mendax, & Plato dicit, ἄθρωπον εἶναι ζῶον εὐμεταβολον: eſſe animal inconſtans, & varium. Non ergo eſt in ijs collocāda fiducia, cùm ſæpè mutent ſententiam. Suetonius de Nerone ſcribit, eum initio ita fuiſſe mitem, vt cum mortis ſentētia de aliquo reo, eſſet ſubſcribenda, diceret, vtinam literas non didiciſſem: poſtea tamen in immanem belluam degenerauit. Præterea principes cum in morbis conſtituti ſunt, ſeipſos ſæpè iuuare non poſſunt, ſed aliorum opera vt medicorum vtuntur: multo minus alios iuuabunt. Ergo quantum ad ſalutem corporis attinet, confidere principibus non poſſumus. Præterea principes, quia homines ſunt, ſæpè alijs etiam vitijs obnoxij ſunt. Multi ſubditis non adminiſtrant iuſtitiam, alij grauant ſuos exactionibus, alij tyrannicè a-

gunt, coniiciunt innocentes in vincula, & exquisitis supplicijs afficiunt, & eos quidē interdum, quos antea dilexerant. Multi nō curant miseros & afflictos, maximè autem aduenas, orphanos, pupillos. Nonnulli non puniunt scelera, itaq; numerus impiorum crescit, opprimuntur innocentes. Hæc omnia nos monent, ne certam & firmam fiduciam collocemus in principes. Et hæc quidem huius negotij prima causa, à Psalte vno verbo assignarur, cum dicit: Sunt filij hominis. Istę autem partes, vt diximus, infrà melius conspicientur. Secunda causa est, quia si maximè princeps aliquis omnibus virtutibus imperatorijs præditus sit, faueat subditis, & cōsilia de repub. optima habeat, tamē mortalis est, anima eius ex corpore euolat, corpus in terram reuertitur, tum omnia quæ animo cōceperant, pereunt, & cadunt cū ipso, Ergo plena fiducia non est ponenda in illis. Quæ hoc loco à Psalte dicuntur, non intelligenda sunt, quasi spiritus sanctus ijs aliquid derogare velit magistratibus. Nam in tota sacra scriptura piorum magistratuum magna sunt encomia, vt aliàs dictum est. Nec prohibetur subditorum ea erga magistratus animi propensio, quæ bonorum erga suos principes semper laudabilis extitit: sed fiducia, quæ modū excedit, & hominē opinione quadam diuinitatis circundare vult. Quod discrimen Hieremias egregiè expressit, cum fiduciam virium humanarum damnat: Maledictus, inquit, homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, ET A' DOMINO RECEDIT COR EIVS. Non omnem fiduciam prohibet, sed eam, quæ animum hominis à Deo auocat. Nam eiusmodi spes transformat hominem in idolum:

Hiere. 17.

& suum

& ſuum honorem præcipit DOMINO. Non autem ſolum ſacrarum literarum authoritate monemur, vt caueamus iſtam impiam admirationem hominum: ſed etiam exemplis ipſis erudimur, quàm lubrica & inconſtans ſpes ſit, fiducia, quę tota in fauore principum & magnatũ acquieſcit. Habebat populus Hebræus in Ægypto viuente Ioſepho, non ſolùm clementem regem, ſed qui omnibus rationibus peregrinum populum augere, ornare, conſeruare vellet. Temporis autẽ progreſſu, cũ beneficia Ioſephi, obliuione obruerẽtur, ac rex ille in quo maxima præſidia Iudæi habuerant, & ipſe Ioſephus extincti eſſent, alij reges imperarent, erepta ipſis non modò priuilegia, ſed libertas etiam fuit, ac coniecti ſunt in miſerrimam ſeruitutem. Quod ſi Ioſephus & qui cum ipſo viuebant Hebræi, obliti promiſsionum diuinarum perpetuam ſibi in Ægypto ſedem elegiſſent, intelligimus, quàm malè ſuis rebus fuerint conſulturi, cum ſublato bono rege, omnia conſilia, & ſtudium etiam benefaciendi huic populo euanuerint, & ea terra, quæ corpus regis, eadem & memoriam meritorum Ioſephi contexiſſet. Dauidem in delitijs fuiſſe Sauli, propter Muſicam & alias pręclaras virtutes, quæ in ipſo adhuc iuuene elucebant, legimus: ſed quàm cito eius animus mutatus & ex clementi hoſtilis factus, ex fauore in rabiem belluinam cõuerſus eſt: vt iam ille Muſica cytharaq; Dauidica ita nõ oblectaretur, vt innocentiſsimo inter canendum creare periculum capitis non dubitaret. Sæpè affectus, optimorum etiam regum animos ita abripiunt, & aufferunt transuerſos, vt & coniunctiſsimorum obliuiſcantur, ſæpe in eos ſæuiant. Quis, ſi impe-

Exo. 1.

1. Sam. 16.

1. Sam. 19.

torias virtutes ſpectes, Dauide præclarior, quàm innocens ſemper vita, quàm ad ſalutem ſuorum propenſus fuit, ita vt ne in morbo quidem graui, & deſiderio ſummo vellet ea aqua vti, quam ſciret cum periculo à ſuis eſſe per medios hoſtes allatam: is tamen cùm animum amore Berſabæ occupatum haberet, Vriam hominem fortiſsimum, & ipſius amantiſsimum hoſtilibus armis obiecit: is contra omnes rationes æquitatis Berſabam in ſuas ædes traduxit. Taceo iam Ethnicos: Clitum, qui cum ſummus amicus Alexandri magni eſſet, ab ebrio inter pocula interfectus eſt. Pompeium magnum à rege Ægypti in ſummo periculo neglectum: Ariſtidem, qui initio in gratia omnium ferè principum & totius patriæ propter virtutem erat, Oſtraciſmo tandem eiectum: Socratem quem nec admiratio ingenij, nec fauor plurimorum tuebatur: Ciceronem de patria præclarè meritum proſcriptum: & alios multos bonos viros, quos principum fauor vel ſtudia populi ſolari poterant. Cum ergo videamus humana omnia præſidia incerta, infirma & parum fida eſſe, doctrinam Dauidis quæ ſequitur amplectamur, qui in ſolo Deo fiduciam collocandam eſſe, multis rationibus probat.

5. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in DOMINO Deo ipſius.*

Altera pars antitheſis: qui in Deo ponunt fundamenta ſuæ fiduciæ, benefaciunt.

Quemadmodum (inquit) illi infelicem & fallacē ſpem fouent, qui in humanis preſidijs acquieſcunt, ſic vere

verè fælices & beati, qui Deo Opt. Max. reuelanti se patribus inprimis autem Iacobo, totos tradunt, atq; ab eo auxilium expectant.

Et sic quidem initio nomen Dei & hominis inter se opponit in genere: iam alias partes antithesis in specie persequitur. Non est quidem illa aperta antithesis, sed tacitè diuina maiestas cum imbecillitate humana confertur, id quod breuiter videbimus.

6: *Qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui custodit veritatem in seculum.*

DOMINVS hoc loco duabus rationibus hominibus, nomine & potentiæ & veritatis opponitur in hunc modum. Nulla salus apud magnates quærenda est, quia etsi isti vni imperio, regno aut prouinciæ præsunt, tamen iurisdictionem extra regnum suum nullam habent: Itaq; qui imperij, hic etiam auxilij opitulationisq; illorum terminus est. Sed verè beati sunt, qui DOMINVM faciunt protectorem, adiutorem & defensorem suum, nam is & in cœlo & in terra DOMINVS est, quia omnia condidit, omnes diuitias, thesauros, qui toto terrarũ orbe cernuntur, imò quę in visceribus terrę abdita sunt, possidet. Quos ergo vult iuuare, optimè potest, cum vbiq; dominetur: & cum omnium sit diuitiarum DOMINVS, verè munificus, liberalis, & clemens esse potest. Deinde non solùm liberalitatis clementiæq; materiam vberrimam habet, sed etiam suam in omnibus opem pollicitus est, & cum sit ipsa veritas, nunquam id quod semel se præstiturum promisit, nobis est negaturus. Homines è contra vr-

banum

banum esse credunt, si liberales promissis sint, etiamsi nulla ex parte satisfaciant ijs, quos in luculentam spem erexerunt. Itaq; præclarè faciunt, qui relictis subsidijs humanis ad solum DOMINVM se conferunt. Et hactenus quidem Propheta.

Psal. 8. 33. 89. 102. Quod autem multis Psalmis creaturæ & DOMINI maiestas gubernatioq; tam accuratè describitur, ideò fit, vt hunc totum mundum intueamur veluti refertissimum pœnum, ex quo omnia simus accepturi: idq; tanto maiorem consolationem nobis adferre debet, quòd sciamus DOMINVM non modò patrem se appellare, sed etiam hunc sibi titulum optimo iure vendicare, quia verax est, & non vult vanis titulis & promissionibus nobis illudere. Cœlum & terra (inquit filius Dei) peribunt, verbum autem meum non est periturum. Cum ergo tantas diuitias quotidiè oculis intueamur, sciamus DOMINI esse terram, & omnem plenitudinem eius: eumq; si ita videretur, multos tales mundos posse creare: exploratum etiam nobis sit, DOMINVM nos paterno affectu prosequi, omni ergo studio ad illum tam clementem & diuitem patrem conferamus. Etenim si in hoc mundo liberi quando vident se habere parentes opulentos, magnificè se efferunt, quanto magis nos magno animo esse decet, qui patrem habemus, cui inexhaustæ diuitiæ sunt, & eæ quidem non solùm caducæ illæ, quæ in oculos nostros incurrunt, sed æternæ, à quarum fructu nulla nos creatura excludere poterit. *Rom.* 8.

7. *Facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus: DOMINVS soluit compeditos.*

8. DOMI-

8. *DOMINVS custodit aduenas, pupillum & viduam ſubleuat, & vias impiorum diſperdit.*

Principes (vt ſuprà etiam diximus) cum ſint homines, ſi non ducantur DOMINI ſpiritu, ſolent plærunq; magnis vitijs eſſe obnoxij: in quibus dominatur id, quod miſeros, pauperes humilesq; negligunt, & opprimunt: in nonnullis autem, ſi maximè velint, non poſſunt ipſis opitulari. Sed hoc loco Pſaltes veriſsimas laudes DOMINO tribuit, quod in iuuandis miſerrimis quibusq; ſuam bonitatem, & clementiam, præterea etiam potentiam declaret. Vt autem antitheſis, quam ſuprà etiam attigimus, rectius intelligatur, coniungemus ea quæ ſuprà diximus, cum his, quæ tribus his verſiculis nobis proponuntur. Laudandus præterea DOMINVS & in omnibus ſequendus eſt, quia omnes miſeros, afflictos, abiectosq; homines vel inprimis curat: non imitatus elationem & faſtum hominum magnatum, qui plærunq; alios præ ſe contemnunt, grauant, & tantum non conculcant. Nam peruulgatus huius mundi mos eſt, vt qui potentiores ſunt, iniuriam non modò non à capite & fortunis oppreſſorum propulſent, ſed ipſi etiam interdum inferant. DOMINVS autem ſua potentia ad exercendam iuſtitiam vtitur, cum improbos ad ſuum tribunal citat, & iuſtas ab ipſis pœnas expoſcit. Qui in hoc mundo potentes ſunt, pauperes ſæpe exactionibus grauant, aliſ ipſis ſua aufferunt. DOMINVS neceſſaria ipſis largitur. Tyranni in miſeros, carceribus, compedibus & aliſs generibus pœnarum ſæuiunt. DOMINVS innocentes ex carcere extrahit, & reſtituit libertati. Homi-

nes quantumuis potentes, nec se, nec alios in periculo incolumitatis iuuare possunt. Verùm DOMINVS non solùm vulgares morbos, sed incurabiles alioquin, vt sunt cæcitas, surditas, lepra, sanare potest: id quod pluribus exemplis demonstrauit. Hominum ea est improbitas, vt eos, qui ad casum iam se inclinant destituti omnibus humanis præsidijs, impellant, vt res ipsorum fortunæq; omnino concidant, sed DOMINVS tales eos ex pulueribus tollit & recreat. Exulat propè inter homines iustitia, & quo quis deterior est, eo plures fautores habet. DOMINVS autem vt iustorum amantissimus est, ita ipsorum causam agit. Nihil in hoc mundo abiectius est peregrinis, pupillis, viduis, qui ab impijs veluti homines omnium iniuriæ & libidini expositi conculcantur. Sed eorum curam gerit DOMINVS, efficitq;, vt improbi homines, qui ipsis periculũ creare sunt conati, intelligant non esse sibi impunitatem in flagitio propositam siue concessam. Ad hunc ergo omnium miserorum aduocatum, protectorem, adiutorem, patrem, certa fiducia confugiamus, nõ dubitantes, etiamsi omnium hominum abiectissimi essemus, DOMINVM tamen nos non neglecturum: imò quanto nostra miseria maior est, tãto eum ad nos subleuandos esse propensiorem.

Vocabulum cæcitatis hîc synechdochicè positum est.

Breuissimi hi versiculi amplissimam consolationem suppeditant omnibus afflictis, quòd DOMINVS, qui in cœlis est, humilia respiciat in cœlo & terra, erigat è puluere inopem, & de stercore tollat pauperem. Hoc etiam argumento scriptus est Psalmus 107. vbi ordine docet, quomodo DOMINVS miseros & afflictos educat ex calamitatibus & miserijs. Ac si eorum ca-

Psal. 113.

rum capitum, quorum hoc loco fit mentio, exempla producenda essent, fortasis prolixitas molestiam afferre lectori posset. Sed sufficiat ex quàmplurimis pauca seligere. Iniuriam patiebantur, tristemq; seruitutem, Hebræi sub Pharaone: sed DOMINVS facit ipsis iudicium, & pœnas de Tyranno sumit. Fame idē populus periclitabatur, sed DOMINVS ei magno miraculo in deserto, vbi nec agri, nec forum frumētarium erat, succurrit. Et his annis, quo caritas annonæ maior fuit, quàm aliquot antè seculis, tamen ita clementer nobiscum liberalissimus ille pater egit, vt nemo fame perierit. Captiuus tenebatur Ioseph: inter leones sedebat Daniel: Petrus in carcere munitissimo detinebatur, sed DOMINI beneficio liberantur. Quot morborū genera, quæ medici manum non admittebant, curauit ille omnis medicinæ medicus Iesus Christus? Et testatur Augustinus in libris de ciuitate Dei, quendā qui vlcera toto corpore habebat, & iam sectionē medicorū expectabat, ardentissimis precibus, quas ad Deum fudebat, statim sanatum, vt artificum manu industriaq; non indigeret, & non modò cruciatibus, quos summos ex noua sectione, sed quotidianos sentiebat, liberaretur. Quàm humiles & miseri erant Hebræi? cum ad flumina Babylonis flentes sederent? quam eorundem res videbantur desperatę, cum Sanheribus eis extrema minitaretur, verùm DOMINVS eos rursus erigit, & docet se suorum curam gerere. Imo verò totum humanū genus iam in ruinā æternę damnationis propendebat, ad quos erigēdos venit Dei filius, qui nostra causa prosternit se patri, & obediēs est vsq; ad mortē, & quidē ignominiosam illā crucis, vt nos ex pulueribus

erigeret. Ipse etiam docuit, se iustis fauere, cũ pro iniustis factus est victima. Postremò quanta cura prosequatur pupillos, orphanos, peregrinos, viduas, & mandatis suis testatus est, quibus eos nobis commendat, & pœnis quas maximas minatus est eorundem contemptoribus: præterea etiam dulcissimo nomine, quòd se orphanorum adiutorem & patrem vocat. Quicunq; ergo afflicti sunt, & videntur ab omnibus negligi, sciant se in eorum numero esse, quorum patrocinium ipse DOMINVS velit suscipere.

10. *Regnabit DOMINVS in secula Deus tuus Zion à generatione in generationem.*

Hic versiculus quarto opponitur, vbi dictum est, omnibus hominibus moriendum. Itaq; si princeps aut rex alicui faueat, tamen eum sæpe abripi à morte, vt omnia eius consilia in spongiam incumbant: at DOMINI regnũ est ęternũ. Ergo cum sit imortalis, semper suos iuuare potest. Sed hîc non solùm cogitemus DOMINVM solum esse immortalem, ac omnes homines per successionem seculorum iuuare, sed immortalitatẽ etiam nobis velle communicare, ac participes facere æterni illius regni, vbi à facie suorum omnes lachrymas est absterſurus.

VSVS HVIVS PSALMI.

Ægroto dũ anima est, spes esse dicitur, eademq; afflictos seruare perhibetur. Sed multos fallit spes: Itaq; multæ hinc inde quęrelæ extant de expectatione frustrata

ſtrata & ſpe falſa. Sacræ autem literæ & inprimis hic Pſalmus docent, quæ ratio ineunda ſit, ne ſpes noſtra cum formidine coniuncta ſemper nos ſuſpenſos teneat, ſed certam & indubitatam earum rerum, quæ profuturæ ſint, expectationem habeamus. Id autem conſequemur, ſi in ſolo Deo eam collocauerimus. Nã cum DOMINVS ſemper idem ſit cœlo terraq; vetera ſcẽtibus, eiusq; erga nos volũtas nulla ratione frangatur, dubium non eſt, eam ſpem, quæ in ipſo tanquam immota anchora defixa eſt, nunquam poſſe fallere. Hoc tamen loco tenendum eſt, ſpem huius mundi tũ extingui, cum ex hac vita euocamur: ſpes autem illa, quæ non confundit, ita nonemoritur, vt mors, perfectum eius ſit complementum. Neq; enim poſſumus ea, quę in ſpe nobis propoſita à DOMINO ſunt, aſſequi, plenamq; eorum poſſeſsionem acquirere, niſi ſublata abolitaq; mortali carne, fructum percipiamus eorum, quæ longo tempore dilata, gemitus illos piorum generoſos excitant, quibus exoptamus emigrare ex hoc corpore peccato morticq; obnoxio, & eſſe cum Chriſto.

Psalmus 147.

Psalmus Dauid.

Laudate DOMINVM quia bonum, &c.

I ij, qui magnos & præclaros viros suis orationibus & lucubrationibus celebrauere, ex hoc ipso studio, nominis immortalitatem sibi conciliauerunt, quanto laudabilius sumus facturi, si eius gloriam prędicemus, qui est Deus laudandus in secula. Rectè itaq; & preclarè Psaltes facit, qui tot egregijs formulis nos ad prędicationem nominis DOMINI inuitat: ex quibus hic Psalmus pręcipuus est. Laudat autem DOMINVM potissimum propter ea beneficia, quæ maxima in Ecclesiam contulit, his tamen laudibus interpositæq; sunt aliæ etiam, de DOMINI bonitate, clementia, potentia, sapientia, quæ in rerum natura conspiciuntur. Istæ autem omnes nos ad verum DOMINI amorem alliciunt: quomodo enim non tantum regem tam clementem, potentem, summa dilectione prosequeremur?

1. *Laudate DOMINVM, quia bonum est psallere Deo nostro: quoniam iucunda decoraq; laudatio.*

Hic versus & propositionem totius Psalmi, & breuem quasi cohortatiunculam habet. Possunt hæc referri

referri ad exordium : nam de ijs rebus libenter commentari solemus, quæ vtiles & iucundæ sunt : hîc autem Psaltes laudationem DOMINI & vtilem & iucundam & decoram esse dicit. Alij postremum vocabulum reddiderunt, optabilis: sed præfero alteram versionem, quia plus cum Hebræa conuenire, mihi quidē videtur. Exordium ergò & propositionem sic intelligamus.

Ego vos omnes, ciues Hierosolymitani, ad laudem celebrationemq; nominis diuini cohortor, nulla enim in re rectius studium vestrum collocare potestis. Etenim si DOMINI Dei nostri laudes diligenter perpenderimus, vtilitatem cum suauitate coniunctam percipiemus: taceo quòd ea functio decora admodum honestaq; est. Sumptum exordium est à dignitate rei, quam tractarurus est hoc Psalmo.

Non autem existimemus, cum scriptura nos, ad prædicationem nominis diuini cohortatur duntaxat intelligere eam laudandi rationem, vbi vel cantu, vel instrumento musico Dei Opt. Max. laudes prosequimur, sed omnem meditationem scripturarum, quæ nos ad veras DOMINI laudes accendere potest, item preces. Quanquam enim liber ille magnus rerum creatarum, tacitis quasi concionibus, nos de summa DOMINI maiestate commonefacit: tamen in scriptura, præcipuæ laudes explicantur: de cura DOMINI erga nos de Christi morte, consolatione spiritus, vita æterna. Itaq; cum ex scripturis cogitationes instituimus de maximis DOMINI beneficijs, tũ ad gratiarum actionem & celbrationem laudum diuinarum ectissimè nos præparamus, de quo exercitio admodum *Ambrosius.*

dum preclarè concionatur hoc loco Psaltes. Et sanè concio ista Dauidica nostris temporibus valde est necessaria. Nam multi erubescunt, si de rebus sacris dicere aut agere debeant: plericq; à professione sacrarum literarum abhorrent. Mouent autem plerosq; tres istæ causę. Prima quòd putent, se res magis vtiles posse tractare. Deinde maiorem se credunt suauitatem ex Ethnicorum aut aliorum scriptis percepturos, quàm sacris. Postremò, iudicant quasi cum quodam suo decore coniunctum, si aut sacra tractant, aut suam operam offerant Ecclesiæ. Spiritus autem sanctus longè aliter hoc loco pronunciat, dicens, nihil suscipi precio sius posse laudibus DOMINI, nihil melius. Ethnici certò crediderunt, rerum præstantiam æstimari potissimum ex eo, si id, quod cuiusq; proprium officium est, quàm optimè perficiatur. Vt cum sciamus equum ad cursum esse natum, eũ optimũ esse dicimus, qui quàm celerrimus est. Cum autẽ certũ sit, hominem ad DOmini laudes conditum esse, nulla prestantior & nobilior functio assignari homini poterit. Huc etiam adiungatur alia ratio huic cognata, cuius loco Psaltes mentionem facit, quòd sit decorum, DOMINVM laudare. Quid enim honestius & pulchrius est, quàm ea in re elaborare, in qua non modò Dauid, Moses, Solomon, sed etiam sancti Angeli perpetuò occupati sunt & fuerunt. Quòd si non prestantia, sed vtilitas quæritur, quid suscipi maiore emolumento potest ista sacrosancta commentatione, quæ nobis viam aperit ad vitam. Iam verò nihil est suauius istis laudibus, quæ & patrem nobis monstrant, & vitam ad immortalitatem

ostendunt,

ostendunt, & delicias non interituras illas, sed perpetuas explicant. Itaq; præiudicijs humanis damnatis, nihil hac functione nobis antiquius & præclarius esse patiamur.

2. *Ædificabit Hierusalem DOMINVS, dispersos Israelis congregabit.*
3. *Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.*

Prophetæ laudaturi DOMINVM non sunt contenti oratione splendida eius laudes proposuisse, sed hoc in primis agunt, vt eas coniungant cum consolatione piorum & Ecclesiæ. Ideo Psaltes iucundas se & vtiles laudes statim in exordio dixit velle proponere. Itaq; Propheta primo omnium celebrat, & summis laudibus extollit DOMINI erga suam Ecclesiam bonitatem & clementiam: quæ tribus potissimum in rebus cernitur: quòd eam ædificat, hoc est, tuetur, auget, amplificat: deinde dispersam & persecutione pressam colligit. Postremo tristem & afflictam solatur: quod similitudine sumpta à medicis, qui vulnera alligant, illustrauit hoc modo.

Laudandas DOMINVS est, eiq; perpetuę gratiæ agendæ sunt, cum alias ob causas, tum verò, quòd Ierosolymas Ecclesiam suam tuetur, ædificat & instaurat. Suos pios in toto orbe dispersos in veritate fidei colligit, & hospitia præbet. Postremò in omnibus animi perturbationibus consolationes, & medicinas adhibet, sicut medici vulnera alligare consueuerunt. Huic ergo tam potenti instauratori Ecclesiæ, & fidissimo animarum medico immortales gratię agendę sunt.

O Plæriq;

Plærique hos versus accommodant ad externam liberationem & reductionem ex Babylone, & instaurationē Ieroſolymarum, quæ facta est eo tempore, tum verò eam consolationem, quam in reditu populus, maximam sensit: præcipuè cum dispersis passim in regno Babylonico concederetur optatus ille in patriam reditus. Et sanè beneficia illa corporalia hoc loco intelligenda sunt: quibus DOMINVS docuit se tueri hunc populū, instaurare ruinas vrbis, & afflicto populo consolationē afferre velle. Neq; enim humanarum viriū, nec consilij erat, inter tot barbaras gentes, & eas quidem immortali odio ab Hebræis dissidentes, armata præterea manu instaurationem vrbis impedituras, cœptum ędificationis opus absoluere. Quia tamen videmus versu 13. & 14. Psalten, nulla exilij aut dispersionis facta mentione prædicare beneficium conseruatæ vrbis, pacem, benedictionemq; Ecclesiæ, dubium non est, hæc etiam intelligenda esse in genere de beneficijs in vniuersam Ecclesiam collatis. Neq; enim solùm DOMINVS ædificauit suas Ieroſolymas, & dispersos Israëlitas collegit, cum reduceret ex captiuitate populum, sed à primo statim mundi exordio semper cœtum aliquem conseruauit, in quo essent pij Doctores, & discipuli DOMINI, qui licet locis essent dissiti, tamen in professione fidei summam coniunctionem haberent. Istum suum populum duabus rationibus consolatus est, & vulnera alligauit. Initiò cum in tur-
Gen. 6. ba ærumnarum & afflictionum eos erigeret, vt Noham cum familia in tanta deprauatione mundi, quæ tum erat, & fatali eluuionis pœna seruauit, protexit. Abrahamum, Isaacum, Iacobum in terra Canaan peregrinan-

regrinantes, populum Hebræum in graui seruitute Ægyptiaca, eundem in Babylonica per Mosen & Prophetas consolatus est, ne deficeret. Sic nascentem Ecclesiam in nouo Testamento plurimis persecutionibus tantum non oppressam rexit, solatus est. Et hodie etiam persecutiones & ærumnas piorum mitigat, ac vulnera ipsorum, quæ quotidie à Tyrannis inflighuntur, sanat. Vna autē & congregandi & sanandi ratio eximia & præclara DOMINI Dei nostri semper extitit, quòd cōsolationibus seminis benedicti suū populū erexit, quòd per filiū dispersas ouiculas ex Hebræis & gentibus tam clementer collegit in vnū, & quod animarum ille Medicus nō solùm medicinā suam publicè profitetur, sed eā etiā tam promptè in miseros peccatores confert, dum eos ad se vocat, recreationē in perturbationibus, mitigationē iugi, remissionem peccatorum, sanationem vulnerū illorum conscientię pollicetur. Non ergò iudicemus ea, de quibus hîc loquitur Propheta, ad Hebręos duntaxat pertinere, sed maximè nostris tēporibus, vbi filius, vbi medicus ille exhibitus est cōspici. Ita nos, qui propius ista beneficia quàm Iudæi, quibus illa integumentis vmbrarum & sacrificiorum inuoluta erant, intuemur, maiorem etiam gratitudinem DOMINO & perpetuas laudes debemus.

Hiere. 29.

Vide Historiam Eusebij, & tripartitam.

Gen. 3. & 22. Ioan. 10.

Matth. 11.

Rom. 13.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnes suis nominibus vocat.*
5. *Magnus DOMINVS noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.*

Versu quinto ostendit Propheta, quid velit, cum

de ſtellis & earum numero loquitur, vult enim DOMINVM laudare nomine potentiæ & ſapientiæ. Potentiæ quidem, quòd cœlum & ſtellas (nam ſynecdoche eſt, quod ſtellarum mentionem facit) creauit. Sapientiæ, quòd omnes in numerato habet, & ſingulis, ſi vellet, nomina poſſet dare.

Multæ (inquit) hominibus, imò innumerabiles ſtellæ eſſe videntur: nam ij qui omne ſuum ſtudium in illis contemplandis & obſeruandis poſuerunt, ex infinito illo numero, paucas quasdam notauerunt, DOMINVS autem vt numerum, ita etiam nomina earum nouit. Ex quo ſanè vel ſolo (vt reliqua præclara indicia maieſtatis & potentiæ eius præteream) quàm magnus ſit DOMINVS, hoc eſt, quanta ipſius ſit vis & potentia intelligitur, qui tot corpora lucidiſsima & maxima creauit, vt quædam etiam terra ipſa maiora ſint. Deinde vt ſtellarum infinitus eſt numerus, ſic neceſſe eſt infinitam eſſe eius ſapientiam, qui & eas condidit, & in numerato habet, qui etiam ſingularum vires & efficacitatem, ac cauſas cur conditæ ſint, nouit. Quis enim dixerit magna illa & præſtantia corpora nõ ſuas vires habere, cum nulla ſit herba, nulla radix tam parua, quæ non propriam aliquam vim & vſum ad hominum ſalutem habeat? Hæc Propheta.

De potentia Dei, quæ ex rerum creatarum magnitudine, pulchritudine, multiplici vſu, varietate admirabili ſumitur, multis Pſalmis dictum eſt. Sed quod hoc loco dicitur, DOMINVM omnes ſtellas numeraſſe, & nomina etiam indidiſſe, præclara conſolatio eſt piis & Eccleſiæ, DOMINVM etiam nouiſſe, qui ſint ſui. Etenim ſi tanta cura numerat ſtellas à ſe creatas, &

eas

eas quidem numero (vt nobis quidem videtur) infinitas certè omniũ quoq; piorũ nomina, fortunas, numerum in conspectu habet. Sic in Esaia DOMINVS Ecclesiam suam consolatur: Eleuate in altum oculos vestros, & videte quis creauerit ista, quorum exercitum produxit in numero, vocatq; ea omnia sigillatim nominibus iuxta multiplicem efficaciam & constantem virtutem, qua nullum vnquã priuabitur. Quare dicis Iacob & loqueris Israël, abscondita est via mea à DOMINO, & à Deo meo iudicium meũ transibit? Hæc Esaias. En quomodo à multitudine & perpetuitate stellarum soletur Ecclesiam. Etenim si stellas quę piorum causa creatę sunt, conseruat, cur non multò magis Ecclesiam suam? *Esa.40.*

6. *Subleuans afflictos DOMINVS, humilians autem impios vsq; ad terram.*

Laus tertia DOMINI à iustitia, quòd humiles & pios subleuat, impios autem de gradu deijcit, quod iterum cum summa consolatione piorum coniunctum est: vt enim Dens est potẽtissimus (de quo versu quinto dictũ est) sic iustissimus & æquissimus iudex est, qui innocentes à periculis vindicabit, & impijs iustas pœnas decreturus est. Hic versus sæpè in Psalmis repetitur, itaq; longiore interpretatione non est opus.

7. *Cantate DOMINO cum gratiarum actione, Psallite Deo nostro in Cythara*

9. *Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam: qui germinare facit in montibus herbam.*

9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*

10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.*

Quarta laus à largitate & benignitate DOMINI erga omnes creaturas, tum verò præcipuè erga fideles & pios. Nam (vt dixi suprà) omnia referuntur ad consolationem piorum. Cum autem hic locus sit illustris, præmittit cohortationem, vt omnes canant DOMINO, & quidem coniungant etiam instrumenta Musica. Quę attentionis captandæ gratia scripta sunt. Laudat autem DOMINVM à benignitate, quam exercet erga iumẽta, erga coruos, inuocantes ipsum. Quod autẽ curam iumentorũ habeat, cõiectura probat: quia DOMINVS parat pluuiã, vt crescat fœnum, vt iumenta pascua habeant. Ne verò illa Naturæ ascribantur, producit mirabilem nutritionem coruorum, de qua etiam Hiob loquitur cap. 38. Quis præparat ceruo escam suam, quando pulli eius clamant ad eum vagantes, eo quòd non habeant cibos? Nam coruorum pulli, cum initiò sint implumes & propterea albi, à suis negliguntur. Sed DOMINVS admiranda ratione eos alit, cum ex cadaueribus congestis in nidum, & stercore vermiculos creat, quibus corui sustentantur, donec cibum quærere possunt: alij dicunt eos rore cœlesti ali. Cum ergo ista palàm demonstrent DOMINI prouidentiam & curam de animalibus, dubitari non potest, ea ali ab ipso. Sed quid opus est de pastu animantium dicere, cum ea, quæ pertinent ad conseruationem piorum, magis luculentam habent laudationem

DOMINI

DOMINI? Vult, vt nunc aliquoties memini non tam, DOMINI laudes percenſere, quàm conſolari pios. Itaq; his verbis tacitum argumentum complexus eſt, quo curam prouidentiamq; DOMINI, pro ſuis confirmare vult. Si enim DOMINVS iumenta & aues illas deformes, ac (vt nobis videtur) nullius precij admirando conſilio conſeruat, quanto magis id præſtabit credentibus. Hunc autem locum exornauit antitheſi. Deus non vult iuuare eos, qui ſuis viribus nituntur, (id enim intelligit κατὰ τὴν σωνεκδοχὴν per equi fortitudinem, & tibias) ſed eos, qui timent DOMINVM, & ſperant ſuper miſericordia eius, hoc eſt, qui vera fide ſe ad DOMINVM conuertunt. Sed hæc etiam antitheſis tincta eſt argumento ſiue coniectura. Experientia enim teſtatur, ſæpè eos, qui armis, equis, viribus inſtructi ſunt, ſuccumbere, eos autem qui nullis præſidijs ſepti ſunt, vincere, ex quo manifeſtum eſt, DOMINVM victoriam & alia neceſſaria largiri ſuis, ſine mediis ijs, quibus aliàs homines nituntur, vt lucu-lenter doceat, ſe eſſe illorũ bonorum largitorem. Conuertamus iam illa omnia in perpetuũ tenorẽ verborũ.

Præterea ſummę laudes DOMINO debentur, propter ſummam benignitatem liberalitatemq;, quam erga animantia & homines exercet. Nam certum eſt, eum iumentorum & reliquorum animantium curam gerere. Nam vt illa paſtum habeant, & imbres creat, ac pluuijs terram non aliter quàm hortulanus irrigat, vt non modò in planicie, ſed montibus & vallibus, imò locis etiam deſertis vndiq; proueniat gramen. Itaq; iſta viriditas, qua vbiq; campum veſtitum eſſe videmus, non ſolùm ad amœnitatem, ſed ad vſum, non ſolùm

lum ad oculorum, verùm & animalium recreationem comparata est, pascit enim DOMINVS & cicures animantes & feras: imò verò pullos coruorum, aues deformes, cum à suis, quòd implumes sint, negligantur, ipse non negligit, sed admiranda quadã ratione pascit, cibũ in ipso nido ex cadaueribus procreans. Quòd si vilissimas creaturas tam sollicitè curat DOMINVS, quis non intelligit, quantũ hominibus præsertim pijs faueat: pijs inquam: nam sæpè demonstrauit non placere sibi hominum præsumptionem, quam de viribus suis & potentia habent, persuasi se equitatu, robore, & multitudine virorum fortium, laboribus denique pacem, victum & alia procurare. Nam sæpè eos, qui istis præsidijs præclarè se septos iudicabant, passus est interire, vel in fugam verti: sæpè eos, qui opibus confidebant, inopia & egestate puniuit. Sed qui ipsum timent, & se ipsius ope & auxilio solantur, amat, & fauoris clementiæque suæ plurima indicia exhibet, dum eos in fame & penuria mirabiliter alit, in periculis defendit, paucos & imbecilles vel victores facit, præter opinionem omnium, vel certè ex summo discrimine saluos educit. Debentur ergò ei summæ gratiæ, & nomen ipsius in æternum celebrandum est.

His versibus demonstrat Psaltes, quemadmodũ DOMINVS reliquis creaturis suam nobis bonitatem obsignet, sic inprimis de sua nos voluntate & benignitate docere per animantia. Quædam enim animalia in adiumentum hominis creata sunt, quæ inde iumenta appellantur, quibus cum de pastu prouideat DOMINVS, vt dictum est, ostendit quanti nos faciat, quia nostra

ſtra (vt ita loquar mancipia) tam clementer tractet. Sunt nonnulla, quæ duntaxat in cibum hominibus condidit, vt feras & aues, ſed paſtū etiam & cibum mirando modo eis ſuppeditat. Auiculæ enim ſollicitę nō ſunt de victu, vt Chriſtus Matt. 6. egregiè cōcionatur, & tamen à patre cœleſti in ſumma hyemis aſperitate aluntur. Voluit ergo & in his ſui erga nos amoris indicia adumbrata eſſe. Iam verò quaſdam aues, quæ repurgandæ duntaxat à cadaueribus terræ natæ ſunt, (quarum in numero ſunt corui, accipitres, vultures, aquilæ) alit, & in coruis ſingulare exemplum ſuæ pro ipſis prouidentiæ extare voluit, vt doceret, ſe propter nos ea etiam animantia curare, quæ abiectiſsimam partem ſeruitutis humanæ, in hoc mundo obtinent. Etenim vt ea ſunt abiectiſsima mancipia in magna domo, quæ verrunt, vngunt, tergunt: ſic & iſtæ aues purgando aëri deſtinatæ, cum videantur homini viliſsimas operas præſtare: tamen à DOMINO non negliguntur. Iam verò nonnulla animalia, quorum vſum ignoramus, cum miraculo etiam conſeruat, vt Halcyones, quæ in marinis ſcopulis & littoribus nidos conſtruunt, cùm ouis incubant, mirabiliter ſeruat. Eo enim ipſo tempore, quo fœtificāt, mare inducias quaſdam cum ipſis habere cogit. Nam naturalis hiſtoriæ ſcriptores teſtantur mare tunc tranquillum eſſe, & tutam nauigationem hominibus præbere. Non certè is, qui eſt ipſa ſapientia, tantis miraculis auiculas, quibus hoc vniuerſum carere poterat, conſeruaret, niſi docere vellet de defenſione & protectione nos nunquàm dubitare debere, cum videamus ſpacioſum mare inſeruire incolumitati auicularum, quas DOMINVS

Plin. Nat. Hiſt. lib. 10. cap. 32.

vult incolumes. At si Basilio credimus, venenatas & noxias bestias alit, quòd sint exercitia fidei nostræ. Nulla denique fere est, quæ non vsibus etiam humanis seruiat, nam & à Scorpijs & Viperis salutaria remedia petimus, reliqua verò venenata, dum ex aëre quod vitiosum est, in alimentum quasi rapiant, incolumitati hominũ seruire coguntur, & quę venena minari videntur, venena ipsa abigũt: nonnullis vtitur DOMINVS ad castigationem impiorũ, quod ex historia de Pharaone notum est. Itaque DOMINVM tam clementẽ timeamus, & misericordiam eius cùm alijs multis indicijs, tum verò multorum animalium alimentis, & conseruatione nobis quasi obsignatam, toto animo amplectamur: nec locum diffidentiæ demus, cum omnia fere animantia nos magno animo esse iubeant.

12. *Lauda Ierusalem DOMINVM: lauda Deum tuum Sion.*
13. *Qui confortat vectes portarum tuarum, & benedicit filijs tuis in te.*
14. *Qui posuit finibus tuis pacem, & adipe frumenti satiat te.*
15. *Misit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.*
16. *Qui dat niuẽ sicut lanam: pruinam sicut cinerem spargit.*
17. *Qui mittit frigus suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis permanebit?*
18. *Emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ.*

Vulgata translatio à versu duodecimo incipit Psalmum 147. Sed Hebræi cum superiore connectũt, quos nos sequemur. Reuertitur autem Propheta ad expoli-

ad expolitionem primi argumenti de benignitate Dei erga Ecclesiam suam, & ostendit, DOMINVM corporalia & spiritualia bona conferre in Ecclesiam: sed de externis, his septem versiculis concionatur. Præmittit autem exordium, quo sermonem conuertit ad Ecclesiam, & quòd præcipuè ipsa laudare DOMINVM, debeat, ostendit: quia ipse sit Deus Sion, quod emphaticè est positum more scripturæ, pro Deo clemente, qui se totum quasi tradiderit Ecclesiæ: quod sequentibus versibus docebit. Beneficia autem sunt, protectio & defensio Ecclesiæ, id quod figuratè per vectes intelligit: sunt etiam benedictiones, quibus ornat, & parentes & liberos videliet: quòd pacẽ, quòd annonã, & eam quidem præstantissimã largiatur. Nam adeps frumẽti Hebræis est id, quod post exquisitissimam & iteratam aliquoties farinæ purgationem elegantissimum remanet. Frumenti autem appellatione intelligantur per synechdochen omnia esculenta & poculenta. Quod autem DOMINVS Ecclesiam suam potenter defendat, & alimenta ipsi non fortuitò, sed sua bonitate & clementia contingant, coniectura desumpta à meteoris aqueis probat. Nam quæ de niue, glacie, pruina affert, probant DOMINVM esse potentissimum, qui suo mandato ex vna eademq; materia, res tam diuersas faciat, vt aqua nunc lanam, nunc cinerem, nunc fragmenta lapidum imitetur. Est & hoc alterum indicium ipsius potentiæ, quòd ijs quæ videntur obfutura terrę, eam ad fœcunditatem præparet. Quis enim crederet terram congelatam, totam tectam niue, post paucos menses florituram? Bonitatis & potentiæ est, quod cum vult, subitò illa meteora resoluit, in aquam con-

uertit, calorem terræ restituit, vt omnia felicissimè ex ea proueniant. Cum ex his, versus isti satis intelligantur (vt breuitati studeamus) paraphrasin prętermittemus. Quæ autem Propheta de pace & tranquillitate Ecclesiæ, alimentis, benedictione hoc loco prædicat, ea præclarè DOMINVS præstitit. Nam vt de reliquis taceam, populum certe suum duxit in terram Canaan fluentem lacte & melle: multiplicauit eum, vt cum multitudine stellarum comparari potuerit: hostes & propinquos & remotos, potentissimos populos inuictos alioquin Reges, cùm creare Hebræis periculum vellent, magnis miraculis abegit, fudit, fugauitq́, & docuit se esse murum igneum credentibus, propugnaculũ fortissimum suis. Itaq́ quę de annona, portarum vectibus, pace hîc dicuntur, ea luculenter in isto populo fuerunt ostensa. Nec desinit etiam hodie DOMINVS suos tueri & ornare beneficijs. Sed nemo existimet, si ista non perpetuò conspiciantur, ideò falsam esse hanc Prophetæ laudationem. Sæpe enim Deus ad tempus Ecclesiam suam in magnas difficultates conijcit, vt postea liberata intelligat, benedictiones, quibus aliâs fruitur, non esse fortuitas, sed contingere sibi DOMINI solius beneficio, Id quod ostendit cum Senharibum potentissimum Regem pateretur adoriri suos, eundem autem postea magna gloria repelleret. Interdum etiam cum castigationi feruæq́ suæ eam ad tempus subijcit, omnia ea auferre videtur, quæ hîc laudibus celebrantur, nec tamen ideò promissiones illæ pręclarè inanes sunt: sed in ipsis aduersis docentur, quanta antea DOMINI in ipsos benignitas extiterit, vt in posterum magis grati sint, &

vitam

vitam ſuam ad obſequium DOMINI rectius compo-nant. Verùm eo ipſo ſeuerioris diſciplinæ tempore non modò potentiæ, ſed bonitatis etiam ſuæ luculenta indicia edidit. Quanquam enim interdum maiorem populi ſui partem ſub ferula ſua habet, tamen quoſdam ex iſs ita curat, alit, ornat & auget, vt non dubia indicia exhibeat, ſe nec patriũ adhuc animum abieciſſe, nec deeſſe ſibi iuuandi poteſtatem.

In duriſsima ſeruitute Babylonica Danielem non modò adoleſcentem, ſed iam adultum etiam curat, euehit & ornat. Captiuam Eſther ex ſerua Reginam facit: Iechoniam è carcere in mentam regiam transfert. Rurſus Ioſephum ex diuturna cuſtodia eductum ſecundum poſt regem facit. Quibus exemplis docuit, & poſſe, & velle eos iuuare, quos eximiè charos haberet.

19. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob: iuſtitias & iudicia ſua Iſrael.*
20. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

Poſtremo loco de maximo omnium beneficio loquitur, de cibo cœleſti & verbo Dei, quod donum omnibus reliquis, quæ homini poſſunt exhiberi, antecellit, ideo etiam Propheta id comparat cũ aliis nationibus & populis, quibus nihil tale à Deo tributum dicit, in hunc modum.

Largitur quidem DOMINVS Eccleſiæ varia dona, ſed multa illorum habet cum reliquis populis communia, vnum autem eſt, in quo Hebræi omnibus po-

pulis orbis terrarum superiores sunt, quòd DOMINVS eis verbum suum annunciari passus est, in quo suam volũtatem ipsi reuelauit, de gratia sua certiores fecit, ac viam aperuit ad regnum cœleste. Nam quanto anima corpori antecellit, tanto maiora & præstantiora sunt illa dona reuelati verbi, quę animorum medicina sunt, reliquis, quę vel ad recreanda corpora, vel externam pacem & suauitatem vitæ conducunt.

VSVS HVIVS PSALMI.

Duæ sunt res, quibus hic mundus maximè iram & indignationem diuinam concitat, vna quòd plerique ea, quæ diuinitus nobis contingunt, non ad autorem ipsum beneficiorum referunt, sed ascribunt suæ sapientiæ & laboribus: vt Rex Babylonius & Assyrius ea, quæ præclarè fecerant, sibiipsis superbè tribuunt. Altera, quòd DOMINI beneficia non rectè æstimant, præferentes plærumque corporalia spiritualibus: imò verò spiritualia nullo loco habent, sed in solis externis acquiescunt. Vtrunq; errorem corrigit hic Psalmus, cum docet, alimenta, pastum animalium, pacem, εὐτεχνίαν, non esse dona fortunæ, nec proficisci à nobis: sed adesse hominibus DOMINI benignitate & clementia, id quod vel ex solis aqueis meteoris præclarè demonstrauit. Deinde autem cum populum Hebræorum omnibus alijs gentibus, quæ fortunæ bonis, laude rei bellicæ, doctrina, cultuq; ingenij excellebant, præferat, quòd veram DOMINI agnitionem ex verbo ipsius habuerint, planè ostendit, perniciosam esse impiorum hallucinationem, & æstimationem donorum

donorum Dei iniquissimam, quòd caduca bona admirentur, vt nullum ferè locum æternis relinquant, verbum DOMINI contemnant: cum tamen certum sit, id esse lucernam nostris pedibus, gemmam omnibus thesauris præferendam, potentiam Dei ad salutem credentibus, ducem ad immortalitatem: quæ si & ab Ethnicis quæsita est, fœdissimus est error, instrumenta, quibus eam inuenimus, velle negligere.

Psalmus 148.

Halleluia.

Laudate DOMINVM de cœlis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.

Laudate eum Sol & luna, laudate eum & omnes stellæ lucentes.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt.

Laudate nomen DOMINI, quia ipse mandauit & creata sunt.

Statuit ea in seculum & in seculum seculi, præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate DOMINVM de terra, Cœte & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ

Beſtiæ & vniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ,
Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ,
Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus,
Laudent nomen DOMINI, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, confeſsio eius ſuper cœlum & terram.
Et exaltauit cornu populi ſui, Hymnus omnibus ſanctis eius, filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi,
Halleluia.

DHortatur Dauid omnes creaturas ad laudem & celebrationem diuinam. Creaturas autẽ diuidit in tres claſſes. Initio ſupernas & cœleſtes ponit, quarũ aliæ ſunt rationales, vt Angeli: aliæ irrationales, vt ſtellę, planetę, cœlũ, aqua ſupra cœlũ. Deinde in elementa, & ea quæ ex elementis compoſita ſunt, vt eſt mare & abyſsi, ignis, aqua, &c. & mixta, quę ſunt aut inanimata, vt grando, nix, ſpiritus procellarum (quæ meteora appellantur) præterea mõtes, colles, & animantia, quæ viuunt partim anima vegetatiua, vt ſunt arbores & cedri, partim ſentiente, quæ animalia appellantur, quorum nonnulla in aëre verſantur, vt aues, alia in terra & mari, vt ſunt pecora, piſces, beſtiæ. In quibus etiam quędam ſunt venenata vt ſerpentes. Et hæc quidem ſecunda eſt claſsis creaturarum. Tertia & poſtrema eſt hominum, quos diuidit ſecundum dignitatem, ſexum, ætatem, in principes, iudices, adoleſcẽtes, virgines, ſenes, iuuenes. Etſi autem in hac enumeratione quædam ſpecies prætermiſſæ ſunt, tamen tenendum eſt, eas Synechdochicè

nechdochicè ſubintelligi. Neq; enim hoc egit Pſaltes, vt omnia ſigillatim recenſeret, ſed cauſas etiam addit, quare creaturæ cæteræ, tum verò homo DOMINVM laudare debeant: illæ quidem quòd à Deo creatæ ſint, & conſeruentur, quod facit verſu quinto & ſexto: hi autem, quia DOMINVS ſit ſummus ſolus, ita vt laus eius toto orbe ſit patefacta, & quòd curet Eccleſiam ſuam, ac exaltauerit cornu eius. Hoc autem in genere de eius protectione, vel de Chriſto etiam poteſt intelligi. Pijs autem tribuit egregia epitheta, vocans populum DOMINI, ſanctos, filios Iſraël, populum appropinquantem DOMINO.

Non autem exiſtimandum eſt, Prophetam iſta tumultuariè congeſsiſſe duntaxat, vt paginas repleret, ſed latent in iſta creaturarum enumeratione egregia argumenta, quibus homines ad DOMINI laudes, & veram gratiarum actionem pertrahuntur. Nouimus autem omnes Proſopopœian eſſe, quòd Pſaltes creaturas ad gratiarum actionem cohortatur. Nam cum illæ ſenſu & intelligentia omni careant, certè laudes Dei non aliter annunciant, quàm quòd ex ijs maieſtas & gloria DOMINI agnoſcatur: Interroga, inquit Iob, iumenta & docebunt te, volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus DOMINI fecerit? Paulus Acto. 14. Deus non ſinebat ſeipſum expertem teſtimonij, dum beneficia conferret, è cœlo nobis dans pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra. Cum ergo creaturarum laudes ab ipſis non intelligantur (Angelos excipio, quorum inter reliquas mentionem facit) ſed *Iob 12.*

sint indicia potentiæ & bonitatis diuinæ, diligenter considerandum in hoc Psalmo est, quæ argumenta DOMINVS ex hac tam prolixa enumeratione extruere voluerit: ea breuiter recensebimus. Nam quòd ab initio Angelorum laudes in medium producit, commonefacere nos vult, cum illi præclari spiritus in ea sola re elaborent, multo magis nobis hoc studium curæ esse debere, qui Angelis (si præstantiam naturæ consideremus) sumus inferiores. At quòd mox irrationales creaturas subiungit, egregio nos argumento ad gratitudinem & celebrationem nominis diuini inuitat: cum creaturæ destitutæ intelligentia suum in prædicandis DOMINI laudibus officium faciant, nos vehementer reprehendendos, si non in hoc studium maiorē in modum incumbamus, cum ad id non instituti, sed facti: non imbuti, sed nati simus, ac præterea iudicio, & ratione à Deo simus præditi. Deus itaq; & formam humanam erectam esse, non pronam vt reliquorum animalium voluit: quod & Ethnicus poēta vidit, cum canit.

Aug. lib. 11. de ciui. cap. 15.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælum tueriq;.
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Adhæc non minus acris reprehensio latet in eos nos excusationem omnino nullam habituros, si tot creaturas, quæ tantum non clamant de DOMINI bonitate & potentia, non audiamus. Quid quod serpentes etiam in illum cœtum oratorum DOMINI laudes celebrantium adducuntur. Nam & in DOMINI potentia

tentia elucet: & quamuis quantum habeant commodi ignoremus, tamen vtilitatis illa occultatio, vt Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 22. testatur, aut humilitatis est exercitatio, aut elationis attritio, & Deus (vt idem inquit) ita artifex est magnus in magnis, vt minor non sit in paruis. Libro eodem cap. 18. egregie scribit, vt in oratione sint antitheses & contraposita, quibus ea ornetur, ita in rerum natura, vbi non sit verborum, sed rerum eloquentia, totam pulchritudinem contrariorum oppositione componi, & id ex Ecclesiastico probat. Quæ res summam infamiam hominibus ingratis affert, cum venenata etiam gloriæ DOMINI seruiant, nos creaturas tam sublimes & præclaras in præstando officio gratitudinis & laudis, vermibus esse inferiores. Præterea cum omnes creaturæ conditæ sint, & conseruentur propter nos, indignam esse rem præstantia humana, tantum beneficium negligere, & non summo DOMINI amore accendi. Porro cum homo nouerit Deum potentissimum esse, & nomen ipsius in toto terrarum orbe ab omnibus celebrari, æquum esse, vt omnes se ipsi subijciant, etiamsi aliqua sint autoritate & potentia præditi. Ad extremum, inter homines summam laudem DOMINO debent membra Ecclesiæ, quia ipsorum cornu exaltauit, & dedit Christum Iesum, & in cæteris eos protegit, elegit in suum populum, sanctificat eos, & seruat in æternum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Psalmus multas vtiles commonefactiones habet. De creatione angelorum, de vtilitate creatura-

rum, animatarũ, & inanimatarũ: & quòd noxia etiam animãtia ſint pars ornatus in hoc mũdo: de vera hominis erga Deum gratitudine: de ſuperbia compeſcenda, cũ ſciamus nos quaſi vermiculos eſſe reſpectu Dei, cuius ſolius nomen, vt Propheta inquit, eſt exaltatum: de ſingularibus DOMINI in Eccleſiam benficijs: de Chriſto, qui eſt cornu ſalutis: de Chriſtianorum præſtantia, qui ſunt, vt hoc loco vocantur, populus Dei, & quidem ſanctus: de officio piorum, qui dicuntur populus vera fide appropinquans DOMINO. De his ſuperioribus multis Pſalmis copioſè eſt dictum, itaq; ea omnia nunc prætermittimus.

Pſalmus 149.

Halleluia.

Cantate DOMINO canticum nouum, &c.

HEbræi ipſi quamuis aliâs plęraq; vaticinia de Chriſto vel ad Dauidem, vel Hiskiam referant: tamen hunc Pſalmum de Meſsia intelligunt, ſed ſuo more interpretantur de gratiarum actione, pro externis victorijs Meſsię, quas ſit reportaturus à gentibus. Sed in ipſo Pſalmo ſatis luculenta teſtimonia ſunt, eum vaticinium eſſe de regno Chriſti. Quia initio dicit ſe afferre canti-

cum

cum nouũ, ac ſi diceret, ſe de re noua & præclara orationem afferre. Deinde aperte pollicetur, ſe dicturũ de rege filiorum Sion. Pſalmo autem ſecundo rex Sion Meſsias dicitur. Ego, inquit, conſtitui regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum. Præterea illi regi & populo exaltatio, gloria, victoriæ de regib. promittuntur, cum autem iſta poſt tempora Solomonis non fuerint conſpecta, ſed populus ſubinde in maiorem ſeruitutem prolapſus, donec tandem imperium & cætera omnia ornamenta amitteret, certum eſt, hæc de Meſsia intelligenda. Veteres autem retulerunt *Lyra.* iſta ad extremum DOMINI aduentum, nam tum & Diabolus & impij ſubijcientur pedib. piorum, & dignas pœnas luent ſuarum perſecutionum. Quanquam autem pleniſsimum complementum omnium beneficiorum, quę contingunt pijs, in die illo vltimo, expectatur, vbi etiam pœnæ impijs decernentur, tamen cum de regno Chriſti dicatur, in quo, vt quarto verſu ſcribitur, humiles glorificantur, rectius iſta de ſpiritualibus victorijs in hoc ſeculo, vbi per ſacroſanctum Euangelium Chriſtus & ſancti Apoſtoli totum mundum ſubegerunt, accipiuntur. Et hæc de argumento.

1. *Cantate DOMINO canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum.*
2. *Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum: & filiæ Sion exultent in rege ſuo.*
3. *Laudent nomen eius in choro: in tympano & Pſalterio pſallant ei.*

Initio autem exordium & propoſitio præmittuntur: Cantate inquit DOMINO: & repetit alio modo;

Laus eius in congregatione. Hæc est propositio: Deum laudandum esse. Sed ne res videatur friuola, dicit, & canticum nouum esse, & dignum, quod in publico apud optimos quosq; canatur: præterea lętari Israëlitas debere de suo creatore ac rege: quorum illa quidem à reb. ipsis, hæc à personis ad captandam & attentionem & beneuolentiam desumpta sunt. Nam Israëlitæ sunt cultibus diuinis destinati. Æquum ergò est, vt in laudibus diuinis occupentur, & quidem cum voluptate. Messias autem rex Hebræorum, idemq; creator, dignissimus, qui omni contentione ingenij & vocis laudetur. Quod studium vt in ipsis acuat hortatur, vt non solùm voce, sed musicis instrumentis DOMINVM laudent, & choreis, ac omnibus signis lætitiæ quoq; vtantur, in hanc sententiam. Ad vos mihi sermo est Israëlitę, quos cohortor, vt vnà mecum DOMINO nouum carmen & propterea iucundum canatis, eumq; laudetis, non in angulo aliquo, sed cœtu congregationeq; piorum. Decet autem nos hoc facere, quia non estis, vt reliqui populi, alieni à promissionibus diuinis, sed promissus est vobis Messias, qui & creator vester est, & rex venturus ad sumas vestras cõmoditates: tantùm ergò abest, vt graue hoc laudandi munus vobis videri debeat, vt etiam lætari & exultare debeatis, ac choros ducere, instrumẽtisq; musicis, tympano, citharis, & similibus, vestrum gaudium declarare.

Sæpè à nobis in sacris DOMINVS flagitat laudes & gratiarum actionem, non vt suæ vel gloriæ vel maiestati aliquid ex nostra laude accedat, sed vt nos erudiamur, in fide confirmemur, & ad ipsum vt cle-

tissimum

mentiſsimum patrem feſtinemus, percepturi bona temporalia & æterna. Nam id effecerat ἐπιχαιρεκακὸς ille rerum humanarum, vt homo à DOMINO ſe ad ipſum auerteret, & ab hoſte, id expectarer, quod offerebat optimus pater. Hoc certè loco ad celebrationem nominis diuini grauiſsimis rationibus nos adducere conatur, Chriſtum eiuſque nobis beneficia proponens, quæ talia ſunt, vt recreationem & lætitiam ex ipſis ſummam capere poſsimus. Initiò enim Chriſtus creator noſter eſt, & quia creator, defenſor etiam, protector & conſeruator: quod beneficium ſi ſolum & vnicum erga nos extaret, tamen tantum eſt, vt nullis noſtris meritis compenſari poſsit. Sed non ſolum iſta ipſius benignitas laudanda eſt, ſed cum homo etiam propter nos factus ſit, vt in hoc mundo Eccleſiam ſibi colligeret, & rex noſter eſſet, non poſſumus eius benignitatem & clementiam ſatis prædicare. Adhæc cum non regiam dignitatem aſſumſerit, qualem homines ſolent habere in ſubditos, ſed talis rex ſit factus, vt omnibus eſſet ſubditus, talis DOMINVS, vt interim omnibus ſeruiret, ſicut ipſe teſtatus eſt, & re ipſa probauit, cum ſe pro nobis victimam offerre, non modò gratię ei agendæ ſunt, ſed etiam ſumma exultatione & lætitia beneficia tanta prædicanda ſunt.

4. *Quia beneplacitum eſt DOMINO in populo ſuo, & exaltabit afflictos cum ſalute.*

Prima laus regis, quòd ſubditorum cura afficiatur, & non negligat etiam miſeros & pauperes. Tacita autem

ta autem antitheſis eſt ad alios reges, qui aut ſuorum rationem habent nullam, aut certe eos, qui maximè indigent opera magiſtratuum, hoc eſt, oppreſſos, miſeros & pauperes non ſubleuant. Chriſtus autem eos, qui maximè ſunt afflicti, diligit, iuuat, & vt Propheta loquitur, exaltat ſalute, hoc eſt, potenter & gloriosè ſaluat.

Eſt ergo huius verſiculi hæc ſententia, ſi quis paraphraſi reddere velit.

Meritò laudandus DOMINVS eſt, quia delectatur ſuo populo, eumq; magnifacit & amat, in primis eos, qui maximè afflicti ſunt, & peccatis ſuis premuntur, magna gloria liberat, in filios adoptat, vitam & ſalutem æternam largitur.

Quomodo autem Chriſtus ſuum populum ſemper dilexerit, id & rebus & verbis luculenter oſtendit. Nam in ſummis periculis eis dux, adiutor, & protector fuit. Is Abrahamum ex Chaldæa in terram Canaan, is Iacobum ex Canaan in Ægyptum, is rurſus Hebræos ex ſeruitute Ægyptiaca per mare rubrum deduxit, in deſerto noua & inuſitata ratione cibauit, in terram fluentem lacte & melle magnis miraculis introduxit. Sed hæc duntaxat externa indicia ipſius & clementiæ & fauoris fuerunt. Cum iſs autem maiora & excellentiora ſui amoris ſigna coniunxit, quod ſeipſis verbo, Sacramentis & ceremoniis reuelauit, & quidnam ipſorum cauſa facere vellet, docuit. Quàm amanter ſe depingit, cum paſtorem ſe eſſe dixit, qui fœtas ouiculas velit portare in ſinu ſuo. Et ipſe filius in nouo Teſtamento, oſtenſurus ſui amoris magnitudinem, dicit ſe animam ponere pro ouibus ſuis, id quod

Eſa. 40.

ie quod postea fecit, fundens suum pro nobis sanguinem. Nam (vt ipse etiam discipulis locutus est) maiorem dilectionem hac nemo habet, vt quis animam ponat pro inimicis suis. Et Deus pater Ecclesię suę suã dilectionẽ nulla alia euidentiore ratione declarare potuit, quàm quòd filiũ misit: filius nullo alio pręstantiore modo, quàm quòd patri obediẽs fuit vsq; ad mortem, & quidem mortem crucis. Cõmendat (inquit Paulus) suam charitatem erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit, multò igitur magis iustificati sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Et ad Rom. 8. Si deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quî fieri potest, vt non cum eodem omnia nobis donet? De hac summa dilectione hoc loco concionatur Propheta, quæ certè nullis, ne Angelorum quidem vocibus, satis decantari & extolli potest. *Ioan. 15.* *Rom. 5.*

5. *Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.*

Secundum DOMINI encomium, quòd suis gaudium & gloriam conciliet. Quòd dicit exultationem piorum fore in cubilibus, intelligi potest de magnitudine gaudij, quòd noctu etiam lętentur. Aut voluit potius ostendere esse gaudium cordis & conscientiæ, quòd etiam tacentes secum circumferunt. Gloriæ vocabulum ambiguum est: nam potest intelligi de gloria Dei: quòd sancti exultent propter gloriam DOMINI, aut de gloria, quam DOMINVS suis communi-

cat. Quia verò Christi gloria etiam fidelibus fructuosa est, ideo de vtraq; intelligamus: sanctos lætari de gloria Christi, quam cum ipso communem habent, vt hæc sit huius versiculi sententia. Messias noster æterna laude dignus est, quòd non (vt plæriq; reges facere consueuerunt) suos contristet, non exactionibus premit, sed gaudium summum ipsis affert, quod perpetuò circumferunt, etiam noctu, cum reliqui se ad somnum componunt. Nam cum de gloria Messiæ, quam vult ipsis communem, cogitant, non possunt non lætari & exultare.

Sed quæritur, quæ sit gloria ista Messiæ, propter quam sancti exultant? D. Euangelista & Apostolus Ioannes inquit: Conspeximus gloriam eius, gloriam veluti vnigeniti à patre, plenus gratia & veritate. Quanquam enim humilem & abiectam formam carne assumpta circumferebat, tamen vt Basilius inquit: ἐφαίνετο ὥσπερ φῶς δι' ὑελίνων ὑμένων καὶ τὸ ἀνθρωπίνου σώματος ἡ θεία δύναμις ἀνυγάζουσα τὰς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας κεκαθαρμένους. Apparuit sicut lux per vitreas membranas, per corpus humanum diuina potentia illuminans oculos mentis mundatæ. Ista autem gloria & potentia DOMINI conspecta est in miraculis, quæ ædidit, cum omnes morbos pelleret, eijceret dæmonia, resuscitaret mortuos. Sic Ioannis 2. dicitur, quòd in Cana Galilea manifestauerit gloriam suam. Deinde alia demonstratio gloriæ Christi fuit, apparitio in monte, vbi facies Christi splenduit, vt sol, & vestimenta candida facta sunt vt lumen. Glorioſa etiam fuit Christi resurrectio, & post resurrectionem missio spiritus sancti. Glorioſa etiam est diuulgatio Euangelij in totum

tum orbem terrarum, de qua posteà dicturus est. Sed omnis ista declaratio gloriæ Christi ad veram piorum exaltationem comparata est, vt & ipsi fiant glorioſi, ac sciãt omnes hostes suos prostratos. Hoc miracula, hoc resurrectio, hoc missio spiritus sancti, hoc, ipsa quę ad omnes orbis partes propagata doctrina Euangelij est, voluit. Gloria etiam Christi est, quòd per crucem & afflictionem in gloriam suam intrauit, nosq; similiter ornaturus est æterna maiestate. Hæc cum perpendunt, pij exultant, nam & Regis sui, & suam gloriã considerant, quòd expectent glorioſam hæreditatem in vita æterna, imò piorum præstantia est, quòd iam sunt filij Dei, quamuis nondum apparuerit id, quod futuri sumus. 1. *Ioan.* 3.

6. *Exaltatio Dei est in gutture eorum, & in manibus eorum gladius vtrinq; incidens.*
7. *Vt sumant vltionem de gentibus, vt castigent populos.*
8. *Vt vinciant catenis reges eorum, & qui inter eos dignitate pollent, compedibus ferreis.*
9. *Faciantq; in eis iudicium scriptũ, & gloria hæc erit cunctis pijs eius, Halleluia.*

Quæ suprà dicta sunt de gloria, non solùm ad DOMINVM, sed vt meminimus, ad ipsos quoq; sanctos pertinent. His versibus postremis de gloria & victorijs populi sancti loquitur, quibus ornantur à DOMINO. Ex quo colligit, dignum esse, DOMINVM, qui ab omnibus laudetur, & nouum ei carmen canatur. At ne quis putaret, Psaltẽ loqui de externis victorijs, initiò sine figura negotium proponit dicens, exal-

tationes DOMINI esse in ore eorum, hoc est, pugnas illas esse spirituales, os esse gladium, quo pugnent, hoc est, docendo pugnaturos, nec allaturos quamlibet doctrinam, sed exaltationes DOMINI, quæ est egregia periphrasis Euangelij. Nam in eo DOMINI laudes & misericordia decantantur. Sed quæ initio planis verbis proponit, mox per prosopopœiam illustrat. Nam initio Apostolorum & piorum arma depingit, dicens eos habere gladium vtrinq; incidentem. Hoc autem interpretatur nobis Paulus Ephes. 6. vbi verbum Dei vocat gladium Spiritus. Et ad Hebræos 4. scribit: Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinq; incidente, ac pertingẽs vsq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, &c. Et 2. Cor. 10. etiam meminit Paulus armorum militiæ piorum. Hæc omnia cum sint figurata, interpretatur Paulus Roman. 1. Non pudet me Euangelij Christi, potentia siquidem est Dei, ad salutem omni credenti. Iis verò qui non assentiuntur, est odor mortis ad mortem. Postquam arma descripsit, victorias etiam cum amplificationibus proponit, quas sumit à personis, & à modo: à personis quidem, quia subigant magnos populos, gentes potentissimas, Reges etiam & principes: modus, quòd faciant vindictam & increpationes, reges astringant compedibus, postremò etiam faciant iudicium conscriptum. Quæ omnia ad imitationem victorum dicit, qui captiuis initio insultant, eosdem deinde captiuos constringunt compedibus, vt in triumpho ducant, & ne elabantur & profugiant: mox sententiam capitis conscriptam, de ipsis pronun-

pronuciant, aut certè eos absoluunt. Talem locum etiam habet Esaias cap. 60. Venient ad te humiles filij eorum, qui te afflixerunt, & prosternent se iuxta plantas pedum tuorum omnes, qui te contumelijs affecerunt, & vocabunt te ciuitatem DOMINI. Et de victorijs etiam istis loquitur Paulus 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus armis consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo: & in promptu habemus vindictam aduersus omnem inobedientiam. Ex hoc postremo loco Paulino intelligitur etiam, quid velit Psaltes. Nam Apostolus de eadem pugna & victorijs loquens, duo facit genera victoriæ, vnum vbi aduersus omnia consilia, & omnem celsitudinem pugnatur. Nam doctrina Euangelij superciliũ Pharisaicum, quod se extollit aduersus veram DOMINI notitiam, demolitur, ostendens in sola DOMINI misericordia acquiescendum. Quamuis autem nõ omnes sunt dociles, tamen ipsorum impietas confunditur, & qui non volunt à nexu peccati solui, illis tales compedes induuntur, quæ durant in illud alterum seculum, iuxta illud: Quicquid ligaueritis super terram, ligatum erit in cœlis. Sic Pharisæus debellatur in Euangelio, vt non abeat in DOMINVM suam iustificatus. Sic Paulus Pseudoapostolorum doctrinam deiecit. Sic D. Augustinus Pelagianorum, sic Lutherus Monachorum, & Sacrificulorum ostentationem confudit. Alterum deinde genus victoriæ est, quòd captiuam ducit Euangelium omnem cogita-

tionem ad abediendum Christo: quod de ijs intelligendum est, qui audita doctrina Euangelica, opinionem, quam de suis meritis habent, damnant, & se totos in obsequium addicunt Christo, captiuam suam rationem exhibentes Christo. Neq; molesta nobis videri debet hæc captiuitas & seruitus, si quis à mundo liber, captiuus sit Christi, si iugum illud DOMINI suaue portet, & legis durissimum abiecerit, si liberatus à peccato, seruus fiat iustitiæ, si membra sua antea compedibus voluptatum captiua, nunc saluberrimus vinculis ad sanctificationem constringat. Denicq; si ex carcere Diaboli, vbi mors æterna imminebat, euadat in eam custodiam, quæ viam aperit ad cœlum. Sic Cornelius miles captiuus Christi factus est. Sic Constantinus, Theodosius, multæ vrbes, prouinciæ, regna, quæ antea defendebant suos errores, nunc confitentur suam hallucinationem, & Euangeliũ amplectuntur. His armis & victorijs non soli Imperatores (Apostolos & doctores intelligo) sed etiam milites potiti sunt, vt Stephanus ita agit contra Hebræos etiam literatos, vt nemo ipsius spiritui posset resistere. Sic priuati sæpè magna grauitate contra fanaticos disputant. Spiritus enim sanctus sui semper similis, ostendit, nemini aduersus se victoriam concedi. Hæc voluit Dauid cum hîc scribit, gloriam istam victoriarum omnibus communem. Etsi enim sunt Christiani, qui non possunt alios conuincere, tamen si capita doctrinæ Christianę teneant, superant omne acumen Philosophorum, & Diabolum ipsum habent sub pedibus suis. De his satis dictum est, subijciamus breuem paraphrasin.

Rom. 6.

Magnas etiam & immortales gratias DOMINO debent

debent sui subditi propter victorias, quas illis præclaras largitur, in quibus principatum obtinent Apostoli, quos missurus est in vniuersum orbem, vt gloriam DOMINI clara voce extollant, annunciétq; Euangelium de summa DOMINI erga genus humanum misericordia. Hac doctrina veluti ancipiti gladio & vtrinq; incidente, præclaras victorias consecuturi sunt, hoc populos potentissimos & inuictos Christo subijcient, dum idolomanias eorum reprehensuri sunt acrius, & ostensuri veritatem doctrinæ Euangelicæ, quæ sola credentes beat, cæteros autem damnat. Hoc maximos Reges, homines apprimè nobiles vincent, in carceres conijcient, compedibus ferreis alligabunt, sententiam etiam scriptam de ipsis pronunciaturi, quod fit, cùm impœnitentibus mortis æternæ sententiam pronunciant. Tanta enim erit illorum vocis vis & efficacia, vt quòd ea astrinxerint, ligauerint, ne in illa quidem futura vita libertatem habiturum sit, & quos illi in carceres istos seueriores coniecerint, eos æterni isti & infernales excipient. Deinde autẽ alios in vincula quidem, sed minimè noxia conijcient, quos ab hoc mundo abstracturi sunt, vt credant Euangelio, & se totos in seruitutem addicant Christo. Hi & liberi & captiui dici poterunt. Equidem cùm à vinculis Diaboli & voluptatum soluti iam in veram libertatem euaserint, quis diceret eos seruos? Rursus autem quia non sibi viuunt, sed Christo honestissimè & liberaliter, tùm verò ad sua emolumenta seruiunt, serui dici possunt, quorum tamen seruitus omni certè libertati anteponenda est.

VSVS HVIVS PSALMI.

Cum Pſalmos complures de Chriſti regno, beneficijs & meritis, fauore & clementia erga Eccleſiam ſuprà habuerimus, vſus ex ijs ipſis Pſalmis petendus eſt. In primis autem maieſtas & dignitas miniſterij ex hoc Pſalmo conſpicitur. Vocantur enim veri Doctores, bellatores, & victores non modò priuatorum hominum, ſed maximorum principum. Quòd ſi monarchia & imperium res omnibus expetenda videtur, quid de tam præclara victoria dicendum eſt, qua ex priuatis & obſcuris hominibus facit victores mundi? Nec tam nobis de honore & pompa agendum eſt (nam illa quę hîc dicuntur, non in oſtentatione quadã humana cernuntur) ſed de veriſsimis laudibus, quæ ad illam futuram & æternam vitam propagabuntur, & ijs qui honeſtè pugnauerint, ac cum D. Paulo curſum ſuum conſumauerint, coronam immarceſsibilem comparabunt.

Pſalmus

Psalmus 150.

Halleluia.

Laudate Deum in sanctuario eius.

Vm is sit finis vltimus, propter quem homo conditus, deinde redemptus est, vt DOMINVM laudibus extollat, postremi Psalmi, & in his vltimus, quasi totius Psalterij epilogus, nos ad eam præclaram functionem adhortantur. Habet autem hic 150. Psalmus tria argumenta, quibus nobis persuadere vult veras DOMINI laudes, & gratitudinem. Primum est, Deo deberi summas laudes, propter suam præstantiam, quæ sumitur à beneficijs: collatis in Ecclesiam à potentia & maiestate: à rebus præclarè gestis, & per præcisionem addit, propter excellentem magnitudinem eius, hoc est, omnia quæ Dei magnitudinem in hoc mundo celebrant. Deinde modum ostendit, quomodo & gratitudinis & laudum ratio omnis instituenda sit: neq; enim DOMINVS ad prædicandas laudes & gratiarum actionem aliud requirit, quàm animum ad gratitudinem, & gloriam nominis diuini promptum, quod studium exprimere nominibus tot instrumentorum Musicorum voluit. Postremò cùm DOMINVS omnibus offerat suam gratiam & misericordiam, æquum esse dicit, vt omnes, in laudibus diuinis occupentur, & κατ' ἐξοχὴν omnem spiritum hortatur, ad celebrationem nominis diuini, plus enim est dicere spiritum, quàm

hominem. Voluit enim hortari eos, qui vel spirare tantùm possint, vt laudent DOMINVM.

1. *Laudate Deum in sanctuario eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.*
2. *Laudate eum in potentia eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*
3. *Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in Psalterio & Cythara.*
4. *Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.*
5. *Laudate eum in cimbalis benè sonantibus: laudate eum in cimbalis iubilationis.*
6. *Omnis Spiritus laudet DOMINVM. Halleluia.*

Cùm ex ijs, quæ suprà diximus, sententia Prophetæ vtunq; adumbrata sit, nunc paraphrasi totum Psalmum explicabimus, additis etiam scripturæ testimonijs, vbi opus esse videbitur. Vnum duntaxat notandum est, Beth Prępositionem Hebræam non pro in, sed propter accipiendam: Laudate in sanctuario, hoc est propter ea, quæ Deus in sanctuario suis clementer exhibet. Laudate eum in fortitudine, hoc est, propter fortia & præclara facta, &c. Significat & per, cum dicit in cymbilis, hoc est, per musica instrumenta.

Vos ego, qui pietati studetis, quanta maxima possum animi contentione adhortor, vt Deum Optimũ Maximũ laudetis. Dignus enim est, propter præstantiam & summam in nos clementiam, cuius nomen perpetuò nobis in ore sit. Nam si diligenter cogitauerimus, quanta in suo sanctuario, quod iam Hierosoly-

mis;

mis habet, in pios beneficia conferat, & quæ vltimis temporibus in vniuersam Ecclesiam collaturus sit, nulla nobis oratio, ad prædicandam ipsius benignitatem sufficiet. Vult enim nos vere sanctos & innocentes in conspectu Dei remissis peccatis reddere, largiri Spiritum sanctum, qui nos ad veram elegantiam vitæ reformet, & nouas creaturas faciat, vt in sanctitate & iustitia ipsi seruiamus toto nostræ vitæ tempore. Laudãdus deinde merito est, propter summam virtutem & potentiam, quam totius huius mundi fabrica, precipuè autem amplissimi corporis cœlestis creatione demõstrauit. Etenim cum cœlum ex omni parte patens atq; apertum intuemur, non mirabimur eius & ornatum & magnitudinem, & præterea quòd in perpetua illa rotatione, nullis axibus adaptatum circa vniuersum rapidissimo motu tot seculis feratur. Iam verò si ea, quæ in terra præclara gesit, si miracula ingentia, si admirabilem gubernationem, protectionem piorum, liberationem ex summis periculis, conseruationem in fame, in bellis, in mari, inter bestias, & alia innumera, denicq; si alia, quibus suam & potentiam & bonitatem declarauit, considerauerimus, non poterimus nobis agendis gratijs satisfacere. Laudemus ergo eum, quibus possumus rationibus, coniungamus cum voce, instrumẽta musica, Psalterium, Cytharas, Tympana, & reliqua, quibus in festiuitatibus & sacris vtimur: perstrepent tubæ, exaudiantur cymbala & crotalia, vt sit iucundissimus concentus, certentq; cum instrumentis voces humanæ. Accedat autem ad istam qualemcunq; studij nostri declarationem, ἁρμονία animorum, vt vera fide & toto pectore DOMINO gratias *1. Cor. 1.* *Ephes. 2.*

agamus, ne laudatio oris à corde, cogitationibuśq; tacitis dissideat, eiusmodi enim καρδιακισμὸς DOMINO vehementer displicet. Et quemadmodum in Musica, varia instrumenta, & in fidibus nerui multiplices, dulcem tamen ex proportione concentum habent, sic opera danda est, vt ea ornamenta, quibus nos DOMINVS affecit, omnia & laudibus ipsius & proximo seruiant, & cum sint varia dona, idem autem Spiritus, nunquam committamus, vt ijs ad dissensiones abutamur, ne vt sonorum confusione aures eruditæ, sic perturbatione & distractione animorum nostrorum, DOMINVS offendatur. Sed in hoc incumbamus, vt omnium summus consensus sit, & dulcis concentus qui Deo probetur. Eo in studio omnes qui spiritum vitalem ducunt, omni cura & diligentia elaborent.

TE Deum patrem, creatorem & conseruatorem humani generis, te DOMINVM *Iesum Christum filium Dei vnigenitum, te Spiritum omnis veritatis & consolationis, supplices oramus, vt in hac præclara Musica nobis clementer adsis, & flectas corda nostra ad obsequium tuũ: eaq́ accende, vt vera fide, dilectione non simulata, ardeant: vt in te laudando & celebrando, nunquam fatigen-*

fatigentur, nec ſe ab hoc ſtudio vlla ratione auelli patiantur, donec tandem nos illi beato cœtui adiungas, qui tua veriſſima præconia in omni æternitate laudat, celebrat, extollit. Tibi DOMINE
Deus laus, honor & gloria
in ſeculum ſeculi
Amen.

Errata poſtremæ Decadis ſic corrigito.

Folio 4. *linea* 27. *prætermiſſum eſt à ante* DOMINO. 6. 32. *noſtræ.* 7. 23. *vident.* 13. *volatilibus.* 16. 27. *formulam.* 34. 1. *poſt precationem prætermiſſum eſt, doctrinam.* 39. 5. *Aſſequitur. ibid.* 23. *dele &.* 40. 20. *niti.* 53. 9. *efficit.* 55. 5. *conſpiciendum.* 61. 1. *Quæ.* 62. 26. *dele, ſe.* 73. 5. *diligentem.* 74. 21. *Et.* 88. 16. *ipſam.* 91. 1. *præripit.* 96. 9. *dele, quæ.* 101. *lin. vlt. rectiſsimè.* 102. 10. *tractent. ibid.* 21. *lege, hoc loco.* 103. 21. *laudandus.* 108. 18. *coruo.* 114. 30. *poſt docentur, lege, pij.* 115. 12. *menſam.* 118. 20. *animata.*

TVBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbach.

M. D. LXXII.